
0067378XXXX



ACTA

SANCTORUM

SEPTEMBRIS

TOMUS OCTAVUS

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY ET SOC., VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALMÉ. M.DCCC.LXV.

ACTA SANCTORUM

Ex Latinis et Græcis aliarumque gentium Monumentis, servatâ primigeniâ veterum Scriptorum phrasi,

COLLECTA, DIGESTA, COMMENTARIISQUE ET OBSERVATIONIBUS

ILLUSTRATA A

JOANNE STILTINGO, CONSTANTINO SUYSKENO,

JOANNE PERIERO, JOANNE CLEO,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

EDITIO NOVISSIMA CURANTE JOANNE CARNANDET

SEPTEMBRIS TOMUS OCTAVUS

QUO DUO POSTREMI DIES CONTINENTUR CUM EJUSDEM MENSIS SUPPLEMENTO ET GEMINA APPENDICE MENSIS AUGUSTI



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM.



IOSEPHA

ARCHIDUX AUSTRIÆ, etc. etc.

JOSEPHÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ, DALMATIÆ, HIEROSOLYMÆ,

ARCHIDUCI,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI, SILESIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, COMITI FLANDRIÆ, HANNONIÆ NAMURCI, TYROLIS, GORITIÆ ETC.

Acta Sanctorum mensis Septembris, SERENISSIMA ARCHIDUX, sub auspicio Augustissimæ Matris Tuæ, magnæ Mariæ Teresiæ, Romanorum Imperatricis et Reginæ Apostolicæ, munificentissimæ ac perpetuæ Operis nostri Patronæ, feliciter inchoavimus et octo voluminibus perfecimus, eidemque mensem integrum ab initio reverenter obtulimus. Egregia autem illa Sanctorum Cultrix, et Mater filiorum amantissima, ex numerosa prole pro singulis tomis singulos sibi substituit patronos, et postremum Septembris, quem profunda cum veneratione et animo devotissimo perferimus, Tibi pro ordine ætatis gratiosissime destinavit. Habet id singulare dicatus Tibi tomus, SERENISSIMA ARCHIDUX, quod non modo sanctorum hominum gesta referat, sed etiam omnium *Angelorum*, quorum protectione miseri mortales omni loco et tempore fruimur, præclara in homines officia beneficiaque enumeret. Quapropter hoc etiam nomine gratissimum pietati Tuæ adventurum confidimus. Etenim religiosissimi Majores Tui, quorum eximias virtutes ab ineunte ætate æmulari didicisti, præclaros illos cœlestis aulæ Principes summa semper veneratione coluerunt, eaque incitati effecerunt, ut festivitas *Angelorum Custodum*, cujus pro universa Ecclesia institutionem solemnitate in provinciis Austriacis celebretur, et ad octo omnino dies continuetur. Ad *Angelos* accedunt Sancti meritis et virtutibus præstantes, interque eos quatuor illustrissimo Regum aut Principum genere conspicui, quales sunt *Leodowinus* archiepiscopus Trevirensis; *Alaricus* Sueviæ Ducis filius, *Joannes de Monte Mirabili*, bellica laude in juventute clarus, cujus posteritas cum Principibus Austriacis affinitatem contraxit; et *Simon* comes multis ditionibus potens. Hos tamen omnes nominis celebritate superat *Hieronymus*, præstantissimus Ecclesiæ Doctor, qui in hodierna Matris Tuæ ditione natus creditur. Magnam quoque patiendo et agendo gloriam meruit *Gregorius*, qui Majorem Armeniam ad fidem convertit Christianam. Verum quid proderit multorum Sanctorum recensere nomina? Inquiramus potius, PIA PRINCEPS, qua omnes via incesserint ad cœlestem gloriam; quibus conatibus per angustam semitam, quæ sola

perducit ad vitam æternam, feliciter penetraverint; cujus demum auxilio, victis hostibus, qui in itinere occurrebant, coronam sempiternam gloriose sibi asseruerint. Disputavimus alias de sapientia Sanctorum, qua temporalibus bonis prætulerunt æterna. Adumbravimus invictam Sanctorum fortitudinem, qua orduos pro Deo labores suscipere non dubitaverunt. Consideravimus insignem Dei Servorum justitiam, qua benignissimo bonorum omnium Largitori reddere conati sunt, quidquid ejus dono in mundo possidebant. Nunc vero disseremus de excellenti Sanctorum temperantia, eaque latius considerata, qua verbis, operibus, cogitationibus, affectionibus, desideriis suis omnibus modum statuerunt, ne qua in re excederent, aut de via virtutis declinarent. Docti a Deo Sancti, probe intellexerant, levi turbulentarum affectionum impulsu hominem incautum ab arcta virtutum via ad latum vitiorum campum facile deturbari. Hinc summam adhibuerunt curam, ut vehementes animi affectiones, quas vulgo *Passiones* vocamus, domitas haberent sibique subjectas. Has inter affectiones, SERENISSIMA ARCHIDUX, latissime dominatur amor, utpote aliarum quasi omnium origo. Nobilissimus est affectus amoris, qui fertur in Deum, omni amore dignissimum, aut in sanctos homines vel *Angelos*, Dei amicos: turpissimus vero, si turpia, si illicita, si Dei præceptis opposita concupiscit. Nobilem illum Dei ejusque amicorum amorem ordinarunt potius quam temperarunt Sancti: turpem vero non minori cura ex animo ejecerunt, quam ignem ex corpore aut vestimentis excutimus, ne misere comburamur. Verum alia quoque multa sunt, partim necessaria, partim utilia, partim indifferentia, quæ homines ad sui amorem trahunt, eosdemque, nisi multa temperantia affectiones suas cohibeant, ad periculosa desideria, ad gravia peccata, ad æterna supplicia paulatim perducunt. In ejusmodi igitur rerum appetitu temporando virtus Sanctorum maxime enituit. Laudis, honoris et gloriæ amor quasi insitus est hominum animis, affectus sane periculosissimus, nisi diligenter temperetur, aut ad cœlestem gloriam transferatur. Nec arenam, quæ jacet in littore maris, numerare quis possit; nec multitudinem hominum, quos inordinatus gloriæ appetitus inferno lacu demersit. Capitalem hunc salutis nostræ inimicum omnes temperantiæ gladio insectati sunt Sancti. *Joannes de Monte-Mirabili*, qui crudelissimo illi tyranno olim serviverat, ubi se semel in libertatem asseruit, tanta diligentia industriaque hostem oppugnavit, ut omnino ejus nervos succiderit, et demum lætaretur sui contemptu, contumeliis sibi illatis, irrisionibus aliisque pudorem incutere solitis. *Simon*, potentissimus olim comes, etsi numquam fortasse nimio gloriæ studio magnopere excesserat, omnem ejus appetitum adeo perdomuit, ut amplum palatium cum angusta permutaverit cella, ipsamque cellam monasticam, quod etiam nimis honorari in illa sibi videbatur, cum tugurio magis solitario, in quo exilem sibi victum manuum labore quæreret. Mitto aliorum Sanctorum exempla, licet omnes strenue certaverint, ut blandum illum animæ suæ hostem vincerent, ut desideria gloriæ piis considerationibus opprimerent, ut cœlestium bonorum contemplatione universum laudis et honoris appetitum ad vitam æternam transferrent, durissimumque superbiæ, ambitionis et vanæ gloriæ jugum a se penitus excuterent. Sicut amor gloriæ multos, qui perverse student se elevare, in profundum præcipitat, æternum cruciandos; sic et inordinatus opum appetitus innumeros homines, tamquam laqueis captos, ad miserandum perducit interitum. *Nam qui volunt divites fieri*, ait Apostolus, *incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* At hunc humanæ salutis inimicum facile superarunt Sancti, divina gratia edocti, quam inanes sint opes, aut citius aut certe cum vita relinquendæ. Hinc aut omnes aut plerique, quos hic tomus repræsentat, unico ictu avaritiæ affectum resecuerunt, abjectis omnibus, quæ mundus vocat bona. Ita fecerunt nobilissimi Principes *Alaricus*, *Leodowinus*, *Simon*, *Joannes*; nec aliter processerunt *Hieronymus*, doctrina et sanctitate celeberrimus, et sanctissimi abbates *Cyriacus* et *Bartholomæus*, imo et beata virgo *Felix de Meda* hac via ad sanctitatem pervenit. Prudentes illi negotiatores, qui opibus brevi perituris æternos emebant thesauros, eadem opera illicitas sibi interdicebant voluptates, id est, aliud gravissimum æternæ beatitudinis impedimentum prudenter amputabant. Cum enim voluptates, non expleantur, nisi terrenarum opum subsidio, nulla ratione divitias abdicassent, nisi simul voluptatibus nuncium remittere voluissent. Non loquemur de turpi libidine, quam gravissime oderant Sancti, Angelicam conati mente et corpore imitari castitatem; sed de iis voluptatibus, quæ hominibus obrepere possunt in necessariis alimentis. Divina bonitas cibo et potui, quibus homo corpus sustentare cogitur, suavitatem indidit, qua delectatur in sumendis alimentis. At multi homines illo ipso Dei dono non raro abutuntur; dum amorem suum cæco quodam impetu ad illam alimentorum suavitatem sic abripi sinunt, ut nimio eorum usu Deum

offendant, animam suam commaculent, corpus ipsum graviter lædant. Contra hunc abusum Sancti temperantiæ et abstinentiæ scutum erexerunt, et non modo superfluis corpus suum onerare noluerunt, quod temperantiæ est; sed passim viliora elegerunt, et frequenter pauciora sumpserunt alimenta, quam exigere videbatur corporis necessitas. Tantus in his erat rigor Sanctorum omnium, quorum mores fidelissimis documentis in hoc tomo innotescunt, *Cyriaci, Bartholomæi, Hieronymi, Joannis, Simonis*, ut nequeant omnibus prudenter ad exemplum proponi. Tam severam abstinentiam alii tota vita continuarunt, alii longo tempore, ut procul ab omni excessu recederent, aut pro peccatis suis divinæ Majestati satisfacerent. Alii vero austeritate tanta ad tempus usi sunt, ut in partem gulæ oppositam declinando ad auream mediocritatem facilius pervenirent, discerentque ad alimenta accedere tamquam ad medicamenta, sive eam sumere qualitatem quantitatemque, qua vitam viresque corporis conservarent, nec tamen gulæ turpiter obedirent. Ejectis aut saltem subjugatis tribus tyrannis, qui latissime in hominum animis dominantur, SERENISSIMA ARCHIDUX, superbia, avaritia, turpique voluptatum libidine, Sancti ad omnem temperantiæ perfectionem expeditissimi per Dei gratiam processerunt. Plerisque se opponere conabatur timor, validissimus contra mundi amatores affectus, quos periculis honores, opus aut voluptates amittendi statim prosternit; at his armis plane invalidus contra Sanctos, qui non timebant jacturam eorum, quorum amorem abjecerant. Itaque timorem Sancti tanto facilius vicerunt, quanto perfectius rerum mundanarum appetitum deposuerant. Tristitia tamen, affectio ex præsentibus malis orta, quæ ex hominum malitia vires sumit, gravius non raro Sanctorum temperantiam oppugnavit, eosque ad odia, ad graves indignationes, ad vindictæ cupiditatem tentavit pertrahere. Etenim Sancti non pauci atroces passi sunt calumnias, (quibus conturbantur etiam sapientes) exsilia, carceres, falsas accusationes, mortem violentam. Sic est, SERENISSIMA ARCHIDUX, Sancti in hoc libro Tibi reverenter oblati tam gravia sustinuerunt; neque lignei illi erant aut lapidei, ut nullam ex hisce sentirent tristitiam aut dolorem. Vel sic tamen animo moderari, indignationem temperare, iracundiam vincere, vindictæ libidinem feliciter repellere potuerunt. At non uno die ad tantam temperantiæ perfectionem pervenerunt : sed multa meditatione, crebra oratione, et indefessa exercitatione per Dei gratiam paulatim ascenderunt. Proponebant sibi perfectissimum exemplar Christum Dominum, qui calumnias, vincula, falsas accusationes, condemnationem injustam, tormenta gravissima, mortem ignominiosam patientissime pro nobis toleravit. Meditabantur suavissima Domini verba : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Et illa : *Non est servus major Domino suo : si me persecuti fuerint, et vos persequentur*. Rursum illa : *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Qui hæc in memoria habebant Sancti, iidemque mundanarum rerum contemptores, moderate omnia et temperanter perferebant, præsertim cum et hæc Domini verba alte animo infixissent : *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Itaque martyres, ejusmodi monitis instructi, et Dei gratia roborati, vincula, tormenta, calumnias, condemnationes, ignominias, ac demum mortem violentam moderate aut etiam lætanter sustinuerunt. Sanctorum confessorum in ferendis similibus temperantia mire etiam enituit. *Hieronymus* subita turbine perculsus, Aquileia profugit in Syriam. Post aliquot annos in vita solitaria sancte transactos, nimiis molestiis monachorum, qui hæreticum imperite dicebant, iterum coactus est discedere, et ex solitudine alio se transferre. Ne Roma quidem diu tulit *Hieronymum* : sed anno tertio commorationis Romanæ tantis exagitatus fuit potentum odiis, tot calumniis fuit oppressus, ut rursum tempestati cedendum crederet, et in Palæstinam migrarit. Tot vexationes, cum acerbissimis calumniis conjunctas, tam moderate tulit Sanctus, ut nec earum auctores nec calumniatores umquam nominaverit. Sicut voluntario exsilio habitationes dilectas deseruit *Hieronymus*, ita et pœnam exsilii contra se decretam in Palæstina intellexit. Decretum istud, quod effectu caruit, contra *Hieronymum* obtinuerat Joannes Hierosolymitanus antistes, qui et ingressum ecclesiæ eidem ejusque monachis prohibuit, quia *Hieronymus* in celebri controversia contra Joannem favebat S. Epiphanio. Quo animo tantas contumelias tulit Sanctus? Utramque notam fecit, pendente controversia, quod id ad defensionem suam videbat conducere. Lite composita, de iis numquam amplius locutus est, et sinceram cum Joanne amicitiam renovavit. Alia *Hieronymum* decrepitum perculit procella, dum sceleratus hæreticorum cuneus invasit utrumque monasterium, quod Sanctus regebat, et utrumque cæde et flamma vastavit. Tantam injuriam, qua ad extremam redactus erat

inopiam, ea moderatione sanctus Doctor sustinuit, ut in querelis, quas ad summum Pontificem detulit metu gravioris mali, numquam edixerit nomina eorum, qui flagitium istud perpetraverant. Maluit Sanctus alio ad tempus migrare, et extremam egestatem, quam ob defensam contra hæreticos fidem sibi illatam noverat, temperanter ac placide tolerare, quam vel minimum vindictæ desiderio indulgere. Pari temperantia *Gregorius* Armeniæ Apostolus graviora toleravit, multiplices nimirum corporis cruciatus et carcerem teterrimum ac diuturnum, in quo moriturus credebatur. Neque enim iracundiæ consensit aut indignationi, nec odia in animo suo nutrivit, nec aliam de illatis sibi injuriis expetiit vindictam, nisi laudatissimam illam, quam feliciter obtinuit, dum Regem, Principes, populumque Armeniæ precibus, lacrymis, indefessis laboribus ad religionem perduxit Christianam. Non minus heroica fuit moderatio *Bartholomæi* abbatis in refrenandis affectionibus iræ, indignationis et odii. Gravibus impetitus erat calumniis apud Rogerium Siciliæ Principem, eoque rem perduxerant accusatores maligni contra virum sanctissimum, quem velut planum et hæreticum traducebant, ut judicum sententia fuerit condemnatus, ignique tradendus, nisi divina bonitas periculum miraculo discussisset. Cognita innocentia Sancti, pœna talionis imminebat calumniatoribus, quos comburi jubebat Rogerius. At intercessit invicta caritas *Bartholomæi*, qui noluit rogum sibi exstructum in pœnam calumniatorum accendi, vitamque iisdem impetravit. Restant multa, SERENISSIMA ARCHIDUX, de virtute Sanctorum in temperando sui amore, qui multorum malorum fit causa, si vehementior est, nec temperantiæ freno repressus. Alii enim voluntatem suam potius, quam rectam rationem, sequuntur ducem, nec alieno se regi sinunt arbitrio. Alii judicio suo pertinaciter adhærent, nec ullis prudentum rationibus induci possunt, ut ab opinionibus semel conceptis abducantur. Hinc nascuntur dissensiones, altercationes, lites, inimicitiæ, pugnæ, errores gravissimi, hæreses perniciosæ. At Sancti intestino huic inimico strenue repugnaverunt. Maluerunt hi prudentis moderatoris subesse imperio, quam propria duci voluntate. Maluerunt in rebus ambiguis sapientum sequi judicia, quam suis inhærere opinionibus, quod nossent, neminem in rebus suis optimum esse judicem, ideoque nec viri sapientis esse suæ prudentiæ multum confidere. Doctissimus *Hieronymus* non ignorabat, imperite se ob diversum loquendi modum accusari de hæresi a monachis Syriæ, contentiosis magis quam eruditis; nec tamen sua contentus fuit scientia, sed rogavit Romanum Pontificem, quo loquendum esset modo. Adeo Sancti, in rebus maxime ad fidem spectantibus, suæ nolebant inniti prudentiæ. Alii, quorum exempla afferre pagellarum paucitas vetat, voluntatis et judicii excessus amputaturi, monasticum amplexi sunt institutum, ut voluntaria subjectione alienum sequerentur imperium, et prompta obedientia moderatoribus suis totos se permitterent. Ita illi agebant, ut *non* vellent umquam *plus sapere, quam oportet sapere, sed* ut pergerent *sapere ad sobrietatem*, sicut monet Apostolus : minime vero, ut bono a peccatis non distinguerent. Cogimur non pauca omittere, quæ dici possunt de temperantia Sanctorum in loquacitate nimia cohibenda, in moderandis desideriis inutilibus, in resecandis omnibus actionum, verborum, cogitationum excessibus. At hæc facilius divina ope impetrarunt Sancti, ubi venenatas malorum radices ex animo evulserant. Si hoc ipsa quoque, PRINCEPS REGIA, totis viribus aggressa fueris, si piis meditationibus fusisque ad Deum precibus constanter institeris, si Sanctorum virtutes imitandas susceperis, et ad præclara piissimorum Majorum ac Parentum Tuorum exempla diligenter attenderis, ad excelsum sanctitatis gradum feliciter ascendere poteris. Hoc ut consequaris, quo præsens vita nihil habet melius, precamur Sanctorum Dominum, ut divinis favoribus te cumulare, et cum Augustissimis Genitoribus ac Serenissimis Fratribus et Sororibus diu conservare dignetur.

SERENISSIMA ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi Clientes

JOANNES STILTINGUS
CONSTANTINUS SUYSKENUS
JOANNES PERIERUS
JOANNES CLEUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI OCTAVI

DE ACTIS SANCTORUM

SEPTEMBRIS.

Postremum hoc mensis Septembris volumen, quod in serie totius Operis de Actis Sanctorum sextum est supra quadragesimum, duos percurrit dies, vigesimum nonum et sequentem, imo et mensem integrum, cujus adjunctum habet Supplementum, quemadmodum et Appendices pro mense Augusto de duobus Sanctis. Verumtamen Sancti aut Beati, quorum gesta enarrantur in hoc tomo, solito pauciores sunt; Angeli vero longe plures. De Sanctis, in quatuor classes more nostro distributis, lectores breviter edocebo, ubi de *S. Michaele* et omnibus *Angelis* nonnulla præmisero.

Festivitas *Michaelis* archangeli, quocum simul omnes *Angelos* colit Ecclesia, latissimum aperuit campum ad plurima investiganda. Etenim ex Martyrologiis aliisque Fastis sacris disseruimus de variis festis *Michaelis* et *Angelorum*, cum in Ecclesia Latina celebrari solitis, tum apud Græcos, Moscos, Æthiopes, Ægyptios aliosque populos, qui plura etiam habent *Angelorum* festa, quam Latini. Accessit alia inquisitio de festis *Angelorum* Custodum. Apparitiones *Michaelis* et aliorum *Angelorum*, tam ex sacris Litteris, quam ex documentis ecclesiasticis, excerpsimus. Trium præ ceteris famosarum *Michaelis* apparitionum Acta, quamvis minus accurate sint scripta, edidimus et illustravimus. Celeberrima apud Græcos est *Michaelis* apparitio *in Chonis*, et ex hac creditur urbs Phrygiæ Pacatianæ nomen mutasse, ut, quæ ante *Colossæ* dicebatur, et nota eo nomine est in sacra Scriptura, deinde *Chonæ* fuerit dicta. Hujus apparitionis Acta Græca, necdum edita, damus et illustramus. Notissima apud Latinos est apparitio *Michaelis* in monte Gargano. Hujus quoque Acta recudimus, et subinde ex vetustioribus monumentis corrigimus. De tempore apparitionis disputamus, et de singulis rei celeberrimæ adjunctis, ac demum de frequentibus ad ecclesiam illam *Michaelis* peregrinationibus et miraculis ibidem patratis. Tertia *Michaelis* apparitio *in monte Tumbu*, qui nunc *Mons S. Michaelis* dicitur, celebris etiam est, et loco multum celebritatis addidit. Acta jam edita erant, sed a nobis ex mss. nonnihil sunt correcta, et pluribus illustrata. Multa alia in prolixo Commentario de *Angelorum* officiis et in homines beneficiis collecta et disputata sunt, quæ studiosus lector inveniet.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primus in hoc statu se offert *Fulgentius*, Atinensis in Campania Felice episcopus, cujus pauca innotuerunt gesta. Nihilo fere notior est *Fraternus* Autissiodorensis in Burgundia episcopus, quem aliqui martyrem faciunt sine argumentis certis, aliqui eumdem volunt cum Saturno S. Germani discipulo, quod minus etiam credimus. *Leodowinus* sive *Lutwinus*, Trevirensis in Germania archiepiscopus, illustri genere natus, amplam magis scribendi materiam præbuit. Gemina Vita edita, fidei tamen sublestæ; ac demum Miracula ab alio scriptore exarata. *Grimoaldus* presbyter, qui Ponte Curvo circa Latii et Campaniæ confinia colitur, natione Anglus creditur, quod non omnino videtur certum. *Gregorius* Armeniæ Majoris primus episcopus, quem *Illuminatorem* vocant Armeni, et ut Apostolum suum colunt, conversione amplissimi regni multum inclaruit. Vita vetustior Græca, ex qua suam composuit *Gregorii* vitam Metaphrastes, et aliam medio ævo Anonymus Latinus, prolixe scripta est ab auctore, qui *Agathangelus* vocatur, aut eo nomine scripsit, quique lectoribus suis persuadere voluit, contemporaneum se fuisse *Gregorio*, visaque et audita scripsisse. Verumtamen tam multa Actis inseruit, quæ improbabilia et incredibilia sunt, aut aperte etiam falsa, ut vel contemporaneum se mentiatur auctor, aut Græcus aliquis vitam a contemporaneo scriptam fictitiis ornamentis et exaggerationibus auxerit, relicta interim primi protestatione de ætate sua; aut demum scriptor ille contemporaneus solum fuerit *Gregorio* seni, ultimaque ejus gesta viderit, non vero priora, quæ præ ceteris nimium supra verum exaggerata

sunt. Quæcumque ex bis conjecturis sit verior, Vita illa non meretur fidem de omnibus; sed vera videntur summa rerum capita. Ita perspiciet studiosus lector, unde sua hauserit Metaphrastes, cujus Lucubratio de *Gregorio* eruditis diu nota fuit, sed minime probata. *Honorius*, Cantuariensis in Anglia archiepiscopus, minus prolixum, sed longe fideliorem, habuit rerum præclare gestarum scriptorem, videlicet venerabilem et sanctum Bedam. Ex hujus Historia aliisque scriptoribus diligenter collecta et examinata sunt, quæ de *Honorio* enarranda aut inquirenda venerunt.

EX STATU MONASTICO.

In hac classe se offerunt viri præclarissimi, alii rerum gestarum gloria, alii etiam natalium splendore. Sequar, ut jam cœpi, ordinem, quo de singulis actum est. *Ursio*, quem Galli colunt in diœcesi Trecensi, parum notus est : monachus fuisse creditur, sed monastica ejus professio certis testimoniis non confirmatur. *Cyriacus*, abbas in Palæstina, vitam austeram quam maxime ad grandævam usque senectam duxit, multisque virtutibus ac prodigiis illustris, leonem quoque habuit sibi obsequentem et modici horti sui custodem. Vitæ Græcæ, jam ante editæ, scriptor est Cyrillus, Sancti discipulus, aliisque id genus scriptis notus, qui vidit leonem Sancto servientem. *Alaricus* vel *Adalricus*, Burchardi Alemanniæ ducis filius, contemptis mundi vanitatibus, partim anachoreticam vitam duxit, partim monasticam, obiitque tandem in Ufnaugia, lacus Tigurini insula in Helvetia. Non minus illustribus natalibus ortus est *Joannes de Monte mirabili*, qui et laude bellica claruit, quamdiu peritura mundi bona amavit et desideravit. Deinde vero meliora quærere doctus, multa primum in egentes præsertim et monachos contulit beneficia, ac demum se ipse in monasterio Longi-Pontis ordini Cisterciensi tradidit. Vita, a monacho coævo scripta, et nunc primum edita, abunde lectorem docebit, quantis jam ante vitam monasticam, quantisque in ordine Cisterciensi virtutibus floruerit. *Nicolaus de Furca Palenæ* in pluribus Italiæ civitatibus habitavit, in patria sacerdos factus, deinde Romam profectus, ubi vitam quasi eremiticam duxit. Tertio ordini S. Francisci adscriptum etiam fuisse nonnulli volunt. Monasteria in variis urbibus erexit : sed se cum tota congregatione sua tandem adjunxit ordini Hieronymiano B. Petri Pisani, et Romæ centenarius obiit. *Hieronymus*, celeberrimus Ecclesiæ doctor, præ reliquis omnibus hunc tomum auxit. Vitam tamen, sive antiquam sive novam, nullam impressimus : sed ex ipsis Sancti Operibus, aliisque vetustis scriptoribus prolixum concinnavimus Commentarium, in quo investigavimus patriam *Hieronymi*, tempus natale, omnium gestorum et scriptorum ordinem. Actum demum de reliquiarum translationibus, de Ordinibus *Hieronymi* nomine institutis, de cultu et miraculis totaque gloria posthuma. *Victurnianus* anachoreta, qui in Lemovicis colitur, Scotus vel Hibernus ortu creditur; sed pauca de ejus gestis sunt nota. *Laurus*, presbyter et abbas, apud Armoricos in diœcesi Macloviensi cum aliquot discipulis vixit. *Simon* comes erat multis ditionibus potens, præcipuisque Galliarum principibus annumerandus, quando, mirantibus omnibus, mundanæ magnitudini nuntium remisit, et in cœnobio S. Eugendi monasticum amplexus est institutum. Vita, quæ auctoris est coævi, egregias Sancti virtutes uberius declarat. Accedunt in Appendicibus pro mense Augusto *Donatus*, Ordinis Benedictini monachus, de cujus gestis pauca sunt scripta, et *Bartholomæus* Basiliani abbas, qui in Calabria maxime claruit, et Messanæ in Sicilia celebre monasterium erexit, nunc vero in utraque provincia variis lucis colitur. Vita, ab auctore coævo scripta, datur Græco-Latina.

EX STATU SECULARI.

Qui in hoc statu veniunt recensendi, omnes sunt martyres, et plerique solo fere martyrio noti. In Thracia passi sunt *Eutieus* vel *Eutichius* et *Plautus*, quibus forte addendi *Heraclia*, *Placidus*, *Ambutus*, *Tracia* et *Donata*. Alter martyrum manipulus Romæ coronam obtinuit. Horum nomina forte sic enuntianda : *Salutarius*, *Possessus*, *Januarius*, *Amplus*, *Celedonus*, *Justinus* et Milites aliquot. In Perside sub Sapore rege egregie pro fide certarunt, et illustrem sanguine fuso obtinuerunt victoriam, *Dadas*, qui asseritur regis consanguineus, *Gobdelaas* Saporis, ut volunt Acta, filius, et ejusdem filia *Casdia* vel *Casdoa*. Dedimus Acta Græco-Latina, etiamsi non videantur optimæ notæ, et *Gudeliam* in Menæis memoratam dubitanter adjunximus. *Victor* et *Ursus*, qui ex Thebæa legione Solodori in Helvetia cum pluribus Sociis passi sunt, uberiorem dederunt disserendi materiam, præcipue ob varias corporum inventiones et translationes. *Antonini*, uti et *Casti* ac *Desiderii* martyrum, qui Placentiæ in Italia coluntur, gesta non satis innotuerunt. Nihilo certiora sunt, quæ de *Leopardo* martyre Romano, Aquisgrani in Germania culto, asseruntur, præter martyrium et reliquiarum translationem.

EX FEMINEO SEXU.

Paucas invenimus mulieres, de quibus agendum fuit. Præter illas, quæ cum viris passæ et jam memoratæ sunt, in Actis S. Gregorii Armeni laudantur *Ripsime* et *Gaiana* virginis, quæ cum Socialibus anonymis et cum aliquot etiam viris illustri certamine pro tuenda virginitate sua palmam sunt adeptæ. *Felix*, abbatissa Ordinis S. Claræ, præclaris virtutibus primum Mediolani floruit, deinde Pisauri, quo missa erat, ut præesset monasterio ibidem recenter fundato. Gesta *Felicis* ex variis collecta sunt et examinata.

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Julii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et Opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet : cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Laurentio Ricci, concedo Bernardo Alberto vander Plassche *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum octavum de Actis Sanctorum Septembris, collectis et illustratis per Joannem Stiltingum, Constantinum Suyskenum, Joannem Perierum, et Joannem Cleum, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ 5 Decembris 1761.*

JOANNES BAPTISTA TYBERGHEIN.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Stiltingi e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur, ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die 26 Septembris anno 1755.

Signat J. H. HENRICY.

Et ego Joannes Stilting Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto vander Plassche, ut Tomum octavum de Actis Sanctorum Septembris, nostro permissu apud ipsum impressum, publicet. Datum Antverpiæ 15 Januarii 1762.

APPROBATIO ORDINARII.

Legi Tomum Octavum et ultimum Mensis Septembris de Actis Sanctorum, collectis, digestis et illustratis a RR. PP. Joanne Stiltingo, Constantino Suyskeno, Joanne Periero et Joanne Cleo, Societatis Jesu Presbyteris. Idem de hoc, quod de quatuor præcedentibus tomis censeo, et fore confido, ut in lucem editus contribuat bono Publico cum reliquis 45 tomis ejusdem præclari Operis, quod non tantum sacræ, sed et nonnumquam profanæ Antiquitatis monumenta, excusso pulvere, ab interitu vindicat, et undique terrarum ex latebris pene inaccessis conquisita publici juris facit. Datum Antverpiæ 13 Januarii 1762.

J. F. DEBRUYN S. T. L. Seminarii Episcopalis Præses, Cathed. Ecclesiæ B. M. V. Canonicus Graduatus et Pœnitentiarius, Examinator Synodalis, librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc octavum tomum Septembris denuo protestamur.

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM VIII SEPTEMBRIS.

A

cio Græco, et ex alio codice selecta 797, § 4. Chronotaxis fere omissa in Vita Sancti : fundatio monasterii prope Rossanum, quod beatissimæ Virgini Mariæ dicatum 801, § 5. Fundatio monasterii sanctissimi Salvatoris prope Messanam, quæ certo per Rogerium regem facta est : alia monasteria per sanctum fundata 805, § 6. Qualiscumque chronotaxis et examen præcipuorum Sancti gestorum 807. Vita, *auctore anonymo coævo, ex codice Ms. SS. Salvatoris Messanensis, cum interpretatione antiqua aliquot locis correcta.* Præfatio. 810, Cap. 1. S. Bartholomæi patria, parentes, pueritiæ studia : relictis parentibus, adit Cyrillum monachum, ab eoque habitu monastico induitur : deinde ad varios profectus, vitam orditur solitariam, ot virtutibus splendet 811, Cap. 2. Sanctus discipulos admittit et vitâ monasticâ instituit : condit monasterium, quod accursu multorum etiam insignium virorum augetur 815, Cap. 3 Sanctus ordinatur presbyter : Romam profectus, privilegia pro monasterio suo a Papa impetra : virtutibus præstans, periculum monachorum suorum divioitus novit et avertit: Constantinopolim tendit, et ad suos revertitur 819, Cap. 4. Utilia Sancti monita : per calumniam accusatur apud Rogerium regem, innocensque ad ignem damnatur, sed miraculo liberatur : fundatur monasterium SS. Salvatoris : Sanctus in supremo morbo successorem sibi substituit, et pie moritur. 823

C

Casdia aut Casdoa cum Dada etc. Vide *Dadas.*

30 Castus et Desiderius MM. Placentiæ in Italia, *ex Hieronymianis, aliisque Fastis.* 294

Celedonus cum Salutario etc. Vide *Salutarius.*

29 Cyriacus abbas conf., in Palæstina. Comm. Præv. § 1. Sanctus vixit in Palæstina cum viris pluribus Sanctis. Ejus memoria in Fastis sacris : monumenta quæ edenda. Proponuntur aliqua de peculiaribus in Palæstina Origenistarum erroribus 142, § 2. Notæ chronologicæ in Vita edenda corrigendæ. Deducta ex emendatis aliisque Chronotaxis 144. Vita. *auctore Cyrillo Scythopolitano Sancti discipulo, ex codice Vaticano num. 866, interprete J. C.* Cap. 1. Sancti natales, pia educatio, studium lectionis sacræ, vocatio ad vitam monasticam ; virtutes, quibus in juventute eminuit 147, Cap. 2. Mira S. Cyriaci abstinentia et pœnitentiæ studium prodigiis a Deo decorata. Amore solitudinis latebras quærens, miraculis illustratur. Origenistarum prava dogmata detegit et impugnat 151, Cap. 3. In solitudinem reversus leonis ministerio utitur, et precibus pluviam prodigiuse impetrat. Narratio de mirabili vita et morte Mariæ solitariæ. S. Cyriaci in summa senectute pius obitus 156

D

29 Dadas, Gobdelaas, Casdia aut Casdoa, et forte Gudelia MM. in Perside. Comm. Præv. Annuntiatio horum martyrum in Fastis : Acta qualia : utrum Gudelia Mulier videatur distinguenda a Gobdelaa viro : tempus martyrii 127. Acta, *auctore anonymo, ex Ms. Vaticano, collato cum Menæis impressis, interprete J. S.* Cap. 1. Persecutio gravis sub Sapore : Dadas delatus, et so Christianum fassus, ardentem caminum, cui erat injiciendus, signo crucis extinguit : hinc Gobdelaas conversus, multis subjicitur cruciatibus 129, Cap. 2. Alia Gobdelaæ tormenta : mors omnium. 132

Desiderius cum Casto Vide *Castus.*

Donata cum Eutico etc. Vide *Euticus.*

Donatus monachus Bened. Congregationis Montis-Virginis in Principatu Citeriori regni Neapolit. Appendix ad diem 17 Augusti. Comm. Hist. § 1. Ratio, cur hic de S. Donato agamus : Officium et Missa de illo a sacrorum Rituum Congregatione approbata et concessa : memoria in Martyrologiis : scriptores Vitæ tantum recentiores 785, § 2. Sancti patria et tempus natale : tirocinium et professio Religiosa : gesta quædam mirabilia, alia aliis certiora : obitus et annus emortualis 787, § 3. Translatio corporis Ripam Candidam facta cum adjunctis non probatis : loca, in quibus ejusdem Reliquiæ quiescunt. 790

E

29 Euticus vel Euthichius, Plautus et forte Heraclea, Placidus, Ambutus, Tracia, Donata, MM. in Thracia, *ex Hieronymianis aliisque Martyrologiis.*

F

30 Felix de Meda, virgo et abbatissa Ordinis S. Claræ Pisauri in ducatu Urbinate Comm. Præv. § 1. Memoria in Fastis sacris, elogia, Vita Italica, Compendium Latinum, eorumque usus 751, § 2. Patria Beatæ juxta aliquos Mediolanum, juxta alios Meda, locus ejusdem territorii ; neutra opinio certa 752, § 3. Beatæ illustres natales ; pia adolescentia ; susceptio vitæ monasticæ ; religiosæ virtutes, electio ad abbatissæ dignitatem, fructuosum regimen 755. § 4. Beatæ evocatio ad regimen novi monasterii Pisaurensis, iter et adventus 757, § 5. Turbæ adversus Beatam excitatæ Pisauri et miraculo sedatæ : beneficia eidem civitati ipsius precibus obtenta 759, § 6. Supremus morbus ; obitus ; sepultura ; corporis illæsi inventio ; ejusdem ac corporis B. Seraphinæ Feltriæ translationes et expositiones venerationi publicæ 761, § 7. Cultus immemorabilis BB. Felicis et Seraphinæ, et hujus specialim nuper a Romana sede approbatus ac Officii concessione auctus; miracula utrique communia 764. Vitæ Compendium *auctore anonymo ex monasterio Corporis Christi Clarissarum Pisaurensium ad nos transmissum* 767. Miracula *ex P. Augustini Gallucii libro Italico desumpta et latine reddita.* 768

29 Fraternus episc., Autissiodori in Burgundiæ ducatu. Commentarius. Memoria in Fastis sacris ; alinrum de Sancto asserta, corporis translatio et visitatio; cultus.

29 Fulgentius episc. conf. Atinæ in Campania Sylloge.

G

Gobdelaas cum Dada etc. Vide *Dadas.*

30 Gregorius episc. Armeniæ, Ripsime, Gaiana VV. cum sociis Mart. in Armenia Majore.

H

odia: Blæsillâ mortuâ, scribit de ejus obitu ad Paulam nimis dolentem: Sanctus atris calumniis appetitus, statuit discedere, et in discessu scribit ad Asellam 476, § 18. Discessus Hieronymi in Palæstinam anno 385 figendus 480, § 19. Sancti iter in Palæstinam et socii: lustrata Palestinæ et Ægypti loca sacra: consultus de sacris Scripturis Didymus 482, § 22. Vita Sancti in Bethleem et priores occupationes: magister Hebraicus Baranina, et ridiculæ ejus causâ Rufini accusationes 486, § 21. Perlecta cum SS. Paula et Eustochio, iisque exposita sacra Scriptura: Commentarii in quatuor S. Pauli Epistolas et in Ecclesiasten 488, § 22. Scripti libri de Quæstionibus Hebraicis in Genesim, de locis Hebraicis, do Nominibus Hebraicis 493, § 23. Latine redditus liber Didymi de Spiritu sancto, et Homiliæ 39 Origenis in Lucam. Rufini de his objectiones refutatæ 495, § 24. Refutatur objectio Rufini, ex dictis Hieronymi de Urbe desumpta: et ostenditur, quam magnifice Hieronymus senserit de fide Romanæ Ecclesiæ et summi Pontificis auctoritate 500, § 25. Tractatus septem aliaquo scripta in Psalmos: Vita Malchi, item S. Hilarionis 502, § 26. Correctiu Veteris Testamenti secundum Septuaginta, sive translatio ejusdem in Latinum ex textu Septuaginta, qui erat in Hexaplis Origenis 503. § 27. Translatio Veteris Testamenti ex Hebræo, à nonnullis initio improbata 506. § 28. Examinantur ea, quæ Rufinus contra Translationem S. Hieronymi objecit; S. Augustinus initio Translationem dissuasit; postea probavit et usus est 511, § 29. Scripti Commentarii in Nahum, Michæam et Sophoniam, Aggæum et Habacuc; Epistola ad S. Paulam, liber de Viris illustribus 515, § 30. Duo libri contra Jovinianum hæresiarcham 518, § 31, Libri contra Jovinianum male excepti Romæ: Sanctus pro iis scribit Apologiam et duas Epistolas 521, § 32. Alia Opuscula circa idem tempus scripta, et variæ Epistolæ 524, § 33. Aliæ Epistolæ inter 393 et 396 figendæ: amicitia inter Hieronymum et Augustinum inchoata 527, § 34. Commentarii in Jonam et Abdiam anno 396 scripti: anno 397 Opusculum de 10 Visionibus Isaiæ compositum: scripta Epistola ad Castrutium, altera ad Vitalem 531, §. 35, Ad Fabiolam, quam ante in Palestina viderat, scribit de Veste Sacerdotali, ad Principiam de Psalmo 44, ad Pammachium do obitu Paulinæ 533, § 36. Sanctus anno 398 post morbum diuturnum scribit ad Lucinium, tum in Evangelium Matthæi, et aliquot Epistolas ad varios 536, § 37. Examinatur discordia, quæ fuit inter Joannem Hierosolymitanum et S. Hieronymum, S. Epiphaniu faventem contra Joannem 539, § 38. Quibus modis concordia inter Joannem et Hieronymum sæpius tentata sit, et quo tempore inita videatur: cœpta amicitia Sancti cum Theophilo 544, § 39. Tempus scripti libri contra Joannem Hierosolymitanum: controversia cum Joanne composita 546, § 40. Rufinus cum Melania Romam discedit, vertitque Apologiam pro Origene, ejusque libros de Principiis 551, § 12. Offensio Romæ contra Rufinum orta: Hieronymus ab amicis monitus de laudibus Rufini, quibus fiebat suspectus, amice Rufinum monet, et aliis litteris mentem suam contra Origenis errores declarat 554. § 42. Rufinus duos Invectivarum libros contra Hieronymum scribit: examinantur ejus objectiones de Origenismo 557, § 43. Examinantur quædam observationes Tillemontii do imaginario Origenismo Hieronymi et aliæ quædam neotericorum objectiones 563, § 44. Exponuntur ea, quæ Romæ contra Rufinum decreta sunt: aliæ Rufini contra Hieronymum objectiones et calumniæ examinantur et refelluntur 567, § 45. Assignatur tempus, quo Rufinus contra Hieronymum scripsit, et quo Sanctus duobus libris illi respondit: quale sit responsum Hieronymi 571, § 46. Rufinus cum libris suis minacem Epistolam scribit ad Hieronymum: hic vero ad Epistolam respondet per librum tertium 574, § 47, Scribit Hieronymus ad Oceanum de Bigamis: ad Theodoram viduam, ad Abigaum presbyterum, ad Oceanum de morte Fabiolæ, ad Fabiolam de Mansionibus, et ad Salvinam viduam 579, § 48. Epistolæ aliquot Theophili et Epiphanii ad Hieronymum, ab huc Latine redditæ, ut hujus ad Theophilum Epistolæ de Origenistis: versæ item Theophili synodicæ et Paschales Epistolæ, sed nulla contra Chrysostomum 582, § 49. Scribit Sanctus ad Sunniam et Fretelam de quæstionibus sacræ Scripturæ, ad Lætam de institutione filiæ, ad Eustochium S. Paulæ Epitaphium: vertit scripta S. Pachomii et aliorum 586. § 50. Amicitia S. Hieronymi et Augustini, quæ per controversiam, accedente casu infelici, in periculum adducta erat, utriusque moderatione conservata et aucta 589, § 51. Epistola ad Matrem et filiam, et altera ad Julianum: morbus diuturnus Sancti, cujus tempore data Epistola ad Ruffinum, figenda anno 406, 595, § 52. Expositi Zacharias, Malachias, Osee, Joël et Amos, Epistola ad Minervium et Alexandrum 598, § 53. Epistola ad Riparium, et liber contra Vigilantium hæresiarcham scriptus 601. § 54. Commentarius in Danielem prophetam: Epistola ad Hedibiam, alia ad Algasiam, alia ad Rusticum, alia ad Avitum 603, § 55. Commentarii in Isaiam: Epistola ad Ageruchiam 607, § 56. Commentarius in Ezechielem inchoatus, abruptusque post tres libros ob incursionem Arabum: Epistolæ aliquot recensentur 610, § 57. Prosecutio Commentarii in Ezechielem, et post Epistolas interpositas, quæ recensentur, ejusdem finis 613, § 58. Cæptus Cummentarius in Jeremiam: Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos scripta: prosecutio Commentarii: Dialogus contra Pelagianos: Commentarii non absoluti finis 616, § 59. Sanctus ab Augustino per Orosium et duos libros consultus, eidem respondet: Pelagianorum furore monasteria Sancti eversa 620, § 60. Hieronymus, ubi secesserat ad alium locum, scribit ad Riparium, reversusquo, ad Apronium: Epistola ad Cyprianum: una aut gemina ad Augustinum: tres aliæ incerti temporis 623, § 61. Epistola ultima ad SS. Augustinum et Alypium: beatus S. Hierunymi obitus anno 419 probabilius contigit 626, § 62. Sepultura Sancti in Bethleem, ubi in honoro est sepulcrum, etiam post corpus translatum; uti et alia quædam loca ob Sancti memoriam 629, § 63. Elogia à viris illustribus S. Hieronymo data; observationes aliquot ad errores quibusdam insertos 631, § 64. Natalis S. Hierunymi in omnibus passim Fastis sacris ad 30 Septembris annuntiatus: observationes aliquot de ætatu Sancti in

INDEX CHRONOLOGICUS

ANTE CHRISTUM NATUM.

ACTA

A D

SEPTEMBRIS

TOMUS OCTAVUS

VIGESIMA NONA DIES

SANCTI, QUI TRES KALENDAS OCTOBRIS COLUNTUR.

Sanctus Michael archangelus, et omnes Angeli.

S. Fulgentius episc. conf., Atinæ in Campania.

B S. Euticus vel Euthichius, S. Plautus et forte S. Heraclea, S. Placidus, S. Ambutus, S. Tracia, S. Donata — MM. in Thracia.

SS. Martyres romani, qui forte S. Salutarius, S. Possessus, S. Januarius, S. Amplus, S. Celedonus, C S. Justinus et Milites aliquot — Romæ.

S. Dadas, S. Gobdelaas, S. Casdia aut Casdoa forte S. Gudelia — MM. in Perside.

S. Fraternus episc., Autissiodori in Burgundiæ ducatu.

S. Ursio conf., forte monachus, in diœcesi Galliarum Trecensi. E

S. Cyriacus abbas conf., in Palæstina.

S. Leodowinus seu Lutwinus, archiepiscopus Trevirensis.

B. Alaricus vel Adalricus, Ordinis S. Benedicti, in Ufnaugia, lacus Tiburini insula, in Helvetia.

S. Grimoaldus presbyter conf., Ponte-curvo in regno Neapolitano.

B. Joannes de Monte-mirabili, Ordinis Cisterciensis, in monasterio Longi-pontis in Gallia. F

B. Nicolaus de Furca conf., Ordinis Eremitarum S. Hieronymi, Romæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sanctus Blandinus *Conf. hodie notatur in editione Usuardi Lubeco-Coloniensi, idemque videtur, qui* Blandus *scribitur apud Grevenum. Erit fortasse* S. Blandinus *Trecis cultus, de quo breviter actum est ad* 1 Maji

Presbyteri *complures Catholici, qui sub Valente ab Arianis navi fuerunt impositi, incensaque deinde navi aquis submersi, hodie in Menæis impressis annuntiantur Constantinopoli sive* Byzantii. *Nequeo dubitare, quin iidem sint cum illis, ex quibus nominantur apud Socratem* Urbanus, Theodorus *et* Menedemus. *De his autem actum est ad* 18 Maji

Petroniæ *martyris mentio fit in Menæis impressis, et in synaxario Ms. Sirmondi, ubi additur* Anastasia *inferius memoranda. Brevissima est annuntiatio sine elogio, adjectis tamen duobus*

A versiculis, quibus dicitur capite minuta. *In synaxario ad 8 Octobris rursum breviter indicatur* Petronia, Petri apostoli filia, *de qua apud Græcos plura non invenio. Existimo eamdem utroque die designari, cumque* Petronia *apud Græcos idem sit nomen, quod* Petronilla *apud Latinos, Romanam* Petronillam *designatam puto. De hac apud nos actum est ad* 31 Maji

S. Disibodi *reliquiarum repositio hodie memoratur apud Wionem, Menardum et Bucelinum. Vita* S. Desibodi *episcopi data est ad* 8 Julii

Brixius *ep. conf. sine loco hodie annuntiatur in Florario Ms. Fortasse erit* Brixius *aut* Brictius *episcopus de quo egimus ad* 9 Julii

B. Joannis de Dukla, *Ordinis Minorum, memoria hodie est in Martyrologio Franciscano Arturi a Monasterio; at in Martyrologio Franciscano, quod subjectum est recuso per Benedictum XIV Martyrologio Romano, ponitur die, quo colitur, et quo in Operis Supplemento dandus est,* 19 Julii.

Victorinus confessor, *cultus Namnetibus, sine aliis adjunctis hodie ponitur a Castellano, neque alibi* Victorinum *illum invenio, non apud Saussayum in martyrologio gallicano, non apud*
B Albertum le Grand *in Sanctis Britanniæ Armoricæ, non in kalendario aut officiis propriis diœcesis Namnetensis, impressis anno* 1625. *Quapropter cogor suspicari, errasse Castellanum, et fortasse* S. Victorem, *qui in diœcesi Namnetensi* 31 *Augusti colitur, ad hunc diem fuisse repetitum. De* S. Victore *confessore actum est apud nos ad* 31 Augusti.

S. Bertellinus *eremita in martyrologio anglicano anni* 1640 *refertur ad hunc diem; apud alios et nos datus est ad* 9 Septemb.

Martyres centum et quinquaginta *brevissime hodie indicantur in Menæis impressis, ponunturque in* Palæstina, *ut procul dubio sint illi, de quibus egimus sub nominibus* Pelei, Nili *etc., ad* 19 Septemb.

SS. Januarii *et* Sosii *mentio hodie fit in variis Apographis Hieronymianis, non expresso loco, nimirum in codicibus Florentinii, in Corbeiensi, Gellonensi, Augustano, Labbeano. In Epternacensi solius* Januarii *cum aliis fit mentio, non* Sosii. *Et* Januarii *rursum meminit Florarium Sanctorum Ms. sine ullo loco. Grevenus* Sosium
C *cum duobus aliis conjunxit. Galesinius et Ferrarius* Sosium *et* Januarium *annuntiant* Antiochiæ. *Laudat autem Galesinius librum scriptum sine ullo nomine. Mihi plane ignoti sunt* Januarius *et* Sosius *hodierni, nisi aut duo sint ex martyribus romanis hodie dandis, aut sint* Januarius *episcopus et* Sosius *diaconus, passi Puteolis cum aliis quinque, de quibus actum est ad* 19 Septemb.

Lotharius *imperator cum titulo* Beati *memoratur apud Menardum, qui ipse observat, sanctitatem* Lotharii *ex pœnitentia brevi non adeo fieri certam, ideoque rectius non vocasset* Beatum, *aut etiam omisisset. Bucelinus tamen rursum inter Beatos recensuit, et laudibus ornavit speciosis magis, quam veris.*

S. Ceolfridus *abbas ad hunc diem refertur a Camerario. Vide Acta data* 25 Septemb.

S. Firminus *Ambianensis ep. M. apud eumdem hodie memoratur. Spectat ad* 25 Septemb.

S. Barrus *episcopus apud Camerarium hodie, apud nos ad* 25 Septemb.

Martyres Olivenses *ordinis Cisterciensis in Prussia a Ferrario in annotatis referuntur ad hunc* D *diem. Vide observata in Prætermissis ad* 27 Septemb.

B. Bernardinus *Feltriensis hodie ponitur apud Ferrarium. At colitur, et acta data sunt die præcedenti* 28 Septemb.

Lucii *cum Plauto et Eraclea fit mentio in martyrologio Usuardino Centulensi. At legendum est* Eutici, *ut videri potest in* Eutico, Plauto *etc., de quibus hodie agimus.*

Casdoas *et* Casdoa *MM. hodie memorantur in Menæis. At* Casdoa *eadem est cum* Casdia, *de qua hodie agitur cum* Dada *et* Gobdelaa, *ubi et de* Casdoa *viro disputatur.*

Joannes Gandavensis *eremita, sive a patria, sive a familia nominatus, et vulgo* Eremita S. Claudii *dictus, cum titulo* Beati *hodie memoratur apud Miræum in fastis Belgicis et Burgundicis, uti et apud Castellanum in martyrologio universali, tacentibus de eo aliis martyrologiis. Nicolaus Des-Guerrois in Historia Ecclesiastica Trecensi eumdem* Beati *titulum* Joanni *Gandensi attribuit. At Nicolaus Camuzatus, ex quo omnes illi hauserunt, in Promptuario antiquitatum Trecensium a folio* 322 *de* Joanne *quidem diligenter agit, sed a* Beati *titulo abstinet. Ex hoc autem scriptore omnino liquet,* E *cultu publico stricte dicto carere* Joannem, *etiamsi piam duxerit vitam miraculisque post mortem claruerit, et Ludovicus XI Galliæ rex etiam laboraverit ad obtinendam ejus canonizationem. Quæ speciem aliquam cultus publici præferunt, hæc sunt. Sepultus est Trecis apud Patres Prædicatores, ut observat Castellanus,* in tumba elevata. *Ut Miræus advertit, fuit* e terra elevatus per Ludovicum episcopum Trecensem, petente Ludovico XI Galliæ rege. *Id factum anno* 1482, *sed non sufficit ad* Beati *titulum* Joanni *dandum, cum ea corporis elevatio facta sit ad petendam canonizationem, et canonizatio quidem petita sit, sed numquam secuta. Nam talis elevatio corporis, quod depositum est, teste Camuzato,* in arca lignea sub fornice et testudine in muro cymbæ seu navis templi, cui ferrei clathri objecti sunt : *talis, inquam, elevatio cultum publicum non importat, ut etiam observavit Benedictus XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum lib.* 2, *cap.* 12, *num.* 14, *ubi afferuntur similia exempla. Itaque cum non afferantur alia publici cultus indicia, remittimus ad laudatum Camuzatum,* F *et ad Des-Guerrois, qui in Historia ad annum* 1419 *de* Joanne *fuse agit, et in fine probat, serius defunctum esse, quam anno* 1419. *Idem multa refert miracula ad annum* 1482.

Baudi *Conf. meminit Florarium Ms. sine aliis adjunctis.*

Nicolaus *Avenionensis, Ordinis Prædicatorum, apud Marchesium et Lafonum in Anno Dominicano vocatur* Beatus, *sed sine indiciis cultus ecclesiastici.*

Petrum Guillot, *ejusdem ordinis,* Beatum *primo loco vocat laudatus Lafonus, sed postea sæpius* venerabilem *nominat. Occisus fuit anno* 1568 *cum pluribus religiosis, quibus præerat, ab hæreticis in Occitania.*

Michaelem de Fabra, *ordinis Prædicatorum, et discipulum S. Dominici, iis verbis commemorat Murietta in Sanctis Hispaniæ lib.* 12, *cap.* 64, *ut nonnullam ingerat suspicionem,* Beatum *vocari posse, præsertim ob translationem ac venerationem corporis, si hæc veneratio publica sit et satis vetusta. Abstinet tamen a titulo* Beati, *et Leander Albertus ac Silvanus Razzius,* quos

quos laudat, similiter ab illo abstinent titulo, nec innuant tantam corporis venerationem: omnes etiam silent de obitus die. Itaque occasione festi S. Michaelis *archangeli de eo hic mentionem facimus, plura de eodem libenter scripturi, si quis cultum docuerit, et festivitatis aut obitus diem.*

Henricus Scarampus, *episcopus Feltriensis in Marchia Tarvisina, hoc die obiisse traditur, ut videre est apud Ughellum in Italia Sacra recensa tom. V, col. 375, ubi dicitur* sanctimonia vitæ vir longe clarissimus. *Deinde additur:* Cujus corpus omnino huc usque incorruptum perseverat, atri quidem coloris, sed palpabile, et frequenti piorum hominum lustratione et cultu venerabile, ubi ejus meritis frequentia visuntur miracula, ejus sanctimoniam testantia. *Hæc Ughellus. Attamen cultu caret publico* Henricus, *et præcedenti sæculo Bartholomæus Giera, episcopus Feltriensis, decrevit ne omplius ostenderetur corpus* Henrici, *sine obtenta ad id facultate sua. Non inveni, causam* Henrici *fuisse agitatam Romæ, aut processus pro beatificatione institutos.*

Carolus Blesensis, *dux Britanniæ Armoricæ, ad hunc diem* Beatus *vocatur apud* Albertum le Grand *in Sanctis Britanniæ, ubi Vitam ejus scribit. Fuerunt et alii scriptores Galli, qui* canonizatum *auctoritate Romani Pontificis existimarunt et scripserunt. Certum quoque est, cultum* Caroli *fuisse inchoatum in Armorica ob famam miraculorum, sed præpropere et illegitima auctoritate. Cultum illum postea cessasse, et nullum fuisse præterito sæculo, habeo ex variis litteris ad Majores nostros datis. Hac de causa, opinor, nomen* Caroli Blesensis *non fuit adscriptum martyrologiis. Fuerunt tamen processus formati auctoritate Pontificia Urbani V et Gregorii XI, qui ad nos olim missi fuerunt, petitumque a rege Galliorum, aliisque pluribus, ut Pontifices* Carolum *Beatorum catalogo adderent; sed nihil fuit obtentum. Benedictus XIV in Opere de Canonizatione lib. 2, cap. 8, recitat partem litterarum Apostolicarum, quibus Urbanus V cultum* Caroli *severe prohibet. Mox etiam refutat Andream du Chesne, qui perperam volebat,* Carolum fuisse in Sanctorum album relatum. *Gesta* Caroli *possunt legi apud laudatum* Albertum le Grand *aut in Historia Britanniæ apud Lobineau et alios.*

Metropolus, *ut quartus episcopus Tungrensis, legitur hodie in Florario Ms. At nec nomen* Metropoli *reperio in kalendario, quod præfixum est vetusto breviario Tungrensi, nec novi, an fuerit unquam Tungrensis episcopus, licet nomen habeatur in Catalogis medii ævi.*

Simon de Roxas, *ordinis SS. Trinitatis, hoc die mortuus notatur in indice nostro. De processibus ad ejus beatificationem institutis varia habet Benedictus XIV in Opere de Servorum Dei beatificatione et canonizatione.*

B. Virginis Mariæ apparitio, *ut facta Mario cuidam, in Valle Tellina* apud Tiranum opidum *diœcesis Novocomensis, ad hunc diem refertur in Martyrologio Novocomensi: sed illa spectat ad Opus particulare de beatissima Virgine.*

Hermannus, *abbas* Waldsassensis in Germania, *ordinis Cisterciensis, ac Cistercii defunctus, memoratur apud Henriquez cum titulo* Beati, *omnibus piis passim ibidem attributo, et sine indiciis cultus publici. Accessit Bucelinus in Menologio Benedictino, in quo etiam multi, qui cultu carent,* Beati *vocantur.*

Martinus Spoletinus, *ordinis Minorum, ut beatus martyr, celebratur a Jacobillo in Sanctis Umbriæ ad hunc diem; sed nulla affert publici cultus indicia.*

Antonius Nugnez, *ordinis Franciscani,* Valentiæ in Hispania, *cum titulo* Beati *annuntiatur ab Arturo a Monasterio in Martyrologio Franciscano, ubi et plures videri possunt eodem titulo insigniti, quos coli, non invenimus, excepto B. Joanne de Dukla, superius memorato.*

Ripsimis *et Sociarum Martyrum hodie meminit Martyrologium Romanum cum Galesinio: quod sequeremur de more, nisi ex actis S. Gregorii Armeni innotescerent. At apud Græcos sequenti die cum S. Gregorio Armeno celebrantur. Quare, cum in actis S. Gregorii memorentur, de iis simul agemus ad* 30 Septemb.

Leopardus *M. in Mss. aliquot kalendariis ad hunc, in pluribus ad sequentem diem refertur* 30 Septemb.

B. Simon, *ex comite Crispiacensi monachus, ad hunc diem refertur a Castellano, a pluribus ad sequentem* 30 Septemb.

B. Felix de Meda, *abbatissa ordinis Franciscani, cum titulo* Beatæ, *ad hunc diem refertur in Martyrologio Mediolanensi, apud Franciscanos vero ad sequentem, ubi cultus probabitur* 30 Septemb.

S. Verissimi, Maximæ *et* Juliæ *martyrum Ulyssiponensium, inventio memoratur in Martyrologio Hispanico, examinanda in earumdem natali,* 1 Octobris.

Rogerius, *cognomento* Niger, *episcopus Londinensis, ad hunc diem insertus est Martyrologio Anglicano anni 1640, in priori ad 1 Octobris. At in nulla alio Martyrologio* Rogerium *hunc invenio, nec ullum antiquius laudatur in Anglicano. Videtur auctor istius Martyrologii credidisse,* Rogerium *fuisse electum patronum a Parmensibus ob victoriam anno 1248 de Friderico II, Parmam obsidente, relatam. At nihil ea de re invenio apud scriptores Parmenses, quos consulere potui. Quapropter, cum nihil uspiam inveniam de cultu ecclesiastico* Rogerii, *(præter dicta aliqua in Historia Matthæi Parisii ad annum 1248, quibus non fidimus, et quæ ne sufficiunt quidem) interim de eo nihil ulterius dicemus, libenter tamen scripturi plura, si quis cultum docuerit, ad* 1 Octobris.

S. Gisleni *episcopi inventio ad hunc diem celebratur apud Molanum, Canisium, Ferrarium, et martyrologos Benedictinos. Natalis est* 9 Octobris.

Coganus *abbas ut* Sanctus, *legitur in Martyrologio Anglicano, quod impressum est anno 1608, sed sub asterisco, quo insinuatur, non esse inventum in vetustis Martyrologiis. Wion in Appendice* Sanctum *similiter vocat. Hos secutus est Ferrarius,* Coganum *abbatem* in Scotia *annuntians hodie: sed nulla nos invenimus cultus ipsius indicia. Si forte idem sit cum* Congano, *de quo in Prætermissis ad 20 Februarii, aut* Comgano, *de quo ad 2 Augusti, cultus iterum examinari poterit, ad* 13 Octobris.

Aquilini *episcopi meminit Grevenus, et in Ms. Florario mentio fit* Aquilani Coloniensis episcopi. *Idem verisimiliter ab utroque designatur* Aquilinus *Coloniensis, jam in Prætermissis ad 16 Maji memoratus, indeque remissus ad S. Ursulam,*

A *sulam, quam sepeliisse dicitur, sive ad* 21 Octobris.

Tryphon, Trophimus *et* Dorymedon *hodie conjunguntur in Menæis impressis, sed brevissime sine elogio aut versiculis additis, ut vel ex eo verisimile fiat, eos ad hunc diem non spectare, nisi quod forte aliquo loco simul colantur.* Trophimus *et* Dorymedon *procul dubio fuerint illi, qui* Synnadis in Phrygia *sunt passi. Horum Acta, in quibus etiam agitur de S. Sabbatio, ante in Pisidia passo, data sunt ad* 19 *Septemb. Cum autem* Tryphon, *qui a Græcis memoratur ad* 1 *Februarii, ab iis in Phrygia passus dicatur, simul cum aliis cultum habere potuit. An hic* Tryphon *hodie videatur memoratus, examinandum veniet, die, quo insertus est Martyrologio Romano,* 10 Novembris.

Josaphat regis *meminerunt hodie Florarium Ms.* D *Sanctorum, Martyrologium Germanicum, et Grevenus ex Petro de Natalibus* Barlaam et Josaphat. *De his simul agetur cum Martyrologio Romano ad* 27 Novembris.

S. Maximus, *episcopus Regiensis, hodie a pluribus recentioribus annuntiatur, et ab aliquibus non sine errore. Grevenus, Galesinius, aliique non exprimunt, cujus Regii fuerit episcopus. At Maurolycus ipsum fixit* Regii *in Gallia Cisalpina, quod* Regium Lepidi *dicitur, idque leviter secutus est Ferrarius ad hunc diem, cum tamen eumdem rectius Regii in Gallia annuntiaverit die* 26 *Novembris. In Romano Martyrologio recte annuntiatur* apud Regium in Gallia *ad* 27 Novembris.

DE S. MICHAELE ARCHANGELO ET DE OMNIBUS ANGELIS

B E

COMMENTARIUS HISTORICUS.

J. S.

§ I. Sancti Michaelis et Angelorum in Martyrologiis aliisque sacris Fastis commemoratio, et festivitates variæ.

Memoria S. Michaelis in monte Gargano

Ut *singulas S. Michaelis archangeli apparitiones, institutasque earum causa festivitates, clarius ordine suo referre et elucidare possimus, prius breviter colligemus, quæ variis diebus et mensibus de iis reperiuntur in Fastis vetustioribus. Ordior ab hac die* 29 *Septembris, qua peragitur præcipua* S. Michaelis *et omnium Angelorum festivitas in Ecclesia Romana totaque Latina. In Hieronymianis apud Florentinium ad hunc diem leguntur sequentia :* Dedicatio basilicæ angeli Michaelis, vel in monte, qui dicitur Garganus, ubi multa mirabilia Deus ostendit. *In Epternacensi brevius legitur :* Et dedicatio basilicæ S. Michaelis. *In Corbeiensi latius :* Dedicatio basilicæ archangeli Michaelis in monte, qui dicitur Garganus. *In Richenoviensi :* Et dedicatio basilicæ sancti archangeli Michaelis. *Consonant Gellonense, Augustanum et Labbeanum,* C *nisi quod in postremo addatur,* in monte Gargano. *In kalendario, quod* parvum Hieronymianum *vocat Florentinius, et post Martyrologium edidit, sic legitur :* Dedicatio S. Michaelis archangeli. *Corbeiense brevius ab omnibus diversum est. Sic enim habet :* Romæ, milliario sexto, dedicatio basilicæ angeli Michaelis, vel in monte, qui dicitur Garganus. *Verum illud,* Romæ, milliario sexto, *mendosum videtur, cum apud Florentinium sit,* Romæ milites 6, *et horum mentio in aliis quoque habeatur. Itaque priora illa verba alio spectant et corrupta sunt.*

aut dedicatio in vetustis Fastis celebrata ;

2 *Beda in Martyrologio apud nos dato tom. II Martii prædictis consentit :* Dedicatio ecclesiæ sancti angeli Michaelis. *Idem in Martyrologio metrico tom. X Spicilegii :*

> Michaelis ternas (*nempe kalendas Oct.*) templi dedicatio sacrat.

Consonat Vetus kalendarium ibidem editum. Omnia etiam vetusta Martyrologia et kalendaria, quæ edidit Martenius tom. III Anecdotorum eamdem ecclesiæ S. Michaelis *dedicationem similibus verbis annuntiant, excepto Corbeiensi breviori ibidem recuso, de quo egi, et kalendario ultimo, quod sic habet :* Festum sancti Michaelis archangeli. *Pleraque etiam ex iis, quæ dedit Martenius tom. VI Collectionis amplissimæ jam dictis consonant. Kalendarium vetustum Stabulense disertis verbis habet :* In monte Gargano dedicatio basilicæ archangeli Michaelis. *De alio ibidem edito mox dicam. Locum dedicatæ ecclesiæ omittit Wandelbertus, metri forsan causa, ita canens :*

> Æthereæ virtute potens, princepsque supernæ
> Militiæ Michael terno (*kal. Oct.*) sibi templa sacravit.

At Rabanus, Notkerus, Usuardus, aliique mox laudandi, montem Garganum exprimunt : sed de unius solum ecclesiæ dedicatione agunt. Rabani F *solum verba huc traduco :* Dedicatio ecclesiæ sancti Angeli Michaelis in monte Gargano. *Usuardus et Notkerus dubium relinquunt, utrum dedicationem an aliam festivitatem annuntiare voluerint, de quo infra dicam.*

in nonnullis addita Dedicatio ejusdem ecclesiæ Romæ.

3 *Auctor Romani parvi, quod edidit Rosweydus, duas S. Michaelis festivitates eodem die memoravit, ita scribens :* In monte Gargano, venerabilis memoria archangeli Michaelis. Et Romæ dedicatio ecclesiæ ejusdem Archangeli, a beato Bonifacio Papa constructæ in Circo, qui locus INTER NUBES dicitur. *Ado istud martyrologium sequi solitus, amplam historiam, quam de veneratione* S. Michaelis *in monte Gargano recitat, sic orditur :* In monte Gargano, venerabilis memoria beati archangeli Michaelis, ubi ipsius consecrata nomini habetur ecclesia, vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute. *Deinde, relata historia, addit :* Sed non multo post Romæ venerabilis etiam Bonifacius pontifex ecclesiam sancti

AUCTORE J. S.

A cti Michaelis nomine constructam dedicavit, in summitate Circi cryptatim miro opere altissime porrectam. Unde et idem locus in summitate sua continens ecclesiam, INTRA NUBES situs vocatur. *Martyrologium Autissiodorense hisce conformia habet:* In monte Gargano venerabilis memoria S. Michaelis archangeli, ubi multa mirabilia Deus ostendit. Romæ dedicatio oratorii S. Michaelis, quod venerabilis Bonifacius pontifex dedicavit in summitate Circi, miro opere altissime porrectum. *In omnibus quoque martyrologiis et kalendariis, quæ edidit Georgius post Adonem, memoria S. Michaelis hac die recolitur, et in aliquibus dicitur* dedicatio. *Addo ex his tantum verba kalendarii Vaticani:* In monte Gargano, dedicatio basilicæ archangeli Michaelis. *In aliquot Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum ad 6 Octobris annuntiatur Octava* S. Michaelis, *quia cum Octava in aliquibus ecclesiis festum ejus celebratur.*

Ecclesiæ S. Michaelis in via Salaria.

4 *Vidimus duas* S. Michaelis *ecclesias, quarum dedicatio vetustis temporibus celebrata videtur. Georgius in Annotatis ad Adonem et tertiam memorat, cujus dedicatio a seculo* V *aut citius*
B *celebrata fuit, sed die 30 Septembris, nisi librariorum aut imprimentium vitio dies mendose sit expressus. Blanchinus in Prolegomenis ad Anastasium Bibliothecarium tom. IV edidit Opusculum antiquum, cui hic præpositus titulus:* Codex Sacramentorum vetus romanæ ecclesiæ. *Hunc ait se eruisse* ex manuscripto libro,.... ante mille annos confecto,... capituli Veronensis. *In eo autem pag.* 39, *legitur hic titulus:* Pridie kalendas Octobris N. (*id est, natale*) basilicæ angeli in Salaria. *Georgius hæc allegans, ait, forte librarii errore legi*, pridie, pro 5 kalendas Octobris. *Attamen incertum est istud mendum, et dedicatio etiam fieri potuit pridie kalendas. Quidquid vero sit de die, non existimo, illam esse ecclesiam, quam in circo ædificatam mox vidimus. Nam pro memorata ecclesia Georgius laudat notitiam ab Eccardo editam, quæ mihi ad manum non est, et ex en recitat hæc verba:* Per eamdem quoque viam (*Salariam*) venitur ad ecclesiam S. Michaelis, septimo milliario ab urbe. *At ecclesia in circo posita aut in urbe erat, aut certe minus ab urbe distabat, et serius etiam fuit constructa. Itaque nequeo assentiri Georgio, de hac viæ Salariæ ecclesia*
C *agi in Hieronymianis fastis, aut saltem id minus est probabile. Nam Corbeiense brevius unum, 1 laudatum, quod solum huic opinioni favere videtur, probabilius mendosum est, et ab omnibus vetustioribus diversum.*

Dedicatio a sæculo V celebrata,

5 *Veruntamen ex laudato Sacramentario saltem habemus, a seculo* V *celebratam fuisse festivitatem* S. Michaelis *et* Angelorum *in ecclesia eidem dicata extra urbem in via Salaria. Hujus autem ecclesiæ celebratam fuisse dedicationem, ex laudato Sacramentario pag.* 40 *intelligimus. Hæc enim ibi leguntur:* Vere dignum,.... teque profusis gaudiis prædicare in die festivitatis hodiernæ, qua in honorem beati archangeli Michael sacrata nomini tuo loca divinis sunt instituta mysteriis. Quamvis enim illius sublimis gloriosæque substantiæ sit habitatio semper in cælis; tamen tamen fidelium præsumit affectus pro tuæ reverentia potestatis per hæc piæ devotionis officia quoddam retinere pignus in terris adstantium in conspectu tuo jugiter ministrorum. *Ex verbis jam datis, et magis etiam ex reliquis orationibus, insuper colligitur, festivitatem illam non de solo archangelo Michaele, sed etiam de omnibus simul* Angelis *fuisse peractam. Idem insinuant hæc ibidem verba:* In honorem beati archangeli Michael loca nomini tuo dicata mystico frequentamus obsequio: præsta, quæsumus, eorum nos gaudere suffragiis, quorum sublimia merita recensemus.

6 *Habemus jam tres* S. Michaeli *antiquis temporibus dedicatas ecclesias, quarum dedicatio officio ecclesiastico honorata dicitur. At satis verisimile fit, omnes has dedicationes in unam coaluisse festivitatem, quæ etiamnum celebratur die 29 Septembris, et* Dedicatio S. Michaelis archangeli *vocatur. Baronius credidit, eo die dedicatam fuisse ecclesiam* S. Michaelis *in monte Gargano, idque indicat in annotatis. In martyrologii textu de illa festivitate sic habet:* In monte Gargano venerabilis memoria beati Michaelis archangeli, quando ipsius nomine ibi consecrata fuit ecclesia, vili quidem facta schemate, sed cælesti prædita virtute. *Diem hunc esse dedicationis in monte Gargano, verisimillimum fit ex vetustissimis fastis ante laudatis. Potuit tamen et romana* S. Michaelis *in circo ecclesia eodem die dedicari. Quæ vero erat via Salaria, aut postridie, aut eodem etiam die dedicata videtur, ex antiquissima festivitate.* E
Porro festivitas illa, etiamsi Dedicatio *vocetur, non peragitur sicuti aliarum ecclesiarum dedicatio, sed magis in memoriam et honorem* S. Michaelis *et* Angelorum, *eaque consuetudo antiquissima est, ut solum videatur vocari* Dedicatio, *quia festivitas die dedicationis fuit fixa.*

ut forte trium ecclesiarum dedicatio ad unam deducta

sit S. Michaelis et Angelorum festivitatem,

7 *In antiquo kalendario ecclesiæ romanæ, quod edidit Martenius tom. V Anecdotorum, cum assignatis Evangeliis, festivitas indicitur his verbis:* Die XXIV mensis Septembris. Dedicatio ecclesiæ S. Michaelis angeli: *sed pro Evangelio ex Matthæo cap. 18 assignantur hæc:* Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cælorum? *etc., ubi* ℣ 10 *leguntur de Angelis sequentia:* Quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. *Hæc verba Evangelio inclusa ostendunt,* Angeli *aut* Angelorum *institutam fuisse festivitatem, non simplicis dedicationis. In codice Sacramentorum per Thomasium edito nulla fit mentio de dedicatione, sed solum legitur:* Orationes in sancti archangeli Michaelis III Kalendas Octob. *In altero per Menardum vulgato, qui S. Gregorio tribuitur, titulus hic legitur:* Dedicatio basilicæ sancti archangeli Michaelis. *At rursum orationes, quæ præscribun-* F
tur, non referuntur ad dedicationem ecclesiæ, sed ad honorem et cultum S. Michaelis *et* Angelorum, *ut ibidem videri potest.*

quæ Dedicatio quidem vocatur, sed magis

8 *In kalendario romano per Frontonem edito titulus sic legitur:* Die XXIX mensis Septembris, dedicatio ecclesiæ Archangeli. *Verum, cum idem hic assignetur Evangelium, quod supra apud Martenium, recte hæc observat Fronto:* Non tantum hac die dedicatio celebratur, sed etiam memoria specialis S. Michaelis. Hinc proprium adscribitur Evangelium. *Rursus in kalendario, quod impressit Allatius in Opere de Consensione ecclesiæ occidentalis et orientalis, col. 1492, festivitas ea* S. Michaelis *sic annuntiatur :* III Cal. Octob., dedicatio sancti Angeli. *At non invenio aliam rationem, qua illa festivitas in vetustis Fastis passim* Dedicatio *vocetur, quam quod ex dedicatione ecclesiæ ortum habuerit, eoque fixa sit die, quo aut ecclesia in monte Gargano, aut etiam aliæ,* S. Michaeli *fuerunt dedicatæ. Nam manifestum est, etiam antiquis temporibus eo die celebratam esse*

AUCTORE J. S.

esse S. Michaelis *et* Angelorum *memoriam, quemadmodum fit nostris temporibus, antiquo retento nomine.*

In memoriam S. Michaelis et Angelorum peragitur.

9 *Certe ad colendam* S. Michaelis *et* Angelorum *memoriam omnia referuntur in Codicibus Sacramentorum jam dictis, omissa etiam mentione locorum* S. Michaeli *sacrorum, quæ in sacramentorio Leonis fuerat addita. Hinc in Gregoriano Præfatio sic habet:* Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, sancti Michaelis archangeli merita prædicantes. Quamvis enim nobis sit omnis angelica veneranda sublimitas, quæ in majestatis tuæ consistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda, quæ in ejus ordinis dignitate cælestis militiæ meruit principatum. Per Christum *etc. Ceterum hanc festivitatem initio non fuisse distinctam ab altero, quæ* Apparitionis *vocatur, omnino existimo, cum hæc, de qua jam agam, videatur multo recentior.*

Apparitio S. Michaelis die 8 Maji celebrata,

10 *Baronius in Martyrologio romano ad 8 Maji alteram annuntiat* S. Michaelis *festivitatem, præcedenti minus solemnem, communem tamen* B *omnibus, qui romano utuntur breviario. Verba ejus hæc sunt:* In monte Gargano apparitio sancti Michaelis archangeli. *Non assignat in Annotatis Baronius tempus, quo institutum est hoc festum, nec antiqua pro eo allegat Martyrologia. In antiquioribus plerisque non invenitur de eo ulla mentio, sive in Hieronymianis, aut genuinis Bedæ, Adonis, Usuardi, Wandelberti, Rabani, Notkeri. Veruntamen in vetusto kalendario, quod edidit Acherius tom.* X *Spicilegii ex codice Corbeiensi, quodque in Præfatione probat scriptum anno* 826, *ad* 8 *Maji hæc leguntur:* Inventio S. Michaelis archangeli in monte Gargano. *Accedit aliud kalendarium Corbeiense, quod ex codice sæculi* X *edidit Martenius tom.* III *Anecdotorum. In hac ad eumdem diem ita legitur:* Revelatio basilicæ sancti Michaelis archangeli.

Et in aliquot antiquis Fastis memorata.

11 *Appendix Adonis sic habet:* In monte Gargano apparitio S. Michaelis archangeli, quando illa sagitta, velut flamine retorta, eum, a quo jactata est, mox reversa percussit: et dictum est ad episcopum: Ego sum Michael archangelus, qui in conspectu Dei semper assisto. *In auctariis Usuardi apud Sollerium codex Pulsanensis ita ha-* C *bet:* In monte Gargano, apparitio beatissimi Michaelis archangeli *etc. Codex Hagenoyensis:* In Apuliæ finibus, in monte Gargano, inventio oratorii beati Michaelis archangeli *etc. Editio Lubeco-Coloniensis plura habet, sed minus probata. Martyrologium Ottobanianum apud Georgium ad 8 item Maji:* Et dedicatio ecclesiæ sancti Michaelis in monte Gargano. *In eodem dedicatio etiam legitur ad* 29 *Septembris, ut passim in aliis. Apud eumdem in Kalendario Mediolanensi secundo ad* 8 *Maji:* Apparitio sancti Michaelis. *Possem hisce addere complura Martyrologia recentioris ævi, et ex iis non pauca manuscripta. Verum hæc omnia mitto, quia abunde constat de festo illo aliquot jam sæculis celebrato. De tempore, quo fere institutum est, sicuti et primum, si utcumque deprehendi valeat, disseram postea.*

Alia apparitio celebrata die 16 Octobris.

12 *Ad eumdem diem* 8 *Maji apud Sollerium ex codice Bruxellensi alia memoratur* S. Michaelis *apparitio his verbis:* Item apparitio sancti Michaelis archangeli. Qui sanctum Autbertum Abrincatensis ecclesiæ episcopum semel, iterum et tertio admonuit, ut in mari, loco, qui propter eminentiam Tumba dicitur, ecclesiam suo nomini dicatam fundaret... Et ex eo tempore inibi, sicut in monte Gargano, memoria S. Michaelis D archangeli cæpit frequentari. *Verum hæc* S. Michaelis *festivitas spectat ad* 16 *Octobris, ubi idem codex sic habet:* Item in monte maris, qui dicitur *Tumba*, dedicatio ecclesiæ sancti Michaelis archangeli. *De eadem apparitione ibidem codex Florentinus hæc suggerit:* Apparitio secunda sancti Michaelis archangeli, quæ circa annum Domini septingentesimum decimum accidisse legitur. *Eadem apparitio memoratur in variis Usuardi editionibus. Ex his verba Greveni subjungo:* In territorio Abrincensi, apparitio S. Michaelis archangeli, qui circa annum Domini DCCVII apparuit Autberto Abrincatensi episcopo, monens, ut in loco maris, qui *Tumba* propter sui eminentiam, et etiam *In periculis Maris* dicitur, ecclesiam in sui memoriam fundaret, volens nimirum sibi in pelago æqualem ei, quæ in monte Gargano est, venerationem exhiberi. *Mitto recentiora Martyrologia, in quibus hæc festivitas memoratur. Historiam et tempus rei peractæ examinabo suo loco; ubi videbimus, non generalem, sed particularem esse celebritatem. In aliquot Martyrologiis particularibus ad* 25 *Martii una cum morte Christi conjuncta legitur* E Victoria S. Michaelis archangeli contra draconem, *ut videri potest tom.* III *Martii pag.* 541 *num.* 6.

Præcipuum S. Michaelis et sanctorum Angelorum

13 *Græci similiter aliquot habent* S. Michaelis *archangeli festa, sed aliis diebus. Tria memorantur in Menologio Sirletiano nimirum ad* 8 *Novembris, quod simul est omnium* Angelorum, *prout præcipuum apud Latinos. De eo ita breviter habet:* Celebritas Principis militiæ cælestis Michaelis, et reliquarum virtutum incorporearum. *Eadem festivitas in reliquis quoque Græcorum fastis commemoratur, amplumque de ea Officium legitur in Menæis impressis, prout etiamnum habetur in novissimis eorum libris ritualibus. Mosci de more hanc Græcorum de* S. Michaele *et reliquis* Angelis *celebritatem in fastis suis similiter annuntiant. In hoc autem festo non celebratur ulla apparitio novæ legis, aut ullum particulare beneficium in nova lege hominibus præstitum; sed laudatur* Angelorum *obedientia, Luciferi et rebellium angelorum peccatis opposita: memorantur etiam ea, quæ in veteri testamento de* S. Michaele *reperiuntur; et* S. Michaelis *ceterorumque* Angelorum *in homines beneficia generatim prædicantur.*

festum die 8 Novembris,

14 *Eutychius Alexandrinus in annalibus, prout ex arabico latine redditi sunt, et impressi anno* 1656 *Oxoniæ, pag.* 433 *originem hujus festi videtur repetere ex eo, quod S. Alexander patriarcha Alexandrinus templum, a Cleopatra regina olim structum, in quo idolum* Michael *colebatur, dedicasset* S. Michaeli *archangelo. Seldenus in Opere de Synedriis veterum Hebræorum lib.* 3, *cap.* 15, *num.* 8, *multa de illo Eutychii loco disserit. Agnoscit tamen, apud vetustiores nihil ea de re inveniri. Itaque cum idolum istius nominis prorsus ignotum sit, et confractio idoli in urbe Ale-* F *xandrina tempore Constantini Magni non fiat verisimilis, Eutychius ipse sit scriptor fabulosissimus, et assertis suis hic quoque misceat adjuncta prorsus improbabilia, rem totam ad fabulas amandandam existimo, ut jam insinuavit Tillemontius tom.* VI *in S. Alexandro art.* 2; *et Renaudotius in Patriarchis Alexandrinis pag.* 80. *Quapropter de hoc Alexandrinorum, ut infra dicetur, æque ac Græcorum festo dixisse sufficiat, generale esse festum* S. Michaelis *et omnium sanctorum* Angelorum, *quale celebrant Latini* 29 *Septembris. Versiculi, qui leguntur in Menæis, nihil aliud indicant. Duo habentur in* S. Michaelem, *ut cælestis*

AUCTORE J. S.

A *lestis militiæ principem : duo rursum in novem* Angelorum, *choros, videlicet in* Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Potestates, Principatus, Virtutes, Archangelos et Angelos. *Sic ibi enumerantur. Versiculos, ut nihil particulare habentes, omitto. Festivitatem hanc Græcorum commemoravit etiam Molanus.*

aliud de Apparitione die 6 Septembris:

15 *Celebris quoque est apud Græcos et Moscos in præcipuis eorum Fastis altera* S. Michaelis *festivitas ad 6 Septembris, uti apud nos ibi dictum est in Prætermissis. Menologium Sirletianum de ea breviter habet sequentia :* Commemoratio miraculi, ostensi a principe militiæ cælestis Michaele in urbe Colossensium, quæ postea dicta est Chonæ. *In Menæis de illo* S. Michaelis *beneficio Officium præscribitur eodem die, miraculumque breviter enarratur. In Menologio Basiliano idem miraculum paulo prolixius refertur, sed modo nonnihil diverso. Factum examinabimus infra, et in tempus inquiremus. Interim hic dixisse sufficiat, celebrem esse festivitatem, et in omnibus passim fastis Græcis memoratam, eamdemque a Molano æque ac priorem commemorari. Accedunt Coptitæ :* B *nam in eorum quoque fastis a Ludolfo editis festum istud annuntiatur ad 9 mensis primi, id est, ad 6 Septembris.*

aliud particulare die 8 Junii:

16 *Ad 8 Junii in Menologio Sirletiano hæc rursum leguntur :* Celebritas Archangeli Michaelis. *Majores nostri ad quatuor Junii dies consequentes, videlicet ad sextum, septimum, octavum et nonum,* de S. Michaele *archangelo aliqua in Prætermissis annotarunt. Ad 9 Junii, opinor, attingunt idem festum de quo pridie loquitur laudatum Menologium. Verba hue transfero :* S. Michaelis archangeli celebritas in Sosthenio, suburbio Constantinopolitano, indicatur in Ms. Synaxario ecclesiæ Constantinopolitanæ et alio Mediolanensi. *Celebritas in Sosthenio suburbio particularis erat, forte dedicationis ecclesiæ. Nam in eo Constantinopolis suburbio ædificatam fuisse a Constantino Magno ecclesiam* S. Michaeli, *eamque celeberrimam evasisse, dicemus per decursum. Potuit tamen et aliud particulare* S. Michaelis *festum peragi in illa ecclesia, quæ miraculis claruisse dicitur. Quod autem in ea tantum ecclesia celebraretur, inde factum puto, ut Menæis et plerisque aliis fastis adscriptum non sit.*

alia apud Æthiopes et Coptitas mense Junio,

17 *Aliud rursum* S. Michaelis *festum invenio annuntiatum pro ecclesiis patriarchatui Alexandrino subjectis ad 6 Junii, ubi in Prætermissis hæc* C *annotata sunt :* S. Michaelis archangeli propter miraculum, factum ab ipso Alexandriæ, festum agi indicatur in Martyrologio Arabo-Ægyptiaco, ex lingua arabica in latinam translato a Gratia Simonio prælaudato, et nobis Roma transmisso per Athanasium Kircherum, atque in alio per Seldenum edito, ubi etiam notatur secundum et tertium festum biduo subsequenti agendum. *Hæc omnino sic notata reperio, sed illud* propter miraculum *non additur apud Seldenum, in Martyrologio contra non fit mentio de secundo et tertio festo. Apud Ludolfum in fastis Æthiopum* et Coptitarum ad eumdem diem fasti Æthiopum *habent :* Michael archangelus, *sed nihil sequentibus diebus de secundo et tertio festo. Fasti vero Coptitarum ad* 6 : Princeps Angelorum ; *ad* 7 : Secundum festum Michaelis ; *ad* 8 : Tertium festum Michaelis. *Apud Æthiopes die* 7 Gabriel archangelus *signatur.*

Et apud Æthiopes singulis mensibus.

18 *Præterea festum* S. Michaelis *archangeli apud Æthiopes signatur singulis mensibus eorum die* 12, *qui aliquando cum nono, alias cum octavo, alias cum septimo, alias cum sexto aut etiam quinto mensium nostrorum die concurrit. Solo tamen mense Junio mentionem reperio de secundo et tertio festo, quod eo mense ad tres dies continuari potest ob insigne aliquod beneficium, et solum apud Coptitas. Hi vero in suis Fastis non habent festivitatem illam singulis mensibus. Æthiopes autem præter menstruam habent etiam mense primo, die 9, qui concurrit cum sexto Septembris, festivitatem Græcis omnibus communem, de qua egi superius. Quæ de* S. Michaele *et omnibus* Angelis *agitur 8 Novembris, incidit in diem* 12 *mensis tertii, ubi etiam notatur ex Fastis Coptitarum, et in ante laudato Martyrologio Arabico-Ægyptiaco signatur his verbis :* Festum Michaelis. Princeps virtutum angelicarum cælestium, et custodiens fidem, dum cecidit dæmon de sede sua et principatu. *Hactenus de festivitatibus, in quibus nominatim colitur* S. Michael *archangelus.*

Nonnulla alia apud Æthiopas et Copitas

19 *Cum autem cum* S. Michaele *omnes simul* Angeli *colantur, tam hac die apud Latinos, quam apud Orientales, Græcos et Moscos die 8 Novembris, visum est huc etiam congerere, quæ de particularibus* Angelorum *festis dicenda se offerent, exceptis tamen SS. Gabriele et Raphaele, qui ut nomina sic et festa habent sibi propria. Apud Lu-* E *dolfum in fastis Æthiopum ad 9 Novembris nostri legitur :* Seraphim et Cherubim, *ut eo die singularis de beatis illis Spiritibus festivitas haberi videatur. In iisdem fastis ad 20 Novembris notatur,* Seraphim, *quod particulare de illis festum insinuat. In fastis vero Coptitarum legitur :* Viginti quatuor Seniores angelici, *ad quod Ludolfus observat :* Intelliguntur illi, quorum mentio Apocal. 4, ℣ 4. *Locus hic est :* Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. *Verum an per viginti quatuor seniores* Angeli *veniant intelligendi, interpretibus examinandum relinquo : nam locum aliter explicari video. Porro* Seraphim et Cherubim, *qui supremi sunt* Angelorum *ordines, rursum apud Æthiopes celebrantur ad 27 Junii nostri, ut etiam eo die notatum est in Prætermissis. Ad 8 Novembris in dictis fastis* Cherubini equi *memorantur, sed minus congrue. Si* F *enim id intellexerint de quatuor animalibus, de quibus Apocal. 4, ℣ 6, ut conjicit Ludolfus in Annotatis, rursum de iis interpretes in varias abierunt opiniones. Sic non placebit Catholicis, quod legitur ad 15 Julii,* Uriel archangelus, *quandoquidem illud* Angeli *nomen non innotuerit ex Scripturis canonicis, sed solum legatur in apocryphis.*

Festum de Angelis custodibus

20 *De* Angelis *custodibus, quorum eo titulo festivitas serius in ecclesia latina invaluit, recentiora tantum Martyrologia meminerunt. Ecclesia tamen antiquitus* Angelos *custodes coluit generali* S. Michaelis *et omnium* Angelorum *festo, quod apud Sollerium in Usuardo ad 29 Septembris codex Hagenoyensis indicat his verbis :* Hac etiam placuit die sanctæ matri Ecclesiæ, ut omnium sanctorum Angelorum memoria solemniter agatur, quia unusquisque hominum creditur unum Angelum habere sibi a Deo deputatum ad custodiam. *At singularem quoque festivitatem de* Angelo *suo custode postmodum fidelium pietas induxit. Grevenus de ea ad 28 Septembris ita habet :* Festum de proprio Angelo hic quidem servant. *Hoc ipsum adoptavit Canisius in Martyrologio Germanico, ut heri dictum in Prætermissis. Plures particularem illam festivitatem memorant ad 1 Martii, præeunte Molano, cujus hæc sunt*

AUCTORE J. S.

hæc sunt verba : Festivitas sanctorum Angelorum custodum singulorum hominum *Consentit eodem die jam laudatus Canisius. Saussayus vero in Supplemento ad eumdem diem sic habet :* Festum Angeli custodis ex ecclesiæ Toletanæ pio more ad Rutenos deductum, auctore beato (*id est beatæ memoriæ*) Francisco de Stanno Rutenensi episcopo, probante Sede Apostolica. *Præfuit ecclesiæ Rutenensi Franciscus sub initium seculi* 16.

olim variis diebus celebratum,

21 *Antiquius est idem festum in Hispania, ubi illud annuntiavit ad eumdem diem Ferrarius in Catalogo Generali his verbis :* Toleti et alibi in Hispania festum Angeli custodis. *Addit in annotatis :* Ex tabulis Toletanæ et aliarum ecclesiarum. *Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico similiter ad* 1 *Martii ita habet :* Hispaniæ celebris sancti Angeli custodis in omnibus provinciæ ecclesiis festivitas perseverat, licet ex aliquarum monumentis dies varietur Officii. *Addit in annotatis, festivitatem illam celebratam fuisse variis diebus, ut sequitur.* Nam Toletana ecclesia, Compostellana, Legionensis, Ovetensis, Salmanticensis, Cordubensis, Conchensis, Segobiensis, Seguntinensis, Pampilonensis, Zamorensis, Cala-
B gurritana, Asturicensis, Gadicensis, Urcetana, Accitana, Mindoniensis, Canariensis et Granatensis, et earum diœceses, nec non Ordines Militares et Regulares, in hunc diem (1 *Martii*) festum hocce concelebrant. Ecclesia Hispalensis, Placentina, Giennensis, Abulensis, Malacitana, Carthaginensis, et Ordo B. Mariæ de Mercede in diem 1 Octobris. Ecclesia Valentina et Cæsaraugustana in Dominicam 1 post Octavam Apostolorum Petri et Pauli. Tarraconensis in Dominicam 1 Maji : Dertonensis in diem 1 Augusti : Segorbicensis in Dominicam 2 Octobris : Turiasonensis in diem 15 Julii : Ilerdensis in diem 6 Septembris : Urgelensis in Dominicam 3 Julii : Oxomensis in diem 8 ejusdem : Pacensis in diem 2 Octobris. *Hactenus Tamayus, etiamsi nolim asserere, totam hanc dierum enumerationem prorsus accuratam esse.*

tandem die 2 Octobris fixum.

22 *Apud nos in Prætermissis ad* 10 *Martii observatum est ex Martino de Roa , eo die Sanctum Angelum custodem coli in ecclesia Cordubensi. Ad* 15 *Julii ejusdem cultus in diœcesi Turiasonensi pro Dominica* 3 *ejus mensis assertus. Ad* 10 *Maji hæc data observatio :* Angeli custodis festum in Styria solitum observari, traditur in Litteris annuis
C Societatis nostræ ad annum 1606, pag. 484. Id nunc celebratur in Ecclesia 2 Octobris. *Antea tamen remiserant Majores nostri ad diem* 1 *Octobris, quod ante Clementem X non alia esset statuta dies, quam proxima post festum S. Michaelis. Saussayus ad* 2 *Octobris ita habet :* Hac die celebratur festum Angeli custodis ex decreto Pauli V, *nimirum ubi illa dies erat proxima non impedita post festum* S. Michaelis. *Nam* 2 *Octobris serius fixa est a Clemente X. At redeamus ad Saussayum :* Quæ solemnitas, *inquit,* Parisiis mox recepta, in ecclesia sanctorum confessorum Lupi et Ægidii, ipsius Pontificis auctoritate et Henrici Cardinalis, de Retz nuncupati, urbici antistitis permissu, instituta est. Ubi quotannis eximia devotione, non modo parœcianorum, sed et multorum aliorum insignium civium, qui tutelæ Angelicæ præsidia expetunt, ipsa hæc festivitas peragitur. At pridem ante S. Ludovicus, se ut Angelica clientela muniret, Carnuti in summo Deiparæ templo capellam in honorem sanctorum Angelorum fundaverat. Claromonte autem Arvernorum antiquissima existunt altaria, Angelis custodibus nuncupata, ut ista devotio apud Gal-
D liæ populus non nupera, sed vetusta satis, fluensque e religionis sanctissimæ fontibus, qui a Majoribus ad posteros emanarunt, merito videatur. *Clemens X tandem anno* 1670 *Officium de Angelis custodibus pro tota Ecclesia fixit die* 2 *Octobris. Hinc hodie in Martyrologio Romano ad* 2 *Octobris leguntur hæc verba :* Festum sanctorum Angelorum custodum. *Verum hæc interim sufficiant ex Martyrologiis.*

§ II. Recensentur ea, quæ de S. Michaele reperiuntur in sacris Scripturis.

Ex relatis de S. Michaele apud Danielem,

Q*uamquam mihi propositum non est, omnia examinare, quæ de* S. Michaele *ex sacris Litteris probabiliter colligi possunt. Tamen huc congeram, quæ certiora videntur, et communi Patrum ac theologorum sententia comprobantur. Quatuor solum locis expresso nomine* S. Michael *in Scripturis memoratur. Daniel cap.* 10 *nomen* S. Michaelis *bis exprimit, dum narrat visionem* Angeli *ad se loquentis, qui a plerisque* Gabriel *fuisse creditur. Hanc visionem recitabo inferius num.* 35. *Ad* S. Michaelem *spectant sequentia* Angeli *verba.* Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum. *Et inferius* ℣ 20 *in eadem adhuc visione ait Angelus.* Et nunc revertar, ut prælier adversum principem Persarum. Cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *De alio Danielis loco agetur inferius.*

intelligitur protector fuisse populi Hebraici.

24 *S. Hieronymus in Danielem cap.* 10, *ubi explicat allegatum locum, existimat, per principes Persarum et Græcorum intelligi* Angelos, *cui regna illa a Deo erant credita, et ad eam sententiam probandam allegat hæc verba Deut.* 32, ℣ 8 : Quando dividebat Altissimus gentes, et dissemi nabat filios Adam ; statuit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei. *Verum locus ille allegatus est juxta septuaginta interpretes, a quibus* E
dissentit Scriptura vulgata cum textu Hebraico, ut illa probatio sit minus efficax, cum de Angelis *in vulgata non fiat mentio. Attamen recte locum explicari de* Angelis *protectoribus Persarum et Græcorum, postea videbimus. Quod huc spectat, verba illa,* Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi, *laudatus Hieronymus ita exponit :* Resistente Persarum Angelo precibus tuis, et meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam ; venit in adjutorium mihi Angelus Michael, qui præest populo Israel. Principes autem primos, Archangelos intelligimus. *Rursum in illa verba,* Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester, *Hieronymus sic commentatur :* Ego sum, inquit, Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas : et nullus est alius, qui adjutor meus sit rogandi pro vobis Deum, nisi Michael archangelus, cui creditus est populus Judæorum. *Itaque ex loco allegato collegit S. Hieronymus,* S. Michaelem *archangelum fuisse protectorem et præsidem populi Hebraici, eaque est obvia et communis loci intelligentia. Hinc Chrysostomus Hom.* 2 *de Laudibus*

AUCTORE J. S.

A dibus S. Pauli ait : Michaëli gens commissa est Judæorum : *eaque est communis sententia tam Judæorum quam Christianorum, ut asserit Calmetus in locum allegatum.*

ut etiam innuit altercatio ejus cum diabolo de corpore Moysis.

25 *Alter locus, in quo nomen* S. Michaëlis *exprimitur, est in Epistola canonica Judæ apostoli, qui sic habet :* Cum Michaël archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit : Imperet tibi Dominus. *Allegat hunc textum S. Hieronymus in Epistolam ad Titum cap. 3, et hæc subjungit :* Si igitur Michaël non fuit ausus diabolo, et certe maledictione dignissimo, judicium inferre blasphemiæ; quanto magis ab omni maledicto puri esse debemus. Merebatur diabolus maledictum : sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit. *De causa disputationis* S. Michaëlis *archangeli cum diabolo in sacra Scriptura nihil legitur. Verum, cum Gen.* 30, ℣ 6 *de Moysis sepulchro dicatur :* Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem; *probabiliter conjiciunt interpretes, voluisse diabolum, ut sepulchrum Moysis innotesceret Israelitis, sive ut corpus ejus sepeliretur loco Israelitis cognito, ad* B *occasionem subministrandam idololatriæ, in quam pronus erat populus Hebraicus :* Michaëlem *vero pro cura populi Hebraici ablatum corpus loco plane ignoto abscondisse ac sepelivisse, ne illud honore indebito afficere possent Israelitæ. Nam corpus Moysis a Deo sepultum ministerio* Angelorum, *plerique probabilissime existimant, ut dictum est ad 4 Septembris in S. Moyse* § 30, *ubi de causa hujusce disputationis etiam actum. Igitur illa disputatio rursum ostendit curam, quam de populo Hebraico gessit* S. Michaël *archangelus,*

Pugna S. Michaelis cum dracone.

26 *Tertius locus, in quo* Michaël *nominatur, hic est Apocal.* 12, ℣ 7 *:* Et factum est prælium magnum in cælo : Michaël et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus : et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. *Non convenit inter eruditos, de quo* S. Michaëlis *prælio ibidem agatur.* C *Mihi satis erit huc transferre illa, quæ in locum allegatum scripsit Cornelius a Lapide, propriam explicans sententiam.* Dico, *inquit,* historice, hic alludi ad prælium Luciferi cum suis, gestum cum Michaële ejusque asseclis in cælo : illud enim clarissime hic perstringitur. Tunc enim Lucifer cum suis cælo dejectus, ex angelo factus est diabolus. Sed per hoc prælium symbolice significatur bellum, quod Lucifer indies gerit contra fideles in Ecclesia, eorumque tutelares Angelos : prophetice vero et genuine ad litteram significatur prælium, quod ipse geret acerrimum et ultimum in fine mundi contra Sanctos. Hoc enim proprie hic intenditur : est enim continua prophetia de fine mundi...

ad tempus Antichristi relata : * *l.* animando.

27 Tunc ergo præliabitur Michaël cum suis angelis contra Luciferum ejusque dæmones, adjuvando, confortando et amando * Christianos fortiores et constantiores, ut se cum Elia et Henoch aperte et generose opponant Antichristo, cum quo et pro quo pugnabit Lucifer per blandiloquentiam, astutiam, fraudes, ficta miracula, hypocrisim, minas, tormenta, cæterasque artes et arma, quæ ipse Antichristo suggeret. Rursum tunc præliabitur Michaël defendendo suos hosce fideles in judicio Dei, præsertim post eorum mortem, contra accusatorem diabolum... Ex hoc loco colligunt doctores, S. Michaëlem fuisse et esse principem omnium Angelorum, qui in Dei obsequio, ac consequenter in cælo perstiterunt; sicut Lucifer princeps fuit omnium cadentium. Quocirca S. Michaël præses fuit olim synagogæ Judæorum, uti nunc præses est et princeps ecclesiæ Christianorum. *Hactenus Cornelius ibidem.*

ad idem tempus referenda videtur

28 *Quartus locus, qui* S. Michaëlis *nomen diserte exprimit, habetur apud Danielem cap.* 12. In tempore illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui : et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro *etc. Multa ibi sequuntur, ex quibus evincitur, agi de tempore Antichristi, uti locum exposuit S. Hieronymus, et plerique Patres, fatente Calmeto in hunc locum. Merito igitur laudatus Cornelius a Lapide in Danielis cap.* 12 *existimat, de eodem* Michaële *contra Luciferum et apostatas angelos prælio agere Joannem in Apocalypsi et Danielem hoc loco.* Consurget Michaël, id est, *inquit,* Michaël exurget in præ- E lium contra regem Aquilonis, id est, contra Antichristum, ut tueatur fideles et Sanctos in tantis persecutionibus contra eum et contra Luciferum... Unde S. Thomas et alii docent, in hoc prælio occidendum esse Antichristum a Michaële. Sic enim explicat illud 2 Thes. 2, ℣ 8. « Quem » (Antichristum) Dominus Jesus interficiet spi» ritu oris sui, id est, mandato suo » Quia, inquit, Michaël interfecturus est eum in monte Oliveti, unde Christus in cælum ascendit. Christus ergo executionem suæ sententiæ contra Antichristum committet Michaëli, qui post Christum supremus est judex, et præses divinæ justitiæ.

victoria S. Michaelis per Danielem prædicta,

29 *Tum refutat eos, qui per* Michaëlem *intelligunt Christum.* Certum est enim, *inquit,* quod Angelus (*qui allegata verba dicebat Danieli*) eumdem Michaëlem hic intelligat, quem intellexit cap. 10, ℣. 13 et 21 : ibi autem intellexit Michaëlem archangelum : vocat enim eum principem Judæorum. Simili modo nuncupat eum hic, dicens : « Qui stat pro filiis populi tui » qui scilicet F præest tueturque Judæos tanquam fideles, populumque Dei ac filios patriarcharum : ideoque curabit, ut Judæi in fine mundi ad Christum convertantur et salventur. *Refutat etiam eos, qui omnia referunt ad tempora Antiochi Epiphanis, et per* Michaëlem *intelligunt Matathiam, quod in Porphyrio improbavit S. Hieronymus.* Verum obstant sequentia, *inquit Cornelius :* Et multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium. Quod ad litteram de resurrectione, non morali ad patrum et avorum virtutem et constantiam,... sed naturali ad vitam æternam, accipi debere clarum est, uti accipiunt S. Hieronymus, Theodoretus, et passim veteres ac recentiores. *Nullus sane ex Machabæis aut eorum osseclis tunc resurrexit ad vitam æternam, ut nequeat locus eorum temporibus accommodari, nisi violenter. Quare Patrum et Cornelii aliorumque plurium sententia de* Michaële *tempore Antichristi pro Christianis pugnaturo longe mihi probabilior videtur, quam opposita, quæ prophetiam Danielis refert ad tempora Antiochi, pugnam vero a Joanne memoratam ad persecutiones Romanorum imperatorum; sive ad tempora Diocletiani.*

30 *Vera tamen esse possunt, quæ ex locis illis aliter expositis infert Calmetus in Dictionario Biblico*

AUCTORE J. S.

licet aliis etiam temporibus opem tulerit S. Michael,

blico ad vocem Michaël, *ubi ex dato Danielis loco hæc colligit :* Missus igitur S. Michaël, ut suppetias populo (*Judaico*) sub persecutionum pondere fatiscenti ferret, Machabæorum virtutem acuit, impium Antiochum percussit, ac tandem Judaicam ecclesiam duris persecutionibus oppressam relevavit. *Hæc, inquam, vera esse possunt pro perpetua protectione, qua populum Judaicum* S. Michael *servabat, sed futura tempore Antichristi ibidem prædici, omnia fere insinuant. Similiter ut vera facile admittam, quæ ex loco Apocalypsis ita infert.* Ex iis Scripturæ verbis vulgo colligunt, archangelum S. Michaëlem patronum datum esse Ecclesiæ Christianæ, cujus erga nos curæ potissimum in persecutionibus ethnicorum contra fideles specimen exhibuit. Ea enim occasione satanæ impetus repressit, fidemque Christianam, persecutorum audaciam contundens, asseruit. *At unam aliquam ex iis persecutionibus S. Joanni revelatam esse, vocatamque ab eo* prælium magnum in cælo, *non tam facile dixero, cum istud prælium videatur feliciori exitu finitum aut finiendum, quam finita sit ulla persecutio.*

uti existimavit etiam S. Gregorius Magnus :

31 *S. Gregorius Magnus hom. 34 in Evangelia de* S. Michaële *hæc scribit :* Michaël namque (*interpretatur*) Quis ut Deus..... Et quoties miræ
B
virtutis aliquid agitur; Michaël mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupivit, dicens : « In cælum conscendam, super astra cæli » exaltabo solium meum, sedebo in monte testa- » menti, in lateribus Aquilonis, ascendam super » altitudinem nubium, similis ero Altissimo » : dum in fine mundi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaële archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Johannem dicitur (*Apocal.* 12, ℣ 7 :) « Factum » est prælium cum Michaële archangelo » : ut, qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaëlem peremtus discat, quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exsurgat. *Video, hunc locum in indice editionis novissimæ S. Gregorii ad Luciferum referri. At, cum* perimendus *dicatur et* peremtus, *de Antichristo Gregorius loquitur, sic tamen ut in Antichristo superandum Luciferum affirmet. Nam lib. 18, in Job in*
C
cap. 18, ℣ 17 *ait :* Caput quippe iniquorum diabolus est. Ipse quippe in ultimis temporibus illud vas perditionis ingressus, Antichristus vocabitur, *alias* quod Antichristus vocabitur. *Itaque ex mente Gregorii, per mortem Antichristi diabolus quoque vincetur. Plura de* S. Michaele *huc non transferam. Si quis multa probabiliter ad* S. Michaelem *relata videre desiderat, adire poterit laudatum Cornelium a Lapide in cap.* 12 *Danielis.*

§ III. Relata in Scripturis de SS. Gabriele et Raphaele archangelis.

Danieli prophetæ visionem celebrem

Quandoquidem *cum* S. Michaele *omnes Angelos ecclesia colat eadem festivitate; huc etiam congerenda censui, quæ de* SS. Gabriele *et* Raphaele *in sacris memorantur Scripturis. Egit quidem Henschenius noster ad 25 Martii de cultu* S. Gabrielis, *ac similiter cultus* S. Raphaelis *exponi poterit illo ipso die, quo præcipua ejus*
D
festivitas peragitur; hoc tamen loco dabimus ex Scripturis, quæ de omnibus Angelis *ad historiam pertinent, prætermissis quæstionibus unice ad theologiam spectantibus. Daniel propheta cap. 8 refert celeberrimam visionem, quam eidem exposuit.* S. Gabriel *archangelus, ita ordiens :* Anno tertio regni Baltassar regis visio apparuit mihi. Ergo Daniel post id, quod videram in principio, vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regione : vidi autem in visione esse me super portam Ulai. Et levavi oculos meos, et vidi *etc.*

apparens S. Gabriel exponit;

33 *Relata visione, quæ ibidem legi potest,* ℣ 15, *Daniel sic pergit :* Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam; ecce stetit in conspectu meo quasi species Viri. Et audivi vocem Viri inter Ulai : et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istum visionem. Et venit, et stetit juxta, ubi ego stabam : cumque venisset, pavens corrui in faciem meam, et ait ad me : Intellige, fili, hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram : et tetigit me, et statuit me in gradu meo; dixitque mihi : Ego ostendam tibi, quæ E
futura sunt in novissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum. *Tum visionem Danieli exponit* S. Gabriel, *ut videri potest loco allegato. Visionem autem a* Gabriele *expositam, locus ipse manifeste habet. At non additur, cujus voce jussus sit visionem exponere. S. Hieronymus de eo in hunc locum scribit sequentia.* Virum istum, qui præcepit Gabrieli, ut Danielem faceret intelligere visionem, Judæi Michaëlem autumant. Consequenter autem, quia visio de præliis erat regumque certaminibus, imo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est præliis, huic officio mancipatur. Gabriel enim in linguam nostram vertitur, FORTITUDO, vel ROBUSTUS DEI. Unde et eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum dæmonibus, et triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam et ad Mariam.

rursumque eidem revelat prophetiam de septuaginta hebdomadibus :

34 *Alteram* Gabrielis *apparitionem refert Daniel cap. 9, factam* in anno primo Darii *Medi. Narrat primum Daniel, orasse se pro populo suo, quando instabat finis septuaginta annorum, quibus duratura erat captivitas Babylonica. Tum* ℣ 20 *ita pergit :* Cumque adhuc loquerer et orarem, et F
confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israël, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei : adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque : Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni, ut indicarem tibi; quia vir desideriorum es : tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. *Tum subdit celeberrimam revelationem de septuaginta hebdomadibus. Aliam rursus visionem refert Daniel cap.* 10 *et* 11, *et plerique interpretes existimant, eumdem fuisse* Gabrielem, *qui tunc Danieli apparuit. Hoc tamen non videtur omnino certum, cum quia in Scripturis non dicitur, tum quia multo augustiori specie* Angelus *apparuit.*

idem Gabriel, ut creditur, augustiori apparens specie,

35 *Visionem a* ℣ 4 *Daniel ita narrat :* Die autem vigesima et quarta mensis primi (et anno tertio Cyri regis Persarum ℣ 1) eram juxta fluvium magnum, qui est Tygris. Et levavi oculos meos,

A meos, et vidi: et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo: et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens: et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: et vox sermonum ejus, ut vox multitudinis. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium. Et audivi vocem sermonum ejus: et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metuere, Daniel; quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: et B ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michaël unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum.

futura Danieli multa prædixit usque ad tempora Antichristi.

36 Veni autem, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, et tacui. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea. Et aperiens os meum locutus sum: et dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? Nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur. Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, et dixit: Noli timere, vir desideriorum: pax tibi: confortare, et esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me. Et ait: Numquid scis, quare venerim ad te? Et nunc revertar, ut prælier adversum principem Persa- C rum. Cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis: et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur et roboraretur. Et nunc veritatem annuntiabo tibi *etc. Mox incipit multa prædicere de regibus Persarum et Græcorum cap. 11 et 12, pergens usque ad novissima Antichristi tempora, ut ibidem legi poterit.* Gabrielem *autem fuisse, qui omnia illa Danieli revelavit, plerorumque est, ut dixi, interpretum sententia, etiamsi nomen ejus in illa visione non legatur expressum.*

Rursum Gabriel Joannis Baptistæ

37 *Duas* S. Gabrielis *apparitiones narravit* S. *Lucas in Evangelio cap. 1. In prima Zachariæ sacerdoti, quando ministrabat in templo, et ponebat incensum, prædixit, filium ei nasciturum Joannem Baptistam. Hoc a ℣ 11 sic refertur:* Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem: et erit gaudium tibi et exultatio: et multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet: et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum: et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur, quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos *etc.*

Et Christi nativitatem annuntiavit

38 *Deinde altera Gabrielis apparitio a ℣ 26 exponitur hoc modo:* In mense autem sexto (*post conceptum Joannem Baptistam*) missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, E cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat F mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. *Plures non invenimus in Scripturis apparitiones, in quibus S. Gabrielis fit mentio. Ex allegatis habemus, maxima a Gabriele fuisse annuntiata.*

S. Raphael, orantibus Tobia et Sara,

39 S. Raphael *archangelus unica apparitione innotuit, sed ea admodum mirabili et diuturna, quam discimus ex libro Tobiæ. Missus est autem a Deo* S. Raphael, *ut recrearet duas personas, pietate et fide in Deum præstantes, et multis afflictionibus pressas. Primus erat Tobias senior, junioris Tobiæ pater, cujus virtutes et pia opera referuntur tribus prioribus libri capitibus, quemadmodum et captivitas in Assyria, cæcitas, aliæque afflictiones, atque ejus ad Deum oratio. Altera erat* Sara filia Raguelis, *cujus afflictio ob septem viros a dæmone occissos cap. 3 exponitur, uti et pietas et oratio. Tum vero ℣ 24 hæc sequuntur:* In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: et missus est angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. *Hæc transferam omnia ad* S. Raphaelem

AUCTORE J. S.

S. Raphaelem *attinentia, prætermissis brevitatis gratia iis, quæ ad sanctum* Archangelum *non spectant.*

Tobiæ juniori, ducem itineris quærenti, ignotum se offert,

40 *Tobias filio suo inter pia documenta cap. 4 relata* ℣ 21 *dixit:* Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Rages civitate Medorum: et chirographum ejus apud me habeo: et ideo perquire, quomodo ad eum pervenias, et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, et restituas ei chirographum suum. *Respondit ad hoc cap. 5 Tobias filius:* Quo modo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. Ille me nescit: et ego eum ignoro. Quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi. Tunc pater suus respondit ei, et dixit... Perge nunc, et inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, salva mercede sua... Tunc egressus Tobias, invenit Juvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans, quod Angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit: Unde te habemus, bone Juvenis? At ille respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nôsti viam, quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit: Novi: et
B omnia itinera ejus frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. Cui Tobias ait: Sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo. Tunc ingressus Tobias, indicavit universa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogavit, ut introiret ad eum.

eumque ducendi curam in se recipit, in itinere,

41 Ingressus itaque salutavit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video? Cui ait Juvenis: Forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum? Et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. Et dixit ei Angelus: Ego ducam et reducam eum ad te. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Cui Raphaël angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte sollicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. Et respondit Tobias: Ex magno genere
C es tu. Sed peto, ne irascaris, quod voluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam et sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo et matri suæ, et ambulaverunt simul. *Cum interim mater, timens filio suo, steret, inter alia ei Tobias dixit ad consolandum:* Credo enim, quod Angelus Dei bonus comitetur ei.

eum monet, ut capiat piscem invadentem;

42 *Mox cap. 6 de itinere Tobiæ cum* S. Raphaele, *factisque in via agitur hoc modo:* Profectus est autem Tobias,... et mansit prima mansione juxta fluvium Tigris. Et exivit, ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias, clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, et palpitare cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur re-
D pone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter. Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, et secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quo usque pervenirent in Rages civitatem Medorum. Tunc interrogavit Tobias Angelum et dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti? Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.

eidem, de nuptiis pie contrahendis prius edocto,

43 Et dixit ei Tobias: Ubi vis, ut maneamus? Respondensque Angelus ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, et hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia ejus, et oportet eam te accipere conjugem. Pete ergo eam a patre ejus, et dabit tibi eam in uxorem: Tunc respondit Tobias, et dixit: Audio quia tradita est septem viris, et mortui sunt: sed et hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. Timeo ergo, ne forte et mihi hæc eveniant: et cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc angelus Raphaël dixit ei: Audi me, et ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsa autem nocte, incenso jecore piscis fugabitur dæmonium. Secunda vero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidinis ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. E

uxorem procurat Saram.

44 *Tum cap. 7 exponitur, quomodo* Raphaelo *cum Tobia venerit ad Raguelem, et quam amanter ab eo sint excepti. Cum vero Raguel multa bona diceret de Tobia patre,* ℣ 5, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est. *Rursum, cum Tobias filius a Raguele sacram sibi peteret uxorem, et ille non auderet annuere ob mortem priorum sponsorum,* et non daret petenti ullum responsum, dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. *Continuo libenter consensit Raguel, et filiam suam sacram Tobiæ dedit uxorem. Tibias vero, ut narratur cap. 8, monita* S. Raphaelis *accurate secutus est.* Tunc, *ut dicitur* ℣ 3, Raphael angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto Superioris Ægypti. F

Rogante Tobia, pecuniam pro eo accepit a Gabelo,

45 *Cum vero Raguel cuperet Tobiam aliquo tempore secum detinere, ille* Raphaelem *misit ad pecuniam accipiendam, ut cap. 9 refertur hoc modo:* Tunc vocavit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto, ut auscultes verba mea. Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ. Tamen obsecro te, ut assumas tibi

A tibi animalia sive servitia, et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum; reddasque ei chirographum suum, et recipias ab eo pecuniam, et roges eum venire ad nuptias meas. Scis enim ipse, quoniam numerat pater meus dies : et, si tardavero una die plus, contristatur anima ejus. Et certe vides, quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum. Tunc Raphaël assumens quatuor ex servis Raguelis, et duos camelos, in Rages civitatem Medorum perrexit : et inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, et recepit ab eo omnem pecuniam. Indicavitque ei de Tobia filio Tobiæ omnia, quæ gesta sunt : fecitque eum secum venire ad nuptias. Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem : et exiliens, osculati sunt se invicem, *nimirum Gabelus et Tobias.*

redeuntique ait, quo modo pater ejus visum sit recepturus,

46 *Deinde cap.* 10 *refertur sollicitudo senioris Tobiæ et discessus junioris, cui abeunti dixit Raguel :* Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, *etc. Tum cap.* 11 *de reditu hæc leguntur :* Cumque reverterentur, pervenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die. Dixitque Angelus : B Tobia frater, scis quemadmodum dereliquisti patrem tuum. Si placet itaque tibi, præcedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familiæ simul cum conjuge tua, et cum animalibus. Cumque hoc placuisset, ut irent, dixit Raphaël ad Tobiam : Tolle tecum ex felle piscis : erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, et abierunt. *Tum refertur, ab Anna matre adventum Tobiæ e longinquo fuisse cognitum, relatumque marito, subditurque :* Dixitque Raphaël ad Tobiam : At ubi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum : et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum. Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum. Scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen cœli, et in aspectu tuo gaudebit.

ut in adventu contingit. Utrique Tobiæ, amplam mercedem offerenti,

47 *Sequitur lætissimus Tobiæ piissimusque ad parentes adventus, et* ỹ 13 : Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam : et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ex oculis ejus, statimque visum recepit. Et glorificabant Deum, *etc*.... Et narravit (*Tobias junior*) parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa C eum per Hominem, qui eum duxerat. *Post adventum Saræ conjugis, omnisque familiæ, pecorum et pecuniæ, ac septem convivii dies, cap.* 12 *uterque Tobias cogitare cœpit de amplissima mercede Raphaëli danda :* et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem : et rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte : Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere; quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

48 Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrimis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphaël angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Cumque hæc audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus : Pax vobis, nolite timere. Etenim, cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram : ipsum benedicite, et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere : sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus non potest videri, utor. Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit. Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. Et, cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, et exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus. *Hactenus de mirabili apparitione* Raphaelis. *Quæstiones aliquot hic proponi possent. At, cum contextus sit satis clarus, et mira Dei* E *bonitas, et benignissima in omnibus* Angeli *cura luculentissime ex ipsis verbis sine ullo commentario innotescat; plura non addam. Interpretes sacræ Scripturæ consuli possunt tam de hisce, quam de aliis præcedentibus.*

AUCTORE J. S. declarat S. Raphael, quis sit, monens, ut Deum laudent.

§ IV. Apparitiones Angelorum, qui non nominantur; aliaque de iis relata in Pentateucho.

Agar ab Angelo jubetur redire ad dominam suam:

Ut *perpetua* Angelorum *de humano genere cura magis elucescat, placet huc etiam eas* Angelorum *apparitiones transferre, quæ sine eorum nomine in Scripturis referuntur, atque eo ipso ordine, quo ibidem leguntur. Cum Agar, ancilla Saræ, quod affligeretur, a domina sue fugisset Gen.* 16, *optimo* Angeli *apparentis consilio reducta est in domum Abrahæ et Saræ. Conceperat Agar ex Abrahamo, ideoque Saram despicere cœperat.* Affligente igitur eam Sarai, *ut dicitur* ỹ 6, fugam iniit. Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur F in deserto, dixit ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? Quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. Et rursum : Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti, et paries filium, vocabisque nomen ejus Ismaël, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum : et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. *Huc usque Angelus, cui obedivit Agar, alia quoque Angeli apparitione post aliquot annos recreata, ut videbimus.*

Abraham tres angelos hospitio excipit,

50 *Celeberrima est apparitio Gen.* 18 *trium* Angelorum, *quos Abraham hospitio excepit hominum instar, quia viros, initio saltem, credebat. De illa simul et sequenti cap.* 19 *apparitione loquitur Apostolus ad Hebræos cap.* 13, *dum de hospitalitate, quam commendat, dicit :* Per hanc enim latuerunt

AUCTORE J. S.

latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis; *id est, ignorantes hospitio receperunt* Angelos. *Apparitio refertur in hunc modum.* Apparuit autem ei (*Abrahæ*) Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres Viri, stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. Et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum : sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis : idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt : Fac, ut locutus es. *Festinavit igitur Abraham cum Sara, et convivium Hospitibus suis exstruxit, ut ibidem legi potest.*

et nasciturum sibi filium, ex iis intelligit.

51 *Deinde ℣ 9* : Cumque comedissent, dixerunt ad eum (*Angeli ad Abraham*) ubi est Sara uxor tua? Ille respondit : Ecce in tabernaculo est. Cui dixit : Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi... Dixit autem Dominus ad Abraham : Quare risit B Sara, dicens : Num vere paritura sum anus? Numquid Deo quidquam est difficile? Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. Negavit Sara, dicens, Non risi, timore perterrita. Dominus autem : Non est, inquit, ita; sed risisti. Cum ergo surrexissent inde Viri, direxerunt oculos contra Sodomam : et Abraham simul gradiebatur, deducens eos. Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum; cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam, ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.

rogansque pro Sodomitis, benigne auditur.

52 Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint : an non est ita, ut sciam. Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam : Abraham vero adhuc stabat coram Domino. Et C appropinquans, ait : Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul! et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo?.... Dixitque Dominus ad eum : Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondensque Abraham ait : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? Delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait : Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque. Rursumque locutus est ad eum : Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait : Non percutiam propter quadraginta. Ne, quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar. Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit : Non faciam, si invenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi : loquar ad Dominum meum : Quid, si ibi inventi fuerint viginti? Ait : Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine; si loquar adhuc semel. Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit : Non delebo propter decem. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham : et ille re- D versus est in locum suum. *Multa in hoc apparitione humana more dicuntur et fiunt, ut bis illud* vita comite, *et illud :* Descendam et videbo, *aliaque nonnulla. Unus autem ex tribus* Angelis *frequenter* Dominus *vocatur, quia, inquiunt interpretes, præcipuus erat judex, et Dei personam repræsentabat.*

Lot duos Angelos excipit, et ab iis servatur.

53 *De eo nulla fit mentio in apparitione aliorum* Angelorum *in Sodoma, quæ mox sequitur cap.* 19, *hoc modo :* Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis : adoravitque pronus in terram, et dixit : Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi : lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum : ingressisque domum illius fecit convivium, et coxit azyma : et comederunt. *Interea Sodomitæ, qui putabant juvenes esse, advenerunt, ut eos e domo Lot educerent, et eo resistente, vim parabant :* Jamque prope erat ut effringerent fores. Et ecce miserunt manum Viri (*sive* Angeli *humana specie*) et intro- E duxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium : et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. Dixerunt autem ad Lot : Habes hic quempiam tuorum, generum, aut filios aut filias? Omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac : delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit : Surgite, egredimini de loco isto; quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

et cum suis Sodoma mox peritura educitur.

54 Cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes : Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias, quas habes; ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te F fac, ne et tu simul pereas. Dixitque Lot ad eos : Quæso, Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar : est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. Numquid non modica est, et vivet anima mea? Dixitque ad eum : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es. Festina, et salvare ibi; quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor. Sol egressus est super terram et Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cælo *etc. Urbium earum ruina cum reliquis ibidem sequitur sine ulteriori mentione de* Angelis.

Ismael puer voce Angeli ad Agar loquentis servatus :

55 *Alia* Angeli *apparitio per vocem refertur cap.* 21. *Agar ancilla cum filio Ismaele, quem ex Abrahamo pepererat, per Saram ejecta erat, aut ab ipso potius Abraham ob querelas uxoris dimissa,* et in solitudine Bersabee *ad extremas angustias redacto.*

AUCTORE J. S.

A *redacta.* Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant. Et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere. Dixit enim : non videbo morientem puerum : et sedens contra, levavit vocem suam, et flevit. Exaudivit autem Deus vocem pueri : vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens : Quid agis, Agar? noli timere. Exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Surge, tolle puerum, et tene manum illius; quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos ejus Deus. Quæ videns puteum aquæ, abiit, et implevit utrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo *etc. Sic* Angeli *voce ab imminenti morte erutus est puer Ismaël.*

mors Isaaci item voce Angeli impedita.

56 *Prohibuit similiter* Angelus, *ne Isaac occideretur, ut refertur cap.* 22. *Cum enim Deus fidem et obedientiam Abrahami probare, et mundo manifestare vellet, præcepit eidem, ut filium suum Isaacum immolaret. Paruit Abraham, duxitque filium,* et posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cœli clamavit, dicens : Abraham, B Abraham. Qui respondit : Adsum. Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Et paulo post :* Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me; benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; et velut arenam, quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Observari potest, Isaacum hic bis vocari* unigenitum *Abrahami, etiamsi hic haberet etiam filium Ismaelem. At erat unicus ex Sara et, ut habet Apostolus Heb.* 11, ℣ 17, qui susceperat repromissiones.

Abrahami de Angelorum ope fiducia

57 *Quanta porro fuerit Abrahami fiducia de subsidio* Angelorum, *liquet ex relatis cap.* 24, *ubi Abraham servum suum mittit in Mesopotamiam ad uxorem filio suo quærendam, et eidem inter alia dicit* ℣ 7 : Dominus Deus cœli... Ipse mittet Angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo. *Hæc verba narravit servus* C *Abrahami, ubi venerat ad Bathuelem Rebeccæ patrem, quando Rebeccam Isaaco petebat sponsam.* Ego vero, *inquit servus* ℣ 39, respondi domino meo : Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, et diriget viam tuam : accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei. *Tam prospere in Mesopotamiam profectus est Abrahami servus, tam feliciter omnia ibi peregit, tam facile Rebeccam pro Isaaco accepit et ad Isaacum perduxit, ut non vana videatur fuisse Abrahami fiducia de* Angeli *præsidio per Deum mittendo.*

Protectio Angelorum Jacobo per scalam indicata.

58 *Protectio* Angelorum *rursum insinuatur cap.* 28 *per scalam, quam vidit Jacob, quando proficiscebatur in Mesopotamiam ad avunculum suum Labanum. Res ita narratur a* ℣ 11 : Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus, qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo, *etc. Nonnulli credunt,* Angelum *quoque fuisse superioris ordinis, qui promissa ibidem latius expressa Dei nomine faciebat Jacobo. Sic multa alia quæ a Deo facta referuntur in sacra Scriptura, probabiliter creduntur ab* Angelis *Dei ministris ejus nomine facta. At ea non referam ob varietatem sententiarum, contentus recensere illa, quæ clare* Angelis *tribuuntur. Nolim etiam exponere omnia scalæ illius mysteria, sed solum breviter observare, per* Angelos... ascendentes et descendentes *insinuari curam, quam, Deo mandante, suscipiunt de hominibus. De hac visione in loco Bethel inde dicto, mox fiet mentio in alia.*

aliisque modis manifestata,

59 *Rursum Jacob cap.* 31 *per* Angelum *monitus est in somnis, ut ex Mesopotamia, ubi ditatus erat apud Labanum avunculum suum, reverteretur ad terram suam. Monitum istud* ℣ 3 *Domino attribuitur his verbis :* Maxime dicente sibi (*id est, Jacobo*) Domino : Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum. *Verum et de causa divitiarum suarum, et de mandato redeundi, Jacob* ℣ 11 *ad uxores suas,* E *Rachelem et Liam ita loquitur :* Dixitque Angelus Dei ad me in somnis : Jacob. Et ego respondi : Adsum. Qui ait : Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. (*Agitur de ovibus et alio pecore, ex quibus Jacob accipiebat ex pacto omne, quod coloris erat varii, et sic maxime ditatus est.*) Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ. *Paruit Angelo, aut potius Deo, cujus nomine Angelus loquebatur, et clanculum cum uxoribus, servisque et gregibus suis a Labano discessit. Singularem quoque Dei protectionem expertus est contra Labanum, qui iratus Jacobum persecutus est diebus septem; sed, prohibente Deo, nihil eidem mali intulit.*

maxime per obvios Angelos, et in luctatione

60 *Timebat Jacobus non a solo Labano, sed etiam a fratre suo Esau, qui similiter dives et potens erat affectus, et cujus iram ante fugerat. Contra hunc igitur timorem recreatus videtur gemina visione Angelica cap.* 32. *Prior narratur his verbis :* Jacob quoque (*post discessum Labani*) F abiit itinere, quo cœperat : fueruntque ei obviam Angeli Dei. Quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra. *Non abstersit tamen hæc visio omnem timorem, ut liquet ex legatione, quam mox ad Esau destinasse dicitur. Crevit ejus timor, quando ex nuntiis reversis intellexit, Esau obviam venire,* cum quadringentis viris. *Itaque alia visione, eaque admodum mirabili timorem illum Deus mitigare dignatus est, ut narratur a* ℣ 24 *hoc modo :* Traductisque omnibus (*per vadum Jaboc*) quæ ad se pertinebant, mansit (*Jacob*) solus : et ecce Vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitto me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo : Quod nomen est tibi? Respondit : Jacob. At ille, Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël : quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Interrogavit eum Jacob : Dic mihi : quo appellaris nomine?

Respondit :

AUCTORE J. S.

Respondit : Cur quæris nomen meum ? Et benedixit ei in eodem loco. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens : Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel : ipse vero claudicabat pede.

hanc vero testatus est in fine vitæ.

61 *Multa hic quæri possunt, sed satis mihi est observasse, a plerisque* Angelum *credi : qui luctabatur cum Jacobo, gratiamque hanc ei præstitam dici ad timorem ejus tollendum aut certe minuendum. Oseas propheta cap.* 12, ℣ 4 *et* 5 *ad illa respiciens, de Jacobo dicit :* Et in fortitudine sua directus est ab Angelo. Et invaluit ad Angelum ; et confortatus est : flevit et rogavit eum : in Bethel invenit eum ; et ibi locutus est nobiscum. *ceterum multis periculis liberatum se fuisse per* Angelum *suum, testatur Jacobus morti proximus Gen.* 48, ℣ 15 *et* 16, *quando nepotibus suis, Josephi filiis, benedixit his verbis :* Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac ; Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem : Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis : et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. *De illo tamen loco* B *non pauci dubitant, an vox* Angelus *in vulgari sumatur significatione, quandoquidem benedicere magis sit Dei, quam* Angeli. *Certe Dei benedictionem pueris precatur Jacob, sed fortasse* Angelum *adjungere voluit, ut Dei ministrum, aut rogare Deum, ut* Angeli *ministerio pueris benefaciat.*

Angelus Dei nomine apparet Moysi in rubo,

62 *Celebris est apparitio, quæ narratur Exod.* 3, *ubi Dominus Moysi in rubo apparuisse dicitur. At eamdem memorat S. Stephanus Act.* 7 ℣ 30 *his verbis :* Apparuit illi (*Moysi*) in deserto montis Sinai Angelus in igne flammæ rubi. *Et* ℣ 35 : Hunc Moysen.... Deus principem et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. *Visio Exod.* 3 *sic refertur :* Moyses autem pascebat oves,... cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi : et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergo Moyses : Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses. Qui respondit : Adsum. At ille : Ne appropies, inquit, huc : D solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui *etc. Mox missio Moysis ad Pharaonem ad liberandos ex Ægypto Israelitas fuse describitur, ut ibidem videri potest. At omnia peraguntur Dei nomine, ideoque a me omittentur.*

Israelitis præit in columna ignis et nubis,

63 *Celeberrimus est Dei favor Israelitis præstitus in discessu ex Ægypto et in toto itinere usque ad terram promissam, qua* Angelum *eis præmisit ductorem. De eo favore Exod.* 13, ℣ 21 *Scriptura sic loquitur :* Dominus autem præcedebat eos (*Israelitas*) ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo. *Deut.* 1, ℣ 32 *et* 33, *Moyses de his ad populum dicit :* Et nec sic quidem credidis Domino Deo vestro, qui præcessit vos in via, et metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis. *Similiter num.* 14, ℣ 14 *dicitur Deus præcessisse in* columna nubis... per diem, et in columna ignis D per noctem. *Mitto alia loca, in quibus de eodem Dei beneficio fit mentio. Unum tamen afferro locum, ex quo liqueat, id per* Angelum *fecisse Deum. Cum enim Israelitæ castra haberent ad Mare Rubrum, et Ægyptii eos persequerentur Exod.* 14, *hæc narrantur* ℣ 19 : Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos ; et cum eo pariter columna nubis, priura dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israël, et erat nubes tenebrosa (*Ægyptiis scilicet,*) et illuminans noctem (*Israelitis,*) ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.

multaque Dei nomine cum Moyse agit,

64 *Quin imo et omnia illa, quæ inter Deum et Moysen gesta dicuntur.* Angelorum *ministerio facta esse, sed nomine Dei, omnino credidit et probavit S. Augustinus, ut ostendi ad* 4 *Septembris in S. Moyse* § 9. *Hinc S. Stephanus Act.* 7 *paria* Angelis *attribuit, quæ alias Deo leguntur attributa, et recte quidem : nam et jussu et nomine Dei illa peregerunt* Angeli. *Hoc ait* ℣ 38 : Hic est (*Moyses*) qui fuit in ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. *Et* ℣ 53 : Qui accepistis legem in dispositione Angelorum. *Hinc etiam Gal.* 3, ℣ 19 *dicitur* Lex ordinata per Angelos. *Multa igitur facta* E *sunt per* Angelos *ad montem Sinai quæ referuntur Exod.* 19 *et sequentibus capitibus, ac deinde multis locis. At ea, utpote Dei nomine facta, omnino prætermittam.* Michaelem *archangelum fuisse, qui nomine Dei Israelitas ducebat, et Moysen alloquebatur, nonnulli credunt. Hoc ego nec affirmare nec negare volo : censeo tamen ad illum* Angelum *spectare promissionem Dei, quæ Exod.* 23, ℣ 20 *ita refertur inter gesta ad montem Sinai :* Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes ; quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo (*id est, meo nomine aget.*) Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quæ loquor ; inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque, et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram.

quæ probabilius Angelo proprie dicto sunt tribuenda.

65 *Qui allegatum locum exposuerunt de Filio Dei, recte refutati sunt a S. Augustino, ut ostendi in Moyse loco supra assignato. Satis etiam ex ipsa Scriptura refutatur opinio eorum, qui Josue per illum* Angelum *voluerunt designatum. Certe Exod.* 32, ℣ 33, *cum oraret Moyses pro populo, qui peccaverat, post alia Dominus ei respondit :* Tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi : Angelus meus præcedet te. *Rursum cap.* 33, ℣ 2 *Dominus dicit Moysi :* Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram, quam juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens ; Semini tuo dabo eam : et mittam præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. *Hæc omnia de eodem* Angelo, *quem ante promiserat Deus, videntur dicta, et de* Angelo *proprie dicto, quemadmodum et de* Angelo *accipienda videntur verba, quæ Moyses num.* 20, ℣ 14 *et* 16 *per legatos dixit ad regem Edom :* Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos,... et quo modo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos

AUCTORE J. S.

A dierit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto.

Balaamo, ad nocendum Israelitis proficiscenti,

66 *De Balaamo, qui vocabatur a rege Moabitarum ad maledicendum Israelitis, prohibente primum Deo, ne iret; postea tamen indulgente sub ea conditione, ut nihil faceret, nisi præcipiente Deo, agitur num. 22. De ejus autem itinere ℣ 21 hæc leguntur :* Surrexit Balaam mane, et strata asina sua, profectus est cum eis (*nuntiis nimirum regis*). Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, et duos pueros habebat secum. Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam et vellet ad semitam reducere, stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur? Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam : et nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis : qui iratus, vehementius cædebat fuste latera
B ejus.

Angelus in via obsistit.

67 Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est : Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio? Respondit Balaam : Quia commeruisti, et illusisti mihi : utinam haberem gladium, ut te percuterem. Dixit asina : Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic, quid simile umquam fecerim tibi. At ille ait : Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. Cui Angelus : Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria; et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret. Dixit Balaam : Peccavi, nesciens quod tu stares contra me : et nunc, si displicet tibi ut vadam, revertar. Ait Angelus : Vade cum istis, et cave, ne aliud, quam præcepero tibi, loquaris. *De Balaamo et de factis mirabilibus plura dixi in Moyse § 44. Hic breviter solum observo,* Angelum *obstitisse malæ voluntati hominis, qui munerum cupiditate victus, quærere et desiderare*
C *videbatur occasionem, qua maledicere aut nocere posset Israelitis, sicut eis revera multum nocuit pessimo suo consilio. Hactenus* de Angelis *ex Pentateucho Moysis.*

§ V. Relata de Angelis in libris Josue, Judicum, Regum et Paralipomenon.

Angelus, apparens Josuæ, eum docet,

C*um post mortem Moysis divino mandato populi Hebraici præfecturam suscepisset Josue, huic quoque non defuit* Angelorum *subsidium. Insignis est apparitio, relata Jos. 5 et 6, in qua* Angelus *Josuam docuit, quo modo caperet Jericho, primam urbem hostilem post transitum Jordanis. Nam Jos. 5, ℣ 13, hæc leguntur :* Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit Virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam : sed sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans, ait : Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum. Jericho autem clausa erat atque munita timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi.

quomodo capienda sit urbs Jericho

69 Dixitque Dominus ad Josue : Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem eius, omnesque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem : sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubileo : et præcedant arcam fœderis : septiesque circuibitis, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox turbæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum, contra quem steterint. *Nonnulli voluerunt, fuisse Filium Dei, qui hic Josuæ apparuit. Verum non videtur dubitandum, quin sit* Angelus *ille, quem Israelitis promiserat Deus Exod. 23, ℣ 20. qui agere debebat Dei nomine. Hinc communior post S. Augustinum* E
opinio est, verum fuisse Angelum, *quem multi existimant esse* S. Michaelem. *Capta est Jericho eo modo, quo expugnandam* Angelus *prædixerat, ut continuo sequitur.*

post Israelitas reprehendit ob inobedientiam.

70 *Cum vero Israelitæ non satis exsecuti essent mandata Dei in exstirpandis habitatoribus terræ sibi promissæ, reprehensi sunt per* Angelum, *verisimiliter eumdem. Jud. 2, hoc modo :* Ascenditque Angelus Domini de Galgala ad Locum flentium, et ait : Eduxi vos de Ægypto et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris : et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, sed aras eorum subverteretis : et noluistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis? Quamobrem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel; elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. Et vocatum est nomen loci illius : Locus flentium sive lacrymarum : immolaveruntque ibi hostias Domino. *De* Angelo *hic memorato variæ sunt opiniones. Nonnulli voluerunt, eum* F
fuisse summum Hebræorum Pontificem, alii maluerunt, Prophetam fuisse a Deo missum. Alii rectius meo quidem judicio censent, verum fuisse Angelum. *Ego certe in tota Scriptura sacra non inveni ullum locum, in quo aut sacerdos, aut pontifex, aut propheta,* Angelus Domini *sic vocatur, ut nullo modo innotescat, hominem fuisse. Minus etiam homini cuicumque congruit dicere :* Eduxi vos de Ægypto, *et* Pro qua juravi patribus vestris, *etc., quæ dicuntur Dei nomine, et congruunt* Angelo, *qui Israelitas in terram promissam induxerat.*

Gedeoni apparens Angelus, eum hortatur.

71 *Celeberrima est apparitio* Angeli, *quæ oblata est Gedeoni Judic. 6, quando Israelitæ oppressi erant a Madianitis. Res narratur a ℣ 11 hoc modo :* Venit autem Angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, et ait : Dominus tecum, virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon : Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt

AUCTORE J. S.

nos hæc omnia? Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian. Respexitque ad eum Dominus, et ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian : scito quod miserim te. Qui respondens ait : Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum, et percuties Madian, quasi unum virum. Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me. Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. *Vox sacrificium fortasse ibi non significat sacrificium proprie dictum, quod offertur Deo, sed munusculum, ut ex afferendis fit verisimile, nisi Gedeon per* Angelum, *quem prophetam credere poterat, sacrificium offerre voluit. At forsan volebat Gedeon* Angelo, *quem virum credebat, prandium parare; quod allatum in sacrificium convertit ipse* Angelus. *Redeo ad textum.*

ad liberandum Israelitas jugo Madianitarum.

72 Qui (*Angelus*) respondit : Ego præstolabor adventum tuum. Ingressus est itaque Gedeon, et coxit hœdum, et de farinæ modio azymos

B panes : carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei. Cui dixit Angelus Domini : Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper funde. Cumque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos : ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit : Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. Vidensque Gedeon, quod esset Angelus Domini, ait : Heu! mi Domine Deus : quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus : Pax tecum : ne timeas, non morieris. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. *Reliqua mandata deinde a Domino aut Deo dicuntur Gedeoni data, ideoque omittuntur, etiamsi* Angeli *ministerio omnia fieri potuerint. Potuerunt hæc legi ibidem, uti et maxima Gedeonis de Madianitis victoria, modo plane mirabili relata. Hunc quoque* Angelum

C *multi* S. Michaelem *fuisse existimant.*

Parentibus Sampsonis Angelus, eum nasciturum prædicit,

73 *Idem rursum* S. Michael *creditur fuisse* Angelus *Judic.* 13, *qui apparuit et prænuntiavit parentibus Sampsonis, filium eis nasciturum. Relationem totam huc transfero :* Erat autem quidam vir de Saraa, et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. Cui apparuit Angelus Domini, et dixit ad eam : Sterilis es et absque liberis : sed concipies, et paries filium : cave ergo, ne bibas vinum, nec immundum quidquam comedas : quia concipies, et paries filium, cujus non tanget caput novacula : erit enim nazaræus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei : Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset, et unde venisset, et quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere : sed hoc respondit : Ecce concipies, et paries filium : cave ne vinum bibas nec siceram, et ne aliquo vescaris immundo : erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ. Oravit itaque Manue Dominum, et ait : Obsecro, Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos, quid debeamus facere de D puero, qui nasciturus est.

quomodo educandus sit, docet,

74 Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, et apparuit rursum Angelus Dei uxori ejus, sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum, festinavit, et cucurrit ad virum suum, nuntiavitque ei, dicens : Ecce apparuit mihi Vir, quem ante videram. Qui surrexit, et secutus est uxorem suam, veniensque ad Virum, dixit ei : Tu es, qui locutus es mulieri? Et ille respondit : Ego sum. Cui Manue. Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis, ut faciat puer? aut a quo se observare debebit? Dixitque Angelus Domini ad Manue : Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se : et quidquid ex vinea nascitur, non comedat : vinum et siceram non bibat, nullo vescatur immundo : et, quod ei præcepi, impleat atque custodiat. Dixitque Manue ad Angelum Domini : Obsecro te, ut acquiescas precibus meis, et faciamus tibi hœdum de capris. Cui respondit Angelus : Si me cogis, non comedam panes tuos : si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue, quod Angelus Domini esset. Dixitque ad eum : Quod E est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille respondit : Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

et cibum ab eis allatum offert in sacrificium.

75 Tulit itaque Manue hœdum de capris, et libamenta, et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia : ipse autem et uxor ejus intuebantur. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor ejus, proni ceciderunt in terram, et ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse, et dixit ad uxorem suam : Morte moriemur, quia vidimus Deum. Cui respondit mulier : Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea, quæ sunt ventura, dixisset. Peperit itaque filium, et vocavit nomen ejus Sampson *etc. Gesta Sampsonis contra Philistinos deinde prolixe referuntur. Ex duabus posterioribus* Angeli *visionibus colligitur, fuisse quorumdam persuasionem, mortem sibi imminere post visum* Angelum. *Attamen in ea opinione non fuerunt plures alii ante memorati, ac ne mater quidem Sam-* F *psonis, ut ex ejus responso innotescit. Responsum* Angeli, *de nomine suo interrogati,* quod est mirabile, *etiamsi Hebraice sumi posset pro nomine proprio, pro tali certe non habetur in Ecclesia, quæ non nisi tria* Angelorum *nomina agnoscit.*

Magna Hebræorum et aliorum de Angelis existimatio.

76 *Ex allegatis hactenus abunde constat, notissimos Hebræis fuisse* Angelos, *et ab iis in magno honore habitos. Ipsis quoque alienigenis nec* Angeli *videntur ignoti fuisse, nec bonitas et sanctitas* Angelorum. *Certe* 1 *Reg.* 29, ℣ 9 *Achis, rex Geth urbis Philistinorum, Davidi dicit :* Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei. *Qua comparatione omnino insinuat rex ille Philistinus maximam de* Angelorum *perfectione existimationem. Ita sapiens mulier Thecuitis, quando* 2 *Reg.* 14 *captabat gratiam Davidis pro Absalone, Regi dicit* ℣ 17 : Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur. *Rursum* ℣ 20 : Tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram. *Similiter Miphiboseth* 2 *Reg.* 19, ℣ 27 *ad benevolentiam ejus captandam, Davidi ait :* Tu autem

AUCTORE J. S.

A autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac, quod placitum est tibi. *Esther quoque dixit Assuero cap.* 15, ℣ 16 : Vidi te, domine, quasi angelum Dei. *Hæc omnia insinuant sanctitatem, justitiam, sapientiam, aliasque* Angelorum *perfectiones, quibuscum David, ut virtutibus præstans, comparatur.*

David per Angelum, Deo jubente, peste punitus,

77 *Verumtamen sanctus David, licet cum Angelis aliquoties comparatus, experientia subinde didicit, quantum a constanti* Angelorum *sanctitate distet hominum mortalium fragilitas, populumque suum, ubi peccaverat,* Angeli *ministerio vidit castigatum. Exemplum habemus 2 Reg. 24, ubi legitur David deliquisse, quod populum suum numerari jussisset. Reprehensus vero a propheta, electionem accepit, malletne castigari fame, an bello, an pestilentia. Elegit pestilentiam David, et continuo immissa est a Deo per* Angelum, *de quo* ℣ 16 *hæc leguntur :* Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, et ait angelo, percutienti populum : Sufficit; nunc contine manum tuam. Erat autem angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi
B Dixitque David ad Dominum, cum vidisset angelum cædentem populum : Ego sum, qui peccavi, *etc. Idem paulo prolixius refertur* 1 *Paralip.* 21 *ubi in ipsa optione data Davidi offert propheta* Angelum Domini interficere in universis finibus Israël.

ejusque monito altare extruens plaga illa liberatus.

78 *Hoc autem cum præ aliis elegisset David, de plaga illa,* ℣ 14, *hæc subjunguntur :* Misit ergo Dominus pestilentiam in Israël : et ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. Misit quoque angelum in Jerusalem, ut percuteret eam : cumque percuteretur, vidit Dominus, et misertus est super magnitudine mali, et imperavit angelo, qui percutiebat : Sufficit, jam cesset manus tua. Porro angelus Domini stabat juxta aream Ornan Jebusæi. Levansque David oculos suos, vidit angelum Domini stantem inter cælum et terram, et evaginatum gladium in manu ejus, et versum contra Jerusalem : et ceciderunt tam ipse quam majores natu, vestiti ciliciis, proni in terram. Dixitque David ad Deum : *etc*.... Angelus autem Domini præcepit Gad (*prophetæ*,) ut diceret Davidi, ut ascenderet, extrueretque altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi. *Hoc ubi fecerat*
C *David*, exaudivit eum (*Deus*) in igne de cælo super altare holocausti. Præcepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam. *Hic finis pestilentiæ. Quantus vero fuerit terror Davidis ex visu angeli, additur* ℣ 30 *his verbis :* Et non prævaluit David ire ad altare (*in Gabaon*,) ut ibi obsecraret Deum : nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium angeli Domini. *Verum, si rex ille sanctus manum* Angeli *percutientis semel sensit, ut vidimus, sexcenties eorum præsidio et auxilio gavisus est, ut videbimus deinde ex Psalmis.*

Angelus Eliam tristem recreat.

79 *Cum Elias propheta ob minas reginæ Jezabel gravi timore correptus esset,* Angeli *præsidio recreatus est* 3 *Reg.* 19, *ubi* ℣ 4 *hæc leguntur :* Cumque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit (*Elias*) animæ suæ, ut moreretur, et ait : Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam : neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi. Et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi : Surge, et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ : comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi : Surge, comede : grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. *Sequuntur alia multa de Elia, sed ibi dicitur Dominus ad eum locutus.*

cumque monet, ut regi Ochoziæ mortem prædicat.

80 *Verum rursum* Angelus *Eliæ locutus est* 4 *Reg.* 1, *quando Ochozias rex Israel nuntios miserat ad consulendum in civitate Accaron Beelzebub de infirmitate sua. Nam* ℣ 3 *dicitur :* Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens : Surge, et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus : De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. *Ubi hæc erant regi nuntiata, bis misit quinquaginta viros ad accersendum Eliam. At illi, pro imperio loquentes, igne misso de cælo absumpti sunt. Misit tamen et tertio rex viros quinquaginta : sed horum ductor, aliorum exemplo doctus, maluit humilibus precibus uti, quam imperio.* Locutus est E
autem (℣ 15) angelus Domini ad Eliam, dicens : Descende cum eo, ne timeas. *Paruit Elias, et constanter locutus est ad regem, eique mortem prædixit.*

Angelus in castris regis Sennacherib una nocte occidit centum octoginta quinque millia virorum,

81 *Famosa est historia, quæ narratur* 4 *Reg.* 19. *Sennacherib rex Assyriorum ingentem duxerat exercitum contra Ezechiam regem Judæorum, multaque et regi minatus erat, et urbi Hierosolymæ, adjectis non paucis in Deum blasphemiis, quando una nocte totus fere ejus exercitus deletus est. De eo breviter dicitur* ℣ 35 : Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset (*Sennacherib*), vidit omnia corpora mortuorum : et recedens abiit. *De illo facto scripsit Isaias propheta, exponens cap.* 36 *et* 37 *molitiones regis Sennacherib, horrendasque ejus et Rabsacis, quem ille miserat Hierosolymam versus, blasphemias, et deinde cap.* 37, ℣ 36 *hæc de clade Assyriorum :* Egressus est autem angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane : et ecce omnes cadavera mortuorum. *Causa tantæ cladis exprimitur* F
Tob. 1, ℣ 21 *his verbis :* Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam.

82 *Rursum Eccli.* 48, ℣ 20, *hæc leguntur :* In diebus ipsius (*Ezechiæ*) ascendit Sennacherib, et misit Rabsacen, et sustulit manum suam contra illos, et extulit manum suam in Sion, et superbus factus est potentia sua. Tunc mota sunt corda et manus ipsorum.... Et invocaverunt Dominum misericordem : ... et sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum... Dejecit castra Assyriorum, et contrivit illos angelus Domini. *De illa Assyriorum clade loquitur etiam liber primus Machabæorum cap.* 7, ℣ 41 *hoc modo :* Qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit angelus et percussit ex eis centum octoginta quinque millia : *et brevius liber secundus Machabæorum cap.* 8, ℣ 19 : Admonuit autem eos (*Judas Machabæus*) et de auxiliis Dei... et quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt. *Eadem historia narratur lib.* 2, *Paralip. cap.* 32, *cum omnibus, quæ*

AUCTORE J. S.

quæ præcesserunt inter reges Ezechiam et Sennacherib, et ℣ 20 hæc dicuntur : Oraverunt igitur Ezechias rex et Isaias filius Amos prophetes, adversum hanc blasphemiam (*Sennacherib*), ac vociferati sunt usque in cælum. Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum et bellatorem et principem exercitus regis Assyriorum : reversusque est cum ignominia in terram suam.

quod de bono Angelo videtur intelligendum.

83 *De his S. Hieronymus in allegatum Isaiæ locum ita loquitur :* Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno angelo una nocte cæduntur, et absque vulneribus occisorum mors sæva discurrit, excludens a corporibus animas Dei voluntate. *Hæc expositio locis allegatis omnino congrua videtur. Nam immensa illa clades ita in libro Regum et ab Isaia describitur, ut sine murmure videatur peracta, et regi Sennacherib tantum innotuisse, quando surrexit* diluculo *aut* mane, *et occisorum vidit cadavera. Aliqui volunt, fuisse* S. Michaelem *archangelum, qui tantam cladem Assyriis intulit : hoc neque certo affirmabo, neque negabo, cum* S. Michael *Judæorum fuerit protector, ideoque hac etiam occasione eos contra*
B *Assyrios defendere potuerit, nullibi tamen in Scripturis exprimatur, quis sit* Angelus, *qui id fecit. At certe non placet eorum opinio, qui dicunt, malum* Angelum *fuisse tum hic tum in relata pestilentia, qua castigatus est rex David : neque illorum conjectura, qui Assyriorum cladem aut procellis aut mutuis cædibus attribuunt, cum de illis omnibus taceant sacræ Litteræ.*

§ VI. Relata de Angelis in reliquis Veteris Testamenti libris.

Protectio Angelorum indicata a Judith.

Non *repetam ea, quæ jam ex sequentibus sacræ Scripturæ libris recitata sunt de factis ante narratis. Breviter tamen observo, in libro Tobiæ multam insinuari Hebræorum de* Angelorum *custodia confidentiam, uti potest videri* § 5 *in gestis* S. Raphaelis. *Judith eamdem habuit de* Angelorum *protectione fiduciam, quandoquidem summis erepta periculis, ubi reversa erat a cæde Holofernis, cap. 13,* ℣ *20, sic fuerit locuta :* Vivit
C autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et in liberatione vestra.

a Jobo.

85 *In libro Job subinde etiam fit mentio de* Angelis. *Primo* Angelorum *præ hominibus præstantia insinuatur cap. 4,* ℣ *18 his verbis :* Ecce qui serviunt ei (*Deo*) non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi, qui habitant domos luteas (*id est, homines*), qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? *Tale est ratiocinium : Si pars* Angelorum, *qui præstantioris sunt naturæ, in peccatum tamen lapsa est; quanto magis homines non erunt immunes a peccato? Patrocinium* Angelorum *pro hominibus apud Deum innuitur cap. 33,* ℣ *23 hoc modo :* Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : miserebitur ejus (*Deus*) et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni, in quo ei propitier. *Verum S. Gregorius per* Angelum *hic intelligit Christum : alii tamen* Angelum *proprie dictum, alii quoque aliter locum intelligunt.* D

in Psalmis, et ab Eliseo.

86 *In Psalmis frequentius* Angeli *memorantur ; sed pauca tantum seligam. Protectio* Angelorum *hominibus a Deo concessa clare affirmatur Psal. 33,* ℣ 8 : Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Talem* Angelorum *protectionem Eliseo prophetæ datam 4 Reg. 6, agnoscunt passim interpretes, et merito, licet nomen* Angelorum *ibi non exprimatur. Erat Eliseus in civitate Dothan, quando rex Syriæ, ut eum comprehenderet, subito misit exercitum, a quo civitas noctu circumdata est.* Consurgens autem diluculo (*ut legitur* ℣ 15) minister viri Dei (*Elisei*) egressus, vidit exercitum in circuitu civitatis, et equos et currus : nuntiavitque ei, dicens : Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? At ille respondit : Noli timere. Plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cumque orasset, Eliseus ait : Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, et vidit : et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum, in circuitu Elisei. *Non addam, quomodo Eliseus exercitum Syrorum, cæcitate percussum, in civitatem Samariæ et manus regis tradiderit, quod ibidem legi potest. Satis erit observasse,* E *Eliseo contigisse illud ipsum, quod Psalmista affirmat de omnibus Deum timentibus.*

alia in Psalmis de Angelorum præstantia.

87 *Tutela* Angelorum *luculentis verbis asseritur Psal. 90,* ℣ *10, ubi hæc leguntur :* Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam (*Deus*) angelis suis mandavit de te; ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. *Ad laudandum Deum* Angeli *subinde in Psalmis invitantur. Unum recito locum, quia in eo simul fortitudo et obedientia in exsequendis Dei mandatis insinuatur. Psal. 102,* ℣ *20, sic invitantur :* Benedicite Domino omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus; ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. *Psal. 103,* ℣ *4 dicit propheta Deo :* Qui facis angelos tuos, spiritus; et ministros tuos, ignem urentem. *Hunc locum allegat* F *Apostolus Heb. 1,* ℣ *7, ut probet,* Angelos *longe inferiores esse Filio Dei sive Christo. Eaque occasione ibidem,* ℣ *14, de* Angelis *dicit :* Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? *Tandem Psal. 8,* ℣ *6,* Angeli *natura dicuntur homine superiores his verbis :* Minuisti eum paulo minus ab Angelis. *Etsi enim Apostolus Hebr. 2, locum referat ad Christum, quem* Angelis *longe superiorem probat, tamen natura humana* Angelica *inferior simul insinuatur.*

Servati per Angelum tres Hebræi in fornace ardente

88 *Ecclesiastes cap. 5,* ℣ *5, ait :* Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam : neque dicas coram Angelo : Non est providentia. *S. Hieronymus in hunc locum existimat, hunc* Angelum *esse custodem,* qui unicuique adhæret comes. *Et quamvis loquatur ibi ex sententia præceptoris sui Hebræi, eamdem tamen de* Angelo *custode sententiam esse Hieronymi videbimus. Epistola Jeremiæ prophetæ, quæ apud Baruch cap. 6, scripta est ad abducendos captivos in Babyloniam, sic Dei nomine loquitur* ℣ 6 : Angelus enim meus vobiscum est : *quibus verbis indicari videtur* Angelus *custos gentis Judæorum, quem* S. Michaelem *plerique*

AUCTORE J. S.

A *plerique interpretes existimant. Idem* S. Michael *a quibusdam creditur, de quo legitur Dan.* 3, ℣ 49, *quando tres socii Danielis jussu Nabuchodonosor injiciebantur in caminum ardentem* : Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem : et non tetigit eos omnino ignis neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. *Nabuchodonosor ipse agnovit beneficium illis per Angelum a Deo præstitum, et dixit* ℣ 95 : Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach et Abdenago, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum.

Item Daniel bis in lacu leonum, cui et prandium Angeli ope allatum.

89 *Ab eodem rursum* Michaele *aliqui volunt servatum Danielem, quando Dan.* 6 *a Dario rege missus erat in lacum leonum. Certe Daniel inter leones servatus est incolumis, idque beneficium per* Angelum *sibi a Deo præstitum testatur ipse* ℣ 22 *ita regem alloquens* : Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi, quia coram eo justitia inventa est in me *etc. Duo posteriora* Angelorum *beneficia* B *breviter etiam memorantur* 1 *Machab.* 2, ℣ 60. *Cum Daniel iterum in lacum leonum missus esset Dan.* 14; *ibique esset* diebus sex, *ut fame non minus periclitaretur, quam a leonibus, eum non modo contra leones tutatus est Deus, sed modo etiam mirabili misit alimenta, ut narratur* ℣ 32 *his verbis* : Erat autem Habacuc propheta in Judæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo : et ibat in campum, ut ferret messoribus. Dixitque angelus Domini ad Habacuc : Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc : Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc, dicens : Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel : Recordatus es mei, Deus : et non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. *Hic quoque* S. Michaelem *alii existimant. At ratio, quæ sumitur ex eo, quod* C *fuerit præses gentis Hebraicæ, magis fit verisimilis in beneficiis toti populo præstitis.*

Zachariæ plurium Angelorum visio oblata,

90 *Zacharias propheta, qui frequenter de* Angelis *meminit, cap.* 1, ℣ 7 *sic habet* : In die vigesima et quarta undecimi mensis Sabath, in anno secundo Darii, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens : Vidi per noctem, et ecce Vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo : et post eum equi rufi, varii, et albi. Et dixi : Quid sunt isti, Domine mi? Et dixit Angelus ad me, qui loquebatur in me : Ego ostendam tibi, quid sint hæc. Et respondit Vir, qui stabat inter myrteta, et dixit : Isti sunt, quos misit Dominus, ut perambulent terram. Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt : Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur et quiescit. Et respondit angelus Domini, et dixit : Domine exercituum usque quo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est. Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me : Clama, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum, *etc. Idem* Angelus *aliam visionem prophetæ explicat* ℣ 19 : *et aliam rursus* ℣ 21. *Ad verba autem data observari potest, præcipuum* Angelum, *qui* S. Michael *passim creditur, prius* Virum *vocari, deinde* Angelum *Domini; et hunc orasse pro Judæis in captivitate constitutis, ut* Angelorum *pro hominibus apud Deum intercessio ex allegato loco fiat manifesta.*

eaque de S. Michaele et provinciarum præsidibus Angelis exposita :

91 *S. Hieronymus locum egregie explicat, tam historice quam moraliter. Quapropter ex ejus historica interpretatione hic recitabo, quæ spectant ad* Angelos, *omissis aliis. Primum observat, Virum sive* Angelum, *qui ascendebat* super equum rufum, et... stabat inter myrteta, *ab Hebræis credi* S. Michaelem *archangelum. Deinde de tota visione sic loquitur* : Vidente ergo propheta virum ascendentem super equum rufum, et post eum equos rufos, varios, et albos; et ignorante, quod viderat, visionisque suæ cupiente scire rationem, atque dicente : « Quid sunt isti, Domine mi? » Angelus, qui loquebatur in eo, promittit se esse dicturum : et illo reticente, Vir, qui stabat inter myrteta, commemorat... Denique angeli, qui regnis et nationibus præsidebant, non ad alium veniunt, sed ad ipsum virum et angelum Domini, qui stabat inter myrteta, et dicunt : « Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habi- E « tatur et quiescit ». Et est sensus : Omnia sub nobis regna tuta sunt et pacata, nec aliqua premuntur angustia. Ex qua responsione angelus, qui interpellabat pro Israël, occasionem accipit pro populo deprecandi : et dicit ad Dominum : Quum omnis orbis quietus sit et pacatus, quare Domine, non misereris Jerusalem, et urbium Juda; maxime quum secundum promissa tua captivitatis tempus expletum sit? Responditque Dominus angelo, qui loquebatur in propheta, verba bona, verba consolatoria de præsentium necessitate. Hæc juxta litteram, ne videremur celare nostros, quæ a peregrinæ linguæ magistris didicimus. *Tum subdit expositionem mysticam.*

eidem Zachariæ plura mysteria per Angelos indicata.

92 *Zacharias cap.* 2 *aliam* Angelorum *visionem narrat his verbis* : Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce Vir et in manu ejus funiculus mensorum. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut metiar Jerusalem, et videam, quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, F et angelus alius egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum, dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem, *etc. Observat S. Hieronymus, felicem prophetiam de latitudine Jerusalem, quæ erat typus ecclesiæ, in urbis ædificatione utcumque, sed magis in ecclesia impletam. De* Angelis *vero ait, alterum ab Hebræis* Michaelem *credi, alterum* Gabrielem; *ad Christum vero videtur referre virum, qui metiebatur Jerusalem. Sic ab interpretibus* Angelus, *qui cap.* 3 *legitur stetisse pro Jesu sacerdote, passim creditur* S. Michael. *Mihi ad propositum nostrum satis erit observasse, Zachariam prophetam multa per* angelos *edoctum, prout studiosus lector inveniet etiam cap.* 3, 4, 5 *et* 6. *Nam mysteria maxima, multaque ad Christum et ecclesiam spectantia, ibidem referuntur, quæ huc non traducam ob varietatem interpretationum.*

Machabæorum tempore templum Hierosolymitanum

93 *Fiducia Hebræorum de tutela et ope* Angelorum *vigebat etiam tempore Machabæorum. Celebre est illius protectionis exemplum, quod legitur lib.* 2, *Machab., cap.* 3. *Missus est Heliodorus a rege, ut ex templo Hierosolymitano thesauros auferret. Onias summus sacerdos frustra conatus erat*

erat se opponere, et Heliodoro persuadere, ut desisteret. Heliodorus autem (ut legitur ℣ 23) quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes, virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. Et is, qui cum multis cursoribus et satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur, nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute; et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe et salute privatus.

contra Heliodorum per Angelos defensum

94 Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum, et templum, quod ante timore ac tumultu erat plenum, apparente B omnipotente Domino, gaudio et lætitia impletum est. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Judæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem Juvenes, eisdem vestibus amicti, adstantes Heliodoro dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei et potestatem. *De hisce, ut sequitur, Heliodorus ipse omnibus testem se exhibuit. Angelico autem ministerio in hisce usum Deum agnoscunt interpretes.*

iisdem opitulantibus victoria de ducibus Lysia, Timotheo.

95 *Quando Judas Machabæus cum suis profecturus erat contra numerosum Lysiæ ducis exercitum 2 Machab.* XI, *Deum oravit, ut ibi legitur* ℣ 6: Ut autem Machabæus, et qui cum eo C erant, cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, et ferre auxilium fratribus suis. Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, et convaluerunt animis; non solum homines, sed et bestias ferocissimas, et muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adjutorem, et miserantem super eos Dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, et equitum mille sexcentos: universos autem in fugam verterunt, *etc. Similis favor obtigerat antea Judæ Machabæo contra ducem Timotheum, ut narratur cap.* 10, *ubi similiter humilibus precibus divinum imploravit auxilium, ac deinde contra hostes processit:* Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo Viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Judæis præstantes: ex quibus duo Machabæum D medium habentes armis suis circumseptum, incolumem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti *etc.*

Nicanore per Machabæos relatur,

96 *Horum Dei per Angelos beneficiorum memor erat Judas, quando pugnaturus erat contra blasphemum Nicanorem, ingenti exercitu Judæis minitantem lib.* 2, *cap.* 15, *ubi* ℣ 7 *dicitur:* Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum: et hortabatur suos, ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. *Deinde ante pugnam sic Deum orasse legitur* ℣ 22: Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia; et nunc dominator cælorum, mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant, qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et canticis admovebant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo, per E orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant, *etc. Hactenus ex Scripturis Testamenti veteris.*

§ VII. Præcipua de Angelis ex sacris Scripturis Testamenti novi.

Per Angelum Josepho exemptum de gravida Maria dubium.

De Angelis *frequentissime meminerunt sacræ Scripturæ Novi Testamenti. Prolixum esset omnia recitare, dabo tamen præcipua ex Evangeliis aliisque libris, servato magis temporis ordine quam Evangeliorum reliquorumque librorum. Duplex* Gabrielis *archangeli legatio, prima ad Zachariam de nascituro Joanne Baptista, altera ad Mariam de Christo, jam data est* § 3. *Tertia* Angeli *legatio ad S. Josephum missa est, quando anxius hærebat, quod S. Mariam intellexisset gravidam. Hanc Matthæus cap.* 1, *ita narrat a* ℣ 18: F Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum... Exurgens autem Joseph a somno, fecit, sicut præcepit ei Angelus, et accepit conjugem suam.

pastores per Angelos de nato Christo edocti:

98 *Visio* Angelorum *ablata pastoribus, Christo nato, sic enarratur Luc.* 2, ℣ 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus

A lus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem *etc.*

Josephus ab Angelo jussus in Ægyptum fugere ac deinde redire.

99 *Iterum S. Josephus ab Angelo monitus est, quando Herodes volebat occidere puerum Jesum, ut habet Matthæus cap.* 2, ℣ 13 *hoc modo:* Qui (*magi*) cum recessissent, ecce apparuit angelus Domini in somnis Joseph, dicens: Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit Puerum et Matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum: et B erat ibi usque ad obitum Herodis. *Deinde de altera apparitione* ℣ 19: Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus: et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri. *Paruit iterum S. Josephus, ut sequitur.*

Angeli Christo ministrarunt.

100 Angeli *deinde in Evangelio memorantur, quando tentatus est Jesus in deserto, Matth.* 4. *Ausus est diabolus inter tentationes Jesu objicere paratum justis* Angelorum *præsidium his verbis* ℣ 6: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, *quo eidem persuaderet, ut ex pinnaculo templi se præcipitaret. Non negavit Dominus veritatem verborum, sed docuit verbis illis:* Non tentabis Dominum Deum tuum; *diabolum abuti verbis sacris ad malum persuadendum. Ubi vero Dominus tentatorem abire jusserat, subdit Mathæus* ℣ 11: Tunc reliquit eum diabolus: et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei *etc. Marc.* 1, ℣ 13: Et Angeli ministrabant illi. *Nimirum post quadraginta dierum jejunium, et post tentationem. Quando Dominus incipiebat vocare* C *discipulos, Joan.* 1, ℣ 51, *Nathanaeli, miranti, quod Jesus occultum aliquid sibi cognitum ostendisset, ait:* Majus his videbis Et ait: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis. *Ministeria magni momenti ab Angelis sibi præstanda, illis verbis insinuavit Dominus. Non tamen satis convenit inter eruditos, quænam illa sint, de quibus ibi præcipue est locutus.*

Angelus movebat piscinæ aquam, qua prior ingressus sanabatur:

101 *Beneficium, quod Judæis per* Angelum *præstabat Deus, narrat Joannes cap.* 5, *ita ordiens:* Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. *Multa interpretes disputant de illa piscina, quæ omitto. Etiam non inquiram, fueritne S. Michael, qui aquam illius piscinæ movebat, ut nonnemo voluit, an* Raphael, *qui* medicina Dei *dicitur, ut volunt alii. Nam scriptura solum dicit, id factum fuisse per* Angelum, *quod nobis sufficiat.*

Aderunt Angeli Christo in judicio,

102 *Matth.* 13, *nonnulla docuit Dominus de faciendis per* Angelos *in fine mundi. Cum enim proposuisset parabolam de tritico, in quo seminata erat zizania, volentibus zizania colligere et eradicare respondit* ℣ 30: Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. *Hæc deinde a* ℣ 39 *Dominus exposuit:* Zizania autem filii sunt nequam... Messis vero consummatio sæculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. *Post aliam parabolam de sagena, quæ ad eumdem tendit finem, iterum hanc expositionem* ℣ 49 *subjecit Dominus:* Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. *Sic Matth.* 16, ℣ 27 *ait* Angelos *sibi in judicio adfuturos his verbis:* E Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

et judicandos congregabunt:

103 *Ad tempus judicii similiter spectat et præsentiam* Angelorum, *quam dicit Christus Marc.* 8, ℣ 38: Qui enim me confusus fuerit, et verba mea,... et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis suis. *Item Luc.* 9, ℣ 26: Nam qui me erubuerit, et meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. *Item cap.* 12, ℣ 8: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. *Idem insinuatur Apocal.* 3, ℣ 5: *Matth.* 25, ℣ 31, *Christus iterum sic loquitur:* Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris. *Hæc separatio videtur* F *supra in parabola de tritico et zizaniis, et in alia de sagena, attribui* Angelis, *ut* Angelorum *ministerio videatur separationem facturus Dominus. Certe Angeli omnes congregabunt, ut dicitur Matth.* 24, ℣ 31, *his verbis:* Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum. *Et Marc.* 13, ℣ 27: Et tunc mittet angelos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cæli. *De iis etiam Apostolus* 1 *Thessal.* 4, ℣ 15 *ait:* Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, *etc. De resurrectione mortuorum ad tubam illam etiam loquitur,* 1 *Cor.* 15, ℣ 52. *De hisce porro* Angelorum *tempore judicii officiis, quæ hic recensui, quo ordine a Christo manifestata sunt, plura dabunt theologi et interpretes aliqui.*

benevolentia Angelorum, eorumdem beatitudo.

104 *Benevolentiam* Angelorum *in homines videntes declaravit Dominus Luc.* 15, ℣ 10, *hisce verbis:* Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei (*nimirum in cælo, ut legitur* ℣ 7) super

AUCTORE J. S.

per uno peccatore pœnitentiam agente. *Idem locus indicat, Angelos esse in cœlo, quod ex aliis multis locis fit manifestum. Illos ibidem esse visione Dei beatos, insinuat Christus Matth.* 18, ℣ 10 : Videte, *inquit*, ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. *Quod ex hoc loco habemus pro* Angelis *custodibus, seorsum dabitur postea. De beato ac fixo Angelorum statu in cœlo aliqua etiam Christus insinuat Luc.* 20, ℣ 35 *et* 36, *ubi beatos homines post resurrectionem in aliquibus fore* Angelis *æquales affirmat hoc modo :* Neque nubent, neque ducent uxores : neque enim ultra mori poterunt : æquales enim angelis sunt et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. *Non desinunt tamen Angeli de hominibus curam habere, et de animabus etiam pie defunctorum, ut colligitur ex verbis Christi Luc.* 16, ℣ 22 *de Lazaro mendico :* Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.

Quorum etiam ministerio usus Christus.

105 *Christo etiam* Angelos *passim servivisse in miraculis, quæ patrabat, credunt interpretes. Quando ante passionem Dominus ingenti tristitia ac dolore corripi dignatus est in horto, et in illa tristitia oravit, teste Luca cap.* 22, ℣ 43, *non dedignatus est* Angelum *habere consolatorem.* Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. *Præterea, si, ut homo,* Angelorum *auxilium desiderasset, illud habere potuisset contra Judæos persecutores, ut insinuat S. Petro, ubi auriculam servo sacerdotis gladio amputaverat, ita loquens Matth.* 26, ℣ 52 : Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum ? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? *etc.*

Variæ post resurrectionem Christi

106 *Post resurrectionem Christi variæ fuerunt* Angelorum *apparitiones. Matth.* 28, ℣ 2 *de prima hæc leguntur :* Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo : et accedens (*ad Christi, ubi resurrexerat, sepulcrum*) revolvit lapidem (*sepulcralem*) et sedebat super eum : erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. *Ubi hæc erant facta, accesserunt* Maria Magdalene et altera Maria, *quæ dicuntur* ℣ 1 *venisse* videre sepulchrum. *Quomodo cum his egerit* Angelus, *sequitur* ℣ 5 *hoc modo :* Respondens autem angelus, dixit mulieribus : Nolite timere vos : scio, enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis : non est hic : surrexit enim, sicut dixit. Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit : et ecce præcedit vos in Galilæam. Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nunciare discipulis ejus. *De his Marcus cap.* 16, *ubi additur* Salome, ℣ 5, *sic habet :* Et introeuntes in monumentum, viderunt Juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic : ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pavor.

107 *Lucas cap.* 24, *primo intuitu aliam videtur narrare* Angelorum *visionem, quod tamen non ausim affirmare, cum interpretes eamdem credant, et omnia conciliare conentur.* Una autem Sabbati, *inquit de prædictis mulieribus,* valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata : et invenerunt lapidem revolutum a monumento. Et ingressæ, non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens : quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia *etc. Joannes cap.* 20, *de primo Magdalenæ ad sepulcrum accessu ita loquitur :* Una autem Sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum : et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum *etc. Hic de nulla Angeli aut* Angelorum *visione fit mentio, et præterea credebat Magdalena, sublatum esse corpus Domini.*

In quibus Evangelistæ facile conciliari possunt

108 *Verumtamen interpretes existimant, de eodem mulierum accessu omnes loqui Evangelistas, diversitatem vero relationis ex eo solum oriri, quod omnes aliqua omiserint. Possunt sane omnia conciliari, sed interpretes, ut fit, in varias abierunt sententias. Mihi propositum non est de his prolixe disserere. Quod vero spectat ad* Angelos, *facile mihi videntur omnia conciliari, modo dicamus, unum* Angelum *apparuisse initio mulieribus, eumque benigno admodum modo dixisse ea, quæ referunt Matthæus et Marcus; post inspectum vero a mulieribus sepulcri locum, ubi positus fuerat Dominus, duos ab iisdem* Angelos *visos, qui illas paulo severius allocuti sunt, sicut habet Lucas, quod non crederent Domini resurrectionem ab* Angelo *jam assertam ab initio. Si Joannes loquitur de eodem Magdalenæ cum aliis mulieribus accessu, visionem illam* Angelorum *una cum reliquis mulieribus omisit, ut deinde prolixius exponeret, quo Christus modo deinde apparuerit S. Mariæ Magdalenæ.*

Magdalena bis Angelos vidisse videtur.

109 *Certe Magdalena iterum accessit ad monumentum, postquam de factis in primo accessu edocti fuerant apostoli. Mansit quoque ibidem Magdalena, postquam Petrus et Joannes monumentum lustraverant, et revertebantur, ut habet Joannes cap.* 20. *His enim relatis* ℣ 11, *de Magdalena leguntur sequentia :* Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum : et nescio, ubi posuerunt eum. *Verum, ubi hæc dixerat, Jesum vidit, et paulo post cognovit. Quapropter bis angelos vidisse videtur Magdalena, primum cum aliis, deinde sola ante ipsam Christi apparitionem. De priore visione loquitur Cleophas ad Christum, ignoto habitu in via Emmaus apparentem, Luc.* 24, *hæc dicens :* Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. *Nam nihil hic dicitur*

A *citur de viso Jesu, cum tamen in secundo adventu eum viderit Magdalena, et id ipsum Apostolis nuntiaverit Marc.* 16, ℣ 10.

Christi ascensionem in cælum Angeli confirmarunt.

110 *Sicut resurrectio Christi per Angelos primum annuntiata est piis mulieribus, ita et ejus ascensio in cælum apostolis aliisque præsentibus, qui ascendentem viderant,* Angelorum *vocibus fuit confirmata, ut legitur Act.* 1, ℣ 9 *hoc modo :* Et cum hæc dixisset (*Jesus*) videntibus illis elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum ecce duo Viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. *Ad hæc observare lubet, præcipua Christi in terra conversantis mysteria ab angelis annuntiata esse hominibus. Joannem Christi præcursorem ipsumque Christum nasciturum, prænuntiavit* Gabriel *archangelus; conceptum a Maria, salva virginitate, Josepho aperuit* Angelus, *natum continuo pastoribus* Angelus *annuntiavit, uti modo vidimus resurrectionem ejus et ascensionem ab* angelis *manifestatam. Hinc apostolus* 1 *ad Timotheum cap.* 3, ℣ 16 *de Incarnationis Christi* B *mysterio ait :* Apparuit angelis.

Apparentium Angelorum

111 *Quando apostoli* in custodia publica *per principem sacerdotum detinebantur Hierosolymæ, liberati sunt per* Angelum, *de quo Act.* 5, ℣ 19 *hæc leguntur :* Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit : Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. *Paruerunt apostoli, et iterum sunt comprehensi, non tamen in carcerem conjecti. Philippo, qui unus erat ex septem diaconis, præsto fuit* Angelus *ad conversionem eunuchi Candacis reginæ Æthiopum ut legitur Act.* 8, ℣ 26 : Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge et vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam : hæc est deserta. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiopus, eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem, et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo : Accede et adjunge te ad currum istum. *Hoc fecit Philippus, eunuchumque instruxit et baptizavit. Tum sequitur* ℣ 39 : Cum autem ascendisset de aqua, spiritus Domini rapuit Phi- C lippum, et amplius non vidit eum eunuchus.... Philippus autem inventus est in Azoto, *urbe Philistinorum. Per Spiritum hic fortasse indicatur prædictus* Angelus.

pro Apostolis aliisque

112 *Celebris est converso Cornelii centurionis ad Christum, quæ narratur Act.* 10. Is (*Cornelius, vir religiosus ac timens Deum*) vidit in visu manifeste quasi hora diei nona angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi : Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Et cum discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos etc. *Misit igitur Cornelius ad Petrum, et visionem per nuntios. S. Petro exposuit, in qua expositione de Angelo dicitur :* Ecce vir stetit ante me in veste candida. *Tota conversionis historia ibidem videri potest.*

Auctore J. S. tempore Apostolorum

113 *Liberatio Petri e carcere, in quem conjectus erat a rege Herode, narratur Act.* 12, *hoc modo :* Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit : et lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri, excitavit eum dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum : existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem : quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum : et continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum. *Quo se contulerit S. Petrus, ibidem videri potest. Mors misera Herodis Agrippæ, qui Jacobum fratrem Joannis occiderat, et Petrum vinxerat, refertur paulo post* E ℣ 23, *et attribuitur ejus superbiæ, quia audiverat acclamantem populum :* Dei voces et non hominis. *Nam subditur :* Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus expiravit.

officia cum in aliis,

114 *Quando S. Paulus, ubi diu vinctus fuerat in Judeæ, navigabat in Italiam, et in Cretam insulam pervenerat, prædixit centurioni, qui vinctos ducebat in Italium, magnum fore navis et omnium periculum, si tunc pergerent navigare; ille tamen voluit pergere Act.* 27. *Itaque tantu et tam diuturna tempestate jactati sunt per mare, ut jam* ablata *esset* spes omnis salutis. *Tum additur* ℣ 21 : Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit : Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam. Et nunc suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animæ erit ex vobis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio, dicens : Ne timeas, Paule, cæsari te oportet assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. F *Evenit, ut* Angelus *S. Paulo promiserat, et omnes homines salvi evaserunt in Melitam insulam, sicut ibidem pluribus narratur.*

tum maxime in conversione hominum.

115 Angelis *curæ esse labores et laudabilia studia sanctorum hominum, colligitur etiam ex verbis S. Pauli* 1 *Cor.* 4, ℣ 9 : Quia spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus : *nam loquitur de se et aliis apostolis. Non satis video, cur aliqui id de malis* Angelis *dictum voluerint. Chrysostomus locum sic explicat :* Quid sibi vult autem et angelis? Possunt hominibus esse spectaculum, sed non angelis, quando vilia sunt gesta : at certamina nostra talia sunt, ut digna sint quæ spectentur ab angelis. *Hinc, etiamsi Angelus non vocetur, nullus dubitat, quin fuerit Angelus, qui Act.* 16 *apparuit S. Paulo, eumque invitavit in Macedoniam. De quo* ℣ 8 *hæc leguntur :* Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem : et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti,

AUCTORE J. S.

facti, quod vocasset nos Deus evangelizare eis. *De hoc loco iterum agendum erit postea.*

Angeli omnes sunt ministri, quorum opera utitur Deus.

116 *Multam erga sanctos* Angelos *venerationem ostendit Paulus* 1, *Timoth.* 5, ℣ 21, *ubi discipulum suum obtestatur his verbis :* Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias etc. *Multum venerationis in* angelos, *inquam, his verbis exhibet apostolus, cum in obtestatione sua Deo et Christo* angelos *adjungat. Veruntamen scribens ad Hebræos cap.* 1 *prolixe probat quam immensa sit inter Christum Dominum et* angelos *Dei ministros differentia, et de his* ℣ 14 *ita loquitur :* Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis! *Deinde cap.* 2. ℣ 5 : Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. *De quocumque orbe hic loquatur, de quo non consonant interpretes, illum non esse* Angelis *subjectum ut dominis, docet apostolus; sed omnia, quæ pro salute hominum in mundo faciunt, ab* Angelis *fieri, ut a ministris Dei, ejusque voluntate et mandato, priora verba nomino indicant. Multitudinem* Angelorum, *qui ecclesiæ militanti ministeria sua exhibent, utcumque ostendit apostolus Heb.* 12, ℣ 22 *de Ecclesia loquens his*
B *verbis :* Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium angelorum frequentiam *etc. Mitto alia, omniaque de* Angelis *in epistolis canonicis asserta, quod ea parum prodesse possint ad propositum nostrum.*

Scripta in Apocalypsi per Angelum Joanni a Deo revelata.

117 *Apocalypsis S. Joannis frequentius de* Angelis *meminit, quam ullus alius liber sacer. Verum, cum sit prophetia de rebus futuris, pleraque admodum obscura sunt, eaque obscuritas multum variavit interpretum sententias. Hinc pleraque omittam, et pauca tantum seligam. Omnia sibi a Jesu Christo per* Angelum *revelata, ipso initio indicat Joannes, ita ordiens :* Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis... et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni *etc. Hinc iterum circa finem cap.* 22, ℣ 6 *dicitur :* Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito. *Et* ℣ 16 : Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in ecclesiis. *De hoc* Angelo *dicit Joannes cap.* 19, ℣ 10 : Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris : conservus suus sum, et
C fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. *Rursum cap.* 22, ℣ 8 *hæc leguntur :* Et ego Joannes, qui audivi, et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi : Vide, ne feceris : conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum, qui servant verba prophetiæ libri hujus : Deum adora. *Hæc objiciuntur ab hæreticis contra cultum* Angelorum, *sed sine idonea ratione, ut alii dudum probarunt.*

§ VIII. Novem Angelorum chori aut ordines.

Angeli, qui nomen habent ab officio, prorsus incorporei,

Non *est nobis propositum de omnibus disputare, quæ theologi de* Angelis *prolixe inquirunt et differunt. Illa solum trademus, quæ præ aliis clarius ex sacris Scripturis et Patribus innotescunt, prætermissis reliquis omnibus. Illud tamen breviter* D *moneo,* Angelos *nomen accepisse ab officio, quo a Deo mittuntur ad homines, Græcumque esse nomen, quod latine exponitur* Missus *aut* Nuntius. *Præterea observo, neminem moveri debere, quod* Angelis *frequenter corpora attribuantur in sacra Scriptura, et actiones hominum actionibus similes. Nam corpora ad tempus assumere possunt, ut per ea hominibus appareant, et humano modo peragant ea, ad quæ facienda a Deo mittuntur. Veruntamen communis hodie et certa est theologorum sententia,* Angelos *esse spiritus omni corpore, etiam tenuissimo et subtilissimo, carentes, sive substantias prorsus incorporeas. De hac veritate dubitarunt olim Patres aliqui, isque etiam doctissimi, et nonnulli videntur iis attribuisse corpora subtilia aut cælestia. Verum ea opinio postmodum repudiata fuit et vera sententia, quod* Angeli *sint spiritus prorsus incorporei, omnino invaluit, et communi theologorum consensu recepta est. Quod observasse sufficiat, ne cogamur prolixas texere dissertationes.*

119 *Non omnes* Angelos *ejusdem esse dignitatis aut excellentiæ, sed alios aliis sublimiores, ex Scripturis docent Patres et theologi. Veruntamen non eadem prorsus de diversis* Angelorum *ordinibus Patres tradiderunt. Nam eorum aliqui non curarunt recensere omnes* Angelorum *ordines vel choros, quos ex Scripturis collegerunt alii. Inter hosce autem, qui novem* Angelorum *ordines aut choros ex diversis sacræ Scripturæ locis enumerarunt, non infimo loco habendus est S. Gregorius Magnus, cujus sententia sic adoptata est a theologis, ut aliqui tamen in nonnullis adhærere maluerint S. Dionysio Areopagitæ, quem credunt auctorem operis de cælesti hierarchia. Consentiunt ambo de novem Angelorum ordinibus, quos et alii plures agnoscunt : sed in ordine omnes recensendi choros utcumque variant. Imo ipse S. Gregorius eosdem quidem choros duobus locis enumerat, sed non eodem ordine.* — *aliique aliis sublimiores.* E

120 *Etenim lib.* 32 *Moralium in Job, cap.* 23 *editionis novæ num.* 48 *sic habet :* Nam cum per ipsa sacra Eloquia Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim et Seraphim, aperta narratione memorentur; quantæ sint supernorum Civium distinctiones, ostenditur. *At, Hom.* 34. *in Evangelia hoc* F *modo eosdem choros recenset :* Novem vero angelorum ordines diximus; quia videlicet esse, testante sacro Eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. *Posuit quidem Gregorius, qui ab infimis ad supremos ascendit, utroque loco* Angelos *et* Archangelos *postremos choros, supremos vero* Seraphim *et* Cherubim ; *sed in mediis variat, ut ex collatione liquet.* — *in novem ordines seu choros sunt distincti,*

121 *Dionysius Areopagita, aut auctor Operum ejus nomine vulgatorum, (quem hic non inquiro, sed ad* 9 *Octobris totam controversiam remitto) in libro de cælesti hierarchia cap.* 6 *novem istos* Angelorum *choros in tres dividit hierarchias. In prima autem et suprema hierarchia primos aut præcipuos statuit* Seraphim, *deinde* Cherubim, *et demum* Thronos. *In secunda recenset* Virtutes, Dominationes *et* Potestates : *in tertia* Principatus, Archangelos *et* Angelos. *Hæc enumeratio ordine differt ab utraque Gregorii. Nam incipiendo a minimis, hic est novem chororum ordo.* Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Dominationes, Virtutes, Throni, Cherubim ac Seraphim. — *de ordine omnium chororum*

A phim. *Verumtamen in hoc ordine aliquid ipse immutavit cap.* 8. *Cum enim omnium chororum nomina exponat, a superioribus exordiens,* Dominationes, *quas* Virtutibus *videtur postposuisse, ibidem præponit, et sic omnes choros recenset cap.* 7, 8 *et* 9, *videlicet* Seraphim, Cherubim, Thronos *in prima hierarchia; in secunda* Dominationes, Virtutes, Potestates; *in tertia* Principatus, Archangelos, Angelos.

non tam certo constat:

122 *Ex locis apostoli, e quibus S. Gregorius quinque choros intermedios probavit, nihil etiam certi invenio, ad eorum ordinem stabiliendum. Nam alter locus Eph.* 1, ℣ 21 *habet, Christum fuisse elevatum* supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem, et omne numen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. *Si voluerit apostolus ordinem quatuor chororum, quos hic nominat, secundum dignitatem recensere, ab inferioribus verisimiliter inchoavit, et sic hæc erunt conformia ordini, ultimo loco per Dionysium dato, postremisque verbis,* et omne nomen etc. *insinuabit, superesse et alios choros superiores, quos non nominat. Verum alter locus Coloss.* 1, ℣ 16 *non insinuat* B *eumdem ordinem, cum* Principatus *ibi in medio ponantur. Locus enim sic habet:* Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. *Hic* Principatus *ponuntur inter* Dominationes et Potestates, *cum priori loco utrisque præponantur, ut nequeamus ex his certum* Principatibus *dare locum. Verumtamen ordo trium hierarchiarum, qualem ex Dionysio dedi, magis receptus est a theologis, quibus ulteriorem probationem relinquo.*

sed novem Chori ex Scripturis a S. Gregorio probati.

123 *Ipsos vero novem* Angelorum *choros laudatus Gregorius in Evangelia hoc ratiocinio probat:* Esse namque angelos et archangelos, pene omnes sacri Eloquii paginæ testantur. Cherubim vero atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: « Supra omnem Principatum et » Potestatem et Virtutem et Dominationem. » Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: « Sive » Throni, sive Potestates, sive Principatus, sive » Dominationes. » Dominationes vero et Principatus ac Potestates, jam ad Ephesios loquens C descripserat: sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit Thronos, de quibus necdum quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, atque Dominationibus, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse angelorum ordines inveniuntur. *Hactenus Gregorius, cujus probatio nobis de hisce sufficiet.*

Officia Angelorum, Archangelorum,

124 *Deinde laudatus Pater singulos choros suis quoque officiis aut ministeriis distinguit, incipiens a minimis.* Sed, *inquit,* cur istos persistentium Angelorum choros enumerando perstrinximus, si non eorum quoque ministeria subtiliter exprimamus? Græca etenim lingua angeli nuntii, archangeli vero summi nuntii vocantur. Sciendum quoque, quod angelorum vocabulum, nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ Spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde et per Psalmistam dicit: « Qui facit angelos » suos Spiritus, » acsi patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam, cum voluerit, angelos facit. *Ita quidem Gregorius. Attamen videntur potius ab officio, ad quod destinantur,* Angeli *passim vocati, quam ab ipso illius officii exercitio.* Hi autem, *ait pergens Gregorius,* qui minima nuntiant, angeli; qui vero summa annuntiant, archangeli vocantur. Hinc est enim, quod ad Mariam virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. Ad hoc quippe ministerium summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.

et trium nomina exposita.

125 Qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam, in operatione quid valeant. Neque enim in illa sancta civitate, quam de visione omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum personæ sine nominibus sciri non possint: sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Michael namque: QUIS UT DEUS; Gabriel autem: FORTITUDO DEI; Raphael vero dicitur: MEDICINA DEI. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. E *Plura ibi subjicit de* S. Michaele, *jam num.* 31 *data.*

quos Archangelos passim dicimus

126 Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur:... « Quis est iste Rex gloriæ? » Dominus fortis et potens, Dominus potens in » prælio. » Et rursum: « Dominus virtutum ipse » est Rex gloriæ. » Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, et Potens in prælio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, medicina Dei; quia videlicet, dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit (*id mandans juniori Tobiæ*) cæcitatis ejus tenebras tersit. Qui ergo ad curandum mittitur, dignum videlicet fuit, ut Dei medicina vocaretur. *Hisce expeditis occasione duorum chororum, quibus* Michaelem, Gabrielem et Raphaelem *annumerasse videtur Gregorius, videlicet* Archangelis, (*etiamsi interpretes quidam recentiores eosdem ad superiores choros, imo etiam ad supremum referant, quod* F *ego non examinabo, utpote supra intellectum meum*) *ad ministeria aliorum chororum ex nominibus magis, quam ex certis sacræ Scripturæ auctoritatibus, explicanda progeditur.*

qui ex Angelis Virtutes, Potestates, Principatus.

127 *De* Virtutibus *autem, quos ponit supra* Archangelos, *et quos Dionysius, ut dixi, multo ultiori ponit loco, ita habet:* Virtutes etenim vocantur illi nimirum Spiritus, per quos signa et miracula frequentius fiunt. *Cum dicit* frequentius, *omnino insinuat, per alios choros etiam fieri miracula. Subjungit de* Potestatibus *Gregorius:* Potestates etiam vocantur hi, qui hoc potentius ceteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ (*id est, dæmones*) subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. *Tum de* Principatibus, *quos inferiori loco supra* Archangelos *collocavit Dionysius, ita disserit Gregorius:* Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis Angelorum Spiritibus præsunt: qui subjectis aliis dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur.

128 *Tum* Dominationes *a* Principatibus *distinguit*

AUCTORE J. S. *Dominationes. Throni, Cherubim, Seraphim.*

guit hoc modo : Dominationes autem vocantur, qui etiam potestates Principatuum dissimilitudine alta transcendunt. Nam principari est inter reliquos priorem exsistere : dominari vero est etiam subjectos quosque possidere. Ea ergo Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur. *Ad Thronos ita procedit :* Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicium semper Deus omnipotens præsidet. Quia enim Thronos Latino eloquio Sedes dicimus; Throni Dei dicti sunt hi, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat. Unde et per Psalmistam dicitur : « Sedes » super Thronum, qui judicas æquitatem. » *De Cherubinis subdit :* Cherubim quoque plenitudo scientiæ dicitur. Et sublimiora illa agmina idcirco Cherubim vocata sunt, quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur; ut secundum creaturæ modum, eo plene omnia sciant, quo visione conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. *De Seraphinis tandem sic habet :* Seraphim etiam vocantur illa Spirituum sanctorum agmina, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore. Seraphim namque Ardentes, vel Incendentes, vocantur. Quæ, quia ita Deo conjuncta sunt, ut inter hæc et Deum nulli alii Spiritus intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Quorum profecto flamma amor est ; quia quo subtilius claritatem divinitatis ejus aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt. *Hactenus Gregorius.*

An aliqui ex supremis Angelorum choris

129 *De proprietatibus singulorum chororum disserit etiam Dionysius, sed obscuriora mihi visa sunt ejus asserta. Theologi multo etiam plura de illis inquirunt, et malim ad illos lectorem remittere, quam prolixius disserere de iis, quæ neque ex Scripturis, neque ex consensu ecclesiæ aut sanctorum Patrum, probata invenio. Quæ vero ex Gregorio dedi, etiamsi cuipiam videri possint non omnia æque certa, saltem clara satis, sensataque et probabilia mihi videntur. Quare ejus assertis malim reverenter acquiescere, quam tam sublimia, quæ miseri mortales parum intelligimus, post S. Gregorium novis ratiociniis investigare. Disserit deinde aliqua Gregorius ad inquirendum, an ex omnibus angelorum choris aliqui a Deo mittantur ad ministeria hominibus præstanda, et rem relinquit indecisam.* Fertur vero, *inquit,* Dionysius Areopagita, antiquus videlicet et venerabilis pater, dicere, quod ex minoribus angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur; scilicet quia ad humana solatia, ut angeli aut archangeli, veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis numquam recedunt ; quoniam ea, quæ præeminent, usum exterioris ministerii nequaquam habent. *His verbis hactenus alienam illam Dionysii opinionem proponit.*

numquam in ministerium mittantur a Deo,

130 *Tum contra illam format objectionem hoc modo :* Cui rei illud videtur esse contrarium, quod Isaias dicit : « Et volavit ad me unus de Seraphim, » et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat » de altari, et tetigit os meum. » *Ad objectionem vero quid respondeat Dionysius, deinde explicat, ita pergens :* Sed in hac prophetæ sententia vult (*nimirum Dionysius*) intelligi, quia ii Spiritus, qui mittuntur, eorum vocabulum percipiunt, quorum officium gerunt. Qui enim, ut peccata locutionis incendat ; de altari angelus carbonem portat, Seraphim vocatur, quod incendium dicitur. *Responsio Dionysii legitur cap. 13, ubi ait, Seraphino attribui actionem, quia Angelus nomine aut mandato* Seraphini *Isaiæ labia purgavit. Subdit vero Gregorius :* Huic autem sensui (*quod supremi chori non mittantur*) et illud creditur non inconvenienter opitulari, quod per Danielem dicitur : « Millia millium ministrabant ei, et » decies millies centena millia assistebant ei. » Aliud namque est ministrare, aliud assistere : quia hi administrant Deo, qui et ad nos nuntiando exeunt : assistunt vero, qui sic contemplatione intima perfruuntur, ut ad explenda foras opera minime mittantur. *Hæc quidem profert Gregorius pro sententia Dionysii, nec tamen ausus est eam asserere, ut liquet ex sequentibus.*

131 *Potest certe contra illam sententiam, quod aliqui ex supremis choris non mittantur, objici generale assertum Apostoli de Angelis Heb. 1, ℣ 14 :* Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis ? *Etenim non modo omnes hic dicuntur* administratorii Spiritus, *sed omnes etiam* in ministerium missi, *et quidem ob hominum salutem. Hinc dubitationem suam Gregorius ita declaravit :* Sed quia in quibusdam Scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus ; utrum per se hæc faciant, an per subjecta agmina agantur, quæ, sicut dicitur (*Nempe a Dionysio, cujus sententiam examinat*) in eo, quod a Majoribus veniunt, Majorum vocabula fortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis testimoniis non approbamus. *Laudo moderationem Gregorii, nolentis affirmare de* Angelis, *quæ nequit Scripturæ testimoniis probare.*

examinat, sed non definit, S. Gregorius,

Minores tamen a Majoribus mitti dicit.

132 Angelos *tamen ab aliis* Angelis *etiam mitti, et in Scriptura invenit, et indubitanter asseruit, ita pergens :* Hoc tamen certissime scimus, quia ad explendum de supernis ministerium, alii Spiritus alios mittunt. Zacharia scilicet propheta testante, qui ait. « Ecce angelus, qui loquebatur » in me, egrediebatur : et ecce alius angelus » egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad » eum : Curre et loquere ad puerum istum, » dicens : Absque muro habitabitur Jerusalem. » Dum enim angelus ad angelum dicit : Curre et loquere, dubium non est, quia alius alium mittit. Minora vero sunt, quæ mittuntur; majora, quæ mittunt. Sed hoc quoque de ipsis agminibus, quæ mittuntur, certum tenemus; quia et cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen numquam desint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur, et assistunt : quia etsi circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen Spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque et missi et ante ipsum sunt ; quia quolibet missi veniant, intra ipsum currunt. *Hanc ultimam observationem videtur addidisse Gregorius, ut responderet ad objectionem, ex verbis Danielis supra datis petitam.* Et decies millies centena millia assistebant ei, *ut nimirum ostenderet, eos et simul ministrare posse, et simul assistere. Si quis plura de his desiderat, videre poterit theologos.*

§ IX.

A

§ IX. Angeli custodes singulis hominibus asserti ex sacris Scripturis et Patribus.

Sacra Scriptura cuilibet Angelum custodem tribuit;

De *protectione* Angelorum *plurima jam data sunt, et non pauci sacræ Scripturæ textus recitati, ex quibus sancti Patres docuerunt, singulis hominibus* Angelum *custodem a Deo fuisse datum. Verumtamen, cum de* Angelis *custodibus particulare habeamus festum, at de iis nominatim hic agamus, veritas illa paulo prolixius confirmanda et elucidanda venit. Psal.* 90, *a* ℣ 11, *de datis a Deo* Angelis *custodibus, et de eorum insigni pro clientibus suis cura, hæc leguntur :* Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. *Psal.* 33, ℣ 7 : Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *Cum quis tamen dicere* B *possit, in illis Psalmorum locis illud privilegium iis solis asseri, qui multum de Dei protectione confidunt, sive solis justis, locum profero, in quo certe non agitur de iis solis. Matth.* 18, ℣ 10, *Christus ita discipulis suis loquitur :* Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. *Hæc interim ex Scripturis, quibus præcipuorum Patrum auctoritatem adjungemus, eoque occasione subinde et alia Scripturæ loca proferentur.*

ea asserit et probat S. Hieronymus.

154 *S. Hieronymus in mox allegatum Matthæi locum,* Quia angeli eorum *etc., ita exclamat :* Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. *Lubet et alia quædam recitare ex Hieronymo. Allegatum Psalmi* 33 *locum similiter de* Angelis *custodibus explicat in Epistolæ ad Galatas caput* 4, *ad illa verba,* Sed sub tutoribus et actoribus est, *quæ ait intelligi etiam posse de* Angelis *parvulorum,* Qui, *inquit,* quotidie vident faciem Patris, et interpellant pro eis. De quibus dictum est : « Immittet angelus Domini in circuitu ti- C « mentium eum, et eruet eos ». *In Epitaphio S. Paulæ sub initium sic loquitur :* Testor Jesum et Sanctos ejus, ipsumque proprium angelum, qui custos fuit et comes admirabilis feminæ *etc. In Isaiam ad cap.* 66, ℣ 20 *ita ratiocinatur :* Longum est, si velimus utrumque explanare testimonium. Hoc solum dicam, quod diversa vehicula, quibus homines adducuntur ad fidem, angeli sint, vel sancti viri, qui de hominibus in angelos profecerunt. Quod autem unusquisque nostrum habeat angelos, multæ Scripturæ docent, e quibus illud est : « Nolite contemnere unum de « minimis istis, quia angeli eorum vident quo- « tidie faciem Patris, qui est in cælis ». Et puella Rode * Petrum apostolum nuntiante, alii angelum ipsius esse credebant. Sin autem hoc de nimis dicitur, et de uno homine, quanto magis de omnibus sanctis, et præcipue de apostolis sentiendum est? quorum angeli quotidie vident faciem Patris, juxta illud, quod scriptum est : « Circumdat angelus domini in circuitu timentium eum ». * Et Jacob de se loquitur : « Angelus, qui liberavit me. * » *Hactenus Hieronymus, qui et alia similia aliis locis habet.*

* Act. 12

* Ps. 33, 7.

* Gen. 48, 16.

Angeli J. S. Custodiam Angelorum etiam asserit S. Hilarius

155 *S. Hilarius in allegatum Matthæi locum,* Videte, ne contemnatis *etc. commentatur hoc modo :* Artissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos præcipue, qui vere in Domino credidissent. Pusillorum enim angeli quotidie Deum vident ; quia Filius hominis venit salvare, quæ perdita sunt. Ergo et Filius hominis salvat, et Deum angeli vident, et angeli pusillorum sunt. (*Alias legitur :* Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus, *ut observat editor.*) *Tum sequitur :* Fidelium orationibus præesse angelos, absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum ambitioso angelorum famulatu ac ministerio perveh[u]ntur. *Custodiam* Angelorum *adversus malignos spiritus asserit Hilarius in Psal.* 134, *num.* 17, *his verbis :* Sunt enim Angeli parvulorum, quotidie Deum videntes. Hi igitur Spiritus ad salutem humani generis emissi sunt : neque enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam angelis, tot tantisque spiritalium cælestium nequitiis obsisteret. Opus ad id fuit naturæ potioris auxilio : et hoc ita esse, ex his dictis docemur, quibus tre- E pidum ac paventem Moysen Dominus confirmat, dicens : « Ecce angelus meus antecedet te » *. Hos igitur de thesauris suis Ventos producit, tribuens in his auxilium humanæ infirmitati, ut hæc nos divina præsidia adversus mundipotentes harum tenebrarum in hæreditanda nobis salute tueantur. *Idem agnoscit paucis verbis in Psalmum* 65, *num.* 15, *et num.* 14 *ait :* Ergo incorporalis Deus misericordiæ suæ oculis, et tanquam ministerio famulantium angelorum protegit gentes : et in omnes credentes donum se divinæ miserationis effundit. *Hæc et alia Hilarius, nominatim in Psalmum* 129, *num.* 7.

* Exod. 23.

et saltem generatim S. Ambrosius

156 *S. Ambrosius serm.* 7 *in Psalmum* 118, *num.* 36 *ait :* Si bonos custodes accipimus, utique angeli sunt. *Antea serm.* 1, *num.* 9 *dixerat,* plena esse angelorum omnia, aera, terras, mare, ecclesias, quibus angeli præsunt : mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum, qui heredes futuri sunt promissorum cælestium. *Tum num.* 10, *peccatores ita alloquitur :* Non reveritus esses angelorum præsentiam, si præsentes esse crederes? *In lucam lib.* 7, *num.* 210, *ubi observaverat,* Angelos *hominum redemptione lætari, subjungit :* Quamquam hoc quoque proficiat F ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat cœtibus angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. *In sermone contra Auxentium num.* 11 *memorat multitudinem* angelorum, *quæ* 4 *Reg.* 6, *ab Eliseo ostensa est servo timenti, et subjungit :* Advertistis igitur, quod servulos Christi ii magis custodiant, qui non videntur, quam qui videntur. Sed et illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus advocati. *Ita Ambrosius generalem* Angelorum *custodiam abunde declarans, minus tamen diserte loquens de particulari custodiam singulorum hominum. Id factum suspicor, quod non scripserit in illos Scripturæ locos, in quibus illa clarius asseritur.*

Chrysostomus omnibus hominibus

157 *Chrysostomus, qui sacram Scripturam pro magna parte exposuit, et diligentissime consideravit, in locum Matthæi :* Quia Angeli eorum *etc. omnibus* Angelos *custodes omnino attribuere videtur. Nam post verba Scripturæ subjungit, quæ propter diversitatem lectionis Græca dabo :* ἐντεῦθεν δῆλον, ὅτι ἀγγέλους ἔχουσιν οἱ ἅγιοι ἐκεῖ πάντες. *Sic edidit*

AUCTORE J. S.

edidit *Montfauconus, sed annotavit, ultima verba in editione Morelliana sic legi,* οἱ ἅγιοι, ἢ καὶ πάντες, *et vix ulla mihi potest esse dubitatio, quin hæc sit vera lectio, cum hanc totus contextus exigat. Priora verba ad litteram sic latine redduntur.* Hinc manifestum est, quod angelos habeant sancti ibi omnes. *Illud ibi manifeste redundat, uti et Græcum* ἐκεῖ. *At alterius lectionis sensus elegans est, et ulterio probationi, quæ subditur, et sententiæ Chrysostomi aliis quoque locis declaratæ conveniens. Nam sic redditur latine :* Hinc manifestum est, quod angelos habeant sancti, aut etiam omnes. *In his verbis nihil redundat, sed infertur, quod erat inferendum. Nam si pusillis sui sunt* Angeli, *ut habet Scriptura, recte infertur, illos quoque aliis non deesse, et ratiocinium simile Chrysostomi mox videbimus. Juvat tamen hoc ratiocinium alio etiam argumento, quod sic subjungit :* Apostolus enim ait de muliere, oportere eam potestatem, id est, velamen, super caput habere propter angelos. *Eodem argumento etiam utitur Hieronymus in allegatum Matthæi locum, ut confirmet, unicuique esse* Angelum *ad sui custodiam* B *deputatum.*

Angelos custodes,

138 *Chrysostomus vero in Homilia 7 de Laudibus S. Pauli sententiam suam rursum edicit, et confirmat alio loco, quem similiter ab Hieronymo allegatum jam vidimus.* Si enim, *inquit,* propriam tantummodo vitam regentibus, nihilque pro communi utilitate facientibus, angeli ab omnium Domino deputati sunt [custodes, *ut græce additur*] sicut ait unus ex justis (*nimirum Jacob Gen.* 48, ℣ 16) « Angelus, qui eruit me a ju- « vente mea « : multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est,... Virtutes adsunt supernæ. *Clarissime loquitur in illud Act.* 12, ℣ 15, angelus ejus est, *quod dicebatur de Petro portam pulsante, quando liberatus erat e carcere.* Hinc, *inquit,* verum probatur, unumquemque nostrum Angelum habere. *Eodem rursus argumento usus est Hieronymus. Laudatus Chrysostomus Hom.* 3 *in epistolam ad Colossenses num.* 5 *ait* Angelos *esse* secundum numerum fidelium, *et ad probandum adducit frequenter laudatum Matthæi locum, ex quo concludit :* Unusquisque enim fidelis habet Angelum. Nam etiam ob initio unusquisque vir probus habebat angelum, *ut rursum probat exemplo et verbis Jacobi, Gen.* 48. *In Epistolam ad* C *Hebræos, Hom.* 14, *circa finem ait :* Habemus nos quoque fautores, si velimus. Unicuique nostrum assidet angelus. *Ex allegatis habemus, alias sic loqui Chrysostomum, acsi solis fidelibus* Angelos *custodes credidisset attributos, alias omnibus omnino hominibus* Angelos *custodes ab eodem adscriptos.*

licet ubique id non dicat,

139 *Veruntamen existimo, eumdem fuisse Chrysostomi et Hieronymi sententiam, et utrumque* Angelos *custodes singulis hominibus attribuisse. Hoc de Hieronymo ex ejus verbis in Matthæum omni caret dubio. Chrysostomus vero videtur uno loco in Epistolam ad Colossenses minus dicere, quia necesse non erat ibi plura asserere, cum non expli- caret locum Scripturæ de angelis custodibus agentem. Ita frequenter non asserimus totum, quod de re aliqua sentimus, quando id necesse non est ad propositum nostrum. In ea ipsa Homilia* 3 *et in eodem plane loco, in quo singulis fidelibus,* Angelos *sic attribuit, ut eos non neget infidelibus, clare ostendit, non semper se totum dicere, quod sentit. Nam de* Angelis *in veteri lege ita loquitur :* Primo (*in lege antiqua*) secundum numerum gentium erant angeli. Nunc autem (*in nova lege*) non secundum numerum gentium, sed secundum nu- D merum fidelium... Unusquisque enim fidelis habet angelum. Nam etiam ab initio unusquisque vir probus habebat angelum, sicut dicit Jacob : « An- « gelus, qui pascit me, et liberat me a juventute « mea. » Si ergo habemus angelos, modeste nos geramus, tamquam nobis adsint quidam pædagogi. *Uti noluit dicere, non plures in veteri lege fuisse* Angelos *custodes, quam gentes diversos, cum continuo omnibus probis* Angelum *in veteri lege attribuat; sic* Angelorum *custodum numerum noluit restringere pro numero fidelium.*

clare tribuit, uti auctor Homiliæ cum ejus scritis editæ.

140 *Propositum ibi non erat Chrysostomo perfectam de* Angelis *tradere doctrinam, sed ad pacem et concordiam fervida oratione exhortari, ut continuo facere incipit. Itaque potius consideranda sunt verba Chrysostomi, ubi dicit :* Unicuique nostrum assidet angelus, et, Unumquemque nostrum angelum habere. *Cum enim in concionibus non loqueretur ad solos fideles, sed etiam ad hæreticos, ad gentiles, ad Judæos, ad catechumenos, ad omnes denique, qui adesse volebant, non poterat vere sic loqui, nisi credidisset omnibus hominibus* Angelos *esse custodes. Inter opera spuria, olim Chrysostomo attributa, apud Montfauconum tom. VIII,* E *pag.* 285 *legitur brevis homilia de* Angelis, *cujus auctor clarissime omnibus hominibus æque ac provinciis* Angelos *custodes tribuit his verbis :* Non modo enim gentes custodire jussi sunt angeli,... sed etiam singuli homines Angelum sortiti sunt.

S. Basilius singulis fidelibus

141 *S. Basilius in Psalmum* 33, *num.* 5 *de* Angelis *custodibus scribit sequentia :* Assidet angelus cuilibet in Dominum credenti, nisi nos illum operibus pravis abigamus. Quemadmodum enim sumus apes fugat, et fœtor columbas expellit; sic angelum vitæ nostræ custodem lacrymabile ac graveolens peccatum abigit. Opera custodiæ angelicæ digna in tua anima si habeas, et mens in veritatis contemplatione dives in te inhabitet, ob divitias præclarorum operum virtutis, Deus necessario stipulatores tibi et custodes constituit, teque angelorum munit custodia. Considera autem, quanta sit angelorum natura, quandoquidem exercitui toti et castris frequenti milite refertis angelus unus comparatur. Propter magnitudinem igitur ejus, qui te custodit, Dominus castra tibi impertit; propter fortitudinem vero angeli, tutela ipsius ceu muro undelibet te munit. Nam illud, F *in circuitu,* hoc ipsum significat. Quemadmodum enim urbium muri, in circuitu omni ex parte circumducti, undecumque hostium assultus arcent : ita etiam angelus et præmunit a fronte, et a tergo custodit, nec quidquam utrimque incustoditum relinquit. Ea de causa « cadent a latere tuo mille, « et decem millia a dextris tuis, » ad te autem ne plaga quidem cujusquam hostis appropinquabit, quoniam Angelis suis mandavit de te. *Ita Basilius in illud* ℣ 7 : Castrametabitur angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *In vulgata pro* castrametabitur *habemus* immittet.

Angelos adscribit,

144 *Rursum in Psalmum* 48, *num.* 9 *ait :* Cuilibet enim fidelium est angelus adjunctus. *Et lib.* 3, *contra Eunomium, num.* 1, *ita disserit.* Nimirum Angeli omnes, ut appellationem unam, ita etiam eamdem omnino inter se naturam habent : sed tamen ex iis alii quidem præfecti sunt gentibus, alii unicuique fidelium adjuncti comites sunt. Quanto autem gens tota uni vero præstat, tanto certe necesse est, angeli alicui genti præsidentis dignitatem dignitate alterius, cui viri privati tutela

A tela concreditur, majorem esse. Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus, velut pædagogus quidam et pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini, qui ait: » Ne contemnatis unum ex his pusillis, eo » quod Angeli eorum etc. »

nec tamen infideles diserte excipit.

143 *Addit probationes ex aliis Scripturæ locis jam relatis. Tum etiam probat,* Angelos *integris præesse gentibus, de quibus postea. Illud autem observo, non dicere Basilium duobus posterioribus locis,* Angelum *ob peccata clientum recedere, aut eorum peccatis expelli. Quapropter non crediderim, Basilium existimasse,* Angelum *custodem sic recedere a peccatore, ut omnem ejus curam deponat, ejusque* Angelus *custos esse desinat; sed non tanta diligentia illi assistere, quanta justos et Sanctos circumdat et protegit, ut in Psal. 33 magnifice exponit. Observo præterea, cuilibet fideli* Angelos *ita tribueri Basilium, ut nullibi tamen infideles disertis verbis excipiat.*

Omnibus eos tribuit Nazianzenus,

144 *S. Gregorius Nazianzenus pauciora quidem scripsit de* Angelis *custodibus: cum tamen in Orationibus et ecclesiarum et urbium custodes agnoscat* Angelos, *ut postea videbimus; dubium* B *esse nequit, quin et hominum custodiam, clarius in Scripturis assertam, agnoverit. Præterea opem nobis per* Angelos *præstari, disertis verbis edicit in Oratione* 40, *pag.* 664, *hæc scribens:* Quin etiam quidam (*Ps.* 75) Deum ad hunc modum affatur: » Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis »; hoc est, ut opinione assequor, ab Angelicis virtutibus, quæ nobis ad optima quæque adjumento sunt. *At custodiam hominum clarius affirmat in Carmine de substantiis mente prædiis tom. II, pag.* 169, *ubi varia* Angelorum *officia recenset, et illorum curis, quas aliis alias dedit Deus accenset* homines, urbes, gentes integras, *ut habent verba græca. Itaque nullum est dubium, quin Nazianzenus agnoverit,* Angelis *aliis hominum aliis urbium, aliis integrarum gentium custodiam fuisse commissam. Quemadmodum autem κόσμον ἅπαντα,* mundum totum, *curæ et custodiæ* Angelorum *a Deo commissum scribit, et nec urbes infidelium, nec gentes fide carentes excipit, sic homines infideles non est censendus excipere.*

Nyssenus Angelos custodes omnibus

145 *S. Gregorius Nyssenus Hom. 7 in Cantica agnoscit* Angelicum præsidium, quo circumsepti sumus, *putatque illud indicatum per turrim David,* C *ex quo pendent mille clypei Cant. 4, ℣ 4, expositoque loco subjungit:* Adeo ut, quod dicitur, conveniat ei, quod est in Psalmis: » Castrametabitur Angelus in circuitu timentium eum, et » liberabit eos. » *In vita Moysis, sive in mystica ejus interpretatione tom. I editionis anni* 1615, *pag.* 194 *ostendit, doctrinam de* Angelo *custode cujuslibet hominis non solum ex sacra Scriptura haustam, sed etiam ex traditione. Cum enim in mystica expositione circumcisionis filii Moysis, qua* Exod. 4, ℣ 26 *dicitur Dominus Moysi placatus, dixisset, propitium nobis fieri Dei* Angelum, *quando mystica circumcisione abjicimus prava dogmata, paulo post scribit sequentia:* Verum ne ænigma historiæ per ænigmata exponi videatur, latius, quod sentio, explanandum est. Occultior quædam traditio, et verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur, posteaquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino a clementia divina neglectam, neque absque suo patrocinio dimissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum fuisse: naturæque nostræ corruptorem, in omnibus contra adnitentem, pravum aliquem atque maleficum dæmona, ad male vivendum homines impellentem, ad singulos destinasse. *Mox ait,* Angelum *custodem ad bona excitare, dæmonem ad prava.*

Auctore J. S.

sine ulla exceptione adscribit.

146 *Et rursum subdit:* Si ergo (*homo*) sejunxerit se ab iis, quibus ad malum pelliciebatur, cogitationibus suis in melius conversis, et velut rejecto in tergum vitio, tamquam speculum quoddam animum suum ex adverso spei futurorum bonorum collocarit, sic ut ostensæ divinitus sibi virtutis species et imagines animæ suæ puritate possit exprimere, tunc ei manifestius fratris auxilia undique apparent, secum adversus hostes armati. Frater enim quodammodo hominis angelus est: rationali quippe ac intellectuali natura secum annectuntur: qui tunc maxime nobis assistere videtur, ut dictum est, cum Pharaoni appropinquamus. *Hæc ibidem: et pergens ratiocinari de sua expositione, rursum pag.* 196 *memorat* Angelum custodem nobis divinitus datum. *Rursum etiam ibidem agnoscit, auxilio nobis* maxime tunc esse (*Angelum*) cum adversus incorporales hostes insurgimus. *Ex allegatis concludo, Nyssenum sic omnibus et singulis attribuere* Angelum *custodem, ut nec peccatores excipiat nec infideles.* E *Præterea, cum recte advertat,* tunc manifestius *auxilium* Angelorum *nobis adesse, quando recte agere conamur, videntur ejus verba valere ad exponenda data num.* 141 *S. Basilii verba, quibus ait, peccatis* Angelum *fugari, sicut ea jam exposui. Cum enim Nyssenus Basilii frater absolute omnibus* Angelum *tribuat, sine exceptione, quemadmodum nullum excipit Nazianzenus, utriusque amicus; verisimile non fit, Basilium de hisce aliter sensisse, quam doctissimum fratrem, aut amicissimum Nazianzenum.*

Origenes Angelos custodes frequenter agnoscit,

147 *Origenes in libro de Oratione, tom. I Operum novissimæ editionis Parisiensis pag.* 213 *unicuique* Angelum *tribuit, ita scribens:* Sed et uniuscujusque Angelus, etiam eorum, qui in Ecclesia pusilli sunt, semper videns faciem Patris, qui in cælis est, Deique conditoris nostri divinitatem inspiciens, orat nobiscum, et iis, quæ petimus, quantum fieri potest, collaborat. *Similia habet lib. 8 contra Celsum pag.* 767, *et rursum pag.* 769, *ubi docet, dæmones Christianis nocere non posse:* Cujus rei causa est, *inquit,* quia castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Et ejus Angelus, qui semper videt faciem Patris cælestis, ejus preces F per solum Sacerdotem magnum semper universorum Deo offert, et ipse precatur cum eo, cujus ipsi commissa cura est. *Hom. 2 in Numeros tom. II, pag.* 350 *ita habet:* Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in cælis est, sicut Dominus designat in Evangeliis. *Similiter unicuique* Angelum *tribuit Hom. 23 in Josue, et aliis locis pluribus. At multa omitto, quia Origenes plura scripsit de* Angelis, *quam probare potuit, et non pauca, quæ ab Ecclesia prorsus sunt improbata.*

sed nec recte ubique.

148 *Præterea locis allegatis ita loquitur, ut solis fidelibus* Angelos *custodes videatur tribuere. Alias quoque innuit, eos ob peccata recedere, sed dubitanter. Imo et aliquot locis insinuat, solis parvulis esse* Angelos *custodes, non item majoribus, rursum tamen dubie, et certe improbabiliter, quemadmodum et alia multo magis absurda et falsa,*

Auctore J. S.

falsa, quæ prætermittam, de Angelis disserere sustinuit. De aliis vero pauca huc traducam ex ejus in Matthæum Commentariis tom. III impressis. Explanans verba Christi Matth. 18 : Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis,... quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei *etc.*, *recte primum pag.* 605 *observat, alios esse parvulos aut pusillos corpore, alios animo et virtutum tenuitate. At non recte in disserendo inferre nititur, parvulorum esse* Angelos, *perfectorum vero doctorem esse ipsum Dominum. Locus uterque, quem allegat, nihil prodest ad id probandum. Nam prior ex Psalmo* 33, ℣ 7. Castrametabitur (*aut, ut habet Vulgata,* immittet) Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos : *quem ad parvulos aut imperfectos detorquet Origenes, acsi omni Dei timor imperfectionem significaret, de Sanctis rectius explicatur ab aliis. Verba quoque Psalmi* 90, ℣ 15 : Cum ipso sum in tribulatione, *frustra allegantur. Nam Deus quidem cum justo est in tribulatione, eumque sua gratia protegit. Sed justus ideo non caret subsidio* Angelorum, *cum in eodem Psalmo dicatur :* Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis *etc.*

nec invicem consentientia scripsit.

149 *Certum igitur est, nec imperfectos carere Christi per internam gratiam auxilio; nec perfectos* Angelorum *custodia. Origenes vero in con-* B *trarium nitens, objicit sibi locum Act.* 12, ℣ 15 *de Petro portam pulsante :* Angelus ejus est. *His enim verbis* Angelus *custos tribuitur Petro, qui Apostolicis virtutibus et miraculorum gloria erat maximus. Respondet autem, verba eorum, qui illa dicebant, non necessario* pro dogmate *habenda. At saltem allegata verba evincunt, opinionem illam de* Angelo *custode cujuslibet fuisse communem apud primos christianos Hierosolymitanos. Præterea dicta sunt illa verba in domo matris S. Joannis Marci, ubi primi christiani erant congregati et orabant pro Petro, et in eadem domo verisimiliter congregati fuerunt Apostoli cum aliis, quando acceperunt Spiritum sanctum. Accedit, quod Lucas Evangelista illa narraverit, nec opinionem de* Angelo *custode cujuslibet, quam involvunt, vel minimo indicio correxerit, sed relatione simplici potius confirmaverit. Hinc Hieronymus, Chrysostomus, aliique Patres crediderunt, vulgarem sententiam de* Angelis *uniuscujusque illis verbis solide confirmari.*

communem tamen de custodibus omnium agnovit sententiam

150 *Rursum ibidem pag.* 607 *inquirit Origenes, a quo tempore parvulorum custodiam suscipiant* Angeli, *utrum a baptismo, an ab ipsa nativitate, et quæstionem non decidit. At hodie theologi omnibus* Angelos *custodes ab ipso nativitatis ortu* C *cum S. Hieronymo attribuunt. Origenes ipse aliquando innuit, hanc sententiam suo tempore viguisse, licet ipse dubitaverit. Nam pag.* 576 *ait :* Si modo omnem humanam animam Angelo alicui subditam esse dicendum est. *Rursum Hom.* 12 *in Lucam videtur sententiam suam declarare his verbis :* Hoc autem, quod de singulis provinciis dicit, puto etiam de universis hominibus generaliter debere credere. Unicuique duo assistunt Angeli, alter justitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, et in animo justitia pullularit, haud dubium, quin nobis loquatur Angelus Domini. Si vero mala fuerint in nostro corde versata, loquitur nobis angelus diaboli. *Hæc Origenes, cujus opinionem de angelis malis, sive de diabolo non examinabo. Satis sit observasse, multa ipsum diversis locis scripsisse de* Angelis, *et subinde non cohærentia invicem, aliqua* D *etiam passim ab aliis Patribus improbata, quæ censui omittenda brevitatis gratia : sententiam tamen communem theologorum de* Angelis *custodibus omnium, sine ulla exceptione, ab Origene quoque assertam.*

Omnibus demum custodes Angelos tribuit

151 *S. Augustinus, qui scripsit post patres hactenus allegatos, in Opere de Civitate Dei, quod senex perfecit, lib.* 20, *cap.* 14 *clare agnoscit* Angelos *custodes omnium et singulorum hominum, nullis exceptis, quando dubium suum de qualitate libri, in extremo judicio aperiendi, declarat, et ea occasione hanc suggerit conjecturam :* An tantus angelorum numerus aderit (*in judicio,*) quantus hominum erit, et vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiet recitari? *Conjecturam ipsam non examino, utpote minus spectantem ad propositum nostrum ; sed solum observo, eam non potuisse proponi ab Augustino, nisi credidisset, singulis hominibus suos esse* Angelos. *Adjutores autem nobis esse sanctos* Angelos *ad obtinendam salutem æternam, qua ipsi fruuntur, variis locis indicat. In Psalmum* 62, *num.* 4 *ita loquitur :* Ideo beati sunt (*Angeli,*) et de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Jerusalem cælesti, unde nos modo peregrinamur, attendunt nos peregrinos, et miseran- E tur nos, et jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus (*id est, venimus*) et ibi cum illis fonte dominico veritatis et æternitatis aliquando saturemur.

S. Augustinus, quemadmodum et theologi scholastici.

152 *In libro de Quæstionibus* 83, *quæst.* 65, *num.* 7 *observat, nos quidem juvari ab* Angelis, *sed sive dolore eorum.* Quamvis enim, *inquit,* adjuvent nos pro sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere ; tamen sine gemitu et doloribus id facere credendi sunt *etc. Clarissima verba S. Gregorii Thaumaturgi dabo num.* 404. *Mitto alia similia, imo et Patres scriptoresque priorum sæculorum non paucos, et præsertim antiquissimos, etiamsi* Angelos *custodes tribuerint singulis hominibus, et aliqui ex iis malum etiam* Angelum *cuilibet adjunxerint. Mitto etiam S. Thomam Aquinatem reliquosque doctores theologiæ scholasticæ, de quorum sententia satis constat. Qui* F *plura de his desideraverit, poterit adire Suarezium lib.* 6 de Angelis *cap.* 17 *et seqq., vel alios theologos.*

§ X. Angeli custodes regnorum, urbium, ecclesiarum etc.

Angelos regnis etiam et gentibus præfectos.

Non modo hominibus singulis Angelos *custodes asseruerunt sancti Patres, sed etiam regnis et provinciis, urbibus et ecclesii, præeunte rursum sacra Scriptura, ex qua eam sententiam hauserunt. Dabo solum præcipuos, ut jam facere cœpi, et nonnullos sacræ Scripturæ textus præmittam. Dan.* 10, ℣ 12 Angelus, *qui apparebat Danieli, et quem plerique interpretes credunt fuisse. S.* Gabrielem. *dixit Danieli :* Noli metuere, Daniel : quia ex die primo, quo, posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua : et ego veni propter sermones tuos, Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum. *Rursum* ℣ 20 *idem* Angelus *ait Danieli :* Et

AUCTORE J. S.

A Et nunc revertar, ut prælier adversum Principem Persarum. Cum ego egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens. Veruntamen annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. *Ex eo loco Patres et plerique interpretes inferunt, mentionem hic fieri de* Angelo *tutelari Persarum et de* Angelo *Græcorum, sicuti memoratur* Michael *princeps Judæorum, ipsum vero* Gabrielem *Judæis exsulantibus similiter fuisse præfectum, adjiciunt aliqui.*

ex propheta Danielis intelligitur,

154 *Attamen nonnulli voluerunt, per principes Persarum et Græcorum, harum gentium reges intelligi, non* Angelos. *At hoc mihi non videtur probabili ratione asseri, cum certum sit, per Michaelem principem Judæorum designari* Angelum; *cumque* Angelus *eo modo loquatur de* Michaele *principe, quo loquitur de Principibus Persarum et Græcorum, nisi quod opposita iis attribuat studia. Nam* Michael *cum* Angelo *loquente stabat pro Judæis, et contra Judæos pugnabat Princeps Persarum. De Principe Græcorum allegatis verbis necdum dicitur, quas tueretur partes : sed hoc ex* B *sequenti capite utcumque intelligitur secundum expositionem vulgarem, qua principes omnes sunt* Angeli *regnorum custodes, et secundum S. Hieronymi de his sententiam. Adventus autem Principis Græcorum facit, ut prorsus non intelligam, qua ratione per Principes Persarum et Græcorum aliqui velint reges intelligere. Nam facile quidem intelligimus,* Angelos *illis regnis præfectos simul apud Deum interpellasse pro suis singulos clientibus; at regem Græcorum aut Macedonum fuisse apud regem Persarum, at secundam illam interpretationem esset dicendum, plane non intelligitur. Itaque sequenda est interpretatio S. Hieronymi, de* Angelis *regnorum custodibus omnia explicantis.*

prout illa exposita est a S. Hieronymo,

155 *Hujus autem explicatio hæc est :* Princeps autem Persarum, *etc.;* Videtur mihi, *inquit,* hic esse Angelus, cui Persis credita est.... Restitit autem princeps, id est, Angelus Persarum, faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Et forsitan, quum prima die, ex qua posuit cor suum propheta ad intelligendum, exauditus sit a Deo; idcirco non statim missus est Angelus, qui ei Dei indulgentiam nuntiaret; quia viginti et unu diebus restitit ei C Princeps Persarum, enumerans peccata populi Judæorum, quod juste tenerentur captivi, et dimitti non deberent. *Tum in illa :* Et ecce Michael, *etc., sic habet :* Resistente Persarum Angelo precibus tuis, et meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam, venit in adjutorium mihi Angelus Michael, qui præest populo Israel. Principes autem primos Archangelos intelligimus. *Deinde in illa :* Et nunc revertar, ut prælier adversum Principem Persarum, *sic commentatur.* Quod dicit, hoc est : Veni quidem, ut docerem te, exauditas preces tuas : sed reversurus sum rursum, ut pugnem contra Principem Persarum in conspectu Dei, qui non vult populum tuum de captivitate laxari. *Et in illa :* Quum ego egrederer, apparuit Princeps Græcorum, *etc.* Ego, inquit, egrediebar de conspectu Dei, ut tibi nuntiarem, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus : licet adhuc non sim securus, stante Principe Persarum et contradicente tuis precibus ac meæ legationi.

et ab aliis Patribus et interpretibus :

156 Et ecce Princeps Græcorum, id est Macedonum, veniebat, et ingressus est in conspectu Dei, ut accusaret Persarum principem atque Medorum; ut in locum eorum regnum Macedonum succederet. Et revera mira sacramenta Dei! Laxato enim de captivitate populo Judæorum, Persarum regnum atque Medorum, interfecto Dario, subvertit Alexander rex Macedonum, et Princeps Græcorum vicit Principem Persarum. *Tandem ultima verba :* Et nemo est adjutor meus... nisi Michael, *sic exponit:* Ego sum, inquit, Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas : et nullus est alius, qui adjutor meus sit rogandi pro vobis Deum, nisi Michael archangelus, cui creditus est populus Judæorum. *Hæc Hieronymi expositio, quatenus per principes intelligit* Angelos, *quibus regnorum tutela commissa est, omnibus passim antiquis placuit, et iis etiam recentioribus, qui ex mente sanctorum Patrum Scripturas interpretari voluerunt: non æque tamen adoptarunt omnia alia interpretationis adjuncta, quæ ad propositum nostrum non conducunt, nec ulterius examinanda suscipio.*

illam Angelorum præfecturam pluribus locis asserit Hieronymus.

157 *Dictam* Angelorum *præfecturam asserit etiam Hieronymus in caput 7 Danielis ℣ 2, exponens illa verba:* Et ecce quattuor venti cæli, *etc.* Quattuor ventos cæli, *inquit,* quattuor arbitror Angelicas potestates, quibus principalia regna E commissa sunt, juxta illud, quod in Deuteronomio legimus (*cap. 32, ℣ 8 secundum Septuaginta*). Quando dividebat Altissimus gentes; quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei. Pars autem Domini populus ejus *etc. Hic locus ad idem probandum a plurimis Patribus, qui editionem Septuaginta secuti sunt, allegatur. Attamen in Vulgata non legitur* Angelorum Dei, *sed* filiorum Israel. *Hoc non ignorabat Hieronymus, quando locum hic recitavit, et iterum loco mox allegato; cum ipse ex Hebræo textu vertisset, sicut habet Vulgata. Itaque credidit, non contemnendam auctoritatem versionis Septuaginta, eamque saltem valere ad confirmandam sententiam aliunde jam probatam. Itaque rursum in caput 15 Isaiæ circa finem de* Angelis *indubitanter dicit :* Qui singulis præsunt gentibus. *Et in cap. 48 ait, significari* Angelum *gentis Babyloniæ præsidem. Similiter in cap. 57* ecclesiarum præsides Angelos *memorat. Ac tandem, ut mittam alia, in Epistola 93 ad Sabinianum lapsum ita loquitur :* Et ecce Angelus ille, cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini custos, et infantis Christi gerulus, coram quo tanta F faciebas, ipse te prodidit.

Eumdem ex eodem Danielis loco.

158 *S. Gregorius Magnus lib. 17 Moralium in Job cap. 25 allegatum supra locum Danielis examinat, et inquirit, quo modo dicatur* pax in sublimibus summa *retineri, si Angeli invicem resistant : nam per principes Persarum et Græcorum,* Angelos *iis regionibus præpositos cum Hieronymo intelligit.* Quos itaque alios principes gentium, *inquit,* nisi Angelos appellat, qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoque Angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui Veritatis assistunt? *Ad objectionem vero sic respondet :* Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum Spirituum opem merentur, ipsi, qui præsunt, Spiritus contra se venire referuntur. Is namque Angelus, qui Danieli loquebatur, captivis Israelitici populi, in Perside constitutis, prælatus agnoscitur : Michael autem eorum, qui ex eadem plebe in Judææ terra remanserant, præpositus invenitur. Unde et ab hoc eodem

AUCTORE J. S.

dem angelo paulo post Danieli dicitur «Nemo » est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael » princeps vester. » De quo et hoc, quod præmisimus, dicet : » Et ecce Michael, unus de Prin« cipibus primis, venit in adjutorium mihi. » Qui, dum nequaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captivus in alia parte tenebatur.

in quem de oppositis Angelorum subsidiis congrue disserit,

159 Quid est ergo, angelum dicere : » Ego » veni propter sermones tuos : Princeps autem » regni Persarum restitit mihi, « nisi sua subditis opera nuntiare? Acsi aperte dicat : Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus a jugo suæ captivitatis exuatur : sed est adhuc, quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat, ut de ereptione illius Persarum Princeps mihi jure contradicat, quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ, qui in Judæa sunt, adjuvent : Unde hoc quoque, quod diximus, subjungit : » Michael princeps vester venit in adju» torium mihi. » Cumque, ut adversus Principem Persarum prælietur, egreditur. Græcorum sibi Princeps adveniens apparet. Qua ex re innuitur, quod adversum Græcos quoque aliquid Judæa
B commiserat, quorum profecto causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces Angelus exaudit, sed Persarum Princeps resistit : quia etsi jam vita justi deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen populi adhuc vita contradicit; ut, quia necdum hi, qui in captivitatem fuerant ducti, plene purgati sunt, jure eis adhuc Persæ dominentur. Michael adjuvat, sed Græcorum Princeps ad prælium venit; quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio hoc quoque, quod in Græcos deliquerant, obviabat.

similiter asserit S. Gregorius.

160 Recte ergo dicitur, quod contra se Angeli veniunt; quia subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes Spiritus, eisdem gentibus principantes, nequaquam pro injuste agentibus decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis Præpositus vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria est sui super se Opificis voluntas summa :
C quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt. Bene ergo dicitur : » Qui » facit concordiam in sublimibus suis. » *Sunt hæc verba Job 25, ℣ 2, quorum occasione omnia illa disseruit S. Gregorius. Facile videbit studiosus lector, pie admodum et probabiliter exponi, quæ humano agendi modo prolata sunt a Propheta; totamque expositionem, quatenus spectat ad principatum* Angelorum, *et ad propositum nostrum, plane conformem esse Hieronymianæ; differre tamen in eo, quod aliam rationem, cur venerit Græcorum Princeps, dederit Hieronymus, aliam Gregorius. Verum ad propositum nostrum eo non pertinet.*

Consentit S. Basilius, et alia quoque ex Scripturis allegat :

161 *S. Basilius lib. 3 contra Eunomium num. 1, postquam asserueral* Angelos *hominum custodes, ita pergit :* Quod autem rursus sint Angeli quidam, qui gentibus integris præpositi sunt, docet nos per Canticum Moses, dum ait : » Quando » dividebat Altissimus gentes, quando dispersit » filios Adam, constituit terminos gentium juxta » numerum Angelorum suorum. » Et sapiens Daniel in visione Angeli audivit ipsum dicentem : Princeps regni Persarum, *etc. Allegat locum Scri-* D *pturæ jam dotum. Tum subdit :* Sed et copiarum Domini imperator ac dux dicitur is, qui Jesu Nave ad Jordanem manifestatus est. *Apparitio, quam hic recte ad confirmationem suæ sententiæ producit Basilius, legitur Jos. 5, et data est supra § 5, num. 68. Dicebat* Angelus *de se :* Sum Princeps exercitus Domini. *Custos igitur erat gentis Israeliticæ, quæ exercitum constituebat. Eadem porro ratione, qua Basilius assignat dictam visionem ad confirmandam* Angelis *gentium integrorum tutelam, videtur adduci posse in confirmationem locus num. 64 datus Exod. 23, ℣ 20 :* « Ecce ego mit» tam Angelum, qui præcedat te, et custodiat in » via, *etc.;» cum procul dubio promissio illa Moysi detur pro tota gente.*

162 *Si quis vero contendere vellet, singulari privilegio Israelitis* Angelum *custodem a Deo fuisse datum, ideoque ex eorum exemplo non recte inferri, aliis quoque gentibus* Angelos *præfuisse tutelores; responderem, idem non posse dici de* Angelis *Persarum et Græcorum. Accedit secundum interpretationem variorum* Angelus *custos Macedoniæ, qui S. Paulo apparuisse legitur Act. 16, ℣ 9, ut relatum est num. 115. Invenit etiam S. Hieronymus provinciarum* Angelos *in visione Zacha-* E *riæ, relota num. 91 cum interpretatione. S. Hieronymi, qui illa verba :* Isti sunt, quos misit Dominus, ut perambulent terram, *explicat de* Angelis *custodibus,* qui regnis et nationibus præsidebant. *Isidorus Pelusiota lib. 2, Epist. 85 plane consentit,* quodcuique nationi Angelus attributus est, *uti et Nazianzenus, num. 144 laudatus. Origenes de* Angelis *provinciarum præsidibus meminit variis locis ac nominatim Hom. 23 in Josue, et Hom. 12 in Lucam, ubi* Angelum, *qui S. Paulo apparuit Act. 16, Macedoniæ custodem credit. Mitto alios, ne fiam justo prolixior.*

quibus et nonnulla ex Scripturis, et aliqui Patres adducuntur,

163 *Multorum quoque Patrum sententia est, singulis ecclesiis suos præesse* Angelos *custodes. Locus tamen Apocalypseos cap. 2 et 3, ubi Joannes jubetur scribere od* Angelos *septem ecclesiarum, quem nonnulli allegarunt ad memorotum* Angelorum *præfecturam probandam, passim aliter explicatur, nimirum de episcopis. Et merito quidem negamus, per* Angelos *ibi beatos Spiritus significari, cum aliqui eorum reprehenduntur ob nonnullos defectus, qui non cadunt in sanctos* Angelos, *faciem Dei semper videntes, et peccati expertes.* F *Error fuit Origenis, quod aliqui ex* Angelis *deessent subinde officio suo, et sic peccarent ac Dei gratia etiam exciderent. At is error a multis seculis reprobatus est, et a plerisque Patribus refutatus. S. Augustinus lib. 83 Quæstionum Quæst. 79 ait:* Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur. *Rursum lib. 8 de Genesi ad litterom cap. 23 docet, Deum omnes creaturas alteri cuipiam sublimiori subdidisse, et deinde cap. 22 hæc scribit :* Ac per hoc sublimibus Angelis, Deo subditæ fruentibus, et Deo beate servientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirma vel prava, ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, jubente illo, cui subjecta sunt omnia. *Multa particularia tradidit Origenes, de quibus videri poterunt theologi. Propositum mihi non est plura de his accumulare.*

Aliarum quoque rerum custodes Angeli.

§ XI.

A

§ XI. Præcipua Angelorum, maxime custodum, in clientes suos beneficia, quæ ex sacris Litteris colliguntur.

Angeli custodes clientibus suis

Sanctus *Augustinus lib.* 1 *de Doctrina Christiana cap.* 30 *hæc scribit :* Jam vero, si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur, manifestum est, hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus nobis tanta misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est. *His insinuat, partim generalibus Scripturæ verbis, partim exemplis particularibus,* Angelorum *in homines officia innotescere. Generalia sunt in verba Psalmi* 90, Angelis suis (*Deus*) mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Ex iis S. Bernardus in dictum Psalmum,* Qui habitat *Serm.* 12 *ita monet :* Quantam tibi debet hoc verbum

B

inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tunc audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide, quia non solo visu rerum præsentia comprobatur... Si fidem consulas, ea tibi Angelicam probat præsentiam non deesse... Adsunt igitur, et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant : adsunt, ut prosint. *Hactenus Bernardus de præsentia* Angeli *custodis omni loco.*

ubique adsunt, piosque protegunt

165 *Eamdem præsentiam confirmat Serm.* 39 *in Cantica, ubi simul docet, adesse* Angelum, *ut pericula omnia a cliente suo avertat.* Noveris, *inquit,* hujusmodi animam (*videlicet piam*) numquam esse sine Angelorum custodia, qui eam æmulantur Dei æmulatione, solliciti suo Viro

C

servare, et virginem castam exhibere Christo. Et ne dixeris in corde tuo : Ubi sunt? Quis eos vidit? Vidit eos propheta Elisæus, insuper et fecit orando, ut videret etiam Giezi. Tu non vides, quia non es propheta, nec puer prophetæ. Vidit patriarcha Jacob, et ait : « Castra Dei sunt » hæc ». Vidit et Doctor gentium, qui dicebat : « Nonne omnes administratorii Spiritus sunt, » missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem » capient salutis? » *Generalis illa protectio piorum per* Angelos *custodes egregie confirmatur ex Psal.* 33, ℣ 7 : Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. *Nam ibi præcedunt hæc verba :* Et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum, *videlicet Deus pauperem ad se clamantem : tum vero sequuntur verba de protectione* Angeli, *quasi ad explicandum, quomodo Deus de omnibus tribulationibus pios sit erepturus.*

in periculis

166 *Magnis se ereptam a Deo periculis, agnovit Judith, quando post occisum Holofernem cap.* 13, ℣ 20 *sic loquebatur :* Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem (*ad castra Holofernis*) et ibi commorantem, et inde huc revertentem. *Non autem corporis solum et vitæ periculis liberatam se testatur Judith, sed etiam* sine pollutione peccati *rediisse. Jacob Gen.* 48 de cunctis malis *erutum se ab* Angelo *agnoscit. Conservationem similiter in gravibus et manifestis periculis significant illa Psal.* 90, ℣ 12, *quæ post verba superius allegata sequuntur :* In manibus portabunt te; ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem et basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem. *Laudatus ante Bernardus ex allegatis verbis colligit, quanta nobis sit necessitas* Angeli *custodis, cum tot inter pericula vivamus, parvulique simus et imbecilles.*

AUCTORE J. S.

et tentationibus,

167 Vide enim, *inquit Serm.* 12, quam tibi necessaria sit ista protectio, ista custodia in omnibus viis tuis. « In manibus (inquit) portabunt te, » ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum ». Parum tibi videtur, quod sit lapis offensionis in via? Considera, quæ sequuntur : « Super aspidem » et basiliscum ambulabis, et conculcabis leo- » nem et draconem ». Quam necessarius pædagogus, imo etiam bajulus, præsertim parvulo, inter hæc gradienti! « In manibus (inquit) porta- » bunt te. » In tuis quidem viis custodient te et deducent parvulum, quia potest parvulus ambulare. E Ceterum non te patientur tentari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollent, ut pertranseas offendiculum. Quam facile transit, qui illis portatur in manibus! *Hinc continuo ita monet :* Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, et dic : Domine, salva nos, perimus. *Antea animos addiderat his verbis :* Ceterum etsi tam parvuli sumus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et tam periculosa via restat; quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt. Quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, in protectione Dei cœli commoremur.

quatenus eis utile est ad salutem.

168 *Ultima addit Bernardus, quia tam singularis protectio promittitur iis, qui habitant in adjutorio Altissimi, et qui timent Deum, qualis erat Jacob, qualis Judith, qualis Tobias, quem modo singulari adversus omnia pericula protexit* Ange- F lus Raphael, *ut vidimus* § 4. *Si quis vero objicere voluerit, etiam justis oriri quandoque gravia damna, incommoda, adversa, calamitates et miserias, uti contigit Jobo, Tobiæ, aliisque plurimis; neque ea averti per* Angelos *custodes : facile respondebitur, temporalia adversa diligentibus Deum frequenter prodesse ad immensa æternaque bona in cœli obtinenda, ideoque nec a Deo, nec ab* Angelo *custode, qui voluntatem Dei sequitur, semper averti. Hinc* Raphael *Tob.* 12, ℣ 13 *ait Tobiæ seniori :* Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. *Et cap.* 2, ℣ 12, *relata excitate, quæ obvenerat Tobiæ, Scriptura subjungit :* Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut et sancti Job. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes et cognati ejus irridebant vitam ejus *etc.*

169 *Peccantes*

AUCTORE J. S.

Non tanta custodum de male agentibus cura,

169 *Peccantes non tam singulari protectione sua, et occasione cantus in choro de Angelis ita Angeli custodis gaudere, observat S. Bernardus loquitur* : O si quis haberet oculos apertos, quos *Serm.* 11 *ad hæc verba* : In omnibus viis tuis. *subjungens sequentia* : In quibus omnibus viis? Quibus declinas a malo, quibus fugis a ventura ira. Multæ sunt viæ, et genera multa viarum : magnum profecto periculum viatori! Quam facile in multarum occursu errabit in via sua, qui viarum discretione caruerit! Nam neque Angelis mandavit, ut in omnibus viis custodiant nos, sed in omnibus viis nostris. Sunt autem, a quibus, non in quibus, oporteat custodiri. *Observat quoque Serm.* 12, *Angelum quandoque dissimulare præsentiam suam, etsi revera adsit clienti suo, subdens* : Spirituales enim sunt manus istæ (*Custodis,*) et auxilia utique spiritualia, quæ singulis electorum pro cujusque discriminis modo et objectæ difficultatis, tamquam lapideæ molis quantitate, ab his, qui sibi deputati sunt, Angelis spiritualiter et multipliciter exhibentur.

sed magna de iis, qui internis

170 Dico ego tamen aliqua ex his, quæ communia magis arbitror, et paucis, qui inter vos sunt, inexperta. Turbatur aliquis vehementer, seu corporali quovis incommodo, seu tribulatione aliqua sæculari, seu acedia spiritus, et quadam animi defectione languescens? Jam tentari incipit B supra quam potest sustinere, jam impinget et offendet in lapidem, si non fuerit, qui subveniat. Quis vero est lapis iste? Ego illum intelligo lapidem offensionis, et petram scandali, in quam si offenderit quis, collidetur : super quem vero ceciderit, conteret eum; lapidem utique angularem, electum, pretiosum, qui est Dominus Christus. In hunc Lapidem offendere est murmurare adversus eum, scandalizari a pusillanimitate spiritus et tempestate. Itaque opus est illi Angelica ope, Angelica consolatione, Angelicis manibus, qui jam defecit, jam propemodum offendit in Lapidem. Et vere offendit in Lapidem, qui murmurat et blasphemat, seipsum collidens, non eum, in quem furibundus impingit. Arbitror sane, velut duabus quibusdam manibus ejusmodi homines interdum ab Angelis supportari, ut quodammodo non sentientes transeant, quod tantopere formidabant, nec parum mirentur postmodum, tam super posteriori facultate, quam super difficultate priori.

agitantur molestiis.

171 Vultis scire, quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonstrationem, dum videC licet hinc quidem tribulationis brevitas, inde æternitas retributionis ostenditur, aut magis pingitur vel imprimitur cordi, ut intimo affectu sentiamus, quoniam momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis vero istas tam bonas per bonos non credat fieri, cum certum sit, quod e contrario malæ utique fiant immissiones per Angelos malos? Habetote familiares Angelos, fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione et devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam et consolationem. *Hæc Bernardus, qui, dum bonas id genus cogitationes tentatis suggeri ab Angelis custodibus asserit, non excludit internam Dei gratiam, quam multis locis necessariam testatur. Si expendamus pia consilia, quæ Raphael suggessit juniori Tobiæ, quæ Angelus apparens Cornelio Act.* 10, *aliique Angeli aliis locis ante memoratis, non dubitabimus de assertis S. Bernardi.*

Alia Custodum beneficia,

172 *Idem alia quoque Angelorum officia memorat in Epistola* 78 *ad Sugerium abbatem S. Dionysii, cui gratulatur de restituta disciplina mona-* D *stica, et occasione cantus in choro de Angelis ita loquitur* : O si quis haberet oculos apertos, quos (*Eliseus*) puero (*Giezi*) revelavit, videret procul dubio, quemadmodum præveniunt Principes, conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum. Videret, inquam, qua cura, quove tripudio intersunt canticis, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, orantibus et procurantibus præsunt. Agnoscunt nimirum supernæ Potestates concives suos, et pro his, qui hæreditatem capiunt salutis, sollicite congaudent, confortant, instruunt : protegunt, providentque omnibus, omnes in omnibus. *Ita certe Raphael providit Tobiæ.*

173 *Hinc Serm.* 12 *in Psalm.* 90 *monet quidem, omnia ab Angelis fieri, mandante Deo, ideoque gloriam ad solum Deum referendam; mox tamen addit sequentia* : Verumtamen, etsi ille mandavit, ipsis quoque, qui et ei tanta caritate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus; redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus. *Et inferius* : In ipso (*Deo*) itaque, fratres, affectuose diligamus Angelos ejus, tamquam futuros aliquando coheredes nostros, interim vero E actores et tutores a Patre positos et præpositos nobis. *Multis aliis locis S. Bernardus hortatur ad cultum Angelorum, non modo ut licitum, de quo nullus dubitat catholicus, sed etiam ut nobis utilem valdeque fructuosum. Posset Angelorum cultus vindicari contra hæreticos, qui eum oppugnarunt : sed id factum est a pluribus, quam ut necesse videatur catholicum illud dogma ulterius hic confirmare.*

quibus obstricti sunt clientes.

174 *Officium quoque Angeli custodis est, clientem suum ad bona opera excitare, ut allegata mox Bernardi verba clare insinuant; preces nostras piaque vota et opera bona Deo offerre, ut se fecisse ait* Raphael *Tob.* 12, ℣ 12 *his verbis* : Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos *etc*... ego obtuli orationem tuam Domino. *Idem quoque indicatur Apoc.* 8, ℣ 3 *et* 4 *hoc modo* : Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum : et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu F Angeli coram Deo. *Sic autem censendi sunt nostras preces Deo offerre, ut suas pro nobis ad Deum adjungant. Nam Angelos pro nobis orare, colligitur etiam ex Daniele cap.* 10, *ubi Angelus Danieli apparens, qui Gabriel creditur, cum Michaele pro Judæis stabat contra Principem Persarum, nimirum precibus pro illis apud Deum agendo, ut exponunt sancti Patres.*

Preces nostras Angeli Deo offerunt.

175 *S. Bernardus Serm.* 31 *in Cantica pie admodum exponit, quomodo in hisce Angelus custos cum anima agat, et pro pia anima apud Deum intercedat* : Sed et Angelus ejus, *inquit num.* 5, qui unus est de sodalibus Sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profecto et arbiter secretæ mutuæque salutationis : is, inquam, Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur et condelectatur, et conversus ad Dominum, dicit : Gratias ago tibi, Domine majestatis, quia desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. Ipse est, qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ non cessat sollicitare eam, et assiduis suggestionibus monere, dicens : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Et rursum : Exspecta Dominum,

et pro nobis apud Deum intercedunt.

A minum, et custodi viam ejus. Item: Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ad Dominum autem: Sicut cervus, inquit, desiderat, ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te, Deus. Desideravit te in nocte, sed et Spiritus tuus in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te. Et iterum: Tota die expandit ad te manus suas: dimitte illam, quia clamat post te: Convertere aliquantulum, et deprecabilis esto super eam. Respice de cælo, et vide, et visita desolatam. Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gloriam; discurrit medius inter Dilectum et dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræsentat eos pariter sibi, sive hanc rapiens, sive illum adducens: siquidem domesticus est, et notus in palatio, nec veretur repulsam, et quotidie videt faciem Patris. *Hactenus Bernardus, monens, omnia mystice intelligenda.*

dæmonum tentationes cohibent:

176 *Rursus* Angelorum *officium est, coercere dæmones, ne magis homines tentent, quam perferre valeant, aut Deus permiserit. Colligitur hoc ex facto* S. Raphaelis *Tob.* 8 ℣ 3, *ubi dicitur:*
B Tunc Raphael apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti. *Ad illud etiam pertinent verba Psalmi* 90: Super aspidem et basiliscum ambulabis *etc. Quare S. Bernardus Serm.* 13 *infert necessitatem maximam custodiæ Angelicæ, hæc scribens:* Enimvero manifestius audi, quam necesse habeas portari in manibus alienis, nec aliis quam Angelicis tamen: « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. » Quid inter hæc faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam horribilia monstra constaret? Nempe nequitiæ spirituales sunt, et quidem non incongruis appellationibus designatæ... Quis vero scire potest, an divisæ sint inter eos operationes malitiæ, ministeria iniquitatis, ut ex diversis officiis, vel potius maleficiis, vocabula quoque diversa sortiti, nominentur alius quidem aspis, alius vero basiliscus, alius autem leo, et alius draco, quod videlicet suo quidem invisibili modo varie noceant, quasi alius morsu, alius visu, alius rugitu vel ictu, alius flatu? *Mitto complures Patres, qui* Angelorum *præsertim contra dæmones*
C *protectionem agnoscunt.*

videntur aliquando castigare delinquentes,

177 *Ex variis Scripturæ locis colligi etiam videtur, delinquentes ab* Angelis *corrigi et emendari, ac pœnis etiam ad emendationem impelli, quemadmodum ægroti non raro durius tractantur a medicis, et filii a suis genitoribus, si id ad earum sanationem aut emendationem expedire videtur, aut necessarium esse. De Angelo, quem Deus Israelitis custodem dedit, Exod.* 23, ℣ 20 *ita monuit:* Nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris. *Hinc Jud.* 2 Angelus, *qui verisimiliter erat idem custas Israelitarum, graviter objurgavit populum congregatum, quod non delevisset incolas terræ promissæ, et pœnam Dei nomine* ℣ 3 *adjungit, ita loquens:* Quamobrem nolui delere eos a facie vestra, ut habeatis hostes, et dii eorum sint vobis in ruinam. *Gravis sane est pœna, quam Angelus nomine Dei minatur propter inobedientiam, et ex ea S. Augustinus quæst.* 12 *in Judices infert,* nonnulla etiam de ira Dei venire peccata, *nimirum quod Deus in pœnam præcedentis peccati non avertat occasiones, quibus in alia peccata delabuntur, ut hic se facturum Deus per* Angelum *suum minatur. Neque tamen alia est pœna illa, quam beneficiorum minime debitorum subtractio. Quomodo punitus etiam per* Angelum *sit David, relatum est num.* 77.

et visitationem suam subtrahere.

178 *Quapropter S. Bernardus Serm.* 1 *in festa S. Michaelis hæc monet:* Quæ cum ita sint, pensate, quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis et negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: « Amici mei et proximi mei adversum me » appropinquaverunt, et steterunt; et qui juxta » me erant, de longe steterunt; et vim faciebant, » qui quærebant animam meam, » clangatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. *Addit aliqua bona hominum opera, quam maxime* Angelis *grata. At, ne fiam prolixior, dixisse sufficiat, omnia, quæ Deo placent,* Angelis *quoque placitura.*

E

Subsidia ab Angelis in vitæ periculis.

179 *Manifestis quoque vitæ amittendæ periculis homines* Angelorum *suorum subsidio eripi, variis probatur exemplis. Sic Gen.* 21 *Ismael puer, quem mater Agar moriturum jam deseruerat,* Angeli *apparentis hortatu in vita servatus est. Sic Dan.* 3 *Ananias, Misael et Azarias in medio fornacis ardentis per* Angelum *servati sunt illæsi. Sic Daniel in lacu leonum Dan.* 6 *in vita servatus est, et rursum Dan.* 14 *non solum contra leones servatus, sed etiam, ne fame moreretur, ope* Angeli *cibum accepit. Sic S. Petrus Act.* 12, *quando jussu Herodis erat occidendus, per* Angelum *vinculis solutus, carcere eductus, et morte imminente liberatus est. Alia quoque particularia beneficia, ad præsentem vitam spectantia, per* Angelos *non pauci obtinuerunt. Gen.* 16 *Agar ancillam, quæ fugiens e domo dominæ suæ in deserto periculis erat exposita, monitis suis reduxit* Angelus, *numerosamque eidem posteritatem Dei nomine promisit. Quando Elias ob minas reginæ Jezabel vehementi timore erat correptus, mortemque etiam desiderabat* 3 *Reg.* 19, *sedens in deserto sine cibo et potu, adfuit* Angelus, *et timentem recreavit,* F *cibumque eidem et potum subministravit. Eliseus vero, cum* 4 *Reg.* 6 *circumdatus esset ab exercitu Syrorum,* Angelos *complures habuit adjutores, et salvus evasit.*

aliis in necessitatibus,

180 *S. Josephus Matth.* 1 *monitus est, ne dimitteret sanctissimam Mariam conjugem suam, quod facere cogitabat, et sursum cap.* 2, *ut Jesum puerum et Matrem ejus persecutioni Herodis subtraheret, ac deinde ut ex Ægypto in Judæam rediret. Rursum Joan.* 5 Angelus *in probatica piscina suo ministerio infirmis sanitatem reddebat. Christus ipse Dominus, quando pro nobis in agonia volens erat, Luc.* 22 *non dedignatus est* Angelum *habere consolatorem. Attamen Matth.* 26 *legiones* Angelorum *noluit petere, ut pro nobis pateretur. Post resurrectionem adsunt* Angeli, *ut lugentibus mulieribus, et per eas Apostolis, nuntiarent Christi resurrectionem, eaque ratione eis animos adderent. Ita* Angelus *Act.* 27 *revelavit S. Paulo, neminem ex iis, qui erant in navi perituru, vitam amissurum, et sic timore quasi mortuos recreavit, omnesque* animæquiores *reddidit. Mitto*

Mitto varia ante relata, de auxilio tamen in bellis per Angelos *præstito breviter colligam jam data.*

in bellis,

181 *Primo Exod.* 14, *persequente Israelitas Pharaone cum exercitu*, Angelus *columnam nubis sic posuit* inter castra Ægyptiorum et castra Israel, *ut Ægyptii* accedere non valerent, *et ita effecit, ut Israelitæ trepidantes nec pugnare cogerentur nec se reddere captivos. Secundo Jos.* 5 *et* 6 Angelus *docuit Josue, quo modo capienda esset urbs Jericho, eoque plane modo urbs illa fuit expugnata. Cum oppressi erant Israelitæ a Madianitis*, Angelus *Jud.* 6 *apparuit Gedeoni, eumque animavit ad populum suum Madianitarum jugo liberandum, quod ille cum trecentis solum viris feliciter perfecit ope divina, ut refertur cap.* 7. *Ezechias rex pius* 4 *Reg.* 19 *ingenti Assyriorum exercitu extrema quæque minitante, per* Angelum *liberatus est, cæsis una nocte centum octoginta quinque millibus, et fugientibus reliquis. Judas Machabæus variis vicibus ingentes hostium exercitus ope* Angelica *profligavit, et famosos duces partim fugavit, partim occidit, videlicet Timotheum, cum ingenti clade primum vicit et deinde occidit: Lysiam cum* B *numerosissimo exercitu superavit fugavitque: et Nicanorem tandem, edita hostium strage omnium maxima, in pugna occisum intellexit. Hæc breviter recensenda censui, ne quis pro fabulis habenda statim existimet, si similia legerit in historiis ecclesiasticis aut profanis.*

aliisque pluribus. Iidem creduntur piorum defunctorum

182 *Possent et alia addi particularia* Angelorum *beneficia, cum* S. Raphael *uxorem divitem et piam procuraverit Tobiæ juniori, eidemque opem præstiterit in recipienda pecunia a Gabelo: visum vero ejus patri Tobiæ restituerit, præclara monita juniori dederit, eumque omnibus periculis in prolixo itinere liberaverit, ut inferendum videatur, similia ab* Angelis *custodibus non raro piis clientibus præstari. Verum et hæc et alia ante recensuimus, et data modo sufficiunt, ut intelligamus, nihil esse necessitatis aut animæ aut corporis, in quo* Angeli *clientibus suis non succurrant, quotiescumque id divinæ Majestati placuerit. Demum igitur adjungo ultimum beneficium, quod animabus piorum post mortem a custodibus* Angelis *præstari creditur, nimirum quod eas in cælum perducant, si omnino sint puræ, aut in locum purgatorium, si quæ expiandæ sint maculæ. Colligitur* C *id ex verbis Christi Domini Luc.* 16, ℣ 22 *de mendico Lazaro:* Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

animas in cælum aut purgatorium portare.

183 *Hinc S. Bernardus Serm.* 13 *in Psalm.* 90, ℣ 12, *ita ratiocinatur:* Possumus hunc versum, qui in manibus est, videlicet; » In manibus portabunt te » etc., non modo de præsenti consolatione dictum accipere, sed etiam de futura. Nempe custodiunt nos in viis nostris Angeli sancti, sed viis finita (quod est utique vita finita) in manibus tollunt. Nec enim desunt nobis testes fideles. Proxime lectum est vobis de beatissimo patre nostro, vere per omnia Benedicto, quod, dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani episcopi in sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. Sed quid hujusmodi testimonia requiramus? Ipsa in Evangelio Veritas de mendico et ulceroso ait, quoniam portatus est ab Angelis in finum Abrahæ. Neque enim in illa tam nova nobis tamque incognita regione ambulare ipsi possemus etc. *Hoc dæmonum causa necessarium credidit S. Bernardus; eadem-que de causa Serm.* 7 *de morientibus dixerat:* Si- D quidem omnino opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno, propter horribiles illas visiones, non minus quam hic adjutore et propugnatore contra invisibiles tentatores. *Hoc tamen loco videtur potius de Christo adjutore loqui, quam de* Angelo *custode.*

Plura de Angelis custodibus ab aliis quæsita.

184 *Plura de* Angelis *non inquiram, etiamsi multo plura de iis disputent theologi. Itaque non investigabo, ex quibus* Angelorum *ordinibus aut choris sint hominum custodes, aut custodes ecclesiarum, congregationum, urbium, provinciarum: nihilo magis, an ex alio* Angelorum *ordine sint custodes episcoporum, principum, regum, summorum Pontificum, quam personarum privatarum* Angeli. *Non examinabo, an aliqui in ejusmodi dignitatibus* constituti *geminos habeant custodes, alterum pro sua persona, alterum ratione officii, ut nonnulli voluerunt. Magis etiam ambigua mihi videtur quæstio, utrum ex omnibus* Angelorum *ordinibus aliqui a Deo ad custodiam hominum ablegentur, aut certe ad officia quædam hominibus præstanda mittantur; an vero ex solis aliquot ordinibus inferioribus illi eligantur; quam ut de illa disserere lubeat. Vidimus num.* 129 *et* 130 *dubitan-* E *tem ea de re S. Gregorium Magnum, rationesque dubitandi, quas affert, liquido sublatas necdum inveni. Hinc consequenter statuere non possumus, ex quo* Angelorum *choro sint* SS. Michael, Gabriel *et* Raphael, *quos novimus administratorios spiritus, et in ministerium missos. Nonnulli enim volunt, eos ex supremo esse ordine* Seraphinorum, *alii ex ordine* Archangelorum, *alii ex diversis ordinibus. Malim de his plura discere, quam docere.*

XII. De apparitione S. Michaelis in Chonis, relata in Fastis Græcorum: qualia hujus apparitionis sint Acta, et quo fere tempore contigisse videatur.

Ex apparitione S. Michaelis et miraculo

Celebrari *apud Græcos die* 6 *Septembris famosam* S. Michaelis *apparitionem, quæ* in urbe Colossensium, quæ postea dicta est Chone, *contigisse dicitur, observavimus num.* 15 *ex Menologio aliisque Græcorum, Moscorum et Coptitarum Fastis. In Menæis impressis ad* 7 *Septembris factum narratur verbis græcis, quæ latine reddita hue transfero:* Viri gentiles, invidia tabescentes ob miracula, quæ fiebant in templo archistrategi Michaelis, fluvium in vicinia manantem volebant contra templum vertere, ut et templum submergerent, et virum venerabilem Archippum, prope habitantem, perderent. Apparens vero solum divinus Archistrategus, jubensque Archippum bono esse animo, petram virga percutit, transitum in ea faciens fluvio: ab eo tempore usque ad hoc transire cernitur infusus. *In Menologio Basiliano ad eumdem diem modo nonnihil diverso res narratur.* F

dicitur urbs Colossæ deinde Chona vocata.

186 *Quare illius relationem etiam transcribo:* In ea urbe, quæ nunc Chone, olim autem Colassa dicebatur, vir quidam pius ac timens Deum, nomine Archippus, habitabat apud eum locum, unde magni Archistrategi opera emanarant aquæ. Ubi cum innumeris, quæ per aquam edebantur

A bantur, miraculis multos infideles converteret ac baptizaret, Græcorum invidiam concitavit, non ferentium admiranda illa prodigia videre. Immani itaque rabie in lustralem aquam, et sanctum Archippum inflammati, coacta innumera operarum manu, duobusque magis in unum corrivatis fluminibus, rapidam fluentis aquæ molem in eum locum immiserunt, ut templum simul et lustralem illam aquam, et Archippum convellerent. Ut vero sensit Archippus irruentis aquæ murmur; imploravit Archistrategi auxilium: qui statim adfuit, et virga, quam præ manibus habebat, percussa petra, repentino ejusdem petræ hiatu aquas obruit: et ex eo tempore locus iste Chonæ vocatus est. *Hæc mutati urbis nominis ratio etiam asseritur in Synaxario Sirmondi, inferius subinde laudando. Facile videbit studiosus lector, nonnullam in hisce relationibus esse diversitatem. Nam in Menæis de uno tantum fluvio fit mentio, in Menologio de duobus. Secundum Acta danda et Synaxarium duos simul fluvios impii voluerunt e montibus in oratorium* S. Michaelis *præcipites ducere, ut*

B *habet Menologium.*

Lycus fluvius prope Colossas subibat terram,

187 *Quod spectat ad locum designatum, urbs est Phrygiæ Pacatianæ, quæ olim* Colossæ, *aut, ut volunt aliqui,* Colassæ' *dicebatur, et postmodum* Chonæ *fuit dicta. Agit de ea Cellarius in Geographia antiqua tom. 2, pag. 92, ostenditque, Colassas fuisse sitas ad Lycum fluvium, et vicinas fuisse Laodiceam et Hierapolim, ejusdem provinciæ civitates. Profert et hæc Herodoti verba :* Pervenit Colossas, Phrygiæ oppidum eximium, ubi Lycus amnis hiatum terræ subdit, deinde fere post quinque stadia emergens, elabitur et ipse in Meandrum. *Circa eamdem civitatem memorat et Caprum flumen. Recitat ibidem de Lyco fluvio verba quoque Plinii sequentia :* Subeunt terras rursumque redduntur Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tygris in Mesopotamia. *Strabo lib. 12, pag. 578, ubi de Laodicea egerat, et in vicinia Colossenos habitare dixerat, hæc subjungit :* Ibi etiam Caprus et Lycus in Mæandrum incidiunt. Lycus fluvius est justæ magnitudinis, a quo et Laodicia cognomen habet, ut ad Lycum sita dicatur. Supra urbem situs est mons Cadmus, e quo Lycus defluit, item alius monti cognominis : qui cum haud exiguo spatio terram subeat rursumquo

C emergens reliquis misceatur fluminibus ; simul et multis foraminibus pervium declarat solum, et obnoxium facile terræ esse motibus *etc.*

ut hoc tribuendum non sit Miraculo S. Michaelis :

188 *Hæc de flumine terram subeunte afferre volui, quia simile quid exhibent cum iis, quæ in allegatis Fastis contigisse dicuntur miraculo* S. Michaelis. *Nam ex monte Cadmo dicuntur oriri duo flumina, alind Lycus, aliud monti cognomine, id est, Cadmus. Sic acta num. 12 duo flumina in monte exhibent, vocantque* Cuphum *et* Lycocaprum. *Menologium vero addit, ea per* S. Michaelem *fuisse in terram immersa, ut Lycus hiatum terræ subire dicitur. Acta vero ipsa exiguæ auctoritatis esse, inferius videbimus. Quapropter multi facile suspicobuntur, mirabilem illam cursum Lyci fluvii, qui diu ante natum Christum visus est terram subire, ac deinde iterum erumpere, ut ex Herodoto constat et aliis allegatis, occasionem dedisse exornando miraculo* S. Michaelis. *Fateor, allegata observatione et me hærere, quia eodem, ut videtur, loco, ubi fluvius jam ante sub terram ingrediebatur, miraculo* S. Michaelis *dicitur in hiatum terræ infusus. Imo in Menæis, Menologio, Synaxario, Actis a Surio editis, aliisque Græcis Archippo perperam attributis, talem fere terræ hiatum ad transitum fluvio præbendum fecisse dicitur* S. Michael, *qualem ibidem antea fuisse novimus. Itaque non dubito edicere, omnibus istis monumentis miraculum corrupte relatum.*

qui aquarum inundationem ibidem tamen repressit.

189 *Verum acta græca, quæ mox edam, etiamsi aliis defectibus non careant, istud aquarum repressarum miraculum rectius exponere videntur. Certe observatio de Lyco Colossis terram ab antiquissimis temporibus subeunte illis non repugnat, sed potius hac ex parte probabilitatem conciliat. Nam facile capimus, fluvium aliquem, qui notabili intervallo per angustiorem terræ hiatum decurrit, necessario ante hiatum elevari et redundare, quando major descendit aquarum copia, quam hiatus valet transmittere. In actis autem dandis num. 16 et 17 solum dicitur* S. Michael *aquas appropinquantes ad oratorium et in altum se elevantes primum continuisse, ac deinde retro egisse* ad petram jam ante perruptam ac in quamdam fornacis speciem hiantem, *id est, ad ipsum terræ hiatum, per quem Lycus solebat fluere. Consentit igitur auctor actorum de hiatu terræ, per quem Lycus fluebat, cum vetustis geographis. Miraculum vero in eo agnoscimus, quod* Archangelus *aquas continuerit,*

E *donec per solitum hiatum possent defluere, et fortasse hiatum fecerit ampliorem, ut verisimile est, si verus est terræ motus, quem adjungit.*

et celebrem ædem habuit Colossis, quarum nomen

191 *Qualecumque autem fuerit* S. Michaelis *miraculum, certe famosa fuit ædes* S. Michaeli *Colossis sive Chonis sacra. De ea meminit Constantinus Porphyrogenitus in Opere de Thematis thcmat. 3 his verbis :* Duodecima (*inter civitates, quas recenset*), Colossæ, quæ nunc Chonæ dicuntur, ubi visitur celeberrimum templum Michaelis archangeli. *Mutatio illa nominis, quæ miraculo* Michaelis *attribuitur in Menologio et Synaxario videtur contigisse sæculo 7 aut 8 : nam apud Lequienum in Oriente Christiano tom. I, col. 815 et 816 recensentur episcopi Colossenses, iique in subscriptionibus conciliorum usque ad concilium Trullanum, quod apud Labbeum tom. VI, col. 1123 figitur anno 692, dicuntur Colossenses, sicut Cosmas canonibus dicti concilii col. 1200 legitur subscriptus.*

sæculo 7 aut 8 in Chonas mutatum.

191 *Contra synodo 7 œcumenicæ, sive Nicænæ 2, tom. VII Conciliorum col. 571* Dositheus episcopus Chonensis *legitur subscripsisse. Hoc conci-*

F *lium anno 778 hiatum est. Non fuisse tamen prius nomen tunc prorsus obliteratum, discimus ex recensione episcoporum, quæ præcessit, cum in ea col. 549 fiat mentis* Δοσιθέου ἐπισκόπου Ψόνων (Χώνων) ἤτοι Κολασσῶν; Dosithei episcopi Chonarum sive Colossarum. *In allegatis verbis legendum esse* Χώνων, *ut habet Lequienus, non* Ψόνων, *res ipsa declarat, secutaque ipsius episcopi subscriptio. Qui deinde recensentur ejusdem civitatis episcopi apud Lequienum, facti sæculo 9 metropolitani, omnes dicuntur* Chonenses *aut* Chonarum. *At non satis intelligo, cur laudatus Lequienus dicat:* Quamnbrem Colossensis episcopatus Chonas omnino translatus est, *nisi velit, Colossas fuisse destructas, et Chonas in ejus vicinia natas ad templum* S. Michaelis. *At omnia fere, quæ adducit, magis insinuant, nomen urbis mutatum. Improbabile quoque non est, ex miraculo* S. Michaelis *nominis mutationem exortam.*

Acta apparitionis in Chonis latine edita :

192 *Quod vero spectat ad acta apparitionis* S. Michaelis *in Chonis, tam quæ latine edita sunt, quam quæ Græca habemus inedita, multis ea laborant difficultatibus, ut mox videbimus. Lipomanus tom. VI Vitarum fol. 229 inter ea acta, quæ attribuit Metaphrasti, edidit acta hujus apparitionis,*

AUCTORE I. S.

nis, pront ex græcis facta erant latina sub hoc titulo : Narratio miraculi, quod factum est in regione Chonensi a Michaele archangelo principe militiæ cælestis. *Hæc editio deinde recusa est apud Surium ad 29 Septembris, quo Latini præcipuum* S. Michaelis *festum celebrant. Lipomanus vero voluit exprimere particularem Græcorum festivitatem, sed pro 6* Septembris, *quo illa apparitio celebratur, notavit* 5 Septembris. *Habemus et aliam eorumdem actorum interpretationem latinam, quam tempore Bollandi elucubravit aliquis Societatis nostræ presbyter, ut ex charactere colligo : nam nomen interpretis non legitur adscriptum. Quisquis fuerit, interpretatio illa parum proderit, cum acta illa, quæ Metaphrastæ recte adscripta existimo, non sim recusurus, sed alia daturus græca, quæ videntur Metaphrastæ prælaxisse.*

alia Græca a nobis edenda, quæ Possinus invenit

193 *Accepimus hæc per Petrum Possinum, virum Societatis nostræ Operibus erudite scriptis editisque notissimum, qui anno 1640 acta illa cum litteris suis ad Bollandum misit. Acta ipse propria manu exscripsit* ex bibliotheca illustrissimi domini Caruli de Montchal archiepiscopi Tolosani, et ex codice, qui inter ejus libros Ms. ordine

B quinquagesimus primus est. *In litteris ait, codicem illum* non antiqua quidem, sed plane transmarina tamen exaratum *esse* manu. *Addit, in eodem codice haberi collectionem Homiliarum sine ordine,* magnis nominibus præfixis Chrysostomi, Procli, Damasceni ; *sed non audet pro veritate inscriptionum respondere. Homilia autem, de qua agimus, adscripta est Sisinnio pro veritate Constantinopolitano. De veritate hujus quoque inscriptionis dubitari poterit, etiamsi nihil dubitationis insinuet Possinus. Inter patriarchas Constantinopolitanos duo fuere Sisinnii, nimirum sæculo 5 S. Sisinnius, et Sisinnius II exeunte sæculo 10. Videtur Possinus credidisse, primi Sisinnii partum esse, cum scribat in Epistola :* Est aliquid in tam paradoxis narrationibus habere quasi fundum, et veluti vadem offerre posse nomen autoris idoneæ antiquitatis ac dignitatis, *et inferius :* Est, opinor, cur sperare ausim, in Fastis istis vestris nostro Sisinnio locum eum, quem hactenus ejus mutilator ac pene plagiarius (*Metaphrastem dicit*) occupaverat.

adscripta Sisinnio Constantinopolitano.

194 *Ex iis liquet, Possino Sermonis illius auctorem visum esse S. Sisinnium primum, qui patriarchatum Constantinopolitanum administravit ab*

C *anno 426 usque ad finem fere anni 427, non integro biennio, ut videri potest ante tom. I Augusti in Patriarchis Constantinopolitanis. Nam Sisinnius II floruit post Symeonem Metaphrastem, ut illius nec mutilator nec plagiarius esse potuerit Metaphrastes. Leo Allatius in Diatriba de Simeonum scriptis pag. 96 dictum sermonem assignat cum initio et titulo præfixo, et attribuit Sisinnio Constantinopolitano, sed non addit, primine sit, an secundi, hoc modo :* Θαυμάσια τὰ ἔργα σου, Κύριε, ὁ μεγαλοφωνότατος προφήτης Δαυίδ. Sisinni archiepiscopi Constantinopolitani λόγος, εἰς τὸ ἐν Χώναις θαῦμα τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαήλ. *Priora verba græca initium, posteriora titulum Sermonis exhibent. Titulus autem cum reliquis sic redditur latine :* Sisinnii archiepiscopi Constantinopolitani Sermo in miraculum principis cælestis militiæ Michaelis, quod in Chonis gestum est. *Non insinuat Allatius, ut dixi, utrius ex duobus Sisinniis sit Sermo. Ego nec primi nec secundi Sisinnii Constantinopolitani eum esse existimo, et rationes allegabo : sed alia quædam prius observanda.*

195 *Superstitiosum aliquem* Angelorum *cultum*

D

Viguit olim Colossis et in Phrygia cultus.

in Phrygia, et apud Colossenses fuisse, colligitur ex Apostolo, Coloss. 2, ℣ 18 *ita monente :* Nemo vos seducat volens in humilitate et cultu Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei. *Locus hic ingenia multorum interpretum exercuit. At saltem consentiunt, improbari superstitiosum Angelorum cultum, quem nonnulli conabantur inducere. Placet mihi interpretatio Chrysostomi, in allegatum locum hæc observantis :* Erant quidam, qui dicerent, non oportere nos per Christum adduci, sed per Angelos. *Judæos fuisse, qui Angelos Christo præferebant, plerique existimant. Hinc illa verba,* et non tenens caput, *sive Christum. Hinc concilium Laodicenum, quod sæculo 4 habitum est apud Labbeum tom. 1, col. 1503 ita habet can. 35 :* Quod non oportet Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire, et Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, et accessit ad idololatriam.

E

superstitiosus eorum, qui Angelos Christo præferebant,

196 *Theodoretus in datum Apostoli locum scribit sequentia :* Qui Legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes Legem fuisse per eos datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Proinde synodus, quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria sancti Michaelis apud illos illorumque finitimos videre est. *Loquitur Theodoretus congruenter ad verba Apostoli, quæ explicat, et vitium, quod Apostolus reprehenderat, diu mansisse probat ex concilio Laodiceno, a quo idem fuerat condemnatum. Non tamen ait, istud vitium ad sua usque tempora continuatum ; sed verbis* mansit perdiu *contrarium magis innuit : nam alias dixisset.* huc usque mansit, *aut quid simile.*

deinde vero legitimus.

197 *Quod vero addit, suo etiam tempore visa fuisse* oratoria S. Michaelis *in illis partibus, non videtur improbare : sed illis verbis insinuare, legitimum* S. Michaelis *cultum in illis partibus maxime viguisse, ubi olim superfluus fuerat et superstitiosus. Certe Theodoreti tempore et Constantinopoli et Romæ erant ecclesiæ* S. Michaeli *dicatæ, ut dicitur per decursum, idque ignorare non poterat vir summæ eruditionis, et consequenter non poterat improbare ejusdem oratoria, præsertim cum*

F *et de cultu Sanctorum præclare senserit, et Angelorum opera nos indigere agnoverit in Genesim Interrog. 4, et ibidem Interrog. 3 singulis hominibus* Angelos *custodes attribuat. Verum hæc paucis : nam locus non exigit, ut pluribus ostendam, de cultu* Angelorum *recte sensisse Theodoretum.*

Acta forte sunt alterius cujuspiam Sisinnii.

198 *Illud solum hic ago : non videtur saltem Theodoretus novisse famosum illud* S. Michaelis *templum in Chonis, cum partibus illis assignet* S. Michaelis *oratoria, sed nullum præ ceteris celebre et miraculis inclytum. Præterea, ut jam dixi, nomen* in Chonis, *sive civitatis Chonensis, videtur recentius, et certe ortum post sæculum 5, quo et Sisinnius Constantinopolitanus primus et Theodoretus floruerunt. Tertio in nullis monumentis sæculo 5, imo nec 6 nec 7 aut 8 ullam inveni mentionem de apparitione aut de templo* S. Michaelis *in Chonis, ut illa omnia videantur recentiora. Quapropter non existimo, primi Sisinnii Constantinopolitani fœtum esse Sermonem illum, de quo agimus. Secundo Sisinnio eumdem nihilo magis tribuere ausim, cum videatur antiquior Metaphraste. Fortasse*

Auctore J. S.

A *se aliusquispiam Sisinnius sermonis istius est auctor; sed vix credam sæculo* VIII *aut* IX *vetustiorem esse. Si consulamus indices conciliorum apud Labbeum, inveniemus sæculo* VII, VIII *et* IX *plurimos Sisinnios, episcopos Orientales, fuisse in conciliis Constantinopolitanis illorum temporum et Nicæno* II. *Inter illos est alter Hieropolitanus, alter Laodicensis, qui Chonis vicini erant, uti et plures alii ibidem memorati. Quare magis credo, episcopum aliquem illarum partium sermonis auctorem esse, quam Sisinnium Constantinopolitanum.*

Alia acta Archippo adscripta,

199 *Exstat et alia ejusdem apparitionis relatio Ms., quam ex codice Vaticano Græco* 807 *exscribendam curavimus, et nos ipsi anno* 1753 *cum codice contulimus. Illam commemorat laudatus Allatius pag.* 94, *dans hoc initium :* Ἡ ἀρχὴ τῶν ἰαμάτων καὶ δωρεῶν καὶ χαρισμάτων τῶν δοθέντων ἡμῖν ὑπὸ Θεοῦ. *Titulum latine tantum exhibet cum modica mutatione hoc modo :* Archippi eremitæ ac paramonarii Narratio de miraculo S. Michaëlis archangeli in urbe Chonis patrato. *In codice relatio hæc posita est, non ad* 6 *Septembris, quo festum illud a Græcis celebratur, sed ad* 8 *Novembris, quo præcipua* S. Michaëlis *festivitas apud eosdem peragitur. Titulus vero integer sic habet :*
B Διήγησις καὶ ἀποκάλυψις τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀρχίππου καὶ προσμοναρίου τοῦ πανσέπτου ναοῦ τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ ἐν ταῖς Χώναις. *Verbum de verbo reddam latine :* Narratio et revelatio sancti patris nostri Archippi, et prosmonarii (*id est, æditui, opinor*) venerabilis templi S. Michaëlis in Chonis. *Titulus ille Archippum ipsum, qui variis vicibus in decursu relationis* προσμονάριος *vocatur, videtur facere illius Opusculi auctorem. Attamen tota relatio sic contexta est, ut scriptor Archippum miris extollat laudibus, et de eo semper loquatur tamquam de alia persona.*

sed nomen auctoris videtur fictitium.

200 *Allatius pag.* 113 *quasi aliud ejusdem Archippi scriptum commemorat his verbis :* Τῶν θαυμάτων καὶ δωρεῶν καὶ χαρισμάτων τῶν δοθέντων ἡμῖν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *Verum si quis hoc principium cum principio scripti jam dicti diligenter contulerit, videbit eadem esse verba, exceptis tribus vocibus, et pro* ἡ ἀρχὴ τῶν ἰαμάτων *substitutum esse* τῶν θαυμάτων, *reliqua consonare. Titulus quoque idem innuit scriptum. Hunc ita exprimit Allatius : Archippi prosmonarii* περὶ τῆς ἀποκαλύψεως τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαήλ. De revelatione archangeli Michaëlis. *Pau-*
C *cioribus in hoc titulo dicitur, quod pluribus in priori, et voces Græco-barbaræ* παραμονάριος *et* προσμονάριος *idem quoque significant, deductæ a vocibus* παραμονή *et* προσμονή. *Vel illa ipsa vox* προσμονάριος, *quæ est in nostro Ms., videtur evincere, non esse scriptum illud priorum seculorum, cum vox illa omnino videatur recentioris ævi. Si vero Archippi esset scriptum, et fide dignum, referendum videretur ad tempora gentilium in Minori Asia dominantium, sive ad sæculum secundum aut tertium, aut saltem ad quartum. Quapropter nequeo Archippum illum, cui relatio facta dicitur, illius scripti auctorem facere. Hinc dubito, utrum relatio illa sit vetustior, quam sermo Sisinnio attributus, an recentior, et potius recentiorem credo, quam vetustiorem, cum aliquot locis augeat ea, quæ in utroque scripto videntur fabulosa.*

Acta omnia multis laborant vitiis,

201 *Quod modo spectat ad auctoritatem Actorum apparitionis, tam quæ nomine Sisinnii mox daturus sum, quam quibus Archippi nomen improbabiliter adjectum est, difficultates in iis reperio mihi prorsus insuperabiles. Idem dicendum de Actis Metaphrastæ latine editis, imo et de compendio Actorum, quod habetur in synaxario Constantinopolitano ad* 6 *Septembris : nam hoc Actis fere est conforme, sed multo brevius. Primo enim principium miraculorum* S. Michaëlis *in loco, ubi celebre fuit* S. Michaëlis *templum, repetitur a temporibus Apostolorum Joannis et Philippi. At non invenio ullum ex vetustis scriptoribus, qui de illis meminit, nullum plane de iis documentum, quod sæculo* VIII *vel* IX *antiquius credere possum. Secundo, nec canon Laodicenus nec verba Theodoreti, quæ data sunt num.* 195 *et* 196, *recte consentiunt cum celebritate illius ecclesiæ, in qua illorum tempore et legitimus* S. Michaëlis *cultus viguisset secundum Acta, multisque inclaruisset miraculis. Tertio, Archippus templi custos in Actis repræsentatur, ut vir vitæ severissimæ et sanctissimæ : nec tamen in ullis Græcorum fastis invenio,* E
Archippum illum umquam cultu ecclesiastico honoratum, aut alia occasione memoratum. Quarto maledictiones Gentilium contra oratorium S. Michaëlis *supra verisimilitudinem exaggeratæ sunt, quemadmodum et tota relatio ab initio usque ad finem. Mitto alia, ab ipsis lectoribus facile deprehendenda.*

nec tamen tota historia videtur neganda.

202 *Quid ergo faciendum? omniane ad fabulas amandanda, ipsaque etiam* S. Michaëlis *apparitio, quæ festa omnium Græcorum et Orientalium occasionem præbuit, rejicienda? Non existimo. Etenim novimus, fabulosas narrationes plerumque ex vero aliquo principio oriri ; sed verum ita frequenter commentitiis narrationibus exaggerari, ut difficulter dici possit, quid veri contineant. Ita et hic factum credidero. Non negavero, exstitisse in Phrygia circa Colossas oratorium aliquod* S. Michaëlis, *cujus curam gesserit vir pius, qui et* Archippus *vocari potuit. Verum non facile credidero, illud referendum esse ad tempora Apostolorum aut* S. Joannis, *sed videtur multo esse posterius. Non est incredibile, istud oratorium aliquando ab exundatione fluminum in manifesto fuisse periculo una cum custode suo, et beneficio apparentis* Archangeli *con-* F
tra impetum aquarum fuisse conservatum, aliisque S. Michaëlis *miraculis inclaruisse. Si quid tale contigerit, ut verisimiliter ac probabiliter conjicere possumus, sive periculum fuerit ortum malitia aliquot hominum, sive etiam casu fortuito, facile intelligimus, nimia exaggerandi et fictitia adjuncta comminiscendi licentia paulatim oriri potuisse relationem, quam habemus. Hanc igitur subjiciam, prout huc missa est a Possino, additis tamen ad calcem annotatis, partim ad elucidanda aliqua, partim ad assignanda ea, quæ in aliis Actis notabiliter differunt.*

§ XIV. *Acta apparitionis in Chonis Sisinnio attributa cum interpretatione Possini et annotatis nostris.*

Θαυμάσια τὰ ἔργα σου κύριε, ὁ μεγαλοφωνότατος προφήτης Δαβὶδ καὶ θεοπάτωρ, μελῳδῶν ἐκήρυξε. Καὶ πῶς γὰρ οὐ θαυμαστὰ καὶ ἐξαίσια, τά τε ἤδη καλῶς μεγαλουργηθέντα, καὶ ὡς οὐκ ἂν ἐφίκοιτο

Præfatio de potestate Angelorum

Mirabilia opera tua, Domine, prædicat in carminibus suis magniloquentissimus propheta et Dei pater David. Quomodo enim non mirabilia et stupenda quæque jam præclare ac plane magnifice

Auctore Sisinnio.

gnifice perfecta sunt, ut ea nulla oratio possit enarrando consequi? Quippe quibus sua pulcritudo ab eorum artifice Dei Verbo propagata constat, quæque nunc per sanctos Angelos diebus singulis magnifice perficiuntur. Si enim miraculis cogitationem omnem et rationem humanam superantibus multi mundum impleverunt, quibus sancti Spiritus opera custodum Angelorum virtus obumbravit; quanta et qualia consentaneum est illis ipsis a materia segregatis licuisse mentibus, præsertim vero magno illi Angelorum exercitus Imperatori? Si, inquam, corpore implicitos tantis ac tanto intervallo naturam excedentibus donis et charismatis dignatus est, ut per illos et mortuis vita, et cæcis visus, et clandis rectus incessus, et agitatis a dæmone tranquillitas donaretur; et hæc possent una ejus nominis mentione perficere, quanta existimare oportet præditos esse potestate incorporeos ministros supernæ claritatis, quorum ope his, qui habent corpora, miraculorum efficientia communicatur?

D λόγος τῆς τούτων ἐκφράσεως; ἐπείπερ αὐτοῖς τὸ καλὰ εἶναι παρὰ τοῦ δημιουργοῦ λόγου ἀποκεκλήρωται. Καὶ ἃ νῦν δὶ ἁγίων ἀγγέλων ὅσαι ἡμέραι μεγαλοπρεπῶς τελεσιουργεῖται. Εἰ γὰρ θαυμάτων ὧν ἡττᾶται νοῦς ἅπας καὶ λόγος ἀνθρώπινος, πολλοὶ τὴν οἰκουμένην ἐπλήρωσαν, οἷς ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος διὰ τῶν φυλασσόντων ἀγγέλων ἐπεσκίασε δύναμις, ὅσων καὶ οἵων εἰκὸς αὐτῶν τοῖς αὔλοις μετεῖναι καὶ μάλιστα τῷ πάσης τῆς τῶν ἀγγέλων στρατίας προεξάρχοντι; Καὶ εἰ τοὺς σῶμα περικειμένους τοσούτων καὶ οὕτως ὑπερφυῶν δωρεῶν καὶ χαρισμάτων ἠξίωσεν, ὥστε καὶ νεκροῖς τὸ ζῆν, καὶ τυφλοῖς τὸ ὁρᾶν, καὶ χωλοῖς εὐδρομίαν, καὶ δαιμονῶσι τὸ μηκέτι διοχλεῖσθαι, χαρίζεσθαι· καὶ ταῦτα δύνασθαι κατορθοῦν τῷ ἐκείνου ὀνόματι, ὅσης χρὴ λογίζεσθαι τῆς δυνάμεως τοὺς ἀσωμάτους λειτουργοὺς τῆς ἄνω λαμπρότητος, τοὺς δὶ ὧν κἀκείνοις τοῖς ἐν σώμασι, γεγόνασιν αἱ τῶν Θαυμάτων ἐνέργειαι;

in patrandis miraculis.

2 Signis etenim illis et prodigiis humana comprehensione majoribus simul suæ ipsorum potentiæ magnitudinem ostendunt, simul id agunt, ut B secunda lumina a primo lumine participationem aliquam lucis hauriant. Quare nemo eorum, qui huc convenerunt sæcularibus iisque, quibus minime oportet, rebus mentem habeat distractam, neque in exteriora effusam; sed ab omnibus abjunctam et ab omni humili cura vacantem eam exhibeat, in seque colligat, quo statim percipiat, quæ dicentur. Proponere siquidem vobis volumus ea, per quæ magni cœli militum imperatoris Michaëlis gratia et virtus manifestata est, et magnalia Dei nostri, quem in eo præcipue cognoscimus et admiramur, quod tum per se tum per suos famulos ea mirabiliter efficit, quæ nec satis explicari sermone, nec auditu queant percipi *a*.

2 Καὶ γὰρ τοῖς ὑπὲρ ἀνθρωπίνην κατάληψιν σημείοις καὶ τέρασιν, ὁμοῦ τε τὸ τῆς ἰσχύος αὐτῶν παραδεικνῦσι μέγεθος καὶ ὅτι δεύτερα φῶτα αὐτοῦ μεθέξει τοῦ πρώτου φωτὸς, χρηματίζουσι. Τοιγαροῦν, μηδεὶς τῶν ἐνταῦθα συνειλεγμένων τοῖς βιωτικοῖς καὶ οἷς E ἥκιστα χρὴ, τὸν νοῦν ἐχέτω περιελκόμενον μηδ᾽ ἐπὶ τὰ ἔξω διαχεόμενον, ἀλλὰ πάντων ἀπηλλαγμένον, καὶ πάσης ὑλικῆς φροντίδος σχολάζοντα τοῦτον δεικνύτω, καὶ παρ᾽ ἑαυτῷ συναγέτω, ἵν᾽ εὐθέως τῶν λεγομένων μεταλαμβάνοιτο. Προθεῖναι γὰρ ὑμῖν ἐπειγόμεθα, τὰ δὶ᾽ ὧν ἡ τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ ἅπασιν ἐκηρύχθη χάρις καὶ δύναμις, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν μεγαλουργήματα · ὃς ἐν τούτῳ διαφερόντως γνωρίζεται καὶ θαυμάζεται, τῷ τὰ κρείττω λόγου καὶ ἀκοῆς, τοῦτο μὲν δὶ ἑαυτοῦ, τοῦτο δὲ καὶ διὰ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων, παραδόξως ἐπιτελεῖν.

a

Joannes et Philippus apostoli Hierapolim ingressi,

3 Sed incipiendum est inde, unde prædicationis Evangelicæ gratia per apostolos Philippum et Joannem omnibus gentibus promulgata est. Inde quippe miraculorum procedit initium: quoniam illorum mirificæ potestatis custos et quasi administrator ille magnus Dei exercituum imperator fuit. Divini verbi præconibus et Apostolis aliis alias orbis oras concursantibus perque urbes ac vicos Evangelium promulgantibus, filius tonitrui pari studio in prædicationem incumbens; quippe qui C paribus cum ipsis donis dignatus esset, imo et majoribus, utpote qui et plus esset dilectus et plus dilexisset, adeo ut juxta salutiferam crucem astans se filium Matris Domini ab ipso audiret appellari. Hic Ephesi cum esset, et adoratum a dementibus in ea civitate Dianæ simulacrum evertisset, Hierapolim venit, assumpto secum apostolo Philippo *b*, ut illic quoque fidei verbum promulgarent, dæmonumque præstigiis homines liberarent.

3 Ἀλλ᾽ ἀρκτεὸν ὅθεν ἡ τοῦ κηρύγματος χάρις διὰ τῶν ἀποστόλων Φιλίππου καὶ Ἰωάννου, τοῖς πᾶσιν ἔθνεσι διεδόθη. Καὶ γὰρ ἐκεῖθεν ἡ τῶν θαυμάτων ἀρχὴ προεισιν· ἐπεὶ καὶ τῆς ἐκείνων θαυματουργίας φύλαξ ὁ μέγας τοῦ Θεοῦ γέγονεν ἀρχιστράτηγος. Τῶν τοῦ λόγου κηρύκων ἄλλων ἀλλαχοῦ τῆς οἰκουμένης περιθεόντων καὶ τὰς πόλεις καὶ κώμας περιϊόντων καὶ τὸ εὐαγγέλιον κηρυττόντων, ὁ τῆς βροντῆς υἱὸς περὶ τὸ κήρυγμα τὸν αὐτὸν ἐκείνοις ἀγῶνα ποιούμενος, ὡς τῶν ἴσων ἠξιωμένος, μᾶλλον δὲ καὶ μειζόνων ὅσῳ καὶ πλειόνως ἠγαπήθη τε καὶ ἠγάπησεν, ὡς καὶ παρὰ τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ F ἑστὼς, ἀκοῦσαι υἱὸς τῆς τοῦ κυρίου μητέρος. Οὗτος ἐν Ἐφέσῳ γενόμενος, καὶ τὸ ἐν ταύτῃ τοῖς ἀνοήτοις τιμώμενον τῆς Ἀρτέμιδος καταστρεψάμενος ἄγαλμα, ἧκεν εἰς Ἱεράπολιν, συμπαρειληφὼς τὸν ἀπόστολον Φίλιππον, ὡς κἀνταῦθα τὸν τῆς πίστεως λόγον κηρύξαντες, καὶ τῆς τῶν δαιμόνων ἐξαπάτης τοὺς ἀνθρώπους ἐλευθερώσοντες.

b

dæmones per viperam loquentes compescunt,

4 Dæmones quippe innumeras induentes formas, et præ invidia nostri generis nullam larvæ speciem, qua sperent fallere, recusantes, sæpe etiam ferarum formas assimularunt propriæque improbitatis atque malitiæ talibus instrumentis usi, per ipsas incautis hominibus venenum suum pestiferum infuderunt. Nam et tunc cum signum viperæ ministra usi Gentilium dementia statuissent, in id ingredientes eo superstitionis miseros traxerunt, ut in numerum cultorum ab ipsis adoratorumque numinum etiam hanc viperam reciperent *c*, spectris scilicet terribilibus miseros decipientes, omnique ipsis illudentes artificio malitiæ. Sæpe vero Philippo apostolo eos, qui Hierapoli ad se ventitabant, de divinis rebus do-

c

4 Οἱ γὰρ δαίμονες μυρίας μορφὰς τρεπόμενοι, καὶ πάντα φθόνῳ τῷ πρὸς ἡμᾶς μορφαζόμενοι, πολλάκις καὶ θηρίων ὁμοιότησιν εἰκαζόμενοι, καὶ τῆς ἑαυτῶν κακίας καὶ πονηρίας τούτοις ὀργάνοις χρώμενοι, δὶ᾽ αὐτῶν ἐγχέουσι τοῖς ἀφυλάκτοις τῶν ἀνθρώπων τὸν τῆς ἀπωλείας ἰόν. Καὶ γὰρ δὴ καὶ τότε στήλην ἐχίδνης διὰ τῆς τῶν ἑλλήνων ἀνοίας στησάμενοι καὶ πρὸς αὐτὴν εἰσιόντες, οὕτως τοὺς ἕλληνας ὑπηγάγοντο, ὡς μίαν τῶν παρ᾽ αὐτοῖς σεβομένων καὶ τιμωμένων θεῶν καὶ τὴν ἔχιδναν ὑπειλῆφθαι φάσμασί τισι φοβεροῖς τοὺς ἀθλίους καταγοητεύοντες, καὶ παντοίως αὐτοὺς κατασοφιζόμενοι. Πολλάκις δὲ Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου τοὺς ἐν Ἱεραπόλει προσφοιτῶντας αὐτῷ, τὰ θεῖα διδάσκοντος, καὶ πείθοντος ἀφέντας τὸ ἐπὶ ματαίοις ὀνειροπολεῖν, εἰς ἐπίγνωσιν γενέσθαι Θεοῦ, ἐξελθεῖν αὐτὸν τῆς πόλεως, πρὶν

κακῶς

A κακῶς ἀπολέσθαι, διὰ τῆς ἐχίδνης φωνὴν ἀφιέντες, προυτρέποντο· ἀλλὰ τότε μὲν τῶν δαιμόνων τῇ τῶν ἀποστόλων προσευχῇ τῆς πόλεως ἀπελαθέντων, οἱ τῇ πλάνῃ δουλεύοντες πρὸς θεοσέβειαν μετετάξαντο.

5 Ἐπεὶ δὲ τὸ τῆς πίστεως κήρυγμα θαυμάτων ἐπιδείξεσιν αὐξάνεσθαι τε ὁμοῦ καὶ βεβαιοῦσθαι, ἡ τῶν καιρῶν ἀπῄτει κατάστασις, εἰς τόπον ἀφικόμενοι Χαιρέτοπα προσαγορευόμενον οἱ τοῦ λόγου αὐτόπται, κἀνταῦθα πνεύματι ἁγίῳ θαυματουργοῦσιν, ἐπισκιαζούσης ἐκεῖσε καὶ θείας χάριτος πρότερον, ταῖς τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ ἐντεύξεσι καὶ πρεσβείαις, οὐδὲν ἧττον τοῦ μωσαϊκοῦ θαύματος, μᾶλλον δὲ κρεῖττον καὶ ὑψηλότερον. ὁ μὲν γὰρ ἐν ἐρήμῳ πέτραν ἄνικμον πηγάζουσαν τοῖς Ἰσραηλίταις ὕδωρ ἀνέδειξε σωμάτων δίψαν ἰώμενον, οἱ δὲ πηγὴν ὕδατος, οὐ σώμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ ψυχαῖς τὰς ἰάσεις βλυστάνοντος, δι εὐχῆς ἀπειργάσοντο, ἔνθα καὶ τέμενος τοῦ ἀρχαγγέλου ἵδρυτο. Ἕως μὲν οὖν οἱ ἀπόστολοι ἐπὶ γῆς ἔτι ὄντες, τάς τε πόλεις καὶ κώμας περιϊόντες τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα τοῖς ἔθνεσι παρετίθεντο, καὶ τῇ σαγήνῃ τῆς πίστεως πάντας ἐφείλκοντο, οὐδεμία τοῖς εἰδωλοθύταις κατὰ τῶν Χρι-
B στιανῶν ἐδίδοτο πάροδος, τὰς παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐπιτελουμένας δυνάμεις τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστου δεδιόσιν.

6 Ἐπεὶ δὲ οὗτοι τῶν ὧδε ἀπάραντες, ἐν οὐρανοῖς κατεσκήνωσαν, αὖθις οἱ Ἕλληνες τὸ τῆς δυσσεβείας ὑποτρέφοντες νόσημα ἐπετίθεντο, καὶ τοῖς προτέροις ἐπηγωνίζοντο καὶ κατὰ τῶν Χριστιανῶν ἐξεκαίοντο, καθορῶντες μάλιστα τοὺς τῷ ἁγίῳ ὕδατι, καὶ τῷ τοῦ ἀρχαγγέλου σεπτῷ σκηνώματι προσιόντας, τῶν νοσούντων ἀπαλλαττομένους, καὶ τῷ θείῳ προσερχομένους βαπτίσματι. Ἀνὴρ δὲ τις ἐν Λαοδικείᾳ τηνικαῦτα ἦν προσανέχων εἰδώλοις καὶ τούτοις τὸ σέβας ἀποδιδούς. οὗτος πατὴρ μονογενοῦς ὑπῆρχε θυγατρὸς, ἀλάλου ἀπὸ κοιλίας μητρὸς. Τοῦτον δὴ βουληθέντα σὺν ἑτέροις ὁμόφροσιν, ἔνθα τὸ ἅγιον ὕδωρ τὰς ἰάσεις ἐπήγαζεν, ἀφικέσθαι ἐπὶ τὸ καταχῶσαι, καὶ ἀφανισμῷ αὐτὸ παραδοῦναι, ἐπιστὰς κατ᾿ ὄναρ ὁ ἀρχιστράτηγος οὐκ ἐκώλυσεν, ἀλλ᾿ ἄπιθι, φησὶ, μετὰ τῆς παῖδος σου, ὅπου τὸ ἅγιον ἀναδέδεικται ὕδωρ, καὶ εἴ γε πιστεύσεις, τῆς ἰάσεως ἡ παῖς ἐπιτεύξεται.

7 Ὁ δὲ ἀφυπνιθεὶς εὐθέως μετὰ τῆς παιδὸς ᾔει πρὸς
C τὴν ἴασιν ἐπισπεύδων· καὶ τὸ ἁγίασμα κατιδὼν, τοὺς θεραπευομένους ἤρετο· τίνος ἐπικλήσει τοῖς σώμασιν ὑμῶν τοῦτο ἐνίετε; τῶν δὲ ἐπ᾿ ὀνόματι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰρηκότων, πρεσβεύοντος μεγάλου Μιχαὴλ γνησίου καὶ παναληθεστάτου θεράποντος τῆς αὐτῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ τρισυποστάτου θεότητος· διάρας οὗτος πρὸς οὔρανον τὰς χεῖρας, προσηύξατο, λέγων· Κύριε ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, πατὲρ παντοκράτος, υἱὲ μονογενὲς, καὶ τὸ πανάγιον πνεῦμα, ἡ τρισυπόστατος καὶ ὁμοούσιος θεότης, καὶ βασιλεία καὶ δύναμις, ταῖς τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ πρὸς σὲ ἀκαταπαύστοις ἐντεύξεσι, βοήθει μοι τῷ εἰλικρινῶς σοι πιστεύσαντι, καὶ παράσχου τῇ παιδίσκῃ σου ταύτῃ τὴν ἴασιν· καὶ ἀρυσάμενος τοῦ ἁγίου ἐκείνου ὕδατος ἐπήντλει σὺν τῇ ὄψει καὶ ὅλῳ τῷ σώματι τῆς παιδὸς. ἡ δὲ παραχρῆμα δεξαμένη τὴν ἴασιν, χεῖρας τῷ στήθει ἐπιθεῖσα, μέγα ἐβόησε· δόξα τῷ ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, προσκυνουμένῳ Θεῷ ἡμῶν. μεγάλη τῷ ὄντι ἡ ἐκ Θεοῦ σοι δοθεῖσα δύναμις, Μιχαὴλ ἀρχιστράτηγε. Βαπτισθεὶς οὖν αὐτίκα οὗτός τε καὶ ἡ παῖς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἅπαντες, τὸ ἐπ᾿ ὀνόματι τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ αὐτόθι εὐκτήριον περικαλλὲς ἀπειργάσατο. Καὶ οὕτω σὺν θυγατρὶ τὸν Θεὸν εὐλογῶν ἐπὶ τῇ παραδόξῳ ταύτῃ θαυματουργίᾳ

cente et suadente, ut omissis stultarum superstitionum somniis, ad cognitionem accederent Dei; hortabantur eum, vocem per os viperæ mittentes, ut exiret e civitate, priusquam male periret. Sed tunc quidem dæmonibus per orationem Apostolorum urbe ejectis, qui errori servierant, ad Dei religionem se transtulerunt. AUCTORE SISINNIO.

5 Quoniam vero fidei prædicationem miraculorum ostensionibus augeri simul ac confirmari, temporum eorum exigebat status, in locum proficiscentes Chæretopa *d* nominatum oculati Verbi testes Apostoli, ibi, sancto Spiritu cooperante, mirabilia patrant, obumbrante jam antea locum illum divina gratia precibus et intercessionibus magni militiæ principis Michaëlis, haud infra mosaicum miraculum, imo illustrius et sublimius. Hic enim in deserto de rupe arida redundantem extudit aquæ copiam, siti corporum medentem. Illi vero fontem aquæ non corporibus solum sed etiam mentibus, medicinam scaturientis, oratione repræsentarunt: quo loco templum Archangeli constructum erat *e*. Ac quamdiu quidem superstites Apostoli, urbes et vicos concursantes, religionis dogmata gentibus proponebant, et sagena fidei omnes trahebant, nullus se idololatris dabat aditus ad impetum in Christianos faciendum, virtutes nimirum Jesu Christi, quæ per Apostolos fiebant, metuentibus. E

Et fontem scaturire faciunt miraculis insignem d

e

6 Postea vero quum illi ex humanis migrantes, in cœlestibus tabernacula fixerunt, rursus in eos Ethnici, diu dissimulatæ impietatis tum demum elati furiis, incurrebant, errorem veterem propugnantes, odioque incensi Christianorum simul et invidia: præsertim cum cernerent multitudinem ad sanctum fontem in venerandum Archangeli templum confluentem, cum morbis liberari, tum ad divinum baptismum accedere. Vir autem quidam ea tempestate Laodiceæ fuit idolis deditus, summosque iis honores adhibens. Hic pater erat unigenitæ filiæ, ex matris utero mutæ. Hunc cum aliis ejusdem sectæ eo proficisci parantem, ubi sacra aqua curationes profundebat, animo fontem obruendi penitusque obliterandi, superstans per somnium Archangelus non prohibuit: sed, Ito, dixit, cum puella tua, ubi sacer mirabiliter extitit fons; et, siquidem credideris, curationem puella consequetur.

ubi puella, quæ muta erat nata,

7 Ille vero experrectus statim cum puella ibat ad curationem properans, sanctumque fontem intuens, eos, qui curabantur, interrogabat: Cujus invocatione vestris corporibus hanc aquam immittitis? Illis vero in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, respondentibus: intercedente magno Michaële fideli et verissimo famulo ejusdem sanctæ, consubstantialis *f*, tres hypostases habentis Deitatis: attollens hic in cœlum manus orabat, dicens: Domine Deus virtutum, Pater omnipotens, Fili unigenite, et sancte Spiritus, in tribus personis consubstantialis Deitas, et regnum et virtus magni militiæ principis Michaëlis, continuis apud te precibus auxiliare mihi, sincere tibi credenti, et præbe filiolæ huic tuæ curationem: haustamque sanctam illam aquam infudit, cum in faciem tum in universum corpus filiæ. Hæc vero repente curata, manus pectori imponens, alte exclamavit: Gloria Deo nostro, qui in Patre et Filio et sancto Spiritu adoratur. Magna profecto potestas tibi a Deo data, militiæ princeps Michaël. Baptizatus igitur statim ille, et filia, et qui circa ipsum omnes, perelegans illud oratorium in nomine militiæ principis Michaëlis illic ædificavit *g*: atque ita cum filia Deum benedicens super inopinato illo miraculo

loquelam obtinet, ejusque pater oratorium S. Michaëli exstruit.

f

g

AUCTORE SISINNIO.

miraculo revertebatur exultans. Ethnici porro ringebantur, et in iram furiose concitabantur: medicam virtutem, quæ e sacro fonte hauriebatur, et Archangelici sacrarii magnificentiam non sustinentes videre.

Archippus vitæ austeritate h

8 Annis autem elapsis fere nonaginta, ex quo divina illa domus in majorem elegantiam *h* constructa est, religioni deditus puerulus, cui patria erat Hierapolis, decimum ætatis annum agens, ad sacrum illud se contulit templum, Archippo nomen ipsi fuit: qui altari indesinenter assidebat. Hic ubi perfectæ ætatis mensuram attigit, tanto austerioris vitæ studio captus est, ut pane, vino, cæterisque consuetis cibis exinde non uteretur: sicque perduravit annis sexaginta *i*. Ac cibo quidem utebatur herbis agrestibus, quas ipse coquens sine sale comedebat semel in hebdomada: potu vero, aquæ unciis tribus ad reparationem fracti nimia inedia et confecti corpusculi. Virtutis enim esse fundamentum temperantiam reputabat. Erat vero ipsi vestis saccus cilicinus, quem postquam induerat, non deponebat, donec circa corpus difflueret. At ejus cubile lapidibus acutis sternebatur, quos super setis contextus extendebatur B cento, ea duntaxat gratia, ut ii hominum aspectibus subtraherentur. Jam capiti cervical saccus spinis fartus subjacebat, in quibus vir sanctus pungebatur dicam an requiescebat? hocque modo somno defungebatur multo acerbiori et intolerabiliori quam vigilia, remissionis spatium nullum sibi ipsi tribuens: sed corpus quidem, juxta divinum Apostolum, castigans, animam vero immaculatam, et superiorem hostilibus laqueis custodiens quam maxime. Arctam quippe et angustam ingredi cum elegisset semitam, Ne gaudeam, aiebat, super terram, Domine: neque mundi hujus oblectamenta ad me veniant: ne extollantur oculi mei vanitate sæculi hujus, sed lacrymis potius spiritualibus impleantur; et cor meum ad agnitionem tuorum mandatorum illuminetur.

i

ἐπορεύετο ἀγαλλιώμενος· οἱ οὖν Ἕλληνες διεπρίοντο, καὶ D πρὸς ὀργὴν ἐκμανῶς ἠρεθίζοντο, τὴν ἀπὸ τοῦ ἁγιάσματος ἀρυομένην ἀλεξίκακον δύναμιν, καὶ τὴν τοῦ ἀρχαγγελικοῦ τεμένους μεγαλοπρέπειαν μὴ στέγοντες καθορᾶν.

8 Χρόνων τοίνυν ἐνενήκοντα σχεδὸν παρῳχηκότων, ἀφ' οὗπερ ὁ θεῖος οἶκος ἐκεῖνος εἰς κάλλος ἐπῳκοδόμητο, θεοσεβὲς παιδίον, ᾧ πόλις ἦν Ἱεράπολις, δέκατον ἔτος ἄγον τῆς αὐτοῦ ἡλικίας, πρὸς τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο ἀφίκετο τέμενος. Ἄρχιππος ὄνομα τούτῳ ὃς τῷ θυσιαστηρίῳ ἀδιαλείπτως προσήδρευεν. οὗτος ἐπειδὰν πρὸς μέτρον ἧκε τῆς τελειότητος, τοσοῦτον τῆς ἀσκήσεως εἴχετο, ὥστε ἄρτου, ἢ οἴνου, ἢ τῶν ἄλλων ἐδωδίμων ἔκτοτε μὴ μεταλαβεῖν. Καὶ οὕτω διήνεγκεν ἐπὶ χρόνοις ἑξήκοντα· καὶ τροφῇ μὲν ἐχρῆτο βοτάναις ἀγρίαις, ἃς αὐτὸς ἕψων, ἤσθιεν ἁλῶν ἄνευ, ἅπαξ τῆς ἑβδομάδος· ποτῷ δὲ ὕδατος οὐγγίαις τρισὶν, εἰς ἀνάκτησιν τοῦ κατεσκληκότος τῇ ἄγαν ἀσιτίᾳ καὶ κατειργασμένου σώματος. ἀρετῆς γὰρ εἶναι κρηπῖδα τὴν ἐγκράτειαν ἐλογίζετο. ἦν δὲ καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ σάκκος τρίχινος, ὅνπερ ἀμπεχόμενος οὐκ ἀπετίθετο, μέχρις οὗ περὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ διεῤῥύη. ἡ δὲ τούτου εὐνὴ λίθοις ὀξέσι ὑπέστρωτο, ἐφ' ὧν ἐρικνωμένον ῥάκκος ἐτέτατο, χάριν τοῦ μὴ τούτους ὁρᾶσθαι. τῇ δὲ κεφαλῇ σάκκος ἀκανθῶν πλήρης ὑπέκειτο, ἐν οἷς ὁ ὅσιος πῶς εἴπω ἐπλήττετο μᾶλλον ἢ ἀνεπαύετο. Καὶ οὕτω τὸν τῆς ἀγρυπνίας E πικρότατον καὶ δυσφορώτατον ὕπνον ἐξετέλει, καιρὸν ἀνέσεως μηδόλως ἑαυτῷ παρεχόμενος· ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα μετὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον ὑπωπιάζων, τὴν δὲ ψυχὴν ἄσπιλον καὶ ἀνωτέραν τῶν τοῦ πολεμίου θηράτρων διατηρῶν ὅτι μάλιστα. Τὴν γὰρ στενὴν καὶ τεθλιμμένην τρίβον βαδίζειν ἑλόμενος, μὴ Χαρείην, ἔλεγεν, ἐπὶ γῆς, κύριε, μὴ τὰ τοῦ κόσμου τούτου τερπνὰ ἐπ' ἐμὲ ἔλθοιεν· μὴ μετεωρισθεῖεν οἱ ὀφθαλμοί μου τῇ ματαιότητι τοῦ αἰῶνος τούτου, ἀλλὰ δακρύων μᾶλλον πνευματικῶν ἐμπλησθεῖεν καὶ ἡ καρδία μου εἰς ἐπίγνωσιν τῶν σῶν ἐντολῶν φωτισθείη.

Et sanctitate insignis apud oratorium Michaelis habitat,

9 Quid enim mihi corpus istud nisi lutum omnino fœtore plenum, in corruptionem vergens? ac hujus quidem ornatus, fœditas est animæ. Vestis vero animæ præclara certa in Deum fides, et immaculata vita, carnis contemptus, jejunium assiduum, humicubatio, oratio, eleemosyna, lacrimæ continuæ, et omnia facere in gloriam ejus, qui nos fecit, Dei. Tunc enim non confundar, C ait quoque Propheta, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. His supra modum delectatur anima, his ornatur; perinde ac contrariis corpus, crapulis, libidinibus, flagitiis, cupiditatibus absurdis, similibusque omnibus, quibus præstantior nostri pars inferiori subjugatur. Talem se ipsum tacitis cogitationibus assidue vovens, orabat in hunc modum. Adjuva me, domine Deus meus, et salva me; et cor meum contere, et humilia, ne in nihilum redigar apud te: mane enim sicut herba florui, et vespere decidens transeo. Et hic quidem hæc meditans nocte et die, et vitam angelicæ similem in carne agens, patientiam sibi præbentem glorificabat Deum.

9 Τί γάρ μοι τοῦτο τὸ σῶμα ἢ βόρβορος πάντως δυσωδίας ἀνάπλεως, εἰς διαφθορὰν καταβαῖνον; καὶ κόσμος μὲν ὁ τούτου ἀκοσμία ψυχῆς. περιστολὴ δὲ ταύτης κοσμία, πίστις ἀδίστακτος πρὸς Θεὸν, καὶ ἀκηλίδωτος βίος, σαρκὸς ὑπεροψία καὶ νῆψις, διηνεκὴς, χαμευνία, προσευχὴ, ἐλεημοσύνη, δάκρυα συνεχῆ, καὶ τὸ πάντα ποιεῖν εἰς δόξαν τοῦ πεποιηκότος Θεοῦ ἡμῶν· τότε γὰρ οὐ μὴ αἰσχυνθῶ, καὶ ὁ προφήτης ἔφησεν, ἐν τῷ με ἐπιβλέπειν ἐπὶ πάσας τὰς ἐντολάς F σου. Τούτοις ὑπερήδεται ψυχὴ, τούτοις ἐγκαλλωπίζεται, ὥσπερ τοῖς ἐναντίοις τὸ σῶμα, γαστριμαργίαις, ἀκολασίαις, πονηρίαις, ἐπιθυμίαις ἀτόποις, καὶ πᾶσιν οἷς τὸ κρεῖττον αἰχμαλωτίζεται. Τοῦτον ἑαυτὸν τοῖς λογισμοῖς ἀεὶ κατεπᾴδων, προσεύχετο λέγων. Βοήθησόν μοι, κύριε ὁ Θεός μου, καὶ σῶσόν με; καὶ τὴν καρδίαν μου σύντριψον, καὶ ταπείνωσον· ὅπως ἂν μὴ ἐξουδενωθῶ παρὰ σοῦ. τὸ πρωῒ γὰρ ὡσεὶ χλόη ἤνθησα, καὶ ἑσπέρας ἀποπίπτων παρέρχομαι. Καὶ ὁ μὲν ταῦτα μελετῶν νυκτὸς καὶ ἡμέρας, καὶ βίον ἰσάγγελον ἐν σαρκὶ μετερχόμενος, τὸν τὴν ὑπομονὴν αὐτῷ παρεχόμενον ἐδόξαζε κύριον.

Et multa ab impiis patitur,

10 Hostes porro veritatis invidiæ telis vulnerati, jam continere non valebant effervescentem in se ipsis iram, sed opportunitate captata, comparabant se tum ad Dei servum discerpendum, tum ad sanctum templum cum mirifico fonte delendum. Impii quippe legem Dei non audiunt: quapropter et peccant. Hæc enim inimicos etiam jubet amare. Illi vero mala homini parabant, nihil umquam de ipsis omnino male merito: adeo ut sæpe irrumpentes quidam flagellis

10 Οἱ δὲ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ βαλλόμενοι τοῖς τοῦ φθόνου τοξεύμασιν οὐχ οἷοί τε ἦσαν σφαδάζοντα τὸν θυμὸν παρ' ἑαυτοῖς κατασχεῖν· ἀλλ' ἐντόπως παρεσκευάζοντο τόν τε δοῦλον τοῦ Θεοῦ διασπάσαι, καὶ τὸ ἅγιον τέμενος σὺν ἁγιάσματι καταστρέψαι, νόμου γὰρ θείου τὸ φαῦλον ἀνήκοον. δι' ὃ καὶ παρανομεῖ· ὁ μὲν γὰρ καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἐντέλλεται ἀγαπᾶν· οἱ δὲ κακὰ τῷ μηδὲν ὅλως ἠδικηκότι ἐτέκταινον, ὥστε καὶ πολλάκις εἰσιόντες, οἱ μὲν μάστιξιν αὐτὸν ἀνηλεῶς κατῃκίζοντο, οἱ δὲ τῶν τριχῶν ἐπειλημμένοι τῆς κεφαλῆς ἔσυρον,

AUCTORE SISINNIO.

A ρον, ἄλλοι τὸν πώγωνα ἔτιλλον. Ὁ δὲ ὅσιος κατὰ θεῖον ἀπόστολον χαίρων ἐν τοῖς παθήμασι, τὸ προφητικὸν ἐπλήρου ῥητὸν, καὶ τὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἐμιμεῖτο ἑκούσιον, ὅπερ δι' ἡμᾶς ὑπέστη Θεὸς, ἵν' ἡμῖν χαρίσηται τὴν ἀπάθειαν, οὐκ ἐρίζων οὐδὲ κραυγάζων, οὐδὲ ἐν πλατείαις φωνὴν προϊέμενος. Τῷ δεσπότῃ γὰρ κατὰ τὸ δυνατὸν ἐξωμοίωτο, καὶ μέγα τι χρῆμα ἡγεῖτο ἀρετᾶς τὴν πραότητα, ἣν ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος ἄνθρωπος, καὶ τῆς οἰκείας θεότητος μὴ ἐκστὰς, τύπους ἡμῖν διδοὺς καθυπέδειξεν ὑπὸ τῶν ἀγνωμόνων ῥαπιζόμενος καὶ παιζόμενος.

11 Τινὲς δὲ αὐτῶν ἐπέτρεχον μὲν, ὡς τὴν τοῦ ἁγιάσματος πηγὴν καταφράξοντες, Θεώμενοι δὲ φλόγα πυρὸς ἐκεῖθεν ἐξιοῦσαν, καὶ κατὰ πρόσωπον αὐτοῖς ὑπαντῶσαν, ἔκφρονες καὶ περιδεεῖς ὑπενόστουν. Τούτων οὕτω μανιωδῶς καὶ δυσμενῶς ἐχόντων, ὁ ὅσιος καίπερ ἀφορήτοις ἀεὶ προσπαλαίων κακοῖς, οὐδὲν ἧττον ὅμως ἀκλινὴς ἔμενε, τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα πρὸς Θεὸν ἀνατείνων, καὶ ὅλος τῆς εἰς αὐτὸν ἐλπίδος γινόμενος, ψυχὴ γὰρ ἀρεταῖς παντοίαις κεκαθαρμένη, καὶ Θεῷ προσῳκειωμένη, ἀνένδοτος, ταῖς τῶν πειρασμῶν καταιγίσι B πέφυκε διαμένειν. ὁ δὴ τοὺς εἰδωλοθύτας διαφερόντως ὑπεκνίζεν. ὡς γὰρ τοῦ φωτὸς τὸ ἀνακλώμενον ἐνοχλεῖ τὰς ἀσθενεῖς ὁράσεις, οὕτω τὸ πρὸς τὰ δεινὰ τοῦ ὁσίου εὐσταθὲς καὶ γενναῖον παράστημα, οὐ μικρῶς παρελύπει τοὺς τὴν κακίαν ὑποικουροῦσαν ταῖς ψυχαῖς κεκτημένους. ὁρῶντες οὖν αὐτὸν οὕτως ἔχοντα καρτερῶς καὶ διαφυλαττόμενον ἀσινῆ, καὶ ἅμα τὴν οὐκ εἰς μακρὰν ἐσομένην τῶν Θεῶν αὐτῶν ἐξουδένωσιν λογιζόμενοι, ἐπικεχειρήκασι μὲν, ὢ τῶν ἐκείνων τόλμης, τὸ ἐπ' ἐκείνου τοῦ χώρου κατερχόμενον ποτάμιον ὕδωρ, ὃ δὴ χρύσης κατονομάζεται, καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ ἀεὶ παραῤῥέον, ἑνῶσαι τῷ ἁγιάσματι, καὶ τοῦτο κατεπικλῦσαι.

12 Ὡς δὲ ἀνήνυτον τὸ ἐγχείρημα καὶ οὐδὲν ἦν αὐτοῖς πλέον, ἡνίκα γὰρ ἐπειρῶντο τοῦτο ποεῖν, θείᾳ τινὶ δυνάμει τὸ ὕδωρ εἴργετο τοῦ προσώπου καὶ τῆς φορᾶς ἀνεκόπτετο, διχῆ τε διαιρούμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ θυσιαστηρίου διῄει, μὴ δ' ὁτιοῦν λυμαινόμενον, διηποροῦντο ὅτι καὶ δράσαιεν. Ἀλλ' ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς οὐκ ἐνεδίδου ὑποσπορῶν αὐτοῖς καὶ ὑποτιθέμενος, ἅπερ ἦν εἰκὸς αὐτόν τε εἰσηγεῖσθαι κἀκείνους ὑπηρετεῖν, τοὺς ἅπαξ ἁλόντας τοῖς αὐτοῦ δικτύοις καὶ μηχανήμασι. συμμορίαν γὰρ οἱ τῆς τῶν εἰδώλων θρησκείας ὡσεὶ C πεντακισχιλίων ἀνδρῶν συναγηοχότες ἔν τε Λαοδικείᾳ γενόμενοι συμβούλιον ἐπ' ὀλέθρῳ τῆς ἑαυτῶν κακοτέχνου ψυχῆς τίθενται. ὅπως τοὺς ἐξ ἑώας ἑτέρους δύο ποταμοὺς κατιόντας, καὶ οὐ πολὺ τοῦ εὐκτηρίου διέχοντας· ὧν τὸν μὲν Κοῦφον, τὸν δὲ Λυκόκαπρον προσηγόρευον, ἀλλήλοις τε κατὰ τὴν τοῦ ὄρους κορυφὴν συνεισβάλλοντας, καὶ μέχρι τῶν τῆς Λυκίας ὅρων διήκοντας, κατὰ τοῦ θείου τεμένους ἐκείνου καὶ ἁγιάσματος ἐπαφήσουσι, μὴ πολλοῦ πόνου δεήσειν αὐτοῖς λέγοντες εἰς τὴν τοῦ τόπου κατάκλυσιν, τῶν ποταμῶν ὑψόθεν κατερχομένων, καὶ κατὰ πρανοῦς φερομένων· οὐκ ἔσται γὰρ οὐδὲν τὸ τὴν φορὰν ἐφέξον αὐτῶν πρὸς τὸ μὴ πάντα ῥαδίως ἐπικλυσθῆναι τῷ ὕδατι. οὐδὲ γὰρ ἠνείχοντο τὴν ἑαυτῶν μὲν καθορᾶν ἤδη ἀσέβειαν ἀπεληλαμένην, θεοσέβειαν δὲ ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς εἰσαγομένην καὶ τιμωμένην.

13 Καὶ δὴ ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας ἀρξάμενοι, ἔνθα οἱ ποταμοὶ συνέῤῥεον, βαθεῖαν διώρυγα πεποιήκασιν, ἵν' ἐν ταύτῃ τὸ ὕδωρ καθελκύσωσι, καὶ οὕτω τὸ ἁγίασμα τοῦ Θεοῦ ἐπικλύσωσιν. ἀναστομωσάντων δὲ τὰς τῶν ὀρῶν διεξόδους, τὸ ὕδωρ ὅτι μάλιστα πλεῖστον συῤῥεῦσαν τὰς τῶν ὀρῶν πεπλήρωκε φάραγγας. ὁ δὲ ὅσιος ὁρῶν τὰς διὰ τῶν εἰδωλοθυτῶν μεμηχανημένας ἐπινοίας

ipsum crudeliter conscinderent, quidam per crines arreptum a capite traherent, alii barbam vellerent. Sanctus vero juxta divinum Apostolum gaudens in passionibus, propheticum implebat dictum, et imitabatur libertatem, qua Christus ultro in salutarem nobis passionem se obtulit, quam propter nos Deus sustinuit, ut nobis impassibilitatem *k* gratificaretur, non contendens neque altercans, neque vocem in plateis mittens. Domino siquidem, quantum in ipso fuit, similem se præstabat, præcellentemque virtutem quandam secum statuebat esse mansuetudinem: cujus ille qui ad nostram similitudinem homo est factus: nec divinitate tamen propria excidens, ideam nobis informavit, dum pulsaretur et illuderetur ab impiis. *k*

11 Ac gentilium quidem aliqui manu facta concurrebant, velut sacrum fontem obturaturi, videntes autem flammam ignis illinc emicantem atque in faciem ipsis occurrentem, territi metuque amentes recedebant. Quibus tali furore sacrilegum odium expromentibus, Sanctus, quamquam intolerabilibus semper colluctans malis, nihilo minus tamen invictus perstitit; mentis oculum in Deum intendens, speque inde totus pendens. Anima siquidem virtutibus omnis generis purgata, E Deoque conciliata, ac propius admota, valet et solet tentationum procellis immota obstare. Quod nimirum idololatras incredibiliter angebat. Ut enim lucis refracti radii percellunt infirmos oculos, sic status ille generosus et constans, quem vir sanctus adversis omnibus opponebat haud mediocri dolore pungebat impiorum animas veneno malitiæ turgentes. Videntes igitur illum ita se fortiter gerentem Deique protectione damno immunem, simul intelligentes superstitionis interitum non longe abfore; conati sunt: o incredibilem audaciam! fluvium, qui illac transibat nomine Chrysen, juxta sacrum altare fluentem, cum fonte sancto confundere, sicque miraculum obruere.

qui fontem moliuntur miscere cum flumine.

12 Ut autem successu cassa machinatio erat, nec procedebat inceptum (quippe cum maxime conabantur id facere, divina quadam vi aqua a fronte repellebatur ejusque impetus refringebatur, bifariamque se dividens a dextris altaris fluebat innoxie) quid concilii caperent non habebant. At seminator zizaniorum non cedebat victus, subspargens ipsorum mentibus atque subjiciens, quæ consentaneum erat et suggerere ipsum, et illos exequi, semel ejus retibus captos et machinis. F Cohorte enim idololatræ quasi quinque millium *l* virorum collecta, Laodiceæ consilium in suam autorum perniciem profecturum inierunt. Ut nimirum ab orientali parte alios duos fluvios descendentes, neque longe ab oratorio distantes, quorum alterum Cuphum, alterum Lycocaprum *m* vocabant, inter se in montis cacumine miscentes, et ad terminos hinc Lyciæ perducentes, in divinum templum et sacrum fontem immitterent: haud magnæ sibi operæ rem fore dicentes eluvione locum delere, fluminibus ex alto per præceps eo ruentibus: non enim utique obstiturum quidquam adversus tantam vim, quominus facile omnia aquis obruerentur. Neque jam sustinebant ipsorum quidem suam videre superstitionem exulem *n*; religionem vero mentibus hominum admissam et in honore habitam.

Ubi prima molitio effectu caret, plures congregati *l* *m* *n*

13 Igitur a jugo montis orsi, ubi fluvii confluebant, profundam fossam excavant, ut in eam aquam derivarent, Deique templum ita mergerent. Quod autem abrupta montium ac declivia studiose molibus occupassent, obturatis effugiis omnibus, ingenti copia confluens aqua voragines montium implevit. Sanctus porro videns diabolicas gentilium

per aquas duorum fluminum locum obruere conantur:

Auctore Sisinnio.

gentilium molitiones, abjectus humi tamquam mortuus, Deum obsecrabat, locum ut sanctum illum innoxium ab eluvione servari annueret. Sicque afflictus ad multas dies perduravit impastus, velut affixus solo, aquis potius inundantibus suffocari certus, quam ex eo, in quo consederat, loco cedere, credens in Deum, a pusillanimitate spiritus et tempestate sperantes in se liberantem. Postquam vero impiis omnia ad destinatum parata erant, hortabantur se invicem, dicentes: Immissis in fontem et locum, qui sanctus dicitur, fluviis, abstemus longissime et ejus submersionem, ipsorum inundationem mox futuram spectemus.

sed orante pro loci conservatione Archippo,

14 Perfectis igitur omnibus, ex eo loco recesserunt, ne præoccuparentur aqua paventes. Longeque ad meridiem progressi, spectabant alius alii demonstrantes aquam magno impetu et sonitu ruentem. Interea sanctus, o fidem non vacillantem! ad salvare potentem Deum totum se ipsum conferens, pronus humi jacens, lacrymarumque vim fundens, atque, ut jam dixi, sine intermissione Deum alta voce rogans, mitteret Michaëlem magnum suum militiæ principem: castraque circummetaretur, et se protegeret. Tum repente velut B divinitus æstro quodam percitus rapide exurgens cepit propheticum illud cantare carmen: Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas: elevabunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. Dum autem hic talia psalleret, horribilis repente tonitrus fragor extitit testis præsentiæ magni militiæ principis Michaëlis. Novit enim mandare Dominus angelis suis, ut custodiant eum, qui habitat in ejus adjutorio, in omnibus viis suis.

Et apparente S. Michaële archangelo,

15 Ut igitur et justus servaretur, et locus ac templum sacrum, et qui supervacue peccaverant, ad cognitionem Dei converterentur, et glorificaretur Deus, faciens magna et investigabilia miracula, visus est, tamquam columna ignea pertingens a terra in cœlum, Michaël archangelus, ac rupi, cui altare innitebatur *o*, insistens, magna voce sanctum ad se vocavit: Ades huc, inquiens, vir Dei. Ille vero fulgurantem splendorem Angelicæ gloriæ capere non valens, consternatusque ac perterritus in terram velut mortuus cecidit. At cælestis militiæ princeps surgere ipsum ac quanto- C cius ad se venire præcepit. Qui cum in summa trepidatione respondisset: Domine, non sum dignus accedere ad te; horrore enim concutior ad aspectum tuum: Surge, respondit, nihil metuens. Cum surrexisset igitur timore mentem ac stupore plenus, ac paululum processisset, tremens stetit: et inaccessam quidem magnitudinem gloriæ ejus ne intueri quidem poterat: vocem autem audivit maximam sic dicentem: Ego sum Michaël imperator exercitus Domini: quod si tu, cum sis justus, ad meam servi consternaris speciem, quomodo qui in injustitiis vixerunt, sustinebunt magnam Dei et salvatoris nostri Jesu Christi secundam apparitionem, quando manifeste veniet? Sta igitur immotus nequaquam metuens.

aqua e montibus delata primum consistit, in altum assurgens,

16 Et ecce aqua, pro miraculum! sese devolvens vorticosis fluctibus, sonituque ac collisione magna præcipitans, loco, cui Archangelus institerat, appropinquavit quidem: cæterum ejus verbo increpita, dicto citius reflexa est. Diuque suspensa tremore quodam veluti trepidans in altitudinem quandam elevata est. Si enim ad muri soliditatem concreverunt olim aquæ virga percussæ Moysis, exercitum ex Ægypto in terram promis-

τοῦ διαβόλου, ἐπὶ γῆς ὡσεὶ νεκρὸς ἐῤῥιμμένος τὸν Θεὸν D ἐξελιπάρει τοῦ τὸν ἅγιον τόπον ἐκεῖνον διαφυλαχθῆναι ἀλώβητον τῆς τῶν ὑδάτων ἐπικλύσεως. καὶ διῆγεν ἐπὶ πλείσταις ἡμέραις ἀπόσιτος ὢν καὶ μὴ ἀνιστάμενος. ἀλλ' οἱονεὶ τῷ ἐδάφει κεκολλημένος ἐναποπνιγῆναι τῷ ὕδατι μᾶλλον ᾑρεῖτο, ἢ τοῦ, ἐν ᾧ κατέκειτο, τόπου μετακλιθῆναι πιστεύων εἰς τὸν Θεὸν, τὸν ἀπὸ ὀλιγοψυχίας καὶ καταιγίδος τοὺς εἰς αὐτὸν ἠλπικότας ῥυόμενον· ἐπεὶ δὲ τοῖς ἀσεβέσι πάντα πρὸς τὸ δοκοῦν παρητοίμαστο ἀλλήλοις παρεκελεύοντο, λέγοντες· ἀφέντες κατὰ τοῦ λεγομένου ἁγιάσματος τοὺς ποταμοὺς στῶμεν ὡς ἀποτάτω, καὶ τὴν ἐξ αὐτῶν τούτου παράληψιν θεασώμεθα.

14 Τοῦτο οὖν ἐργασάμενοι, ἐξ αὐτῆς ᾤχοντο φεύγοντες τὸ μὴ τῷ ὕδατι ἐναποληφθῆναι. καὶ πόῤῥω ποι ἀφικόμενοι πρὸς μεσημβρίαν, ἑώρων ἀλλήλοις τὸ ὕδωρ ὑποδεικνύντες σὺν πολλῇ τῇ ῥύμῃ καὶ ἤχῳ καταφερόμενον. ὁ δὲ ὅσιος, ὢ τῆς ἀδιστάκτου πίστεως· πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν Θεὸν ὅλον εαυτὸν ἀναθέμενος, πρηνὴς εἰς τοῦ δαφος κείμενος, καὶ δακρύων πηγὰς ἐκχέων, ἀνενδότως δὲ τὸν Θεὸν, ὥσπερ ἔφθην εἰπὼν, ἐπιβοώμενος, ἐξαποστεῖλαι Μιχαὴλ τὸν μέγαν αὐτοῦ ἀρχιστράτηγον· καὶ κύκλῳ τούτου παρεμβαλεῖν καὶ ῥύσασθαι. ὥσπέρ τινι κέντρῳ θείᾳ δυνάμει νυγεὶς, ἀθρόως ἐξαναστὰς ἤρξατο τὸ προφητικὸν ἐκεῖνον ᾄδειν E μελῴδημα. Ἐπῆραν οἱ ποταμοὶ, κύριε, ἐπῆραν οἱ ποταμοὶ φωνὰς αὐτῶν· ἀροῦσιν οἱ ποταμοὶ ἐπιτρίψεις αὐτῶν ἀπὸ φωνῶν ὑδάτων πολλῶν. τὰ μαρτύρια σου ἐπιστώθησαν σφόδρα. τῷ οἴκῳ σου πρέπει ἁγίασμα, κύριε, εἰς μακρότητα ἡμερῶν. ἐν ᾧ δὲ ταῦτα οὗτος ἔψαλλεν, εὐθέως ἦχος βροντῆς ἐξαίσιος ἐπὶ τῇ τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ γέγονε παρουσία. οἶδε γὰρ ἐντελλεσθαι κύριος τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, τοῦ διαφυλάττειν τὸν ἐν τῇ αὐτοῦ κατοικοῦντα βοηθείᾳ ἐν πάσαις ταῖς τούτου ὁδοῖς.

15 Ἵν' οὖν ὅ τε δίκαιος φυλαχθείη, καὶ ὁ τοῦ αγιάσματος τόπος τε καὶ ναὸς, καὶ οἱ διὰ κενῆς ἀνομήσαντες εἰς ἐπίγνωσιν θεῖαν μεταμειφθεῖεν, καὶ δοξασθείη Θεὸς, ὁ ποιῶν μεγάλα καὶ ἀνεξιχνίαστα θαύματα, ὤφθη, ὡσει στῦλος πυρὸς ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν διήκων, Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, καὶ ἐπὶ τῆς πρὸς τῷ θυσιαστηρίῳ ἐρηρεισμένης στερεᾶς πέτρας ἑστὼς, μεγάλῃ φωνῇ τὸν ὅσιον μετεκαλέσατο, γενοῦ, λέγων, πρὸς με Θεοῦ ἄνθρωπε. ὁ δὲ τὴν ἀπαστράπτουσαν αἴγλην τῆς ἀγγελικῆς δόξης μὴ στέγειν οἷός τε ὢν, εἰς ἀγωνίαν ὑπαχθεις τε καὶ φόβον, ἐπὶ γῆς ὡσεὶ νεκρὸς ἔπεσε. Καὶ ὁ ἀρχιστράτηγος αὖθις ἀναστῆναι τε καὶ τάχιστα πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι προσέταξε. τοῦ δὲ σφόδρα περιδεῶς F εἰρηκότος, κύριε, οὐκ εἰμὶ ἄξιος προσελθεῖν σοι, φρίττω γάρ σου τὴν θέαν· ἀνάστηθι, φησι, μηδὲν δεδιώς. ἀναστὰς οὖν δέους ὁμοῦ καὶ θάμβους τὴν ψυχὴν πεπλησμένος, καὶ μικρόν τι προσελθὼν, ὑπότρομος ἔστη. Καὶ τῷ μὲν ἀπροσίτῳ μεγέθει τῆς δόξης αὐτοῦ οὐδ' ἀτενίζειν ἐδύνατο, φωνῆς δὲ μεγίστης ἤκουσεν οὑτωσὶ λεγούσης· ἐγω εἰμι Μιχαὴλ ὁ ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως κυρίου· καὶ εἰ αὐτὸς δίκαιος ὢν τὴν ἐμὴν τοῦ δούλου καταπλήττῃ μορφὴν, πῶς ἄρα οἱ ἐν ἀδικίαις βιώσαντες ὑποστήσονται τὴν μεγάλην τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δευτέραν ἐπιφάνειαν, ἡνίκα εμφανῶς ἥξει; στῆθι οὖν ἑδραῖος, μηδαμῶς δεδιττόμενος.

16 Καὶ ἰδοὺ τὸ ὕδωρ, βαβαὶ τοῦ θαύματος· περιστρεφόμενον τε καὶ ἑλισσόμενον, ἤχῳ τε πολλῷ καὶ ῥαγδαίως φερόμενον, τῷ τόπῳ, οὗ εἱστήκει ὁ ἀρχιστράτηγος, προσεπέλασε μέν· τῷ δὲ αὐτοῦ ῥήματι ἐπιτιμηθὲν, θᾶττον ἢ λόγος ἀνεχαιτίσθη. καὶ ἐπὶ πολὺ μετεωρισθὲν, τρόμῳ οἱονεὶ πῶς δεδιττόμενον, ὡς ἐφ' ὕψους τινὸς ἀπῃώρητο. εἰ γὰρ ὡσεὶ τεῖχος ἐπάγη πάλαι τὰ ὕδατα ῥάβδῳ πληγέντα Μωσέως, στρατὸν ἀπ' Αἰγύπτου πρὸς τὴν γῆν τῆν ἐπαγγελίας μετάγοντος, πῶς

A πῶς οὐχὶ καὶ τοῦ ταξιάρχου Μιχαὴλ τῆς οὐρανίου ἁπάσης στρατιᾶς τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως; εἶτα φησὶν ὁ ἀρχάγγελος πρὸς τὸν ὅσιον · ὁρᾷς ὅση τίς ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ; ὁ δὲ φρίττων ὁμοῦ καὶ χαίρων, ὁρῶ, ἔφησε, κύριε.

17 Καὶ τηνικαῦτα ὁ ἀρχιστράτηγος τὸ παράδοξον ἐκεῖνο καὶ λόγου κρεῖττον ἐνεδείξατο θαῦμα . ῥάβδου γὰρ πληγῇ καὶ μόνῳ προσφθέγματι τὴν τῶν ποταμίων ὑδάτων πλημμύραν κατὰ τῆς ἤδη ἀποῤῥαγείσης πέτρας, καὶ δίκην οὔσης χωνείας, προὐτρέψατο εἰς ἀεὶ μεταφέρεσθαι . αὐτίκα δὲ τῶν ὑδάτων ἐν τῇ πάλαι χωνείᾳ καταῤῥαγέντων, καὶ πάσης ἐντεῦθεν τῆς περιχώρου κατασεισθείσης, καὶ ὡς εἰκὸς, πάντων καταπλαγέντων ἐν αὐτῇ, ὁ ἀρχιστράτηγος σφραγίδα τῷ χάσματι ἐπιθεὶς, ἔφησεν · ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος, πᾶσα μαλακία ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ συντριβήσονται, οἱ ὀχλούμενοι πνεύμασιν ἀκαθάρτοις ἰαθήσονται, καὶ πάντες οἱ πίστει ἀδιστάκτῳ καὶ εἰλικρινεῖ προσιόντες, καὶ τοῦδε τοῦ ἁγιάσματος ἀρυόμενοι εὐθέως θεραπευθήσονται. Καὶ ὁ μὲν ταῦτα εἰπὼν, ἐπὶ τὴν οὐράνιον, ἄνεισι τρίβον.

18 Ὁ δὲ ὅσιος ὁρῶν αὐτὸν ὡσεὶ φλέγον πῦρ εἰς οὐρανοὺς ἀναχθέντα, ἰλίγγου καὶ φρίκης πλησθεὶς, εἴσεισι ψάλλων πρὸς τοῦ Θείου τεμένους ἄδυτα · ἐξαπέστειλεν B ὁ Θεὸς τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐῤῥύσατό με, καὶ ἔσωσε τῆς τῶν θηρευόντων παγίδος, καὶ τὸν ἅγιον αὐτοῦ οἶκον ἀλώβητον τῆς τῶν ὑδάτων ἐτήρησεν ὑποκλύσεως. οὕτως οὖν μελῳδήσας προσέμεινεν ἔκ τοτε τῷ θυσιαστηρίῳ, τῆς τε ἀσκήσεως, καὶ τῆς πρὸς Θεὸν αὐτὸν ἀναγούσης διηνεκοῦς προσευχῆς καὶ νήψεως ἀνδρικώτερον ἀντεχόμενος, μέχρις οὗ πρὸς ὃ ἐκ πλείονος εἶχεν ἐφετὸν, μετετάξατο. Ταῦτα τῆς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως τὰ τέρατα· ταῦτα τῆς παντοδυνάμου χειρὸς αὐτοῦ τὰ μεγαλουργήματα. Ταῦτα τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ τῆς θερμῆς προστασίας καὶ ἀντιλήψεως τὰ ἐκ Θεοῦ τούτῳ δοθέντα ἐξαίσια θαύματα. Τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τὸν θαυμάσιον τοῦτον Ἄρχιππον μιμησώμεθα, τὸν ἄξιον εαὐτὸν δι' ἀρετῶν οἰκειότητα τῆς τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ θέας ἀναδείξαντα, καὶ τοῦ κατὰ Θεὸν βίου τὴν ἀγωγὴν ἔργοις αὐτοῖς ἀσπασώμεθα. μηδενὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ τερπνῶν περισπώμενοι, ἵνα τῷ μεγάλῳ τούτῳ ἀρχιστρατήγῳ συνόμιλοι, ὡς ὁ θαυμάσιος οὗτος, γενόμενοι, τὸν ἀκατάπαυστον ὕμνον τῷ παναιτίῳ Θεῷ προσάγωμεν.

19 Ἀλλ' ὦ τοῦ Θεοῦ Μιχαὴλ ἀρχιστράτηγε · ὁ μεγάλα καὶ ἐξαίσια ὑπερθαύμαστα τε καὶ παράδοξα τῇ ἐκ Θεοῦ σοι δοθείσῃ χάριτι καὶ δυνάμει ἐκτελῶν τεράστια, αὐτὸς ἄνωθεν καὶ ἡμᾶς ἐποπτεύων πᾶν εἴ τι καλὸν καὶ συμφέρον, ταῖς σαῖς πρὸς Θεὸν ἀπαύστοις δεήσεσι, C καὶ πρεσβείαις ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ὅσαι ἡμέραι πρυτάνευσον. Καὶ ἀνεπαίσχυντον τὴν ζωλὴν ἡμῶν, καὶ ἀνώδυνον παρὰ Θεοῦ ἡμῖν αἴτησαι τοῖς ὑμνοπόλοις σου βραβευθῆναι. καὶ ὡς εἰρήνης ἄγγελος, καὶ πιστῶν ὁδηγὸς, σωμάτων τε καὶ ψυχῶν ἡμῶν φύλαξ, ὁπηνίκα τῶν ἐνταῦθα ἀπάρωμεν, μετὰ δόξης ἡμᾶς προσλαβεῖν, καὶ εἰ τὸ αἰτούμενον μέγα, ἐπίνευσον, ὡς ἂν καὶ αὐτόθεν ᾄδωμεν εὐχαριστήρια τῷ Θεῷ ἡμῶν ᾄσματα · ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ, καὶ προσκύνησις, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

sionis traducentis, quidni factum idem fuerit verbo magni cœlestis omnis militiæ præfecti Michaëlis? Jam porro, ait Archangelus ad sanctum : Vides, quanta sit virtus Dei? Ille autem tremens simul et gaudens, video, ait, Domine.

Auctore Sisinnio.

17 Et tunc supernæ militiæ Princeps inopinatum illud et sermone majus miraculum ostendit. Virgæ enim ictu *p* et uno vocis imperio redundantem fluviorum torrentium æstum ad petram jam ante perruptam ac fornacis in quandam speciem hiantem retro avertit, perenniter in contraria fluxurum. Statim porro ac ad eam, quæ jam olim ibi erat, fornacis speciem refractæ sunt aquæ, omnisque circa commota regio, omnesque, ut par erat, perculsi sunt incolæ, cœlestis militiæ dux signaculum *q* crucis hiatui imponens, dixit : In nomine Jesu Christi veri Dei nostri et salvatoris, omnis languor in loco isto conteretur, vexati a spiritibus immundis curabuntur, et omnes, qui fide non dubia ac sincera accesserint, ac ex hoc sacro fonte hauserint, repente sanitati restituentur. Quibus ille quidem dictis in cœlum redit.

deinde recedit ad petram, et sanandi virtutem accipit.

18 Sanctus autem ipsum videns instar flammantis ignis in cœlos referri, vertigine et horrore plenus, subit psallens sacri templi adyta : Misit E Deus angelum suum et liberavit et servavit me a laqueo venantium, sanctumque templum suum ab aquarum inundatione custodivit illæsum. Sic gratulatus, mansit ex tunc juxta altare, male habendo corpori, ad Deumque adducenti orationi assiduæ, ac jejunio generosius insistens, donec eo, quo tamdudum desiderio ferebatur, translatus tandem est *r*. Hæc sunt virtutis Christi prodigia. Hæc omnipotentis manus ejus excelsa opera. Hæc militiæ principis Michaëlis seduli patrocinii et benevoli auxilii divinitus ipsi data stupenda miracula. Nos vero admirabilem illum Archippum imitemur, qui virtutum usu dignum semetipsum magni militiæ principis Michaëlis visione reddidit. Vitæ vero, Deo gratæ disciplinam operibus ipsis amplectamur *s*, nullis hujus vitæ gaudiis nos sinentes abstrahi ; ut magni hujus Archangeli colloquio dignati, quemadmodum Sancto illi contigit, æternas gratias omnium bonorum autori Deo referamus.

Pius Archippi obitus.

19 At o divinæ militiæ princeps Michaël! O magna et stupenda, admiratione et fide majora, per concessam tibi divinitus gratiam et virtutem efficiens prodigia! ipse nos e cœlo intuens, quidquid bonum et utile nobis videris, assiduis tuis ad F Deum precibus et intercessionibus, animabus nostris in singulos dies impetra : vitaque opprobrio et dolore carens nobis tuis laudatoribus ut indulgeatur, apud Deum oratione confice. Atque ut pacis Angelus, et fidelium viæ dux, corporumque et animarum nostrarum custos, quandocumque hinc migrabimus, cum gloria nos suscipere, quamvis magnum sit, quod petimus, tamen annue : ut ob id ipsum gratulatoria Deo nostro cantica canamus : quem decet omnis gloria, honor et adoratio, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Invocatio S. Michaëlis.

ANNOTATA.

a *Hæc Præfatio non est in Actis Archippo tributis, nec in latine editis. In his tamen habetur alia perbrevis, quæ apud Surium videri potest.*

b *Consonant Acta in referendo ad tempora Philippi et Joannis miraculorum* S. Michaëlis *initium. Verumtamen, ut ante monui, legitimus* S. Michaëlis *cultus ibidem multo recentior videtur. S. Philippum Hierapoli prædicasse, etiam habent ejus acta, ad 1 Maji data, aliaque monumenta vetusta. S. Joannem in Asia prædicasse similiter constat; an vero cum Philippo fuerit Hierapoli, aut umquam in prædicatione fuerint conjuncti, necdum inveni. Quid vero fecerit S. Joannes contra sacrilegum cultum Dianæ, qui multum vigebat Ephesi, ubi diu habitavit, examinari poterit ad 27 Decembris.*

c *Viperam*

c *Viperom Hierapoli, quæ civitas erat Phrygiæ Pacatianæ, cultam fuisse a gentilibus, et orationi-* D
A *bus S. Philippi occisam, habent qualiacunque S. Philippi Acta, ad 1 Maji data. Apud Surium etiam*
dicitur occisa. In his vero et Aliis Græcis actis mors viperæ non asseritur, saltem clare, sed dæmones
dicuntur urbe ejecti.

d *Locus etiam* Χαιρέτοπα *scribitur in synaxario Sirmondi et in actis Archippi, imo et in Græcis,*
quæ latine data sunt a Surio, ut perspicio ex alia versione eorumdem actorum, memorata num. 192.
Surius tamen habet Cheretopa. *In solo synaxario locus videtur poni in civitate Colossensi, et solus*
Joannes ad illum locum profectus dicitur, ut etiam est apud Surium, ubi martyrium Philippi præmitti-
tur, et in actis Archippi, omisso tamen Philippi martyrio. Verba synaxarii huc transfero : ἐπεδήμησεν
Ἰωάννης ὁ Θεολόγος καὶ εὐαγγελιστὴς καὶ εἰς Κολασσὰς εἰς τόπον οὕτω καλούμενον Χαιρέτοπα *etc.* Profectus
est Joannes theologus et evangelista etiam Colossas in locum Chæretopa nominatum *etc. Sic ibidem,*
et apud Surium, facta in illo loco attribuuntur soli Joanni : sed apud personatum Archippum deinde
rursum ab Apostolis acta dicuntur.

e *Vox* ἵδρυτο, *quam Possinus vertit* constructum erat, *potest etiam verti* construebatur. *In aliis*
omnibus actis laudatis non dicitur jam tum exstructum fuisse templum, sed exstructio postea refertur.

f *Voces* consubstantialis et tres hypostases, *sive* ὁμοούσιος *et* τρισυπόστατος *non sunt temporum Apo-*
stolicorum, nec trium primorum sæculorum, sed inventæ hæresis Arianæ causa.

g *Si verum est miraculum modo relatum, eaque de causa oratorium* S. Michaëlis *exstructum, res illa*
potius contigerit sæculo V *aut* VI *circiter, quam secundo, ad quod referendum esset ex ordine relationis.*
In reliquis actis constructio templi hoc tantum loco refertur, illudque in actis Archippi vocatur ora-
torium parvum, *apud Surium vero et in synaxario dicitur* templum magnificum. *Verisimile est,*
initio modicum fuisse oratorium, et postmodum exstructum fuisse templum magis amplum, sed omnia
multo serius peracta.

h *Existimo, illud* εἰς κάλλος *recte exponi posse* pulchre, *ut sensus totum sit,* ex quo divina illa E
B domus pulchre constructa erat; *ac si Laodicenus ille oratorium primus exstruxisset, ut in aliis actis*
legitur. Magis tamen credo cum Possino, Sisinnium nostrum voluisse, minus aliquod S. Michaëlis ora-
torium ibi antea fuisse, cum num. 6 dixerit, fideles accurrisse ad sacrum fontem, et addiderit, καὶ τῷ
τοῦ ἀρχαγγέλου σεπτῷ σκηνώματι et ad Archangeli venerandum tabernaculum. *Si enim auctor per ta-*
bernaculum *voluerit* templum, *ut vertit Possinus, aut saltem oratorium designare, credidit oratorium*
exstitisse ante sanationem filiæ mutæ, atque hoc verisimillimum fiet, modo omnia referantur ad tempora
posteriora..

i *Consentiunt reliqua acta de ætate et gestis Archippi hic relatis, sed synaxarium ætatem decem*
annorum, qua ibi cœpisset habitare omittit, virtutes vero breviter compendio insinuat, et septuaginta
annos *ejusdem apud oratorium habitationi attribuit. Verum, cum Archippus ille nullibi in fastis Græ-*
corum, ut honoratus cultu ecclesiastico, compareat, suspecta saltem sunt, quæ de ejus ætate, modo vi-
vendi, et virtutibus, referuntur a scriptoribus, qui aut multa commenti sunt, aut omnia saltem supra
verum exaggerarunt.

k *Intellige excellens pravarum affectionum per Dei gratiam dominium, non omnimodam* impassibi-
litatem *aut* ἀπάθειαν, *ad quam humana fragilitas non pertingit.*

l *Quemadmodum vexationes Archippi, relatæ num.* 10, *aut commentitiæ videntur, aut saltem supra*
veritatem amplificatæ, sic et sequentes gentilium conatus ad obturandum fontem, et ad Chrysen
fluvium cum aqua salutifera miscendum, parum habent probabilitatis. At asserta hic quinque millium
virorum collectio contra unum hominem, et ad evertendum oratorium, omnem superat fidem. Nam si
publica magistratuum consilio ista fiebant, ut insinuant acta Archippi, poterant minori difficultate
locum ipsum adire, Archippum occidere, et oratorium cum fonte destruere. Si vero privatorum sedi-
tionem quis maluerit credere, tot hominum seditiosorum audacia minori compendio omnia peragere
tentasset. F

C m *Fluvii* Lycus *et* Caper *noti sunt circa Colossas et Laodiceam, et ambo in Meandrum decurrunt,*
ut et Lycocaper *ex eorum concursu nomen habere potuerit.* Cuphus, *uti et* Chryse, *num.* 11 *nominatus,*
quos apud geographos non invenio, possunt esse amnes ignobiles, quales ubique fere reperiuntur
complures. Facile credi potest, ut jam dixi, exundatione dictorum fluminum, aut unius ex illis, in præsenti
periculo fuisse oratorium S. Michaëlis, *et deinde hominum malitiæ attributum fuisse, quod sola*
aquarum violentia factum erat. Tamen paucorum hominum malitia clanculum etiam aquarum impetui
occasionem præbere potuit, perruptis nocturno tempore aquarum repagulis. Verum quinque millia
hominum congregare ad perficiendum, quod duorum fortasse aut trium perniciosa industria moliri
poterat, est fabulosus conjecturas comminisci.

n *Si vere aliquot hominum malitia periculum oratorio fuerit illatum, et Gentiles id egerint, quod*
suam riderent superstitionem exsulem, *res non fuit peracta tribus primis æræ Christianæ seculis, et in*
quarto quidem verisimiliter figi potest.

o *Malim hic vertere,* cui oratorium erat vicinum.

p *Consentit Archippus de modo, uti et synaxarium, apud Surium vero pro* ictu virgæ *substitu-*
tum est signum Crucis. Verum hic non dicitur S. Michaël *hiatum terræ fecisse, ut reliqua omnia ha-*
bent, sed aquam ad hiatum terræ, qui ante ibi erat, retro egisse, ut observatum in Commentario num. 189.

q *Illud signaculum crucis etiam est in actis Archippi et Surii cum verbis, quæ sequuntur; nec*
tamen omnia illa S. Michaëlis *credenda sunt, sed potius auctoris, qui verisimiliter meditatus est omnia*
dicta factaque S. Michaëli *attributa. In synaxario Sirmondi, relato miraculo, quo multitudo aquarum*
in hiatum terræ infusa dicitur, adjungit, ab eo locum Χῶνας *vocatum, ut habet etiam Menologium*
Basilianum. Hoc autem si verum est, miraculum certo contigit ante annum 787, *et verisimiliter post* 692 :
nam intra illud tempus nomen Colossorum in Chonas videri mutatum, ostendi in Commentario num. 191.
Non inveni ullum monumentum, ex quo constare possit, miraculum esse vetustius.

r *In Actis Archippo tributis mors ejus omittitur cum reliquis sequentibus. Apud Surium vero et*
hic

A *hic obiisse dicitur, nec ullibi aut miraculi, aut mortis Archippi tempus exprimitur, aut ullus imperator vel episcopus nominatur.*

f *Pro hisce et sequenti* S. Michaelis *invocatione apud Surium hæc solum leguntur :* Miracula autem in hodiernum usque diem fidelibus scatent uberius intercessionibus ipsius Michaelis principis incorporeorum. *Synaxarium de cultu* S. Michaelis *subjungit :* Διὰ ταῦτα τοίνυν τὴν ἀνάμνησιν τοῦ ἀρχιστρατήγου ποιούμενοι, συναγόμεθα ἐν τῷ σεπτῷ αὐτοῦ τεμένει τῷ ἐν τῷ ἀνάπλῳ. Hac igitur de causa memoriam Archangeli celebrantes, congregamur in venerando ejus templo, quod situm est in Anaplo. De *hac* S. Michaelis *ecclesia continuo disseram.*

§ XVII. Ecclesiæ S. Michaeli vel Angelis dicatæ circa Constantinopolim, et in ipsa urbe.

Templa S. Michaeli ante apparitionem Chonensem dicata.

B*ailletus ad 29 Septembris in* S. Michaele *existimat, ab apparitione* S. Michaelis *in Chonis exordium fuisse generali ejusdem cultui per Officium ecclesiasticum apud Græcos. Verum nequeo huic opinioni subscribere; sed existimo, vetustiorem esse* S. Michaelis *et omnium* Angelorum *festivitatem, quæ celebratur die 8 Novembris, ut dictum est num. 13 et 14. Cum enim constet, a sæculo 4 ecclesias* S. Michaeli *fuisse dicatas, non est verisimile, eumdem Officio ecclesiastico caruisse* B *usque ad sæculum 8 vel 9, præsertim cum ejusdem Officium multo antiquius sit apud Latinos. De tempore tamen, quo institutum est, nihil invenimus, prout contingit de plerisque primorum sæculorum festivitatibus. Ratio colendi* Angelos *erant eorum excellentia, sanctitas, beatitudo, patrocinium apud Deum, beneficia per ipsos a Deo hominibus data, de quibus ex sacra Scriptura abunde semper constitit : non particularis aliqua apparitio, licet apparitiones conducere potuerint ad cultum eorumdem augendum.*

Celebris erat ædes S. Michaelis,

204 *De ecclesia* S. Michaelis, *quæ prope Constantinopolim a Constantino Magno exstructa est, agit Sozomenus lib. 2, cap. 3, simul referens beneficia aliqua ibidem fidelibus præstita. Testatur, plurimas in dicta urbe a Constantino ædificatas ecclesias, et subjungit :* Earum autem nobilissimam, tum ab exteris, tum a civibus, eo tempore habitam esse constat ecclesiam illam, quæ est in Hestiis. Locus est olim ita dictus, qui nunc Michaelium vocatur, ad dextram positus navigantibus ex Ponto Constantinopolim ; distans ab urbe navigio quidem pergenti circiter triginta quinque C stadiis : terrestri vero itinere sinum interjacentem circumeunti septuaginta et amplius stadiis. Hic autem locus eam, quam dixi, appellationem ideo sortitus est, quod divinus Michael archangelus illic apparere creditur. Idque ipse quoque maximo affectus beneficio, verissimum esse testor. Sed et in aliis compluribus ipsa rerum fides atque experientia id ita esse declarat.

et beneficiis in miseros

205 Quidam enim in gravissimas calamitates aut inevitabilia pericula prolapsi ; alii morbis ac doloribus quibusdam inusitatis oppressi, precibus illic ad Deum fusis, statim malis liberati sunt. Verum, quomodo ista et quibus contigerint, singillatim commemorare prolixum foret. Quæ vero acciderint Aquilino, viro, qui hodieque mecum una versatur, et in eodem foro causidicinam exercet, partim ut ab ipso audivi, partim ut ipse conspexi, dicam necessario. Nam cum vehemens febris, ex flava bile orta, eum invasisset, potionem ei dederunt medici ad purgandam alvum. Eam ille evomuit : ac simul cum vomitu diffusa bilis eutem omnem colore suo tinxit. Ex quo factum est, ut, quidquid edisset ac bibisset, evomeret. Cumque id multo jam tempore passus esset, nec cibum ullatenus retinere posset, medici de curatione morbi desperabant. Ille ergo jam semimortuus, domesticis suis præcepit, ut se in ecclesiam deferrent, affirmans fore omnino, ut aut illic moreretur, aut morbo liberaretur. Illic jacenti divinum Numen noctu apparens, jubet, ut potione, ex melle, vino ac pipere simul commixtis confecta, cibum intingat. Atque ea res hominem morbo liberavit ; quamvis medici potionem calidissimam morbis flavæ bilis contrariam esse, ex artis suæ ratione judicarent.

collatis clara

206 Audivi præterea, Probianum quemdam ex medicis sacri palatii, cum pedum gravissimo dolore vexaretur, ibidem dolore liberatum, ac divinam quamdam visionem prorsus mirabilem E promeritum esse. Nam cum initio gentilis fuisset, christianus postea factus, reliqua quidem religionis nostræ satis probabilia existimabat ; istud vero neutiquam probabat, quod crux salutis omnium causa exstitisset. Huic ita sentienti divina visio oblata, crucis signum ostendit, quod in altari supradictæ ecclesiæ erat dedicatum : palamque affirmavit, ex quo crucifixus fuisset Christus, eorum, quæ ad communem humani generis utilitatem, aut ad privatum quorumdam commodum facta essent, nihil absque veneranda crucis potentia, seu divinos Angelos, seu pios ac sanctos homines perpetrasse. Et ista quidem ex iis, quæ in hac ecclesia accidisse cognovi, hic referenda esse duxi, cum omnia recensere haudquaquam tempestivum sit. *Hactenus de illa ecclesia Sozomenus.*

quæ prope Constantinopolim constructa est a Constantino

207 *Theophanes pag. 18, ubi egerat de concilio Nicæno, et de constructa Constantinopoli, inter templa a Constantino ædificata, etiam meminit ecclesiæ* Archangeli ad locum, qui Anaplus *dicitur. Cedrenus pag. 284 rursum meminit ejusdem ecclesiæ per Constantinum constructæ in* Anaplo et Sosthenio, *addens de Constantino :* Ubi F etiam miraculose audivit divinarum vocum omnia atque vidit. *Vocat vero græce ecclesiam* τοῦ ἀρχιστρατήγου archistrategi, *ut* S. Michaelem *passim nominarunt Græci, quod in versione latina obscurius expressum est vocibus,* copiarum præfecti ; *acsi de homine ageretur, et rectius exprimeretur,* cælestis militiæ principis. *Nicephorus Callistus lib. 7, cap. 50 plura memorat, sed non omnia æque certa. Non unum modo, sed duo* S. Michaeli *templa a Constantino exstructa asserit, ita ordiens :* ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ἀνάπλῳ, καὶ ὃ Σωσθένιον ὁ χῶρος κλῆσιν ἠμοίρησεν. *Dedi verba græca, quod non recte sint expressa latine. Sic autem vertenda existimo, ut subjungo cum sequentibus :* Sed etiam in Anaplo (et nomen Sostenium locus feliciter sortitus est) ecclesias [alias] duas archangelo Michaeli exstruxit : in quibus splendide exornandis ad imperialem magnificentiam nihil omisit. *Tum ab argonautis, apud poetas notissimis, repetit historiam, quam potius fabulam credo, ex qua locus ille* Sosthenium *fuisset vocatus.*

208 *Missis fabulis, audiamus, qualem visionem*

AUCTORE J. S.

ad Bosphorum in littore Europæo sive Thracio :

nem ibidem Constantino ablatam dicat. Somni porro capiendi tempore assistens illi visin *ita dixit :* Ego sum Michael magister militiæ Domini Sabaoth virtutum, Christianorum fidei tutor : qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli et dilecto illius ministro, auxiliaria arma contuli. Itaque e somno excitatus, regionem eam pulcherrime excoluit, et ara imperiali magnificaque manu et liberalitate in parte Orientali constructa, celeberrimum id templum civibus simul et advenis reddidit. Maxime tamen sacram illam ædem apparitionibus suis illustravit Archangelus. *Subjungit de beneficiis in illa ecclesiæ obtentis eadem fere cum iis, quæ dedi ex Sozomeno. Tum de loco, ubi sita erat, sic loquitur :* Ora autem hæc ad dextram partem ex Ponto Constantinopolim naviganti consistit, circiter stadia triginta quinque ab ea maritimo itinere, septuaginta vero... pedibus fretum, quod in medio est, circumeunti distans. *Ex allegatis habemus, ecclesiam illam fuisse constructam ad littus Thracium Bósphori, et obfuisse Constantinopoli versus Pontum Euxinum stadiis circiter triginta quinque, sive hora fere et media itineris per Bosphorum. Iter tamen est*
B *Septuaginta stadiorum, sive paulo minus quam trium horarum, si quis totum iter pedibus conficere voluerit, et sinum Ceraticum circumire ; sed multo brevius erit iter, si quis ad sinum se conferat, eumque navigio trajiciat.*

varia loci, in quo condita est, nomina referuntur.

209 *Quod spectat ad nomina loci, in quo ecclesiæ illa fuit ædificata, Petrus Gyllius in Opere de Bosphoro Thracio lib. 2, cap. 11 agit de vico* Michaelio *et de promontorio Estiis, situm locorum uberius exponens. Mihi, ne prolixior fiam, satis erit pauca compendio huc transtulisse.* Estiæ *nomen erat promontorio, in quo condita est* S. Michaelis *ecclesia, ad hunc vero excrevit·vicus* Michaelium *dictus. De vico ita loquitur laudatus Gyllius :* Perveni ad vicum Michaelium, in maritima vallis planitie situm, lata juxta mare quingentos passus, longa sexcentos. *Et infra de vico ait, quem* Græci hodie appellant ASOMATON, *id est,* incorporeorum, *sive* Angelorum. *Deinde vero observat, ecclesiam a Procopio dici structam* in Anaplo, *multaque de eo loco disserit ambigue. Ut paucis mentem explicem, vehementer suspicor,* Estias *esse vetustius ejusdem loci nomen,* Anaplum *recentius. Aliud rursum ejusdem loci nomen videtur*
C Sosthenium, *quod Nicephorus improbabiliter ab Argonautis accersit. Gyllius* Sosthenium *inde longe vult abfuisse, et cap. 15 existimat,* Leosthenium *sinum cum* Sosthenio *eumdem esse. Verum recte se opponit Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 4, pag. 187, ubi agit de ecclesiæ* S. Michaelis. *Nam videtur illud quoque loci nomen recentius esse, et Nicephorus clare dicit,* Anaplum *etiam vocari* Sosthenium.

Alia erat S. Michaelis ecclesia in opposito Bosphori littore Asiatico :

210 *Quod supra dixit Nicephorus de gemina* S. Michaelis *ecclesiæ per Constantinum condita, nequeo aliunde confirmare. Certum tamen est, fuisse et vetustam* S. Michaelis *ecclesiam in opposito Bosphori littore Asiatico, et utramque a Justiniana imperatore instauratam. Etenim Procopius in Opere de Ædificiis Justiniani lib. 1, cap. 8 sic habet :* Templa duo Michaeli archangelo sacra, sibique adversa, hinc inde freto (*Bosphoro*) imminebant : quorum alterum erat in Anaplo, ad lævam navigantium in Pontum Euxinum; alterum in opposito littore, quod meo quidem judicio, Proochthus ideo dixere veteres, quia longe ultra reliquam oram prominet, nunc Brochos appellant, vocabula per temporis longinquitatem corrumpente indigenarum inscitia. Cum templa D utriusque sacerdotes illa ævo dirupta cernerent utriusque sacerdotes, ac, ne ruina propediem opprimerentur, vehementer timerent ; imperatori supplicarunt, ut ambo in formam pristinam restitueret. Neque enim illius principatu, vel nova condi, vel ruinosa ecclesia reparari ulla potuit, nisi cæsareis sumptibus, non modo Byzantii, sed in universo etiam orbe Romano.

utramque solo æquavit, et splendidius reædificavit

211 Eam nactus occasionem imperator, statim utramque ædem æquavit solo, ne quid vitii pristini superesset : et eam quidem, quæ est in Anaplo sic reædificavit. Interiorem littoris illius partem lapidea complexus crepidine, qua portus muniretur, forum fecit ex ora maris, quod hic placidissimum commercia cum terra miscet : ita ut institores maritimi, appulsis ad crepidinem navibus onerariis, cum iis, qui in terra sunt, merces e foris commutent. Post forum illud littoreum, templo objacet atrium, cujus marmora hic fructus varios, illic oves colore referunt. Qui ibi inambulant, hinc eorum nitore, inde maris aspectu mirifice hilarantur : simul etiam recreantur auris, quæ ex mari præterlabente collibusque communiter spirant. Ædem ambit porticus in E orbem ducta, desinensque ad ejus latus Orientale. Est in medio templum mille coloribus marmorum varium ac tholo sublimi tectum. Quis pro operis dignitate recenseat porticus pensiles, interiores recessus, gratissimum nitorem marmorum, quæ et parietes et solum omnino vestiunt? Adde immensam auri vim, ubivis alliti, ita ut congestum videatur... Sic in Anaplo templum Archangeli constructum est.

Justinianus, qui et tertiam ad Bosphorum condidit.

212 In adverso autem littore parum distat a mari locus, situ planus, lapideoque aggere editus. Ibi condita Archangeli ædes altera, decore summo, præcipua magnitudine, eaque magnificentia, ut digna sit, quæ et Michaeli sacra, et a Justiniano augusto posita dicatur. *Ad idem fretum, in Asiatico similiter littore aliam quoque* S. Michaeli *ecclesiam exstruxit Justinianus. De hac laudatus Procopius cap. 9 scribit sequentia :* Littus est (Mochadium appellant) vicinum loco, qui Hieri nomen etiamnum retinet. Hic templum Archangelo condidit augustissimum, neque ullo eorum, quæ eidem dicata paulo ante commemoravi, dignitate inferius. *De duabus posterioribus ecclesiis etiam meminit Cangius supra laudatus, qui de* F *prima in Anaplo etiam plura adducit, ostenditque deinde etiam instauratam fuisse et ornatam a Basilio Macedone, et a pluribus scriptoribus commemoratam. Tres hactenus memoratæ* S. Michaelis *ecclesiæ certo distinctæ sunt, cum de omnibus, ut distinctis, egerit Procopius.*

Alia S. Michaelis ad flumen Athyram ædes sacra :

213 *Laudatus Cangius pag. 186 et seq. alias quatuor ædes* S. Michaeli *dicatas profert ex variis scriptoribus. Prima, quæ innotescit ex Zonara tom. II, pag. 247 et Cedreno pag. 753 in Zoe imperatrice, alia certe est, cum esset in Thracia et distaret Constantinopoli versus Occidentem, ubi est fluvius Athyras, qui currit in Propontidem. Uterque refert, Constantinum Monamachum, quando Zoe nubere eidem volebat, ab exsilio revocatum, ductumque esse ad templum* S. Michaelis ἐν Δαμοκρανείᾳ, *quem locum non invenio, sed addit Cedrenus, memoratum templum fuisse prope Athyram.*

alia in suburbio Constantinopolitano :

214 *Pro secunda laudat Chronicon Alexandrinum sive Paschale, in quo pag. 589 narratur, tempore Heraclii imperatoris chaganum sive principem Avarorum cum exercitu suo fuisse prope Constan-*

AUCTORE J. S.

stantinopolim, subitoque impetu urbem capere voluisse, sed conatum fuisse irritum. Prædam tamen ex suburbanis locis magnam rapuerunt Avares, et ingressi *dicuntur templum SS. Cosmæ et Damiani in Blachernis* καὶ εἰς τὸν ἀρχάγγελον πέραν εἰς τὰ Προμώτου, *quod ita vertit in chronico Cangius:* Et ecclesiam sancti archangeli trans urbem in Promoti suburbano. *Adverbio* πέραν trans, *quod hic vertitur* trans urbem, *existimat laudatus Cangius, insinuari* trans Bosphorum, *et sic vellet illam* S. Michaelis *ecclesiam locare in Asiatico Bosphori littore. At ea opinio videtur improbabilis, cum Avares essent in Europa sive in Thracia, non in Asia, ut non possent invadere ecclesiam ibi positam. Hoc non solum habetur ex habitatione Avarum, qui sedes habebant in hodierna Hungaria, sed etiam ex ecclesia SS. Cosmæ et Damiani in Blachernis, quam eodem tempore ingressi sunt. Per vocem* trans *forsan indicatur, ecclesiam illam* S. Michaelis *fuisse trans sinum Ceraticum. Quidquid sit, videtur alia ab omnibus hactenus memoratis.*

aliud monasterium prope Pontum,

215 *Longius Constantinopoli distabat, et serius conditum erat,* S. Michaelis *monasterium, quod tertio loco recenset laudatus Cangius ex Niceta Choniata, quid lib. 7, num. 4 de Manuele Comneno sic habet:* Et monasterium in Ponti faucibus, loco qui Catascepe dicitur, archiducis (*imo* Archistrategi) Michaelis nomine exstruxit: in quo celeberrimos quosque et præstantissimos monachos collocavit ea ratione, ut solitariam et quietam vitam sine illa sollicitudine possent degere. *Erat itaque istud monasterium prope Pontum Euxinum, fundatumque est sæculo 12, ante cujus medium Manuel Comnenus imperare cœpit, defunctus anno 1180, ut consentiunt Baronius et Pagius.*

aliud rursum, quod nomen habuit

216 *De alio monasterio laudatus Cangius num. 33 agit ex Leone Grammatico, qui in Basilio Macedone imperatore pag. 471 hæc tantum habet:* Ignatius autem patriarcha ecclesiam insignem ad Satoris emporium sub Orientis Archistrategi nomine constructam virorum effecit monasterium, ubi corpus ejus depositum est. *Observat autem Cangius ex Continuatore Theophanis et Symeone Logotheta, quibus addi potest vita S. Ignatii, pro* Σάτωρος *legendum esse* Σατύρου *vocatumque esse* Satyri, *quod ibi* Græcanica superstitione eidem Satyro fanum exstructum erat, ex cujus vicinia hæc ipsa appellatio monasterio adhæserat, *ait Continuator Theophanis pag. 15.*

ab inventa inscriptione vetusta.

217 *Rationem vero, cur idem monasterium* ἀνατέλλοντος, *sive* Orientis, *vocatum fuerit, hanc adjungit:* Ut autem Oriens vocaretur, ejusmodi causa accidit. Veniente aliquando Nicephoro imperatore ad eas partes, ubi jam monasterium conditum est, eo quod locus dumosus esset et impervius, silvestriumque animalium venationi idoneus, cum apparuisset prægrandis cervus, infestisque canibus eo ipso loco, in quo nunc monasterii sacrarium erectum est, captus esset, inventa est vetus mensa, quam columna fulciebat, hocce titulo: τοῦτό ἐστι τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ τοῦ ἀνατέλλοντος, ὅπερ ἐνεθρόνισεν ὁ ἀπόστολος Ἀνδρέας. Hoc est altare Michaelis cælestis militiæ principis, quod Andreas apostolus posuit. *Eadem leguntur apud Simeonem Logothetam in Basilio Macedone num. 9, ibique constructio monasterii refertur ad annum 6 Basilii, qui concurrit cum anno 872 æræ christianæ. Vox* ἀνατέλλοντος *omissa ab interprete in verbis datis, est etiam apud Logothetam, ibique latine expressa est* Orientis, *sed verti etiam potest* apparentis, *et sic sensus erit:* Hoc est altare Michaelis, cælestis militiæ principis, apparentis etc. *Insinuatur itaque vetustissima aliqua S. Michaelis apparitio, cujus causa conditum fuerit oratorium postea destructum.*

Tres priores Constantinopoli a Cangio ex variis memorata.

218 *Laudatus Cangius pag. 97 et sequentibus in urbe Constantinopolitana et suburbiis quindecim recenset ædes* S. Michaeli *sacras, de quibus eodem ordine nunc agam. De prima Georgius Codinus in Originibus Constantinopolitanis pag. 59 ita habet:* Templum beati archangeli Michaelis, nuncupatum AD ABACOS, quod est prope Xerolophum, ædificavit Leo Macelas. Ita vero nominatum est, quod ibi inventi fuerint abaci magnitudinis admirandæ. *De Xerolopho, qui septimus erat collis Constantinopolitanus, agit Gyllius lib. 4, cap. 7. Leo, cognomento* Macelas, *primus est istius nominis imperator, qui post Marcianum obtinuit imperium anno 457. De altera idem Codinus pag. 60 hæc scripsit:* Ecclesiam novam beati Archangeli Zeno (*successor Leonis*) et Ariadne (*imperatrix*) ædificarunt. *Græce vocatur* Parva et Nova. *De tertia laudat Cangius Codinum pag. 45, qui sic habet:* Templum S. Michaelis archangeli, cognominatum Adæ, ab eodem Justino II (*imperatore*) conditum est. Cognomen vero habet ab Ada magistro, cujus domus ibi erat. *Consentit Cedrenus pag. 391, et ab Adda domum prius habitatam scribit. Alter tamen habet* Adæ, *alter* Addæ.

Quarta Cangii a Basilio Macedone structa,

219 *De quarta, si tamen distincta est a secunda, plures scriptores laudat Cangius. Symeon Logotheta de ea in Basilio Macedone num. 11 ita scribit:* Basilii imperii anno nono cœpit imperator ædificare Novam ecclesiam. *Rursum num. 16:* Anno Basilii imperii quartodecimo, Kalendis Maii, dedicatur, divinisque officiis publice celebrandis aperitur a Photio patriarcha Nova ecclesia. *De illa ecclesia bis loquitur Constantinus Porphyrogenetus in vita Basilii Macedonis, et primum num 76 ait:* Eo tempore exstruebatur pulcherrimum illud ac spectabile templum, quod novam basilicam ecclesiam vocare consuevimus, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, et angelorum primatis Michaelis, nec non Eliæ Thesbitæ nomine, erigebatur. *Addit, tapetes miri operis a Danelide matrona in ornamentum istius ecclesiæ fuisse donatos, eaque erat ratio ibidem loquendi de illa ecclesia. Verum num. 82 eamdem ecclesiam fuse describit et præcedentibus alios addit patronos, ita ordiens:* Quid enimvero circa pusilla ipsius (*Basilii*) operum versamur, etsi et illa valde ingentia; nec magnum illud omnique dignum admiratione adjungimus, quod ad ipsum regiæ atrium, ipse operi præsidens auctorque molitionis extruxit; quod vel unum illius in Deum pietatem et cultum, inque iis, quibus manum admovisset, magnificentiam admirandosque conatus abunde potest ostendere? Velut enim Christi eum, Angelicarumque potestatum Primatis *, Gabrielis, nec non et Eliæ Thesbitæ (zelotis illius, qui ejus matri provehendi filii in regni solium nuntius fuerat) benevolentiam munerans, in eorum nomen ac memoriam sempiternam; itemque sanctæ Dei Genitricis, et Nicolai, inter Hierarchas (*id est episcopos*) primas obtinentis, divinum pulcherrimumque templum ædificavit: in quo pari fœdere ars et divitiæ fervensque fides et locupletissima voluntas coivere, ac quæ ubique gentium pulcherrima sunt concurrere: ipsa ejusmodi, ut penes convisentes, quam audientes, majorem fidem habeant.

* Michaelis

220

AUCTORE C. S.

et splendidissime exornata;

220 Templum hoc, velut sponsam splendide ornatam cultamque margaritis et auro argentique nitore, prætereaque marmorum multipli colorum varietate tesselarumque compositionibus, ac sericorum pannorum stragulis collucentem, immortali Sponso addixit. Tectum enim quinque semicircunlis constans, auro renidet, imaginibusquo velut stellarum splendoribus micat: parte extima æris metallis auri fulgorem quam proxime referens: parietes hinc inde pretiosis variisque coloris marmoribus variati collucent; templique penetralia ipsa, auro argentoque et lapillis margaritisque interstincta variaque, magnifice splendescunt. Ab exteriori nave sanctuarium secludentes cancelli, inque illis columellarum ordines, eisquo imposita, quæ vocant, hyperthyra; intusque positæ sedes, et qui ante illas sunt gradus, ipsæque sacræ mensæ, omnia argentea superfuso auro lapidibusque pretiosis, unionibus inditis conflata compactaque consistunt. Ipsum stratum solum sericis texturis aut Sidonii operis expansis aggravescere videbitur. Sic universum subjectis varii coloris marmorum crustis, variique generis ambientibus tessellati operis zonis, exquisitæque artis compage, in omnibus denique circumfluentis B gratiæ abundantia condecoratur ac variatur. Cantorum in eo ministrantium constituta multitudo, uberesque assignati reditus, quos magnifice largiterque in eos impartiendus præcepit, qui istiusmodi propitiatorii obsequiis addicti essent; hoc nempe ambiens, ut omnes fere superiores hoc munificentiæ genere superaret. *Describit etiam exteriorem templi ornatum, ut ibidem videri poterit.*

quæ tamen ante Basilium exstitisse videtur.

221 *De eadem ecclesia brevius agunt alii plures apud Cangium laudati, quos mitto brevitatis gratia. Porro, etiamsi plures viderimus illius ecclesiæ patronos, nomen tamen* S. Michaelis *præcipue invaluisse, colligitur ex Liutprando, qui deinde Constantinopoli fuit legatus. Nam in Historia lib.* 1, *cap.* 2 *Basilii Macedonis gesta concludit his verbis :* Fabricavit autem pretioso et mirabili opere juxta palatium, Orientem versus, ecclesiam, quam νέαν, id est, Novam vocant, in honore summi, et cælestis militiæ principis, archangeli Michaelis, qui græce ἀρχιστρατηγός appellatur. *Hæc verba insinuant, unicum fere* S. Michaelis *nomen sæculo* 10, *quo scripsit Liutprandus, usitatum fuisse. Meminit ille de eadem lib.* 3, *cap.* 8, *ibique ait,* C *non solum νέαν passim vocatam fuisse, sed ab aliquibus etiam ἐννέαν,* quod, *inquit,* lingua nostra Novennalem sonat, eo quod ibidem horarum ecclesiasticarum machina novem pulsata ictibus seu vocibus sonet. *Mitto plures Cangii observationes.*

ut forte sit eadem cum secunda, quam instauraverit Basilius.

222 *Unam, eo qua suspicor, ecclesiam illam* S. Michaelis *diu ante Basilium Macedonem exstitisse, huc transfero :* Ejusdem ædis, *inquit,* sub S. Michaelis, et Ἀρχιστρατήγου *appellatione* mentio est præterea apud Theophanem anno 20 Anastasii imperatoris, 36 Justiniani magni, et 6 Constantini Irenes filii, pag. 132, 200, (*imo* 201) et 397, apud Scylitzem, Glycam etc. *Ex hac observatione, quam veram agnosco, ulterius colligo, ecclesiam illam diu exstitisse ante Basilium, cum Theophanes Basilio sit antiquior, et de illa ecclesia scribere non potuerit, nisi exstaret. Hinc verisimillimum mihi fit, eamdem esse cum secunda Cangii, quam a Zenone et Ariadne conditam ait Codinus, et instauratam fuisse a Basilio Macedone. Nam priori loco dicitur apud Theophanem,* in Archangeli æde palatii, *pag.* 201 *innuitur, ecclesiam fuisse prope palatium, et pag.* 397 *dicitur Plato* D *hegumenus, qui recesserat a communione S. Tarasii, in ergastulo* ad Michaelis cælestis militiæ principis in palatio erectam ædem *inclusus. Hæc omnia clare indicant, diu ante Basilium imperatorem exstitisse in palatio, sive ad palatium* S. Michaelis *ecclesiam. Verumtamen scriptores, quos vidimus, aliique plures, ac nominatim Georgius monachus in Basilio num.* 11, 15 *et* 19 *sic referunt constructionem illius ecclesiæ, cujus causa multas ornamentis spoliasse dicitur Basilius, ut a fundamentis structam insinuent. Quare suspicor, priorem ante destructam, novamque ampliori forma constructam a Basilio.*

Quinta apud Cangium.

223. *De quinta Cangii Codinus pag.* 19 *tam breviter meminit his verbis :* In regione Michaelis archangeli, *ut magis pro loco aut vico sic dicto verba viderentur sumenda, quam pro ecclesia. At ab ecclesia vicus nomen acceperit, cum aliunde etiam constet, ecclesiam aliquam* S. Michaelis *fuisse* in Arcadianis, *ubi erat dicta regio. Certe in vita* S. *Basilii Junioris, a Gregorio ejus discipulo scripta, et edita apud nos ad* 26 *Martii, quam etiam laudat Cangius, cap.* 4, *num.* 28 *hæc leguntur :* Habitabat vero tunc Sanctus, uti dictum est, in Arcadianis prope duo templa sub invocatione E sanctorum Archangelorum extructa ab imperatore Basilio, volente sic reparare cædem Michaelis (*imperatoris, decessoris sui, et*) filii Theodoræ imperatricis. *Utrum ambo* Michaeli *et aliis archangelis simul dicata fuerint; an vero alterum* S. Michaeli, *alterum* S. Gabrieli, *ut conjecit Combefisius, mihi non constat.*

sexta est monasterium, forsan extra urbem

224 *De sexta Cangius solum affert subscriptiones duorum conciliorum. Vocatur monasterium* Αἰθρίου Ætrii, *vel* ἐν τῷ Αἰτρίῳ *in* Ætrio. *Præpositus hujus monasterii sex locis legitur subscriptus aut memoratus in concilio Constantinopolitano sub Menna apud Labbeum tom. V Conciliorum, nimirum col.* 34 *hoc modo :* Polychronius presbyter et prior (*Græce* ἡγούμενος) monasterii Ætrii (Αἰθρίου) rogans subscripsi, *Deinde pag.* 65 : Polychronius Æthrii, *uti et col.* 75. *At col.* 3 *hocce modo,* Polychronius Dei gratia presbyter et archimandrita monasterii S. Michaelis archangeli Æthrio, per Anastasium monachum supplicavi et subscripsi, *et eodem fere modo col.* 134, *ac demum col* 174 : Polychronius presbyter et archimandrita monasterii sancti Michaelis in Æthrio subscripsi. *Ex hisce certo habemus, Polychronium fuisse præ-* F *positum alicujus monasterii* S. Michaelis; *non tamen liquet, an istud* S. Michaelis *monasterium fuerit in ipsa urbe Constantinopolitana.*

septima, monasterium in urbe,

225 *Septima Cangii ecclesia est aliud monasterium urbis, de quo meminit Georgius Pachymeres lib.* 8, *seu part.* 2, *lib.* 2, *cap.* 27 *agens de Cosma monacho, qui deinde fuit patriarcha Constantinopolitanus. De eo autem, ut habet versio latina, ita loquitur :* Hic postea in urbem adveniens, in monasterio imperatoris, cui Archistrategi, a sanctu, cui dicatum est, cælestis militiæ Principe, nomen est, cum alia exercuit ministeria, tum ecclesiarchæ officio functus est. *Hæc verba certo evincunt, monasterium aliquod* S. Michaelis *in urbe Constantinopolitana fuisse, istudque fuisse ex iis, quæ* βασιλικά *sive* imperatoris *vocantur, non solum ex allegatis verbis colligitur, sed etiam ex mox sequentibus de eodem :* Cum imperator in proprium monasterium certos homines misisset.

octava in urbe, non illa certo nona, quæ monasterium.

226 *De octava apud Cangium ecclesia* S. Michaelis *Codinus pag.* 48 *hæc scribit :* Chrysobalandum sive Auricrumena domus erat Nicolai patricii et domestici Orientalium, quam ille mutavit in

A in duo templa, sancti archangeli Michaelis et S. Pantelemonis, ob hanc causam. Uxor supradicti domestici, marito in castris commorante, ab alio quodam adulterabatur. Qua de re ipse certior factus, improviso in urbem rediit, et ambos simul deprehensos articulatim consecuit. Postea autem recordatione et metu extremi judicii duo hæc templa condidit. Cum vero, absoluta jam fere structura, defectu pecuniæ plurimum angeretur, apparuit ei in somno archangelus, dicens: Abi ad illum locum vicinum Asparis cisternæ, et invenies crumenam centum auri libras continentem. Domesticus igitur eo accedens, crumenam invenit, et consummata templorum structura, locum, ut antea diximus, nominavit Chrysobalandum. *Quantum sit credendum de causa nominis, prudentis lectoris judicio relinquo. De nona ecclesia Cangius hæc solum affert:* S. Michaelis, seu τοῦ ἁγίου Ἀρχαγγέλου ἐν τοῖς Πουσέου, monasterii abbas Leontius libello monachorum ad synodum sub Hormisda subscripsit. *Ex his verbis constat, fuisse aliquod monasterium* S. Michaelis; *non item, an fuerit in urbe, et distinctum ob omni-* B *bus jam memoratis.*

Decima in urbe, quæ instaurata magnifice a Justiniano

227 *De ea, quam decimam ponit Cangius, apud Codinum pag. 40 hæc leguntur:* Templum archangelorum, nominatum Sterilis (*græce* Στείρου) a patricia quadam sterili (quæ prolem procreavit, *ut græce additur*) cognomen accepit, et fuit tempore Leonis Macelli parvum oratorium. Annis autem septuaginta quinque postquam illa mulier obiit, extruxit ibi templum Justinianus, magnæ ecclesiæ conditor. Quod terræ motu subversum post annos trecentos et triginta octo renovavit Basilius imperator, at insuper ablatam ex Strategio phialam æream illuc transposuit. *Existimat probabiliter Cangius de eadem ecclesia loqui Procopium lib. 1 de Ædificiis Justiniani cap. 3, ubi sic habet:* Byzantii ædem Archangeli Michaelis (*Justinianus*) invenerat angustiorem ac nimis obscuram, nec dignam, quæ diceretur Archangelo posita a senatore quodam, patricio veteri; cum persimilis esset cubiculo domus non admodum locupletis. Quare illam demolitus a fundamento, ne quid squaloris pristini remaneret; peramplam, qualem modo videmus, fecit, et ad decus summa dignum admiratione perduxit. Templum hoc ita quadratum est; ut C longitudo latitudinem haud multum superare videatur. Exortivi lateris paries extrema habet crassiora, ac magna lapidum mole utrinque constat: in medio paulatim se subducens et contrahens, recessum efficit; columnis natura versicoloribus suffulta hinc inde æde. Et regione murus, qui ad solis occasum spectat, templi januis est interstinctus. *Modica quidem in datis relationibus est differentia: nam alter* patriciæ, *alter* patricio *primam fundationem tribuit: at id fieri potuit, quia maritus condidit uxoris causa. Procopius* Michaelis *vocat ædem, Codinus* Archangelorum. *Sed quæ primum* Michaeli *fuerat sacra, dum instaurata est a Basilio, generatim* Archangelis *dedicari potuit.*

Undecima item in urbe, sed forsan a præcedente non distincta.

228 *Pro undecima S. Michaelis ecclesia Cangius adducit verba Justiniani imperatoris, inserta Collationi Constantinopolitanæ Catholicorum cum Severianis, quæ apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 1779 sic leguntur:* Ingressus sum in oratorium gloriosi Michaelis archangeli, quod est in Cochlio. *In margine editor notat,* in Chaelio, *et Cangius legit,* in Cochilo. *Quænam ex tribus lectionibus sit verior, edicere nequeo. At ex allegatis verbis colligitur, dictum S. Michaelis oratorium fuisse Constantinopoli. Non tamen video, a reliquis omnibus Constantinopolitanis necessario distinguendum per cognomen* in Cochilo *aut* Cochlio. *Fuerit fortasse idem oratorium, quod Justinianus destruxit, ut amplam eadem loco conderet ecclesiam, sicut jam diximus.*

aut forte eadem cum duodecima.

229 *Duodecimam apud Cangium S. Michaelis ecclesiam commemorat Theophanes pag. 205 ad annum 4 Justini junioris, dicens in ea sepultum Justum Justini filium. Ad eamdem refert verba Antiquitatum Constantinopolitanarum lib. 3, apud Anselmum Bandurum tom. I, pag. 47, ubi titulus ponitur:* De S. Michaele archangelo prope S. Julianum; *de ecclesia vero hæc leguntur:* Similiter et ædem S. Michaelis archangeli, quæ est juxta S. Julianum, Anastasius Dicorus extruxit, cum Dyrrachio in urbem venisset. Etenim, cum puer esset, ibi habitans litteras didicit. *Cum hac præcedens etiam eadem esse posset.*

Tertiadecima [illegible]

230 *Decimam tertiam, quam Cangius a Basilio Macedone excitatam dicit, Constantinus Porphyrogenettus commemorat in Basilio cap. 92 sed mihi instauratam potius dicere videtur a Basilio, quam conditam. Ex diverso etiam loci, in quo me-* E
moratur, nomine mihi certum non sit, ab omnibus aliis distinctam fuisse. Angelorum item Principis, *inquit Constantinus de Basilio,* divinum templum in Tzeri (*locus aut tractus est ita dictus*) humanissimumque circa illud ministerium, et in pauperes subministrationem, ille ipse curæ sibi esse voluit, cum scilicet templum splendidius instaurans, ac qua nunc pulchritudine visitur, coaptans ac provehens; tum auctis proventibus, ne egenorum ministerio facultas deesset, prospiciens, ac in pauperes large suppeditans. *Omnia verba insinuant, ecclesiam ante exstitisse, sed instauratam et splendidius ornatam a Basilio, diaconiam vero eidem adjunctam proventibus fuisse auctam.*

Quartadecima a Theophilo condita.

231 *Pro quarta decima S. Michaelis æde Cangius profert Anonymum Theophanis continuatorem, cujus hæc sunt verba græca lib. 3, num. 8:* κατὰ δὲ τὸ προαύλιον τῶν τοιούτων παλατίων, τὸν τρίκογχον ναὸν κάλλει τε κάλλιστον, καὶ μεγέθει πολλῶν διαφέροντα καὶ τὸ μὲν μέσον εἰς ὄνομα τοῦ Ἀρχιστρατήγου, τὰ δὲ ἑκατέρωθεν τούτου εἰς μαρτύρων γυναικῶν ἁγίων ὀνόματα. *Hæc verba sic latina fecit Cangius, addito verbo* exstruxit, *quod præcedit.* Ad eorumdem vero F palatiorum atrium (*Theophilus imperator*) templum triplici constans concha extruxit, longe pulcherrimum, ac multis magnitudine præstans: ac medium quidem S. Michaeli, quæ vero utrimque adjuncta sunt, sanctis feminis martyribus dicavit. *Dubitat tamen Cangius, an voce* τρικόγχου *unica ædes, ut expressit, intelligatur, an triplex. Existimo, unicam designari ædem, etiamsi aliquis dicatur cæsus* ἐν τῷ τρικόγχῳ παλατίου: *nam id intelligi potest de loco vicino, qui nomen ab æde traxerat.* Bryense palatium *vocatur, ad cujus atrium condita est hæc ecclesia, ut certo distincta sit a* S. Michaelis *ecclesia Nova.*

Quintadecima in Galata, sæculo 16 destructa.

232 *De postrema S. Michaelis ecclesia, quæ erat in oppido Galata, Cangius profert verba Petri Gyllii. Hic autem in Topographia Constantinopolitana lib. 4, cap. 11 ita habet:* Forum vero in planitie vicina portui, ubi nunc exenodochium ædificatum est in fundamentis templi divi Michaelis, quod integrum extabat, cum venissem Byzantium. *Non inquiram, an hæc S. Michaelis ecclesia, quæ forte postrema permansit sub Turcarum dominio, a præcedentibus omnibus fuerit distincta.*

Cum

AUCTORE J. S.

Cum enim Galata oppidum fuerit pars Constantinopolis, dicta alias Pera, *potuit eadem ecclesia alio nomine commemorari in præcedentibus. Videtur parœcia Latinorum fuisse, quandoquidem Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1326 *num.* 11 *meminerit de controversia quadam composita* inter Rectorem ecclesiæ S. Michaelis de Peyra,... et Guardianum ac fratres (*Minores*) ejusdem loci.

alia Novem Angelorum Ordinum Constantinopoli ecclesia.

233 *Demum aliam* Angelorum *Constantinopoli ecclesiam assignat Cangius lib.* 4, *pag.* 188, *quæ dicta fuit,* τῶν ἐννέα ταγμάτων, Novem Ordinum, *nimirum* Angelorum. *Meminit de ea ecclesia Joannes Cantacuzenus lib.* 3 *Historiarum cap.* 88, *narrans captivos ex palatio Constantini fugisse* ad vicinum, Novem Ordinum cognominatum templum. *Plures laudatus Cangius adducit scriptores, qui de eadem meminerunt. Illos ego prætermitto, quod huc usque allata de ecclesiis* S. Michaelis *et sanctorum Angelorum, quæ Constantinopoli et in ejus vicinia fuerunt a temporibus Constantini Magni usque ad extinctum fere Græcorum imperium, abunde sufficiunt, ut quilibet possit intelligere, quanta fuerit Angelorum veneratio per totum imperium Orientale.* B *Ex multitudine enim ædium sacrarum, quæ Constantinopoli et in locis vicinis dicatæ fuerunt* S. Michaeli *et* Angelis, *verisimillima conjectura existimabimus, multas in aliis provinciis Orientalis imperii Angelis ecclesias fuisse erectas, præsertim cum festa eorumdem per totum imperium Orientale fuerint fere eadem. Quapropter non percurram alias provincias Orientales, ut inquiram in ædes sacras Angelis dicatas, quæ investigatio longe magis laboriosa esset et tædiosa, quam lectoribus utilis aut jucunda.*

§ XVIII. Qualia Acta Apparitionis S. Michaelis in monte Gargano: tempus apparitionis investigatur.

Acta apparitionis S. Michaelis in monte Gargano

P*rogredior ad celeberrimam* S. Michaelis *apparitionem in monte Gargano, quæ in pluribus codicibus mss. relata est, et in plerisque eodem modo, sic tamen, ut bina actorum genera discernere valeam,* C *acta, prout scripta fuerunt ex libello, in ipsa olim ecclesia posito, aliis antiquiora existimo. Habemus ea in tribus codicibus, circa sæculum* 9 *scriptis, et in quarto minus vetusto. Eadem habemus apographa huc missa a Chiffletio nostro ex mss. monasteriorum Accincti et Caritatis, ordinis Cisterciensis in diœcesi Bisonticensi: item ex codice Trevirensi S. Martini, collato cum alio Trevirensi S. Maximini, et tandem ex codice Florentino bibliothecæ S. Laurentii. Hæc omnia, manuscripta diligenter inter se, et tandem cum editione Surii, qui similibus usus est codicibus, conferre volui, reperique omnia in factis invicem passim consentientia, in vocibus non raro dissentientia. Auctor anonymus est et ætatis incertæ, tempusque apparitionis* S. Michaelis *similiter relinquit incertum, cum notis careat chronologicis, nec ullam nominet personam, cujus ætas innotuit.*

diu post incerto tempore composita sunt.

234 *Hoc de ætate scriptoris certum est, eum scripsisse ante Adonem, qui magnam ejus partem exscripsit, uti abunde etiam ostendit ipsorum codicum vetustas. Aliunde vero dubitari nequit, quin auctor longo tempore post peractam apparitionem* D *scripserit, cum studiose abstinuerit a nominibus romani pontificis et episcopi Sipontini, de quibus meminit. Horum enim nomina auctor contemporaneus aut suppar scire facile potuisset, et nequaquam omisisset. Accedunt errores, in quos non incidisset scriptor rei gestæ propinquus. Nam monti Gargano nomen ait inditum a viro Gargano, etiamsi mons ille idem nomen habuerit tempore Virgilii et Horatii, ac deinceps retinuerit. Errore etiam non carent, quæ referuntur de bello Neapolitanos inter, quos auctor paganos facit, et Sipontinos, ut* § 19 *videbimus. Plura auctoris asserta, quæ non satis probabilia credimus, inferius examinabo. De ætate ejus interim nihil certi statuo, nec refert, scripseritne sæculo* 8 *an* 9 *inchoato.*

Hæc deinde interpolata sunt, additis notis chronologicis,

235 *Alia acta, aut eadem potius nonnihil aucta et interpolata, habemus ex Codice Vaticano* 6074. *His tamen deest in fine aliquid, quod pars folii deesset in codice, sed nulla est ea jactura, cum eadem cum præcedentibus sint acta, exceptis iis, quæ pro chronotaxi postmodum imperite sunt addita, et aliis paucissimis. Præterea jam edita habemus apud Ughellum tom. VII Italiæ sacræ in* E *episcopis Sipontinis, sed cum aliqua diversitate. Nam chronotaxis, quæ in Ms. Vaticano in exordio ponitur, apud Ughellum in fine addita est, et notabiliter mutata. In reliquis hæc acta nihil fere differunt a dandis, nisi quod episcopum Sipontinum nominent* Laurentium, *et romanum pontificem, qui consultus dicitur,* Gelasium, *quod conforme est chronotaxi initio additæ. Pauca alia observabo in Annotatis ad acta mox danda: hic vero examinanti valeat addita chronotaxis.*

quæ et invicem repugnant et rectæ chronotaxi,

236 *Hæc initio in ms. sic habetur:* Anno quingentesimo sexto ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, Indictione quartadecima, imperante imperatore Zenone, in præsulatu autem Romanæ Sedis præsidente Gelasio Pontifice, cathedram vero Sipontinam tenente Laurentio præsule. *Vitiosa certo est hæc annorum ordinatio: neque enim anno* 506 *vivebat Zeno imperator, ob anno* 491 *defunctus; neque S. Gelasius papa, anno* 496 *ad meliorem vitam translatus. Indictio* 14 *cum anno* 506 *recte congruit: at incertum est, an anno* 506 *jam episcopatum tenuerit S. Laurentius Sipontinus, de quo actum est apud nos ad* 7 *Februarii. Apud laudatum Ughellum col.* 4 *in fine* F *actorum chronotaxis ita legitur expressa:* Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi quadringentesimo nonagesimo tertio, octavo die mensis Maji, Indictione decimaquarta, facto est inventio cœlestis basilicæ mirifici et gloriosissimi principis Michaelis archangeli in monte Gargano, sedente Gelasio I beatissimo romano pontifice, ac imperatore Zenone piissimo imp. Constantinopolitano. *Hæc unde acceperit Ughellus, plane ignoro. At certum est, non magis valere, quam præcedentia. Nam anno* 493 *non supererat Zeno imperator, nec currebat Indictio decimaquarta, sed prima. Gratis quoque intrusus videtur dies octavus Maji, cum non sit certum, illo die inventum esse locum, quo nunc ejus inventionis festivitas celebratur. Utraque epocha consentit de Gelasio, quod forte desumptum fuerit ex Anastasio Bibliothecario, qui in Gelasio ait:* Hujus temporibus inventa est ecclesia S. Angeli in monte Gargano. *At unde id ille acceperit, nescio.*

ut ex his nequeat innotescere tempus apparitionis.

237 *Ex allegatis hactenus tempus apparitionis* S. Michaelis, *et inventæ cryptæ aut dedicatæ in monte Gargano ecclesiæ mihi incertum admodum* ap-

Auctore J. S.

A *paret. Qua enim ratione certi aliquid statuemus, cum acta, prout primum conscripta sunt, careant notis chronologicis, præsertim consideratis erroribus, in quos incidit interpolator, qui eas postmodum incerto tempore actis adjungere tentavit? Baronius ad Gelasium Papam respexit, quondo ad annum 495 ex Sigeberto apparitionem memoravit anno Gelasii secundo. Verum auctoritas Sigeberti nequit esse magna pro rebus tam vetustis, et is omnino videtur secutus vitiosam chronotaxim interpolatoris: nam similiter pontificatum Gelasii conjungit cum imperio Zenonis, imo et Gelasii mortem uno anno figit ante obitum Zenonis. Qua de causa, si Zenonis anni considerentur, anno 488, (non 493) de inventione cryptæ* S. Michaelis *hæc scribit Sigebertus :* Hoc tempore facta est inventio cryptæ sancti Michaelis archangeli in monte Gargano : unde et ejus memoria singulis annis celebri festivitate in ecclesiis Dei recolitur. *Alii etiam neoterici, qui de inventione illa agunt, ad Gelasium papam solent respicere. Hinc, cum Gelasius pontificatum administraverit ab anno 492 usque ad annum 496, tempore intermedio a plerisque figitur inventio. Sedulo quæsivi, an hanc* B *inventionis epocham firmis argumentis stabilire possem : infirmum enim nimis est argumentum, quod præbet vitiosa chronotaxis, qua imperium Zenonis et Indictio 14 cum pontificatu Gelasii componitur, quandoquidem certo mortuus erat Zeno ante pontificatum Gelasii, et nulla Indictio 14 cum annis Gelasii concurrit.*

In gemina vita S. Laurentii Sipontini apparitio

239 *Consului acta S. Laurentii episcopi Sipontini, quæ gemina apud nos data sunt ad 7 Februarii. In vita primo loco edita cap. 3 ad propositum nostrum hæc leguntur :* Eo autem tempore famosissima illa, et per orbem terrarum divulgata Michaelis archangeli in monte Gargano apparitio facta est : et B. Laurentio, quid faciendum esset, Michael ipse archangelus per visionem narravit, prohibendo consecrari ab homine suam ecclesiam, dicens : Ego mihi eam condidi etiam et consecravi. Tu vero cum tibi credito populo intro ingredere, et, me exsistente ibi patrono, locum precibus frequentate. Qua in re B. Laurentii prudentia vehementer enituit, et quod summam virtutum arcem possideret, aperte demonstravit : totum namque Domino negotium committens, nihil per se temere facere præ- C sumpsit ; et angelicæ jussioni sine mora obediens, supernorum se civium socium evidentissime declaravit. *Hæc utcumque consonant cum relatis in actis apparitionis. Multo tamen pauciora hic asseruntur, quam ibidem, ut inferius ostendam.*

ejus tempore figitur, eique facta asseritur.

240 *Vita secunda S. Laurentii, quæ ante primam fuit scripta, ut probabitur, de iisdem agit cap. 2 num. 6, et aliqua ex recitatis omittit.* Tempore autem episcopatus ejus (*Laurentii*), famosissima illa, et per orbem terrarum divulgata Michaelis archangeli in monte Gargano apparitio facta est : et B. Laurentio, quid faciendum esset, Michael ipse archangelus per visionem narravit. Qua in re B. Laurentii prudentia vehementer enituit, et quod summam virtutum arcem possideret, aperte demonstravit. Jam * totum Deo committens, nihil ipse facere temere præsumens, et angelicæ sine mora visioni obediens, supernorum se civium socium evidentissime declaravit. *Hic non dicitur* S. Michael *ipse condidisse et consecrasse ecclesiam, sicut in vita altera et in actis apparitionis; sed edoctus solum a* S. Michaele *Laurentius asseritur, quid esset faciendum. Multa quoque alia in vita secundo loco impressa probabilius mihi narrari videntur, quam in prima aut in actis apparitionis.*

* forte Nam

Ex dictis vitis primum scripta est.

241 *Quapropter operæ pretium videtur futurum, si examinaverimus, utra ex duabus illis vitis sit antiquior : nam alteram ex altera compositam, verba frequenter eadem luculenter ostendunt. Bollandus credidit, primo scriptam esse, quam primam edidit : alteram vero ex illa contractam et interpolatam. At utraque expensa et collata, cogor contrarium judicare, et existimare, illam, quæ primo data est loco, ex altera compositam esse, sive nonnihil esse amplificatam et interpolatam. Rationes mihi claræ videntur et certæ. Auctor vitæ secundæ clare indicat, necdum scriptam fuisse S. Laurentii vitam, quando ipse rogatus est, ut eam componeret. Ubi enim dixerat, utile esse multis Sanctorum gesta nosse, ideoque acta eorum scribenda esse, num. 2 ita pergit :* Quod tu rectissime quidem, præsul Benedicte, intelligens, sæpius exegisti, ut B. Laurentium Sipontinæ urbis episcopum sua scriptura commendaret, et ad laudem Domini nostri Jesu Christi, ad ædificationem vero eorum, qui audituri sunt, quod in diversis de eo locis invenitur, unum in locum E colligeretur, et diversa membra invicem convenientia unum corpus conflarent. Accipe igitur exactionem tuam, et qui per extraneas scripturas hactenus celebris habebatur, nunc, me id faciente, proprio charactere innotescat, et vivus in æternum viva per ora volitet.

quæ secundo loco edita :

242 *Hæc tam aperte indicant, nullam exstitisse S. Laurentii vitam, dum ista fuit conscripta, ut nullum videatur superesse dubium. Etenim rogabatur auctor curare,* ut B. Laurentium Sipontinæ urbis episcopum sua Scriptura (*id est, vita scribenda*) commendaret. *Rogabatur, ut* unum in locum *colligeret,* quod in diversis de eo locis *inveniebatur. Demum ait se facere, quod exigebatur, ut* qui per extraneas scripturas hactenus celebris habebatur, proprio charactere (*id est, vita propria*) innotescat *etc. Nihil ex his dicere poterat auctor vitæ secundo loco editæ, si jam conscripta exstabat alia S. Laurentii vita. Itaque illa procul dubio prima est, et reliquis omnibus probabilior vita, præsertim cum similia non leguntur in altera. Nam auctor editæ priori loco adoptavit quidem principium præfationis, sed omnia modo data verba omisit. Itaque vita secundo loco* F *edita omnino dicenda est prima, uti reliqua etiam insinuant : nam alterius auctor ubique fere aliquid amplificationis addidit, multaque habet, quæ primus scriptor non omisisset, si post ipsum scripsisset, certe si vera credidisset.*

ex iis et vita S. Sabini quærenda chronotaxis.

243 *Porro animadverto, in vita S. Laurentii, quam modo primam tempore non dubitamus, de apparitione* S. Michaelis *talia solum asseri, ut nuspiam recedatur a probabilitate ; illa vero aucta esse non solum per notas chronologicas, sed etiam per asserta aliqua minus probabilia, in altera S. Laurentii vita ; ac demum multo magis amplificata esse cum in actis apparitionis* S. Michaelis, *tum in antiphonis et responsoriis Officii, ex quibus data est tertia eaque metrica S. Laurentii vita. Aliqua etiam habentur in vita S. Sabini episcopi Canusini, quæ spectant ad chronotaxim, et difficultatem ingerere possunt. At fatendum est, nullam ex prædictis vitis esse scriptoris contemporanei aut supparis : omnesque esse imperfectas admodum, et certa auctoritate destitutas. Cum tamen meliora non habeamus documenta, examinandum videtur, quid in iis, cum pro chronotaxi, tum pro factis assertis,*

AUCTORE J. S.

Ex prima vita colligitur, S. Laurentium

assertis, sit probabilius, ut modo facere aggredior. 244 *Vita S. Laurentii, reliquis vetustior, nullum habet verbum de S. Gelasio papa, nec asserit, S. Laurentium sub imperio Zenonis factum esse episcopum, etiamsi de Zenone meminerit. Contrarium potius ex illa vita colligitur, si recte consideretur. Nam num.* 3 *sic habet:* Defuncto ergo B. Felice Sipontinæ civitatis episcopo, diu populus Sipontinus absque pastore fuit, sive seditione episcopi electionem prohibente, sive potius variis cladibus impedientibus, quibus tunc universa Italia affligebatur. Ea namque tempore Zeno rebus humanis præerat imperator: et ab eo ad Italiam possidendam directus Gothorum rex Theodoricus,... acriter dimicabat contra Odoacrem Erulorum regem, et ipse Romanam urbem et totam Italiam tyrannica dominatione possidebat. Infinitis itaque miseriis Italia laborabat, aliis Erulorum regi, aliis Gothorum faventibus: unde civibus acrior erat cura salutem vitamque tuendi, quam de pontifice consulendi. Sedatis autem ex parte præliis, consulti Sipontini cives electos de clero et populo ad imperatorem miserunt, suppliciter deprecantes, quatenus eorum ecclesiæ
B subveniret, et talem eis a latere suo virum dirigeret, qualem tali in tempore sciret in domo Domini necessarium *etc.*

episcopum factum post tempora

245 *Si allegata, quæ cum historia illius temporis optime congruunt, vera sunt, ut vera judicare possumus, certum est primo, S. Laurentium ad cathedram pervenisse aliquot annis post mortem Zenonis, qui obiit anno* 491. *Nam sedes Sipontina diu vacasse dicitur; et pro causa allegatur bellum, quod in Italia gestum fuit inter reges Theodoricum et Odoacrem. At bellum istud non est finitum, nisi anno* 493, *quando occisus est Odoacer. Secundo, cum dicantur Sipontini episcopum petiisse Constantinopoli ab imperatore, et Sipontum cum tota Italia ab anno* 493 *subesset Theodorico regi, verisimile non sit, episcopum ab iis petitum, antequam inter Theodoricum regem et Anastasium imperatorem concordia fuisset inita. Qua enim ratione ad imperatorem pro episcopo recurrere ausi fuissent Sipontini, quamdiu inter Theodoricum regem, quem timebant, et imperatorem erat dissensio? Hæc autem dissensio aliquot annis post occupatam a Theodorico Italiam videtur continuata, etiamsi in apertum bellum non erupe-*
C *rit, et certo non constet de anno, quo consensit Anastasius imperator, ut Theodoricus Italiam titulo regis possideret. Itaque ex hoc observatione episcopatus S. Laurentii saltem differendus videtur usque ad finem fere sæculi* 5.

Gelasii Papæ

246 *Tertio multa concurrunt, ex quibus probabilius fit, S. Laurentium non esse episcopum factum ante inchoatum aliquot annis sæculum* 7. *Nam tam in hac vita, quam in reliquis, dicitur vixisse usque ad tempora regnantis in Italia Totilæ, eaque de causa mors S. Laurentii a Bollando recte signata est circa medium sæculi* 6, *sive annum* 550. *Hinc in altera vita num.* 10 *dicitur floruisse cum S. Benedicto, cum S. Germano Capuano, et cum S. Sabino Canusino, quorum ultimus usque ad annum fere* 566 *superfuit. Fuisset igitur diuturnus admodum episcopatus Laurentii, et ad quinquaginta aut plures annos protractus, si sub Gelasio aut paulo post cathedram ascendisset, cum tamen nullibi aut juvenis dicatur factus episcopus, aut senex obiisse.*

Ex conciliis vero ulterius infertur.

247 *Accedit et alia ratio ex subscriptionibus conciliorum. Nam sub finem sæculi* 5 *et initium* 6 *sex habita sunt tempore Symmachi Papæ concilia romana. Prolixi catalogi episcoporum, qui primo,* D
tertio, quarto et sexto subscripserunt, exstant apud Labbeum tom. IV *a col.* 1314 *usque ad* 1370. *At nuspiam comparet Laurentius Sipontinus, ut verisimillimum fiat, cathedram Sipontinam toto illo tempore vacasse. Dictis conciliis similiter non adfuit S. Sabinus Canusinus, qui necdum erat episcopus. Nam primo subscripsit* Rufinus Canusinus *anno* 499. *Deinde tertio, quinto et sexto subscripsit* Memor Canusinus. *Quinto etiam adlitæ sunt plurimæ subscriptiones, sed eæ merito sunt suspectæ, ut observatur apud Labbeum col.* 1370, *eaque de causa omittuntur, etiamsi neque in illis compareant Laurentius Sipontinus et Sabinus Canusinus.*

Laurentium necdum sedisse anno 504.

248 *Jam vero ex dictis conciliis, quorum postremum figitur anno* 504, *omnino dicendum videtur, Laurentium non sedisse Siponti anno* 504, *sicut Sabinus necdum regebat cathedram Canusinam. Cum enim plerique Italiæ episcopi dictis conciliis adfuerint, non est verisimile, Laurentium sedisse episcopum, et ab omnibus abfuisse. Quapropter non nisi pro conjecturis male fundatis habenda sunt, quæ auctor vitæ primo loco editæ de tempore episcopatus S. Laurentii vitæ prius scripto ad-* E
junxit, dum ait num. 3: Anno itaque salutiferæ Incarnationis Domini Salvatoris quadringentesimo nonagesimo, Indictione quartadecima, Gelasio beatissimo papa romanæ sedi præsidente, et Zenone regnante in regia urbe Constantinopolitana, Sipontina civitas, innumero populo habitata, suo antistite, Felice nomine, est orbata *etc. Male jungitur imperium Zenonis cum pontificatu Gelasii, atque hic videtur fuisse scopulus, in quem impegit, qui chronotaxim actis apparitionis adjungere voluit.*

ut fortasse episcopus non fuerit

249 *Verum quidem esse potest, Felicem Sipontinum sub Zenone circa annum* 490 *fuisse defunctum, cum id ipsum innuat primus biographus. At hic ait. deinde sedem diu vacasse. Secundus vero datæ epochæ paulo post addit:* Præfata civitas Sipontina per unius anni circulum sine pastore extitit, *ita exponens illud diu de uno anno, acsi anno* 491 *promotus fuisset Laurentius. At vox diu ibidem non minus viginti annos significare potest, quam unum; dictaque de conciliis romanis innuunt, saltem usque ad annum* 504 *sedem Sipontinam vacasse. Tam diuturnæ vacationis ratio esse potuit,* F
(post finitum bellum, sublatamque dissensionem Anastasii imperatoris et regis Theodorici) quod Sipontini timerent, ne Arianus obtruderetur episcopus, si quem peterent a Theodorico. Potuerunt et aliæ rationes nobis ignotæ electionem impedire, et primus biographus aperte innuit, rationes sibi non bene fuisse compertas.

ante imperium Justini.

250 *Pompeius Sarnellius in chronologia episcoporum Sipontinorum pag.* 34 *et* 36 *ait, sedem Sipontinam post mortem Felicis vacasse annis viginti duobus. Unde illud acceperit, non magis indicat, quam unde produxerit multos episcopos Sipontinos anonymos, quos tam ille, quam Coletus Ughellum recudens, sine damno potuisset omittere. Mihi tamen, ut breviter edicam sententiam meam, suspicio est, sedem Sipontinam vacare potuisse usque ad imperium Justini imperatoris, quod inchoatum est anno* 518: *nam Zeno et Anastasius imperatores fuerunt hæretici, Justinus vero catholicus, ut magis verisimile fiat, ob ista missum esse Laurentium, qui vel sic diu administraverit episcopatum, si circa annum* 520 *factus fuerit episcopus.*

251 *Longissime ab his distat laudato Chronologio*

AUCTORE J. S.

Qui Laurentium tempore Gelasii aut citius sedisse volunt,

A *logia Sarnellii, qui initium episcopatus Laurentii figit anno 488, mortem vero Felicis anno 466. At id omnino sine ulla probatione asseritur, et contra omnes S. Laurentii vitas. Fuit Felix anno 465 in concilio Romano sub Hilario, et nihil de eo præterea habemus, nisi quod in una vita dicatur obiisse sub Zenone anno 490, in primo scripta circa tempus, quod erat bellum inter Odoacrem et Theodoricum. Qua igitur ratione anno 466, id est, diu ante Zenonis imperium obiisse asseritur? Video tamen, cur ita festinaverit Sarnellius. Noluit recedere a vulgata opinione, qua apparitio* S. Michaelis *fixa est sub Gelasio. Vellem et ego, ut hanc valerem confirmare : sed sequenda sunt vetustiora monumenta, non ea, quæ postmodum per interpolatores sunt adulterata. De Gelasio autem nulla fit mentio in vita S. Laurentii, prout primum scripta est, nulla quoque in illa, quæ modice aucta est et interpolata, ut neque hæc eorum faveat opinioni, qui apparitionem* S. Michaelis *sub Gelasii pontificatu figunt. Ipsa quoque apparitionis acta sic primum conscripta sunt, ut neque de Gelasio, neque de tempore, quo res peracta est, vel minimum asse-* B *ratur.*

nihil allegare possunt præter documenta

252 *Reducitur igitur ad assertum Anastasii Bibliothecarii, et ad antiphonas et responsoria officii ecclesiastici, quæ recentiori ævo de S. Laurentio composita sunt, et apud nos tertio loco data, tamquam vita metrica. At Anastasio parum pro rebus tam vetustis fidere possumus, et forte ex sola conjectura locutus est : Vitæ vero metricæ exigua potest esse auctoritas. Locus ipse, in quo ecclesiæ Garganensis dedicatio dicitur tentata sub Gelasio, lucalentum involvit errorem. Verba ipsa hunc transfero :*

Cæli aulam dum mandaret Pontifex Gelasius.
Consecrari, convenerunt primitus Laurentius,
Hic Sabinus Canusinus, Salpensis Palladius,
Et Joannes Rubesanus, Tranensis Eutitius,
Et cum illis Venusinus affuit Austerius.
Hoc vetavit Deo missus Michael archangelus,
Dicens : Domum istam feci et sacravi cælitus.
Quibus visu dum adstaret summi Regis Nuntius,
Ut cessarent ab incepto monuit Archangelus.

C *Inter episcopos hic recensitos numeratur S. Sabinus Canusinus. At anno 504 adhuc ecclesiæ Canusinæ præerat memor, quando jam octo annis defunctus erat Gelasius. Sabinus vero secundum propriæ vitæ chronotaxim non est factus episcopus ante annum 512, et Bollandus noster tom. II Februarii pag. 300 mortem memoris figit circa 514. Certum igitur est, Gelasium perperam conjungi cum Sabino, et sic verisimillimum fit, eumdem nihilo rectius commemoratum esse cum S. Laurentio, et forte ex ibi memoratis nullus sub pontificatu Gelasii fuit episcopus. At id investigare non est opus.*

interpolata, aut certe vitiosa.

253 *Ne quis tamen suspicari possit, alium Sabinum tempore Gelasii episcopum fuisse Canusinum, huc transferam verba vitæ S. Sabini, in qua pro alia dedicatione iidem cum Gelasio reperiuntur episcopi. Dicta vita, ad 9 Februarii edita, num. 5 sic habet :* Itaque Dei famulus Sabinus ab omnibus meritn venerabatur, intantum etiam, ut Romæ urbis Gelasius pontifex præ ceteris episcopis eum socium haberet ac familiarem. Nam cum Barolitanam ecclesiam in honore B. Andreæ apostoli benedicere voluisset, eumdem Gelasium papam ad se adventare rogavit (quod et fecit) eumque supradictam ecclesiam dedicare poposcit, satis de adventu primæ sedis episcopi gaudens. Quapropter alacri animo cum ceteris episcopis, quos ad dedicationem ejusdem ecclesiæ vocaverat omnipotenti Deo gratias egit, eo quod ad se tantus pontifex advenisset. Nam et nomina episcoporum, qui vocati sunt, hic enumeranda existimo : Laurentius Sipontinæ ecclesiæ pontifex, Palladius Salpitanæ, Eutychius Tranensis, Joannes Rubisinæ, Austerius Venusinæ. *Hic plane iidem episcopi concurrisse dicuntur cum S. Gelasio papa ad dedicationem ecclesiæ Barolitanæ, qui superius convenisse Gelasii jussu asseruntur ad dedicandam montis Gargani ecclesium; nec dubium est, quin auctor loquatur de S. Sabino, eumque perperam cum Gelasio faciat episcopum. Quapropter ex disputatis prudens lector facile intelliget, non esse fidendum notis chronologicis, quæ additæ sunt vitis sæculo demum 8 aut 9 exaratis : nec ullum haberi argumentum solidum, quo apparitio,* S. Michaelis *referri possit ad tempus S. Gelasii pontificis.*

F *At constat apparitionem S. Michaelis contigisse, dum S. Laurentius sedebat,*

254 *Hoc unicum de tempore apparitionis mihi satis certum videtur, eam contigisse, quando S. Laurentius administrabat cathedram Sipontinam. Cum autem nesciamus, quo anno S. Laurentius factus sit episcopus, et saltem non videatur cathedram obtinuisse ante annum 504, dicaturque floruisse cum SS. Benedicto Casinensi. Germano Capuano, Sabino Canusino, et maxime cum Totila Gothorum rege, non nisi lato admodum modo tempus apparitionis assignare possumus. Fortasse contigerit circa annum 520, fortasse circa 530, forte etiam circa 540 : ad totum illud tempus videtur episcopatus Laurentii saltem extendendus. In chronico brevi S. Vincentii Metensis, quod edidit Labbeus tom. I Bibliothecæ, ad annum 535 ponitur :* Inventio cryptæ S. Michaelis. *At scriptum non est ante sæculum 13. Si verba Adonis, data num. 5:* Sed non multo post Romæ venerabilis etiam Bonifacius pontifex ecclesiam sancti Michaelis nomine constructam dedicavit in summitate circi etc.*; si hæc, inquam, verba necessario de Bonifacio II essent explicanda, ut probabiliter saltem de eodem exponi possunt, circa annum 520 figenda veniret apparitio* S. Michaelis, *quandoquidem Bonifacius II anno 530 exorsus sit brevem duorum circiter annorum pontificatum.*

F *et ex conjectura figi potest inter annos 520 et 530*

255 *Baronius quidem in annotatis ad Martyrologium romanum die 29 Septembris maluit conjicere, ecclesiam illam romanam in summitate circi constructam esse Bonifacio III aut ejus successore Bonifacio IV, qui sæculo 7 pontificatum gesserunt. Verum eam adoptavit conjecturam, quia existimabat, ædificatam fuisse in mole Adriani, nunc castro sancti Angeli dicto. At ea opinio de loco nobis non probatur, et inferius ostendam, molem Adriani incongrue sumi pro summitate circi. Itaque recte quidem ostendit Baronius, necdum tempore Bonifacii II ædem* S. Michaelis *fuisse in mole Adriani; sed ea ratione nihil apud nos proficit, cum de alia æde agi credamus. Quapropter malim conjicere, ob apparitionem* S. Michaelis *in monte Gargano a Bonifacio II structam fuisse ædem in summitate circi, idque factum esse non multo post illam apparitionem, ut affirmat Ado; quam recurrere ad ædiculam sequenti sæculo in mole Adriani alia occasione positam : sed de his latius agendum num. 308. Ceterum si auctor ecclesiæ est Bonifacius II, ut probabilius credimus,* apparitio

AUCTORE J. S.

apparitio S. Michaelis *contigerit certo ante annum* 530, *ut fortasse nequeat rectius figi, quam inter annos* 520 *et* 530.

§ XIX. Locus apparitionis : examinantur varia Actorum asserta.

Mons Garganus in Apulia Daunia ad mare Adriaticum,

Nullum est dubium, quin mons Garganus sit in Apulia, et in illa parte, quæ* Apulia Daunia *olim dicebatur, hodierno nomine* Capitanata. *Itaque scriptor Actorum num.* 1 *dicens*, in Campaniæ finibus *situm esse, accuratam geographiam neglexit, Campaniamque multo longius extendit, quam oportebat, sicut et alii medio ævo fecerunt. Sipontum, vetusta civitas, quæ postmodum excisa est, ad mare Adriaticum erat, ut ostendunt superstites urbis ruinæ, uno milliario secundum Leandrum Albertum a Manfredonia, quæ in ejus vicinia surrexit. De nomine montis ita laudatus Albertus pag.* 377 *ex antiquis, quorum verba brevitatis causa omitto :* Montem hunc Garganum antiqui vocant, Strabo nempe, Mela, Virgilius,... Lucanus,... Horatius,... Silius Italicus, Livius, Ptolomæus, aliique plurimi scriptores. *Hinc merito infert, fabulosum esse, quod in actis dicitur, a viro Gargano nomen monti esse impositum. Ulterius conjici potest, illud ipsum viri nomen ex monte confictum esse.* B

qui describitur,

257 *Partem verborum, quibus montem describit, huc transfero :* Præcelsus valde est, et ascensu difficillimo, quo sylvæ quædam peramœnæ reperiuntur, etsi quoque multis in locis arboribus plane careat, ubi tamen diversa salutiferarum et medicarum herbarum genera nascuntur. Latere, quo mare spectat, ut Strabo demonstravit, promontorium habet in exortum spatio trecentorum stadiorum procurrens. Incipit ab Apennino ex cujus radicibus jugum nascitur editissimum, latitudine passuum millium duorum, longitudine viginti : post quod ita paulatim mons ipse assurgit, ut in summam (fructifer tamen) altitudinem, vastitatem, amplitudinemque desinat. In mare tam longe protenditur, ut ambitu radicum, quas planities excipit, ad ducenta passuum millia contineat, quamquam Plinius spatium hoc centum C triginta quatuor esse prodiderit. Multis in locis præceps et abruptus est, qua mare spectat, et promontorium paulo superius ex Strabone commemoratum. *Hæc de monte sufficiant.*

cryptam S. Michaelis habet

258 *De specu, quem vidit, ita loquitur :* Crypta est, haudquaquam hominum ingenio vel arte, sed Angelica vi consilioque in vivum montis saxum excavata : in quam deorsum per portam ingentem marmoream, quæ Meridiem spectat, a regni principibus ædificatam, ingressus quinquaginta quinque graduum ad Septemtrionem versus patet : qua descendi absque face nullo modo posset, ni plurimis ad saxum excisis spiraculis ac fenestris lumen diurnum in marmoreas admitteretur scalas. Earum ad finem sepuleretum est in plano apertum cum sacellis monumentisque multis : inter quæ læva, priusquam in sacratissimum specum ingrediaris, pulcherrimum apparet quoddam cum nobilis familiæ Neapolitanæ Pudericorum, quondam hujus loci dominorum, insignibus. Prope sacellum hoc per aliam portam ex ære, summo artificio perfectam, quæ ad Occasum respicit, in specum ipsum aditus datur, quo nemini prorsus ante solis exortum ingredi fas est. D Ad dextram crypta mirabilis apparet in Orientem explicata, divi Michaelis archangeli domicilium, tota ex vivo solidoque lapide, purum liquorem perpetuo stillante, horrida, profunda, et obscura, haud in alium, ut puto, finem facta, quam salutis animarum causa. In medio delubrum est exiguum ascensu graduum quatuor : cum autem ad sanctissimam Angeli aram paulo editiorem proprius accesseris, ille tibi locus..... velis nolis venerandus est.

cum locis sacris, ut describitur.

259 Conspicitur ibi ara ab ipso Archangelo consecrata, vestitaque nunc alterius humana manu fabricatæ tegumento : in qua Missæ quotidianæ celebrari plerumque solent : minimeque in hæc penetralia passim omnes admittuntur. Non procul inde fons perennis, at modicus, divino latice scatens, quo sibi propemodum in omnibus morbis oppidani medicinam faciunt. Læva dein aliæ plures aræ, sacella, similesque loci abditi celebrandis Missis, præcipueque duæ aræ ab ipso etiam Archangelo factæ. conspiciuntur. Præterea, quæ supra sunt oratoria, non consilio effecta, sed in saxo natura sic creata putantur, quo ad pœnitentiam atque Divinitatis contemplationem mortales alliciant. Pavimentum specus E marmore candido vario stratum est. Exteriora cryptæ, id est, supremum ejus tectum virens densusque lucus altissimis arboribus operit, e quibus multitudo maxima lapidum pendent, quos voti causa collo alligatos sursum in montis jugum bajulant, ibique precibus patratis suspensos relinquunt. Admirationem profecto summam hæc habet sylva, quod magno circumcirca spatio nullus ne frutex quidem appareat alius : quapropter miraculum potius, quam res naturalis habetur tot et tam ingentes arbores hic in vivum saxum radicatas. Mihi accolæ, cum hic essem, narravere, circa Carolum VIII Franciæ regem, qui anno a Christo nato 494 (*supra millesimum*) Neapolitanum regnum cepit, unam a Gallo quodam milite cæsam, illumque protinus supplicio divino exanimatum concidisse. Vidimus etiam in sacrato specu insignem... crucem ex purissimo crystallo, longam fere dodrantem et semis, quam loci sacerdotes inventam hic aiebant, quo tempore crypta ipsa mirabiliter primum cognita est. *Hisce assentitur Ughellus tom* 7 *Italiæ sacræ col.* 1103 *in Sipontinis episcopis, brevius tamen singula enarrans.* F

et non oppido S. Michaelis.

260 *Celebritas autem specus* S. Michaelis *effecit, ut in Gargano exsurrexerit oppidum, de quo agit laudatus Albertus, et post ipsum Ughellus, ita scribens :* In summitate Gargani montis, sexto a Manfredonia milliario, positum est oppidum Sancti Angeli, ejusdem Sipontinæ diœcesis : unde mons ipse aliquando Sancti Angeli nuncupatur. Locus est natura munitus, et rerum ad humanum victum necessariarum copia abundans, præcipue vero vino pretiosissimo. Hoc oppidum olim ab Angeli Michaelis apparitione nuncupatum Saraceni diu habitarunt... In hoc Sancti Angeli oppido visitur sacrum antrum, sive ecclesia toti orbi celeberrima titulo S. Michaelis archangeli, nun manu facta, non humana industria aut labore excitata, sed divina virtute, ut loci traditio habet, in rupe Gargani montis ad templi cujusdam similitudinem conformata est. *Quod asseritur de loco nulla hominum industria constructo, similiter legitur in actis apparitionis, imo et in vita S. Laurentii Sipontini, quam interpolatam probavi,* Michael *Archangelus num.* 13 *dixisse*

Auctore J. S.

A *dixisse asseritur de ecclesia:* Ego mihi eam condidi, etiam et consecravi. *In actis vero dandis num.* 7 Archangelus *sic locutus dicitur**: Non est vobis opus hanc, quam ædificavi, dedicare ecclesiam : ipse enim, qui condidi, etiam dedicavi. *Ado ad* 29 *Septembris tale dedit actorum compendium, ut saltem de dedicatione per* S. Michaelem *facta consensisse videatur.*

In Breviario Romano ecclesia non dicitur exstructa a S. Michaele,

261 *Attamen traditio illa de constructa et dedicata per* S. Michaelem *ecclesia videtur suspecta fuisse auctoribus Breviarii et Martyrologii Romani, cum prorsus omissa sit in Breviario, in Martyrologio contrarium potius videatur assertum. Nam in Breviario ex tota apparitionis relatione hæc tantum fuerant adoptata :* Factum est, ut ex gregibus armentorum Gargani cujusdam taurus longe discederet, quem diu conquisitum in aditu speluncæ hærentem invenerunt. Cum vero quidam ex illis, ut taurum configeret, sagittam emisisset, retorta sagitta in ipsum recidit sagittarium. Quæ res eum præsentes, ac deinceps ceteros tanto timore affecisset, ut ad eam speluncam propius accedere nemo auderet, Sipontini episcopum consulunt : qui, indicto trium dierum jejunio et oratione, B rem a Deo respondit quæri oportere. Post triduum Michael archangelus episcopum monet, in sua tutela esse eum locum, eoque indicio demonstrasse, velle ibi cultum Deo in sui et angelorum memoriam adhiberi. Quare episcopus una cum civibus ad eam speluncam ire pergit. Quam cum in templi cujusdam similitudinem conformatam vidisset, locum illum divinis officiis celebrare cœperunt : qui multis postea miraculis illustratus est. *Nihil hic de constructa aut dedicata per* S. Michaelem *ecclesia.*

in Martyrologiis vero videtur asseri dedicatio ordinaria.

262 *In Martyrologio videtur insinuari, dedicatam esse more solito* S. Michaelis *in Gargano ecclesiam, cum sic habeat :* In monte Gargano venerabilis memoria beati Michaelis archangeli, quando ipsius nomine consecrata ibi fuit ecclesia, vili quidem facta scemate, sed cælesti prædita virtute. *Ordinariam per episcopos dedicationem verba ista indicant. Antiqua vero Martyrologia, quæ certe ante acta apparitionis sunt scripta, Romano præluxerunt, cum in omnibus fere memoretur,* Dedicatio basilicæ S. Michaelis, *et in pluribus addatur, in monte Gargano, sicut videri potest* § 1 *hujus Commentarii. Vita quoque S. Laurentii Si-* C *pontini, sicut primo scriptam probavi, nihil habet de constructa aut dedicata per* S. Michaelem *ecclesia. Verba num.* 6 *hæc sunt :* Tempore autem episcopatus ejus famosissima illa, et per orbem terrarum divulgata Michaelis archangeli in monte Gargano apparitio facta est : et B. Laurentio, quid faciendum esset, Michael ipse archangelus per visionem narravit. Qua in re B. Laurentii prudentia vehementer enituit, et quod summam virtutum arcem possideret, aperte demonstravit. Jam* totum Deo committens, nihil ipse facere temere præsumens, et angelicæ sine mora visioni obediens, supernorum se civium socium evidentissime declaravit.

* *forte* Nam

Vita quoque prior S. Laurentii nihil affirmat

263 *Verba hæc nihil aliud indicant, nisi Laurentium per revelationem* S. Michaelis *didicisse, quid sibi esset faciendum. Attamen ex iis occasio offerebatur variis conjecturis, quæ postmodum nimis liberaliter sunt factæ. Si hoc etiam tempore liceat conjecturas facere, poterimus conjicere sequentia. Ex revelatione* S. Michaelis *discere potuit S. Laurentius, intrandam sibi esse speluncam, ubi factum erat miraculum sagittæ in suum sagittarium reversæ : secundo, locum illum sub tutela esse* S. Michaelis, *ibidem eumdem præcipue coli velle : tertio, dicandam eo loco esse ecclesiam, aut si qua forte jam erat ibidem exstructa, eam a populo frequentandam, peragendaque in eadem divina mysteria. Hæc antistiti revelata fuisse a* S. Michaele, *licet certum non sit, non est tamen improbabile : non enim dubitandum est de ipse apparitione, nec de inchoato causa apparitionis cultu* S. Michaelis *in monte Gargano.*

de constructa aut dedicata per Archangelum ecclesia,

264 *At dubitari potest, an ante apparitionem ecclesia aliqua fuerit in illa spelunca : quod nec in vetustissimis Martyrologiis, nec in vita S. Laurentii, sicut primo scripta est, asseritur aut negatur. Si vero constaret, ecclesiam ibi ab episcopo aliisque cum eo speluncam ingressis fuisse inventam, necdum fieret certum, eam ab ipso* Archangelo *fuisse constructam et dedicatam. Novimus enim, Christianos tempore persecutionum, quibus exerciti fuerunt ab imperatoribus gentilibus, solitos fuisse in cryptis et locis subterrancis divina celebrare mysteria. Quare, si in crypta illa montis Gargani ecclesia fuit inventa, quod nec affirmaverim nec negaverim, construi illa potuit et frequentari a Christianis tempore persecutionum : postea vero deseri ob nimium incommodum, et paulatim in oblivione jacere,* E *quando liberum erat Christianis sacra publice peragere, et ædes sacras in urbibus exstruere.*

ut nec nobis istud miraculum videatur reliquis addendum.

265 *Itaque nihil ego affirmandum censeo de constructa aut dedicata per* S. Michaelem *ecclesia, sicut nihil Martyrologium aut Breviarum Romanum de illis affirmat, nihil quoque Baronius in Annalibus ad annum* 493, *unice dicens :* Sub hoc anno... ponitur inventio cryptæ Gargani montis in Apulia, quæ ex apparitione S. Michaelis archangeli reddita celeberrima, pio est cultui mancipata. *Nullum de hisce est dubium, nisi quod rem serius peractam dixerimus. Certa quoque sunt, quæ paulo post subjungit :* Crevit majoribus indies accessionibus semel cœptus illic religiosus cultus S. Michaelis archangeli, quem et universa Occidentalis ecclesia anniversaria celebritate celebrandum suscepit : et locus ipse ob ingentia illic solita edi miracula jugi in posterum peregrinatione fidelium est frequentatus.

Alia quædam in Actis corrigenda.

266 *Quæri etiam potest, an admittendæ videantur tres* S. Michaelis *apparitiones distinctæ, sicut in actis referuntur, quia duæ tantum leguntur in gemina vita S. Laurentii. Breviter ad hoc respondeo, probabilius unica* S. Michaelis *apparitione edoctum esse S. Laurentium omnia ad spe-* F *luncam Gargani spectantia, prout omnia ad unicam apparitionem referuntur in utraque S. Laurentii vita. Hæ enim vitæ saltem majorem fidem merentur, maxime illa, quæ primo scripta est, quam acta apparitionis, in quibus non pauca sunt aperte fabulosa. Hinc multa alia in his Actis asserto, de quibus in vitis nihil legitur, minus certa et dubia videntur : qualia sunt consultatio Romani Pontificis, quam acta magis interpolata Gelasium fecerunt; indictum tribus vicibus triduanum jejunium, inventio totis loci, ut episcopus eodem die, quo ingressus est, ibidem obtulerit Missæ sacrificium, alioque nonnulla, quæ prudens et eruditus lector facile deprehendet. De consulto summo pontifice tacet utraque vita. Unum trium dierum jejunium Laurentio attribuit Vita prior; altera unicum similiter memorat, sed populum ei subjectum adjungit. De inventa ecclesia, in qua statim Missa posset celebrari, utraque rursum tacet. Mihi certe probabilius est, aut nullam in spelunca montis ecclesiam inventam; sed ædificatam aliquam jussu* S. Michaelis; *aut inventa forsan vetustæ ecclesiæ*

AUCTORE J. S.

clesiæ rudera, quæ restauranda fuerint et exornanda.

Secunda S. Michaelis apparitio, non recte correcta a Baronio,

267 *Secunda* S. Michaelis *apparitio, quæ in vitis quoque asseritur, non caret etiam adjunctis improbabilibus, prout refertur in actis apparitionis num. 4. Laudatus supra Baronius vidit, factum non recte relatum esse, emendationemque suggessit, ita scribens :* Rei gestæ exstat historia (*in actis apparitionis*), in eo tamen emendanda, dum ibi dicitur bellum tunc viguisse inter Neapolitanos et Sipontinos, restituendumque est, inter Odoacrem et Theodoricum : ejusmodi enim bello, et non alio privato, tunc vexabatur Italia; cum Sipontini, qui se Theodorico dediderant, male habiti sunt ab Odoacre. Quamobrem occiso tandem Odoacre, summa rerum potitus idem Theodoricus, Sipontinis negotiatoribus duorum annorum tributa relaxari jussit. Extat de his Epistola ejusdem regis ad Faustum præpositum. *Hæc quidem Baronii correctio primo intuitu speciem veritatis præfert. Verum, si attentius consideretur, non videbitur probabilis : nam apparitio* S. Michaelis *diu post mortem Odoacris, anno* 493 *occisi, videtur contigisse, ut nequeat agi de bello* B *inter Odoacrem et Theodoricum ; nec ullum habemus argumentum, quo probari valeat, Sipontinos male habitos ab Odoacre. Epistola* 38 *libri secundi, quam laudat Baronius, nullo modo probat, damna illa, quæ Sipontinis negotiatoribus illata fuerunt, et quorum causa eis prospicit Theodoricus, illata fuisse per Odoacrem, et multo minus evincit, bellum contra partem Odoacris gessisse Sipontinos. Ut verbo dicam, Epistola illa non facit ad propositum, cum negotiatores Sipontini damno affici potuerint per alios hostes Theodorici aut in mari, aut in aliqua parte terrarum, ubi negotiabantur.*

in utraque S. Laurentii Vita refertur modo minus improbabili,

268 *Fateor tamen, non recte in actis num.* 4 *et* 5 *referri istud bellum, qualecumque demum fuerit. Primo falsum est, Neapolitanos sæculo* 6, *quo istud bellum esset figendum, adhuc fuisse gentiles. Secundo Neapolis eo tempore non erat sui juris, sed alias sub Gothis, alias sub Græcis, ut cives Neapolitani bellum nomine suo gerere non possent contra Beneventanos aut Sipontinos. Quapropter res tota mihi quam maxime fieret suspecta, nisi commemoraretur in utraque etiam S. Laurentii vita, ibique assereretur modo minus incredibili.* C *Vita primo scripta num.* 7 *de S. Laurentio sic habet:* Cumque gravi pugna cives suos Neapolitani lacesserent, non equis, non armorum apparatu confisus est : sed semetipsum in caritate Domini affligens, victoriam de cælo adeptus est. Ipse namque angelorum princeps Michael pontifici in visione apparens, Sipontinis victoriam, seque ipsum pro eis pugnaturum spopondit. *Altera vita num.* 13 *fere consentit :* Cumque Neapolitani cives suos gravi pugna lacesserent, confisus vir Dei Laurentius, virtutem belli non in multitudine exercitus, sed in virtute Dei consistere, non equis, non armis auxilium sibi parantibus, cum populo sibi subjecto triduano se jejunio affligens, adeptus est de cælo victoriam. Ipse namque Michael angelorum princeps, in visione pontifici Laurentio apparens, Sipontinis victoriam, seque ipsum pro eis pugnaturum spopondit. *Hæc congruunt cum præcedentibus, excepto Sipontinorum triduano jejunio, quod soli Laurentio in priori vita inferius tribuitur.*

asseriturque victoria Sipontinorum indubitanter,

269 *Factum hoc porro tam confidenter in utraque vita asseritur, ut non videatur negandum, etiamsi incredibile sit, Neapolitanos suo nomine bellum tempore Gothorum intulisse Sipontinis. Itaque* D *conjicio, tale aliquid accidisse in diuturno bello, quod Justinianus anno* 535 *suscepit per Belisarium ducem contra Gothos in Italia regnantes, quodque varia fortuna gestum est. Erat Neapolis Gothorum, quando inchoatum est bellum : sed anno* 536 *expugnata est a Belisario, mansitque sub Græcis usque ad annum* 543, *quo rursum capta est a Totila Gothorum rege. Iis itaque temporibus præfectus Neapolitanus potuit cum præsidioriis militibus et parte populi urbis et agri vicini expeditionem aliquam suscipere contra Sipontinos, et ab his patrocinio* S. Michaelis *repelli. Quod autem præfectus urbis cum suis et Neapolitanis fecit, id attributum a biographis fuerit Neapolitanis. Nihil de his incredibile, nihil improbabile est. Biographi vero tanta cum fiducia illam Sipontinorum victoriam referunt, ut ejus causa Laurentium episcopum cum Daniele propheta comparent.*

ut non videatur apparitio aut victoria neganda,

270 *Audiamus primum.* Veteres, *inquit*, revolvamus historias et facta B. Laurentii antiquorum operibus comparemus. Daniel quondam, ille vir desideriorum, completo trium hebdomadarum jejunio, quibus se afflixit in conspectu Domini, orationes, quas pro populo faciebat, E exauditas agnovit. Laurentius trium dierum jejunio se afflixit, seque a Domino impetrasse populi sui salutem audivit. Danielis orationi de servitute inimicorum liber exiturus populus ejus promittitur. Laurentii precibus hostes in fugam versos, hostium colla calcaturus populus nuntiatur. A Daniele contra Persarum Principem, ut facilius populus liberaretur, Græcorum Princeps venire narratur. Laurentio contra inimicorum principem non aliqua peregrina virtus tribuitur. Danielem Gabriel lætificat, dicens sibi ad victoriam esse Michaelem. Laurentium Michael ipse confortat, victoriamque de inimicis se habiturum pollicetur.

licet dubium sit, a quo fuerint oppugnati.

271 *Tum auctor S. Laurentium invocat his verbis :* Sic semper, sic B. Laurenti, pro commisso tibi populo Dominum depreceris : et sicut Sipontini populi, cum præsens eras in carne, curam habuisti : ita et magis nunc, cum sis præsens cum Domino, sui memor esse digneris. Si te per fidem ambulantem, cum corpore peregrinabaris a Domino, de sancto et cælesti habitaculo suo exaudivit Dominus, quanto magis nunc a Domino præsente te omnia, quæ petieris, F impetraturum speramus? Impetra ergo semper angelorum præsidium civitati tuæ. Tueantur semper supernæ virtutes locum habitationis tuæ. Præsentem sentiant te cives tui : potentem te cognoscant inimici tui. Per orationes tuas mereamur habere Michaelem adjutorem, et contra antiquum serpentem, qui est Satanas, fortissimum pugnatorem *etc. Victoria illa Sipontinorum figenda quidem est sub episcopatu Laurentii, potest tamen contigisse multis annis post revelationem speluncæ montis Gargani. Hinc etiam dubium fit, utrum a duce aliquo Gothorum, an Græcorum oppugnati fuerint, quando periculo illo sunt liberati.*

APPARITIO

A

APPARITIO S. MICHAELIS IN MONTE GARGANO

Auctore anonymo

Ex quinque aut sex mss. vetustissimis, collatis inter se et cum aliis nonnullis.

Memoria S. Michaelis in monte Gargano.

* in uno metalli

Memoriam B. Michaelis archangeli toto orbo venerandam, ipsius et opere condita, et consecrata nomine, demonstrat ecclesia. Quæ non metallorum * fulgore, sed privilegio commendata signorum, vili facta scemate, sed cælesti est prædita virtute; utpote quam fragilitatis humanæ memor Archangelus, e cælo veniens, B ad promerendam ibi mortalibus supernorum societatem, propria manu sibi condere est dignatus. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore ejusdem saxi, speluncæ instar, præcavata ostenditur. Est autem locus in Campaniæ *a* finibus: ubi inter sinum Adriaticum et montem Garganum civitatis Sipontus *b* posita est: qui a mœnibus civitatis ad duodecim millia passuum *c* præerectus, in cacumine suo supremo beati Michaelis *d* archangeli, quam præfatus sum, gestat ecclesiam. Hanc mortalibus hoc modo cognitam, libellus *e*, in eadem ecclesia positus, indicat.

quo miraculo inchoata sit

* al. divexa

* al. pro foribus

2 Erat in eadem civitate prædives quidam, nomine Garganus, qui et ex eventu suo monti vocabulum *f* indidit. Hujus dum pecora, quorum infinita multitudine pollebat, passim per divexi * montis latera pascerentur, contigit taurum armenti gregis consortia spernentem, singularem incedere solitum, et ad extremum, redeunte pecore, domum non esse regressum. Quem dominus, collecta servorum multitudine, per devia quæque requirens, invenit tandem in vertice montis foribus * cujusdam assistere speluncæ: iraque permotus, cur solivagus incederet, correptn arcu, C appetiit illum sagitta toxicata. Quæ velut venti flamine retorta, eum, a quo jactata est, mox reversa percussit. Turbati cives et stupefacti, qualiter res fuisset effecta *g* (non enim propius accedere audebant) consulunt episcopum *h*, quid facto opus sit. Qui, indicto jejunio triduano, a Deo monuit esse quærendum.

per apparitionem S. Michaelis.

* al. additur intercessorem

3 Quo peracto, sanctus Domini Archangelus episcopum *i* per visionem alloquitur, dicens: Jam bene fecistis, quod homines latebat, a Deo quærendo mysterium, causam *k* videlicet hominis suo telo percussi. Sciatis autem hoc mea gestum voluntate. Ego enim sum Michael archangelus, qui in conspectu Domini semper adsisto: locumque hunc in terris incolere *l*, tutumque servare instituens, hoc volui probare indicio, omnium, quæ ibi geruntur, ipsiusque loci me esse inspectorem atque custodem. His revelatione compertis *m*, consuetudinem fecerunt cives hic Deum precibus, sanctumque * deposcero Michaelem; duas quidem ibi januas cernentes, quarum Australis, quæ et major erat, aliquot gradibus in Occasum vergentibus, adiri poterat. Sed nec ultra *n* criptam intrare ausi, pro foribus quotidie orationi vacabant.

A. ANONYMO

Altera S. Michaelis apparitio.

* al. paratu

4 Interea Neapolitæ, paganis adhuc ritibus oberrantes *o*, Sipontinos et Beneventanos, qui quinquaginta *p* milibus a Siponto distant, bello lacessere tentant. Qui antistitis sui monitis edocti, triduo petunt inducias, ut triduano jejunio liceret eis, quasi fidele patrucinium, sancti Michaelis implorare præsidium. Quo tempore pagani ludis scenicis falsorum invitant auxilia deorum. Ecce autem nocte ipsa, quæ belli præcederet diem, adest in visione S. Michael, et apparens antistiti, preces eorum dixit exauditas, victnriam spondet affuturam *q*, et quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrendum. Læti ergo mane, et de Angelica certi victoria, Dominico *r* reducti spiritu, obviant Christiani paganis: atque primo belli apparatu *, Garganus immenso tremore concutitur: fulgura crebra volant, et caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit, impleta prophetia, quæ Dominum laudans, dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.

et victoriæ de hostibus per Sipontinos relata.

* in uno ms. flumine

* al. monstrari

5 Fugiunt pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis: et Neapolim usque, sequentibus atque extrema quæque cædentibus adversariis, mœnia tandem suæ urbis moribundi E subintrant. Qui autem evaserunt periculum, comperto, quod Angelus Dei in adjutorium venerit Christianis: nam et sexcentos ferme suorum fulmine * videbant interemptos, Regi regum Christo continuo colla submittentes, armis induuntur fidei. Cumque domum reversi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent Archangeli, vident mane juxta januam Septentrionalem, quam prædixi instar posterulæ pusillæ, quasi hominis vestigia marmori arctius impressa: agnoscuntque, B. Michaelem hoc præsentiæ suæ signum voluisse monstrare *: ubi postea culmen appositum, et altare impositum, ipsa ecclesia ob signa vestigiorum Apodanea *s* est vocata.

Dubitantibus Sipontinis

* in uno ad Meridiem

* in uno basilicam

* al. requirenda

* al. dignatus

6 Interea multa fit *t* dubitatio inter Sipontinos, quid de eodem loco agerent, et utrum intrari, vel dedicari illic ecclesia deberet. Unde, collatione facta, ad Orientem * loci illius, B. Petri Apostolorum principis nomine condunt eccle- F siam et dedicant: in qua etiam B. Mariæ semper Virginis sanctique Baptistæ Joannis altaria statuunt. Tandem antistes, salubri reperto consilio, Romanum Episcopum, quid de his agendum sit, per nuntios sciscitatur. Qui tunc forte in monte, quinquagesimo *u* fere milliario a Romana urbe distante, degebat: quem incolæ Sancti Silvestri cognomine vocant, eo quod ipse ibi quondam exulaverat pro fidei persecutione, et delituerat in Serapti *x* monte: taliaque mandata remittit: Si hominis est illam dedicare ecclesiam *, hoc maxime die, quo victoria data est, fieri oportet. Sin autem alias sancto Provisori loci placuerit, eodem præcipue die illius in hoc voluntas est quærenda *. Hoc ergo tempore imminente, agamus ambo triduanum cum civibus nostris jejunium, sanctam Trinitatem rogantes, ut munera, quæ per summum suæ sedis Ministrum conferre dignata * est, ad certum usque finem perducat.

quid agendum sit, episcopum docet S. Michael.

* in uno archangelus

7 Factum est, ut suggesserat Antistes. Nocte vero constituti jejunii suprema Angelus * Domini Michael episcopo Sipontino per visionem apparens: Non est, inquit, vobis opus hanc, quam ædificavi, dedicare ecclesiam *y*: ipso enim, qui condidi,

A Anonymo. condidi, etiam dedicavi. Vos tantum intrate, et, mo adstante patrono, precibus locum frequentate: et te quidem cras ibi Missas celebrante, populus juxta morem communicet: meum autem erit ostendere, quomodo per memetipsum locum consecraverim illum. Adveniunt mane cum oblationibus, et magna instantia precum intrant regiam Australem. Et ecce longa porticus in Aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam, extra quam vestigia marmori diximus impressa. Sed, priusquam huc pervenias *, apparet ad Orientem basilica prægrandis, quo per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos fere homines capere videbatur, altare venerandum, rubroque contectum palliolo, prope medium parietis Meridiani ostendens.

* in uno pervenirent

Descriptio cryptæ montis Gargani.

8 Erat autem ipsa domus angulosa, non in morem operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ præruptis, et sæpius eminentibus asperata scopulis: culmine quoque petroso diversæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi: credo, docente Archangelo * Domini, non ornatum lapidum, sed cordis quærere et diligere puritatem. Vertex vero B montis extrinsecus partim cornea silva tegitur, partim virenti planitie dilatatur. Missarum itaque celebratione completa, magno attoniti gaudio quique redierunt in sua. Episcopus autem, delegato ministrorum, cantorum, sacerdotumque officio, et mansione constructa, omnem ibidem quotidie Psalmorum Missarumque cursum congruo præcepit ordine celebrari. Nullus autem huc nocturno tempore est ausus ingredi; sed aurora transacta, matutinos * ibidem cantant hymnos.

* al. Angelo

* al. matutinales

quæ clara est miraculis.

9 Ex ipso autem saxo, quo sacra contegitur ædes, ad Aquilonem altaris, dulcis et nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc et vitreum vas ejusdem * receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum: morisque est, populo communicato, singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, donumque cælestis degustare liquoris: nam et gustu suavis est et tactu salubris. Denique nonnulli post longas febrium flammas, hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis *. Innumeris quoque et aliis modis ibi et crebro sanantur ægroti: et multa, quæ Angelicæ tantum licet potestati z, geri miracula compro- C bantur: maxime tamen ejusdem die Natalis, cum et de provinciis circumpositis plus solito confluа * turba recurrit, et Angelicæ virtutis major quodammodo creditur adesse frequentia, ut, quod spiritualiter dixit Apostolus, corporaliter agi videatur; quia Angeli sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, in Christo Jesu Domino nostro.

* al. ibidem

* in uno salute

z

* al. confluens

ANNOTATA.

a *In codice Florentino bibliothecæ S. Laurentii et in Vaticano legitur,* In Apuliæ finibus. *Est quidem locus revera in Apulia, non in Campania, ut dictum est in Commentario num. 256. Verumtamen non dubito, quin a primo Actorum auctore scriptum fuerit* in Campaniæ finibus. *Nam tres codices nostri cum duobus, ex quibus apographum ad nos misit Chiffletius, et cum apographo Trevirensi, cum aliis etiam pluribus collato, sine ulla variatione habent* in Campaniæ finibus, *uti et codex Vaticanus* 517, *in quo hæc Apparitionis Acta nonnihil contracta habemus. Quod vero spectat* D *ad codices, qui habent* in Apuliæ finibus *cum editione Ughelli, Vaticanus cum Ughello exhibet Acta clare interpolata, in quibus legitur annus rei peractæ, et inserta sunt nomina Zenonis imperatoris, Gelasii Romani Pontificis, Laurentii episcopi Sipontini, aliaque nonnula, quæ absunt a vetustissimis codicibus, et cum suam chronotaxi consistere nequeunt. Codex quidem Florentinus non videtur interpolatus, sed reliquis passim consonat, exceptis mendis. At cum unus sit contra multos, eosque admodum vetustos, verisimile fit, librarium, quod scirет locum esse in Apulia, pro* in Campaniæ finibus *substituisse in illo codice*, in Apuliæ finibus. *Hac occasione lectorem velim monitum, me daturum diversas lectiones, ubicumque videbitur operæ-pretium: non tamen observaturum quælibet codicum menda, quando lectio ex aliis fit certa, nec quaslibet minutias, quæ solum valerent ad augenda hæc Annotata.*

b Sepontus *in omnibus codicibus nostris et in aliis plerisque legitur. In uno tamen alterove ex aliis* Sipontus. *Passim* Sipontum *et vulgo* Siponto *dicitur.* Sepus, *ut volunt aliqui, aut* Sipus *etiam dicta fuit.* E

c *De distantia duodecim millium passuum inter Sipontum et Garganum consonant codices, etsi aliqua in vocibus sit diversitas. Minor tamen videtur esse distantia: et plerumque in his Actis locorum distantia major dicitur, quam revera sit.*

d *In pluribus codicibus omisso nomine* Michaelis, *solum legitur* beati Archangeli *etc.*

e *Hic libellus, in omnibus memoratus, ostendit, Acta esse vetustiora codicibus, ex quibus nostri videntur spectare ad sæculum* 9.

f *Certum est hoc Actorum vitium: nam mons Garganus eodem nomine innotuit ante Christum natum. Itaque id imputandum ignorantiæ scriptoris. Forte homo, qui nomen monti dedisse dicitur, a monte nomen apud posteros accepit, quod nomen ejus esset ignotum.* Magister militum *dicitur in Actis interpolatis, non in primis.*

g *Alias legitur:* Qualiter res fieret facta, *vel* effecta.

h *In Actis interpolatis, addito nomine,* episcopum Laurentium, *sed in nostris aliisque codicibus numquam episcopus nominatur, nec ulla persona, a qua possit chronotaxis formari.*

i *In aliquot codicibus ita legitur:* episcopo apparuit per visionem, dicens: *etc. et mox pro* fecistis *in singulari* fecisti. F

k *Hic sensu minus perfecto in tribus mss. nostris legitur,* videlicet hominem suo telo percussum, pro causam videlicet *etc. Verba dedi ex Florentino, Chiffletianis et alio.*

l *Multa hic rursum verborum in codicibus differentia, pro* tutumque, *in Florentino* totumque, *in uno e nostris* eumque, *in altero et aliis* ritumque. *Tertius noster sensum exhibet diversum hoc modo:* Locumque hunc in terris incoli, ritumque servari instituens *etc.*

m *De his codices rursum non consonant, cum alii habeant,* Hac revelatione comperta, *alii,* His revelationibus compertis, *alii verba data, quæ sola videtur vera lectio.*

n *Pro* nec ultra, *quæ videtur lectio præferenda, in uno codice est* nec intra, *in alio mendose* neutram.

o *In uno* operam dantes, *in alio,* aberrantes.

p *Hic multum dissonant codices. Secutus sum Chiffletii apographum, ex duobus codicibus scriptum,*

AUCTORE J. S.

A *ptum, quod hoc veræ distantiæ inter Sipontum et Beneventum sit saltem propinquius. Attamen duo codices e nostris cum Florentino, Trevirensi et Vaticano interpolato habent :* centum quinquaginta milibus, *quanta certe inter Sipontum et Beneventum non est distantia. Imo in uno e nostris legitur,* septingentis quinquaginta, *quod manifestius est mendum. Scriptum fuerit* quinquaginta, *aut forte,* septem et quinquaginta milibus : *nam hæc vera potest esse distantia, ut conjicio ex mappis geographicis : imperitus librarius ex* septem *formare potuit* septingentis. *De bello hic relato consuli potest Commentarius num.* 267.

q *Nonnulla rursum in codicibus verborum diversitas, sed idem sensus. Pro,* victoriam spondet affuturam, *in variis legitur,* spopondit se affuturum. *Alia leviora.*

r *Hic alium sensum exhibent varii codices, et nonnulli sunt mendosi. Duplex potest esse sensus, cum alii Dominicum spiritum tribuant Christianis, alii dæmonicum aut dæmoniacum paganis. Primus in textu datus est, alter in uno ex codicibus nostris, cui et alii duo favent, sic exprimitur :* dæmonico redactis spiritu obviant Christiani pa-

B *ganis. Sensus in textu datus præplacet, et est quinque saltem codicum, sed pro* reducti *in aliquibus est* redacti, *in uno* Domini cordati spiritu.

s *Vox hæc in plerisque codicibus corrupta est, legiturque* appodanea, yppodonea, *aliisque vicinis modis expressa.*

t *Pro* Interea multa fit *etc., in alio codice,* Multa vero erat *etc. In aliis solum,* Multa dubitatio *etc. at idem ubique sensus.*

u *De distantia montis Soractis ab urbe rursum multa in codicibus varietas, quam observabo, ut ex hoc specimine prudens lector intelligat, quantum librariorum negligentia vetusti codices sint corrupti.* Quinquagesimo fere milliario, *ut in textu posui, in quinque saltem reperitur mss., ut non dubitem, quin ita fuerit scriptum, etiamsi revera minor sit montis ab Urbe distantia. In uno legitur,* quingentesimo miliario, *quod apertum est mendum. In apographo, ex duobus codicibus per Chifletium huc misso, habetur* primo fere miliario, *quod non minus clare mendosum est. In codice Vaticano, in quo Acta postmodum interpolata dixi, vera distantia propius exprimitur, dum mons ab Urbe dicitur distare* tricesimo fere miliario. *Pro*

C *correctione id habendum.*

x *Montis nomen similiter corruptum, et in nullo recte expressum. Nam verum nomen est* Soracte *aut* Soractes, *situsque est mons in Thuscia pontificia inter oppidum Nepesinum (Nepi) et Tiberim.* Mons S. Silvestri *vocatur a monasterio S. Silvestri, de quo egi tom. 1 Septembris pag.* 410, *ubi etiam observavi, vulgo vocari* montem S. Orestis, *et de causa corrupti istius nominis egi pag.* 420. *In codicibus hic pro* Socrate *legitur* Serapti, Sirapti, Syrapti *et* Sarepti.

y *Pro* ecclesiam, *in paucis mss. legitur* basilicam. *De constructione et dedicatione ejusdem per* S. Michaelem, *ab aliquot etiam recentioribus asserta, sed sine sufficienti auctoritate, consule dicta in Commentario num.* 261.

z *Plerique codices habent, ut edidi. In uno e nostris ita legitur :* Innumeri quoque ibi sanantur ægroti : et multa Angelica illic potestate geri miracula comprobantur. *Mitto alia minutiora, cum nihil de varietate codicum omiserim, quod sententiam præferat diversam. Ceterum post acta ex collatis codicibus exscripta et his annotatis illustrata, consului et editionem Surii ante neglectam : vidique passim huic consonam. Pauca illa, quæ habet diversa, partim ex cura stilum modice poliendi, partim ex ipsa codicum varietate proveniunt.*

§ XX. Ecclesia S. Michaelis in monte Gargano votivis peregrinationibus et miraculis illustris.

Ecclesia montis Gargani peregrinationibus celebris,

De *peregrinationibus votivis ad montem Garganum prolixe scripsit Marcellus Cavaglieri, ordinis Prædicatorum, et postea episcopus Gravinensis, in opusculo italico, quod anno 1680 edidit et inscripsit :* Il peregrino al Gargano. *Verum non omnia, quæ refert, æque certa aut probata sunt ; nec videtur necesse singula examinare, quandoquidem istud examen prolixius fieret quam utilius. Quapropter ex laudato Cavalerii opusculo aliqua solum desumam, quæ certiora videbuntur, et aliunde adjungam ea, quæ studioso lectori sufficere possint, ut perspiciat,* S. Michaelis *in monte* E

Gargano ædem sacram piis peregrinationibus celebrem semper fuisse.

opibus multum increverunt ante medium sæculi

275 *Nihil invenio sæculo 6, quo ecclesia* S. Michaelis *innotescere cœpit in monte Gargano, quod huc transferendum censeam. Attamen ab initio locum fuisse celebrem, et frequentatum a plurimis, ex ejusdem opum incrementis conjicere possumus. Nam thesaurus illius ecclesiæ adeo increverat circa medium sæculi 7, ut Græci eum ad se transferre cogitaverint. Paulus Diaconus lib. 4 de Gestis Langobardorum cap. 47 de Grimoaldo Langobardorum duce Beneventano sic loquitur :* Qui cum esset vir bellicosissimus, et ubique insignis, venientibus eo tempore Græcis, ut oraculum sancti Michaelis archangeli in monte Gargano situm deprædarentur, Grimoaldus super eos cum exercitu veniens, ultima eos cæde prostravit. *Ad hunc locum tom. 1 Scriptorum Italiæ col. 471 in annotatis observat Muratorius, suspectam fuisse Camillo Peregrinio fidem Pauli Diaconi, acsi voluisse Græcis attribuere, quod ipsi tentarunt Longobardi. At ille Paulum Diaconum et ibidem defendit, et studiosius apertiusque in Annalibus* F

Italiæ postea scriptis tom. 4 ad annum 650, ubi animadvertit, Græcos sub Constante imperatore Monothelita tam religiosos non fuisse, ut incredibilis fiat tentata spoliatio templi S. Michaelis, *et fides Pauli Diaconi veniat in dubium vocanda. Probat id idoneis rationibus, quæ videri possunt. Ad propositum nostrum satis est, jam circa medium sæculi 7 tantas illius loci fuisse divitias, ut excitarint principum cupiditatem.*

at deinde deserta, subditur episcopo Beneventano,

274 *Quamvis eo tempore Garganum contra Græcos defenderit Grimoaldus, locus tamen post aliquot annos desertus fuisse videtur, idque verisimiliter contigerit, quia potentior exercitus Græcorum partes illas invasit. Nam ipse Constans imperator in Italiam contra Longobardos trajecit, et anno 663 Beneventum obsedit, absente Grimoaldo, qui regnum Langobardorum occupaverat. Filius tamen ejus Romualdus Beneventum defendit, ut obsidionem solverit Constans : quod in vita S. Barbati episcopi Beneventani, data apud nos ad 16 Februarii, patrocinio beatissimæ Virginis Mariæ, et precibus S. Barbati adscribitur. Cum autem post victoriam Romualdus dux multa S. Barbato donare vellet, ita num. 11 sanctus antistes*

ducem

AUCTORE J. S.

ducem allocutus legitur : Si munus tuæ salutis offerre studes, unum impende sacrificium, ut beati Michaelis archangeli domum, quæ in Gargano sita est, et omnia, quæ sub ditione Sipontini episcopatus sunt, sedi beatissimæ Genitricis Dei, cui nunc indigne præsum, in omnibus subdas. Et quoniam absque cultoribus omnia depravantur : unde nec sedulum Deo illic officium persolvi potest, melius a nobis disposita tibi proficient in salutem. Illico princeps viri Dei consentit petitionibus, et eo ordine, quo pactus est, sicut mos est, per præceptum Genitricis Dei sedi universa concessit *etc. Eadem fere leguntur de donatione in vita secunda num.* 12. *Hoc modo ecclesia* S. Michaelis *in Gargano cum toto episcopatu Sipentino subjecta est episcopo Beneventano, mansitque hæc duorum episcopatuum conjunctio usque ad sæculum* 11, *quemadmodum in episcopis et archiepiscopis Sipontinis videri potest apud Ughellum.*

et S. Michaele eligitur Beneventi patronus.

275 *De cultu* S. Michaelis *occasione istius donationis aucto in urbe Beneventana agit Marius de Vipera in Chronologia Episcoporum Beneventanorum pag.* 34 *ita scribens :* Ex prædicta concessione ecclesiæ S. Michaelis archangeli in monte B Gargano, per Vitalianum papam sancto Barbato episcopo (*forte quia Vitalianus Papa donationem confirmavit, ut habet bulla ejus, quam aliqui habent suspectam*) suæque Beneventanensi ecclesiæ factæ, ut supra diximus, ita sancti Michaelis archangeli devotio Beneventi crevit, ut populus Beneventanus magno animi affectu in patronum elegerunt. Alii in patronum multo antea electum volunt ea occasione; cum octavo Idus Maji, quo beati Michaelis archangeli solemnia celebrantur, eo die a Beneventanorum populis Neapolitanos in prælio cæsos devictosque fuisse, et ob memoriam tam insignis victoriæ in patronum sibi adscripserunt, quam victoriam recenset Herempertus in suo chronico ms. pag. 156, ubi annis desideratur. Verum enimvero, quidquid sit de modo, semper rei veritas constat, ab antiquissimo tempore a Beneventanis patronum venerari colique : quod facile utrumque conjici potest ex monetis, quæ principum tempore Beneventi cudebantur : in quibus effigies et numen ipsius sancti Patroni ex parte una, et effigies et nomen principis regnantis ex parte altera, quæ ad hæc usque tempora videntur, ingen- C tique devotione Patronum venerantur, templis dicatis. *Ita Vipera, qui duos ex nummis exhibuit in sanctis Beneventanis pag.* 65, *uti et alios duos Muratorius in Antiquitatibus Italiæ tom. II, pag.* 619. *Non inquiram, de qua victoria loquatur Vipera, cum ad propositum nostrum satis sit,* S. Michaelem *vetustis temporibus patronum a Beneventanis electum, quod solum hac occasione observare volui.*

Peregrinationes deinde continuatæ,

276 *Quod vero spectat ad montem Garganum, munsisse hunc sub ditione ducis Beneventani existimo, eumdemque deinde votivis peregrinationibus fuisse frequentatum. Certe in divisione ducatus Beneventani, quæ facta notatur anno* 851 *inter Radelchisum principem Beneventanum et Siconulfum principem Salernitanum, impressaque tom. II Scriptorum Italiæ a pag.* 260, *art.* 8 *Beneventanus Salernitano hæc promittit :* Et dimittam omnes homines vestræ potestatis ire ad venerabilem ecclesiam beati archangeli Michaelis recto itinere, quomodo temporibus antecessorum nostrorum illuc ibatur, sine omni contrarietate vel damnitate *etc. Verba hæc* temporibus antecessorum *saltem evincunt, octavo et nono sæculo crebras fuisse* D *ad ecclesiam montis Gargani peregrinationes. Leo Marsicanus in chronico Casinensi lib* 1, *cap.* 13 *ita habet :* His temporibus (*currente ad finem sæculo* 8) vir quidam de gente Anglorum, mutus et surdus, cum quibusdam propriæ gentis sociis ad limina venit apostolorum. Inde cum socios ad memoriam beati Michaelis archangeli, quæ in monte Gargano sita est, properare conspiceret, simul cum eis iter arripiens, venit ad hoc monasterium *etc. Subditur sanatio muti ad sepulcrum S. Benedicti impetrata. At ego verba dedi, ut ostenderem, remotissimos etiam Anglos ad montem Casinum fuisse peregrinatos. Apud Mabillonium in Actis Sanctorum. Benedict. sec.* 3, *part.* 2, *pag.* 523 *habetur Itinerarium Bernardi monachi Franci, qui ex Gallia Romam, indeque tempore Nicolai Papæ cum sociis, in Montem Garganum, et ulterius Hierosolymam peregrinatus est. Ad propositum vero nostrum habet sequentia :* Inde progressi, venimus ad montem Garganum, in quo est ecclesia S. Michaelis sub uno lapide, super quem sunt quercus glandiferæ : quam videlicet ipse dicitur dedicasse : cujus introitus est ab Aquilone, et ipsa quinquaginta homines potest E recipere in se. Intrinsecus ergo ad Orientem ipsius angeli habet imaginem; ad Meridiem vero est altare, super quod sacrificium geritur, et præter id nullum munus ibi ponitur. Est autem ante ipsum altare vas quoddam suspensum, in quo mittuntur donaria, quod etiam juxta se alia habet altaria. Cujus loci abbas vocabatur Benignatus, qui multis præerat fratribus. *Ultima verba insinuant, locum eo tempore fuisse sub monachis.*

et pro pœnitentia etiam impositæ;

277 *In chronico Vulturnensi apud Muratorium tom. I Scriptorum Italiæ part.* 2, *pag.* 483 *recitatur Charta Landonis Teanensis comitis, signata anno* 986, *quæ sic inchoatur :* In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Quinto anno principatus domni Landenolfi gloriosissimi principis, mense Novembri, 15 Indictione. Ideoque ego Lando comes ex civitate Teanense, filius bonæ memoriæ domni Atenulfi comitis, declaro me iter facere in oratione ad ecclesiam beati Michaelis archangeli, quæ sita est in monte Gargano, ut per ejus intercessionem apud omnipotentem Dominum de peccatis meis indulgentiam accipere valeam : ideoque testamentum feci *etc.* F *Ejusmodi peregrinationes ad montem Garganum pro pœnitentia etiam impositas fuisse, habemus ex chronico Casinensi lib.* 2, *cap.* 24 *de Ottone III imperatore, cujus peregrinatio ibi figitur anno* 1000. *Muratorius tamen in Annalibus Italiæ rem refert ad annum* 1001. *Ratio nota est, nimirum cædes Crescentii, contra jusjurandum ipsi præstitum occisi. In vita S. Romualdi, data ad 7 Februarii, num.* 38 *a B. Petro Damiano sic refertur :* Ipse autem rex (*Otto III imperator*) ex eodem crimine (*occisi Crescentii*) beato viro (*S. Romualdo*) confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana urbe progrediens, sic usque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexit ecclesiam. *Plura alia de pœnitentia Ottonis subjunguntur.*

incerta tamen sunt, quæ ibi feruntur contigisse S. Henrico.

278 *Ughellus tom. 7 in Archiepiscopis Beneventanis simul et Sipontinis col.* 1114 *asserit, tempore Ursi archiepiscopi S. Henricum imperatorem venisse ad ecclesiam* S. Michaelis. *Res nequaquam est incredibilis, quandoquidem anno* 1022 *S. Henricus in vicinia fuerit, urbemque Troiam in Apulia obsederit, ac tandem ad deditionem coegerit.*

A rit. *Non invenio tamen indubitata monumenta, quibus peregrinationem illa confirmem; et multo minus idoneas rationes, quibus certa reddam ea, quæ ibidem S. Henrico contigisse dicuntur, omnia prolixe etiam enarrante Cavalerio cap.* 11. *Ughellus compendio ista sic exponit :* Hic (*Ursus*) Henricum sanctum imperatorem anno 1022 excepit hospitio, ad montem Garganum devotionis gratia dum peregre proficisceretur : qui cum pernoctare in sacra illa D. Michaelis spelunca voluisset : et dum oraret, ex quodam Angeli attactu ita femur emarcuisse scribunt, ut, veluti alter Jacob, perpetuo claudicaverit, et Claudus dictus sit, ut in notis vitæ ejus in lib. de Divis Bambergensibus cap. 22 habetur. *Longa relatio est, quæ ibidem legi poterit. Ad* 14 *Julii in S. Henrico imperatore* § 1 *examinatæ sunt rationes, quæ afferuntur, cur* Claudus *fuerit dictus, eaque ut ceteris verisimilior admissa, quod juvenis in venatione graviter læsus sit. Quod ei hic accidisse dicitur in ecclesia montis Gargani, alius retulit ad ecclesiam romanam S. Mariæ Majoris. Quare omnia adjuncta prætermitto.*

Aliæ peregrinationes sæculo 11 *et* 12.

279 *Certior est peregrinatio cujusdam e Gallia episcopi, de quo breviter chronicon Casinense lib.* 2, *cap* 56 *ita meminit :* Quidam reverendæ B vitæ episcopus de Galliarum partibus ad memoriam beati Michaelis archangeli in monte Gargano positam pergens *etc. Quod de eo narrat, factum est Capuæ, ideoque huc non spectat. Deinde cap.* 81 *de S. Leone IX papa idem asserit auctor his verbis :* Qui sanctus Pontifex eodem anno, quo ordinatus est, orationis gratia montem Garganum adiit. *Hæ postremæ peregrinationes sunt sæculi* 11, *uti et sequens, quæ lib.* 3, *cap.* 9 *ita perstringitur :* Sipontum inde contendit (*Desiderius abbas Casinensis*) et per quemdam episcopum, qui orationis gratia montem Garganum adierat, fratribus (*monte Casini*) se commendari... rogavit *etc. Ad sæculum* 12 *pertinet, quod lib* 4, *cap.* 74 *his verbis attingitur :* Eodem quoque anno quidam claudus de territorio Turonensi orationis gratia montem statuerat addire Garganum *etc. At sanatus est in monte Casino S. Benedicti patrocinio. Jam vero ad ea, quæ ex chronico Casinensi huc transtuli, velim studiosus lector mecum observet, auctores illius chronici non aliter agere de peregrinationibus ad montem Garganum, quam occasione sui monasterii,* C *quod illi, quos ad ecclesiam* S. Michaelis *dicunt profectos, aut in monte Casino etiam fuissent, aut alia de causa in historia Casinensi venirent memorandi. Quapropter ex paucis in illo chronico memoratis verisimillimum fit, frequentes ad Garganum fuisse peregrinationes, ut habet traditio.*

ut ecclesia S. Michaelis sit inter præcipuas peregrinationibus claras.

280 *Idem etiam confirmatur ex vita B. Alberti eremitæ, qui eodem sæculo* 12 *floruit. Actum apud nos est de B. Alberto ad* 7 *Januarii, ubi in vita num.* 2 *de ejus peregrinationibus hæc asseruntur :* Romam discessit ad sanctorum Apostolorum basilicas, inde in Appuliam, S. Michaelis in Gargano monte sitam ædem visitaturus, se contulit, postremo Venetias ad S. Marci reliquias. Hinc vero in Palæstinam navigat, Christi sacrosanctum sepulchrum, aliaque nostræ salutis celebrata monumentis locis veneratur, eo animi sensu ac pietate, ut omnino statueret, voto nuncupato penitus sese divino cultui consecrare. Cum aliquod isthic spatium temporis exegisset, nullum subterfugiens aut itineris laborem, aut incommodum corporis, duce, quo agebatur, Dei Spiritu, in Gallæciam abit ad S. Jacobi sepulchrum *etc. Hisce ecclesia montis Gargani recensetur inter quinque loca præcipua piis Europæorum peregrinationibus frequentata. Verum hæc de peregrinationibus ad ecclesiam* S. Michaelis *in monte Gargano sufficiant pro specimine, missis peregrinationibus, quæ posterioribus sæculis continuatæ sunt. Prætermitto similiter calamitates, quæ eidem ecclesiæ dicuntur variis vicibus illatæ a Saracenis, Græcis, aliisque gentibus, quæ illam spoliarunt. Nihilo magis commemorabo controversias, quæ multo tempore viguerunt inter canonicos Sipontinos et Garganicos, postquam oppidum S. Angeli excreverat, et capitulo canonicorum fuerat exornatum. De his omnibus consuli possunt Ughellus in episcopis et archiepiscopis Sipontinis, et Sarnellius in chronologia eorumdem, licet uterque subinde aliqua correctione videatur indigere.*

AUCTORE I. S.

Miraculis similiter inclaruit.

281 *Miraculis quoque illustrem esse memoratam* S. Michaelis *ædem, generatim asserunt monumenta, quæ de ea agunt, cum vetusta tum recentiora; idemque confirmant dicta de peregrinationibus. Nam mutum et surdum eo ex Anglia profectum num.* 276, *et claudum ex Gallia num.* 279 *vidimus. Nullam tamen miraculorum collectionem ullibi invenire potui. Cavalerius, qui fuit vicarius generalis archiepiscopi Sipontini, cap.* 12 *de mira-* E *culis agit, sed fere etiam generalibus verbis. Laudat primo diœcesanam synodum, illam, opinor, quæ recenter erat habita anno* 1678 *sub eminentissimo Cardinali Ursino, tunc archiepiscopo Sipontino (postea Benedicto papa XIII,) et ex ea adducit hæc verba :* Quoniam Deus omnipotens sacram divi Michaelis basilicam non cessat decorare miraculis : et tamen nemo est, qui enarrat omnia mirabilia ejus, qui facit magna et mirabilia absque numero : ideo vicario nostro Garganico districte injungimus, ut quoties sermo exierit de aliquo inibi perpetrato miraculo, juridice perquirere non prætereat, utrum rumori opus respondeat : et nos postmodum consulat, ut non temere peregrini illud sentiant Isaiæ : Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum. *Hoc mandatum ostendit, eo etiam tempore continuata fuisse miracula. Non potuit tamen ex eo Cavalerius proficere, quia opusculum suum scripsit circa idem tempus, cum impressum sit Maceratæ anno* 1680, *quo etiam Ursinus ad novam cathedram coactus est discedere, secumque duxit vicarium suum Cavalerium. Hic itaque generalia de miraculis aliorum verba adduxit. Addidit tamen facta anno* 1656, *quorum* F *recens erat memoria, eaque pro specimine huc ex ipso transferam.*

§ XXI. Saxa ecclesiæ montis Gargani salutaria contra pestem anno 1656 sævientem, ut apparens S. Michael archiepiscopo promiserat.

Diœcesis Sipontina anno 1656 *contra pestem servata :*

Mirabilia *plane sunt, quæ refert Cavalerius de apparitione* S. Michaelis, *anno* 1656 *archiepiscopo Joanni Alphonso Puccinello oblata, et de conservatione incolarum diœcesis Sipontinæ contra luem sævissimam, eo tempore per Italiam, et maxime per regnum Neapolitanum, late grassantem. Inscriptio marmori incisa anno* 1658. *ipso jubente archiepiscopo, positaque in atrio ecclesiæ* S. Michaelis, *quam recitat Sarnellius pag.* 405, summam

AUCTORE J. S.

summam rei totius breviter exhibet, ideoque eam huc totam transfero :

D. O. M.

Anno 1656, grassante Aepidemia morbo, manente tota fere Italia in lacrymis, miraculo grandi archangeli Michaelis lapidibus cælitus designatis diœcesis Sipontina præservata est, plurimæque civitates et oppida liberata. Tantæ rei oculatus testis existens Joannes Alphonsus Puccinellus, Lucensis, archiepiscopus Sipontinus, numquam interituræ memoriæ marmore fidem posuit. Anno 1658. *Archiepiscopus hanc quidem inscriptionem de re omnibus nota ultima vitæ anno ponendam curavit. At apparitionem sibi factum non vulgavit, nisi paucissimis personis, nimirum Tiberio Nardini archipresbytero Garganico, et Michaeli Nobile canonico Sipontino, confessario suo, quas nominat Cavalerius pag. 650, priorem ut viventem, alterum defunctum, asseres rem se ex vivente Nardino intellexisse, et ex aliis, qui eam ex confessario archiepiscopi post hujus mortem audiverant.*

intellecto periculo, ad preces, jejunia, aliaque pia opera

283 *Initium relationis petendum est ex epistola archiepiscopi Puccinelli ad summum pontificem Alexandrum VII, quam recitat Cavalerius pag. 658 hoc modo :* Beatissime Pater. Loquar ad B Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, sanctitatis vestræ provolutus pedibus, ad osculum accedens, sacramentum aperiam, quod nulli mortalium fas est referri. Mense Maji elapso, cum sanctæ visitationis munia per diœcesim meam Sipontinam obire curarem, dubius quidam rumor audiri videbatur de morbo epidemias in Neapolitana civitate, vires eundo acquirens brevi, nec vanus deprehensus est. Dum autem in terra Vici moras traherem, a viris fide dignis, qui, Neapoli periculo pulsi, eo appulerant, strophæ tandem factus sum certior. E re futurum existimavi, si, diœcesis visitatione posthabita, quam citissime Civitatem montis S. Angeli adirem, inque cælesti basilica S. Michaelis archangeli pro populi expiatione supplicationes indicerem. Mox illuc me contuli, convocatisque totius civitatis sacerdotibus, pro virili sua quemque contendere necesse habere, in hæc eos verba conveni; nosque tam sancto loco additos supra cæteros Dei ministros pietatis vinculo adstringi, justissimæ iræ Dei litari per diœcesim. Interim, data pastorali Epi- C stola, gregem meum, qua potui ex minusculi talenti mei exiguitate, in Christi visceribus sum exhortatus ad pœnitentiam in cinere et cilicio, indicto trium dierum jejunio et per civitatem supplicationibus.

archiepiscopus cum suis recurrit, et ad S. Michaelis

284 Increbrescebat in dies contagii terror, qui Neapoli jam alias exundans terras, civitates et provincias : hæc Apuliæ tota videbatur in funere. Dum ergo impensius quisque desudabat ingenio, quo furentem morbum immaneque monstrum evaderet ; non ambiguis conjecturis incassum obluctari flagello Dei cernebatur. Plurima interim pestis cognata mala animum meum, pro ea, qua obstringor, pastorali cura vehementer urebant : interque illud apprime, ne diræ famis rabie viderem necatos filios, præpeditis jam negotiationibus et mercium communione, quibus alitur diœcesis tota, præcipueque hæc Gargani montis civitas, populorum numero satis abundans. Dumque mœstissimus traherem insomnes noctes et gregi a Deo commisso consultum cuperem, humanis undique destitutus auxiliis, ecclesiasticorum meorum diu conquisito judicio, in eam tandem sententiam concessi ; nimirum nihil nobis reliqui esse, quam causam tantis plenam D terroribus ad tribunal Mediatoris cælestis, scilicet ad archangeli Michaelis speluncam, tota spe omnique fiducia ablegare.

patrocinium, oblato eidem libello supplici,

285 Iterum ergo indicto trium dierum jejunio, ac supplicationibus per civitatem Garganicam, mihimet, quasi legatione functuro ad Archangelorum Principem, causam communem perorare, extremum tantorum malorum tamen indidit mentem. Libello itaque humano stylo conscripto, sequenti die dominico, clero convocato, religiosis viris, et toto populo, in hac tremenda crypta ad cæleste altare Principis Archangelorum pontificali habitu accedens, adque ejusdem gradus facie humi procumbens ipse, clero, religiosis viris, fune ad collum ligato, et toto populo psalmis, litaniis, precibus persolutis sanctissimum altare conscendi, et clamore ab universo populo excitato, undique crypta ejulatu magno et vocibus misericordiam deprecantibus resonante, qua potui, de pectoris mei humilitate et lacrymis supplicem libellum in Principis Angelorum augustissimi simulacri manibus, certa, fidenti ac secura spe reposui, publico injuncto excommunicationis ligamine, ne quispiam attingere ausus esset. Cujus hoc est exemplar. *Libellus, quem ante pag. 600 dedit Cavalerius, et cujus initium epistolæ inseruit, sic habet.* E

qui hic recitatur,

286 Princeps gloriosissime. Jam super nos flagellum Dei, quod meremur, juste pro delictis nostris. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, cives Garganici montis, ubi cælestem tuam sedem divino munere locatam voluisti, nunc contriti corde, compuncti animo, mœstissimo spiritu, sola in te fiducia, Archangelorum Princeps, ejulatu et lacrymis adorantes in hoc sacro loco, ubi steterunt pedes tui beatissimi, supplices damus libellum per manus archiepiscopi tui, ut nos ab imminente flagello pestilitatis defendere digneris, protegere, eripere. Ita cernui tua saxa veneramur. Fiat, fiat. Amen, amen. *Omnia hæc sano et catholico censu, quo prolata sunt, prudens lector intelliget.*

cum magna fiducia.

287 *Redeo ad epistolam, cui libellus ille fuit insertus.* Adduci numquam potui, *inquit archiepiscopus,* ut crederem tot lacrymarum et suspiriorum causam, et, quod magni refert, tutius populi de sanctissimo Principe nostro conceptam spem fidemque certam, cælum ipsum non fore penetraturam, teste archidiacono meo Balthasare Jordano spectatæ probitatis viro J. U. D., cui F repetitis vicibus id idem asseveranter constanterque asserui. Paucis abhinc (*id est post prædicta de libello*) diebus currente dominica 16 post Pentecosten, de hydropico Euangelico sermonem de more ad populum habiturus, opportune hydropici languorem, veluti naturæ incurabilem, epidemiæ morbo comparandum fore existimavi, eoque orationis institutum dirigere, ut non secus ac de more, pestilentiæ a solo Deo, et sanctis mediatoribus esse medelam expectandam. *Hactenus archiepiscopus narravit publice gesta et omni populo nota.*

Archiepiscopus arcanis notis consulit pontificem.

288 *Pergens vero ad ea, quæ solus noverat, usus est notis arcanis et occultis, ut soli pontifici ista innotescerent. Hinc editor Epistola, occultas illas notas omittens, earum loca hanc annotationem posuit :* Hoc luco posita fuit cyfra. *Ut vero ejusmodi notis uti posset, ante petierat a pontifice, ut transmitteret exemplar notarum, quibus uteretur, et quas uterque intelligeret. Transmisit Alexander petitas notas per Julium Rospigliosum, tunc archiepiscopum Tarsensem, et postea summum pontificem Clementem IX, cujus hac de re epistola italice scripta recitatur a Cavalerio pag. 655. In eadem etiam*

A *etiam petit, ut archiepiscopus saxa quædam cryptæ* S. Michaelis *transmittat; epistolamque securitatis gratia dirigat Neapolim ad nuntium pontificium, qui eamdem destinaret ad pontificem. Data est hæc epistola Romæ die* 25 *Novembris anni* 1656, *ut verisimiliter epistola archiepiscopi, quam pro majori parte jam recitavimus, scripta fuerit eodem anno, mense Decembri: nam caret die et anno, quo data est. Quid vero per arcanas notas archiepiscopus scripserit, et quid per easdem notas responderit pontifex, nullus exposuit, etiamsi utriusque scriptum servari testetur Cavalerius pag.* 646.

verisimiliter de apparitione sibi facta

289 *Nequit tamen dubitari, quin scripserit de apparitione sibi facta, et conjicere possumus, sententiæ summi pontificis permisisse archiepiscopum, eamne publicare deberet, an silentio premere. Præterea verisimillimum est, voluisse pontificem, ut eam non faceret publicam ante mortem suam, sed fidis aliquot personis eamdem committeret, ut deinde posset per illas innotescere. Hoc voluisse Alexandrum VII credimus, quia constat, ita fecisse Puccinellum: neque enim verisimile est, eum a sententia pontificis, quem tam caute consuluerat,* B *vel minimum discessisse. Itaque hic locus postulat, ut exponamus* S. Michaelis *apparitionem, prout ea fuit post mortem ejus relata a personis, quibus secretum suum revelaverat.*

nam die Septembris ante mediam noctem, S. Michaelem ex lumine

290 *Cavalerius pag.* 652 *tempus apparitionis designat verbis italicis, quæ latina adnumero:* Circa quintam horam noctis, die Veneris 22 Septembris, *dum in cubiculo suo erat orationi intentus archiepiscopus, dormientibus omnibus domesticis. Dies* 22 *Septembris anno* 1656 *erat revera dies Veneris, et sequens dominica erat* 16 *post Pentecosten, qua archiepiscopus exhortationem ad populum habuit num.* 187 *memoratam. Quare apparitio potuit contingere ea nocte, quæ sequebatur diem, quo libellus supplex archangelo erat oblatus, ut insinuat Cavalerius, et clarius indicat Sarnellius, exponens facta sequentibus diebus sabbato et dominico. Quinta vero noctis hora circa æquinoctium parum tantum præcedit mediam noctem. Eo tempore audivit archiepiscopus insolitum murmur instar terræ motus, et ad partem Orientis vidit ingens lumen, quod scintillabat instar solis in chrystallo reflexi, sive conspexit circulum lucidum; et ex eo audivit vocem ad se loquentem. At verba* C *non plane eadem exprimuntur apud Cavalerium et Sarnellium, ut ipsæ voces non videantur accurate fuisse cognitæ, sive quod archiepiscopus tantum memoria retinuisset summam rei sibi mandatæ, sive quod ipsas voces numquam aliis dixisset.*

sibi loquentem audivit de saxis cryptæ contra pestem adhibendis.

291 *Veruntamen idem apud utrumque est sensus. Prior verba italica exprimit, ut latine sic reddi valeant:* Scito, o pastor hujus gregis, quod ego Michael archangelus impetraverim a sanctissima Trinitate, ut, quicumque cum devotione saxa meæ basilicæ adhibebit in domibus, civitatibus et locis, evadat liber a peste. Prædica, narra omnibus gratiam divinam. *Addit latine:* Ubi saxa devote disponuntur, ibi pestes de hominibus dispelluntur. *Quæ forsan italice reddidit. Apud Sarnellium italice hæc sunt verba:* Scito, quod sim Michael archangelus, qui semper assisto in conspectu Dei, a quo impetravi, ut, quicumque cum devotione adhibebit saxa basilicæ meæ in domibus, locis, et civitatibus, sit liber a peste. Prædica igitur, et narra omnibus gratiam divinam. *Subjungit deinde solus Cavalerius, forte ex conjectura, credi* Archangelum *subjunxisse hæc verba:* Tu autem narra virtutem, sed tene mysterium. Benedicens saxa, exsculpe in eis signaculum sanctæ crucis cum nomine meo. Prædica denique, placandum esse Deum ab ira ventura concussionis terræ. *Uterque demum testatur, archiepiscopum in altum erupisse clamorem, ut domestici clamantem audierint, turbatique surrexerint et accurrerint, ac prostratum in terram invenerint, crediderintque repentinum aliquod corporis malum eidem supervenisse.*

Ubi vero saxa ab omni populo petita fuerunt.

292 *Postero die, inquiunt, id est Sabbato,* 23 *Septembris, populo indicavit, non amplius timendum esse a pestilentia: ingressusque* S. Michaelis *basilicam, jussit colligi ex parietibus ipsis multa saxorum segmenta, quibus in medio insculpta est crux cum nomine* S. Michaelis *hoc modo:* S. + M. *Ea deinde singulari benedictionis forma consecravit, prout videri potest apud Cavalerium. Demum die sequenti dominico ad populum habuit sermonem, jam supra num.* 287 *memoratum. Quæ deinde facta sunt, archiepiscopus in laudata superius epistola ad Alexandrum VII ita narrat:* Mirum dictu est, quam celeri conatu de tota civitate populus lapides sacros exposceret, quæreret, flagitaret; et ad amicos quisque, ad proximos, ad cognatos, tantæ devotionis pignus transmitteret. Usque adeo invaluit sacrorum lapidum fides, et E enata in cordibus pestis evadendi securitas, ut brevi nedum tali munierit se præsidio diœcesis tota, sed ad vicinas terras ac civitates vox personuerit ac transierit.

diœcesis Sipontina metum pestis deposuit.

293 Tunc temporis archangeli Michaelis in nos mira diffundi cœpere, quando sanctis hisce lapidibus quisque ad fausta vaticinia impelli videbatur. Ut enim antea mortis objectu, Sipontina diœcesis squalore confecta, toto malorum omnium pondere incumbebat, non amplius postea emollitis fracta in lacrymis, sed pacatissima animo, Angelorum Principi fidens, horrendum, acsi non immineret, epidemiæ monstrum nec timuit nec expavit: eoque securitatis pervenit, ut mœnium etiam stationes derelinquere consilium capere cogitaverit; quod et fecisset, ni rationibus in contrarium prævalidis suadere conatus essem. Miracula inde secuta hic non attexam nec prosequar sermone, quippe suo loco et tempore sanctæ Sedi fideliter exponenda. Hæc Sanctitati tuæ, et Ecclesiæ Catholicæ Romanæ magistræ fidei, exposita esse volui, tamquam vermis et non homo (infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat F fortia) et iterum sanctissimis tuis provolutus pedibus deosculor, et te Christi Vicarium in terris colo, veneror, adoro. *Hactenus archiepiscopus Sipontinus ad summum pontificem. Laudatus archiepiscopus populo etiam prædixisse asseritur terræ motum, qui fuit in Apulia sequenti mense Octobri, die* 17, *sine multo damno diœcesis Sipontinæ. Ea vero prædictione plenam fidem apud populum obtinuit.*

Eadem saxa ab Alexandro VII Papa petita et obtenta.

294 *Quod vero breviter in epistola dicitur de lapidibus ecclesiæ* S. Michaelis *per civitates, extra diœcesim Sipontinam sitas, etiam petitis, multum augeri potest et pluribus confirmari. Nam in primis sacros illos lapides desideravit summus Pontifex Alexander VII per litteras jam laudatas Julii Rospigliosi, qui anno sequenti Cardinalis et post Alexandrum summus pontifex creatus est. In illa enim primo significat, multum gavisum fuisse Pontificem, intellecta liberatione populi Sipontini per* S. Michaelis *patrocinium. Secundo petit, ut archiepiscopus transmittat* aliquot lapides cryptæ, eo benedicendi modo, *quo scripserat,* consecratos. *Addit vero alia jam dicta. Ubi deinde petiti lapides Romam pervenerant, alia epistola, data die* 3 *Februarii anni* 1657, *Rospigliosus ad archiepiscopum*

AUCTORE J. B.

chiepiscopum scribit, eos continuo a se sanctissimo Domino oblatos, ab eo summa humanitate acceptos, iisque pontificem multum fuisse gavisum. De pluribus civitatibus agam inferius, ut prius exponam attinentia ad montem Garganum.

Archiepiscopus populo suo de sæva illa peste,

195 *Scripsit deinde archiepiscopus Puccinellus ad totam diœcesim suam litteras satis prolixas, datas anno* 1656, *die* 5 *Decembris, et typis impressas, quas Cavalerius in opere suo recudit a pag.* 605. *At sermone italico conscriptæ sunt, eoque stilo, ut difficulter gratiam suam latine valeant retinere. Cum tamen major sit auctoritas piissimi et doctissimi archiepiscopi, qui omnia aut vidit aut examinavit, quam aliorum, qui postea de illis scripserunt, conabor fideliter totam epistolam compendio huc transferre. Hoc solum prævie observo, pestem plane sævissimum fuisse, de qua agitur. Etenim Muratorius, qui non solet facta exaggerare, in Annalibus Italiæ ad annum* 1656 *scribit, aliquot civitates eo flagello fuisse desolatas, et rumorem fuisse, in sola urbe Neapolitana plusquam ducenta octoginta quinque millia personarum fuisse extincta; Romæ propter diligentiam magistratuum solum desiderata esse viginti et duo millia, in tota ditione ecclesiastica circiter centum* B *et sexaginta millia. Cavalerius et Sarnellius soli Neapoli attribuunt funerum quadringenta millia. At is numerus forte supra verum exaggeratus est, ideoque dedi dicta Muratorii. Epistolam cum titulis archiepiscopi subdo.*

de manifestis diœcesis periculis,

296 Joannes Alphonsus Puccinellus, nobilis Lucensis, archiepiscopus Sipontinus, *Epistolam suam inscribit omnibus diœcesis Sipontinæ subditis. Primo autem declarat, gravissima toti diœcesi impendisse ex peste pericula, seque de iis per litteras pastorales monuisse subditos, docuisseque iram Dei ob hominum peccata justissime fuisse accensam. Secundo docet, urgente tanto periculo, populos cum multis lacrymis recurrisse ad varia pœnitentiæ opera; cumque de patrocinio* S. Michaelis *maxime confiderent, in crypta Sancti* Archangeli *illa præcipue obivisse. Tertio insinuat, acceptam fuisse notitiam de saxis cryptæ* S. Michaelis, *silens tamen modum, quo illa fuit obtenta: testaturque, indicia favoris et protectionis tam clara fuisse et manifesta, ut patrocinium* S. Michaelis *omnes agnoscerent, ut religionis debitum esset illud aperte confiteri, ut negari non posset beneficium tam lucu-* C *lentum, nisi ab homine cæco, insano nimisque temerario. Ad probandum periculi, in quo fuerant, gravitatem observat, omnibus fere civitatibus, oppidis et pagis Sipontinæ diœcesis necessarium fuisse aliquod commercium cum locis peste infectis, ut possent subsistere; nec ulla humana diligentia caveri potuisse, quo minus homines aliquot peste infecti in diœcesim irreperent: multos etiam venisse e terris infectis, ut sacram* S. Michaelis *cryptam devote venerarentur, e longinquo tamen.*

de patrocinio S. Michaelis per usum saxorum,

297 *Quarto ait archiepiscopus, præcedentibus mensibus visum fuisse fecialem Dei irati, qui bellum quasi indiceret; se vero nunc venire nuntium pacis, præmissisque* Raphaelis *archangeli ad Tobiam verbis :* Sacramentum Regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est ; *ita suos alloquitur :* Omnis fugiendi justissimam Dei iracundiam fiducia nostra in S. Michaele archangelo posita fuit ; et in eo, quod domibus et personis vestris provisum esset de istis sanctæ cryptæ saxis, quæ cum divinitus essent ab ipso Archangelo S. Michaele consecrata in sua apparitione, justa erat ista fides vestra vivacissima, qua illa excepistis, et quæ nobis cognita effecit, ut eadem vobis aliquoties non sine lacrymis traderemus. Bene hinc advertebamus, D dilectissimi filii, principem cælestem nobis assistere, et ex variis conjecturis id intelligebamus. At nimium sublimis est modus, quo dignatus est facere, ut favorum suorum protectionisque suæ gressum etiam sensu perciperemus. *Forte hic aliquid obscure voluit insinuare de apparitione sibi facta. At mox ad alia pergit, nimirum ad evidentiam protectionis ex factis probandam.*

de quodam peste contacto et confestim sanato,

298 *Itaque quinto observat, non sic diœcesim Sipontinam a peste fuisse liberam, ut id ullis attribui possit causis naturalibus. Hunc in finem refert, Fredericum Spagnoletta, octodecim circiter annorum juvenem, et incolam Oppidi S. Angeli, cum egisset cum hominibus peste infectis civitatis Foggiæ, subito malo et capitis dolore fuisse correptum, quando erat in vindemia uno fere milliari a civitate; postridie mane etiam apparuisse sub brachio sinistro tumorem pestis indicem. Hunc ubi adverterat, ait archiepiscopus, recto tramite se contulit ad civitatem, et ad* S. Michaelis ecclesiam. Hanc ingressus, sensit dolorem recessisse, seque perfecte valere : et ante altare gloriosi principis S. Michaelis adfuit etiam sacrosancto Missæ sacrificio : sumensque saxum aliquod cryptæ, ubi E eo tempore colligebantur a quodam eremita, domum recessit. Tum ubi sacrum saxum posuit supra memoratum tumorem, carbunculus continuo sic disparuit, ut locus, ubi fuerat, amplius cognosci non posset : recuperataque integra sanitate, qua modo gaudet, vovit huic gloriosissimo Principi Angelorum tota vita ejusdem servire ecclesiæ.

de aliis quoque sanatis edocet per litteras

299 *Hæc juridice interrogatus Fredericus, teste archiepiscopo, ipse exposuit. Ad confirmationem addit, matrem et fratres Frederici eodem malo fuisse correptos, indicantibus id tumoribus et carbunculis, omnesque brevi tempore adhibitis cryptæ saxis, patrocinio* S. Michaelis *fuisse sanatos. Aliud rursum accedit beneficium. Nam dictæ personæ non modo malum suum ex verecundia celaverant, sed etiam indifferenter cum personis quibuslibet civitatis egerant : nec tamen contagium ullus præterea contraxit. Hæc omnia in juridico examine, coram se instituto, legitime fuisse comperta et probata, testatur archiepiscopus, qui et sacræ theologiæ erat doctor, et consultor fuerat Congregationis sacrorum Rituum, in qua examinanda sunt miracula. Hinc non dubitat edicere, optime sibi perspectum* F *esse rigorem, quo miracula expenduntur ; nec tamen ullum sibi fore dubium, si de illis factis sententiam rogaretur,* quin affirmaret, verum, certum et indubitatum esse miraculum. *Demum omnes invitat subditos ad sacram* S. Michaelis *cryptam ad cantandum hymnum,* Te Deum laudamus *in gratiarum actionem de obtento eatenus* S. Michaelis *contra pestem præsidio; hortaturque omnes ad perseverandum in operibus pœnitentiæ, ne flagello in aliis provinciis necdum cessante tandem corripiantur.*

Beneficia S. Michaelis extra diœcesim

300 *Cavalerius prædictis adjungit alia, quæ verisimiliter post datas archiepiscopi litteras contigerunt.* Pricina *vel* Apricœna, *vulgo* Porcina, *oppidum est ad radices montis Gargani situm, sed extra diœcesim Sipontinam, et in vicina diœcesi Nuceriensi. Hoc oppidum pestilentia invasit eo tempore, quo jam constabat, montis Gargani incolas contra pestem defendi patrocinio* S. Michaelis. *Hac autem occasione dicebatur illud oppidum non esse montis Gargani. Quapropter incolæ recurrerunt ad archiepiscopum Sipontinum, ut declararet montis esse incolas. Res juridice agitata est, et archiepiscopus sententiam pronuntiavit in favorem oppidi, et contra pestem,* exsecutore constituto S. Michaele,

AUCTORE J. S.

A chacle, *inquit. Sic pestis continuo recessit, ne uno quidem die ibidem persistens, ut affirmat Cavalerius.*

in variis provinciis præstita.

501 *Deinde pergit Cavalerius ad beneficia aliis quoque civitatibus et provinciis regni Neapolitani præstita; sed summatim et brevissime ea solum perstringit.* Tabularium, *inquit,* sacræ hujus basilicæ non minus refertum est libellis supplicibus archiepiscopo oblatis nomine Aprutii, Calabriæ, Campaniæ, Barii, Baruli, Nuceriæ, Bitunti, Andriæ, et centum aliarum civitatum et oppidorum, ad obtinenda illa (*sacræ cryptæ saxa;*) quam plenum relationibus mirabilium, quæ in multis locis (ubi videlicet non defuit fides et spes) operata sunt; ubique instar sacrarum reliquiarum in pretio habita.... Inter alias civitates Gravina et Altus Murus, utpote quæ patronum primarium semper habuerunt S. Michaelem, sacris istis saxis munitæ, ita potuerunt se tueri, ut nullum conspexerint peste correptum. Deinde speciatim omnia illa loca, quæ Angeli aut Archangeli gaudebant titulo, servata fuerunt immunia. Relucent etiam hodie in hoc sanctuario effectus gratæ memoriæ multarum universitatum, quæ ex voto tributum B pendent sancto principi tunc benefico, *videlicet quod nutriant lampades in crypta ardentes, ut explicat pluribus verbis.*

Pestis non modo vicina fuit diœcesi, sed in ipso etiam monte Gargano.

502 *Ad probandam evidentiam periculi, in quo fuit diœcesis Sipontina, addi possunt ex Cavalerio et Sarnellio observationes sequentes. In vicinia montis Gargani et diœcesis Sipontinæ est Foggia oppidum, cujus commercium Garganicis necessarium fuisse testatur archiepiscopus in laudata Epistola, referens etiam Fredericum Spagnoletta illo commercio fuisse infectum. Cavalerius vero affirmat, Foggiam illa peste quasi desolatam fuisse, multumque revera passam testatur etiam Sarnellius. Penetrasse etiam pestem in ipsum montem Garganum, priusquam archiepiscopus cum populo suo* S. Michaelis *præsidium tanto studio flagitaverat, uterque agnoscit; Oppidumque S. Joannis Rotundi ea correptum fuisse.* Octodecim *personas ibidem quamprimum obiisse, ait Sarnellius, non adjungens, quamdiu malum duraverit. At ex litteris archiepiscopi non videtur durasse post saxorum segmenta eo delata. De illo oppido Leander Albertus pag.* 380 *ita loquitur :* Medio deinde montis (*Gargani*), ubi planities amœna prataque lætissima, C Castellum est D. Joannis Rotundi, quo finitimæ gentes 3 Idus Junii, die D. Honofrio festo, quotannis conveniunt : et messis annonæque conditione, vel ubertate vel angustia perpensa, communi omnium voluntate assensuque certum frumento pretium ejus anni decernunt, quod excedere nemini liceat. *Ex his prudens lector facile intelliget, manifestissimum totius diœcesis Sipontinæ et montis Gargani periculum.*

§ XXII. Festivitas S. Michaelis diu ante apparitionem celebrata : ecclesiæ aliquot vetustiores Romæ, et in aliis civitatibus Italiæ.

S. Michaelis, qui et Romæ apparuisse dicitur

Quæ *ex Martyrologis et vetustis Sacramentorum codicibus de cultu* S. Michaelis *omniumque Sanctorum* Angelorum *breviter deduximus, manifeste evincunt, et ecclesias* S. Michaeli *dicatas fuisse, et festivitatem ejus sanctorumque* Angelorum *celebratam ante famosam* S. Michaelis *in monte Gargano apparitionem, de qua egimus. Baronius idem affirmat in Annotatis ad Martyrologium die 8 Maji, et adducit ad rem probandam carmina vetusti poetæ.* Porro, *inquit :* longe ante dictas apparitiones agi consuevisse Romæ solemnitatem S. Michaelis archangeli, alterius cujusdam apparitionis occasione, Drepanius Florus, vetustissimus poeta Christianorum, scribit his versibus :

Clarent Angelici sublimia festa diei,
  Allatura piæ dona beata animæ.
Hunc etenim Michael, aulæ cælestis alumnus,
  Conspicuo nobis consecrat ore diem,
Dignatus Petri Paulique invisere sedem,
  Imperiumque fovens, inclyta Roma tuum.
Qui proceres intra pia mœnia luce coruscos
  Egregiu vultu splenduit, ore * novo : * *al.* orbe
Cum Deus expulsis lucem depromeret umbris,
  Conderet et stabilem, nocte ruente, diem.

Indicant certe hæc verba apparitionem aliquam Romæ factam.

E

a poeta noni sæculi.

504 *Hujus solum causa recitavi carmina. Neque enim Baronio consentire valeo de ætate illius poetæ. Credidit Baronius, Drepanium poetam, qui memoratur a Sidonio lib.* 8, *epist.* 11, *eumdem esse cum Drepanio Floro, cujus quædam Poemata jam edita fuerunt Basileæ per Georgium Fabricium ex officina Joannis Oporini anno* 1564, *in Poetarum vetustorum ecclesiasticorum thesauro. At stilus horum carminum non sapit tantam antiquitatem, acceduntque argumenta alia certiora, quæ eruditis nullum reliquerunt dubium, quin Drepanius Florus ad 9 potius sæculum spectet, quam ad tempora Sidonio vetustiora. Non alio opus est argumento, quam quod scripserit ad Modoinum Augustodunensem episcopum, qui sæculo 9 sub Ludovico Pio floruit. Quapropter non valet hoc carmen, nisi ad probandam aliquam apparitionem romanam, sed hanc Garganica posteriorem esse, inferius videbimus. Nam eam verisimiliter poeta insinuavit, quæ supra molem Adriani oblata dicitur S. Gregorio Magno.*

ecclesiæ in Italia exstiterunt ante apparitionem

505 *Veruntamen exstitisse ædes* S. Michaelis *sacras ante celebrem in monte Gargano apparitionem, omnino evincit Codex Sacramentorum S. Leonis, laudatus num.* 4 *et* 5. *Nam bis ibi memorantur loca Deo sacrata* in honorem beati archangeli Michael. *Hæc autem verba non videntur* F *explicanda de unica ecclesia, quam extra Urbem via Salaria fuisse diximus, sed etiam de pluribus aliis, quas verisimile est ante S. Leonis tempora non minus in Occidente, et maxime in Italia fuisse, quam fuisse in Orientali imperio vidimus. Officium tamen illud erat pro basilica* Angeli, *sive* S. Michaelis *in via Salaria, cum titulus sic habeat :* N. Basilicæ Angeli in Salaria. *At vox loca, pluraliter posita, indicat, alias ejusmodi fuisse ecclesias, etiamsi illas assignare in Italia nequeam ante medium sæculi* 5, *quo S. Leo floruit. De ecclesia viæ Salariæ aut alia admodum vetusta Romæ, aut in ejus vicinia, locutus fuerit Anastasius Bibliothecarius in S. Symmacho papa, dum scripsit:* Item ad archangelum Michaelem basilicam ampliavit, et gradus fecit, et introduxit aquam. *Hæc Symmachus, qui sedit ab anno* 498 *usque ad* 514, *fecit ante apparitionem* S. Michaelis *in monte Gargano, nec ad ecclesiam Garganicam ea veniunt referenda.*

506 *Ex allegatis liquet, initium festivitatis* S Michaelis

Auctores . s. in monte Gargano: ejusque festivitas diu ante celebrata.

Michaelis et Angelorum, *certo diei affixæ, vetustius esse, quam sit apparitio in monte Gargano, nec ex apparitione ortam festivitatem, ut scriptor neotericus leviter asseruit, et alii fortasse non pauci crediderunt. Facile quidem credam, apparitionem contulisse ad augmentum cultus, sed minime opus erat apparitione, ut ecclesia catholica* S. Michaelem, *sua excellentia et protectione hominum in Scripturis notissimum, festivitate aliqua honorandum perspiceret. Omnes orationes, quæ in codice S. Leonis præscribuntur, id insinuant, cum nullibi fiat mentio de apparitione, sed aliæ allegentur festivitatis causæ. Prima hæc est* : Omnipotens, sempiterno Deus, apud quem cum totius rationabilis pia merita creaturæ semper accepta sint, certum est illius magis esse præcipua, quæ reliquam spiritalem superat dignitatem, grata tibi sit, quæsumus, nostra festivitas, pro veneratione ejus oblata, qui tuæ Majestatis arcanis, naturali per tuam gratiam decore servato, devotis semper excubiis est propinquus. Per *etc. Hic* S. Michaelis *sanctitas, excellentia, et merita commemorantur. Similia deinde in aliis pluribus leguntur* B *orationibus.*

non apparitionis, sed excellentiæ et patrocinii gratia.

307 *In secunda oratione, quæ etiamnum usitata est, commemoratur patrocinium sive intercessio* S. Michaelis *pro nobis apud Deum. Sic enim habet* : Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, ut easdem, Angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus accipias et ad salutem nostram provenire concedas. Per *etc. Idem probat hæc oratio ibidem sequens* : Munus populi tui, Domine, quæsumus, dignanter adsume; quod non nostris meritis, sed sancti archangeli tui Michael deprecatione sit gratum. Per *etc. Sequuntur plures aliæ orationes, in quibus* Angelorum *intercessione sit mentio. Missis aliis, paucas huc transfero* : Deus, qui in auxilium generis humani celestia simul et terrena dispensas, in inferiore mundi parte laborantes supernorum nos, quæsumus, præsidiis refove propitius Ministrorum. Per *etc.* Vere dignum. Qui non solum nos Sanctorum tuorum confessionibus benignissime consolaris, sed etiam ad cælestium familiaritatem provehis Potestatum : non tantum martyrum intercessione sustollis, sed ipsorum quoque patrociniis erigis Angelorum, Per *etc.* Sanctorum, Domine, sancta deferimus; quæ cum in omnium C justorum tibi commemoratione sint placita, multo magis in Angelicæ veneratione substantiæ grata tuis conspectibus esse confidimus. Per *etc. Reliqua apud Blanchinium videri possunt. Nam allegata abunde ostendunt, quæ fuerint causæ instituendi festivitatis* S. Michaelis et Angelorum. *Evincunt etiam,* S. Michaelis et Angelorum *festivitatem in Italia saltem celebratam fuisse tempore S. Leonis, id est, circa medium sæculi 5. At verisimile est, etiam multa esse vetustiorem.*

Ecclesiam quæ in Martyrologiis Romæ constructa dicitur.

308 *Transeo nunc ad ecclesiam, de qua Ado meminit his verbis* : Sed non multo post Romæ venerabilis etiam Bonifacius pontifex ecclesiam sancti Michaelis nomine constructam dedicavit, in summitate circi criptatim miro opere altissime porrectam. Unde et idem locus in summitate sua continens ecclesiam, Inter nubes situs vocatur. *Auctor Martyrologii Romani parvi, ex quo ea accepisse videtur Ada, cum ipsum passim sequatur, ita solum habet* : Et Romæ, dedicatio ecclesiæ ejusdem Archangeli, a beato Bonifacio Papa constructæ in circo, qui locus INTER NUBES dicitur. *Ita uterque scribit, ut, quando scripserunt, illa ecclesia videatur exstitisse, cunctisque fuisse notissima. Vel sic tamen dubia oriuntur de loco et* D *tempore, quibus constructa fuit. Nam locus solum exprimitur vocibus* in circo, *aut* in summitate circi, *ut habet etiam Martyrologium Autissiodorense num.* 3 *citatum, quæ variis modis possunt intelligi, cum plures fuerint circi. Sic* Bonifacius pontifex, *qui ecclesiam construxit, de tempore nos nequit certos reddere, quandoquidem longo tempore ante laudatos martyrologos quinque floruerunt pontifices, quibus nomen fuit* Bonifacius. *Quod addit Ada* non multo post *apparitionem* S. Michaelis *in monte Gargano, ecclesiam illam fuisse constructam, plusculum valeret ad tempus inveniendum, si alter, qui vetustior est, idem haberet, aut constaret, ex vetusto monumento acceptum ab Adone.*

309 *Eminentissimus Baronius in Annotatis ad* 29 *Septembris conjecturam suam de loco ecclesiæ multis verbis proposuit, sed eam omnibus non probavit. Verba censeo afferenda et examinanda, cum opinio ejus saltem aliquibus et nuperrimo etiam scriptori placuerit. Refutata alia opinione, inferius a nobis examinanda, suam sic proponit* : At, cum nec alius sit locus Romæ Michaelis archangeli memoria celebris, cui prædicta (*Adonis verba*) conveniant; in eam adducor non invitus E sententiam, ut opiner, dictam memoriam Michaelis, cujus Ado meminit, fuisse olim sitam in summitate molis Hadriani; super ingens saxum, velut eminentem scopulum, positam, ac revera, ut ait, cryptam miro opere altissime porrectam; ut merito locus ille dictus fuerit *inter nubes* : qui quidem et alio nomine a majoribus appellatus invenitur, nimirum *mons sancti Angeli.* Ita etenim vocatum habes apud Petrum Damianum in Gestis S. Romualdi. Eo autem nomine ab ecclesia, in ejus summitate erecta, esse dictum, est evidens conjectura. Quæ etiam redduntur clariora ex his, quæ scribit Rodulphus Glaber, quem citat Papirius Massonius in vita Gregorii quinti. Agens enim de Othone tertio, hæc de eo ait : Quod cum cognovisset Crescentius, illum scilicet Urbi propinquare, conscendens cum suis turrim, quæ sita est extra civitatem trans Tiberim (ob altitudinem sui *inter cælos* vocant) vallavit eam defensurus pro vita, etc.

in summitate molis Adriani fuisse,

310 Cum autem constet, Crescentii turrim non aliam fuisse, quam Hadriani molem, turri redditam sublimiorem, eumdemque locum dictum esse munitionem sancti Michaelis archangeli; jam satis perspicuum redditur, eumdem locum dictum esse *inter nubes* ab Adone, qui a Rodulpho dicitur *inter cælos.* Quod autem dicat Ado, in summitate circi illam ecclesiam esse positam; puto, pro *circi, circuli* esse legendum : moles enim illa in orbem ducta, circuli figuram habuit, ut antiqua numismata, quæ eam habent descriptam, declarant. Vel si de circo mavis intelligere; erat illi loco proximus circus Dometiæ. *Hactenus Baronius. At ejus opinioni se opposuit Alexander Donatus, Societatis nostræ scriptor eruditus, in Opere de Roma vetere ac recente lib.* 1, *cap.* 10, *et adjunxit se Martinellus cum aliis. Mihi quoque illa opinio ob varias rationes non probatur. Nam primo invenitur facile locus, cui omnia Adonis dicta magis congruant; si vero quis existimaret, illa nulli satis convenire, mallem credere, ecclesiam a multis sæculis fuisse destructam. Certe numquam credam pro* circi *legendum esse* circuli; *cum non modo apud Adonem et in Romano parvo, sed etiam in Martyrologio Autissiodorensi legatur* circi, *ut num.* 3 *videri potest; nuspiam*

credidit Baronius : at nil solidis rationibus F

A *nuspiam vero* circuli; *primaque lectio optimum exhibeat sensum, non item secunda. Quis enim credat, molem Adriani a scriptoribus designatam nomine* circuli, *cum apud antiquos suo nomine esset notissima?*

nequit probari, et melioribus

311 *Non satis facit etiam altera Baronii responsio de circo Domitiæ, quæ fuit Neronis amita. Moles Adriani fuit in hortis Domitiæ prope Tiberim et in altera hortorum parte circus esse potuit. Donatus circum illum admittit, sed ait disjunctum fuisse a mole Adriani, et pluribus de eodem disserit lib. 3 cap. 23. At Dominicus Georgius in Annotatis ad Adonem hoc die negat, in hortis Domitiæ circum exstitisse, affertque silentium omnium vetustorum. Controversiam illam brevitatis gratia non examinabo. At solum observabo, verba Adonis et aliorum ita explicari non posse. Si enim ecclesiam in suprema parte molis Adriani conditam credamus, quomodo Ado dicere potuit,* in summitate circi, *quomodo alter dixit* in circo? *Certe Adriani moles non erat circus, sed ædificium magnificum et mausolæum imperatoris, quod a sæculis erat notissimum, et tum conversum in arcem munitam. Quis de ecclesia in vertice istiusmodi monumenti condita unquam dixerit,* in circo B *aut* in summitate circi *conditam esse, etiamsi circus aliquis maxime ibi esset propinquus, quod nullus unquam dixit scriptor antiquus?*

refutatur, uti et alia opinio.

312 *Quod vero affert Baronius,* inter cælos *dictum fuisse locum ob altitudinem, habet revera Glaber, lib. 1, cap. 4. Verum aliud cognomen est* inter-cælos, *aliud* inter-nubes; *et, si Romani molem Adriani, tunc turrim Crescentii dictam, cognominarunt* inter-cælos; *facile unusquisque videbit, aliud ædificium excelsum ab iisdem* inter-nubes *dici potuisse, ut dictam* S. Michaelis *ecclesiam testatur Ado. Itaque non quidem negavero, fuisse ædiculam* S. Michaeli *sacram in vertice molis Adriani, sed dicimus, Adonem agere de alia ecclesia in usum populi a Bonifacio papa constructa. Aliam opinionem cum Baronio refutat laudatus Donatus lib. 1, cap. 10, ita memoratam ab Adone ecclesiam investigare incipiens:* De hac re triplex opinio est. Prima eorum, qui circum fuisse Neronianum, eique appositam volunt ædem S. Michaelis in Vaticano. Quos confutat Baronius; tum quia ædes illa celsitatem non habet, quam eidem tribuunt auctores: tum quia ejus conditorem, C Leonem IV Pontificem ex antiquo lapide recognoscit. *Hisce de ecclesia S. Michaelis, in Janiculo prope Vaticanum posita, ut loquitur Baronius, pro omnino assentior. Plura de illa dicemus inferius num.* 322.

At probabilius est, conditam fuisse

313 *Tertia opinio est Donati, qui eam sic exponit:* Tertia opinio nostra est. Putamus autem, in summo circo Flaminio templum S. Michaelis a Bonifacio fuisse dicatum: quod nunc, in Foro piscario dictum, in Urbe vetustissimum est. Positus enim templi veteri locorum memoriæ, et summo circo Flaminio ad amussim respondet. Adonis autem verba in summitate circi juxta Breviarii narrationem intelligi possunt, (*ubi legitur* in summo circo.) Summus enim circus est caput circi, cujus adversa pars ima erat, ubi circi carceres, unde emittebantur equi: in summa vero metæ, ad quas cursum flectebant. Ovidius de capite circi Flaminii opposito carceribus loquens, ait:

Prospicit a tergo summum brevis area circum.

Ædes ergo S. Michaelis dedicata in summo circo, est ædes sita in extrema circi parte, quæ in semicirculum desinens circumflectendis curribus apta erat. Quo loco nunc templum S. Michaelis spectatur.

AUCTORE J. S.

in capite circi Flaminii,

314 Quod si Ado summitatem pro excelsitate videtur usurpare, idque significant ea verba, « ecclesiam constructam in summitate circi, cryptatim miro opere altissime porrectam: » et clarius sequentia: « Unde et idem locus, in summitate sua continens ecclesiam, *inter nubes* situs vocatur »: atque utrumque intelligit, caput circi et in eo loci altitudinem, hanc quoque nostro olim templo non defuisse probabiliter dicimus. Nam cum olim multa essent in circo Flaminio, partim extructa, partim adjuncta deorum templa, Neptuni, Herculis, Vulcani, Martis, Castoris, Junonis, Dianæ, ut suo loco dicam, aliquod ex his eminens e sedilium gradibus, imminensque eorum cryptis et fornicibus, aut inter circi porticus fuisse verisimile est, sicut in theatris supra scenam dedicabantur templa. Illud ergo instauratum refectumque expiavit dicavitque idem Pontifex, qui Pantheon in honorem beatissimæ Virginis sanctorumque martyrum dedicavit. Dictum porro est *inter nubes*, quoniam a terra sublatum supra circi gradus erat. Postea vero, collapso penitus circo ac veterum molibus, ro- E dactum est in eam, quam videmus formam, ot humiliorem situm *etc. Assentitur Martinellus pag.* 60, *laudatque pro eadem sententia Jacobum Grimaldum in opere ms.*

ubique supra cryptas multum elevatas ecclesiam conditam.

315 *Hæc sententia Donati de loco, in quo condita est* S. Michaelis *ecclesia, ceteris certe probabilior est, assertaque etiam ab auctore recentissimo, qui Romam antiquam et novam italice tribus tomis anno* 1750 *edidit. Minus tamen placet secunda expositio, qua super templum falsi dei ecclesia* S. Michaelis *constructa crederetur. Hinc ipse Donatus expositionem illam, ut minus probabilem, paulo post, per aliam quasi corrigit, ita scribens:* Animadverti verba Adonis planius explicari posse. Est ergo illi summitas circi pro summo circo. Ibi dedicata est ecclesia, « cryptatim miro opere » altissime porrecta »; id est, fornicato opere altissimoque sublata. « Ideoque locus in summi- » tate sua continens ecclesiam, *inter nubes* situs » vocatur. » Ideoque locus in summo circo, ubi templum est, propter fabricam altissime fornicatam, *inter nubes* appellatur. Quo innuitur, illum fornicem tholi, qui hodie in hemisphærium ubique attollitur, et maximo erigitur, similem F fuisse. Nec inconsulte *cryptatim* quasi *fornicatim* exposui. Nam quamvis crypta testudinem subterraneam significet, aliquando tamen propter curvitatem ad quemcumque fornicem videtur posse transferri *etc. Mihi Ado nihil aliud velle videtur, nisi ecclesiam fuisse constructam in summo circo, sive in capite circi; imam vero ecclesiæ partem constitisse cryptis solito altius elevatis et concameratis, et supra cryptas in altum elevatam constitisse ecclesiam ipsam, quæ propter insignem altitudinem dicta fuerit* inter nubes.

Probabilius exstructa est

316 *Nunc aliqua etiam dicenda sunt de tempore, quo ecclesia illa videtur condita. Baronius, prætermisso Bonifacio I, qui ecclesiam administravit anno 418 et sequentibus, id est, integro sæculo ante apparitionem S. Michaelis in monte Gargano, etiam Bonifacio II, qui anno 530 pontificatum adeptus est, constructionem illius ecclesiæ abjudicat, subjungens:* Ex his itaque Bonifacio papæ III, vel, qui ei proxime successit, Bonifacio quarto, ejus ecclesiæ excitatio potius tribuenda esse videtur. Hi autem, cum post Sabinianum successerint Gregorio Papæ, recenti miraculo de Angelo,

AUCTORE I. S.

Angelo, qui (ut habet antiqua traditio) supra prædictam molem visus est, in signum luis cessantis, gladium exertum in vaginam recondere; in tantæ rei gestæ memoriam, alterum illnrum illic erexisse prædictam ecclesiam, par est credere. *Adduxi verba Baronii propter ædiculam in Castro S. Angeli mox memorandam. Donatus verbis num. 314 allatis Bonifacio IV*, qui Panthenn... dedicavit, *hujus quoque ecclesiæ dedicationem tribuit.*

a Bonifacio II circa annum

317 *Verum ratio a Baronio allegata oritur a loco, in quo ecclesiam credidit constructam. Nam probat, sæculo 6, quo moles Adriani erat Urbis munimentum, necdum ullam ibidem fuisse* S. Michaelis *memoriam. At ea ratio non pugnat contra ecclesiam alio loco dicatam. Quapropter, si verbis Adonis, qui asserit, ecclesiam illam structam* non multo post *apparitionem* S. Michaelis *in monte Gargano, presse inhærere velimus, dicendum erit, Bonifacium II probabilius illius ecclesiæ fuisse fundatorem, eamdemque videri conditam circa annum* 530, *non ob miraculum* Angeli *conspecti supra molem Adriani, sed occasione apparitionis* S. Michaelis *in monte Gargano, ut Ado insinuat.* B *Non est dubitandum, quin famosa illa apparitio, sicut vetustis Martyrologiis continuo inserta est, etiam Romam velociter sit perlata. Hinc verisimile non fit, constructionem ecclesiæ, quæ illius causa dicitur condita, tota fere sæculo fuisse dilatam. Imo nec satis credibile est, dilatam fuisse constructionem ab anno 493, quo a plerisque apparitio figitur, usque ad annum 530, quo sedit Bonifacius II. At cum nostra chronotaxi, qua apparitio ponitur inter annos 520 et 530, constructio illius ecclesiæ per Bonifacium II optime cohæret. Pancirolus de illa ecclesia ejusque instaurationibus agit pag.* 750.

S. Gregorius supra molem Adriani Angelum vidisse fertur :

318 *Baronius in Annalibus ad annum* 590 *num.* 15, *agens de peste tunc Romæ vehementer sæviente, et de litaniis ea de causa a S. Gregorio Papa institutis, addit sequentia :* Tunc vero et mirandum illud accidisse tradunt, ut, cum pervenisset procedendo Gregorius ad molem Hadriani, Tiberi adjacentem, in signum reconciliati Numinis, visus fuerit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse, quemadmodum (ut superius ex eodem Gregorio *lib. 4 Dialogo-* C *rum cap.* 368, dictum est) per sagittas visas cælitus lapsas idem fuerat divinitus præmonstratus. *Quod de sagittis dicitur, habet revera loco assignato Gregorius. De* Angelo *gladium recondere viso nihil apud Gregorium aut scriptores vetustos invenire potui. Eam tamen traditionem passim neoterici cum Baronio asserunt, multique cum eodem volunt, ea de causa ædiculam* S. Michaeli *sacram in summitate molis Adriani fuisse ædificatam. Jam laudatus Romæ antiquæ et novæ auctor tom. I, pag.* 18 *se opponit, aitque, ædiculam illam ædificatam propter apparitionem* S. Michaelis *in monte Gargano, dictamque* inter nubes, *dedicationemque vult factam tempore S. Gelasii. Verum nuperus hic scriptor cum omnibus aliis et secum pugnat. Nam pag.* 300 *ecclesiam* S. Michaelis *aut* sancti Angeli, *quæ in circo ædificata est a Bonifacio II, ponit in Foro piscario. At ecclesia in circo ædificata a Bonifacio est illa ipsa, quæ* inter nubes *dicta est, et ob apparitionem Garganicam constructa. Hæc paucis insinuasse sufficiat.*

319 *Quæcumque porro sit causa constructæ ædiculæ, talem in summitate molis Adriani (nunc* Castrum Sancti Angeli *dicitur) constructam fuisse,* D *testis est Liutprandus, qui lib.* 3, *cap.* 12 *hæc scribit:* In ingressu Romanæ urbis quædam est miri operis miræque fortitudinis constituta munitio : ante cujus januam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui primum Romam ingredientibus atque egredientibus est, nec est alia, nisi per eum transeundi via. Hnc tamen nisi consensu munitionem custodientium fieri non potest. Munitio autem ipsa, ut cetera desinam, tantæ altitudinis est, ut ecclesia, quæ in ejus vertice videtur in honore summi et cælestis militiæ principis, archangeli Michaelis, fabricata, dicatur ecclesia sancti Angeli *usque ad cælos. Hæc omnino evincunt, ecclesiam ibi fuisse* S. Michaeli *dicatam. Fuerit hæc verisimiliter constructa ad usum militum præsidiariorum, aliorumque omnium qui in castro degebant. Cognomen* usque ad cælos *vel, ut Glaber habet,* inter cælos, *magis differt a nomine ecclesiæ* inter nubes *dictæ, quæ procul dubio patebat omni populo, quam ut illorum causa nominum altera cum altera sit confundenda.*

ecclesia deinde in summitate molis posita,

pro illa deinde alia in Burgo constructa.

320 *Baronius in Annotatis ad Martyrologium de alia rursum* S. Michaelis *ecclesia hæc subjungit:* Sed cum ad eumdem locum (*in castro*) aucta munitione, non pateret omnibus aditus ; alia rur- E sum ecclesia prope dictam munitionem in honorem sancti Michaelis archangeli ædificata est : quam vetustate collabentem nostris diebus instauratam vidimus. *Breviter de hac ecclesia meminit Martinellus pag.* 59 *his verbis:* Sancti Angeli in Burgo apud Arcem Hadriani, Societatis laicorum. *Pancirolus in Thesauris absconditis Urbis de eadem ecclesia scribit pag.* 503, *observatque non fuisse ab initio conditam in loco, ubi nunc est, sed sub castra fuisse, dicatamque* Angelo, *qui apparuit S. Gregorio Magno. Rectius in suprema arcis parte* S. Michaeli *dicatum dixisset cum Liutprando. Nuperrimus tamen auctor tom. I, pag.* 18 *affirmat, non illam ecclesiam, quæ in suprema parte arcis erat posita, ob visionem Gregorii conditam esse et deinde translatam ; sed aliam, quæ inferius erat ædificata. Verum si* Angelum *revera vidit Gregorius supra molem Adriani, eaque de causa aut ipse aut aliquis ex ejus successoribus ecclesiam construxit, fuerit haud dubie jam dicta in suprema arcis parte, de cujus antiquitate constat, et cujus loco aliam inferius prope arcem sive in burgo conditam ait Baronius. Hæc si rursum deinde translata est, gemina fuit illius translatio.* F

Aliæ in urbe ecclesiæ Angelis dicatæ.

321 *Exstant plures aliæ* S. Michaelis *ecclesiæ in urbe, sive titulo* sancti Angeli, *quo plerumque* S. Michael *designatur. At, cum infinitum esset omnes* S. Michaelis *recensere ecclesias, illas breviter solum attingam. Martinellus pag.* 542 *alia loca commemorat olim* S. Angelo *dicata. Idem pag.* 59 *assignat ecclesiam* S. Angeli custodis, in regione Trivii, archiconfraternitatis laicorum. *Item aliam ad* Fornaces *dictam, quæ est parœcialis extra portam* Fabricæ *nominatam. De hac plura dabit nuperus Romæ scriptor tom. I, pag.* 114, *ubi ait, ædificatam anno* 1552. *Demum, si quis plures desiderat ecclesias, quæ titulo* S. Angeli, S. Archangeli *aut* S. Michaelis, *olim Romæ exstiterunt aut etiamnum exsistunt, consulere poterit jam frequenter laudatum Floravantem Martinellum, varias breviter commemorantem.*

Ecclesia S. Michaelis, quam in Janiculo vocat Baronius, alias dicta in Saxia.

322 *De una tamen, quam geminare videtur Martinellus, pauca breviter inquiram. Designat ille pag.* 259 templum S. Michaelis in Saxia, *quod ait* in burgo *situm, et a Saxonum vico sic dictum. Deinde agit de scalis, quas ibi populus flexis genibus ascendit, et subdit de templo :* Est basilicæ

Auctore J. S.

A siliceæ Principis Apostolorum. Fuit olim nationis Frisonum, ut testatur lapis antiquus. *Omnia hæc recte, quantum existimo. Non dubito, quin de eadem ecclesia loquatur Baronius in annotatis ad Martyrologium die 8 Maji et 29 septembris. Hoc loco vocat basilicam* S. Michaelis in Janiculo prope Vaticanum *positam. Ad 8 Maji de eadem observat :* Itemque illam esse celebrem, quam Leo IV papa ob Sarracenos devictos atque fugatos apud Vaticanum erexit, ut docet vetus inscriptio in marmore incisa, quæ in eadem ecclesia hactenus asservatur, licet scriptoris vitio Carolus pro Ludovico ponatur. *De vitiis inscriptionis mox dicam. Interim certum est, Baronium agere de ecclesia* S. Michaelis *in Saxia, etiamsi dicat* in Janiculo, *forte quia montes Vaticanos latiore loquendi modo sub Janiculo comprehendit : nam inscriptio, quam laudat, est ecclesiæ in Saxia. Quapropter Martinellus, qui pag. 342 aliam vult assignare ecclesiam* S. Angeli in Janiculo in monte aureo, *aut ex una duas facit, aut certe ecclesiam memorat diu destructam, de qua non superest alia memoria, quam quod anno* 1500 *lapis* de ruinis

B S. Angeli in Janiculo erutus *dicatur.*

ab aliis ad tempus Leonis IV, ab aliis Leonis III aut Caroli Magni refertur :

323 *Quod modo spectat ad ecclesiam* S. Michaelis *in Saxia, Baronius ædificatam vult a Leone IV, quia dicta inscriptio exhibet Leonem IV, et addit, eo tempore constructam* S. Michaelis *ædem, quo a Saracenis capta fuerat* Petrea basilica, *id est, Vaticana. Spoliata autem fuit basilica Vaticana per Saracenos anno* 846, *ut narrat Muratorius in annalibus Italiæ ad illum annum. Leo IV pontificatum adeptus est sequenti anno* 847, *eumque gessit usque ad* 855. *Hæc recte congruunt, et sic ecclesia* S. Michaelis *constructa esset circa medium sæculi* 9, *et eodem fere tempore, quo condita est a Leone IV civitas Leonina, in qua consistit. At eadem inscriptio nominat Carolum Magnum imperatorem, tribus vicibus Caroli nomen repetens, eumque cum Leone facit ecclesiæ illius fundatorem. Hinc Panciroluss, aliique, et nominatim Franciscus Maria Torriggius, qui Opusculum Italicum de Origine illius ecclesiæ anno* 1629 *typis edidit, ad tempus Caroli Magni constructionem retulerunt.*

verum inscriptio, quæ profertur, vitiosa est.

324 *Recitat ille totam inscriptionem cap.* 13, *eamque explicare et defendere nititur cap.* 14 *et*

C *seqq. Duo præ ceteris tentat, primum Leonem III, qui cum Carolo Magno floruit, in inscriptione designari, et* quartum *non modo in illa inscriptione, sed etiam ab aliis quibusdam vocari. Multos laudat scriptores, a quibus Leonem III ait* quartum *nominatum : sed neminem sæculo* 12 *vetustiorem. Deinde probat, Saracenos etiam tempore Caroli Magni clades intulisse christianis : sed minime ostendit, basilicam Vaticanam tempore Caroli Magni ab ipsis captam. Verum, ut paucis dicam, quod sentio, magis aperte vitiosa est inscriptio, quam ut defendi possit, aut ex ea certi aliquid haberi pro tempore, quo condita est ecclesia. Auctor inscriptionis verisimiliter vixerit aliquot sæculis post conditam ecclesiam, et fuit certo homo ignorans, qui multa imperite miscuit. Quare ex illa saltem inscriptione dici nequit, utrum tempore Leonis III, an quarti condita sit illa ecclesia, si omnino constructa sit ab alterutro.*

In diœcesi Stabiensi circa annum 820

325 *Nequaquam mihi propositum est omnes* S. Michaelis *aut* Angelorum *ecclesias per Italiam investigare. Infiniti id laboris esset, nec umquam ad plenam enumerationem perveniretur, cum quotannis novæ ædificari possint. De una hic tamen aliqua dabo, quia imperio* S. Michaelis *constructa fertur. Res narratur in vita S. Antonini abbatis Surrentini, data ad* 14 *Februarii, ubi in Commentario prævio* § 2 *ætas S. Antonini abbatis, ejusque socii S. Catelli episcopi Stabiensis figitur sæculo* 9, *et secundum ibi disputata oratorii illius constructio late figenda venit circa annum* 820. *Civitas, apud quam in vicino monte ecclesia illa fuit constructa.* Castrum maris, *a Leandro Alberto* Castellum Almarinum, *vulgari nomine* Castell' à mare *nuncupatur, sitaque est ad mare inter Neapolim et Surrentum, in illo loco ubi civitas antiqua* Stabiæ *fuit, ex cujus ruinis surrexit. Hinc civitatis episcopus* Stabiensis *passim vocatus fuit. Præerat autem circa annum* 820 *ecclesiæ Stabiensi S. Catellus, de quo actum est ad* 19 *Januarii, sed aberratum a vera chronotaxi, quam Bollandus ipse restituit ad* 14 *Februarii in S. Antonino abbate. Hujus autem vita, etiamsi non sit scriptoris contemporanei, saltem vetusta est, ideaque ex illa huc transferam asserta auctoris anonymi.*

in monte ad mare elevato.

326 *Refert num.* 3 *adventum S. Antonini ad S. Catellum Stabiensem episcopum, intimam eorumdem amicitiam, et mox recessum S. Catelli ad eremum, relicta S. Antonino cura episcopatus. Locus num.* 4 *sic describitur :* Mons ipse, cui Mi- E chael archangelus propter caussam paulo post demonstrandam nomen dedit, per transversum extensus, utraque extremitate marinis fluctibus alluitur. Laterali vero longitudine terram Surrentinorum, quasi linguam terræ in mare porrectam, a mundo patente distinet, et per præcipites scopulos angustas viantibus semitas præbens, ab omni hostili tumultu securam reddit. In summitate autem, dorso ipsius jam finito, continuatim caput mare versus audacius erigit *etc....* Illum tunc verticem prædictus Dei famulus Catellus, assumpto certamini aptum judicans, occupavit : ibique Dominum pura mente contemplandu, divinis officiis vacavit. *Tum ait auctor, S. Antoninum ad eumdem quoque locum venisse, ut ibidem cum S. Catello solitariam duceret vitam.*

jussu S. Michaelis constructa ecclesia,

327 *Mox vero auctor subjungit :* Quorum unanimitatem et parem conversationem taliter demonstrata visio angelica probavit. Nocte enim intempesta unus et idem utrique apparens, Volo, inquit, ut, in quo loco vos orationibus insistere soletis, et ubi cereum ardentem nuper vidistis, oratorium sub meo nomine construatis. Qui, cum de nomine interrogatus, archangelus Michael, F respondisset, disparuit. Qui confestim expergefacti, cum alter alterius visionem audisset et retulisset, mutui testimonii auctoritate confirmati, angelico præcepto assentire parant. Accinguntur deinde strenui divinæ fabricæ opifices, et ligneis compaginibus parvum quidem, sed archangelo monitori gratum, habitaculum prospero successu ædificarunt. O mira justorum potentia! o saluberrima Sanctorum fortitudo! o ineffabilis mundarum precum virtus! o inæstimabilis puræ mentis efficacia! Ecce meritis Sanctorum istorum op".erantibus, et orationibus eorum quodammodo fundamenta ponentibus, in lustris ferarum construitur oratorium, in cubilibus bestiarum ædificatur angelicum habitaculum, in terra vacua, vasta et inculta fabricatur domus sancta, celebris et humanæ saluti apta.

votivis peregrinationibus olim frequentata.

328 Ibidem enim bonorum omnium auctori Domino, et B. Michaeli archangelo habitatori laus quotidie offertur. Cujus beneficiis præstantibus, nullus non impetrat, quod digne postulat. De vicinis et longinquis partibus concurrunt, et vota pro quibuslibet tribulationibus promissa sol-

AUCTORE J. S.

ventes, accepta consolatione, alacres in propria redeunt. *Populi ille concursus posterioribus sæculi videtur imminutus, ut observatur in annotatis ad vitam S. Antonini, ubi et alia quædam ad ecclesiam istam spectantia videri possunt. Insignem sæculo 13 fuisse ecclesiam, dictamque* S. Angeli de Monte aureo, *colligitur ex instrumento, quod edidit Ughellus tom. VI Italiæ sacræ in episcopis Stabiensibus col. 658 editionis Venetæ. In itinerario Bernardi monachi Franci, quod edidit Mabillonius in Actis Sanctorum Benedict. sec.* 3, *part.* 2, *pag. 525 hæc de itinere suo inter Hierosolymam et Romam narrat Bernardus :* De Hierusalem intravecrunt in mare, et venerunt ad Montem aureum, ubi est crypta habens ibi septem altaria. Habet etiam supra se silvam magnam : in qua crypta nemo potest præ obscuritate tenebrarum intrare, nisi cum accensis luminaribus. Ibidem fuit abbas domnus Valentinus. *Nomen* Montis-aurei *et ratio itineris, quo Hierosolyma Romam navigabatur, verisimilem injiciunt suspicionem, fuisse ecclesiam* S. Angeli *de Monte aureo, quam visitavit Bernardus cum sociis, quemadmodum et Montem Garganum et ecclesiam* S. Michaelis *in Tumba* B *invisit. Si autem vera est ea conjectura, ecclesia illa diœcesis Stabiensis cum monasterio jam celebris erat tempore Nicolai Papæ I, anno 867 defuncti, cujus tempore peregrinationem suam Bernardus instituit.*

§ XXIII. De apparitione S. Michaelis in monte Tumba, nune monte S. Michaelis.

Locus ubi S. Michael in Normannia

M*abillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 19 *ad annum* 708 *refert apparitionem* S. Michaelis *in Gallia, ita scribens :* Hic etiam annus S. Michaelis in monte Tumba apparitione insignis fuit, quæ nobili basilicæ ac monasterio occasionem et originem dedit. Promontorium est in confinio Brittonum et Nortmannorum, bino maris accessu ac recessu quotidie circumclusum ac reclusum : in duos montes, quos Tumbas vocant, se erigens, unum majorem, super quem posita est S. Michaelis basilica cum monastrio; C alterum minorem cum arce vertici imposita, Tumbella seu Tumbellana vulgo appellata. Unde S. Michaelis in Tumba monasterium aliquando Ad Duas-tumbas nuncupatur. Hinc Odo abbas Glannafoliensis in epistola ad Adalmodum archidiaconum Cenomannensem de inventione Vitæ S. Mauri, memorat in pago Abrincatino « locum sancti Angeli, qui Ad duas-tumbas vocatur, » et in libro de Translatione et miraculis sancti Frodoberti abbatis Cellensis Ratbertus quidam, pagi Milidunensis indigena, properasse dicitur ad sancti Michaelis ecclesiam, eo loco, qui Ad duas-tumbas ex antiquo vocatur. Passim tamen obtinet vocabulum sancti Michaelis in monte Tumba, vulgo Mons-Sancti-Michaelis, aliis In-periculo-maris, propterea quod in illo maris accessu ac recessu incauti, et ignari marini æstus, facile in periculum et in naufragium incidant.

sub initium sæculi 8 apparuit.

330 « Hic igitur locus, ut verbis antiqui scriptoris utar, Tumba vocitatur ab incolis, ideo quod « in morem tumuli, quasi ab arenis emergens, ad « altum spatio ducentorum cubitorum porrigitur, « Oceano undique mari cinctus, sex millibus ab » æstu Oceani inter ostia situs, ubi immergunt se D » mari flumina Segia et Senuna, ab Abriocatensi » urbe sex distans millibus. Occasum prospectans, » Abrincatensem pagum dirimit a Brittannia. » Illic mare suo recessu devotis populis desiderratum bis præbet iter petentibus limina beati » Michaelis archangeli. » Addit idem auctor, hunc locum opacissima olim silva clausum fuisse, et monachos ibidem inhabitasse, duasque ad suum usque tempus exstitisse ecclesias, quas illi scilicet monachi incolebant. Hæc loci facies erat ante sancti Michaelis apparitionem hoc anno factam religiosissimo Autberto Abrincatensi episcopo, admonentis, se velle, ut sibi in ejus montis vertice ecclesia sub ipsius patrocinio erigeretur. Hærenti antistiti tertio idem intimatum, tandemque operi admota manus. Mox congregata rusticorum maxima multitudine, purgatus locus, complanatum spatium, disjectis a quodam Baino duabus rupibus, quas nulla manus dimovere valuerat. Exstruxit itaque fabricam pontifex, culmine non admodum celsam, in modum cryptæ rotundam, quæ homines fere centum caperet, instar illius, quæ in Gargano monte erecta fuerat. E

et celebris nomini ejus dicata est ecclesia.

331 Inde, concedente Garganici montis abbate, allata dicitur pars rubri pallioli, quod Archangelus super altare reliquerat, cum parte itidem marmoris, super quod steterat. Omnibus rite dispositis, facta est novæ basilicæ dedicatio 17 kalendas Novembris ab Autberto episcopo, qui dies olim non modo in Gallicanis Lugduonensis secundæ, aliisque non paucis ecclesiis, sed etiam in Anglicanis celebris erat, prohaote decreto synodi Oxoniensis anni post millesimum ducentesimi vigesimi secundi. « Ut dedicatio Sancti » Michaelis in moote Tumba a rectoribus eccle- » siarum devotissime celebretur. » Illic primum a sancto Autberto instituti dicuntur clerici, quibus monachi a Richardo primo Nortmannorum duce, loci instauratore, suffecti sunt. Hæc ex anonymo auctore, qui de hac apparitione scripsit ante introductos illic monachos per Richardum ducem, id est, ante medium seculum decimum, ubi nihil de miraculosa illa ecclesiæ dedicatione a posteris vulgata, nihil de percusso sancti Autberti cunctabundi ac penetrato per archangelum capite, sed tantum de impressa petra, in qua pontifex locum primo invisens sedisse dicitur. Apparitio illa hoc anno facta legitur in domesticis loci F monumentis; dedicatio anno sequenti. *Hactenus Mabillonius, cujus relationem totam dedi, ut studiosus lector cum assignatione temporis et loci compendium habeat eorum, quæ in actis fusius referuntur.*

Acta hujus apparitionis, jam edita et rursum edenda.

332 *Verumtamen auctoritatem actorum, quæ edidit Mabillonius sec.* 3, *part* 1 *a pag.* 85, *more nostro examinandam censemus. Edidit ea Mabillonius ex duabus codicibus, nimirum ex Sangermanensi, quam probat scriptum circa annum* 1060, *et Chesniano. Acta illa habemus et nos in uno codice, eorumdemque tenemus duo apographa ex variis codicibus, nimirum alterum ex codice Reginæ Sueciæ, et alterum ex codicibus Accinti et Caritatis monasteriorum a Chiffletio nostro exscriptum. Non invenio hanc apparitionem in tribus vetustioribus codicibus nostris, ex quibus dedi Apparitionem Garganicam; sed solum in quarto minus vetusto, in quo ad 29 Septembris post apparitionem Garganicam subjuncta legitur. Quod modo spectat ad auctoritatem actorum, Bailletus in tabula critica ad 29 Septembris illa nullo fere loco habuit. At Mabillonius magni videtur fecisse, cum præcipua*

A *præcipua relationis capita Historiæ Benedictinæ inseruerit, et in Observationibus præviis scriptoris ætatem commendet, eumque nullo uspiam verbo reprehendat aut corrigat. Eruditi Benedictini in Historia litteraria Franciæ tom. IV, pag. 196 Mabillonii judicium secuti sunt, aut etiam majori in pretio hæc acta habuerunt.*

scripta sunt ante inductos in S. Michaelis ecclesiam monachos,

333 *In ætatem auctoris primum inquiramus. Mabillonius existimat, acta fuisse conscripta ante introductos pro canonicis monachos. Hoc omnino existimo, qui acta num. 10 agunt de clericis ibi statutis, sed de monachis in illorum locum introductis nullum uspiam fit verbum. At ex eo argumento inferre nequeo, quod ait Mabillonius in Observationibus præviis, ita scribens :* Qui subjectam apparitionis et dedicationis Historiam descripsit auctor anonymus, vixit paulo post id temporis, quo res contigit ; certe antequam illuc inducerentur monachi etc. *Ultimum, ut dixi, verum et satis certum videtur. At nimium est temporis intervallum inter apparitionem, quam Mabillonius figit anno 708, et monachos introductos, quod in Annalibus tom. 3, pag. 579 refert ad annum 966, quam ut eo argumento credi possit,* B *auctorem vixisse non diu post apparitionem. Si enim vixit duobus sæculis post apparitionem, si duobus sæculis et medio post apparitionem scripsit, vel sic id fecerit ante monachos ibidem statutos. Laudati scriptores Historiæ litterariæ aiunt, Historiam apparitionis scribi potuisse sub finem sæculi 8, et adducunt ex Præfatione verba sequentia :* Notum enim se fieri voluit mortalibus ætatis nostræ temporibus. *Si hæc verba stricte sumantur de apparitione S. Michaelis in monte Tumba, ætas scriptoris potius figenda erit ante aut circa medium sæculi 8, quam sub finem ejusdem sæculi.*

non tamen sæculo 8 exeunte, ut existimamus,

334 *Verum non existimo, Anonymum de sola apparitione* S. Michaelis *in monte Tumba cogitasse, quando protulit verba allegata, sed potius locutum esse generatim de miraculis in nova Lege factis et continuatis. Nam id præcedentia et mox sequentia verba utcumque insinuant. Observaverat,* S. Michaelem *ita populi ex gentibus ad fidem conversi patronum factum, sicut fuerat olim populi Hebraici, et ad confirmationem illius asserti subjungit :* Hæc ita esse devotio credit fidelium propter ostensionem signorum. Notum enim se fieri voluit mortalibus ætatis nostræ tem- C poribus, quo se humanum genus in electorum spirituum societate cognosceret devocatum. *Hæc generalem illam locutionem insinuant, eaque confirmatur ex sequentibus, quia ad specialem illam apparitionem mox accedit, ita pergens :* Denique advertendum est, quo mysterio locum mortalibus prævideret in partibus Occiduis, ubi ex omni orbe confluit veneranter Angelicum imprecatura subsidium religiosa multitudo fidelium. *Hæc de illa apparitione certo dicuntur : sed ea non dicit facta sua ætate. Itaque verbis illis,* ætatis nostræ temporibus, *probabilius tempora omnia Novæ Legis intelligit, opposita temporibus Legis Veteris : nam probaverat, Christianorum patronum* Michaelem *factum, sicut fuerat Judæorum. Si quis tamen vellet, auctorem loqui de sua ætate, vel sic nihil evinceret. Neque enim necessario explicandus esset de apparitione ipsa in monte Tumba, sed intelligi facile posset de miraculis, quibus in illo loco postmodum se manifestavit archangelus.*

sed potius post medium sæculi 9.

335 *Quapropter illa verba non videntur prodesse ad ætatem scriptoris investigandam. Alia vero suspicionem ingerant, acta fuisse conscripta aut sæculo 10, aut vergente ad finem nono. Nam scriptor nullibi insinuat, se vicinum fuisse rebus gestis, de quibus agit. Secundo martyrologi, qui sæculo 9 floruerunt, videlicet Wandelbertus, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus, nihil de apparitione* S. Michaeli *in Tumba suis Martyrologiis inseruerunt, licet Garganicam apparitionem aut memoriam omnes celebrent, et aliqui Historiam ipsam attingant. Accedit silentium trium codicum nostrorum mss., qui circa sæculum 9 videntur conscripti, et apparitionis Garganicæ acta continent, non item posterioris, de qua modo agimus. Ex illo tam martyrologorum quam codicum silentio verisimilis oritur conjectura, acta illa, de quibus agimus, necdum nota fuisse prædictis martyrologis et codicum collectoribus, et consequenter scripta non esse ante illorum tempora, aut certe non diu ante. Neque enim credimus composita esse, ut in angulo quodam Normanniæ aut Britanniæ delitescerent, iisque non innotescerent, qui similia requirebant. Quapropter conjicio, acta illa aut post medium sæculi 9 aut sæculo 10 ante medium fuisse conscripta. Ex dictis habemus, anonymum istius apparitionis auctorem non habere a tempore, quo scripsit, auctoritatem scriptoris coævi aut supparis. Hinc* E *pro descriptione loci et pro ipsa* S. Michaelis *apparitione fidem quidem meretur : sed singula factorum adjuncta non æque fiunt certa, cum varia forte profluxerint ex traditione populi.*

Apparitio figenda anno incerto sub initium sæculi 8.

336 *Pro tempore apparitionis chronotaxi Mabillonianæ consentientem habemus Sigebertum in Chronico, qui de ea apparitione ita scribit :* Childeberto monarchiam regni Francorum tenente, archangelus Michael apparens Autberto, Abrincatensi episcopo, monuit semel et iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam suam Tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui. volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano. Interim taurus a latrone furtim raptus, in illo loco religatur. Unde episcopus tertio admonitus, ut in illo loco fundamentum jaceret, ubi taurum religatum inveniret, et sicut eum terram pedibus protrivisse videret, sic ecclesiæ ambitum duceret : ecclesiam in honorem sancti archangeli constituit ; et ex illo tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam in loco, quod modo dicitur In-periculo-maris, veneratio archangeli frequentari cœpit. F *Hæc jam adducta sunt ad 18 Junii in S. Autberto Abrincensi, ibique observatum, rem referri ad annum 709 aut præcedentem. Pagius in Critica ad annum 709 num. 10 contendit, dedicationem ecclesiæ figendam anno 907, quod dies 26 Octobris, quo facta refertur in Actis, anno 907 inciderit in dominicam. Chartis monasterii standum non credit, quod eæ aliquot sæculis post scriptæ fuerint. Facile credo, chartas non esse satis vetustas ad annum certum figendum : si tamen sint chartæ, et non potius chronica num. 339 memoranda, quæ indicat Mabillonius. At nec Sigeberti, qui forte præter acta nihil habuit ad tempus assignandum, tanta videtur auctoritas, ut pro certo anno pugnandum existimem. Nam et anno 701 monarchiam tenebat Childebertus, et dies 26 Octobris erat dominicus. Quare apparitio sub initium sæculi 8 certius figetur, quam ullo anno determinato : nam acta solum assignant tempus Childeberti regis cum die dedicationis 16 Octobris.*

Acta alia fabulis conspersa

337 *Quod modo spectat ad varia Actorum exemplaria, Mabillonius in Observationibus præviis hæc annotavit :* Præter hanc Anonymi lucubrationem

AUCTORE J. S.

nem est et alia ejusdem argumenti scriptio in bibliotheca cœnobii S. Michaelis, quibusdam locis interpolata. *Fabulosa quædam illorum actorum asserta, tamquam traditiones populares, subinde in annotatis refert et rejicit Mabillonius. Tale est primo, quod* S. Michael, *tertia vice apparens,* Autberti cunctabundi caput penetrationem usque percussisse dicitur. *Tale rursum, quod de rupe per Bainum amota postmodum ita exaggeratum est, ut Mabillonius dicat:* Et tamen vulgi traditio fert, infantem unum impulsu pedis id præstitisse. *Tale demum, quod de ecclesia, quam ipse Autbertus dedicavit, per Christum ipsum dedicata fuit assertum. In nullo ex mss. nostris ista leguntur, sed omnia in præcipuis rerum capitibus congruunt codicibus, quibus pro sua editione usus est Mabillonius.*

data a Mabillonio ex pluribus Mss. emendanda.

338 *In hisce tamen etiam aliquid reperitur diversitatis: nam in aliis ad finem plura, in aliis leguntur pauciora. Codex Sangermanensis non habet ultimum caput, sed finitur cum cap. 5 apud Mabillonium, apud nos cum num. 11. Consentit codex noster, in quo postremum caput similiter non legitur: indeque probabiliter colligitur, istud* B *postea additum esse. Legitur tamen caput illud in ms. Chesniano, quo usus est Mabillonius, et in duobus apographis nostris, altero ex codice reginæ Sueciæ, altero ex duobus codicibus per Chiffletium huc misso. Dissentiunt etiam codices in titulis, qui capitibus habentur præfixi, tantumque dissonant in verbis titulorum, ut non inveniam duos consentientes. Hinc colligo, titulos illos non esse primi auctoris, sed additos per librarios, præsertim cum codex reginæ nec capitum distinctiones, nec ullos habeat titulos. Ceterum de factis codices consentiunt, sed in vocum minutiis non raro dissonant, et mendis grammaticalibus non carent. Ceteris tamen correctior plerumque est codex noster, aliquando editio Mabillonii. Hinc editionem cum tribus mss. sic conferam, ut librariorum menda sæpe ex mss. sim correcturus, et, quantum fieri poterit, emendatiora daturus.*

C

APPARITIO

In monte Tumbæ

Auctore anonymo

Ex editione Mabillonii, cum tribus Mss. collata, et ex iis correcta.

Sub Childeberto post apparitionem in monte Gargano

Postquam gens Francorum, Christi gratia insignita, longe lateque undique per provincias superborum collo perdomuisset, Childeberto piissimo principe *a* monarchiam totius Occidentis nec non et septemtrionis, et meridiei partes strenue *b* gubernante, quia omnipotens Deus non solum in omnibus gentibus, verumetiam in omnibus mundi partibus, quem ipse fecit, per subjectorum spirituum agmina *c* principatur; beatus Michael archangelus, unus ex septem in conspectu Domini semper adsistentibus * qui etiam et paradisi præpositus, salvatorum * animas in pacis regione collocaturus legitur, post eam D manifestationem, qua se in monte Gargano ad * adorandum ac glorificandum, quomodo et qualiter voluit, sicut in scriptis habetur, ostendit; his, ut comprehensum est, per beatum archangelum patratis, inluminatis Christi gratia cunctis gentibus in Orientalibus Romaniæ *d* partibus, accipe quibus sese indiciis manifestare idem beatissimus Princeps civium supernorum voluerit præsuli Occidentalium populorum: ut qui quondam benedicto in patriarchis populo Israelitico defensionis attribuerat opem, ipse custos existeret ac prævius vocatis filiis per adoptionem. Namque legitur in visione Danielis Prophetæ dicente eidem angelo: Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus *e* Princeps vester. Princeps, inquit, vester, populi videlicet Judæorum. Christo vero Domino in propria veniente, atque a suis non recepto, quin potius prodito, ipso ad Patrem remeante, dum aboletur observatio priscæ legis, constabilitur adnuntiationis Evangelicæ admirabile sacramentum; dum exeunte per omnem terram sono apostolorum, cerimoniæ transferuntur sacrorum per ministeria angelorum.

* in mss. assistentium

* al. Salvandorum

* al. sine ad

E

S. Michael, patronus Ecclesiæ, apparuit in Occidente.

2 Aiunt etenim historiæ ecclesiasticæ, quod post passionem et ascensionem Domini ad cælos, post diu exspectatam Israelitarum penitudinem, cum appropinquaret tempus desolationis, quod *f* Salvator sacro venturum prænuntiaverat eloquio cum fletu humanitatis; ecclesia apud Hierosolymam monitu divinitatis per cunctum orbem gentibus evangelizatura diffunditur. Cumque congregatus undique ex omnibus locis populus, Paschalis festivitatis præstolaretur diem, sacerdotibus solitas excubias observantibus, voces subitas vigiles audiunt *g* dicentes. Migremus ex his sedibus. Voces vero subitæ per angelos emissæ, quæ enuntiaverunt beatorum spirituum demigrationem angelicum ministerium insinuarunt ad ecclesiam gentium transferendum. Ex quibus patenter insinuatur, quod beatus Michael archangelus ministerium, quod exercuerat in Dei quondam populo, idem sortitus sit apud gentium electionem. Hæc ita esse devotio credit fidelium propter ostensionem signorum. Notum enim se fieri voluit mortalibus ætatis nostræ temporibus, quo se humanum genus in electorum spirituum societate cognosceret devocatum. Denique advertendum est, F quo mysterio locum mortalibus prævideril in partibus occiduis, ubi ex omni orbe confluit veneranter angelicum imprecatura subsidium religiosa multitudo fidelium.

Locus, ubi post apparitionem.

3 Hic igitur locus Tumba vocitatur ab incolis: qui in morem tumuli quasi ab arenis emergens in altum, in spatio ducentorum cubitorum porrigitur. Oceano undique cinctus locus, angustum admirabilis insulæ præbet spatium, inter ostia situs, ubi immergunt se mari flumina Segia *, necnon et Senuna *: præbens quoque habitantibus hinc inde non breve nimium spatium. Longitudine vero ac latitudine a radice, qua prominet, non multum distat (ut conjicitur) ab eo opere *h*, quo servatum est humani generis incrementum. Qui ab Abrincatensi *i* urbe sex distans milibus, Occasum prospectans, Abrincatensem pagum dirimit a Britannia. Nulla ibi exerceri valet actio mundalis, his solis congruus exstat locus, qui Christum sedulo venerari disponunt: et hos suscipit, quos ad æthera ardens virtutum amor evehit. Copia tantum * piscium ibidem reperitur, quæ

* vulgo See.

* Selune

* al. tanta

A quæ plerumque fluminum marisque infusione congeritur. Procul vero cernentibus nihil aliud fore quam spatiosa immo speciosa turris videtur. Sed k et maro recessu suo devotis populis bis in die *k* desideratum iter præbet beati petentibus limina archangeli Michaelis, qui primum locus, sicut a veracibus cognoscere potuimus narratoribus, opacissima silva claudebatur longe ab Oceani (ut æstimatur) æstu milibus distans sex, altissima præbens latibula ferarum.

dedicata est ecclesia,

4 Et quia secretiora cæli per contemplationis subtilitatem rimari volentibus gratissima esse solent remotiora eremi loca, inibi olim inhabitasse comperimus monachos, ubi, etiam usque nunc l duæ exstant ecclesiæ *l* priscorum manu constructæ. Nam ipsi monachi ibidem Domino servientes dispensatione cuncta regentis Dei sustentabantur, presbytero quodam de villa, quæ dicitur m Asteriacus *m*, taliter eis ferente auxilium. Nam ut illis, sine quo humana non potest exigi vita, deerat victus, fumo signifero discurrente altaque cæli petente, onerabat asellum dapibus dilectione vera farcitis : sicque duce invisibili prævio, B per loca ibat invia, ac redibat ferens Domini jussa n illisque necessaria *n*, sed quia hic locus Dei nutu futuro parabatur miraculo sanctique sui archangeli venerationi, mare, quod longe distabat, paullatim adsurgens, omnem silvæ magnitudinem sua virtute complanavit, et in arenæ suæ formam cuncta redegit, præbens iter populo terræ, ut enarrent mirabilia Dei. Jam vero ad illud veniendum est, qualiter idem beatorum princeps spirituum angelica revelatione dedicaverit prædictum locum.

S. Autbertus terna monitus apparitione, o

5 Quodam tempore cum religiosissimus et Deo amabilis præfatæ urbis antistes, Autbertus *o* nomine, sopori sese dedisset, admonitus est angelica revelatione, ut jam dicti summitate loci sancti construeret in honore archangeli ædem : ut cujus celebratur veneranda commemoratio in monte Gargano, non minori tripudio celebraretur in pelago. At sacerdos, dum revolvit illud apostoli : Probate spiritus, si ex Deo sunt, iterata est admonitus visione, quo perficeret, quod jubebatur. Et quia spiritus prophetarum non semper est prophetis subjectus, distulit adhuc præsul constructionem, sed adhibuit intercessionem, quatenus super istiusmodi negotium Domini nostri Jesu Christi simulque beatissimi archangeli C agnoscere valeret deliberationem. Contigit per p idem tempus, ut taurum *p* cujusdam, quem furtim quidam instinctu pravitatis subtraxerat, in ejusdem deponeret saxi cacumen, ut dum is, qui amiserat juvencum, reperiendi amitteret spem, turpe latrunculus lucrum efficeret ex eodem. Interea tertia admonitione venerandus pulsatur episcopus q austerius *q*, ut qui non adquieverat bis admonitus, locum adiret celerius, a quo tamen se sciret egrediendum nullatenus, priusquam per- r ficeret, quod fuerat jussus *r*. Ad cujus fidei confirmationem monstratur etiam ibidem usque in præsens petra quasi digito hominis inscripta, super quam memoratus episcopus resedit, quousque opus ad finem adduxit.

locumque doctus, ubi condenda erat ecclesia.

6 Percunctanti igitur episcopo, qui ædificationi congruus posset videri locus, angelica in hunc modum est responsione dictatum, ut loco eo ædificaretur ædes, quo inerat taurus abscon- s dite religatus *s*. Cumque de loci requireret amplitudine vel quantitate, eisdem cognovit responsis, ædificationi eum debere statuere modum, quem videret juvencum pedibus in circuitu protrivisse. Posthæc quoque jussum est, ut suo præreptus domino restitueretur taurus. Venerabilis ergo episcopus de visione certissimus, cum hymnis et laudibus prædictum locum ingressus, exercere imperatum opus adgressus est : congregataque rusticorum maxima multitudine locum purgavit, atque in spatium complanavit : in cujus medio duæ præeminebant rupes, quas operantium multorum movere non poterant manus, nec a suo divellere statu. Qui cum diu hærerent, nec omnino quid facerent invenirent, nocte insequuta visio apparuit cuidam homini, nomine Baino, in villa, quæ dicitur Icius *t*, qui duodecim filiis am- t pliatus magnam inter suos tenebat dignitatis gloriam. Hic ergo per visum monitus, ut cum laborantibus et ipse labori insisteret, festinus ad locum cum filiis venit, impleturus, quod fuerat jussus. Quo cum pervenisset, fretus auxilio sancti Michaelis archangeli, quod humana non poterat virtus, mirum in modum tam facile molem tantæ magnitudinis removit, ut nullum pondus inibi esse videretur. At omnes in commune laudantes Deum sanctumque archangelum Michaelem, cœpto attentius insistebant operi. Cumque E jam dictus episcopus de magnitudine construendæ fabricæ adhuc dubius cogitaret, nocte media, sicuti quondam Gedeoni in signum victoriæ, ros jacuit super verticem montis ; ubi autem fundamenta locanda erant, siccitas fuit, dictumque est episcopo : Vade, et sicut signatum videris, fundamenta jace.

eam ædificat, et monachos mittit ad montem Garganum, u

7 Qui statim omnipotenti Deo gratias agens, sanctique implorans archangeli Michaelis auxilium, exurgens gaudens et lætus opus illud adgressus est. Exstruxit itaque fabricam non culmine sublimitatis *u* celsam, sed in modum cryptæ rotundam, centum (ut æstimatur) hominum capacem, illius in monte Gargano * volens exæquare formam, in monte *x* prærupti silicis angelico apparatu facta terrigenis ad laudem et gloriam Dei habitatione : manifeste docens semper in cælestibus divini muneris opem esse poscendam, altaque contemplationis intuitu penetrare ætheris astra, non terrenis limosisque paludibus rotantia hominum ponere corda. Quod cum post non multum tempus esset, opem ferente Deo, ædificatum, viro Dei Autberto episcopo manente anxio, proinde quia cernebat sibi deesse sancti archangeli pignora; F beatus eumdem sacerdotem Michael admonuit, uti fratres celerrime usque ad locum, quo memoria venerabiliter colitur sanctissimi archangeli, dirigeret in Gargano, et eam, quam angelo patrocinante referrent benedictionem, cum summa exciperet gratulatione.

* al. Gargani x

qui ibidem dicuntur accepisse, y

8 Interea missi nuntii adeunt locum : qui benignissime ab abbate *y* loci illius suscepti vestibusque mutati *, ac tanti itineris fatigatione sublevati, cuncta quæ suæ contigerant regioni, simulque ad quod venerant, pandunt. Quæ verba cum ipsius loci abbas suo retulisset antistiti, uberrimas omnipotenti Deo laudes uterque retulit, qui pro lapsis naturæ fragilitate terrigenis adsistentium sibi ministrorum dignatur præbere suffragium. Hinc cum qua decebat veneratione sumtis a loco pignoribus, quo beatus archangelus sui memoriam fidelibus commendaverat, partem scilicet rubei pallioli, quod ipse memoratus archangelus in monte Gargano supra altare, quod ipse manu sua construxerat, posuit, et partem scilicet marmoris, supra quod stetit, cujus ibidem usque

* al. mutatis

A Anonymo

A *Anonymo.* usque nunc in eodem loco z superextant vestigia, jam dictis fratribus usque ad sacrum locum referenda patrocinia contradidit, conditione interposita, videlicet ut quos una angelicæ revelationis sociaverat causa, una quoque æternaliter necteret caritatis connexio.

et in Galliam tulisse sacra aliquot pignora.

9 Summi interea nuntii repedantes, post multa itineris spatia, ad locum, quo digressi fuerant, ipso die, quo fabrica completa est *aa* in monte jam dicto in Occiduis partibus, quasi nuvum ingressi sunt orbem, quem primum veprium densitate reliquerant plenum. Quo dum propinquant, sacerdos domini Autbertus occurrens cum multis laudibus, cum canticis spiritalibus *bb*, in sacro monte * angelica mortalibus devehit profutura præsidia. Dici vero non potest, quantum in adventu (ut ita dicam) angeli circumjacentes provinciæ gavisæ sunt lætitia et gaudio : quippe quia sibi divinitus providebant supernum tribui donum, in hoc quod beatum Michaelem archangelum cælestis militiæ principem merebantur obtinere signiferum ; cognoscentes etiam signa et mirabilia, quæ Dominus per ministrum suum operatur mortalibus, ita ut per hujus itineris spatia duodecim *cc* cæci inluminati, pluresque diversis B infirmitatibus acti pristinæ sint redditi sanitati. Et quod his addendum est, mulier quædam orbata luminibus, de villa, quæ dicitur Asteriacus *, dum prosequitur pretiosissima munera summi archangeli Michaelis, mox ut attigit planitiem arenamque maris, divinitus factum recepit visum, admirans se de tenebris subito in lucem mutatam. Sed et usque hodie per summum ministrum suum hæc eadem Dominus cotidie ad laudem et gloriam nominis sui in eodem loco operari non desinit.

** al. in sacrum montem*

** al. Austeriacos*

Ecclesia dicata die 16 Octobris.

10 Igitur eo die, quod est xvii Kalend. Novembris, veneranda completa templi dedicatione, vir domini Autbertus postquam sagaciter omnia sub ordine disposuit, ufficia quoque servientium clericorum constituit, deputans hos inibi sub numero consistere duodecim *dd*, qui legitimis observationibus perpetualiter in beatissimi Michaelis archangeli persisterent famulatu, quamvis non *ee* ejusdem numeri in eodem loco a successoribus beati viri sint clerici constituti. Simul etiam de episcopio suo eidem loco servientibus villas C contradidit, videlicet jam dictam villam Icium et Genitium *ff*.

aqua ibi divinitus, ut fertur, inventa.

11 Interea idem præsul cuncta pervidens congruo patrata ordine, hoc unum, quod poterat valde videri difficile, a sancto censuit expetendum archangelo, aquæ scilicet elementum, sine quo stare * nequit vita mortalium. Super hoc ergo domini nostri Jesu-Christi simulque sancti archangeli dum expetit simul cum grege commisso auxilium, ut qui quondam produxerat sitienti populo de petra poculum, ipse a servis suis amovere dignaretur aquæ penuriam ; tandem angelica ostensione locum didicit, ubi in prærupto silice dum concavum foramen exciditur, mirum in modum aquarum mox abundantia reperitur, quæ possit habitantibus competentem præbere usum. Eadem vero aqua profluens quod sit haustu salubris, multis est ostensum modis. Celerem namque fert febricitantibus opem, quoties desiderium provenerit sumendi *gg*.

** al. constare aut subsistere.*

Miracula in illo loco facta.

12 Apud beati vero basilicam archangeli, ipso opitulante, virtutes efficiuntur innumeræ : illuminantur namque ibidem cæci, gressum recipiunt claudi, merentur auditum surdi, fugantur ex obsessis corporibus spiritus immundi, Domino Deo nostro præbente auxilium per ministerium angelorum. D Autbertus autem præsul venerabilis altare in memorato loco *hh* sub honore sanctissimi dedicaverat archangeli Michaelis : alia vero, quæ nunc videntur in undenarium crevisse numerum, crescente devotione et amore fidelium, successorum ejus exstruxit manus, ubi divina præstantur beneficia, adjuvante Domino nostro Jesu-Christo.

ANNOTATA.

a *Mabillonius habet,* Childeberto rege *etc. At omnes codices,* piissimo principe. *Hinc monitum velim lectorem, aut ob consensum codicum aut ob textus emendationem me solum recessurum ab editione : neque necesse existimo, id ubique annotare. Agitur autem de Childeberto III, qui regnavit sub finem sæculi 8 et initium sæculi octavi.*

b *Codices consentiunt in Occidente, Septemtrione et Meridie nominandis, sed pro* Occidentis, *quod legitur in apographo Chiffletii, alter habet cum Mabillonio* Occiduæ, *noster* Occidui. *In omnibus vero legitur* partes, *non* partis, *ut edidit Mabillonius. Poterat auctor brevius dicere, Childeberto III re-* E *gnum Francorum tenente, sed rectius omisisset,* strenue gubernante ; *cum omnia fierent per Pipinum Heristallum, qui pro Childeberto strenue regnum administrabat.*

c *Ita plane habet codex noster, duo alii* per subjectos Spiritus, *pro* per subjectorum spirituum agmina : *quod in idem recidit. Phrasis corrupta est apud Mabillonium, qui sic edidit :* In omnibus mundi, quem ipse fecit, subjectorum Spirituum partibus principatur.

d *Per* Romaniam *non designat auctor, quantum existimo, provinciam ullam sic dictam, sed aut imperium romanum; aut partes Italiæ ad Orientem Romanæ urbis sitas. Si scripsit post restitutum a Carolo Magno imperium Occidentale, ut verisimillimum est, per Romaniam intellexerit Occidentale imperium, et in ejus partibus Orientalibus locaverit montem Garganum, in Occidentalibus montem Tumbam.*

e *Vox* archangelus *addita est ab auctore verbis Danielis cap.* 10, ẏ 21.

f *Ita omnes mss. codices. Mabillonius edidit :* desolationis civitatis et templi, quam *etc. Sic vitiose pro* penitudinem *habet* plenitudinem *cum uno ms., et supra* præsulem *pro* præsuli *contra omnia.* F

g Audiunt *in omnibus est mss. Apud Mabillonium mendose* audivit : *et paulo post* subito *pro* subitæ; *et rursum* populum *pro* populo, *atque* eumdem *mendose pro* idem. *De omnibus illis mss. plane consonant.*

h *Ulterior loci descriptio ex Mabillonio data est in Commentario num.* 529. *Hic auctor insulam comparat cum arca Noe pro longitudine et latitudine montis.*

i Abrincæ, *aut* Abrincatum, *vulgo* Avranches, *civitas est episcopalis Normanniæ Inferioris versus confinia Britanniæ, sita in monte prope Oceanum.* Mons Tumba *sive* S. Michaelis *ab urbe distat sex circiter passuum millibus, sive tribus circiter leucis gallicis.*

k Bis in die *est in omnibus mss., non* bis inde, *ut edidit Mabillonius. Nimirum mons ille situs est in littore Oceani, ubi per fluxum et refluxum singulis horis duodecim et minutis viginti quatuor aqua ascendit et descendit. Postquam aqua aliquot horis descendit in mare, littus usque ad montem fit*

A *fit siccum et sic iter præbet montem adeuntibus: sed ascendente rursum mari, paulatim via aquis impletur et impeditur. Totum hoc naturale est. At Bernardus monachus in Itinerario suo apud Mabillonium sec. 3, part. 2, pag.* 525 *et* 526 *de loco o se viso scribit sequentia:* Inde venerunt ad sanctum Michaelem ad duas Tumbas: qui locus est situs in monte, qui porrigitur in mare per duas leucas. In summitate hujus montis est ecclesia in honore sancti Michaelis, et in circuitu illius montis redundat mare quotidie duabus vicibus, id est, mane et vespere, et non possunt homines adire montem, donec mare discesserit. In festivitate autem sancti Michaelis non conjungitur mare in redundando in circuitu illius montis, sed stat instar murorum a dextris et a sinistris. Et in ipsa die solemni possunt omnes, quicumque ad orationem venerint, omnibus horis adire montem, quod tamen aliis diebus non possunt. *Notabile esset miraculum, si constaret, pluribus annis fuisse factum. At de eo tacet anonymus noster, nec apud ullum alium id assertum inveni. Hinc Mabillonius in Annalibus tom. III, pag.* 166 *ait de illo prodigio:* Quod cum nemo alius memoriæ
B prodiderit, suspectum, ne dicam fabulosum, videri potest. *Forte semel iterumque factum fuerit, quod Bernardus ut constanter fieri solitum asseruit. Non ait, se vidisse, quod asserit, sed intellexerit aliqua ab incolis, eaque facile crediderit; et forte etiam exaggeraverit. Accuratum quoque non est, quod ait, mare redundare* mane et vespere. *Cum enim fluxus et refluxus maris ultra duodecim horas extendatur; non ascendit aqua iisdem semper diei horis; sed quotidie serius ascendere incipit.*

l Nempe una in honorem S. Stephani protomartyris, alia in honorem S. Symphoriani, quæ amplius non exstant, *inquit Mabillonius in Annotatis.*

m *Vicum* Asteriacus, *ex quo num.* 9 *femina dicitur visum recepisse, ab eo miraculo nunc dici* Beauvoir. *observat Mabillonius in Annotatis.*

n *Quam certa sint, quæ de vetustis illius montis monachis narrat anonymus, dicere nequeo; cum aliunde non innotescant. At incredibile non est, quod de asino victum monachis ferente asseritur. Asini enim vias, quas frequenter terunt, etiam sine ductore inveniunt.*

C o *Fuit S. Autbertus episcopus Abrincensis, de quo apud nos ad* 18 *Junii. Alius S. Autbertus, Cameracensis episcopus, colitur die* 13 *Decembris.*

p *Suspectum esse potest, quod asseritur de tauro in cacumen montis perducto, ibique religato; cum quod ejusmodi locus minus ad furtum occultandum taurumque alendum videatur aptus; tum quod locus* S. Michaeli *in monte Gargano dicatus per taurum dicatur innotuisse, ut suspicio oriatur de inducto hoc tauro ad exemplum alterius.*

q *Pro voce* austerius, *ut habet codex noster cum Mabillonio, in duobus apographis legitur* Autbertus.

r *Ita codex noster cum Mabillonio. At in duobus apographis omissum est illud, quod dicitur de non egrediendo e loco.*

s *Sic habent mss. Mabillonius,* absconditus et religatus.

t *Recurret hic vicus infra. Mabillonius in margine nomen vulgare assignat,* Huynes, *et postea* Huyne.

u Sublimitatis *edidit Mabillonius. In omnibus mss. nostris legitur* subtilitatis, *sed mendose, opinor.*

x *Hic exemplaria dissentiunt.* In monte prærupti silicis *etc., habet codex noster, et consentit codex reginæ. At Mabillonius edidit,* in modum prærupti silicis. *Apographum Chiffletii habet,* in morem prærupti silicis. *Existimo, in monte scriptum fuisse, quia mox videtur mons opponi* paludibus.

y *Non inveni in ullis monumentis Italicis, ecclesiam* S. Michaelis *in monte Gargano umquam monachis fuisse commissam. Attamen dicendum videtur, monachos illius ecclesiæ curam habuisse, quando eo venit sæculo* 9 *Bernardus monachus, cum ibidem invenerit Benignatum abbatem, qui* multis præerat Fratribus. *Verba ejus dedi num.* 276. *Abbas itaque monachorum fuisse videtur, qui hic memoratur; non Canonicorum, etiamsi Canonici postea ecclesiam illam administraverint. Itaque verisimile est, episcopum Beneventanum, qui ecclesiam montis Gargani cum toto episcopatu Sipontino accepit sæculo* 7, *ut vidimus num.* 274, *illam monachorum administrationi commisisse. Quare, si vera sunt, quæ de legatione illa refert Anonymus, Beneventanus erat antistes, cujus consensu omnia obtinuerunt legati monachi.*

z In eodem loco, *id est, in monte Gargano, legitur in omnibus mss. Mabillonius edidit* in eodem. *acsi de marmore diceretur, et de parte translata etiam posset intelligi. Mox etiam apud Mabillonium omissa est vox* patrocinia, *in omnibus mss. reperta.* E

aa *Nescio, an hæc bene cohæreant cum dictis num.* 7, *ubi videtur asseri, nuntios solum fuisse missos post ædificatum oratorium; nisi forte anonymus velit dicere, illo ipso die, quo fabrica fuerat completa, sed anno sequenti, nuntios rediisse. Quidquid voluerit, ex scriptore vetustiore mallem intelligere omnia, quæ dicuntur de muneribus ex monte Gargano delatis.*

bb *Addit Mabillonius,*cum ineffabili gaudio omnium, *et inferius habet,* lætitia et gaudio; *ubi in mss. tantum,* gaudio : *et paulo post* inæstimabile *additur ad* supernum donum, *quod tantum est in mss.*

cc *Digna erant miracula ea, quæ magis enucleate exponerentur, si de iis factis anonymo satis constabat.*

dd *Ita codex noster cum Mabillonio. In duobus apographis additur,* Canonicos. *In apographo Chiffletii verba etiam modice mutata sunt hoc modo :* Deputans hos inibi sub duodenario numero consistere Canonicos. F

ee *In iisdem apographis omissum est* non, *et legitur :* quamvis ejusdem numeri etc.

ff *Apud Mabillonium vulgaria nomina* Huynu et Genet *assignantur.*

gg Hactenus eodex noster, *ait hic Mabillonius. Noster similiter plura non habet. Quopropter existimo, pauca illa, quæ sequuntur, postmodum actis fuisse adjecta. Dedit ea Mabillonius ex codice Chesniano, et leguntur in duobus apographis nostris.*

hh *Verba dedi ex apographo Chiffletii, quod solum exhibet sensum perfectum. De altari uno in honorem* S. Michaelis *dicato per S. Autbertum, et decem aliis per ejus successores additis, loquitur auctor. At in editione Mabillonii de loco dicato sic agitur, acsi decem alia oratoria postmodum in eodem monte fuissent constructa. Malim existimare, in ecclesia, quæ postmodum constructa fuit magis ampla, decem fuisse altaria.*

§ XXIV.

AUCTORE J. S.

§ XXIV. Ecclesia S. Michaelis in monte Tumba peregrinationibus et miraculis honorata, monasterioque insigni et oppido aucta.

Ecclesia S. Michaelis miraculis

De ecclesia S. Michaelis *in monte Tumba, quæ cœnobio Benedictino deinde aucta est, frequenter in Annalibus Benedictinis agit Mabillonius. Exstant quoque apud Labbeum in Bibliotheca tom. I trio chronica brevia ejusdem monasterii, ex quibus ejus ortum, progressum, vicissitudines, et abbates utcumque intelligimus, saltem ex primo et tertio : nam secundum res monasterii vix attingit. Ex hisce igitur lubet pauca decerpere, ut prudens lector perspiciat incrementa cultus* S. Michaelis *in memorato monte. In primo ex dictis chronicis revelatio* S. Michaelis *figitur anno* 708, *et in tertio similiter pag.* 551 *hæc leguntur :* B In monte Tumba B. Michaelis revelatio facta est Justiniano imper., Joanne papa, Childeberto Francorum rege, Autberto Abrincatensi episcopo, anno 708 : in quo loco per annos 258 multa facta miracula, canonicis ecclesiæ ministrantibus. *Agnoscit auctor chronici, canonicos in illa ecclesia fuisse ab anno* 708 *usque ad* 966, *quo monachos iis substitutos, mox addit ; atque annis* 258 *intermediis multa facta esse miracula. Quod spectat ad annum apparitionis, jam monui num.* 336, *nullum tam vetustis aut certis documentis innotescere, ut pro anno determinato videatur contendendum ; sed satis constare, apparitionem contigisse sub initium sæculi* 8.

et votivis peregrinationibus

340 *Miracula vero facta esse in illa* S. Michaelis *ecclesia, ut asseritur in chronico et in actis datis, verisimillimum etiam fit ex peregrinationibus, quibus frequentari cœpit. Nam ex Itinerario Bernardi monachi colligitur, locum votivis peregrinationibus celebrem fuisse sæculo* 8. *Erat Bernardus natione Francus, et socios peregrinationis ad loca sancta habebat duos monachos, alterum Italum, alterum Hispanum. Ex locis autem sanctis, quæ inviserunt, solum recenset Romam, montem Garganum, loca sacra Ægypti et Palæstinæ ; deinde* C Montem-Aureum (*de quo conjecturam meam dedi num.* 323) *iterum Romam, ac demum* Sanctum Michaelem Ad-duas-Tumbas. *Verba dedi in annotatis ad acta lit.* k. *Id solum hoc loco observo, ecclesiam* S. Michaelis *in monte Tumba recenseri inter quatuor præcipua loca, quæ monachi illi peregrinantes in Europa inviserunt.*

illustris erat :

341 *Eodem fere tempore contigit, quod narratur in vita S. Frodoberti abbatis, data apud nos ad* 8 *Januarii, num.* 31 *et* 32, *quodque celebritatem ecclesiæ* S. Michaelis *luculenter confirmat. Rathbertus quidam gravi scelere in matrem suam insurrexerat, et continuo divina ultione fuerat correptus, et carceri etiam triennio mancipatus jussu archiepiscopi Senonensis, postea tamen dimissus.* Hinc, *inquit biographus,* ad S. Michaelis ecclesiam properat eo loco, qui Ad duas-Tumbas ex antiquo vocatur. Unde digressus, Romam expetit, quo tunc Adrianus papa sedem apostolicam gubernabat : qui cum eum pergentem ad ecclesiam S. Joannis, quæ Lateranensis dicitur, inspexisset, mirabili portento, quod miser ob scelus circumferebat, attonitus, ad se eum præcepit evocari, caussaque ejus sollicitius perquisita, D benigne eum ad pœnitentiam exhortatus, denuo eum ad B. Michaelis ecclesiam pergere, itemque ad se imperat remeare. *Mox sequitur miseri hominis sanatio, in pago Tricassino per S. Frodobertum obtenta, subditurque :* Depositoque illic cilicio (*quo pœnitentium more erat indutus*) ad sancti archangeli Michaelis ecclesiam ex præcepto apostolico properavit. *Pontifex hic memoratus est Adrianus II, successor Nicolai I, cujus tempore laudatus Bernardus monachus cœperat cum sociis peregrinari. Obiit autem Nicolaus I anno* 867, *ut hæc circa annum* 870 *contigerint, et non multis annis post iter Bernardi monachi.*

quando pro clericis in eam inducti sunt monachi.

342 *De monachis in ecclesiam* S. Michaelis *inductis ad annum* 966 *ita habet chronicon supra laudatum :* Richardus dux (*Normanniæ*) monachos canonicis substituit, et Maynardum illis primum abbatem præfecit de monasterio Fontanellæ. *Prius tamen res videtur referri ad annum* 965, *qua forte agitari cœpit. Consentit primum* S. Michaelis *chronicon, prætermisso tamen anno. Nam ad annum* 942 *sic habet :* Occisus est Guillelmus filius Rollonis, cui successit Richardus filius ejus, qui primus posuit monachos in ecclesia S. Mi- E chaelis In-periculo-maris. *De anno* 966 *consentit Mabillonius in annalibus tom. II, pag.* 579, *confirmatque auctoritate Roberti de Monte, quem vocat* Domesticum auctorem, *quod eidem cœnobio deinde abbas præfuerit. Robertus autem in Accessionibus ad Sigebertum anno* 966 *ita habet :* Hoc anno ejecit Richardus marchisus et dux Normannorum clericos sæculares de hoc Monte, et aggregavit ibi monachos sub regula B. Benedicti Deo perpetuo servientes. *Addit Mabillonius :* Illic delubrum miræ amplitudinis, et spatiosa monasticæ habitationis ædificia construxit, teste Dudone, ibique monachos sub ærumnosa theuricæ vitæ palæstra posuit, severioribus vitæ regularis legibus adstrictos. Id factum consilio Hugonis Rotomagensis archiepiscopi et Radulfi comitis, assentiente etiam diœcesano episcopo Abrincensi : quibus Lotharii regis ac Johannis Papæ XIII accessit auctoritas. *Hæc recte Mabillonius ex chronicis ante laudatis, et ex Dudone S. Quintini decano, cujus verba videri possunt in Historiis Normanniæ pag.* 155. F

Dubitatio Mabillonii, an illa ecclesia initio non fuerit monachorum,

343 *Verum vix capio, cur tom. II insinuet dubitationem non levem, eamque hoc loco repetat, an ab initio non fuerint monachi in illa ecclesia, illisque deinde successerint clerici.* Ceterum, *inquit tom. II, pag.* 20 *ad annum* 708, an clerici principio illic a sancto Autberto instituti sint, quod anonymus (*in Actis datis*) tradit ; an monachi, non levis dubitatio est. Quippe in Constitutione Ludovici augusti inter illa monachorum cœnobia, quæ tantum dona dare debent sine militia, primo loco numeratur « monasterium sancti Michaelis maresci primi » : quo nomine monasterium sancti Michaelis in monte Tumba significari Hadrianus Valesius probat, sic dictum, quod situm esset in marisco vel maresco, id est, in solo palustri, quod quotidianis accessibus æstuans inundat Oceanus. Hæc observatio si vera esset, quod suo loco discutiemus, probaret utique, monachos primitus illic institutos fuisse, quibus a tempestate Normannorum, ut in multis aliis locis, clerici successerint. Quæ res cum anonymum fugeret, habita ratione sui temporis, clericos ibidem ab initio fuisse existimavit. *Hactenus Mabillonius ob conjecturam Valesii, quæ habetur in Notitia Galliarum pag.* 337.

344

idoneo caret fundamento,

344 *At ea conjectura Valesii, etiamsi indubitanter prolata sit, non nititur ulla ratione idonea. Nullus umquam dixit, cœnobium S. Michaelis de monte Tumba vocatum esse* maresci primi. *Hoc Valesius asseruit sine ulla veterum auctoritate: atque ex conjectura prorsus infelici. Ait,* maresci primi *cognominatum esse,* quod situm esset in marisco vel maresca, id est, in solo palustri, quod cotidianis accessibus æstuans inundat oceanus. *At monasterium in monte petroso positum est, in circuitu vero montis littus est maris, quod aquis marinis quotidie inundatur. Aqua recedente, montem cingit arena. Itaque ex inscitia conjecit Valesius, in solo palustri situm esse istud monasterium et ea de causa nomen* maresci primi *habere, quod nullus ante Valesium eidem scitur tribuisse. Perperam etiam allegatur Robertus de Monte, cujus verba mox exponam. Demum non recte de monasterio addit :* Nam multo ante Ricardum a Paterno Abrincatinæ ecclesiæ episcopo exstructum esse creditur. *Nam S. Paternus, cujus vita apud nos data ad 16 Aprilis, varia quidem condidit monasteria; sed obiit sæculo 6, ut ab eo certe originem non habuerit monasterium istud* S. Michaelis, *cujus ecclesia refertur ad sæculum* 8. *Igitur conjectura illa Valesii tam omni caret fundamento, quam sabulosum maris littus solo palustri.*

et claris vetustiorum scriptorum verbis contraria est.

345 *Consideremus modo vetustiora monumenta, quæ nullum relinquunt dubium, quin clerici fuerint in ecclesia* S. Michaelis *usque ad inductos a Richardo duce monachos. Acta num.* 10 *clare edicunt, clericos ibi ab initio duodecim constitutos a S. Autberto Abrincensi. Verisimilis autem non est suspicio Mabillonii, anonymum illum errare potuisse, quod clerici monachis successissent* a tempestate Normannorum. *Nam forte anonymus ante ipsas Normannorum irruptiones acta scripsit, cum de illis nullibi meminerit. Certe non tanto tempore scripsit post stabilitos in Gallia Normannos, ut ignorare potuisset, monachos olim in ecclesia* S. Michaelis *fuisse; si illis tempore Normannorum successissent clerici. Præterea, si id omnino ignorasset anonymus ille, non ignorassent ipsi monachi, qui scripserunt chronica* S. Michaelis. *Attamen auctor Chronici primi claris verbis de Richardo duce edicit :* Qui PRIMUS posuit monachos in ecclesia S. Michaelis. *Auctor tertii non minus aperte loquitur, ita scribens :* Ricardus Normanniæ dux, a Joanne Papa XIII deputatus, Canonicos, qui in ecclesia S. Michaelis ds monte Tumba in periculo maris per 238 annus a fundatione dicti loci *, expulit, et religiosos ordinis S. Benedicti in ea constituit, villis multis, et aureis atque argenteis vasis locupletavit atque ornavit. *Demum Robertus de Monte verbis num.* 342 *datis cum prædictis chronicis consentit.*

** adde erant*

Obscurus locus Roberti de Monte de tribus monasteriis

346 *Neque dissentit locus a Valesio allegatus ex Tractatu de Abbatibus et abbatis apud Acherium post opera Guiberti abbatis pag.* 814 *cap.* 10. *Ait quidem de Richardo,* Tria monasteria... restauravit, *iisque annumerat monasterium* S. Michaelis de monte Tumba. *At non indicat, in tribus illis ecclesiis aut monasteriis antea fuisse monachos, sed contrarium magis insinuat de illo, de quo agimus. Verba ipsa huc transfero :* Primus Ricardus, filius Willelmi ducis, tria monasteria, unum Fiscanni in honorem sanctissimæ Trinitatis, aliud in monte Tumba in honorem sancti Michaelis; tertium vero Rothomagi in veneratione sancti Petri sanctique Audoeni, multas possessiones, quæ eis a paganis ablatæ fuerant, restituendo restauravit ; licet Ricardus filius ejus plurima prædia addendo, et ordinem monasticum in eis ponendo, ipse consummaverit. *Hæc breviter et generatim de tribus dicit Robertus, quia pro singulis aliquid fecit Richardus; sed generale ejus assertum diverso modo de singulis intelligendum. Id ipsum, quod dicit, ordinem monasticum a Richardo II inductum, certo falsum est de monasterio* S. Michaelis, *quod monachi obtinuerunt sub Richardo I.*

explicatur.

347 *Fiscamnense monasterium sæculo 7 conditum fuerat sacris virginibus, ut refert Mabillonius tom I Annalium pag.* 447. *Cum vero destructum esset per incursiones Normannorum, Richardus I locum instauravit, in eumque induxit primum Canonicos, quibus Richardus II monachos substituit; ut habet Robertus, et pluribus narrat Mabillonius tom. IV, pag.* 62 *et* 152. *Rotomagense S. Pietri et S. Audoeni, quod virorum erat, similiter a Normannis fuerat combustum, restaurarumque est a Richardo, et, ut asserit Robertus,* Hildebertus primus factus est abbas sancti Audoeni in monasterio post restaurationem. *Jam vero de monasterio* S. Michaelis, *cui ipse præerat, sic loquitur :* In monasterio S. Michaelis jam fuerunt abbates fere quatuordecim, quorum decem habuerunt de extraneis monasteriis. *Catalogus abbatum* S. Michaelis, *in notis ad epistolas B. Lanfranci pag.* 350 *ab Acherio datus, exhibet quatuordecim abbates ante Robertum de Monte, ita ut hic æque ac alii abbatum catalogum exorsus sit a Maynardo, quem Richardus dux ibi abbatem constituit. Quapropter nullo uspiam verbo indicat, monachos ante Richardum fuisse in monasterio* S. Michaelis *de monte Tumba, sed dicens tria* monasteria *a Richardo instaurata, non distinguit inter monasteria virginum, canonicorum et monachorum. Nam primum ante fuerat virginum, secundum canonicorum, tertium monachorum. Omnia hæc a Richardo I instaurata, in omnia aut ab ipso aut a Richardo II inducti monachi.*

Ecclesia, in quam S. Michael creditus est penetrasse, bis combusta,

348 *Ad propositum nostrum non spectat, historiam illius* S. Michaelis *monasterii scribere : ex chronicis tamen pauca huc traducam ad sanctum Archangelum propius attinentia. Glaber lib.* 3, *cap.* 3 *refert incendium ecclesiæ* S. Michaelis *sub Roberto Francorum rege, eaque occasione de eadem dixit :* Quæ scilicet constituta in quodam promontorio littoris Oceani maris, toto orbe nunc usque habetur venerabilis. *In chronico tertio apud Labbeum idem incendium ponitur tempore Mainardi II abbatis, sed annus non assignatur. Contingere debuit sub finem sæculi* 10, *aut initium sequentis : nom anno* 991 *Mainardus factus est abbas, et anno* 1009 *dicitur successorem elegisse. Ecclesia nova in chronico primo dicitur inchoata anno* 1023. *In eodem chronico ad annum* 1102 *hæc leguntur :* Visus est a nonnullis, prope et procul positis, S. Michael archangelus, prout credimus, in figura columnæ igneæ, in nocte scilicet suæ festivitatis, penetrasse ecclesiam hujus montis. *Idem in chronico tertio exprimitur his verbis :* Visus est a nonnullis, prope ac procul positis, S. Michael, prout credimus, in figura columnæ igneæ nocte suæ ultimæ festivitatis penetrasse basilicam istius montis : et simile accidit tempore S. Mainardi abbatis et Norgodi Abrincensis episcopi. *In utroque etiam chronico ad annum* 1112 *ecclesia* S. Michaelis *fulmine dicitur combusta,* monachis *tamen* et burgo illæsis. *Idem habet Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum. Secundæ hæc est illius ecclesiæ conflagratio.*

349 *Non defuisse etiam pias peregrinationes eo*

AUCTORE J. S. *deinde etiam peregrinorum accursu illustrata,*

tempore, quo Benedictini ecclesiam S. Michaelis *in Monte administrarunt, ait laudatus Glaber, dicens,* eam a plurimis terrarum populis sæpius *frequentari ; idque paucis exemplis ostendam. Clarius in chronico S. Petri Vivi tom. II Spicilegii pag.* 740 *hæc scribit :* Eodem tempore (*inter annum* 1016 *et* 1025) Hludovicus comes Alemannorum orationis causa profectus est ad S.-Michaelis-Periculum (*id est, ad* S. Michaelem in-periculo-maris) rediensque usque Senonas, infirmitate carnis præventus, in monasterio sancti Petri monachus effectus migravit in astra locandus *etc. Si personæ ejusmodi qualitatis ex longe dissita Germania eo peregrinatæ sunt, dubitare non possumus, quin multi accurrerint ex vicinis Galliæ provinciis. Apud Mabillonium tom. IV Annalium pag.* 506 *dicitur* Warinus, *abbas S. Arnulphi Metensis*, ad sanctum Michaelem orationis causa *profectus. Verba ex epistola ipsius Warini alla sunt, eaque integra videri potest tom. I Analectorum.*

et regum Galliæ et Angliæ

350 *In Supplemento ad chronicum Sigeberti Robertus de Monte, qui tunc abbas erat* S. Michaelis, *ad annum* 1158 *de Henrico II Angliæ rege sic habet :* Inde (*Abrincis*) venit rex ad Montem S. Michaelis : audita Missa ad majus altare, comedit in B refectorio monachorum cum baronibus suis. *Hæc in festo* S. Michaelis. *Et paulo post de eodem :* Post aliquantulum temporis perrexit obviam Ludovico regi Francorum, venienti gratia orationis ad montem S. Michaelis de periculo maris : quem, ex quo intravit in ducatum Normanniæ, deduxit, et suis impensis decentissime procuravit... In festivitate vero beati Clementis die dominica venerunt uterque ad Montem beati Archangeli, et cum magno tripudio tam clerici * quam populi itum est regi Francorum obviam. In ipsa autem processione, excepto conventu monachorum et clericorum, et plebe innumera, fuerunt duo summi pontifices, unus archiepiscopus et alter episcopus, et quinque abbates. Audita Missa, abierunt Abrincas, deducente illum rege, et innumeris regiis muneribus tam illum quam suos usque ad fines sui ducatus prosequente. *Factum hoc Radulfus de Diceto et Gervasius monachus in chronicis suis brevius referunt ad eumdem annum* 1158. *Erat autem eo anno littera dominicalis* e, *ut festum S. Clementis, sive* 23 *Novembris, in dominicam inciderit.*

* *al.* cleri

visitationibus.

351 *Hisce plura de peregrinationibus non addam præter verba Mabillonii in observationibus* C *præviis ad apparitionem* S. Michaelis *in monte Tumba, ubi sic habet :* Istuc voti causa frequentes ex universa fere Europa concurrunt peregrini : quos inter Galliæ reges non pauci, nempe Ludovicus VII et S. Ludovicus, Philippus III, Carolus VI, Ludovicus XI, adeoque Henricus II Angliæ rex, suam loco præsentiam exhibere dignati sunt. Istic Ludovicus XI jam dictus S. Michaelis equestrem ordinem instituit, cujus generalia comitia quotannis eodem convocari diu moris fuit. Guillelmus Maior Andecavorum episcopus, electus anno 1291, Colinum quemdam removit ab incesta consuetudine; ea pœna imposita, « quod ipse in die Pentecostes publice « in ecclesia sua peram et baculum a sacerdote, ut « moris est, acciperet, inde iturus nudis pedibus « ad Montem B. Michaelis in monte Tumba : « qui sacerdos exponat ibidem populo causam, « quare dictus Colinus sic vadit in Montem « B. Michaelis et quod sit ei ex parte nostra in- « junctum in pœnam dicti publici incestus » inquit Guillelmus ipse in libro de gestis suis cap. 19 tomo X Spicilegii Acheriani. *Hactenus Mabillonius.*

Ecclesiæ, quæ tertio et quarto combusta.

352 *De donationibus ecclesiæ* S. Michaelis *per principes aliosque factis multa accumulari possent, quæ mitto. In chronico tertio ecclesia iterum combusta a* Britannis *dicitur tempore Jordani abbatis, sive inter* 1191 *et* 1212. *Quarto etiam fulmine conflagravit sub Gaufrido priore, id est inter* 1362 *et* 1382. *Resurrexit tamen majori cum magnificentia, ut liquet ex Annalibus Benedictinis Mabillonii, qui tom. IV, pag.* 75 *monasterium et ecclesiam descripsit, prout tum exstabat et suberat ordini Benedictino. Verba ejus huc transfero :* Mons S. Michaelis, instar excelsæ rupis seu promontorii, positus est in finibus Normanniæ et Britanniæ, quarum alteram ab altera fluviolus Coetnus * dirimit. Ad Orientem spectat Abrincas, urbem episcopalem, tribus circiter leucis distantem : ex opposito, pari fere intervallo, Pontem-Ursonis * ad fluviolum Coetnum. Mons ille quotidie æstu maris cingitur, ad quem, ubi fluctus recessit, ex urbe Abrincatensi accedentibus dimidiæ leucæ via est per varium et instabile salum, peditibus et equitibus non sine periculo permeabile : unde Monti-Sancti-Michaelis In-periculo-maris inditum vocabulum. Periculum auget fluviolus, a Glabro dictus Arduus, aliis Dero, qui E aliquando intumescens, atque intransmeabilis effectus, magnum peregrinis impedimentum facessit, ut idem auctor testatur. *Periculum oritur maxime ex ignorantia, quod peregrini celeritatem aquæ crescentis non habeant perspectam, et sic undique includantur ab aqua, priusquam evadere valeant in partem littoris aquis inaccessam. Inclusi vero ab aqua, facile in profundiora loca incurrunt.*

* Coesnon

* Pontorson

monasteriique et oppidi

352*b*. In decliviori parte montis ad Austrum opidulum est muris cinctum, in cujus extrema parte superiori occurrit porta ad arcem et monasterium, in summo monte cum ecclesia positum tanta arte fabricatum, ut spectantibus pro miraculo habeatur; tanta vero soliditate, ut ecclesia, cujus Orientalis facies Gothici operis delicatissima est, nullo ventorum procellarumve impetu concuti hactenus potuerit. Adhæret huic portæ domus prima custodiarum, ubi ab ingressuris, siqua habeant, arma deponuntur, nisi ea F retinere permittat monasterii prior, qui arcis prorector est. Inde ad ecclesiam, quæ in crepidine montii seu potius rupis sita est, sinuoso tramite asscenditur per urbem et arcem, cujus porta duplici turri instructa, duplici itidem cataracta munita est cum altera domo custodiarum. Illinc sit progressus ad monasterium, ad Orientem januam habens ad claustra ferentem, ex quibus ad ecclesiam et inferius dormitorium planus aditus est. Inferiori dormitorio aliud superius superstructum est cum cellis ad Aquilonem et austrum conversis, quarum porticus per vitream fenestram ab Oriente illustratur : unde prospectus in urbem Abrincas, et in minorem rupem, vocabulo Tumbelaniam, una fere leuca dissitam : ubi arx et ecclesia cum prioratu aliisque ædificiis non ita pridem visebatur, sed ob periculum hostium modo destructa. Hinc Mons-sancti-Michaelis Ad-duas-tumbas olim appellatus.

descriptio

353 Sub duplici illo dormitorio exstat amplissimum refectorium pulcre illustratum, duplici instructum fornice, columnis in medio interpositis : et sub refectorio ampla itidem aula, erogandis in pauperes eleemosynis deputata. Claustrum antiqui operis fabricatum est tempore sancti Francisci

A cisci Assisinatis, cujus statua cum primogenio habitu illic cernitur, ab ejus discipulis studiosu observata. Claustri pratellum plumbo constratum est, et sub eo fornix, in quo tres citernæ, quæ pluviales aquas excipiunt. Claustrum ipsum incumbit amplissimæ aulæ, equitibus Ordinis S. Michaelis destinatæ, triplici fornice cum columnis innixæ : sub qua ejusdem amplitudinis altera aula est ad varios usus, in qua grus tractoria habetur ad sustollendas in altum res loco necessarias. In parte Australi exstant abbatis ædes, infirmorum quoque necnon et hospitum, quorum cœnaculum et aula portæ monasterii adhærent. Super hanc aulam insignis habetur bibliotheca, plurimis referta libris, cum editis tum manu exaratis, maxime tempore Roberti abbatis de Torinneio, vulgo de Munto cognominati, qui centum et quadraginta volumina describi curavisse traditur. De hoc Monto Guillelmus Armoricus initio libri 8 Philippidos pulcre ita canit :

Hic summo rupis in vertice schemate miro
Condidit ecclesiam devotio Christicolarum
Angelico monitu, sibi quam sacravit honore
Perpetuo Michael Archangelus, ut famuletur
B Christo semper ibi monachorum concio sancta.
Quo vix perque gradus ascenditur; inferiusque
Pendula villa dumos plures habet et speciosas,
Et populi multi satis ampla sede capaces.
Qui locus in cœlum se taliter elevat, ut, dum
A longe aspicitur, aliud nihil esse videtur,
Ardua quam turris hominum fabricata labore,
Quam sola est operata sibi divina Majestas...

a Mabillonio composita

334 Quod attinet ad ecclesiam, quæ tota plumbo tecta est, ejus navis ad crucem usque veteris operis est, haud affabre constructa. At cætera pars, quæ caput ecclesiæ cum capellis in circuitu continet, tanta elegantia et tam exquisito artificio fabricata est ante annos ducentos, ut mirum sit tam delicatum opus tam diuturno tempore ventorum procellis resistere potuisse. Nova illa pars basilicæ, quæ sex aut septem præclara sacella in circuitu habet, grandibus columnis fulta est : inter quas habetur spatium ambulationi in tam angusto loco peropportunum. Ceterum sacra basilicæ supellex loci magnificentiæ respondet, uti et monasterii jura, quo nullum in C tota illa plaga nobilius est. Inter sacras reliquias eminet sancti Autberti episcopi Abrincatensis corpus, in pretiosa capsa asservatum præter caput, quod peculiari theca inclusum est. Ad Occidentalem basilicæ portam exstat alia præter superiores aula, quam Suvraii vocant, ex qua ad vastissimum catostroma * aditus est, tam ingentibus fultum pilis, ut horrorem spectantibus præbeant : quod etiam dicendum de pilis, quæ durmitoria fulciunt. Rudem hanc descriptionem augustissimi loci, quem mihi videre non licuit, ex aliorum relatu a me factam, lectori haud injucundam fore arbitratus sum, *ait Mabillonius, cujus relationem lectori sine examine communico. Addit in duplici tabula ænea* totius augustissimi loci duplicem cunspectum, *qui videri poterit loco allegato. Descriptionem demum concludit his verbis :* Illuc inducti sunt Congregationis nostræ monachi anno 1622, favente et agente serenissimo principe Henrico a Lotharingia, tunc loci abbate commendatario.

* plate forme

§ XXV. Particularia aliquot S. Michaelis beneficia et apparitiones.

De particularibus S. Michaelis beneficiis.

I*nfinitam esset recensere omnes ecclesias, monasteria, aliaque loca sacra, quæ in Gallia, Hispania, Germania, reliquisque Europæ ac provinciis, nomini* S. Michaelis *dicata sunt. Hunc igitur laborem non assumam, utpote viribus meis imparem, dixisse contentus, plurimas in quibuslibet orbis Christiani provinciis inveniri ædes* S. Michaelis *nomine Deo dicatas. Particularia* S. Michaelis *beneficia, cum apparitionibus conjuncta, etiam plurima apud scriptores reperiantur, sed non omnia æque certis testimoniis probata sunt, ut in miraculis et apparitionibus passim contingit. Quapropter ex probatis scriptoribus et Actis Sanctorum nonnulla solum seligere statui, omissis iis, quæ in Actis fabulosis occurrunt. Hæc enim solum refutanda recenserentur. At satis jam refutata sunt, quando Acta, in quibus asseruntur, suis locis sunt* E *improbata. Talis est apparitio* S. Michaelis, *asserta in Actis S. Eudociæ martyris, tom. I Martii pag.* 14. *Nam etsi Acta ista, dum Operi nostro primum inserta sunt, non videantur improbata, ut contigit de aliis quibusdam, improbanda tamen esse, satis insinuavit Papebrochius tom. II Aprilis ad Acta S. Eleutherii pag.* 532, *et apertius declaravit ante tomum I Maji in Annotatis ad Ephimerides pag.* 17. *Hoc pro specimine assigno, ut studiosus lector intelligat, omittere me illa, quæ suis locis jam rejecta sunt, aut ob aperta Actorum vitia certo rejicienda.*

Etsi incertum sit, quod narratur de S. Ambrosio

336 *S. Gregorius Turonensis lib. I de Miraculis S. Martini, cap.* 5 *narrat, S. Ambrosium die dominico publice in ecclesia obdormivisse, et* transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, *a suis excitatum fuisse, ut lectionem juberet legi. Excitatus autem dixit, obiisse S. Martinum, et se* ejus funeri obsequium præbuisse. *Post pauca Gregorius, tamquam verba Ambrosii referens, in laudem S. Martini sic exclamat:* O beatum virum, in cujus transitu Sanctorum canit numeratus, An- F gelorum exsultat chorus, omniumque cælestium virtutum occurrit exercitus; diabolus præsumtione confunditur, Ecclesia virtute roboratur, sacerdotes revelatione glorificantur! Quem Michael adsumsit cum Angelis, Maria suscepit cum virginum choris, paradisus retinet lætum cum Sanctis etc. *Verum tota hæc relatio ab aliquibus pro fictitia habetur, quod existiment S. Ambrosium obiisse ante S. Martinum, ut credidit Baronius, aliique non pauci eum secuti.*

in funere S. Martini: anima ejus a S. Martini a S. Michaele

337 *Hinc aliqui voluerunt, autem visionem non obtigisse S. Ambrosio Mediolanensi, Ecclesiæ doctori, sed S. Ambrosio, qui illo tempore Mediolani Santonum in Gallia episcopatum gerebat, ut observavimus ad* 28 *Augusti, quo de S. Ambrosio Santonensi egimus. Revera fieri potuit, ut quod contigerat S. Ambrosio in Gallia antistiti, per traditionem corruptam a Turonensi transferretur ad celebriorem in Italia Ambrosium. At necdum inveni tam certo probatum, superfuisse S. Martinum post Ambrosium, ut S. Gregorium certi erroris arguendum existimem. Poterit ad* 11 *Novembris aut ad* 7 *Decembris res illa prolixius examinari, quam congruat huic loco. Interea credemus,*

AUCTORE J. S.

mus, animam S. Martini ab Angelis *et a* S. Michaele *susceptam perlatamque ad cælestem gloriam.*

suscepta, et ab Angelis ad cœlum perlata creditur;

358 *Laudatus Turonensis cap. 4 asserit, tempore obitus S. Martini cœlestem melodiam a S. Severino Coloniensi auditam, eumque archidiacono suo similia post preces audienti, dixisse:* Domnus meus Martinus episcopus migravit ex hoc mundo, et nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. *Vidimus in hoc Commentario num. 182,* Angelorum *officium esse, Sanctorum defunctorum animas ad cœlum perducere. Quapropter non videtur dubitandum, quin id officii sanctissimo Martino præstiterint, præsertim cum eidem præbuerint favores minus usitatos, teste Sulpicio Severo locis pluribus. In Dialogo 3, cap. 11, sic habet:* Veniam ad illud, quod propter notam temporum semper occultavit: sed nos celare non potuit. In quo illud est miraculi, quod facie ad faciem cum eo est Angelus conlocutus. *Tum refert cap. 15, occasionem qua inductus fuerat, ut semel cum Ithacianis communicaret, docetque postero die mæstum rediisse illius facti causa. Deinde*

B *subjungit:* Haud longe a vico, cui nomen est Andethanna, qua vastas solitudines silvarum secreta patiuntur, prægressis paululum comitibus, ille subsedit, caussam doloris et facti accusante ac defendente invicem cogitatione pervolvens. Adstitit ei repente Angelus: Merito, inquit, Martine, compungeris, sed aliter exire nequisti. Repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. *Quid postea fecerit S. Martinus, subdit Sulpicius: at id huc non spectat. Sic etiam hic non examino, quantum in eo facto deliquerit.*

sicut idem S. Martinus in vita

359 *Aliud de familiaritate S. Martini cum* Angelis *narrat in Dialogo 2, cap. 5. Cum Valentinianus imperator nosset, S. Martinum aliquid petiturum, quod nolebat concedere, jussit eum arceri a palatio, idque factum est aliquot diebus.* Septimo vero die adstitit ei Angelus: Jubet eum ad palatium ire securum, regias fores, quamlibet clausas, sponte reserandas, imperatoris spiritum superbum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis Angeli confirmatus adloquio, et fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obsistit: postremo usque ad regem, nemine prohibente,

C pervenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens, cur fuisset admissus, nequaquam adsurgere est dignatus adstanti, donec sellam regiam ignis operiret, ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, adflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, et Martino invitus adsurgit: multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatebatur *etc.*

Angelorum subsidia frequenter expertus,

360 *Aliud narrat cap. 13, ita scribens:* A Martino autem sæpe Angelos visos familiariter, et sensimus et experti sumus. Rem minimam dicturus sum, sed tamen dicam. Apud Nemausum episcoporum synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat, sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpicius navigabat; sed procul, ut semper, a cæteris in remota navis parte residebat. Ibi ei Angelus, quid gestum esset in synodo, nunciavit. Nos postea tempus habiti concilii sollicite requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conventus, et ea ibi ab episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nunciarat. *Aliud narrat in vita S. Martini cap. 14. Volebat Sanctus templum gentilium evertere, sed horum multitudo resistebat. Secessit igitur, ferventerque procabatur a Domino, ut quia*

D templum illud evertere humana manu non potuisset, virtus illud divina dirueret. Tum subito ei duo Angeli hastati atque scutati, instar militiæ cœlestis, se obtulerunt, dicentes, missos se a Domino, ut rusticam multitudinem fugarent, præsidiumque Martino ferrent, ne quis, dum templum dirueretur, obsisteret: rediret ergo, et opus cœptum devotum impleret. Ita regressus ad vicum, inspectantibus gentilium turbis et quiescentibus, dum profanam ædem usque ad fundamentum dirueret, aras omnes atque simulacra redegit in pulverem. Quo viso, rustici, cum se intelligerent divino nutu obstupefactos atque perterritos, ne episcopo repugnarent, omnes fere in Jesum Dominum crediderunt *etc.*

361 *Aliud cap. 19 narrat his verbis:* Ipse autem cum casu quodam esset de cœnaculo devolutus, et per confragosos scalæ gradus decidens, multis vulneribus esset adfectus, cum exanimis jaceret in cellula, et immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus visus est eluere vulnera, et salubri unguine contusi corporis membra contingere: atque ita postero die restitutus est sanitati, ut nihil unquam pertulisse incommodi putaretur. *Idem cap. 21 ait:* Constat autem, etiam Angelos ab eo plerumque visos, ita ut conserto invicem apud eum sermone loquerentur. *Ex tot* Angelorum *in S. Martinum officiis facile credere possumus, animam morientis a* S. Michaele *susceptam, et ab* Angelis *ad cœlum perlatam.* E

et cum iisdem locutus dicitur,

362 *Si in S. Ambrosio errare potuit Turonensis, aut potius alienum errorem adoptare, quod duobus fere sæculis esset posterior; id timendum non est de alio facto, quod narrat lib. 6 Historiæ cap. 29 de B. Disciola virgine religiosa,* quæ beati Salvii Albigensis episcopi neptis erat. *De S. Salvio Albigensi, quem noverat Grogorius, actum est ad 10 Septembris: de B. Disciola, quam similiter nosse potuit, ad 13 Maji. Vivebat hæc et mortua est anno 582 aut 583 in monasterio S. Radegundis in urbe Pictaviensi, quando S. Gregorius præerat ecclesiæ Turonensi. De visione autem, quam in extremo vitæ articulo illa habuit, ita scribit Gregorius:* Denique stantibus illis (*monialibus*) coram ea, exspectabant, quid ab illa elocutionis audirent. Ipsa autem expansis manibus benedictionem, a nescio quo, efflagitans, ait: Benedic, inquit, mihi sancte ac famule Dei excelsi. Ecce enim jam tertio fatigaris hodie mei causa. Et cur, Sancte, pro infirma muliercula crebras injurias sustines? F

Anima B. Disciolæ, cum gaudio morientis,

363 Interrogantibus vero illis, ad quem hæc verba proferret, penitus non est effata. Tunc facto modico intervallo, emisit vocem magnam cum risu, et sic tradidit spiritum. Et ecce quidam energumenus, qui tunc ad beatæ Crucis gloriam mundandus advenerat, arrepta manibus cæsarie, conlisit se in terram, dicens: Heu, heu, heu nobis, qui tale damnum perpessi sumus!... Inquirentibus vero his, qui aderant, quod esset hoc verbum, quod loquebatur, respondit: Ecce animam puellæ Michael angelus suscepit, et ipse eam ad cælos evehit. Princeps vero noster, quem vos diabolum nominatis, nihil in ea participatur. Post hæc corpus aquis ablutum ita candore niveo refulgebat, ut nullum linteum reperire abbatissa potuisset in promtu, quod corpore candidius cerneretur *etc. Hactenus Gregorius.*

ad cœlum delata

364 *In vita S. Wilfridi, episcopi Eboracensis, quam scripsit Eddius Stephanus, vir doctus ejusdemque*

AUCTORE I. S.

A *demque Wilfridi discipulus et familiaris, apud Mabillonium sec. 4 Bened. part. 1, pag. 713, cap. 53 de S. Wilfrido, Meldis in Gallia graviter ægrotante, hæc leguntur :* Quippe qui nihil alicujus cibi vel liquoris quatuor diebus et quatuor noctibus degustavit; sed in excessu jacens spiritus, tantum halitus et calida membra vivum demonstrabant. Quinta demum die mane illucescente, ecce angelus Domini in veste candida sancto pontifici nostro apparuit, dicens : Ego sum Michael summi Dei nuntius, qui misit me ad te indicare, quod tibi adduntur anni vitæ pro intercessione sanctæ Mariæ Genitricis Dei semperque virginis, et pro subditorum tuorum lacrymis ad aures Dei pervenientibus : et hoc tibi erit signum, quod ab hoc die in dies melioratus sanaberis, et ad patriam tuam pervenies, tibique substantiarum tuarum carissima reddentur, et in pace vitam consummabis. Paratus quoque estu : quia post quatuor annorum spatium iterum visitabo te. Jam enim memento, quod in honore sancti Petri et Andreæ apostolorum domos ædificasti : sanctæ vero Mariæ semper virgini intercedenti pro te nullam fecisti. Habes hoc emendare, et B in honorem ejus domum dedicare. Et post hæc verba angelus Dei assumptus ab oculis ejus decessit.

S. Wilfrido moribundo S. Michael apparet,

eique et sanationem impetratam

365 Sanctus itaque pontifex noster, quasi de somno excitatus, surgens, inter choros canentium et flentium resedit, dicens : « Ubi est Acca » presbyter? » Qui statim cum gaudio advenit, gratias agens Domino cum omnibus, quod eum sedentem et loquentem vidissent. Deinde ergo, remotis fratribus de domo, solo fidelissimo presbytero suo Acca, qui nunc est beatæ memoriæ gratia Dei episcopus, per ordinem (sicut supra diximus) visionem omnem revelavit. Et statim sanctus presbyter præfatus, acuti ingenii, intellexit, gratias agens Domino, eo modo pontifici nostro pro intercessione sanctæ Mariæ virginis, Matris Domini, et pro subditorum suorum precibus, annos vitæ additos, sicut Ezechiæ regi Judæ quindecim annos adjectos *etc. Eamdem apparitionem* S. Michaelis *refert Beda in Historia lib. 5, cap. 20, prætermissis tamen illis verbis, quibus S. Wilfridus dicitur reprehensus, quod non ædificasset ædem beatissimæ virgini dicatam. Eadem omittuntur in vita S. Wilfridi apud nos data* C *ad 24 Aprilis, quam concinnavit Eadmerus, gravis scriptor, sed minus vetustus.*

et alia plura prædicit

366 *Apud Bedam S. Wilfridus de visione sua ad Accam presbyterum ita locutus legitur :* Visio mihi modo tremenda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam, quid de me fieri velit Deus. Astitit enim mihi quidam candido præclarus habitu, dicens se Michaelem esse archangelum, et ob hoc, inquit, missus sum, ut te a morte revocem. Donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem suæ beatæ Genitricis semperque virginis Mariæ. Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis : sed paratus esto, quia post quadriennium revertens visitabo te. Patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. *Hæc omnia fuisse impleta, clare perspicitur ex Eddio, Beda et Eadmero. Nam omnes consentiunt, Sanctum convaluisse, in Angliam pervenisse, in episcopatum, quo fuerat privatus, restitutum esse, et demum post quadriennium iterum graviter ægrotasse. In postremo tamen Eddius dissentit a Beda et Eadmero : nam hi ex illo morbo defunctum crediderunt. Eddius vero docet. Sanctum iterum convaluisse, et superfuisse aliquo tempore, atque interim condidisse testamentum. Utrumque tamen congruit prædictioni* S. Michaelis *de visitatione post quadriennium.*

367 *At non ita liquet, an sanctus perfecerit, quod solus Eddius de verbis* S. Michaelis *narravit :* Habes hoc emendare, et in honorem ejus (*beatissimæ Virginis*) domum dedicare. *Nam, ut observat, Mabillonius,* nullam tamen posthac ecclesiam construxisse dicitur ; sed tantum quædam legasse ecclesiæ sanctæ Mariæ, infra cap. 59. *Vera est observatio id nullibi aperte dici. Existimo nihilominus, ecclesiam aliquam sanctæ Mariæ virgini a Wilfrido exstructam et dicatam; idque Eddiam illis ipsis testamenti verbis, quibus nonnulla eidem legavit, insinuasse. Diviserat bona sua in quatuor partes : de prima vero parte volebat munera offerre ecclesiis,* donaque portare ad ecclesiam sanctæ Mariæ Matris Domini dedicatam *etc. Non addit, cuinam ecclesiæ Matris Domini dona destinaret, nisi designet* dedicatam *a se ecclesiam, aut fortasse Romanam beatissimæ virginis basilicam. Verum necesse non erat posteriorem hanc designare voce* dedicatam, *ut magis credam, ecclesiam beatæ Virgini ab ipso dicatam, eamque iis vocibus expressam. Quod vero de ejus constructione apertius non sit locutus Eddius, non mirabimur, si consideremus, paucissima de Sancti gestis rum narrasse quatuor ultimis vitæ ejus annis, eumdemque construendam ab illo dictam ecclesiam, verbis* S. Michaelis *clare edixisse, ut fortasse constructionem iterum referendam non crediderit. Sic S. Petri ecclesiam a Wilfrido exstructam cap. 55, et 62 breviter insinuavit, licet ejus constructionem suo loco non narraverit. Quapropter omnino existimo, ecclesiam aliquam beatissimæ Virgini a S. Wilfrido exstructam, ut eidem a* S. Michaele *prædictum scribit Eddius; præsertim cum in ipso testamento apud Eddium cap. 59 ostendat illius apparitionis se memorem his verbis :* Ideo namque hæc statuta dico, ut me Michael archangelus visitans, paratum inveniat. E

videtur postea Wilfridus ecclesiam beatæ Virgini struxisse.

368 *Inter miracula S. Joannis Reomaensis, tom. II Januarii pag. 867 refertur liberatio energumenæ quam auctor se vidisse testatur. Perfectam quidem mulieris sanationem beneficia S. Joannis Reomaensis scriptor attribuit, favorem tamen* S. Michaelis *agnoscit, ita scribens :* Tandem ergo, dum vespertina a fratribus persolverentur suffragia, ipsaque ad S. Michaelis archangeli fuisset oraculum (*id est, oratorium*) illata, dæmon cœpit clamare, ab eodem archangelo se coucatenari et valentius ignibus cremari. Sputa quoque mixta pariter cum sanguine ab ea efferuntur, ut ipsam introrsus gravissime discerpi crederes, et pene mortuam agnosceres. Ex quo gratia Domini levius habere visa est, donec mirabili præfati confessoris munere integræ saluti restituta est. F

Patrocinium S. Michaelis

369 *Patrocinium* S. Michaelis *contra dæmones asseritur in vita B. Bernardi Ptolomæi, data ad 21 Augusti. Minoris quidem auctoritatis hæc vita videri debet, quia scriptoris est recentioris, non caret tamen sua probabilitate, cum vita beati fuerit scripta ab auctore contemporaneo, et ex ea recentiores hauserint. Itaque, præmissa hac monitione, asserta recentioris biographi huc transfero. Ubi narraverat, templi Olivetani constructionem impeditam fuisse dæmonum malitia, quod noctu destruerentur, quæ per diem erant constructa; beatumque*

contra dæmonum

AUCTORE J. S.

tumque Bernardum precibus institisse apud Deum contra malignas id genus dæmonum vexationes; subjungit pag. 480, num. 29 : Distulit aliquot dies, sed tandem dolore affectum (*Bernardum Ptolomæum*) mirabili ostento sanavit divina bonitas. Nam inter ferventius orandum exstasi correpto viro Dei apparuit juxta ruinarum acervos militari specie Juvenis, statura procerus, ore elegans, templum circumiens, districtum gladium hac illacque vibrans, et dæmones perturbatores sternens, fugans ; cumque superne novit esse Michaelem cælestis militiæ principem, loci, vindicem et custodem in posterum futurum. Jam amico spectaculo Bernardus erigitur animo, perfunditur dulcedine. Fratres vero certiores facti, et ad constructionem ædis alacrius incumbunt, et archangelo tutelari aram inibi exædificant. *Alter scriptor, cujus tituli ibidem in Commentario prævio dati, de eodem facto sic habet pag. 469, num. 26 :* Celebre templum et cœnobium Montis Oliveti in eremo Acconæ Bernardo ædificante, inferni lemures, assumpta Æthiopum forma, noctu evertentes, quod fuerat constructum interdiu, Bernardi precibus a Michaele archangelo fugantur.

B

...molitiones.

370 *Hic auctor mox num. 28 alterius elogii talem dat titulum :* Contempto a diabolo graviter vulneratus (*Bernardus Ptolomæus*) a Michaele archangelo sanatur. *Consentit ante laudatus biographus num. 32, ita a dæmonibus exceptum asserens,* ut jaceret prope exanimis. Verum, *inquit,* succurrente eremi vindice Michaele archangelo, qui concussa membra cælesti linivit balsamo, mirifice convalescit. *Uterque etiam affirmat,* S. Michaelem *cum Jesu et Maria adfuisse morienti Bernardo Ptolomæo. Omnia hæc* S. Michaelis *in* B. Bernardum *beneficia affirmant et plures alii ejus scriptores recentiores. Ex eorum consensu verisimile quidem fit, similia a primo, eoque contemporaneo, biographo asserta fuisse. Mallem tamen in uno illo omnia legere, quam in neotericis pluribus.*

Beneficium B. Ferdinando Lusitano præstitum.

371 *In actis B. Ferdinandi, principis Lusitani, qui anno* 1443 *Fessæ in Africa in carcere obiit, tom.* 1 *Junii, pag.* 584, *num.* 99 *hæc leguntur. Ægrotans B. Ferdinandus confessario in carcerem misso narravit, apparuisse sibi beatissimam Virginem cum multis personis gloriosis, seque genua flexisse coram ea :* Quando, *inquit,* aliquis ex illa societate dixit. Obsecro, Domina, ut miserearis hujus servi tui, qui tantopere tibi servivit, teque honoravit in hoc mundo. Vide, quam diu affligatur; et precare Filium tuum, ut finem ponat tantis ejus ærumnis. Offero tibi, Domina, pro illo preces meas ; quia mihi devotus est ; placeat tibi efficere, ut nobiscum ponatur. Hoc audito, intendi oculos in eum, et vidi, quod altera manu bilancem , altera crucem teneret , cum quibus symbolis christiani solent pingere archangelum Michaelem : et intellexi, ipsummet esse, quem Deus per ejusmodi signa cognoscendum mihi dabat. *Ita lusitanice scripsit Joannes Alvares, principis secretarius, et in carcere socius, postea liberatus, ut ab eo dicta confessario ante postremam confessionem.*

C

Creditur S. Michael Christianis apparuisse in expugnatione Cæsaraugustæ.

372 *Didacus Murillo in opere hispanico de urbis Cæsaraugustanæ excellentiis tract. 2, cap. 46, pag. 592 agit de ecclesia parœciali* S. Michaelis, *dicta* Navarrorum, *quæ condita fuit extra antiquos Cæsaraugustæ muros. Causam autem conditæ illius ecclesiæ refert ad apparitionem* S. Michaelis, *quem ait multa cum claritate conspectum fuisse a christianis urbem obsidentibus, quando eam sæculo* 12 *expugnavit Alphonsus Aragoniæ rex. Scriptores quidem, quos laudat; non tam vetusti sunt, ut fidem indubitatam sibi vindicare valeant : attamen, quantum apparet, Cæsaraugustani beneficium istud pro satis comperto habent, cum quod a scriptoribus non paucis assertum fuerit, tum quod per litteras Cæsaraugustanas, anno* 1723 *ad Majores nostros datas, rogati fuerimus, ut de eo mentionem faceremus, tum quod grata memoria recolatur Cæsaraugustæ. In dicta Epistola dicitur ecclesia constructa in eo ipso loco, unde urbs per christianos impugnata fuit, memoratamque apparitionem quotannis die* 13 *Julii in eadem ecclesia celebrari. Addit hispanice in epistola Martinus Medardus Corredor, quæ reddo latine :* Tota hæc civitas veneratur sanctum archangelum, tamquam liberatorem suum, et in ejus festivitate, die 29 Septembris, omnes civitatis ordines generali processione ad ejus ecclesiam accurrunt. D

ejusdem patrocinio oppidum Tauste

373 *In diœcesi Cæsaraugustana versus confinia Navarræ oppidum non ignobile est,* Tauste *dictum, in quo festivitas apparitionis S. Michaelis die 8 Maji magna devotione et cum cessatione operum servilium quotannis ex voto celebratur. Ratio est singulare beneficium, quod anno* 1421 *patrocinio* S. Michaelis *a Deo impetrarunt, quando immensa locustarum agmina omnes terræ fruges vastare et devorare cœperant. De voto ejusque causa, et de celebrata festivitate illa, nobis constat ex actis publicis, quæ anno* 1722, *die* 16 *Junii, hispanice conscripsit Josephus Antonius Cupillar, notarius regius in oppido Tauste, quæque pluribus testimoniis confirmata eodem anno Cæsaraugusta hac misit P. Joannes Baptista de Arbizu Societatis nostræ sacerdos. Possem acta integra huc transferre, nisi viderentur prolixiora, quam necesse sit ad rem ipsam exponendam. At brevitatis et majoris etiam claritatis causa, malim præcipua capita seligere, et ordine historico huc referre.* E

innumeratum locustarum malo liberatum,

374 *Causa voti exposita fuit in plena congregatione ecclesiasticorum et sæcularium, qui in ecclesiam parœcialem oppidi Tauste voce præconis fuerant convocati, et quorum præcipui longo ordine enumerantur. Allegatum autem ibidem fuit, quod ob hominum peccata Deus immisisset innumerabilem multitudinem locustarum, quæ omnes fruges terræ, et nominatim frumentum,* comederant, perdiderant ac devoraverant : *quod ea de causa, cum sine Dei ope non possent tantum avertere flagellum, recurrissent ad divinam misericordiam per intercessionem sanctissimæ virginis Mariæ, omniumque sanctorum,* et specialiter S. Michaelis archangeli, principis cælestis exercitus : *quod in die apparitionis* S. Michaelis *divina misericordia preces illas exaudisset, ne fame perirent; manumque extendisset, et prodigiose omnes locustas perdidisset ac consumpsisset. In statuto, quod ob has rationes conditum est, clarius dicitur, quod locustæ in die apparitionis* S. Michaelis *sint* mortuæ. F

festum Apparitionis solemniter celebrat.

375 *Votum, quod his de causis voverunt communi omnium consensu, continet primo annuam supplicationem in festo apparitionis instituendam; secundo strictam cessationem operum servilium : tertio pro iis, qui foris sunt, obligationem redeundi eo die ad oppidum, nisi obstet justa ratio. Tale votum nomine omnium, etiam absentium et futurorum, voverunt in perpetuum, et solemni juramento confirmarunt anno* 1421. *Testatur porro Josephus Antonius Cupillar notarius in actis anni* 1722, *quibus acta illius temporis inseruit, votum istud singulis annis populo prælegi in ecclesia* S. Michaele

A S. Michaelis, *ad quam supplicantium agmen ex ecclesia majore procedit, tantoque cum rigore servari, quanto potuit primo nuncupationis anno.*

Antverpia in festo S. Michaelis morbo epidemico liberata.

376 *Habuit et urbs Antverpiensis, ubi hæc scribimus, duobus sæculis supplicationem annuam in festo præcipuo* S. Michaelis, *sive die* 29 *Septembris. Ratio datur ab Auberto Miræo in Chronico Belgico ad annum* 1529, *quo generalis illa omnium ordinum per urbem processio exordium habuit. Nam ibi hæc scribit:* Septembri mense novum pestilentis morbi genus, quod Sudorem Anglicum nuncupabant, Germaniam et Belgium graviter afflixit. Antverpiæ tridui spatio quadringentos aut quingentos homines exstinctos, Erasmus in Epistolis testatur. Itaque cum solemnem supplicationem clerus, senatus ac populus Antverpiensis ipso die S. Michaelis placando Deo instituisset, subito malum serpere desiit. In cujus beneficii memoriam etiamnum quotannis isto die piam Antverpienses habent supplicationem. *Ita Miræus sequenti sæculo. Supplicatio illa nostro etiam tempore continuata fuit eodem die. Veruntamen cum paucis abhinc annis festo* S. Michaelis *et aliis pluribus in Belgio permissa fuerant opera* B *servilia, relicta solum obligatione assistendi sacro Missæ sacrificio, supplicatio illa fuit translata ad dominicam, quæ festum* S. Michaelis *præcedit, eaque hodie instituitur. Plura de particularibus* S. Michaelis *beneficiis non afferam; examinandum tamen videtur, quid credendum sit de ordine militari, quem ejusmodi beneficii causa olim in Lusitania institutum, neoterici quidam voluerunt.*

§ XXVI. An insignis victoriæ causa in honorem S. Michaelis institutus sit Ordo militaris de Ala? Ordo S. Michaelis in Gallia.

Victoria de Mauris ope S. Michaelis relata fertur,

Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi ad hunc diem sic habet:* In Lusitania Triumphus sancti Michaelis, quando copiosissimum Agarenorum exercitum visibiliter profligavit: in cujus memoriam ordinem de Ala Alphonsus C Henriquez, Lusitanorum rex, sub Cisterciensium legibus instituit. *De victoria illa institutoque illius causa ordine del Ala in honorem* S. Michaelis *fuse etiam agit angelus Manrique in annalibus Cisterciensibus ad annum* 1167 *cap.* 8, *aliique recentiores. De ordine del Ala scribit Hippolytus Helyot in Historia Ordinum Monasticorum et Militarium tom. VI, cap.* 6, *pag.* 69, *ubi assignat et alios scriptores, quos secutus est. Inutile esset plures allegare scriptores neotericos, cum omnes satis consentiant, unicumque allegent monumentum antiquum (ut credunt) ex quo tota dicti ordinis historia fuit desumpta. Beneficium quoque* S. Michaelis, *quo Alphonsus Lusitaniæ rex victoriam de Mauris obtinuisse dicitur, similiter ex unico illo instrumento innotescit. Quapropter illud ipsum monumentum videtur diligenter examinandum. Si enim monumentum hoc sit suspectum, tam beneficium* S. Michaelis, *quam ipsa ordinis del Ala institutio, consequenter de falsitate fiunt suspecta.*

eaque de causa institutus Ordo militaris. Litteræ

378 *Nimirum omnes allegant litteras institutionis, quas dedisset æra* 1205, *sive anno æræ Christianæ* 1167, *Alphonsus Henriquez Lusitaniæ rex post insignem de Mauris relatam victoriam. Eas primus edidit Bernardus de Brito in chronico Cisterciensi lusitanice scripto, et impresso Ulyssipone anno* 1602, *lib* 5, *cap.* 19. *Totas ex eo huc transferam, ut, qui de fide litterarum non dubitabunt, integram habeant illius Ordinis historiam, alii vero melius perspicere valeant, quali fundamento totus Ordo nitatur. Litteræ sic editæ sunt:* In Dei nomine sancti Michaelis archangeli, et sancti Angeli custodis. Quoniam quidem decet beneficia omnipotentis Dei debitis compensare obsequiis, idcirco ego Alfonsus Dei gratia Portugalensium rex, volens et desiderans divinum favorem, pro mea parvitate recognoscere, et ut posteri mei recordentur mirabilium suorum, per quæ regnum nostrum stabelivit in terra, de consilio et matura deliberatione bonorum virorum, quos Dominus illegit sibi Martini, scilicet abbatis Alcobatiæ, Ranulphi in divinis literis magistri, et plurimorum monachorum ejusdem cænobii, qui afuerunt, nec non et nostræ curiæ rectorum, instituimus, quamdam fraternitatem militum in laudem, et honorem Domini nostri Jesu Christi, et beatissimæ Virginis Mariæ Matris ejus, specialiter vero sub invocationem sancti Michaelis archangeli et Angeli mei custodis. E

AUCTORE J. S.

regis Lusitaniæ in quibus refertur victoria,

379 Ratio vero cur sic instituatur societas ista, hæc est. Dum ego essem in Satarena, venit contra me Albarch rex Sibilliæ, cum ingenti multitudine militum, taliter quod omnes terminos regni mei, cooperiebant sua multitudine, et castra metavit justa opidum, in quo ego cum parva manu meorum eram inclusus, expectans aliquorum adventum, sed accessit nuntius referens adventasse consobrinum meum regem Legionis, et quia erat inter nos suspicio, timui illum, credens quod veniret in auxilium inimicorum meorum, propter quod constitui exire in bellum contra Albarch, antequam veniret, et visi in crastinum præparare gentem meam, et ego in orationem rogavi Angelum meum, quem Deus per suam misericordiam dedit mihi in socium, et custodem, at beatum archangelum Michaelem, quod veniret in meum auxilium, et eriperent me de manu inimicorum meorum, quod quidem accidit: et cum in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego desilii de curru, ut liberarem illud, et cum in præsura pedibus pugnarem, mirabile visu evenit juxta me peccatorem brachium pugnantis, et adjuvantis me, armatus F quidem, secundum visum meum, et sumitatem ejus cooperiebat, Alla tanquam angeli, corpus autem non videbam, nec aliquis vidit, quamquam multi Maurorum manum vidissent, sicut postea dixerunt captivi, cum ego manum vidi intra me confortatus insilii in hostes, et ecce cadebant a latere meo mille, et decem milia a dextris meis, vulnus autem ad me nullum appropinquabat. Victus est inimicus meus, et colligimus spolia eorum, et vidimus postratam in campis Santarenæ manum magnam, quæ persecuta fuerat nos, et cantavimus laudem Deo nostro, quoniam bonus quoniam et in æternum misericordia ejus.

ob quam ordo institutus,

380 Postea autem dum me pararem ad bellandum cum rege Legionis, scivi illum venisse in adjutorium michi, etiam reddero in pace, de quo lætus et gaudens, veni ut lauderem Dominum Jesum Christum ad monasterium Alcobatiæ, in quo fui per dies triginta tres serviens ei, et cogitans de regno Dei, et ne obliviscatur adjutorium sancti Michaelis, et angeli mei, de consilio supra dictorum, decrevi facere unum ordinem

AUCTORE I. S.

nem et societatem militum, qui deferant supra cor Allam purpuream, insignitam auro, et fulgore, sicut visum fuit, oculis meis fuisse illam, quam videram in prælio.

legesque præscribuntur

381 Conditiones autem, quas debent servare milites hujus societatis, et juraro dum acceperint Allam, hæc sunt. Prima : nullus qui nobilis de palatio et curia nostra non fuerit non deferat Allam, nec admittatur ad societatem nostram. 2. Omnes qui in conflictu pugnaverunt, ut eriperent signum meum, erunt admissi ad societatem, et deferent Allam. 3. Ille, qui admittitur ad societatem, erit in prælio justa regem, vel justa ejus signum, et nullus poterit illud deferre, nisi portaverit Allam. 4. Ille, cui datur Alla, jurabit in manibus abbatis Alcobatiæ fidelitatem Deo, romano pontifici, et regi, in forma solita, et nullus dabit Allam propter abbas Alcobatiæ. 5. Miles hujus militiæ, recitet quotidie numerum orationum, quas solent recitare conversi ordinis Cisterciensis, sive in pace sive in bello.

militibus observandæ.

382 Cum alliquis recipit ordinem, dabit quinquaginta solidas ad reparandum altare S. Michaelis, quod est in ecclesia Alcobatiæ. 7. Omnes B fratres hujus militiæ, ibunt ad Alcobatiam in vigilia sancti Michaelis, et audient oras vespertinas, matutinas, et Missam, et recipient communionem de manu abbatis induti in cappis albis, ad formam conversorum. 8. Abbas Alcobatiæ habebit jurisdictionem super milites et poterit illos excommunicare, si male vixerint, et compellere ut relinquant concubinas et pessimam vivendam. 9. Miles hujus societatis post primum matrimonium si habuerint filios, vel filium heredem, non transient ad secundas nuptias post obitum primæ uxoris, sed vivent in continentia. 10. In scutis in bello habebunt Allam absque aliud insigne, et in pace non ibunt sine illa. 11. Erunt equites hujus fraternitatis mites humilibus, duri superbis, mulieribus præcipue inobilibus virginibus et viduis auxiliatores, in omnibus fidei defensores, hostium impugnatores, et superioribus obedientes. 12. Erit numerus militum juxta voluntatem regis, et quem elegerit, mittet ad abbatem Alcobatiæ et ipso dabit ei Allam, et cappam candidam cum sua benedictione, et accipiet ab eo juramentum in forma consueta, et leget ei istas ordinationes, et alias sui ordinis, et describit C nomen ejus in codice.

cum omnibus mendis, ut editæ fuerunt, recitantur.

383 Et quia hæc est mea voluntas et volo memorare posteris meis beneficium Domini et sancti Michaelis, constitui ego rex Alfonsus hanc militiam in cœnobio Alcobatiæ era M. CC. V. *Hactenus litteræ cum omnibus mendis, quæ nolui corrigere, et ne ad marginem quidem annotare, quia nimis sunt frequentia. Intelliget tamen studiosus lector, quid auctor litterarum voluerit. Verum nunc aliqua, tam de asserta in litteris victoria, quam de ordine militari ejus causa instituto, ut ferunt litteræ, necessario veniunt observanda.*

At has litteras de falsitate suspectas faciunt

384 *Unicum, ut jam monui, hoc est monumentum, in quo commemoratur militaris Ordo del Ala, de quo nullus historicus ante annum 1602, quo litteræ editæ sunt, videtur meminisse. De brachio, quod cum ala regi Alphonso apparuisse dicitur, nullam similiter inveni mentionem ante editas has litteras, imo nec ipsam victoriam ab antiquis assertam, mox videbimus. His de causis rem totam fuisse suspectam eruditis aliquot neotericis existimo, cum dictam quidem regis Alphonsi de Mauris victoriam prope civitatem Santarensem referant, sed sine ulla mentione prodigii, quod accidisset in pugna. Sic Joannes de Ferreras in Chronica Hispaniæ* D *ad annum Christi 1171 victoriam contra Mauras Alphonso adscribit, de prodigio tacet. At Rodericus Toletanus et Lucas Tudensis, quos assignat auctores, ne pugnam quidem memorant.*

Rodericus Toletanus et Lucas Tudensis,

385 *Rodericus lib. 7 de Rebus Hispaniæ cap. 23 hæc solum de obsidione urbis scribit :* Arabes autem attendentes, regem (*Lusitaniæ*) Aldephonsum debilitate (*fracti cruris,*) qua diximus, præpeditum, eumdem in castro sanctæ Irenææ, congregata multitudine, obsederunt. Quod audiens rex (*Legionensis*) Fernandus, in succursum ejus celeriter properavit : et ejus adventu territus rex Aldephonsus, timuit, ne ad vindicandas injurias adveniret; sed cognita veritate, egit gratias Agareni autem regis Fernandi præsentiam non ferentes, ab obsidione continuo recesserunt. *Lucas Tudensis in Chronico pag. 107 habet :* Post hæc Saraceni, videntes Adefonsum regem Portugalliæ debilitatum, et quod in quibusdam offenderat regem Fernandum, ipsum Adefonsum in oppido, qui * dicitur Sanctarem, obsederunt. Rex autem Fernandus, congregato exercitu magno, ad auxilium regis Adefonsi properavit. Sed rex Adefonsus, ut hæc audivit, timuit valde, credens quod E rex Fernandus ad auxilium Maurorum veniret, et misit ad eum nuntios, supplicans pro pace. Rex autem Fernandus declaravit ei, quod ad ejus auxilium properaret. Quod Sarraceni ut audierunt, arrepta fuga, ab obsidione turpiter recesserunt.

* quod

quod fugam Maurorum a civitate Santarena aliter narrent.

386 *Nemo non videbit, opinor, de eadem hic agi obsidione et liberatione civitatis Santorenæ, de qua agunt litteræ regis. Nam timor Alphonsi Lusitaniæ regis ob appropinquantem cum exercitu regem Legionensem eodem explicatur modo : neque tale id factum est, ut credibile fiat sæpius contigisse. Attamen illi neque victoriam Alphonsi aliam referunt, quam quod Mauri metu advenientis regis Legionensis ab obsidione recesserint : nec de subsidio S. Michaelis per alatum brachium, nec de instituto ea de causa ordine militari meminerunt. Jam vero non videntur hi scriptores, qui suppares sunt et Hispani, ignorare potuisse victoriam tam celebrem, quam esset illa, quæ asseritur in dictis litteris, maxime si ejus causa ordo militaris fuisset institutus. Quapropter vel ex solo harum et antiquorum omnium de pugna silentio litteræ illæ admodum fiunt suspectæ de falsitate : nec solo illorum* F *silentio, sed vel maxime, quod dicant, Mauros fugisse metu regis Legionensis.*

Alia quoque litterarum asserta sunt improbabilia.

387 *Si modo velimus litteras ipsas propius inspicere, in iis inveniemus multa, quæ verisimilia non sunt. Nonnulla ex pluribus assignabo. Primo verisimile non est, regem Alphonsum* de curru suo *in pugna desiliisse, et peditem pugnasse, cum et senex eo tempore esset, et crus habuisset confractum, ut paulo ante narrat laudatus Rodericus, docens ea occasione a Fernando rege Legionis fuisse antea captum, sed benigne dimissum, addensque de Alphonso hæc ipsa verba :* Nec propter læsionem tibiæ potuit postea militare officium exercere. *Consentit Lucas Tudensis de fracto crure, et de ejus sequela his verbis :* Et in tantum debilitatus fuit de fractura cruris, quod de cætero non potuit equitare. *Quis igitur credat, eum postea in pugna de curru desiliisse et peditem conflixisse ?*

ut Ordo del Ala non videatur substitisse.

388 *Secundo bellum Alphonso intulisse dicitur* Albarch rex Sibilliæ. *At regem illum* Albarch *prorsus non invenio ; sed potius reperio Hispalim, quæ* Sebillia *dicitur, valgo* Sevilla, *tunc paruisse præcipuo Maurorum regi, qui regnis suis Africanis*

Hispalense

A *Hispalense a sæculo 11 adjunxerat. Præterea nec dies nec mensis in litteris istis notatus est; nec ullus eisdem legitur subscriptus præter regem ipsum. Mitto alia parum verisimilia, quæ et ad ipsas litteras observari possunt, et ad leges præscriptas. Et breviter dico, mihi non sufficere ejusmodi litteras, ut credere possim, ordinem de Ala umquam fuisse institutum, præsertim cum nullus antiquus historicus de eo meminerit, nec ulla innotuerit persona, quæ dicto ordini fuerit adscripta.*

Institutus Ordo S. Michaelis in Gallia a Ludovico XI,

389 *Postea tamen institutus est ordo militaris* S. Michaelis *in Gallia, sed nescimus, eum institutionem ex apparitione aut beneficio aliquo singulari ortum duxisse. Ordinem illum anno 1469 Ambasiæ instituit Ludovicus XI Francorum rex, creatis ibidem quindecim equitibus ex primariis Galliæ proceribus, quibus deinde adjungeretur alii usque ad triginta sex. Nam voluit, ut hunc numerum non excederent. Verum postea multo plures ad ordinem* S. Michaelis *admissi sunt. Festa ordinis initio debebant celebrari in ecclesia Montis-Sancti-Michaelis, de qua fuse egimus § 24: sed deinde ad sacellum* S. Michaelis *in aula regia Parisiensi omnia fuerunt translata. Ordinem illum* B *confirmavit anno 1496 Alexander VI Papa, petente Carolo VIII, ut varii scribunt et cum aliis Odoricus Raynaldus.*

et postea ab Alexandro Papa VI erectum

390 *At potius pontifex erexisse aut confirmasse videtur collegium canonicorum, qui in sacello ordinis ministrarent. Partem litterarum Alexandri recitat Raynaldus in annalibus ad eumdem annum num. 37, ubi sic habent:* Pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim claræ memoriæ Ludovicus, etiam eorumdem Francorum rex, ejusdem Caroli regis genitor, tunc in humanis agens, singularis devotionis fervore accensus, cupiens pro tuitione et defensione fidei Catholicæ ac regni sui totiusque reipublicæ Christianæ certam militiam seu auratam societatem, in sincera et clara fraternitate et unione mutuo se perpetuo habiturorum, quæ Regalis ordo in posterum nuncuparetur, instituere triginta sex milites seu auratus, quorum ipse seu successores sui Francorum reges essent caput, haberentque superioritatem, congregavit seu congregari voluit, indixitque pro conservatione et manutentione societatis, fraternitatis et unionis prædictarum certa statuta, non- C nullasque ordinationes et consuetudines perpetuo duraturas.

aut confirmatum collegium canonicorum pro ordinis sacello.

391 Et deinde pro augmentatione et magnificentia dictæ militiæ regalis votum emisit solemne æternæ, increatæ, immensæ, summæ, omnipotenti, et gloriosissimæ ac individuæ Trinitati, Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui sancto, de erigendo per Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, Sedemque Apostolicam ad honorem ipsius Trinitatis, intemeratæ Virginis Mariæ, ipsius humani generis redemptoris piæ Matris, dicti S. Michaelis totiusque curiæ cælestis, in capella ejusdem S. Michaelis, sita in palatio regali Parisiensi, in quo parlamentum teneri consuevit, in inferiori parte,... unum collegium virorum ecclesiasticorum sæcularium, qui inibi divinum officium horis congruis et competentibus diurnis pariter et nocturnis decantare pariterque celebrare deberent *etc. Huc usque litteras Pontificis recitavit Raynaldus, addens, statutas ab Alexandro leges in divino cultu observandas; ut non videantur hæ litteræ datæ ad confirmandum Ordinem; sed potius ad erigendum collegium canonicorum in sacello ordinis* S. Michaelis. *Forte ipsius ordinis confirmatio diu ante petita et impetrata fuerit. Qui de laudato ordine ejusque legibus plura desiderat, adire poterit historicos, qui de Ordinibus militaribus agunt.*

§ XXVII. Particulares Angelorum aliquot apparitiones, aut alia beneficia sæculis secundo et tertio.

Apparitiones aliaque Angelorum beneficia semper continuata

A*pparitiones* Angelorum *in veteri Testamento relatas collegi* § 4, 5 *et* 6, *relataque de* Angelis *in Scripturis Legis novæ dedi* § 7, *prætermissis tamen plerisque, quæ de* Angelis *in Apocalypsi narrantur, ne varias interpretum de illis sententias cogamur examinare. Quæ modo collecturus sum ex patribus, historicis ecclesiasticis. et vitis Sanctorum, non quidem æqualem cum relatis in Scriptura habent certitudinem, cum careant auctoritate divina, et humana solum fide nitantur:* E *nec tamen contemnenda sunt, si ex selectis asserantur monumentis, qualia adducturus sum, prætermissis reliquis. Judicium illorum, qui de istis nihil credere volunt præter relata in sacris Scripturis, non minus improbandum videtur, quam nimia credulitas aliorum, qui nolunt inter auctores distinguere, sed asserta quælibet, in scriptis etiam fabulosis, pro veris continuo habenda existimant. Cum enim angeli omnes, teste apostolo, sint* administratorii spiritus, *et tales futuri sint, quamdiu stabit mundus; nulla est ratio dubitandi, quin officia illa, quæ in Lege veteri, et Christi ac Apostolorum tempore, hominibus præstiterunt, deinde etiam continuaverint ac continuaturi sint usque ad finem mundi. Quapropter pauca ex pluribus colligenda credidi, eaque ex selectissimis scriptoribus deprompta, sequens ordinem sæculorum, quibus singula contigerunt. Facta sæculo 1 ex Scripturis relata sunt: nunc igitur ordimur a secundo.*

S. Justinus conversionis suæ principium sibi exponit,

393 *S. Justinus philosophus, qui floruit sæculo 2, in Dialogo cum Tryphone Judæo conversionem suam ita narrat, ut vix ullum nobis relinquat dubium, quin principium habuerit ab Angelo,* F *humana senis forma ipsi apparente. In novissima editione Operum Parisiensi pag. 104, ubi narraverat Justinus, cum quibus egisset philosophis, ut veram disceret sapientiam, exponit congressum suum cum illo sene sibi ignoto, ita ordiens:* Sic affectus cum vellem aliquando plurima solitudine animum explere, atque hominum vestigia vitare; profectus sum in agrum quemdam non remotum a mari. Cumque propinquarem huic loco, ad quem cum venissem, mecum eram futurus; senior quidam, non sane aspectu contemnendus, gravitatem et comitatem præ se ferens, modico mo intervallo affectabatur. Conversus in eum substiti, atque oculos in eum acrius defixi. Tum ille, Mene, inquit, cognoscis? Negavi ego. Quid mo igitur, inquit, ita contemplaris? Miror, inquam, assequutum te esse, ut mecum in eodem loco esses: neque enim fore exspectabam, ut quemquam hic viderem. Sollicitus sum, inquit, de meorum nonnullis. Ii peregre mihi abierunt. Veni ergo et ipse spectatum, an sese mihi alicunde ostensuri sint. Tu vero quidnam hic rerum? Delector inquam, ejusmodi deambulationibus, in quibus, cum

AUCTORE J. S.

cum nihil occurrat, quod interpellare possit, mecum ipse liberrime colloquor. Sunt enim hæc loca philologiæ aptissima.

tribuens illud colloquio cum sene sibi ignoto,

394 Sermonum ergo, inquit ille, amator es, factorum autem et veritatis nequaquam, nec actuosus esse conaris potius, quam sophista? *Cum ad hæc in laudem philosophiæ plura respondisset Justinus, senex interrogavit rursum hoc modo:* Philosophia igitur beatitudinem efficit? *Et mox iterum?* Quid sit philosophia,... et quæ ejus beatitudo? *Tum continuo:* Deum autem quidnam vocas? *Deinde:* Estne scientia quæpiam, quæ divinarum et humanarum rerum cognitionem afferat *etc? Ejusmodi autem interrogationibus, et suavi refutatione eorum, quæ ex doctrina Platonica et Pythagorica falso respondebat Justinus, eo hominem perduxit senex, ut a philosophis ad sacras litteras transiret. Finem colloquii pag.* 109 *Justinus ita refert:* Tu vero, *inquiebat Senex,* ante omnia precare, lucis portas tibi aperiri: neque enim hæc quisquam perspicere et intelligere possit, nisi cui Deus intelligere dederit et Christus ejus. Hæc ille et multa alia cum dixisset, quæ referre non est hujus temporis, abiens præcepit, ut B ea meditando persequerer: neque eum amplius vidi. Mihi vero statim in animo ignis accensus est, meque amor invasit prophetarum et hominum illorum, qui Christi sunt amici. Cumque illius sermones apud animum proponerem, hanc solam reperiebam philosophiam, quæ quidem tuta et utilis foret. Ad hunc ego modum atque hac de causa philosophus.

ut omnino videatur dicendum, eum inchoatam per Angelum,

395 *Majores nostri ad* 13 *Aprilis in S. Justino ad hunc vitæ locum in annotatis insinuarunt, non videri hominem senem illum, cujus disputatione conversus est S. Justinus. Tillemontius tom. II in S. Justino art.* 4 *pluribus rationibus inculcat, Angelum potius videri, quam hominem. Sane si singula illius colloquii adjuncta diligenter consideremus, vix dubitare poterimus, quin senex ille fuerit plusquam homo mortalis, ac verisimiliter* Angelus. *Mirabatur Justinus, dum illum conspiciebat in loca tam solitario. Responsum Senis, cur ibi esset, non videtur verum, si erat mortalis.* Sollicitus sum, inquit, de meorum nonnullis. Hi peregre mihi abierunt. Veni ergo et ipse spectatum, an sese mihi alicunde ostensuri sint. *At non poterat senex, si homo erat, reditum suorum pe-* C *regre profectorum in tali loco sperare. Nam Justinus profectus erat ad locum, ubi neminem videre cogitabat. Hoc cogitare non poterat, si erat prope viam, per quam peregrini redeunt. Et sane senem non fuisse sollicitum de suis domum redituris, ostendit prolixa disputatio, quam ipse solerter exorditur, et quam diutissime protrahit sine ulla de suis mentione.* Angelus *autem si fuerit, recte poterat dicere, se e suis, qui a vero fide peregre profecti erant, nonnullos investigare: nam ipsum in primis quærebat Justinum.*

senis specie ipsi apparentem.

396 *Si modo totam disputationem evolvamus, mirabimur, quam dextere ingressus sit in materiam theologicam, quam solerter errores Justini detexerit, quam suaviter eosdem refutaverit, quam facile hominem philosophia sua tumentem errores suos dedocuerit, et in omnibus obsequentem habuerit. Hæc omnia non videntur hominis esse, quantumvis docti et eloquentis, sed potius* Angeli *specie humana ad Justinum accedentis: minus etiam videntur hominis, qui suorum gratia ad eum locum venerat, et de eorum reditu erat sollicitus: Præterea, si vir pius et doctus tanto incensus fuisset studio fidem propagandi, ut occasionem dispu-* D *tandi cum philosopho confestim captare voluisset; procul dubio studuisset bene cœpta promovere, et alia cum Justino instituere colloquia. At Justinus, qui eadem procul dubio desiderasset, senem suum amplius non vidit. Poterat nimirum* Angelus *invisibilis promovere et perficere, quæ visibili specie cœperat. Effectus ipse colloquii innuit,* Angelum *fuisse, qui cum Justino egerat. Nam eo finito,* statim in animo *ejus* ignis accensus est, *et secuta est perfecta conversio. Quapropter, sicut Cornelii centurionis conversionem ad Christum constat inchoatam per* Angelum, *sæculo* 1 *visibiliter apparentem, ita et Justinum ope* Angeli *ad veram fidem impulsum existimo. Si ipse novit aut credidit* Angelum *fuisse, id præ modestia tacere potuit. Plura non affero pro illo sæculo, etiamsi Hermas in Pastore multa scribat, quæ hic locum habere possent.*

Angelus Tryphonem et Respicium in tormentis confortat:

397 *Sæculo* 3 *sub Decio passi sunt in Bithynia Tryphon et Respicius martyres. Horum acta edidit Ruinartius inter Sincera et selecta pag.* 162. *In iis autem num.* 5, *postquam multis tormentis addicti fuerant Sancti, hæc leguntur:* Præfectus ira repletus, jussit ungulas ac lampades eorum lateribus applicari. Quæstionarii accedentes jussa E complebant. Igitur applicantibus eis lampades, adstitit Sanctis Angelus Domini, coronas habens in manibus, gemmis et floribus ornatas, quas capitibus eorum imposuit; atque fortes in agone perfecit. Quod cum viderent ministri, cadentes in terram, facti sunt veluti mortui. *Ejusmodi solatia martyribus exhibita in eorumdem Actis frequenter accurrunt, et ex iis nonnulla inferius adlegabo.*

S. Felix Nolanus, carcere detentus,

398 *Ad sæculum* 3 *verisimiliter spectat S. Maximus episcopus Nolanus ejusque presbyter S. Felix, quibus mirabilia leguntur ab* Angelis *præstita beneficia. Ea versibus celebravit S. Paulinus, Nolanus item episcopus, in Poemate* 15 (*alias* 19) *quod quartum est in Natalicio S. Felicis. Ex eo hæc spectantia, lector, accipe. Ubi narraverat poeta, acrem ortam esse persecutionem, eaque de causa S. Maximum fugisse ad locum desertum, ubi in periculo erat fame moriendi; S. Felicem vero conjectum fuisse in carcerem, hujus per* Angelum *e carcere liberationem, ut subveniret periclitanti episcopo, ita canit:*

Ergo sacerdotem confessoremque * sereno
Lumine respiciens, tacitis tabescere silvis F
Non tulit ulterius mitis Pater; et quia digno
Condignum comitem meritis sociare parabat,
Felicem numero de carceris eligit omni,
Cujus id apponat meritis opus, ut senis almi
Membra levet, revocetque animam, revehatque refotum,
Attonitisque ovibus cari solatia reddat
Pastoris. Venit ergo micans jam nocte silenti
Angelus, et toto vinctorum in plebe reorum
Felicem solum, pietas cui sancta reatum
Fecerat, alloquitur: fugit atri carceris horror.
Voce simul sacri Felix et luce Ministri
Excussus tremit, et verbum trahit aure fideli.

per Angelum apparentem, educitur,

399 Ac primum, velut eludentis imagine somni
Accipiat mandata Dei, stupet anxius, et se
Causatur non posse sequi, prohibente catena,
Insuper et claustro simul et custode teneri
Carceris obsessi. Sed vox divina morantem
Increpitans

* Maximum

Increpitans, jubet excussis assurgere vinclis.
Et subito, ut molles, manibus fluxere catenæ,
Sponte jugo cervix ferrato exuta levatur,
Prosiliuntque pedes laxato caudice nervi.
Mira fides! salvis reserato carcere claustris,
Sopito custode, fores interritus exit,
Perque ipsos via fit, per quos via clauditur: ibat
Angelus, et tacitæ per amica silentia noctis
Lux et iter Felicis erat. Nonne unus in omni
Christus adest Sancto? sicut viget omnibus idem
Spiritus in Christo genitis, sic ipsa piorum
Gratia concordat. Veterem remeare recenti
Historia video speciem, qua jussus abire
Bis seno sublimis in agmine Discipulorum
Petrus, sponte sua vinclis labentibus, eque
Carcere processit clauso, qua prævius illum
Angelus, Herodi prædam furatus, agebat.
Sic meus, educente Deo, geminata per atra
Carceris et noctis, reliquis obscura, sed uni
B Illustrata sibi, Felix impune per ipsos
Custodes, constante premens vestigia passu,
Callibus ignotis directus, jussa petebat.

ut S. Maximum fame moribundum recreet :

400 Et postquam emensus secretos avia saltus
Rura, locum fessi senis invenit: ægra trahentem
Jam tenui cernit mœstus suspiria flatu.
Et primo ut cari cognovit membra parentis,
Fusus in amplexum, dat vultibus oscula notis,
Et tentat gelidis revocare fovendo calorem
Artubus, et crebris adflatibus oris anheli
Reddere viventes tepefacto corpore sensus.
Sed neque clamatu est neque pulsu mobile corpus,
Jam simile exanimo: modicus tamen ultima vitæ
Flatus, et internæ prodit trepidatio fibræ.
Anxius intuitu tali pia pectora Felix,
Distrahit exsangues artus, et lurida cernens
Ora fame, nec habens quidquam, pro rebus egenis
Ferret opem, non igno procul, neque comminus esca,
C Ut dape tabentem recrearet et igno rigentem.
Quærenti, et multa Christum prece convenienti,
Quanam ope, quave via, jussum complere valeret
Servitium, subitam Omnipotens de sentibus uvam
Edidit, et capiti jussit pendere propinquam,
Ut facile attiguo posset decerpere ramo
Natum sponte cibum. Divinitus ergo refectus,
Mente pia oblato lætatur munere Felix,
Decerptumque manu morientis ad ora racemum
Admovet: et quoniam strictis jam dentibus ille
Et sentire negat dulces et sumere victus,
Exprimit humentes acinus, succumque liquentem
Instillat, digito diducens arida labra;
Donec et adspirante Deo conatibus ægris
Et luctante manu, rigidos paulisper hiatus
Laxavit, tenuemque aditum dedit oris aperti, AUCTORE J. S.
Quo rorem exiguum resoluta infunderet uva.
Hinc animæ sensus, calor ossibus, atque oculis lux,
Vitaque tota redit: quæque hæserat obsita siccis
Faucibus, exercet solitas jam lingua loquelas.

Hactenus S. Paulinus, mox subjungens primos Maximi ad Felicem sermones, et quo eumdem modo Felix domum portaverit.

in illa historia, per Bedam et alios

401 *Eadem soluto stilo narrantur a Marcello presbytero, qui vitam S. Felicis scripsit, uti et a Beda et Gregorio Turonensi. Duorum priorum lucubrationes datæ sunt ad 16 Januarii in S. Felice presbytero; relatio Turonensis ad 7 Februarii in S. Maximo episcopo. Verba Bedæ, quæ mentem S. Paulini recte exponunt, huc transfero:* Sed ut superna pietas apertissime, quanta sui cura vir ille (*S. Maximus*) dignus esset, ostenderet, mittitur e cælo Angelus, qui B. Felicem confessorem vinculis exemptum, ad quærendum recreandumque ac domi revocandum antistitem E ocyus venire præciperet. Erant autem plures eodem in carcere clausi: sed Angelus adveniens, soli Felici, qui pietatis gratia vinctus erat, apparuit, luce splendens corusca, et ipsam quoque domum gratia lucis adimplens: cujus voce simul et luce Felix motus intremuit, ac primum quidem se somnii imagine illudi putavit. Angelus surgere illum et se sequi exeundo præcepit. Qui stupens ad imperium jubentis, caussabatur se exire non posse, quia et vinculis et claustro carceris, et custodum diligentia teneretur. Porro Angelus iterata voce surgere illum propere, nihil obstantibus vinculis, jussit, et dicto citius catenæ de manibus et collo ejus, compedesque ceciderunt de pedibus. Eduxit autem illum foras miro rerum ordine, aperta sibi quidem janua carceris, sed cæteris clausa; ita ut per ipsos custodes, quibus claudebatur, ignaros rerum, iter ageret, ipso Angelo instar columnæ Mosaicæ, et ducatum Felici et lumen, usque dum hostium manus evaderet, præsentiæ suæ fulgore præbente.

similiter relata,

402 Ut autem pervenit B. Felix confessor ad locum deserti, quo episcopus secesserat, invenit F eum ægra suspiria tenui flatu trahentem. Et quidem gavisus, quod eum viventem invenerit, contristatus vero est multum, quod inventum morti proximum vidit. Itaque complexatus et osculatus est patrem, cœpitque tentare, si forte crebro anhelitu sui oris, et sui fotu corporis aliquid caloris posset gelidis ejus artubus afferre. Cum vero diu laborans, neque clamando neque tangendo aliquid sensus vitalis in ejus posset vel animo excitare vel corpore, sed neque ignem aut alimentum in proximo, quo eum rigentem ac tabescentem recrearet, tandem invento salubri consilio, flectit genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, suppliciter obsecrans, ut ipse cælitus eum juvaret, quo ministerium pietatis, quod jussus erat, erga patrem suum explere valeret. Nec mora: exauditus vidit pendentem vicinis in sentibus uvam: et illius esse munus agnovit, qui naturarum Conditor atque auctor omnium, et aquam de petra produxit arida, et ipsam, cum voluit, in vinum convertit. Lætatusque multum hoc munere divinæ pietatis, tulit racemum atque ad

AUCTORE I. S.

ad os episcopi morientis admovit. Sed quia ille strictis dentibus instar mortui, utpote omni sensu et cordis et animæ carens, oblatum sibi gustum prorsus accipere nesciebat; tandem sanctus presbyter Felix, felici manuum suarum luctamine aperuit ejus labia, et sic ori ejus, resoluta uva, quantum potuit succi salutaris infudit. Quo gustato, mox pater sensum et animæ recepit et corporis: aperiuntur deinde oculi, linguaque, quæ siccis hærebat faucibus, ad loquendum soluta est.

multiplex agnoscitur Angeli subsidium.

403 Et ubi plene reviviscens, Felicem esse qui ad se quærendum venisset, agnovit, paterna illum pietate complexus, et quare tam sero venisset, conquestus est: Ubi, inquiens, tam diu demoratus es, fili? Nam te jam dudum Dominus ad me venturum promiserat... Unde, nate mi, complere festinus cœptum pietatis opus curato, et impositum me humeris tuis, domum reportare satage. *Episcopum revera domum reportavit S. Felix, uti mox apud Paulinum et Bedam sequitur: et consentiunt Marcellus presbyter et Gregorius Turonensis. Jam vero studiosus lector mecum observare poterit, multiplicia in his esse* Angeli *officia, etiamsi sola Felicis e carcere eductio disertis verbis illi attribuatur. Nam et inventio Maximi, cujus latebras ignorabat Felix, ducenti* Angelo *adscribenda, et racemus, quo revixit moribundus, per* Angelum *eo videtur allatus. Ipsa senis in humeris revectio non caruit subsidio Angelico: eoque Felix haud dubie protectus est, quando iterum postea a persecutoribus quærebatur. Nam, ut legitur apud Paulinum et reliquos, cum ipsis locutus est, nec fuit cognitus. Et, ubi id illis innotuerat, fugit in locum, ubi facile capi poterat; monitique erant persecutores, eum ibidem latere. Sed quia* aranea divino nutu, cui omnis creatura deservit, confestim nutantes ipso in loco telas suspendit, *noluerunt credere, Felicem illuc esse ingressum: et sic iterum Angelico subsidio, ut opinor, servatus est S. Felix.*

S. Gregorius Thaumaturgus beneficia

404 *Eodem seculo 3 floruit S. Gregorius, Neocæsariensis in Ponto episcopus, qui a miraculorum gloria* Thaumaturgus *vocatur. Huic multa* Angelos *attulisse subsidia, vix dubitare sinunt ipsa prodigia, quibus claruit. Ipse etiam in Oratione eucharistica, quam juvenis habuit ad Origenem, magistrum suum, de beneficiis* Angeli *sui custodis iteratis vicibus loquitur. Exstat latine ea Oratio tom. III Bibliothecæ Patrum Lugdunensis, ubi pag.* 329 *de Custode suo primum dicit:* Qui me a puero, magno quodam judicio regendum educandumque sortitus est, sacer Angelus Dei: « Qui pascit me ab adolescentia mea » ut ait ille Deo carus vir (*Jacob*), suum ipsius videlicet intelligens. *Et mox, ubi dixerat, suum a Jacobo fuisse cognitum, de se subdit:* Nos vero, præter communem omnium Gubernatorem (*Deum*) hunc etiam (*Angelum custodem*), quisquis est privatim pædagogus noster, qui re ipsa pueri et infantes sumus (*agnoscimus*). Qui cum in cæteris omnibus bonus semper nutritor et curator meus fuerit (nec enim mihi, aut cuiquam ex affinibus meis, qui cæci sumus, et nihil eorum, quæ ante pedes sunt, videmus, ut conveniens aliquid discernere possimus, sed ipsi, omnia ad animæ nostræ utilitatem prospicienti, quod utile et bonum est, statim apparet) ut olim me, ita nunc quoque, alit et erudit, ac manu ducit: tum præter alia omnia, conjungi me cum hoc viro, quod omnium certe summum est, et cum eo versari fecit.

Angeli sui custodis gratus agnoscit.

405 *Magis deinde exponit, quibus modis, cum natus esset patre gentili, ad Origenem et ad veram fidem fuerit perductus, omnia attribuens* Angelo *custodi. Missa relatione, de* Angelo *pauca produco.* Sed pervigil ille divinus Pædagogus, *inquit*, verusque curator, nec domesticis cogitantibus, nec me ipso desiderante, adfuit. *Deinde, ubi exposuerat, qua occasione in Palæstinam voluerit proficisci, etiam tum gentilis, arcanam, sed veriorem, itineris causam fuisse dicit, ut per Origenem disceret veram fidem; subditque.* Quare non miles, sed divinus quidam viæ comes et deductor bonus atque custos, qui per totam hanc vitam, tamquam per longam peregrinationem, nos custodit, tum alia præteriens, tum Berytum, quam optare maxime putabamur, huc (*Cæsaream*) nos recta perductos hic collocavit, omnia faciens movensque, quoad omni nos ope cum hoc multorum nobis bonorum auctore colligaret *etc. Mitto alia: nam allata abunde ostendunt, quam sublimia de* Angelo *suo custode sensa habuerit S. Gregorius Thaumaturgus. Quapropter merito credemus, fidelem custodem, cujus opem in bonis omnibus agnoscit, eidem quoque adjutorem fuisse in stupendis, quæ patravit, prodigiis. Multa addi possent de beneficiis* Angelorum *in S. Agnetem: sed ea mitto, ne cogar de actis S. Ambrosio tributis hoc loco disputare.*

§ XXVIII. Beneficia Angelorum sæculo IV.

Angeli recreant S. Vincentium in pœnis, ejusque

In *actis S. Vincentii Martyris, quæ apud nos data sunt ad 12 Januarii, recusaque apud Ruinartium, num. 13 narratur, S. Vincentium jussu præsidis in obscuro carcere super testarum fragmenta positum fuisse, ut vehementi cruciatu vitam finiret. Tum num. 14 hæc sequuntur:* Sed cum prima quies fessos artus custodum somno vincente laxasset, quod Datianus pro pœna gravissimæ mortis intulerat, divinitus commutatur in gloriam. Carceris illius nox æternam accipit lucem. Flagrant cerei ultra solis fulgorem radiantes, laxatumque ligni robur dissiluit, ac testarum asperitas fit florum redolentium jocunditas ac mollities. Quibus invictissimus Dei athleta refectus, psalmum Deo et hymnum dicens, lætus exultat. Sicque solitudo horribilis Angelica relevatur frequentia. Quorum caterva vallatus martyr egregius, venerando fovebatur obsequio, et mulcebatur alloquio. Agnosce, inquiunt, o Vincenti invictissime, pro cujus nomine fideliter decertasti; ipse tibi revera coronam præparatam servat in cælestibus, qui te victorem esse fecit in pœnis. Esto igitur jam securus de præmio, quia mox deposito carnis onere, nostro addendus eris collegio. Dantur hinc laudes Deo, et resonante organo vocis Angelicæ modulata suavitas procul diffunditur. *Mox etiam sequitur, expergefactos eo miraculo carceris custodes, eosdemque et alios, visis iis mirabilibus, conversos ad fidem fuisse. De corpore etiam defuncti S. Vincentii num. 17 asseritur, cum* feris et avibus *nudum fuisset expositum,* Angelicis rursum excubiis et exsequiis *honoratum fuisse.*

et S. Theodoti M. illæsa conservant corpora.

407 *Similia de servatis* Angelorum *subsidio martyrum corporibus frequenter recurrunt in actis. At pleraque omittam, et unum afferam exemplum ex actis S. Theodoti martyris, quæ Græce scripsit Nilus, testis fere de omnibus oculatus, et edidit*

A *edidit græco-latina Papebrochius ad 28 Maji. In his, relata martyris morte, num. 32 corpus narratur igni injectum, sed ab eo illæsum. Id milites, qui illud custodire jussi erant, Frontoni presbytero, illuc cum asina sua delato, exposuerunt num. 35, præmissa morte, his verbis:* Denique capite minutus, jussus est igne comburi. Nos vero infelices iterum ejus causa cruciari metuimus: etenim, pyra incensa, circum ignem facta sunt miracula, nullis verbis explicanda, vidimusque lumen in circuitu magnum: neque flamma Theudotum attigit. *His intellectis, Fronte, qui cupiebat corpus auferre, vinum secum allatum custodibus abunde obtulit,* usque dum illi inebriati et somno gravi correpti sunt. Tum consurgens presbyter, et venerandum corpus tollens, imposuit asinæ suæ, et dixit: Euge, Martyr, adimple, quas mihi fecisti promissiones, simulque annulum inseruit ipsius digito. Deinde ramos fœnumque, uti jacuerant supra Sanctum, sic iterum composuit, ut custodes non suspicarentur aliquid esse ablatum. *Dimisit interim asinam cum corpore, ipseque ad tollendam suspicionem ibi mansit.* Asina autem deducta ab Angelo, per
B devia loca abiit in Malum: et cum suo onere procubuit eo loco, ubi nunc est confessio sancti et gloriosi martyris Theodoti *etc. Hæc anno 304 figuntur.*

Adimæ SS Pauli, Antonii, et Ammonis per Angelos ad cælum delatæ.

408 *Frequens est officium* Angelorum, *quod asseritur in vita S. Pauli, primi eremitæ, quam scripsit S. Hieronymus. Data illa est ad 10 Januarii, et num. 13 de S. Antonio eunte, ut S. Paulum iterum inviseret, sic habet:* Cumque jam dies illuxisset alia, et trium horarum spatio viam remeavisset, videt inter Angelorum catervas, et inter prophetarum et apostolorum choros niveo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere. *Idem in alia S. Pauli vita, primo loco data, refertur. In vita Antonii, per S. Athanasium composita, dataque ad 27 Januarii, num. 115 de moriente S. Antonio ista leguntur:* Verba finierat, et osculantibus se discipulis, extendens paullulum pedes, mortem lætus aspexit, ita ut ex hilaritate vultus ejus angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam ejus descenderant, præsentia nosceretur. Hos intuens, tamquam amicos videret, animam exhalavit. *Aliis quoque in vita* Angelorum *favoribus gavisus est S. Antonius;*
C *nam num.* 85 raptum se sensit in spiritu, et ab angelis in sublime deferri *etc.: et num.* 80, cum sederet in monte, et oculos subito tetendisset in cælum, vidit nescio quam animam, *ait Athanasius,* lætantibus in ejus occursum angelis, ad cælum pergere. Cujus spectaculi novitate stupefactus, beatum dixit Sanctorum chorum oravitque, ut sibi rei præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est, inquiens, istam esse Ammonis monachi animam, qui Nitriæ morabatur.

Mira S. Pauli Simplicis de Angelis visio:

409 *Inter præcipuos S. Antonii discipulos fuit S. Paulus, cognomento* Simplex, *cujus vita data est ad 7 Martii. Humillimo huic viro concessit Deus, ut* Angelus *ingredientium in ecclesiam videret, teste Rufino, qui ibidem num. 18 hæc adjungit de S. Paulo.* Cum ergo venissent ad ecclesiam et ingrederentur, senex vidit eos clara facie et læto animo ingredi, et angelos eorum pariter cum gaudio cum ipsis. Unum autem nigrum vidit, et nebulosum habentem corpus, et dæmones hinc inde trahentes eum ad se missu fræno in naribus, et angelum sanctum ejus a longe sequentem tristem... Post paululum autem, cum absoluta congregatione discederent, iterum omnium vultos circumspiciebat, si tales egrederentur, quales ingressi sunt: et vidit illum, quem ante viderat nigrum, et nebulosum, egressum de ecclesia clara facie et candido corpore, et dæmones a longe sequentes eum; sanctum autem angelum ejus prope eum, hilarem et gaudentem super eum nimis. *Prior visio fletum Paulo extorsit, sequens summum gaudium, ut pluribus ibi dicitur. Ille autem, cujus* Angelus *primum tristis sequebatur et deinde lætus aderat; rogatus a S. Paulo, fassus est, gravibus peccatis obstrictum se fuisse; sed compunctum in illa congregatione, serio doluisse de peccatis, amendationem proposuisse et veniam flagitasse. Eadem leguntur in Apophthegmatis Patrum apud Cotelerium in Monumentis Græcis tom. I, pag. 652 et seq. Nimirum figura corporea Deus S. Paulo ostendit, quæ modo spirituali fiunt per* Angelus.

Angeli in distribuendo Christi corpore adjutores et actores

410 *De S. Macario, alio S. Antonii discipulo, simile quid legitur tom. I Januarii pag. 89. Missis iis, quæ de illusionibus dæmonum a Macario visis præmittit Rufinus, huc transfero, quæ de melioribus in susceptione Corporis Christi vidisse Macarium affirmat:* Angelum enim Domini
E assistere cernebat altari, qui cum sacerdotis manu suam quoque manum in Sacramentorum distributione superponeret. *Non minus mirabile est, quod S. Macarius cap. 8 vidisse dicitur de S. Marco monacho.* Hic Macarius, *inquit auctor,* nobis narravit (erat enim presbyter) se observasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco exercitatori numquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus ejus, qui dabat. *De S. Marco actum est ad 5 Martii, ubi allata sunt verba Sozomeni lib. 6 Historiæ cap. 29. Eadem ex versione Valesii huc transfero:* Per idem tempus celebris ille Marcus, et Macarius junior, et Apollonius, et Moses Æthiops Scetim incolebant. Et Marcum quidem ab ineunte adolescentia admodum mitem et temperantem fuisse perhibent, et sacræ Scripturæ libros memoria tenuisse: Deo vero ita carum fuisse, ut Macarius, qui Cellarum presbyter fuit, sæpe affirmaverit, Marcum numquam ab ipso accepisse, quæ sacerdotes fidelibus ad altare præbere jus fasque est: sed Angelum ei præbuisse, cujus manum ad juncturam usque duntaxat se vidisse dicebat. F

Cibus S. Joanni eremitæ ab Angelo subministratus.

411 *In Vita S. Joannis anachoretæ, qui juxta Lycopolim in Ægypto sæculo 4 vixit, data apud nos ad 27 Martii, hæc num. 24 scribit Palladius:* Novi enim ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustabat: sed ei Angelus tertio quoque die cælestem afferebat cibum, et in os ei injiciebat, isque erat ei instar cibi et potus. *Ibidem Palladius ex relatione S. Joannis narrat exemplum alterius monachi, qui etiam divinitus fuerat pastus, sed lapsus nimia præsumptione cogitaverat ad sæculum reverti. Pœnitens vero, ut narratur num. 22,* cum se in spelunca inclusisset, et sibi saccum et cinerem substravisset, non prius e terra surrexit, nec cessavit flere, quam vocem Angeli audiisset, ei dicentem in somnis: Accepit Dominus tuam pœnitentiam, et tui est misertus: deinceps autem vide, ne decipiaris. Ad te enim venient fratres, quos admonuisti, et afferent ad te eulogias: quas cum acceperis, vesceris cum ipsis, et perpetuo Deo ages gratias. *Multa* Angelorum *officia, relatis similia, leguntur in actis S. Onuphrii, datis tom. II Junii pag. 530 et seqq.; sed ea mitto, quod scriptor*

AUCTORE J. S.

Jussu Angeli, ut fertur, cibus ad monachos perlatus.

ptor Actorum sit ignotus, et forte minus antiquus.

412 *Ad sæculum quartum spectare etiam videtur S. Fronte abbas, ut Papebrochius noster observavit ad 14 Maji in annotatis ad vitam S. Pachomii pag. 296. Data est vita S. Frontonis ad 13 Aprilis, eaque videtur scriptoris contemporanei: sed in fine habet appendiculam, qua res refertur ad sæculum 2, de cujus falsitate dubitandum non est, sive ea diu post fuerit adjecta, sive solum corrupta. Fateor tamen, ipsa quoque acta ob illam appendiculam utcumque de suppositione fieri suspecta. Hinc, quod in iis refertur, illustre aliàs* Angelicæ *beneficentiæ exemplar, brevi tantum compendio referam. Laborabat inopia in deserto congregatio S. Frontonis,* Pergit itaque angelus missus a Domino, *inquit auctor num.* 6, ad quemdam divitem nocte, et dicit illi : Tu epularis in divitiis splendide, et servi mei in eremo indigent pane. Surge ergo diluculo, et mitte servis meis escas ex omnibus, quæ tibi dedi, qui procuratorem te posui gregis mei *etc. Voluit dives ille obtemperare, sed cum ignoraret, ubi degerent isti monachi, nihil interim fecit, et secunda nocte iterum monitus dicitur, sed durius et cum plagis. Itaque septuaginta*

B *camelos cibariis onustos sine ductore dimisisse dicitur, cameli que recta via perrexerunt, et die quarto ad monasterium S. Frontonis pervenerunt, ut asserit auctor. Nolim quidem pro veritate hujus facti pugnaciter certare; novi tamen similia non raro contigisse.*

Plures favores S. Apollonio

413 *Quæ de S. Apollonio abbate tradit Palladius in vita, edita apud nos ad 25 Januarii, certiora videntur. Habitabat is in spelunca, et quasi perpetuo orabat.* Ejus autem alimentum (*inquit num. 4 Palladius, qui senem vidit*) tunc quoque, sicut prius, admirabili et præter opinionem ratione a Deo suppeditatur. Ei enim in solitudine per angelum afferebatur nutrimentum. *Deinde refert, tempore Juliani apostatæ quemdam e monachis fuisse captum, Apolloniumque cum aliis monachis venisse ad carcerem, monuisseque captivum,* ut esset fortis et constans in laboribus, *eaque occasione Sanctum* ipsum, et omnes, qui cum eo erant, monachos *per tribunum custodiæ inclusos. Tum subdit num.* 7 : Media autem nocte, lampadem ferens (λαμπαδηφόρος, *id est,* ingenti luce resplendens) apparet custodibus, lumine illu-

C strans omnes, qui erant in carcere, adeo ut præ stupore hiantes starent custodes. Qui cum surrexissent, eos rogarunt, ut omnes abirent, eis apertis januis. Fatebantur enim, esse satius pro iis mori, quam, quæ ad eos divinitus venisset, libertatem, qui citra rationem detinebantur, despicere. Tribunus itaque cum magistratibus mane veniens in custodiam, contendebat, ut viri egrederentur e civitate : dicebat enim domum suam cecidisse terræ motu, et e suis servis optimos oppressos fuisse. Ii autem hæc audientes, Deo gratias agentes, abierunt in solitudinem.

aut Apollini ab Angelis præstiti

414 *Ad favores* Angelorum *etiam videtur referendum, quod narrat Palladius num. 13 ita scribens :* Erat autem adhuc antea in montis spelunca S. Apollo cum quinque aliis fratribus, qui primi fuerunt ejus discipuli, cum recenter venisset e solitudine. Cum autem adventasset dies festus Paschæ, et Dei cultum implessent, erant esuri ea, quæ inveniebantur : erant autem aliquot sicci panes, et quædam olera repusita. Eis autem dixit Apollo : Si sumus fideles, o filii, et germani Christi filii; petat unusquisque vestrum a Deo id, quod ejus animo gratum est ad vescendum. Illi vero ei universum permiserunt, existimantes so esse indignos tali gratia. Cum læto autem D vultu orasset, et omnes dixissent, Amen; protinus noctu venerunt in speluncam quidam viri penitus incogniti, qui dicebant se venire a longinqua regione; et omnia ferebant, ea etiam, do quibus ne auditione quidem acceperant, et quæ non nascuntur in Ægypto, horti fructus omnis generis, uvas, et mala punica, et ficus et nuces, omnia intempestive : quin etiam quosdam inventos mellis favos, et urnam recentis lactis, et nicolaos maximos, et panes mundos et calidos e regione externa. Ii autem, qui ea attulerant, cum solummodo tradidissent, tamquam missi a viro magno et divite, protinus propere recesserunt. Cum autem, quæ erant esculenta, percepissent, ea illis suffecerunt usque ad Pentecosten, adeo ut ipsi quoque mirarentur, et dicerent, fuisse ea vere a Deo missa. *Non videtur dubitandum, quin Angeli fuerint, qui humana specie cibos illos attulerunt. De* nicolais *consuli possunt ibidem Annotata.*

S. Pachomius ab Angelo jubetur monasterio

415 *S. Pachomius, primus vitæ cœnobiticæ institutor, sæculo 4 non multum provecto* Angelorum *favoribus gaudere cœpit. In vita ejus, ad 14 Maji edita, hæc leguntur num.* 7 : In solitudi- E nem igitur longius aliquanto progressus, ad vicum quemdam desertum, Tabennesin nomine, forte pervenit : ubi cum pro ea, qua in Deum ferebatur, caritate orationi vacaret, eamque protraheret longius; vox ad eum defertur (nullam quippe ad id usque temporis cælestem visionem fuerat expertus) ita dicens : Subsiste hic, et monasterium exstrue : plurimi namque monasticæ vitæ amplectendæ avidi huc ad te accedent; quibus ducatum præstabis juxta Regulam, quam monstravero tibi. Et protinus apparuit ei Angelus Domini, deferens ei tabulam, in qua erat omnis forma institutionis adscripta, qua docendi forent, quicumque ad ejus magisterii studia pervenissent : quam Regulam Tabennesiotæ hodieque custodiunt, eodem cibo semper utentes et habitu, ipsam quoque disciplinam solicita circumspectione servantes *etc. S. Hieronymus, qui Regulam S. Pachomii latinam reddidit, in præfatione tom. II editionis Veronensis col. 53 de S. Pachomio ejusque discipulo Theodoro et Orsiesio ait:* Qui primi per Thebaidem et Ægyptum cœnobiorum fundamenta jecerunt, juxta præceptum Dei, et angeli, qui ad eos ob hanc ipsam institutionem missus venerit. F

exstruere et monachos congregare :

416 *In eadem vita num. 15 rursum hæc leguntur :* Post hæc cum fratribus materiem ad storeas arundineas conficiendas colligentibus, in insula degens Pachomius, vigilias de more servabat : cumque, ut secretius orationi vacaret, reliquorum se consortio tantisper subtraxisset, ac Dei perfectam voluntatem per orationem exquireret; angelus ei a Domino apparuit, non aliter ac quondam factum est Manoe et uxori ejus, cum de Sampsonis futura nativitate sunt admoniti. Ita autem edixit angelus : Dei voluntas est, ut servias hominum generi, ipsos ei conciliando : et multitudinem congreges monachorum, juxta formam, quæ tibi præscripta est, cunctos instituens. Acceperat enim dudum tabulam, in qua erant hæc annotata. *Tum sequuntur præcepta varia, quorum postremum sic habet :* Nec non ab angelo, qui cum Pachomio loquebatur, hoc quoque constitutum est, ut diurnæ orationes duodecim fierent, et vespertinæ duodecim, et nocturnæ duodecim. Cumque Pachomius diceret, paucas orationes esse; respondit angelus : Has solas

A solas constitui, quas possent infirmiores absque labore perficere. Ceterum qui perfecti sunt, hac lege non indigent : apud se namque in propriis constituti cellis orare non desinunt, qui puritate mentis et divina contemplatione pascuntur. *Hæc magnam S. Pachomii cum* Angelo *familiaritatem indicant. Observandum tamen est, in vita græca, prout apud nos edita est tom. III Maji sub finem, utramque* Angeli *apparitionem legi quidem, sed nihil de tabula S. Pachomio per* Angelum *tradita : illa vero ex Dionysio Exiguo vitæ latinæ alio charactere addita esse.*

imo et tabulam ab Angelo accepit,

417 *Hinc Tillemontius tom. VII Nota 8 in S. Pachomium multis inquirit, an tabula S. Pachomio tradita sit ab* Angelo, *uti etiam, an videatur ab* Angelo *dictata, an vero, jubente solum* Angelo, *per ipsum Pachomium compositam. Fatetur, anctoritatem proferri magnam pro Regula per* Angelum *ad Pachomium delata; sed opponit silentium aliquorum, et maxime vitam græcam apud nos editam, additque subtilia aliquot ratiocinia. Non audet tamen negare, Regulam ab* Angelo *datam, sed rem mavult relinquere dubiam. Quapropter pauca afferam ad factum ulterius probandum.* B *Primo auctor vitæ, quam Dionysius Exiguus ex græca latinam fecit, quamque edidit Rosweydus in vitis Patrum a pag. 112, clarissimis verbis asserit pag. 116,* tabulam *Pachomio in manus traditam ab* Angelo. *Relata vero apparitione, subjungit biographus :* Hanc ergo vocem Pachomius mentis sinceritate discernens, quam illi divina gratia et merita vitæ contulerant, agnovit ad se cælitus delatam, Regulasque valde mirabiles approbavit. *Prima hæc est apparitio, in qua dicitur tabula ei tradita. Secunda ibidem cap. 15 breviter sic refertur :* Inter hæc Pachomius iterum divinitus admonetur pro Regulis, quibus deberent institui, qui erant per eum Domino credituri : cœpitque cum germano suo habitaculum, in quo manebant, capacius reddere, *etc. Hic nihil de tabula accepta.*

in qua scripta erat idea instituti

418 *Id tertia vero apparitione, quæ jam relata est num. 416, diserte iterum asseritur tabula Regularum his verbis :* Acceperat enim dudum tabulam, in qua erant hæc adnotata. *Tum quædam referuntur monachis præscribenda : et subdit auctor :* Cumque hoc dixisset, nuntius cælestis C abscessit : et Pachomius solito Deo gratias referens, de visione certus est redditus, quam trina revelatione cognoverat. *Huic biographo adjungo Palladium, qui apud laudatum Rosweydum pag. 756, cap. 38 ita habet :* Eo ergo sedente in hac spelunca, visus est ei Angelus Domini, qui ei dicit : Pachomi, ea quidem, quæ ad te pertinent, recte et ex virtute gessisti : supervacanee ergo sedes in hoc loco : age ergo egredere, et congrega omnes juniores monachos, et habita cum eis, et sequens formam, quam dabo tibi, eis leges constitue. Eique dedit tabulam æneam, in qua hæc scripta fuerant : « Concede unicui» que, ut comedat et bibat pro viribus come» dentium *etc...* » Cum autem magnus Pachomius contra Angelum diceret, esse paucas orationes, ei dicit Angelus : Has constitui, ut parvi quoque possint procedere ad perficiendam Regulam, nec eis sit molestum, qui autem sunt perfecti, non opus habent, ut leges eis ferantur *etc...* Cum hæc ordinasset Angelus, et implesset ministerium, recessit a magno Pachomio. Sunt autem hæc monasteria, quæ formam hanc obtinuerunt, habentia virorum circiter septem millia. *Ex allegatis invicem consonis colligo, non omnes leges, quas tulit S. Pachomius, in tabula ab* Angelo *data fuisse scriptas : sed in tabula solum fuisse præscriptum, quales leges monachis suis deberet præscribere.*

Auctore J. S.

secundum quam leges monachis suis

419 *Sozomenus lib. 3, cap. 14 prædictis consentit, et addit :* Porro tabulam dedisse ei (*Angelus*) dicitur, quæ etiamnum custoditur a monachis. *Nec dissentit Gennadius in Catalogo, quando cap. 8 (aliis 7) hæc de Pachomio scribit :* Pachumius monachus, vir tam in docendo quam in signa faciendo Apostolicæ gratiæ, et fundator Ægypti cœnobiorum, scripsit Regulam utrique generi monachorum aptam, quam Angelo dictante perceperat. *Relato autem instituti compendio, de Pachomio rursum subjungit :* His legibus discipulos suos instituit Pachomius, vir humanissimus, Deoque admodum carus, ita ut futura prænosceret, et cum Angelis sæpenumero loqueretur. *S. Hieronymus in Præfatione jam laudata de alio favore* Angeli, *Pachomio et aliquot ejus discipulis præstito, ita loquitur :* Aiunt autem Thebæi, quod Pachomio Cornelioque et Syro, qui usque hodie ultra centum et decem annos vivere dicitur, Angelus linguæ mysticæ scientiam dederit, ut scriberent sibi et loquerentur per alphabetum E speciale, signis quibusdam et symbolis absconditos sensus involvens. *Mitto alios, qui de tabula Pachomio data meminerunt : et solum observo, nuspiam apud vetustos dici, in memorata tabula scriptas fuisse omnes Leges, quas Pachomius monachis suis debebat præscribere; sed ideam quamdam Sancto fuisse datam, secundum quam Regulas suas componeret, et latius explicaret.*

debebat præscribere.

420 *Ipsa verba scriptorum datam expositionem omnino exigunt. Palladius tabulæ verba sic orditur :* Concede unicuique, ut comedat et bibat pro viribus comedentium : eis quoque manda opera, quæ proportione conveniant, ac respondeant : et neque jejunare prohibe nec comedere, *etc. In vita cap. 22 initium tabulæ sic refertur :* Singulis juxta vires suas edere concedas et bibere : et pro modo vescentium laborare compellas : et neque comedere modeste, neque jejunare prohibeas. *Eadem generatim magis de initio tabulæ dicit Sozomenus :* In ea perscriptum erat, *inquit*, ut unicuique permitteret tantum edere, bibere, operari, ac jejunare, vel secus, quantum posset *etc. Sermo ubique dirigitur ad ipsum Pachomium, qui Regulam debebat componere; non ad monachos,* F *qui componendam ab eo debebant observare. Jam vero hac observatione concidunt omnia fere Tillemontii argumenta : nam tabulam ab* Angelo *allatam sic oppugnat, acsi ad monachos directa fuissent mandata, quæ continebat, cum solus Pachomius ea tabula instrueretur ad leges condendas. Alia ipsius argumenta non sufficiunt ad Palladium reliquosque erroris arguendum, aut mendacii: neque enim ex errore videtur dicere potuisse, tabulam æneam fuisse Pachomio datam, et documenta referre, quæ in eadem erant scripta.*

Respondetur ad argumenta Tillemontii,

421 *At objicit primo, nihil de allata tabula legi in vita græca, nihil de ea asseri a S. Hieronymo, nihil a Cassiano. Respondeo, et alia fuisse omissa in vita græca; Hieronymum vero brevem dumtaxat dedisse præfationem, in eaque saltem dicere,* Angelum *a Deo missum venisse ob hanc ipsam institutionem, et meminisse de lingua mystica, quam Pachomius ab* Angelo *didicerat. De hac ipsa nihil dicit biographus græcus, qui multa a se omissa eo ipso ostendit, quod post vitam conscriptam etiam Paralipomena dederit satis prolixa. Fortasse etiam de industria omisit, tabulam Pachomia*

AUCTORE I. S.

mio ab Angelo *datam fuisse, ne monachi audaciores illam vellent videre, et ex ea temere contra ordinationes superiorum suorum ratiocinari aut obmurmurare. Certe altera vita, quam Dionysius latinam fecit, clarissimis verbis et tabulam, et præcepta tabulæ asserit, et consentiunt Palladius et Sozomenus. Horum assertio longe validior est pro tabula, quam græci biographi silentium contra eamdem. Accedit Epistola Ammonis ad Theophilum Alexandrinum, in qua de Pachomio similia narrantur. Edita est apud nos post Acta Pachomii ei Paralipomena, et num. 5 Ammon refert verba sibi de Pachomio dicta.* Pachomius quidam, monasteriorum horum auctor et moderator, Deo quondam gratissimus exstitit. Hunc idem Deus multa per revelationes, ac plura per internam suam ad Pachomii animum locutionem, alia vero per ministerium Angelorum edocuit *etc. Tum refertur, Pachomio prædictum ab* Angelo *fuisse futurum adventum S. Theodori, de qua revelatione nihil quoque in actis græcis.*

et magis confirmatur, formam instituti sui

422 *Orsiesius, qui Pachomii successor fuit in præfectura monachorum, in Doctrina iis tradita apud Holstenium in Codice regularum pag.* 146, B *num. 46 suos ita alloquitur :* Non relinquamus legem Dei, quam pater noster ab eo accipiens nobis tradidit. *Item num.* 28 *dicit:* Si mandata sunt Dei, quæ per patrem nostrum tradidit nobis, *etc. Nulla quidem hic mentio de tabula : at innuunt verba, Pachomium singulari quodam modo accepisse a Deo, quæ suis præscripsit. Itaque cum in Epistola Ammonis dicatur,* per ministerium Angelorum *fuisse edoctum, cumque et Palladius, et Sozomenus, et vita per Dionysium versa, imo et vita per Surium edita, aperte doceant, formam Regularum scribendarum in tabula datam fuisse Pachomio, et Palladius addat, æneam fuisse tabulam; Sozomenusque, suo etiam tempore fuisse conservatam; non videtur id factum negandum sine solidis argumentis. At nullum tale protulit Tillemontius. Certe tale non est aliquorum silentium, ac nominatim vitæ græcæ, in qua non pauca omissa sunt, quæ forsan in transcribendo exciderunt. Tale non est, quod in tabula scriptum fuerit :* Dormiant autem non recumbentes, sed exstructis sibi sedibus paulo supinioribus, et illic suis impositis stragulis dormiant sedentes. *Num his contrarium non est, quod aliqui facere tentarunt in vita* C *græca num. 9. Et illi enim volebant sedentes dormire, ut erat præscriptum, sed modo difficiliore, quod prohibitum non erat, sicut perfectiores præscriptis precibus plures poterant addere.*

ab Angelo in tabula accepisse Pachomium.

423 *Tale rursum non est, quod objicit contra illa tabulæ verba :* Si venerit hospes alterius monasterii, quod habet aliam formam, cum eis nec comedat nec bibat. *De hoc amicus presbyter conquestus legitur in vita num. 28. Debuit igitur, si credimus Tillemontio, respondere S. Pachomius, id unum esse ex* Angeli *præceptis. Verum, cum idoneas haberet et allegaverit rationes illius Regulæ, iisque amico suo satisfecerit, non existimo necesse fuisse visum viro humili, secretum suum istius objectionis causa revelare. Quapropter non probavit Tillemontius, tabulam illam gratis aut ex errore fuisse confictam; aut Palladium aliqua retulisse de præceptis tabulæ, quæ in ea non fuerant scripta : aut Dionysium vitæ, quam latinam reddidit, aliunde ea inseruisse. At abunde confirmatum est, formam vitæ monasticæ, quam suis præscripsit Pachomius, eidem ab* Angelo *in tabula traditum. Mitto alia quædam* Angelorum *in S. Pachomium beneficia, quæ studiosus lector in actis* D *inveniet.*

Visio Angelorum oblata S. Theodoro.

424 *De S. Theodoro, Pachomii discipulo, Ammon in Epistola superius laudata num. 7 scribit, eum noctu orasse, et demum gravatum consedisse, ut necessarium caperet somnum.* Tum Angelus Domini in somnis apparens dormientem excitavit, dicens : Sequere me. Surrexit Theodorus, et præeuntem Angelum secutus, in ipsam ductus est ecclesiam, quam ingenti undique lumine collucentem reperit. Angelorum etiam multitudo ingens eo in loco versabatur, in quo sua Deo Sacrificia offerre sacerdotes consueverunt. Territus simul, et simul ab Angelorum uno evocatus Theodorus, ut proprior constitit, magna nescio quis gloria et splendore conspicuus, cibum quemdam peregrinum atque insolitum coxit. Quem cum in os Theodori infudisset, ut eum istic consumi pateretur, mandavit. Porrectum cibum Theodorus comedens, ei insolentiam saporis expertus lucem mox omnem evanescere, et Angelos e templo recedere conspexit. *Addit Ammon episcopus, qui sub Theodoro ante fuerunt monachus, hæc ab eo relata fuisse S. Pachomio. Hic autem, ut prolixius narratur in Paralipomenis* E *num. 13, alterius monachi sui* animam, *cujus mortem intellexerat, et ad quem visendum erat in itinere,* cum sanctis Angelis psallentem, ad beatæ vitæ possessionem capiendam deduci conspexit; *idque monachis sibi præsentibus statim edixit.*

Angelus verba suggerere visus S. Ambrosio.

425 *Paulinus in vita S. Ambrosii num. 17 ita habet :* Per idem tempus erat quidam vir de hæresi Arrianorum, acerrimus nimius disputator, et durus atque inconvertibilis ad fidem catholicam. Is constitutus in ecclesia, tractante episcopo (*S. Ambrosio*) vidit; ut ipse postmodum loquebatur, Angelum ad aures episcopi tractantis loquentem; ut verba Angeli populo episcopus renuntiare videretur. Quo viso conversus, fidem, quam expugnabat, cœpit ipse defendere.

Theodoreto presbytero in tormentis adsunt Angeli

426 *Theodoretus presbyter Antiochenus, et martyr sub Juliano, cujus acta dedit Mabillonius tom. IV Analectorum, pag. 130 cum varia jam sustinuerat tormenta, et etiam tum torquebatur jussu comitis Juliani, orasse legitur hæc inter alia dicens:* Et iniquis ostende tuam virtutem, ut cognoscant omnes, quomodo gratiam timentibus te præ- F stas, *etc. Et mox subduntur sequentia:* Et subito ceciderunt carnifices in faciem suam cum lampadibus (*quibus martyris latera urebant*), Turbatus est vero Julianus cum adstantibus militibus, et jussit carnifices elevari, dixitque ad eos : Applicate iterum lampadas ejus lateribus. At illi responderunt : Alios jubeat nobilitas tua : nos vero hoc facere non possumus, quia vidimus quatuor Angelos in veste candida adstantes, et loquentes cum eo, et ideo in faciem nostram cecidimus.

protegunt Constantinopolim contra Gainam.

427 *Socrates lib. 6, cap. 6 refert molitiones Gainæ contra Arcadium imperatorem et urbem Constantinopolitanam, ingensque miraculum, quo urbs contra Arianum illum Gothorum ducem fuit conservata. Audiamus spectantia ad propositum nostrum.* Nocte intempesta (*Gainas*) barbaros ad incendendum palatium mittit. Tum vero perspicue declaratum est, quantam Deus curam ac providentiam civitatis gereret. Angelorum enim multitudo visa est ab insidiatoribus, qui militum enormis staturæ speciem referrent. Quos barbari ingentem revera ac fortem esse exercitum suspicati, stupefactique abscesserunt. Quod cum Gainæ

AUCTORE J. S.

A Gainæ nuntiatum fuisset, incredibile ei videbatur. Sciebat enim abesse maximam partem exercitus Romani, quippe qui per urbes Orientis distributus esset. Nocte igitur proxima aliisque iterum sequentibus alios mittit. Cum vero varios mittenti eadem renuntiarentur: Angeli enim eamdem perpetuo speciem insidiantibus objecerant, tandem ipse cum ingenti multitudine progressus, spectator fit miraculi. Suspicatus itaque, re ipsa militum esse multitudinem, qui interdiu quidem delitescerent, noctu vero conatibus suis obsisterent, consilium cepit *etc. Subditur, Gainam cum parte suorum urbe exiisse, ut alio modo urbem caperet: quod ipsi quoque infeliciter cessit. Idem miraculum narrat Sozomenus lib. 8 cap. 4, non addens tamen,* Angelos *fuisse, qui illam militum speciem Gotharum oculis objiciebant.*

Sæpe in ecclesia, et Missæ assistentes videntur a Chrysostomo.

428 *Barbarus ille Gainæ conatus contigit, quando Arcadius imperium Orientale, et S. Joannes Chrysostomus cathedram Constantinopolitanam administrabant, anno* 399, *ut mihi visum est, in Chrysostomo* § 44, *ut alii voluerunt, anno* 400. *Inter alia voluerat Gainas, ut ecclesia aliqua Constantinopoli Arianis cederetur, eique petitioni fortiter se opposuerat Chrysostomus. Itaque tam* B *contra Ecclesiam Catholicam, quam contra imperium tendebant illæ molitiones Gainæ, Chrysostomus autem, teste S. Nilo tunc vivente,* sæpenumero conspexit, omnibus fere horis Dominicum (*id est, templum sive ecclesiam*) Angelorum curatione protectum, numquam ab illis destitutum, et potissimum tempore sacrosancti incruentique Sacrificii. Quod ille admiratione et lætitia plenus amicorum illi spiritu conjunctorum genuinis extra turbam enarravit. Aiebat etenim ille, statim atque sacerdos sacram inciperet oblationem, plerasque derepente ex beatis Potestatibus de cælo descendentes, et splendidissimis quibusdam vestibus circumamictas, nudo pede, intentis oculis, et demissa facie altare circumeuntes, cum veneratione et multa quiete et silentio, usque ad terribilis Mysterii consummationem assistere: tum demum per venerandum dominicum undique effusas, hac atque illac singulas obviis episcopis et sacerdotibus, et singulis diaconis, qui Corpus ac venerandum Sanguinem aliis dispertiunt, ministrare, auxiliari, viresque confirmare. *Hactenus S. Nilus, cujus verba in Chrysostomo tom. IV* C *Septembris pag.* 669 *uberius data.*

§ XXIX. Beneficia Angelorum seculo V.

Alexandro abbati ejusque sociis

Sub initium seculi V præcipue floruit in Oriente *Alexander, institutor Ordinis Acœmetarum, cujus Vita data ad* 15 *Januarii. Converterat is ex superstitione gentilium ad fidem Christianam Rabbulum aut Rabbulam, Edessenum postea episcopum, conabaturque eum ulterius inducere ad omnia pro Christo relinquendum. At Rabbulus, qui uxorem habebat et liberos, huic consilio non acquiescebat. Ut igitur virum sanctum ipso experimento refelleret, petiit ut vel uno die se suosque liberos in solitudine sustentaret. Accepta est conditio, et Rabbulus, ut habet Vita num.* 19, in vastam eos solitudinem deducit, numquam humanu, ut videbatur, calcatam vestigio. Cumque die toto iter egissent, sub horam undecimam substiterunt in medio duorum montium. Et Rabbulus quidem vias circumspiciens ridebat. B. Alexander autem juxta consuetudinem statim precationi se dedit. Cumque simul Vespertinum hymnum complessent, fiduciæ magnanimi athletæ sui respondit piissimum Numen. Misit enim Angelum rustici specie, jumentum agentem mundis et calidis onustum panibus, et duabus ollis obsoniorum utrimque dependentibus, in quibus olera erant et legumina.

cibus per Angelum in desertum allatus:

430 Tunc B. Alexander Rabbulo dixit: Surge, accipe, et noli incredulus esse. Is vero longo tempore attonitus hæsit, ita secum ratiocinans: Unde in loco deserto rusticus homo tot et tales habuit panes? Et nos quidem toto die incedentes vix in hunc pervenimus locum: omnino igitur ipsum oportet noctu domo discessisse, ut huc tandem hoc tempore perveniret. Necesse proinde est, ut hodie panes illi cocti non sint. Unde ergo calidi sunt? Atque hæc animo volvens, admirabatur Christi virtutem. Dicit autem ei, qui advenerat: Unde venis? aut quis te huc misit? Angelus vero: Meus me Dominus misit. Sumptis ergo cibis, illum, qui rusticus videbatur, dimiserunt: qui ad exiguum spatium progressus, subito videri desiit. Suscipientes cum E gratiarum actione, quæ iis a Domino Jesu missa erant, manserunt istic ea nocte. Postridie in urbem reversi sunt.

refellitur objectio Tillemontii.

431 *Rabbulus hoc miraculo inductus est ad omnia relinquendum, consentiente etiam uxore, quæ cum filiabus vitam monasticam amplexa est, ut mox sequitur. Tillemontius tam. XII agit de Alexandro Acœmeto, faleturque Vitam ejus a discipulo scriptam esse. Quin et agnoscit, Religionem Acœmetorum celeberrimam fuisse. Multa tamen objicit, cum contra Vitam, tum contra mores Alexandri: sed ea levissima sunt, et suo loco facile refutanda. Ait contra factum modo relatum, ab auctore dici,* Rabbulum, ut tentaret Alexandrum, exposuisse se periculo moriendi fame cum omni familia sua. *At auctor id minime dicit neque id ex relatione ejus deduci potest. Nulla enim verbo innuit, Rabbulum cum suis ad solitudinem venisse sine ullo cibo. Poterat occulte secum sumere tantum, quantum eo die erat necessarium; aut curare, ut id fieret per socios; aut ut cibus per servos sequeretur. Præterea* postridie in urbem reversi sunt, *ut nullum fuisset periculum moriendi* F *inedia unius diei, etiamsi omnem cautionem omisisset.*

alia vice Angeli mandato eadem et monachis panes allati.

432 *Aliud in eadem Vita refertur num.* 45 *his verbis:* Cogitaverunt vero quidam increduli gratiam tentare, et manserunt inter fratres die ac nocte, volentes explorare, unde alimenta Dei famulis præberentur: cernebant enim in dies escam illis paratam assidue reperiri, qua ipsi sufficienter vescerentur: residuum vero mendicis distribui, et nulla eos crastini cura angi. Sanctus vero, cum sancti Spiritus instinctu didicisset eorum cogitationes, dicit fratri se sequenti, nemine fores pulsante: Exi, et sume, quæ a Domino missa sunt. At priusquam ille ad januam pervenisset, venit vir quidam candida indutus veste, et fortiter januam pulsavit. Qua aperta, reperit frater cophinum refertum mundis panibus et calidis; eum vero, qui januam pulsarat, nusquam vidit. Erat enim Angelus, qui virum cum panibus istuc stiterat et discesserat. Dicit igitur frater ei, qui advenerat: Quis te huc misit? At ille: Panes ex furno extrahebam; cum mihi vir adstitit procerus, candido amictu, graviter me urgens, ac dicens: Affer panes hos omnes servis Altissimi.

AUCTORE J. S.

vis Altissimi. Cumque locum ignorarem, jussit me sequi huc usque : ille est, qui fores pulsavit, atque illico videri desiit. Hæc cum audisset frater ille, sancto abbati renuntiat, cum fratres jam mensæ accubuissent. Accipiens ille calidos panes apposuit : quos cum gratiarum actione sumentes, quod superfuerat, pauperibus fratribus largiti sunt. Obstupuerunt vero hac viri fiducia, qui secundum Scripturas de crastino minime esset sollicitus. Is vero cupiens fratribus fidem inserere, in medium advocat eum, qui panes attulerat, ut ex ipsius ore cuncta cognoscerent.

observatio pro Alexandro contra obtrectationes Tillemontii.

433 *Inter præcipuos Alexandri discipulos fuit S. Marcellus, cujus Vita apud Surium edita ad 29 Decembris. In hac laudatur Alexander, ad quemque venisse dicitur Marcellus, ut* ad virum quemdam virtute incomparabilem, plenum quidem sapientia, plenum et pastorali sollicitudine, et diligentia curaque animarum etc. *Hæc ad commendandum S. Alexandrum, cui gratiis se opposuit Tillemontius, afferre volui. Ex hac Vita Baronius ad annum 469 S. Marcello tribuit* Angelum, *qui eum comitabatur, ut juvenis staturæ maximæ et miræ pulcritudinis. Ad visionem illam, ut minus certam prætereo, quod Vita non sit* B *scriptoris coævi, et attribuatur Metaphrastæ. Ad commendationem vero S. Alexandri addo Vitam S. Hypatii, datam apud nos ad 17 Junii, scriptam fideliter ab auctore, qui Alexandrum forte vidit, aut certe vixit cum iis, qui viderant. Hic cap. 8 narrat, S. Alexandrum a S. Hypatio exceptum in monasterio fuisse et defensum, quando Constantinopoli cum suis expellebatur, quod verisimiliter factum est a Nestorio. Certe factum est ab episcopo, et refertur post relatum Nestorii exsilium inter facta particularia. Alexander vero laudatur his verbis :* Archimandrita quidam, nomine Alexander ex Asia minore adveniens, una cum monachis circiter centum, domicilium sumpsit in urbe, cujus conversatio omnibus fuit probata *etc. Plura ibi : sed hæc interim sufficiant contra obtrectationes Tillemontii.*

Angeli cum S. Sisoë moriente :

434 *Eodem seculo in Ægypto obiit, in monte S. Antonii, S. Sisoës, cujus sanctitas miris celebratur laudibus, ut videri apud nos potest ad 6 Julii, ubi de Sisoë actum. Mors ejus refertur num. 19, diciturque splendente vultu, multisque recreatus* C *visionibus, obiisse. Missis aliis, quod de* Angelis *dicitur, hic solum recitabo :* Ecco autem ipsum quasi cum quibusdam loquentem. Itaque rogaverunt eum senes, dicentes : Cum quo disseris, pater? Respondit : Angeli venerunt, ut me assumant : et obsecro, ut permittar paullulum agere pœnitentiam.

item Angeli sæpe cum S. Symeone Stylita visi :

435 *Item seculum mirabili vita exornavit S. Symeon Stylita, qui prope Antiochiam in columna sua obiit. Audita ejus morte, mox venit patriarcha Anthiochenus cum episcopis ad corpus transferendum in urbem. De gestis ante hanc translationem auctor Vitæ secundæ apud nos ad 5 Januarii num. 36 ita loquitur :* Ubique autem nebula tenebrosa facta est per circuitum. Ego autem considerabam Angelum, venientem ad visitandum eum. Circa horam vero decimam seniores septem loquebantur cum Angelo, cujus vultus erat sicut fulgur, et vestimenta sicut nix. Et vocem ejus in timore et tremore tamdiu consideravi, quamdiu respicere potui. Quod tamen fuerit mysterium, ignoro. Nam et ille discipulus, qui cum defunctum episcopo nuntiavit, dixit se secretioribus horis frequenter Angelum vidisse cum illo loquentem, cujus species erat tamquam fulgur, D et vestimenta ejus sicut nix.

et ministrantes sacrificanti S. Euthymio.

436 *Seculo v item floruit et defunctus est S. Euthymius abbas, inter professores vitæ monasticæ eximius. In hujus Vita per Cyrillum scripta, editaque in Analectis Græcis, pag. 61 et 62 hæc breviter leguntur.* Similiter cum divina Dona offerebat, sæpe Angelos sibi ministrantes cernebat. *In Vita S. Cyriaci ibidem pag. 106 dicitur :* Interim brevi elapso tempore, pulcro itinere ad Deum abit magnus Euthymius, cujus sacram animam Gerasimus videt ab Angelo deduci, et splendide ad cælos, unde vocatus fuerat, ascendere. *Eadem leguntur in Vita per S. Cyrillum scripta et hodie danda. Mitto alia, sed unum adjungo, quod ad priores seculi v annos pertinet, prout refertur a S. Paulino in Epistola 49 (alias 36,) rescissis tamen brevitatis gratia iis, quæ ad beneficium intelligendum minus sunt necessaria.*

Valgius adhuc gentilis et senex, solus relictus in navi.

437 *Agitur de Valgio quodam gentili, dicto Victore post baptismum, beneficii hujus occasione acceptum.* Vide enim, *inquit S. Paulinus,* quam admirabile et prædicabile opus sit, quod Jesus Dominus in uno sene cum Angelis suis sanctis operatus est. *Valgius senex cum aliis tempore hiemali naviga-* E *bat in Sardiniam.* Illico, *inquit Paulinus,* ut mihi retulit, in proximo freto exorta tempestas, temere de portu solutam multarum navium classem a cursibus destinatis retorsit, et fregit in littore. Hujus navem in quodam ejus insulæ loco, quem ad Pulvinos vocant, ne similiter illideretur, anchoris fundare conati sunt : sed hiemis ejusdem violentia prævalescente, rumpentibus vinculis, nautæ exterriti scapulam demiserunt; vel ut navi fortius continendæ renovatis et altius stabilitis anchoris subvenirent, vel ut seipsos, si possent, a discrimine navis eriperent. Sed illos statim cum fragili perfugio lembuli sui arripuisse in scopulos procella dicitur, et superfusis fluctibus obruisse. Unum ex omni numero nautarum senem, sentinando deputatum, vel metu immemores, vel ut vilem animam contemnentes, relinquunt. Interea destituta nautis et anchoris navis aufertur in pelagus.

quæ gravi per mare jactabatur tempestate,

438 Senex ille, qui nescierat se relictum, ut jactari volvique sensit, ab intimo navis emergit, vacua omnia, mare undique et undique cœlum F videt. Cum et metum et periculum misero solitudo cumularet, sex dies et noctes jejunus condidit. Fuerunt enim illi lacrymæ panes die ac nocte. Tum ipsum, jam mortis quam vitæ cupidiorem, finemque pœnarum animæ exitu desiderantem, misericors et miserator Dominus adire cominus, et verbi cibo animare dignatus est. Refert ipse adhuc lacrymans felicitatem periculi sui, nec sine lacrymis cordis et gaudio spiritus audiri potest, ut compellatus adeunte Christo, ut confortatus hortante sit, ut arborem jussus inciderit, quam excidi in eo tempore remedium navis erat : sed quod multi atque validissimi sine suo et navis periculo facere vix possunt, solus et debilis arripere non audens, Dei verbo ausus est. Bis tantum et leviter, ut a senili manu, tactus magis quam ictus, securi, malus ita præsilivit a vulnere, ut longe extra navem in undas expulsus, tuto ceciderit. Deinde variis, ut marina jactatio et navalis instructio poscit, officiis, cum aut artemono armari oportebat, aut sentinam depleri * necesse erat, nomine Victoris vocatus a Domino, porrigere tantum specie agendi manum ad quamlibet operam jubebatur. Non enim in

* *id est exhauriri*

A in multa et varia circa hunc senem mirabilium divinorum gratia hoc quoque Dei munus prætereundum videtur, quod etiam nomen accepit, quo nunc et regeneratione censetur, et ab hominibus et ab Angelis scribitur: gentilitio enim signo Valgius vocabatur, qui nunc Victor a Domino dicitur...

Angelis mirabili modo juvantibus et navem

439 Mira fides et ineffabilis pietas Domini Salvatoris, qui senem, si forte somno piger lentius ad gerenda consurgeret, et molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergefieret, vellicata blande auricula suscitavit; cum leviter adnitens senex, a primo statim conatu suo manibus Angelicis res effectas videret. Vix rudentem quasi ducturus attigerat, cum velum videret jam exsinuatum in contos suos, supparum stabat, vela navis faciebat. Aqua rimis navis accepta mergere tentaverat: et post unum vel alterum brevis sentinaculi haustum humore districto, siccataque navi, quod ageret, non habebat, stupens laborem sibi sine labore præcerpi, et actum suum occulta manu præveniri: si bene occulta dicitur, quæ tam perspicuum præstabat auxilium. Sed nec ipsi operatores simplicibus innocentissimi senis oculis sub-B trahebantur: nam sæpe vidit armatos, videlicet de exercitu cœli, milites excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare. Nec sane navem illam nisi Angeli nautæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi Gubernator. Ipse enim Dominus, nunc suo vultu coruscus, ut in Apocalypsi describitur, et coma fulgidus; nunc confessoris et amici sui, domini mei, communis patroni, Felicis ore venerabilis in puppi sedebat, sicut nautico usu dicitur, ad temones, vel potius pro temonibus, quos cum anchoris pariter et nautis in illo naufrago littore navis amiserat...

dirigentibus, per dies XXIII evadit incolumis.

440 Narrat gaudio lacrymans senex, se ad ipsius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis sibi solitum procubare, etiam familiarius ipso allectante, in genibus quoque ac sinibus sacris beatum et afflatibus divinis odorum reclinati capitis pulvinar habuisse. *De mirabilibus hisce prolixe ratiocinatur S. Paulinus, docetque, senem illum viginti tres dies per varias maris Mediterranei partes jactatum fuisse, postquam a reliquis nautis fuerat derelictus. Addit num. 6 de Domino navem dirigente:* Et in eo (*sene*) discreta carnis et spiritus officia dispensans, noctu securum re-C quiescere, die vigilare sollicitum jubebat, se pro dormiente vigilaturum, et vigilanti cooperaturum esse promittens. *De mira senis illius simplicitate num. 13 ita loquitur:* Nam ingenita simplicitate tam purus animi semper fuisse perhibetur, ut peccare nescierit. *De cura senem frequenter interrogandi de factis istis num. 14 hæc scribit:* Fateor tibi affectionem meam, dum nimium tam insignia in nostri temporis homine Dei gesta admiror et diligo, pene in ipsum senem fuisse crudelem. Nam tam assidue aurem ipsius retractavi, ut pene detriverim. *Hactenus S. Paulinus, cujus Epistola legi poterit.*

§ XXX. Angelorum beneficia Seculo VI.

Anima S. Germani Capuani per Angelos duci in cœlum visa:

Angelorum *seculo VI in homines beneficia ordior a decedentibus ex Vita mortali ad immortalem. S. Gregorius Lib. 2 Dialogorum cap. 35 de visione quadam S. Benedicti abbatis sic habet:* Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora prævenisset, ad fenestram stans, et omnipotentem Deum deprecans, subito intempestæ noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa quæ inter tenebras radiasset... Qui venerabilis pater, dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Servandum diaconum, iterato bis terque ejus nomine, cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque jam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum vir Dei per ordinem, quæ fuerant gesta, narravit. *Missus quoque statim Capuam fuit Theoprobus, ibique intellexit,* eodem momento fuisse illius (*S. Germani*) obitum, quo vir Domini ejus cognovit ascensum. *De S. Germano agemus ad 30 Octobris.*

Angeli adsunt in obitu S. Stephani abbatis,

442 *Aliud refert S. Gregorius Hom. 35 in Euangelia de morte S. Stephani abbatis, de quo apud nos actum est ad 13 Februarii.* Fuit quidem diebus nostris, *inquit,* Stephanus nomine, E pater monasterii, juxta Reatinæ urbis mœnia constituti, vir valde sanctus, virtute patientiæ singularis. Et supersunt multi, qui illum noverunt, ejusque vel vitam vel obitum narrant... Hunc cum dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam sanctæ animæ de hoc mundo recedenti suas animas commendarent. Cumque circa lectum illius hi, qui convenerant, omnes assisterent: alii corporeis oculis ingredientes Angelos viderunt, sed dicere aliquid nullo modo potuerunt; alii omnino nihil viderunt: sed omnes, qui aderant, ita vehementissimus timor perculit, ut nullus, egrediente illa sancta anima, illic stare potuisset. Et hi ergo, qui viderant; et hi, qui omnino nihil viderant, uno omnes timore perculsi et territi fugerunt. *Idem iterum narravit lib. 4. Dialogorum cap. 19, ibique addit, a quibus factum istud didicerit.*

item in supremo morbo S. Romulæ cum ingenti luce

443 *Rursum Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 15 narrat mirabilem transitum S. Romulæ, de qua cum SS. Redempta et Hirundine apud nos disputatum est ad 23 Julii. Erat Redempta Romulæ* F *ejusque sororis magistra, simulque in Urbe ducebant vitam piam et quasi solitariam. Romula autem morbo ad extrema fere erat deducta.* Nocte igitur quadam, *inquit Gregorius,* eamdem Redemptam, quam præfatus sum, quæ utrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocavit, dicens: Mater, veni: mater, veni. Quæ mox cum alia ejus condiscipula surrexit, sicut utrisque referentibus, et multis eadem res claruit, et ego quoque eodem tempore agnovi. Cumque noctis medio, lectulo jacentis assisterent, subita cœlitus lux emissa omne illius cellulæ spatium implevit, et splendor tantæ claritatis emicuit, ut corda assistentium inæstimabili pavore perstringeret, atque, ut post ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, et in subitu stupore remaneret. Cœpit namque quasi cujusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostiumque cellulæ concuti, acsi ingredientium turba premeretur: atque, ut dicebant, intrantium multitudinem sentiebant: sed nimietate timoris et luminis videre non poterant, quia earum oculos et pavor depresserat, et ipsa tanti luminis claritas reverberabat. Quam lucem protinus est miri odoris

AUCTORE J. S.

nduris fragrantia subsecuta, ita ut earum animum, quem lux emissa terruerat, odoris suavitas refoveret.

Et suavi odore, et in morte, quam cantus subsequitur.

444 Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem et trementem Redemptam, suorum morum magistram, blanda voce consolari, dicens: Noli timere, mater, non morior modo. Cumque hoc crebro diceret paulatim lux, quæ fuerat emissa, subtracta est: sed is, qui subsecutus est, odor remansit. Sicque dies secundus et tertius transiit, ut aspersa odoris fragrantia remaneret. Nocte igitur quarta eamdem magistram suam iterum vocavit. Qua veniente, Viaticum petiit, et accepit. Necdum vero eadem Redempta, vel illa alia ejus discipula a lectulo jacentis abscesserant, et ecce subito in platea ante ejusdem cellulæ ostium duo chori psallentium constiterunt, et sicut se dicebat sexus ex vocibus discrevisse, psalmodiæ cantus dicebant viri et feminæ respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cælestes exsequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cœlum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit psalmodia B lenius audiri, quousque et ejusdem psalmodiæ sonitus, et odoris suavitas elongata, finiretur. *Mitto alia, quæ huc transferri possent ex S. Gregorio.*

S. Hilaro abbati Angelus locum habitationis assignat,

445 *Floruit et obiit eodem seculo 6 S. Hilarus, abbas Galeatensis in Italia, cujus Vita a discipulo fideliter scripta, editaque apud nos ad 15 Maii. Hic autem in adolescentia, verbis Evangelii motus, et consilio senis cujusdam confirmatus, cum omnia vellet relinquere, orasse legitur, ut Deus dignaretur* Angelum *mittere, vitæ suæ ducem. Tum sequitur num.* 2: Et dum completa esset oratio, apparuit ei Angelus Domini, et confortans animum ejus dixit: Confortare, viriliter age: omnia enim complet Deus voluntatis tuæ desideria: et ecce ego datus sum tibi custos, ut quæcumque facere volueris, prospera sint in manu tua. Eodem quoque tempore exiens a partibus Tusciæ, Æmiliæ se partibus collocavit: ubi ab Angelo demonstratum locum habitationis ejus in montibus et in desertis, qualiter ejus fuerat dilectio, prompte adeptus est. *Rursum num.* 7, *postquam discipulos congregaverat, accusatus est apud Theodoricum Italiæ regem, et hic milites misit ad eum comprehendendum. Tum, accedentibus* C *ad locum militibus, sic oravit:* Domine Jesu Christe, qui dignatus es mihi Angelum tuum sanctum prospere destinare in hunc locum, qui et mihi hoc habitaculum demonstravit, tibi committo causam tuam qui judex es omnium: esto in hac hora præsens, ut non gratuletur inimicus, qui vult servos tuos contristare. Et oratione facta, continuo in aliam exerrantes viam, per biduum in montibus vagabantur.

aliaque eidem præstat beneficia.

446 Auditu hoc, rex Theodoricus (*qui in eadem monte pallatium exstruebat*) ira magna repletus, rapidissimo cursu in equum ascendit: et in ipso furore dum voluisset ad hominem Dei properare, antequam ad cortinam ipsius monasterii ingrederetur, plus minus quasi unius jactus lapidis, ingemuit equus in semetipsum, et noluit ire. Rex autem percutiebat eum: unde non dubium est, quod Angelicum vultum contremisceret equus. Cumque equum sæpius percuteret suum, rapidissimo furore equus eum in eumdem locum dejecit: unde nec rex nec equus se movere potuit. *Quidquid sit de causa, qua equus pergere noluit aut non potuit, rogavit Theodoricus, ut accederet S. Hilarus, eique factus est supplex et amicus, ut mox sequitur. Demum num* 11 *de S. Hilaro dicitur*: Expletis autem diebus vitæ suæ, id est, D annis octoginta duobus apparuit ei Angelus Domini, quarto Idus Maias, dicens: Confortare, et viriliter age, confortans congregationem tuam, et tibi aggregatam multitudinem, quia post triduum ad te veniam, assumens te de hoc seculo. *Obiit* die tertia, *ut sequitur. Auctor, qui brevis est, de scriptis suis ait num.* 10: Hæc, quæ vidimus, et de ore ejus audivimus, annuntiamus vobis.

S. Symeon Stylita in patrandis miraculis Angelos

447 *Eodem rursum seculo prope Antiochiam eximia sanctitate in columna vixit S. Symeon Stylita, qui* junior *dicitur, multisque claruit miraculis. Edita est apud nos ejusdem Vita ad 24 Maii. In ea num. 49 hæc leguntur:* Interea temporis... (*Symeon*) videt Orientem versus apertum cœlum, et inibi Dominum nostrum Jesum Christum... videbantur et archangeli Michaël atque Gabriël, placide a dexteris alter, alter a sinistris constituti. *In hac visione Simeoni potestas contra dæmones dicitur collata. Tum de gratia miraculorum num. 50 hæc sequuntur:* Viderunt etiam et Sanctus ipse et plures alii, quibus ea gratia concessa fuit, tres Angelos Dei, quorum al- E ter ad dexteram, alter ad sinistram, tertius pone tergum Simeonis stantes, atramentum manibus tenebant; et qui sanitatem consecuturi erant, jubente Sancto, velut in sindone, ipsa nive candidiore, scribebantur: neque singuli tantum, sed quam plurimi etiam simul, qui salutis causa accesserant, referebant obtentam... Ceterum qui circumstabant Symeonem Angeli, ad miracula et medicationes opem suam conferentes, ita ut ipsi adstiterunt aliquo tempore: deinde pro more jussi * scribere, negarunt id se facturos imposterum. *Noluerunt amplius sanandos designare Angeli, sed inter alia dixerunt:* Cuncta deinceps, te intercedente, evenient pro fide accedentium... His dictis, abierunt Angeli etc. *Omnia allegata indicant,* Angelos *S. Symeoni opem tulisse in patrandis miraculis.*

* rogati.

habet adjutores, et a Custode de instanti morte monetur.

448 *Deinde, cum Sanctus a discipulis suis fuisset derelictus metu irruentium hostium, ab Angelis tale accepit solatium, ut dicitur num.* 66: Gaudebat itaque solitudine, ac tribus consequentibus diebus soli orationi et Deo vacans,... conspicatur utrimque sanctos Angelos duos, alterum a dexteris, F alterum a sinistris, dicentes ipsi: Confide, non enim solus es, sed nos tecum sumus. *Rursum num.* 77 *ita habet auctor:* Homini cuidam Persæ gravis admodum cum dæmone lucta erat, quo nec liberari ullo modo poterat. Adstitit huic Angelus, dixitque: Abi ad servum Dei Symeonem, commorantem in sublimi monte, ex adversu Antiochiæ etc. *Venit ille ad Symeonem et liberatus est. Mox num.* 78 *aliud simile refertur de alio obsesso. Pauca dabo verba:* Periclitanti igitur, cunctus deficientibus, adest e cœlo Angelus, habitu ac specie militis, abire ipsum in Montem mirabilem ad S. Symeonem jubens: Ipse enim, inquit, vexationibus dæmonis te liberum præstabit. *Accedit ille, et pellitur dæmon.* Juvenis vero liberatus oculis suis Angelum, omnia militis referentem, adstare Symeoni conspexit, cumque eo colloqui familiariter, quemadmodum deinde ipse narravit. *Mirabilis multorum* Angelorum *visio refertur num.* 148: *sed hanc mitto. Demum num.* 248 *hæc refert biographus*: Agebat igitur S. Symeon jam quintum supra septuagesimum ætatis suæ annum,.... cum a familiari Angelo certior factus appropinquantis sibi vitæ exitus, id ipsum convocatis

vocatis discipulis, acerbo dolentibus sermone, significavit.

Potus, invocatis Angelis, in necessitate auctus.

449 *S. Gregorius Turonensis in libro de Gloria confessorum caput primum præmittit* de virtutibus Angelorum, *ita ordiens:* Igitur dum in Arverno territorio commorarer, vir mihi fidelis retulit, et scio quia vera narravit, quia evidenter cognovi gesta fuisse, quæ dixit. Jubet, inquit, fieri ex annonis aqua infusis atque decoctis, messoribus poculum præparari... Quod cum præparatum fuisset et in vase reconditum, atque ille apud urbem moras innecteret, ut mos servorum est, maxima parte exhausta, exiguam dominicis usibus reliquerunt. Ille quoque fidus de jussione, invitare messores jubet, ut, eo ab urbe redeunte, hos segetem decidere reperiret. Quo facto jam operariis in segete conlocatis circiter septuaginta, advenit dominus fundi, perscrutansque qualitatem quantitatemque potus, perparum reperit. Tunc pudore confusus, et sibi factum ad verecundiam reputans, ne potus deficeret operariis, quod, ut ipse arbitrabatur, super quinque mediorum mensuram non erat. Quid ageret, quo se verteret, in ambiguo dependebat. Tandem inspirante Domino, conversus ad vasculum, nomina Angelorum sanctorum, quæ sacræ docent lectiones, super aditum ejus devote invocat, orans, ut virtus eorum parvitatem hanc in abundantiam convertere dignaretur, ne operariis deficeret, quod haurirent. Mirum dictu tota die ab hoc extractum, numquam defuit bibentibus: sed usquequo nox finem operandi fecit, omnibus fuit in abundantia ministratum.

Angelus cum S. Gregorio naufragi et peregrini

450 *Ad idem seculum VI spectant officia* Angelorum, *quæ exponit Joannes diaconus in Vita S. Gregorii Magni, etiamsi Sanctus non sit defunctus ante annum 604. Vita apud nos data est ad 12 Martii, in qua primum lib. 1 num. 10 legitur,* Angelum *ad S. Gregorium, tunc monachorum abbatem, accessisse specie naufragi, acceptaque eleemosyna, iterum et tertio rediisse, semperque cum notabili stipe regressum, ultima scilicet vice, quod nummi Gregorio deessent, cum scutella argentea, in qua Gregorio legumina mittere solebat ejus mater. Deinde lib. 2 num. 23 idem* Angelus *ad mensam, quam Gregorius tunc Pontifex duodecim peregrinis parari jusserat, specie peregrini accessit. Petebat igitur Gregorius ab eo, cui curam dederat mensam parandi pro duodecim, cur addidisset tertium decimum;* Ille obstupefactus, *inquit auctor,* convivantes peregrinos curiosius numeravit, et duodecim solos inveniens, veluti securus respondit: Crede mihi, honorabilis pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse jussisti. Ergo dum convictus sæpius duodecim identidem numeraret, ac tertium decimum, quem solus Papa videre poterat, non videret; animadvertens spiritualis pater Gregorius virum propius discumbentem vultus crebro convertere, et nunc adolescentem, nunc vero se vetulum veneranda quadam canitie simulare, finito convivio, duodecim quidem abire permisit, tertiumdecimum vero manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adjurans, ut ei se nomenque suum simpliciter prodere dignaretur.

specie egisse, eique specialis custos datus dicitur.

451 Qui respondens, dixit: Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? Veruntamen scito memoria recognoscens, quia ego sum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando scribebas in cella monasterii tui ad clivum Scauri, cui dedisti duodecim numismata, et argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus B. Sylvia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinavit te Dominus fieri Præsulem sanctæ suæ Ecclesiæ, pro qua et proprium sanguinem fudit, et esse te successorem atque vicarium apostolorum principis Petri, cujus et virtutem imitatus es, cum substantias offerentium divideret, prout cuique opus erat. Hæc audiens Gregorius, dixit: Et tu quomodo nosti, quod tunc me Dominus præesse sanctæ suæ Ecclesiæ destinarit? at ille inquit: Quoniam ego Angelus ejus sum, et tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tunc Gregorius, quia nondum manifeste viderat Angelum, prorsus expavit, sibique hunc taliter dicentem audivit: Ne timeas neque formides. Ecce enim remisit me Dominus, ut sim tibi custos, quamdiu fueris in isto mortali seculo: quatenus quamcumque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Illico Gregorius in faciem suam corruit, dicens: Si propter pusillum meæ parvitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, ut et Pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, et custodem mihi suum Angelum deputaret, quanta putem mihi restitui, si in præceptis ejus totis viribus permanens, plura studuero de pluribus erogare. *Hactenus Joannes Diaconus, qui non est scriptor contemporaneus, ut alii sunt fere omnes in hisce allegati; sed scripsit seculo IX. Quapropter tota historia minus certa videri, aut certe dubitari poterit de quibusdam rei adjunctis. Nolui tamen omittere relationem, quod sit celeberrima, et locus etiamnum ostendatur, ubi res contigisse dicitur. Asserit idem Joannes lib. 1 num. 12 S. Gregorium, quando electus Pontifex se absconderat, per columnam lucidam et per* Angelos *in ea ascendentes et descendentes fuisse inventum.*

§ XXXI. Angelorum beneficia seculo VII.

S. Cuthbertus in pueritia

S*eculo VII floruit eodemque defunctus est S. Cuthbertus, episcopus Lindisfarnensis in Anglia, cujus Vitam exaravit S. Beda, de sua in scribenda fide certissimum in præfatione testimonium reddens. Edita ea est apud nos ad 20 Martii, variaque continet ad propositum nostrum pertinentia. Beda num. 61 de Cuthberto adolescente, qui ludos deseruerat, ita loquitur:* Quoniam puer Domini Cuthbertus, quæ per hominem accepit hortamenta, sedulo corde retinebat, etiam Angelico visu et affatu confortari promeruit. Nam subito dolore genu correptum illius, acri cœpit tumore grossescere, ita ut nervis in poplite contractis, pedem primo a terra suspensum claudicans portaret: dehinc, ingravescente molestia, omni pene privaretur incessu. Qui die quadam deportatus foras a ministris, atque sub divo recumbens, vidit repente venientem de longe equitem, albis indutum vestimentis et honorabilem vultu; sed et equum, cui insidebat, incomparandi decoris.

Angeli apparentis consilio sanatus.

453 Qui cum adveniens mansueto illum salutaret alloquio, addidit quasi per jocum inquirere, si aliquod tali hospiti vellet præbere obsequium. At ille, Jam, inquit, promptissime tuis cuperem devotus adstare obsequiis, si non, exigentibus culpis, hujus languoris compede retinerer: diu namque est, quod molestia genu tumentis oppressus, nulla cujuslibet medicorum industria possum sanari. Qui desiliens equo, ac genu languidum diligentius considerans: Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, et hac confectione calida tumorem

AUCTORE J. S.

morem superunge, et sanaberis. Et his dictis, ascendens equum abiit. Ille jussis obtemperans, post dies paucos sanatus est: agnovitque Angelum fuisse, qui hæc sibi monita dedisset, mittente illo, qui quondam Raphaëlem archangelum ad sanandos Tobiæ visus destinare dignatus est. Quod si cui videtur incredibile, Angelum in equo apparuisse, legat Historiam Machabæorum, in qua Angeli in equis, et ad Judæ Machabæi et ad ipsius templi defensionem advenisse memorantur. *Hæc Beda. Idem beneficium refertur in alia S. Cuthberti Vita, quæ scriptoris est coævi, et quam Beda omnino videtur secutus.*

deinde animam S. Aidani ab Angelis in cælum ferri videt.

454 *Idem num. 8 de Cuthberto, tunc ovium custode, hæc narrat:* Qui dum nocte quadam, dormientibus sociis, ipse juxta morem pervigil in oratione duraret, vidit subito fusum de cœlo lumen medias longæ noctis irrupisse tenebras: in eaque cœlestium choros agminum terram petisse: nec mora, sumpta secum anima claritatis eximiæ supernam redisse ad patriam. Compunctus est multum hoc visu Deo dilectus adolescens ad subeundam gratiam spiritualis exercitii *etc. Mox et visionem suam aliis narravit, et* B *inter alia dixisse fertur:* Et quidem hunc vel episcopum quemlibet sanctum, vel eximium de fidelium numero virum fuisse existimo, quem tanto splendore lucis, tot ducentium choris Angelorum ad cœlos allatum vidi. *Deinde vero intellexit, eo tempore obiisse S. Aidanum, de quo apud nos ad 31 Augusti: relictaque ovium cura, monasticam vitam amplexus est. Hoc iterum similiter narratur in alia Vita a contemporaneo scripta num. 5.*

Et demum in vita monastica aliis Angelorum

455 *Tertium quoque de S. Cuthberto uterque biographus enarrat. Erat tum monachus S. Cuthbertus, et curator hospitum constitutus. Res a vetustiore, qui testes allegat etiam tum viventes, lib. II num. 2 sic exponitur:* Inter quos (*hospites*) quidem quadam die in matutina hora, hyemali et nivali tempore, apparuit ei Angelus Domini in forma stabilis viri perfectaque ætate, sicut patriarchæ Abrahæ in valle Mambre Angeli in forma virorum apparuerunt. Deinde ergo suscepto eo secundum morem ejus benigne, putans adhuc hominem esse, et non Angelum, lavatis manibus et pedibus,... ut horam diei tertiam ad capiendum cibum expectaret, nolentem renuentemque D causa itineris diligentissime invitabat, et postremo, adjurando tamen in nomine Domini nostri Jesu Christi, consentiendo superabat. Facto jam signo diei horæ tertiæ et oratione consummata, mensam statim apposuit, præparato cibo desuper, quem habebat: quia enim panis casu aliquo non erat in diversorio, tantum micas pro benedicto pane congregatas super mensam constituit. Ibat etiam homo revertens ad monasterium, quærens panem, et non invento eo (adhuc enim coquebant panes in fornace) reversus est ad hospitem, quem solum reliquerat manducantem: et non invenit eum ibi, nec vestigia pedum ejus: jam enim nix erat super faciem terræ.

gaudet beneficiis.

456 Obstupefacto ergo sibi, mensam removit ad cubiculum, intelligens eum Angelum Dei esse: et primo in introitu ejus nares odore panis suavissimi repletæ sunt, et inventis quoque tribus panibus calidis, gratias egit Domino, quod in eo impletum est dictum Domini: Qui recipit vos etc. Et ab hac jam die frequenter, esuriente eo, Dominus cibavit eum, ut professus est fidelibus fratribus, non propter jactantiam, sed propter ædificationem multorum. *Beda num. 15 idem factum paulo prolixius exponit, et de panibus inventis sic habet:* Circumspiciens autem, unde esset tanta nidoris suavitas, vidit juxta positos tres panes calidos insoliti candoris et gratiæ, pavensque, talia secum loquitur: Cerno, quod Angelus Dei erat, quem suscepi, pascere, non pasci, veniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit: nam et lilia candore et rosas odore, et mella prædecunt sapore: unde constat, quia non de nostra tellure orti, sed de paradiso voluptatis sunt allati *etc. Deinde similiter addit:* Denique sæpius ex eo tempore Angelos videre et alloqui, sed et esuriens cibis speciali sibi munere à Domino præparatis meruit refici. *Narrantur et ante et post aliqua particularia, quæ prætermitto.*

Miri favores S. Wandregisilo abbati.

457 *In Vita S. Wandregisili abbatis, data ad 22 Julii, scriptor synchronus num. 17 habet sequentia:* Nec illud maximum miraculum præterire audeo, quod factum, ipso Sancto Domini narrante, cognovi. Quadam nocte, cum in oratione devotissime in cella sua perduraret, adstitit Angelus Domini ante eum in tam magna claritate fulgente, ita ut habitaculum illud immensa luce terribiliter resplenderet: et replevit odore suavitatis tugurium illud: et vox facta est ad eum, E dicens: Serve Christi in timore Dei promptissime, pax tecum, quia magnus es tu apud Dominum, et magna sunt opera tua, quæ incessabiliter facis: persevera usque in finem; quia Dominus Jesus Christus tibi habet paratam coronam et amœnitatem paradisi reseratam, qualiter cum ipso sine fine exalteris. Et ipso loco ventura ei prædixit, et ait: Quia nepos tuus Godo secuturus erit te. *Hæc apparitio etiam narratur in Vita secunda S. Wandregisili et in Vita S. Godonis abbatis hic memorati, quæ data est ad 26 Maii.*

ab Angelis præstiti,

458 *Mirabile etiam est, quod in prima S. Wandregisili Vita narratur num. 10. Accusatus erat Sanctus apud Dagobertum regem; et ad eumdem vocatus, dum erat prope aulam, ibidem ex equo descendit, ut pauperi auxilium præstaret, eaque occasione vestimentum suum luto inquinavit, ita ut irrideretur. At subdit auctor:* Cum autem hoc in laudem Dei diverteret, statim apparuit Angelus Domini, qui vestimentum ejus diligenter curavit, et factus plus candens, quam antea fuerat, postea pervenit in palatio regis *etc. Rursum num. 13 dicitur noctu* ab Angelo sancto F *translatus in monasterium Bobium. Eadem iterum referuntur in Vita secunda.*

Et S. Arigio Vapincensi episcopo.

459 *Mirus ploue favor est* Angelorum, *qui refertur in Vita S. Arigii, episcopi Vapincensis, scripta ab auctore contemporaneo, et data ad 1 Maii. Biographus num. 13 rem exponit his verbis:* Sed dum in lectulo stratus sui requiesceret, evigilans post quietem, chorum Angelicum modulatis vocibus ante altare B. Mariæ semper Virginis audivit: stratumque, omnibus suis obsequio cubiculi vacantibus (*id est, dormientibus*) dereliquit, et cursu concito inter eosdem introivit. Sed dum Probus clericus, qui suo perpetim vacabat obsequio, evigilasset, et pergens ad cubiculum, cum illic non inveniret; statim ad ostium sanctæ ecclesiæ properans, et eum cum Angelico choro intuens, metuit, et penitus non introivit. Cumque prædictus pontifex ad cubiculum rediret, cum magna humilitate Probus eum interrogavit, qua ex causa gressu intimo retrocedebat, dum inter eos psalleret, et coram obsequia ex more reciprocando repeteret. Sed ipse pontifex hanc visionem ei silere præcepit. *Hactenus.*

AUCTORE J. S.

A *cenus auctor, qui et brevis et sincerus videtur. Ante num. 6 narrat, Sanctum Angelica manu naufragio fuisse ereptum.*

S. Austreberta matri suæ ab Angelo prædicta.

460 *Auctor item synchronus Vitæ S. Austrebertæ apud nos ad 10 Februarii num. 4 laudat sanctitatem parentum S. Austrebertæ, et de revelatione matri ejus facta num. 5 ita scribit :* Denique adveniente tempore, quo in hujus mundi umbrosa caligine ex ulterinis tenebris illa clara lucerna deberet prorumpere, supradicta genitrix (*Framechildis*) Angelica super hoc meruit honorari visione : cujus ex alloquio et nomen nasciture virginis, cujusve apud Deum meriti futura esset, addidicit. Igitur Taruanensi territorio exorta illa puellarum gloria, a parentibus, ut sibi revelatum fuerat, vocitatur Austreberta, *etc. Simile est, quod de S. Eucherio Aurelianensi refertur in hujus Vita, ad 20 Februarii edita.*

uti et S. Eucherius Aurelianensis in somno

461 *Divinum tamen somnium magis fuisse videtur, quam visio vigilantis.* Nocte quadam, *inquit biographus num.* 3, ipsius Sancti genitrix, dum de ecclesia, matutinis hymnis transactis, ad domum suam redisset, proprium cubiculum ingressa, et in stratu suo declinata, mox soporata B est, cernens nihilominus secus thorum suum virum adstantem, vestibus nivei candoris indutum, capitis canitie splendidum, oculis instar gemmarum splendentium coruscantem, atque sibi dicentem : Ave Deo dilecta, benedictum in utero ferens puerum ; et scias eum in hac urbe a Deo futurum electum antistitem. Cui venerabilis mulier : Obsecro te, inquit, ut largiaris benedictionem tuam ex ore tuo super me, priusquam discedas a me : intueor enim vultum tuum veluti Angelicum. Ait illi Angelus : Recte quidem cernis : ego enim Angelus Dei sum, missus ab eo, ut benedicam prolem, *etc.* At illa expergefacta immensas sanctissimæ Trinitati laudes conferebat, atque viro suo tantæ revelationis gaudia per ordinem pandit.

S. Earcongota de morte ab Angelis præmonita, et in cœlum ducta.

462 *De revelato sub finem seculi VII proximo obitu suo S. Earcongotæ, regiæ virgini in Anglia, mirabilibusque in beata ejus morte factis, testis est Beda lib. 3. Historiæ cap. 8, unde eadem apud nos relata sunt ad 23 Februarii. Quam videlicet revelationem, inquit Beda,* hujusmodi esse perhibebat : Vidisse se albatorum catervam hominum idem monasterium intrare, hosque a se internum C rogatos, quid quærerent, aut quid sibi vellent, respondisse, quod ob hoc illo fuerint destinati, ut aureum illud numisma, quod eo de Cantia venerat, secum assumerent. Ipsa autem nocte, in cujus ultima parte, id est, incipiente aurora, præsentis mundi tenebras transiens, supernam migravit ad lucem ; multi de fratribus ejusdem monasterii, qui aliis erant in ædibus, jam manifeste se concentus Angelorum psallentium audisse referebant, et sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis. Unde mox egressi dignoscere, quid esset, viderunt lucem cœlitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam, carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ cœlestis gaudia ducebat, *etc.*

de ea item cum suavissimo cantu edoctus per Angelum

463 *Rursum Beda lib. 3 cap. 4 similia refert de S. Cedda aut Ceadda episcopo Londinensi, cujus Acta breviter data sunt ad 7 Januarii. Pluribus ibidem Beda laudat Owinum monachum* magni meriti, *dignumque affirmat,* cui Dominus specialiter sua revelaret arcana, *et cui fidem narranti* audientes accomodarent. *Fuerat magnus in aula regia, in monasterio autem se multum occupabat operibus externis.* Qui, *inquit Beda,* cum die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam sociis, ut ducere cœperam, et episcopus (*S. Cedda*) solus in oratorio loci lectioni vel orationi operam daret, audivit repente, ut postea referebat, vocem suavissimam cantantium atque lætantium de cœlo ad terras usque descendere : quam videlicet vocem ab Euro Austro, id est, ab alto brumalis, exortam primo se audisse dicebat, ac deinde paulatim eam sibi appropriare, donec ad tectum usque oratorii, in quo erat episcopus, perveniret : quod ingressa totum implevit, atque in gyro circumdedit. At ille, dum solicitus in ea, quæ audiebat, animum intenderet, audivit denuo, transacto quasi dimidiæ horæ spatio, ascendere de tecto ejusdem oratorii idem lætitiæ canticum, et ipsa, qua venerat, via ad cœlos usque cum ineffabili dulcedine reverti.

S. Cedda episcopus Londinensis.

464 *Mox subdit Beda, S. Ceddam aperuisse fenestram, ut aliquem advocaret; accurrisse primum Owinum, qui illa audierat, jussumque advocare septem monachos, et cum iis redire. Illis, ubi aderant, pia dedit monita.* Deinde subjunxit, diem sui obitus jam proxime instare. Namque hospes, inquit, ille amabilis, qui fratres nostros visitare E solebat, ad me quoque hodie venire, meque de seculo evocare dignatus est, *etc. Postea, reversis omnibus,* rediit ipse solus (*Owinus*,) qui carmen cœleste audierat, et prosternens se in terram, Obsecro, inquit, pater, licetne aliquid interrogare? Interroga, inquit, quod vis. At ille, Obsecro, inquit, ut dicas, quod erat canticum illud lætantium, quod audivi, venientium de cœlis super oratorium hoc, et post tempus redeuntium ad cœlos. Respondit ille : Si vocem carminis audivisti, et cœlestes supervenire cœtus cognovisti, præcipio tibi in nomine Domini, ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Revera autem Angelorum fuere spiritus, qui me ad cœlestia, quæ semper amabam ac desiderabam, præmia vocare venerunt ; et post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. Quod quidem ita, ut dictum ei erat, opere completum est.

S. Hermelandi visiones de animabus per Angelos ductis.

465 *In Vita S. Hermelandi sive Ermenlandi, data ad 25 Martii, quæ non quidem est scriptoris prorsus contemporanei, gravis tamen et suppares, num. 18 hæc leguntur :* Quadam nocte, dum isdem beatissimus Ermenlandus in oratorio solito F maneret insomnis, atque in contemplatione cœlestis regni capessendi gratia in basilica B. Petri apostoli pernoctando vigilaret, vidit animam venerabilis viri Mauronti abbatis, ex monasterio S. Florentii, quod vocatur Glomna, triginta a suo cœnobio sequestrato passuum millibus, vinculo resolutam corporis ad æthereum deferri ab Angelis thronum. Quam dum diutius fuisset intuitus, signum dedit, atque in unum fratribus collectis, cum summo caritatis affectu præcepit, ut illius exitum orando Domino commendarent, *etc. Rursum num.* 28 vidit,... cujusdam venerabilis monachi (*discipuli sui*) animam,... a corpore migrantem, Angelorumque præsidio subvectam cœlestia penetrare. *Non obstante tamen visione, hujus quoque animam monachis statim commendavit. Utroque loco additur, eorum longe distantium obitum contigisse eodem tempore, quo S. Hermelandus viderat. Demum S. Frodobertus abbas, de quo, uti et de S. Mauronto, actum est ad 8 Januarii, dicitur in cella sua, præsente Theudecario abbate, audivisse* Angelorum choros harmonica suavitate ineffabilique concentu cœlestes hymnos

AUCTORE J. S.

hymnos ad sanctæ et individuæ Trinitatis gloriam concinentes. *Hujus quoque Vitæ auctor non est coævus, gravis tamen et fide dignus.*

§ XXXII. Angelorum beneficia seculis VIII, IX et X.

Angelorum visitationibus gavisus

Seculo VIII *in Palæstina floruit sanctitate et miraculorum gloria S. Stephanus Sabaita, sive monachus lauræ S. Sabæ prope Hierosolymam. Vita fidelissime a Leontio ejus discipulo scripta est, editaque apud nos Græco-Latina ad* 13 *Julii. In ea num.* 132 *Leontius habet sequentia* : Deinde considentibus nobis tantisper in cella, sive spelunca senis (*Stephani*) interiori, cœpit ex improviso laudes Deo hymnumque canere, ac dicere : Ad me, ecce, Angelica visitatio hac ipsa hora descendit. Ad quem ego perculsus : Unde id scis, inquam, pater? Cui ille : O modicæ fidei, neque Angelum vides, neque fortassis etiam suaveolentiam odoraris? Ego vero, Nequaquam, mi pater, B inquam. Tum hærentem me, neque factæ sibi Angelicæ apparitioni credentem satis intelligens, in miserabilem solvitur fletum, dicens : Heu te infelicem! heu et tertio heu! Quousque tam crassus ac durus esse perges et incredulus : quousque sic eris?

S. Stephanus Sabaita ;

467 Dixerat, et continuo suavissimum percepi odorem, qualem neque moscus, neque nardus, neque odoriferum quodcumque et gratum suaveolensque unguentum expirare mihi visum est umquam. Quo exhalato, ita denuo ad me ait optimus senex : Nondum etiam nunc sanctam Angelicamque fragrantiam persensisti; nondum adduci potes, ut credas? Cui ego : Omnino, pater, et sentio et credo. Tum ita subjicit : Esto imposterum credulus, et noli esse incredulus. Ut igitur malignissimus tunc eram et pessimus, in odorem istum tam peregrinum volens inquirere curiosius, atque evidenter explorare, causam inveni, ut hesychasterio exirem, dispicerenmque, num ex laura forte fragrantiæ istius jucundissimus afflatus a muscato thymiamate evaporatus aspirasset; (quamquam plane dissimilis esset) tamen id feci, quo id, quidquid esset, penitius ac certius introspicerem. Sed nullius revera ad nares meas C odoris aura delata est : neque enim omnino suffitus hora tunc erat. Unde hæc oppido admirans, Deo gloriam dedi.

Et ab iisdem, ut videtur, de obitu præmonitus.

468 *Plura alia de* Angelorum *officiis, quæ in eadem Vita memorantur, brevitatis gratia prætermitto. Ante obitum rursum ab* Angelis *videtur visitatus, et de morte sua certior factus. Nam Cosmas unus ex monachis, de instanti ejus morte reliquos monachos præmonuit; et unde id nosset, quærentibus talе responsum dedit num.* 181 : Vigilabam solus, cum in intima cella magistrum audivi submissa voce cum aliquibus colloquentem; et meam tenuitatem advocando dicentem : Adesdum huc, pater Cosma, adesdum huc : honoratiora hic dispone sedilia, ornatissimos hosce viros perhumaniter accipe. Conturbatus ego : Quinam sunt, inquiebam, viri isti, pater? Hos dico candidatos, reponit ille. Statim ergo consurgens, cellam omnem palpando luctandoque cum tenebris pertento (erat enim alta nox et caligo, extincta candela,) cumque neminem esse comperissem, rursum eum interpello. Quales viros dictos velis, non equidem capio, pater. Cum ille : Istos volebam, quibuscum ante horam locutus D sum. Quibus verbis perculsus ego miserrimus, Angelos illos esse conjeci, qui sanctam ejus animam sublaturi, eamque cum honore et gloria ad Creatorem suum hinc reducturi venerint. Raptim igitur eo convolantes, accensaque candela, senem offendimus mentis optime compotem, ac valde vegetum : unde non magnopere ei timebamus : quin imo longioris adhuc vitæ spes affulgebat. Dum ibi sumus, accedo ego ad eum seorsum solus, eum solo tantisper colloquens : et, Dic mihi candide, inquam, mi pater, an ad Christum, quem dilexisti, ex hoc morbo sis migraturus. Ille vero se ipse ad sedendum componens : Sic est, inquit, sic est, ad Dominum, fili, proficiscor etc. *Hactenus Vita, in qua pius obitus deinde enarratur.*

Post mortem S. Walfridi, Angelorum beneficiis gavisi, cantus diu auditus.

469 *Eodem seculo* VIII *vixit et defunctus est S. Walfridus, primus abbas Montis-Viridis in Etruria, cujus Vitam scripsit Andreas ejusdem monasterii abbas, editam apud nos ad* 15 *Februarii. Biographus autem num.* 5 *affirmat, S. Walfridum, qui conjugatus fuerat, et liberos ante vitam monasticam genuerat, carnis tentationibus liberatum penitus fuisse per* Angelum, *noctu eidem apparentem. Deinde num.* 7 *uni ex monachis ipsius revelata dicitur sedes speciosa, quam S. Walfridus in cælo erat habiturus. Relata vero Sancti morte, num.* 8 *hæc subjunguntur :* Factumque E statim est, ut spiritum emisit, tanta eadem hora Angelica psalmodia psallentium audita est, ut non solum a Fratribus audiretur, verum etiam a pastoribus ipsius monasterii, animantia foris pascentibus audiretur : sed et nobiles homines, non minus longius a monasterio positi, quam pene triginta milliaria, se has laudes audisse testati sunt : et tam diu illa psalmodia permansit, donec penitus corpus sancti hominis sepulturæ traderetur. Nam completo a fratribus funeris officio, psalmodia recessit. *Hactenus biographus, qui et brevis est, et in scribendo sincerus videtur, et optime de singulis instructus.*

Martyres Hispani sub Mauris et in carcere et post mortem ab Angelis honorantur.

470 *Omissis multis scriptorum, quorum minor est auctoritas, de beneficiis* Angelorum *assertis, transeo ad seculum* IX. *Circa medium hujus seculi coronam martyrii complures adepti sunt sub Mauris Cordubæ in Hispania, eorumque gesta fideliter conscripsit S. Eulogius, in eadem demum persecutione passus. Acta quorumdam ex his, nimirum* F *Georgii diaconi et Sociorum martyrum, data sunt ad* 27 *Julii, ubi de iis in carcere degentibus num.* 39 *breviter hæc leguntur :* Perstrepunt hymnos, insonant laudes; psalmos persolvunt, insistunt orationi, qua, favente Domino, victoriam adipisci prævaleant : visitanturque ab Angelis; miraculis illustrantur; dissiliunt vincula, et non audent restringere, quos Christus absolverat. Ibi etiam, quam cœlis sortem haberent, revelante Deo, agnoscunt. *Trium ex hisce martyribus, videlicet Georgii, Aurelii et Nathaliæ, corpora post paucos annos in Galliam translata sunt, translationemque scripsit Aimoinus monachus, editam post Acta. In illa num.* 46 *narratur, reliquias illas inusitato lumine, et cælesti musica honoratas fuisse; uti et miraculis plurimis in itinere fulserunt.*

S. Meinradus eremita contra dæmones defensus ab Angelo.

471 *Eodem fere tempore vitam solitariam duxit in Germania aut Helvetia S. Meinradus, qui tandem a latronibus occisus, ut martyr colitur die* 21 *Januarii, ad quem Vita data, a scriptore coævo breviter et fideliter exarata. In hac num.* 8 *auctor narrat sequentia :* Accidit autem inter hæc,

ut

AUCTORE J. S.

A ut quadam die, eo orante, tanta multitudo dæmonum circa illum undique diffunderetur, ut nec ipsam lucem diei, hisdem tenebrarum ministris obtenebrantibus, cernere posset. Qui cum eum minis terribilibus et horrore nimio fatigarent, in oratione prostratus, ut res poscebat, cum omni studio se pio Domino commendabat. Quod cum diu ageretur, cernit ab Oriente lucem : quam lucem secutus Angelus, ad ipsum, ubi in oratione jacebat in medio malignorum spirituum, pervenit, magna auctoritate agmini nefando præcepit, ut discederent, nihilque tentationis et terroris ei ultra inferre auderent. Discedentibus itaque hostibus, prædictus cum Angelus amicabiliter consolatus, discessit : atque ab ipso die (ut vir venerabilis referebat) nil terroris ultra a malignis spiritibus sustinuit.

et cum Angelo orare auditus.

472 *Tum num. 9 refert, Sanctam in solitudine sua a monacho Augiensi ejusque sociis visitatum fuisse, omnesque post preces et pia colloquia ad somnum capiendum abiisse, sanctum vero Mainrudum post modicum somnum surrexisse ad precandum. Tum auctor subdit :* Prædictus etiam Frater (*Augiensis*) licet in strato quiesceret, pene B insomnem duxit noctem. Dum autem huc vel illuc curiose verteret oculos, cernit puerum in albis vestibus, ab ipso oratorii loco progredientem, miræ pulchritudinis, ut ei visum est, ætatis septem annorum, qui ingreditur ad virum ipsum Dei, et cum eo orante orabat, et diversa cum eo loquebatur. Cujus collocutionis licet prædictus frater vocem audisset, sensum tamen ejusdem vocis non percipiebat. Qui etiam Puer ipsi fratri plene vigilanti astitit, atque de quibusdam monuit, quæ omnino frater ille sibi interdicta esse, ne in palam proferret, dicebat.

Pia puella concentu Angelico ad cælum invitata.

473 *Ingredimur sæculum* X, *quo in Helvetia floruit et occisa est S. Wiborada, virgo reclusa. Hujus vitam, datam ad 2 Maji, scripsit Hartmannus, monachus S. Galli pene coævus. In ea num. 2 Hartmannus de sorore S. Wiboradæ, quæ puella erat piissima, narrat, eam a puellis coæqualibus invitatam fuisse ad ludendum : sed* Illa anima, *inquit,* alacriter ad æthera suspiciens, et iterum iterumque ingemiscens, auresque attonitas acutius subrigens, internam mentis jucunditatem tandem inter suspiria prodidit, dicens: Quid C mihi et inanibus hujus seculi vanitatibus? Audio in cælis signa sonitusque campanarum, ac dulcisonam Angelicæ modulationis harmoniam : illuc ire desidero, his interesse delector. Nec plura effata, lacrymis gremium replevit obortis. Post paucos vero dies carne soluta est, in cælum nimirum profecta, quo paulo ante tam suaviter est invitata *etc. Idem refert Hepidannus, ejusdem cœnobii monachus, in altera S. Wiboradæ vita num.* 3.

S. Udalricus infirmus, monitus ab Angelo missam celebrat.

474 *In vita S. Udalrici, episcopi Augustani, edita apud nos ad 4 Julii, auctor contemporaneus Sanctoque familiaris cap. 24 piam S. Udalrici obitum narrat, factumque præmittit prorsus mirabile, de quo tamen omnibus constare poterat. Jacebat Sanctus decrepito senio et morbo plane infirmus, et mortem sibi instantem jam prædixerat, et omnia ad pie moriendum disposuerat, quando in festo* Nativitatis sancti Joannis Baptistæ *jubet se vestimentis indui, deinde et vestibus sacerdotalibus ad Missam celebrandam, proceditque ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ, ubi bis Missam celebravit stando sine aliorum adjutorio. Finita utraque Missa, inquit auctor num.* 79, consedebat, et adstantibus sibi clericis dicebat : « Hæc » ministeria, quæ nunc, Deo donante, peregi, » ex possibilitato corporis mei non assumpsi, » sed ex præcepto : Hodie enim cum in lecto » quasi sopitus somno jacerem, steterunt coram » lectulo meo duo viri juvenes, formosissimi » aspectu, e quibus mihi unus dicebat : Quare » non surgis? debes enim hodie ad sanctum » Joannem Baptistam Missam celebrare. Cui alter » respondit : Quomodo potest hoc fieri, quia » pro impossibilitate corporis Primam adhuc non » explerit? At ille, qui antea locutus est, ad » me dixit : Surge, et secundum meum sermo- » nem Dei ministerium in prælata ecclesia implere » festina, quia hodie præter te nullus alius ibi » Missam cantabit. » His vero dictis, ad cubiculum regressus est.

S. Majolus beneficia Angelorum in carcere expertus,

475 *Eximia sanctitate floruit eodem sæculo S. Majolus, abbas Cluniacensis, cujus vita per Nalgodum ipsius Sancti discipulum scripta, ad 11 Maji edita est cum aliis, quarum auctores item sunt contemporanei. Refert autem Nalgodus cap. 3, quo modo S. Majolus, cum ex Italia per Alpes in Galliam rediret, a Saracenis, tunc partem Alpium obtinentibus, captus fuerit, et carceri mancipatus cum aliis pluribus. Tum num. 23 testatur, vincula Sancti bis rupta fuisse, ac deinde* E *sine vinculis custoditum et honestius a barbaris habitum, ac demum lytro a monachis persoluto redemptum. Observat etiam auctor, plerosque, qui manus in S. Majolum extenderunt, graviter a Deo fuisse punitos, hæc subjungens num.* 25 : Pauci vero residui, qui ex illa perversa multitudine superesse potuerunt, confitentes se juste puniri, quia injuste vexaverant virum Dei, ad baptismi gratiam convolarunt. Qui etiam vivis vocibus postmodum asserebant, quod, cum solus Majolus in carcere teneretur, et exceptis custodibus nullus adesset : noctis medio voces concinentium sæpius sunt auditæ, quæ, præcinente viro Dei, succinebant : quas voces fuisse Angelicas, ipsi quoque barbari Angelos nescientes, publice testabantur. *Eadem leguntur in vita secunda.*

Angelica etiam ope in itinere servatus videtur.

476 *Rursum cap. 4 num. 39 ingens narrat S. Majoli periculum, quod Angelicus favor videtur discussisse. Equitabat per silvam, præmissisque sociis, solus sequebatur.* Cumque totus meditationi et precibus incubaret, inter lacrymas et alta suspiria subitaneus ei somnus obrepsit. Arbor acclivis mediam viam occupabat, læsura durius F transeuntem... Dormitans igitur super equum vir beatus advenerat, et sese contra stanti periculo nescius ingerebat. Nutu divino substitit equus, et quasi sessoris sui periculum formidaret, stetit immobilis. Longius sociorum turba processerat... Evigilans tandem a somno, arborem vidit, periculum, quod evaserat, intellexit, et salutis suæ provisuri Deo dignam gratiarum obtulit actionem. Aiebat sane se in somnis quemdam puerulum vultus egregii conspexisse, qui habenas equi ejus manu tenens, subjugale mutum, ne periculum illud incurreret, gubernabat : quem Angelum ejus fuisse, nemo sani capitis prorsus ignorat. *Consonat vita secunda.*

Beneficia Angelorum in S. Dunstanum, maxime ante obitum;

477 *Varia item* Angelorum *beneficia referuntur in Vita S. Dunstani, archiepiscopi Cantuariensis, quæ apud nos ad 19 Maji gemina est edita, altera sacerdotis coævi, altera Osberni, scriptoris Cantuariensis supparis. Missis aliis, pauca decerpo. Primus auctor num. 34 refert, Sanctum venisse Bathoniam, et subjungit :* Et cum ibidem ab ejusdem loci fratribus caritative susceptus deguisset, vidit post prandii horam cujusdam scholasticuli

Auctor. J. S.

ex Glastonia cœnobio animam ad cælorum sublimia ab Angelis Dei cum hymnorum laudibus deportatam, ac magnis supernorum civium exequiis hinc inde stipatam. *Confirmatio hujus visionis ibidem videri potest. Osbernus in vita secunda num. 55 refert, Algaro sacerdoti, qui postea factus est episcopus, oblatam in visione multitudinem Angelorum in die Ascensionis Domini, ab iisque Dunstanum invitatum ad cælum pro sequenti Sabbato : a Dunstano autem instantem sibi mortem eodem die prædictam coram omni populo in ecclesia, eamque revera dicto die secutam. De morte addit num 58 :* Inter quæ verba (*orationis*) ex omnibus animi medullis ad Deum, quem semper desideraverat, effusa, videt illos, qui se ad cæleste convivium invitaverant, beatos Angelos assistentes, et cæleste illi obsequium præparentes. Quorum veneranda præsentia felix anima illius gratulata, læta egreditur de habitaculo sanctissimi corporis, proficiscens cum illis ad contemplandam claritatem æterni Conditoris.

et in S. Gerardum Tullensem post mortem.

478 *S. Gerardus Tullensis episcopus claudet hoc sæculum decimum. Vitam ejus, editam apud nos ad 23 Aprilis, conscripsit Vindricus abbas S. Apri* B *Tullensis, Sancto coævus; et num. 32 felicem ipsius referens mortem, testatur, Fulcuinum monachum eodem tempore quasi in extremis fuisse, et sic a sensibus abstractum, ut jam mortuus crederetur.* Cum subito ille (*Fulcuinus*) qui præ manibus velut mortuus tenebatur, flatu resumpto rediit, cunctisque perterritis et rei novitatem mirantibus, infert : Meum noveritis exitum adhuc divina miseratione differendum : sed de persona magni cujusdam viri est ingens in cælis gaudium, qui cum spe divinæ clementiæ ad supremi throni deducitur judicium. Nam vidi sanctorum agmina Angelorum lætantia exeunti animæ occurrere, et cum verbis piæ consolationis eam vultui æterni Judicis præsentare. *Stupentibus omnibus cito innotuit, obiisse S. Gerardum : cognitumque extitit, ipsum fuisse, quem viderat Angelicis manibus Christo præsentari.*

§ XXXIII. Beneficia Angelorum sæculis XI et XII.

C

Cum S. Dominico Sorano Angelus in morte locutus creditur ;

S*æculo XI abiit S. Dominicus abbas prope Soram in Italia. In vita, data ad 22 Januarii, num. 22, Albericus Cardinalis de eo jam extremis munito ita scribit :* Consummato itaque officio, cum dominici quoque corporis ac sanguinis mysteria percepisset, ejulantes fratres egredi, forisque paullulum præcipit commorari. Cumque, egressis omnibus, solus ipse remansisset in cella, voces ei loquentis et alterius colloquentis cum eo sunt a fratribus, qui forinsecus excubabant, auditæ; non tamen adeo, ut verborum eorum sensus aliquatenus potuisset ab eis intelligi : quam vir sanctus confabulationem cum vita pariter, ut Domino placuit, consummavit. Nam cum voces illæ destitissent fratrum auribus insonare, ingressi cuncti, eum jam repererunt expirasse : ejus, qui cum eo colloqui est auditus, nulla contuentes indicia, certum tenuerunt omnes, ad migrantis solatium Angelum destinatum.

480 *In vita S. Guidonis abbatis Pomposiani in Italia, quam scriptor coævus composuit, quamque studiosus lector apud nos inveniet ad 31 Martii,* D *num. 8, multum commendantur virtutes Joannis monachi, quem S. Guido vitæ monasticæ adscripserat. De obitu autem prædicti Joannis hæc sequuntur :* Cujus autem sanctitatis vel meriti fuerit, finis ejus probavit. Hic quippe una, dum resideret in claustro in ordine fratrum una quoque cum abbate Guidone, Angelus nive candidior, in specie viri se monstrans, dixit ei : Euge serve bone, veni, et intra in gaudium Domini tui. Qui cum a considentibus cunctis idem, quod a se, visum et auditum putaret, paullulum substitit : deinde, illis tacentibus, patri Guidoni, quid viderit quidve audierit, retulit, dicens : Quid est, inquit, pater, quod vir iste, quem mecum omnes vidistis, locutus est mihi : Euge serve bone et fidelis, veni, intra in gaudium Domini tui? Cui pater, relinquere nos, ait, fili, vis? Et iste non post multum tempus carne solutus, migravit ad Dominum, sumpturus in præmio, quod accepit in merito.

Joannes monachus ante mortem ab Angelo invitatus.

S. Elphegus fraude dæmonis e carcere egressus,

481 *Mirabile est, quod narrat Osbernus monachus in vita S. Elphegi martyris, et archiepiscopi Cantuariensis, apud nos ad 19 Aprilis. Expugnata erat a Danis Cantuaria, et S. Elphegus diuturno* E *carcere reclusus. Libertas eidem offerebatur, sed tanto pretio comparanda, ut illud invenire non posset, nisi ex thesauris ecclesiarum, quos eum in finem usurpare constanter renuebat. Verum diaboli fraude, ut narratur num. 31, deceptus fuit Sanctus: nam specie* Angeli *ad ipsum dæmon accessit, speciosisque rationibus inductum, ut carcere fugeret, revera eduxit, ductumque ad paludes, in earum medio deseruit. Deceptum se videns Elphegus, precibus divinum imploravit auxilium.*

482 Mox igitur, *inquit Osbernus num. 32*, cum surgente diei aurora apparuit vera veræ lucis aurora, juvenis aureo splendore amictus, divini signaculi vexilla præferens, itaque viro alloquium persolvens : Quo te, ait, tui distrahunt pedes? quo impetus fugæ! quo ductoris invidia! *etc.* Cui cum retulisset sacerdos, non se fugere, sed divini nuntii paruisse imperio : Non hoc, ait, imperium fuit divinitatis, sed diabolicæ malignitatis commentum ; nec tam te ille de carcere educere, quam extra carcerem voluit seducere. Urget namque illum et præteritæ vitæ tuæ pia operatio, et in tantis tribulationibus præsens semper tibi sancti Spiritus consolatio, cujus præsentia F hominibus donat constantiam, constantia victoriam, victoria gloriam : et ea re mavult omnia tentare, quam a te confusus abire. Redi ergo ad locum, amice, coronæ cælitus deputatum, sciturus, quod te die crastino Pater honorabit in cælo honore illo maximo, ut in æternum sis cum ejus Filio. Elphegus igitur ad locum certaminis ab Angelo revocatus, lætus expectabat horam, qua a Deo acciperet coronam.

S. Leo IX Angelica voce animatur.

483 *Eadem sæculo floruit S. Leo Papa IX, cujus vita a Wiberto ipsius archidiacono conscripta, et apud nos ad 19 Aprilis est edita. Refert autem Wibertus lib. 2, cap. 1, quo modo, quamque reluctans ad pontificatum fuerit electus, quamque pie Urbem adiverit,* indefesse sacris orationibus ac divinæ vacans contemplationi. *Deinde subjungit num. 3:* In qua meditatione apud urbem Augustam suspensus divinam promeruit consolationem, dum in revelatione audivit, Angelica voce resonare harmonicam modulationem, dulcissime consonantem: Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis; invocabitis me, et ego exaudiam vos, et reducam

Auctore J. S.

A cam captivitatem vestram de cunctis locis. Qua pia consolatione animatus, et de superno adjutorio certior jam factus, cœptum iter perficere aggreditur.

Monachus in voraginem terræ lapsus, orante S. Joanne Pulsanensi,

484 *Manifestissimum* Angelorum *subsidium refertur in vita S. Joannis abbatis Pulsanensis. Scripta ea est ab auctore coævo, et edita ad 20 Junii, ubi num.* 52 *narratur castigatio monachi inobedientis, cui nomen erat Guilielmus. Hic enim jussus S. Joannem in itinere comitari, sed prius aliquid afferre, neglecto mandato, præcesserat, et subito* in profundissimam atque obscurissimam terræ voraginem, cum equo, in quo sedebat, mirabiliter lapsus est. *Divinitus id cognovit S. Joannes sociisque edixit, et cum iis ad locum properavit.* Statim vero, *inquit auctor,* ut ad locum, in quo ille ceciderat, pervenerunt; omnes, qui aderant, in luctu pariter converti sunt. Vir autem Domini Joannes, cum videret, quod nullus esset, qui se in illam horribilem voraginem ad illum fratrem extrahendum immitteret; ex divina confisus misericordia, cum beato pariter Jordano, in oraB tione se protinus gravi cum mœrore prostravit.

ab Angelo incolumis educitur

485 Surgentes autem ab oratione, quidam repente ante eos adfuit juvenis splendidissimus et decorus aspectu, qui se in foveam, velut avis aerem secans, immergens, foras extraxit [fratrem.] Postquam vero ad pristinam ex integro rediit incolumitatem, is, qui eum de fovea eduxerat, Juvenis taliter [eum] allocutus est: Divinæ clementiæ ineffabili pietati innumeras grates persolvere non desistas: perpende siquidem, et diligenter considera, quia hujus sanctissimi famuli sui Joannis meritis a mortis te confinio æternæ Majestatis clementia liberavit. Et hæc dicens, ab oculis omnium subito elapsus est. *Hactenus auctor, qui et alia quædam de Angelis memoravit.*

Angelus videtur adfuisse moribundo S. Joanni Gualberto.

486 *S. Joannes Gualbertus, qui eodem sæculo* 11 *floruit magna sanctitate, et vitam finivit, videtur* Angelum *vidisse in extrema lucta sibi assistentem, etiamsi illum forte pro* Angelo *non agnoverit. Certe in vita ad* 12 *Julii data, Andreas Sancti discipulus num.* 115 *hæc scribit:* Tertia denique, antequam obiret, die vidit Juvenem sibi assistentem, quem ejus Angelum fuisse æstimamus. Quem et cum solus et nullus alius cerneret, ait fratribus: Quare fratrem illum non vocastis vo-C biscum, cum comedistis? Cui fratres: De quo, inquit, fratre dicis, pater? Et ille: De illo pulcro, inquit, juvene, qui ad nos venit, et nobiscum moratur ingrediens et egrediens. Et subjunxit: Unde est, et quo nomine vocatur? Cui beatus Lætus, abbas de Passiniano, Deo revelante, dixit: Nescis, quia de monte Domini est, et Benignus appellatur? Tunc ille, Spiritu sancto docente, Angelum esse intellexit *etc. Idem narratur in vita secunda num.* 76. *Multi Angelorum favores referuntur in vita S. Nicolai Peregrini, data ad* 2 *Junii: sed eos prætermitto, etiamsi alias scriptor videatur bene fuisse instructus; prout alia non pauca omisi, ne hæc collectio nimis fiat prolixa.*

Visio pueri de Angelis cum moriente S. Stephano Grandimontensi.

487 *Itaque transimus ad sæculum* 12, *quo defunctus est S. Stephanus Grandimontensis. In vita, ad* 8 *Februarii data, Geraldus prior num.* 9 *scribit mortem ejus per puerum indicatam, ideoque Muretum, ubi obierat, accurrisse monachos aliosque multos, qui janitori mortem Sancti occultare volenti, sic sunt locuti:* Bene scimus, quia mortuus est. In vico etenim nostro quidam puer modo in extremis positus, ab heri et nudius tertius loquelam amiserat, qui cum a matre sua exitum præstolante reservaretur, subito in hæc verba prorupit: Video, inquit, scalam lucidissimam, cujus altera pars cælum, altera pars tangit Muretum; et Angeli multi descendunt per eam, ut animam domini Stephani Deo gratissimam perducant ad gloriam, subjungens: Nunc audio circumquaque sonare signa. Et hoc vobis indicium est, quia dico vobis veritatem, quia modo moriar, nec ultra loquar vobiscum: sed ascendam cum sanctissimo patre, et Angelorum multitudine. Quibus dictis; expiravit.

Mirabilia Angelis custodis subsidia,

488 *In Vita S. Hildegundis, quam scripsit sacerdos, ejus in tirocinio director, multa et miranda leguntur* Angelorum *subsidia. Habetur illa vita apud nos ad* 20 *Aprilis. Narrat auctor cap.* 2 *et* 3, *qua occasione virgo, quæ habitu virili Romam proficiscebatur, per homines sceleratos in arbore fuerit suspensa. Tum subdit num.* 15: Non distulit ancillulæ suæ, sic deformatæ, sic dehonestatæ, brachium suæ potentiæ porrigere (*Deus*) et eam potentialiter ab hujusmodi opprobrio liberare. Angelus itaque Domini, tortoribus abeuntibus, protinus affuit, qui eam sustentans, interire non sivit. Sciscitabatur igitur bona virgo, quisnam esset, qui eam teneret, et tam immensa E suavitate quasi reficiens foveret. Nuntius de cælo missus respondit: Angelus Domini tuæ custodiæ deputatus sum: ne timeas, quoniam te liberabo, et quid actura sis, cum abieris, annunciabo. *Tum pergit loqui* Angelus, *eique futura prædicere. Mox subditur:* Audivit in cælo beata virgo voces super mel dulces et melodiam non humani sed Angelici cantus harmoniam. Sciscitabatur ergo, dicens: Quid est, quod audio? Sanctus Angelus dixit: Socii mei sunt, deferentes animam sororis tuæ Agnetis, quæ jam expiravit in claustro, ubi commendata fuit *etc.*

quæ S. Hildegundi præstita asseruntur.

489 *Mox dicitur a pastoribus, mortuam credentibus, deposita, ut sepeliretur. At iis discedentibus ob lupos in gregem irruentes; illa jam libera, ut dicitur num.* 18, Angelum equo candidissimo insidentem intuita est. Qui cum diceret: Numquid Dominum tuum videre desideras, quem quasi videbaris perdidisse? ait: Opto et desidero. Da mihi, inquit Angelus, manum tuam, et ego te equo meo impositam ad ipsum citissime perducam. Quod cum fecisset, Angelus iterum replicavit verba, quæ prius dixerat; quod Schonaugiam, omni occasione posthabita, esset F ventura, ibique certissime moritura. Cumque simul pergerent equo sedentes, Joseph (*id est Hildegundis, quæ eo nomine ut vir utebatur*) obdormivit: et post breve tempus cum evigilasset, Angelus rursus, assumpta sua parabola, dixit: Vides hanc civitatem? Hæc est Verona. Assumpto igitur baculo tuo cum litteris, dominum tuum in illius hospitis invenies hospitio: memoremque te verborum meorum, donec impleantur, esse volo: ego quoque tuus ero custos in omnibus viis tuis, et quocumque perrexeris. Hoc dicto, Angelus disparuit, et Joseph eum amplius non vidit. Præcedens itaque Joseph, dominum, sicut Angelus prædixerat, invenit, litteras obtulit, causas impedimenti sui retulit, magnumque gaudium domino fecit. *Hactenus auctor, qui in præfatione ait, se vitam S. Hildegundis didicisse* ex ipsius ore virginis. *Non dubito tamen, quin facta illa multis videantur difficilia creditu, ideoque vix non omnia omisi. Danda tamen censui, quia mirabilia quidem sunt, non tamen prorsus incredibilia, et testimonio alias fide dignissimo confirmata.*

490 *Aliud de* Angelorum *officiis refert auctor num.* 26,

Auctore J. S. Angeli in Sacrificio Missæ præsentes visi.

num. 26, quod contigit, dum præsens erat in monasterio. Venerat Schonaugiam B. Gerardus de Cemeda ad professionem monasticam ipsius auctoris, sedensque in mensa inusitatum vidit lumen. Volens autem rescire, unde procederet ille tam clarus splendor, procedens vidit, quod egrederetur monasterio. Subinde monasterium ingressus, quod quasi totum fuerat eadem claritate perfusum, quemdam monachum, nomine Wolframmum, hominem jam decrepitum, qui sexaginta annis et eo amplius in ordine desudaverat, ad altare Domini Salvatoris Missam reperit celebrantem, de quo claritas ista tota procedebat : cujus facies erat quasi cornuta, sicut de Moyse legitur, præ fulgoris magnitudine. Ad quam Missam Angelorum tanta multitudo comparuit, et tam inæstimabilis gloria divinæ Majestatis, qualem ante numquam viderat : nam Angelos et dæmones videre cælitus * erat. Pro visione gratias agens Deo, pronuntiabat mihi, dicens : Quod in illa domo parem meritis hominem non esset possibile inveniri. Adjecit et aliud, dicens : Quod numquam Missa celebraretur in mundo, in qua non comparerent B ad minus duo Angeli assistentes, et servientes suo Creatori.

* solitus

S. Elisabetha Schonaugiensis ab Angelo sanata et jussa communicare:

491 *Sæculo 12 floruit in Germania et obiit S. Elisabetha Schonaugiensis, quæ plurimis gaviso est Angelorum apparitionibus. Vita partim ob ipsa dictata partim ab Egberto fratre scripta est, et edita apud nos ad 18 Junii. Nimis prolixum esset, omnia, quæ de beneficiis Angelorum in ea referuntur, huc transferre : quare nonnulla tantum seligam. In vita num. 72 sic ipsa dictavit :* Post hæc imminente festivitate Annuntiationis incidi in langnorem gravissimum : et biduo ante diem festum in infirmitate jacebam. In ipso autem festivitatis die mane ita aggravatus est languor meus, ut venirent ad stratum meum sorores, ac dicerent Litaniam super me. Cumque discessuræ essent a me, interrogabant, an eo die communicare vellem, sicut et ipsæ facturæ erant. Ego autem renui, dicens, non me aliquibus dignis operibus ad hoc esse præparatam, sicut ipsas, propter invaletudinem corporis. Quæ cum inde tristarentur ac discederent a me, venit angelus Domini, et stans coram me, posuit manum suam in capite meo, et ait : Surge et sta super pedes tuos. Liberata es ab infirmitatibus tuis. Accede ad communican- C dum : confortare, et esto robusta. Ad hæc verba subito omnis languor fugit a me, et per universum corpus meum suavissime alleviata sum... Continuo ergo, apprehensis indumentis, surrexi de stratu meo : et descendi cum integris viribus et colore vivido, et veni hilariter in conventum sororum, mirantibus universis, et feci, quod mandaverat mihi.

eadem alias castigata, et muta ad tempus facta.

492 *In Epistola Sanctæ ad S. Hildegardem, quæ præfationi vitæ inserta est, hæc num. 4 scripsit Sancta de castigatione sua, quod occultaret revelationes sibi factas :* Cum igitur solito more quadam dominica die essem in mentis excessu ; adstitit mihi angelus Domini, dicens : Quare abscondis aurum in luto ? hoc est, verbum Dei, quod per os tuum missum est in terram, propter facies distortas ; non ut abscondatur, sed ut manifestetur, ad laudem et gloriam Domini nostri, et salvationem populi sui. Et hoc dicto, elevavit supra me flagellum, quod quasi in ira magna quinquies mihi inflixit amarissime, ita ut per triduum in toto corpore ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo, dicens : Eris tacens usque ad horam nonam, quando manifestabis ea, quæ operatus est Dominus D tecum. Ego igitur usque ad horam nonam muta permansi. Tunc significavi magistræ, ut adferret ad me libellum quemdam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea, quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus domini abbatis Hildelini, qui ad visitandum me venerat, soluta est lingua mea in hæc verba : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Mitto reliqua, videlicet varia sanctæ Virgini per Angelum revelata, piasque instructiones eidem datas, prout in ipsa vita studiosus lector poterit invenire.*

Angeli S. Isidorum in arando

493 *Celebre est adjutorium, quod* Angeli *præstitisse dicuntur S. Isidoro agricolæ in arando, quodque refertur in ejus vita, a Joanne diacono scripta, dataque ad 15 Maji. Solebat Sanctus ecclesias visitare, et diu orationi insistere, priusquam ad arandum se conferebat. Hac de causa accusatus erat apud dominum suum. Voluit igitur herus per se indagare, an vera esset accusatio, veniensque ad agrum, cum Isidorum non invenisset arantem, indignabatur, ut narrat biographus cap. 1. Tum subdit num 6 :* Sed quia secundum verbum propheticum : Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius E ejus fuit ? in via pergente prædicto milite (*Isidori hero*) irritato corde contra Dei famulum, divina potentia disponente, vidit subito in eodem agro sub agriculturæ officio duo juga boum, absque suo proprio, juxta virum Dei coarantia, atque colore albentia, prompte ac firmiter laborare. Qua visione commonitus et admirans, via a progressu substitit, stupens valde, et admirando recogitans, quid hoc esset. Verumtamen jam prænoscens, quod nullum habebat vir Dei humanum adjutorium, coactus credidit, laboranti viro Dei divinum adjutorium non deesse. Gaudens ergo et admirans, dum approximavit, ut cognosceret, et ut approximando perquireret, quid hoc esset, vertens oculos ad momentum in partem aliam, et reducens in agri sui cultum, alium non respexit, nisi solum virum Dei Isidorum laborantem.

juvisse creduntur.

494 Super quo prodigio, corde varia recogitante, verbo salutationis exhibito, interrogavit mites satis modeste virum Dei Isidorum in hunc modum : Rogo te, carissime, per Deum, cui fideliter famularis, ut mihi promere non desistas, in agricultura tua qui tibi extiterunt paulo ante F comites adjutores ? Ego enim tecum vidi quosdam alios te juvantes et insimul laborantes, sed a meo conspectu subito in ictu oculi sunt elapsi. Tunc vir Dei justus, bene sibi conscius, simpliciter sic respondit : Ante conspectum Dei, cui pro posse meo servio, vobis pando fideliter, quod in hac agricultura nec vocavi nec vidi aliquos adjutores, nisi solum Deum, quem invoco et adimploro, et semper habeo adjutorem. *Hinc dominus* compunctus corde,... quod sibi contigerat, multis concivibus propalavit. Unde, *inquit auctor, non contemporaneus,* inter cetera hoc miraculum usque in hodiernum diem multorum arctius memoriæ est impressum. *De illo miraculo etiam mentio fit in processu de B. Maria, uxore S. Isidori, dato ad eumdem diem pag. 555, ubi* inter alia Sancti miracula, circa veterem ejus tumbam depicta, exprimitur ipse terram arans inter pariter secum arantes Angelos *etc.*

Pia donatio ab Angelis approbata :

495 *In vita B. Mathildis abbatissæ, quæ graviter scripta est ab Engelhardo monacho, dataque ad 31 Maji, num 21, refertur pia donatio a parentibus Beatæ monasterio facta, adjunctaque est in fine pia patris ejus ad Deum precatio, ut*

stabilis

A *stabilis maneret donatio.* Hae finita prece, *inquit Engelhardus,* audita est vox in aere sanctorum Spirituum, respondentium, et cum dulcissima voce clamantium : Amen.

ab iis suscepta anima Thomæ Dunelmensis :

496 *In vita S. Bartholomæi eremitæ Farnensis, data ad 24 Junii, scriptor cœævus de morte Thomæ Dunelmensis num.* 20 *hæc refert :* Idem vero Thomas magnus religionis amator et eleemosynarum cultor fuit : de quo, referente fratre Hemingo, qui in extremis decumbenti sedulum exhibebat obsequium, didici, quod in excessu positus, vidit choros candidatorum, in superiori parte domus deambulantes, portantesque libellos in manibus, et ad susceptionem ejus cum jubilo præparatos : mirique odoris fragrantiam se traxisse manibus testatus est, quatenus illa suavitas aperte doceret, ad quantam amœnitatis dulcedinem spiritus ejus transire deberet.

Angeli, ut creditur, cum S. Guilielmo abbate visi.

497 *Joannes de Nusco in vita S. Guilielmi, fundatoris Montis-virginis, edita ad 25 Junii, num.* 38, *refert factum, quod ipse vidit. Venerat Joannes ad vallem Compsanam, ubi tunc in tugurio degebat S. Guilielmus, et cum eo usque ad id tempus manserat, ut ibidem etiam pernoctandum*
B *esset. Tum num.* 38, *Joannes hæc narrat :* Ea vero nocte confessor Domini Guilielmus intra tugurii cubiculum, clauso et obserato ostio, orationi vacabat : Joannes autem forinsecus in ædificiolo psalmodiæ deditus excubabat. Circa secundæ vigiliæ noctis horam vidit idem Joannes quasi duas aves magnas, ad modum arionum (*id est ardearum*) albas et splendidas, cum magna luce per foramen illud (*quod erat in summitate tugurii*) ingredi; ad quarum ingressum omnes atras noctis tenebras effugari conspexit. Quas cum diutius super caput suum imminentes pervolare vidisset, ait intra se : Nisi hæ aves Angeli essent Dei, non utique huc imperterritæ cum luce inæstimabili ingrederentur. Hæc eo in corde volvente, aves illas januis clausis evidenter intuitus est intrare ad virum Dei. Joannes vero, admiratus de hoc, quod viderat, et exterritus, totam noctem illam duxit insomnem, et æstuabat meditando, indagare cupiens, quod hoc esset. Mane autem facto discessurus, licentiam petiit. Cui vir Domini ait : Vade in pace; et scito prænoscens, quoniam, quod in hac nocte videre divino nutu promeruisti, donec viveris, videre tibi ulterius
C non permittitur. *Non dubitavit auctor, quin Angeli essent avium specie, ut aliis verbis deinde iterum indicat.*

Agmen cruce signatorum, magno in periculo positum,

498 *Baronius ad annum* 1146 Angelum *fuisse existimat, cujus ductu ex manifesto periculo evasit exercitus Christianorum crucesignatorum, ut narrat Guilielmus Tyrius lib.* 16, *cap.* 12 *et* 13. *Ejusdem sententiæ fuit ipsius, ut ejus relatio insinuat, et res ipsa loqui videtur. Erat exercitus Christianorum in terra hostili multis undique malis et hostium numero pressus, ut nesciret, qua ratione in ditionem suam se reciperet. Necessitas tamen effecit, ut generali decreto iter arriperent.* Cumque ducem non haberent, *inquit Tyrius, cap.* 12, qui agmina præiret, et locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam; ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubri coloris vexillum bajulans, lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis antecedebat exercitum. Hic tanquam angelus Domini exercitum, viarum sequens compendia, et ad aquas ducens prius incognitas, congruis et commodis stationibus castrametari docebat. Sic igitur, cum quinque diebus usque ad prædictam Caveam * vix pervenissent expeditiones, tribus postea, sub jam dicto duce et itineris præambulo iter agentes, Gadaram usque perveniunt.

AUCTORE J. S.

* Caveam Roob

Angelus præcessisse et periculo liberasse creditur.

499 *Tum, exposito toto itinere, de duce subdit cap.* 13 : Asserunt autem unanimiter, quibus illius facti adhuc plenior famulatur memoria, quod hunc, unde diximus, ducem itineris nemo noverit. Nam, cum ventum erat, ut castrametaretur exercitus, subito disparebat, nec uspiam in castris videbatur : mane vero iterum exercitum anteibat. Non habet præsentium hominum memoria, quod Latinorum tempore in toto Oriente, absque manifesta hostium victoria, tam periculosa fuerit expeditio. *Hactenus Tyrius. Transeamus nos ad sequens sæculum.*

§ XXXIV. Beneficia Angelorum sæculo XIII.

Angeli in cœna B. Mariæ Ogniacensi

Beata Maria Ogniacensis in Belgio nostro multis virtutibus floruit seculo XII et XIII, quo defuncta est vitam ejus scripsit Jacobus de Vitriaco, postea Acconensis episcopus, et S. R. E. Cardinalis, qui Beatam familiariter noverat, ejusque confessiones audiverat. Edita est apud nos ad 23 Junii, variaque continet ad propositum nostrum spectantia. Primum lib. 1, num. 24, ubi dixerat, eam frequenter solo pane et aqua corpus alere solitam, sic habet :* Cum autem in cellula sua infra ecclesiam in vespere vel nocte corpusculum pane modico et aqua solum reficeret, a principio benedictionis usque ad gratiarum actionem quidam ex sanctis Angelis sobriæ cœnæ assistentes, coram ea quasi per scalam lucidam ascendebant et descendebant : ex quorum præsentia tantam habebat consolationem tantamque spiritus exsultationem, quod omnem saporis suavitatem spiritualis refectio superabat. E

et noctu adsunt,

501 *Rursum num.* 33 *ita habet :* Dulces etiam angelicorum spirituum cantus, cum quibus nocte sæpe ducebat insomnes, omnem somnum ab oculis ejus sine aliqua corporis molestia relegabant. Remota enim hominum frequentia, per nocturnas vigilias comes aderat exercitus beatorum Spirituum, quorum sonus mirabiliter, tam- F
quam multitudinis castrorum, dulci quadam consonantia aures mulcebat, omnem torporem excutiebat, caput recreabat, mira dulcedine respergebat, mentem excitabat devotione, desiderium inflammabat ad laudem et gratiarum actionem. *Rursum num.* 18 *refert, quam mirabiliter in peregrinatione pia per vias non satis notas ab Angelo servaretur.*

eamque Angelus custos in omnibus dirigit.

502 *Et num.* 35 *indicat, in omnibus directorem ei fuisse Angelum custodem.* Aliquando, *inquit,* quiescere permittebatur in cella sua, quandoque vero maxime magnis solemnitatibus imminentibus, non nisi infra ecclesiam in præsentia Christi poterat requiem invenire. Et tunc per dies et noctes oportebat eam ibidem remanere : nec erat in ejus arbitrio vel libera voluntate plerumque, vel in cella quiescere, vel in ecclesia remanere. Familiari enim angelo, sibique ad custodiam deputato, velut abbati proprio, eam oportebat obedire : quia quandoque, dum nimiis esset afflicta vigiliis, ut quiesceret, admonebat : cum autem paululum quievisset, ad ecclesiam excitando eam reducebat. *Addit, quod frigidissimo etiam hiemis tempore,* ipsa tamen nec frigus sentiebat, nec caput, Angelo sancto manum misericorditer

AUCTORE J. S.

sericorditer supponente, vel modicum dolebat. *Missis aliis, addo, quæ scribit auctor in Præfatione num.* 11 : Nos igitur, *inquit*, quæ vidimus et novimus, et ex magna parte per experientiam didicimus, ad honorem Dei et ancillæ ejus,... pauca de multis referemus. Non enim omnia vitæ ejus mirabilia colligere valemus, cum per multos annos, quibus devote Domino et fideliter servivit, vix aliqua dies vel nox præterierit, quin aliquam a Deo aut ejus angelis, vel sanctis cælestibus, cum quibus tota fere ejus erat conversatio, habuerit visitationem.

B. Margaritam de Cortona consolatus

503 *Multa rursum se offerunt in vita B. Margaritæ de Cortona, quam scripsit Juncta Bevagnas, ordinis Minorum, ipsiusque Beatæ confessarius. Edita ea est ad* 22 *Februarii. Lapsa fuerat beata in juventute sua, vitamque ducebat pœnitentem et austerissimam. De favoribus autem per Angelos eidem collatis generatim dicit auctor num.* 12, *quod acciperet quandoque* Angelorum solatium. *Deinde, relata Christi Domini apparitione, num.* 24 *subjungit :* Post hæc accessit angelus Margaritæ custodiæ deputatus, et dixit ei multa verba bona, et promissa retulit copiosa, invitans eam ad cuncta Creantis et gubernantis amorem, dicens : Ego non sum tuus Dominus, sed summi Regis nuntius sum *etc. Rursum num.* 37 *ait :* Quadam nocte, dum in cella Margarita oraret, ecce angelus Domini suæ custodiæ deputatus dixit : Scias, dilecta Domini nostri, quod nondum videre vales in fundo fontis mundissima Regis. Sed confide et confortare, quia tuus sponsus sine macula Jesus Christus, abdita producendo in lucem, clarius et manifestius locuturus est tecum. *Rursum num.* 41 : In die Nativitatis æterni Regis ex Virgine angelus Domini Margaritæ custos locutus est ei, dicens : Recordare, Margarita, graduum beneficiorum, quæ tibi contulit dominus Deus noster. *Recitatisque Dei in Beatam beneficiis, angelus subjunxit :* Quare te hortor, dilecta Dei et revocata Dei, ut toto corde et tota virtute ad Creatorem tuum revertaris et Dominum *etc.*

et instruit Angelus custos

504 *Deinde num.* 145, *docet eam* Angelus, *quomodo interesse deberet Missæ* Sacrificio, *addit- que :* Etsi vis tunc Dei Filium dominum nostrum Creatorem recipere omni die, habes a Deo nostro plenariam recipiendi licentiam : in quibus Missis invenies argumentum fervoris *etc. Rursum num.* 160 *prolixum* Angeli *cum beata colloquium narrat auctor, ita ordiens.* Die veneris præcedente vigiliam B. Thomæ apostoli, famulæ Dei Margaritæ, flenti et oranti, angelus Domini locutus est, dicens : Benedico cellam et omnes habitantes in ea, ut illuminentur atque purgentur, et crescant in fervore amoris. *Post multa utrimque dicta, cum beata rogaret morbum, ne Deum posset offendere, reposuit angelus custos :* Dominus noster vult, ut sis humilis, obediens et reverens : et hoc, quod postulas, erit in voluntate ejus. *Rursum roganti, quantum placeret vel displiceret Deo, respondit :* Hæc responsio tibi liet secundum voluntatem mittentis Dei nostri. *Plura ibidem. Demum num.* 276 *refertur, quo modo dæmon beatæ Margaritæ apparuerit, ut eam terreret, et mox subditur :* Et angelus Dei bonus Margaritæ dixit : Filia Hierusalem, noli timere nec dubitare; nam tantum poterit contra te, quantum ille, qui habet victoris pedem super guttur suum..... Ego enim animæ tuæ custos quæ est nobile oppidum Dei, tecum sum. *Sequuntur alia, quæ cum multis prætermitto, cum vita ipsa legi possit.*

Ivetta reclusa

505 *Obiit eodem sæculo* 13 *Ivetta vidua reclusa, quæ magna sanctitate floruit Hui in ditione Leodiensi. Vitam ejus, editam ad* 13 *Januarii, scripsit Hugo Floreffiensis, canonicus ordinis Præmonstratensis, qui viventem familiariter noverat. De facto autem, quod ad propositum nostrum pertinet, laudatus Hugo num.* 67 *hæc præmittit :* Deum mihi testem invoco, licet mira, quæ dico, et minus forte credibilia multis fore non ambigam : quia animalis homo non percipit ea, quæ spiritus sunt, ea, quæ dicturus sum, accepisse me ab eo, qui secretorum ejus conscius et confessor in extremis extitit, cujus testimonium pro constanti habeo, quod verum sit.

in raptu miris gaudet Angelorum favoribus

506 *Tum hæc narrat :* Raptam siquidem se aliquando in spiritu confessa est, novem Angelis a dexteris, novem similiter a sinistris circumdari, binis et binis de singulis Angelorum novem ordinibus, eosdemque Angelos vestibus eam auro desuper contextis per totum induisse, pretiosis insuper eam adornasse monilibus, nec non et lapidibus seu gemmis, quarum species, varietatem, et nomina, prout in libris prophetarum expressa sunt, in ipso raptu spiritus intellexit, cognovit et distinxit, cum tamen tam lapidum virtutes ac nomina, quam angelorum ordines distinctos et officia, nesciret tam bene sensibus humanis discernere, sicut singula quæque vidit, didicit, et cognovit rapta in spiritu, tamquam mulier simplex indoctaque, et rerum hujusmodi ignara prorsus. Testata quoque est sic se circumamictam varietate coronatamque gloria et honore, angelorum obsequio deductam, et adductam ante thronum Dei et Agni, offerentibus eam Domino sic angelis paratam et ornatam tamquam sponsam viro suo. Ibi quid viderit vel audierit, cum tamen occulta sapientiæ Dei eam vidisse et audisse non sit dubium, quia confiteri noluit, licet satis admonita, nec scire nos nec loqui possumus, præsertim cum non licere credam ea homini scire vel loqui. *Hactenus Hugo, qui testatur ea in spiritu fuisse visa.*

Beneficia Angelorum in S. Raimundum de Pennaforti.

507 *In Bulla canonizationis S. Raimundi de Pennaforti, ordinis Prædicatorum ministri generalis, data ad* 7 *Januarii, de sancto hæc leguntur :* Cum cælestis militiæ angelo tanta inerat ei familiaritas et amicitia, quæ maximum est puritatis et sanctimoniæ argumentum, ut ab eo frequenter ad orandum a somno excitatus invitaretur. *Id factum quotidie ante mediam noctem scripsit Michael Llot, in annotatis allegatus, neque id incredibile videbitur piis Angelorum suorum cultoribus.*

S. Thomam Aquinatem,

508 *Ejusdem ordinis Prædicatorum erat S. Thomas Aquinas, egregius ecclesiæ doctor, de quo Guilielmus de Thoco in vita, ad* 7 *Martii data, num.* 11 *narrat, in cubiculum ejus immissam fuisse puellam lascivam, quam Sanctus titione fugavit, et hæc subjungit :* Et prostratus ad terram, cum lacrymis a Deo petivit orando perpetuæ virginitatis cingulum, quod servare sibi in pugna concesserat incorruptum. Qui cum hæc orando cum lacrymis subito obdormisset, ecce ad eum duo angeli cælitus missi sunt : qui asserentes eum a Deo exauditum, et de pugna tam difficili obtinuisse triumphum, stringentes ipsum hinc inde in renibus, dixerunt : Ecce ex parte Dei te cingimus, quod petivisti, cingulo castitatis, quod nulla poterit de cetero impugnatione dissolvi, et quod

A quod humanæ virtutis haberi non potest ex merito, tibi conceditur divinæ largitatis ex dono.

S. Dominicum, ordinis

509 *Non sequi me ordinem annorum, sed tantum sæculorum, facile advertet lector, dum S. Dominicum, fundatorem ordinis Prædicatorum, post duos ejus filios commemoro. Acta S. Dominici edita sunt ad 4 Augusti. In Vita autem secunda Bartholomæus Tridentinus num. 13 de S. Dominico morti proxima ait:* Vidit enim pulcherrimum juvenem his verbis se vocantem : Veni dilecte mi, veni ad gaudia, veni. *Theodoricus de Appoldia in vita tertia num. 23 idem sic exprimit:* Et ecce oranti, supernorumque desiderio vehementer æstuanti, vidit sibi juvenem pulcherrimum assistere, qui vocans eum, dixit illi : Veni, dilecte mi, veni : intra ad gaudia vera. *Laudatus Theodoricus num. 141 aliud præmittit* Angeli *beneficium. Erat sanctus Romæ, et ob negotia manserat usque ad vesperam seram extra monasterium, ita ut priorissa monialium abire volenti diceret :* Pater, hora præteriit ; jam prope mediam noctem est : non expedit, ut hinc modo recedatis. Ille autem non acquievit eis, dicens : Quia Dominus omnino vult, ut proficiscar, et ipse mittet angelum suum nobiscum. Assumens B igitur fratrem Tancredum, Priorem fratrum, et fratrem Odonem, Priorem sororum, cœpit proficisci.

Prædicatorum fundatorem.

510 Cumque egrederentur, ecce juvenis pulcherrimus adstitit ante portam, tenens in manu baculum ; tamquam paratus ad iter, cœpitque præcedere eos in via. Tunc pater sanctus fratres socios ordinavit inter se et illum, et ipse loco tertio sequebatur. Venientes autem ad portam fratrum, invenerant eam diligenter seris firmatam. Tunc juvenis, qui dux viæ fuerat, ad unam partem portæ se traxit, quæ statim aperta est eis : et primo quidem ingressus est ipse ; deinde fratres, et post eos pater Dominicus introivit : egressoque juvene, qui eos introduxerat, inventa est clausa janua ; sicut prius. Tunc frater Tancredus interrogavit beatum Dominicum, dicens : Pater sancte, quis fuit iste juvenis, qui venit nobiscum? Respondit : Fili, Angelus fuit sanctus, quem ad nostri custodiam Dominus destinavit. Videntes itaque in choro ad matutinas fratres patrem sanctum et socios suos, mirabantur, quomodo clausis januis introissent. *In Commentario* C *prævio num. 725 et seqq. ex annalibus Prædicatorum datur prolixior relatio, qua S. Dominicus Faventiæ noctu per duos angelos specie juvenum dicitur deductus : sed nescio, an illa relatio habeat auctorem satis vetustum.*

Et B. Ambrosium Senensem.

511 *At certo coævos scriptores habet vita B. Ambrosii Senensis, ejusdem ordinis, data ad 20 Martii, in qua num. 66 hæc leguntur :* Alia quædam virgo, in domo præfatæ dominæ Neræ habitans, in hora transitus B. Ambrosii sanctitatem ipsius revelavit, dicens : Video B. Ambrosium nostrum patrem aurea veste indutum, et pileo aureo caput coopertum habentem, in cælum ab Angelis deferri. *In Summario virtutum ejusdem B. Ambrosii, quod item scriptoris est contemporanei, idem refertur num. 45 : et ibidem num. 37 multum laudatur sanctitas Neræ, quæ etiam Beata ab aliquibus vocatur, et de ejus visione num. 38 hæc sequuntur :* Hæc igitur tantæ sanctitatis mulier sæpe dictæ sociæ retulit, quod in nocte natalis Domini, cum B. Ambrosius ex speciali devotione missarum solennia celebraret, circa eum vidit multitudinem angelorum ei assistentium et applaudentium, qui eum ac totum locum mirabiliter adornabant. *Mox alias quoque visiones habuisse, prædicante B. Ambrosio, refertur :* Petivit igitur ab angelo, qui eam ad hoc spectaculum duxerat, quid hæc essent, *et ab eo explicationem accepit, ut ibidem videri potest. In vita quoque num. 10 dicitur noctu invisus ab* Angelis, *et cum iis cantasse, sed in somno. Locus videri potest.*

AUCTORE J. S.

Virgini Cisterciensi obitus suus ab Angelo prædictus.

512 *In vita B. Hermanni Josephi ordinis Præmonstratensis, data ad VII Aprilis, quam scripsit contemporaneus ejusdem ordinis canonicus, num. 39 narratur mirum sanctæ cujusdam virginis Cisterciensis cum* angelo *colloquium.* Revelata est, *inquit,* et secunda visio similis præfatæ ancillæ Dei de Joseph, quam mihi ore proprio enarravit. Appropinquante autem termino dissolutionis illius,... adstitit illi angelus Domini, ita dicens : Præpara te, quia cito itura es. Intelligens illa, de quo itinere diceret,... respondit : Ey! quam cito itura sum? At ille, Valde cito, inquit. Subjecit illa : Numquid ego sum citius transitura, vel Joseph? Ait : Tu quidem citius es transitura ; sed ille te non multo post tempore consequetur. Cui illa iterum ait : Qualis vir est Joseph? respondit angelus : Joseph magnus vir est. Quam magnus? E inquit. Nullum habet, inquit, similem in ecclesia Steinfeldensi. *Sequuntur et plura, quæ rogavit virgo, et angelus respondit de B. Josepho. Post acceptam quoque extremam unctionem ab hoc ipso biographo, et præsente B. Josepho, rursum eidem soli dixit virgo :* Scio enim certissime implendum, quod per Dominum didici, annuntiante angelo, et desiderio concupivi.

B. Humilianæ lumen ab Angelo allatum,

513 *Eodem sæculo Florentiæ obiit B. Æmiliana seu Humiliana de Cerchis, vidua tertii ordinis S. Francisci. Hujus vita, ad 19 Maji data, auctorem habet Vitum Cortonensem, ordinis Minorum, qui mox ab obitu beatæ eam conscribere cœpit. In ea autem num. 15 refert Vitus, nocte quadam beatam lumine caruisse, quod lampas extincta esset, rogasseque Dominum, ut provideret.* Ad cujus votum, *inquit,* respiciens benignissimus Deus, lumen per angelum mirabiliter ministravit. Apparuit namque manus quædam juvenilis juxta lampadem, valde fulgidum gerens ignem, quo lampadem accendit extinctam. *Rursum num. 29, relato beatæ raptu, qui per triduum duraverat, subjungit :* Sero, sustentatu corpore cibo modico, quievit. Et cum aliquantum obdormisset, perventa ad horam, qua ad orationem surgere F consueverat ; astitit ei quidam puer albis amictus, totus rutilans, portans lumen in manibus, dicens : Surge, Humiliana, propter ea, quæ scis. Excitabat enim eam, ut in oratione vigilaret, et creditur, quod fuerit angelus ejus. Et cum surrexisset ad vocem et ad tactum pueri, inspecto puero, ut erat, admirabili, ipse puer cum lumine disparuit.

item panis,

514 Ipsa ideo orationibus vacans usque ad tertiam venturæ diei dominicæ, in ipsa vacatione multam Christi dulcedinem sensit : et hora tertia, cum perduraret in oratione, affuit quidam puer, id est, angelus supradictus, ut creditur, medium panem portans, et dixit : Surge et comede, quando tibi videbitur expedire. Et cum surrexisset, invenit medium panem valde candidum et odoriferum, de quo non poterat dubitari, quin esset manibus angelicis fabricatus : quem inspiciens, dubitavit ne a famula fuisset allatus. Sed circumspecto ostio cellæ interius firmiter obserato, credidit esse, quod erat : et accipiens panem cum gratiarum actione comedit : et de illo medio

AUCTORE J. S.

medio pane vixit tota hebdomada illa, de quo etiam pane pluribus dedit. Et in ipsa hebdomada consolidatæ sunt multæ corporis ipsius debilitates, quas occasione abstinentiæ sustinebat. Multam etiam magis solito hebdomada illa Dei dulcedinem degustavit : et omnes alios cibos, qui sibi illa hebdomada portati sunt, quos comedere debebat, pauperibus erogavit. De illo pane habuit domina Rigalis soror sua, et domina Luciana martertera sua, et Fr. Vigor Cortonensis de ordine Minorum, quem cum dedit eis, dixit eis : Accipite panem hunc angelorum, quem Deus noster cuidam suæ famulæ misit.

uti et alteri factum, et potus.

515 *Laudatus Vitus num.* 41 *hæc narrat :* Quædam religiosa persona perfectæ vitæ novem diebus continui in devotione persistens, cibum corporalem non sumpsit. Cui mane in aurora diei adstitit angelus Domini, medium panem portans, et exhibens ei dixit : Accipe hunc panem, de quo reficias corpus tuum : quem ipsa cum devotione suscepit : quod Humilianam sanctam non latuit. Nam competenti mora constituta, venit ad ipsam Dei famulam, dicens : Da mihi, carissima, de pane tuo, tibi secreto donato, quem detines apud te. Cui admirata dixit : Quis tibi, B carissima, adeo aperte detegit facta mea? Et videns, quia ipsum panem ei negare non poterat, sibi de ipso attulit unum bolum. Quem cum gratiarum actione suscipiens, portavit secum, recondens in loco mundissimo reverenter. Non multis transactis diebus, in oratione persistens quatuor diebus continuis non comedit. Hora vespertina multam esuriem patiens, nec habens alium cibum, prædictum bolum tantum et non aliud sumpsit. Quem cum sumeret, subito Puer quidam candidus et formosus adstitit coram ea, phialam plenam aqua portans : quam cum dedisset ei, et ipsa recipiens cum laudibus biberet, invenit, quod aqua illa vinum erat optimum et delectabile odore, et ad bibendum suave. De ista cœna sic refecta est, quod quatuor diebus continuis post sine cibo jejuna permansit.

Idæ lovaniensi corpus Christi ab Angelo datum :

516 *Eodem sæculo* 13 *mira sanctitate in Brabantia floruit venerabilis Ida Lovaniensis, ordinis Cisterciensis prope Mechliniam Religiosa, cujus vita ex schedis confessarii concinnata, et ad* 13 *Aprilis edita est. In ea num.* 20 *legitur, Idam magno flagrasse desiderio recipiendi frequenter sacrosanctum Christi corpus, sed ausam non fuisse id suo indicare confessario. At, inquit auctor,* C affuit electæ suæ, pro se taliter æstuanti, divinæ pietatis altissima miseratio. Nam, quod, impediente verecundia, sicut prætactum est, expetere non audebat in publico, compassivo miserationis suæ remedio tam illius affectui consulens quam rubori, præter omnem humanæ virtutis industriam, hoc ipsum electam suam consequi mirabiliter annuit in secreto. Siquidem eodem tempore frequenter accidit, ut, cum sacerdos, ut moris est, in altari sacram communionem acciperet, hæc, in immensum dilatato desiderio cordis sui, sacratissimum pignus hostiæ salutaris, angelico perlatum, ut credimus, ministerio, sub eodem momento temporis et ore reciperet et sapore discerneret, ac etiam ipso dentium suorum officio masticaret. Ex qua perceptione tanta nimirum jucunditatis et spiritualium deliciarum dulcedine replebatur in corpore, quod non verteretur in dubium, ipsum sanctitatis Auctorem eo tempore cum gratiarum suarum charismatibus adfuisse.

517 *Ejusdem ordinis Cisterciensis suis S. Lut-* D *gardis, eodemque sæculo in Brabantia floruit et obiit. Hujus vitam, datam ad* 16 *Junii scripsit Thomas Cantipratanus, sanctæ virgini coævus et familiaris. Hic num.* 39 *narrat sequentia :* Ut autem aliquibus, quæ minus forte digne de ea in Aquiria (*virginum abbatia, ubi habitabat*) sentiebant, piæ Lutgardis meritum monstraretur, accidit hoc miraculum solemne, quod narro. Solita erat omni die dominico dominici corporis relici sacramento. Cumque eunte m ad altare nullus eam in subsidium debilis corporis sustentaret, manifeste viderunt aliquæ, quibus videre datum est, duos eam angelos mediam tenere, et ad altare deducere.

S. Lutgardis per Angelos ad communionem ducta :

518 *In oratione octaviani a Martinis de S. Bonaventura ad petendum a Sixto IV, ut in album Sanctorum referretur, num.* 14 *hæc leguntur apud nos ad* 14 *Julii :* Cumque die quadam in missa devotus adesset. Deus respiciens ad illius humilitatem, particulam consecratæ hostiæ, de manu celebrantis per angelum acceptam, illius ori clementer immisit. *Petrus Galesinius in vita idem sic narrat num.* 28 : Quinimo, quod maxime mirandum est, tanta præstitit humilitate, ut cum dia aliquando adhuc junior se indignum putarit sanctissimo Christi corpore, dignus adeo fuerit, qui id angelo ministrante susceperit. *Non sunt quidem hi scriptores coævi : at, cum prior peroraverit ad obtinendam canonizationem, existimo,* E *eum ex vetustioribus hausisse monumentis, neque rem tantam dicturum fuisse coram pontifice, nisi probata fuisset.*

S. Bonaventuræ particula consecratæ hostiæ ab Angelo data :

519 *Vita B. Aleydis, virginis Cisterciensis in abbatia Camerensi prope Bruxellas, quæ ad* 11 *Junii data, auctorem habet coævum. In ea num.* 30 *hæc invenio :* Angelus, a domino ei pro custode deputatus, ex usitata consuetudine, ut surgeret ad vigilias, per aliquod tempus consuevit eam somno excitare. Cujus signum protinus ut percepit, sine mora surrexit. *In appendice ad vitam S. Antonii Paduani, data ad* 13 *Junii*, de Miraculis ad canonizationem productis, *part.* 1, *num.* 49 *narratur, mulierem viginti annis miserrime contractam et distortam fuisse, et ad ecclesiam S. Antonii ire voluisse; sanata vero alia;* Ecce puer, *inquit auctor*, quidam septennis apparuit, eamque præcedens junctis manibus, ad introitum invitavit. Veni, veni in nomine Domini, quia liberabit te. Illa vero sequens vestigia præcedentis, ad limen ecclesiæ se trahendo pervenit; sed cum esset in ostio constituta, puer ille F disparuit. *Sequitur mulieris sanatio. In vita B. Bonæ Pisanæ, et in alia B. Gerardescæ Pisanæ, utraque data ad* 29 *Maji, nonnulla etiam leguntur* Angelorum *beneficia, quæ breviter solum insinuo. In priori num.* 48 *duo religiosi navicula trans flumen Arnum vecti per juvenem, quem postea angelum crediderunt. In altera B. Gerardesca per* Angelos *contra dæmonem defensa narratur num.* 30 *et num.* 62 *vidit* Angelos *in choro cum monachis psallentes.*

Varia Angelorum in plures beneficia,

520 *Memorabile admodum est, quod legitur in vita S. Philippi Benitii, ad* 23 *Augusti data. At fatendum est, eam non esse scriptoris coævi aut supparis. Cum tamen auctor Dalæus vitam istam collegerit ex vetustis documentis ordinis sui, nimirum Servorum beatæ Mariæ Virginis et rem cum adjunctis suis modo verisimili referat, factum istud, ut probabile saltem, totum huc transfero.* Hoc ergo Joanne (*Francofurtensi, ante ibidem laudato*) et fratre Victore Italo, et altero Joanne Gallo, ac fratre Gualtero Germano sociis, Philippus,

S. Philippus Benitius in Alpibus triduo aberrans,

A Philippus, inito Italiam versus itinere, cum Alpes essent ingressi Allobrogum, via militari deerrarunt, ac toto tridun per opacas et solis feris pervias sylvas viam vestigantes, redeundi, ut fit, in viam studio, ex aliis erroribus in alios implicati, nullam rationem inveniebant explicandi sese ex impeditis illis saltuum anfractibus: et augebat rei difficultatem inedia ac lassitudo, quibus triduanis conflictati, dum neque potionis aliquid levandæ siti, neque cibi sedandæ fami reperissent, linqui jam animis viribusque destitui incipiebant, cum Philippus ad consuetum precationis subsidium conversus, idem sociis facere jussit.

ab Angelis cibo refectus in viam reducitur.

521 Postquam ardentem charitate suorum, et magna in Dei suavissimam providentiam fretam spe, orationem cum lacrymis ad Deum fudissent, repente voces aliquæ humanis similes afflant, quibus festiva gratulatione compellati patres, ad amissam viam et refectionem virium post tot labores invitabantur. Ad quas ipsi ab exorsa oratione vertentes sese, quamprimum eluctari potuerunt ex senticosis illis plagis, in duos incidunt, qui habitu quidem ac reliquo cultu corporis pastores videbantur; cæterum, ut postea apparuit, angeli erant. Ab his in proximum tugurii B hospitium multo cum honore verborum et comitate plusquam pastoritia deducti, instructam ibi miri candoris saporisque panibus et gelidæ aquali mensam reperiunt: cui, posito timore, accumbere jussi, pure suaviterque epulati sunt. Actisque Deo infinitis gratiis, ducibus hospitibus suis reducuntur in rectam viam. Et duces quidem officio perfuncti, depositis personis, repente ex oculis patrum evanescentes, videri desierunt. *Mitto alia ad hoc sæculum spectantia.*

§ XXXV. Beneficia Angelorum sæculo XIV.

S. Nicolaus Tolentinas cantu Angelico recreatus:

Sub *initium sæculi 14, quod ingredimur, obiit S. Nicolaus Tolentinas, ordinis Eremitarum S. Augustini. Hujus vita, a Petro Rubiensi coævo scripta, apud nos data est ad 10 Septembris. Laudatus scriptor num. 2 docet, parentes S. Nicolai per* Angelum *monitos fuisse, ut se Barium conferrent ad S. Nicolaum Myrensem, ibidem de filio* C *nascituro instruendos, prout factum est. Rursum num. 46 hæc scribit de S. Nicolao Tolentinate:* Enimvero sex ante ejus obitum mensibus singula nocte, ante matutinalem horam, cum corporalibus auribus canticum angelicum suavissimum faciebat audire (*Deus*) et adeo delectari, quod dicebat: Cupio dissolvi et esse cum Christo.

Angelus a S. Yvone in mensa exceptus:

523 *Eodem sæculo inchoato, obiit S. Ivo presbyter, cujus acta ad 19 Maji edita. In processu de ejus vita et miraculis num. 44 hæc leguntur:* Testis tertius dixit *etc.*; et postmodum ipsa die, cum esset in mensa cum D. Yvone in domo sua Villæ-Martini, venit quidam pauper turpissimus in vili habitu, in præsentia ipsius testis loquentis: et D. Yvo fecit dictum pauperem sedere ante ipsum in mensa, et comedere secum in eadem scutella. Et dum idem pauper aliquantulum comedisset, de mensa surrexit: et dum esset ad ostium domus, vertit se ad D. Yvonem et ad dictum testem loquentem, et dixit eis in Britonice, Ad Deum (*id est* Adieu), Dominus vobiscum. Quo dicto, apparuit D. Yvoni dictus pauper, pulcher et veste alba indutus. Et idem D. Yvo eidem testi statim retulit, sibique dixit, quod qui turpissimus venerat, pulcher recedebat, et quod de claritate vestis ipsius domus resplendebat: nec ulterius illa die D. Yvo in illa mensa comedit: sed post secessum dicti pauperis in præsentia ipsius testis fortiter flere incepit, et dixit: Nunc scio bene, quod Nuntius Domini venit ad visitandum nos. *Idem refertur in Vita prolixiore num. 75.*

varia S. Humilitati ab Angelo præstita:

524 *Eodem fere tempore floruit ac deinde obiit S. Humilitas abbatissa, cujus vita conscripta est a monacho ejusdem ordinis Vallumbrosani, qui sanctam familiariter noverat, editaque apud nos ad 22 Maji. Sancta post conjugium amplexa est vitam monasticam, in qua totam se orationi devoverat; sed ex priore, quod elegerat, monasteria per* Angelum *mirabiliter educta est, ut narratur num. 8, et ipsa prædixerat.* Superveniente vero nocte prædicta, *inquit auctor*, vox quædam insonuit: Soror Humilitas, surge, meque sequere. *Secuta est, et extra monasterium invisibili manu fuit posita, ut pluribus ibi dicitur. Postmodum, ubi erat abbatissa, cum Romam ob negotia pedestri itinere proficisceretur, cum nimis fatigata esset, equum accepit; et mox etiam* panem albissimum, *quod panem inventum non posset comedere.* E *Utrumque narrat auctor num. 16, insinuatque ab* Angelo *sanctæ procurata fuisse, etiamsi* Angelum *non nominet.*

aliud S. Pilingotto tertiario Franciscano.

525 *Prioribus ejusdem sæculi annis Urbini obiit S. Pilingottus, tertiarius Franciscanus, cujus vita, ad 1 Junii data, auctorem habet coævum urbinatem. De extremis Sancti loquens auctor, num. 21 hæc narrat:* Cum vero anima illa purissima ad recessum se præpararet, bella quædam volucris, alba et pulchra, quasi de suo ei congratulans transitu, circa ejus faciem evolare non desinebat. Quidam vero circumstans eam abigere nitebatur, sed pro importunitate non poterat, ita ut ab omnibus crederetur certissime ejus angelum fore, qui eum custodiens usque in finem, animam illam gloriosam carne solutam expectaret, ut eum socians ad vitam illam perduceret, quam Christus illi pretioso suo sanguine acquisivit.

S. Agnes de Monte-Politiano corpus Domini

526 *Raymundus de Capua, ordinis Prædicatorum postea generalis, scripsit Vitam S. Agnetis de Monte-Politiano, quando erat confessarius monasterii, in quo habitavit sancta, scripsitque ex* F *scripturis ibi inventis et relatione discipularum ipsius sanctæ. In hac autem vita, ad 20 Aprilis in opere nostro edita, num. 25 refert sequentia de Sancta in horto suo orante:* Dum autem intra orationem recoleret, diem esse dominicum, nec licere talem diem, missarum solenniis non auditis, pertransire; ex alia parte, urgente dulcedine sponsi, non posset orationis fervorem dimittere, facta in agonia magis ac magis ferventer orabat. Et ecce post paululum adfuit angelus, ferens illud dominici corporis venerabile sacramentum, propter quod omnia missarum solennia dicuntur et fiunt.

ab Angelo accepit decem Dominicis.

527 Quo viso, ancilla omnipotentis Domini humilem reverentiam primo regi angelorum, deinde angelo devote exhibuit: et tandem, ipso annuente, de manu ipsius angeli sacram communionem recepit: sicque Agnes virgo, ex speciali gratia Salvatoris, nec orationem suam dimisit, nec sacramentis missalibus est privata: quin potius sacramentis ipsis communicatis, angelorum est præsentia confortata. Nec sufficeit largo Datori munerum hanc gratiam semel vel bis facere

AUCTORE J. S.

facere sponsæ suæ : sed decem dominicis diebus continuis repetiit idem munus, ut videlicet secundum Decalogi numerum, in quo est omnis perfectio sanctitatis, sanctissimum corpus de manu sancti angeli Agnes sancta, amplius sanctificanda, suscipere mereretur. *Mox num. 27 addit auctor, virgini allatas per* Angelum *fuisse reliquias, ut ibidem videri potest.*

B. Christina Stumbelensis miris

528 *Obiit sub initium ejusdem sæculi 14 B. Christina Stumbelensis prope Coloniam, virgo plane mirabilis, et tot dæmonum impugnationibus vexata, ut acta ejus essent incredibilia, nisi ex oculatis multorum testimoniis fuissent conscripta, virgine etiam tum vivente. Scripsit ea Fr. Petrus de Dacia, ordinis Prædicatorum, cum aliis, qui Beatam familiariter noverant; editaque sunt apud nos ad 22 junii cum vita Beatæ ab anonymo suppare ex actis familiariumque notitiis concinnata. In laudatis actis lib. 3, num. 26, ipsa virgo per scribam suum Fr. Petro narrat, curatam se fuisse* ab Angelis, *postquam noctu a dæmone crudeliter raptata gravissimeque vulnerata fuerat.* Qui, *inquit,* tollentes corpus ejus, singulis noctibus a

B

læsionibus curabant, et a frigoribus levissimo atque calidissimo pallio obumbrabant, mentemque ejus divinis consolationibus confortabant, et se omnibus passionibus ejus adfuisse, et patientiam vidisse affirmabant ; nec non et in tam miris consolationibus et piis exhortationibus ipsam domum reducebant, quod præ nimia admiratione neque viam, neque modum reductionis perpendere valebat : quibus tamen recedentibus se in suo cubiculo inveniebat. Angelos et pallium corporalibus oculis non videbat : sed calorem, lenitatem, et obumbrationem pallii realiter sentiebat : et angelorum curationes et consolationes in corde suo spiritualiter et veraciter cognoscebat. *Nituntur quidem hæc solo virginis testimonio : sed confirmantur ex aliis æque mirabilibus, quæ in aliorum conspectu sunt facta.*

plurimisque Angelorum favoribus

529 *Rursum lib. 4, num. 3 narrat virgo gravissimas, quas multis noctibus passa est, dæmonum vexationes, et subjungit :* Sed Christus, qui suam dilectam sponsam non deseruit, ad liberandum eam atque sanandum singulis noctibus quinque angelos destinavit : qui confortantes eam piis alloquiis, quod a Domino custodes quinque sensuum ejus deputati essent, fideliter affirmabant. *Sic per*

C

Angelos *in vivis servata dicitur num. 8, et num. 10 ab* Angelis *in cubiculum suum reducta. Et num. 13 disparentibus post sævissimas vexationes dæmonibus,* continuo venerunt duo Angeli divinitus missi, qui levantes ipsum corpus, et sanatum per omnia, cum magna reverentia et consolatione in proprium cubiculum reduxerunt. *Similia rursum leguntur num. 22. At num. 29* Angelus, *qui eam sanaverat et reduxerat, sic insuper locutus legitur :* Confortare, sponsa Christi, et constanter age : tecum enim est Jesus Christus, sponsus tuus dilectissimus, pro cujus amore certamen inisti ; ipse enim in tribulationibus numquam te deseret, sed in omnibus te confortabit et adjuvabit ; in morte quippe eris secura, ab omnibus hostibus triumphabis, et cum ipso æternaliter exultabis. Et his dictis, illico discessit angelus ab ea. *At idem post novum cum dæmonibus certamen rursum adfuit auxiliator. Sic passim* Angeli *vulnera virginis sanaverunt : sed num. 69 omnes ejus læsiones leguntur sanasse, præter illam,* quam de circulo candente in medio corporis receperat. *Ea vero plaga deinde a Christo sanata legitur cum reliquis recenter acceptis.*

D

gavisa est, et frequenter ab iis sanata

530 *Missis aliis similibus, subjunga favorem alium, qui narratur num. 101. Lapsa erat virgo, dum reducebatur ab ecclesia, et graviter se læserat.* Crevit autem subito tam gravis et vehemens dolor, ut virgo Christi non pedes nec crura per se movere ullo modo potuisset, sed neque se tangi a quoquam sine magno clamore et dolore sustinuisset. Cumque virgo Christi noctem illam cum sequenti die in tanta læsione et dolore transegisset, secunda nocte somnium virgo arripuit, et angelum Dei assistere sibi vidit : qui tangens pedes et crura virginis, tactu lenissimo ipsam surgere, et suum Dilectum benedicere monuit, et, iis dictis, omnino disparuit. Evigilans autem virgo Christi, sanam se reperit : et surgens, in genua se erexit, summque dilectissimum Sponsum ex toto corde benedixit *etc. Pleraque hactenus relata de subsidio* Angelorum *in vita brevius scripta repetuntur. Ceterum addit in fine biographus, ultimis vitæ annis beatam a dæmonum impugnationibus liberam fuisse, ut omnia, quæ ex Actis dedi, contigerint sæculo 13 : sed, quia sæculo 14 Beata obiit, ad hoc ipsum sæculum omnia collegi.*

Alia aliis præstita.

531 *Obiit circa idem tempus B. Oringa aut Christiana virgo in Etruria, de qua actum ad 10 Januarii. In hujus vita, quam italice scripsit Silvanus Razzi, multis etiam modis B. Oringa dicitur defensa ab* Angelis *contra dæmonum impugnationes et terriculamenta. Minus quidem hæc sunt insolita, aut de se incredibilia, quam quæ leguntur in actis B. Christinæ; sed auctor est recentior, ideoque ab iis hic referendis prorsus abstineo. Vetustior est scriptor, qui composuit vitam venerabilis Gertrudis ab Oosten, Beghinæ Delphensis in Hollandia, datam apud nos ad 6 Januarii. In hac autem num. 30 dicitur anima alterius cujusdam Gertrudis, quæ in eadem civitate erat Beghina, cuidam conspecta fuisse,* concomitantibus eam duobus angelis a dextris et a sinistris.

E

B. Joannes Firmanus ab Angelo, per tres menses

532 *In Vita B. Joannis Firmani, ordinis Minorum, dato ad 9 Augusti, anonymus coævus num. 41 sic habet :* Quantum vero sanctis angelis, quibus continuo reverentiam singularissimam exhibebat, fuerit familiaris, apparet ex multis visitationibus et consolationibus, quas recipiebat ab eis : sed de multis referam tantum duas. Interrogatus a quodam sibi familiari, quomodo a Deo donum sapientiæ recepisset, cum omnino

F

taceret, et nulli videretur velle revelare, dum viveret ; tandem importuna prece et supplici inquietatione violentatus, hoc, quod ab eo petebatur, sub sigillo secreti, dum viveret, revelavit dicens, quod quadam die, dum in cella reclusus arctam pœnitentiam faciens ante crucem Crucifixum oraret attente, quidam juvenis admirandi decoris ad eum venit, dicens ad eum, quod erat missus, ut secum aliquo tempore moraretur. Quem cum vir Dei sanctus agnosceret esse angelum Domini propter magnam, quam in suo conspectu ad præsentiam ejus recepit securitatem, et concepit benevolentiæ caritatem, ipsum, ut decebat, devotissime honoravit : et simul sedens, de cruce Christi, et de gaudiis paradisi, atque de verbis Evangelii et apostoli Pauli aliorumque sanctorum longum colloquium habuerunt : sicque per tres menses continuos non fuit dies, in quo non suo luminoso aspectu et eloquio mellifluo frueretur.

familiariter apparente, Scripturas doctus.

533 Erat autem vadens et rediens, sicut amicus ad domum alterius amici, et socius ad domum alterius socii, ire et redire familiariter consuevit. Tandem, completo trium mensium spatio,

A tio, sibi valefaciens aperuit ei sensum, ut intelligeret scripturas, et extunc, ut retulit, non fuit Scriptura, quam in quocumque loco non intelligeret secundum aliquem intellectum, licet non fuerit sibi datum, quod, quidquid intelligeret, pro voluntate sua alteri panderet, et alteri aperire posset, nisi quantum placebat Majestati divinæ, quæ sibi dederat spiritum intelligentiæ. Non autem dubitabat vir sanctus, quin ille juvenis fuerit Angelus suus, qui pro consolatione sui fuerat a Deo missus, et se ei frequentissime ostendebat.

alios quoque ab Angelis favores obtinuit.

534 Quodam alio tempore supervenit solemnitas beati archangeli Michaelis, quæ mense Septembris celebratur : et dum de nocte descendisset de cella, quam habebat in monte Alvernæ, et venisset ad ecclesiam fratrum, ut ad reverentiam Angelorum cum ipsis fratribus laudes Deo persolveret matutinas, completis laudibus, in ecclesia more fratrum aliquantum substitit meditando devote de gloria angelorum. Meditatione vero et oratione sua peculiari finita, de ecclesia discedebat, ut rediret ad cellam. Cum autem ad januam ecclesiæ pervenisset, juxta eum apparuit B citharœdus, ita suavissimam faciens melodiam, quod, nisi vir sanctus fuisset a Deo confortatus,... nedum præ dulcedine fuisset raptus; imo videbatur sibi, quod spiritus vellet a corpore separari. Tum exsultans in Domino, cum clamore altissimo ascendendo montem cœpit currere versus cellam. Citharœdus autem, sive curreret sive staret, sive communi modo ambularet, numquam ab ejus latere discedebat. Cum autem vir Dei pervenisset ad cellam, et se prostravisset ante imaginem Crucifixi, tunc, ut sibi videbatur, citharœdus ille ita cœpit per instrumentum musicum manus movere citissime, et sonitum ita accelerare, sicut consueverunt facere illi, qui sunt in illa arte periti, quando volunt sonum finire. Finitu autem sonitu, noctem illam, in oratione persistens usque ad diem, vir sanctus duxit insomnem, Deo et sanctis Angelis ejus referens gratias de consolatione percepta.

§ XXXVI. Beneficia Angelorum sæculo XV.

Miri admodum

C *Mirabili prorsus patientia et constantia sæculis 14 et 15 in Hollandia floruit S. Lidwina virgo, cujus acta a pluribus coævis scriptoribus summa fide fuerunt conscripta, editaque apud nos ad 14 Aprilis. Ex iis huc transferam nonnulla ad propositum nostrum spectantia. Postquam auctor num. 48 in vita dixerat et exemplis probaverat, S. Lidwinam ad loca diversa in spiritu sic rapi solitam, ut sciret et indicaret, quid in locis remotis fieret; subjungit num. 49 :* Cum autem, sicut dictum est, ad talia loca raperetur, complebatur in ea divinitus, quod Moysi et filiis Israel... a Domino dictum est : Ecce ego mitto angelum, qui præcedat te, et custodiat semper, et sit ductor itineris tui. Visitabatur enim sæpissime et tangebatur ab angelo suo sancto, quem ita personaliter cognoscebat, sicut amicus amicum suum. Similiter cognoscebat confessorum suorum angelos, aliorumque familiarium suorum et multorum hominum.

et multiplices favores,

536 Apparebat autem idem angelus diversimode, et interdum in forma viri pulcherrimi, semper autem in magna claritate. Nonnumquam claritas illa tanta erat, quod, si mille soles invicem lucerent in virtute sua, non tamen possent æquiparari vel assimulari claritati ejusdem angeli. Interdum vero minor erat hæc claritas : semper tamen præferebat in fronte vexillum Dominicæ crucis, ne ab angelo sathanæ, qui sibi frequenter apparebat transfiguratus in angelum lucis, deciperetur. Si vero propter frequentiam visitantium se aliquando turbabatur, et ob præsentiam atque attactum quorumdam hominum inhonestorum puritas ejus, ut assolet, maculabatur ; propter hujusmodi qualescumque maculas et inquietudinem privabatur angelicis visionibus et raptibus divinis. Interdum etiam, si spiritualibus quibusdam atque solius divinitatis oculo aut angelo cognitis defectibus, qui apud homines defectus non sunt, occulte gravabatur, et earumdem occasione a consuetis raptibus eam impediri necesse erat, de eisdem angelo sancto ductori suo confitebatur; sicque purgata ab eodem, ipso præcedente, ad quæ ducebatur loca, sequendo procedebat. *Prolixior est narratio auctoris de locis, ad quæ rapta fuit S. Lidwina, quæ lectum semper tenebat ob gravissimas infirmitates.*

quibus Angeli

557 *Quapropter, omissis reliquis, quæ in vita legi possunt, pauca solum decerpam.* Et cum spiritus ejus, *inquit,* ad prædicta loca raperetur, E corpus ejus quasi mortuum et exanime remanebat in lectulo. *Deinde :* In exercitiis quoque Dominicæ passionis, interdum ab angelo sancto etiam corpore rapi solebat ad loca illa Terræ sanctæ, in quibus idem Salvator nascendo, conversando, patiendo, sacramenta salutis humanæ operatus est. *Ubi plura de raptibus in corpore narraverat, et ad eos confirmandum dixerat, quandoque post raptus in corpore læsam fuisse, Angelum Sanctæ dixisse ait auctor :* Hæc ulcera propterea in corpore tuo suscepisti, ut scias te etiam in corpore tuo fore raptam. *Tum ita habet num. 55 :* Propter has igitur corporales læsuras, quas sic reportabat, solita erat dicere secundum verbum angeli, quod putabat se etiam raptam fuisse in corpore. Qualiter autem hoc fiebat, novit angelus, qui hoc fieri in corpore testabatur, et in ejus testimonium læsuras corporales eam recepisse, in raptibus ipsis perhibebat. Verosimiliter quoque videtur, eam corporaliter raptam fuisse, quando sertum illud florigerum, de manu beatæ Virginis capiti suo superimpositum reportabat, de quo infra dicetur. F *Ita auctor doctus et pius, Joannes Brugman, ordinis Minorum.*

S. Lidwinam virginem

538 *Quod autem dicit de serto, narrat num. 69 et sequentibus. Anno 1428, sancta virgo cognato suo suoque confessario, diutius secum morantibus, indicaverat, cupere se* duabus aut tribus horis *solam relinqui. Exiverunt ambo, sed clanculum rediit confessarius, ut in cubiculo abditus videret, quid ageret.* Putans itaque virgo, se solam esse in cella, disponebat se per devotas orationes ad percipiendam gratiam, quam optabat. Ecce transacto fere unius horæ spatio, post meridiem, more solito ingressus ad eam angelus Domini, circumvolabat circa eam infra lectisternium, in quo jacebat; sed amplius ei non appropinquabat. Videns ergo gaudio præsentiæ ejus non posse perfrui, conturbata flevit amare, interrogans eumdem angelum, utrum aliqua culpa sua Deum offendisset, ob quam hac gratia perfrui non valeret. Tunc angelus, Nequaquam, inquit, sed propter præsentiam ejus, qui sedens in cella tua nititur scrutari et experiri gratiam tibi dispositam. Quo dicto, discessit angelus ab ea. *Id*

Accione J. S.

Ad fletum Virginis confessarius surrexit, et se præsentem fuisse dixit. Hæc auctor num. 67, insignes deinde subjungens virginis raptus.

semper ægrotantem,

539 *Post alios rapta fuit num. 68 ad gaudia paradisi contemplanda, diriturque num. 69 eam allocuta beatissima Virgo Maria, ad patientiam exhortans,* addensque beata Virgo, Visne, inquit, sertum super caput tuum? Tunc hæc virgo : Ego, inquit, non possum hic habere voluntatem meam. Cum autem aspexisset angelum ductorem suum, videreturque consentire quodammodo, quod acciperet : Accipe, inquit beata Virgo, hoc sertum super caput tuum, quod non nisi septem horis poterit esse super terram, et trade illud in manu confessoris tui, dicens, quod ego demando sibi, quatenus de cetero credulus sit donis omnipotentis Filii Dei, et ut idem sertum ponat super caput imaginis meæ, quæ est in ecclesia. His igitur dictis, hæc virgo reversa est ad corporeos sensus. *Deinde, ut pluribus ibi refertur, Lidwina, ignara serti,* casu vel necessitate qualicumque manum capiti suo superponens, detraxit sertum, quod ex odore suavissimo recordabatur capiti suo per manus beatæ Virginis B impositum... Erat autem hoc sertum cerulei coloris et rugosum, emittebatque de se tam miræ suavitatis fragrantiam, quod illud apud se tenebat, quamdiu poterat. *Tandem confessarium vocari jussit, eique sertum dedit, ut imponeret capiti imaginis beatæ Virginis. Fecit hoc confessarius, et* Angelus Domini retulit idem sertum ad eum locum, unde illud virgo attulerat. *Hoc ultimum non potuit scire Lidwina, nisi edocta per* Angelum. *Addit auctor, hæc contigisse* in nocte et de mane advenientis decimæ octavæ mensis Novembris anno Domini 1428.

cumularunt

540 *Mira omnino hæc videbuntur ; sed et alia id genus reperiuntur in eadem vita, optimis tamen testimoniis firmata. Sic num. 63, cum virgam, qua cortinam lecti sui attrahebat, perdidisset; lignum pro ea ab Angelo repositum dicitur, illudque odoriferum. Sic num. 75 in die Cinerum benedictos cineres ab angelo accepisse asseritur. Sic alia plurima Angelus S. Lidwinæ et dixisse et aperuisse in vita legitur. Quæ autem ex prima vita produxi, uberius etiam relata leguntur in vita secunda, quam composuit idem Joannes Brugman, et præmunivit litteris magistratuum oppidi Schie-* C *dam, ubi vixit et defuncta est S. Lidwina. Multo etiam plura de beneficiis Angelorum in S. Lidwinam leguntur in secunda vita, quam in prima. Mitto tamen omnia, tum ne prolixior fiam, cum in ipsis vitis legi possint; tum ne gravis sim hominibus incredulis. Mirabilis est tota istius virginis vita, nec minus miranda sunt ea, quæ de abstinentia ejus a cibo et potu, et de morbis diuturnis omnibus nota fuerunt, quam quæ paucorum tantum testimonio potuerunt innotescere.*

Varia ab iisdem beneficia

541 *Posterioribus annis, quibus S. Lidwina in Hollandia, floruit magna sanctitate B. Coleta Gandavi in Flandria. Hujus vita, ad 6 Martii data, auctorem habet Petrum a Vallibus, ipsius virginis diu confessarium. De beneficiis autem Angelorum in B. Coletam primo observat auctor num. 35, ab Angelis sustentatam fuisse credi in itinere. Secundo num. 88 narrat, amicos B. Coletæ adjutos ab Angelis fuisse contra impugnatores : quod confirmat his verbis :* Pro quorum favore benigno descendebant visibiliter angeli de cælo, pro conservandis illis a periculis:... prout evidenter ostensum fuit matri gloriosæ (*B. Coletæ,*) et aliquibus de sororibus. Vidit namque primitus ipsa, mediæ noctis horam, lucem quamdam clarissimam in circuitu dictæ domus, et in illa luce D multitudinem angelorum, conservantium et defendentium dictos habitatores contra cunctas diabolicas infestationes. Postmodum vidit scalam auream, situatam super eamdem domum, cælumque tangentem, et angelos ascendentes et descendentes per eam, qui Deo præsentabant orationes devotas humilis ancillæ suæ *etc. Additur, beatam uni ex sororibus ostendisse visa ista; sed illam initio nihil vidisse, vidisse vero omnia post preces B. Coletæ.*

B. Coletæ collata.

542 *Ubi laudatus biographus cap. 14 fuse exposuerat gravissimas infirmitates et dolores, quos patiebatur B. Coleta, obsequia, quæ eidem, recedentibus nocturno tempore monialibus, exhibebant angeli, sic exprimit num.* 125 : Tunc cælestes angeli visitabant illam, dulciter administrantes sibi, cooperientes et adjuvantes eam, et obsequia reliqua conferentes, quæ servi fideles exhibere possunt ancillæ vel sponsæ summi Regis. *Agens de obitu beatæ, variasque referens piarum personarum visiones, ita habet num.* 196 : In nonnullis autem conventibus, ab ea specialiter dilectis propter specialem prærogativam sanctæ paupertatis, in illis singulariter relucentis, in hora sui E transitus audita fuit angelorum multitudo dulciter resonantium cum inaudita melodia. Inter quos singulariter una vox angelica fuit a quibusdam audita, dicens : Venerabilis religiosa soror Coleta migravit ad Dominum. *Rursum num.* 200 : Insuper quædam alia devotissima persona, magnæ pœnitentiæ et austeritatis, nec non et laudabilis perfectionis, in suo raptu vidit unam grandem multitudinem angelorum gaudenter et melodiose suam gloriosam animam velociter deportare ad regnum paradisi.

B. Veronica de Binasco prohibetur ab Angelo eremum petere

543 *Eodem sæculo 15 nata et defuncta est B. Veronica de Binasco, religiosa Mediolanensis, ordinis S. Augustini. Vitam ejus, datam ad 13 Januarii, scripsit Isidorus de Isolanis, ordinis Prædicatorum; aut potius duarum monialium, quæ B. Veronicam familiariter noverant, italica scripta in ordinem redegit, et latina fecit. Plura de favoribus Angelorum in Beatam continet hæc vita, quam ut omnia transcribenda censeam. Itaque nonnulla seligam, et pro reliquis lectori vitam ipsam assigno. Vita lib. 2, cap. 4 sic habet :* Deserta petendi Veronica vehementissimo incensa F desiderio, decrevit, captato sacerdotis atque matris cœnobii consensu, ceteris insciis abire. *Hinc orando noctem insumpsit, et* lucerna extincta meditationi animum dedit. Cui extemplo angelus Domini, nive candidior magnaque luce refulgens apparuit, profundæ noctis tenebras ab loco depellens. Expavescit virgo de lumine. Cui angelus : Ne timeas, ego enim Dei nuntius sum : lux, quam toties conspicata es (*ut refertur cap.* 3) divina fuit. Haud recesseris gratia petendi eremum : quia sic est voluntas Dei. Scito quoque eremi cultum saluti animæ tuæ adversari. Et hæc dicens, alta cælorum petiit, gaudiis cælestibus virginem affectam relinquens.

pane per Angelum delato rescitur.

544 *Rursum cap. 18, cum abscondisset se Veronica, ne per mulieres, quæ ad ipsam visendam venerant, a contemplatione avelleretur;* quæsita, nec usquam inventa, pane ab angelo Domini delato pascitur. *Hoc in festo S. Marthæ, monasterii patronæ.* Celebri quoque die Nativitatis dominicæ anni ejusdem jejuna virgo perseverans, panem ab angelo pariter accepit. *Tum cap. 19 hæc leguntur :* Erat Veronicæ consuetudo, dies Lunares

AUCTORE J. S.

nares, Mercurios, et Veneres jejunare, et ea quidem parcitate, qua pane et aqua simplici tantum uteretur. Quocirca triennio dilapso post ea, quæ superiori capite scripsimus, solo pane ab angelo delato pascebatur. Cœpit autem angelus Domini cælestem hanc alimoniam virgini deferre celebri die Catharinæ martyris anni ab natali Christiano 1413. Singulis autem diebus jejuniorum unico pane candidissimo et recenti, mediocrisque magnitudinis, ab angelo delato, virgo contenta, cibum omnem fastidiebat. Sic egit angelus Domini cunctis diebus vitæ ejus, quibus in posterum pane et aqua simplici vescebatur. Hocce tempus triennio obitum virginis præcessit. Testabatur Veronica, unico pane angelico, quamquam medioeri, magis magisque se saturatam, quam si quatuor communiores panes desumpsisset.

et pro altera subinde panem accepit :

545 *Tum subdit cap.* 20 : Ægrotanti vehementissime Thadææ virgo integerrima,... multis efflagitavit precibus ac obtinuit vitam longiorem. Duplicatum vero post hæc panem accipiens, alterum ægrescenti Thadææ dedit : quem comedens illico convalescere cœpit, ac propediem plenissimæ sanitati reddita, suam incolumitatem in virginis merita retulit. Post nactam incolumitatem affirmavit Thadæa, Veronica tradente, angelicum quoque se panem sæpenumero desumpsisse. Enimvero ad tantæ rei fidem adstruendam Thadæa portiunculam ejusce panis sacerdoti ad manducandum obtulit. *Addit auctor, miraculum istud, quod Beata occultum tenuerat, a Thadæa tunc monasterii superiore, quæ secretorum Veronicæ præ ceteris fuerat conscia, et vitæ partem scripsit, cunctis sciscitantibus fuisse vulgatum.*

docetur ab Angelo, et ob defectum reprehenditur,

546 *Rursum cap.* 23, *B. Veronica ab angelo docta narratur, quo modo recitaret officium canonicum more romano, et cap.* 24 *angelus partem officii cum ipsa aliquando dixisse asseritur. Qua autem specie angelum videret, cap.* 25 *ita refertur :* Asseruit Veronica eo lumine angelum Domini circumseptum adventare solitum, quo noctis mediæ densissimis tenebris divina lectitare cupienti, neque igne neque ocularibus egeret. Ea itidem mortalibus incognita luce prohibebatur virgo, ne angelicam speciem diu satisve intueretur *etc. Reliqua ibi videri possunt. Tum cap.* 26 *ait auctor, librum a Veronica, angelo dictante, conscriptum, quem dolet amissum; datumque eidem ab angelo aureum calamum, de quo ait,* Vidimus nos ipsi calamum. *Mox iterum cap.* 27 *agit de recitatione officii cum angelo, quod maxime contigisse ait auctor in morbis et afflictionibus Beatæ.* Sic faciebat angelus Domini, *inquit,* quoties Veronica plurimum affligeretur. *Deinde lib.* 3, *cap.* 9 *hæc refert biographus :* Narravit aliquando sororibus Veronica, candida simplicitate præclara, dicens : Missa sacra agente sacerdote quopiam die, juxta altare genuflexam sororem curiosius inspexi sola mentis instabilitate. Verum eum a corporeis sensibus me abstrahi contigit, angelus Domini, qui mihi adesse consueverat, me tanta severitate increpuit, ut diem extremum clausura fuerim, si corpori meus mea juncta foret talia sustinens. Heu quam ingens fuit horror ille arguentis angeli! quam dura verba! quam terribiles vultus! *etc.*

Corpus Domini ab eodem accipit.

547 *Missis aliis plurimis, quæ in vita legi possunt, unum addo, quod narrat auctor lib.* 7, *cap.* 2 *hoc modo :* Nocte Sabbati infra octavas Corporis Christi anni sequentis, Veronica virgo post vigilias nocturnas in cella contemplationi vacans, rapta mente in cælestibus audivit vocem suave sonantem : Surge, filia, et accipe dignissimum sacramentum, quo te donaturus est Deus tuus. Tum virgo vehementissime admirans, ac divini ardoris flammis magis magisque succensa, ad sensus spiritum illico excivit. Undique lumine cælesti loco clarescente, conspexit angelum Dei nive candidiorem sanctum Domini corpus dextra tenere : quod ubi angelus ori virginis apposuit, omnis illa visio evanuit. Hostia sumpta, virgo ad supernas delicias evolavit, rapta perdurans usque ad solis ortum. *De eucharistia eidem modo magis solemni, intervenientibus etiam angelis, a Christo data, consuli potest sequens caput.*

Angelicus cantus in exsequiis B. Laurentii Justiniani auditus:

548 *Bernardus Justinianus in vita patrui sui B. Laurentii Justiniani, patriarchæ Veneti, data ad* 8 *Januarii, cap.* 12 *referens mortem beati, ait :* Quas ibi catervas angelorum advenisse vidissemus, si corporeis oculis potuisset videri illa societas. Tali igitur comitatu inter eorum cælestes voces et cantus felicissimus ille spiritus, velut igniculus in cælum emicuit: *Cur sic loquatur, paulo post num.* 63 *indicat his verbis :* Quale illud etiam testimonium, quod bini ex vestris fratribus (*Cartusiani*) quum ad illud officium (*ad exsequias*) ut ceteri, adiissent, audire sibi visi sunt suavissimos quosdam cantus, et inauditas modulationes! Redeuntibus autem ad monasterium, et illis non cessantibus, tum alter ad alterum : Audisne, frater, has melodias? Quidni audiam, inquit alter? Angelicus plane mihi videtur iste concentus, non humanus. Idem affirmare alius cœpit. Utrisque igitur admirantibus, numquam illi cantus, quoad usque ac monasterium pervenerunt, conticuere.

Talis in Missa auditus a S. Catharina Bononiensi,

549 *In vita S. Catharinæ Bononiensis, data ad* 9 *Martii, num.* 8 *hæc leguntur :* Die quadam, dum Sacrificio altaris, quam dicimus Missam, interesset, et sacerdos SANCTUS, SANCTUS proferret, audivit ipsa repetentes idem verbum cælesti cantu angelos : cujus tanta fuit suavitas, ut pene de ipsius corpore egressa sit anima : quamvis totum illud verbum angeli non protulerint : nam si paullo longior divinus ille cantus fuisset, procul dubio exanimis concidisset. *Idem refertur in altera vita num.* 54.

ab alio in cubiculum S. Francisci de Paula.

550 *In Processu Contentino de vita et miraculis S. Francisci de Paula, dato cum vita et reliquis ad* 2 *Aprilis, narratur factum mirabile num.* 90. *Iratus erat S. Francisco de Paula Franciscus Carbonellus ob causam ibi expositam. Cumque loqui cum eo vellet, et Sanctus non statim veniret, magis irascebatur. Itaque, ut ibi refertur,* iratus statuit eum in cella convenire : quæ cella erat aliquantulum alta, adeoque ad ejus ingressum oportebat tres gradus ascendere. Cumque dictus dominus Franciscus esset in ultimo gradu, audivit quosdam cantus et melodias suavissimas, quas reputabat angelicas : stupefactusque constitit, quo securius illas audiret. Et postea volens ultimum gradum ascendere, audivit continuari dictos cantus et melodias : stupefactusque statim rediit ad ecclesiam, Deo gratias acturus de his, quæ audiverat: *Hoc cantu omnis ira recessit, ut sequitur, et successit amicitia.*

Angeli visi, prædicante S. Vincentio Ferrerio,

551 *Alio indicio insinuata quibusdam est sanctitas S. Vincentii Ferrerii, ordinis Prædicatorum : in cujus vita ad* 5 *Aprilis num.* 13 *hæc leguntur :* Fuerunt multi, quibus divinitus concessum est, ut,

ASSTODE J. S.

ut, dum ipse prædicaret, angelos Dei viderent, qui super eum in humili specie humana frequenter descendebant.

et a Dyonisio Cartusiano.

332 *In vita venerabilis Dionysii Cartusiani, data ad 23 Martii, Theodoricus Loerius Cartusianus num. 23 ita habet :* Videbat ipse quoque Dionysius sæpe post Matutinas ad cellas regredientes monachos comitari Spiritus candidos, atque cum eisdem eorum intrare cellas, quos angelos illorum non dubitabat esse custodes.

Inter pauperes Angelus venisse videtur ad Mariam de Mailliaco.

333 *In vita venerabilis viduæ Mariæ de Mailliaco, quam scripsit Martinus de Bosco-Gualterii, Ordinis Minorum, ipsius Mariæ confessarius, apud nos ad 28 Martii, opera ejus misericordiæ commendantur, crediturque inter pauperes excepisse angelum, quod num. 13 sic refertur :* Inter ceteros pauperes unus, statura magnus, capillos habens protensos, et barbam prolixam, pulcher aspectu, domom suam ingressus est : qui undique rescipiens stans coram ipsa, nullum verbum protulit. Illa autem admirans et timens de fraude maligna, ait illi : Si Christianus estis, signa Christiani facite. Audito verbo, ille manu elevata valide signo crucis consignavit B semetipsum, et accepta refectione, domum egressus amplius non comparuit. Egressa autem domina, stans et circumspiciens, neminem vidit : a vicinis autem requirens, quo abiisset homo ille, ipsi omoino se nescire fatebantur. *In Processu pro canonizatione ejusdem venerabilis Mariæ num. 8 dicitur cantus Angelicus in ejus morte a pia persona auditus.*

S. Franciscæ Romanæ Angelus

334 *Maxima angeli sui custodis familiaritate fruebatur S. Francisca Romana, cujus vita ab ejus confessario Joanne Mattiotti scripta, et apud nos data ad 9 Martii. Id laudatus biographus testatur num. 16 ita scribens:* Fruebatur famula Christi continua visione angelorum, et maxime quemdam elegantis pulchritudinis forma decorum familiariter intuebatur, diu noctuque sibi inseparabiliter assistentem, cujus facies solis splendorem superabat. Et, si noctis tempore sibi opus fuisset aliquid operari, absque aliquo lumine materiali, solo splendore angeli ducebatur. *Deinde lib. 2 Visione 1 auctor sic habet :* Inter ceteras Domini gratias, huic suæ famulæ B. Franciscæ in præsenti vita exhibitas, hæc fuit singularissima : quod de paucis credo, lector, to legere sanctis. Nam C sibi datus fuit unus angelus, qui (ut ipsa Dei famula asserebat) erat de secundo choro sanctorum archangelorum; non ille domesticus, qoi datur omnibus in custodiam. Ille vero archangelus erat sibi ita domesticus, quod dio noctuque semper ei assistebat in figura humana, scilicet unius pueri novem annorum, indutus tunicella alba tamquam nix : cujus vultus erat solo splendidior, ita quod ipsa Christi famula in ejus vultum respicere non poterat : sed vultus sui claritatem plenissime videbat.

in forma pueri splendidus semper assistit.

335 Duobus tamen temporibus famula Christi poterat facilius in vultu ipsius archangeli respicere; uno scilicet, quando ejus pater spiritualis cum ea loquebatur de illo archangelo : tunc ipsa crines et oculos ceteraque membra facillime poterat intueri. Alio vero tempore, cum percussa esset a malignis spiritibus, ad sui confortationem ipsum archangelum intuebatur sine aliqua difficultate. Et, quod dictu mirabilius est, dum sic a malignis spiritibus percussa et dilaniata esset, et quasi morti propinqua, archangelus vultu splendidissimo capillis radiantibus aderat, et maligni spiritus, ejus claritatem non ferentes, D subito confusi fugiebant. Tantus enim erat splendor dicti archangeli, quod noctis tempore omnia exercitia necessaria in domo illius claritate sine aliquo lumine materiali faciebat.

isque erat altioris ordinis, et Sanctam

336 *Mox ibi nonnulla sequuntur de alio angelo S. Franciscæ dato, quæ clarius explicantur in visione 66 his verbis :* Postquam ista Dei ancilla ivit ad domum suarum in Christo filiarum post mortem mariti, ut cum eis permaneret; accidit, quod anno Domini 1436, in solennitate festi S. Benedicti, benignissimus Dominus, omnium gratiarum donator, magnificando suam ancillam mirabilius solito, sibi concessit unum angelum alium quarti chori, scilicet unum ex Potestatibus. Iste vero angelus sibi fuit concessus in forma humana, sicut de alio angelo supra dictum est, sed eo splendidior, et sua vestis erat Dalmatica pulchrior alterius angeli tunicella. Qui angelus mirabilius et potentius protegebat Dei ancillam a malignorum spirituum oppressionibus, quam primus angelus : nam primus cum motione capitis et actu radiantium capillorum eos fugabat : iste vero secundus in ipsius beatæ defensione sola animositate ipsos dæmones videndo fugabat. E Et erant ipsi maligni spiritos magis territi, quando ipsum videbant, quam in visione alterius angeli. Et iste secundus angelus tenebat in manu sinistra tres ramusculos aureos ad modum illorum ramusculorum palmæ, in quibus stant dactyli : qui quidem ramusculi significabant sanctam correctionem. Et in illis ramusculis erant aliqui folliculi similes illis, ex quibus fiunt setæ, sive sericum opus : ex quibus folliculis ipse angelus faciebat aliquas matassas, quas tenebat in suo collo : et cum manu dextra faciebat globos illarum matassarum, et continuo faciebat dictam operationem. *In prima visione dicitur symbolica hæc angeli operatio continuata usque ad annum 1438, et festum Assumptionis B. M. Virginis : deinde vero aliud opus inchoatum, de quo plura in Visione 69. Locus ipse legi poterit, et consuli possunt annotata de vocibus aliquot, et de rei symbolicæ significatione.*

contra dæmonum vexationes confortabat.

337 *In visione 29 multa referuntur, quæ S. Francisca dixit patri suo confessario coram aliqua religiosa, cui nomen erat Rita, et post expositas dæmonum vexationes, quas patiebatur, hæc subjecit, loquens de se, tamquam de alia persona :* F Sed ne ipse antiquus hostis ipsam ultra modum pavero faceret, ipse piissimus Dominus sibi angelum ei visibilem in custodiam concessit, ut esset suum remedium; ne per visionem hostis nequissimi esset extra suum sensum et intellectum, quando eam cruciabat. Nam nisi stetisset in suo naturali sensu, non sensisset cruciatus per malignum hostem sibi inflictos, et non sentiendo non tantum mereretur. Et hoc permisit benigous Dominus, ut suam dilectam secundum suum vel duceret, et sibi concessit ipsum Dei angelum posse videre, ut animosius et perfectius se reducat et confortetor post tormenta nequissimi hostis sibi inflicta : et ut ex istius benedicti angeli visiono continua non remaneat de suppliciis pavida. *De archangelo, quem S. Francisca habebat custodem, plura leguntur in visione 42. Missis aliis, unum subjungo :* Qui archangelus, si quando aliquæ personæ veniebant ad Dei famulam et inciderent in aliquod colloquium, in quo a veritate deviaretur, vultum iste archangelus a loquentibus in aliam partem volgebat, *id est, vertebat. In visione*

A *sione 91 Sanctæ monita dat* S. Michael *archangelus, et in 94 alius angelus Franciscam monet, ut ibidem legi potest.*

eidemque in suprema lucta aderat.

558 *Deinde lib. 3, cap. 5, num. 57 Sanctæ etiam subsidio fuisse dicitur* S. Raphael *archangelus multaque variis locis de subsidio angeli sive archangeli custodis leguntur, quæ omittenda credidi brevitatis causa cum multis, quæ de angelis vidit et dixit Sancta. Quæ vero lib. 3, num. 96 ante mortem Sanctæ leguntur contigisse, huc transfero :* Ipse vero benignissimus Dominus, cum eam in vita ostendisset sibi dilectam, in morte voluit ostendere dilectissimam. Sciebat namque ipsi Beatæ, dum viveret, tædiosissimum esse malignos videre spiritus, sicut sæpe erat solita videre, tam ipsam molestantes, quam etiam proximum : in morte vero noluit eam per malignos spiritus aliqualiter molestari, sed ab eorum visione ipsam totaliter expertem reddidit. Ille vero angelus gloriosissimus, de quo supra dictum est, telas ordiebatur, et faciebat suum exercitium, laborando velocius et cum majori hilaritate, quam prius solebat : qui actus erat in signo ipsius B famulæ Christi obitus.

Ejus filius Evangelista inter angelos in cœlum ascendit.

559 *In vita secunda S. Franciscæ, quæ serius quidem, sed ex vetustis monasterii ejus documentis composita est, jam dictis aliqua adduntur. De Evangelista filio ejus defuncto, cujus vitæ innocentia commendatur, num. 19 hæc leguntur :* Eadem vero hora (*qua Evangelista obierat*) vicina in domo animam agens puella, et pridem loquendi facultate privata per morbi violentiam, clamare occepit : Videte, videte Evangelistam de Pontianis duos inter angelos medium ad cælos conscendentem. *De ipsa Francisca autem num. 20 sic loquitur :* Habebat Francisca non tantum custodem angelum, a quo impelleretur ad faciendum bene ; sed etiam correctorem, a quo si quid deliquisset, nunc hac nunc illa in parte corporis invisibili manu percutiebatur. Neque id solum cum solitaria ageret ; sed etiam in præsentia aliorum, qui impacta audire verbera, non item videre poterant percutientem.

Sancta vero ab Angelo corrigebatur

560 Ita cum coram socru sua Cecilia atque cognata Vannotia in frequenti mulierum cœtu vanus aliquis sermo esset illatus, ipsaque eum interturbare humano nimium respectu prohiberetur, maxilla ejus, audientibus cunctis, gravi alapa percussa est. Alias in S. Mariæ-novæ inter- C num animæ suæ statum Patri Antonello exponens, quia præ humilitatis affectu reticebat dona quædam sibi collata divinitus, tam vehementem humeris illius ictum inflixit angelus, ut coram confessarii attoniti pedes corruerit : quam illa in se collecta culpam agnoscens, Patri suo spirituali continuo manifestavit. Simile est, quod ei domi suæ contigit apud Joannem presbyterum peccata sua confitenti : dum enim genuflexa assistit, tam durus ei impactus est ictus, ut terram capite inclinato contingeret. Quærenti autem confessario, quid ei accidisset, nescire se dixit, nisi percussos sibi vehementer humeros adhuc dolere. Tum vero confessario revelavit Deus, angeli eas esse plagas, qui, ut alias, sic et nunc eam puniret, propterea quod reluctanti animo secretos Dei favores declararet ei, cui ipsam volebat Deus in rebus ad spiritum pertinentibus plene esse subjectam.

§ XXVII. Beneficia Angelorum sæculo XVI.

B. Osanna Mantuana ab Angelo ad virtutes excitata.

Quæ *colligam de B. Osanna Mantuana, contigerunt fere sæculo 15, cum tamen obierit inchoato aliquot annis sæculo 16, quod modo ingredimur, omnia huc transferam, cum in hac collectione strictum ordinem chronologicum non sequar. Vita B. Osannæ Mantuanæ, virginis tertii ordinis S. Dominici, data est ad 18 Junii, habetque scriptores coævos et beatæ familiares. In ea cap. 1 hoc legitur :* Hæc (*Osanna*) sextum nondum egressa annum, Carbonareolam inhabitans, ubi parentes quotannis æstivare solebant ; cum per Padi ripam deambularet sola, visus est illi angelus, qui eam ad frugalitatem et cælestium rerum amorem adhortatus, sese actutum ex ejus oculis proripuit. *In vita secunda, Tractatu 1, qui fere dicitur compositus ex proprio Ms. B. Osannæ, multo plura de his leguntur num. 14.* Tunc anima ipsius, *inquit auctor*, rapta fuit in spiritu, eique sese obtulit angelus, qui manu ipsam prehendens, E adduxit supra alta cælorum, docendo ipsam eique monstrando summam Deitatem, simulque dicendo : Vide, filiola, et attente considera opera Dei, et qua de causa facta sint. *Ut brevis sim, Angelus virginem jubet cælestia considerare, et præclara ad virtutem eidem dat monita, ut ibidem prolixius legi potest.*

et in operando adjuta

562 *Singulare est, quod in vita prima narratur num. 122* Cum Carbonarolæ, pro more civium, qui æstus tempore rura incolunt, cum fratribus moraretur ; humilitatis operibus delectata, universa extremæ servitutis exercitia volebat, invitis omnibus, efficere. Unde ad Padi ripam sæpenumero, reportatura suis humeris aquam, accedebat. At cum debilis admodum parvique roboris esset, propterea quod extrema inedia corpus affligeret, frequentique et diuturno raptu potiretur ; aquaria vasa præ nimio, et suis viribus impari pondere, imponere humeris haudquaquam poterat : attentabat tamen enitebaturque superior evadere. Aliquamdiu autem defatigata, cum divinum imploraret auxilium ; cælestis Spiritus illi opem allaturus accedebat : a quo adjumento captato, sibi bajulandum vas summa facilitate imponebat. Sæpius quoque cum implesset aqualia, mox F Spiritus, qui sibi opem afferret, præsto erat. Hanc rem deprehendere etiam domestici et familiares, quando viderent illam ponderosa apprime vasa supra humeros ferre, quæ invictissimi roboris mulier humo tollere nequisset. Voluerunt nonnunquam sibi subsidium afferre : sed ipsa omnium operam detrectabat.

B. Columba Reatina per Angelum ad ecclesiam ducta.

563 *Eodem tempore floruit B. Columba Reatina, sub ipsum sæculi 16 principium defuncta, et ipsa tertii ordinis S. Dominici virgo, cujus vita ad 20 Maji data auctorem habet Sebastianum Perusinum, ordinis Prædicatorum, Columbæ confessarium. Hic autem num. 2 in nativitate B. Columbæ ejusmodi refert visionem, ut creditum sit, angelos de ea fuisse lætatos. Rursum num. 34 hæc narrat :* Rursum contigit, eam præfato patre spirituali privari : quæ ad suum parochialem sacerdotem, maturæ ætatis virum ac devotum Deo, recurrit : cui confitebatur, communicabaturque ab eo. Qui cum in festo S. Joannis Baptistæ opportune teneretur exire, notum voluit haberi B. Columbæ,

[illegible] J. S.

lumbæ, ut forte abstinere ipsa die. Replicat humiliter ancilla Christi; sed instantius rogat, ne tanto die suo dulcissimo sponso privaretur, quia saltem diluculo posset prævenire: quod venerandus sacerdos annuit, et summo mane præsto-latur ipse, clavesque ecclesiæ supraposuerat altari. Et dum ipsa efflagitat sociam, nuntius urget, quod velit venire. Quæ cum paulisper distulisset, tandem incedebat sola: sed comitatus angelicus vallabat eam usque ad altare. Et cum fuisset communicata, discessit ipsa repente. Ut autem sacerdos advertit, quod claves adhuc erant super altare, expavit stupore, et quomodo quove tetendisset, ignorabat omnino. Qui cum diligentius observasset, tandem in majori ecclesia in medio Sororum de Pœnitentia B. Dominici eam invenit. Sicque patri sacerdoti, Angelorum evidenti ministerio se ductam et eductam fuisse, secreto revelavit.

S. Joannes de Deo per angelos

564 *S. Joannes de Deo, qui novum ordinem de Hospitalitate instituit, varios etiam angelorum favores expertus est. Vitam ejus, ad 8 Martii apud nos latine editam, hispanice scripsit auctor coævus, Franciscus a Castro, sacerdos et rector hospitalis Granatensis. Hic, ubi lib. 2, cap. 3 exposuerat, quanta caritate S. Joannes se egentibus omnibus impenderet, num. 21 ita pergit:* Eumdem in finem benignissimus Dominus angelos ei quoque suos adjunxit, quemadmodum juniori olim Tobiæ Raphaelem socium. Deerat nocte quadam necessaria domesticis ministeriis aqua, quam cum puteus vicinus negaret, oportuit eam ex loco poti, qui Bibarrambla dicitur, per spatium non exiguum dissito. It tamen hydriis duabus onustus: reversus autem reperit accurata, quæ ipse facere solebat, omnia; mundatum scopis pavimentum, extructos lectos, lances ablutas. Interroganti autem infirmos, quis iis manum admovisset, una omnes pariter voce responderunt, ipsummet, nec alium quemquam perfecisse omnia. At ille probe conscius sibi, quam procul abfuisset, persistentibus in sua asseveratione egenis, dixit: Vere, fratres, multum pauperes amat Deus, quando ad eorum ministeria etiam angelos suos ablegat. Et hunc quidem, qui Joannis personam assumpserat, credere vix possum a Raphaele archangelo fuisse diversum: hic siquidem aliquando Joanni dixit, divinitus missum se, ut ei in ministerio infirmorum auxilio esset. Fuit hic casus multorum deinde sermonibus in urbe celebratus, pluresque commovit e civibus, ut angelorum officia subituri, se ministros infirmis, Joanni offerrent socios.

in piis caritatis operibus

565 Alia nocte contigit, ut Dei famulus ex vico, qui Zacatinus nominatur, egrediens, pauperem inveniret quiritantem, quod tam frigida nocte tamque copiosa in pluvia nullum reperiret angulum, quo se posset recipere. Commota sunt ad querelas illas tenerrima Joannis viscera; pauperique appropians, Age, inquit, frater, veni mecum ad hospitale, commodius istic noctem quam hic acturus. Satis cognoscebat Joannem pauper, tunc tamen in faciem ejus intendens, eam angelico splendore micantem est admiratus; cumque negaret, posse se pedibus suis incedere, Joannes, quamvis eleemosynis collectis onustus, ipsum nihilominus accepit in humeros, alacriterque prosecutus est viam, donec sub onere deficiens concidit in vico Gomeliorum. Audiit e vicinia quidam, atque ad fenestram accedens, tum ipsum Joannem acerbe semet increpantem miratus est, tum curiosius intendens oculos, vidit egregia forma virum, qui reponendo supra dorsum illius pauperi operam suam commodaret, arreptaque illius manu offerret se ducem. Frater Joannes, inquiens, misit me tibi Deus, ut in opere pio succurram. Ut autem intelligas, quam gratum Deo præstes obsequium, noveris, mandatum mihi esse, ut quidquid pro ejus amore facies, in commentarios referam. Quidquid id est, respondit Joannes, totum a Deo esse agnosco. Verum, amabo te, frater, quis sis et unde, significa. Archangelus, inquit ille, Raphael sum, tuæ tuorumque sociorum custodiæ divinitus deputatus.

pluribus modis adjutus.

566 Diebus exinde nonnullis præteritis, cum solicitus pater pauperibus suis cibos partiretur, panis defuit, qui cunctis sufficeret: moxque Raphael archangelus affuit, multis, qui præsentes aderant conspicuus, eodem, quo Joannes, habitu canistrum panibus plenum afferens; ipsique, cognoscenti se ab eodem adjutum post nocturnum illum lapsum, voce amica dixit: Frater, unius nos ordinis sumus (et vere nonnumquam vile sagum homines angelis æquales contegit) accipe e cælesti penu panes istos, quibus facias satis pauperum tuorum necessitatibus: atque his dictis, disparuit, plenum solatio Joannem relinquens. *Ex modo relatis concludit auctor num. 71, S. Joannem fuisse parem tot occupationibus, quot alias vires humanas superassent, quod angelos haberet adjutores; ibique de factis post lapsum nocturnum adjungit aliquid, supra omissum.* Angelos quoque, *inquit*, socios habuit stipem colligens, prout ea nocte videre licuit, qua, post procuratum a dæmone lapsum, dispersos o sporta panes collegit ad lucem, quam nemo hominum præferre videbatur; sed angelicarum mentium fuisse credimus, hanc ei de cælis opem ferentium.

et in morte recreatus

567 *Tum aliud subjungit hoc modo:* Idem sub vesperam egredi ad montem solitus, ut calefaciendis pauperibus ligna colligeret, ne ipsam quidem Nativitatis noctem ab eo caritatis opere servabat immunem. Verum, ut sunt ea anni tempestate brevissimi dies, accidit, ut vespera illa brevior etiam videretur, tenebris per subitam aeris convolutionem congeminatis. Procellosa igitur nox Joannem in monte occupavit. Solum dixissem, nisi descendentem duæ faces comitatæ fuissent, quas qui eminus conspicati mirabantur a ventis non extingui, curiose expectarunt, visuri, quid esset. Sed quamvis ille ad ipsos accederet prope, neminem præter ipsum videre potuerunt, quem invisibili manu delatæ præcedebant faces jam dictæ, usque dum ad suum hospitale pervenisset. *Morienti quoque S. Joanni adfuisse* Angelos, *existimat biographus.* Narravit enim (*S. Joannes Antonio Martin, confessario suo, inquit num. 75*) sub ipsam sacram Communionem visibiles astitisse sibi Mariam Virginem, Joannem evangelistam, atque archangelum Raphaelem. *Et, pia ejus morte relata, de domesticis, qui in defuncti cubiculum statim erant ingressi, ait:* Simulque strepitum audiunt, velut aliquorum o cubiculo egredientium. *Et mox observat, cubiculum defuncti repertum* cælesti quadam plenum fragrantia: Quam, *inquit*, omnes crediderunt esse effectum illius favoris, quo servorum suorum exitum prosequi solet benignissimus Dominus: strepitum vero, quem audierant, pedum, angelorum fuisse, qui beatam illius animam, ad paradisi gaudia deducendam, fuerant comitati.

568 *Varia quoque angelicæ in se benevolentiæ indicia*

S. Philippus Nerius in foveam labens, ab Angelo

A *indicia expertus est S. Philippus Nerias, institutor congregationis Oratorii, cujus apud nos ad 26 Maji gemina data est vita, utraque summa fide conscripta. Primæ, ex juratis multorum testimoniis confectæ, auctor est Antonius Gallonius, S. Philippi discipulus. Alteram ex processibus canonizationis et instrumentis tabularii Romani Oratorii composuit Hieronymus Barnabæus, ejusdem Oratorii Præpositus. Jam vero Gallonius in prima num.* 18 *hæc memorat de S. Philippo:* Intempesta nocte, cum somno sepulti sunt omnes,... miserabilium personarum domos obibat, quibus, quæ ad victum necessaria erant, large abundeque suppeditabat. Nocte quadam, cum hic instituto suo occupatus, panem viro cuidam nobili, sed pauperrimo, deferret, diaboli opera factum est, ut, intentus ille, quo pacto currum, præcipiti cursu se ferentem, declinaret, mox in altissimam foveam casu delapsus sit. Sed, Domino opem ferente, ab Angelo confestim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur; indeque nulla læsus ex parte ab eodem incolumis eripitur. Incidit ea res in annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum. B *Addit in Annotatis de Angeli subsidio Papebrochius noster:* Idem juratus affirmat Cæsar Cardinalis Baronius.

per capillum apprehensus servatur. Alia

569 *In secunda vita num.* 248 *idem quoque narratur, et pars posterior sic exprimitur:* Ecce autem rapido cursu venientem in se rhedam sentit; dumque ictum declinat, seque retrahit, in altissimam foveam delapsus est. Hic vero apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit capillo capitis sui, posuitque eum incolumem supra foveam in impetu spiritus sui. Id quod suorum nonnullis ipsemet beatus pater, ad eorum pietatem excitandam, non semel retulit. *Uterque biographus mox aliud subjicit Angelicæ in Philippum benevolentiæ indicium. Barnabæus sic habet:* Hoc ferme tempore Angelus itidem specie pauperis ei sese objicit, manumque ad stipem porrigit supplex. Ille autem, ut erat in omnes benignus atque misericors, quotquot habebat nummos, ei statim offert. Tum Pauper; Ego vero, inquit, te in hac re experiri volebam, quid facturus esses. Atque his dictis, statim evanuit. Quæ res Philippo, ad pietatem sponte currenti, calcar admovit *etc. Consonat de re tota Gal-* C *lonius.*

Angelorum in S. Philippum,

570 *Laudatus Barnabæus num.* 341 *iterum hæc profert:* Hic vero prætermittendum non est, quod Dei servo, in ædibus Caritatis gravissime ægrotanti, usuvenit. Cum enim Julium Petruccium, cujus antea meminimus, rogaret frigidam, modico vino malorum Punicorum admixto: is autem videret, nisi saccharum potioni huic adjungeretur, languentis voluntati absque periculo non posse satisfieri; cumque id minime suppeteret; ecce tibi hæc animo agitanti repente apparet adolescens, cujus ipse vultum non agnoscebat, et candidissimam sacchari massam offert. Qua accepta, Petruccius statim potionem conficit, ægroto præbet: hic vero post eam desumptam quievit aliquantulum: mox experrectus; Juli, inquit, sanus sum: ac postridie ejus diei e lecto surrexit, et ad consueta munera rediit. Quod quidem factum Petruccius secum reputans, cum præsertim adolescens ille deinde nusquam comparuisset, pro certo credidit singulari Dei beneficio hoc gestum esse, atque adolescentis specie Angelum Domini sese illi obtulisse, ut viro sancto opportune succurreretur.

Auctore J. S. et discipulum ejus beneficia.

571 *Gallonius num.* 168 *scribit ista:* Ea erat Philippus sanctimonia, ut Angelorum cantibus symphoniisque frueretur. *Ad hoc in Annotatis Papebrochius:* Id sacramento testatus est Cæsar Cardinalis Baronius, idemque sacerdos quidam alius præstitit. *Pergit ad exemplum Gallonius hoc modo:* In obitu Helenæ Maximæ, tredecim annis natæ, eos suavissime concinentes audivit. *Aliud refert Barnabæus num.* 34, *ubi ait, adeo S. Philippo probatum fuisse institutum Clericorum regularium ministrantium infirmis, cujus auctor est S. Camillus de Lellis,* ut quodam die iis libero dixerit, vidisse se Angelos, duobus ex ipsis suggerentes verba, dum moribundis assisterent, eorumque animas solenni ritu Deo commendarent. *Inter discipulos S. Philippi Nerii in vita secunda num.* 121 *multum a morum sanctitate laudatur* Franciscus Maria, vulgo Ferrariensis appellatus. *De sancto hoc viro ibidem dicitur:* Quamobrem non semel Angelicos concentus audivit.

Angelorum officia in S. Mariam Magdalenam de Pazzis.

572 *In vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ad* 25 *Maji latine data, et italice scripta ab ejusdem confessario, num.* 70 *refertur, quod anno* 1589, *die* 3 *Februarii, in ecstasim rapta fuerit Sancta, et viderit animam cujusdam moniaE lis e purgatorio ad cœlum deferri. Missis reliquis, pauca scriptoris verba huc transfero:* Videbat ergo, *inquit,* quod felix illa anima, dives meritis, ad fruitionem summi boni ferebatur inter Angelum suum custodem, et S. Miniatum martyrem, quem eo anno patronum sibi legerat. *In eadem vita num.* 77, *ubi dictum erat, dæmones a Sancta visos in monasterio ad tentandum moniales, statim subdit biographus:* Multo nihilominus plures Angeli ostendebantur ei a Domino, qui ipsas confortabant, ut generose resisterent tentationibus.

Joannem Bapt. Piscatorem, S. Stanislaum Koskam.

573 *In vita S. Aloysii Gonzagæ, Societatis nostræ Religiosi, data ad* 21 *Junii, Virgilius Cepparius num.* 162 *de rectore S. Aloysii, Joanne Baptista Piscatore ait:* Jam inde ab anno 1582 fama est, dum, valida quotidiani victus inopia tironum domum (*Romanam*) premente, ipse abditus in cubiculum ejus levationem a Deo precibus exposceret, ad fores venisse Angelum juvenili specie; et cum ad se accersito certam pecuniam, qua instanti penuriæ subveniret, in manus dedisset, evestigio ex oculis evanuisse. *Plura id genus exempla invenirem, si Historiam So-* F *cietatis nostræ et aliorum Ordinum Religiosorum, uti et vitas omnes Sanctorum, necdum in Opere nostro editas, aliarumque personarum sanctitate præstantium, diligenter perscrutari vellem: sed ab omnibus illis abstinere volui, cum ne cogar auctoritatem multarum vitarum ante tempus examinare, tum ne hæc collectio ultra modum excrescat. Hinc ne vitam quidem S. Stanislai Koskæ, Societatis nostræ tironis, adducam, contentus observasse, de eo in Officio ecclesiastico hæc legi:* Sacrum Viaticum, quod in hæretica domo (*Viennæ in Austria*) decumbens, frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. *Et inferius de eo fugiente ad ingrediendam Societatem:* Et Stanislaus Angelorum pane iterum angelico ministerio refectus *etc.*

AUCTORE J. S.

§ XXXVIII. Beneficia Angelorum sæculo XVII.

S. Rosa Limana, cum subito viribus deficere inciperet,

Primam *sæculo 17, quæ miris Angelorum favoribus gavisa est, produco S. Rosam, virginem Limanam in Peruvia, tertii Ordinis S. Dominici. Hujus vita a multis eodem sæculo conscripta est, unaque ex illis apud nos data, cujus auctor est Leonardus Hansen, Ordinis Prædicatorum. Hansenius autem cap. 15 fiduciam S. Rosæ de Angelo suo custode pluribus verbis asserit, et mox num. 201 hoc exemplo confirmat:* Nocte quadam, occlusis horti januis, Rosa de more vigilabat in angusta suæ-eremi cellula (*hæc erat in horto*) sensitque se viribus repente destitui, adeo ut gravem timeret syncopen: unde in domum sese reciperc ad matrem constituit, collato prius consilio cum Angelo suo tutelari. Mater (quæ horti clavem jugiter tenebat secum) ut notavit in vultu filiæ signa instantis deliquii, sine mora promptis a
B marsupio duobus denariis, jussit ancillæ,.... emeret saccharum, carbonem, et libum Indicum, quod Chocolate vocant indigenæ.... Filia, ne sui causa is sumptus fieret, obnixe rogavit matrem, affirmans, sibi non defuturam chocolatam. Replicuit mater: Putasne, in tota hac domo vel micam chocolatæ reperiri? Negavit Rosa: at subjecit, hanc brevi adfore ex domo quæstoris. Infremuit parens, et, Aut nugaris (inquit) aut somnias: quis enim intempesta hac hora calentem chocolatam ad te mittet? vel unde in quæstoris domo, procul hinc dissita, innotuisse potuit, te subitanea debilitate languidam isto medicamine indigere? Tu in horto occlusa, utique non habuisti, quem illuc mitteres, neque ex hac domo ullus abiit, qui tuam necessitatem quæstori indicaret. Igitur vade, ancilla, jussa exsequere.

per monitam ab angelo quæstoris uxorem accipit remedium;

575 Denuo supplex obstitit Rosa, certo asseverans, quæstoris mancipium jamjam cum præparato medicamento adfuturum. Ita fuit: nam matre adhuc disceptante cum filia, pulsatur ad fores. Servus erat quæstoris, intromitti petiit; adferre se a quæstoris consorte, quod Rosæ tra-
C deret. Vas erat argenteum calenti chocolata plenum. Obstupuit parens. At Rosa confestim servum expediens, heræ suæ renuntiare jussit, opportune beneficium venisse. Hic mater confusa multiplici prodigio, sciscitari, quid Gundisalvi uxorem moverit, ut tali profundæ noctis hora vernam ædibus emitteret: quisnam aut virginis languorem illi dominæ, aut certum adventum emissi mancipii nuntiasset Rosæ. Tandem supremo obedientiæ præcepto adegit filiam, ediceret, unde sciverit, tali hora e domo quæstoris sibi adferri chocolatam. Respondit subridens filia: Ne mireris, dulcissima mater: nam sæpe hujusmodi officiis me dignatur Angelus meus tutelaris. Mox ubi in mea cellula cœpi deficere, misi Angelum, qui D. Mariæ de Usategui suggereret, me illo, quem vidisti, succursu indigere. Perfecit ille, quod mandaveram; ac certa eram, illum officio non defuturum. Hac fiducia cellulam reliqui, ad te huc veni, consedi exspectatura hic servum quæstoris, et cum parente beneficium divisura. Mirata est mater præsentaneum et velox Angeli obsequium; at magis, ut vidit filiam non mirari, utpote his usu ac frequentia dudum assuetam.

576 Alia vice, *ut prosequitur auctor*, in eadem horti cellula ultra mediam noctem exspectabat, dum in ædes vocaretur de more ad nocturnam quietem. Solebat enim circa horam, quæ medium noctis antecedit, descendere mater ad aperiendum horti ostium, ut filia inde abducta, ad suum cubiculum sese reciperet. Verum pro illa vice mater, vel quod crederet, se filiam ab horto jam reduxisse, vel quod aliis distracta minus applicuisset animum, oblita fuerat hortum ad horam consuetam exituræ virgini aperire. Dum ergo se vidit frustra exspectare, dum hæsitat, quid agendum, prospiciens per fenestellam, vidit cominus umbram candidam, motu decoro agilem, aspectuque non injucundam, quæ virginem, ut se versus domum sequeretur, invitabat. Facile ex internis criteriis... agnovit Rosa latentem sub umbra tutelarem Angelum. Itaque cum illo se fidenter in viam conjecit. Pervenere ambo ad horti januam, quæ ad umbræ tactum mox sponte patuit sine clavi. Deinde umbratilis ille ductor sequentem Rosam ante genitricis cubiculum stitit, et disparuit. *Subjicit auctor et tertium specimen, quod ibidem legi potest.* D

alias eidem horti janua aperitur ab angelo,

577 *Istud tamen cum duobus jam datis legitur etiam in Bulla Clementis Papæ X, data post vitam, ubi § 3 num. 193 hæc leguntur:* Misit etiam Dominus angelum suum, qui præcederet Rosam, et visibiliter custodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat. Fuit enim tam domestica fiducia hujus virginis cum eo, ut habuerit illum non solum ut amicissimum, sed etiam ut pararium aut veredarium, quotiescumque hora consueta Sponsus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus, misit eum ad Mariam de Usategui, ut nuntiaret ei, se egere remedio, quod per famulum statim illa transmisit, vidente et agnoscente hoc a filia per obedientiam matre. Ab eodem etiam ab horti cellula, aperiente ipso seras portarum, ad genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Aliis etiam Angelis mandavit Deus de illa: adstiterunt propter ejus preces cuidam Religioso in periculoso itinere, donec iste in deterius mutatus fuit: cui cum ipsa virgine de hac derelictione conquerenti revelavit mysterium, et arcana singularia ipsi soli et Deo nota, et quæ a tanta distantia solum, ipso Domino aut Angelo revelante, virgini innotuisse potuerunt. E F

de quo plurimum confidebat.

Cœlestis gloria ab angelo moribundæ prædicta.

578 *In vita S. Francisci Solani, Ordinis Minorum, cap. 8 referuntur aliqua, quæ contigerunt mulieri decumbenti supremo morbo, quam Sanctus in illo statu confortabat. Pauca ad propositum nostrum spectantia inde huc transfero.* Quæ (*mulier ægrota*) cum ob vehementiam dolorum supina jacere teneretur, statim vultu lætitia perfuso super lectulum sedere incepit. Accessit ad eam vir Dei (*Franciscus*) et divino lumine, quid novi contigisset, agnoscens, stupentibus ob casum aliis, eam verbis dulcissimis monuit, quatenus ob gloriam Dei, et ad circumstantium utilitatem, visionem, quam viderat, et nova, quæ cælestis Nuntius attulerat, enarraret. Cui illa morem gerens, ait, se Angeli sui custodis benigno potitam aspectu, ac ejus didicisse colloquio, condonata sibi fuisse peccata, et in brevi se carne solvendam, ac ab eodem in regnum beatitudinis transferendam. Et his dictis, intra exiguum tempus suaviter exspiravit.

B. Josephi Cupertini

579 *Vita B. Josephi a Cupertino, ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, quæ data ad 18 Septembris, totaque ex processibus concinnata est*

A *est ab angelo Pastrovicchio, nonnulla etiam suggerit angelorum in Beatum illum beneficia. In illa primum num. 83 breviter dicitur :* Ipsi (*Josepho*) angeli videndos se, et cælestia solatia præbuerunt. *Rursum num.* 111 *hæc habet :* Interca dum beatus (*in itinere*) in rusticam pergulam ascendisset, oculosque per viciniam versaret, religiosus quidam sacerdos tholum famosæ ecclesiæ sacræ domus Lauretanæ a longe indigitavit : in quam Josephus obtutum figens : Non vides, attonitus inquit, angelos e cælo et sacra domo euntes et redeuntes? Hæcque dicens ac sæpius repetens, emisso solito clamore, deorsum raptus, versus amygdalam spatio sex perticarum in longitudinem, in altitudinem vero palmorum duodecim volavit. *Prodigiosi id genus volatus frequentes sunt in actis B. Josephi, et indubitatis testium oculatorum testimoniis asserti.*

AUCTORE J. S.

familiaritas cum angelo custode.

150 *Familiarem vero B. Josephi cum angelis consuetudinem magis indicant, quæ leguntur num.* 83 *sic relata :* Neque ipsi tantum voluit Deus ista sensibilia singularis amicitiæ suæ indicia exhibere, sed eadem etiam multis aliis revelare. Hinc factum est, ut eo die, quo Josephus Assisium advenit, quædam insignis Dei serva ipsum duobus angelis stipatum introeuntem viderit. Altera per revelationem didicit, angelum Josephi custodiæ deputatum e superiori choro fuisse : quem quidem angelum ipse tam singulari modo venerabatur, ut cellam suam nunquam ingrederetur, antequam illum invitasset, ut prior introiret.

DE S. FULGENTIO EPISC. ET CONF.

ATINÆ IN CAMPANIA

J. P.

B E

SYLLOGE.

SECULO I VEL II. Memoria ejus in recentiorum fastis,

Antistitem hunc, etiamsi primo vel secundo *sæculo floruisse perhibeatur, nullis generalioribus fastis adscriptum reperio, præterquam catalogis Philippi Ferrarii; unde verisimiliter demum transiit in Martyrologium generale Castellani ad diem* 29 *Septembris. Et Ferrarius quidem in fronte catalogi Sanctorum Italiæ ipsum collocat in indice topographico inter Sanctos, qui coluntur* Atinæ in Latio, *ut sequitur :* Fulgentius ep. et conf. 29 Septemb. ; *atque iterum in indice alphabetico :* Fulgentius episc. Atinas 29 Sept. ; *ubi simul indicat, corpus ejus esse in ecclesia S. Petri : verumtamen in ipso catalogo ad designatum diem ne nomen quidem Sancti exprimit, nedum, ut passim solet, elogium texit aut cultus indicia subministrat. Defectum hunc supplevit utcumque in altero catalogo, puta generali Sanctorum, qui locum non habent in Romano Martyrologio,* Fulgentium *ipso die sic annuntians :* Atinæ in Latio S. Fulgentii episcopi. *In annotatis* C *vero citat tabulas ecclesiæ Atinatis, et* S. Marci, *inquit,* primi ejus urbis episcopi successor fuisse traditur ; *ac demum monet, agere de Fulgentio Paulum Florium Urbinatem in libello de sanctis Atinæ protectoribus, excuso Romæ anno* 1599.

et editis aliquot operibus:

2 Sancti *pariter titulo Antistitem nostrum insigniunt Ferdinandus Ughellus in Italia sacra tom. VI secundæ editionis col.* 418; *Franciscus Orlendius in Orbe sacro et profano volumine* 3 *partis* 2, *pag.* 1593 *et laudatus mox Paulus Florius. Ughellus sic habet :* S. Fulgentius post S. Marcum Atinam ecclesiam obtinuit, ordinatus episcopus a S. Clemente Papa anno sal. 95. Sedit ann. 13, mens. 7, d. 28. Obdormivit in Domino anno Christi 109, depositus est juxta ecclesiam sancti Petri apostoli. *His subdit nonnulla ex ecclesiæ Atinatis chronica, ex qua se episcoporum seriem daturum præmonuerat;* quæ tamen (*ipsiusmet Ughelli verba sunt*) ita ordinationem episcoporum et tempora invertit, ut vix castigata tolerabilis evadere posse videatur. *Exstat laudata chronica apud eumdem ad calcem tomi primi editionis primæ et tomo decimo secundæ editionis inter Anecdota col.* 37, *atque hunc præfert titulum :* Breve chronicon Atinensis ecclesiæ, authoribus anonymis duobus Atinatensibus, ex codice perantiquo Ms. monasterii Fossæ novæ ab anno primo Julii Cæsaris ad annum usque nostræ salutis 1353.

Acta ex chronico

3 *Porro dicti duo chronistæ anonymi martyrium S. Marci, Atinatis episcopi, statuunt tempore Domitiani imperatoris, ac relaturi ea, quæ dein memoratu digna contigerunt, ita ordiuntur :* Romanæ Ecclesiæ præfuit Clemens annis 9, mens. 2, dieb. 10. Hic secundo anno pontificatus sui ordinavit in civitate Atinensi Fulgentium episcopum, qui sedit ann. 31, mens. 7, dieb. 28. Iste sepelivit corpora SS. Nicandri et Marci * juxta corpus Christi martyris Marci constituens sibi parvum habitaculum. Hujus etiam cura fuit studiosius recondere corpus B. Marci martyris et separatim caput a corpore ponere. Obiit autem tertio Kal. Octobris, et positus est juxta ecclesiam B. Petri apostoli. *Hactenus chronistæ, quos correxit Ughellus verbis onte citatis pro duratione sedis* S. Fulgentii *annis* 31 *ponens dumtaxat annos* 13. *Sed an sic omnem diluerit difficultatem, videbimus, postquam alia retulerimus huc spectantia monumenta.* F

* *l.* Marciani.

et catalogo episcoporum Atinensium

4 *Bonifacius Taulerus ex ordine Minorum observantiæ edidit Neapoli anno* 1702 *Historiam Atinensis civitatis, eique inseruit antiquum episcoporum catalogum, quem in ecclesia Atinensi adhuc servari commemorat, et quæ doctis animadversionibus castigavit M. Antonius Palumbus: uti docet nos Ughelliani operis continuator Nicolaus Coleti tom. X, col.* 19, *ubi catalogum, licet mutilum fateatur et pluribus scatentem erroribus, una cum dictis animadversionibus describit. De S. Fulgentio leguntur ista :* Regnante Domitiano Cæsare anno ; quo Filius hominis passus est pro nobis sub patibulo S. Crucis, 102 in secunda persecutione Clemens papa secundo anno pontificatus sui ordinavit in civitate Atina Fulgentium episcopum. Sedit hic in episcopatu an. 31, m. 7, d. 28. Hujus cura fuit studiosius recondere corpus B. Marci martyris, et præfatæ urbis antistitis et separatim caput a corpore ponere.

AUCTORE I. P.

nere. Iste etiam sepelivit corpora SS. Nicandri, et Martiani, Passicratis quoque et Dariæ juxta corpus Christi martyris Marci, construens ibi parvulum habitaculum. Qui martyres, etiam crudeli Maximo præside jubente, palmam martyrii, viriliter pugnantes, adepti sunt 15 Kal. Julii. Episcopus prædictus in Domino accipiens obdormitionem, humatus est juxta ecclesiam B. Petri apostoli, quæ prius fuerat templum Jovis, 5 Kal. Octobris.

5 *Monendus non est studiosus lector, hæc non differre ab iis, quæ dedi ex chronico, nisi quod multo auctiora sint, et uti universim de toto catalogo observat Coletus, etiam vitiosiora. Recitanda autem censui tam hæc quam illa, ut mox pateret, unde sua hauserit Florius in libello, qui italice vulgatus est sub tali titulo :* Vitæ et martyria gloriosorum sanctorum Atinæ protectorum, collecta *(collecta)* per Petrum Paulum Florium Urbinatem. *Ex eo servantur in collectaneis nostris Mss. (nam impressum exemplar non habemus) aliquot descriptæ sanctorum vitæ, ac nominatim* Vita beati Fulgentii episcopi et Atinæ protectoris, *quam ex italico latine redditam huc transfero :* Romanum imperium tenente Domitiano, beatus Clemens pontifex **B** Maximus anno secundo pontificatus sui Atinæ episcopum ordinavit Fulgentium, virum sanctissimum, pietate et doctrina eximium, tantoque incensum amore illustrium facinorum gloriosorum martyrum, ut nulli operæ, studio et diligentiæ parceret ad promovendum ipsorum honorem et cultum : quo fideles, gravissimis tyrannorum persecutionibus pressi, animarentur, et exempla haberent, in quæ respicerent, ac cœleste implorarent patrocinium.

6 Itaque Vir iste sanctissimus cum omni humilitate ac pietate dedit honorificam sepulturam corporibus gloriosorum sanctorum Nicandri, Marciani, Pasicratis et Dariæ, construens parvulum sacellum prope reliquias beati Marci. Dein sanctissimus ille Episcopus, studens orationi, jejuniis ac vigilantiæ pastorali, animam Domino suo reddidit die vigesima nona Septembris, cum Atinæ sedem episcopalem occupasset annis triginta et uno, mensibus septem, et diebus viginti duobus. Sepultus fuit juxta ecclesiam S. Petri apostoli, a beato Marco consecratam ; ubi ante existerat templum Jovis. *(exhibentur;)*

7 *Videamus modo, an citata ex chronico, ex* **C** *catalogo et Florio conciliari queant cum veritate historica et chronologica, an inter se et secum ipsis. In eo consentiunt, quod* Fulgentium *episcopum ordinatum dicant a S. Clemente anno secundo Pontificatus. Sed eatenus nihil inde certi statuere valemus : quoniam, ut satis notum est, de ordine successionis et initiis primorum Pontificum Romanorum tam variæ sint sententiæ, ut quantumcumque laborarint eruditi, nullus tamen hactenus suam adeo certam reddiderit, ut omnes difficultates tolleret. Suffecerit hic annotare, initia S. Clementis ab aliis affigi anno Christi* 67, *ab aliis* 91 *vel paulo serius, et ad hanc posteriorem sententiam propius accedere laudata Atinensium documenta. (sed examinata)*

8 *Et chronicum quidem eo accedit, dum notat,* Marcum, *Fulgentii decessorem, perseverasse in episcopatu Atinensi* usque ad tempora Domitiani ; *catalogus vero et Florius, dum* Fulgentium, *a Clemente ordinatum esse addunt,* regnante seu imperium tenente Domitiano. *Hic enim imperare cœpit anno* 81, *desiitque* 96. *Alteram eodem tendentem notam chronologicam adjiciunt auctores chronici, ubi S. Marcum passum esse affirmant* anno post passionem Domini sexagesimo **D** tertio, *qui erat æræ vulgaris secundum aliquos annus* 92, *secundum alios* 97. *At absurde calculos omnes fœdavit auctor Catalogi : cum annum ordinationis* S. Fulgentii, *in chronico prætermissum, sic expressit :* Regnante Domitiano Cæsare, anno, quo Filius hominis passus est pro nobis sub patibulo S. Crucis, 102 in secunda persecutione Clemens papa secundo anno pontificatus sui ordinavit... Fulgentium episcopum. *Quis enim annum* 102, *etiamsi a Nativitate Christi desumptum, conjungat cum imperio Domitiani; cum secunda persecutione, quæ Domitiano obeunte cessavit; cum anno secundo Clementis? Eapropter Palumbus in supra laudatis animadversionibus* Hic locus, *inquit,* juxta calculum auctoris, *quem sequor (nescio, quem designet; forte Tauderum num.* 4 *memoratum)* ita restituendus est : « Anno, quo « Filius hominis passus est pro nobis sub pati« bulo S. Crucis 61. » Nam Clemens summus pontifex fuit creatus an. Dom. 95 et in anno 95 Fulgentium episcopum ordinavit, a quibus si demas an. 34, remanent anni 61.

9 *Fateor, per istam correctionem reducitur utcumque locus iste ad calculos chronici, et ad* **E** *eorum sententiam, qui Clementis papæ initia conjungunt cum imperio Domitiani ac secunda persecutione. Sed alia se offerunt corrigenda in chronico et catalogo : utrobique duratio sedis* S. Fulgentii *extenditur ad annos triginta et unum, menses ac dies aliquot : proindeque cum secundum calculos chronici ordinatus non sit* Fulgentius *ante* annum post passionem Domini sexagesimum tertium, *id est, æræ vulgaris* 92 *vel* 97, *finis episcopatus ipsius statui non poterit ante* 123 *vel* 128. *(conspersa reperiuntur,)* *Audiamus interim ea, quæ utrobique adstruuntur de Hilario* S. Fulgentii *proximo successore. In chronico :* Nerva regnavit ann. 1, mens. 4... Romanæ Ecclesiæ præfuit Anacletus annis 12, mens. 1, dieb. 11. Ultimo anno pontificatus ordinavit in civitate Atinensi Hilarium episcopum *etc. In catalogo :* Regnante Nerva, anno, quo lux tenebras dispulit 101 et in secunda persecutione Anacletus papa in ultimo anno pontificatus sui ordinavit in urbe Atina Hilarium episcopum *etc.*

10 *De S. Anacleto actum est in opere nostro tom. III mensis Julii ad diem* 13, *ejusque obitus sine discussione controversiæ, forte numquam liquido dirimendæ, affixus est anno Christi* 95, *quæ* **F** *Henschenii, Papebrochii, utriusque Pagii et aliorum sententia est, sed quacum, ut liquet, stare nequit chronotaxis documentorum Atinensium. Recurramus igitur ad eorum opinionem, qui obitum Anacleti serius statuendum arbitrati sunt. Eos inter notissimi sunt Baronius, Labbeus et Ughellus, nec tamen eorum ullus, vel, quem novi, alius Anacleti vitam producit ultra annum* 112, *ac proin neque in ista opinione salvari potest Atinensium chronologia. Nodum solvere conati sunt Ughellus et Palumbus minuendo numerum annorum, quibus sedisse dicitur* S. Fulgentius : *et ille quidem in serie episcoporum Atinensium pro annis* 31 *reponit* 13 *duntaxat, ut innuebam supra ; hic vero* 16, *quibus uterque addit menses ac dies in chronico et catalogo assignatos; atque ita anno Christi* 93, *qui juxta Ughellum et Palumbum erat Clementis papæ secundus,* Fulgentius *ordinatus est episcopus, seditque usque ad annum* 109 *in sententia vel usque ad* 3 *in sententia Palumbi. (ut, quovis correctione adhibita,)*

11 *Verum nec etiam sic planæ fiunt reliquæ instrumentorum nostrorum notæ chronologicæ. Nam, ut mittam, quod in catalogo dicatur Hilarius factus* *(via tolerabilia)* *(tot erroribus)*

AUCTORE J. P.

A *tus episcopus Atinensis anno centesimo primo*, quo Lux tenebras dispulit, *in chronico ita exhibetur rerum gestarum series, acsi Hilarius sedem Atinensem adiisset regnante Nerva et in secunda persecutione, idque expressis verbis asseritur in catalogo: cum tamen secunda persecutio desierit, obeunte Domitiano, id est, juxta receptissimam opinionem anno Christi 96, Nerva vero, proximus Domitiani successor, imperium tenuerit mensibus tantum quatuordecim. Quapropter ut sæpe dicta instrumenta reducantur ad Ughelli et Palumbi calculos, secundæ persecutioni substituenda est tertia, et Nervæ imperatori substituendus Trajanus. Neque hic erit corrigendorum finis. In Chronico dicuntur a* S. Fulgentio *sepulta corpora SS. Nicandri et Marciani martyrum; in catalogo et vita, per Florium concinnata, adduntur corpora SS. Dariæ et Pasicratis, quod verum esse nequit, nisi* Fulgentius *vitam protraxerit ultra annum* 173, *ante quem Sancti illi martyrio affecti non sunt, uti ex vetustiore eorum passione ostenderunt Henschenius et Papebrochius tom. III Junii ad diem* 17.

12 *Imo juxta alios* Fulgentius *vivere debuisset ad sæculum usque quartum: Tillemontius enim tom. V Monumentorum eccles. et Janningus noster part. 1, tom. VI ejusdem mensis Junii in appendice ad dictum diem* 17, *multis argumentis contendunt, SS. Nicandri et Sociorum martyrium differendum esse in annum usque* 302. *Porro ex hactenus discussis abunde liquet, vere iis, quæ de Sancto nostro adstruunt monumenta Atinensia, applicari posse, quod de chronico speciatim pronuntiavit Ughellus: omnia scilicet ita inversa esse, ut vix castigata tolerabilia fieri queant. Hinc ipsum ejus obitum dubitanter fixi sæculo primo vel secundo. De cultu ejus hodierno nihil quoque determinate nos docent Atinenses vel alii; peculiari tamen aliquo affici, conjectare nos sinit titulus* Protectoris Atinensis, *quem ipsi adscribit Florius, et Oratio, quam idem subnectit vita superius recitatæ:* Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Fulgentii confessoris atque pontificis *etc., ut in Breviario romano de Communi confessoris pontificis.*

fieri queant.

B

DE SS. EUTICO VEL EUTICHIO,

E

PLAUTO, ET FORTE HERACLEA, PLACIDO, AMBUTO, TRACIA, DONATA MARTYRIBUS.

IN THRACIA.

J. S.

Ex Hieronymianis aliisque Martyrologiis.

Ex his Martyribus alios solum dui primi, alias tres.

Baronius *hodie tres producit martyres Thraciæ, tenebris ac difficultatibus involutos ob miram codicum Hieronymianorum de iis diversitatem. Verba Martyrologii sunt:* In Thracia natalis sanctorum martyrum Eutychii, Plauti, et Heracleæ. *Baronius in Annotatis pro his laudat Bedam, Usuardum, et manu*scripta, *Martyrologiorum apographa, opinor, non* C *Acta. Recte laudatur Usuardi Martyrologium, in quo eadem plane sunt verba, excepto nomine primi Martyris, qui* Euticus *ibi vacatur, non* Eutychius. *Bedæ vero Martyrologium purum de iis nihil habet, ut solum sit interpolatum, quod visum fuit a Baronio, uti passim alias, quando laudat Bedam. Rabanus in suo Martyrologio duos tantum hic Martyres agnoscit, et pro tertio civitatem substituit, ita habens:* In Thracia civitate Heraclea natale Euticii Plauti, *aut, ut in margine notatur,* Eutychii et Plauti. *Ex his dubium oritur, utrum* Heraclea *sit nomen martyris, ut credidit Usuardus, an nomen civitatis, in qua passi sunt Martyres, sicut Rabanus insinuat. Hoc autem dubium tanto magis ambiguum est, quanto vetustior est illa lectionis diversitas in Martyrologiis: nam alia Martyrologia Hieronymiana Usuardo favent, alia Rabano, ut dubium non sit, quin ex diversis codicibus sua singuli hauserint.*

alias ex septem in Martyrologiis commemorati.

2 *Codices Hieronymiani, ex quibus editionem suam concinnavit Florentinius, sic favent Usuardo, ut numerum Martyrum etiam augeant. Nam sic ille edidit:* In Tracia Eutici. Plaudi. Placidi. Ambuti, Eraclie. *Non solum tres ab Usuardo enumerati hic dantur ut martyres, sed etiam alii tres adduntur. In Corbeiensi, prout editum est ab Acherio, septem videntur enumerari Martyres Thraciæ attributi hoc modo:* In Thracia, Eutici, Plauti, Planciti, Ambuti, Aracliæ, Traciæ, donatæ. *Hi sunt codices Heracleam aut Araclìam cum pluribus faciunt Martyrem. At alii duo codices, non minore consideratione digni, Heracleam dicunt civitatem, et revera Heraclea civitas fuit Thraciæ* F *notissima. Epternacensis apud Florentinium in Annotatis:* Civitate Eracla, Eutici et Plauti, *Richenoviensis apud nos:* In Tracia civitate Eraclia, Eutici et Plautii. *Itaque hi duo, quos Rabanus ex ejusmodi codicibus dedit, certius passi sunt in Thracia, quam reliqui. Attamen ex codice Epternacensi duo etiam alii Heracleæ passi videntur: nam post interpositam S. Michaelis memoriam, hæc rursum sequuntur:* Eracla civitate Placidi, Ambodi. *At hi* Romæ *adscribuntur in codice Richenoviensi, ut jam et hi duo codices invicem repugnantur contrarii. In tribus Martyrologiis, in quibus nomina civitatum plerumque omittuntur, parum aut nihil subsidii est ad solvendum dubium. Augustanum habet:* Plauti, Placidi, Eraplii. *Labbeanum:* Plauti, Placiti, Eracliæ, Thraciæ. *Gellonense:* Plauti, Placiti, Eracliæ, Traciæ. *Favent hæc quidem magis Usuardo, quam Rabano: sed ubique omittitur* Euticus, *et minoris auctoritatis sunt illi codices, utpote magis vitiosi.*

ut alii aliis sint certiores.

3 *Recentiores martyrologi plerique consentiunt Usuardo, quales sunt Galesinius, Canisius, et editores Martyrologii Usuardini. In uno Usuardi codice*

AUCTORE J. S.

dice Centulensi pro Eutici, *mendose legitur* Lucii. *Sic in Flavario Ms. pro* Plauti *legitur* Pauli, *et tribus ab Usuardo enumeratis additur quartus* Placidus. *Ex dictis colliget studiosus lector, ex recensitis alios aliis certius pro martyribus habendos. Historice satis certum apparet,* Euticum *vel* Eutychium *cum* Plauto, *qui semel* Plaudus *vocatur, passum esse in Thracia.* Heraclea *aut* Eraclea *vel* Eraclia *non æque certo pro martyre haberi potest, cum fortasse sit nomen civitatis Heracleæ, ubi Martyres fuerint passi; eademque ratione minus etiam certa est* Tracia *vel* Thracia, *quæ paucioribus adscripta fuit apographis, cum ex provincia, in qua sancti sunt passi, nomen illud reliquis admisceri potuerit pro nomine martyris. Ex aliis tribus, in titulo dubie propositis,* Placidus *et* Ambutus, *qui semel* Ambodus *scribitur, satis certo videntur martyres: sed horum palæstra est ambigua, cum in codice Richenoviensi diserte figantur Romæ his verbis:* Romæ, Placidi, Ambuti. *Præterea inter hesternos martyres Africanos* Placidus *nominatur. In pluribus tamen codicibus adduntur martyribus Thraciæ, eaque de causa eosdem illis ego quoque saltem dubitanter adjunxi. Restat sola* Donata, *in unico codice Corbeiensi reliquis martyribus adjuncta, ideoque undequaque dubia, præsertim cum inter hesternos martyres Africanos aliqua reperiatur* Donata. *De his martyribus cum plura non inveniam, non ægre feret studiosus lector, me plura non dare, et dubia, quantum potui, separasse a certis.*

DE SS. MARTYRIBUS ROMANIS

FORTE SALUTARIO, POSSESSO, JANUARIO, AMPLO, CELEDONO, JUSTINO, AC MILITIBUS ALIQUOT,

ROMÆ.

Ex Apographis Hieronymianis.

Aliquot martyres Romani.

Quemadmodum *superius dubitanter disputavimus de aliquot martyribus Thraciæ, ita et hic disputare cogimur de Romanis, quos Apographa Hieronymiana ad hunc diem multa cum varietate annuntiant, in hoc una invicem consona, quod omnia præcipua aliquem Martyrum manipulum Romæ attribuant. Vetustissimum Epternacense apud Florentinium in Annotatis ita habet:* Romæ Salutari, Possessi, Januarii, Ampli, Celedoni. *Codices Florentinii in textu, quem dedit, primum habens:* Romæ Milites 6. *Et post mentionem de S. Michaele subjungitur:* Et alibi Sosi. Januarii. Ambuti. Celedoni. *Corbeiensis apud Acherium:* Romæ Militum sexaginta octo. *Et inferius:* Et alibi, Januarii, Sosii, Ampuni, Celedoni, Justini. *Ex omnibus duo solum nomina ubique consonant, nimirum* Januarii *et* Celedoni. *An idem sit Martyr, qui in Epternacensi* Salutaris *aut* Salutarius, *in aliis nomine Græco ejusdem significationis* Sosius *vocatur, definire non ausim. Idem esse potest, qui* Amplus *in Epternacensi,* Ambutus *in Florentinii textu,* Ampunus *in Corbeiensi nominatur. At* Ambutus *in plerisque codicibus Thraciæ attribuitur, in solo codice Richenoviensi Romæ cum Placido adscribitur.* Possessus *in solo reperitur Epternacensi, sicut* Justinus *in solo Corbeiensi. Rursum dubitari potest, an nomina data sint Militum, qui primum ut anonymi annuntiantur sex in textu Florentinii, in Corbeiensi* sexaginta octo. *Tandem dubium videtur, an* Januarius *et* Sosius, *qui etiam reperiuntur in Augustano, Labbeano ac Gellonensi, in quibus alii omittuntur, non sint martyres Puteolani hodie reproducti, de quibus egimus ad* 19 *Septembris cum aliis quinque. Ex omnibus id unum satis certum videtur, aliquot martyres romanos hodie annuntiari, eosque milites fuisse aut omnes, aut plures ex illis.*

A

AUCTORE J. S.

DE SS. DADA, GOBDELAA, CASDIA AUT CASDOA ET FORTE GUDELIA MARTYRIBUS.

IN PERSIDE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Annuntiatio horum Martyrum in Fastis : Acta qualia : utrum Gudelia mulier videatur distinguenda a Gobdelaa viro : tempus martyrii.

B

Sec. IV. Gudelia apud Græcos et in Romano annuntiata,

Tam in menæis impressis, quam in menologio Græcorum, prout a Sirleto redditum est latine, Gudelia *martyr primum sola annuntiatur ut mulier, et deinde tres simul ponuntur. Hoc secutus est Baronius in Martyrologio romano ad hunc diem, ubi sic habet :* In Perside sanctæ Gudeliæ martyris, quæ, cum plurimos convertisset ad Christum, ac solem et ignem adorare noluisset, sub Sapore rege post multa tormenta, cute capitis detracta, ligno affixa meruit obtinere triumphum. *Hæc satis fideliter ex Sirleto. At menæa græca duos addunt versiculos, et alia quædam in elogio. Versiculi hi sunt :*

Σοὶ τὴν κεφαλὴν τῇ Κεφαλῇ τῶν ὅλων,
Χριστὲ προσῆξεν ἐκ ξίφους Γουδελία.
Tibi, universorum Capiti, caput,
Christe, obtulit per gladium Gudelia.

In versiculis, qui alias clari sunt, solum observo, non liquere, utrum Gudelia *vir sit, an femina. At in elogio, quod additur, omnino tamquam de femina agitur.*

varias dicitur afflicta cruciatibus :

2 *In dicto autem elogio Christiana asseritur et multos Persarum convertisse, ideoque capta per Saporem regem, et primum* multis cruciata tormentis, *nec tamen voluisse* sacrificare igni, *omissa mentione de sole. Tum particulares cruciatus exprimuntur hoc modo :* εἰς φυλακὴν ἐνεβλήθη λιμοκτονηθεῖσα ἐπὶ χρόνοις πολλοῖς. In carcerem conjecta est fame necanda multo tempore. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐκβληθεῖσα τῆς φυλακῆς, καὶ μὴ πεισθεῖσα τὸν Χριστὸν ἀρνήσασθαι, πρῶτον μὲν ἐξεδάρη τῆς κεφαλῆς τὸ δέρμα. Εἶτα προσηλωθεῖσα τῷ ξύλῳ, καὶ καθηλωθεῖσα ἰσχυρῶς, παρέδωκε τὴν ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν τῷ Κυρίῳ. Post hæc vero e carcere educta, cum induci non posset ad Christum negandum, primum quidem detracta capitis cute spoliata est : deinde ligno affixa, et vehementer confixa, sanctam animam suam tradidit Domino. *Ex hisce mox videbimus, additis etiam aliis rationibus, ambiguum et incertum esse, an* Gudelia *distinguatur a secundo ex tribus martyribus, qui mox subjunguntur a Baronio.*

C

deinde memorati Dadas, Gobdelaas et Casdoa :

3 *Hic de illis ita scribit :* Ibidem sanctorum martyrum Dadæ, Saporis regis consanguinei, Casdoæ uxoris, et Gabdelæ filii, qui honoribus spoliati, ac variis tormentis dilaniati, post longos carceres gladio sunt animadversi. *In his certe aliqua sunt corrigenda. Nam in menæis et in actis* Casdia *aut* Casdoa *dicitur filia ipsius regis Saporis, non uxor* Dadæ *aut Saporis.* Gabdela, *qui* Gobdelaas *in actis et menæis vocatur, ubique dicitur filius Saporis, et frater* Casdoæ. *Nolim quidem contendere, certo constare,* Gobdelaam *fuisse Saporis filium et* Casdoam *filiam, cum Acta reliquaque monumenta, quæ præ manibus habemus, tantæ auctoritatis non sint : at certe alia ipsis attribuere non debemus, cum aliunde non innotescant. De illa vero illorum qualitate consentit etiam Maximus Cytheræus, Menæa sequi solitus, et vetustius Synaxarium Constantinopolitanum, quod fuit Sirmondi. In hoc Synaxario brevius referuntur eadem, quæ prolixius in actis mss. et menæis impressis; nisi quod nomen secundi Martyris ibi in apographo nostro scriptum sit* Γουδελαᾶς *pro* Γοβδελαᾶς, *mutata unica littera, et sic proxime accedat ad nomen* Gudeliæ, *si hæc sit alia martyr.*

E

Dubitari potest, an Gudelia alia sit a Gobdelaa;

4 *Verum, ut jam dixi, incertum apparet, an* Gudelia *non sit ipse* Gobdelaas *vel* Gudelaas : *neque enim tantum fido collectoribus menæorum, ut improbabile mihi sit, eumdem mutato modice nomine bis positum fuisse. Etenim de* Gudelia *nihil fere dicitur, quod actis* Gobdelaæ *non congruat.* Multis cruciata tormentis *dicitur; tam multa autem referuntur in actis* Gobdelaæ *illata, ut vix credibile sit, tyrannum tam varia tentasse ad hominem occidendum. Dicitur diu in carcere fuisse* fame necanda. *In actis vero tyrannus prohibuisse legitur, ne quis* Gobdelaæ *aquam afferret, aut ad eum omnino accederet, ut videatur nutrimenti defectu eum occidere voluisse, aut certe id ex eo loco credere potuerit alterius elogii auctor. Rursum* cutis capiti Gudeliæ *detracta dicitur : idem plane de* Gobdelaa *in actis asseritur. Ligno affixa dicitur* Gudelia, *et sic exspirasse, quod vehementer configeretur. Eodem rursus modo mors* Gobdelaæ *illata refertur : nam acutis calamis per totum corpus confixus animam tradidisse legitur. Quapropter nihil asseritur de* Gudelia, *quod non eodem fere modo narratur de* Gobdelaa, *et* Gudeliam *nullibi invenire potui, nisi in menæis, iisque monumentis, quæ clarissime ex menæis consarcinata sunt.*

F

hoc tamen apparet probabilius.

5 *Aliunde tamen non desunt rationes ad distinguendum* Gudeliam *a* Gobdelaa. *Prima est, quod duobus versiculis supra datis celebretur, in iisque magis*

AUCTORE J. S.

magis insinuetur, gladio cæsam esse, quam modo jam dicto : Gobdelaas *vero aliis laudetur versiculis, quibus dicitur occisus modo actis conformi. Versiculi hi sunt :*

Ὁ Γοβδελαᾶς πείρεται τοῖς καλάμοις.
Τὸν καλάμῳ τυφθέντα Χριστόν μου σέβων.
Gobdelaas tentator calamis
Calamo (*sive arundine*) percussum Christum meum honorans.

Jam præter sexus diversitatem in elogiis assertam, in ipsis etiam versiculis accedit nominis diversitas, quæ in versiculis propter metrum plus momenti habet, quam in soluta oratione. Horum itaque versiculorum causa non ausim Gudeliam *cum* Gobdelaa *confundere, sed probabilius mihi sit, diversos esse : passim enim in versiculis menæorum veriora dicuntur, quam in adjunctis elogiis. Hinc magis credo,* Gudeliam *gladio percussam esse, quam occisam modo asserto in elogio. Fortasse ex actis* Gobdelææ *elogium ejus negligenter consorcinatum est. Verum de rebus tam incertis nihil certi statuere possumus aut debemus.*

Dadas membratim concisus.

6 *De* Dada, *qui primus est inter hos martyres, menæa dant duos versiculus actis conformes.*

B

Ξίφει μεληδὸν σῶμα πᾶν τετμημένος,
Τὸ πνεῦμα σώζεις μάρτυς Ὑψίστου Δάδα.
Gladio membratim toto corpore concisus,
Spiritum servas, martyr Altissimi Dada.

Hæc difficultatem non habent, nam membratim concisus occubuisse Dadas *in actis legitur.*

Casdoas, forte in Actis Gargalus : Casdoa ex plagis mortua.

7 *At in versiculis, quibus* Casdoa *laudatur, rursum difficultas est, quia adjungitur vir* Casdoas, *qui eo saltem nomine in actis aut elogiis nullibi occurrit.*

Ἀθλοῦσιν ἄμφω Κασδόας καὶ Κασδόα.
Ὁ μὲν σπαθισθεὶς, ἡ δὲ θλασθεῖσα ξύλῳ.
Certant ambo Casdoas et Casdoa.
Ille quidem fustigatus, illa vero confracta ligno.

Plura hic sunt dubia. Primo quis sit Casdoas : *nam* Casdoa *illa omnino videtur Saporis filia, quæ in actis memoratur; sed* Casdoas *vir in illis non comparet. Vox* σπαθισθεὶς *etiam varie sumitur, deducta a verbo* σπαθίζειν. *Nam medio ævo* σπαθίζειν *alias significat* gladio cædere, *a* σπάθα *medio ævo* gladius : *alias* fuste *aut* baculo percutere, *idque magis accedit ad antiquam illius verbi significationem. Si gladio cæsus diceretur* Casdoas *omnino in*

C

actis esset ignotus. Si vero ita baculis dicatur cæsus, ut moreretur, talis in actis reperitur num 11 : *sed* Gargalus *ibi nominatur. Si hic revera indicetur, alteratro loco corruptum est nomen, dubiumque manet, utrum* Casdoas *fuerit vocatus, an* Gargalus. *De* Casdoa *regis filia, quæ in actis ex verberibus occubuisse legitur, satis bene in versibus dicitur, ligno aut baculis confractam fuisse.* D

Acta edenda, quorum compendium in Menæis :

8 *Quod modo spectat ad acta trium martyrum, quos in titulo commemoravi, et quibus menæa* Casdoam *virum, acta* Gargalum *quasi quartum addunt, habemus ea Mss. ex Bibliotheca Vaticana, et codice græco illius bibliothecæ* 1190, *cum hoc titulo :* Μαρτύριον τῶν ἁγίων ἐνδόξων μεγάλων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων, Δάδα, Γοβδελαᾶ, καὶ Κασδίας, τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ. Martyrium sanctorum, gloriosorum, magnorum Christi martyrum, Dadæ, Gobdelææ et Casdiæ, sororis ejus. *Ita in actis nomen ultimæ martyris* Casdia *ubique scribitur ; at in menæis aliisque fastis constanter* Casdoa *nominatur. Acta fere eadem habentur in menæis impressis, tamquam prolixum elogium, quod supplicia martyribus illata eodem cum actis modo, et plerumque iisdem verbis repræsentat, ut nullum possit esse dubium, quin ex actis fuerit compositum. Nam solum omissa sunt, quæ collectoribus menæorum minus visa sunt necessaria, qualia initio multa leguntur de gravitate persecutionis sub Sapore Persarum rege; et deinde plurima dicta martyribus aut persecutoribus attributa.* E

sed ea sublestæ sunt auctoritatis :

9 *Hinc acta cum menæis impressis collata dabo, et menda aliquot apographi nostri ex menæis corrigam. Si quid etiam diverso modo subinde in impressis legatur expressum, de eo in annotatis lectorem monebo. Quod autem spectat ad fidem, quam acta merentur; hæc nequit esse summa. Etenim non pauca asseruntur in actis, quæ videntur improbabilia, qualia in annotatis assignabo; et nominatim varietas et multitudo tormentorum, quæ* Gobdelææ, *secundum acta regis filio, illata dicuntur, tanta est, ut fidem superet. Utrum* Gobdelaas *Saporis revera fuerit filius,* Casdia *filia, et* Dadas *consanguineus, certo dicere nequeo. Similia non sunt improbabilia; sed nequeunt ex ejusmodi monumentis fieri certa. Itaque acta solum edimus, ut videat studiosus lector, quid Græci de his martyribus dixerint.*

Tempus martyrii.

10 *Pro tempore martyrii late assignavi seculum quartum, quod ab initio fere sæculi 4 regnaverit in Perside Sapor II, qui gravissimam contra Christianos movit persecutionem. Assemanus in Bibliotheca Orientali tom. 4, pag. 31 persecutionem Saporis II extendit ab anno* 330 *usque ad* 370 *et fuse de ea scribit. At cum nesciamus, quoto persecutionis anno martyres nostri sint passi; necesse non est investigare, an epocha illa sit omnino accurata; sed conjicere possumus, circa medium sæculi 4 late sumptam hos martyres fuisse coronatos.* F

ACTA

A. Anonymo.

ACTA

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. Vaticano, collato cum Menæis impressis, interprete J. S.

CAPUT I.

Persecutio gravis sub Sapore : Dadas delatus, et se Christianum fassus, ardentem caminum, cui erat injiciendus, signo crucis extinguit : hinc Gobdelaas conversus, multis subjicitur cruciatibus.

Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς βασιλείας τοῦ δυσσεβοῦς καὶ ὠμοτάτου, καὶ ἀπανθρώπου, καὶ ἀσεβεστάτου Σαβωρίου βασιλέως Περσῶν ἦν διωγμὸς μέγας τῶν Χριστιανῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν· καὶ ἐξέπεμπον τὰ γράμματα κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν διὰ τοῦ παρανομωτάτου βασιλέως, ὅπως τοὺς πιστεύοντας ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ πικραῖς τιμωρίαις καὶ βασάνοις παραδόντες πλείσταις· καὶ πάντες οἱ πιστοὶ κατακρύπτοντο ἐν ὄρεσι καὶ σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς, καὶ ἦσαν φεύγοντες ἀπὸ προσώπου τοῦ βασιλέως· καὶ ἦν στενοχωρία, καὶ λύπη μεγάλη τοῖς πιστοῖς· καὶ οἱ πλείονες τῶν πιστῶν προσπίπτοντες ἀπήνεγκαν θυσίαν τοῖς εἰδώλοις ἀπὸ τοῦ φόβου. Μετὰ δὲ ταῦτά τις τῆς συγκλήτου πρῶτος, ὁρῶν τὰ μεγαλία τοῦ Θεοῦ, τὰ γινόμενα διὰ πολλῶν μαρτύρων, θείῳ ζήλῳ κινηθεὶς, προσῆλθε τῷ Χριστῷ ὁλοψύχως, ὅστις ὑπῆρχεν καὶ συγγενὴς τοῦ παρανομωτάτου βασιλέως, οὗ τὸ ὄνομα Δάδας.

B Regnante impio et sævissimo, inhumano et impiissimo Sapore Persarum rege, ingens adversus Christianos erat persecutio in omnibus civitatibus et provinciis *a*. Mittebantur ab improbissimo rege litteræ in omnem civitatem et locum, ut amaris tormentis et cruciatibus pluribus addicerentur credentes in nomine veri Dei. Omnes E autem fideles abscondebantur in montibus et speluncis, et in cavernis terræ; et fugiebant a facie regis : eratque angustia et tristitia magna fidelium. Et plures ex fidelibus præ timore procidentes sacrificabant idolis. Post hæc quidam, princeps *b* senatus, perspiciens magnalia Dei, quæ per multos martyres erant facta, divino motus zelo, ad Christum toto animo accessit. Hic et improbissimi regis erat consanguineus, cujus nomen Dadas. *Vigent sæva persecutione sub Sapore, Dadas conversus, a b*

2 Προσελθόντες δὲ τινὲς τῶν ἀπίστων ἀνήγγειλαν τῷ βασιλεῖ, λέγοντες, βασιλεῦ εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι. οἱ παντες τὴν σὴν μεγάλην ἐξουσίαν τρέμουσιν, καὶ τὰ σου προστάγματα πράττουσι, καὶ προσπίπτουσιν τοῖς θεοῖς· καὶ νῦν ἰδοὺ [οὐκ] εἰσὶ πιστοὶ οἱ δοκοῦντες εἶναι, μᾶλλον δὲ καὶ συγγενεῖς σου τυγχάνουσιν, καὶ πρώτους τοῦ παλατίου σου, καὶ τῆς συμβουλῆς πεποίηκας· καὶ νῦν κατὰ τῆς βασιλείας σου μελετῶσι κακὰ, καὶ τοῖς C μεγίστοις θεοῖς οὐ προσανέχουσιν, ἀλλὰ τοῖς τῶν Ναζωραίων πείθονται σεβάσμασιν· ὁ δὲ βασιλεὺς ἀκούσας ταῦτα, ἐμμανὴς γενόμενος, ἠλλιώθη ἡ ὄψις αὐτοῦ, λέγων· καὶ τίς ἐστιν ὁ παραβὰς τὴν ἐμὴν ἐντολὴν; ἀναγγείλατέ μοι, καὶ τοῖς ἐμοῖς προστάγμασι καταφρονεῖ; οἱ δὲ εἶπον· Δάδας ὁ σὸς συγγενὴς οὐ πείθεται τοῖς δόγμασιν ὑμῶν. ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ μισάνθρωπος καὶ ἀπηνὴς ἐταράχθη· ἦν γὰρ ὁ Δάδας ἀποσταλεὶς παρὰ τοῦ βασιλέως ἄρχειν εἰς τὰς ἑτέρας χώρας· καὶ ὡς ἐσέβετο τὸν Χριστὸν ἐν τῷ φανερῷ, ἀπήγγειλαν τῷ βασιλεῖ περὶ τούτου.

2 Quidam vero infidelium, abeuntes ad regem, id nuntiaverunt, dicentes : Rex, in æternum vive. Omnes magnam tuam potestatem cum tremore venerantur, et mandata tua exsequuntur, et deos adorant. Et nunc, ecce, [non] *c* sunt fideles, qui videntur esse : imo vero qui et consanguinei tui sunt, et qui principes palatii tui facti sunt et senatus. Et nunc contra regnum tuum meditantur mala, et deis maximis non adhærent; F sed Nazarenorum sequuntur ritus. Ubi id audiit rex, in furias actus, mutato vultu, dixit : Et quis est, qui transgreditur præceptum meum (annuntiate mihi), et mandatum meum contemnit? At illi dixerunt : Dadas consanguineus tuus non sequitur dogmata vestra *d*. Audiens vero hæc inhumanus immitisque, conturbatus est : missus enim erat Dadas in alias provincias, ut eas administraret : et postquam palam Christum colebat, id regi annuntiaverunt. *defertur ad regem, c d*

3 Ὁ δὲ βασιλεὺς ἀποστείλας πρὸς αὐτὸν Ἀνδραμέλεχ, τὸν πρῶτον τῶν μεγιστάνων αὐτοῦ, μαθεῖν τὸ ἀληθές· ὃς ἐλθὼν εὗρεν αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ τὸν Χριστὸν σεβόμενον· ὁ δὲ διὰ γραφῆς ἐσαφήνησε ταῦτα τῷ βασιλεῖ. ὁ δὲ βασιλεὺς δι' ἀντιγραφῆς δέδωκεν αὐτῷ πᾶσαν ἐξουσίαν κατά τε τοῦ Δάδα, καὶ κατὰ παντὸς Χριστιανοῦ· ἥντινα ἀντιγραφὴν ἀπέστειλεν μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Γοβδελαᾶ. Δεξάμενος δὲ ταῦτα ὁ Ἀνδραμέλεχ, συνεδριάζοντος αὐτοῦ καὶ τοῦ Γοβδελαᾶ, ἤρξατο ποιεῖν τὴν ἐξέτασιν Δάδα· ἀνακρίναντες δὲ αὐτὸν ἐπιμελῶς, καὶ τὰ συντείνοντα πρὸς τὸν σκοπὸν αὐτὸν ὁμιλήσαντες, εὗρον τὸν ἅγιον ὁλοψύχως πιστεύοντα εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ὑπὲρ τοῦτο προθύμως ἀποθανεῖν βουλόμενον.

3 At rex misit ad eum Andramelech, primum inter magnates suos, ut verum disceret. Ille, ubi advenerat, invenit, revera Christum ab eo coli; et per litteras de iis regem certiorem fecit. Rex vero per rescriptum dedit illi omnem potestatem et in Dadam et in omnem Christianum. Hoc rescriptum misit cum filio suo Gobdelaa. Ubi id acceperat Andramelech, considente Gobdelaa cum ipso, cœpit instituere examen Dadæ. Interrogantes vero ipsum diligenter, et conducentia ad propositum cum ipso loquentes, invenerunt Sanctum toto corde credentem in Dominum nostrum Jesum Christum, et pro eo alacriter mori volentem. *examinatusque jussu regis.*

A. Anonymo. ad caminum damnatur. Extincto divinitus camino, convertitur Gobdelaas.

4 Tunc jusserunt accendi caminum amplissimum, et Sanctum in illum injici. Accenso luculenter camino, flammaque sublata in tantam altitudinem, ut videntes in admirationem raperentur; cum adducerent sanctum Dadam, ut illi injiceretur, et hic, simulac erat prope caminum, signum crucis in eum formasset, confestim extinctus stetit, et aquam pro flamma effudit. Perspecto mirando eo prodigio, Gobdelaas, regis Saporis filius, obstupuit, et dixit Dadæ: Dilectissime Dada, quis te docuit ejusmodi præstigias et magias? Ille vero ei respondit: Cupis et ipse a Magistro meo dignus habitus discere? Gobdelaas dixit: Si credidero in Deum tuum, poterone et ego talia facere! Respnsuit Dadas: Non solum ista, sed majora etiam facies: regnabis utique cum ipso. Igitur, ubi per plures dies Gobdelaas caminum accendi jusserat, et nomen Christi invocaverat, *e* continuo extinctus e est caminus, aquamque pro flamma rursum effudit. Hoc facto, supplex factus, in Christum credidit. Videns hæc Andramelech, abiens regi nuntiavit.

Varia tormenta

4 Rex vero, audiens filium suum Gobdelaam B Christianum factum, virgis spinosis eum percuti et a quatuor militibus cædi jussit. His autem fatigatis, alii pro iis inducti sunt. Sanctus per totum corpus percussus, silenter orabat, ut tolerantia sibi daretur a Deo. Apparens autem angelus, eum animabat, dicens: Confide, tecum enim sum. Tum reclusus carcere, quinque transegit dies. Deinde Gargalus quidam, accepta a rege potestate tam contra Sanctum quam contra omnem Christianum, confestim eum nervis bubulis immisericorditer cædi jussit: cæsus vero nervis orabat Sanctus, anathematizans cultum paternum. Tunc Gargalus duas corrigias jussit exscindi e corpore Sancti a pedibus usque ad caput, sic dicens: Omnino veniens Christus tuus sanum *f* te restituet *f*; eoque facto, tutis constrictum *g* vinculis carceri imposuit. At angelus *g* ea nocte ei adstans, vinculis ipsum exsolvit, sanumque ex plagis reddidit.

Gobdelaæ illati,

6 Solutis igitur sponte vinculis, Sanctoque pristinæ sanitati reddito, Gargalus hæc cernens obstupuit, abiensque regi nuntiavit. Hic vero ad eum dixit: Occide impiissimum: neque enim filius C meus est, sed insidiator, quoniam credidit *h* in hominem ad mortem damnatum *h* et amentem. Gargalus autem jussit, subulam igne candentem in aurem ejus sic immitti, ut egrederetur per alteram. Hoc facto, deposuerunt eum in carcere. At eo orante in custodia, veniens angelus Domini, subulam abstulit, eumque sanavit. Intuitus id Gargalus, iterum nervis bubulis percuti eum jussit, vehementerque verberari. Tum ita crudeliter laceratum nervis carceri inclusit, et postridie iterum nodosis virgis immaniter verberari jussit. Hoc facto, eum in custodia rursum conclusit.

ex quibus divinitus

7 Postea e carcere ipsum educens, et sanum conspiciens, obstupuit, dixitque ad eum: Improbe, quousque tuæ hæ artes magicæ, quas operaris efficaciam habent? Nescis, vitam tuam in manu mea esse? Nunc itaque tibi dico: crede deis, ut melius tibi fiat. Quousque isti stultitiæ inhærebis? Alienigena et expulsus a regno patris tui factus es: neque hoc tantum, sed et ab amore maximorum deorum, dignusque multis subjici suppliciis. Nunc igitur tibi suadeo, ut amans pater, ut quid tibi accidat boni: sed et iram patris tui in amorem insuperabilem transferas. San-

4 Τότε προσέταξαν κάμινον λαυρολάτην ἀναφθῆναι, D καὶ ἐν αὐτῇ τὸν ἅγιον βληθῆναι προσέταξαν· ἀναφθείσης δὲ τῆς καμίνου ἐπὶ πολὺ, καὶ εἰς ὕψος ἀρθείσης τοσοῦτον, ὡς καὶ τοὺς βλέποντας καταπλήττειν· ἀγαγοντες τὸν ἅγιον Δάδαν πρὸς τὸ ἐναποριφθῆναι ταύτῃ, ὡς ἤδη πλησίον τοῦτον ἡ κάμινος εἶχεν, εὐθὺς τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ ταύτην κατασφραγήσας, παραυτίκα ἐσβεσμένη ἀπεκατέστη, καὶ ὕδωρ ἀντὶ φλογὸς ἀνέβλησεν. Τοῦτο γὰρ τὸ παράδοξον θαῦμα ὁ τοῦ βασιλέως υἱὸς Σαβωρίου θεασάμενος, ὁ Γοβδελαὰς ἐξεπλάγη, καὶ εἶπε τῷ Δάδα· προσφιλέστατε Δάδα τίς σε τὰς τοιαύτας γοητείας, καὶ μαγγανείας ἐδίδαξεν; ὁ δὲ ἀπεκρίνατο πρὸς αὐτὸν· θέλεις καὶ αὐτὸς παρὰ τοῦ ἐμοῦ διδασκάλου ἀξιωθεὶς μαθεῖν; καὶ ὁ Γοβδελαᾶς εἶπεν· ἐὰν πιστεύσω τῷ θεῷ σοῦ, δυνάσωμαι κἀγὼ τοιαῦτα ποιεῖν; καὶ ὁ Δάδας εἶπεν· οὐ μόνον ταῦτα, ἀλλὰ καὶ μείζωνα ποιήσεις, συμβασιλεύσεις τοίνυν καὶ αὐτῷ. Προστάξας οὖν ὁ Γοβδελαᾶς ἀναφθῆναι κάμινον ἐπὶ πλείονας ἡμέρας καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, εὐθέως ἀπεσβέστη ἡ κάμινος, καὶ ὕδωρ ἀντὶ φλογὸς πάλιν ἀντίβλησεν. Τούτου γενομένου, προσπεσὼν ἐπίστευσε τῷ Χριστῷ. Ταῦτα ἰδὼν Ἀνδραμέλεχ ἀπελθὼν ἀνήγγειλε τῷ βασιλεῖ.

5 Ὁ δὲ βασιλεὺς ἀκούσας, ὅτι ὁ υἱὸς αὐτοῦ Γοβδελαᾶς γεγονε Χριστιανὸς, ῥάβδοις ἀκανθώδοις κοπῆναι E προσέταξεν, καὶ ὑπὸ τεσσάρων στρατιωτῶν τύπτεσθαι· τούτων δὲ ἀτονησάντων, ἕτεροι ἀντ' αὐτῶν εἰσήχθησαν. ὁ δὲ ἅγιος τυπτόμενος καθ' ὅλου τοῦ σώματος, ὑπομονὴν δοθῆναι σιωπηρῶς ηὔχετο ἐκ θεοῦ. Καὶ ἄγγελος αὐτῷ φανεὶς ἐνίσχυε λέγων, θάρσει, μετὰ σοῦ γὰρ εἰμι. Καὶ καθειρθεὶς, διεβήβασεν ἐν τῇ φυλακῇ ἡμέρας πέντε· εἰθ' οὕτω Γαργάλου τινὸς, ἐκ τοῦ βασιλέως τὴν ἐξουσίαν κατά τε τοῦ ἁγίου, καὶ κατὰ παντὸς Χριστιανοῦ λαβόντος, εὐθὺς δὲ ὁ Γάργαλος προσέταξεν αὐτὸν βουνεύροις τύπτεσθαι ἀφειδῶς. Τοῖς δὲ βουνεύροις τυπτόμενος ὁ ἁγίος, προσηύχετο, ἀναθεματίζων τὸ πάτριον σέβας. Τότε ὁ γάργαλος, λώρους δύο προσέταξεν ἐκβληθῆναι ἀπὸ τῶν ποδῶν τοῦ ἁγίου ἄχρι τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, εἰπὼν οὕτως· Παντως ἐλθὼν ὁ Χριστὸς σου ἀποκαταστήσει σε ὑγιῆ. Καὶ τούτου γενομένου, δήσας αὐτὸν ἀσφαλῶς, ἐναπέθετο τῇ εἱρκτῇ· ὁ δὲ τῇ νυκτὶ ταύτῃ ὁ ἄγγελος ἐπιστὰς αὐτῷ, ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν, καὶ αὐτὸν ὑγιῆ ἀπεκατέστησεν ἀπὸ τῶν πληγῶν.

6 Λυθέντων οὖν αὐτο μάτως τῶν δεσμῶν, καὶ τοῦ ἁγίου ὑγιοῦς ἀποκαταστάντος, ὥσπερ τὸ πρότερον, ἰδὼν ὁ Γάργαλος ταῦτα ἐξέστη, καὶ ἀπελθὼν ἀνήγγειλε τῷ βασιλεῖ· ὁ δὲ ειπεν πρὸς αὐτὸν· ἀπόκτεινον τὸν δυσσεβέστατον, οὐ γάρ υἱός μου ἐστὶν, ἀλλ' ἐπίβουλος, ἐπεὶ F ἐπίστευσεν εἰς ἄνθρωπον βιοθανῶντα, καὶ ἀνόητον. ὁ δὲ Γάργαλος προσέταξεν, ἐμβαλόντες σοῦβλαν πεπυρωμένην ἐπὶ τὸ οὖς αὐτοῦ διαβηβασθῆναι ἐπὶ τὸ ἕτερον. τούτου οὖν γενομένου, ἀπέθεντο αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ. Προσευχομένου δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ φυλακῇ, ἐλθὼν ἄγγελος κυρίου ἦρε τὴν σοῦβλαν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἴασατο αὐτὸν. Ἰδὼν δὲ ὁ Γάργαλος, πάλιν βουνεύροις τοῦτον προσέταξεν ταθῆναι, καὶ σφοδρῶς μαστιγωθῆναι. Εἶθ οὕτως αὐτὸν τοῖς βουνεύροις ἀφειδῶς καταξάνας, καθεῖρξε, καὶ τῇ ἑξῆς πάλιν ῥάβδοις ῥοίναις προσέταξεν τυφθῆναι αὐτὸν ἀνηλεῶς. Τούτου δὲ γενομένου, αὐτὸν πάλιν καθεῖρξεν ἐν τῇ φυλακῇ.

7 Εἶθ' οὕτως ἐξαγαγὼν αὐτὸν τῆς φυλακῆς, καὶ ἰδὼν ὑγιῆ, ἐξέστη καὶ εἶπεν πρὸς αὐτόν· κακότροπε ἕως πότε αἱ μαγεῖαι σου αὗται, ἃς ποιεῖς, ἐνεργοῦσιν; οὐκ οἶδας ὅτι ἡ ζωή σου ὑπὸ τὰς χεῖρας μου ἐστίν; νῦν οὖν σοι λέγω, πίσθηθι τοῖς θεοῖς, ἵνα καλίον σοι γέννηται. Ἕως πότε τῇ μωρίᾳ ταύτῃ ἐπιμαινῆς; καὶ ἀλλότριος, καὶ ἀποσυνάγωγος ἀπὸ τῆς βασιλείας γεγέννησαι τοῦ σοῦ πατρός, οὐ μὴν δὲ, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἀγάπης τῶν μεγίστων θεῶν, καὶ ἄξιος πολλῶν τιμωριῶν γενέσθαι. νῦν οὖν συμβουλεύω σοι, ὥσπερ φιλόστοργος πατὴρ, ἵνα τί σοι ἀγαθὸν γένηται· ἀλλὰ καὶ τὴν ὀργὴν τοῦ σου πατρὸς εἰς ἀγάπην ἀνυπέρβλητον δείξῃς· ὁ δὲ ἅγιος τὸ

ὄμμα

A ὄμμα εἰς οὐρανοὺς ἄρας ἔλεγεν· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἠξίωσας με ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ σου ταύτῃ στῆναι, καὶ νῦν, δέσποτα, διαφύλαξόν με ἀπὸ τὰς χεῖρας τῶν ἀνοήτων ἀνθρώπων τούτων, καὶ συγκαταρήθμισόν με τῶν χορῶν τῶν ἁγίων σου μαρτύρων τῶν εὐαρεστησάντων ἐνώπιον σου, ὅτι εὐλογητὸν τὸ ὄνομα σου εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

ctus vero, oculis in cœlum sublatis, dixit : Domine Jesu Christe, gratias ago tibi, quia me dignatus es eo favore, ut in hac tua confessione consisterem : et nunc, Domine, serva me a manibus *i* hominum horum amentium, et annumera me choris sanctorum martyrum, qui placuerunt in conspectu tuo, quia benedictum est nomen tuum in secula seculorum, amen. A ANONYMO. *i*

8 Ἐπὶ τούτοις οὖν ὁ Γάργαλος θυμωθεὶς προσέταξεν ὀγκίνοις σιδήροις τὰς πλευρὰς αὐτοῦ καταξᾶναι. Τούτων οὖν ξεομένων, ἔλεγεν· ἴδωμεν εἰ εἰσέλθῃ ὁ Χριστὸς καὶ ἰάσεταί σε. ὁ δὲ ἅγιος σιωπηρὸς προσηύχετο. Εἶθ' οὕτως ξέοντες αὐτὸν ἐπὶ πολὺ, προσέταξεν ἀποῤῥιφῆναι αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ. Ὡς δὲ μόνον ἐν τῇ φυλακῇ ὁ ἅγιος προσηύξατο, λέγων οὕτως· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ καταξιώσας με κοινωνὸς * γενέσθαι τοῦ πάθους τῶν ἁγίων σου μαρτύρων, τῶν εὐαρετησάντων τὸ ἅγιον ὄνομά σου, συναρίθμησον τοίνυν καὶ ἐμὲ τῆς ἐκ δεξιῶν σου μετ' αὐτῶν στάσεως, καὶ διαφύλαξόν με ἀπὸ τὰς χεῖρας τῶν παρανόμων ἀνδρῶν τούτων, ὅτι ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοὶ, καὶ συναγωγὴ πονηρευμένων περιέσχον με, καὶ νῦν δέσποτα, ἀνίσχυσον με, ἵνα ἀνδρείως στῶ διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον καὶ νικήσω τοὺς ἐχθροὺς σου, κύριε, ὅτι εὐλογητὸν τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας, B ἀμήν. Τῆς δὲ εὐχῆς τελεσθείσης, ἀπεκατέστη ὁ ἅγιος ὑγιὴς δοξάζων καὶ εὐλογῶν τὸν θεόν. Ἰδόντες αὐτὸν οἱ ἐν τῇ φυλακῇ οὕτως ἔχοντα, ἐξέστησαν λέγοντες· μέγας ὁ θεὸς τῶν Χριστιανῶν.

* κοινωνόν

8 Igitur horum causa excandescens Gargalus, jussit ungulis ferreis latera ejus lacerari. Hæc dum lacerabantur, dixit : Videamus, an ingrediatur Christus, et sanet te. Sanctus vero tacite orabat. Deinde, ubi multo tempore scalpserant, jussit Sanctum in carcerem conjici. Ut vero Sanctus in custodia solum oravit, ita loquens : Domine Jesu Christe, qui me dignatus es participem facere perpessionis sanctorum martyrum, qui laudaverunt sanctum nomen tuum, annumera utique et me stantibus a dexteris tuis, et conserva me a manibus improborum istorum hominum, quia circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me : et nunc, Domine, conforta me, ut viriliter stem propter nomen sanctum tuum, et superem inimicos tuos, Domine, E quia benedictum nomen tuum in secula, amen; finita oratione, Sanctus constitutus est sanus, laudans et magnificans Deum. Qui vero erant in carcere, ubi viderunt sic se habentem, obstupuerunt, dicentes : Magnus Deus Christianorum!

convaluisse dicitur.

9 Μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ ἄρχων, καὶ ἐπὶ τούτοις θυμωθεὶς, ἐξαγαγὼν αὐτὸν τῆς φυλακῆς, καὶ ἐκέλευσεν ὀγκίνους σιδηροὺς βληθῆναι κατὰ τοῦ ὤμου τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ χειρὸς, καὶ κρεμασθῆναι ἀπὸ ὥρας τρίτης ἕως ἐννατῆς. καὶ τούτου γενομένου, ὁ ἅγιος προσηύχετο λέγων· εὐχαριστῶ σοι δέσποτα τῶν ἁπάντων, ὅτι ἐνεδείξαν εἰς ἐμὲ κακὰ πολλὰ, ἀλλ' οὐκ ἠδυνήθην κυριευθῆναι ὑπ' αὐτῶν· ἀλλὰ ἀνάδειξον εἰς ἐμὲ, κύριε ὁ θεός μου, τὸ ῥηθὸν τὸ φάσκον, τὸ, αἰσχυνέστωσαν πάντες οἱ ἐχθροί μου, ὅταν τῷ ὀνόματί σου τῷ ἁγίῳ ἐπεκαλεσάμην, ὅτι δεδοξασμένον ὑπάρχει εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. καταχθεὶς οὖν ἐκεῖθεν, τῇ φυλακῇ πάλιν κατησφαλίσθη. ἡ οὖν μήτηρ, καὶ ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ ἐπεθύμουν αὐτὸν θεάσασθαι, ἀλλ' ἐφοβοῦντο τὸν βασιλέα.

9 Intelligens hæc præses, eaque de causa iratus, eum custodia exegit, jussitque ungulas ferreas injici in humerum manus ejus dexteræ, eumque suspendi ab hora tertia usque ad nonam. Huc etiam peractu, Sanctus oravit, dicens : Gratias tibi ago, Domine universorum, quoniam ostenderunt in me mala multa, sed non potui ab eis subjici. At exhibe in me, Domine Deus meus, verbum, quod dicit : Confundantur omnes inimici mei, quoniam nomen sanctum tuum invocavi, quod benedictum est in secula, amen. Itaque inde depositus, rursum custodiæ redditur. Mater vero ejus et soror desiderabant eum videre; sed timebant regem.

mirantibus cunctis

ANNOTATA.

a *De impietate et crudelitate Saporis II, qui* Σαβώριος *et* Σαβώρης *græce nominatur, ex variis* C *scriptoribus constat, uti et de immanitate hujus persecutionis. Consuli potest Sozomenus lib. 2, cap. 9 et sequentibus. Post multa cap. 14, generatim ita loquitur :* Hujusmodi cruciatuum innumerabiles F species ad summam crudelitatem excogitatæ sunt a Persis. Verum, ut summatim dicam, cunctos ejus temporis martyres tam viros quam mulieres, quorum nomina recoluntur, sedecies mille numero fuisse perhibent : reliquæ vero multitudinis ne numerum quidem iniri posse; atque idcirco difficile admodum visum esse Persis, Syris atque Edessenis, qui hac in re plurimum studii atque operæ posuerunt, horum nomina percensere.

b *Titulus Dadæ græce est,* τῆς συγκλήτου πρῶτος, *in Menæis* πρῶτος τοῦ παλατίου, *uti in inferius in actis vocatur a delatoribus. Vocem autem* σύγκλητος *pro senatu fuisse usitatam, indubitatum est, et liquet etiam ex voce inde derivata* συγκλητικός senator. *Potest tamen sumi pro præcipuo regis administro, et* πρῶτος τοῦ παλατίου *recte exponetur eodem sensu. Quare necesse non est, ut dicamus,* Dadam *fuisse præsidem senatus Persici; sed magni nominis fuisse senatorem, qui ad præcipuas dignitates et præfecturas adhibebatur. Consanguineum vero regis fuisse, consentiunt Menæa et Synaxarium Constantinopolitanum. Addunt Menæa, regi fuisse dilectissimum, et de ejus præfectura mox asserenda consonant. Conversio tanti viri non est improbabilis, cum et alii ex proceribus Saporis martyrio coronati legantur.*

c *Illud* οὐκ, non, *quod signis inclusi, in apographo nostro non est expressum, sed omnino videtur necessarium. Si quis tamen sensum aliter possit reddere perfectum, abjiciat voculam ex conjectura interpositam, qua solum indicare volui, aliquid videri mendosum.*

d Ὑμῶν vestra *legitur in apographo :* ἡμῶν nostra *scribi etiam potuit. At id incertum, ideoque nihil mutatum.*

e *Jam præcedens* Dadæ *responsum non est admodum verisimile. At hoc factum* Gobdelaæ *attributum, quod a tentatione Dei ægre distingueretur, multo etiam improbabilius, et plane fabulosum videtur. In Menæis idem quoque narratur, sed inde res non fit verisimilis.*

f *Dictum*

A. Anonymo.

f *Dictum est ironicum insultantis, si vere dictum : sed magis credo, dicta omnia ab auctore excogitata esse, quam a Sanctis prolata.*

g *De angeli apparitione hac nihil in Menæis : de subita tamen sanatione et vinculorum solutione consentiunt : sed illa toties repetuntur, ut omnes illæ sanationes, ipsaque tormentorum multitudo, fiant incerta et parum probabilia.*

h *Vox Græca medio ævo significat sublatum morte violenta per sententiam judicum, sive morte punitum aut puniri dignum.*

i *Legendum forte,* ἀπὸ τῶν χειρῶν. *At dedi, quod est in apographo, et idem inferius recurrit, ut potius illa videantur sequioris ævi, qualia his actis plura sunt.*

CAPUT II.

Alia Gobdelaæ tormenta : mors omnium.

Post tormenta Gobdelaas a sorore aquam accipit :

Rex autem Filii reminiscens, dicit Gargalo : Vivitne etiamnum Gobdelaas magus? Ille vero dicit : Utique vivit, rex. Multa quidem illi gravia intuli ; adhuc tamen vivit. Tunc rex jussit detrahi cutem capitis ejus a cervice, et vultum ejus velari *a* : rursusque in carcerem conjectus, laudabat Deum. Postridie intelligens, quod viveret, unguibus pedum manuumque ejus radicitus evulsis, quatuorque e dentibus molaribus, conjecit eum in custodiam, tamquam canem mortuum, præcipiens, ut ei aqua *b* non daretur, et nullus ad eum ingrederetur. Accessit tamen soror ejus Casdia, et aquam eidem dedit, dicens carceris custodi : Si factum cuipiam palam feceris, capite minueris.

Et convertit Gargalum magum, qui pro fide moritur.

11 Et hactenus quidem sanationes obtinuit Sanctus, quod anima ejus necdum confirmata esset et solida *c*. Confirmata vero fide ipsius, sanationes quidem non impetravit *d*, sed patientiam et alacritatem in cruciatibus consecutus, et Spiritus sancti illuminatione vulneratus, lætabatur, aliosque sanabat : et omnes de his mirabantur. Alius autem Gargalus *e* magus, qui in carcere erat ob multa, quæ patraverat, scelera, cum videret tolerantiam Sancti, factaque ab eo in carcere gloriosa ac magnifica, accidit ad pedes Sancti, dicens : Obsecro te, Serve Dei, memento mei coram Christo tuo. Sanctus dixit : Crede in eum, et eripiet te ex omnibus malis *f* tuis. Gargalus dixit : Credo, Domine Jesu Christe, et adhæsit sancto Gobdelaæ. Sequenti die præses pro tribunali sedens, ambos accersivit, Gargalumque vinculis solutum jussit virgis cædi. Cæsus autem, prospiciensque in cælum, Domine Jesu Christe (inquiebat) propter nomen tuum patior, confirma me; et hæc dicens tradidit spiritum suum Domino.

Alia Sancti, cujus cruore aliqui sanantur, supplicia :

12 At sanctum Gobdelaam conjecit in cochleam arte fabrili compositam, ambosque pedes ejus derasit, et deinde globo ferreo ignito axillas ipsius combussit. Eo autem in carcerem reducto, vincti per cruorem carnium ipsius sanabantur ex plagis, quas flagris cæsi tolerabant; sed et infirmi *g* ingressi sanitatem consequebantur, et laudabant Deum. Hæc audiens præses non credebat. Post quindecim porro dies educens ipsum de custodia, incolumem invenit perfectæque sanitati restitutum, vidensque obstupuit. Et imponens lebeti picem et sulphur, eumque vehementer reddens effervescentem, huic Sanctum injici jussit. Sanctus vero in cælum aspiciens et orans lebeti injectus est, et continuo disruptus est lebes. Eo autem disrupto, Sanctus egressus est sanus, et ne vel minimum ab eo læsus. Tunc, consilio cum suis habito, Gargalus Sanctum in

Ὑπομνησθεὶς δὲ ὁ βασιλεὺς λέγει τῷ Γαργάλῳ· ἔτι ζῇ Τοβδελαᾶς ὁ γόης δὲ; ὁ δὲ λέγει, ναὶ βασιλεῦ ζῇ. Πολλὰ μὲν ἐνεδειξάμην δεινὰ εἰς αὐτὸν, ἔτι δὲ ζῇ. τότε ὁ βασιλεὺς προσέταξεν ἀποσπασθῆναι τὸ δέρμα τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ τένοντος, καὶ καλύψαι τὴν ὄψιν αὐτοῦ· καὶ πάλιν ῥιφεὶς ἐν τῇ φυλακῇ ἐδόξαζε τὸν Θεόν. Τῇ δὲ ἑξῆς μαθὼν ὅτι ζῇ, τοὺς ὄνυχας τῶν ποδῶν αὐτοῦ καὶ τῶν χειρῶν ἐκριζώσας, καὶ τοὺς τέσσαρας γομφίους μύλωνας τῶν ὀδόντων αὐτοῦ ἔῤῥιψεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ, ὡς κύνα τεθνηκότα, προστάξας μὴ δωθῆναι αὐτῷ ὕδωρ, μή τέ τινα εἰσελθεῖν πρὸς αὐτόν. Ἀφήκετο δὲ ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ Κασδία, καὶ δέδωκεν αὐτῷ ὕδωρ, εἰπὼν * τῷ δεσμοφύλακι, ὡς ἐκφορόν τινι τὸ γεγονὸς κατάθῃς, τὴν κεφαλήν σου ἀποτμηθήσει.

* εἰποῦσα.

11 Καὶ μέχρι μὲν τούτου τὰς ἰάσεις ἐδέχετο, ὡς μὴ πεπαγιωμένης οὔσης καὶ στερεᾶς τῆς τούτου ψυχῆς. Παγιωθείσης δὲ τῆς πίστεως αὐτῷ, ἰάσεις μὲν οὐκ ἐδέχετο, ὑπομονὴν δὲ καὶ προθυμίαν ἐν ταῖς βασάνοις λαμβάνων, τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιλάμψει τετραυματισμένος ὢν, ἔχαιρε, καὶ ἑτέρους ἐθεράπευε, καὶ πάντες ἐθαύμαζον ἐπὶ τούτοις. Γάργαλος δέ τις ἕτερος μάγος, ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὢν χάριν πολλῶν κακῶν, ὧν διαπράξατο, ἰδὼν τὴν ὑπομονὴν τοῦ ἁγίου, καὶ τὰ παρ' αὐτοῦ γινομένα ἔνδοξα καὶ ἐξαίσια ἐν τῇ φυλακῇ, ἔπεσεν παρὰ τοὺς πόδας τοῦ ἁγίου λέγων· δέομαί σου δοῦλε τοῦ Θεοῦ, μνήσθητί μου ἐνώπιον τοῦ Χριστοῦ σου. ὁ ἅγιος εἶπε· πίστευσον εἰς αὐτὸν, καὶ ῥύσεταί σε ἐκ πάντων τῶν κακῶν σου. Γάργαλος εἶπε· πιστεύω κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, καὶ προσεκολλήθη τῷ ἁγίῳ Τοβδελαᾷ. καὶ τῇ ἑξῆς καθίσας ὁ ἄρχων, παρέστησεν ἀμφοτέρους, καὶ ἀποδύσας τὸν Γάργαλον προσέταξεν τύπτεσθαι ῥάβδοις. Τυπτόμενος δὲ καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀποβλέπων, κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἔλεγεν, διὰ τὸ ὄνομά σου πάσχω, ἐνδυνάμωσόν με· καὶ ταῦτα εἰπὼν, παρέθετο τὴν ψυχὴν τῷ κυρίῳ.

12 Τὸν δὲ ἅγιον Γοβδελαᾶν βαλλὼν εἰς τεκτονικὸν κοχλίαν, κατέξεσε τοὺς δύο πόδας αὐτοῦ· εἶθ' οὕτως σφαίρας σιδηρᾶς ἐκπυρώσης, τὰς μασχάλας αὐτοῦ κατέκαυσεν. Ἐμβληθέντος δὲ αὐτοῦ εἰς τὴν φυλακὴν, οἱ δέσμιοι χριόμενοι ἐκ τῶν ἰχώρων τῶν σαρκῶν αὐτοῦ, ἐθεραπεύοντο ἐκ τῶν πληγῶν, ὧν ἐπεφέροντο ἀπὸ τῶν μαστίγων, ἀλλὰ καὶ ἀσθενεῖς εἰσερχόμενοι, ῥῶσιν ἐλάμβανον, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεόν· ἀκούων δὲ ὁ ἄρχων ἠπίστει. Καὶ μετὰ πέντε καὶ δέκα ἡμέρας ἐξαγαγὼν αὐτὸν τῆς φυλακῆς, εὗρεν αὐτὸν ὁλόκληρον σῶον καὶ ὑγιῆ, καὶ ἰδὼν ἐξέστη. Καὶ βαλλὼν εἰς λέβητα πίσσαν, καὶ θέαφον, καὶ ἐκκαύσας αὐτὸν σφοδρῶς, προσέταξεν ἐν τούτῳ βληθῆναι τὸν ἅγιον. Ὁ δὲ ἅγιος ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ προευξάμενος ἀνεβλήθη τῷ λέβητι, καὶ εὐθὺς διεῤῥάγη ὁ λέβης. Τούτου δὲ διαῤῥαγέντος, ἐξῆθεν ὁ ἅγιος οὐγιὴς, μηδ' ὁποσοῦν μολυνθεὶς ὑπ' αὐτοῦ. Τότε σκεψάμενος μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ ὁ Γάργαλος, ἐσταύρωσε τὸν ἅγιον ἐπὶ ξύλου γυμνὸν, καὶ προσέταξεν τοξεύειν

αὐτὸν

A αὐτόν ἐπί ὥρας ἱκανάς πλῆθος λαοῦ. Καί ἦν ἰδεῖν πρᾶγμα παράδοξον· οὐ μόνον γάρ ὁ ἅγιος ἔμεινεν ἄθρωτος, ἀλλ' ὅτι καί τά πεμπόμενα κατά τοῦ ἁγίου βέλη ἀπηώρυντο, τοῦτο πάντας ἐξέπληξεν. Ὁ δέ τήν βουλήν ταύτην δούς τείνας τό τόξον αὐτοῦ κατά τοῦ ἁγίου, τοῦ βέλους ἀνακάμψαντος, καί τόν δεξιόν αὐτοῦ ὀφθαλμόν τρώσαντος, δεδήλωκεν αὖθις πάντα τῷ βασιλεῖ.

13 Ὁ δέ βασιλεύς ἀπέστειλεν Κασδίαν τήν θυγατέρα αὐτοῦ κατηχῆσαι τόν ἀδελφόν αὐτῆς Γοβδελαᾶν. ἡ δέ ἀπελθοῦσα, καί ὑπό τοῦ ἀδελφοῦ κατηχηθεῖσα, γέγονε Χριστιανή. Ἀκούσας δέ ταῦτα ὁ βασιλεύς, ἐθυμώθη λίαν, προσέταξεν ταθῆναι αὐτήν θυγατέρα αὐτοῦ, καί ῥάβδοις τύπτεσθαι· τοῦ γενομένου, ἔῤῥιψαν αὐτήν ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ. Ἡ δέ Κασδία κειμένη ὑπό τῶν προενεχθέντων αὐτῆς μαστίγων, φησί, πρός τόν ἅγιον Γοβδελαᾶν τόν ἀδελφόν αὐτῆς· εὖξαι ὑπέρ ἐμοῦ, ὅτι οὐ δύναμαι ὑπηνεγκεῖν τάς βασάνους. ὁ δέ ἅγιος ἔφη πρός αὐτήν· ἡ πρός Χριστόν σου πίστις μή ἐκλείπῃ, καί ἐλπίζω, εἰς ὅν ἐπίστευσας, οὐ μή σου ἅψηται βάσανος,
B οὐδ' οὐ μή πειρασθῇς ἑτέρας βασάνους. Ἐξαγαγών δέ ὁ βασιλεύς τόν ἅγιον Γοβδελαᾶν, προσέταξεν δεθῆναι τάς χεῖρας αὐτοῦ καί τούς πόδας, καί ῥιφῆναι εἰς τούς κήλωνας ἵππους, ὅπως καταπατηθῇ ὑπ' αὐτῶν δι' ὅλης τῆς νυκτός. Οὗ γενομένου, ἀβλαβής διεφυλάχθη, εὐλογῶν τόν θεόν· πρωΐας δέ εὑρεθείς σῶος, καί τῶν δεσμῶν λελυμένος ἐξέστησεν ἅπαντας.

14 Τότε σούβλας πυρώσας κατέκαυσεν αὐτόν· εἶθ' οὕτως κελεύει δύο ὀγκίνους βληθῆναι εἰς τάς χεῖρας αὐτοῦ, καί κρεμασθῆναι αὐτόν εἰς δύο ξύλα ἀπέχοντα ἀλλήλων ἀπό πηχῶν τριῶν. Ὁ δέ ἅγιος καί ἀπηωρημένος ὤν προσηύχετο. Δαδιής δέ καί Αὐδιής χριστιανοί ὄντες, παρειστήκεισαν ἀπογράφοντες τά τοῦ μάρτυρος ἆθλα ἐν τῷ κρυπτῷ διά τόν φόβον τοῦ βασιλέως. Πρός οὕς ὁ ἅγιος, εἰ δυνατά, εἶπεν, ἡμῖν, ἀγάγετε μοι πρός τό βαπτισθῆναι με, ὕδωρ καί ἔλαιον. Εἰ δέ ἀδυνάτως ἔχετε, εὔξασθε ἵνα τοῦτο γένηται. Ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ, ἰδού νέφος μικρόν, ὡς ὁμίχλη, ἐπισκιάσαν τόν ἅγιον, ἐξέχει κατά τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἔλαιον καί ὕδωρ κρουνηδόν, καί ἄκουσε φωνῆς λεγούσης αὐτῷ· ἰδού ἐδέξω τό βάπτισμα δοῦλε τοῦ Χριστοῦ Γοβδελαᾶ· καί ἐφάνη τό πρόσωπον αὐτοῦ ὡς φῶς, καί εὐωδία γέγονεν οὐκ ὀλίγη. Ἀκούσας δέ ὁ ἅγιος τῆς φωνῆς ἐν τῷ ξύλῳ κρεμάμενος, προσηύξατο πρός τόν θεόν, εὐχαριστῶν αὐτόν καί λέγων· εὐχαριστῶ σοι δέσποτα κύριε Ἰησοῦ
C Χριστέ ὁ θεός μου ὅτι κατηξίωσας με ἐξ ἀναξίου γενέσθαι με ἄξιον, καί οὐ συνεχώρησας με ἀπολέσθαι μετά ἀσεβῶν τήν ψυχήν μου, καί μετά ἀνδρῶν αἱμάτων τήν ζωήν μου, ὧν ἐν χερσίν αἱ ἀνομίαι· ἡ δεξία αὐτῶν ἐπλήσθη αἱμάτων ἁγίων, τῶν ὑπό τοῦ ἁγίου ὀνόματος σου ἐκχυνομένων· ἐμου δέ δέσποτα διά τήν ἀκακίαν μου ἀντελάβου, καί ἐλέησόν με κύριε, ὅτι ὁ πούς μου ἔστη ἐν εὐθύτητι, καί λύτρωσαί με ἀπό τῆς κακουργίας αὐτῶν, ὅπως δοξάζω τό ὄνομά σου τό ἅγιον, ὅτι εὐλογημένον ὑπάρχει εἰς τούς αἰῶνας. Ἀμήν.

15 Μετά δέ ταῦτα καταγαγών αὐτόν ὁ Γάργαλος ἀπό τοῦ ξύλου, καί ἐκ τῆς τιμωρίας τῆς πικρᾶς ταύτης, ὀξύνας καλάμους προσέταξεν ἅπαν τό σῶμα αὐτοῦ κατακεντηθῆναι ἀπό ποδῶν μέχρι καί κεφαλῆς· ὁ δέ ἅγιος μάρτυς ἐπί πολλαῖς ταῖς ὥραις κατακεντούμενος, καί πρός Χριστόν εὐχόμενος, παρέδωκε τήν ψυχήν τῷ κυρίῳ. Τότε ὁ Γάργαλος, λύσας τούς δύο πόδας αὐτοῦ ἐν σπαρτίῳ, καί ἵπποις ἀγρίοις τοῦτον προσδήσας, ἐκέλευσεν γυμνόν τό σῶμα ἕλκεσθαι εἰς τραχεῖς καί πετρώδεις τόπους, ὅπως αἱ σάρκες αὐτοῦ πᾶσαι διαμερισθῶσι τῇ γῇ καί ταῖς πέτραις, ὅ καί γέγονε. Τό δέ περιλειφθέν σῶμα κόψας εἰς τρεῖς μερίδας διεσκόρπησεν· ὅπερ λαβόντες μετά πολλοῦ τιμήματος οἱ προ-

crucem egit, nudum, multoque præcepit populo, ut ipsum per plures horas sagittis impeterent. Videre autem erat admirandum spectaculum. Non solum enim Sanctus manebat illæsus; sed quod etiam emissa adversus Sanctum jacula in alto manerent suspensa, id omnes reddebat attonitos. Qui vero istud concilium dederat, cum tetendisset arcum suum contra Sanctum, reversa sagitta et oculum ejus dexterum vulnerante, omnia rursum regi manifestavit. *A. Anonymo.*

13 At rex misit Casdiam, filiam suam, ut fratrem suum Gobdelaam admoneret. Illa vero, ubi accesserat, instituta a fratre suo, facta est Christiana. Postquam id rex intellexit, vehementer excanduit, jussitque ipsam filiam suam extendi et virgis cædi: quo facto, conjecerunt eam in carcerem. At Casdia, ab illatis sibi plagis prostrata jacens, dixit sancto Gobdelaæ, fratri suo: Ora pro me, quia nequeo tolerare cruciatus *h*. Sanctus ei respondit: Fides tua in Christum non deficiat: et spero de eo, in quem credidisti, fore ut non tangat te cruciatus, neque alio tenteris tormento. Rex autem educens sanctum Gobdelaam, jussit vinciri manus ejus pedesque, eumque projici inter equos fervidos, ut ab iis tota nocte conculcaretur. Quo facto, illæsus est servatus, laudans Deum. Mane autem inventus incolumis, et vinculis solutus, stuporem injecit omnibus.

Casdia ab eo conversa, et jussu regis graviter cæsa

h

E

14 Tunc subulis candentibus illum adussit: deinde jubet duos uncinos in manus ejus injici, cumque suspendi inter duo ligna, tribus cubitis invicem distantia. At Sanctus, etiam pendens in aere, orabat. Verum Dadies et Audies *i*, cum essent Christiani, aderant scribentes Martyris certamina, occulte tamen *k* propter metum regis. Ad quos Sanctus: Si in vestro est potestate, afferte ad me aquam et oleum ad baptizandum me; *l* si id nullo modo fieri potest, orate, ut fiat. Hæc eo dicente, ecce nubes parva, velut nebula, obumbravit Sanctum, effuditque in caput ejus oleum et aquam torrentis instar, audivitque vocem sibi dicentem: Ecce, accepisti baptismum, serve Dei Gobdelaa: et apparuit facies ejus lucida, factaque est non modica boni odoris fragrantia. Ubi autem Sanctus, in ligno pendens, vocem audivit, oravit Deum, gratias agens et dicens: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Deus meus, quia ex indigno dignum me facere dignatus es, et non sivisti cum impiis perire animam meam et cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est sanguine Sanctorum, effuso pro nomine sancto tuo. Me autem, Domine, propter innocentiam meam *m* suscepisti: et miserere mei, Domine, quia pes meus stetit in directo: et eripe me a malitia eorum, ut laudem nomen sanctum tuum, quod benedictum est in secula. Amen.

Baptismus Gobdelaæ.

i

k

l

F

m

15 Post hæc dimisit eum Gargalus e ligno, et ab acerbo illo supplicio, jussitque acutis calamis totum corpus ejus transfigi a pedibus usque ad caput. At sanctus Martyr, multis horis transfixus *n*, precesque suas ad Christum dirigens, spiritum suum Domino tradidit. Tunc Gargalus, pedibus ejus colligatis per funem; funemque alligans equis indomitis, jussit nudum corpus raptari in loca aspera et petrosa, ut omnes ejus carnes dividerentur per terram et petras: quod et sanctum est. Reliquum vero corpus, in tres scissum partes, dispersit. Hoc autem multo cum honore colligentes, duo ante memorati viri Christiani, qui

ejusdem mors et sepultura.

n

A Anonymo. qui et presbyteri erant, Audies et Dadies, et Armaxadaas diaconus, tulerunt in domos suas, aromatisque conditum sindonique involutum sollicite deposuerunt.

Dadæ cædes, et obitus Casdiæ. o

*16 At sanctum Dadam, gloriosissimum regis consanguineum, multifariis prius multimodisque afflictum cruciatibus membratim *o* dissecuerunt: et sic ipse quoque in Christo vitam finivit. Quidam autem Dei amantes dissectas ejus reliquias collegerunt, easque sepelientes, in insigni deposuerunt loco. Psallentibus autem per totam noctem tribus modo laudatis viris, circa noctis medium inter ipsos inventus etiam est Sanctus Gobdelaas, dixitque: Confortamini in Domino, fratres, et state firmi ac immobiles: et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi vero, ut ipsum viderunt, gavisi sunt. Ille vero eis rursum dixit: Det vobis Dominus mercedem eorum, quæ fecistis. Et inclinans caput suum, Dadiæ dicit: Sume cornu olei, et sacrosanctum Christi corpus, et vade in ambitum *p* regis, et unge Casdiam sororem meam, ac tribue ei sanctum Christi corpus. Sacerdos, acceptis istis, ivit, et ubi ad januam pervenit, vidit angelum Domini, et cum eo B ingressus est. Baptizavit eam, corpusque immaculatum eidem dedit: tum dixit, Vade et dormi usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. Et continuo angelus, ablata ejus anima *q*, rediit in cælum.

Reginæ dolor de morte filii et filiæ.

17 Illucescente porro tempore matutino, ingressa Sanctæ mater, illamque inveniens defunctam, abiit ad regem, eique dixit: Deinceps, rex, gaude tu et regnum tuum. Filius meus, tamquam obstrictus criminibus mille homicidarum, mille modis cruciatus per te a vita avulsus est. Et ecce nunc et Filia mea, velut homicidii rea, a proprio patre suo nuda, latronis instar, spinosis virgis lacerata, etiam occubuit. Hæc audiens inhumanus ille et sanguinolentus rex, nullo modo ad commiserationem flexus est. Regina vero, sumptis multimodis unguentis, iisque grati odoris, unxit corpus sanctæ Filiæ suæ, regiaque involutum purpura, deposuit cum dissectis reliquiis Gobdelaæ filii sui *r*, ad gloriam boni et clementis Dei nostri. Horum omniumque Sanctorum patrociniis Deus misereatur nostri, nosque conser-C vet: quoniam ei debetur omnis gloria, honor et adoratio, cum Patre principii experte, et cum perfecte sancto, bono et vivificante ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

μνημονευθέντες δύο χριστιανοὶ ἄνδρες, οἱ καὶ πρεσβύ- D τεροι ὄντες, αὐδιῆς καὶ δαδιῆς, καὶ ἀρμαξαδαᾶς διάκονος, ἀπήγαγον ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν, καὶ ἀρώμασι καὶ συνδόνι εἰλήσαντες κατέθεντο ἐπιμελῶς.

18 Τὸν δὲ ἅγιον Δάδαν, τὸν ἐνδοξότατον συγγενῆ τοῦ βασιλέως, πρότερον πολυειδῶς καὶ πολυτρόπως βασανίσαντες, μεληδὸν κατέκοψαν· καὶ οὕτω καὶ αὐτὸς ἐν κυρίῳ ἐτελειώθη. Φιλόθεοι δὲ τινὲς λαβόντες καὶ αὐτοῦ τὰ κοπέντα λείψανα, καὶ κηδεύσαντες κατέθεντο ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ. Ψάλλοντες * δὲ τῶν προμνημονευθέντων τριῶν ἀνδρῶν δι' ὅλης τῆς νυκτὸς, περὶ τὸ μεσονύκτιον εὑρέθη καὶ ὁ ἅγιος Γοβδελαᾶς ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ φησίν· ἐνδυναμοῦσθε ἐν κυρίῳ ἀδελφοί, καὶ στῆτε ἑδραῖοι καὶ ἀκίνητοι, καὶ μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῆς ἀποκτανόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. οἱ δὲ ὡς εἶδον αὐτὸν ἐχάρησαν. εἶπε δὲ αὐτοῖς πάλιν· δώη ὑμῖν κύριος τὸν μισθὸν ὑπὲρ ὧν πεποιήκατε· καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ πρὸς Δαδιῆ λέγει· λάβε τὸ κέρας τοῦ ἐλαίου, καὶ τοῦ ἁγίου σώματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸν περίβολον τοῦ βασιλέως, καὶ χρίσον Κασδίαν τὴν ἀδελφήν μου, καὶ μεταδὸς αὐτῇ καὶ τοῦ ἁγίου σώματος τοῦ Χριστοῦ, ὁ δὲ λαβὼν αὐτὰ ἐπορεύθη, καὶ ὡς κατέλαβε τὴν θύραν, ὤφθη αὐτῷ ἄγγελος κυρίου, καὶ εἰσῆλθεν σὺν αὐτῷ, καὶ βαπτίσας αὐτὴν ὁ ἱερεὺς, καὶ μεταδοὺς τοῦ ἀχράντου σώματος, E εἶπεν αὐτῇ· ἄπελθε καὶ κάθευδε ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ εὐθέως λαβὼν ὁ ἄγγελος τὴν ψυχὴν αὐτῆς, ἀνῆλθεν εἰς οὐρανούς.

* ψαλλόντων

17 Πρωΐας δὲ γενομένης, εἰσελθοῦσα ἡ μήτηρ αὐτῆς, καὶ εὑροῦσα ταύτην τελειωθεῖσαν, ἀπῆλθε πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ λέγει αὐτῷ· τοῦ λοιποῦ βασιλεῦ χαῖρε σὺ καὶ ἡ βασιλεία σου· ὁ υἱός μου, ὡς μυρίων φονευτῶν ἐγκλήματα μόνος ἔχων, μυριοπλασίως τιμωρηθεὶς τοῦ ζῆν παρὰ σοῦ ἀπηλλάγη. Καὶ ἰδοὺ νῦν καὶ ἡ θυγάτηρ μου, ὡς φονεύτρια παρὰ τοῦ ἰδίου πατρὸς γυμνή, ὥσπερ ληστής, ταῖς ἀκανθώδεσι ῥάβδοις καταξανθεῖσα, καὶ αὐτὴ ἐτελεύτησεν. ταῦτα ἀκούσας ὁ ἀνάλγητος ἐκεῖνος, καὶ αἱμοβόρος βασιλεὺς οὐδ' ὁποσοῦ ἐκάμφθη πρὸς οἶκτον. Ἡ δὲ βασίλισσα λαβοῦσα ἀρώματα πολυειδῆ καὶ ἡδύπνοα, ἐμύρισε τὸ λείψανον τῆς ἁγίας αὐτῆς θυγατρὸς, καὶ πορφύρᾳ βασιλικῇ εἰλήσασα κατέθετο μετὰ τῶν κατακοπέντων λειψάνων Γοβδελαᾶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, εἰς δόξαν τοῦ ἀγαθοῦ καὶ φιλανθρώπου θεοῦ ἡμῶν. Ὧν ταῖς πρεσβείαις καὶ πάντων τῶν ἁγίων ἐλεῆσαι καὶ σῶσαι ἡμᾶς ὁ θεός, ὅτι αὐτῶν πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτοῦ F πατρί, καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Forte innuere voluit auctor, ipsa cute detracta opertum fuisse Sancti vultum. Id tamen clare non dicit, ideoque non expressi.*

b *Voluit cruentus tortor, si Actis standum, siti accelerare mortem Sancti, et forte etiam subtractione omnis alimenti.*

c *Si sanationes toties repetitæ omnino pro veris haberentur, non esset danda hæc ratio, quod fides* Gobdelaæ *necdum esset firma, sed res potius referenda ad occulta judicia Dei, qui electos suos diversis modis ad salutem perduci.*

d *Aut hoc falsum est, aut vera non sunt, quæ inferius sequentur de Sancto rursum post tormenta sanato.*

e *Hic* Gargalus, *eo saltem nomine, non memorantur in Menæis aut Menologiis. At, ut observavi in Commentario num.* 7, *ibi* Casdoas *aliquis occurrit, isque fortasse a* Gargalo *hic memorato non distinguendus. In elogio tamen Menæorum* Gargalus *etiam nominatur, et omnia ibidem iisdem plane verbis referuntur de conversione et morte* Gargali. *In titulo aliis Martyribus* Gargalum *non annumeravi, nec* Casdoam *virum, quia, sive unus sit sive duo, de his nihil est in Martyrologio Romano, nec mihi de cultu constat.*

f *Id recte, si de peccatis intelligitur.*

g *Non satis probabile videtur, attenta sævitia persecutionis sub Sapore, infirmos ad carcerem portatos*

A *tos aut ibi admissos fuisse ad impetrandam sanitatem. Quapropter timendum est, ne omnes istæ sanationes sint fictitiæ.*

h *Non est improbabile, ita prima vice cæsam esse* Casdiam, *ut puella tenera ex nimio dolore et virium defectu deinde sit mortua, quemadmodum innuunt Menæorum versiculi. At de ejus morte inferius agetur prorsus improbabiliter.*

i *Nomina hoc loco in apographo sic erant corrupta, ut legeretur :* Δάδας δὲ καὶ αὐτῆς. *At ea restitui ex Menæis, eaque correctio certa est, cum inferius in ipso apographo recte scripta recurrant. Sic pauca alia, quæ clare erant mendosa in apographo, ex Menæis correxi.*

k *Poterant revera martyribus assistere, et domi occulte scribere, quæ quotidie viderant. Si constaret, id revera fecisse Dadiem et Audiem, qui inferius presbyteri dicuntur, et quibus ibi additur* Armaxadaas, *diaconus ; multum auctoritatis actis accederet. Verum, cum auctor non pauca improbabilia actis inseruerit iis etiam locis, ubi illorum præsentia asseritur, quisnos faciet certos de præsentia istorum presbyterorum, gestisque per eos scriptis? Si tamen præsentes fuerint Dadies et Audies, et de certaminibus martyrum nostrorum quædam scripserint, non erit illorum scriptum, quod præ manibus habemus ; sed fabulator quidam recentior figmenta sua veris immiscuerit.*

l *Non est verisimile, sanctum tunc demum petiisse baptismum. Etenim, si vera sint acta, non defuerunt antea occasiones, aut in carcere, aut etiam antequam carceri erat injectus, in quibus facilius baptizari potuisset, quam baptizari poterat inter duo ligna in aere pendulus. Verisimile rursum non est, presbyteros pendenti adstitisse tam prope, ut cum ipsis loqui posset, aliis non audientibus. Quapropter confictum id videtur, ut novo miraculo daretur occasio, Sanctusque divinitus accepisse baptismum fingeretur.* E

m *Tota hæc oratio imperitissime conficta est, cum multa* Gobdelaæ *non congruant ; nec ullo modo*
B *fiat probabile, tam multa ex sacris Scripturis Homini nuperrime converso nota fuisse, aut tam incongrue ab eodem fuisse usurpata. Quare hæc cum ipso baptismo pro fabulis habenda.*

n *In hoc mortis genere, quod in versiculis Menæorum etiam asseritur, nihil est improbabile. In sepultura quoque nihil esset, nisi deinde diversa de ea assereret auctor.*

o *De hæc cæde consentiunt rursum Menæorum versiculi. Quod de multifariis* Dadæ *cruciatibus ait auctor, verum esse potest. At nullum ex iis retulit, verisimiliter quia solum* Gobdelaam *improbabili cruciatuum multitudine ornandum aut onerandum sibi delegerat.*

p *Locum designari in palatio regio, certum fit ex eo, quod regina mane locum illum ingressa dicitur. Per* περίβολον *tamen non fit certum, qualis sit palatii locus, cum vox illa varie admodum exponatur. Erat fortasse in ambitu palatii cubiculum* Casdiæ. *Auctor quidem antea ipsam reliquit in carcere : sed in aliis quoque sibi contradicit : et potuit* Casdia *ex carcere ad cubiculum suum transferri.*

q *Apparitionem* Gobdelaæ, *et angeli cum Dadie ad* Casdiam *ingredientis, et post baptismum continuo ejus animam auferentis, merito inter ea recensemus, quæ fidem non merentur. Potuit tamen* Casdia *baptismum accipere : sed non credimus id factum modo hic relato.*

r *Jam num.* 15 *relata est sepultura* Gobdelaæ, *cujus corpus a presbyteris et diacono collectum dicitur, et ab eis depositum. Id occulte fieri debuit propter acerbitatem persecutionis. Itaque rursum hic secum pugnat auctor, dum a regina, quæ nullibi conversa legitur,* Casdia *cum reliquiis* Gobdelaæ *dicitur deposita. Excogitata similiter ab auctore crediderim, quæ ait reginam ad regem dixisse. Ceterum, ut unico verbo judicium meum de his Actis edicam, pleraque in iis suspecta sunt propter fabellas iisdem inspersas.*

C F

DE S. FRATERNO EPISCOPO

AUTISSIODORI

IN BURGUNDIÆ DUCATU

I. P.

CONMENTARIUS

Memoria in Fastis sacris; aliorum de Sancto asserta, corporis translatio et visitatio; cultus.

POST MEDIUM SECULUM V. *Nomen ejus insertum antiquis Martyrologiis; Rabani item*

S*ancti hujus, sicut plurium alibi aliorum Autissiodorensium antistitum, ab antiquario Gallico adjecta est hodie memoria apographis Hieronymianis majoribus apud Florentinium ; Lucensi :* Autisiodoro depositio Fraterni episcopi : *Antverpiensi similiter, omissa tamen voce* depositio, *Corbeiensi denique ut Lucensi ; sed apud Acherium additur* et confessoris, *nec diverso charactere distinguitur ab aliis annuntiatio. Lucensi quoque consonant Richenoviense apud nos tom. VII Junii et Martyrologium Rabani. Accedunt triæ Bedæ venerabilis Anctaria tom. II Martii. Atrebatense, Tornacense ac Lætiense, et Kalendarium Corbeiense apud Martenium ; sed in his nomini* Sancti *titulus præfigitur. Annuntiatur præterea in Hieronymianis contractis apud nos : in Augustano:* Aut Fraterni ; *in Labbeano :* Antissiodori Fraterni ; *idem legitur in Gellonensi, at nomen civitatis sic exprimitur :* Autisiodero. *Simile unius alteriusve litteræ discrimen occurrit hinc inde in præmissis et mox subjungendis sacris Fastis, verum levius est, quam ut operæ pretium sit de ea ad singulas annuntiationes monere lectorem.*

Insertus

AUCTORE J. P.

ac Usuardi puro : an etiam Adonis

2 *Insertus quoque est Sanctus Martyrologio Usuardi genuino, ut sequitur :* Autissiodori, sancti Fraterni episcopi et confessoris : *an etiam Adonis puro, non ita convenit apud omnes. Mosander hanc ut Adoni propriam, id est, non notatam asterisco, annuntiationem profert :* Eodem die Antisiodoro sancti Fraterni episcopi. *Rosweidus in appendicem rejecit; Sollerius in observatione ad Usuardum, dubium videri ait, an Sanctus vere ab Adone notatus sit: Dominicus Georgius in hodierna adnotatione ad illustratum Rosweidi Adonem.* Rosweidus, *inquit,* in appendicem Adonianam Fraternum conjecit ; quod minime facturum fuisse putamus, si Hieronymiana, Usuardum et alios antiquiores inspexisset. Sollerius tamen adhuc dubitare maluit, an ab Adone recenseatur. *Non satis percipio vim ratiocinii. Statuamus enim a Rosweido inspecta fuisse Hieronymi, Rabani, Usuardi, aliaque vetusta Martyrologia. An secundum hæc adornanda fuit Adonis editio; an vero secundum Adoniana apographa? Quid enim? Hoc ipso die in omnibus Hieronymianis hic pro* Fraterno *allatis, in aliis item antiquis Fastis, in Rabani martyrologio et in Usuardo puro annuntiatur in Thracia classis Sanctorum, his verbis in Usuardo :* In Thracia natalis sanctorum Eutici, Plauti et Ercleæ. *Roget modo quis, cur Dominicus Georgius ea vel simili annuntiatione non illustraverit Adonem suum. Ridiculum, inquiet; quia in Adonis exemplaribus inventa non est. Idem, servata proportione, reponere poterit Rosweidus quærenti, cur ex pura Adone expunctus sit* Fraternus ; *nempe quia in purioribus Adonis exemplaribus inventus non est : atque eadem de causa respondebit Sollerius, dubium videri, an ab Adone notatus fuerit.*

non certo probatur.

3 *Sed concedamus vere ab Adone notatum fuisse. Utra annuntiatio casu isto pro genuina Adonis erit admittenda? An ea, quam ex suis codicibus dedit Mosander his verbis :* Eodem die Antisiodoro sancti Fraterni episcopi : *an illa, quam ex suis produxit Georgius, verbis istis conceptam :* Autissiodoro, passio sancti Fraterni episcopi, quem tradunt eodem die interemptum, quo et episcopum ordinatum. Cujus corpus in ecclesia sancti Germani reverenter habetur humatum? *Liceat hic nobis adhibere ipsiusmet Georgii superius allatum ratiocinium, dicereque, quod, dum tale dubium occurrit, ea nobis præferenda videntur, quæ magis conformis est antiquioribus ac melioribus Martyrologiis et Fastis sacris. Atqui Mosandriana vix non eadem est, quæ legitur in plerisque Hieronymianis, in Rabani, in Usuardi et aliis Martyrologiis ac Kalendariis hactenus citatis; Georgiana omnibus est plane dissona; igitur illam huic præferendam arbitramur, et si qua Rosweidianus Ado correctione egeat, Mosandrianam ipsi restituendam annuntiationem.*

Fons unde annuntiatio, quæ pro Adoniana ab truditur,

4 *Profert quidem Georgius Martyrologium Fuldense et Historiam episcoporum Autissiodorensium, cum quibus congruit annuntiatio seu elogium* S. Fraterni *ex ipsius codicibus desumptum : verum auctoritas laudatæ Historiæ, continuis fere, ut nôrunt eruditi, erroribus conspersæ leve, ne dicam nullum, pondus habet, comparata cum allegatis antiquis Fastis. Fuldense Martyrologium posterius est Adone et Usuardo, ut ipse fatetur Georgius in præfatione aiens :* Ex specimine characteris et aliis conjecturis codex scriptus videtur sæculo Christi decimo. Nullius auctoris nomen præfert, sed ex his, quæ habet interdum, Fuldensi monasterio usui olim fuisse, satis intelligitur. Epitome quædam Adonis et Usuardi appellari potest : nam passim Sanctorum elogia, ab iis accepta, contracte exhibet. *Fieri passim, quod asseritur verbis posterioribus, non inficior. At certe in S. Fraterno nec Usuardinum elogium, nec Adonianum Mosandri, nec ipsum, quod pro Adoniano affert Georgius, contracte exhibet. De duobus prioribus dubium esse nequit; de tertio judicabit lector, dum Fuldense elogium non minus diffusum conspiciet, quam Georgii Adonianum, num. præcedente recitatum : En Fuldense :* Autissiodoro, passio sancti Fraterni episcopi : quem ferunt, eodem die esse interemptum, quo et antistitem ordinatum ; sepultusque est in basilica sancti Germani episcopi et confessoris.

verisimiliter profluxerit, assignatur.

5 *Equidem ut sinceræ animi sensum expromam, credo, elogia ista non magis ab Adone quam ab Usuardo profecta esse, sed utrumque profluxisse vel ex Historia episcoporum Autissiodorensium nono seculo conscripta, vel ex Vita et Miraculis S. Germani seculo eodem collectis per Hericum monachum. Hæc legimus in historia apud Labbeum tom. 1 Bibliothecæ Mss. pag. 417 :* Fraternus sedit die 1. Is, qua die a fidelibus episcopus est ordinatus, a barbaris est martyrio coronatus die 3 Kalendarum Octobrium, et sepultus est in ecclesia beatissimi Germani : fuit autem civitas sine episcopo dies 6. *Ista in Herico apud nos tom. VII Julii, pag. 280 :* Sanctus Fraternus pontificali cathedræ subrogatur. Is, qua die a fidelibus episcopus ordinatus, a barbaris est martyrio coronatus die 3 Kalendarum Octobrium. *Ex iisdem fontibus promanasse existimo elogium, quod apud Martenium tom. VI Collectionis amplissimæ col. 722 legitur in martyrologio Autissiodorensi, quodque, omissa tamen clausula de loco sepulturæ iisdem verbis conceptum est, quibus in codicibus Georgii Ætatem dicti martyrologii non assignavit editor, verum de ea, quantum ad præsens institutum sufficit indicari potest ex laterculo diei 15 Decembris, cui inserta sunt sequentia :* Autissiodoro dedicatio altaris ecclesiæ superioris, a Calixto Papa II facta. *Rexit enim Ecclesiam memoratus Pontifex seculo duodecimo.*

Non audemus certo asserere Sancto martyrium :

6 *Ex recitatis martyrologorum aliorumque veterum textibus jam nunc lector advertit, opinor, aliam hic oriri quæstionem, eamque longe difficiliorem ; an scilicet Sanctus* martyris *titulo ornandus sit, an vero tantum* confessoris. *Martyrem quippe faciunt auctores Historiæ episcoporum, Hericus et quæ ex istis fontibus profluxerunt Opuscula, codices Dominici Georgii, Martyrologium Autissiodorense, ejusdemque ecclesiæ tabulæ, quas citat Cardinalis Baronius in Romano hodierno, ubi cum aliis non paucis, Gallis præsertim, scriptoribus* Martyrem *appellat. Contra confessorem arguit nuda vox* depositio *in Rabani Martyrologio, in Bedæ Auctariis, atque in multis Hieronymianis apographis; et in Corbeiensi quidem apud Acherium additur ipse titulus* et Confessoris. *Confessor quoque signanter appellatur, in Martyrologio Franco-Gallico, in Florario nostro Ms., et in aliis recentiorum Fastis, sicut in Usuardo puro. Horum autem auctoritas tantum valet, ut, licet Sancto nostro nolim absolute negare palmam martyrii; eam tamen ipsi certo asserere non ausim, proindeque ab omni titulo abstineam.*

opinio qua evertuntur pene omnia

7 *Sed neque id moleste ferre poterunt Autissiodorenses; si considerent, quam D. le Beuf, civitatis suæ historicus et ecclesiæ cathedralis canonicus, parum deferat auctoritati tabularum ac monu-*

AUCTORE J. P.

A *numentorum, quibus nititur traditio martyrii sancti Antistitis. Dum quippe auctor ille reliqua omnia, quæ de S.* Fraterno *in iis adstruuntur, convellit aut vocat in dubium. In tabulis seu catalogis episcoporum atque horum Historia statuitur* Fraternus *nonus ordine episcopus : ipse septimo loco recenset. In iisdem ac reliquis monumentis, atque in laudato Herici opere dicitur* S. Fraternus *S. Alodii post decennalem sedis vacationem proximus successor; ipse decessorem facit et proxime suffirit S. Germano, atque ab hujus obitu, id est, ab anno 448 illius episcopatum orditur, ita ut sedes vacaverit paucis tantum diebus. Eadem denique monumenta tradunt,* S. Fraternum *eodem die interemptum fuisse, quo ordinatum, ita ut unico tantum die sederit : ipse ejus episcopatui triennium concedit, ordinatumque dicit die 26 Septembris anni 448, interemptum vero anno 451 die similiter Septembris 26; quamvis in dictis monumentis Sancti obitus expresse signetur tertio Kalendas Octobris, ac die eodem memoretur in Fastis antiquissimis. Sic laudatus auctor nihil, quod ab aliis asseritur, intactum relinquit præter sancti Antistitis martyrium. Imo forte ideo omnia ipsorum dicta*
B *sus deque evertit, ut unum eorumdem de martyrio assertum reddat verisimilius : ut, inquam, martyrium connectat cum Attilæ Hunnorum regis in Gallias irruptione, quæ contigit sub annum* 451.

ab aliis tradita, et Sanctus idem statuitur

8 *Verum etiamsi certo constaret de martyrio, nondum equidem eo recurrerem : quandoquidem post annos circiter viginti Visigothi, Gallias ingressi, catholicos diu multumque vexaverint sub rege Eurico. Ab illis enim* S. Fraternus *S. Alodio, juxta ipsum D. le Beuf non post annum 472 defuncto, substitutus episcopus occidi potuisset. Fuit tamen etiam alia ratio, cur laudatus le Beuf* S. Fraternum *in serie episcoporum præponeret S. Alodio, passumque diceret circa annum 451. Eam ut plenius intelligas, juverit audivisse, quæ narrat memoratus* [num. 5 *Hericus monachus tom. VII Julii pag.* 261] : Saturnus erat beatissimi Germani presbyter et discipulus, vita æque probatissimus, ac sancto viro familiariter dilectus. Is, eo (*S. Germano*) profecto in Italiam, jussu ejus in urbe (*Autissiodorensi*) permanserat. Qua ergo nocte gloriosus Domini confessor et pontifex (*Germanus*) apud Ravennam felici migravit excessu, is quoque
C Autissiodori positus, splendidissimum ejus transitum, angelo pandente, cognovit, ac divina instructus revelatione, populis denuntiavit; quorum ingenti secum coacta multitudine, ad Alpium juga properat; ubi excipiunt Galliæ patronum proprium, tanto ejus funeri propensius servituræ, quanto potiorem famulatum reverentiæ mixtus amoris extorquebat affectus. Hoc non commentitium est, nec vena ingenii prurientis extusum : verum vetustissimo insculptum marmori, scriptura quoque ipsa antiquitatis repræsentante characterem, apud nos hodieque servatur. *In Historia episcoporum Autissiodorensium, cui Hericum allaborasse, alibi diximus, eadem quoad rem referuntur de Saturno apud Labbeum tom. I Bibliothecæ mss. pag.* 417; *ubi dicitur* jussu ac vice *S. Germani in Italiam proficiscentis remansisse Autissiodori; unde expressius colligitur, ipsi curam diœcesis fuisse commissam.*

cum Saturno S. Germani discipulo,

9 *Hæc moverunt dominum le Beuf, ut* S. Fraternum *eumdem esse putaret cum hoc Saturno, et ad episcopales infulas provectum ante S. Alodium. Nullam esse causam ait, cur arbitremur, alium a clero populoque Autissiodorensi datum fuisse S. Germano successorem, quam Saturnum presbyterum : id longe probabilius esse, quam quod e monasterio, ubi pœnitentiæ operibus vacabat, eductus fuerit Alogius abbas, quem Constantius, coævus S. Germani biographus, obiisse tradit, dum abbatis munere fungeretur : sic in Saturno uniri dignitatem proximi successoris S. Germani cum gloria martyrii : alias concipi non posse, quomodo vir tantæ præstantiæ, ac presbyter tantopere in amoribus et existimatione apud S. Germanum, tam generali involutus fuisset oblivioni, ut nec ipsiusmet, nec sepulturæ ejus ulla superesset memoria. Addit denique, ut conjectura sua admittatur, conducere etiam similitudinem nominis* Saturni *et* Fraterni; *atque eo magis, quia Saturnus, suscepto episcopatu, nomen suum, quod gentilitatem præferebat, non nihil immutare potuerit.*

10 *Conjectura placere poterit aliis; at me non adeo movet, ut seriem episcoporum contra omnia Autissiodorensium documenta intervendam rear.* nobis non videtur *Quod de Alogio abbate assumit D. le Beuf paucis discussum est tomo præcedente ad diem 28 in S. Alodio, quem a memorato Alogio distinctum opinamur, et, juxta fidem documentorum, S. Germani in episcopatu successorem proximum. Quod autem deinde infert de oblivione Saturni, nec no-* E *vum nec mirum videbitur consideranti, quot Sancti inscripti sint antiquis etiam peculiarium ecclesiarum Fastis sacris, de quibus præter nomen nihil innotuit. Sed neque ea oblivio in Saturno usque adeo generalis est. Meminerunt sane ejus cum elogio laudati Hericus et auctores Historiæ; præterea in codice nostro Autissiodorensi ms., quem citamus passim sub nomine D. Georgii Viole pag. 27 datur catalogus discipulorum S. Germani atque eos inter recensetur* S. Saturnus confessor. *Dein ibidem pag. 72 in serie sanctorum Martyrum et Confessorum Autissiodorensium, in singulos anni menses distributa, excerptaque ex ejusdem ecclesiæ Martyrologio, ista leguntur gallice :* 31 (*Julii*) S. Saturnus presbyter, discipulus S. Germani, pari die defunctus, quo magister, secundum Martyrologium S. Germani : qui administravit Autissiodorensem ecclesiam; dum Ravennam profectus est S. Germanus.

11 *Sed quod hic de die emortuali adstruitur,* admittenda. *denuo adversatur conjecturæ D. le Beuf; quoniam si idem foret cum* Fraterno *Saturnus, defunctus is esset, ut statuit ipse le Beuf, die 26 Septembris, vel, ut cum antiquis martyrologiis tradunt alii,* F *die 29. Diem ultimum Saturni videntur ignorasse Castellanus et Saussayus; hic enim ipsum retulit in appendice inter sanctos extra ordinem vagantes, ille vero in Aemeros suos cum titulo tantum* venerabilis, *monens tamen* sanctum *nuncupari in antiquo martyrologio S. Germani, in quo exstat catalogus sanctorum ea in ecclesia sepultorum, sicque non omnino obscure indigitans locum sepulturæ. Nos de Saturno egimus tom. VII Julii in Prætermissis diei 31 et opinionem D. le Beuf huc examinandam remisimus, quod cum jam sufficienter præstitum existimemus, absolvimus ea, quæ restant de* S. Fraterno.

Memoria Sancti ad dies alios,

12 *Etiam de eo prælibata sunt nonnulla tom. II Julii in Prætermissis diei 9. Causam dederunt codices Hieronymiani Lucensis et Corbeiensis apud Florentinium, ubi hæc dicto die datur annuntiatio :* Et Fraterni episcopi. *Nullo charactere distinxit etiam editor ab aliis eodem laterculo contentis; quod solet, dum judicat esse ex additis ab antiquario gallico; ex iis tamen esse,* facile putarem, *inquit in annotatis,* præsertim quod in Antisiodorensibus Beatis addendis frequens est. *Verum cum episcopalis*

AUCTORE J. P.

episcopalis urbs non exprimatur, dubium saltem est, an sit noster Antissiodorensis episcopus, et certe nobis incompertum, cur memoretur isto die. Castellanus et nostrum credidit, et diem hunc ei proprium censere visus est. Nam cum 9 Julii sic eum annuntiasset : Autissiodori obitus (*gallice* décès) S. Fraterni episcopi : *denuo ipsum memorans absque obitus aut depositionis nota die 29 Septembris, signavit in margine, acceptum esse ex 9 Julii et titulum* Martyris *uncis inclusit. Causam non invenio. Saussayus in supplemento die tertio Kalendas Novembris sanctum quoque celebrat his verbis :* Autissiodori relevatio sancti Fraterni episcopi et martyris, hoc ipso pontificalis ordinationis suæ die diademate pretioso martyrii decorati. *Verisimillime præ oculis habuit documentum aliquod Antissiodorense : etenim ad dictum diem 30 Octobris memoria Sancti etiam occurrit in laudato superius ms. codice D. Viole pag. 265 ; sed hic gallice dicitur* révélation *id est,* Revelatio *seu potius* Patefactio corporis S. Fraterni, 9 episcopi Autissiodorensis : *omissis reliquis, quæ addit Saussayus non satis dilucide ac distincte ; nam qui solum istum locum consuleret, autumare posset, Sanctum hoc*

B *ipso die, puta 30 Octobris, quo elevatum vel ostensum ac repertum fuit ejus corpus, etiam olim esse ordinatum ac defunctum. Porro de qua elevatione seu inventione hic sermo fiat, edocere lectorem non valemus.*

corporis translatio sæculo 9, et tumuli

13 *Corpus Sancti, ut suadent nobis antiqua documenta, defuncti 29 Septembris, post medium sæculum quintum, ut late notandum censuimus, sepultum fuit in ecclesia S. Germani et circa annum 865 inde cum aliis Sanctorum corporibus translatum in novas cryptas, uti narrat Hericus, auctor synchronus et verisimiliter testis oculatus, in miraculis S. Germani tom. VII Julii pag. 280. Cryptas illas et quiescentes in iis reliquias anno 1636 inspexit illustrissimus Dominicus Seguier, tunc episcopus Autissiodorensis, et in instrumento super inspectione confecto pluribusque laudato tom. VII Septembris pag.* 101, *tradidit sequentia :* Paulo inferius in eisdem cryptis tria sepulchra nobis ostensa sunt, in quorum uno, quod medium est, corpus silicio indutum, superposito habitu monachali, quem nunc Frocum vocant, eadem omnino forma, qua nostro tempore patres reformatos ejusdem cœnobii indutos vidimus. In aliis vero sepulchris duobus, ossa nullo ordine

C congesta, nec forte omnia continebantur. Eodem etiam loco supra sepulchrum, quod S. Censurii esse existimant, elevatum, capsam sive arcam ligneam, sera et claviolis obseratam, jam vero vetustate consumptam et in frusta collabantem, in qua multæ diversorum sanctorum reliquiæ separatis sericis habebantur inclusæ, aspeximus. Jam vero arculam cum ipsis ossibus sive reliquiis in fenestram proximam, donec de aptiori decentiorique loco provideretur, deferri curavimus. Præfatis autem tribus sepulchris contiguæ erant quatuor imagines totidem episcoporum in parietibus depictæ cum suis inscriptionibus. D

inspectio facta

14 *Subduntur mox inscriptiones quatuor latine et gallice : prima S. Abbonis, primum abbatis postea episcopi; secunda* S. Fraterni, *tertia* S. *Censurii et quarta S. Gregorii episcoporum, quas demum sequitur quinto inscriptio, inventa juxta memoratam capsam ligneam. Latet hic aliqua obscuritas, cum tria tantum sepulcra memorentur, quatuor tamen episcoporum effigies cum totidem inscriptionibus : sed ei dissipandæ facem prætulerat ante idem illustrissimus, ubi narraverat, a se inspectum fuisse mense Novembri anno 1634 sepulcrum, quo contineri censebantur ossa S. Gregorii episcopi, quodque id temporis exstabat in ipsa ecclesia cœnobii. D. Georgius Viole, ad cujus, tum ibidem Prioris, preces visitationem instituerat episcopus, rem plene ac dilucide exponit in codice nostro ms. pag. 43, inquiens :* Quiescit (*S. Gregorius*) in sepulcro lapideo in ecclesia S. Germani inter chorum et partem priorem templi interioris, quo ex cryptis ejusdem ecclesiæ successu temporis transportatus est ; quamquam ejus epitaphium iisdem in cryptis juxta (*epitaphium*) S. Fraterni reperiatur hujusmodi tenore : ✠ Hic requiescit etc. E

sæculo 17. cultus hodiernus.

15. *Hinc facile concipis, primum sepulcrum, in quo repertum est corpus cum monachali habitu, pertinere ab Abbonem abbatem episcopum, quod etiam diserte asserit Viole pag. 95, et ex aliis duobus, in quibus ossa nullo ordine congesta erant, alterum esse S. Censurii, alterum* S. Fraterni. *De hoc idem D. Viole ista refert pag.* 31 : Apertum fuit ejus (*S. Fraterni*) sepulcrum anno 1636 per illustrissimum Dom. Seguier, cui deinde ac D. Petro Seguier, Franciæ cancellario, illius fratri data fuere duo ejusdem Sancti ossa mediocris magnitudinis, ipsis oblata Parisiis per eum, qui scribit, secundum mandatum Superiorum altiorum : verum oportet, jam tum aliis data fuisse pluribus ; quandoquidem multa desint in sepulcro. *Epitaphium autem, quod effigiei* S. Fraterni *adscriptum erat, sic refert illustrissimus Seguier :* Hic requiescit sanctæ recordationis Fraternus episcopus et martyr, qui eadem die, qua ordinatus est epus, a barbaris martyrio coronatus est die tertia calendarum Octobrium. *Procul dubio nec effigies nec epitaphium antiquiora sunt sæculo nono, quo ex ecclesia in cryptas delatæ sunt sacræ reliquiæ, proindeque nec majoris auctoritatis, quam* F *testimonia auctorum Historiæ episcoporum Antissiodorensium et Herici monachi, quorum dictis plane consonat epitaphium. Ceterum in Breviario Autissiodorensi præscribitur in primis Vesperis et Laudibus Officii S. Michaelis archangeli commemoratio de* S. Fraterno *ex Communi unius martyris;* verum abbatia honoratiorem ipsi cultum reservans, festivitatem ejus differt in 2 Octobris. primam diem non impeditam, *ut gallice scribit D. Viole pag. 37, nihil ultra adjiciens unde quo speciatim ritu fiat, edoceamur.*

AUCTORE G. S.

DE S. URSIONE CONFESSORE,

FORTE MONACHO

IN DIOECESI GALLIARUM TRECENSI.

SYLLOGE CRITICA.

ANTE MED. SEC. VI. *Annuntiatur hodie*

Sanctum Ursionem, *de quo præter cultum incerta sunt omnia, ad hunc diem* 29 *Septembris aliquot Martyrologia commemorant. Florarium nostrum ms. Sanctorum sic habet :* Trecas, beati Ursionis, monachi et conf. *Consonat Martyrologii Usuardini aucti editio Lubeco-Coloniensis* (*nam genuinum de eo tacet*) *todidem verbis inquiens :* Trecas beati Ursionis, monachi et confessoris. *Eadem prorsus etiam recitant Grevenus et Molanus, præterquam quod hic titulum* confessoris, *ille* Beati *omiserit. Hisce consentientes eodem die dicunt, Maurolycus,* Trechas, beati Ursionis monachi; *Felicius,* Ursio monachus Trecis; *Philippus Ferrarius in catalogo generali,* Trecis in Gallia, S. Ursionis monachi; *et Castellanus in Martyrologio universali :* Insulis in diœcesi Trecensi, S. Ursio monachus. *Nicolaus Des-Guerrois infra laudandus insuper duo particularium locorum, videlicet S. Lupi et monasterii S. Petri Cellensis apud Trecas, martyrologia nominat, in quibus eodem die legi asserit :* Trecas B. Ursionis confessoris, *sine addita voce* monachi.

in aliquot Martyrologiis,

2 *Prolixius eumdem laudavit Saussayus in Martyrologio Gallicano, ubi ait :* Eodem die (29 *Septembris*) Trecis depositio S. Ursionis, qui S. Aventini, diaconi S. Lupi ac eremitæ discipulus, iisdem, quibus ille, progressibus divinorum placitorum palæstram emensus, perfectionis Evangelicæ conscensu culmine, ad cœlestis patriæ pervenit fruitionem. In ipsa Insula, in qua segregatus a seculo Deo puro famulatu servierat, sepultus fuit, iisque resplenduit sanctitatis testimoniis, ut ibidem basilica subinde ad memoriæ ejus venerationem fuerit constructa, in qua S. Maurelius munitu sanctorum pontificum Hilarii, Martini et Aniani, B. Leoni abbati apparentium, promovit * (ut tanti hospitis consortio sic in solo, ut in polo, frueretur) post felicem migrationem tumulari. *Hæc Saussayus, quæ infra examinanda venient.*

* promeruit

etiam in Benedictinis.

3 *Benedictini quoque ipsum, velut sui ordinis alumnum, Martyrologiis suis hoc eodem die inscripserunt. Hugo Menardus eum sic annuntiat :* In Trecensi territorio deposito S. Ursionis, monachi et confessoris. *Arnoldus Wion lib.* 3 *Ligni vitæ :* Trecas, S. Ursionis monachi; *Benedictus Dorgain in Kalendario :* S. Ursionis monachi; *Mabillonius in Indice Sanctorum primi sæculi Benedictini :* Ursio monachus Trecensis memoratur in vita S. Leonis abbatis Mentuniacensis : *ac denique Gabriel Bucelinus eumdem in Menologio Benedictino sic celebrat :* In territorio Trecensi depositio S. Ursionis, monachi et confessoris. Fuit hic discipulus S. Lupi abbatis, postea Trecensis episcopi, monachus Insulensis monasterii, ob cujus egregiam sanctitatem ejus postea loci ecclesia honori ejusdem et nomini consecrata est. *Hactenus Martyrologia de S. Ursione ad diem* 29 *Septembris, qui ejusdem in cœlis natalis, seu emortualis fuisse perhibetur. Insuper in aliquibus etiam ad* 29 *Aprilis ejusdem simul ac S. Maurelii translatio signata est, quæ inferius num.* 17 *recitabo.*

Acta illius vel numquam exstiterunt.

4 *Neminem legi, qui diceret, acta S.* Ursionis *a se visa, aut exstare alicubi; neque ea usquam reperit Nicolaus Camuzatus, qui Promptuarium sacrarum antiquitatum diœcesis Tricassinæ ex diligenter conquisitis monumentis vulgavit. Ex allatis martyrologis Wionius ad annuntiationem suam hæc tantum annotavit :* De eo Molanus loco citato (*in auctariis Usuardi*) Maurolycus et Felici hac die. De reliquo mihi obscurus. *Menardus lib.* 1 *Observationum,* Ejus, *inquit*, mentio fit hac die in calendario monasterii Cellensis juxta Trecas, et in vita S. Leonis abbatis apud Nicolaum Camuzatinm in Miscellaneis historicis. *Ferrarius dumtaxat* Molanum in Additionibus, Maurolycum et Martyrol. monast. *laudat : Bucelinus elogium suum a se contextum ait* ex Nicolao Camuzato, Hugone Menardo, et div. Gall. script. ; *denique Mabillonius solam vitam S. Leonis citat. Ita alii ex aliis accepere et ex suis conjecturis auxerunt vel imminuerunt.*

vel perierunt, nihilominus Des-Guerrois

5 *Nicolaus Des-Guerrois, supra jam nominatus, in Historia ecclesiastica Tricassina anno* 1637 *gallice edita, ad annum Christi* 545, *cap.* 6, *asserit quidem, ejusdem historiam deperditam esse, sed nullo indicio probat, umquam exstitisse. Nihilominus ibidem a cap.* 5 *quoddam ejusdem elogium concinnavit, quod, præcisis ad propositum nostrum non facientibus, ex gallico latinum hic recensebo, ut studiosus lector inde colligat, quæ sit, vel saltem fuerit sæculo elapso, Trecensium de hoc* S. Ursione *opinio.* Sciendum est, vicum, qui duabus leucis in Meridiem Trecis distat, Insulas (*gallice Istes*) appellatum, antiquitus sat celebrem in diœcesi nostra locum fuisse, quod secessus esset vel seminarium multorum Sanctorum, qui in eo vixerunt obieruntque, vel quorum reliquiæ ibidem depositæ fuerunt, inde postmodum alio translatæ. Nunc Insulæ marchionatus titulo gaudent... Est ibi opulentum parochi sacerdotium et admodum vetustus prioratus, a S. Roberto, fundatore monasteriorum Molismensis et Cistercieinsis, erectus, visiturque hodiedum claustrum prioratus ac domus monasticæ.

ejusdem elogium texuit in quo

6 Plus quingentis annis ante S. Robertum fuit ibidem vetus monasterium, sub invocatione B. Mariæ Virginis Deo sacrum (sicut hodieque est) ac præter ecclesiam, quæ superest, altera erat, S. Ursionis, unius ex antiquissimis ejusdem loci Sanctis, nomine dedicata, quæ non amplius exstat, vel si exstet, in illa continetur, quæ nunc visitur; qua de re nihil certi potest affirmari. Hujus vetusti monasterii initia ac velut incunabula ignorantur,

AUCTORE C. S.

ignorantur, quia monumenta exciderunt; verumtamen ex vita S. Leonis et aliquot Martyrologiis eruitur, insignes Sanctos istud incoluisse, nimirum S. Ursionem, S. Maurelium, venerabilem Aventinum abbatem, sanctumque Fidolum, qui huic in ejusdem loci regimen successit. Itaque S. Ursio fuit unus e primis sanctis presbyteris, superioribus vel abbatibus hujus sacræ domus, qui probos clericos monachosve ad serviendum Deo in eadem congregavit: erat quippe locus iste plenus devotionis, frequentis orationis, profundi silentii, eminentis sanctitatis, ac denique instar parvi paradisi terrestris, in quo tamen nullus serpens inveniebatur.

monachatus illius, tempus et habitatio asseruntur.

7 Omnes in Spiritu sancto conjuncti vivebant regulariter; cumque ad primorum Christianorum instar non nisi unum omnium cor et anima esset, eorumdem regula (præter præcepta S. Ursionis, cui cuncti accurate parebant) erat Evangelium (nam regula S. Benedicti nondum cognita aut nata fuerat...) exemplar vero vitæ Jesus Christus... Horum studium erat multum jejunare, injurias semper ferre patienter, mundum mundique delicias spernere, psalmis precibusque pene perpetuo insistere, omnibus, quantum poterant, bene facere; denique vitam non humanam, sed angelicam ducere, ad normam veterum monachorum S. Pachomii aliorumque consimilium. In hac domo pater erat S. Ursio, cujus discipuli erant Sancti ! in eadem obiit, totque eluxit miraculis, ut Deus illum voce populi canonizaverit... Eodem in loco pulchra condita fuit ecclesia, ejusdem nomine Deo dicata, non longe a rivo Osa, in illo clivo, in quo Insulensis ecclesia visitur. In eadem religiosa domo multa Sanctorum corpora quieverunt,... ac inter cetera corpus S. Ursionis, cujus festum colitur die 29 Septembris, qui eidem emortualis fuisse creditur, sed annus ignoratur. Exstat de illo honorifica mentio in vita S. Leonis. *Hactenus laudatus Des-Guerrois, cujus asserta nunc examinabo.*

quæ etiam aliis placuerunt.

8 *Nicolaus Camuzatus in Promptuario Tricassino fol. 357 ex Breviario ecclesiæ Trecensis edidit brevem vitam S. Leonis, Mentuniacensis in eadem diœcesi abbatis, quam et Henschenius noster ad diem 25 Maji, quo S. Leo colitur, in Opere nostro recudit, et Des-Guerrois mox laudavit. In hac dicuntur SS. Hilarius, Martinus et Anianus apparuisse S. Leoni, eidemque beatum obitum instare prædixisse, et ut certam fidem facerent, addidisse:* Itaque, ut certius credas, vir venerabilis Maurelius presbyter ab hac luce præreptus migravit ad Dominum. Igitur secunda die primo diluculo surge, et cum ea laude, qua dignus est, sepeli eum IN BASILICA S. URSIONIS. Tunc ille pergens velociter, quod ei dictum fuerat, fideliter adimplevit, et reversus est ad monasterium suum. *De S. Maurelio presbytero etiam egit Henschenius noster ad 21 Maji, et tum hunc, quam S. Leonem Mentuniacensem sæculo 6 floruisse, cum ceteris scriptoribus statuit. Habemus ergo, aliquam* S. Ursionis *ecclesiam sæculo 6 exstitisse in diœcesi Trecensi; sed in quo determinato loco ea exstiterit, quisve fuerit ille* S. Ursio, *inde non liquet.*

Pro his laudatur Vita S. Leonis

9 *Verum ipsemet Camuzatus in Notis ad vitam S. Fidoli adductum ex S. Leonis vita locum paulo aliter recensuit hoc modo:* Vir venerabilis Maurelius ad Insulæ monasterium perfunctus officio, ab hac luce præreptus, migravit ad Dominum *etc. Hæc autem Menardus lib. 1 Observationum in* S. Ursione *sic excipit, atque ita disserit:* Ut probet (*Camuzatus*) cœnobium. S. Aventini, cujus fuit S. Fidolus discipulus, olim fuisse in oppidulo Insula, quod distat duobus leucis ab urbe Trecensi, sic ait: « Roborant subjecta verba, » quæ in S. Leonis historiam inserta sunt: VE» NERABILIS MAURELIUS AD INSULÆ MONASTERIUM PER» FUNCTUS OFFICIO. » Adduntur enim illa: AD INSULÆ MONASTERIUM PERFUNCTUS OFFICIO; quæ videntur a librariis omissa in vita S. Leonis. Sed in Notis Camuzatii videtur deesse vox PRESBYTERI. Itaque, ut sensus perfectus sit, videtur hæc periodus vitæ S. Leonis hoc pacto suæ integritati restituenda: « Itaque, ut certius credas, vir venerabilis Mau» relius, ad Insulæ monasterium perfunctus offi» cio presbyteri, ab hac luce præreptus migravit » ad Dominum *etc.* »

abbatis Mentuniacensis, ex qua habemus quidem

10 Illa autem insula (*ita pergit Menardus*) ferme septem milliarium intervallo ab urbe Trecensi est dissita; in eaque S. Aventinus primus eremiticam vitam duxit; ut patet ex actis ejusdem S. Aventini apud Camuzatium in Promptuario sacrarum antiquitatum ecclesiæ Tricassinæ his verbis: « Exinde removit se sponte sua, et petiit » insulam, septem millibus fere ab urbe Tricas» sium distantem, quam alveus Sequanæ vel Ozæ » fluvius in modum coronæ circumdant. » Ex his efficitur primo, S. Ursionem fuisse monachum in eadem insula; cum prædicti sancti præsules (*Hilarius, Martinus et Anianus*) moneant S. Leonem abbatem, ut sepeliat S. Maurelium, ejusdem insulæ monachum, in ecclesia S. Ursionis, quæ haud dubie erat in eadem insula. Ad quid enim hi Sancti voluissent, eum sepeliri in alieno solo?

aliquam S. Ursionis ecclesiam

11 Deinde, eum fuisse discipulum S. Aventini, vel paulo post eum ibidem vixisse circa tempora Clodovæi primi et filiorum ejus: cum S. Aventinus primus eremita istius fuerit insulæ (*videtur hic verbum* fuerit *voci* insulæ *postponenda*) diaconus S. Lupi episcopi Trecensis; ut refert Gregorius Turonensis cap. 68 de Gloria confessorum; vel S. Cameliani, successoris S. Lupi, ut habetur in Actis S. Aventini: potuit esse utriusque. Tandem post obitum hanc ecclesiam sub ejus patrocinio fuisse dicatam. Hæc sunt, quæ de S. Ursione in tanta antiquitatis obscuritate conjectura assequi potui. *Huc usque Menardus, propter monumentorum inopiam conjecturas formans, quæ quanti faciendæ sint, videamus; nam eadem opera censebimus de assertis Nicolai Des-Guerrois, cui Menardus prœluxit, quique, si aliquot adjuncta excipias, eumdem secutus est. Non constare de loco, in quo S. Aventini monasterium exstitit, videri potest in Opere nostro ad diem 4 Februarii in Commentario prævio ad ejusdem Sancti vitam* § 1; *at certe insula septem milliaribus ab urbe Trecensi distans non locus monasterii, sed solitariæ vitæ illius secessus fuisse dicenda est ex eadem vita, a Menardo laudato et a Bollando ibidem recusa.*

circa medium sæculum exstitisse.

12 *Quod ad S. Maurelium attinet, Henschenius noster de eodem agens ad 21 Maji, ut mox dixi, nihil produxit, quod hunc monachum fuisse probet, ideoque non nisi* presbyterum *appellavit. Sed in quocumque loco exstiterit istud S. Aventini monasterium, ponamus paulisper, huic additam fuisse prædictam* S. Ursionis *ecclesiam, sanctumque Maurelium monachum fuisse, atque in eadem divina ministrasse et sepultum esse. Ponamus, inquam, hæc tamquam certa; indene satis prudenti conjectura licebit colligere,* S. Ursionem, *quia ecclesia hujus nomine dicata ibidem exstabat, etiam*

S. Aventini

AUCTORE C. S.

A S. Aventini discipulum ejusdemque cœnobii monachum fuisse? Liceret id forsitan utcumque, si de S. Ursionis monachatu et ætate aliunde constaret, quorum neutrum certum est. Non ætas; nam hanc tantum repetunt a tempore, quo vixit S. Aventinus, cujus illum discipulum fuisse volunt, non probant. Non etiam monachatus, pro quo nullus satis antiquus testis producitur.

sed non probatur, Ursionem illum in eadem

13 Certe in vita S. Leonis Mantuniacensis nunquam monachus, quam episcopus vel martyr fuisse dicitur. In Martyrologiis S. Lupi Trecensis ac monasterii Cellensis, num. 1 relatis, confessor quidem, at non monachus appellatur; quod in iisdem rursum fit ad diem 29 Aprilis, ubi de sacri corporis translatione agitur, ut suo loco videbimus. Ex ceteris vero martyrologis, quos adduxi, qui S. Ursionem monachum appellarunt, vetustissimus est auctor nostri Florarii ms., quod tantum anno 1486, id est, nongentis, ut minimum, annis absolutum fuit, postquam memoratam S. Ursionis ecclesiam jam exstitisse discimus ex sæpe laudata vita S. Leonis. Quid igitur ex hisce omnibus mihi persuadeat monachatum illius S. Ursionis? Imo quis
B edicat, illam ipsam ecclesiam, si monasterio S. Aventini annexa fuerit, non ab ipsomet Aventino erectam fuisse alteri Sancto, illo antiquiori? Sane sæculo 5 floruit S. Ursus episcopus Trecensis, quem Des-Guerrois ad annum Christi 426, cap. 1 ait, in vetusto Martyrologio ms. monasterii Arremarensis, gallice Moustier-Ramey, Ursionem appellari. Quid si huic fuerit ista ecclesia dedicata?

monachum et S. Aventini discipulum fuisse.

14 Negat id laudatus Des-Guerrois, Ursumque ab Ursione distinguendum monet, quod Ursus episcopus fuerit, nec monachus unquam fuisse legatur; quod centum, ut minimum, annis Ursione antiquior sit; quod non die 29 Septembris, sed 25 Julii obierit: quodque in ceteris omnibus Martyrologiis non Ursio, sed Ursus appelletur. Quid ex hisce statuendum sit, collige ex supra dictis: nec vero mirum esset, si de S. Ursi episcopi monachatu, etsi ille aliquando monachus fuisset, nihil plane sciretur, cum idem Sanctus ex solis Martyrologiis, ex quibus etiam die 25 Julii obiisse creditur, cultuque innotuerit; ceteris ejus gestis omnibus profundo silentio pressis, ut videri potest in Opere nostro ad præcitatum Julii diem, ubi de eodem breviter actum est. Quod ad nomina attinet, Ursus et Ursio tam affinia sunt, ut
C Ursus æque a biographo S. Leonis, quam a martyrologo Arremarensi in Ursionem facile potuerit immutari. Verumtamen pro duobus distinguendis præter qualemcumque nominis varietatem facit primo martyrologorum consensus, Ursum ad diem 25 Julii, Ursionem ad 29 Septembris annuntiantium.

Itaque monachatus illius non satis certus est:

15 Secundo faciunt sacræ reliquiæ: nam S. Ursi episcopi corpus duæ Trecenses ecclesiæ, cathedralis S. Petri, et collegiata S. Stephani, sibi vindicant; corpus vero S. Ursionis nulla, quum sciam, præter ecclesiam monasterii S. Petri Cellensis, de qua sermo infra fiet. Neque etiam omnino repudianda est auctoritas martyrologorum, qui S. Ursionem monachum dixerunt, cum id forsitan ex antiquioribus deprompserint. Accedit, quod, teste Des-Guerrois, in scriptis monasterii S. Petri Cellensis monachus fuisse etiam dicatur: quamquam enim, qualia ista scripta sint, non edicat, inde liquet, S. Ursionem ibi quoque pro monacho haberi; nec apparet ratio, cur sacrum illud corpus, quod Cellenses possident, si Trecensis episcopi esset, monachi potius creditum fuisset. Quam ob rem ego in re tam ancipiti nihil certi statuere ausus, etsi Ursionem ab Urso episcopo distinguendum opiner, monachi tamen titulum eidem tantummodo dubitanter adscripsi.

at certe non fuit Benedictinus

16 Isthæc vero omnia paulo latius tractanda censui, ut studiosus lector dispiciat, quam vacillanti fundamento nitantur, quæ de S. Ursionis monachatu sub S. Aventini magisterio dicuntur, quæque Des-Guerrois de ejusdem in monasterio Insulæ præfectura insuper adjecit. Ceterum idem scriptor negat, ipsum ordini S. Benedicti posse adscribi, quia mortuum statuit, antequam S. Maurus Benedictina instituta anno 543 intulisset in Galliam; quod etiam observavit Cointius tom. I Annalium Francorum ad annum 525, num 13. Et sane verisimillimum est, illum citius obiisse, qui jam inde a tempore mortis S. Leonis Mantuniacensis, id est, circa medium sæculum 6, ecclesiam suo nomini dicatam habebat. Superest, ut de translatione illius ad Cellense S. Petri monasterium loquamur. E

Reliquiæ illius translatæ sunt ad monasterium Cellense,

17 Martyrologium ecclesiæ S. Lupi Trecensis apud laudatum Des-Guerrois die 29 Aprilis translationem illam obscure annuntiat his verbis: Beatorum confessorum Ursionis et Maurelli. Eodem teste, Martyrologium S. Petri Cellense ad eumdem Aprilis diem explicatius ait: Translatio S. Ursionis et Maurellii confessorum, de villa, quæ dicitur Insula, ad monasterium S. Petri, quod vocatur Insula Germanica. Priori consonant Florarium nostrum ms., auctaria Usuardina in editione Lubeco-Coloniensi et apud Grevenum, de quibus Majores nostri ad præcitatum diem inter Prætermissos hæc annotarunt: SS. Ursionis et Maurelii Translatio indicatur in Martyrologio Cellensi S. Petri, Ms. Carmelitico, et in alio Coloniæ et Lubecæ anno 1490 excuso, in Auctario Greveni, et in margine Florarii Ms. Ex his colitur Maurilius 21 Maji, et Ursio 29 Septembris. Monasterium hoc ordinis S. Benedicti sæculo 7 in suburbio urbis Trecensis a S. Frodoberto abbate conditum, varie nominatum legitur; nimirum: Cellense, S. Petri Insulæ Germanicæ, S. Petri de Cella, et Cella S. Bobini, gallice autem, Monstier-la-Celle. Qui de eodem plura volet, adeat ejusdem sancti abbatis gesta, in opere nostro data illustrataque ad diem 8 Januarii, quo colitur. F

sed ignota de causa et tempore ignoto

18 De utriusque sancti reliquiis ibidem asservatis Des-Guerrois paucis sic gallice ait: Horum duorum sanctorum confessorum Ursionis et Maurelii sacræ reliquiæ jacent in theca valde antiqua retro ejusdem ecclesiæ altare princeps, in loculo secundo versus monasterium. At quo tempore, quave occasione illuc allatæ fuerint, nec ipse novit, nec ego aliunde comperi. Plura etiam de S. Ursione non didicerat, qui ibidem gallice subdidit: Quamvis ampliora de hisce Sanctis (Maurelio et Ursione) Acta ad eorumdem memoriam et gloriam Dei conscribere nobis volupe esset, nil præterea dicere possumus, quia eorumdem vitæ exciderunt.

AUCTORE J. C.

DE S. CYRIACO ABBATE CONF.

IN PALÆSTINA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctus vixit in Palæstina cum viris pluribus sanctis. Ejus memoria in Fastis sacris : monumenta quæ edenda. Proponuntur aliqua de peculiaribus in Palæstina Origenistarum erroribus.

Anno Christi DLVI. Pluribus Sanctis contemporaneus S. Cyriacus

Sæculum 5 et 6 *viri plures, qui eremum incoluerunt, sanctitate factisque præclaris illustrarunt. Inter illos facile princeps fuit S. Euthymius, cujus vitam dedimus 20 Januarii, deformem quidem illam, ut meliorem daturi in operis supplemento, ut jam variis locis adpromissum est. Hujus obitus passim figitur anno 473, quo illum fixerat Bollandus. S. Euthymio æqualis S. Gerasimus regionem Jordano vicinam celeberrima constructa laura optimisque munita institutis decoravit, obiitque anno 475, ut conficit Henschenius ad diem 5 Martii, ubi ejus gesta collegit. Ejusdem S. Euthymii synusceta, seu socius in vita ascetica fuit S. Theoctistus, de quo scripsit ad diem 3 hujus mensis Pinius, affigens mortem ejus anno 467. S. Joannes Silentiarius locum inter Sanctos habet, inter quos ad diem 13 Maji ejus gesta illustrata sunt : annum morti assignavit Henschenius 558. De S. Saba 5 Decembris quo sacris Fastis inscriptus est, agetur. Cum celeberrimis hisce sanctisque viris fere omnibus, aliisque, quos mitto, vixit egitque* S. Cyriacus, *quem alii* Quiriacum *appellant, cujusque hodie ex Græcorum maxime Fastis memoria in utraque celebratur ecclesia. Abbatis titulo, Cyrillum vitarum SS. Euthymii, Sabæ et sancti nostri auctorem secutus, appello* Cyriacum, *non quod cœnobio monachisque in illo congregatis hoc stricte titulo præfuerit; sed quia et monachos congregavit, et sub vitæ finem tamquam hegumenorum omnium pater habitus fuit. Itaque in Martyrologio romano sic nuntiatur :* In Palæstina S. Quiriaci anachoritæ.

Hodie sacris Fastis inscriptus :

2 *Baronio inter Latinos præiverat Molanus in additamentis ad Usuardum, ubi iisdem fere verbis Sanctum annuntiat. Nomen ejus, uti jam observari potuit ex græco* Κυριακός Quiriacus, *vulgari satis dialecto invaluit : credidi, simpliciorem expressionem retinendam scribendumque* Cyriacus. *In Menologio Basiliano sequenti celebratur elogio.* Sanctus pater noster Cyriacus anachoreta ex urbe Corintho fuit, Theodosio magno imperatore, filius presbyteri ecclesiæ Corinthi. Hic cum gradu lector esset, amore Christi præ omnibus incensus et saluti suæ consulere volens mundum reliquit, eumque secutus est. Annos enim natus duo de viginti Hierosolyma petiit; ubi, cum ad sancta loca orasset, in lauram Sancti Euthymii se contulit, a quo sacrum monachorum habitum suscipiens, tam acuto ingenio claruit, ut eos, qui cum Origene sentirent, redargueret et facile convinceret. Cum vero multa se exercitatione et vitæ austeritate excoluisset, ac spiritu prophetico ita a Deo afflatus esset, ut vel occultis hominum cogitationibus perspectis, summa eos mansuetudine et comitate admoneret ac emendaret, in profunda senectute ad Dominum, cujus amore ab infantia flagrarat, lætus ac gaudens migravit.

Vitæ ejus editæ Metaphrastæ adscriptæ : primigenia hic excudenda

3 *Hæc omnia ex vita* S. Cyriaci *satis accurate excerpta sunt. Simile fere est elogium, quod in Menæis legitur, ubi ita canitur.*

Σκύλλης ἀμύνῃ Κυριακὲ πικρίᾳ
Γεῦσιν γλυκεῖαν, ἢ θανεῖν κατεκρίθην.
Σκυλλιβόρος δ' ἐνάτῃ μύσεν εἰκάδι Κυριακός.
Scillæ arces Cyriace amaritudine
Dulcem gustum, quo morte damnatus sum.
Scillis pastus obiit vigesima nona Cyriacus.

Ubi alluditur ad prodigium, quo scillas, amarum ex natura sua herbæ genus, dulces reddidit discipulo : quod fusius narratur Capite 2 vitæ numero 8. Elogium porro in Menæis vix quidquam differt ab illo, quod superius ex Menologio Basiliano dedimus. In Moscorum Fastis S. Cyriacum *non invenio. Kalendarium Copticum Jobi Ludolphi Cyriacum quemdam habet ad 5, alias 2 Octobris, sed nuntiatur cum* Hanna matre, *quod nostro non convenit. In extracto nostro Synaxarii, quod Sirmondi dicere solemus, non fit etiam* S. Cyriaci *mentio, quem tamen Anthologia ceterique recentiores hujusmodi Græcorum Fasti unanimes celebrant. Vita ejus jam diu latine versa et a Lipomano edita est recusaque a Surio. Pougetus, qui cum Loppino et Montfaucono præterito sæculo analecta græca edidit, vitæ S. Euthymii subnexuit textum græcum vitæ* S. Cyriaci *ex duobus mss. codicibus Colbertinis, eumque nova interpretatione latina donavit. Non dubitavit Pougetus, quin Metaphrastæ calamum subiisset; quod et in Præfatione et in ipso titulo testatur. Præter correctiones aliquot in vertendo factas vix quidquam differt ab edita a Surio, quæ etiam semper habita fuit pro lucubratione Metaphrastæ. Non apographum Græcum nacti sumus ex bibliotheca Vaticana magis ab utrisque diversum. Notatus est codex. N. 866. Vita omnes characteres præfert genuini Operis auctoris non solum contemporanei, sed talis, qui rebus gestis non paucis adfuerit : pro aliis testes suos synchronos magnæque auctoritatis viros allegat. Denique et se Cyrillum Scythopolitanum esse, aperte declarat. Contemporaneum scriptorem habemus ex hisce num. 11 verbis :* Tunc ego ex monasterio magni Euthymii profectus ad magnam beati Sabæ lauram, ubi abbas erat Joannes episcopus et solitarius, ab hocce missus sum ad hunc abbatem Cyriacum. *Idem sæpe alibi non minus luculenter testatur. Denique et nomen suum promit*

A *prœmit num. 16 scribens:* Nobis (*ad se accedentibus*) summopere gaudens senex (*Cyriacus*) dixit: Eccum concœnobita meus Cyrillus!

auctore Cyrillo Scythopolitano, qui alibi de S. Cyriaco

4 *Eumdem se vitarum SS. Euthymii et Sabæ auctorem esse, variis etiam locis testatur. Initio vitæ sic scribit:* Anachoretæ et anachoretarum omnium optimi Cyriaci in edito de Euthymio magno sermone sæpe mentionem feci. *De utrisque num. 15 sic loquitur:* Præterea ab initio cœpit mihi narrare omnes res gestas sanctorum Euthymii et Sabæ, quas nimirum jam duobus libris editis exposui. *Itaque si vitæ SS. Euthymii et Sabæ, quas ex aliorum relatione fere integras scripsit, auctoritatem magnam a Cyrillo auctore habent, majorem sane habere debet S. Cyriaci vita ab eodem, qui non ex relatione solum, sed pleruque ex oculorum testimonio conscripsit. Unum aut alterum quidem in illa anachronismum animadvertere licet, sed quem potius amanuensium incuriæ oscitantiæque, quam Cyrillo ipsi adscribendum, credo. De hisce fusius paragrapho sequenti. Spes est fore ut, correctis erroribus illis, ex vita hac nostra, de cujus auctore minime dubitandum est, lucis non parum SS. Euthymii et Sabæ gestis, nec* B *non historiæ Origenistarum illorum temporum accedat, circa quam referuntur hic quædam, satis perplexa, quæque, si ad se invicem et ad alios Origenistarum errores magis notos referantur, discussionem fusiorem mereri videntur: quandoquidem non paucæ nec leves insaniæ monachis Origenistis hic affricantur, quas vix alibi assertas reperias. Colligamus interim hic, quæ de S. Cyriaco in scriptis a se SS. Euthymii et Sabæ vitis, retulisse, superius testatur Cyrillus, quæque hujus cum* S. Cyriaco *familiaritatem magis ostendunt.*

etiam scribit. Assignantur aliqua circa Origenistas

5 *Itaque in vita S. Euthymii a monachis Benedictinis in Analectis Græcis edita pag. 35 hæc habentur.* Abbas Cyriacus anachoreta, is ipse, qui in veteri Sucæ laura virtutibus secundum Deum coruscavit, septuaginta ferme annos ibidem præclaris monasticæ vitæ gestis enituit, qui quidem in magni Euthymii cœnobio ab adolescentia seculo renuntiaverat, illiusque cum successoribus multum tempus versatus fuerat, ac omnem ejusdem vivendi formam et rationem accurate didicerat: is, inquam, pleraque, quæ in hoc Opere narrantur, mihi tradidit. *Similia fere testatur ibidem pag. 42, ubi rursus de exceptis ex ore* C S. Cyriaci *S. Euthymii prodigiis meminit, idemque aliis etiam locis frequentius repetit. Ad Origenistarum molitiones, de quibus paulo supra, quod attinet, exponit Cyrillo* S. Cyriacus *vitæ num. 12 abominandam eorum et inauditam doctrinam in hunc modum.* 1. Dicunt, Christum non esse unum de Trinitate. 2. Dicunt, nostra ex resurrectione corpora penitus interitura, et primo illud Christi. 3. Dicunt, quod sancta Trinitas non condiderit hunc mundum, et quod in restitutione in statum pristinum omnes rationales naturæ, etiam ipsi dæmones valituri sint Æones (*In Græco est* αἰῶνας, Secula, *ut verterunt alii*) producere. 4. Dicunt, ætherea fore et sphærica nostra ex resurrectione corpora: tale enim, aiunt, resurrexisse et ipsum Domini corpus. 5. Dicunt, quod Christo similes futuri simus in restitutione in statum pristinum. *Hæc porro etsi connexionem habent cum pravis eorumdem dogmatis, certe in non paucis differunt, ab articulis, quos ad sollicitationem orthodoxorum in Origenistis damnavit Justinianus, quosque epistolæ encyclicæ ad patriarchas missæ subnexuit numero novem. Versantur illi potissimum in erroribus de exsistentia spiritus seu animæ ante productionem corporis illiusque cum hocce unione. De reparatione seu redemptione angelorum facta per Christum, assumpta illorum natura, deque liberandis per eumdem dæmonibus et damnatis. Solum quartum dogma, a S. Cyriaco relatum, a Justiniano ibi proscriptum legitur articulo 5. Porro epistola illa Justiniani passim figitur circa annum Christi 541, quo forte nondum satis innotuerant Constantinopoli peculiares insaniæ, quæ per Palæstinam serpebant, profectæ, uti numero sequenti vitæ affirmat etiam* S. Cyriacus, *a Nonno, Evagrio et Didymo. Posteriora sane sunt, quæ in concilio Constantinopolitano, quod est quintum œcumenicum, contra illos definita fuere ex sollicitationibus maxime Eulogii, Cononis,* S. Cyriaci *et Pancratii monachorum, quæ et ipsæ posteriores sunt, uti ex chronotaxi sequenti § deducenda facile colligetur.*

Evagrium præcipue et Didymum

6 *In Synodo autem V non solum tria famosa Capitula aliaque eo spectantia pertractata fuisse, sed Origenem ejusque sectatores Evagrium eremitam diaconum, nec non Didymum monachum Alexandrinum anathemate percussos fuisse, ex Epiphaniensi, Cyrillo nostro, Victore Tunonensi, Evagrio, Theophane, Cedreno, Nicephoro aliisque indubitatum est. Audiamus Cyrillum ad calcem* E *vitæ S. Sabæ apud Coteleriúm tom. III Monument. Ecclesiæ Græcæ pag. 174.* Itaque, *inquit,* cum sancta et universalis quinta synodus Constantinopoli esset coacta, communi generalique anathemati submissi sunt Origenes et Theodorus Mopsuestenus, cum iis, quæ de præexsistentia et restitutione dicta sunt ab Evagrio et Didymo. *Peculiaria videlicet dogmata ab Evagrio et Didymo asserta et a synodo proscripta fuisse, luculenter hic asserit Cyrillus, vixque dubium est, quin ex superius relatis fuerint aliqua. Certe, ut consideranti luculentum fit, qui circa præexsistentiam restitutionemque versantur errores præcipui, blasphemiæque in Christum connexionem non exiguam habent cum impio dogmate Theodori Ascidæ, quod quinto loco damnatum fuisse, scribit Evagrius lib. 4, cap. 38 et exponit his verbis:* Theodorus Ascidas Cappadox dixit: Si jam Apostoli et martyres miracula edunt et in tanto honore sunt, in restitutione, nisi fiant Christo pares, quæ erit ipsis restitutio? *Ex quibus potestas restitutorum consectanea est, facileque in dogmata eo spectantia superiusque relata dimanat. De Evagrii et Didymi in concilio V damnatione clara sunt etiam verba Victoris Tunonensis* F *scribentis:* Trigesimo anno imperii sui anno Justinianus Eutychium Constantinopolitanum episcopum damnatorem trium Capitulorum, et Evagrii eremitæ diaconi, et Didymi monachi et confessoris Alexandrini... exsilio dirigit. *Eodem vergit, quod scribit Sophronius ad Sergium in epistola synodica relata in synodo VI Actione 11, ubi profitetur amplecti se synodum V, quæ* tollit et funditus abolet principaliter quidem insanum Origenem et ejus deliramenta, et una cum eo Didymi et Evagrii impia dogmata.

nondum satis dilucidata.

7 *Denique Nicephorus Callistus Eccles. Hist. lib. 17, cap. 27 de synodo V agens, postquam de 1 Sessione dixerat, ita scribit.* In secunda autem sessione postquam ab Eulogio, Conone, Cyriaco et Pancratio monachis Hierosolymitanis libelli contra impia Origenis, qui et Adamantius dictus est, dogmata, et contra impietatis et seductionis ejus sectatores oblati et lecti sunt, Justinianus rursum Synodum de eis sententiam dicere jussit, libellis quoque, qui Vigilio papæ de eis rebus scripti erant, in medium prolatis... Synodus itaque rem *tulit ad Justinianum cum exclamationibus in* Origenem

AUCTORE J. C.

Origenem et qui itidem, ut ille, seducti essent, quarum quædam in hæc concepta erant verba, secuti ea ex commentariis Synodi istius excerpsimus. *Subjungit Nicephorus declamationem ad Justinianum et pergit synodi verba referre.* Actorum vero nostrorum ex eorum lectione vim cognoscetis. Hisce conjunxerunt capitula, quæcumque Origenis sectatores professi sunt; quæ capitula consensionem simul et dissensionem eorum atque etiam multiplicem errorem ostendunt. Quintum ex iis capitulum est blasphemiarum certarum quarumdam ejus, quæ Nova laura dicta est, personarum, hisce verbis scriptum. Theodorus Ascidas *et cetera, quæ supra ex Evagrio descripsi. De hisce omnibus in actis concilii V, quæ habemus, nihil reperitur: quod, uti et temporum ratio viris eruditis difficultatem maximam movit, quam inter alios celeberrimas Petrus a Marca Dissertatione, quæ Conciliis Labbeanis tom.* V *col.* 602 *inserta est, Norizius Dissertatione Historica de Synodo V œcumenica, et Ludovicus Doucinus Societatis nostræ in Historia turbarum in Ecclesia exortarum in causa Origenis ejusque doctrinæ, elevare tentarunt. Verum meo judicio*
B *non penitus id assecuti sunt; cum illud punctum, quod videtur præcipuum, an et quandonam peculiaria Origenistarum illius temporis dogmata damnata fuerint, minime dilucidatum sit. Decreveram enucleatius tractatam materiam illam edere; sed sufficiat aliis viam aperuisse. Certe peculiares Evagrii et Didymi eorumque sequacium errores, quod hactenus tamquam pro indubitato ab aliquibus habitum video, non perstrinxit suis articulis Justinianus in famosa Encyclica, neque de solis hisce, ut in synodo V damnatis articulis agunt Nicephorus, Evagrius aliique, sed de aliis, inter quos locum quintum obtinuit blasphema Theodori assertio. Quandoquidem autem inter eos, qui damnationem in synodo postularunt, recenseatur* S. Cyriacus, *omnino verisimile est, inter errores præcipuos fuisse illos, quos ex vita superius retulimus, cum indubium videatur, Sanctum eos errores Cyrillo exposuisse, quos maxime horrebat, atque illos pariter ad Justinianum et synodum detulisse.*

C
§ II. Notæ chronologicæ in Vita edenda corrigendæ. Deducta ex emendatis aliisque chronotaxis.

Non anno Christi ut corrupta nota chronologica innuit

Vita, quam damus, Notis chronologicis tam præcisis inspersa est, ut legenti primo mox obtutu confidentiam ingerant de accurata distinctione temporum rerumque illis annexarum sincera narratione. Confidentiam illam mihi, penitus ad chronotaxim efformandam res inspicienti secundo veluti passu eripuere, quæ secundo loco epochæ occurrunt et vix cum paulo ante præmissa altera componi possunt. Quandoquidem vita hæc connexos habet calculos plurimos cum vitis SS. Euthymii et Sabæ cumque Catalogo patriarcharum Hierosolymitanorum, visum est partem illam studiosius paulo enucleatiusque pertractare, atque, si fieri possit, sic chronotaxim quamdam deducere, ut petitis inde epochis lucem afferat vel emendationem. Nostras excutiamus igitur et componamus. Itaque num. 1 *sic circumscribitur* S. Cyriaci *nativitas.* Natus est ex illis (*parentibus*) sub finem Theodosii Junioris, die nona Januarii, Indictione secunda: τῆς δευτέρας Ἰνδικτίωνος. *Mortuus est Theodosius Junior anno Christi 450, die 28 Julii.* D
Indictio 2 inchoata mense Septembri 448, currebat mense Januario 449, qui annus penultimus est Theodosii Junioris, et in quem proinde conspirant hic omnia pro figendo S. Cyriaci *natali.*

9 *Proxime occurrunt notæ chronologicæ aliæ* Sed anno
num. 5, *quibus* S. Cyriaci *discessus ex patria initiaque vitæ perfectioris definiuntur his verbis:* Pervenit Jerosolymam octavum et decimum agens ætatis annum, octavo anno Anastasii Jerosolymorum episcopi, imperii vero Leonis Magni imperatoris nono, in principio Indictionis. *Nisi mensem Septembrem vel Octobrem anni aliunde satis determinati hisce designare Cyrillus voluit, Indictionis numerus amanuensis vitio hic omissus est: cum nec initium Indictionis primæ seu Cycli intelligi possit, cum quo, nimirum anno 462 vel sequenti, concurrere non possunt reliquæ adjectæ epochæ. Sed nec hæ inter sese concordes sunt. Duæ, annus scilicet octavus Anastasii patriarchæ et nonus Leonis I imperatoris ex neotericorum computu concurrunt quidem in annum Christi 465, quo mense Septembri inchoatur Indictio 4; at annus decimus octavus* S. Cyriaci, *nati anno 449, toto*
anno posterior est; quippe quem sic tantum anno E
466 inchoare potuit, ut computanti liquet. Igitur vel citius natus est Sanctus, vel serius vitam monachalem aggressus est: atque utrum eligendum, nunc videamus. Metaphrastes solitus in vitis, quas reformavit, chronologicas notas negligentius tractare, in vita apud Pougetum seu Lippomanum S. Cyriaci *ortum fine solum Theodosii designavit; notas discessus ejus in Palæstinam easdem præter Indictionis initium a Cyrillo retinuit.*

10 *Commentans ad hasce, qui vitam memoratam vertit, pag,* 105 *assignat adventui* S. Cyriaci *in Palæstinam annum 465, natali vero 448 pag.* 101. *Et recte sane: etenim non annum sequentem, sed 448 natalem Sancto statuendum esse, tum sequentes num. 5 vitæ, tum alibi sparsæ notæ chronologicæ suadent, ut in decursu luculentum fiet. Igitur hic nativitatem ejus anno 448 innectamus. In nota a Theodosii Junioris imperio, utpote quod tenuit annis 42, atque adeo latitudinem certe 2 annorum* circa finem *admittit, nihil erit mutandum; at certe corrigenda est Indictio. Quid si amanuensis vitio sic corrupta sit, ut legerit* δευτέρας *pro* προτέρας *vel* νεωτέρας? *Certe si ita legas, habebis mense Januario anni 448 novum Cyclum* F
indictionum, seu Indictionem 1 *currentem, fluentque magis commode cetera, sicut jam experiemur. Numero 5 vitæ succedit mors S. Gerasimi annexa* nono anno *adventus* S. Cyriaci *in Palæstinam, 5 Martii Indictione* 13. Indictio 13, *quæ mense Martio anni 475 fluebat, pugnat cum* anno nono *adventus in Palæstinam, quem tot calculis concurrentibus supra fixi anno 465; unde inchoato computu annus nonus terminatur* Initio Indictionis *anni 474. Concurrentibus, qui inter sese pugnant, calculis, credo, in cifris facilius errari potuisse, quam in anno verbis expresso. Accedit, quod Metaphrastes pariter legerit* anno nono, *ut patet ex Lipomani et Pougeti exemplaribus.*

natus S. Cyriacus, anno 465 in Palæstinam venit

11 *Insuper* annus vigesimus septimus S. Cyriaci, *qui proxime sequitur, cum* anno nono *conspirat: etenim si annis 18, quot habuisse, quando in Palæstinam appulit, supra vidimus, 9 addiderimus, exsurget* vigesimus septimus, *quo mox a morte S. Gerasimi vitam solitariam in S. Euthymii laura exorsus est* S. Cyriacus. *Igitur corrigenda videtur Indictio, et pro 13, legendum 12, ut mors S. Gerasimi accessusque Sancti nostri ad ab*
batem

Notæ chronologicæ implexæ

AUCTORE I. C.

A batem Eliam anno Christi 474 innectantur. Egit porro S. Cyriacus in laura S. Euthymii annis 10, ut ex computu Cyrilli num. 20 manifestum sit. Completos fuisse, insinuat, quod numero 7 vitæ dicitur: Abbas vero Cyriacus propter factam monasteriorum divisionem afflictus animo recedit (ex laura S. Euthymii) venitque ad lauram Sucæ sub finem Indictionis VIII. quæ terminatur mense Septembri anni Christi 485, ætatis S. Cyriaci 38. Succedant numero 7 notæ chronologicæ, quæ, complicata sane periodo, et ipsæ magis intricatæ apparent. Verba, quæ reddo, mox allegatis annexa sunt. Obitque (primis annis, quibus egit in laura Sucæ) diversis annis quatuor officia: pistrini nimirum, valetudinarii, diversorii hospitum et œconomii. Cumque patribus omnibus servivisset atque ædificationi fuisset, ad sacerdotium promotus est: fuerat enim creatus diaconus in monasterio magni Euthymii et post quatuor annos creatus thesaurarius et canonarcha anno quadragesimo ætatis suæ. Impletis autem annis tredecim in illo munere, factus est presbyter, mansitque thesaurarius et canonarcha aliis octodecim annis.

aliquo adhibita correctione

12 *Sic implexum non parum sensum reddendum existimo, qui ut extricetur, observandum est:* B et post quatuor annos creatus (fuerat) thesaurarius et canonarcha anno quadragesimo ætatis suæ, *referendum esse ad diaconatum, ut positio exigere videtur. Sane inter annum 38 ætatis, quo* sub finem Indictionis VIII *venit in Sucam, et 40, quo creatus est canonarcha, annos tantum duos et 3 menses reperies. Denique impeditius fluunt, si statuamus, Sanctum anno ætatis 36 ordinatum diaconum, biennio post, ætatis 38, profectum in Sucam, atque ætatis 40, Christi 487, creatum canonarcham. Inde porro inchoato computu factus est presbyter anno Christo 500, ætatis 53 vel sequenti, si* anni 13, *post quos in officio canonarchæ exactos ad presbyteratum promotus dicitur, completi fuerint, quod ad chronotaxim nostram hic nihil vel parum facit. Ad reliquas notas redeamus illasce cum aliis combinemus. Capite 2 Vitæ ipso mox initio dicit* S. Cyriacus *Cyrillo,* Triginta et unius annorum tempore, quo canonarcha et thesaurarius eram, non videt sol comedentem etc., *ex quo difficultas aliqua in computum emergit. Etenim 31* C *annos, si 40 annis, quos numerabat* S. Cyriacus, *quando munia illa suscepit, adjeceris, exsurget annus ætatis ejus 71, Christi 518, quo eadem deposuisse ex verbis hisce videtur.*

extricantur

Idem hoc suadent calculi sub finem muneri præcedentis concurrentes; nam postquam 13 annis munus thesaurarii et canonarchæ administraverat ad presbyteratum assumptus ibidem dicitur S. Cyriacus, *atque mox additur,* mansitque (*postquam sacerdos consecratus fuerat*) thesaurarius et canonarcha aliis octodecim annis. *Hosce porro si cum præcedentibus tredecim conjunxeris, exsurgent anni 31, quot plane administrasse munia illa* S. Cyriacum *ex numero 8 vitæ mox ostendi. Verum refragatur nota chronologica alia, quæ et ipsa propriam suam adfert difficultatem, prius dissolvendam, quam de componenda cum præcedentibus agamus. Numero 8 mox citato dicitur* S. Cyriacus *munus thesaurarii deposuisse ex Sucæ laura in solitudinem Natupha secessisse* anno 57 (*Græce* νζ') ætatis suæ, Indictione III. *Annus 57 ætatis ejus pugnat non solum cum annis 31 in officiis exactis et excurrentibus in annum ætatis ejus 71, sed etiam cum* Indictione III: *nam anno Christi 504, qui fluit cum anno ætatis Sancti 57, currebat Indictio 12, non vero 3. Igitur mendum hic in cifras irrepsit, tanto tutius corrigendum, quanto magis Metaphrastis calculus hic cum computu reliquo concordat. Is tum apud Lipomanum, tum apud Pougetum expressit verbis* annum, *non 57, sed* septuagesimum septimum ætatis S. Cyriaci, *quo munus thesaurarii remiserit et recesserit in Natupha.*

et combinantur

14 *Annus hic, qui concurrit cum anno Christi 524, imprimis* Indictionem 3 *concordem habet, nec refragantem computum, nisi in uno puncto, quod ut dilucidemus, nunc ad superius producta revertamur. Ab anno ætatis Sancti 77, quem mox stabilivimus, si annos 31 in officiis transactos subducamus, relabemur in annum ætatis ejus 46. Verum citius, imo* anno ætatis quadragesimo, *thesaurarius et canonarcha factus supra ostenditur: igitur computum interrumpunt anni sex a muneribus gestis ex collatis epochis superflui. Suspicor,* S. Cyriacum *munus canonarchæ sex annis deposuisse antequam ex laura Sucæ ad solitudinem Natuphæ recessurus officium thesaurarii remiserit, sic, ut 31 annis utrumque munus simul administrarit, sed postremis annis solum thesaurarius fuerit. Certe alibi semper de utroque officio simul mentio fit,* E *at cum in Natupha profecturus esset, de solo munere thesaurarii deposito sermo est. Denique sic recte combinantur etiam sequentia, ut jam experiemur. Anno 77 ætatis suæ, Christi 524 post mensem Septembrem profectus ad solitudinem Natuphæ* S. Cyriacus, *egit ibidem annis 5, uti tum num. vitæ 9, tum in recapitulatione num. 20 asseritur.*

Tempus turbarum

15 *Inde, cum miraculorum gloria clareret, honorem fugitans secessit in interiorem solitudinem Rubæ, ibidemque annis quinque aliis quiete egit; donec rursus prodigiosæ sanationes exciverunt turbas, quos vir quietis amans declinans, addidit sese in loco maxime solitario, Susacim appellato. Mora* S. Cyriaci *in solitudine Rubæ a Metaphraste ubique quinque annis definita est, qui in Ms. nostro Græca in recapitulatione prætermissi sunt, unde deficiunt anni 5 in computu, quem ibi Cyrillus deducit. In* Susacim *porro venit anno ætatis suæ 87, Christi 534, ibidemque septem exegit annos, donec a patribus lauræ Sucæ, quibus præerat Cassianus, accersitus est, ut opem ferret contra Origenistas, qui post S. Sabæ mortem monasteria omnia peste sua inficere laborabant, jamque aperte bellum orthodoxis inferebant. Mortem S. Sabæ Papebrochius noster aliique passim, qui etiam vitam a Cotelerio editam viderant, retulerunt ad annum* F *Christi 531: Lequienus in Patriarchis Hierosolymitanis sequenti innectendam contendit.*

in Palæstina

16 *Non est hujus loci litem illam attingere, quandoquidem vix quidquam inde influat in chronotaxim nostram; cum suscitatarum turbarum initia progressusque ab alterutro deducta commode in hæc tempora conveniant. Quæ tunc maxime memorabilia contigerant, describit ipse Cyrillus noster, tum in vita hoc numeris 11 et seqq., tum ad calcem vitæ S. Sabæ a Cotelerio editæ num. 84 et seqq. Quod huc potissimum pertinet est iter Cyrilli num. 11 descriptum suisque vestitum adjunctis; ex quo de tempore exortarum ab Origenistis turbarum et seditiorum aptius judicare licebit. Ex collectis porro hic epochis manifestum sit,* S. Cyriacum *ante annum 541 non venisse ad speluncam S. Charitonis, in qua, ut luculenter ibi describit Cyrillus, a sancto Viro exceptus est, sub annum scilicet 543 vel etiam serius. Certe litteræ, quas a S. Joanne Silentiario ad* S. Cyriacum *ferebat, mentionem habebant exorti* in civitate sancta belli publici. *Non est*

AUCTORE J. S.

est dubium, quin de illo sermo sit, de quo in vita S. Sabæ num. 86 *sic scribit idem Cyrillus.* Tunc Ascidas Constantinopolim profectum archiepiscopum (*Hierosolymitanum*) Petrum coegit habere pro syncellis Petrum Alexandrinum et Joannem Strongylum.

ab Origenistis pertinaciter motarum.

17 Hinc majorem licentiam ceperunt qui Nonno adhærebant; et impietatem quidem suam publice ac per domos prædicabant: diversas vero persecutiones in patres Maximæ lauræ excogitabant: atque si quemdam in sancta civitate conspexissent monachum orthodoxum, hunc per nonnullos seculi homines vapulare procurabant, et Sabaitam vocantes, a sacra urbe pellebant. Proinde quibusdam orthodoxis patribus verberatis belloque adversus pios exorto, Bessi Jordanis divino zelo ducti ascenderunt in sanctam urbem, ut bello appetitis orthodoxis suppetias ferrent. Tum publico prælio contra Bessos aliosque recte sentientes commisso, postquam ipsi ad Maximæ lauræ xenodochium confugissent, adorti sunt subito cum furore inimici, ut qui vellent patribus mortem inferre: cumque hospitale munitum reperissent, fores seu fenestras lapidibus
B perfregerunt, eosque, qui intus erant, enixe lapidibus petebant. *Plura ibidem videri possunt, post quæ proxime sequitur.* Tunc Maximæ lauræ patres Gelasium abbatem obsecrant, ut Constantinopolim adeat, *quod iter precibus inductus mox suscepit: at Theodori Ascidæ, Origenis et Leontii ac Nonni defensoris, interventu imperatoris alloquio aulaque prohibitus, re infecta, in Palæstinam reversurus Amorii mortuus est* mense Octobri Indictione 9, *ac proin anno Christi* 543.

variæque laurarum

18 *Verisimile est, S. Joannem abbatem, Constantinopolim profecto Gelasio, lauræ Maximæ curam gessisse, atque illo intervallo, quæ acciderant,* S. Cyriaco *per Cyrillum nuntiari jussisse: atque adeo hoc iter Cyrilli probabiliter anno Christi* 544 *vel sequenti innectitur; nec enim multo ante discessisse, nec diutius Constantinopoli egisse, Gelasius videtur. Quin et ita recte fluunt, quæ de Origenistarum molitionibus numeris sequentibus narrat interpellatus* S. Cyriacus. *Ac primo quidem seditiones et prælia Hierosolymis, quorum occasione ad Justinianum imperatorem destinatus est Gelasius Maximæ lauræ abbas, in annum* 543 *vel sequentem incidunt. Quæ numero* 14 *Cyrillo exponit* S. Cyriacus *de monachis Origenistis, quos Nonnus ejus-*
C *que asseclæ lauræ Sucæ præficere tentaverant, citius atque sub initium, quo ad Susacim ayebat Sanctus, contigerant, ut mox patebit. Certe Petrus Alexandrinus, quem timidum nimis Petrum Hierosolymorum episcopum Constantinopolim anno* 541, *ut gratiam Theodori Ascidæ iniret, profectum, pro syncello habere jusserat, idem ille erat, postquam patres lauræ Sucæ abbatem intrusum abbatia expulerant.*

illo tempore vices stabiliuntur.

19 *Quin et Cassianus Scythopolitanus, ut expulsorum loco præesset lauræ Sucæ, ex magna S. Sabæ laura accersitus fuerat aliquot jam annis, antequam hæc narraret* S. Cyriacus, *ut perspicuum fit ex vita S. Sabæ, ubi num.* 88 *sic scribit Cyrillus.* Cæterum Deus grande signum seu prodigium edidit, quemadmodum in Ario olim. Ipso namque persecutionis die, quo ii ex Maxima laura propellebantur, hostium princeps, impietatis dux Nonnus de medio hominum sublatus est repentina morte correptus. Porro gravissimus lupus Georgius, post obtentum septem mensibus sacrum divini Sabæ gregem ab eo per suos com- D
militiones ejicitur insimulatus luxuriæ et turpitudinis.... Tunc patres, qui in Maxima laura relicti fuerant... in præpositum sumpserunt abbatem Cassianum Scythopolitam, qui eo tempore Sucæ congregationem præclare et orthodoxe gubernabat... quique per annos octo Sucæ lauram rexerat. Is Cassianus postquam sacri divini senis gregis pastor decem mensibus exstitisset, in pace in idipsum dormivit et requievit 16 post magni (*Sabæ*) obitum anno.

Chronotaxis usque ad mortem Sancti.

20 *Ex quibus talis præcedentium annorum aliquot catena chronologica emergit. Annus* 16 *a morte S. Sabæ est Christi* 547: *igitur Georgius in prælaturam lauræ S. Sabæ verosimilius intrusus fuit anno* 545, *eoque mortuus est Nonnus Origenistarum dux; quandoquidem eidem anno innectere rem utramque Cyrillus videatur, atque duo anni concedendi sint* 10 *mensibus abbatiæ Cassiani,* 7 *Georgii atque illius denique electioni. Inde subducamus annos* 8, *quibus Sucæ præfuit Cassianus; in* 537 *delabemur, qui tertius est moræ* S. Cyriaci *in Susacim; atque adeo nefariæ molitiones Nonni mutationesque intrusorum abbatum lauræ Sucæ tribus illis annis, si non inchoatæ, certe peractæ et absolutæ fuerunt. Redeamus nunc ad annum* 541, E
quo in cellam S. Charitonis deductum S. Cyriacum, *superius vidimus, et ubi, teste vita num.* 10 *sub finem, mansit* circiter quinque annos, *proindeque usque ad annum Christi* 546, *qui ætatis ejus est* 99, *quæ chronotaxis a Cyrilla figitur numero* 17 *et fluit ex superioribus, ubi annus ætatis ejus* 87 *cum anno Christi* 537 *combinatus est. Superant porro anni* 8 *secundo hoc recessu in Susacim transacti; quibus si duos addideris, quibus iterum in cella S. Charitonis egit, habebis Senem* 109 *annorum æræ vulgaris anno* 556 *morientem. Atque hunc computum luculenter Cyrillus stabilit, dum vitæ num.* 20 *scribit, Sanctum iterum a patribus lauræ Sucæ ad speluncam S. Charitonis reductum fuisse valde* senem, utpote centesimum et septimum annum *superantem.*

deducta.

21 *Ex illis porro, quæ ibidem Cyrillus addit, figitur tempus expulsionis Origenistarum ex Nova laura, quam numero* 11 S. Cyriacus *S. Joanni Silentiario prædixerat. Scribit enim num.* 20. Patres lauræ Sucæ deduxerunt illum (*secunda vice*) ad speluncam S. Charitonis post Origenistarum ex Nova laura discessum. *Ex producta usque ad obitum chronotaxi patet,* S. Cyriacum *anno Christi* 554 *in lauram Sucæ rediisse. Origenistarum* F
impietates contra orthodoxos, dissensiones inter sese, pertinaciam ac denique expulsionem prosequitur Cyrillus ad calcem Vitæ S. Sabæ a Cotelerio editæ num. 90 *et seq., sed fusius, quam ut huc commode transferri possint. Sufficiat inde excerpere, quod chronotaxim nostram confirmat. Postquam singulatim narravit, quomodo Novam lauram recepisset, in eamque orthodoxos monachos, pulsis hæreticis, inducere decrevisset patriarcha Hierosolymorum Eustochius, sic pergit:* Itaque in sancta civitate congregati (*erat inter inducendos ipse Cyrillus*) egressi sumus cum patriarcha novoque præposito (*Joanne*) in Thecoam vicum, atque post Origenistas ab Anastasio duce pulsos Novam lauram recepimus vigesimo tertio a morte Sabæ anno. *Hæc epocha, deducto initio ab anno Christi* 531, *quo S. Sabam mortuum diximus, in annum plane* 554 *concurrit, atque adeo tempus mortis* S. Cyriaci, *quæ certe biennio post contigit, luculenter confirmat.*

VITA

VITA

Auctore Cyrillo Scythopolitano Sancti discipulo *a* *a*

Ex codice vaticano num. 866, interprete J. C.

CAPUT I.

Sancti natales, pia educatio, studium lectionis sacræ, vocatio ad vitam monasticam; virtutes, quibus in juventute eminuit.

Τοῦ ἀναχωρητοῦ, καὶ πάντων ἀναχωρητῶν ἀρίστου Κυριακοῦ πολλάκις ἐν τῷ περὶ Εὐθυμίου τοῦ μεγάλου ῥηθέντι μοι λόγῳ μνήμην ἐποιησάμην· ἀναγκαῖον τοίνυν ἡγησάμην τοῦτο δὶ ὀλίγων γνωριμώτερον τοῖς ἐντυγχάνουσιν καταστῆσαι ὀλίγας τινάς ἀπαρχάς τῶν B αὐτῷ κατορθωθέντων διηγούμενος, εἰ γὰρ ἡ ἀπαρχὴ τῶν λεγομένων λογίων ἁγία, δῆλον, ὅτι καὶ τὸ φύραμα τοῦ παντός αὐτοῦ βίου συνηγίασται. Οὗτος τοίνυν ὁ τὸν ψυχὴν ἔχων πεφωτισμένην Κυριακός, γένος μὲν τῆς Ἑλλάδος ὑπῆρχεν, πόλεως Κορίνθοῦ· γονέων δὲ, πατρός μὲν Ἰωάννου πρεσβυτέρου τῆς κατά Κόρινθον ἁγίας τοῦ Θεοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας, μητρός δὲ Εὐδοξίας. ὑφ' ὧν ἐγεννήθη περὶ τὸ τέλος τῆς τοῦ Θεοδοσίου τοῦ νέου βασιλείας, μηνὶ Ἰαννουαρίῳ θ', τῆς δευτέρας ἰνδικτίονος. Γέγονεν δὲ ἀνεψιός ἐκ μητρός Πέτρου τοῦ ἐπισκόπου Κορίνθου, ὑφ' οὗ γέγονεν ἀναγνώστης ἐκ βρέφους τῆς αὐτῆς ἁγίας Ἐκκλησίας. ὅστις ἀββας Κυριακός ἀναγινώσκων τὰς θείας γραφὰς, ὡς αὐτός μοι διηγήσατο, καὶ διημερεύων ἐν αὐταῖς, καὶ διανυκτερεύων ἔτι ὢν νέος ἐθαύμαζεν πῶς πολυτρόπως κατὰ γενεὰν καὶ γενεὰν τοὺς ὀρθῇ προαιρέσαι εὐαρεστῆσαι σπουδάσαντας ἐδόξασεν ὁ θεός, καὶ φωστῆρας ἐν κόσμῳ ἀνέδειξεν, καὶ πάντα ἐξ ἀρχῆς ᾠκονόμησεν πρὸς σωτηρίαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους.

2 Τὸν μὲν Ἄβελ διὰ θυσίας δοξάσας, τὸν δὲ Ἐνὼχ δὶ εὐαρεστήσεως τῇ μεταθέσει τιμήσας, τὸν δε Νῶε διὰ δικαιοσύνης σπινθῆρα τοῦ γένους φυλάξας, τὸν Ἀβραάμ διά πίστεως πατέρα ἐθνῶν ἀναδείξας, τὴν C εὐσεβῆ τοῦ Μελχισέδεκ ἱερωσύνην ἀποδεξάμενος, τὸν Ἰωσήφ, καὶ τὸν Ἰὼβ ὑπομονῆς τε, καὶ σωφροσύνες εἰκόνα τῷ βίῳ ἀναστήσας, τὸν Μωυσέα νομοθέτην καταστήσας, τὸν τοῦ Ναυῆ Ἰησοῦν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ ἀναγωγόν καταστήσας, τὸν Δαυίδ προφήτην, καὶ βασιλέα, καὶ φρικτοῦ μηστυρίου πρόγονον ἀναδείξας, τῆς Βαβυλωνίας καμίνου τὴν φλόγα εἰς δρόσον μεταποιήσας, Δανιὴλ τοὺς λέοντας ἐν τῷ λάκκῳ νηστεύειν διδάξας, τὸ θαλάττιον κῆτος εἰς προφητικόν θάλαμον κατασκευάσας. Πρὸς τούτοις πᾶσιν ἰλιγγιᾷ αὐτοῦ ἡ διάνοια, ἐννοοῦσα τὰ ὑπὲρ ταῦτα, τὸν τοιοῦτον ἄσπορον τόκον, τὴν παρθένον καὶ μητέρα· πῶς ἂν Θεός λόγος ἀτρέπτως γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ διά τοῦ τιμίου αὐτοῦ σταυροῦ, καὶ ἀναστάσεως, τὸν τε ᾅδην ἐσκύλευσεν, καὶ τὸν ἀπαταιῶνα ὄφιν κατήργησεν θριαμβεύσας· καὶ τοῖς ἰδίοις θανατωθέντα παραπτώμασιν Ἀδάμ ζωοποιήσας, πάλιν εἰς παράδεισον ἐπανήγαγεν. Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα διανοούμενος ὁ Κυριακός, κατενύγη ἡ καρδία αὐτοῦ φόβῳ Θεοῦ, καὶ ἐβουλεύσατο ἐπὶ τὴν ἁγίαν πόλιν ἀναχωρῆσαι, καὶ τοῖς βιωτικοῖς πράγμασιν ἀποτάξασθαι.

3 Καὶ τοῖς τοιούτοις ἀδολεσχῶν λογισμοῖς, ἤκουσεν ἐν μιᾷ κυριακῇ τοῦ Εὐαγγελίου λέγοντος· εἴ τις

Anachoretæ et anachoretarum omnium optimi Cyriaci in edito de Euthymio magno sermone sæpu mentionem feci *b*: necessarium itaque duxi, illum brevibus nunc notiorem interpellantibus facere, paucas quasdam primitias præ- E clarorum gestorum ejus enarrans: si enim primitiæ, dicente scriptura, sanctæ, manifestum est, quod et massa tutius vitæ ejus sanctificata fuerit. Hic igitur Cyriacus illustrem nactus animam ortus est in Achaia, urbe Corintho: parentibus, patre quidem Joanne, sanctæ Dei catholicæ ecclesiæ apud Corinthum presbytero, matre vero Eudoxia. Ex illis natus est sub finem imperii Theodosii Junioris, die nona januarii, Indictione secunda *c*. Avunculus ejus erat Petrus Corinthiorum episcopus *d*, a quo a pueritia creatus est lector sanctæ illius ecclesiæ. Abbas autem Cyriacus legens sacras scripturas, prout ipse mihi narravit, et sese exercens noctesque adhuc juvenis in illis versans mirabatur, quomodo multis modis Deus in generatione et generatione recto proposito placere satagentes ad gloriam evexerit, et luminaria in mundo ostenderit, et omnia a principio dispensaverit ad salutem humani generis.

Corinthi natus S. Cyriacus

b

d

2 Abel quidem propter sacrificium gloria affecerit: Enoch, quia placuit, translatione honoraverit, Noe, scintillam generis humani, propter justitiam servaverit; Abraam propter fidem patrem gentium fecerit; pii Melchisedec sacerdotium gratum habuerit; Joseph et Job patientiæ et castitatis exemplar excitaverit; Moysem legislatorem constituerit; Jesum, filium Nave, soli et lunæ imperantem *e* fecerit; prophetam David et regem et mirandi mysterii progenitorem reddiderit, flammam fornacis Babylonicæ pueris in rorem converterit, a Daniele in lacu leones jejunare docuerit, cetum marinum in thalamum prophetæ transmutarit. Ad hæc omnia mens ejus admiratione rapiebatur, potissimum quando perpendebat partum sine semine, virgineimque eamdem ac matrem: quomodo, quod Deus erat, verbum sine mutatione factum sit homo, et per pretiosam crucem suam atque resurrectionem infernum spoliaverit fallacemque serpentem triumphans dejecerit, et offensis propriis peremptum Adam ad vitam revocaverit rursusque in paradisum reduxerit. Hæc et similia mente perpendens Cyriacus corde compunctus est timore Dei decrevitque in sanctam civitatem secedere rebusque mundi valedicere.

ex frequenti lectione sacra ad vitam perfectiorem animatur

F

e

3 Talibus cogitationibus intentus audivit quodam dominico die Evangelium dicens: Si quis vult

et mundo valedicit.

A CYRILLO SCYTH.

vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me; et confestim egressus templo, nemini indicato consilio, ivit in Cenchreas *f*, conscensaque navi trajiciente in Palæstinam, pervenit Jerosolymam decimum octavum quidem agens annum ætatis, octavo autem anno Anastasii Jerosolymorum episcopi, imperii vero Leonis Magni imperatoris nono, in principio Indictionis *g*. Et cum venisset in sanctam civitatem Sanctus hospitaliter exceptus est apud Eustorgium, virum sanctum et omnibus sanctissimi Spiritus donis resplendentem, qui jam olim construxerat illustrissimum cœnobium apud sanctam civitatem Sion, in quo servus Dei Cyriacus hiemavit, cupiens solitudinem incolere. Cumque ex omnibus fere plurima audiret de divino Euthymio, enixe rogavit magnum patrem Eustorgium, ut cum votis dimitteretur.

Monachalem habitum a S. Euthymio accipit :

4 Dimissus autem venit ad lauram *h* magni Euthymii : cumque constanter adhæsisset illic Anatolio cuidam presbytero Solympioque monacho, fratribus secundum carnem, genere vero Corinthiis notisque longo tempore, amplexatus est et magnum Euthymium, habitumque ex sanctis manibus ejus permutavit : B manere tamen ibi non licuit propter juvenilem ætatem *i*, sed missus est ad Jordanem ad sanctum Gerasimum *k*, jam mortuo magno Theoctisto *l*; valde enim cavebat magnus Euthymius, ne quis juvenis versaretur in sua laura. Sanctus porro Gerasimus admissum illum jussit manere in cœnobio; ubi ligna scindebat, aquam comportabat, cibos parabat, et omne ministerium cum alacritate perficiebat, totos dies in labore et molestia transigens, pernoctans in orationibus ad Deum, in officio psalmodiæ æque ac in opere manuum assiduus.

ejus in tyrocinio

5 In cœnobio autem ministrans, anachoretarum vivendi rationem superabat duobus, corpus sustentans pane et aqua, oleo vel vino etiam moderato non utebatur, ita ut magnus Gerasimus videns exercitationem vitæque disciplinam adolescentis, miraretur, valdeque illum diligeret. Quod porro tempore jejuniorum testatum volens assumpsit illum ad magnam Rubæ *m* solitudinem, ubi in quiete degebant usque ad festum Palmarum inter illos, qui die Dominica ex magni Euthymii manibus communicabant. Aliquo porro exacto tempore, cum magnus Euthymius in Christo C obiisset, vidit sanctus Gerasimus animam ejus ab angelis deduci et ad cælum elevari, assumensque abbatem Cyriacum abiit ad ejus cœnobium, et, curato funere, reversus est *n*. Nono autem anno adventus patris Cyriaci in Palæstinam magnus pater noster Gerasimus mortuus est et decoratus corona justitiæ 5 mensis Martii, Indictione XIII. Basilio et Stephano *o* fratrum prælaturam adeptis, rediit abbas Cyriacus venitque ad lauram magni Euthymii et susceptus ab Elia *p* abbate cellam nactus est et in ea solitarie vivere cœpit anno vigesimo septimo ætatis suæ nihil possidens ex rebus hujus seculi.

vitaque monastica

6 Plurimum autem laboravit in ædificatione monasterii; tum temporis enim laura *q* in cœnobium conversa fuit. Erat autem tunc ibi quidam Thomas *r* cognominatus, præclarus vita, cujus virtutes prærogativasque perspectas habens abbas Cyriacus, illi conjunctus est, ejusque spiritus fervore proficiens et exercitatus, ejus institutum sectabatur. Is porro Thomas a Fido *s* diacono missus est Alexandriam, ut compararet ab archiepiscopo necessaria ad constructionem cœnobii. Monasteria quippe patrum nostrorum magni Euthymii ac

D θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήτω μοι· καὶ παραυτίκα ἐξελθὼν τῆς ἐκκλησίας, καὶ μηδενὶ μηδὲν εἰρηκὼς, ἦλθεν ἐπὶ Κεγχρέαις, καὶ ἐπιβὰς πλοίῳ διαπερῶντι ἐν Παλαιστίνῃ, παρεγένετο εἰς Ἱεροσόλυμα, ὀκτὼ καὶ δέκατον μὲν ἔτος ἄγων τῆς ἡλικίας, ἐν ὀγδόῳ δὲ ἔτει τῆς ἱεραρχίας ἐν Ἱεροσολύμοις Ἀναστασίου, ἐνάτῳ δὲ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ μεγάλου βασιλέως, ἐν ἀρχῇ τῆς ἰνδικτιῶνος. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν ἐδεξιώθη παρὰ τῷ ἐν ἁγίοις Εὐστοργίῳ, ἀνδρὶ ἁγίῳ, καὶ τοῖς τοῦ παναγίου πνεύματος χαρίσμασιν διαλάμποντι, ἤδη συστησαμένῳ μοναστήριον πλησίον τῆς ἁγίας πόλεως Σίων περιφανέστατον, ἐν ᾧ παραχειμάσας ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ Κυριακὸς, ἐπεπόθησεν τὴν ἔρημον οἰκῆσαι. Καὶ ἀκούων παρὰ πάντων σχεδὸν τὰ κατὰ θεῖον Εὐθύμιον, παρεκάλεσεν τὸν μέγαν πατέρα Εὐστόργιον ἀπολῦσαι μετ᾽ εὐχῆς.

4 Καὶ ἀπολυθεὶς, ἦλθεν εἰς τὴν λαῦραν τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου· καὶ προσκαρτερήσας ἐκεῖσε Ἀνατολίῳ τινὶ πρεσβυτέρῳ, καὶ Σολυμπίῳ μοναχῷ ἀδελφοῖς κατὰ σάρκα, καὶ Κορινθίοις οὖσι τῷ γένει, καὶ γνωστοῖς ἡμέρας ἱκανὰς, προσεκύνησεν μὲν τὸν μέγαν Εὐθύμιον, καὶ τὸ σχῆμα διὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ χειρῶν μεταμφιάσατο· μεῖναι δὲ αὐτόθι οὐ συνεχωρήθη, διὰ τὸ νέον τῆς E αὐτοῦ ἡλικίας· ἀλλ᾽ ἀποστέλλεται εἰς τὸν Ἰορδάνην πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Γεράσιμον, ἤδη τοῦ μεγάλου Θεοκτίστου τελευτήσαντος· πάνυ γὰρ παρεφυλάττετο ὁ μέγας Εὐθύμιος ἀγένειον ἔχειν ἐν τῇ ἑαυτοῦ λαύρᾳ. Ὁ μέντοι ἐν ἁγίοις Γεράσιμος τοῦτον δεξάμενος, ἐκέλευσεν αὐτὸν μένειν εἰς τὸ κοινόβιον, ξύλα κόπτων, καὶ ὑδροφορῶν, καὶ μαγειρεύων, καὶ πᾶσαν διακονίαν μετὰ προθυμίας ἐκτελῶν, διημερεύων δὲ ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, διανυκτερεύων δὲ ἐν ταῖς πρὸς Θεὸν δεήσεσιν, ἐν τῷ κανόνι τῆς ψαλμῳδίας προθυμότερος μετ᾽ ἐργοχείρου ἱστάμενος.

5 Ἐν δὲ τῷ κοινοβίῳ διακονῶν, τὴν τῶν ἀναχωρητῶν πολιτείαν ἐκράτησε διὰ δύο, ἐσθίων ἄρτον καὶ ὕδωρ, ἐλαίῳ, ἢ οἴνῳ, ἢ εὐκράτῳ μὴ χρώμενος, ὥστε τὸν μέγαν Γεράσιμον θεωροῦντα τήν τε ἄσκησιν, καὶ πολιτείαν τοῦ νεωτέρου θαυμάζειν, καὶ ἀγαπᾶν αὐτόν. Ὅθεν καὶ ἐν τῷ καιρῷ τῶν νηστειῶν πληροφορούμενος ἐλάμβανεν αὐτὸν εἰς τὴν πανέρημον τοῦ Ῥουβᾶ, οἵτινες αὐτόθι ἡσύχαζον ἕως τῆς τῶν Βαΐων ἑορτῆς, κατὰ κυριακὴν ἐκ τῶν τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου κοινωνούντων. Ὀλίγου δὲ τινος χρόνου διελθόντος, καὶ τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου ἐν Χριστῷ τελειωθέντος, ἴδεν ὁ ἐν ἁγίοις Γεράσιμος τὴν αὐτοῦ ψυχὴν ὑπ᾽ ἀγγέλων ὁδηγουμένην, καὶ εἰς οὐρανὸν ἀναφερομένην, καὶ λαβὼν τὸν ἀββᾶν F Κυριακὸν ἀνῆλθεν εἰς τὴν μονὴν αὐτοῦ, καὶ τὸ σῶμα κηδεύσας, ὑπέστρεψεν· τῷ μέντοι ἐννάτῳ χρόνῳ τῆς ἐν Παλαιστίνῃ παρουσίας τοῦ ἀββᾶ Κυριακοῦ, ὁ μέγας πατὴρ ἡμῶν Γεράσιμος ἐτελεύτησεν, καὶ τῷ τῆς δικαιοσύνης κατεκοσμίσθη στεφάνῳ, μηνὶ μαρτίῳ ε΄. τῆς ιγ΄. ἰνδικτιῶνος. Βασιλείου δὲ Στεφάνου ἀδελφῶν τῆς ἡγεμονίας κρατησάντων. Ὁ ἀββᾶς Κυριακὸς ἀνεχώρησεν, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν λαῦραν τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου, καὶ ὑπὸ Ἠλίας τοῦ ἡγουμένου εἰσδεχθεὶς, ἔλαβεν κελλίον, καὶ ἡσύχασεν, ἐν τῷ κζ΄ τῆς ἑαυτοῦ ἡλικίας χρόνῳ, μηδὲν κτώμενος τοῦ αἰῶνος τούτου.

6 Πολλὰ δὲ κεκοπίακεν ἐν τῇ οἰκοδομῇ τοῦ κοινοβίου, τότε γὰρ ἡ λαῦρα εἰς κοινόβιον μετεσκευάσθη· ἦν δὲ ἐκεῖ τὸ τηνικαῦτα Θωμᾶς τις προσαγορευόμενος, μέγας τῷ βίῳ, τούτου τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰ πλεονεκτήματα γνοὺς ὁ ἀββᾶς Κυριακὸς, συνήφθη, αὐτῷ τῇ τοῦ πνεύματος στοργῇ προσβιβαζόμενος, καὶ γυμναζόμενος, καὶ τῇ αὐτοῦ ἑπόμενος ἀγωγῇ ὅστις Θωμᾶς ἀποσταλεὶς ὑπὸ Φίδου τοῦ διακόνου εἰς Ἀλεξάνδρειαν, ὠνήσατο ἁπλώματα παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου λόγῳ τοῦ κτιζομένου κοινοβίου. Τὰ γὰρ τῶν πατέρων ἡμῶν Εὐθυμίου, καὶ Θεοκτίστου μοναστήρια ἦσαν τότε ἐν ὁμονοίᾳ,

νοίᾳ, κοινὸν τὸν βίον ἔχοντα, καὶ μίαν διήκοισιν, ὑπὸ ἕνα ὄντα οἰκονόμον κατὰ τὴν τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου ἐντολήν. Δωδεκαέτους χρόνου παρεληλυθότος μετὰ τὴν ἁγίαν ἐκείνου κοίμησιν, τοῦ ἡγουμένου τῆς τοῦ ἀββᾶ Θεοκτίστου μονῆς ἀββᾶ Λογγίνου τελευτήσαντος, καὶ Παύλου τὴν ἡγουμενίαν διαδεξαμένου, Τερέβονος Σαρακηνὸς ὁ πάλαι βαπτισθεὶς, καὶ ἰαθεὶς ὑπὸ τοῦ ἐν ἁγίοις Εὐθυμίου μέλλων τελεύταν, ἱκανὰ κατέλιπεν πράγματα τοῖς ἀμφοτέροις μοναστηρίοις. Τοῦ δὲ Παύλου αὐθαδιάσαντος καὶ τὸ τοῦ Τερέβωνος λείψανον, καὶ τὰ πράγματα ἀποσπάσαντος, συγχύσις ἀνεφύη, καὶ τῶν μοναστηρίων διαίρεσις.

7 Τῶν τοίνυν περὶ τὸ μοναστήριον χωρίων τοῦ ὁσίου Εὐθυμίου διαιρεθέντων, κτίζει ὁ Παῦλος πύργον εἰς τὰ διαιρεθέντα χωρία, καὶ δίδωσι διακόσια νομίσματα ὑπὲρ ἀγορασίας ξενοδοχίου, πρὸς τὸ αὐτὸν μόνον διακατέχειν τὸ ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει κοινὸν ξενοδοχεῖον· τότε οἱ μὲν τῆς μονῆς τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου ἠγόρασαν ξενοδοχεῖον τῶν αὐτῶν διακοσίων νομισμάτων, πλησίον τοῦ πύργου τοῦ Δαυῒδ παρὰ τῶν πατέρων τῆς λαύρας τοῦ Σουκᾶ; ὁ δὲ ἀββᾶς Κυριακὸς διὰ τὴν γεναμένην τῶν μοναστηρίων διαίρεσιν, ἀναχωρεῖ λυπηθεὶς κατὰ διάνοιαν, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν λαύραν τοῦ Σουκᾶ περὶ τὸ τέλος τῆς ἡ ἰνδικτίονος, καὶ πληρεῖ τέσσαρας ἐν
B διαφόροις ἔτεσι διακονίας, τήν τε τοῦ ἀρτοκοπίου καὶ τοῦ νοσοκομίου, καὶ τοῦ ξενοδοχείου, καὶ τοῦ οἰκονομίου. Καὶ πάντας τοὺς πατέρας θεραπεύσας, καὶ οἰκοδομήσας, εἰσηνέχθει εἰς τὸ ἱερατεῖον· ἦν γὰρ χειροτονηθεὶς διάκονος εἰς τὴν τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου μόνην, καὶ μετὰ τεσσάρα ἔτη προεβλήθη κειμηλιάρχης, καὶ κανονάρχης, τῷ τεσσαρακοστῷ ἔτει τῆς ἑαυτοῦ ἡλικίας χρόνῳ. Πληρώσας ιγ' ἔτη ἐν αὐτῇ τῇ διακονίᾳ, γέγονεν πρεσβύτερος, καὶ διέμεινεν κειμηλιάρχης, καὶ κανονάρχης ἄλλα ιη' ἔτη.

Theoctisti erant adhuc unita communem vivendi rationem habentia unamque administrationem sub uno dispensatore *t* secundum magni Euthymii mandatum. Duodecimo a sancto ejusdem *v* obitu anno, cum mortuus esset Longinus abbas monasterii patris Theoctisti, illiusque prælaturam suscepisset Paulus, Terebon Saracenus, olim baptizatus et sanatus a S. Euthymio *u*, morti propinquus ingentes facultates ambobus monasteriis reliquerat. Cum autem Paulus pertinaciter restitisset corpusque Terebonis et facultates abripuisset, confusio exorta est et divisio monasteriorum.

[illegible] t v u

7 Separatis namque possessionibus, quæ erant prope monasterium S. Euthymii, erigit Paulus turrim ad limites divisorum prædiorum datque ducentos nummos pro emptione xenodochii; ut sibi soli retineret commune in sancta civitate hospitum diversorium. Tunc ergo ducentis illis nummis xenodochium prope turrim David a patribus lauræ Sucæ emerunt ii de monasterio magni Euthymii; abbas vero Cyriacus propter factam monasteriorum divisionem afflictus animo recedit, venitque ad lauram Sucæ sub finem Indictionis 8 *w*, obitque diversis annis quatuor officia, pistrini nimirum, valetudinarii, diversorii hospitum ac œconomii *x*. Cum autem patribus omnibus servisset et ædificationi fuisset ad sacerdotium promotus est: fuerat enim ordinatus diaconus in monasterio magni Euthymii et post annos quatuor creatus thesaurarius et canonarcha *y*. Impletis autem annis tredecim in illo ministerio, factus est presbyter, mansitque thesaurarius et canonarcha aliis octodecim annis. E

virtutes et labores w x y

ANNOTATA.

a *Idem is scriptor est, qui duobus libris complexus est vitas SS. Euthymii et Sabæ: et horum quidem gesta plurima testatur infra cap. 3, num. 15, se accepisse ex ore* S. Cyriaci *nostri. De vitis Sanctorum illorum earumque scriptore plura invenies Commentarii prævii* § 1, *num.* 4 *et seqq.*

b *Vide, quæ ex vita S. Euthymii de* S. Cyriaco *excerpta sunt Commentarii prævii* § 1, *num.* 4.

c *Igitur natus esset* 9 *Januarii* 449, *quo currebat Indictio* 2. *Theodosius Junior abiit* 28 *Julii anni sequentis* 450. *Verum hæc non cohærent cum reliquis. Igitur Indictio mutanda est, legendumque* Prima. *Redi ad Commentarii prævii* § 2, *num.* 9 *et seq.*

d *Celeberrimus est Petrus hic rebus in concilio Chalcedonensi gestis; inter alios sollicite postularit condemnationem pseudosynodi Ephesinæ anni* 439 *cui interfuerat decessor ejus Erasistratus, ubi pro Eutychete adversus S. Flavianum decisum fuerat. Chalcedonensis concilii Actioni I adfuit Petrus. Igitur Erasistrato successit Petrus intervallo, quod mense Novembri anni* 449 *et Augusto anni* 451 *interjacet. Hallucinatur igitur Lequienus, scriptam de illo referens epistolam S. Leonis, notatam anno* 446, F
C *quo certe metropolitanus Achaiæ, qui ibi carpitur, nondum erat Petrus hic noster. Exstat in Collectione Labbei tom. IV, col.* 966 *ejus et aliorum Achaiæ episcoporum ad Leonem imperatorem epistola super intrusione et usurpatione Timothei Æluri, defensioneque synodi Chalcedonensis, quæ anno* 457 *data est. Inde usque ad annum Christi* 536, *quo Constantinopolitanæ synodo sub Menna pro Photio metropolitano Corinthi diaconi ejus interfuere, neque Petrum, neque alium quemquam sedis illius episcopum reperit Lequienus.*

e *Sic verti vocem* ἀναγωγόν, *quæ vix alibi in bonam partem, et passim pro refractario sumitur.*

f *Portus seu emporium celebre distans secundum Strabonem Corintho* 70 *stadiis, ad sinum Saronicum, quo brevis in Palæstinam navigatio. Nomen tam a Græcis, quam Latinis diversimode scribitur: Actorum* 18, ℣ 18 *est* Cenchreæ.

g *Conspirant notæ chronologicæ ab Anastasio et Leone petita in annum Christi* 465. *Etenim Anastasius, mortuo Juvenale patriarcha, ad sedem Hierosolymitanam omnium consensu electus est anno Christi* 458. *Leo autem imperare cœpit anno* 457. *Hisce porro adde* 7, *illis* 8, *habebis anno Christi* 465 *annum Anastasii octavum, Leonis nonum, currentes mense Septembri vel Octobri* initio Indictionis *quartæ. Verum hæc pugnant cum epocha nativitatis* S. Cyriaci, *quandoquidem ab anno* 449 *usque in* 465 *non nisi anni* 16 *interfluant, atque adeo egerit hic solum annum ætatis* 17. *Vide disputata Commentario prævio* § 2.

h *De lauris Palæstinæ et potissimum de celebri laura S. Euthymii plurima commentatus est Bollandus ad vitam hujus Sancti datam die* 20 *Januarii, quæ si plura de hisce desideras, consule.*

i *De consilio seu instituto S. Euthymii non admittendi in lauram juniores monachos sæpius in hujus vita mentio fit. Exemplum institutique rationes aliquas habes in vita S. Sabæ a Coteleriο editæ tom. III Monumentorum Ecclesiæ Græcæ pag.* 228, *num.* 7, *ubi S. Euthymius recusat in suam lauram admittere S. Sabam,*

S. Sabam, quem ad cœnobium et S. Theoctisti moderamen prius ablegat, quam inter seniores mona- D
A CYRILLO SCYTH.
chos in cellis privatis dispersisque habitantes recipiatur.
k De S. Gerasimo actum est in opere nostra ad diem 5 Martii. De S. Gerasimi cœnobio ad Jor-
danem egit etiam Bollandus in Commentaria prævio ad vitam S. Euthymii, et Pinius in Sylloge de
S. Theoctisto.
l S. Theoctistus in Fastis sacris etiam locum habet coliturque 3 Septembris, ad quem aliqua de illa
collegit Pinius. In vita S. Sabæ superius memorata num. 10 de ejus obitu sic scribitur: Contigit, beatis-
simum Theoctistum mori tertio mensis Septembris, Indictione quarta. Magis præcise annus emortua-
lis ejusdem exprimitur in vita S. Euthymii in Analectis Benedictinis pag. 74 his verbis: Nonagesimo
magni Euthymii ætatis anno magnus Pater noster Theoctistus gravi morbo laboravit, quo et mor-
tuus est senex et plenus dierum, mense Septembri tertia, principio quintæ Indictionis; tribus scilicet
tantum diebus cum mense Septembri inchoatæ, absoluta ibidem quarta. Forte illam alio apud Græcos
computandi mada in vita S. Sabæ usque ad 24 ejusdem mensis produxit Cyrillus. Quidquid sit, si
Indictionem bene in vita S. Euthymii expressit, S. Theoctistus anno Christi 466 mortuus est.
m Celebris est illa Rubæ solitudo virorum præclarorum secessu et ipsius Filii Dei, ut quidam opi-
nantur, quadraginta dierum jejunio. Vergens ad mare mortuum ingens erat desertum, a quo sensim,
illis potissimum temporibus, partes aliquæ decesserunt, quæ et coli a monachis habitarique cœperunt.
n Euthymii obitus incidit in 20 Januarii 473, S. Gerasimi 5 Martii 474, qui secundus erat a morte
S. Euthymii, vigesimus septimus ætatis S. Cyriaci, et nonus adventus ejus in Palæstinam.
o An igitur binis cœnobiis duo præfecti, lauramque a cœnobio ad S. Euthymii normam diviserat
S. Gerasimus, atque alter lauræ, alter cœnobio datus est abbas? Ita quidem suspicor, nisi forte ad aliud
cœnobium hæc Cyrillus referat.
p Elias is diversus est a synonymo, qui patriarcha Hierosolymitanus post Salustium fuit. De hoc
nostro successore in vita S. Euthymii pag. 80 legitur: Obstupefacti autem patres, quod tanta cum E
fiducia (S. Euthymius) futura prænuntiaret, Eliam quemdam monasterii œconomum, genere
B Jerichunteum, præfectum postulant: quem et illis concessit moribundus Sanctus.
q Laura in cœnobium mutata est tantum anno 479, vel potius sequenti, quo Cyriacus agebat trigesi-
mum primum vel secundum annum. Constructio porra cœnobii cum suis adjunctis fuse narratur a Cy-
rillo in vita S. Euthymii pag. 85 et seqq. et ibi manifestum fit ex tempore sedis patriarchæ Martyrii,
qui anno 478 vel 479 cathedram Hierosolymitanam tantum conscendit, et Fidum ad Leonem impera-
torem destinarit, circa jam dictum annum initia cœnobii locata fuisse.
r Thomas, ex computu ad litteram præcedentem missus non est Alexandriam ante annum 478 vel
sequentem, quandoquidem ante illud tempus de cœnobio condendo actum non fuerit. Nescio igitur,
quid agat, qui chronologicas notas contexuit ad vitam S. Cyriaci in Analectis Benedict., dum. pag. 109
in margine mortem Thomæ anno 474 innectit. In vita illa laciniam quidem Metaphrastes post verba
inferius secundum magni Euthymii mandatum talem innexuit: Sed et divinus Thomas cum præsentem
explesset vitam, in æterno habitaculo receptus et justorum cœtui annumeratus fuerat. Sed hæc
errorem circa mortem Longini, non vero epocham mortis Thomæ suggerere debebat.
s Mirabilis apparitio S. Euthymii, quæ naufrago Fido accidit, illius de condendo cœnobia cœlestia
mandata, hujus pro illis exsequendis molimina enucleate descripta leges in vita S. Euthymii apud Pou-
getum sæpe laudatum pag. 86 et seqq. Sedem Alexandrinam illo tempore occupabat Timotheus Salo-
phaciolus, quem Asbum et Album alii nominant. Successit expulso Timotheo Æluro anno Christi 460,
abiitque anno 482, ut conficit Sollerius in Historica Chronologica, quæ tom. V junii præfixa est,
pag. 58.
t Mortuo S. Euthymio successit in prælaturam Lauræ Elias: jam ante S. Theoctisto successerat
Maris (Vide vitam S. Sabæ apud Cotelerium num. 10, pag. 251) atque huic, in vivis adhuc et ordi-
nante S. Euthymio, Longinus, quomodo igitur unita erant utraque monasteria? Erant scilicet sub uno
eodemque œconomo seu dispensatore, qui indiviso bona temporalia administrabat, abbatibus solis rebus
C spiritualibus intentis. Sed et horum sic erant divisa munia, ut credam illum, qui cœnobium, quod inca-
lere debebant juvenes, ad virtutes austeriores formandi, antequam ad lauram et cellas admitterentur,
gubernabat, primario lauræ moderatori quodammodo subjectum fuisse.
v Obiit S. Euthymius die 20 Januarii anno Christi 473: igitur duodecimo post anno 484, vel
sequentis initio Longinus mortuus est. De Paulo ipsum in prælatura subsecuto præter ea, quæ hic
complectitur Cyrillus, nihil alibi reperio.
u Quis fuerit Terebon is, fuse enucleateque describit in vita S. Euthymii pag. 19 Cyrillus, a quo
aliqua accipe: Is igitur antiquis Terebon (noster hic) junioris avus, cum juvenis et impubes esset, a
dæmone percussus tota dextra parte a capite ad pedes aruit. Multa autem pecunia consumpta, ejus
pater, Asphebetus vocatus, nihilo plus adjuvit. Porro hic Asphebetus cum gentilis esset et Persa-
rum vectigalis, in ditionem Romanorum ex fœdere hoc venit. Initio tunc motæ persecutionis in
Perside circa finem regni Isdegerdis Persarum regis, cum magi omnes Christianos capere vellent,
subditorum Saracenorum præfectos ubique viarum constituerunt, ne quis Christianorum in Perside
degentium ad Romanos confugeret. Verum Asphebetus tunc temporis præfectus exsistens, cum hanc
in Christianos sævitiam et inhumanitatem a magis civitatis excitatam videret, miseratione motus
neminem Christianorum a fuga impedivit. Quin imo commiseratus illis opitulatus est, quamvis a
majoribus acceptam gentilium religionem coleret. Accusatus igitur apud regem Isdegerdem, sum-
pto filio Terebone semi-sicco cum universa cognatione et substantia ad Romanos transfugit, quos
Anatolius tunc Orientis præfectus susceptos, Romanis, sancito fœdere, subdidit atque Asphebe-
tum Saracenorum ex fœdere Romanis subjectorum, qui in Arabia morabantur, præfectum con-
stituit. Habes hic quomodo in Arabiam advenerit, et unde ingentes facultates possederit Terebon.
Narrat post hæc Cyrillus, quomodo adhuc gentilis Terebon visione ad S. Euthymium evocatus, ab
eodem sanatus, ac cum patre atque omnibus consanguineis prodigio stupefactis ad fidem conversus fue-
rit:

A *rit : quæ omnia, si voles, ibidem leges. Pagina 46 refert aliud* Tereboni *præstitum a S. Euthymio beneficium, dum miraculose uxori ejus fœcunditatem impetravit.* A CYRILLO SCYTH.

w *Nimirum anno 483, qui calculus optime cum reliquo computu fluit.*

x *De singulis illis officiis sæpe alias in vitis SS. Euthymii, Sabæ aliorumque cœnobiarchorum mentio fit; explicationem, si qua eges, invenies apud Cangium in utroque Lexico.*

y *Observavi Commentarii prævii* § 2, *num.* 12 *et seq., non parum complicatas esse notas chronologicas, quæ hic concurrunt. Extricatas et cum aliis ad chronotaxim redactas ibidem vide.*

CAPUT II.

Mira S. Cyriaci abstinentia et pœnitentiæ studium prodigiis a Deo decorata. Amore solitudinis latebras quærens, miraculis illustratur. Origenistarum prava dogmata detegit et impugnat.

Διεβεβαιώσατο δὲ μοι λέγων, ἐν τῷ τοσούτῳ τῶν τριάκοντα ἑνὸς χρόνων κανονάρχην μὲ ὄντα, καὶ κειμηλιάρχην, οὐκ ἴδεν ὁ ἥλιος ἐσθίοντα, οὐδὲ ὀρ-
B γιζόμενον. Ἔλεγεν δὲ μοι καὶ τοῦτο, ὅτι οὐκ ἐπλήρουν κρούων εἰς τὸ ξύλον τοῦ κρούσματος τῆς λαύρας τῆς νυκτερινῆς ψαλμῳδίας, μέχρις οὗ ἐστιχολόγουν ὅλον τὸν ἄμωμον. Τῷ μέντοι οὖν ἐξ' τῆς αὐτοῦ ἡλικίας χρόνῳ, παραδίδωσιν τὸ κειμηλιαρχεῖον ἐπὶ τῆς τρίτης ἰνδικτίονος. Καὶ ἀναχωρεῖ ἐπὶ τὴν τοῦ Νατουφᾶ πανέρημον, μαθητὴν τινὰ ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ. Καὶ ἐπειδὴ μελάγριαι οὐχ εὑρίσκοντο ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, παρεκάλεσεν τὸν Θεὸν διὰ τὴν ἀνάγκην τοῦ σώματος παρασχεῖν αὐτοῖς ἐκ τῶν αὐτόθι σκίλλων τρέφεσθαι. Καὶ πιστεύσας τῷ τὰ πάντα κτίσαντι, καὶ μεταβαλεῖν τὸ πικρὸν εἰς γλυκὺ δυναμένῳ, εἶπεν τῷ ἑαυτοῦ μαθητῇ, ἄπειθε τέκνον, συνάγαγε σκίλλας καὶ ἔκζεσον. Καὶ εὐλογητὸς Κύριος, ὅτι ἔχωμεν ἐξ αὐτῶν εὐφρανθῆναι. Καὶ συνήγαγεν ὁ μαθητής, καὶ ἐξέζεσεν, καὶ παρέθηκεν μετὰ ἅλατος, καὶ ἐγλυκάνθησαν αἱ σκίλλαι παραυτίκα, καὶ ἔμειναν ἐσθίοντες ἐξ αὐτῶν ἐπὶ χρόνον ἐτῶν δ'. Τοῦ δὲ τετραετοῦς χρόνου πληρωθέντος, ἀνήρ τις, πρωτοκωμήτης ἀπὸ Θεκούων τῆς κώμης, μαθὼν τὰ περὶ αὐτοῦ παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ θρέμματα νεμόντων, ἦλθεν πρὸς αὐτὸν ἔχων ὄνον ἄρτων θερμῶν πεφορτωμένον. Καὶ ἀπογυμνώσας ἀπῆλθεν, καὶ ἤσθιον ἀπὸ τοῦ ἄρτου.

9 Ὁ μὲν οὖν μαθητὴς χωρὶς γνώμης τοῦ γέροντος
C καθ' ἣν εἶχεν συνήθειαν σκίλλας ἐκζέσας ἐγεύσατο, καὶ μὴ ἀνέγκας τὴν πικρίαν, ἔκειτο ἄφωνος. Ὁ δὲ γέρων μαθὼν τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς, ὑπερευξάμενος αὐτῷ καὶ ἀναστήσας αὐτὸν, μετέδωκεν αὐτῷ τῶν ἀχράντων μηστυρίων, καὶ ὑγιῆ ἀποκαταστήσας, ἐνουθέτη λέγων· τέκνον, ὁ Θεὸς πάντοτε μὲν θαυματουργεῖ, πολλῷ δὲ μᾶλλον ἐν καιρῷ ἀνάγκης, καὶ περιστάσεως, ἐξαιρέτως ὅπου καὶ σωτηρία ψυχῶν. Μὴ οὖν δειλιάσῃς. Καὶ τῶν μὲν ἄρτων ἤδη πληρωθέντων, καὶ ἀνάγκης αὐτοῖς γενομένης, πάλιν ὁ γέρων εὐλογήσας, τῷ μαθητῇ ἐπέταξεν ἐκ τῆς σκίλλης ἑτοιμᾶσαι εἰς τὴν ὥραν τοῦ γεύσασθαι. Ὁ δὲ μαθητὴς ἐφοβεῖτο ἅψασθαι. Καὶ λαβὼν ὁ γέρων καὶ εὐλογήσας, καὶ τὸν τοῦ σταυροῦ τύπον ποιήσας, ἤρξατο πρῶτος ἐσθίειν, καὶ οὕτως ὁ μαθητὴς θαῤῥήσας ἔφαγεν, καὶ ἔμεινεν ἀβλαβής. Τῷ δὲ ε' χρόνῳ τῆς ἐν τῷ Νατουφᾶ αὐτοῦ διαγωγῆς πληρουμένου, ἀνήρ τις Θεκουϊνὸς ἀκούσας περὶ αὐτοῦ, ἤγαγεν πρὸς αὐτὸν τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεινῶς σεληνιαζόμενον, καὶ ἐδυσώπει αὐτὸν εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ποιήσασθαι. ὁ δὲ γέρων συμπαθήσας αὐτῷ, ἐποίησεν εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ ἀλείψας αὐτὸν ἔλαιον, τοῦ ἁγίου σταυροῦ, ἀπεκατέστησεν αὐτὸν ὑγιῆ.

10 Ὅστις Θεκουϊνὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ ὑγιῆ ἀπολα-

Porro asseveravit *a* mihi dicens : Toto illo triginta unius annorum tempore, quo canonarcha et thesaurarius eram, non vidit sol comedentem, non ira commotum. Dixit et hoc mihi, quod non cessarit a pulsando ad lignum, quo in laura signum datur *b* ad nocturnam psalmodiam, donec recitasset totum Immaculatum *c*. Anno autem quinquagesimo septimo ætatis suæ remittit munus thesaurarii Indictione tertia *d* seceditque ad solitudinem Natupha, discipulum *e* secum habens ; cumque melagria *f* non invenirentur in illis locis, Deum oravit, ut necessaria corpori illis præberet ex scillis *g*, quæ ibidem crescebant. Confidensque illi, qui cuncta creavit potestque amarum mutare in dulce, dixit discipulo suo : Abi, fili, collige scillas et coque, et benedictus Deus, quoniam habemus, unde exhilaremur. Discipulus collegit et coxit aspersitque sale, et scillæ confestim dulces factæ sunt perseveraruntque ex illis edere quatuor annorum tempore. Elapso autem quadriennio, vir quidam pagi princeps, e Thecuorum *h* pago, qui audiverat de Cyriaco ex illis, qui pecora pascebant in eremo, venit ad ipsum habens asinum panibus calidis onustum, quem cum exonerasset *i*, abiit, et edebat de pane illo.

Regularum rigidus observator et abstinentiæ cultor a b c d e f g h i

9 Discipulus porro, cum injussu Senis secundum consuetudinem, quam habebat, scillas coxisset, gustavit, et non ferens amaritudinem jacebat sine voce. Senex autem, cognita infortunii causa, pro illo deprecatus est, cumque illum erexisset, impertivit ipsi illibata mysteria sanitatique illum restituit et admonuit dicens : Fili, Deus semper quidem facit miracula, multo tamen magis tempore necessitatis et afflictionis : præsertim vero ad salutem animarum. Noli ergo timere. Consumptis porro panibus et orta ipsis necessitate, cum iterum benedixisset Senex, jussit discipulum parare de scillis ad tempus edendi. Discipulus autem verebatur tangere. Et sumens Senex, cum benedixisset, et Crucis signum fecisset, cœpit prior edere, et sic discipulus comedit et mansit innoxius. Completo autem 5 anno conversationis ejus in Natupha, cum audisset de illo vir quidam Thecuita, duxit ad illum filium suum vehementer lunaticum, et obsecravit illum, ut suum super illo votum impleret. Senex vero commiseratus ejus fudit orationem super illo. Cumque unxisset illum oleo *k* sanctæ Crucis restituit illum sanitati.

miraculo herbas amaras dulces reddit. Prodigiis illustratur, k

10 Thecuita is eum sanum recepisset filium, miraculum

A CYRILLO SCRIPT. turbas fugit. Reducitur ad lauram Sucæ

miraculum propalavit, quo per totam viciniam illam divulgato, veniebant multi ad ipsum, erantque ipsi molesti. Et abbas Cyriacus fugiens turbam, recessit in interiorem solitudinem Rubæ, mansitque ibidem quinque annis contentus radicibus melagriorum et medullis arundinum. Hoc quidam audientes, cœperunt ad illum adducere ægrotos et spiritibus immundis vexatos, quos sanabat utens Christi nomine signoque venerandæ Crucis. Tunc pertæsus multæ turbæ recessit ex Ruba, venitque in locum maxime solitarium et abditum, ubi anachoretarum nemo manebat. Locus autem ab accolis Susacim *l* appellatur, ubi duo torrentes, junioris scilicet lauræ et lauræ Sucæ *m* commiscentur, suntque maximi et terribilissimi. Aiunt autem quidam, fluvios illos esse Etham, de quibus David in magniloquiis ad Deum dicit : Tu siccasti fluvios Etham *n*. Cum igitur commoratus esset apud Susacim septem annos, tempore maximæ horrendissimæque corruptionis *o*, patres lauræ Sucæ præsenti timore perculsi unanimes venerunt cum supplicatione; multaque obsecratione usi abduxerunt illum ex Susacim ad lauram. Itaque abbas Cyriacus ad lauram reversus mansit ad solitariam cellam S. Chari-
B tonis circa quinque annos debellans Origenistas.

Origenistarum errores et blasphemias

11 Tunc porro ego ex monasterio magni Euthymii profectus ad magnam beati Sabæ lauram *p*, ubi abbas erat Joannes episcopus et silentiarius, ab illo missus sum ad hunc abbatem Cyriacum cum litteris nuntiantibus de gesto in civitate sancta publico bello *q*, et persuadentibus ipsi, ut precibus apud Deum contenderet, ut quantocyus dejiceretur arrogantia illorum, qui in nova laura cum Nonno et Leontio *r* contra Christum militabant ex dogmatis Origenis. Cum igitur venissem in Sucam et cum Zosimo et Joanne discipulis ejus secessissem ad illum in speluncam sancti Charitonis *s*, ipsumque veneratus fuissem, reddidi epistolam, referens etiam ipsi, quæ ex ore abbatis Joannis silentiarii acceperam. Abbas vero Cyriacus lacrymans dixit : Refer illi, qui te misit : Ne animum despondeamus, pater, videbimus enim quamprimum Nonni et Leontii in morte destructionem, reliquorum vero ex nova laura expulsionem *t*, ut genuini beati Sabæ
C discipuli novam lauram incolant, illegitimis inde abactis.

12 Ego porro dixi; quæ sunt igitur, Pater, illorum asserta. Quoniam illi affirmant, quod dogmata circa præexistentiam et restitutionem in statum pristinum indifferentia sint et sine periculo : allegantes et illa sancti Gregorii dicta *v*; Discurre mihi de mundo, de materia, de anima, de rationalibus naturis, tam excellentioribus, quam minus præstantibus, de resurrectione, Christi perpessionibus : in illis enim et assequi non est inutile, et aberrare sine periculo. Adhæc respondit Senex et dixit : Nequaquam indifferentia et sine periculo sunt dogmata circa præexsistentiam, sed periculosa, et damnosa et blasphema. Ut autem id tibi plene persuadeam, paucis verbis multiplicem eorum impietatem depingere conabor. Dicunt, Christum non esse unum de Trinitate *u*. Dicunt, nostra ex resurrectione corpora penitus interitura et primo illud Christi *w*. Dicunt, quod sancta Trinitas non condiderit mundum et quod in restitutione in statum pristinum naturæ omnes rationales, etiam ipsi dæmones valituri sint Æones producere *x*. Dicunt, æetherea fore et sphæ-

D βὼν, τὸ θαῦμα ἀνεκήρυττεν. Τούτου δὲ διαφημισθέντος εἰς πᾶσαν τὴν ἐνορίαν ἐκείνην, ἦλθον πρὸς αὐτὸν πολλοὶ, καὶ ὄχλουν αὐτῷ. Καὶ φεύγων ὁ ἀββᾶς Κυριακὸς τὴν ὄχλησιν, ἀνεχώρησεν ἐπὶ τὴν ἐνδοτέραν ἔρημον τοῦ Ῥουβᾶ, καὶ ἔμεινεν ἐκεῖσε χρόνον ἐτῶν πέντε, ῥίζαις μελαγρίων ἀρκούμενος, καὶ καρδίαις καλάμων. Καὶ μαθόντες τινὲς κατήρχοντο πρὸς αὐτὸν, φέροντες ἀσθενοῦντας, καὶ ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐνοχλουμένους, οὕστινας ἐθεράπευσεν τῇ τοῦ Χριστοῦ χρώμενος ἐπικλήσει, καὶ τῇ τοῦ τιμίου σταυροῦ σφραγίδι. Τότε τὴν πολλὴν δυσχεραίνων ὄχλησιν, ἀνεχώρησεν ἀπὸ τοῦ Ῥουβᾶ, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τόπον πανέρημον, καὶ ἀπόκρυφον, ἔνθα οὐδεὶς τῶν ἀναχωρητῶν ἔμεινεν. Ὁ δὲ τόπος ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Σουσακεὶμ ὀνομάζεται. Ἔνθα οἱ ἀμφότεροι χείμαρροι, κατασμίγονται, ὅτε τῆς νέας λαύρας καὶ ὁ τῆς Σουκᾶ λαύρας, βαθύτατοι ὄντες, καὶ φοβερώτατοι. Φασὶν δὲ τινες τούτους εἶναι τοὺς ποταμοὺς Ἰθὰμ, περὶ ὧν ὁ Δαυὶδ ἐν ταῖς πρὸς Θεὸν μεγαληγορίαις φησίν· Σὺ ἐξήρανας τοὺ ποταμοὺς Ἰθάμ. Ποιήσας τοίνυν εἰς σουσακεὶμ ἔτη ἑπτὰ ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς μεγίστης τε καὶ φοβερωτάτης θνήσεως, οἱ τῆς λαύρας τοῦ σουκᾶ πατέρες τὸν ἐπικείμενον φόβον δεδιότες, κατῆλθον ὁμοθυμαδὸν μετὰ λιτῆς, καὶ πολλῇ τῇ παρακλήσει χρησάμενοι, ἀνήγαγον αὐτὸν ἀπὸ σουσακεὶμ εἰς τὴν λαύραν. Ὅστις ἀββᾶς Κυριακὸς εἰς τὴν λαύραν ἐλθὼν, ἔμεινεν εἰς τὸ ἀναχωρητικῶν κελλίον τοῦ ἐν E
ἁγίοις Χαρίτωνος ἐπὶ πέντε χρόνους καταγωνιζόμενος τῶν Ὠριγενιαστῶν.

11 Τότε δὴ ἐγὼ ἀπὸ τῆς μονῆς τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου παραβαλὼν εἰς τὴν μεγίστην λαύραν τοῦ μακαρίου Σάβα, τῷ ἀββᾷ Ἰωαννῃ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἡσυχαστῇ, ἀπεστάλην ὑπ' αὐτοῦ πρὸς τοῦτον τὸν ἀββᾶν Κυριακὸν μετὰ γραμμάτων διηγουμένων περὶ τοῦ γεγονότος ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει δημοσίου πολέμου, καὶ δυσωποῦντων αὐτὸν νῦν ἀγωνίσασθαι ἐν ταῖς πρὸς Θεὸν πρεσβείαις πρὸς τὸ ἐν τάχει καταβληθῆναι τὸ φρύαγμα τῶν ἐν τῇ νέᾳ λαύρᾳ μετὰ Νόννου, καὶ Λεοντίου κατὰ Χριστοῦ στρατευομένων διὰ τῶν Ὠριγένους δογμάτων. Ἐλθὼν τοίνυν ἐγὼ εἰς τὸν σουκᾶν, καὶ μετὰ Σωζίμου, καὶ Ἰωάννου τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, ἀπελθὼν πρὸς αὐτὸν εἰς τὸ σπήλαιον τοῦ ἐν ἁγίοις Χαρίτωνος, καὶ προσκυνήσας αὐτὸν, ἐπέδωκα αὐτῷ τὴν ἐπιστολὴν, εἶπον δὲ αὐτῷ καὶ ἀπὸ στόματος τὰ παρὰ τοῦ ἀββᾶ Ἰωάννου τοῦ ἡσυχαστοῦ λεχθέντα. Ὁ δὲ ἀββᾶς Κυριακὸς δακρύσας εἶπεν, εἰπὲ τῷ στείλαντί σε, μὴ ἀθυμήσωμεν πάτερ, ὀψόμεθα γὰρ ἐν τάχει τὴν μὲν Νόννου, καὶ Λεοντίου ἐν θανάτῳ κατάλυσιν, τήν τε τῶν λειπῶν ἐκ τῆς νέας λαύρας ἐκβολὴν, πρὸς τοιούτους γνησίους τοῦ μακαρίου Σάβα μαθητὰς τὴν νέαν λαύραν οἰκεῖν, τῶν νόθων ἐξ αὐτῆς διωχθέντων. F

12 Ἐγὼ δὲ εἶπον· τί γάρ ἐστι πάτερ τὰ παρ' αὐτῶν πρεσβευόμενα. Ἐπείπερ αὐτοὶ διαβεβαιοῦνται, ὅτι τὰ περὶ προϋπάρξεως, καὶ ἀποκαταστάσεως δόγματα μέσα τυγχάνει καὶ ἀκίνδυνα, προφέροντες καὶ ἐκεῖνα τὰ παρὰ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου λεγόμενα· φιλοσοφεῖ μοι περὶ κόσμου, περὶ ὕλης, περὶ ψυχῆς, περὶ λογικῶν φύσεων, βελτιόνων τε, καὶ χειρόνων, περὶ ἀναστάσεως, Χριστοῦ παθημάτων. Ἐν τούτοις γὰρ καὶ τὸ ἐπιτυγχάνειν οὐκ ἄχρηστον, καὶ τὸ διαμαρτάνειν ἀκίνδυνον. Πρὸς ταῦτα ἀπεκρίθη ὁ γέρων καὶ εἶπεν. Οὐ μέσα, καὶ ἀκίνδυνα τὰ περὶ προυπάρξεως δόγματα, ἀλλὰ καὶ ἐπικίνδυνα, καὶ ἐπιβλαβῆ, καὶ βλάσφημα. Ἵνα δὲ σε πληροφορήσω ἐν ὀλίγαις λέξεσιν τὴν πολυσχεδῆ αὐτῶν ἀσέβειαν στηλιτεῦσαι πειράσομαι. Λέγουσιν μὴ εἶναι ἕνα τῆς Τριάδος τὸν Χριστόν. Λέγουσιν τὰ ἐξ ἀναστάσεως σώματα ἡμῶν εἰς παντελῆ ἀπώλειαν ἐλθεῖν, καὶ Χριστοῦ πρώτου. Λέγουσιν ὅτι ἡ ἁγία Τριὰς οὐκ ἐδημιούργησεν τὸν κόσμον, καὶ ὅτι ἐν τῇ ἀποκαταστάσει δυνήσονται πάντα τὰ λογικὰ μέχρις καὶ δαιμόνων δημιουργεῖν αἰῶνας. Λέγουσιν ὅτι αἰθέρια, καὶ σφαιροειδῆ ἐγείρονται ἡμῶν τὰ σώματα ἐν τῇ ἀναστάσει, καὶ γὰρ καὶ τὸ τοῦ Κυρίου οὕτω φασὶν ἐγείρασθαι σῶμα. Λέγουσιν

A γουσιν ὅτι γινόμεθα ἴσοι τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ ἀποκαταστάσει.

13 Ποῖος τοίνυν ᾅδης ταῦτα ἐρεύξατο; οὐ παρὰ τοῦ Θεοῦ ταῦτα μεμαθήκασιν, μὴ γένοιτο, τοῦ λαλήσαντος διὰ τῶν προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, ἀλλὰ Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, Ὠριγένους τε καὶ Εὐαγρίου, καὶ Διδύμου παρειλήφασιν τὰ μυσαρὰ ταῦτα, καὶ ἀσεβῆ δόγματα. Ἐγὼ δὲ τεθαύμακα, πόσους τε εἰκῆ, καὶ μάτην πόνους ἀνήντλησαν εἰς τοιαύτας ἐπιβλαβεῖς ματαιοπονίας, καὶ πῶς οὕτως τὰς ἰδίας ὥπλησαν γλώσσας κατὰ τῆς εὐσεβείας. Οὐκ ἔδει μᾶλλον αὐτοὺς ἐπαινεῖν καὶ δοξάζειν, φιλαδελφίαν, φιλοξενίαν, παρθενίαν, πτωχοτροφίαν, ψαλμῳδίαν τε, καὶ πάννυχον στάσιν, καὶ δάκρυα κατανύξεως; οὐκ ἐχρῆν αὐτοὺς μᾶλλον ὑποπιάζειν νηστείαις τὸ σῶμα, καὶ δι' εὐχῆς πρὸς Θεὸν ἐκδημεῖν, καὶ μελέτην θανάτου τὸν βίον ποιεῖσθαι, καὶ μὴ ταῖς τοιαύταις αἱρεσχελίαις ἀδολεσχεῖν; καὶ λέγει ὁ γέρων· ἀλλ' οὐκ ἠβουλήθησαν τῇ ταπεινῇ ὁδῷ τοῦ Χριστοῦ πορευθῆναι, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, φάσκοντες, εἶναι σοφοί, ἐμωράνθησαν. Πάντων δὲ τῶν ζιζανίων ὁ σπορεὺς, καὶ τῶν κακῶν αἴτιος γέγονεν Νόν-
B νος, ὅστις τῆς τοῦ μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Σάβα κοιμήσεως δοξαζόμενος, ποτίζειν ἤρξατο τὸν πλησίον ἀνατροπὴν θολερὰν, Λεοντίον τὸν Βυζάντιον ἔχων ὑπουργὸν, καὶ ὑπέρμαχον, καὶ συναγωνιστήν.

14 Καὶ πρῶτον μὲν τοὺς ἐν αὐτῇ νέᾳ λαύρᾳ λογιωτέρους, μᾶλλον δὲ ἀλογοτέρους, εἰς τὴν αὐτοῦ μιαρὰν συγκατέσπασεν αἵρεσιν, καὶ οὐκ ἠρκέσθη τούτοις, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ μοναστήρια τῆς ἐρήμου τῆς ἑαυτοῦ μεταδοῦναι λοίμης ἐσπούδασεν. Ποίαις δὲ μηχαναῖς οὐκ ἐχρήσατο κἀμὲ τὸν ταπεινὸν συγκατασπᾶσαι; ὁ δὲ Θεὸς δι' ἀποκαλύψεως ἔδειξέν μοι τὸν τῆς αἱρέσεως αὐτοῦ βόρβορον. Ποίαις δὲ μεθοδίαις οὐκ ἐχρήσατο τῇ τοῦ Σουκᾶ συνοδίᾳ τῆς ἑαυτοῦ μεταδοῦναι κακοδοξίας; καὶ οὐκ ἴσχυσεν, ἐμοῦ τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι ἕκαστον νουθετοῦντος, καὶ παρακαλοῦντος τῆς ὀρθῆς μὴ ἀποστῆναι πίστεως. Καὶ αὐτοῦ σπουδάσαντος ἡγούμενον τῆς ἑαυτοῦ αἱρέσεως ὑπασπιστὴν καταστῆσαι ἐν τῇ ἡμετέρᾳ λαύρᾳ, Πέτρον φημὶ τὸν Ἀλεξανδρέα, καὶ δουλῶσαι τὴν συνοδίαν, καὶ οὐκ ἠδυνήθη, ἀλλὰ τοὐναντίον ἡ συνοδία κινηθεῖσα, τῆς ἡγεμονίας Πέτρον ἐξέωσεν. Πάλιν μὲν οὖν οἱ περὶ Νόννον ἀναιδῶς κινούμενοι, ἄλλον Πέτρον ἑλλαδικὸν τῆς Ὠριγένους λοίμης ὄντα ὑπασπιστὴν ἡγούμενον ἡμῶν ἐγκατέστησαν. Ἀλλ' ἡ συνοδία πά-
C λιν ζήλῳ πνευματικῷ κινουμένη, Πέτρον μὲν τῆς ἡγεμονίας ἐξέωσεν, καὶ εἰς τὴν λαύραν τοῦ μακαρίου Σάβα ἀπελθοῦσα, ἔλαβεν ἑαυτῇ τὸν νῦν ἡγούμενον ἀββᾶν Κασσιανὸν, Σκυθοπολίτην ὄντα τῷ γένει, ὀρθόδοξόν τε ὄντα καὶ βίῳ καὶ λόγῳ κεκοσμημένον· καὶ τότε μόλις ἰσχύσαμεν τοὺς Ὠριγένου ὑπασπιστὰς ἀποκρούσασθαι.

rica nostra in resurrectione corpora: tale enim resurrexisse, aiunt, et ipsum Domini corpus. Dicunt, quod Christo similes futuri simus in restitutione in statum pristinum. A. CYRILLO SCYTH.

13 Quis tandem infernus hæc eructavit? Non hæc didicerunt a Deo, absit, locuto per Prophetas et Apostolos; sed a Pythagora et Platone, Origene et Evagrio *y* atque a Didymo *z* acceperunt abominanda hæc et impia dogmata. Ego porro miratus sum, quantos temere et frustra labores insumpserint damnandis illis insaniis, quomodoque tantopere linguas suas armaverint contra pietatem. Non oportebat potius ipsos laudare et colere fraternam caritatem, virginitatem, amorem paupertatis, psalmodiam et stationem nocturnam *aa* et lacrymas pœnitentiæ? Non oportebat potius ipsos edomare jejuniis corpus et mente ad Deum peregrinari et meditationi mortis vitam insumere, quam hæreticis hisce ineptiis insanire? Dixit autem senex: At non voluerunt humili via Christi incedere, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et insipiens cor eorum obscuratum est: dicentes, se sapientes esse, stulti facti sunt *bb*. Omnium porro zizaniorum seminator et malorum author fuit Nonnus, qui a decessu E beati patris nostri Sabæ elatus incepit diffundere propinquam turbidam perditionem, Leontium Byzantinum habens ministrum et adjutorem et commilitonem.

Cyrillo exponit turbarumque finem

y z

aa

bb

14. Et primum quidem, qui in Nova laura *vaticinatur.* doctiores, imo potius indoctiores erant, in scelestam suam pertraxit hæresim. Sed nec hisce stetit, quin et monasteria solitudinis sua peste inficere studuit. Quales autem machinas non admovit ut et me imbecillum convelleret! Deus vero per visionem ostendit mihi cœnum hæresis ejus. Quam fraudulentas insidias non struxit, ut conventum Sucæ perversæ doctrinæ suæ participem faceret! et non potuit, per Christi gratiam me unumquemque semper hortante et excitante, ne a recta fide desciscerent. Sed et sategit abbatem hæresis suæ defensorem constituere in nostra laura, Petrum, inquam, Alexandrinum *cc*; et subjicere conventum, nec potuit tamen, nam contra conventus commotus Petrum prælatura exturbavit. Itaque rursus quidem aliqui per Nonnum incitati Petrum alium ex Græcia oriundum, pestis Origenis propugnatorem, abbatem constituerunt: sed conventus iterum zelo secundum spiritum animatus F Petrum prælatura expulit, profectusque ad lauram beati Sabæ accepit inde abbatem, qui nunc est, Cassianum *dd*, genere Scythopolitanum, orthodoxum, vitaque et doctrina præclarum. Atque ita vix tandem valuimus Origenis defensores reprimere.

cc

dd

ANNOTATA.

a *Hæc ita habet Metaphrastes.* Hæc quoque de Cyriaco dicuntur: quod tot annorum spatio non modo sol non occiderit super ejus iracundiam, sed ne minime omnium ira commotus fuerit, neque enim viderit dies comedentem etc. *In vita nostra, ubi inducitur ipse* S. Cyriacus *de se asserens, auctoritatem majorem habere relatio censenda est: verum est hic aliquid contra modum scribendi Cyrilli hiulcum et nimis crude a præcedentibus recedens, ut credam, correctum apographum esse. Præterea nude sumpta relatio humilitatem* S. Cyriaci *suas virtutes extollentis non multum commendaret.*

b Κροῦσμα *in vita S. Sabæ cap. 42 atque alibi in sequioris ævi monumentis Græcis frequentissime occurrit. Exempla dat Cangius in Glossario Græco-barbaro. Passim lignum vel ferrum, quo signum dabatur ad psalmodiam, significat: hic pro abstracto, ut aiunt, seu pulsatione accipitur.*

c *Observat, qui vitam vertit ediditque inter Analecta Benedict., designari hic Psalmum* 118; *qui est,* Beati immaculati in via.

d *De hisce duabus calculis disquisitum est Commentarii prævii num.* 15 *et seq., ubi ostensum est, non esse inter se concordes, legendumque in græco* οζ, *qui annum 77 designat.*

o *In Mappis geographicis Adrichomii aliaque anonyma, quæ satis correcta apparet, invenio* Netophati

A. CYRILLO SCYTH.

tophati, *locum medium fore inter monasterium S. Sabæ et Engaddi; seu Mare Mortuum, Orientem versus, haud procul a torrente Cedron. Ab eone* Natupha *solitudo nomen sortita esset? Quamquam magis ad Occidentem esse videtur, cum, quæ infra sequuntur, innuant, haud procul inde vicum Thecua situm esse. Forte solitudo* Natupha *erit, quæ alias* desertum Bethleem *appellatur: certe non potest ab hoc longe abesse.*

f Μελάγρια, *seu potius herbæ illius radices etiam S. Euthymio, ut liquet ex vita ejus pag. 78, et S. Sabæ vitæ num. 15 pro cibo fuerunt. Quæ illa sit silvestris herbæ species, distinctius assignatum non reperio.*

g Σκίλλα, *alias* σκῖνος, *latine* Scilla *vel* Squilla, *herba est bulbo insigni prædita: medulla ejus tenera et mollis est instar adipis, sed gustus valde amarus.*

h *Græce est* Θεκούων: *Pougetus habet* Θεκωῶν *et in alio exemplari* Θεκόων. *Designatur vicus* Thecua *seu* Thecue, *qui Meridionalis est Hierosolymæ, unde in mappis geographicis tam antiquis quam recentioribus exiguo intervallo distat. Duodecim M. passibus inde disjungunt Eusebius et Hieronymus.* Alibi tamen, *inquit Calmetus in Dictionario Biblico,* idem S. Hieronymus sex M. passibus a Bethleem Meridiem versus illam amovet; *in quo, quandoquidem una distantia a Jerosolymis, altera a Bethleem deducitur; errorem non video.* Urbs Thecue, *inquit idem Calmetus,* montibus insidens, postremus erat ejus lateris locus usque ad Mare Mortuum. Urbem Thecue proxime sitam fuisse arci Herodio Josephus de Bello lib. 5, cap. 7 testatur. Desertum Thecue occurrit 2 Paralip. 20, quod longe a Mari Mortuo patebat 1 Machab. 9, ℣ 4. *Desertum illud verosimilius aliud nomen assumpsit ex illis, quæ anachoretarum v et vi sæculo laucis celebrata fuere, forteque Natupha partem illius complectitur, quatenus vel ad Mare Mortuum et Orientem, vel versus Meridiem et Maspham vergit.*

i Ἀπογομώσας *non intelligo: substitui* ἀπογυμνώσας, *ex quo pro sensus exigentia, sic verti.*

k *In vita S. Sabæ ad finem num. 45 de Gerontio ab illo sanato scribit Cyrillus* Καὶ ἐλθὼν πρὸς Τερόντιον, καὶ εὐχὴν ἐκτενῆ ὑπὲρ αὐτοῦ ποιήσας καὶ ἔλαιον τοῦ ἁγίου σταυροῦ ἀλείψας αὐτὸν, ὑγιῆ ἀπεκατέστησεν, *ubi iisdem verbis adhibitum pro sanitate recuperanda* Oleum sanctæ Crucis *asseritur. Cangius in Glossario opinatur, sermonem esse de liquore odorifero, quem ex nodis sancti ligni profluxisse instar olei et adversus morbos salutiferum fuisse scribit Venerabilis Beda de Locis Sanctis cap. 20. Forte etiam oleum communius a sanctis viris benedictum, et a loco vel ipsa benedictionis forma sanctæ Crucis appellatum, significatur.*

B E

l *Ignotus Geographis, quos hactenus vidi, omnibus locus est* Susacim. *Diceres* Suca *et* Susacim *alterum ab altero derivatum. Vide litteram sequentem.*

m *De celeberrima* Sucæ laura *tam* Veteri, *quam* Nova *frequentissima est in vitis hæc SS. Euthymii, Sabæ, Charitonis aliisque mentio: nec situs tamen satis exploratus. Distinctius de illa scribitur in vita S. Charitonis, quam dedimus die præcedenti. Ibi pag. 618, num. 12 leguntur, quæ huc spectant, sequentia.* Accedit (*S. Chariton*) ad aliam partem solitudinis, quæ quatuordecim stadiis paulo plus aut minus distat a regione (*in græco, ut ibi annotatum est, habetur vox* κτῆμα, *quæ possessionem, prædium et vicum quandoque significat*) Thecoorum... aliam quoque ibi lauram ædificat admirabilis Chariton, quam nonnulli quidem lingua Syra Sucam nominant, alii autem voce græca Veterem Lauram appellant. *Hæc procul dubio* Vetus *tantum appellari cœpit, postquam aliæ in vicinia et forte illo, quæ ad distinctionem* Nova *appellata est, conditæ fuere. Vix dubito, quin de ipso oppido, vico, seu districtu Thecues hic sermo sit, ita ut credam Sucæ lauram inde quatuordecim tantum circiter stadiis, quod ad duo milliaria accedit, versus Mare Mortuum vel Arobiam dissitam fuisse, at situm vix, aut ne vix quidem propius assignare possum. Vide tamen, quæ ad litteram mox sequentem annotabo.*

n *Habentur hæc verba Psalm. 73, ℣ 15, circa quæ conjecturis agentes interpretes, et in diversas partes abeuntes reperio. Sunt, qui asserant, ex vi Hebraici nominis* Ethan, *quod, inquiunt,* validum et fortem *significat, nomen commune esse fluminibus rapidis alveique capacioris: alii proprium nomen esse contendunt, sed in assignandis fluminibus illis dubio satis successu laborant. Certum est ex lib. 2 Paralipomenon cap. 11, ℣ 6, locum quemdam, verosimilius Bethleem inter et Thecuem,* Ilitham, Aithan, Ethan, *seu, ut vulgata habet,* Etam *fuisse appellatum. Idem is esse videtur, de quo scribit Josephus Antiquitatum lib. 8, cap. 2, quemque* duobus schœnis, *id est, quindecim milliaribus Hierosolymis dissitum, ait. Locus ille fuit Salomoni in deliciis propter confluentium aquarum amœnitatem. Le Brun Itineris Orient. cap. 51 piscinarum ibidem exsistentium rudera describit et delineata exhibet. Ex ejus relatione uno circiter milliari distant a Bethleem. Quamquam hæc omnia, quoad distantiam satis quadrare videantur situi* lauræ Sucæ *minus tamen conveniunt Susacim, aliquot milliaribus inde remoto, ex num. 15, et insuper descriptio torrentium, quam hic facit Cyrillus, minime imaginem piscinarum ingerit. Sed nec alibi ego confluentem in Palæstina invenio, cui illa applicare possim.*

C F

o *Sic verti vocem* θνήσεως, *quæ et ipsa græce ambiguam significationem habet. Non reperi, pestem aut alium morbum quempiam contagiosum similemve plagam tum temporis grassatam esse. Itaque suspicor, de hæresi Origenistarum, quam passim etiam alibi* pestis *nomine excipit Cyrillus, hic illi sermonem esse. Certe Origenistæ tum plurima contra orthodoxos in Palæstina moliti sunt, ut ostendi Comment. præv. § 2, num. 19 et seqq.*

p *Quo circiter tempore, quaque occasione a S. Joanne Silentiario, cujus acta a nobis die 13 Maji, quo colitur, illustrata sunt, missus fuerit Cyrillus, expositum invenies Comment. prævii num. 17 et seqq.*

q *Sic vertendam duxi vocem aliunde ambiguam propter ea, quæ Comment. prævii num. 17 deduxi, quæque, si lubet, consule.*

r *De* Nonno *in vita S. Sabæ sæpe memorata num. 36, pag. 274 legitur:* Qui Agapetus, suscepta Novæ lauræ præfectura, quatuor invenit in congregatione monachos a simplicissimo Paulo eorum ignaro illic admissos, qui occulte Origeniana dogmata susurrabant: quorum princeps erat vir quidam Palæstinus, Nonnus nomine, qui christianismum sectari præ se ferens et, pietatem simulans, impiorum

A impiorum gentilium, Judæorum et Manichæorum dogmata in animo habebat, quæ ab Origene, Evagrio et Didymo de præexsistentia fabulose fuere prolata. Narrat deinde ejus expulsionem, molimina contra Catholicos. Exitum ejus aliaque eo spectantia habes Comment. prævii § 2, num. 19. De Leontio in eadem vita sic Cyrillus num 72, pag. 344. Origenis denique exitiosam hæresim cum dictarum hæresum abjectione recensuit (coram Justiniano S. Sabas) quoniam inter monachos, qui cum eo erant, quidam Byzantinus genere, nomine Leontius, unus eorum, qui una cum Nonno in Novam lauram... suscepti fuere, inventus est Origenis dogmata defendere. Quapropter eum a suo consortio repulit, et in Palæstinam revertens deseruit S. Sabas. Leontius Byzantii relictus in aulam sese intrusit ibique simulatione pessime rem Orthodoxorum affecit. Nefarias ejus molitiones habes ibidem num. 84, mortem num. 86.

A. CYRILLO SCYTH.

s De hac spelunca S. Charitonis in ejus ipsius vita scribitur num. 15. Cum curam gereret quietis et silentii, ut nullius alterius re magis, non ignorans, quantum posset conferre ad virtutem, cum rescivisset esse quamdam speluncam in præcipiti quidem et prærupto monte sitam, sed non longe distantem ab hac sacra (Sucæ) laura, quæ usque in hodiernum diem appellatur Cremastos, id est Pensilis, (non enim potest quis ad eam accedere nisi scalis), eam habitat vir ille egregius. Memorata spelunca, de qua hic sermo est, S. Charitonis nomen inde retinuit, et a viris sanctis plurimum culta fuit.

t Ad litteram impletum fuit hoc S. Cyriaci vaticinium. Vide Comment. prævii § 2, num. 19, ubi rem cum suis adjunctis ex vita S. Sabæ a Cyrillo nostro relatam habes.

v Respicitur, ni fallor, hic ad verba S. Gregorii Nazianzeni Apologet. Orat. 1 ex editione Billii num. 65. Certe verba non pauca hic relata inde desumpta sunt, sed ridicule traductus est sancti Doctoris sensus, qui ibidem disputat, quæ materia sacro oratori et quomodo tractanda sit, tantumque dicit, majorem fere circumspectionem adhibendam esse in sermonibus de sanctissima Trinitate, quam in rebus aliis pertractandis. Lipomanus et ex illo Surius hic, observat partem eorum, quæ hic allegantur E

B ex operibus contra Eunomianos assutam esse, et recte. Habe Gregorii verba in fine Orationis 1 de Theologia, alias 33. De mundo, inquit, vel de mundis philosophare, de materia, de anima, de naturis ratione præditis tam bonis, quam malis, de resurrectione, de judicio, de præmiis ac pœnis, de Christi cruciatibus. In his enim argumentis et scopum assequi utile est, et aberrare minime periculosum. Ad quæ luculenter hæc referuntur ab Origenistis: sed perperam et subdole S. Gregorii dicta in perversum sensum detorquentur. Etenim sanctus pater ibidem in Eunomianos invectus, quod unius diluculi philosophi de subtilissimis quæstionibus disceptare altoque supercilio decidere solerent, resque abstrusissimas de Deo et sanctissima Trinitate inscite tractarent, aliam solum illis materiam assignat, circa quam, si non felicius, saltem minus periculose versarentur. Hunc ejus scopum tum quæ præcedunt, tum quæ proxime sequuntur, manifeste ostendunt. At vero (prosequitur Gregorius) cum Deo in hac quidem vita parcius, aliquanto post autem fortasse plenius commercium habebimus.

u Hæc propositio potius Arium ejusve sequaces, quam Origenem aut Origenistas sapit. Quamquam ut solenne est hæreticis, facile qui Origenis errores imbiberant in Palæstina, ab hæresiarchis aliis commodo suo blasphemas ineptias admittere potuerunt. Sane supra ad litteram r tradit in vita S. Sabæ Cyrillus noster, Nonnum somniis gentilium, Judæorum, et Manichæorum infatuatum fuisse. Ceterum a diversis divisim, opinor, propugnata fuerunt collecta hic blasphema dogmata, quæ nimis aperte invicem opposita videntur, quam ut ab eodem, cui sensus aliquid superesset, propugnari potuerint.

w In Analectis καὶ Χριστοῦ πρώτου versum est et Christi primi.

x Æones, id est, secula, inquit interpres in Analectis Benedictinis; atque hoc sane in obvio sensu significat: verum alius est verisimiliter multumque diversus. Æones hic videntur a Valentinianis seu Ptolomaitis, de quibus Epiphanius Hæresi 33, profecti. Describit illos explodens Tertullianus libro adversus Valentinianos cap. 8, ubi decuria generationem Æonum in Valentinianorum deliriis terminatam fuisse, tradit. Æones porro in abominanda illorum genesi Dii, seu semidii, seu, nescio quæ, erant monstri species. Consule, si plura desideras, laudatum Tertullianum lepide eorum dementiam exagitantem. F

C

y Fuit Evagrius, qui Ponti passim appellatur, celebris inter Origenistas. Natus Iberæ seu Iboræ in Ponto, diaconus evaserat ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi ministraverat sub Nectario cum multa prudentia et zelo. Sincero forte initio, vitæ perfectioris et salutis desiderio in Palæstinam indeque in Ægyptum profectus solitudini se devoverat, sanctosque thaumaturgos Macarios præceptores nactus audiebat ipse sanctus, cujus virtus etiam prodigiis illustraretur: sed Origenem, quem sapiebat, occultaverat, donec abstrusus error Origenistarum plausibus tandem erupit. In asceticis maxime opusculis venenum propinavit. Vide Socratem et Palladium Vit. Pat. cap. 1, 12, 22, 23. Errores ejus aliquos exposuit S. Hieronymus.

z Celeberrimus fuit Didymus Alexandrinus maximorumque et sanctissimorum virorum laudibus celebratus. Visum ab ipsa pueritia amiserat: ex prælectis tamen sibi auctoribus tum sacris, tum profanis, tantum in scientiis profecerat, ut pauci illi similes invenirentur, atque ad moderandam scholam Alexandrinam electus fuerit. Inter ejus discipulos numerantur Rufinus, Palladius et Isidorus presbyter. Ingentia plura opera edidit, quorum aliqua etiam hodie supersunt. Vide S. Hieronymum de Script. Eccles. c. 109, in Chron. ad annum 376 alibique; Palladium Hist. Laus. cap. 38; Rufinum lib. 2, Hist. cap. 7 aliosque. Commentatus fuerat librum Origenis de Principiis, quorum aliqua vel imbiberat, vel forte sic explicaverat, ut de suo addiderit incautius aliqua, quæ errores illius etiam auxerint, quapropter Origenistarum patronus audiit, et damnatus fuit diu post mortem.

aa Suspiria sua hæc mutuatus est Cyrillus a S. Gregorio Nazianzeno, apud quem eadem leguntur Oratione 1 adversus Eunomianos, alias 33 sub finem.

bb Desumpta sunt hæc ex Epistola 1 ad Romanos, cap. 1, ℣ 21.

cc Petrus Alexandrinus laura exturbatus varias postea monachis orthodoxis molestias excitavit Theodori

A. CYRILLO SCYTH. *Theodori Ascidæ auctoritate in ministerium Petri, Hierosolymorum patriarchæ, hominis timidioris, intrusus. Redi ad Commentarii prævii num. 18.* D

dd *De Cassiano observavi nonnulla Commentarii prævii num. 49.*

CAPUT III.

In solitudinem reversus leonis ministerio utitur, et precibus pluviam prodigiose impetrat. Narratio de mirabili vita et morte Mariæ solitariæ. S. Cyriaci in summa senectute pius obitus.

Ad solitudinem reversus Hæc cum mihi narrasset servus Dei Cyriacus, atque intellexisset, quod essem de magno monasterio beati Euthymii, supra modum lætus dixit: Ecce ejusdem es cœnobii atque ego. Dein autem ab initio cœpit mihi narrare omnes res gestas sanctorum Euthymii et Sabæ, quas nimirum jam duobus vulgatis libris exposui *a*. Et cum hujusmodi narrationibus animam meam nutrivisset, dimisit in pace. Postquam autem cœpissent quidam illi molesti esse in spelunca B sancti Charitonis, mortuo duce Origenistarum Nonno, illorumque dissoluto imperio et bello adversus orthodoxos, cum ipsi inter sese belligerarent malæ doctrinæ patroni, fracto *b*, securitatem nactus Senex, iterum recessit ex spelunca sancti Charitonis in Susacim anno ætatis ejus 99, et illic quiete egit annis 8. Ego porro cupidus venerari ipsum veni in lauram Sucæ, assumensque Joannem, discipulum ejus, cum illo ivi in Susacim, qui locus a laura Sucæ distat stadiis non minus 90 *c*. Cum igitur loco appropinquaremus, occurrit nobis leo maximus et terribilissimus. Dixit autem mihi perturbato abbas Joannes: Ne timeas. Cumque leo videret nos ire ad Senem, viam præbuit.

Ταῦτα διηγησάμενος μοι ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ Κυριακὸς, καὶ γνοὺς ὅτι τῆς μεγάλης μονῆς Εὐθυμίου τοῦ μακαρίου εἰμὶ, περιχαρὴς γεγονὼς εἶπεν, ἰδοὺ καὶ συγκοινοβιότης μου εἶ. Καὶ λοιπὸν ἀρχὴν ἐποιήσατο διηγεῖσθαί μοι πολλὰ περὶ αὐτῶν τῶν ἐν ἁγίοις Εὐθυμίου τε, καὶ Σάβα, ἅπερ ἔθηκα ἐν τοῖς περὶ αὐτῶν ἤδη ῥηθεῖσι δυσὶ λόγοις. Καὶ οὕτως ἐν τοῖς τοιούτοις διηγήμασιν τὴν ἐμὴν διαθρέψας ψυχὴν ἀπέλυσεν ἐν εἰρήνῃ. Ὡς δὲ ἤρξαντο τινὲς ἐνοχλεῖν αὐτῷ εἰς τὸ τοῦ ἐν ἁγίοις χαρίτωνος σπήλαιον, τοῦ ἀρχηγοῦ τῶν ὠριγενιαστῶν ἀποθανόντος Νόννου, καὶ τῆς τούτων δυναστείας διαλυθείσης, καὶ τοῦ κατὰ τῶν ὀρθοδόξων πολέμου θραυσθέντος, E καὶ τῶν κακοδόξων εἰς τὸν κατ᾽ ἀλλήλων πόλεμον ἀσχολιθέντων, ἀμεριμνήσας ὁ γέρων, ἀνεχώρησεν πάλιν ἀπὸ τοῦ σπηλαίου τοῦ ἁγίου χαρίτωνος ἐπὶ τὸν Συσακεὶμ, τῷ ϟθ´ τῆς ἑαυτοῦ ἡλικίας χρόνῳ, καὶ ἡσύχασεν ἐκεῖσε χρόνους η´. Ἐγὼ τοίνυν ἐπιθυμήσας προσκυνῆσαι αὐτὸν, ἦλθον εἰς τὴν λαύραν τοῦ Σουκᾶ, καὶ λαβὼν Ἰωάννην τὸν αὐτοῦ μαθητὴν, κατῆλθον εἰς Σουσακεὶμ. Ἀπέχει δὲ ὁ τόπος οὗτος ἀπὸ τῆς τοῦ Σουκᾶ λαύρας ϟ´ σταδίους. Ὡς οὖν ἠγγίσαμεν τῷ τόπῳ, συναντᾷ ἡμῖν λέων παμμεγεθέστατός τε καὶ φοβερώτατος. Καὶ λέγει μοι θροηθέντι ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης, μηδὲν φοβηθῇς. Καὶ ὡς ἴδεν ἡμᾶς ὁ λέων πρὸς τὸν γέροντα ἀπίοντας, δέδωκεν τόπον.

leonis ministerio prolegitur. Pluviam 16 Visis nobis, summopere gaudens Senex dixit: Ecce concœnobita meus Cyrillus. Et dixit illi Joannes abbas: Summa formidine perculsus est, viso leone. Dixitque mihi Senex. Ne formides, fili: ille namque leo hic apud me semper manet custodiens exigua olera a rupicapris *d*. Cumque multa mihi retulisset de sancto Euthymio et aliis solitudinis illius patribus, induxit me, ut comederem. Comedentibus autem nobis, venit C leo et stetit ante nos: exsurgensque Senex porrexit illi frustum panis et dimisit illum custodire olera. Et asseruit mihi Senex quod non solum olera custodiret, sed et prædones et barbaros inde arceret. Postquam autem diem ibi integrum transegissem sufficienterque doctrina ejus fruitus essem, dimisit me cum discipulo suo in pace. Itaque digressi vidimus leonem in via sedentem edentemque rupicapram; qui videns, subsistere nos et non audere progredi, relinquens feram recessit, donec illac pertransissemus. Cum autem cisternam non haberet locus, excavaverat sibi *e* in petris scrobes, quibus excipiebat hieme aquam, quæ abunde ipsi sufficiebat ad usum et ad riganda olera per æstatem.

16 Καὶ θεασάμενος ἡμᾶς ὁ γέρων, καὶ περιχαρὴς γεγονὼς εἶπεν· ἰδοὺ ὁ συγκοινοβιότης μου Κύριλλος. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης· πάνυπερ ἐφοβήθη ἰδὼν τὸν λέοντα καὶ λέγει μοι ὁ γέρων· μηδὲν φοβηθῇς τέκνον. Οὗτος γὰρ ὁ λέων προσκαρτερεῖ μοι ἐνταῦτα, φυλάττων τὰ μικρὰ λάχανα ἀπὸ τῶν αἰγαγρίων. Καὶ πολλὰ εἰπών μοι περί τε τοῦ ἁγίου Εὐθυμίου, καὶ τῶν ἄλλων τῆς ἐρήμου ταύτης πατέρων, προετρέψατό με γεύσασθαι. Ἡμῶν δὲ γευομένων, ἐλθὼν ὁ λέων ἔστη ἔμπροσθεν ἡμῶν. Καὶ ἀναστὰς ὁ γέρων, δέδωκεν αὐτῷ F κλάσμα ἄρτου. Καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν φυλάττειν τὰ λάχανα. Καὶ ἔλεγέν μοι ὁ γέρων, ὅτι οὐ μόνον τὰ λάχανα φυλάττει, ἀλλὰ καὶ λῃστὰς καὶ βαρβάρους ἀμύνεται. Ποιήσαντος δέ μου τὴν μίαν ἡμέραν, καὶ ἱκανῶς τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας ἀπολαύσαντι. Δέδωκέν μοι εὐλογίαν τῇ ἑξῆς, καὶ ποιήσας μοι εὐχὴν, ἀπέλυσεν με μετὰ τοῦ μαθητοῦ αὐτοῦ ἐν εἰρήνῃ. Καὶ οὕτως ἐξελθόντες ηὕραμεν τὸν λέοντα ἐν τῇ ὁδῷ καθήμενον καὶ αἴγαγρον ἐσθίοντα, ὅστις λέων ἰδὼν ἡμᾶς ἱσταμένους, καὶ μὴ τολμῶντας ὁδεῦσαι, καταλειπὼν τὴν θήραν, ἀνεχώρησεν ἕως οὗ παρήλθομεν. Ἐπειδὴ δὲ λάκκον οὐκ εἶχεν ὁ τόπος ἐφιλοκάλησεν ἑαυτῷ τοὺς ἐν ταῖς πέτραις βοθύνους· καὶ ἐδέχετο τῷ χειμῶνι τὸ ὕδωρ, καὶ ὑπούργει αὐτῷ δαψιλῶς εἰς τε τὴν δίαιταν, καὶ εἰς τὸ ποτίσαι τὰ λάχανα ὅλον τὸ θέρος.

prodigiose impetrat. Inserta 17 Cum autem aliquando defecisset aqua circa mensem Julium: vehementer ingemuit et oculos attollens ad Deum oravit dicens: Domine Deus, præbe mihi parum aquæ ad necessarium usum abjecti hujus corporis. Et exaudivit illum Deus, illico namque ascendit parva nubes super Susacim, pluitque circum cellam ejus et implevit omnia inter petras receptacula. Porro operæ

17 Καὶ τοῦ ὕδατος ποτὲ λείψαντος περὶ τὸν ἰούλιον μῆνα, ἐστενώθη σφόδρα, καὶ ἀνατείνας τὸ ὄμμα πρὸς τὸν θεὸν, παρεκάλει λέγων· Κύριε ὁ θεὸς παράσχου μοι ὀλίγον ὕδωρ διὰ τὴν ἀναγκαίαν χρείαν τοῦ ταπεινοῦ σώματος τούτου. Καὶ ἐπήκουσεν αὐτοῦ ὁ θεὸς, καὶ παραχρῆμα ἀνέβη μικρὸν νέφος ἐπάνω τοῦ Σουσακεὶμ, καὶ ἔβρεξεν κύκλῳ τοῦ κελλίου αὐτοῦ, καὶ ἐπλήρωσεν αὐτοῦ πάντα τὰ μεταξὺ τῶν πετρῶν δοχεῖα. Δίκαιον δὲ

A δὲ ἡγοῦμαι ἐνταῦθα μνημονεῦσαι ψυχωφελῆ διηγήματα, ἅπερ, διηγήσατο μοι ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης. Ὁδηπορούντων γὰρ ἡμῶν κατὰ τὴν ἔρημον, ὑπεδείκνυεν μοι τόπον τινὰ, ὃν ἔλεγεν μνημεῖον εἶναι τῆς μακαρίας Μαρίας. Ἐγὼ δὲ ἐπὶ τούτῳ θαυμάσας ἠξίουν αὐτὸν ἐξηγήσασθαι τὰ περὶ αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· ὅτι πρὸς ὀλίγου τινὸς χρόνου, ἀπερχομένου μου ἅμα τοῦ συμμαθητοῦ μου τοῦ ἀββᾶ Παράμμωνος πρὸς τὸν ἀββᾶν Κυριακὸν, ἀτενίσαντες ἀπὸ μακρόθεν, θεωροῦμεν τινὰ ὡς ἄνθρωπον ἱστάμενον πλησίον ἀγριομυρίκης, καὶ νοήσαντες, αὐτὸν ἕνα τινὰ τῶν ἀναχωριτῶν τῶν αὐτόθι εἶναι. Ἦσαν γὰρ τότε πολλοὶ ἀναχωριταὶ ἐν τοῖς μέρεσιν ἐκείνοις. Ἐσπεύσαμεν οὖν αὐτὸν προσκυνῆσαι.

18 Ὡς δὲ ἠγγίσαμεν τῷ τόπῳ, ἐκεῖνος μὲν ἀφανὴς ἐγίνετο, ἡμεῖς δὲ φόβῳ, καὶ δειλίᾳ συσχεθέντες, ἔστημεν εἰς προσευχὴν, νομίσαντες αὐτὸν πνεῦμα πονηρὸν εἶναι, καὶ μετὰ δὲ τὸ τελέσαι τὸ ἀμὴν, περιβλεψάμενοι ἔνθα, καὶ ἔνθα, ηὕραμεν σπήλαιον ὑπόγειον, ἐν ᾧ ὑπενοοῦμεν ὑποδύντα τὸν δοῦλον τὸν ἀληθῆ τοῦ Θεοῦ κρυβῆναι ἀφ' ἡμῶν· καὶ πλησίον τοῦ σπηλαίου γενόμενοι, παρεκαλοῦμεν αὐτὸν ἅμα, καὶ ἐνορκοῦμεν λέγοντες· μὴ στερήσῃς ἡμᾶς πάτερ τῶν εὐχῶν σου, καὶ τῆς ἀγαθῆς σου συντυχίας. Ὁ δὲ μόλις ποτὲ ἀποκριθεὶς,
B εἶπεν· τί θέλετε ἀπ' ἐμοῦ; γυνὴ γάρ εἰμι. Καὶ ἐπηρώτησεν ἡμᾶς λέγουσα· ποῦ πορεύεσθε; ἡμεῖς δὲ εἴπαμεν, πρὸς τὸν ἀναχωρητὴν τὸν ἀββᾶν Κυριακὸν ἀπερχόμεθα· ἀλλ' εἰπὲ ἡμῖν τί τὸ ὄνομα σου; καὶ πῶς διάγεις καὶ πῶς παραγέγονας; ἡ δὲ εἶπεν· ὑπάγετε. Καὶ ἐν τῷ ὑμᾶς ὑποστρέψαι, λέγω ὑμῖν. Ὡς δὲ διεβεβαιούμεθα μηδαμοῦ ἀπιέναι πρὶν τὰ κατ' αὐτὴν μαθεῖν, ἀπεκρίνατο λέγουσα· τὸ μὲν ὄνομά μου, Μαρία λέγομαι. Ἐγενόμην δὲ ψάλτρια τῆς ἁγίας Χριστοῦ ἀναστάσεως. Καὶ πολλοὺς ὁ διάβολος ἐσκανδάλησεν εἰς ἐμὲ. Καὶ φοβηθεῖσα μὴ πῶς ὑπεύθυνος γενομένη τῶν τοιούτων σκανδάλων, προσθήσω ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις μου, ἐδυσώπουν τὸν Θεὸν τοῦ ῥυσθῆναι με τῆς αἰτίας τῶν τοιούτων σκανδάλων.

19 Ἐν μιᾷ οὖν κατανυγῆσα τὴν καρδίαν εἰς τὸν φόβον τοῦ, κατῆλθον εἰς τὸν ἅγιον Σιλωὰμ, καὶ ἤντλησα τὸ σκεῦος τοῦτο ὕδατος· ἔλαβον δὲ καὶ τὸ μαλάκιον τοῦτο τῶν βρεκτῶν, καὶ ἐξῆλθον νυκτὸς τῆς ἁγίας πόλεως παραθεμένη ἑαυτὴν τῷ Θεῷ, ὃς καὶ ὡδήγησεν με ἐνταῦθα· καὶ ἰδοὺ ἔχω ἐνταῦθα ιη' ἔτη. Καὶ διὰ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, οὔτε τὸ ὕδωρ ἔλειψεν, οὔτε τὸ μελάκιον τῶν βρεκτῶν ἠλαττωνήθη ἄχρι τῆς ἡμέ-
C ρας ταύτης, ἀλλ' οὐδὲ ἄνθρωπον ἴδον, εἰμὴ ὑμᾶς σήμερον. Ἀλλ' ὑπάγατε, φησὶν, καὶ πληρώσατε τὴν διακονίαν ὑμῶν, καὶ ἐν τῷ ὑμᾶς ὑποστρέφειν, ἐπισκέψασθέ με. Ταῦτα ἀκούσαντες, ἐπορεύθημεν πρὸς τὸν ἀββᾶν Κυριακὸν, ἀνηγγείλαμεν δὲ αὐτῷ καὶ ταῦτα· ὁ δὲ ἀκούσας ἐθαύμασεν κα' εἶπεν· δόξα σοι ὁ Θεὸς ὅτι πόσους ἁγίους κρυπτοὺς ἔχεις· ἀλλ' ἀπένθατε τέκνα, καὶ ὡς εἶπεν ὑμῖν, οὕτως ποιήσατε. Λαβόντες οὖν παράθεσιν ἐκ τοῦ ἁγίου γέροντος, ἤλθαμεν κατὰ τοῦ σπηλαίου, καὶ κρούσαντες κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἀναχωριτῶν, καὶ μηδενὸς ἀποκριναμένου, ὑπεισελθόντες, ηὕραμεν αὐτὴν τελειωθεῖσαν· μὴ ἔχοντες οὖν τὸ πῶς ἐνταφιάσαι, καὶ θάψαι αὐτὴν, ἀνελθόντες ἐν τῇ ἡμετέρᾳ λαύρᾳ τῆς Σουκᾶ, ἠνέγκαμεν πάντα τὰ πρὸς τὴν χρείαν, καὶ κηδεύσαντες αὐτὴν ἐθάψαμεν ἐν τῷ σπηλαίῳ, ἀποφράξαντες τὴν θύραν ἐν λίθοις.

20 Ταῦτα ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης διηγήσατο, ἅπερ ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ὡς εἴρηται, γραφῇ παραδοῦναι πρὸς κατάνυξιν μὲν τῶν ἀκουόντων, καὶ ἐντυγχανόντων. Δόξαν δὲ τῷ Χριστῷ τῷ παρέχοντι εἰς τέλος ὑπομονὴν τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. Ἐπαναχτέον δὲ τὸν λόγον πρὸς τὸν ἀββᾶν Κυριακὸν. Πληρώσαντος γὰρ αὐτοῦ τὸν ὀκταετῆ χρόνον εἰς τὸν Σουσακεὶμ, καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐλάσαντος, κατελθόντες οἱ τῆς λαύρας τοῦ Σουκᾶ πατέρες,

pretium judico hic referre, quæ mihi narravit abbas Joannes. Itaque cum iter faceremus per solitudinem, ostendit mihi locum quemdam, quem dixit esse sepulchrum beatæ Mariæ *f*. Ego ad hæc mirabundus instabam, ut exponeret res eo pertinentes: ille vero respondens, dixit: Cum pauco abhinc tempore ascenderem cum condiscipulo meo Paramnone abbate ad abbatem Cyriacum, oculus eminus intendentes videmus quidquam, quasi hominem stantem prope myricas agrestes *g*: arbitrati itaque, esse quemdam ex anachoretis illius loci (plurimi namque tum temporis erant in partibus illis anachoretæ, festinavimus ad illum accedere.

C. CYRILLO SCYTH.

f

g

18 Cum vero appropinquaremus loco, ille quidem videri desiit, nos vero stupore et timore retenti, stetimus ad orandum, putantes malum spiritum esse, et subjuncto ad finem Amen, cum huc et illuc circumspexissemus, vidimus spelæum subterraneum, quod suspicabamur subivisse verum Dei servum, ut se absconderet a nobis. Cum itaque propius ad specum accessissemus, una vocavimus ipsum et conjuravimus dicentes: Ne priva nos, pater, votis tuis et bona societate tua. Vix autem tandem respondens, dixit: Quid me vultis? mulier enim sum? Et interrogavit nos, dicens: Quo proficiscimini? Nos vero diximus: Ad solitarium abbatem Cyriacum tendimus: sed dic nobis, quod est nomen tuum, quomodo hic degis, quomodoque huc venisti? At illa dixit: Abite, et cum reversi fueritis, dicam vobis. Cum autem asseveraremus nullo abituros nos, priusquam docuisset nos ea, quæ ad se spectabant, respondens dixit: Nomen quidem meum Maria vocatur; fui autem psaltria sanctæ resurrectionis Christi *h*, et multos dæmon scandalizavit per me: et ego timore perculsa, ne forte rea omnium scandalorum horum adderem peccata peccatis meis, Deum suppliciter obsecravi, ut liberarer crimine istorum scandalorum.

de Maria

E

h

19 Quadam igitur die corde compuncta timore Dei descendi in sanctum Siloë *i*, et implevi vas hocce aqua; assumpsi autem et sportam cum lupinis *k*, et exivi noctu ex sancta civitate, permittens meipsam Deo, qui et deduxit me huc; atque, ecce, ago hic annis 18. et per Dei gratiam neque aqua defecit, neque sporta lupinorum diminuta est usque in hunc diem. Sed neque hominem vidi præter vos hodie. Verum abite, inquit, et munus vestrum implete, et in reditu vestra invisite me. Hisce auditis, properavimus ad abbatem Cyriacum, cui et hæc nuntiavimus. Is vero cum audisset, obstupuit et dixit: Gloria tibi Deus, quod tantos sanctos occultos habeas! Verum abite, filii, et sicut dixit vobis, ita facite. Nos igitur accepto cibo a sancto Sene, venimus ad spelæum, cumque secundum morem anachoretarum pulsassemus, et nemo responderet, introgressi invenimus illam mortuam. Non habentes autem necessaria ad curandum funus et illam sepeliendam, ascendimus ad nostram lauram Sucæ attulimusque, quæ oportebat, omnia ad sepulturam, et funerantes illam tumulavimus in spelæo, et ostium lapidibus obstruximus.

mirabilis narratio,

i

k

F

20 Hæc narravit abbas Joannes, quæ hic, sicut relata sunt, judicavi scripto commendanda ad stuporem quidem audientium et interpellantium, gloriam autem Christi, qui præbet perseverantiam amoris sui usque in finem. Revocandus porro sermo est ad abbatem Cyriacum. Cum complevisset octavum annum in Susacim et ad altam senectutem evasisset, advenientes patres lauræ

Sanctus in summa senectute

A CYRILLO SCYTH. lauræ Sucæ deduxerunt illum ad speluncam sancti Charitonis post Origenistarum ex nova laura discessum *l*. Cum autem in spelunca degeret, ego abjectus frequenter ad ipsum accedebam multumque animæ meæ emolumentum percipiebam. Erat autem admodum ætate provectus, nam centesimum et septimum confecerat annum. Venerat quippe in sanctam civitatem annorum 18, et mansit apud sanctum Gerasimum annis 9, et in monasterio magni Euthymii annis 10, egitque in laura Sucæ, diversis obitis egregie ministeriis, annis 39, et in solitudine Natuphæ scillas comedit annis 5 *m*. Vixit autem solitarie ad Susacim annis 7: in spelunca vero sancti Charitonis annis 5, atque inde iterum recessit in Susacim annis 8.

pie moritur. 21 Duobus certe ante obitum ejus annis, cum descendissent patres, duxerunt illum multis adhibitis obsecrationibus ad speluncam sancti Charitonis, valde, ut dictum est, ætate provectum. In tanta porro senectute firmus adhuc erat et promptus stabatque ad horas psalmodiæ, atque ad se venientibus ministrabat propriis manibus: neque omnino deficiebat, sed valebat omnia in B confortante illum Christo. Erat autem vir lenis et accessu facilis, propheticus docendi peritus, summe orthodoxus: corpore procerus et egregius, membra habens omnia innoxia, vere plenus gratia et Spiritu sancto. Igitur post multos dies correptus infirmitate corporali, cum advocasset omnes patres lauræ, singulosque amplexatus esset, obdormivit in pace tradiditque spiritum domino, recepturus ab illo coronam justitiæ, quam repromisit diligentibus illam *n*. Nunc autem est in requie omnium justorum intercedens pro nobis, ut et nos sequentes vestigia ejus, consequamur promissa sanctis in Christo Jesu domino nostro, cui cum Patre et sancto Spiritu gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σπήλαιον τοῦ ἐν ἁγίοις Χαρίτω- D νος, μετὰ τὴν τῶν ὠριγενιαστῶν, ἐκ τῆς νέας λαύρας ἀναχώρησιν. Ἐν τῷ σπηλαίῳ διάγοντος αὐτοῦ, ἐγὼ ὁ ταπεινὸς πυκνῶς παρέβαλλον αὐτῷ, καὶ πολλὴν τῇ ψυχῇ μου ὠφέλειαν ἐκαρπούμην· ἦν δὲ πάνυ προβεβηκὼς, τὸν ἑκατοστὸν ἕβδομον πληρώσας ἐνιαυτόν. Ἦλθεν μὲν γὰρ εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν ἐτῶν ιη'. Καὶ ἔμεινεν πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Γεράσιμον ἔτη θ' καὶ ἐν τῇ τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου μονῇ ἔτη ι'. Καὶ ἐποίησεν ἐν τῇ λαύρᾳ τοῦ Σουκᾶ ἐν διαφόροις διαπρέψας διακονίαις ἔτη λθ', καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ Νατοῦφα σκίλλας ἐσθίων ἔτη ε'. Ἡσύχασεν δὲ καὶ εἰς Σουσακεὶμ ἔτη ζ', καὶ εἰς τὸ σπήλαιον τοῦ ἐν ἁγίοις Χαρίτωνος ἔτη ε', καὶ κατελθὼν πάλιν εἰς Σουσακεὶμ χρόνους η'.

21 Πρὸ δύο χρόνων τῆς αὐτοῦ τελευτῆς κατελθόντες οἱ πατέρες ἤγαγον αὐτὸν, πολλαῖς χρησάμενοι παρακλήσεσιν, εἰς τὸ τοῦ μακαρίου χαρίτωνος σπήλαιον πάνυ, ὡς εἴρηται, προβεβηκότα. Καὶ τοσοῦτον γηραλαῖος ὢν, στεῤῥὸς ὑπῆρχεν, καὶ πρόθυμος ἱστάμενος εἰς τὸν κανόνα τῆς ψαλμῳδίας, καὶ τοὺς ἀρχομένους πρὸς αὐτὸν ὑπηρέτει ἰδίαις χερσὶν, καὶ οὐδ' ὅλως ἡττόνει, ἀλλὰ πάντα ἴσχυεν ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι αὐτὸν Χριστῷ. Ἦν δὲ ὁ ἀνὴρ πρᾶος, καὶ εὐπρόσιτος, προφητικὸς, διδασκαλικὸς, ὀρθοδοξώτατος, τῷ σώματι εὐμεγέθης καὶ γενναῖος, καὶ ἀσινῆ πάντα ἔχων τὰ μέλη, E καὶ ἦν ἀληθῶς πλήρης χάριτος, καὶ πνεύματος ἁγίου. Μετὰ οὖν πολλὰς ἡμέρας ἀσθενίᾳ σωματικῇ περιπεσὼν, προσκαλεσάμενος πάντας τοὺς πατέρας τῆς λαύρας, καὶ τούτους ἀσπασάμενος, ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ, παραδοὺς τὸ πνεῦμα τῷ κυρίῳ, κομισάμενος παρ' αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης στέφανον, ὃν ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτήν. Καὶ νῦν ἐστὶν ἐν τῇ ἀναπαύσει πάντων τῶν δικαίων, πρεσβεύων ὑπὲρ ἡμῶν, ὅπως καὶ ἡμεῖς ἀκολουθήσαντες τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ, τύχωμεν τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἡ δόξα ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Vide, quæ circa hæc collegi Commentarii prævii num.* 3 *et seq. Lambecius Comment. de Bibliot. Cæs. lib.* 8, *pag.* 172 *ex Joannis Damasceni verbis conjecturam facit, prolixam valde et ponderosam fuisse primitus S. Euthymii vitam, illamque contractam tantum ad nos pervenisse: verum si* Euthymiaca historia, *ut illam appellat S.* Joannes *Damascenus, vere S. Euthymii vita est, et non potius Euthymii cujusdam auctoris opus, credibilius est, vitam auctam præ manibus habuisse S. Damasce-* C *num, quam non esse genuinum Cyrilli opus vitam pro tali ab eruditis passim omnibus admissam.* F *Prout in analectis excusa est, hiatibus quidem, ut fatentur ipsi editores, alicubi mutila est, at eadem in aliis bibliothecis exstat, illamque jam assignavit in suis schedis Papebrochius in Vaticano Codice* 1569, *pag.* 96.

b *Turbarum adjuncta et tempus retuli Commentarii prævii* § 2 *sub finem, quem, si lubet, consule.*

c *Vide, quæ ad caput* 2, *littera* n *adnotavi de Susacim. Stadia nonaginta ex vulgari opinione milliaria faciunt undecim cum quadrante, quæ credo, non Hierosolymam versus, quæ tanto fere solum spatio Thecue distat, sed ad Mare Mortuum vel Meridiem dimetienda.*

d Αἰγάγριος *apud Plinium* Rupicapra *est; hæc autem, ut fert nominis Latini etymon, caprea, quæ rupes inhabitat et saliendo pervagatur. Græcum* αἴξ *et* ἄγριος, *unde composita vox est,* caprum *vel* capram sylvestrem *sonat.*

e *Hæc transitio, ut appellant, præter morem Cyrilli vel inconcinna vel nulla rursus est; quinimo, nisi sequentia quædam dirimerent, ambiguum plane esset, quæ esset persona verbi* ἐφιλοκάλησεν, *quod potius ad leonem referendum videretur, quandoquidem in tota periodo facta fuerit nulla de S.* Cyriaco *mentio. Forte et hoc amanuensis oscitantiæ debemus vitium.*

f. *De mirabili hac muliere, nihil alibi reperire potui. Sepulcrum ejus an fuerit magis celebre, ignoro.*

g Ἀγριομυρίκη, Myrica *sylvestris apud Jeremiam cap.* 17 *occurrit.* Myrica *porro humile virgulti genus est Plinio, Virgilio Ovidioque notum.*

h *Ecclesiæ Hierosolymitanæ, qui titulus frequentissime in illorum temporum monumentis occurrit.*

i Siloë, Siloa, *et ut alii* Siloam, *fons est infra Hierosolymæ mœnia versus Orientem inter urbem et torrentem Cedron. Sunt qui confundant cum fonte* Rogel *seu* Fullonis, *de quo Josue* 15. ✕ 7, *et in libris Regum non raro mentio fit. De fonte* Siloë *scribit S. Hieronymus in Jerem.* 14. Uno fonte Siloë, et hoc non perpetuo, utitur civitas. *Quomodo nunc uberiore vena, nunc parciore fluxerit nec sine*

A *sine prodigia, vide Josephum de Bello Jud. lib. 5, cap. 26.* Natatoria Siloë *et Piscina Bethsaidæ sacris litteris celebrata est.* A. CYRIACO SENTR.

k Βρεκτῶν *Metaphrastes reddidit per* θέρμια, *quod* Lupina *sonat. Nostrum non invenio : igitur præstot Metaphrastæ deferre.*

l *Quo hæc circiter anno contigerint, habes deductum sub finem Commentarii prævii.*

m *Nescia, cujus vitio prætermissi sint hic anni 5, quos* S. Cyriacus *in interiori solitudine Rubæ exegit post discessum ex Natupha, ut narratur cap. 2, num. 10. Eosdem habet hic Metaphrastes et nos restituere debemus, cum in ipso etiam computu deficiant, ut experienti liquebit.*

n *Jacobi* 1, ℣ 12 *unde huc translata sunt, habetur* αὐτὸν, *non* αὐτὴν, *quod ad* justitiam *minus apte refertur.*

DE S. LEODOWINO SEU LUTWINO

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Acta Sancti qualia et quæ hic danda.

B E

CIRCA ANNUM DCCXIII. *Gesta aliqua Sancti data in S. Basino tom. I Martii.*

Pars *aliqua gestorum sancti hujus antistitis data jam dudum fuit in opere nostro tom. I Martii ad diem 4 in vita S. Basini, illius avunculi et proximi decessoris in Trevirensi archiepiscopatu : quia, ut inquit Basini biographus,* alterius sine altero vita explicari non potuit. *Verumtamen idem auctor, non omnia, quæ de* S. Leodowino *dici possent, a se dicta esse indicat, et lectorem suum remittit ad peculiarem de ipsius gestis libellum, ut sequitur :* Quid deinceps Lutwinus egerit, quanto animi fervore Deo serviverit, quisve cursus vitæ ejus fuerit, quam sancte, quam juste, quam pie vixerit, qui nosse desiderat, ad libellum sanctorum ejus gestorum recurrat, ibique cuncta luculenter descripta reperiet. Hæc vero ex gestis ejus, quantulacumque a nobis brevitate elucubrata, eapropter huic nostro tractatulo inseruimus, quia ex una radice Basinus et Lutwinus prodierunt, et quia alterius etc. *Hactenus S. Basini biographus, qui nullibi vel nomen suum prodit, vel ætatem, qua vixit. Henschenius autem in Commentario prævio num.* 5, C *ex jam recitatis verbis conjectavit, eumdem fuisse auctorem vitæ S. Basini, qui fuit* S. Leodowini, *ita ut in vita S. Basini auctor lectorem remittat ad vitam* S. Leodowini, *alteram suam ipsius lucubrationem. Hinc Henschenius biographum S. Basini appellavit* Nizonem, *sæculo* 11 *abbatem Mediolacensem : cum ob rationes mox allegandas non dubitaret, quin laudatus Nizo esset biographus* S. Leodowini.

Vitæ ejus separatæ, quam Henschenius, qui idcirco

2 *Sunt tamen, qui ob alias, nec contemnendas, ratione Nizoni abjudicent* S. Leodowini *vitam, adscribantque Thiofrido, eodem sæculo* 11 *abbati Epternacensis intra fines Luxemburgici ducatus monasterii. Thiofrido adscribunt Joannes Roberti Societatis Jesu in vita ejusdem Thiofridi, typis vulgata anno* 1619, *et Christophorus Browerus, alter ejusdem societatis presbyter in annalibus Trevirensibus, nulla facta Nizonis mentione. Accesserunt Mabillonius, tom. V Annalium Benedictin. pag.* 136; *Calmetus, tom. IV Historiæ Lotharingicæ, editæ anno* 1751, *col.* 920 *et scriptores Benedictini Congregationis S. Mauri, tom. IX Historiæ litterariæ Franciæ; qui posteriores cum ex instituto impugnent Henschenii opinionem, hic audiendi. Pag.* 509 *citantes in margine Browerum et Mabillonium, ita pronuntiant :* Thiofridus etiam ex ingenio suo *seu* compositione (*de sa façon*) reliquit soluta oratione vitam S. Liutwini vel Ludwini, initio sæculi 8 Treviris episcopi. Dedicarat eam Udoni, ejusdem ecclesiæ ab anno 1067 usque ad 1078 archiepiscopo..... Verum ignoratur hodieque, quid opere isto factum sit. Eruditus P. Henschenius, quem illa in re secutus est D. Baillet (*imo et Cointius et alii*), ejus honorem transferre voluit in Nizonem, quem alii nominant Mizonem, abbatem Mediolacensem, a quo exstat vita S. Basini, alterius Trevirensium episcopi ante S. Liutwinum, cujus erat avunculus. Ad hoc stabiliendum istorum criticorum primus in argumentum affert locum ex scripto Nizonis. Sed qui, attentius consideratus, omnino contrarium probat.

3 *Sistamus hic tantisper gradum et singulis assertionibus in hac crisi contentis singula responsa subnectamus. Prima, quæ huc reducitur :* Scripsit Thiofridus vitam S. Leodowini; *vera est. Secunda :* Nescitur, quo devenerit vel quid ea factum sit; *nobis obscura. Tertia :* Henschenius voluit ejus honorem tranferre in Nizonem : *aliquo sensu vera. Quarta :* Hunc in finem produxit Henschenius locum ex Nizone *seu* vita S. Basini; *absolute falsa. Quinta :* S. Basini vita a Nizone composita est; *non probabilis in sententia adversariorum Henschenii. Primæ assertionis veritatem et secundæ obscuritatem ostendam, postquam explicavero responsa ad tres posteriores. Vera est itaque tertia assertio, si per verbum* transferre *liceat intelligere, quod Henschenius honorem compositionis vitæ* S. Leodowini *attribuere voluerit ei auctori, cui justis de causis attribuendam censuit. Sed justas causas habuit, ut attribueret abbati Mediolacensi, easque subministravit tam vita ipsa* S. Leodowini, *quam prologus seu epistola nuncupatoria eidem præfixa.* *a nonnullis præpostere* F

4 *In uno quippe apographo sic inchoabatur prologus :* Sacrario Spiritus sancti, sanctæ Trevirensis ecclesiæ archiepiscopo Utoni..... Nithardus et..... grex Mediolacensium fratrum : *in altero sic :* Sacrario etc. Utoni..... abbas Nizo et..... grex Mediolacens. *Dein pergens auctor, semper in* *reprehensus fuit, justis de causis*

AUCTORE I. P.

in persona plurium, puta abbatis et monachorum Mediolacensium, multis excusat, quod tanto Operi impares, antistitis Luitwini, ipsa sunt prologi verba, specialis patroni et patris nostri præconia, et usque in hæc nostra et vestri archipræsulatus tempora silentii fuligine abdita omnibus orthodoxis propone virtutum exempla tentemus. Porro in toto illo prologo verbum nullum occurrit, unde vel suspicari potuit Henschenius, auctorem non fuisse incolam Mediolacensis abbatiæ: ubi S. Leodowinus corpore quiescebat; ubi tunquam fundator et patronus præcipuo honore colebatur, ubi clarebat miraculis, quorum aliqua auctor vel auctores se coram facta esse testantur, dicentes sub finem Vitæ: Nam ut omittamus, quanta audivimus, et patres nostri narraverunt nobis,..... si ea tantum, quæ vidimus oculis nostris, quæ perspeximus et manus nostræ contrectaverunt, mandare litteris velimus, modum voluminis excedimus. His ita constitutis, cui ulteri asseruisset vitam illam Henschenius, quam abbati Mediolacensi, qui eam suo et suorum nomine, absque alterius auctoris mentione, nuncupabat archiepiscopo? Nizonem autem appellavit abbatem B istum potius, quam Nithardum, quia Nizonis ætas melius congruebat archiepiscopatui Utonis vel Udonis Trevirensis.

adscripsit Nizoni Mediolacensi abbati.

5 Itaque Henschenius ex jam allegatis auctorem vitæ S. Leodowini sibi sat notum existimans, et in vita S. Basini nomen auctoris nullum reperiens, ex verbis num. 1 recitatis in hunc modum argumentatus est: Utriusque vitæ auctor idem est; auctor vitæ S. Leodowini est Nizo; ergo et vitæ S. Basini. Unde liquet primo falsitas quartæ assertionis contra Henschenium adductæ; acsi attulerit textum ex vita S. Basini, ut vitam S. Leodowini adscriberet Nizoni, cum nomen Nizonis aliunde ipsi cognitum non fuerit, quam ex ipsamet Leodowini vita. Liquet secundo, non satis attente processisse Henschenii adversarios; dum abjudicantes Nizoni vitam S. Leodowini, cum tamen S. Basini biographum agnoverunt: cum sive utraque vita ab eodem auctore conscripta sit, ut putavit Henschenius, sive a diverso, ut ipsi postmodum pluribus contendunt, nullum supersit in ipsorum sententia vel levissimum fundamentum, cur Nizo potius quam alius credatur biographus S. Basini. Nunc ad primam assertionem, quam veram esse C confessus sum.

Thiofridum Epternacensem abbatem

6 Vitam aliquam S. Leodowini a se exaratam esse, testatur ipsemet Thiofridus Epternacensis abbas, in proœmio operis, quod flores epitaphii Sanctorum inscripsit, dedicavitque Brunoni archiepiscopo Trevirensi, quem sic alloquitur: Extremam ergo meo operi manum imponite, et pro vestra in me benevolentia supervacua resecate, hiantia supplete, errata corrigite et consultus exemplo prædecessoris ac nutritoris et sanguine propinqui vestri, Udonis archipræsulis æternæ memoriæ, qui vitam summæ sanctitatis et popularis lætitiæ Luttwini a me qualicumque stylo caraxatam sui testimonii corroboravit examine. Item in proœmio ad vitam S. Willibrordi, quam habemus Ms., ubi suos Epternacenses ita monet Thiofridus: Nec prudentiam vestram moveat, si in tanti hierarchæ præconia non instar amnis monte decurrentis profundo ore mea proruit facundia; quia cum ante dictassem vitam summæ sanctitatis et popularis lætitiæ Lutwini, sanctæ Trevericæ sedis archipræsulis, et sparsisseu Flores epitaphii sanctorum per quatuor volumina, totis profluentibus ingenii venis effudi, quidquid ex fonte vitæ mihi divinæ pietatis dignata D est infundere affluentia. Hæc plana sunt.

verum auctorum esse

7 Reliquum est, ut videamus, an vita per Thiofridum concinnata sit eadem, quam Henschenius memoravit, tamquam a Nizone conscriptam, an vero diversa; nam varios nactus est S. Leoduwinus biographos; uti ex varii generis vitæ exemplaribus ostendemus. Nobis eamdem esse multis de causis omnino persuasum est. Primo, Henscheniana Udoni archiepiscopo dedicata est; suam Thiofridus ab Udone approbatam asserit. Secundo, laudatus Joannes Roberti in vita Thiofridi, præmissa Floribus epitaphii Sanctorum, editis anno 1619, § 6 ex vita S. Leodowini, quam § 8 primo loco ponit inter visa a se Thiofridi scripta, recitat sequentia: Nostra quoque memoria, tam clara mundi luminaria, tam magnifica ibi (Mediolaci) virorum claruerunt nomina, ut qui minimus inter eos conseretur ordine, dignissimus haberetur summi honoris culmine, et quæcumque ecclesia ex eis nacta esset rectorem, ut mundus solis jubare, sic ejus doctrinæ ac virtutum illustraretur lumine: quæ verba leguntur in solis Henschenianæ vitæ apographis. Tertio, in dictis apographis E idem stylus apparet, qui in aliis Thiofridi operibus, idem cogitandi modus, eadem sæpe verborum compositio, imo earumdem vocum usurpatio. Demus specimina.

credimus ita tamen

8 Thiofridus in proœmio sic Flores suos dicat Brunoni archiepiscopo: Igitur ô et præsidium et dulce decus meum... libellum... vestro consecro nomini. In prologo sæpe dictæ vitæ S. Leodowini idem Horatii versus dirigitur ad Udonem archiepiscopum: Igitur ô et præsidium et dulce decus nostrum... hoc munusculum spirituale virorum monachorum dignanter suscipite: et post pauca ita pergitur: Et ubi, quantis vigiliis et sudore hoc nobis constiterit, perpenderitis, si non est obliterandum, superflua recidite, hiantia supplete, parum claris lucem infundite: quæ postrema verba fere eadem habes num. 6 ex proœmio ad Flores. In proœmio vitæ S. Willibrordi Thiofridus S. Hieronymum vocat excellentissimum divinæ Scripturæ interpretum, Terentium nobilissimum comicum: in prologo vitæ S. Leodowini ille dicitur: divinæ Scripturæ interpretum eminentissimus; hic comicorum excellentissimus; et utrobique ista phrasis adhibetur: in prologis scribendis opera abuti, uno loco applicata doctori, altero F dicta de comœdo. Sed hæc sufficiant.

ut eam adoptarint Nizo et Mediolacenses monachi

9 Persuasum est ergo nobis, vere istam S. Leodowini vitam a Thiofrido compositam fuisse; sed ita ut et nomen Nizonis usurparit, et personas induerit tum ejusdem abbatis tum Mediolacensium monachorum, qui vigilias ejus, ut vocat, et sudorem adoptarant, opusque tamquam suum obtulerunt Udoni archiepiscopo: quod divinare non debuit Henschenius, dum illustrabat acta S. Basini. Sic compositionis honorem Thiofrido abunde restitutum confidimus; sed non satis intelligimus, quid sibi voluerint Historiæ litterariæ Franciæ scriptores per secundam suam assertionem: Nescitur, quid eo opere factum sit, seu quo devenerit (ce qu'est devenu cet ouvrage) vita S. Leodowini: dum tamen ista legerant apud Henschenium: Acta aliqua habemus ex Ms. Trevirensi nobis submissa tam S. Basini quam S. Lutwini nepotis ab eodem auctore... conscripta. Est is Nizo abbas Mediolacensis monasterii.... Inscripsit hujus sui patroni (Lutwini) vitam Udoni archiepiscopo Trevirensi. Nam vel crediderunt, vitam, quam hic Henschenius adscribebat Nizoni, eam esse, cujus

A *cujus auctor fuit Thiofridus, vel id non crediderant. Si non crediderint, qua ratione reprehenderunt Henschenium, quod honorem operis Thiofrido debitum, transferre voluerit in Nizonem? Si crediderint; noverant igitur vitam illam servari apud nos. Imo id se credidisse insinuant eodem loco, dicentes :* Ceterum, cum laboriosi continuatores Bollandi eam (*vitam* S. Leodowini) uti sperare fas est, in lucem reducendam curaverint (l'auront fait reparoître) alia inde erui poterunt argomenta, etiam solidiora ad confirmandum id, quod jam statuimos; *nempe auctorem ejus esse Thiofridum.*

at ob rationes

10 *Argumenta, quæ eum in finem nobis maxime idonea videbantur, jam nunc protulimus, ac proin eorum exspectationi ea ex parte satisfecimus; nihil tamen nos movet, ut parti alteri obsequamur; ut, inquam, prolixam valde Thiofridi, sic deinceps appellabo, lucubrationem prelo committamus. Non ætos auctoris, cum tribus et amplius sæculis posterior sit* S. Leodowino. *Non auctoritas documentorum, quæ secutus est, cum fateatur ipse, tenuem sibi ad opus conflandam præluxisse materiam.* Quod, *inquit*, forsitan non B injuria objectum sit, videlicet, hoc opusculum nostrum potius esse sermonem quam textum historiæ, non nostræ ascribendum est negligentiæ, quia cum tot egregia tanti patris acta aut scriptorum inopia aut majorum incuria oblivione sint abolita, et ejus rei gratias tenuis sit nobis materia; ut plura abbreviare, sic nostra interest pauca dilatare et in laudem apostolici viri non nulla dicere, unde studiosus lector possit proficere et vehementius accendi in amorem spiritualis gratiæ. Habemos bonorum exemplum, quo nobis licere id facere, quod illi fecerunt, putamos. Nam Augustinus volans per montium cacumina, quasi aquila in Expositione super Johannem, item in libro de civitate Dei utili utitur syrmate : et Hieronymus in vita Malchi monachi longe latiori incedit tramite; item in vita Paulæ multimodis excursibus et topographiis dilatat et prolongat brevitatem materiæ *. *Hæc satis insinuant, magnam longæ narrationis partem ex proprio Thiofridi ingenio profectam esse. Quod spectat ad allata sanctorum patrum nominatim S. Hieronymi exempla : multum abest, ut sit par ratio. Nam quæ narrat Hieronymus de S. Malcho, ex ipsinsmet ore accepta profitetur : Paulæ vero fuit* C *moderator tam Romæ quam Bethleemi, ac proin, licet hinc inde diutius inhæreat descriptioni locorum, quæ in itineribus invisit Paula, ea tamen, quæ de gestis ejus et virtutibus refert Hieronymus, fictionis suspicionem non admittunt.*

* *al.* historiæ

hic allegatas

11 *Denique nec movet nos Thiofridi stylus, de quo audire juvat Joannem Roberti, qui præcipua ipsius opuscula examinavit et Flores Sanctorum illustravit notis. In vita Thiofridi* § 7 *plurimum commendat Robertus hominis pro ipso sæculo eruditionem; de stylo autem subnectit ista :* Copia in eo verborum ac sententiarum ingens : periodi rotondæ et velut circino in orbem actæ : sed eædem ut plurimum nimis longæ, ac sic impeditæ et dormitantem lectorem fallentes..... Frequens est in allegoriis, antithesibus, allusionibus ad Scripturas, historias, poëtas. Affectatio Græcanicarum vocum delicatiores aures offendit. Vides, me non agere Thiofridi encomiasten, qui vitia quoque ejus aperiam; etsi ea lubens tribuo seculo et magistri inopiæ. *Sed demus etiam specimen, unde et hujus censuræ æquitatem utcumque perspiciat lector, et merito dolendum non esse judicet, quod ab integri operis impressione abstineamus. Vitam* S. Leodowini *orditur Thiofridus a nominibus ac stirpe genitorum; matrem ei fuisse ait Ganzam* egregii Treverorum archipræsulis Basini sororem; *patrem Gerwinum, qui* ex præpotentibus generis lineam ducens Francorum regibus, *Filio* in sacri baptismatis unda quodam præsagio futurorum Lutwin nomen imposuit.

prelo dignam

12 *Dein in hunc modum excurrit :* Apta profecto ac mistica et patris et Filii nominum congruentia! Quia Gerwin *gerens* vel *optans vinum :* Lutwin vero, cum secundum os et organum Spiritus sancti David vinum lætificet cor hominis, interpretatur *populi Lætitia.* Et quid congruentius, quam ut, divina præordinante providentia, a gerente vel optante vinum populi nasceretur lætitia, et in utriusque præsignaretur nomine, quid futurum esset in utriusque opere? In otriusque nomine vinum sonat, quod Deum et homines lætificat : sed diversa meritorum prærogativa pater Gerwin est dictus, quia, cum secundum subtilissimi assertionem Augustini a Deo homines ex aqua facti sint vinum, produxit vinum, lilium videlicet divinæ sapientiæ suavitate præditum, vino compunctionis inebriaturum acquisitionis populum. Et filius Lutwin nomen E est sortitus, quia vinum erat propinaturus, quod in nuptiis Christi et ecclesiæ admiratus est architriclinus : atque hoc in fonte baptismatis utpote adoptionis Dei filios educaturus super aquam refectionis, quæ cum vino redemptionis profluxit ex latere Redemptoris, et ostensurus fontem salutiferum, qui manans de domo Domini irrigat torrentem spinarum. Nimirum divina est actum dispensatione, ut Lutwin nominaretur et illud Psalmistæ, quod lingua necdum potuit, nomine loqueretur : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

non judicamus.

13 Hierarcha quippe futurus, affatim divina sacramenta erat dispensaturus et inenarrabilis suavitatis vino sanctæ matris ecclesiæ sobolem inebriaturus. Vino, inquam, suavissimo, quod illo expressum est botro, de quo in canticis canticorum sponsa canit sponso : o botrus cipri dilectus meus mihi in vineis Engaddi! Igitur calicem salutaris accepturus, et per illum fidelis populi cor lætificaturus, per illum procul dubio calicem, de quo per Psalmistam dat Spiritus sanctus : Et calix tuus inebrians quam præclarus est; F jure per Dei dispensationem a Gerwino patre ortus Lutwin, id est, populi lætitia nominatus est, et quemadmodum Mediator Dei et hominum in assumpta humanitate utramque habiturus personam sacerdotis et regis, de utraque etiam tribu traxit originem carnis, sic nobiliter gubernaturus genus electum, regale sacerdotium, et regia et sacerdotali prosapia duxit generis ramum.

Duas breviores Vitas excudemus, quarum una dici potest Thiofridi synopsis,

14 *Ignoscat mihi benignus lector, cujus fortasse patientia abusus sum recitando prolixam adeo scriptoris allusionem. Id aliquo modo necessarium judicavi, ne, sicut reprehensus est Henschenius, quod, justis tamen de causis, vitam illam tribuerit alteri, quam cui debebatur, ita et nos corriperemur, quod opus, pluris, quam par est, a nonnullis æstimatum, e tenebris in lucem non producamus. Sane alioquin, missa etiam longiore quæstione de vero ejus auctore, paucis indicassem, cur illi præferendas arbitrer binas alias* S. Leodowini *vitas, de quibus nunc agendum. Neutra auctoris sui nomen prodit, neutra certum tempus, quo scripta sit. Utraque multo brevior, et una quidem quæ caret prologo, ita confecta est, ut si expungantur*

AUCTORE J. P.

gantur ex Thiofridiana frequentes excursus, qualium jam specimen exhibui, ea, quæ supersunt, hanc breviorem vitam conficiant, non tamen eodem ordine digestam, verum etiam iisdem pene verbis conceptam : at dubium non sit, quin brevior vel præluxerit Thiofrido, vel ex hujus opere contracta sit. Si primum, quod a verisimilitudine non omnino alienum est, cum ipse Thiofridus significet, tenuem materiam a se fuisse dilutatam, brevior etiam titulo antiquitatis potior est. Si secundum; vel sic habebit lector Thiofridi opus, sed inutilioribus excursibus purgatum. Dabimus eam ut auctoris anonymi ex ms. S. Maximini Trevirensis, verum secundo tantum loco, quia altera videtur antiquior.

altera videtur antiquior.

15 *Hujus auctor, vir, quantum apparet, sincerus, sic præfatur :* Quamvis ergo libro vitæ inserta sit perhenniter illius (*S. Leodowini*) memoria, nondum tamen ad nos usque pervenire contigit de ejus vita aliquam librorum relationem, quæ factorum ejus certam daret notitiam. Sed quædam de eo ex solertia primorum nobis tradita, quædam populari rumore hactenus vulgata, ipsius auxilio confisus narrare incipiam. *His sat aperte declarat, nullam suo tempore, saltem* B *quam noverat, exstitisse gestorum sancti nostri collectionem; si autem exstitisset, id non videtur ignorare potuisse, cum esset Mediolacensis monachus, ut conjicio ex inscriptione :* Incipit prologus in vitam sanctissimi patris et patroni nostri Lutwini; *dein ex ipsomet prologo, in quo Sanctum appellat* specialem patrem nostrum. *Idem censuit Browerus in Annalibus Trevirensibus ad annum* 718; *ubi agens de Milone*, S. Leodowini *filio, citat* Mediolacensem scriptorem antiquum *ejusque ex ms. dicti cœnobii refert textum, qui manifeste desumptus est ex hac vita, licet per librariorum forte incuriam verba ejus parum disserant a nostro apographo, quod ex Trevirensi ms. acceptum notatur a P. Gerlaco Hoen. Porro cur dixerim tantum,* videri *hanc vitam ceteris antiquiorem*, non certo esse, *declarabo in annotatis. Præter enumeratas hactenus res vitas quartam habemus depromptam ex ms. ultrajectino S. Salvatoris, quæ hic nulli usui erit, utpote ab aliis, præsertim Trevirensi S. Maximini, sua tantum brevitate diversa, indeque extracta fortasse pro lectionibus divini officii. Quintam insuper allegat Marcus Antonius Dominicy, de cujus pretio judicabit lector ex dicendis* C *§ sequenti.*

§ II. Sancti parentes et illustre genus; episcopatus Trevirensis.

Illustres habuit parentes; sed fidem

S*anctum nostrum parentes nactum esse genere illustrissimos, unanimi consensu tradunt biographi omnes. Sæpe laudatus Thiofridus et anonymus S. Maximini (hoc nomine deinceps distinguam auctorem vitæ secundo loco excudendæ ab eo, qui primo loco dandam concinnarit, quemque* anonymum Mediolacensem *appellabo) dicunt Gerwinum,* Leodowini *patrem*, ex præpotentibus Francorum regibus generis lineam *duxisse; Gunzam vero matrem, fuisse* nobilem, *seu, ut habet Thiofridus* æque nobilem. *His de patre consonat auctor vitæ S. Basini tom. I Martii; at Gunzam* ducissæ *titulo insignit, utpote sororem Basini. juxta ipsum fuit* dux, ex ducibus Austrasiæ superioris... progenitus. *Anonymus noster Mediolacensis sanctum* regii generis *fuisse ait, Gerwino et Gunza* nobilissimis *ortum* progenitoribus. *Altius volat Adalbertus Andernacensis, sic vocat laudatus supra Marcus Antonius Domenicy auctorem vitæ* S. Leodowini, *cujus inter monumenta subnexa* Ansberti Familiæ redivivæ *pag.* 18 *fragmentum exhibet, his verbis conceptum :* Tempore Childeberti sive Hildeberti, eo nomine secundi regis Francorum et Austrasiorum, extitit quidam primas senatoriæ dignitatis regiique generis, Gerwino patre, filio Dagoberti regis Francorum, et matre Gonza, filia Arnoaldi ducis Lothreianæ, nobilissimis ortus primogenitoribus *; qui in regenerationis fonte vocabulum sumpsit Lutwinus; qui jam adultus magno amoris privilegio amplectebatur avunculum suum Basinum Treverensem archiepiscopum, ac matris suæ Gonzæ fratrem.

* progenitoribus

D

17 Sed antequam narrandi seriem incipiamus, quia domini Gerwini genesis oota est omnibus, justum duximus genealogiam dominæ Gonzæ et originem vocabuli Lothreich narrare. Hæc ex ducibus Lothreianæ progenita fuit, patre Arnoaldo ac matre Oda, filia Gozonis ducis Sueviæ. Hic Arnoaldus patrem habuit Ansbertum ducem Lothreianæ, ac matrem Blitildem, filiam Clotarii regis Francorum etc. Ego Adalbertus indignus abbas Mediani Monasterii, quæ de genesi sancti patris Lutwini scripsi, ab ipso sancto patre accepi, non modo verbis sed et scriptis. *Si vel plura dedisset Dominicius, vel aliunde ad manus nostras pervenisset istius vitæ exemplar, forsasse ex contextu patefieret, quid Adalbertus ille intellectum voluerit per posteriora verba, quæ accepta, prout jacent, clare significant, auctorem convixisse* S. Leodowino, *atque ex ipsomet didicisse, quæ adstruit de ejus majoribus. Sed multum abest, ut fidem faciant. Nam præterquam, quod ea scribat auctor, quæ rescire non potuit coævus* S. Leodowini, *Medianum Monasterium, gallice* Moyen moutier, *sæculo 7 a S. Hidulfo archiepiscopo Trevirensi exstructum, abbatem non habuit nomine Adalbertum ante medium sæculum* 10 : *ante eum, inquam, Adalbertum, qui sub annum* 963 *transposuit corpus ejusdem S. Hidulfi, uti dictum est in Commentario prævio ad hujus archiepiscopi Acta tom. 5 Julii.*

non faciunt, quæ de ejus genealogia

E

F

18 *Verumtamen etiamsi prædicta verba sensum alium admitterent, ne tum quidem vitam istam attribuere velim Adalberto sæculi decimi Mediani monasterii abbati, ne virum, quem* per omnia perspicuum et venerabilem *fuisse lego, cogar arguere insignis in rebus historicis imperitiæ, dum Arnoaldum et Ansbertum, Gunzæ, ut asserit, patrem et avum, Lothreianæ seu Lotharingiæ duces nuncupat, et vocabuli* Lotreich *originem a se dandam promittit, quasi id sancto nostro sit antiquius; cum tamen vox ista usurpari tantum cœperit sæculo nono; quando pars Austrasiæ appellata est* Lotharingia *vel* Lothariana, *vulgo* Lotrich *vel* Lotreich, *a rege Lothario imperatoris cognominis filio. Sed his etiam sepositis, auctoritas scriptoris sæculi decimi nobis non sufficeret ad assentiendum iis, quæ tradit de Gerwino; cujus nempe genesim omnibus notam esse ait, cujusque patrem Dagobertum regem Francorum fuisse confidenter pronuntiat; ubi tamen nullus ante ipsum inveniatur, nec ullus, quem novi post ipsum, qui vel Dagoberto dederit Gerwinum filium, vel Gerwino Dagobertum patrem.*

adstruxit Adalbertus,

19 *Malo itaque credere, vitam istam fabricatam*

auctor verisimiliter personatus.

A *tam vel interpolatam fuisse per fabulatorem, Adalberto abbate Medianensi longe recentiorem, qui stirpem Gerwini et Gunzæ* S. Leodowini *parentum, in actis minus distincte expressam, declarandam susceperit, utque suis commentis pondus adderet, se Sancto coævum finxerit, non sat callidus tamen, ut nomen et dignitatem assumeret hominis, quem istis temporibus vixisse constaret aliunde. Denique dubitandam non existimo, quin fabulator præ oculis habuerit vitam nostram prima loca excudendam. Nam eodem plane modo orditus est, eademque verba retinuit, adjectis dumtaxat iis, quæ ad propositum suum commentatus est, quæque ad distinctionem hic uncis includo :* Tempore Childeberti [sive Hildeberti eo nomine secundi] regis [Francorum et Austrasiorum] extitit quidam primas senatoriæ dignitatis regiique generis Gerwino patre [filio Dagoberti regis Francorum] et matre Gunza [filia Arnoaldi ducis Lothreianæ] nobilissimis ortus primogenitoribus *, qui in regenerationis fonte vocabulum sumpsit Lutwinus. *Plures verisimiliter hujuscemodi interpolationes detegent ii, qui integram personati istius auctoris lucubrationem habentes,*

** al. progenitoribus*

B *conferre eam voluerint cum laudata anonymi nostri vita; at, consideratis, quæ ad larvam illi detrahendam attulimus, argumentis, de interpolationibus istis, nisi antiquiore testimonio firmari queant, idem verisimiliter judicium feret, quod nos de fabricata* S. Leodowini *genealogia; nullam videlicet mereri fidem.*

Dux fuit; an ex stirpe regia

20 *Firmiore assensu admittimus, virum fuisse potentem et ducis titulo insignitum, propter diploma Egberti archiepiscopi Trevirensis, quo confirmat donationes factas ecclesiæ S. Paulini, tam a se quam ab aliis, quos longo ordine recenset, et primo loco Sanctum nostrum his verbis :* Hoc etiam pacto (stabile et firmum esse volui, *ut præmiserat*) quicquid Luthuinus dux in monachum conversus, et postea hujus sedis sacer archiepiscopus, in Brambach et in Byrckenfeldt, in ecclesiis aut in omnibus appendiciis aliis ad habendum fratribus, Deo et S. Paulino servientibus, contulit. *Diploma istud, quod integrum videre est apud Browerum tom. I Annalium Trevirensium pag.* 484, *non est quidem testimonium coævi vel supparis, datum dumtaxat anno* 981, *ducentesimo*

C *circiter ac septuagesimo post sancti obitum : attamen hujuscemodi donationum antiquarum in recentioribus diplomatis enumerationes et confirmationes probabilissimam conjecturam faciunt, exstitisse tum chartas seu monumenta vetustiora, unde desumpta sint, quæ de singulis donationibus commemorantur.*

non satis probatum est. Tempus nativitatis incertum;

21 *Talem fiduciam non faciunt biographi; quorum primus, ut nobis videtur, aliis antiquior, sua se fatetur narrare partim ex traditione, nescimus, an scripto, an oretenus tantum accepta, partim ex populari rumore. Præterea etiamsi statuamus, nonnulla scripto accepta fuisse : cum immixta sint aliis, quo pacto dignoscentur? Hac igitur occasione, ne sæpius eadem recurrat observatio, dignetur meminisse lector, nos relata per biographos, nisi dum aliter monuerimus vel ea ex antiquiaribus monumentis comprobaverimus, eodem loco habere, quo assertam per illos regiam* S. Leodowini *prosapiam. De loco nativitatis altum silem tam recentiores quam veteres; nihil quoque determinatum reperimus quoad annum nativitatis. Si standum foret calculis biographi S. Basini, natus non esset ante annum* 670, *circa quem Childericus II monarchiam adeptus est; sic enim scribit :* Childerico rege monarchiam regni disponente .... Gunza... nupsit... primati... nomine Gerwino... ex quo suscepit filium... Lutwinum. *Sed non placent isti calculi. Constat enim, episcopum fuisse* S. Leodowinum *anno* 698, *ac proin non tantum ipsi non concedunt ætatem ad episcopatum requisitam; sed neque tempus sufficiens ad reliqua ipsius gesta. Etenim juxta eumdem biographum adultus* Leodowinus *uxorem duxit, prolem suscitavit, versatus est in aula, regi fuit a consiliis, mortua uxore, in constructo a se Mediolacensi cœnobio vitam monasticam professus est, et hinc demum vocatus ad episcopatum. Diu igitur natus erat, antequam Childericus monarchiam suscepit.*

nomen varie a variis scriptum.

22 *Nomen, Sancto in baptismate inditum, diversimode offertur, prout jam nunc adverti potuit in allegatis variorum textibus, ac plenius videri potest apud Cointium ad annum* 698 *num.* 3, *et apud Sallerium in auctariis ad Usuardum ad diem* 29 *Septembris; communiores scribendi modi sunt* Lutwinus, Luitwinus *et* Liutwinus; *sed, ut recte observat Brawerus,* Leodowinum *appellavere veteres : imo ipsemet Sanctus ita nomen suum*

E *expressit in chartis, quibus subscripsit. Tres hujusmodi chartas exhibet illustrissimus Joannes Nicolaus ab Hontheim, episcopus Myriophitanus, suffraganeus Trevirensis, tom. I Historiæ Trevirensis diplomaticæ a pag.* 90; *quarum primæ ac tertiæ ita nomen suum apposuit* Leodowinus episcopus. *secundæ :* Ego Leodwinus episcopus, *sive ut habet Martenius tom. I Collectianis amplissimæ col.* 10, Leotwinus. *Eapropter tot inter varietates* Leodowini *vocabulum præferendum censui, sicque constanter scripsi; ubi non recitabam aliorum verba, quod et passim servavit laudatus Cointius in Annalibus Francorum. Quoniam tamen apud biographos nostros* Lutwinum *legebam atque ea nuncupatio videbatur prævaluisse apud recentiores, Commentarii titulo adscripsi seu* Lutwino, *de cujus vocis etymo nonnihil observabo in Annotatis.*

Constat nunc episcopum fuisse

23 *In eadem annotata reservo, quidquid elucidationem exigit in actis usque ad aditum a* Leodowino *episcopatum, de quo nunc. Secundum biographos nostros, quo tempore* S. Leodowinus *in Mediolacensi cœnobio vitam monasticam exerceret, obiit Basinus, cui unanimi Trevirensium consensu*

F *subrogatus est. Defuncto Basino successisse traditur etiam in gestis Trevirorum apud Calmetum inter probationes tomi I Historiæ Lotharingicæ col.* 19. *Hic accesserunt Joannes Enen in Medulla Gestorum Trevirorum et cum aliis Browerus in Annalibus ad annum* 697 *dicens :* Per id quoque tempus ad 4 Nonarum Martii Basinus Trevirorum pontifex diem clausit extremum; *dein quibusdam interpositis :* Trevirensis ecclesia pastore vidua... decernit se Lutwino... tradere, eique gregem commendare suum. *Verum hæc sententia generatim et merito fuit derelicta, ut primum chartæ superius memoratæ cœperunt attentius considerari. Ex iis quippe evidenter eruitur, et Basinum vixisse post annum* 697 *et ipso vivente, episcopum fuisse* Leodowinum.

anno 698, vivente Basino episcopo.

24 *Chartæ ista continent donationes, quas S. Irmina, Dagoberti II regis filia, fecit fundato a se Epternacensi monasterio. Prima autem, in qua sic loquitur Sancta :* Inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum apostolicorum, patrum nostrorum, domini Basini et domini Leotwini episcoporum... in villa mea propria, quæ vocatur Epternacus... monasteriolum... construxi, *scripta notatur*

AUCTORE J. P. *tur* Treveris sub die Kalend. Novembris anno 4 domini nostri Childeberti regis, *id est, Christi* 698, *quandoquidem sicut probat Pagius, regnare cœperit Childebertus ante finem Martii anni* 695. *Chartæ isti hoc ordine subscribunt :* Irmina in Christi nomine hanc donationem relegi. Basinus episcopus. Leodowinus episcopus. *Eodem ordine signant iidem Chartam secundam eodem anno sub die* Calendas Decembris *confectam, eademque tertiam, quæ spectat ad sequentem annum secundum hasce notas :* Facta est hæc cartula donationis sub die Kal. Julias anno 5 regni domni nostri Childeberti regis. *Quarta insuper apud laudatum Honthemium pag.* 101 *Charta exhibetur, quæ facta signatur.* Treberi 8 Idus Majas anno 10 Childeberti regis, *Christi scilicet* 704, *cuique post Irminam solus episcopus subscribitur Basinus. Inde manifesta fiunt, quæ dixi in fine præcedentis numeri.*

sed quo pacto, non ita inter omnes 25 *At quo pacto simul episcopi fuerunt Basinus et* Leodowinus? *Tom. I Diplomatum Belgicarum pag.* 245, *ubi exstat charta Irminæ prima loca a nobis allegata, isthæc nota subjicitur :* Leotwinus seu Leodewinus, nisi fallor, fuit avunculi sui Basini successor in episcopatu seu archiepiscopatu Treverensi : quem alii nuncupant Ledwinum seu Lutwinum, et scribunt fuisse abbatem ac fundatorem monasterii Mediolacensis. Vivente autem avunculo suo, potuit Leodewinus seu Ledwinus fuisse episcopus ad conversionem gentilium ordinatus, more illius ævi. *Aliam viam pandit Joannes Wiltheim Societatis Jesu sacerdos, laudatus ab illustrissimo Honthemio tom. I, pag.* 90. *Juxta Wilthemium itaque Basinus, abdicato episcopatu, se recepit in S. Maximini Trevirense monasterium, in quo ante monachus vixerat, et* Leodowinus *ipsi in episcopatu suffectus est. Utraque via attingimus finem, quem quærimus, intelligimus, quo pacto simul potuerint esse episcopi Basinus et* Leodowinus. *Secundam tamen ut planiorem tenent hodieque eruditi. Et sane nota apud Miræum tantum affertur tamquam conjectura; Wilthemii opinio solidiore fortasse nititur fundamento. Fortasse, inquam, nam cum Wilthemius initio sæculi proxime elapsi describendam susceperit Historiam cœnobii S. Maximini Trevirensis, cujus libro sexto immortuus est Luxemburgi anno* 1636, *conjicere fas est, eum inter antiqua dicti monasterii documenta et monumenta detexisse aliquid, unde erueret, S. Basinum in ea cœnobio, ubi revera sepultus fuit, vixisse sub finem vitæ.*

convenit. 26 *Adde, quod, etiamsi demus, meram esse Wilthemii conjecturam, saltem non minus verisimilis sit quam annotatio apud Miræum, nec alterutra ita rem explicet, ut Chartæ, quibus simul episcopi subscripserunt Basinus et* Leodowinus, *concilienter cum assertis biographorum. Nam sicut juxta Wilthemium falsum est, quod* S. Leodowinus *cathedram Trevirensem tantum ascenderit post obitum Basini, ut volunt biographi, ita negat annotatoris conjectura, quod, dum* S. Leodowinus *vitam monasticam exerceret in Mediolacensi cœnobio, et, uti expresse habet primus biographus,* sub abbatis sui imperio se *humiliaret, defunctus sit Basinus archiepiscopus, ipseque e monasterio multum reluctans, ut addit biographus secundus, ad episcopatum raptus sit. Quandoquidem ante Basini obitum jam diu ecclesiam Trevirensem rexerat* Leodowinus *in Wilthemii sententia, in annotatoris vero opinione, regente Basino dictam ecclesiam, ipse esset episcopus, ad conversionem gentilium ordinatus, ab anno certe* 698 *usque ad* 704, *qua vivebat adhuc Basinus.*

§ III. Episcopatus Remensis et Laudunensis ipsi perperam adscriptus ; miraculum fabulæ suspectum ; verisimilis origo utriusque fabulosæ traditionis.

Sanctum non fuisse simul Treviris, Remis et Lauduni episcopum. **E***st et aliud, quod a biographis nostris et a Gestorum Trevirorum auctoribus traditum, ab aliisque adoptatum, nunc passim repudiatur ab eruditis. Anonymus Mediolacensis id verbis sequentibus comprehendit :* Cum ergo omnium discretionis examine subditorum corda rexerat, flagrantiaque virtutum adeo finitimos quosque illexerat, ut Remenses pariterque Laudunenses cives, qui populi nuper caruerant pastore, ipsius se rectissimo moderari peterent regimine. Quod pondus pater sanctus, fraterna devictus charitate, Deo quoque sic disponente, subiit ; et trinæ Deitatis amminiculo suffultus, trium gubernacula virorum solus feliciter administravit. *Pluribus id ipsum anonymus alter, et paucis his auctores Gestorum Trevirorum :* Basino episcopo successit... et Rhemensibus et Laudunensibus præfuit. *Denique, ut recentiores prætercam, istis post Joannem Enen Scheckmannus :* Basino successit, Presulium tanto spiritali nitore clarum reddidit, ut et a Remensibus et Laudunensibus in episcopum assumeretur. *Addunt omnes,* Leodowinum *Renis supremum diem obiisse, et ita quidem biographi, ut intelligas, id contigisse, dum actu tres simul ecclesias gubernabat.*

28 *His assertis adversatur primo, quod neque in Remensium neque Laudunensium antistitum catalogis locus ullus concessus sit* Leodowino. *Secundo, quod Remensis saltem cathedra non videatur vacasse tota tempore, qua Sanctus Trevirensem occupavit, et certe non vocaverit anno* 715, *quo circiter ipsum obiisse ostendemus. Nam, teste Flodoardo lib.* 2, *cap.* 11 *Historiæ Remensis ecclesiæ,* domno Reolo beatus Rigobertus successit in episcopatu *Remensi. Rigobertus autem jam Remensem cathedram occupabat ab anno secundo Clodovæi regis III, id est, juxta receptiores nunc calculos, Christi* 692, *eamque tenuit usque ad* 717. *multis argumentis* *Primum ostenditur ex Privilegio monachis Dervensibus dato per Bertoendum episcopum Catalaunensem, Remensis metropolis suffraganeum. Exstat tom* 10 *Spicilegii Acheriani pag.* 627 *atque hoc habet exordium :* Dominis sanctis et summi culminis apostolicæ pontificalis cathedræ speculis præsidentibus, in Christo fratribus, seu coepiscopis, RIGOBERTO METROPOLITANO, Basino, Stephano, Adalberto, Aloni, Madalgario, licet indignus in ordine, tamen Katalaunensium episcopatus, supplex in Domino mitto salutem. *Dein dicitur concessum privilegium, postulantibus Clodoveo rege ac Pipino Majore domus, et post multa sic clauditur :* Actum Remis publice data, quem fecit mensis Febr. die 15 anno secundo gloriosi domni nostri Clodovei regis. *Ea tempestate, ut discimus ex catalogis episcoporum, Basinus, qui alius passim* Bainus *scribitur, Morinensem,*

A sem, *Adalbertus seu Adolbertus Suessionensem, Madalgarius Laudunensem ecclesias gubernabant, omnes tunc Remensis metropolis suffraganeas; Stephani et Alonis sedes reperire non valui. Sed ut ad institutum redeam, habuit igitur Remensis ecclesia episcopum Rigobertum anno* 692 *aut certe anno* 694, *quod addo propter eos, qui secundum Clodovei regis in hunc differendum contendunt. At eumdem Rigobertum habuit episcopum ecclesia Remensis ad annum usque* 717; *quod probamus indubiis testimoniis.*

et veterum testimoniis

29 *Flodoardus superius laudatus, cum dixisset :* Domno Reolo beatus Rigobertus successit, *enarrassetque gesta ejus præcipua, præsertim bona et privilegia, quibus tum ipse ecclesiam suam ditavit, quam per Dagobertum II regem et alios ditandam curavit, ita orditur caput* 12 *:* Orta denique simultate inter regem Chilpericum et Karolum præfati Pippini (*Heristalli*) filium, majoremque domus Ragemfridum, Karolus iste prope urbem transiens Remorum, clamasse fertur ad beatum Rigobertum, supra portam civitatis situm, ut ei juberet eamdem portam aperiri, quatinus ad ecclesiam sanctæ Dei Genetricis oratum posset B abire. Cui crebris in idipsum vocibus instanti respondisse vir Domini perhibetur, quod non illi eam prius aperiret, donec sciret, quem finem lis cœpta perciperet, ne forte urbem sibi commissam ipsi diripiendam proderet, qui aliarum res nonnullas urbium jam diripuisset. Ad hæc Karolus comminatus asseritur furibunde, quod si reverteretur victor in pace, non ultra idem vir Dei tutus maneret in eadem civitate.... Præfatus itaque Karolus, ut principatum bello adeptus est, hunc virum Domini Rigobertum, patronum suum, qui (ut traditur) eum de lavacro sancto susceperat, episcopatu deturbavit et cuidam Miloni sola tonsura clerico, quod secum processerat ad bellum, dedit hoc episcopium. *Hæc Flodoardus congruenter ad ea, quæ de Rigoberti expulsione et Milonis intrusione, ipso sæculo* 8, *quo contigerunt, rescripsit Adrianus I Pontifex Romanus ad Tilpinum archiepiscopum Remensem verbis sequentibus ibidem cap.* 13 *:* Tua fraternitas nobis retulit, quia, faciente discordia inter Francos, archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, a sede contra canones dejectus et expulsus fuit... solummodo quod antea non consensit in parte C illius, qui postea partem illam de illo regno in sua potestate accepit... et donatus... episcopatus... a sæcularibus potestatibus. Miloni cuidam, sola tonsura clerico etc.

evincitur.

30 *Hincmarus, sequenti sæculo Remensium episcopus, similia memorat de Milone in prologo ad vitam S. Remigii episcopi, et mala, quæ tempore illo obvenerunt isti et aliis ecclesiis, attribuit contentionibus et bellis inter Carolum Martellum et Ragenfredum Chilperici Majorem domus. Verba ejus aliquot dabuntur inferius. Fuse denique totam historiam exhibet biographus S. Rigoberti apud nos tom. I Januarii pag.* 176 *et Sancti hujus e sede sua expulsionem contigisse scribit post pugnam Caroli in campo* Vinciaco adversus Chilpericum et Raganfredum. *Pugnam apud Vinciacum in Cameracensi pago omnes unanimi consensu illigant anno* 717, *qui fuit Chilperici regis secundus : hinc multi anno eidem innectunt Rigoberti expulsionem, arbitrantes, quod mox subsecuta esset pugnam ; hoc negant alii, et expulsionem serius collocant : sed quæstionem istam ulterius discutere hujus loci non est. Huc spectabat ostendere, quod ab anno* 692 *vel* 694 *Remensis ecclesia alium episcopum, quam Rigobertum, non habuerit usque ad* 717, *idque per allegata testimonia luculenter factum existimamus; et inde concludimus, probabile non esse, quod* Leodowinus *simul Treoirensem, Remensem ac Laudunensem cathedram occuparit, imo certum esse, quod Remensem non occuparet, quando obiit circa annum* 713.

AUCTORE J. P.

Hinc magis suspectum fit miraculum.

31 *Ex improbabilitate unius asserti, tam luculenter ostensu, oritur ingens suspicio, ne quid durius dicam, de veritate alterius, quod adstruunt auctores Gestorum Trevirorum et iidem nostri biographi, atque imprimis anonymus Mediolacensis hisce verbis :* Quodam tempore, cum Remensium clero sacrorum ordinem graduum deberet celebrare (*S. Leodowinus,*) aderant et Laudunensium nuncii, idem officium sibi postulantes impendere. Sed vir Dei cum utrisque vellet satisfacere, fertur Clementiam supernam rogasse, ut, quod propria non possent * efficacia, sua dignanter suppleret omnipotentia. Cujus puritatem orationis æternus Arbiter continuo ab alto exaudivit, fractaque solis lege, diem adeo protelavit, ut officio Remensis civibus urbis pleniter exhibito, Laudunum veniens, in tempore similiter perageret oportuno. *De absoluta hujus miraculi possibilitate nemo non atheus ambiget; at hujusmodi prodigia, ut plenam faciant fidem, majorem in adjunctis verisimilitudinem exigunt, majoremque in scriptoribus auctoritatem. Cum enim Remenses certe suum haberent episcopum, miraculi verisimilitudinem minuit collatio sacrorum Ordinum in aliena diœcesi. Reponi quidem posset, id contigisse, assentientibus et propter morbum aliudve incommodum aut impedimentum postulantibus Laudunensi ac Remensi episcopis; at meræ sunt hæ conjecturæ.* E

* al. posset

quod Remis et Lauduni factum narrant biographi.

32 *Adhæc causam non satis urgentem deprehendo, cur Laudunensium nuntii rem postulaverint, quam solis naturæ viribus impossibilem noverant, curve Sanctus tantopere desideraverit ipsis satisfacere, ut eum in finem a Deo miraculum petierit. Denique nec satis percipio, cur rei istius memoria servata fuisset apud Trevirenses, non item apud Remenses ac Laudunenses, in quorum gratiam et in quorum conspectu prodigium usque adeo memorabile fuisset patratum. His adde debilem monumentorum, quibus traditio miraculi nititur, auctoritatem, primo Gestorum Trevirorum seu Historiæ Trevirensis, quæ auctorem non habuit sæculo nono antiquiorem, quæque multis fabulis conspersa est, uti convenit hodiedum inter eruditos et abunde probatum est tom. IV Septembris ad diem* 14 *in Commentario de Gestis S. Materni episcopi : secundo biographorum nostrorum, qui verisimillime ex eodem fonte prodigium istud hauserunt, ex quo improbabilem trium simul ecclesiarum* S. Leodowini *episcopatum : puta ex traditione et* rumore populari, *quo pro narrationis suæ fundamento recurrit biographus, mea opinione omnium primus, vel certe ex dicta Historia Trevirensi, quam, licet in multis fabulosam, Actis tamen nostris antiquiorem reputo. In hac autem res hic controversæ et aliæ, ad sanctum pertinentes, sic memorantur apud Calmetum :* Defuncto avunculo suo Basino episcopo successit (Lutvinus) electus, et Rhemensibus et Laudunensibus præfuit, in quibus duobus uno die, Deo præstante, sacrorum ordinum consecrationem celebravit. Rhemis obiit et a Milone filio Trevirensibus relatus, divino dato indicio, Mediolacum * sepultus est. *Postrema verba nonnihil enucleemus, forte sic assecuturi saltem per conjecturas, unde traditiones* F

* al. ad Mediolacum

AUCTORE J. P.

ditiones de triplici S. Leodowini *episcopatu, ac prodigiosa ordinum collatione originem sumpserint.*

Remis obiisse creditur

33 *Remis obiisse Sanctum tradunt quoque post biographos nostros, quotquot de triplici ejus episcopatu sententiam amplexi sunt: nec unum inveni etiam inter dictæ sententiæ adversarios, qui absolute impugnaverit obitum ejus in Remensi civitate: quamquam non desint, qui quæstionem istam subterfugientes, nullum obitus locum assignaverint; verisimiliter quia nec fidebant testimonio Historiæ Trevirensis, nec argumentis instructi erant, quibus id vel confirmarent vel refellerent. Petrus Merssæus Cratepolius in annalibus archiepiscoporum Trevirensium nullam de Remensi aut Laudunensi* S. Leodowini *præsulatu mentionem faciens, nullam de miraculosa ordinum collatione,* Tandem, *inquit,* cum Rhemos profectus esset ad consilium generale, mortuus est ibi. *Nescimus, an istud acceperit ex monumento aliqua auctoritate prædito, an gratis asseruerit, ut ad communem de loco emortuali traditionem se conformaret, et qualemcumque causam assignaret, cur Sanctus Remos profectus sit. Plures sane potuerunt esse ea proficiscendi causæ; verum cum non afferatur alia* B *magis probata; nolumus hic esse difficiliores, quam Cointius ad annum 713 num. 20 sic inquiens:* Luitwinum Remis mortuum et Medinlaci sepultum non negamus; Remos etiam, ut concilio generali, id est, synodo ex utraque belgica convocatæ interesset, profectum non inficiamur, licet acta istius concilii non extent.

cujus urbis episcopatum simul

34 S. Leodowino *filium fuisse, nomine Milonem, ex legitimo thoro procreatum, antequam sæculo valediceret, prout traditur in actis, et indicatur in Historia Trevirensi, sententia est similiter ab omnibus recepta, vel saltem a nemine, quem norim, impugnata. Is Milo secundum Acta nostra defuncta Parenti a Trevirensibus in sede episcopali substitutus est. At secundum Historiam Trevirensem* tyrannica invasione *occupavit paternam cathedram, extruso S. Chlodulpho, antea Metensium episcopo, quem Trevirenses* Leodowino *subrogaverant. Verum hic denuo fabulam obtrudit Historia. Chlodulphus, cujus acta digesta sunt ad diem 8 Junii, locum non habet in vetustis Trevirensium episcoporum catalogis, nec, etiamsi contra communem hodie eruditorum opinionem probaretur aliquamdiu sedem istam occu-* C *passe, substitui posset.* S. Leodowino, *ante cujus obitum dudum ipse obierat. Rectius conformiusque ad acta et Catalogos Trevirenses successio ista exponitur in Fragmento de Gestis episcoporum Trevirensium, quod edidit Mabillonius part. 2, sæc. 3 Benedictini pag. 612. Istic enim narrata morte ac sepultura* S. Leodowini *iisdem verbis, num. 32 ex Historia recitatis, mox subditur:* Post quem Milo filius ejus sacerdotali functus est officio apud Treberos et Remos; primo quidem imitator Patris, deinde Tirannus effectus est, nihilque in eo de clericali honore vel vita nisi sola tonsura enituit.

cum Trevirensi occupavit Milo filius ejus,

35 *Verba illa:* Primo quidem imitator Patris *non obscure significant, aliquem a Milone episcopatum juste ac legitime pauco saltem tempore fuisse gubernatum, eumque haud dubie Trevirensem; quandoquidem Remensem juxta superius allegata testimonia, S. Rigoberto* contra canones *expulso, usurpavit. Hoc mitiore sensu intelligi fortasse debet textus iste Hincmari in Præfatione ad vitam S. Remigii:* Adeo ut Milo quidam tonsura clericus, moribus et habitu et actu inreligiosus laicus episcopia Remorum et Trevirorum usurpans in- D simul per quadraginta circiter annos pessumdederit. *Ita in apographo nostro ms. Quidquid sit: constat sane, Milonem utriusque ecclesiæ episcopatum tenuisse, idque satis est ad formandas qualescumque nostras conjecturas super origine traditionis de triplici* S. Leodowini *episcopatu. Noverant noni vel decimi sæculi scriptores Trevirenses,* S. Leodowinum *certo fuisse suum episcopum, noverant et Milonem fuisse suum, ac præterea Remensium episcopum; et hinc facile concluserunt, Milonem Patris successorem fuisse tam in Remensi quam Trevirensi cathedra, præsertim dum credebant et fortasse certo sciebant,* Leodowinum *Remis defunctum esse.*

unde fortasse orta traditio de triplici episcopatu

36 *At, inquis, unde nata traditio de* S. Leodowini *episcopatu Laudunensi? Suspicor, merum esse historiæ ornamentum, eum in finem confictum, ut ne* S. Leodowinus *in numero episcopatuum inferior esset S. Materno, qui legebatur tribus simul ecclesiis præfuisse, Trevirensi, Coloniensi ac Tungrensi. Et profecto duo illi sancti Antistites pares fuere in multis, verius forte dixero, a scriptoribus pares facti sunt. Maternus* tribus civitatibus *(Treviris, Coloniæ Agrippinæ et Tungris)* pontificali jure præsedit, in quibus singulis fertur uno E eodemque Paschali die divinum Officium celebrasse. *Verba sunt Gestorum seu Historiæ Trevirensis sæpe dictæ.* Leodowinus *juxta eamdem Historiam Trevirensis episcopus* et Rhemensibus et Laudunensibus præfuit, in quibus duobus uno die, Deo præstante, sacrorum ordinum consecrationem celebravit. *Maternus* apud Coloniam obiit... cujus obitu Treveri comperto mox Coloniam profecti sunt, pastorem suum repetentes. *Diu altercati sunt de corpore cum Coloniensibus et Tungrensibus; donec apparentis angeli consilio lis decisa fuit.* Leodowinus *Remis obiit, et teste eadem Historia* a Milone filio Trevirensibus relatus, divino dato indicio, [ad] Mediolacum sepultus est: *teste primo nostro biographo:* Treverici... comperto almi Præsulis (*Leodowini*) obitu... ad Remensem concite urbem cum Milone properarunt, et sacrum thesaurum, cum magna difficultate sed nutu Dei acquisitum, ad propria asportarunt.

et dein ea de S. Materni narratio est adjuncta.

37 *Corpus S. Materni, ut fert Historia, angeli monitu navi impositum, ut, quo Deus vellet, deveheretur,* nullo se regente nauclero, contra fluctus *ad littus Trevirense directum est.* F S. Leodowini *corpus, uti narrat biographus, Trevirim usque delatum, nullo modo in civitatem invehi potuit:* Consilio igitur inter primores de tam inopinata re habito, pignus sanctissimum, sublato remige, imposuerunt navigio, in commune Gubernatorem mundi rogantes, ut illuc, quo voluntas ejus esset, annueret dirigi. Mox itaque per alveum Mosellæ contra cursum... navis enatatur... fluvium Sarouuæ intrat, *Mediolacum tendit. Tom. IV Septembris, ubi egimus de S. Materno, super prodigiis ipsius, hac occasione jam delibatis, sensum nostrum significavimus. Ea vero, quæ hic* S. Leodowino *attribuuntur, inter non satis probata computamus, et propter assignatam cum istis similitudinem etiam inter magis suspecta.*

§ IV.

AUCTORE I. P.

A

§ IV. Annus emortualis; sepultura : epitaphium; corporis translatio; cultus; reliquiæ.

Obiit Sanctus anno circiter 713:

Variorum de sancti anno emortuali opiniones seu assertiones hic non discutiam. Unius dumtaxat, quæ hactenus communissima est, statuitque obitum circa Christi 713, fundamenta proferam. Milo, proximus S. Leodowini in Trevirensi sede successor, hanc et Remensem sedem per quadraginta circiter annos pessumdedit, ut liquet ex testimonio Hincmari in præfatione ad vitam S. Remigii. Mortuus est autem Milo anno 753, ut communiter etiam nunc statuitur, et potissimum deducitur ex tempore, quo Tilpinus post obitum Milonis Remensem ecclesiam legitimus pastor gubernavit. Tempus illud istis notis expressit Hincmarus in Tilpini epitaphio apud Flodoardum lib. 2, cap. 17 : Quadragenis amplius annis : illis B vero finem vitæ Tilpini auctor Appendicis ad eumdem Flodoardum : Defuncto Tilpino archiepiscopo anno 23, postquam Carlomannus Remensi ecclesiæ villam Novilliacum tradidit, tenuit etc. Hanc donationem fecit Carlomannus secundum ea, quæ ibidem præmittuntur, anno quarto regni ac vitæ suæ ultimo, qui fuit Christi 701 ; proindeque mortuus est Tilpinus anno 794, a facta donatione vigesimo tertio, et a statuta Milonis morte quadragesimo primo, qui numerus annorum quadrat notis Hincmari : Quadragenis amplius annis. Flodoardus tamen Tilpino tradit annos episcopatus quadraginta septem, atque hinc Cointius mortem ipsius differendam contendit usque ad Christi 800. Verum quæstio ista morari nos non debet : cum etiam in Cointii opinione retrocedendo perveniamus ad 753, Milonis vitæ ultimum et episcopatus Tilpini primum. Quoniam vero per quadraginta circiter annos, teste Hincmaro, utrumque episcopatum pessumdedit Milo, nec verisimile apparet, id eum fecisse vivente Leodowino, non videtur hujus obitus rectius figi posse, quam circa annum 713; quando verisimiliter occupare cœperit Trevirensem sedem; licet paucis tantum post annis, puta circa 717, simul usurpaverit Remensem. Neque C talem expositionem renuit Hincmari textus, prout in nostro ms. vitæ S. Remigii apographo exhibetur, in eo quippe expresse adjicitur particula circiter, quæ apud Browerum, ubi textus recitatur, prætermissa est.

Mediolaci sepultus miraculis claruit

39 Remis obiit sanctus, indeque sacrum ejus corpus translatum est Mediolacum, ut fert superius exposita communis traditio. Ibidem sepultus creberrimis claruit miraculis, clarebatque etiam tum, quando acta ipsius collecta sunt, prout testatur uterque anonymus noster; et secundus quidem istis verbis : Nam ut omittamus, quanta audivimus; sed * ea tantum, quæ oculis nostris vidimus, litteris mandare voluerimus, modum voluminis excedimus. Uterque generatim asserit, cæcos fuisse illuminatos, ægros sanitati restitutos, energumenos dæmone liberatos, etc. At neuter specialem alicujus miraculi historiam pandit. Actis quidem primo loco excudendis in ms. collectione nostra subjungitur miraculorum quorumdam Relatio; verum nulla ceteroquin inter hanc et illa cernitur connexio, quæ suadeat, ambas lucubrationes ab eodem auctore profectas esse. Contra novum habet prologum relatio, et in illo narrantur nonnulla de S. Leodowino ac Milone filio, quæ si idem fuisset auctor, vel hic non satis apte repetiisset, utpote jam partim dicta in actis, vel congruentius claritatis ergo ipsis actis inseruisset. Hoc plenius perspicere poterit lector ex ipsomet prologo et annotatis illi subjiciendis. Porro ex eodem prologo patebit, auctorem fuisse Mediolacensis cœnobii incolam ac scripsisse sæculo Christi undecimo : ex miraculorum autem, quæ S. Leodowino adscribuntur, relatione conjici poterit, insignem fuisse ejus temporibus cultum ac venerationem. Propter eum cultus celebritatem verisimiliter factum est, ut ecclesia dicti cœnobii etiam ejus nomine ab antiquis appellata fuerit. Certe sic appellarunt auctores Gestorum seu Historiæ Trevirensis apud Calmetum cap. 40 his verbis : Dicunt eum aliqui res ecclesiarum sancti Eucharii et sancti Lutwini principibus suis in beneficium tradidisse, agitur de Heti sæculo nono Trevirensium episcopo.

** forte si*

Versus tumulo incisi antiquiores forte non sunt

40 Browerus lib. 7 Annalium Trevirensium de sepultura sancti in Mediolacensi ecclesia in hunc modum scribit ad annum 718 : Conditorium habet eminenti opere, sacrario seorsim illi ab æde præcipua posito. Amplitudinem memoriæ versus approbant antiqui sepulchro incisi; probi quidem E illi, si fide metiaris; at, si numero cultuque, squalentes et hispidi. Sed turpe profecto, sic aurium sensu verborumque lenociniis duci, ut veritatis fideique simplicitas, horum quasi delinimentis, refringatur.

Hic pater insignis Luitwinus fons pietatis,
Cujus in hac tumba requiescunt pignora sacra,
Quondam divitiis cum polleret copiosis,
Est factus monachus; multis post forma futurus
Viribus hic totis frangens incendia carnis.
Archimandritæ post hæc pignus subeunte
Urbis Trevericæ gregis et sortitus ovile
Pastor agens vitam plenis virtutibus ipsam.
Tandem cum palma felix migravit ad astra
Omnibus effectum tribuens poscentibus ipsum.
Unde preces illi profundite mente fideli,
Pestis ut assidue procul absit, sospite cive.

sæculo 15, quo translatum est corpus,

41 Nihil est, quod addam Broweri judicio de versuum numero et cultu. Nos quoque nec fastidimus nec supprimimus umquam monumenta propter squalorem aut duritiem styli; qualiacumque sint, pretiosa sunt, dummodo conjunctas habeant antiquitatem, veritatem et fidem : imo prout F institutum nostrum exigit, interdum monumenta insipida, et tribus istis qualitatibus destituta, præsertim dum nimis prolixa non sunt et necdum edita, lectorum oculis objicimus, ut, quam juste repudientur tamquam falsa vel fabulosa, ipsi dijudicent. Versiculi itaque isti, ut ut squalentes et hispidi, admodum pretiosi nobis essent, si certum aliquod indicium adjecisset Browerus ad stabiliendam notabilem eorum antiquitatem, puta majorem, quam sit actorum nostrorum aliorumque testimoniorum, quæ pro veteri cultu et amplitudine memoriæ S. Leodowini jam dedimus. Incisos esse, ait, sepulcro; cui sepulcro? An ei, in quo primum conditum fuit sacrum corpus? an alteri, in quod postmodum transpositum fuit? Non loco mutatum fuisse corpus, testatur Bucelinus part. 2 Germaniæ sacræ pag. 252 : at incertos nos relinquit, utrum simul tumulo seu sarcophago, an ex hoc, vetustate contrito, fuerit desumptum et in novo reconditum, cui tum primum inscribi potuerit epitaphium istud metricum. Hoc autem casu quam parum ab antiquitate sua commendandi essent versiculi, manifestabunt verba Bucelini, tempus translationis

AUCTORE I. V.

translationis complectentiæ: Tilmannus et Prumiensi monasterio postulatus, præsul (*Mediolacensis*) laudatissimus, qui anno Christi 1494 corpus B. Luitwini transtulit, cui aram erexit, in qua tabulam ad miraculum elegantem, ut et in summa ara depingi curavit, et variis structuris cœnobium adornavit, ob. 1504.

et perperam cum Trithemio

42 *Ceterum quandoquidem ætas versiculorum usque adeo incerta est, nemo mirabitur, cur eorum auctoritatem non adduxerimus ad firmandam utcumque fidem actorum nostrorum, quibus in plerisque conformes sunt. Quid enim roboris afferant actis versiculi, dum merito veremur, ne illis longe recentiores sint? Dixi,* in plerisque conformes *esse actis; quia inde exceptum volo mendosum istud carmen.*

Archimandritæ post hæc pignus subeunte;

quibus verbis haud dubie denotavit auctor, S. Leodowinum, *antequam episcopatum adierit, fuisse abbatem Mediolacensis cœnobii; sicut expresse asseruit Joannes Trithemius de viris illustribus ordinis S. Benedicti lib. 3, cap. 188, inquiens:* In quo (*Mediolacensi cœnobio Leodowinus*) comam deponens, primum monachus, deinde abbas ibidem factus est, et postremo, ut diximus, Treverorum episcopus *Idem repetit ibidem Trithemius lib. 4, cap. 72, et in eo adstipulantes sibi habuit Arnoldum Wion in notis ad Martyrologium Benedictinum 29 Septembris, Bucelinum eodem die in Menologio et laudatum Browerum ad annum 697 in margine. Verum refragatur primus biographus dicens, quod dum sanctus* sub abbatis sui imperio se *humiliaret,* ac cum fratribus charitativo se vinculo *irretiret,* ut in virtutum provectu nullus sibi altior, in humilitatis despectu nullus inveniretur dejectior, *mortuus sit Basinus archiepiscopus, et ipse illi substitutus. Silent quoque de abbatiali dignitate biographus secundus, auctores vitæ S. Basini, et Gestorum seu Historiæ Trevirensis.*

titulum abbatis Sancto tribuunt.

43 *Hinc crescit dissidentia de antiquitate epitaphii: nam si quo tempore auctores isti scripserunt, sepulcro incisi exstitissent versiculi, quid movisset primum, ejusdem juxta ante dicta cœnobii monachum, ut eo modo loqueretur, quo tam aperte negaretur dignitas, in versiculis* S. Leodowino *asserta? Quid alios, augere sancti decora potius solitos, quam minuere, ut hoc unum silentio præteriissent? Trithemii auctoritas hic nulla est; nam præterquam quod tantum scripserit exeunte sæculo decimo quinto, vel ineunte decimosexto, erravit quoque in aliis. Citato lib. 3 dicit sanctum claruisse* anno Domini 730, *lib.* 4 anno Domini 770, *utrobique serius, quam verum sit. Adversatur, quoque versiculorum antiquitati ac Trithemio altum silentium de controversa hic dignitate abbatiali in Fastis sacris tam editis quam ineditis, præterquam in laudato Bucelini Menologio et paucis forte aliis non vetustioribus, quibus ne Benedictinum quidem Martyrologium annumerari potest; quoniam Wion* S. Leodowinum *abbatem tantum fecerit in notis ad illud desumptis ex Trithemio.*

Fasti sacri, quibus ipsius nomen

44 *Attamen, dum fastos sacros audis, noli intelligere classica illa Rabani, Adonis, Notkeri, Usnardi similiumque, qui* S. Leodowino *propiores fuere, genuina Martyrologia, in quibus ne nomen quidem ipsius legere est. Auctaria intellige ad Usuardum et hujusmodi fastos diu post sancti tempora exaratos. Ex laudatis auctariis præmitto hodiernam annuntiationem Usuardi editi Coloniæ et Lubecæ anno 1490, quarto scilicet ante relatam supra sacri corporis translationem:* In monasterio Melacensi * juxta Treverim depositio sancti Lutwini episcopi Treverensis et confessoris, qui primo fuit dux in Francia, et monasterium ibidem construens, monachus factus est; deinde Trevérensis archiepiscopus fit multis clarens miraculis, et postmodum in Domino quievit. *Magis succinctæ sunt aliorum auctariorum annuntiationes, quas, ut simul advertas indicatam ante nominis apud diversos diversitatem huc transfero. Codex Danicus, qui visus est Sollerio non recentior sæculo 14, ita habet:* Treveris sancti Lincwini episcopi. *Bruxellensis:* Treveris in monasterio Medeloco depositio sancti Lindemini archiepiscopi et confessoris. *Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ:* Lutwini episcopi Trevirensis. *Editio Greveni:* Treveris sancti Ludwini episcopi et confessoris. *Molani editiones:* Eodem die in Mediolacensi monasterio juxta Treverim natale sancti Loutwini, archiepiscopi et confessoris ejusdem antedictæ civitatis. *His addo Florarium nostrum sanctorum sæculo 15 conscriptum:* Treveris in monasterio Mediolaco depositio sancti Liutwini episcopi et confessoris, qui cum adhuc secularis esset, divino servitio nil proponebat et sanctorum loca amplissimis donis ditabat.

* Mediolacensi

inscriptum est; in Officio Trevirensis diœcesis

45 *Memoria sancti exstat quoque in pervetusto monasterii S. Maximini Trevirensis Martyrologio, quod Martenius et Durandus vulgarunt tom. VI Collectionis amplissimæ a col. 637 et ante annos octingentos exaratum esse ac nomen præferre venerabilis Bedæ testati sunt, quamvis non ausi asserere purum Bedæ fœtum, monentes insuper, laterculo diei 29 Septembris altera manu adjectam fuisse sequentem hanc annuntiationem:* Ipso die S. Liutwini archiepiscopi. *Hactenus locum non obtinuit sanctus in Romano Martyrologio; at celebratur in Benedictinis, in Germanico, Gallicano aliisque passim recentioribus, quorum verbis recitandis brevitatis gratia supersedeo. Quod spectat ad hodiernum ejus cultum, nihil de eo speciatim observandum se offert: annuam ipsius commemorationem fieri hac die in officio S. Michaelis archangeli discimus ex Lectionario seu Proprio Sanctorum Trevirensium, quod in gratiam eorum, qui Romanum Officium recitant, illic typis editum est anno 1645, habetque propriam de ipso lectionem 9, quam huc transfero.*

fit de illo commemoratio cum lectione propria.

46 Lutwinus decessoris sui sancti Basini ex sorore nepos, sanguinis regii dignus successor. Hic spretis primum opibus, pulchritudine virtutis et studio captus sapientiæ, in Mediolacensi monasterio apud Saravi fluenta, quod ipse condiderat, cœpit monachum profiteri: ad editum deinde episcopale culmen ex privatæ vitæ tenebris evocatus, per omnem vitam insigni floruit prædicatione virtutis et morum innocentia. Beatam Irminam, ut S. Willibrordo luculentas possessiones conferret, assensu et consiliis induxit. Inter plures ecclesias, quas rebus ad cultum et ornatum spectantibus instruxit, sancti Paulini ecclesiam prædiis magnificis ampliavit: simul etiam ecclesiarum Rhemensis et Laudunensis inspectionem, fidelis populi rogatu, procuravit. Nec oblitus nativi sui conventus Mediolacensis, eundem possessionibus auxit et privilegiis. Denique viribus corporis fractus et bonis operibus plenus, cum ecclesiæ annis uno et viginti præfuisset, Rhemis vita mortali defunctus, migravit ad Dominum anno Christi septingentesimo decimo octavo, tertio Kalend. Octobris. Cujus corpus, quod filius ejus Milo, quem ante in matrimonio procreaverat,

A creaverat, inde transtulit, Dei indicio in monasterio Medoilacensi tumulo honorifico conditum est.

Mediolaci haud dubie solemnius colitur, et forte 47 *Multæ hic fieri possent observationes ad ea, quæ lectione ista continentur; verum pleraque jam partim obiter attigimus in præcedentibus, partim operosius discussimus, reliqua vero elucidabimus in annotatis. Quo cultu annuo afficiatur apud Mediolacenses, certo edicere nequimus, deficientibus documentis; attamen cum ipsum, ut ex ante dictis liquet, Fundatorem suum agnoscere, Patronum appellare ac venerari consueverint, ejusque sacri corporis thesauro ditata sit ipsorum ecclesia, dubitandum non videtur, quin maxime solemnis is cultus semper fuerit, et sic etiam nunc. Verisimile quoque est, in particularibus quibusdam ecclesiis, seu quod olim bonis per ipsum auctæ sint, seu quod ejus reliquias possideant, festiviore ritu annuam Sancti memoriam recoli, quam per universam Trevirorum diœcesim.*

etiam alibi, ubi reliquiæ servantur. 48 *Eas inter primo loco fortasse memoranda est, et idcirco nominatim exprimitur in lectione, ecclesia S. Paulini, quam, ut præfert lectio, ab eo multis bonis auctam fuisse, constat ex verbis Egberti, seculo 10 Trevirensis episcopi, datis anno. 20. Accedit Martyrologium seu Kalendarium*
B *nostrum Ms., istis in superiori ora characteribus signatum :* Trevirense S. Paulini de Sanctis propriis. *In eo quippe ad diem 29 Septembris absque ulla alterius Sancti mentione, leguntur sequentia :* In monasterio Mediolacensi prope Trevirim natalis S. Lutwini, dictæ civitatis archiepiscopi et confessoris. *Porro in monasterio sanctæ Mariæ ad Martyres, quod* infra urbem Treverensem (*verba hæc sunt illustrissimi Honthemii tom. I Historiæ diplomaticæ pag.* 74) ad ripam Mosellæ sub Ludwino archiepiscopo, ejusque favore ac patrocinio surrexisse creditur, *inter varias Sanctorum reliquias servatur* digitus de sancto Lutwino archiepiscopo, *uti scribit Scheckmannus in Medulla Gestorum Trevirorum pag.* 57. *Ejusdem reliquiæ memorantur etiam in libello de reliquiis, bullis, privilegiis etc. monasterii S. Martini Trevirensis, qui libellus Coloniæ typis vulgatus est anno* 1514. *Item in altero libello de reliquiis et indulgentiis monasterii S. Maximini Trevirensis; ac denique in tractatu germanice impresso de Reliquiis, quæ Treviris exstant in majori ecclesia; sed quæ quæsitæ sint in tribus hisce ecclesiis* S. Leodowini
C *reliquiæ, non declaratur.*

VITA

sublestæ fidei

Auctore anonymo Mediolacensi

Ex Ms. Trevirensi

PROLOGUS.

Indicat auctor Magnum ædificationis *a* emolumentum confert nobis, lectorem in legendis semper exerceri gestis piorum; dum aut vindictam pravorum in his exterritus horret similia exequi, aut mercede proborum illectus, optat illorum vitam imitando talia promereri. Omnis namque scripturæ varietas rerum Conditorem multimoda gestorum narratione, utpote ipsius gratiæ dono inventa, prædicat; vel per rectitudinem justitiæ malis exhibitam, vel per mansuetudinis lenitatem justis pro meritis illorum impensam, ad Creatoris agnitionem invitat. Nulla ergo tanta est scriptoris utilitas *, nulla quoque ipsius scripturæ, divina quippe auctoritate subnixæ, extat brevitas, ubi non queant aliqua investigari vitæ exempla; si assit, qui studiose ejus rimetur intima.

A. Anonymo.

* *forte* vilitas

a nullo catenus collecta fuisse Sancti gesta. 2 Unde quoddam narranti operis initium aggrediens lecturem prius consulente * commoneo, omnesque, in quorum manus vel aures hæc forte pervenerint, rogo, ne a quo vel qualiter hæc eadem sint dicta, curiosi inquirant; sed quid in se ædificationis habeant, vel cujus meritorum præconia sint, videant. Inest namque mihi animus de specialis patris nostri Lutwini vita, quasi de quodam viridissimæ amœnitatis prato, varii generis floribus referto, quædam virtutum ejus excerpere insignia, ne tanti Viri facta taceantur *b*...... Quamvis ergo libro vitæ inserta sit perhenniter illius memoria, nondum tamen ad nos usque pervenire contigit de ejus vita aliquam librorum relationem, quæ factorum ejus certam daret noticiam. Sed quædam nobis de eo ex solertia primorum nobis * tradita, quædam populari rumore hactenus vulgata, ipsius auxilio confisus, narrare incipiam, ne oblivionis modius talis Viri celet lucernam. Non ita ergo hæc aggredior, ut sufficiens sim operi tanto, sed hæc eadem clariore quamquam nobilitentur eloquio *c*.

* *forsan* consulte

* *abundat* nobis

E

ANNOTATA.

a *Titulum huic Prologo præfixum in Ms. dedi num.* 13 *Commentarii prævii. In eodem Ms. legitur* edificationis, *et mox* scripture, gratie, predicat, *atque ita deinceps per totam Vitam, ubicumque diphthongus exigebatur; quæ aliaque non majoris momenti scriptoris menda corrigenda judicavi.*

b *Puncta hic denotant, omissas esse tres voces, quas ad sensum reducere non valui.*

c *Auctor clare mox indicavit, conscriptam non fuisse antea ordinatam de gestis sancti Antistitis Historiam; at, nisi librarii incuria accessit, postremorum verborum sensum valde obscurum reliquit. Suspicabar, insinuare ipsum iis voluisse, quod, dum isti Operi incumberet, idem labor assumptus fuisset etiam ab alio, cujus doctrinam et eloquentiam suæ præferendam censebat, a Thiofrido fortasse Epternacensi de quo fuse disserui § 1 Commentarii. Eo* F *autem casu, scripsisset tantum sæculo 11, quo floruit Thiofridus. Sed vel sic Opus ipsius mihi minus displicet quam aliorum : quando quidem ea, quæ in Actis commentitia vel ex mero populi nimis creduli rumore profecta videri possunt, quæque alii audacter et indubitanter adstruunt, ipse passim distinguit per adjectam particulam fertur aut huic similem.*

CAPUT UNICUM

Sanctus genere illustris. Tempore igitur Childeberti regis *a* extitit quidam primas senatoriæ dignitatis, regiique generis, Gerwino patre et matre Ganza nobilissimis ortus progenitoribus; qui in regenerationis fonte vocabulum sumpsit Lutwinus *b*. Qui jam adultus generis sibi consimilem duxit uxorem, ad secularemque eum Domino promovente dignitatem, totius regni Francorum sortitus est ducatus honorem *c*. Qui ita inopum assiduus fuit relevator, miserorum blandus tristiumque consolator, eleemosynarum dapsilis largitor, omnisque postremo innocentis vitæ effulsit executor : ut si

A. ANONYMO. si velimus sola ejus pietatis opera stilo pandere, narrandi seriem videamur excedere.

ac potens, bonis suis loca sacra exornat, 4 Huic etiam maxima opum terrenarum copia suppeditabat, affluentiaque felicitatis momentaneæ affatim arridebat. In quibus tamen cor infigere non præsumpsit, eas potius sibi, quam se ipsis subjicere maluit. Quamvis regalis dulcedinis * amoris frueretur præ cunctis, utpote qui hunc potiorem intellexit utilioremque ceteris; non tamen in his anchoram mentis posuit, sed superni Imperatoris militum ordinibus inscribi optavit; et cum in studiis sanctarum rerum se omnimodis ageret ut tamen adhuc ageret [et] perfectionis culmen attingeret, cunctosque sibi videbantur obnoxia, disposuit exui *d*, et ceu expeditus Christum, centuplum sibi promittentem, insequi. Primum namque sancta loca maximeque Trevericæ urbis amplissimis donavit denariis, ceteraque cuncta, quæ habuerat ad habitationes construendas erogare voluit aptis monachis. Cum aliquibus in locis ædificare tentasset, ac nutu Dei plenus ad effectum non evenisset, ad Mediolacensem locum divertit se, et ibidem, si divina aspirat voluntas, B monasterium construere voluit.

* l. dulcedine

Mediolaci, divino, ut fertur, indicio monitus, 5 Qui locus ideo admodum sibi gratus notissimusque fuit, quia cunctos illius anfractus, latibula ferarum rimando venatu assiduo peragravit. Prominentibus enim circumquaque nemorosis montium jugis, fluvioque mediam intersecante amœnitatem vallis, congruum nomen Mediolacum accepit, et aptissimam bestiis sylvaticis præbuit vagationem. Placuit et Divinitati quibusdam pandere signis, dignum fore eumdem locum suis mancipari servitiis. Quodam namque *, ut posteritati fidelis tradit antiquitas, cum de venatu in hanc solitudinem Vir Deo plenus advenisset Lutwinus, lassosque quieti dedisset artus, perfessa quidem membra leviter sopor irrepsit; sed aquila oppansis alis cælitus faciem quiescentis ab æstuantis ardore solis protexit.

* adde tempore

construit ecclesias S. Dionysio, 6 Qua novitate perculsus armiger, cuncta per ordinem vigilanti retexuit. Cui tamen, ne aliqui unquam hominum hæc, illo vivente, innotescerent, ipse sub magna contestatione interdixit. Sicque sanctus Vir gratiam supernam sibi favere conjiciens, ibi oratorium constituere in honore preciosi martyris Dionysii Deo cœpit, ejusdemque martyris multorumque aliorum pignora C Sanctorum in eo collocavit. Cujus dedicationis dies ejusdem Kalendarii articulo annotatur, quo solemnitas martyrii ipsius martyris legitima consuetudine celebratur *e*. Hujus etiam dedicationis solemnitatem secundum decreta, a posteris constituta annua revolutione multitudo populi annua devotione frequentat, eademque ecclesiam, eo quod primitiva sit, in salutem non solum istius loci, sed et regionis circumquaque jacentis constituta, cum cereis aliisque oblationibus certatim honorat. Qui oratione completa, Missaque festiva celebritate audita, singuli a custode monasterii frustum panis cum vino accipiunt, et sic sancto Dionysio gratias agentes, locumque incolentibus fausta acclamantes, læti quique propria repetunt.

B. V. Mariæ et S. Petro cum monasterio, 7 Deinde omnem operam inibi monasterii ædificandi impenditur *, et aggregatis hujusmodi operis artificibus, ut citius perficeretur, studuit. Oratorium ergo in principis Apostolorum nomine, basilicamque summæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ honori constituit, cujus tutelæ locum cunctans * ad ipsum pertinentia simul delegavit. In cujus dedicationis die ibidem servituris mille mansos *f* contradidit, ac dietim necessariis rebus Sanctorumque variis pignoribus ditare non D desiit: ut etiam ibidem Deo servientes non deessent, qui victimas cordis et oris jugiter summo Pontifici immolent, honestam ibi congregationem, pauperem quidem censu, sed inæstimabiles meritorum thesauros habentem, adunavit; cui tantam redditumm suorum, ut sufficeret, habundantiam dedit. Quibus quoque abbatem, virum per omnia perfectis æquandum, præfecit, et ut juxta regularis vitæ instituta viverent, præcepit. Postquam ergo cuncta, quæ habitatorum necessitas exigebat, instanter implevit, et rerum heredem Christum reliquit, pauper ipse pauperi se et pusillo gregi consociare voluit, quibus Patri dare regnum placuit. Consociatis namque aliquibus, idem propositum inire cupientibus, dilectissimum adire locum, Virginique perhenni sacrosanctæ Mariæ intentionis suæ sacravit votum: quo per ejus suffragiorum apud Deum digna merita congruo operum lini conversionis suæ concordaret initia.

* l. impendit

* l. cunctaque

in quo et ipse vitam religiosam amplectitur 8 Dein unanimitate fratrum convocata, societati eorum se admitti humiliter petiit, depositaque barba cum seculari habitu, heredum Domini tonsuram cum scemate monachicæ professionis E accepit. Quas vero in eodem monasterio sanctorum gesserit studiorum operas, quæve jejunia et orationum continua exercitia cum vigiliarum instantia, omniaque postremo in terris angelicæ vitæ opera, quid opus est stilo notare, cum per corouam retributionis æternæ qualitatem agonis valeamus committere? Qui quamvis sub monachico habitu ceu inglorius et nullius momenti degeret, et, ut potuit, sub monasteriali clausula gloriam fomosæ nobilitatis celaret, supernus tamen Arbiter tantæ claritatis lampadem sub modio obscuritatis cum tegi noluit; sed super candelabrum Ecclesiæ altius poni decrevit: ut satis superque altius in humillimi professione propositi cunctis innotesceret, quam prius in laicali, nobilitate maneret, fecit illum miraculis clarere, choruscare multis; lumen dare scilicet cæcis, omnem pestem auferre infirmitatis, ab obsessis quoque perturbare vim dæmonum.

et eximiis virtutibus 9 Sed nimis est alta spiritualium perfectio operum, profundiorque cælestium executio virtutum; signorum ergo talium operator proinde se discrevit a numero pro varietate signorum, apud Judicem in fine mundi se jactantium: cum ipse magis invigilaret et medendis animarum morbis quam corporum. Se F ipsum igitur opposuit documentum et evidens cunctis exemplum, quo pacto vitiis, quæ morbi animarum sunt, carerent, et virtutum eminentiam quæ sospitas et flos interioris hominis exstant, adipisci valerent. Cum ergo his, qui in infidelitatis cæcitate erant, verum lumen, quod Christus est, infundit, nonne cæcis optatum indulsit? Cum autem manibus ad rapinam semper paratis, et pedibus a via Dei distortis occasionem perversitatis abriperet, et suis habundantiam allodiis, qua manus ad opera pietatis exigerent et ubi in angusta mandatorum Dei semita ponerent pedes, ipse prædux ostenderetur, nonne mancis et claudis officia manuum ac pedum debita restituit?

elucet. 10 Variarum etiam sectatores hæresium cum ad uniforme specimen Catholicæ fidei per ejus doctrinam converterentur, pristini erroris abjecta lepræ immundicia, unicolores ex leprosis restituti sunt ab eo in matris Ecclesiæ decreta. Si qui autem præ enormitate criminum et nocentis vitæ obscœnitate desperati, in foveam mortis incidunt,

cidunt, et per illius clarissimæ fœcunditatis prædicationem ad spem veniæ et ad promerendæ perhennis gloriam vitæ emergunt; mortui utique spiritu a morte animæ per illum resurgunt. Licet enim talibus et similibus virtutum in Mediolacu polleret insignibus, et ceu sol, qui oriturus circumquaque mundum illustrantia præmittit clarissima sui ortus indicia, ut clareret moribus ac virtutibus, sub abbatis sui imperio se humiliavit, ac cum fratribus charitativo se vinculo irretivit, ut in virtutum provectu nullus sibi altior, in humilitatis despectu nullus inveniretur dejectior *g*.

g *Defuncto Basino avunculo,*

11 Eo tempestatis articulo Treverensium archiepiscopus, nomine Basinus, præscripti patris scilicet Lutwini avunculus, mortalitatis vinculo exemptus, ex hac vita feliciter migravit, et ad æterni Regis faciem perhenniter contuendam quarto Nonas Martii felix conscendit *h*. Cujus paternitate Treverenses destituti, devotis affectibus optabant, se promereri virtutum merito priori comparem, et nobili morum decore consimilem. Cum ergo fortissimus athleta Lutwinus in stadio hujusmodi certaminis contra principis mundi hujus incentiva indefessus dimicaret, et apostolicam B conversatione vitam Vir omni mundo eminentior meritis sub regula jam dicti monasterii exerceret, idem * Treverici virtutum ejus insignibus excitati et sanctæ nobilitatis consanguinitate illecti, in unanimitatis consensum ita convenire dicuntur, ut catervatim populi cum procerum dignitate hunc Virum sanctissimum, scilicet Lutwinum, sibi pontificem eligere viderentur *i*, quo tempore Hildericus *k* rex Francorum cum Grimoldo, Pippini principis filio scilicet majore domus, rexit imperium, qui eorum libentissime annuerent * votis, ipsius merito ejus ecclesiæ sacrum affirmantes fore sacerdotium.

* iidem
* l. annuerunt

12 Mox quippe e monasterio summæ sanctitatis pater ac Treverensium urbis apici benedictione episcoporum infulcitus, summus pontifex ordinatur. Pontificalem ergo indeptus apicem, monachicæ professionis non est oblitus rigorem; sed sub recti moderaminis norma humilitas consueta altiora * gradum semper humilia sapere præmonuit; honorque eminentior humilem spe felici ad altiora speranda animavit. Ipso etiam die, quo sanctæ conversionis habitum suscepit, illo utique eum divina electio ad archiepiscopum C promovit, ut miro concordiæ modo in undecimum Kalendarum Decembris diem, digne semper memorandum, tonsuratio ejus simul in unum concurrerent et ordinatio.

sit Trevirensium episcopus,
* forte altiorem

13 Qualem autem se, lapsis compatiendo, peccantes corripiendo, superbis exasperando *l*, humilibus justisque congaudendo, per sacerdotalia exhibuerit decreta, testantur apud arida ejus ossa vivacia merita. Qui etiam monasterii, in quo spiritualem exercebat militiam, non obliviscens, utilitati quoque inhabitantium in futurum consulens, idem cum appendiciis suis apostolorum principe *, cujus cathedræ præsidebat, contradidit, ac de cetero episcoporum viris * Trevirorum esse decrevit. Erat enim ejus vita sincera et laudabilis ac Deo hominibusque pro sanctitatis merito placibilis, nec sinistrum, quod in eo auctor malorum invenire poterat. Quippe, qui se regio munimine circumsepserat, ut nulla ovium sibi creditarum in reddenda ratione numero deesset, et seipsum præcessor sicut ordini, ita consortio digne copularet.

quo munere dum pie fungitur, *l*
* principi
* forte juris

14 Cum ergo omnium discretionis examine subditorum corda rexerat, flagrantiaque virtutum adeo finitimos quosque illexerat *m*, ut Remenses pariterque Laudunenses cives, qui populi nuper caruerant pastore, ipsius so rectissimo moderari peterent regimine. Quod pondus Pater sanctus, fraterna devictus charitate, Deo quoque sic disponente, subiit, et trinæ deitatis amminiculo suffultus, trium gubernacula virorum solus feliciter amministravit. O felicem per omnia Virum, o præmii perhennis securum! cui dispensatio iterum committitur rerum, quarum, heredem jam fecerat *n* Domini. Vere fidelis, fideliterque verus Dominus, qui cuncta promissa reddit indubius, quique fideli suo relictorum duplicia recompensat in terris; eorumque centuplum cum gloria perhennis vitæ præparat in cælis. Cum ergo sollicita mente providus Pastor ovium sibi creditarum curam gereret, ac ovilibus summi Pastoris dignas fieri satageret, fertur quoddam miraculi prodigium contigisse, quod non decet scientiæ posteritatis subtrahere.

A. Anonymo. ad Remensem simul ac Laudunensem cathedram vocatur. *m* *n*

15 Denique quodam tempore, cum Remensium clero sacrorum ordinem graduum deberet celebrare, aderant et Laudunensium nuncii, idem officium sibi postulantes impendere. Sed Vir E Dei cum utrisque vellet satisfacere, fertur Clementiam supernam rogasse, ut, quod propria non possent * efficacia, sua dignanter suppleret omnipotentia. Cujus puritatem orationis æternus Arbiter continuo ab alto exaudivit, fractaque solis lege, diem adeo protelavit, ut officio Remensis civibus urbis pleniter exhibito, Laudunum veniens, in tempore similiter perageret oportuno *o*. De qua post expletione ordinum cum ad civitatem Remorum provisionis gratia remearet et aliquandiu in Divinitatis voluntatibus perseveranter occupatus, ad æternæ requiem gloriæ anhelaret, tandem cursus vitæ metam feliciter attigit, et ad laborum præmia cum Sanctis possidenda tertio Kalendas Octobris migravit *p*.

etc., ut aiunt, insigni miraculo illustratur. Moritur *l. possct* *o* *p*

16 Cui erat jam filius, nomine Milo, qui, ut quidam dicunt, nimis degener a paternæ rectitudinis semita oberraverat tramite malo; quamvis relinqueretur heres rerum et successor honorum. Nam Patri succedens Treverensium et Remorum pariter episcopatum per quadraginta annos tenuit *q*, et Trevericis Patris sui exuvias ad F primæ sponsæ suæ sedem revehendas satis efficax adjutor fuit. Treverici itaque comperto almi Præsulis obitu, paterno mox commoti affectu, ad Remensem concite urbem cum Milone properárunt, et sacrum thesaurum, cum magna difficultate sed nutu Dei acquisitum, ad propria asportârunt. Tandem cum propriæ civitati sanctum Pontificem prospere inveherent et digne loco, quo præsidebat, collocare vellent, difficultatem passi, nullo modo id valebant efficere; quia re vera locum humiliationis potius, quam honoris, videbatur appetere. Consilio igitur inter primores de tam inopinata re habito, pignus sanctissimum, sublato remige, imposuerunt navigio, in commune Gubernatorem mundi rogantes, ut illuc, quo voluntas ejus esset, annueret dirigi.

Remis; transfertur *q*

17 Mox itaque per alveum Mosellæ contra cursum, atque sola Pontificis vivaci virtute navis enatatur; et comitante populorum caterva, in laudemque Dei acclamante, fluvium Saronnæ *r* intrat. Cum autem angelico, ut credimus, ductu per longa aquarum spacia Mediolacum tenderent, et eximius Christi Confessor dilectissimum jam sibi locum propius adiret, subito omnes monasterii campanæ divinitus ultro insonuerunt: ma-

Mediolacum, variisque prodigiis *r*

A. ANONYMO. magnumque habitatoribus gaudium cum ammirationis stupore prænunciaverunt. Cui sanctæ collegium congregationis cum numerositate populari obviam processit, et olim suæ participem conversationis, tunc vero magnum apud Deum Patronum suscepit, dilectoque sibi loco cum immensi honoris apparatu devota invexit, et tantis condigno meritis conditorio imposuit.

ac miraculis claret. *l. referantur*

18 In quo loco divina sic exuberant, ipso intercedente, beneficia, ut crebriora nusquam narrantur acta miracula. Cæcorum illuminantur orbes: surdæ inserantur * aures: muta panduntur ora; cunctarum pestes febrium accipiunt remedia. Dæmoniaci vero tam crebro virtutum ejus experiuntur insignia, ut, si narrentur, audientibus forte videantur incredibilia. Tribulatis quoque velocem obtinet consolationem, orationumque cunctarum rogantibus impertitur efficaciam. Hostium velox Expulsor, suorum per omnia extat mitis Adjutor, nec deserit suffragiis tuendo, in quibus sibi complacuit, postposito omni loco *f*.

ANNOTATA.

B

a *Childebertus III, qui et II nonnumquam scribitur, cognomento* Justus. *fratri Clodoveo III successit anno* 695 *secundum dicta in Commentario prævio num.* 24.

b *De Sancti parentibus et stirpe disseruimus in laudato Commentario* § 2.

c *Ducis titulo insignitum fuisse, ostendimus in Commentario num.* 20; *verum ad talem dignitatis gradum ascendisse, qualem præferunt verba ista, probatu difficillimum sit. In secundis actis* sub Childeberto rege Franciæ dicitur ducatum Belgicæ Galliæ *obtinuisse.*

d *Mendosus sensus sic forte emendandus :* Cuncta, quæ sibi videbantur obnoxio, disposuit exuere.

e *Thiofridus Epternacensis et biographus S. Basini expresse notant, oratorium hoc, quod ipsi* ecclesiam et basilicam *vocant, consecratum fuisse S. Dionysio Areopagitæ; colitur is die* 9 *octobris, eoque proinde recurrebat illic dedicationis festivitas.*

f Mansus, *qui et* mansa *et* mansum *ab aliis dicitur, ac diversas habet significationes, ut videre* C *est apud Cangium in Glossario, hic videtur significare certam agri portionem.*

g *Ex his et ex mox sequentibus colligimus, Sanctum non fuisse abbatem, uti nonnulli prætendunt, vel saltem ut talem non fuisse habitum a biographis. Vide Comment. prævium num.* 42.

h *De S. Basino egerunt Majores nostri ad diem hic notatum* 4 *Martii.*

i *Vide dicta in Commentario, num.* 23 *et seqq.*

k Hildericus *quoque legitur in secundis Actis et apud Thiofridum;* Childericus *in Vita S. Basini : ubique erronee. Hildericus nomque seu Childericus obiit circa annum* 673 : *de* Leodowino *autem loquitur noster in his ipsis Actis num.* 3, *tanquam de viro etiam tum seculari, cum regnaret Childebertus, et secundus biographus diserte ait,* Leodowinum sub Childeberto rege Franciæ ducatum Belgicæ Galliæ *obtinuisse; cum tamen Childebertus non regnaverit ante* 695. *Accedit, quod hic eodem loco noster suum vel librarii errorem manifestiorem faciat, dum regi jungit Grimoaldum Pippini filium, quandoquidem Grimoaldus Majoratum domus adierit tantum sub initium regni Childeberti. Substitue igitur Childerico vel* D *Hilderico Childebertum.*

l *Per ineptam hanc phrasim forte intelligendum, quod sanctus Præsul constanter ac fortiter resisteret, ipsosque frequenti increpatione exagitaret.*

m *Insere hic* contigit *vel quid simile.*

n *Hic denuo, ut sensum qualemcumque facias, adjice* ecclesiam *vel* gregem. *Ceterum quæ de triplici episcopatu adstruuntur tam a biographo hoc, quam a scriptoribus aliis, discussa sunt* § 3 *Commentarii.*

o *Redi, si lubet, ad eumdem Commentarii* §, *ubi mentem nostram super isto prodigio aperuimus.*

p *Obiisse circa annum* 713 *passim nunc admittitur; de die hic assignato convenit inter omnes.*

q *In Commentario prævio num.* 29 *et* 34 *ac seq. veterum testimonia protulimus, unde discas, qualis fuerit Milo iste, et quo pacto cum Trevirensi Remensem cathedram occupaverit.*

r *Fluvius iste, quem alii* Saravum, Soroam, Sarram *et* Saram *vocant, ortus in Lotharingia, Mediolacum, celebre Ordinis S. Benedicti cœnobium, cujus jam frequens facta est mentio, alluit,* E *deindeque haud procul Treviris influit in Mosellam.*

f *Subnectitur in Ms. epilogus seu clausula, qua auctor sempiternas sanctissimæ Trinitati laudes referendas ait, ob concessum Trevirensibus et Mediolacensibus* S. Leodowinum. *Verum excudendam non censui; quia phrases ejus, quod et in præcedentibus advertere potuit lector, passim ingratæ sunt ac male tortæ, et ex librariorum verisimiliter incuria subinde adeo corruptæ, ut ad verum sensum vix aut ne vix quidem perveniri queat.*

VITA ALIA

Non melioris notæ

Auctore anonymo

Ex Ms. S. *Maximini Trevirensis.* F

Illustri stirpe ortus

Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur, plerosque Sanctorum, quos ante formam informis materiæ et ornatum præscivit et prædestinavit specialius conformes fieri imaginis Filii sui, specialius quoque prævenit et sublimavit gratia Spiritus sui, et eos aut ante in mundo cognosci quam nasci, ante habere nomina quam corpora, aut jam natis imponi *a* nomina vel mutari, quibus præsignaretur, quam præclara, quam magnifica eorum futura essent in operatione merita. Sed, ut taceamus de cæteris, primas quidam ex præpotentibus Francorum regibus lineam generis ducens, nomine Gerwinus, egregii Trevirorum * Basini sorore, Gunza conjuge felix, nobili genere et moribus, sed in Prole felicior futurus, filium genuit, cui in sacri baptismatis unda quodam præsagio futurorum Lutwinus nomen imposuit. Jerarcha * quippe futurus, divina Sacramenta erat dispensaturus et inenarrabilis

a

* *al. additur* archipræsulis

* Hierarcha

A. ANONYMO

A rabilis suavitatis vino sanctæ matris Ecclesiæ populum inebriaturus *b*.

illustrem ducit uxorem, opibus et potentiæ humilitatem

2 Hic vero tanti nominis et meriti, ubi evacuavit, quæ erant parvuli, licet jam vellet mundo crucifigi, perpendens tamen, quod vita hominis est temptatio super terrâm, decrevit consulte tenere se intra se, ne inconsulte festinans transcendere se, rueret infra se. Secundum igitur divinæ providentiæ decretum, duxit uxorem, titulis parentum insignem, ex qua genuit filium, nomine Milonem, suum in Treverica sede successorem. Ecclesiæ Dei diligentiam habiturus, studuit esse suæ domui bene præpositus. Casta fuit domus ejus; quia, etsi inmodicas divina munificentia possedit opes, utpote ditissimorum principum soboles, et sub Childeberto rege Franciæ ducatum Belgicæ Galliæ obtinens *c*, memor tanti divini eloquii, dicentis: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, maluit sibi res, quam se rebus supponere, et magis eas dispergere et pauperibus erogare, quam more divitum hujus sæculi superba sapere, et in incerto divitiarum sperare.

B

ac operum bonorum exercitium præponit.

3 Hic labor, hoc opus, hoc illi studium; dives fieri in operibus bonis communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum, ut apprehenderet vitam æternam; conjunctionem regalis sanguinis et opum affluentiam atque potestatis insignia, humilitatis et sanctæ conversationis * materiam: cathalogum virtutum, quem patientiæ exemplum Job, spiritu veritatis afflatus, de se commemorat, in illo enituisse constat; nam semper quasi tumentes super se fluctus timuit Deum, nec lætatus est super divitiis suis. Mansuetudine et misericordia clarus, cum modesto pudore cum innocentiæ abstinentia certabat, et ita quo minus gloriam mundi appetebat, et * magis illam assequebatur: utpote, et quod est difficillimum, strenuus in prælio, et bonus prudusque consilio. Rex omnes fere res * per illum agere, supra amicos habere, magis magisque eum indies amplecti cœpit: quippe cujus nec consilium, neque inceptum frustra erat, et munificentia animi et iogenii solertia omnes regni proceres præcellebat. Quæ Cæsaris Cæsari, et quæ Dei sunt, Deo reddere curabat; nihil divino servitio præponebat.

* al. additur habuit

* eo

* al. additur asperas

C

in sacras ædes munificus,

* amoris

d

4 Amplectebatur amore * privilegio avunculum suum, sanctum videlicet Basinum, Belgicæ Galliæ metropoleos archiepiscopum, virtutum omnium formam, et per monita salutaria ipsius secundum interiorem hominem de die in diem renovabatur. Primum quidem ex monitis sacratissimi antistitis Sanctorum loca, et præcipue, quæ in Treverica sunt urbe, amplissimis ditavit donis. Deinde, quod omnibus vitæ suæ diebus expectando concupierat, ad ædificandum in suo proprio cœnobium summa intentione animi intendit. Cumque de opportunitate loci diu secum deliberaret, tandem Dominus excellentissimi ejusdam præmonstrare dignatus est miraculi ostensione, ex tot opulentissimis oppidis ditionis illius se Mediolacum elegisse in hæreditatem sibi.

Mediolaci, divino monitus

* i. e. equum

* al. sopore

5 Denique dum tanti præconii vir sanctus Lutwinus venationis exerceret negotium, solo jam diem coquente medium, cornipedem * exhaustum cursu et æstu agens de jugis montium, fessum caput in armigeri sui reclinavit gremium, ac in typum suæ nunc ibidem quietis, oculis suis admisit somnum et levi atque fælici somno * irrigabatur. Et ecce, divinæ providentiæ decreto avis aquila, avis acutissima visus acumine, se suo pondero libravit in aere, et expansis in faciem quiescentis alis, umbraculi functa munere, defendit eum a caloris intemperie. Aquila irrationalis inreverberatis oculis assueta solis intendere radiis, rationali obumbravit aquilæ, cui divinitus concessum est, contemplationis penna evolando astra matutina transcendere, et inreverberatam mentis aciem in solis justitiæ claritatem figere.

indicio ecclesias

6 O Virum sancti Spiritus archisterium! o laicum omnibus ecclesiasticis ordinibus virtutis exemplum! o locum tam insigni et magnifico electionis privilegio præsignatum, cujus ante spiritualis quam corporalis ædificatio, ante vivi et superædificandi, quam materiales declarantur lapides! Igitur de tanti loci electione beatus Lutwinus divina certus revelatione, tantæ quidem visionis gloriam ob summæ humilitatis custodiam ad exemplum Salvatoris, ante discipulos in monte transfigurati, summa cum interminatione conscio et comiti suo jussit, usque vitæ suæ ad unguem sub silentii sigillo claudere. Ubi vero potissimum Deo oratorium, ubi xenodochium, postremo ubi quæque officinæ remotioris vitæ studiis essent ædificandæ, subtili designavit rationis examine: accitisque operariis, ecclesiam primum in honore pretiosi martyris Dionysii construxit, ipsiusque athletæ plurimorumque aliorum reliquiis Sanctorum ibi reconditis consecrari fecit. E

et monasterium condit

7 Ex hinc oratorii ac basilicæ tamquam sapiens architectus fundamentum posuit, muri structuram acceleravit, et per auxilium æternæ Sapientiæ in brevi desideratum opus consummavit. Sacris deinde accitis ordinibus, oratorium quidem nomini principis Apostolorum Petri; basilicam vero portæ in domo Domini clausæ, electæ Theotocos, gloriosæ Virginis Mariæ honori dedicavit *e*: sacra altaria pretiosissimo sanctarum reliquiarum thesauro copiose ditavit, ecclesiasticis ornamentis decoravit, vasa sanctificata et omnia, quæ voverat, intulit, mille mansos eodem die in dotem Mediolacensis ecclesiæ rata concessione tradidit et testamento confirmavit. Sed cum Deus potius vivis, quam materialibus, delectetur lapidibus, adunavit in sanctuarium Dei lapides pretiosos, summæ videlicet religionis viros, mortuos sæculo, viventes autem Deo, quorum vita virtutis erat doctrina. *e* F

ibique seculo valedicens,

* al. lapidum

* al. connivenlia

8 Igitur cum tanti nominis Vir tanto spiritualium a se collectorum delectaretur nitore lampadarum *, votum, quod Domino vovit, amplius differre noluit. Adiit itaque regalem curiam archanumque cordis sui regi innotuit, et ut sibi cum ejus convenientia * Æterno militare liceret, humiliter expetiit. Sed rex, percepta ipsius voluntate, tanti Ducis se dolebat familiaritate destitui, cujus prudentiæ, velut columnæ solidissimæ, innitebatur Francorum respublica: qui parcendo subjectis et debellando superbos, ducatus sui tempora in magna rexit prudentia: verumtamen immutabilem ipsius perpendens voluntatem, sacramentis militaribus eum absolvit, dataque abeundi licentia, ubertim lacrymis perfusus, so cum omni domo et regno ipsius commendavit meritis. Prosecutæ sunt etiam eum aulicorum lacrymæ, quem de tanto rerum et dignitatis fastigio videbant spontanee descendere.

monachum induit,

9 Rationabili itaque provisione dispositis omnibus, ejusdemque loci suæ quietis consulens... *f* utilitatibus, secundum inspirationem sancti Spiritus cum universis appenditiis suis cælestis curiæ clavicurario tradidit Petro, et rato concessionis jure fecit cedere in jus sanctæ matris Treverensis

A. ANONYMO.

Treverensis ecclesiæ. Hæc * mora, abjecta Ægyptiæ servitutis farcina, liber et expeditus, humilitatis Christi secutus est vestigia, easque elegit divitias, in lege Domini meditari die ac nocte. Siquidem sæculari deposito habitu, monachilem induit habitum, undecimoque Kal. Decembris comas cæsariei deposuit. Jesu bone, quid tunc ibi gaudii, quanti lacrymarum profluxerint rivi, quis digne queat stilo prosequi? Universis tamen circa plorantibus, solus perstabat vultu hilari, fixusque virtute Spiritus sancti manebat.

* al. nec

et virtutibus unice incumbit.

10 Deinde vero sicut ante in carnali, sic fortis esse laborabat in militia spirituali; ut jam in ipso conversionis suæ exordio perfectorum posset inseri numero. Omnia remissioris vitæ instrumenta et sæcularia a se removit impedimenta, ac prioris conversationis labores pro nihilo reputans, ac reminiscens, aliquos ex suis confratribus primo mane, nonnullos hora tertia vel sexta, aut certe nona vocatos, pondus diei et æstus tolerâsse, seque velut circa undecimam introductum, nitebatur habundantius omnibus illis laborare. Tanta autem inter hæc angelicæ conversationis insignia signorum effulsit gratia, ut, tacente B carnis lingua, cum ubique efferrent gloriosa ab eo, divina præstante clementia, patrata miracula. Quisquis enim in fide nihil hæsitans, ab eo medelam petiit, tam animæ quam corporis incolumitate recepta, sospes rediit.

Defuncto Basino

11 Interea ejus avunculus eximiæ sanctitatis Basinus, basis g templi Dei, et sustentaculum leonibus atque bobus mysticis, mirifice anaglifis * insignitum, quarto Nonas Martii carnis solvit debitum, et qui diu super flumina Babylonis sedens flevit, dum recordaretur Syon, venit cum laude in Syon. Cumque clerus et populus Trevericus tam de suæ orbitatis ærumna doleret, quam de pastoris glorificatione gauderet, et de subrogando æqualis meriti successore pia devotione deliberaret, ex divina inspiratione una in omnibus sedit sententia, nullum se posse eligere tantæ dignitatis gloria digniorem, quam beatum Lutwinum, quem et proxima sanguinitatis linea, quin et ejus merita suæ sanctitatis æquaret excellentia. Concordi igitur omnium assensu ad Hildericum h, regem Francorum ad id temporis strenuissimum, missa legatione, non sunt fraudati desiderio.

* l. anaglyphis

relectans evehitur ad Trevirensem

12 Exhilaratus quippe rex, tantæ claritatis sydus intra regni ejus terminos choruscare, justæ C petitioni annuit, et excellentissimi meriti Lutwinum ad pontificatus sublimari apicem censuit. Sed ubi regis edictum et consensus electionis Trevirorum Viro Dei innotuit, quasi indignus tanto honori *, humiliter se excusare attemptavit, ne cum ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia pateretur, ad mundi gloriam, quam abjecerat, sub ecclesiastici colore regiminis relaberetur. Sed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in se concitabat studia, et merebatur negando, quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo se clamabat indignum. Ex remotioris vitæ sinu rapitur, oleo benedictionis a consortibus suis inungitur, et ex ove Pastor et Rector Trevericæ urbis efficitur.

* honore

episcopatum, quem perfectissime dirigit,

13 In summa itaque lætitia cleri ac populi in cathedra pontificali sublimatus, meminit, quod sibi in monasterio posito cuncta suberant labentia; sed nunc Dux exercitus Domini Sabaoth, ut olim in terreno ducatu pro castris suorum, sic modo pro domo Israel opposuit murum, et accinctus verbi Dei gladio ex adverso ascendit, D et adversus aereas potestates aciem terribilem ordinatam direxit, et forma gregis factus, nihil docuit, quod ipse non fecit, secundum quod Paulus dicit: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Videres alterum Paulum omnia omnibus factum, ut omnes lucrifaceret. Videres, quod in contemplationis arce posito, quod est difficillimum, unum hominem i sic ad supervenientium omnium personarum se conformasse ac aptasse habitum, ut unusquisque se in illo recognosceret, recognoscendo resipisceret, et ad virtutes proficeret: cum infirmis infirmus, cæcorum baculus, esurienti cibus, spes miserorum, solamen lugentium: gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus.

una cum Remensi ac Laudunensi ecclesiis,

14 Sed ut ex paucis commune omnium conjicias desiderium, Remenses et Laudunenses suo pariter destituti pastore, absque omni electionis dilatione uno animo eademque sententia in Trevirorum metropolim, ubi tam clarum rutilabat sydus, venerunt, et instantissima prece ac devotione, ut ipse eis prævius dux et pastor esse dignaretur, humiliter deposcunt, ac pie renitenti rationabiliter opponunt, non debere eum gravari trium ecclesiarum regimine: cum specialis E gentium prædicatoris Pauli fuerit instantia quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum. In sempiternæ igitur Unitatis et individuæ Trinitatis mysterium, trium opinatissimarum civitatum, unius subiit regiminis officium, et sic omnes rexit, quasi unam regeret; sic singulis curam impendit, quasi omnibus non impenderet; sic in singulis ejus dividebatur animus, ut in administratione omnium videretur indivisus. Modo enim primam sedem suam Trevericam, nunc Remorum civitatem, modo Laudunensem visitationis gratia illustrabat ecclesiam k. Omnibus solvit debitum, singulis evangelicum in tempore æqua mensura divisit triticum. Nos quidem audivimus et cognovimus innumerabilia, quæ per eum divina operatio fecit, mirabilia. Sed ex tanta copia unum libet proferre in medium; ita excellens et magnificum, ut incunctanter ex uno eo probari possint reliqua omnia l.

et in his duobus uno die per insigne miraculum

15 Igitur dum quodam die gloriosus præsul Lutwinus sacrorum consecrationem ordinum in sancta Remensi celebraturus esset ecclesia, Laudunensium legati in sua quoque ordinationem celebrari, summa petierunt instantia. Sed hoc nec F temporis spatium, nec locorum permisit interstitium. Sed Vir tantæ charitatis et benivolentiæ dum fraternum peroptaret implere desiderium, obtulit in conspectu divinæ Majestatis munus orationum, clementiamque divinam, manibus elevatis in cælum, deprecatus est, ut, qui solem dedit non moveri contra Gabaon, donec gens Israhelitica se ulcisceretur de hostibus suis, ipse pari potentia ejus * solis immobiliter figeret orbitam; donec ipse Lauduni Missarum perageret sollempnia. Nec mora: sol, cujus natura est in æterno motu, immobilis stetit in cursu et ordine suo; naturæque suæ jura perdidit, et naturaliter mobilis, quasi moveri desiit.

* al. ejusdem

sacros ordines contulisse traditur,

16 Qui radiis potentibus astra ire vetat, cursusque vagos planetarum statione immoratur, ire ipse vetitus et stationarius a statione non movebatur; donec a clarissimo sole Galliæ, beato videlicet Lutwino, divinum Officium Remis et Lauduni m sollempniter et suo tempore consummaretur. Non fuit postea dies tam longa, obediente Domino voci Hominis, quia os Domini obedivit ori Domini. Invocavit * divina Majestas signa

* l. innovavit

A signa et immutavit mirabilia, et sicut in veteri lege Josue, sic sub gratia tanti et ejusdem miraculi pretiosum suum Lutwinum sublimavit gloria. Tantum vero miraculum evidens divinæ in se dignationis et clementiæ æstimans indicium, celebrato Lauduni divino Officio, Remis rediit.

Moritur Remis

17 Divina igitur revelatione cognoscens, se in brevi a facio iniquitatis assumendum in requiem, acrius castigavit corpus suum, et in servitutem redegit. In gravem deinde corporis invalitudinem decidit; immo quod diu optaverat, invenit; ut corporis tunicam, quæ corrumpitur, exueret, ac incorruptionis stolam indueret. In confessione igitur ac laude individuæ Trinitatis inconcusse persistens, tertio Calendas Octobris transiit de lacu miseriæ ad contemplandam revelata facie Domini gloriam. Quique dum inter homines angelicam duxit vitam, dispensatione divina ea die, qua memoriam Angelorum celebrat Ecclesia, per manum Michaelis archangeli Creatori suo reddidit spiritum.

summo omnium luctu.

18 Ad egregium autem tanti Patris funus cum magna episcoporum et totius ecclesiastici ordinis B et civitatis frequentia, tota concurrit vicinia, vehemensque corda omnium affecit tristitia. Quæ enim aures tam duræ tam pii Patris audire obitum, aut quis sine lachrimis fractum videre posset tam pretiosum margaritum? Quis abesse, quis excusare se vellet ab officio tanti funeris? Quis non accurreret, quis non se ingereret ejus exequiis, qui ab omnibus diligebatur, utpote Vir omni virtutum genere admirabilis? Omnis multitudo pauperum et inopum voce lachrimabili se perdidisse clamabat Patrem misericordem ac nutricium. Felices filii sanctæ Remensis et Laudunensis ecclesiæ, inter quorum manus ille divinus in sedem suam ad cæli palatium evolavit spiritus.

Treviri, frustra reluctantibus Remensibus,

19 Percepto itaque ex veri relatione clerus et populus Treverorum egregii Pastoris egressu, de ineffabili et indubitata ejus in cælestibus gloria exultabat; de propria vero orbitate, quæ etiam interdum solet duplicare dolorem, duplici de causa dolebant. Primum quidem, quod sic insperate amiserant, quem incolumem a se dimiserant; deinde quod sibi Remenses ab eo prælatos æstimabant, quos evidentissime constabat, ultimo C ejus consolatos affatu et visu, et pretiosum apud se recondidisse thesaurum. Sanato tamen tanti vulneris dolore, Milonem, filium ejus, ex regali decreto in cathedram episcopalem sublimaverunt: Sed cum de pretiosissimi corporis sancti Lutwini thesauro inter Treviros et Remenses cives, ad quos tunc idem * Treverenses, duce electo suo Milone, convenerant, quique pro reverentia ac dilectione Antecessoris sui in eodem adventu in præsulem Remensium intronizatus erat, diu altercatio, de fonte pietatis orta, protraheretur; istis quidem, quem vivum cum soli habere possent, fraternæ orbitati condescendentes, quem præstiterant, repentibus *, illis contra, quem mortuum, tanquam a Deo collatum, recondiderant, defendentibus, utrisque multas et rationabiles causas obtendentibus: tandem quadam divinæ virtutis potentia et adjutorio prædicti Milonis exsuperatis Remensis *, benedictus a Deo populus Trevericus, sicut corpus pretiosum Maximini de Aquitania *n*, et pro defensione Catholicæ fidei decollatum in Frigia Paulinum *o*, sic inæstimabilis precii margaritam, eminentissimi Lutwini corpus de Francia transtulit.

* iidem

* repetentibus

* Remensibus

A. Anonymo.

corpus obtinent, hac prodigio

20 Cumque desideratissimum tanti Patroni corpus in urbem Trevericam per Mosellæ conarentur transferre alveum, navis tam sacro onusta onere, objecto divinæ virtutis obice, nulla humana arte, * in citeriorem ripam transponi potuit remige. Nautæ in transtra cadebant, remis pectora pulsabant; sed potius aut in gyrum, aut retrocedere, quam procedere valebant. Elementum liquidum factum est quasi solidum, et aqua, solidæ materiei cedere facilis et navigabilis, visa est esse incommeabilis: et cum in conspectu civitatis, quæ tota suo Præsuli, jam cæli Consuli, cum ingenti exultatione, cum summa laudum acclamatione obviam processit, tantum celebraretur miraculum, stupor et ingens admiratio omnium concussit mentes intuentium. Mirum profecto eis videri cœpit, se quidem sacratissimo dilecti Pastoris sui scemate visitari, sed copiam non dari, ut in urbis mœnia posset deportari. Hæsitabant ergo; sed tandem æterna sapientia illustratis mentibus primorum civitatis sui consilii revelavit archana, ut, sublato remige, cessante omni humano moderamine, navim tanti oneris sublevatam potius levamine, quam pressam pondere, ejus committerent clavo gubernandam, qui dedit in mari viam et in aquis multis E semitam.

* al. additur nullo

uno

21 Igitur inspirato divinitus consilio, ab omnibus apprubato, amplustrique subtracto, et relicto in puppi sacro feretro, omnes, sursum erectis cordibus, divinæ voluntatis effectum exspectabant in littore. Nec mora; navis in gurgite pendula, et ipsis ventis et tempestatibus reverenda, pro sui Vectoris reverentia, angelis regentibus desertam ab hominibus, undis defluentibus fertur obvia, et prosequente per crepidinem alvei cum ymnis et orationibus cleri et populi frequentia, novo ac omnibus inaudito navigando modo in Saroë * transponitur ostia. Ignovasti, Mediolacensis ecclesia, ignorasti, quanta hæc ratis tibi gaudia, quam pretiosi thesauri ferret munera. Restituit tibi Dominus inclytum tuum. Quid multa? Navis tanti gaudii bajula, humano destituta gubernaculo, sed angelico gubernata ministerio, undas tranquillius secabat; dumque jam desideratissimi loci horas * attingeret, et interiorem ripam tenderet, Dominus noster quasi tunc primum electum suum glorificare. ac ejus merita mundo inciperet declarare, F sic inusitato et insigni miraculo, cum * paulo ante transitum Remis et Lauduni et in translatione Treveris mirifice glorificatum, in conspectu quoque specialium filiorum suorum, quos primos in Christo Jesu genuit, et coheredes Christi in hereditate sua sibi substituit, gloriose honoravit, et signis signa accumulavit, ac gaudiis gaudia multiplicavit.

* Saroæ

* oras

* *forte* eum

et altero illustratum

22 Nam omnes campanæ monasterii contra jura naturæ absque omni humano motu et pulsu insonuerunt, et dulcis Patroni pignora, quasi in altitudine suspensæ ex alto ea primo vidissent, traosferri prænuntiaverunt, et insolito sonitu attonitam civitatem, et totam viciniam in occursum tantæ salutis exiverunt *. Igitur cum summa alacritate summaque cum devotione, ut de alveariis examen apum, sic de cellulis suis obviam cornnæ capitis sui proruit unanimis concio fratrum. Omnis etiam sexus, omnis ætas, et conditio, advenæ et finitimi sanctissimis tam clari solis Galliæ reliquiis occurrerunt, et tanta lætitia, quasi viventem præsentemque cernerent, susceperunt: et insperata ac magnifica gaudia maxime in

* l. excivcrunt

A *A Anonymo*

in eis inundare fecerunt lachrimarum flumina. Nam in commune omnes in Domino gloriabantur, se recepisse Dominum ac Patrem suum, jam ex summis cælestis aulæ principibus unum, cujus ipsius et majorum plurima in se ac majores suos meminerunt beneficia.

in ecclesia Mediolacensi deponunt :

23 Nemo tamen puppim, cujus Dux ipse fuit, ausus est tangere, donec ipsa angelico applicuit remige. Tum vero ubi navalo tenuit, dominus archipræsul Milo cum egregiis sacerdotibus, paterno cervicem subjicientibus feretro, et ex totius ecclesiastici ordinis et populi multitudine, aliis subsequentibus, aliis psallentibus, ac omnibus in Christi laudes una voce sonantibus, sanctissimum corpus in basilicam Reginæ cæli et terræ, videlicet Dei Genitricis et Virginis Mariæ, quam ipse ædificaverat, transtulit, et in sarcophago decenter ornato recondidit. Et quia pretiosus Domini Lutwinus in hujus vitæ exilio Christi bonus odor fuit, in omni loco tanti odoris ibi exuberavit fragrantia, ut omnia vinceret aromata; ut ecclesia paradysus, hominum cætus angelorum et sanctarum animarum putaretur conventus, et in templum sanctum suum crederetur advenisse B Dominus Deus.

ubi miraculis clarere pergit.

24 Quæ autem lingua, quis prudens digne explicet, quam sæpe et quam magnifico signorum virtutumque jubare tam clarum ibi sydus rutilet. Nam infinita multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum et energumenorum, et omnium infirmitatum diversitas, si fides petentium mereatur, tanti Patroni meritis curatur. Nam ut omittamus, quanta audivimus, sed * ea tantum, quæ oculis nostris vidimus, litteris mandare voluerimus, modum voluminis excedimus. Igitur post longæ navigationis fastidia exoptato potiti portu, respiremus, et misericordiam et laudem Domini in æternum cantemus super multitudine bonorum suorum, quæ per merita sancti Lutwini nobis largitus est. Cui laus et gloria sit in ævum. Amen.

* al.

ANNOTATA.

a *Apud Thiofridum Epternacensem, in cujus multo prolixiori Opere, sicut monui num.* 14 *Commentarii prævii, omnia, his actis contenta, sparsim leguntur fere eadem, et ex quo desumpsi adjectas* C *hic in margine lectiones variantes, ac subinde correxi scriptionis menda, apud ipsum, inquam, sensus perficitur hoc modo :* Ea præordinavit imponi *etc.*

b *Alludit auctor ad etymologiam nominis* Lutwin, *cujus priorem partem deducit a voce Teutonica*, Leute. Luden, Luyden, *aut* Lieden, *quæ* homines *seu* populum *sonat, alteram a* Wein *vel* Wyn, *quæ* vinum *denotat ; ita ut* Lutwin *valeat* vinum populi *seu* hominum. *Verba eadem habet etiam Thiofridus Epternacensis ; sed in prolixa sua ad nomen allusione, quam dedi num.* 12 *Commentarii prævii, addit,* Lutwin *interpretari* populi lætitiam : *quia nempe* vinum lætificat cor hominis. *Juxta biographum S. Basini :* Luitwin idiomate Theutonico lucidum vinum resonat ; *sicque pars prior deducta esset a Teutonico* leuchten, lucere. *Verum Henschenius in Annotatis neutram hujus interpretationis partem probat ; sed per primam denotatum vult* populum *seu* homines, *uti intellexit hic noster biographus ; per secundam vero* amorem *vel* delicium, *sic ut* Lutwinus *aut* Luitwinus *idem sit, quod* populi amor *vel* deliciæ. *Opinionem suam firmat Henschenius ex antiqua paraphrasi Teutonica Cantici Canticorum,* D *a Waleramo elaborata*, in qua, *inquit,* plus centies WIN vel WINA legitur, ubi Latine est DILECTUS, AMICA.

c *Ad hæc non nulla observavimus lit.* a c *et* k, *in Annotatis ad Vitam primam.*

d *Per S. Basinum Trevirensem antistitem, ut expresse addit hujus biographus.*

e *Idem S. Basini biographus :* Theotocou Virginis Mariæ honori benedictione almi Basini consecrari præcepit.

f *Unam hic omisi vocem, quam legere non valebam.*

g *A basi deductum esse nomen Basini arbitratus quoque est S. Basini biographus ; sed et istud nominis etymon improbavit Henschenius in Annotatis ad Vitæ ipsius caput* 1 *lit.* a, *originemque ejus posuit in voce teutonica seu sicambrica* Bas, *latine* herus *vel* dominus.

h *Lege* Childebertum, *et causam videsis in Annotatis ad Vitam primam lit.* k.

i *Apud Thiofridum Epternacensem sensus perfectior est, omissa unica particula :* Videres, quod in contemplationis arce posito est difficillimum, unum hominem, *etc.* E

k *Ad hæc sicut et ad alia plura nihil hic ulterius observandum ; cum id sufficienter præstitum sit in Commentario prævio vel in Annotatis ad Vitam primam.*

l *Satius fuisset ad probanda innumerabilia, quæ audivisse et cognovisse se prædicat auctor prodigia, specimen producere, quod ipsummet natum erat firmiorem fidem sibi conciliare. Repete dicta num.* 31 *et* 32 *Commentarii.*

m Remi, *al.* Rhemi, *vulgo* Rheims, *civitas Galliæ notissima est.* Laudunum, *indigenis* Laon, *item civitas Galliæ episcopalis sub Remensi archiepiscopo.*

n *Colitur S. Maximinus Trevirensium antistes, die* 29 *Maji, cujus mensis tom. VII acta illustrata sunt, et memoratæ hic ex Aquitania translationis excusa Historiæ.*

o *Etiam hujus sancti Præsulis Trevirensis Acta discussa sunt tom. VI Augusti ad diem* 31, *quo annua ejus memoria recurrebat. Data est et illic relatio translationis ejus ex Phrygia, ditione Minoris Asiæ, ubi exul obiit ; sed decollatum fuisse, ut hic asseritur, seu violenta morte e vivis ereptum,* F *diximus, non probari.*

MIRACULA

Auctore anonymo seculi XI Mediolacensi monacho

Ex Ms. Trevirensi

PROLOGUS.

Miracula scripturus

Miracula, quæ ad sepulchra Sanctorum Christus Deus noster pia dignatione operatur, quibus, quanti apud ipsum sunt illorum merita, panduntur, nullus * incuria negligentiæ posteris celanda, sed ob amorem illorum voce scriptisque sint * propaganda, Erigitur namque animus in perpetratione signorum, inardescitque mens in cæleste

* forte nullius

* l. sunt

A cæleste desiderium, cum Sanctos videt vivere virtutibus, ac sentit summi Regis assistere obtutibus. Certior ergo in perceptione votorum rogans existit, ubi pro meritis Sanctorum exuberare signa prospicit. Grande etenim noxæ piaculum incurrit, si quis pro honore Sanctorum divinitus data hominibus beneficia nescientibus non aperit. Unde miracula, quæ per specialem nostrum patronum Luitwinum superna pietas declarat, reatum duxi litteris tradere. * Sed de statu hujus loci placeat prius aliqua subscribere.

* l. non tradere

nonnullas de Sancto ac monasterio suo præmittit auctor.

2 In episcopatu igitur positus digne memorandus pater Luitwinus, de rebus, quæ sibi hereditario juro obvenerant, vel precio comparaverat, testamenti cartulam fecit, per quam Mediolacensi loco, fratribus ibidem Deo servientibus easdem ros contradidit, ac apostolica auctoritate in judicio promulgarat damnandos, si quos in his rebus paterentur molestos. Duodecimo ergo anno Childeberti regis hæc facta est traditionis conscriptio, et Incarnationis Domini sexcentesimo nonagesimo sexto *a*. Hujus temporis articulo declaratur, quo sanctus Luitwinus floruerit annorum curriculo. Milonis autem filii ejus finis B et actus est memoria dignus, quamvis Hincmarus Remorum episcopus perversorem eum episcopatus sui describit *b*... Nunc ad miracula communis patroni Luitwini narrando revertatur cordis intentio *c*.

ANNOTATA.

a *Latet hic error vel in annis Christi, vel in Childeberti regis: quando facta dicitur traditionis conscripto. Childebertus quippe secundum dicta num.* 24 *Commentarii prævii regnare tantum cœpit anno* 695; *quapropter si alterutra nota chronologica recte expressa sit, facta est conscriptio anno Childeberti secundo, vel Christi* 706 *aut sequenti.*

b *Citat prologum vitæ S. Remigii, ex quo mox subdit, mutatis paululum verbis, textum Hincmari, quem recitavi num.* 55 *Commentarii prævii. Post hæc laudat Milonem a benevolentia, qua ad Patris exemplar prosecutus est Mediolacense cœnobium. Deinde fuse discurrit de rebus ad præsens institutum parum aut nihil spectantibus, puta de episcopis Trevirensibus, qui ex dicto cœnobio* C *desumpti fuere, de præclaris ejusdem monachis, de variis ipsius vicissitudinibus et de abbatibus, quorum aliqualem historiam exhibet eo pene ordine, quo in Germania sacra Gabriel Bucelinus. Orditur autem a Ratbodone, qui sæculo nono floruit, desinitque in Nizone sæculi undecimi abbate, atque hujus elogium his verbis concludit :* Quamvis cautus sit et oculatum animal in exterioribus, ad spiritualia tamen et circa salutem animarum permanet vigilantissimus. Ecce longam temporum seriem brevi litterarum narratione comprehendi pro statu nostri loci sciendo. Nunc ad miracula *etc. Hinc omnino persuasum nobis est, auctorem fuisse Mediolacensis cœnobii monachum; ac collegisse isthæc, miracula dicto sæculo undecimo quando scilicet abbatiam gubernabat Nizo ejus nominis secundus.*

c *Dixi in Commentario prævio num.* 39 *miracula illa cum auctoris prologo in ms. nostra collectione proxime subjuncta esse Actis primo loco excusis, non videri tamen eumdem cum actis habuisse auctorem. Rationes meas ibidem exposui, an sat solidæ ex sint, ex jam dato prologo discernet studiosus lector, qui dum hanc lucubrationem pervolvet, meminisse dignabitur ejus, quod monui in Annotatis ad prologum primæ vitæ lit.* a *super mendis scriptionis in apographo nostro passim occurrentibus.*

A. Anonymo.

CAPUT UNICUM.

Surdus in somno monitus, Mediolacum *a*

Quidam igitur rusticus de Losma *a*. privatas vocibus aures habens, in somniis audivit celeste miraculum, ut post patuit, sibi dicens : Cum sol jubare suo cæcitatem tenebrosæ noctis expulerit, et oculos mortalibus restituerit, ad Mediolacum tendens, iter arripe, et Remigium *b* abbatem, ut clausas aures tibi reseret, humiliter pete. Qui mane lætus de lecto consurgens, quæ audierat in nocte vicinis suis retulit. Et illis commeantibus, ad monasterium usque perrexit. Quod ingressus, importuna voce cœpit Remigium acclamare, ac cunctos, quos viderat, ut sibi abbas ostenderetur, rogare. Quem cum fratres attoniti circumstarent, ac cujus rei gratia abbatem vellet, interrogarent; Sum, inquit, miser, domine, et diuturnæ calamitatis * infirmitatis surdus effectus : sed divinæ vox pietatis michi quiescenti prædixit, quod clausas aures clave orationis michi reserare deberet abbas Remigius.

* calamitate

E *tendit, et auditum recipit :*

4 Ducebant ergo illum ad abbatem, narrantes prædictæ rei visionem, rogabantque pariter, ne sperata negaret; sed illi compatiendo, quæ de illo fuerant ostensa, misero impertiretur. Indignum autem se abbas talis facti protestatus omnimodis, victus tamen prece fratrum et clamore surdi hominis, sacri liquamen olei, quod ad usum infirmorum consecratum fuerat, afferri jussit, et interim cum ipso et fratribus ante altare S. Luitwini sese in orationem dedit. Dehinc ab oratione surrexerat, et digito sacrum oleum cum Christi *c* auribus infuderat, ac statim pridem clausæ, reseratæ sunt aures, ita ut ipse clamaret se omnium, quamvis silenter loquerentur, apertissime audisse loquentium voces. Tunc clerus in laudem Dei elevatis vocibus decantabat Te Deum laudamus, et Kyrie eleison concinebat popularis cœtus. Ille auditu percepto, gaudens ad propria remeavit, et quanta sibi Dominus pro meritis sancti Luitwini fecerit, omnibus nuntiare non desiit.

mulier amens sensibus redditur ; F

5 Fuit etiam in eodem vico mulier quædam nomine Richeza, quæ in amentiam versa, ad Mediolacum a suis vehiculo est devecta : quæ etiam cum insania, qua torquebatur, ita inediæ ac vigiliarum continuatione afficiebatur, ut, quomodo subsisteret, possit admiratione haberi ; dum corporalis vita sine esus et somni sustentaculo non possit agi. Pro ejus ergo salute diu multumque fratres laborabant, ac precibus Patronum suum intercessorem ejus ad Deum fore flagitabant. Tandem itaque, pio intercedentis auxilio, divinam in se virtutem sentit, et sanæ mentis ac incolumis cum propriis, quæ prius alienis pedibus advenerat, domum repedavit : nec tantæ sibi gratiæ cælitus indultæ obliviscebatur : sed singulis anniversariam annis festivitatem sancti Luitwini vota sua offerendo frequentabat.

energumenus liberatur :

6 In gente ergo Anglorum quidam dæmone possessus erat, qui ad Mediolacum mundandus venerat, et ecclesiæ appropinquans portæ, Eia, inquit, Luitwine, per longa regionis spacia ad tua peregrina limina veni ; tu fune virtutis tuæ ad

A. ANONYMO.

ad te me retraxisti. Cum ergo fratres reginnem et passionem viri ab his, qui cum eo advenerant, perdiscerent, et preces pro eo continuas intentissime Domino effunderent, alienigenam summo Deo placuit per servi sui meritum a virulenta serpentis sorde mundari; ut proximi ejus certiorem spem in omnibus caperent auxilii impetrandi. Singuli igitur presbyterorum super energumenum conjurationes et Missas per ordinem celebrabant. Postremo omnis congregatio pro eo supplicatum veniebat. Et conjurationibus præmissis et Sacramentis nostræ redemptionis expletis, dum Prior letaniam incipiens, vocabula sanctorum per ordinem nominaret, et repetendo, SANCTE LUITWINE, ORA PRO NOBIS, diceret, et talis virtute nominis dæmon perterritus a homine aufugit, et priori se habitaculo privatum tanta meritorum excellentia abscedendo patefecit. Angligena autem tanti itineris laborem incassum perferre *, causari non potuit: dum nomen et meritum et virtutem sibi ab eo cælitus indulte * propriæ genti reportavit.

* forte perferri

* forte indultæ gratiæ

amente; *d*

7 Quandam insanæ mentis abbatiæ Toleiæ *d* ad Mediolacum sui advexerunt, ac pro illius B sanitate sancti Luitwini suffragia mente intenta rogaverunt: quam cum reliquiis Sanctorum circumvallatam et sanctis Evangeliis super eam lectis, in una fornicum turris sero custos ecclesiæ quiescere fecit, et uni e fratribus pervigili cura eam custodiri injunxit. Quæ gallorum cantu ut expergefacta fuit, meritis pii patris Luitwini, cui prima jacuit, integerrima sensus et corporis sanitate surrexit: solum admirans, quo esset in loco, vel quorum illuc duceretur adminiculo.

sensum recuperant;

8 Vespertinam sinaxim fratribus quodam tempore celebrantibus, ecclesiam quidam spiritu erroris captus intrnivit, ac insana quædam misera gesticulatione decantans, videntes eum parentes et audientes perterruit: qui finita vesperarum celebratione, eosdem cum processione ad ecclesiam sanctæ Mariæ euntes, ac de omnibus Sanctis vesperas cantaturos, repetendo cantica sua est prosecutus, et locum sepulchri sancti Luitwini sæpius bacchando circuivit, non intermisse suos cantus frequentando. Sed in subsellio quidam frater eum crebra circuitione fessum sedere coegit; et prece pro eo fusa, benedictiones quasdam cum ligno C salutiferæ Crucis super eum dixit: statimque precibus sancti Luitwini errore * mitius adeo agere cœpit, ut fratres ad ignem euntes, quia horror hyemalis frigoris erat, et ipse tenuiter vestiebatur, quiete sequens, quietus corpus esu potuque refecerit. Dehinc in ipsa turri locum pausandi per noctem sumpserat; quam leni somno postquam peregit, mane facto, sanissimæ mentis compos effectus, surrexit, ac pera et paupere supellectile sumpta, laudes Deo, fratribusque grates agens, iter eundi ad sui * incolumis arripuit: ac per aliquot annos pro indicio gratiæ, inibi cælitus sibi illatæ, in Cœna Domini non cum pluribus, quasi alienus, projici, sed cum electis pauperibus Christi ad lavandos pedes, quasi proprius, merebatur suscipi.

* forte addendum deposito

* forte suos

multi vexati *e*

9 In Mercia *e* quidam Gezo infirmitate gravatus et uxore ejus in messe occupata, solus incaute relictus tam dira dæmonis vexatione comprehendebatur, ut a læsione hominum inimica vis non aliter coerceretur, quam ut paulisper pedes et manus in terram fixis miserum funibus porrectum terræ constringerent, et sic pedibus quoque eundi ac manibus nocendi facultatem auferrent. Qui postea a socero in plaustrum levatur, et ejusdem plaustri lignis funibus colliga- D tus, et ad Mediolacum ductus ante altare sanctæ Mariæ sic irretitus exponitur. Sed meritis ejusdem gloriosæ Dei Genitricis, precibusque sancti Luitwini in vespere facta * vincula sunt ablata, ac mente recepta dæmone penitus caruit: et in brevi de priore infirmitate convalescens, ad sua gaudens et sanus rediit, cunctis mirantibus, Deumque pro meritis sancti Luitwini glorificantibus, recolentibus quidem qualis venerat, et videntibus qualis redierat.

* an fracta?

et obsessi

10 Anselmi cujusdam militaris uxor, nomine Waldrada, a pessimo et callidissimo dæmone fuerat arrepta, et a multis certissimis recuperandæ sanitatis per merita sancti Luitwini Mediolacum est asportata. Cujus casui fratres intimo affectu erant compatientes et communem patronum sanctum Luitwinum pro ejus salute in tantum rogare studentes, ut vicissim sibimet nocte et die succederent, et crebras Missarum celebrationes et psalmodiam, et quidquid pro tali re excogitari * sine intermissione circa eam frequentarentur *. Sed virus serpentinæ nequitiæ nequivit ab ea expelli, et dirus habitator non est passus facile ab habitaculo injuste usurpato divelli: quin E etiam per noctem audiebantur dæmonia sibimet applaudentia et de longo alterutrum vocantia. Sed et insidiator antiquus, ut pervigiles metu percelleret, illaqueari * turris, quæ imminebat capiti eorum, strepitum horroris fecit. Sed unius vigilum imperiosa voce in Christi nomine adjuratus, abscessit.

* adde potest vel solet

* al. frequentarent

* al. in laquear

a dæmonibus *f*

11 In aquam dehinc, majori benedictione consecratam, illam funi inserunt *f*, et fortissimis exorcismis tirannum conjurantes, sanctum nomen Christi inclamando cum multis Sanctorum reliquiis eam circumsteterunt. Inter hæc misera exanimis ex aqua tollitur; et ut prius diabolica invasione plena comprobatur. Quatuor deinde presbyteri quasi ad Missam se vestierunt, et in modum crucis et ad quatuor plagas mundi super eam stantes, passiones Domini quatuor Evangelistis editas... *g* inchoando legerunt. Quibus perlectis, illa semimortua in terram corruit, et post paululum assumptis viribus se liberatam simulavit: quod ut astantes viderunt, liberatam illam credentes, clerus et populus pro ejus emundatione laudes Deo in cælum extulerunt. Qua simulatione domum revecta, apud suos ceteris consimilis aliquamdiu et quieta permansit. Sed antiquus F quietem nesciens, priori furoris insania denuo eam vexavit. Donec ad proximam sanctæ Mariæ purificationem, quæ imminebat, eam meritis ejusdem Matris Domini penitus deserebat. Hunc ergo pia Dei Genitrix proprium fecit honorem, nec passa est, coram se totiens effusam oblivisci fidelium precem: sed pii patris Luitwini precibus admonita et ipsam se invocantibus ostendens pietatis viscera, in suorum die luminum pristinæ eam redintegrando sanitati, ab ea retrusit ministrum principis tenebrarum.

g

Mediolacum

12 Filiam pater quidam de familia sancti Sixti ad Mediolacum duxit, maligni spiritus errore deceptam, et gravissimis scoparum verberibus ab amicis acerbe afflictam; quasi ob afflictionem corporis exueret insaniam mentis. Cum miseræ non proveniret insaniæ effugium, sed potius duplex in ea malignus lætatus est inesse supplicium. Multis ergo diebus pro ea fratres laboraverunt et pro ejus sanitate communis Patroni patrocinia poposcerunt: quorum intimi affectus petitionem benignus Pater intendens, integerrimam

A mam sospitis * gratiam impertivit, et ejus medicaminis dona * læta mente sanissima ad domum rediit. Quæ gratiæ sibi illatæ non ingrata, sæpissime votorum suorum Salvato * grataniter persolvit debita.

* l. sospitatis
* forte dono
* forte salvatori

adducti.

13 Quidam fideles viri dum Sanctorum loca orationis gratia peragrassent solito, mulierem quamdam in silva invenerunt errore dæmoniaco; quæ passionem suam illis, ut potuit, dixit, et a propriis pro tædio ejusdem passionis derelictam narravit. Quam secum ad monasterium ducentes, et incommoda infirmitatis illius narrantes, et altera die sancti Luitwini meritis sanissimam reducebant ad propria, nulla postmodum illam affirmantes priori pulsari insania.

per merita Sancti liberantur.

14 De Bezerinca itaque puellam, nomine Richezam, dæmone plenam soror ad proprium Patronum perduxit, et in mente pro certo habuit quædam pietatis remedia, quæ alienis largiter distribueret, propriæ etiam alumnæ pius non denegaret. Nec illam fefellit spes ista, nec de tanto Patrono talia incassum confidere est conquesta. Orationibus ergo fratrum sancti Luitwini cum sorore ad propria sanissima reddit, et pissimi Mundatoris sui limina cum oblationum voto frequentare non desiit. Multi etiam utriusque sexus diversæque ætatis in expulsione dæmonum ejusdem sancti Luitwini experti sunt digna apud Deum merita *h*... Patet ergo sanctum Luitwinum, quod vicit
B omnigenam vitiorum nequiciam, incitatoribus eorum Dei adjutorio devictis, superasse *i*: eum apud Deum vivens, pro amore fidelium singulari adversus dæmones potentia totiens illum ab alienis videmus eos expellere. Sed et alia signorum facta in eodem monasterio per ejus merita audivimus, et vidimus fieri, quæ præsenti placuit connectere rationi.

Mulier gressum et sanam mentem recipit,

15 Mulier quædam, Ruozela dicta, de orientali regione Galliarum oriunda, incessu pedum carens et propter interitum filii, a latronibus occisi, mentis inops effecta, amens per sancti Symonis *k* merita unius cruris sospitatem promeruit, et currum, quo illuc vehebatur Treverim, reliquit. Cum baculo igitur se sustentans, Mediolacum versus forte graditur, et in dedicationis basilicæ Apostolorum [dio], quæ in medio Maio semper contingit, inter Missarum solemnia coram tanta multitudine cleri et populi, insania deposita, per merita sancti Luitwini sana et incolumis efficitur. Quid ibi clamoris et laudis in honorem Dei sit acclamatum, nullus sufficit ad narrandum. Quæ postea a multis, ut pro Christi nomine eam alerent, est retenta; sed va-
C riis infirmitatis casibus sæpenumero impedientibus, eos deserens, ad Mediolacum est regressa: quæ revera sancti Luitwini integerrimam sospitatem in proprio loco obtinuerat, ut etiam perinde ejusdem monasterii alimonia sustentaretur, volueral *l*.

ANNOTATA.

a *Locus iste, verisimiliter haud procul a monasterio dissitus, aliunde incompertus nobis est.*

b *De viro isto, qui claruit sæculo decimo ad finem vergente, multa cum laude disserit in serie abbatum Mediolacensium, indicata in annotatis ad prologum lit.* b, *ac scriptorum ejus elenchum exhibens, primo loco recenset:* De proprio patrono Luitwino Sermonem, *in annua festivitate legendum. Quid si Sermo iste idem sit cum alterutra vita nostra? Opera quoque Remigii abbatis cum insigni elogio enumerat Trithemius in chronico Hirsaugiensi ad annum* 980; *sed hujus Sermonis nominatim non meminit, dicens tantum generatim :* Sermones quoque multos et cantus in diversorum honore Sanctorum fecit. A. Anonymo.

c *Supplendum hic* verbis, invocatione *aut simile quid.*

d Theolegiense, *alias* Theologiense, Tholegiense, Doleiense, *nonnullis etiam* Tabulegium, *vulgo* Thuley, *insigne ordinis S. Benedicti monasterium procul dubio designatur, quod, teste Mabillonio tom. I Annalium pag.* 522, *situm est ad Saravum fluvium in finibus Trevirensis diœcesis et Lotharingiæ. Dicitur autem, opinor, mulier ista* abbatiæ Toleiæ; *quia erat ex familia seu domo ad monasterium istud pertinente.*

e *Adjuncta relationis hujus satis indicant, hominem istum habitasse haud ita procul a Mediolacensi cœnobio : quapropter cum verisimillime per vocem* Mercia *indigitetur locus habitationis, suspicor, intelligendum eum, qui vulgo dicitur* Merzig, *alias latine* Marciacum, *ponitur que in tabulis ad Saravum fluvium uno circiter ac medio milliario a dicto monasterio.*

f *Hujusmodi ritum aliquando servasse antiquos* E *in adjurandis energumenis, liquet ex tom. III Edmundi Martenii de Antiquis Ecclesiæ ritibus; ubi pag.* 499 *ex Ms. Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis datur* Ordo ad energumenos adjurandos, *in eoque post consecrationem salis et aquæ ista præscribuntur pag.* 500 : Ex hac aqua præparetur ei omnis usus in cibo et in potu, sed et balneum, ut interius exteriusque invigetur; *id est, ni fallar,* invigoretur *pro* vigorem accipiat *seu* corroboretur.

g *Ineptus scriptor duas voces omittere hic me coegit : suspicor tamen, ab auctore positas fuisse istas :* consona voce.

h *Juxta auctoris fidem credo, varios ad sancti invocationem dæmoniis fuisse liberatos; verumtamen narrandi modus dubium injicit, an omnes omnino, quos tamquam dæmone obsessos hic percensuit, revera tales fuerint, et an aliqui saltem ex iis non laboraverint tantum phrenesi aut amentia. Porro ubi puncta sunt, insertus erat in ms. apographo discursus, de causis præsertim, cur permittat Deus, homines a dæmonibus obsideri, et de potestate eos expellendi sanctis concessa. Sed quoniam oscitanter descriptus est, et ex omissione* F *vocum hinc inde obscurus, nec alioqui* S. Leodowinum *magis respicit quam sanctos alios, rescindi posse censui absque magna jactura lectoris.*

i *Verisimiliter desideratur hic aliquid, quo perficiatur sensus.*

k *Acta S. Symeonis reclusi Treviris illustrata sunt tom. I Junii ad diem mensis primum.*

l *In ms. apographo sequuntur beneficia collata duobus viris, qui ferreis vinculis constricti ob graviora crimina, secundum ætatis istius consuetudinem per sacra loca peregrinabantur et hic tandem miraculose soluti sunt. Sed nulla in relationibus fit mentio* S. Leodowini; *contra expresse dicitur, primum subito liberatum fuisse, dum post diuturnam orationem coram altari sanctæ Crucis oculos* in imaginem Crucifixi Domini flens intenderet; *alterum vero* sub præsentia ejusdem sanctæ Crucis ferro caruisse. *Sic omisi sub initium prodigiosum Hunnorum ab ingressu templi repulsum et fugam; quia non satis videbam, cur sancto adscriberetur.*

DE

AUCTORE C. S.

DE B. ALARICO VEL ADALRICO

ORDINIS S. BENEDICTI

IN UFNAUGIA LACUS TIGURINI

INSULA IN HELVETIA

SYLLOGE

De cultu et gestis.

Circa annum CMLXXIII. Datur notitia monasterii Einsidlensis

E*st in Suitensi Helvetiorum pago, in* Nigra *vel* Obscura silva, *vernacule* Finster-Wald, *illustre celebreque ordinis S. Benedicti cum annexo vico monasterium, a primis suis exordiis* Einsidlense (*nam* Einsiedler B *Germanis* eremicolam *sonat*) *appellatum; a thaumaturga vero B. Mariæ Virginis icone ibidem culta* Eremus Deiparæ *etiam passim dictum. Locum illum, tum etiam asperum horridumque, ac propterea solitariæ vitæ aptum, primus incoluit sanctus eremita Meinradus vel Meginradus, in quo et post medium sæculum 9 trucidatus fuit, cujus vitam datam illustratamque habes apud nos ad diem 21 Januarii, quo colitur. Eumdem locum sæculo* 10 *restauravit Benno, ex canonico Argentinensi eremicola, deinde episcopus Metensis; ac tandem Eberhardus vel Everardus eodem sæculo in monasterium erexit, ac primus abbas gubernavit. Ambo* Sancti *titulo a nonnullis honorantur, uti apud nos de primo ad diem 5 Augusti, de Eberhardo autem ad 11 Martii, et 14 ac 22 Augusti inter Prætermissos legere est. Auctum deinde vehementer est religione et opibus, illiusque abbas imperii principibus annumeratus. Consule, si lubet Christophorum Hartmannum, ejusdem loci monachum, qui illius Annales conscripsit et typis vulgarit.*

et Ufnaugiæ insulæ, quæ incoluit Beatus.

2 *Sesqui circiter milliari Germanico aut paulo plus ab abbatia Einsidlensi versus Septemtrionem in Tigurino lacu inferiori, haud procul a ponte* C *civitatis Rapperswili, jacet parva insula Ufnaugia, vulgo* Uffnaw, *quam supra laudatus Benno sibi suisque sectatoribus eremicolis inhabitandam in perpetuum beneficium a Sanctionensibus monialibus accepit, postea vero Otto I imperator ab iisdem virginibus, penes quas loci dominium remanserat, redemptam, Gregorio, tertio Einsidlensi abbati, ejusdemque successoribus donavit; uti tradit Hartmannus in Annalibus pag. 31, 75 et sequentibus. Porro in utroque loco* B. Alaricus *vel* Adalricus (*nam in nomine ita variant scriptores*) *Regulindæ Alemanniæ ducissæ filius, sancte vixit; in Ufnaugia, ubi et mortuus ac sepultus est, eremita, in monasterio Einsidlensi monachus. Hunc ceteris martyrologis, quos consului, ignotum vel prætermissum, Gabriel Bucelinus hoc die 29 Septembris in Menologio Benedictino cum sequenti elogio annuntiat.*

quem Bucelinus hoc die.

3 In monasterio Helvetiæ Einsidlensi, B. Adalrici monachi et confessoris. Fuit hic serenissimis ortus parentibus, Burchardi II Alemanniæ ducis et B. Regulindæ filius, Burchardi III frater germanus: juvenili ætate monasticen in sanctissimo illo Deiparæ cœnobio Einsidlensi professus, ubi eximia vitæ sanctitate exsplenduit. De licentia dein sui abbatis in Uffnow Turicensis lacus insula solitariam vitam colens, magnam loco reverentiam conciliavit. Lacu quandoque nimium excrescente, cum ope destitutus humana E necessaria exhausisset, ab ignoto, qui angelus fuisse creditur, panem et vinum accepit. Memorabile et illud, quo fertur, dum frequentius ad suum regrederetur cœnobium, lacum siccis pedibus calcasse; cum vero stipitem quandoque e scpimento alieni horti, cui per declive inniteretur, extraxisset, et ad locum occurreret, aquas pro consueta alias Numinis gratia calcare nequivisse, donec stipitem loco suo redderet.

quo obiisse dicitur, alter quidam die 26 annuntiat.

4 Monitus fuit ab angelo S. Wiboradam a nimio rigore retrahere, multisque clarus virtutibus anno Christi 973 ad præmia æterna evolavit. Miraculis a Numine honoratus, magna fidelium devotione in Uffnow colitur, a Theodowino S. R. E. Cardinale Beatorum albo adscriptus anno Christi 1141. *Hæc Bucelinus* ex monimentis (*ut addit*) Einsidlensibus, *inferius examinanda. Totum hoc elogium a verbis illis;* Juvenili ætate monasticen *etc. Joannes Ludovicus Schonleben, Labacensis, sacræ theologiæ doctor et protonotarius apostolicus, in Anno sacro Habspurgo-Austriaco, ex Bucelino adoptavit recensuitque ad diem 26 ejusdem mensis Septembris; non alia* F *tamen de causa illum diem præferens, quam ne vacuum relinqueret. Alios, qui* B. Alaricum *meminerint, martyrologos non legi, sed undecumque horum silentium ortum fuerit, de antiquo ejusdem cultu dubitare me non sinunt, quæ supra laudatus Hartmannus in annalibus Eremi Deiparæ, sive Einsidlensibus tradit.*

Probatur cultus ejus in ecclesia Ufnaugiensi

5 *Hic pag.* 199 *et sequenti,* Anno, *inquit,* 1141 cum forte ad Heremum (*id est, ad monasterium Einsidlense*) religionis causa venisset Theodowinus episcopus Portuensis, titulo S. Ruffinæ presbyter Cardinalis, et per Germaniam legatus apostolicus, rogatu et precibus Vernheri (*tunc abbatis Einsidlensis*) Fratrumque reliquorum, dedicavit proxima dominica post Assumptionem Deiparæ conditam a Regulinda (*B. Alarici matre*) Ufnoviæ ædem jam plurimis ante annis, ut supra vidimus, sed ab Vernhero auctam et renovatam, nomini et honori sanctæ et individuæ Trinitatis, Deiparæ Matris, S. Michaelis archangeli, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quibus ad petitionem ejusdem abbatis et totius collegii memoriam adjunxit B. Adalrici,

AUCTORE C. S.

A DALRICI, qui, ut etiam supra memoravimus, in insula Ufnovia secesserat, ibique vitam finierat, non absque multis in vita et post obitum miraculis, cui proinde etiam sacram primus Vernherus aram eadem æde statuerat.

inter cujus Patronos relatus fuit

6 Addidit Theodowinus, quo magis mortalium animos ad pietatis studium et loci ejusdem cultum et venerationem accenderet, indulgentias ædem eamdem festis sanctissimæ Trinitatis et prædictorum Tutelarium visentibus peccatorum mortalium dierum septingentorum, venialium septem annorum; multasque alii quoque alias episcopi eo contulerunt. *Quem Hartmannus hic Theodowinum et Theodwinum, episcopum Portuensem et titulo S. Ruffinæ presbyterum Cardinalem appellat, fuit is Portuensis simul ac SS. Ruffinæ et Secundæ, alias Sylvæ Candidæ, episcopus Cardinalis, secundus, qui ambas sedes, a Callisto II Papa conjunctas, obtinuit, ut videri potest apud Ughellum tom. I Italiæ sacræ auctæ col. 126, ubi* Theodevinus vel Theodinus *vocatur. Ab Innocentio II summo Pontifice legatus in Germaniam, patriam suam, missus fuit, ubi anno 1138 electioni* B *Conradi III Germaniæ regis interfuit.*

a legato Apostolico, miraculis clarus.

7 *Eumdem legati apostolici officio ibidem etiam functum fuisse anno 1141, liquet ex diplomatibus annorum 1140, 1141 et 1142, quæ exhibet Marquardus Herrgot tom. II Genealogiæ diplomaticæ augustæ Gentis Austriacæ a pag. 164. Nihil igitur obstat, quo minus laudatus Theodovinus ista, quæ Hartmannus diserte affirmat, anno 1141 agere potuerit, nec est, cur eum fecisse, asserenti domestico annalistæ non credamus.* Alaricus *itaque jam ab anno 1141 reliquis Ufnaugiensis ecclesiæ sanctis tutelaribus a Theodevino, sedis apostolicæ per Germaniam legato, additus fuit, propriumque in eadem ecclesia altare suo nomine Deo sacrum et annuam festam lucem, etiam indulgentiis ad promovendam ejusdem venerationem ditatam habuit; ita ut de antiquo illius cultu dubitare non debeamus. Quin et cultum illum cælestibus favoribus a Deo probatum esse, scribit idem annalista pag. 83, sic inquiens:* Itaque vitam instituit, ut viventis defunctique sanctitudinem frequentibus tunc, uti nunc quoque, miraculis testatam voluerit, velitque Deus.

Alia quædam illius cultus indicia.

8 *Edidit autem Annales istos Hartmannus anno 1612, quo propterea tempore cælestia beneficia, quibus omnipotens Dominus sanctorum suorum cultum solet fovere, ad illius invocationem impe-* C *trata nondum cessasse, dicendum est. Idem annalista pag. 83 eumdem inter Einsidlenses patronos numeravit, quod etiam fecit Henricus Murer Carthusianus in Helvetia sancta germanice edita, in cujus pag. 234 ipsius elogium cum titulo* Beati *legitur. Pro cultus continuatione etiam facit* Alarici *effigies, quam ad manum habeo, æri incisa preloque edita, satis elegans, nec antiqua, quæ ipsum habitu Benedictino indutum ac diademate seu radiis caput cinctum exhibet cum hac inscriptione:* S. Adelricus dux Allemanniæ Ord. S. Bened. *Mabillonius quoque tom. III Annalium Benedictorum ad annum 965, num. 93 post breve illius elogium,* Habetur, *inquit,* inter tutelares patronos Einsidlensis monasterii, cujus præpositura etiam nunc superest apud Ufnaugiam; *attamen, quod mirum, a* Beati *titulo tam hic, quam in Indice abstinet, illum* Virum sanctum *et* Virum Dei *dixisse contentus. Mihi supra dicta cultum ipsius satis probant, ut cum* Beati *compellatione operi nostro inseratur.*

9 *Vitam illius a nullo antiquo conscriptam, aut allegatam legi. Hinc nulla ejusdem gesta particularia ad nos pervenerunt, præter unum et alterum, quæ Hepidannus, S. Galli apud Helvetios monachus, in vita S. Wiboradæ, virginis inclusæ ac martyris, tradidit, quæque etiam tempus, quo beatus floruit, vitamque, quam duxit eremiticam, edocent, ac simul augent desiderium de eodem plura sciendi. Dabimus ea infra, postquam de ejusdem parentibus egerimus. Hartmannus in annalibus Eremi Deiparæ ad annum Christi 926, pag. 36 post relatum Burchardi II Alemanniæ ducis interitum, de hujus liberis hæc subdit:* Reliquit Burcardus ex Regulinda Burcardum filium admodum puerum, et, quam diximus, Berchtam (*Rudolpho II Burgundiæ regi nuptam*). Memorant vetera nostri monasterii documenta, alium quoque Regulindæ ducissæ filium fuisse Adalricum sive Alaricum, qui hoc tempore eremiticam in Aufnaw, lacus Tigurini insula, vitam agebat.

Vita ejus desideratur: patrem habuit

Burchardum ducem Alemanniæ,

10 *De utroque parente consentit Bucelinus, num. 3 relatus; sed Joannes Ludovicus Schönleben num. 4 pariter laudatus, de matre dubitari scribit his verbis:* Adalricum filium fuisse Burchardi II ducis Sueviæ, certum est; de matre E lis aliqua est. Lazius Hedwigem vocat, filiam Henrici Aucupis imperatoris, vel secundum alios Henrici Rixosi, sororem S. Henrici imperatoris. Aventinus Luitgardem nominat, filiam Henrici ducis Bavariæ, neptem Luitholphi ducis Sueviæ; alii Luitgardem, sororem S. Udalrici episcopi Augustani. Denique Bucelinus putat, fuisse nominatam Regulindam, et quidem beatam, Conradi I imperatoris filiam. *Verum alegati scriptores (excepto Bucelino) de* Adalrico *non meminerunt, et quocumque nomine uxorem Burchardi II appellent, constat, hujus conjugem, cujuscumque illa demum filia fuerit,* Regulindam, Relingindam *vel* Relingindam *dictam fuisse. Ita, inquam, constat ex Hartmanno seniori, monacho S. Galli, scriptore coævo aut fere coævo, in vita S. Wiboradæ apud nos primo loco edita tom. I Maji, pag. 289, num. 23, quem consule, si lubet.*

matrem Regulindam vel Relingindam

11 *Porro Regulinda vel Relinginda bis nupta fuisse legitur: primum prædicto Burchardo, quem pro Rodulpho genero suo Burgundiæ rege in Italia militantem occisum esse, tradunt idem Hartmannus Sangallensis, Frodoardus, Hermannus* F *contractus et Continuator Reginonis in chronicis ad annum 926 et Luitprandus lib. 3, cap. 4. Secundas nuptias celebravit cum Hermanno vel Herimanno, qui eidem Burchardo in ducatum Alemanniæ suffectus fuit. Laudatus continuator Reginonis illam* Widam *appellans (nisi tamen legendum sit* Viduam) *loco citato sic ait:* Burchardus dux Alemaniæ in Italia occiditur... Herimanno ducatus Alemaniæ committitur, qui Widam Burchardi duxit uxorem. *Hunc Hermannum una cum uxore sua Regulinda et* Alarico *præcipuas monasterii sui fundatores Hartmannus Einsidlensis in annalibus agnoscit. Sed ex dictis dubitari posset, ex utro conjuge, Burchardo scilicet, an Hermanno, Regulinda genuerit* Alaricum, *nisi ex Hepidanno, altero S. Wiboradæ biographo, cujus verba mox dabimus, haberemus,* Alaricum *jam inde ante Burchardi obitum eremitam egisse in Ufnaugia.*

monasterio Einsidlensi admodum munificam,

12 *Credimus itaque vetustis documentis Einsidlensibus ab Hartmanno annalista laudatis,* B. Alaricum *Regulindæ filium fuisse, eumdemque natum credimus ex Burchardo Alemanniæ duce; nam*

AUCTORE J. S.

nam Regulindam alteri ante, quam huic, nuptam fuisse, nemo, quem novi, tradidit, nec Beati chronotaxis infra breviter annotanda permittit. Id vero eo etiam magis credimus Hartmanno, quod Einsidlenses præ ceteris omnibus de Regulinda et Alarico *instructi esse potuerint, debuerintque; quippe quorum hic Einsidlensis monachus fuit; illa in eorumdem monasterium mire munifica ac pene domestica. Etenim, eodem annalista teste pag. 44, ipsa non modo simul cum secundo marito suo Hermanno multa eidem donavit, verum etiam, ut ibidem pag. 52 legere est, Hermanno anno 948 vita functo*, duobus maritis Allemanniæ ducibus orbata, tertio sponso subito se adjunxit; sed puro, immaculato, immortali.

quæ in Ufnaugia pie obiit.

13 Abjecta enim rerum omnium secularium cura et pompa, in eamdem, quam reliquerat filius Alaricus, insulam Ufnaugiam se extemplo cum paucis contulit, ibique, quidquid vitæ reliquum fuit, Christo Domino servivit, et quo commodius ac religiosius posset, sacellum primo, divi Martini episcopi titulo, in suum maxime usum et secessum exstruxit; post etiam ædem majorem in convicinorum et subditorum utilitatem et bonum ædificare incepit. *Denique, ut* B *absolvam, quæ ad beati matrem pertinent, ibidem pag. 57 laudatus annalista ejusdem mortem ac sepulturam inter annos 952 et 953 sic memorat:* Circa hæc fere tempora obiit Ufnaugia in insula ducissa Regulinda, cum prope quinquennium in ea omnibus pietatis et sanctimoniæ officiis et exercitiis peregisset. Quidquid Feficone, Stefæ, Volruviæ possederat, Adalrico filio, et hinc nostro monasterio testamento reliquit.

et in monasterio Einsidlensi sepulta est.

14 Eberhardus abbas et Adalricus inde, quatenus nondum, quam exstruere cœperat, ecclesiæ consecrata erat, in monasterium nostrum transportandam curaverunt, proprioque sacello condidere, non sine magna sanctitatis opinione. *Hæc ille; at Murerus in Helvetia sancta eamdem cum* Beatæ *titulo Sanctis patronis Einsidlensibus accensuit; sed cultum non probavit. Minus honorifice de illa loquuntur Hartmannus monachus Sangallensis in vita S. Wiboradæ apud nos tom. I Maji, pag. 298 num. 25, et Hepidannus in vita altera ibidem pag. 303, num. 30, et hic etiam acerbius, illam arguentes, quod pro patena aurea, quam prior maritus ejus Burchardus non satis æquo modo a Sangallensibus acceperat, et post obitum* C *suum reddendam mandaverat, aliam multo minoris pretii et artificii restituerit. Verum si hac in parte revera peccaverit Regulinda, potuit postea pœnituisse, damnumque compensasse, licet id isti ignoraverint. Nunc ad Filium progrediamur.*

Alaricus in Ufnaugia eremitam agens,

15 *Illum in quadam Tigurini lacus insula solitariam vitam duxisse, divinaque revelatione ibidem honoratum ac mirabiliter aliquando pastum fuisse, tradit Hepidannus in mox laudata vita S. Wiboradæ, quam, jubente abbate suo Udalrico, qui anno 1072 Nortperto successerat, composuit. In hac secundum Henschenii nostri partitionem cap. 3 ad celebrandam ejusdem sanctæ virginis parsimoniam illum, acsi tunc etiam vixisset, ita secum colloquentem inducit. Hepidannus.* Erumpe tu, quæso, potius, Alarice, serve Dei; dic, quid Caput Ecclesiæ tibi præciperet te demandare membro suo (*S. Wiboradæ*) *Alaricus.* Cur me, frater, ea attentare cogis, quæ tu, ut conjicio, videns quosdam juxta Apostoli præsagium a veritate auditum avertisse, aggredi detrectas? *Hepidannus.* Mihi, Domine mi, ut nulla virtute prædito, loquenti virtutes discredunt; respersi D vero dulcedine tuæ sanctitatis libentes tibi præbent auditum. Nam et majoris potentiæ visus gener Aretæ regis (*Herodes tetrarcha*) Baptistam sciens virum justum et sanctum, non solum eum libenter audiebat, verum etiam, eo audito, multa faciebat.

divinitus jubetur monere S. Wiboradam,

16 *Alaricus.* Papæ! Cessent, obsecro, gravia exempla; nam quamvis ad loquendum confortent, nobis tamen minoribus multum est audire ad comparationem summi in natis mulierum; neque vulgus, urbanis nescium loqui, audet conscendere solium tetrarchæ; nisi quod utrobique in hac apologia propter detrahentes consului. Quibusque tamen exemplis cessantibus, tutis auribus depono, agnoscere me hinc debitorem ejus promendæ sanctitatis, quod Dominus divinæ illius conversationis me primum post se dignatus est intimum eligere. Ego Alaricus, minimus servorum Christi, decrevi, me pro ejus nomine in quadam insula Turicini lacus solitarium persistere. Ergo me inibi consistente, quadam nocte (quid me cogis, frater, loqui, quo me indignum hæc audientes possunt reputare?) angelico afflatu hujuscemodi verbis admonitus sum. In monasterio S. Galli, cella quadam in montibus constructa, scias quamdam virginem (*Wiboradam*) Deo E consecratam, in ejus servitio fideliter perdurantem.

ut nimiam inediam temperet;

17 Ad hanc fidelem legatum, ista mandata portantem, dirigas. Unaquæque arbor, sive fructuosa sive infructuosa, dum viva terra radix tegitur, in viriditate poterit permanere, et fructibus vel frondibus se obducere: at si terram, quæ foveat, abesse contingat, nudata radice, necesse est, ut arbor arescat. Quapropter a Deo admonita, parcas tibi aliquid de nimia abstinentia, quatenus aridum corpus plus aliquid solito reficiens, ejus servitio et laudibus plenius insistere prævaleat. *Hepidannus.* Magnam sane ostendis, Alarice, virginis parsimoniam; cum Deum prædicas huic allegasse temperantiam. Nam labores Pauli, regyratio Laurentii, ostendunt, eum posse pati, Electos suos multum probari. Sed et tibi non desunt testes, et bis refici jussus propheta (*Elias*) sub junipero, et turba Dominum triduo sustinens: postrema universitas, cui educitur panis de terra, ne ei in itinere hujus vitæ desint viatica.

ipse ibidem divinitus pascitur.

18 Quid si et illud miraculum in testimonium sumatur? Nosti, cum prædictus a te lacus in F tantum proluit, ut plurimi dies transirent, quam navigando eum ullus intrare auderet; et cum tu jam pene fame consumptus ad orationem confugeres, persona quædam tibi apparens, panem vinumque capiti tuo imminere indicavit, quibus refocillatus convaluisti. *Alaricus.* Tuo, frater, arbitratu: nam scientia veritatis terret Alaricum huic testimonio refragari; imperfectio vero meritorum dissuadet, cum hæc affirmando prædicare. Tuum enim est potius, hæc annuntiare; maxime cum ad gloriam Wiboradæ tuæ non parum sint respicientia. *Hactenus Hepidannus, ex cujus scribendi modo ne quis existimet,* Alaricum, *dum iste hanc vitam composuit, in vivis superfuisse, observo, etiam cap. 5, num. 29 ejusmodi dialogum inter Giesi ministrum Elisei prophetæ et Hepidannum, ac rursus num. 30 hunc eumdem inter atque Burchardum II Alemanniæ ducem, sesqui fere seculo tunc defunctum institui.*

Dicitur etiam super Tigurinum lacum ambulasse;

19 *Porro quæ Bucelinus de frequenter calcato siccis pedibus lacu Tigurino enarrat, nescio, unde accepta sint, neque ea reperio in annalibus Einsidlensibus,*

AUCTORE C. S.

A *Einsidlensibus, in quibus tamen Hartmannus non prætermisit prædicta e S. Wiboradæ vita annotare. Hepidanni hac super silentium nihil quidem potest afficere, cum hic, data occasione, duo tantum B. Alarici facta commemoraverit, quæ ad commendandam S. Wiboradæ in cibis parsimoniam pertinebant; dicendum tamen ex ejusdem dictis est, nondum soluisse* Alaricum *per Tigurini lacus undas ambulare eo tempore, quo divinitus pastus est; alioquin enim ex ejusdem exundatione minime expositus fuisset periculo præ fame moriendi. Utut sit, utrumque miraculum, cibus scilicet divinitus missus et per undas ambulatio, etiam repræsentatur in imagine prelo excuso, quam num. 8 laudavi. Exhibetur in hac* B. Alaricus *in veste Benedictina, caput radiis decoratus, et in contemplatione Virginis Deiparæ, puerum Jesum in sinu gestantis ac veluti e cœlo apparentis, totus defixus.*

ut etiam exhibet ejusdem imago prelo excusa.

20 *Fasciculum clavium sinistra manu tenet, quia in Einsidlensi monasterio custodis ecclesiæ officia functus esse creditur. Ab eadem latere ei adstat angelus panem offerens. In prospectu autem visitur Ufnaugiæ insula, ipseque in circumjecto Tigurino lacu pedes obambulans, quæ omnia his subB jectis verbis, æri pariter incisis exponuntur.* S Adelricus dux Allemanniæ Ord. S. Bened., quem singulari favore Deipara ad suum Einsidlense sacrarium attraxit, ibique non tam sanctarum exuviarum, quam charismatum suorum, thesaurarium fecit. Verum cum homines fastidiret, angelorum consortium in insula Ufnaugiensi invenit: ubi de manibus eorumdem pastus, instar angeli super undas gradiebatur. Obiit tandem anno 973, Sept. 29. *Imaginem hanc, quia nec vetustæ cælaturæ est, nec dicitur, an secundum aliquod antiquius exemplar formata sit, judicavi, non habiturum me operæ pretium, si chalcographo nostro imitandam darem. Ceterum in monumentorum penuria, pauca, quæ de Beato traduntur, non nihil expendamus.*

Ex Ufnaugia transit ad monasterium Einsidlense,

21 *Bucelinus num. 3 relatus scribit, illum primo in Einsidlensi cœnobio monachum egisse, antequam cum sui superioris licentia in Ufnaugiam insulam commigravit; quod etsi ordinatius sit et a verisimilitudine minime alienum, nullo tamen antiquo testimonio niti videtur. Hartmannus in Annalibus nihil de priori monachatu memorans, contrarium potius indicare videtur ac simul causam* C *assignat, ob quam* Alaricus *e sua adamata solitudine ad prædictum monasterium se contulerit. Ad annum Christi 940, pag. 44 hæc ait :* Eodem anno Regulinda cum Hermanno duce marito (*qui ut habet pag. 52, ipsum monasterii locum cum subjecta eremo a comitibus Rapervillanis redemerat, et Eberhardo, primo abbati donaverat,*) erga Heremitas (*sic monachos Einsidlenses appellat*) munificentia certatura, ubi monasterii progressum, et Deo ibi famulantium multitudinem persensit, et Deo ibi famulantium multitudinem cognovit; quo ad sumtum necessaria exstarent, Calbrun in Castris, et Stæfe, Lindoviumque, pagi Tigurini vicos hæreditarios, Eberhardo cum omnibus ad eos pertinentibus donavit.

matre suadente, ibique custodem agit.

22 Sacellum pro se et posteris in superiori basilica ibidem ædificavit, in quo etiam postea sepeliri voluit; benignam se et monasterio maximopere faventem probavit : sed et auctor filio Alarico fuit, ut, relicta ea, quam jam multos annos incoluerat, Ufnaugiæ insula, in monasterium nostrum se conferret; locum mutaret, non propositum aut affectum; heremita heremitis se conjungeret. Atque is tunc materno usus consilio, apud nostros deinde custodis officium obivit. Supplementum adjunxit ex ejusdem suæ conjugis dote et voluntate Hermannus, consignavitque Heremitis Gambs comitatus Verdenbergensis, Campsonem Rheti antiquo vocabulo dicunt, et Utwillariam; illum in Rhetia, hunc pagi Tigurini vicum. *Itaque, quantum ego ex hic omnibus possum colligere, Hermannus et Regulinda impulerunt, hæc filium suum* Alaricum, *ille eumdem privignum suum, ut ex Ufnaugiensi eremo ad Einsidlense monasterium commigraret, eidemque novum natalibus suis ac virtute splendorem adderet, atque ita donationes, quas fecerant, magis magisque firmaret.*

Redit in Ufnaugiam, ubi moritur, et sepultus claret miraculis.

23 *Quamdiu post hæc apud Einsidlenses moratus fuerit* Alaricus, *non comperi, nisi quod sæpe laudatus Hartmannus post verba de Regulindæ obitu et sepultura, quæ circa annum 952 reposuit, num. 13 data, mox subdat :* Haud multo postea, relicto custodis officio, ad eamdem insulam Adalricus rediit, sive ut materna ædificia commodius absolveret, aut, quod magis crediderim, solitudinis majoris desiderio et amore. *Nec plura de eodem habet Hartmannus, præterquam de beato ejusdem fine, ad annum 973,* His circiter temE poribus, *inquiens,* festo S. Michaelis obiit mortem Adalricus in sua Ufnaugiensi insula, sepultus in æde, quam mater in honorem sanctissimæ Trinitatis, Mariæ Dei Genitricis, et apostolorum Petri et Pauli, ædificare inceperat, ipse perfeceret. Fuerat monasterii nostri custos; itaque vitam instituit, ut viventis defunctique sanctitudinem frequentibus tunc, uti nunc quoque, miraculis testatam voluerit, velitque Deus. Ex ejus hæreditate magnæ ad Heremitas possessiones et prædia, juraque, Steviæ, Vuolruviæ, Treficone, aliis insulæ Usnaugiæ et Heremo vicinis vicis, regionibusque pervenerunt: ut non modo inter Divos tutelares monasterii, sed fundatores quoque numerari venerarique debeat.

Ex variis calculis simul comparatis

24 *Cum ex scriptorum defectu plura de beato illo Viro (quod dolemus) non habeamus, restant tantum pauca de ejusdem ætate dicenda. Ex verbis Hepidanni num. 16 datis* B. Alaricus *jam agebat eremitam in Ufnaugia, quo tempore S. Wiborada piis exercitationibus vacabat apud S. Galli monasterium. Geminam autem ejusdem Sanctæ in eo loco habitationem tam ipse, quam eo senior Hartmannus Sangallensis, statuunt; primam* juxta F basilicam S. Georgii, *in qua illam quadriennio circiter commoratam esse aiunt ; alteram cellam* prope basilicam S. Magni, *in qua et anno* 925 *ab Hungaris occisa fuit, et in quam Hepidannus in Annalibus editionis Melchioris Goldasti, eam inclusam esse signat anno* 916 : Vuiberat exclusa est; *pro quo certe legendum est* reclusa *vel* inclusa *est. Idem quoque Hepidannus in vita S. Wiboradæ divinum monitum* B. Alarico *in Ufnaugia datum de temperanda nimia hujus virginis inedia certo ad id temporis retulit, quo ipsa etiam* prope basilicam S. Georgii *habitabat, quod propterea inter annos* 912 *et* 916 *reponendum est.*

debuit Beatus jam ante annum 925 eremita fuisse

25 *Sed si quis suspicari malit, errorem aliquem (quod mirum non esset in biographo sesqui fere sæculo post scribente) Hepidanno hic in vita obrepsisse; sic ut beatus de nimia cibi parsimonia admonere Wibaradam jussus fuerit, dum hæc jam inde in cella* prope basilicam S. Magni *inclusa vivebat: hoc posito,* Alaricus *paulo quidem serius in Ufnaugiam primum secessisse potuerit, sed tamen non post annum 925, quo S. Wiboradam trucidatam fuisse dixi. Quam ob rem multis annis*

anachoreticam

AUCTORE C. S.

anachoreticam in ea insula vitam duxisse certe debuit, si hinc non ante annum 940, ut Hartmannus Einsidlensis asserit, ad Einsidlense monasterium, suadente matre Regulinda, transierit. In hoc cœnobio ex ejusdem annalistæ calculis annos circiter duodecim vel tredecim monachus vixisse dicendus est; quot scilicet numerantur ab anno 940 usque ad 952 vel 953, circa quem Regulindæ mortem, ac non multo post Alarici in Ufnaugiam reditum fixit. Denique alios circiter viginti annos vitæ suæ postremos in eadem Ufnaugiensi eremo beatus exegit, si, quod idem Hartmannus affirmat, circa annum 973 beatam mortem obierit.

26 *Ex hisce præterea sequitur primo* Alaricum *non posse natum esse ex Hermanno, qui Burchardi anno 926 occisi viduam Regulindam duxit, quo tempore* Alaricus *anachoreticam vitam jam agebat. Sequitur secundo, eumdem beatum in ætate provecta mortuum esse, quippe qui tunc annum vitæ suæ septuagesimum octavum numerasse debuit, etiamsi triginta tantum habuisset anno 925 moriente S. Wiborada; vel certe admodum juvenem in Ufnaugiam secessisse, magnaque sanctimonia jam tum fuisse præditum, ut ante præcitatum annum 925 divina revelatione pro admonenda S. Wiborada honorari meruerit. Sic in uno non absimilis fuerit matri suæ vel etiam in utroque illam superaverit, quæ apud Hartmannum Einsidlensem in Annalibus pag.* 32 insignis ætate et virtute femina *fuisse dicitur. Plura de hoc beato non habemus :* D

et in provecta ætate mortuus esse.

DE S. GRIMOALDO PRESB. CONF.

PONTE-CURVO

IN REGNO NEAPOLITANO E

B

SYLLOGE

De cultu, gestis et ætate.

POST ANNUM XXXVII.

Noti'ia Pontis curvi, ubi hodie

Pons-curvus, *aliis* Pons-corvus, *Italis* Ponte-corvo *dictus, alim oppidulum Italiæ in hodierno regno Neapolitano ac in provincia Terræ Laboris, qua Campaniæ Romanæ adjacet, ad fluvium Lirim, vulgo* il Garigliano, *sed ditionis Pontificiæ, diœcesis Aquinatis, nunc civitas episcopalis est, cui idem, qui Aquino, antistes præest. Sunt, qui veterem civitatem Fregellas eodem loco stetisse autument, inter quos Philippus Ferrarius in Topographia in Martyrologium Romanum de ejus situ hæc ait:* Pons Curvus, Fregellæ quondam dictus, Ponte Corvo, oppidum Latii apud Lirim fluvium, medium quasi inter Frusinum et Minturnas ad 20 millia passuum dissitum; inter Aquinum quoque et Formias, Aquinatis diœcesis. *Ortelius in Orbe sacro et profano parte 2, vol. 3 agens de episcopatu Aquinate, scribit, hujus sedis episcopum post excisum Aquinum in eo oppido residere soluisse, ac simul ejusdem novum splendorem edocet.* C

annuntiatur a Baronio

2 Præcipuum, *inquit*, diœcesis (*Aquinatis*) oppidum est Pons Corvus, Pontificiæ ditionis, ubi insignis ecclesia collegiata, et seminarium clericorum. In hoc eodem oppido episcopus (*Aquinas*) residere solet, atque pontificalia obire. *Deinde aliquibus de vetusta civitate Fregella interjectis, addit :* Ex ejus ruinis emersit postmodum Pons Corvus, nobile Latii oppidum, quod tandem nuper Benedictus XIII Pont. Max. civitatis jure et episcopatus cathedra donatum, Aquino univit anno 1725; ita tamen, ut idem et Aquini et Pontis Corvi episcopus appelletur. *Porro in hoc oppido, nunc civitate, colitur hac die 29 Septembris* S. Grimoaldus, *ejusdem loci presbyter, quem Cardinalis Baronius, laudans in Notis vetera monumenta ecclesiæ Aquinatis, quæ acceperat, Romano Martyrologio primus inscripsit his verbis :* In Pontecurvo apud Aquinum, S. Grimoaldi presbyteri et confessoris.

et Ferrario, coliturque S. Grimoaldus

3 *Baronium secutus Philippus Ferrarius illum in Catalogo Sanctorum Italiæ ex mss. monumentis ejusdem ecclesiæ Aquinatis cum sequenti elogio annuntiavit.* Grimoaldus presbyter, Anglus natione fuit. Is una cum Fulco et Eleutherio, germanis suis, suscepta longa peregrinatione, qua Romæ sancta loca et alibi devotionis ergo invisit, denique cum fratribus in Latium, seu in Latii et Campaniæ confinia, apud Aquinum venit. Fulco autem apud Ceperanum, Eleutherio apud Arcanum, oppida Latii, vita functis, ipse apud Fregellas, quæ Pons Curvus hoc tempore dicuntur, substitit, ibique aliquot editis miraculis, quibus illius sanctitas innotuit, 5 Kal. Octobris migravit e vita, in ecclesia majore tumulatus. Cujus dies festus hac die magna celebritate agitur. *Eumdem simul ac duos illos creditos ipsius fratres ad hunc diem celebrat Nicolaus Brautius in Martyrologio metrico, sic canens :* F

Tres Fratres peregre patriam quærendo profecti,
Ex Latio patriæ tecta beata petunt.

Hinc tamen noli colligere, hosce tres sanctos hoc eodem die locoque coli : coluntur enim diversis, uti dicemus, et ipsemet Brautius ad diversos illos dies memoravit.

Acta ejus nescimus.

4 *Sancti* Grimoaldi *gesta, vel saltem miracula breviter conscripsit quidam episcopus Aquinas, qui decessorem suum appellat* Guarinum, *cui Petrus diaconus Casinensis vitam S. Constantii, ejusdem sedis episcopi, inscripsisse circa annum* 1125 *dicitur apud Ughellum tom. I Italiæ sacræ auctæ. col. 396. Sequitur quidem ibidem proximus Guarini successor Reginaldus; sed cum de hoc mentio tantum reperiatur ab anno 1179 usque ad 1122, facile potuerit unus et alter ex episcoporum Aquinatium serie excidisse. Potuit etiam laudatus anonymus*

A *nymus Reginaldo junior fuisse; cum non explicet, an Guarinus proximus ejusdem decessor fuerit. Utut sit, episcopus iste ignoti nominis, a Papebrochio nostro ad diem 24 Junii in S. Joanne Baptista pag.* 801 *relatus, verbis num.* 7 *laudatis diserte asserit, se de* S. Grimoaldo *parvum libellum scripsisse; qui an adhuc exstet, nequeo edicere. Nam Papebrochius ibidem pag.* 799, *num.* 455 *illum in hunc diem desideravit, nec tamen ego in Museo nostro reperio. Quamobrem, sicubi etiamnum supersit, iterum iterumque precamur, ut nobiscum communicetur, in Supplemento hujus mensis Septembris edendus.*

præter pauca a quodam episcopo Aquinate

5 *Interea dabimus pauca illa, quæ laudatus episcopus alia prorsus occasione, nimirum agens de quadam apparitione S. Joannis Baptistæ, erectaque eidem sancto Christi prodromo ecclesia, de* Grimoaldo *memoravit, ex quibus et illius ætatem et locum, ubi vixit, et officium et sanctitatem etiam post mortem miraculis comprobatam, edocebimur. Edidit ista laudatus Papebrochius ad præcitatum diem Junii a pag.* 800, *accepta ex vetusto Legendario Montis-curvi, litteris Longobardicis scripto. Narrat itaque auctor ille episcopus Aquinas,* B *rusticum quemdam, virum simplicem, nomine Joannem Mel, cum a dæmone promissis illectus de vita periclitaretur, ab apparente S. Joanne Baptista liberatum fuisse, atque hæc accepisse mandata.* Vade ad Grimualdum archi-presbyterum Pontis-curvi festinus et exhortare illum, ut tribus te * operationibus exerceat, quas incepit; in quibus si perseverare studuerit, dona Largitoris superni coronam vitæ recipiet cum Electis.

** Forte se*

alia occasione scripta, ex quibus discimus,

6 Sicque studeat, sicque populum exhortetur, ut in hoc loco domus meo nomini construatur, in qua vota fidelium persolvantur, et in qua Dominus meus Christus corporum animarumque languoribus conferat solita benignitate medelam. His dictis, tenues dilapsus in auras discessit. *Post alia huc non spectantia, subdit auctor, Joannem Mel non fuisse ausum jussa facere, veritum, ne imposturæ argueretur; donec a viro alio, per eumdem sanctum Baptistam misso, acriter reprehensus fuit. Etenim,* iis auditis, Joannes ille incredibili lætitia exultavit,... apprehensoque per manum viro, facie hilari, gressu celeri ad Archi-presbyterum pariter tendunt, cunctaque illi enarrantes per ordinem, prout jussum fuerat, ei fideliter ex- C posuerunt.

illum fuisse archipresbyterum Pontis-curvi,

7 At ille, ut erat mitis, benignus, simplex et suavis, audivit: et fidem plenam factis præceptionibus adhibens, quidquid sibi a B. Joanne mandatum fuerat, pectori adstrinxit, et animo grandi ac corde puro studuit unanimiter adimplere. Nam in tribus operationibus, ad quas eum B. Joannes voluit animari, jejunii videlicet, orationis ac eleemosynæ, ita se devotum exercuit, sicque se laudabiliter informavit, ut anno septimo post carnis molem depositam per eum plurima dignatus sit Dominus operari, quæ nos summatim in parvo libello perstrinximus (posterorum memoriæ) reliquenda. In commotione autem populi et studio ecclesiæ construendæ ita se promptum et exercitatum exhibuit, ut in exhortatione in talis operis exercitio Beseleel aut Ooliab potuerit æstimari.

8 Populus ergo monitis illectus, minis territus, sermone concitatus, animo pari, voluntate concordi, unanimiter currit, et anno Domini 1137 episcopali consignatione ac lapidis positione a domino Guarino, recolendæ memoriæ Aquinate episcopo, prædecessore nostro... prope lucum, quo prædicta apparitio cælitus est exhibita, ecclesia, quæ hodie erecta conspicitur devotione plena, ædificatur *etc. Hæc sunt, quæ de* S. Grimoaldo *certiora habemus, utpote tradita ab episcopo Aquinate, in cujus diœcesi erat Pons-curvus, quemque non longe ab ipsius sancti temporibus vixisse, colligitur ex characteribus Longobardicis, quibus Legendarium, ex quo ista narratio accepta est, conscriptum fuisse dictum est. Fuit ergo* S. Grimoaldus *archi-presbyter, sive hæc vox in sensu proprio, sive pro decano, ut vocant, rurali, accipienda sit. Floruit autem ex dictis sæculo* 12, *usque in annum* 1137, *quem quanto tempore superaverit, mihi plane incompertum est; ac propterea mortem ejus post prædictum annum* 1137 *fixi.*

AUCTORE C. S. et in vivis superfuisse anno 1137.

9 *Minus certa sunt, quæ de ejusdem patria, peregrinatione de fratribus, SS. Fulco et Eleutherio, Ferrarius supra asseruit. S. Fulcus colitur die* 22 *Maji in oppido Sancti-Patris diœcesis Aquinatis, ad quem diem acta ejus a Sancto-Patrensi presbytero obtenta excudit Papebrochius. In his dicitur S. Fulcus ex Anglia primo Hierosolymam religionis ergo profectus, ac inde reversus post visitata pia loca Apuliæ prope Sancti-Patris oppidum in xenodochio ministrasse, sancteque mortuus esse; sed nulla de Fratribus sociisve fit mentio. In eadem* E *diœcesi Aquinate in oppido Arcano, vulgo* Arce, *colitur S. Eleutherius die* 29 *Maji, ubi ex Martyrologio Romano et Ferrario breviter de eodem egit Henschenius. Porro ex Romano nihil pro patria Anglia aut prædicta fraternitate habemus: nam ad* 22 *Maji in eo tantum legitur:* Apud Aquinum, S. Fulci confessoris; *ad* 29 *ejusdem mensis sic:* Arcani in Latio S. Eleutherii confessoris; *ac denique ad præsentem diem Septembris:* In Pontecurvo apud Aquinum, S. Grimoaldi presbyterii et confessoris.

Non ita constat, an natione Anglus fuerit,

10 *Philippus Ferrarius in catalogo sanctorum Italiæ ad præcitatos mensis Maji dies fatetur, se acta SS. Fulci et Eleutherii frustra, etiam ab ipso episcopo Aquinate, expetiisse; et nihilominus illos* S. Grimoaldi *fratres fuisse atque ex Anglia* F *Romam profectos esse asseverat, primo loco laudans* antiquam Ceperanensium traditionem; *secundo autem loco* monumenta ecclesiæ Aquinatis; *sed cum ibidem in annotatione dicat:* Acta propria S. Eleutherii nondum vidimus; licet ea ab episcopo Aquinate non semel per alios tamen flagitaverimus. Quæ autem diximus, ex incolarum relatione accepimus: *cum, inquam, ista dicat Ferrarius, dubitari potest, an Sanctorum patriam et fraternitatem ex laudatis monumentis Aquini, an ex incolarum tantummodo relatione acceperit. Itaque hæc mihi admodum dubia sunt, minus tamen patria Anglica; quorsum enim* S. Grimoaldum *peregrinum finxissent Aquinates vel Pontis-curvi incolæ, cum popularis amor potius soleat etiam ex exteris indigenas facere?*

et SS. Fulci et Eleutherii frater,

AUCTORE C. S.

DE B. JOANNE DE MONTE-MIRABILI

ORDINIS CISTERCIENSIS

IN MONASTERIO LONGI-PONTIS IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Notitia monasterii Longi-pontis : Beati memoria in aliquot Martyrologiis : Vita per anonymum Longi-pontanum scripta : aliquæ aliæ Vitæ recensentur.

B

AN. MCCXVII. In monasterio Longi-pontis, ubi vixit obiitque

De Longo-ponte, gallice Long-pont, *Sammarthani fratres in Galliæ Christianæ tom. IV, qui abbatias complectitur, p. 576 hæc aiunt :* Longuspons, B. Mariæ sacer, diœcesis Suessionensis, in ducatu Valesiæ, ordinis Cisterciensis, filia Clarevallis, secundæ stirpis regiæ principum comitum Viromanduensium sepulchris nobilitatur, et assumptis a divo Bernardo abbate monachis, anno 1131, 5 Nonas Martii, in fundo desertæ Longi-pontis parochiæ, in solitudinem pene redactæ, abbatia hæc pietate Josleni Suessionensis episcopi primo fundatur, et beneficio Gerardi de Chirisiaco, temporalis loci domini, in monasterium commutatur; quod postea variis possessionibus et privilegiis locupletarunt summi pontifices, Galliæ reges, Suessionenses episcopi etc. *Consuli etiam possunt eruditi Benedictini in eadem Gallia Christiana auctiori tom. 9, col. 475 et sequenti. ubi de ejusdem abbatiæ casibus breviter addunt:* Excisus quoque, ut alia Franciæ asceteria, Longus-pons temporibus Anglorum et hæreticorum, e ruinis suis relevatus est, novisque tum ædificiis tum moribus decoratus anno 1612 *etc.*

C

B. Joannes monachus, antea Montis-mirabilis dominus,

2 *Adrianus Bailletus infra laudandus ejusdem abbatiæ situm tradens, scribit, illam tribus tantum milliaribus gallicis, seu leucis, a Suessionensi civitate juxta saltum* Villers-Cotte-Rez *dictum conditam esse. Porro in hoc monasterio sæculo 13 adolescente vitam monasticam duxit ac beato fine coronavit* Joannes, *de quo agimus, ab uno ex avitis castris, quæ in sæculo vir potens possedit,* de Monte-mirabili, *gallice* de Montmirel, *vel* de Montmirail, *cognominatus; in religione vero propter eximiam tam illustris viri humilitatem* Joannes Humilis *merito etiam dictus. Illum hoc die 29 Septembris, quo ad feliciorem vitam ibidem migravit, aliquot Martyrologia annuntiant. Hugo Menardus in Martyrologio Sanctorum ordinis Benedictini sic ait:* In territorio Suessionensi, B. Joannis de Monte-Mirabili, ordinis Cisterciensis, admirandæ humilitatis viri. *Menardi verba adoptavit Gabriel Bucelinus in Menologio, post quæ prolixum beati elogium pro more suo subjunxit ex ejusdem vita, inferius memoranda edendaque, quam etiam laudatus Menardus in compendium contractam lib. 2 Observationum recensuit.*

E

hoc die annuntiatur in aliquot monasticis

3 *Eumdem inter Cisterciensis ordinis beatos etiam numerat Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi, ad hunc diem primo loco illum celebrans his verbis :* In Gallia depositio B. Joannis, domini Montis-mirabilis, qui, nobilitate generis postposita et spretis sæculi deliciis, in Longo-ponte monachum induit, et admirandis virtutibus ac crebris miraculis claruit. *Titulum Sancti eidem adscripsit Sigismundus Alberti, prædicti ordinis monachus, in catalogo sanctorum, beatorum ac servorum Dei ejusdem instituti, anno 1712 typis vulgato, cujus verba hæc sunt :* S. Johannes, dominus Montismirabilis, ex regum Galliæ sanguine monachus Longipontis, in diœcesi Suessionensi, 29 Septembris circa annum 1225. *Hisce addi possunt et alii catalogi antiquiores, quorum mentio fit in processu verbali illustrissimi ac reverendissimi domini Simonis le Gras, episcopi Suessionensis, inferius § 10 recitando.*

aliisque Martyrologiis,

4 *Ad monasticos martyrologos accedunt etiam pauci alii, e quibus Philippus Ferrarius in catalogo generali, qui in Romano Martyrologio inscripti non sunt, ad eumdem quidem diem, sed non sine menda, ipsius sic meminit :* In M. (*id est*, in Monte) Mirabili, B. Joannis, cognomento Humilis. *In annotatis vero laudat* monumenta ecclesiæ M. Mirabilis : *sed ego non dubito, quin utroque loco reponendus sit* Longus-pons; *cum in hoc certe mortuus fuerit cultumque obtinuerit; de cultu autem illius in Monte-mirabili nihil quidquam apud alios legerim. Andreas Saussayus in Martyrologio gallicano hoc pariter die :* Item in agro Parisiensi, *inquit,* Longipontis cœnobio claustra mortis abrupit immortalitatis candidatus, Joannes monachus, cognomento *Humilis*, ex domino Montis mirabilis; cujus conversio admirabilis, conversatio angelica, morsque in Dei conspectu extitit pretiosa. Tantis siquidem post beatam consummationem miraculis fulsit, ut, quotquot ad ejus sepulchrum opem petituri consfluerent, sanati redirent a quacumque infirmitate.

F

præsertim Gallicanis.

5 *Hæc Saussayus, quæ tam parum placuere Bailleto, ut dixerit verbis gallicis:* Menologium Cistereiense, Martyrologium Benedictinum et Gallicanum

A Gallicanum illius festum memorant die 29 Septembris; priora duo cum titulo Beati; postremum nomine Joannis Humilis; sed admodum negligenter, ut videatur B. Joannis de Montemirabili historia hujus auctori ignota fuisse. *Haud dubie Bailleto displicuit prætermissio tituli* Beati, *quem illi re vera debitum esse, ex dicendis constabit. Ceterum dum Saussayus illum* in agro Parisiensi *mortuum ait, per agrum intellige* præfecturam; *nam alioquin* in Suessionensi *potius dicendum erat.* Venerabilem *illum etiam tantum nuncupat Castellanus in Martyrologio Universali, ubi inter Galliæ sanctos beatosque illum recensens, ait:* In Longo-ponte, diœcesi Suessionensi, venerabilis Joannes de Monte-mirabili, ordinis Cisterciensis.

et antiquo cultu gaudet.

6 *At ne quis existimet*, Joannis *cultum ista phrasi a Castellano negari, juverit ex ejusdem præfatione gallica observasse*, venerabiles *ab eo quoque appellari*, quibus vel ex traditione, vel ex ordinarii licentia, cultus aliquis, sine officio tamen ecclesiastico, defertur; sive quod in die eorum emortuali, loco annuæ Missæ de Requiem, Missa in gratiarum actionem canatur; sive quod B eorumdem sepulcra ornentur; sive quod cum diademate gloriæ (*seu radiis*) pingantur. *Porro etsi nullum, quod quidem sciam, de* B. Joanne *nostro ecclesiasticum officium recitari solitum sit, cultum tamen ejusdem in Longo-ponte religiosum et antiquum esse, suo loco liquebit ex lampade cereisque ad illius sepulcrum, miraculis clarum, accendi solitis, ex appensis ibidem ad ipsum invocandum antiphonis et oratione, votivisque donariis, ac denique ex ejusdem corporis translationibus atque inter aliorum sanctorum reliquias custodia, ita ut* Beati *titulus eidem omnino competat, de propterea eumdem operi nostro inserendum judicaverim.*

Vita ejus exstat Ms.

7 *Vitam illius Aubertus Miræus in Chronico Cisterciensi, anno* 1614 *Coloniæ Agrippinæ typis dato, pag.* 189 *indicavit his verbis:* B. Joannes Humilis, de Monte Mirabili, gallice Montmirail, nobilissimo genere natus, apud Longum Pontem in diœcesi Suessionensi monachus floret. Exstat ibidem vita ejus a coetaneo fuse descripta. *De eadem prolixius loquitur illustrissimus dominus Simon le Gras episcopus Suessionensis in processu, quem supra laudavi, ex quo interim* C *sequentia accipe.* Dictus prior (*Longi-pontis*) assistentibus aliis Religiosis dicti monasterii obtulit et præsentavit nobis certum librum in pergameno manu scriptum, coopertorio tabulario tectum, prout vidimus et cognovimus, antiquum; cujus libri initium et caput iis verbis continetur litteris rubris: « Incipit vita S. Edmondi Cantuariensis archiepiscopi... » Ex quo libro, qui videtur esse sanctorale, ad memoriam plurimorum Christi sanctorum pertinens, ducenta viginti tria folia cum dimidio continente, extractum est scriptum, seu extracta copia, quæ prima huic præsenti processui verbali affixa continetur, et præsertim ex folio centesimo trigesimo, quod incipit.

in antiquo codice Longipontano,

8 « Prologus in vita humilis Joannis, quondam « Montis Mirabilis et Oysiaci domini. » Et infra: « Solebant antiquitus nobilium victoriæ pugna« torum litterarum memoriæ commendari... » Quam quidem copiam fideliter et ad amussim juxta dictum originale et de pagina in paginam extraximus, retulimus et contulimus de verbo ad verbum, et omnia dicta folia invenimus sana, integra, neque suspecta, neque ullis maculis aut mendis interpollata; et fide dignum existimavimus tale originale manuscriptum ex fidei suæ antiquitate. *Hactenus laudatus antistes Suessionensis anno* 1639, *cum processum verbalem ad apostolicam sedem Romanam pro officio* B. Joannis *impetrando mittendum instrueret. Ejusdem vitæ quatuor exemplaria ms. habemus, quorum unum tamen non nisi ex longiori paululum contractum est.*

cujus tria apographa, et quartum contractus habemus.

9 *Primum propria sua manu ex autographo descripsit, et ad Majores nostros anno* 1666 *perhumaniter transmissit R. P. Antonius Muldrac, olim Prior vel subprior, tunc senior, abbatiæ Longi-pontis, idemque ille, qui ejusdem loci Chronicon anno* 1652 *typis vulgavit. Is huic exemplari nostro hæc præfixit:* Transcriptum vitæ beati Joannis de Montemirabili, Longipontis Suess. monachi, ex originali ms., quod continet 20 folia et dimidium. *Secundum exemplar etiam* ex autographo *depromptum notatur; sed absque ulla temporis et scriptoris notitia. Ad tertiam nihil plane annotatum est. Quartum denique* ex ms. N. Belfortii *acceptum scribitur. Ex hisce tria priora solis dumtaxat vocibus et orthographia hinc inde discrepant; quod cum describentium esse possit,* E *nesciamque, quodnam eorum correctius sit, Muldraci exemplar sequar, prætermissis aliorum diversis lectionibus, quas operæ pretium non videbitur recensuisse. Quod ad Belfortianum spectat, hoc eadem quidem, quæ superiora, continet; sed nonnullas phrases aliter expressas, et aliquot etiam decurtatas habet, verisimillime ex solo amanuensis placito brevitatem sectantis: quam ob rem nulli mihi istud usui erit.*

Illius auctor anonymus monachus Longi-pontis

10 *Auctor vitæ anonymus monachum se diserte profitetur in Prologo, in quo suscepti operis causam allegans*, Nos post longam, *inquit*, repulsionis moram plurimorum denique sodalium nostrorum devicti precibus, ejus præcipue acquiescentes imperio, cui vinculis obedientiæ nos obligat professio monachalis etc. *Nec alium, quam Cisterciensem in Longo-ponte monachum fuisse, abunde insinuat tota illius per decursum Opusculi oratio, ac præsertim locus secundum partitionem nostram num.* 72, *ubi velit Longipontis incola loquitur de quodam ejusdem monasterii monacho, per* B. Joannis *patrocinium sanato, hæc scribens:* Postmodum vero ego ipse eumdem sæpius vidi, cum tumulum Servi Dei præteriret, F se privatim prosternentem, quasi pro gratiarum actione reverentiam eidem cupiens exhibere aliis potiorem. *Ex hoc capite aliqua anonymo accedit auctoritas; nimirum quod, cum in ipso, in quo Beatus vixit obiitque ac colebatur, monasterio ille scripserit, tanto melius de ejusdem gestis et gloria posthuma edoceri, ac certiora tradere potuerit.*

synchronus vel certe coævus.

11 *Auctoritatem etiam magis auget tempus, quo floruit: nam si non convixerit Beato (quod nusquam insinuat) coævum ei saltem fuisse, non obscure ex vita colligere licet. Num.* 13 *dictorum suorum testem laudat quemdam ipsiusmet* Joannis *famulum;* Quidam, *inquiens*, de servis viri Dei, cujus relatione nos ista didicimus *etc. Etiam clarius loquitur ibidem num.* 32, *ubi de Beato ante indutum religiosum habitum in sæculo versante ait:* Audita fama cujusdam religiosæ mulieris, quæ adhuc superest et Maria de Goignelia nuncupatur, sine mora eam visitare disposuit, quatenus spirituali ejus colloquio perfrui et ædificari potuisset. *Vivebat ergo adhuc, scribente anonymo nostro, mulier illa, cum qua* B. Joannes *nondum monachus*

AUCTORE C. S.

chus fuerat collocutus, et consequenter dicendus idem anonymus est ipsi beato aut synchronus aut saltem ætate proximus fuisse. Præterea de pretioso mausoleo ad cornu Evangelii summi altaris in choro ecclesiæ Longi-pontis erecto, translataque in illud B. Joannis *corpore, quod forte jam ante annum* 1252 *factum esse,* § 9 *diximus, nihil habet anonymus: imo contra num.* 77 *beneficium a monacho ad Beati tumbam, ac rursum num.* 84 *aliud ab altero monacho, quod postremo omnium loco reposuit, impetrata narrans, tumbam illam adhuc extra chorum fuisse, clare indicat: ut hinc quoque statuere liceat, eumdem ante id tempus vitam illam conscripsisse.*

non omnia ipsius gesta scribenda suscepit.

12 *Dolendum tamen est, cum hisce temporis ac loci beneficiis non melius usum esse ad beati viri gesta diligentius inquirenda, ex iisque ordinatam vitam componendam. Verum non id consilii propositum sibi fuisse, ipsemet profitetur in prologo, mentem suam exponens hoc modo:* Famosissimi principis Johannis de Monte-mirabili vitam et miracula, Deo dante, descripturi, de seculari ejus militia gestorumque magnitudine et copia præliorum, perenni memoria et relatu valde digna, utiliter quamplurima dicere poteramus. Verum, quia B paucis nullatenus id valet explicari sermonibus, iis omnibus, ad terrenam secularemque pertinentibus dignitatem, silentio prætermissis, de spiritalibus tantummodo hujus viri gloriosi et devoti Dei servi virtutibus pauca, quæ ad communem omnium pertineant ædificationem, auditorumque simplicium devotionem valeant excitare, sermone simplici et puro, non subtili vel polito, curabimus explanare. *Itaque non tam vitam seu historiam Herois sui texere voluit, quam recensere aliquot ejusdem virtutum exempla, quæ ad pietatem in sodalibus suis monachis fovendam aptiora credebat.*

Ejusdem scribendi ratio: compendium a Menardo editum

13 *Id vero præstitit, opusculo suo in tres partes diviso, quarum primæ præfixit hunc titulum:* Incipit vita, eorum maxime, quæ gessit ante conversionem; *secundæ istum:* Quomodo seculo abrenunciavit; *tertiæ denique illum:* Incipit pars tertia de miraculis et sanctis operibus ejus. *Præter hanc partitionem, qua Beati gesta in seculo a gestis in religione ac miraculis post obitum, velut tribus capitulis discrevit, ceterum rerum ordinem non curavit, nec de chronotaxi ordinanda sollicitus fuit,* C *piis exemplis enarrandis pene unice intentus. De fide tamen auctoris, non est, quod dubitemus, nisi in aliquot gestorum adjunctis, quæ facile potuit pro suo sensu non nihil amplificasse, quod aliis quoque hujusmodi rerum scriptoribus satis familiare est. Hæc eadem vita præluxit passim aliis omnibus, qui de* B. Joannis *gestis tractarunt, inter quos Hugo Menardus ejusdem compendium latinum in libro* 2. *Observationum ad Martyrologium Benedictinum exhibet, ut supra jam monui.*

De eodem gallice scripserunt Machautus

14 *Eamdem gallice exposuit, illustravit et auxit Joannes Baptista de Machaut, Societatis nostræ presbyter in Gallia, divisitque in libros quatuor, et subjunxit varia instrumenta, quibus diligenter conquisitis ad sua dicta probanda usus est. Illo interim anno* 1640 *mortuo, antequam opusculum typis editum fuisset, Prior et conventus Longi-pontis anno sequenti Parisiis excusum illustrissimo domino Simoni le Gras Suessionensi episcopo dedicarunt. Utilis mihi erit hic illius labor, maxime propter adjecta monumenta. Gallice item de eodem Beato scripsit Adrianus Bailletus tom. III de Vitis Sanctorum ad hunc diem* 29 *Septembris, ad quem in Tabula critica sequentem censuram idiomate gallico apposuit.* D Vitam ejus varii ex compendio cujusdam ignoti monachi Longi-pontis scripserunt, ac præcipue P. Joannes Baptista de Machaut in quatuor libros partitam, additis chartis instrumentisque originalibus, quæ ipsi præluxerunt, probantque historiam, cujus auctor eorumdem ope gaudet beneficio contemporanei.

et Bailletus vita ex ms danda, hactenus inedita.

15 Consuli etiam possunt Manrique aliique historici ordinis Cisterciensis: sed nullus est, in quo legendo opus non sit magna cautione ac judicio propter incuriam et exiguam industriam primi auctoris, qui ceteris dux et exemplar fuit. Hæc vita compendiose scripta per monachum Longipontis recensetur in Martyrologio Benedictino domni Hugonis Menardi. *Ita Bailletus, sed fallitur: nam vita ab anonymo Longi-pontano scripta non est illa, quam edidit Menardus; sed hæc illius dumtaxat compendium est, non a monacho Longipontano, sed ab ipsomet Menardo compositum. Audi Menardum in calce loquentem.* Hæc est vita B. Joannis de Monte Mirabili, quam collegi ex duobus libris manuscriptis, præcipuas ejus actiones recensendo, omissis etiam multis miraculis, quæ in eis reperiuntur, brevitatis causa. E *Ceterum ego vitam illam hactenus ineditam, de qua judicium meum supra jam dedi, excudam et solitis annotationibus illustrabo.*

Memorantur aliæ vitæ ms.

26 *Aliam ejusdem* B. Joannis *vitam, seu potius eamdem ab aliis amplificatam, memorat Angelus Manricus seu Manrique tom. III Annalium Cisterciensium ad annum Christi* 1184, *cap.* 3, *num.* 1, *ubi præfatur, se daturum vitam illius* a monacho Longipontis coævo scriptam, atque multorum testimoniis auctam, prout extat Cistercii manuscripta, unde mihi (*inquit*) transmissa est. *Deinde vero tam in hoc, quam in sequenti Annalium tomo gesta beati referens, in margine studiose annotavit, quænam ex coævo illo, quæque ex additamentis deprompserit. In hisce varia narrat, quorum alia aliis sunt credibiliora; quædam etiam velut a testibus asserta referuntur; ut videri possint ex aliquo processu accepta esse, ac fortasse ex illo, quem laudatus Manricus exstare infra dicet. Aliam item vitam, seu, ut ipse vocat, vitæ compendium, habuit Henriquezius, ex qua in notis ad Menologium Cisterciense quædam recitat, quæ in nostris Longi-pontanis ac Belfortii exemplaribus* F *non leguntur. De utraque per hujus Commentarii decursum aliquoties sermo fiet.*

quarum unam, quæ Suessionibus exstare dicebatur.

17 *Laudatus annalista Cisterciensium ad annum* 1200, *cap.* 5, *num.* 14 *de quarta aliqua vita sic meminit:* Hugo Menardus in suis Notis ipsius vitæ epitomen inseruit; non ejus, quæ extat apud Cœlestinos, ex quo Gunonius; sed quæ apud Longum-pontem, quam nos reddidimus. *Porro Benedictus ille Gononus, monachus Cœlestinus Lugduni in Gallia, in vitis et sententiis Patrum Occidentis lib.* 4 *revera alterius vitæ compendium produxit* ex mss. codicibus (*ut ipse præmittit*) monasterii nostri Suessionensis. *In Notis autem ibidem denuo ait:* Librum vitæ ejus, ducenta folia continentem, asservari didicimus in bibliotheca monasterii nostri Suessionensis. A quodam autem monacho ejusdem monasterii hoc fragmentum recepi; *nempe quod edidit. Pro ista obtinenda, si opus esset, sollicitum fuisse Papebrochium nostrum, docet sequens ejusdem annotatio, exemplari nostro Belfortiano propria illius manu adscripta.*

18 D. Jacobus Lannoy Cisterciensis significavit,

A vit, apud patres Cælestinos Suessionenses servari vitam foliorum ducentorum. Scripsi ergo anno 1665, 12 Novembris Parisios ad Cælestinos, misique notam hujus vitæ cum memoriali, ut mitterent Suessiones et viderent, num sit diversa a nostra, aut prolixior, aut in fine miraculis auctior; et, quod nobis deest, curarent describendum. *His non obstantibus, nihil ejusmodi ad nos transmissum reperi, licet laudati patres Cælestini Suessionenses multa alia e sua bibliotheca cum Majoribus nostris perhumaniter communicaverint. Quam ob rem suspicari cogor, prolixam vitam illam apud eosdem tunc non exstitisse, aut, si exstiterit, operæ pretium non fuisse visum eamdem describere. Et sane operæ pretium non fuerit, si, quam laudatus Gononus edidit, istius compendium sit. Certum enim est, hujus auctorem fabulatorem esse, qui factis aliquot ex anonymo Longi-pontis mutuatis, longe aliam vitam commentus est. Specimen accipe.*

Papebrochius frustra expetivit :

19 *Iste* B. Joannem de Monte-mirabili, *sacro rerum mundanarum tædio captum, primo per septennium in deserto patrii sui soli loco eremitam facit; deinde eumdem ad S. Bernardum Claro-vallensem abbatem, dum hic monasterium Ursi-campi, vulgo* Orcamp, *conderet, adducit, ab eoque ad religiosum habitum admissum esse affirmat. Post pauca subdit,* Joannem *ab eodem sancto patre Bernardo monasterio Longi-pontis, quamvis renitentem, abbatem præfectum, ac denique* circiter decimo quarto ab obitu divi Bernardi anno *migrasse e vivis. De sepulcro quoque illius addit :* Cujus e tumulo liquor instar lactis candidi diu postea ad ægrotorum medelam manavit : et nunc etiam die festo ejus abundanter emanat ; unde multi ægroti et obsessi sanantur. *Hæc in compendio apud Gononum, e quibus omnibus nullum verbum verum est. In primis quod de vita eremitica per septennium ducta affirmatur, falsum esse patet ex biographo Longi-pontano, quo teste, Beatus deliberavit quidem de illa amplectenda, sed eam numquam aggressus est, dissuadentibus eremicolis ac doctoribus, quos hac super re consuluerat.*

quam vero Gononus vulgavit,

B

20 *Falsum est secundo,* B. Joannem *nostrum a S. Bernardo, monasterium Ursi-campi condente, in Ordinem receptum esse : nam hujus monasterii fundatio in Annalibus Cisterciensibus refertur ad annum Christi* 1120, *quo tempore* B. Joannes *verisimillime nondum natus erat, ut suo loco videbimus. Falsum est tertio, illum ex ejusdem S. Bernardi mandato prælaturam Longi-pontis gessisse ; tum quod* B. Joannes, *si S. Bernardo umquam convixerit, verisimiliter nondum adultus fuerit anno* 1153, *quo S. Bernardus excessit e vivis, tum quod ex authenticis instrumentis suo loco probaturi simus, eumdem non nisi sæculo* 13 *aliquot annis inchoato religiosam vitam auspicatum esse ; tum denique quod asserta Longi-pontis prælatura prorsus contraria sit tam dictis biographi Longi-pontani, quam Catalogis abbatum a Galliæ Christianæ scriptoribus edito et apud me manuscripto. Falsum ergo pariter est,* B. Joannem circiter decimo quarto ab obitu divi Bernardi anno *mortuum esse. Fabulosus demum est ille* e tumulo liquor instar lactis candidi emanans; *quippe Longi-pontanis æque ac ceteris omnibus ignotus. An tamen hæc ex alia prolixiori vita quæ in bibliotheca reverendorum patrum Cælestinorum Suessionensium exstitisse dicitur, contracta fuerit, asserere nequeo, idque dubium illi forte facile poterunt dissolvere.*

ea prorsus fabulosa est.

C

21 *Multo magis vellem, ut ad manus meas pervenisset processus, de quo ad annum* 1200, *cap.* 5, *num.* 11 *hæc annotavit Cisterciensis ordinis annalista Manricus :* Exstat item processus judicialis, in quo testes jurati multa deponunt, quæ in præsenti fastidium generarent ; *ac rursus ad annum* 1236, *cap.* 2, *num.* 7 *:* Exstat et legitur processus miraculorum B. Joannis, in quo centum et amplius comprobantur, surdis, mutis, cæcis, contractisque, auditus, lingua, visus atque suorum membrorum usus redditus, cum primum implorarent auxilium sancti ; maxime autem laborantibus quartana febri, si ad ipsum confugerent, desideratam salutem donare solitum, longa multorum experientia demonstravit *etc. Hactenus ille, sed solus ex omnibus, quos ego quidem legi, processum laudat, nec, ubi exstet, edicit. Quod autem deinde insinuat, illum, mandante Gregorio IX summo pontifice, confectum fuisse, multum difficultatis patitur ex silentio Prioris ac religiosorum Longi-pontis, de quo consule dicenda* § 10.

AUCTORE C. S.

Processu, qui exstare dicitur, caremus.

22 *Dubium etiam movere possunt Galliæ Christianæ continuatores tom. IX, col. 476 in serie abbatum Longi-pontis, an scilicet Galcherus, quem alii Galtherum et Waltherum appellant, primum ejusdem abbatiæ, postea Cistercii abbas, aliquam ex prædictis vitis conscripserit. Aiunt enim :* Longum-pontem adhuc moderabatur (*Galcherus*) quum anno 1212 B. Johannes de Monte-mirabili dominica Ascensionis (*imo* die Dominicæ Ascensionis, *sive in festo Ascensionis Domini*) cucullam induit monasticam, qua vestitus obiit 29 Septembris 1217, sepultusque est ad latus majoris altaris a parte Aquilonis cum epitaphio ; cujus vitam scripsit Galcherus abbas. *Erat sane Galcherus ille huic operi præ ceteris idoneus, quippe qui vir gravis et eruditus erat, atque Beatum ipsum in ordinem admiserat et subditum abbas rexerat. Henriquezius illum cum titulo* Beati *Menologio Cisterciensi, Saussayus ut* Pium *Martyrologio Gallicano inscripsit die 20 Januarii, ad quem diem propter non probatum cultum a Majoribus nostris tantum inter prætermissos relatus est. Verum Galcherus non vitam illius, sed solummodo breve elogium seu testimonium de ejusdem morum integritate ac sanctimonia reliquit, eo, ut arbitror consilio, ut, si quando de ipsius canonizatione ageretur, usui foret. Accepimus illud ex Longoponte, et huic Commentario suis locis, prout narrationis series exegerit, inseremus. Exstat etiam apud Henriquezium in Menologio ad hunc diem, sed in fine mendosum, unde Manrico occasio fuit in emortuali* B. Joannis *anno errandi.*

E

Ejusdem breve elogium scripsit abbas Galcherus.

F

§ II. Beati illustres progenitores paterni et materni : nativitas circa medium sæculum XII : matris obitus : secunda patris illius uxor.

Scriptor *vitæ edendæ mox ad* B. Joannis *conversionem virtutesque (quod sibi unice proposuerat) enarrandas festinans, nihil de ejusdem parentibus, nihil de loco annoque natali tradidit ; sed ab illius juvenili ætate exorsus his verbis :* Princeps igitur admirandus Johannes de Montemirabili, exigente animi et corporis probitate, nec non et regia generis nobilitate, in omni regno Franciæ

Natus est ex illustri familia de Montemirabili :

AUCTORE C. S.

Franciæ gloriose sublimatus, adhuc quoque ferventissimus armorum amator existens, in rerum distributione more nobilium seculi hujus liberaliter se agebat. *Haud facile dictu est, qua ratione Beatus e regio genere ortum duxerit; idque fatetur Machautus in vita gallica lib. 4, cap. 14, non potuisse se assequi, utut diligenter in ejusdem prosapiam indagaverit. Movet tamen, Matthæum, ejusdem beati filium, etiam a Theobaldo Campaniæ Briæque comite et rege Navarræ in instrumento anni* 1265, *quod ibidem pag.* 451 *recitat,* consanguineum *appellari verbis, quæ subdo :* Consanguineus noster carissimus Matthæus, quondam Montis mirabilis et Oysiaci dominus. *Verum hæc Matthæi cognatio oriri potuit ex parte matris suæ Helvidis, de qua consule num. 44.*

abavum paternum habuit Dalmatium, proavum Galcherum

24 *Quidquid sit de regio* Joannis *sanguine, constat, illum ex una ex illustrioribus Galliæ familiis prognatum esse, ejusdemque uxorem Helvidem ac posteros præcipuis Europæ principibus cognatione vel affinitate aliquando junctos fuisse. Andreas Du Chesne in Historia genealogica familiarum de Guines, d'Ardres, de Gand et de Coucy etc. gallice edita, lib. 6, cap. 6, aliquot ejus progenitores paternos recenset. Ac primo quidem ex Chronico abbatiæ S. Joannis Suessionensis in Vineis memorat Dalmatium, dominum oppidi, terræ ac castellaniæ Montis-mirabilis in Bria, necnon Firmitatis vel Feritatis-Galcheri, gallice* Ferté-Gaucher, *sub Philippo I Galliæ rege, id est, post medium sæculum* 11 *vel initio sequentis florentem. Subdit, hujus filiam, Galcherum nomine, ante annum* 1125 *donasse eidem abbatiæ S. Joannis in Vineis ecclesias et prioratus S. Stephani in Montemirabili, sanctique Martini in Feritate-Galcheri.* B

viros potentes ac pie munificos; avum Eliam

25 *Consentit Machautus in vita, in cujus pag.* 427 *et sequenti profert fragmenta ex laudato Chronico, in quibus de utriusque, Dalmatii scilicet ac Galcheri, donationibus prædictæ abbatiæ factis agitur, et Dalmatius pater Galcheri appellatur. Porro Galcherus, eodem teste Chesneo, quamdam Elisabetham duxit uxorem. Utriusque conjugis mentio est in Martyrologio seu necrologio prælaudati monasterii S. Joannis, ex quo Machautus pag.* 430 *et sequenti hæc recitat :* Non. Novemb, Elisabeth uxor domini Galcheri, bonæ memoriæ viri, cujus interventu altaria de Firmitate Galcheri et Montis mirelli cum furnis suisque appenditiis huic ecclesiæ concessa sunt; quæ etiam domum suam apud Firmitatem Galcheri ecclesiam in honorem sancti Martini consecrari permisit. *Pergit Chesneus, scribens, Galcherum ex memorata conjuge sua duos filios genuisse, Eliam et Galcherum, quorum hunc, secundo natum, in ordinem Cisterciensem ingressum esse ait, laudans vitam S. Bernardi Claravallensis abbatis lib.* 1, *cap.* 1, *qui locus hic referendus est.* C

de cujus pia conjuge ac filio

26 *Guillelmus ex S. Theodorici apud Remos abbate monachus Signiacensis in vita S. Bernardi, quam eo vivo scripsit, apud nos tom. IV Augusti, pag.* 272, *num.* 62 *ad propositum nostrum sic ait :* Norunt multi illustrem juvenem Waltherum de Monte-mirabili, cujus patruus, frater Waltherus, inter eos, quos prædiximus, milites sacram in Claravalle militiam est professus. Hunc ergo Waltherum juniorem, cum adhuc infantulus esset, et necdum ab ortu suo mensem tertium explevisset, mater sua benedicendum obtulit viro Dei (*S. Bernardo*) gratulabunda et exultans, quod in domo sua hospitem mereretur habere tam sanctum virum. Cumque vir Dei, sicut semper et in omni loco facere consueverat, de salute et ædificatione ad circumpositos loqueretur, prædicti mater infantis, tenens eum in gremio, sedebat secus pedes ipsius. Accidit autem, ut inter loquendum aliquando manum protenderet; et apprehendere eam conabatur infantulus. D

in Vita S. Bernardi Claravallensis sit mentio,

27 Advertitur tandem conatus parvuli, cum sæpius id fecisset, et mirantibus universis, datur ei facultas, ut manum possit apprehendere, quam optavit. Tum vero mira admodum reverentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam, tulit ad os suum et osculatus est eam. Neque id semel tantum, sed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permissum est. *Hæc ibi, nec plura, ex quibus Chesneus recte statuit, Galcherum, qui Waltherus ibi nominatur (utrumque enim idem nomen est) quique Cisterciensis in Claravalle monachus fuit, fratrem fuisse Eliæ, infantulum autem illum ejusdem Eliæ filium. Contra Machautus lib.* 1, *cap.* 1 *censet, per prædictum infantem non posse intelligi Eliæ filium, sed fratrem, eo ductus errore, quod eumdem infantem postea ab eodem S. Bernardo ad sacrum sui ordinis habitum admissum fuisse crederet, de nepote accipiens, quod Guilielmus de ejusdem pueri patruo diserte affirmavit. Itaque pia illa S. Bernardi hospita fuit avia paterna* B. Joannis, *ut mox videbimus, infantulus autem iste ejusdem patruus, alter vero Waltherus, monachus Cisterciensis, ejusdem avi frater.* E

patrem Andream Montis-mirabilis dominos.

28 *Pergo cum Chesneo genealogiam texere. Elias uxorem duxit quamdam filiam domini de Pleure, quæ eidem in dotem attulit villam Bussiacum, vulgo* Bussy, *feudum abbatiæ Fare monasterii, uti constare ait ex instrumento anni* 1144. *Ex hoc conjugio natos scribit, primo Andream,* B. Joannis *genitorem, qui patri suo Eliæ in Montis-mirabilis ac Firmitatis-Galcheri seu Galtheri possessionem successit; secundo Galcherum sive Waltherum, de cujus infantia superius meminerat ex vita S. Bernardi, nec plura addidit. Andreas pietatem majorum suorum secutus, in sæpe dicto Martyrologio S. Joannis in Vineis apud Machautum pag.* 450 *inscriptus his verbis est :* 8 Id. Junii. Andreas de Firmitate Galcheri, pro quo habemus medietatem prati et quartam decimæ de Chatrongia villa. *Habemus ergo* B. Joannis *abavum Dalmatium, proavum Galcherum vel Galtherum, avum Eliam, et patrem Andream; omnes Montis Mirabilis et Firmitatis-Galcheri dominos, piaque munificentia commendabiles.* F

Datur notitia Montis-mirabilis,

29 *Montismirabilis, a quo* B. Joannis *ejusdemque supra recensiti majores cognomentum traxere, etymologiam et situm tradit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum, ex qua excerpsi sequentia :* Mons mirabilis locus est a nostris historicis sæpe memoratus. A re nomen habet : est enim castrum monti, qui fluvio imminet, impositum in Briegio, medio inter Pruvinum et Castellum Theodorici loco. MONTMIRALLE nostri vocant; quidam MONTMIRAIL scribunt et proferunt. Ejus præter ceteros meminit Guillelmus, cœnobii S. Theodorici ad urbem Remos abbas, in libri 1 de vita S. Bernardi Claravallensis abbatis cap. 11 : « Illustrem juvenem Waltherum « de Montmirabili norunt multi. » Inter Campaniæ milites vexillarios, regnante Philippo Augusto, DOMINUS MONTIS MIRABILIS numeratur : item JOHANNES DE MONTE MIRABILI, ibidem JOHANNES DE MONTEMIRELLI dictus. *Post hæc etiam aliquot alia synonyma in Galliis loca recenset,*

A *recenset, quæ ad præsens argumentum non pertinent.*

uti et Firmitatis-Galcheri

30 *Baudrandus de eodem loco isthæc in Lexico geographico annotavit:* Monmiralium, MONMIRAIL, oppidum Galliæ in Bria provincia, in colle ad Morinum Majorem fluvium, et in limite Campaniæ propriæ, quatuor leucis distans a Castro Theodorici in Meridiem, et tredecim Meldis in Ortum. Dicitur etiam MONS MIRABILIS. *Hoc posteriori modo appellatur etiam in chartis donationum ipsiusmet* B. Joannis *et ejusdem conjugis Helvidis; ab aliis* Montemmirellum *quoque dictum legi. Quod spectat ad alterum locum,* Feritatem *vel* Firmitatem-Galcheri, *vel* Galtheri, *Gallice* la Ferté-Gaucher *nominatum, quem ad beati progenitores similiter pertinuisse, diximus, et ad eumdem jure hereditario pervenisse dicemus, proderit ex laudato Valesio observasse, loca ex natura arteque munita apud gallos voce latino-barbara* Firmitates *olim appellari solitisse, gallice* Fermités, *atque hinc* Fertés, *cujus nominis varia in Galliis loca ibidem enumerat, e quibus* Firmitatem Galterii, *vernacule* la Ferté Gaucher, in Meldis *collocat.*

in Bria. Beati mater fuit Hildiardis de Osiaco,

31 *Apud Corneille in Lexico geographico ejusdem situs et conditio, qualis ipsius tempore erat, verbis gallicis ita exponitur:* Vicus Briæ Campa-
B nensis in Gallia, qui latine Feritas vel Firmitas Galteri appellatur, situs est ad fluvium Morinum, quinque leucis a Castro Theodorici ad Meridiem, et quatuor supra Colomerias. *Hactenus de paterna* B. Joannis *prosapia egimus; nunc de materna, quæ istam nobilitate et opibus plurimum auxit, aliqua similiter annotemus. Laudatus Andreas, beati pater, Montis-mirabilis et Firmitatis-Galcheri dominus, apud Chesneum dicitur uxorem duxisse Hildiardem, alias Hodoardem, de Osiaco, sive* d'Oisy, *ex antiquis Cameraci castellanis, seu burghgraviis, ut vocant, dominis Osiaci in agro Cameracensi, et vicecomitibus Meldensibus ortam, cujus illustres progenitores aliquot ex eodem scriptore, sed paucioribus, quam ille, verbis subjicio.*

cujus illustres progenitores

32 *Hugo hujus nominis primus, castellanus Cameracensis, Osiaci, necnon Crepicordii, vernacule* Crevecoeur, *in Cameracesio dominus, matrimonium iniit cum Ada, nepte Richildis, comitissæ. Hannoniæ Ex hisce natus Hugo II, pariter Osiaci et Crepicordii dominus atque castellanus Cameracensis, uxorem habuit Hildiardem, Nicolai, postea episcopi Cameracensis, amitam, cum eaque abbatiam*
C *Vallicellam in agro Cameracensi fundavit. Eorumdem filius et heres Simon conjugem obtinuit Adam vel Adelam, Godefridi vicecomitis Meldensis filiam, quæ post patris sui unicique fratris illiberis obitum præter dictum vicecomitatum Meldensem, etiam Firmitatem-Auculphi, gallice la* Ferté-Ancoul, *alias la* Ferté sous Jouare *dictam, et in Bria Campaniæ sitam, item Tramam, vulgo* Tresmes *aliaque hereditavit.*

ex Andrea Chesneo recensentur,

33 *Huic illustri conjugem pari tres liberos adscribit Chesneus, Hugonem, Ægidium et Hildiardem; quorum medium anno* 1160 *in pugna contra Theodoricum Alsatium, Flandriæ comitem, cæsum refert; Hugonem post geminas nuptias sine prole obiisse. Postremo Hildiardem, istorum sororem, ait, Andreæ domino Montis-mirabilis nupsisse, quorum filius* B. Joannes, *de quo agimus, amplam illam familiæ de Osiaco hereditatem hac ratione consecutus est. Chesneo consonat Aubertus Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii, præterquam quod nomen uxoris Simonis prætermiserit et Hugonis III conjugem Margaritam, quam Chesneus comitis Blesensis filiam fuisse tradit, ipse vicecomitissam Meldensem appellaverit. Consule, si lubet, laudatum Miræi Opusculum pag.* 504, *ubi maternam* B. Joannis *genealogiam breviter exhibuit.*

et per quam Beatus multis dominiis auctus est.

34 *Habemus ergo hic etiam maternos beati majores, Osiaci dominos, et castellanos Cameracenses; videlicet Hugonem I abavum, Hugonem II proavum, Simonem avum, et hujus filiam Hildiardem, matrem; ac denique avunculum Hugonem III, quo sine liberis vita functo,* Joannes *ex jure matris suæ etiam vicecomitatum Meldensem, et Castellaniam Cameracensem paternæ hereditati adjecit, atque ita opulenta dominia dominorum Montis-mirabilis, Osiaci et vicecomitum Meldensium aliquando possedit. Qui plura volet, adeat laudatum Chesneum et Machautum in Vita Gallica lib.* 1, *cap.* 1 *et* 2. *Ego hæc recensui, ut ex tam illustri beati viri stemmate, titulisque ac opibus magis eluceat ejusdem eximia humilitas, ex qua, postquam animum ad divina semel appulit, mundana omnia, et cum hisce semetipsum sic contempsit, ut omnium minimus ac vilissimus hominum, non minus factis, quam verbis, voluerit haberi.*

E

Annus natalis illius, qui ab aliquo 1170 .

35 *Natale illius tempus æque ac parentum nomina vitæque chronotaxim præteriens biographus, divinanda reliquit; nec ipsam quidem ætatem, in qua factus est monachus, nec in qua obiit, indicare curavit; quod si fecisset, haud difficulter ex anno emortuali, quem fuisse Christi* 1217, *aliunde cognovimus, annoque suscepti habitus, qui ex dicendis fuit circiter* 1210, *qualemcumque chronologiam licuisset contexere. Machautus lib.* 1, *cap.* 3, *lib.* 3, *cap.* 3 *et lib.* 4, *cap.* 3, *pro nativitate illius annum* 1170 *assignat; sed simul ultimo loco calculos adhibet, qui cum eodem anno nequeunt conciliari. Verba ejus ex gallicis latina accipe.* Ut omnes, *inquit,* epochas conjungamus, cum natus sit anno 1170, anno autem 1210 religiosum habitum induerit, annoque 1217 mortuus sit, concludemus, illum annis quinquaginta vixisse in seculo, et in hac ætate monasticam in Longi-pontis cœnobio vitam amploxum, ubi post annos Octo in omni omnium virtutum exercitio sancte exactos, anno totius vitæ suæ quinquagesimo octavo supremum diem suum clauserit. Hæc nos pro assertis habebimus, donec melius edoceamur.

F

vel 1160 *ab alio alius assignatur,*

36 *Ita ille quidem; nec dubium est, quin aut pro natali anno* 1170 *substituendus sit annus* 1160, *aut quadraginta et octo tantummodo anni totius vitæ illius periodo secundum illos calculos adscribendi; cum plures ab anno Christi* 1170 *usque in* 1218 *nequeant numerari, nec ejusdem obitus ultra hunc annum possit differri. Pro natali autem ejus circa annum* 1170 *reponendo duo tantum allegat; primum, quod ejusdem pater Andreas jam inde ab anno* 1177 *pro illius matre velut defuncta pia legata fecisse legatur; secundum, quod ejusdem fere ætatis fuerit cum Philippo Augusto Galliæ rege, anno* 1165 *nato. Primum probat nihil: quid enim obstat, quo minus multis annis ante matris obitum Filius genitus sit? Alterum probandum erat, non mere asserendum. Bailletus in vita nativitatem illius circa annum* 1165, *in margine vero ibidem eodem anno* 1165 *vel* 1158 *reposuit. Annum* 1165 *retinuit, postea asserens,* B. Joannem *anno Christi* 1217 *obiisse, ætatis autem suæ circiter quinquagesimo secundo. Sed cum hic*

AUCTORE C. S.

hic quoque nullum testem laudet, nullumque proferat argumentum, videri debet ex mera conjectura locutus fuisse.

determinari nequit.

37 *Ego, licet nihil certi sine aliis argumentis, quæ non suppetunt, ausim determinare, ut tamen credere malim,* Joannem *potius ante, quam post annum* 1170 *natum esse, suadet susceptus ab eo certe non post annum* 1212 *monachatus, Helvide conjuge illius, ex qua jam sex liberos genuerat, in sæculari vita permanente. Minus enim obnoxia periculis est, ac propterea magis etiam verisimilis, viri ab uxore sua per unius professionem ex mutuo consensu separatio in utriusque provectiori ætate, quam in juniori. Si autem* B. Joannes *primum anno* 1170 *prodiisset in lucem, separatio ista anno ætatis illius quadragesimo secundo, id est, in vigore ætatis, ex ipsiusmet Machauti sententia facta fuisset. Opinioni meæ favet beati statua monastica, ejusdem mausoleo imposita, quæ, prout hanc a Joanne Picart æri incisam Machautus suo Opusculo inseruit, monachum sexagenario majorem potius, quam minorem, repræsentat.*

sed post medium sæc. 12 figi potest.

38 *Fallere tamen potest hæc statua; nam in altera icone, anno* 1656 *a R. Lochon æri pariter* B *incisa et prelo edita, quam pro vera beati effigie monastica a patre Antonio Muldraco supra sæpe laudato accepimus, in illa, inquam, icone multo junior exhibetur, quam ut paucis illis annis, quibus monachus vixit, tantum senuisse credendus sit. Itaque ne frustra longior sim,* B. Joannis *nativitatem post medium sæculum* 12 *figendam censeo, sed quot annis post, mihi plane incertum est. Hac occasione paucis observa, quantum a vero aberrarit fabulator ille, a Benedicto Gonono editus, qui* B. Joannem *circa annum Christi* 1129 *a S. Bernardo Claravallensi abbate in Ordinem admissum, et circa annum* 1169 *mortuum esse commentus est. Adi num.* 19 *et sequentes. Pergo ad alia. Nusquam legitur* B. Joannes *noster fratrem sororemve habuisse; ita ut omnino videatur fuisse unica parentum suorum proles, vel, si præter ipsum aliæ ex iisdem procreatæ fuerint, hæ in juniori ætate decessisse dicendæ sint.*

Matre ejusdem mortua, pater secundam uxorem duxit.

39 *Matrem illius Hildiardem, Machautus lib.* 1, *cap.* 3 *scribit, satis juvenem mortuam esse, cum pater Andreas ad secundas nuptias transierit. Vivebat illa adhuc anno* 1169, *ut liquet ex instrumento per ipsum relato pag.* 445 *et sequentibus,* C *in quo beati genitor Andreas cum Gaufrido Sosnensi abbate paciscens, de eadem in vivis superstite sic meminit:* Laudavit illud idem Hildiardis uxor mea et confirmavit, ob cujus laudis et confirmationis memoriam et testimonium 15 solidos habuit. *Non tamen post annum* 1177 *supervixisse videtur, si, ut Chesneus pag.* 223 *et sequenti affirmat, Andreas eo ipso anno donationem aliquam ecclesiæ nosocomii Firmitatis et parthenoni de Charmis pro ejusdem uxoris suæ anima fecerit. Andream post hujus obitum alteram sibi conjugem copulasse, constat ex anonymo nostro Longi-pontano, qui num* 55 *vitæ edendæ hæc habet:* Accedens (*B. Joannes jam monachus, et ab uxoris suæ ædibus repulsus*) ad castrum, quod Galcheri nuncupatur, inventa comitissa, quæ noverca ipsius erat, honorifice et hylari vultu ab ea susceptus est.

a biographo memoratam, cetera ignotam.

40 *Cetera, quæ ibidem sequuntur, satis indicant, comitissam illam, beati novercam, ejusdem castri dominam tunc fuisse, ac proinde verisimile est, istud ab Andrea quondam viro suo, ad quem pertinuerat, illi in dotem, donec ipsa viveret, concessum fuisse. Nomen stirpemque illius more suo siluit biographus, nec ejusdem mentionem apud* D *alios sanctam legi; quorum silentium Machautus non improbabiliter ex eo repetit, quod, cum illa illiberis obierit, ab historicis ac genealogistis facile potuerit præteriri, præsertim dum ipsamet nihil gesserit memorabile.*

§ III. Beati conjugium cum Helvide Dampetræ; proles et illustris posteritas: gesta bellica et animi vitia ante conversionem: restitutio decimarum ab eodem facta.

Beatus uxorem duxit

Anonymus noster Longipontanus in vita edenda *de* B. Joannis *uxore plus semel quidem meminit, sed uxoris nomen, ut cetera multa, silentio pressit. Illam* Helvidem *dictam fuisse, tam ipsamet, quam ejusdem maritus* Joannes *in suis donationum instrumentis, suo loco referendis, manifestum faciunt. Idem asserit Albericus,* E *Trium fontium Leodii monachus, sæculi* 13, *quo adolescente Beatus obiit, scriptor, in suo Chronico, in quo nobilissimam ejusdem feminæ familiam paucis verbis simul indicavit. In editione anni* 1698 *per Leibnitium curata, ad annum* 1239 *hæc ait:* Moritur Isabella, domina de Baia, mater Simonis de Castrovillani. Ingelramus de Coci, qui natus est de sorore dictæ dominæ de Baia, regi Scotiæ Alexandro filiam suam dedit in matrimonium. Hic Alexander primam habuit unam de sororibus regis Angliæ, qui * sine liberis obiit.

** forte quæ Helvidem de Dampetra*

42 Sunt ergo duæ reginæ in cognatione de Melou (Molen) vel de Dampetra: ista de Scotia, et uxor regis Navarræ, filia Erchambaldi. Pater namque Erchembaldi Guido de Dampetra tres sorores habuit. Una Isabella, mater domini Goberti de Aspero monte; et una Oda, mater illorum de Torota; tertia Helvidis, domina (do- F mino) de Monte mirabili peperit Mariam, uxorem Ingelrami de Coci. *Porro per* dominum de Monte mirabili *non alium hic designari, quam* B. Joannem *nostrum, tum aliunde compertum est, tum etiam docet codex, ex quo Joannes Burchardus Menckenius tom. I Scriptorum rerum Germanicorum, emendatiores auctioresque ejusdem chronici lectiones vulgavit, inter quas col.* 88 *monet pro domina* (domino) *legendum esse* Domino Joanni, *nempe* de Monte mirabili, *ut sequitur etiam apud Leibnitium. Eumdem Alberici locum Chesneus, jam sæpe laudatus, pag.* 226 *secutus, amplificavit sermone gallico scribens, quæ latine subjicio.*

nobilissimam feminam,

43 Uxor ejus (*B. Joannis*) fuit Helvidis de Dampetra (*gallice* de Dampierre) soror Guidonis, domini Dampetræ et Borbonii, qui genuit Erchembaldum Magnum, dominum Borbonii, cujus inter alios liberos fuere Margarita Borbonia, regina Navarræ, comitissa Campaniæ et Briæ, atque Guilielmus, dominus Dampetræ, comes Flandriæ et Hannoniæ; *nimirum per conjugem suam Margaritam, Balduini VIII Flandriæ comitis et imperatoris Constantinopolitani filiam, quæ post sororem suam Joannam, sine liberis mortuam, in prædictos comitatus successit. Igitur Helvidis,* B. Joannis *uxor, fuit proamita Margaritæ Borboniæ, Theobaldo II Navarræ regi*

A nuptæ, et Guilielmi Dampetræ, qui Margaritam Flandriæ Hannoniæque comitissam uxorem habuit; e quarum posteris Maria Burgundica Maximiliano I imperatori matrimonio juncta, avitos status suos in Augustissimam domum Austriacam, quæ per eosdem propagata est, invexit.

non post annum 1194.

44 De tempore conjugii Joannis cum Helvide nihil comperi, nisi illos anno 1194 junctos jam fuisse, annoque 1202 tres liberos numerasse. Primum patet ex charta, apud Machantum pag. 448 et sequentibus relata, et mox danda, per quam B. Joannes et uxor ejus Helvidis quasdam decimas Sosmensi monasterio restituunt ac confirmant. Alterum habemus ex eorumdem instrumento donationis Cantipratensi monasterio anno 1202 factæ, in quo diserte aiunt : Notum facimus,... quod assensu liberorum nostrorum, videlicet Willelmi et Joannis filiorum nostrorum, et Elisabeth filiæ nostræ, donavimus etc., ut videri potest in Miræi notitia ecclesiarum Belgii pag. 504 et in hoc Commentario infra § 5. Hæ igitur nuptiæ serius figi nequeunt, quam anno 1194, sed nihil obstat, quominus aliquot annis, nec paucis quidem, citius celebratæ fuerint.

ex qua suscepit sex liberos, quorum quinque

45 Conjugum votis satis numerosa proles respondit. Chesneus pag. 226 et ibidem inter corrigenda addendaque pag. 451 quinque eorumdem B liberos, præter Mariam ab Alberico memoratam, gallice sic recenset. Verum illa (Maria) non fuit unica illorum proles, sed habuit hæc fratres tres et sorores duas; videlicet Willelmum de Montemirabili,.... mortuum ante patrem : Joannem et Matthæum de Monte mirabili, infra memorandos : Elisabetham de Monte-mirabili, cum Willelmo et Joanne suis fratribus nominatam in charta abbatiæ Cantipratensis, signata anno 1202 (quam ex Miræo superius laudavi) sed paulo post sine liberis defunctam; et Feliciam de Monte-mirabili, nuptam Hellino, domino de Waurin, Flandriæ seneschallo. Inter hosce B. Joannis dominia sic divisa fuisse affirmat. Joannes, post Willelmi obitum filius natu maximus, accepit Montem-mirabilem, Osiacum, Crepicordium et Castellaniam Cameracensem; ductaque uxore Elisabetha comitissa Carnutensi, vidua Sulpicii Ambaciæ domini, sine prole defunctus est.

sine prole mortuis, Maria filia unica heres,

46 Matthæo primo obtigit Firmitas-Gulcheri cum dimidio Firmitatis-Auculphi, vicecomitatus Mendelsis, Tramæ et de Belo; quorum alterum C dimidium, in dotem Feliciæ datum, postea per hujus sine relicta prole mortem ad ejusdem Matthæi hereditatem etiam accessit; uti et omnia, quæ fuerant Joannis, illiberis pariter mortui. Addit denique, eadem omnia, Matthæo similiter sine sobole e vivis excedente, ad unam Mariam, eorumdem sororem, quæ suam quoque dotem habuerat, pervenisse. De hoc Matthæo in Martyrologio, sive Necrologio abbatiæ S. Joannis Suessionensis in Vineis teste Machanto pag. 450 hæc legere est : 19 Kal. Februar. Matthæus dominus Montis mirabilis et Oysiaci, qui dedit nobis 20 libras annui redditus super mesteriis (de qua voce vide Cangium in Glossario) de Monte mirabili; ita quod in die obitus sui dedit (lege debet) habere conventus pitantiam (id est, lautiorem cibum) competentem, quam solvit ecclesia. Extant etiam aliquos ejusdem donationum chartæ, quas Machantus in eodem Opusculo vulgavit.

illustrem posteritatem habuit.

47 Porro Maria Engnerrando vel Ingelranno III Cociaci, vulgo de Coucy, domino nupta, illustrem posteritatem reliquit, quæ et præcipuis Europæ principibus, et augustissimæ domui Austriacæ per Catharinam Leopoldi, Alberti I imperatoris filii, filiam affinitate juncta fuit. Verum de hisce consule, si lubet, laudatos Chesneum et Machantum lib. 4, cap. 14 ubi de hoc argumento ex professo tractat. Sepulta autem Maria est, ut ipsa vivens petierat, in ecclesia Longi-pontis, haud procul a mausoleo beati Patris sui, cum epitaphio, quod apud Machantum pag. 483 sic habet : Hic jacet nobilis Maria, domina de Fara, quæ cum sanctissime viveret, fuit in eleemosynis larga, bonis operibus plena, in oratione devota; filia hujus probissimi Militis et devotissimi Monachi, fratris Joannis, quondam domini de Monte mirabili, mater Ingranni de Conci. De eadem in B. Joannis gloria posthuma sermo recurret; verum nunc ad ipsiusmet Beati gesta redeamus.

Pauca, quæ biographus narrat

48 Jam monui num. 12, biographum Longipontanum in Prologo suo profiteri, se de beati factis bellicis, aliisque, quæ ad pietatem non pertinent, taciturum. Unum tamen narrat num. 34 et sequenti, quod hic discutiendum est. Cum sub glorioso, inquit, Francorum rege Philippo militaret,... justissimarum ratione causarum ab ipso rege plurimum diligebatur. Nec immerito; quippe qui toties ei utilis et necessarius erat. Fuit autem in prælio Normanniæ, quod commisit rex Francorum adversus regem Angliæ apud castrum, cui E nomen Gisortium : ubi cum fuisset rex totius exercitus sui auxilio destitutus et ab eis penitus derelictus, ab hostibus autem suis circumquaque vallatus, de medio ipsorum quærentium animam regis princeps digne laudandus Johannes virtute propria cum ingenti robore cum potenter eduxit, et a mortis periculo liberavit. Deinde veniens in partes Franciæ, congregavit gentium multitudinem copiosam, cum quibus ad dominum festinanter est reversus, prudenter et sollicite opportunum ei subsidium administrans.

de Beati gestis militaribus

49 Et sic demum, mediante Johanne principe fidelissimo, rex Philippus, qui antea paulo minus hostibus succubuerat, castrum supra nominatum, terram quoque universam, pro qua tunc temporis decertabat, de manu regis Angliæ vi auferens, victor in Franciam honorifice cum gaudio remeavit. Gisortii, de quo hic loquitur, situm sic tradit Baudrandus in Lexico. Cæsortium, sive Cæsarotium, oppidum Galliæ Celticæ Antonino; posterioribus Gisorium, Gisors vulgo, oppidum Galliæ in Normannia, et Vexini Normannici caput, ad Eptam F fluvium, vix tribus leucis a confinio agri Bellovacensis, comitatus antiqui titulo gaudens, quatuordecim leucis distat a Lutetia Parisiorum in occasum æstivum, Rothomagum versus etc. Dudum autem fuerat inter Gallos Anglosque de eodem contentio, quod Anglus reddere nollet, uti ex pactis tenebatur. Tandem Philippus Augustus Galliæ rex, quo tempore Richardus I rex Angliæ e sacro Palæstinæ bello revertens, ab Henrico imperatore captivus tenebatur, Gisortium expugnavit.

sub Philippo Augusto Galliæ rege.

50 Ita docet Rigordus vel Rigotus, ejusdem regis Philippi chronographus, in Gestis illius apud Chesneum inter Scriptores Historiæ Francorum tom. V, pag. 36, ubi legitur : Anno Domini 1193, pridie Idus Aprilis Philippus rex, collecto exercitu, cepit Gisortium, et brevi temporis elapso spatio, totum Vulcassinum Normannicum, quod rex Angliæ injuste possidebat, in suam redegit potestatem. Consonat et alter Philippi historiographus ac capellanus Guillelmus Armoricus, ibidem pag. 77 dicens : Anno Dominicæ Incarnationis 1193 Philippus magnanimus cepit Gisortium et

AUCTORE C. S.

et totum territorium Vellicassinum, et confinia Neustriæ pro maxima parte. *Qui hæc cum relatis biographi dictis conferre voluerit, vix dubitabit, quin de eadem expeditione Vexini Normannici utrobique sermo sit. Verum cum difficile sit cetera adjuncto, quæ biographus in* B. Joannis *laudem memorat, cum iisdem historiographis conciliare; vehementer suspicor, geminam Philippi regis expeditionem a biographo confusam fuisse.*

in Normanniam,

51 *Laudatus Rigordus animosum ejusdem Philippi facinus, aditumque apud Gisortium discrimen ingens, ad annum* 1198 *rursum narrat his verbis.* Rex... Angliæ (*Richardus*) ex improviso, rege Francorum imparato, cum 1500 militibus armatis et Cotarellis multis, et infinita peditum armatorum multitudine Vulcassinum prope Gisortium vastavit, et munitionem quamdam, quam Corcellas vocant, destruxit, et plures villas campestres igne combussit, et prædas earum abduxit. Rex vero Philippus, nimia inflammatus ira, cum quingentis militibus tantum ad castrum Gisortium transire cupiebat; sed hostibus impedientibus, facilis ei transitus non patebat. Quo viso, magnanimitatem animi audacia superans, per medias

B

acies hostium furibundus irruptionem faciens, et cum paucis militibus contra hostes viriliter pugnans, per Dei misericordiam sanus evasit, et usque Gisortium pervenit, multis militibus suis captis, aliisque fugatis.

videntur partim ad annum 1193,

52 In illa vero confectura capti fuerunt viri nominati, Alanus de Ruciaco, Mathias de Marli, Guillelmus de Merloto juvenis, Philippus de Nantolio, et alii plures quorum nomina ex nimia animi perturbatione scribere noluimus. Et sic rex Angliæ hac vice cum triumpho recessit, et prædas divisit. Rex vero Francorum nimis sollicitus circa ea, quæ facta fuerant, non reducens ad memoriam Dei offensam, exercitum collegit, et Normanniam ingressus, eam vastavit usque ad Novumburgum, et usque ad Pulchrummontem Rogerii, et magnas prædas duxit; et statim exercitum dimisit, ita quod unusquisque ad propria remeavit. *Multo magis ad hanc, quam ad superiorem Philippi expeditionem bellicam referri possunt biographi asserta, si Gisortii expugnationem exceperis. Consentit locus pugnæ; consentit utriusque regis præsentia: adest manifesta*

C

occasio, in qua, ut biographus adstruit, Philippus rex totius exercitus sui auxilio destitutus... ab hostibus autem suis circumquaque vallatus *fuisse dici potuerit, et annitente* B. Joannis *strenua opera ex hostium turmis educi et* mortis periculo liberari.

partim ad 1198 referenda. Non nut

53 *Quæ demum subjunxit anonymus de collectis post pugnam a* B. *Joanne adductisque ad regem Philippum militaribus copiis, quibus hic,* qui antea paulo minus hostibus succubuerat, *mox victor evasit, apprime congruunt dictis Rigordi, qui post eamdem pugnam mox narrat Philippum, collecto exercitu, Normanniam usque ad Novumburgum et usque ad Pulchrummontem Rogerii vastasse etc. Videtur itaque biographus geminam illam Philippi expeditionem, primam scilicet anni* 1193, *in qua Gisortium cepit, et alteram anni* 1198 *confudisse; eo forte pronius, quod in utraque* Joannes *operam suam ac virtutem regi suo probasset. Plura de ejusdem gestis militaribus non tradidit biographus, sed mox subdidit :* Nimirum his de causis a rege, ut dictum est, plurimum amabatur, et vestitu deaurato sæpius ornabatur. *Si Francisco l'Allouette in Historia genealogica familiæ de Coucy, apud Machautum lib.* 1, *cap.* 7 *relato, credimus,* B. Joannes *comes stabuli, seu connestabulus, ut vocant, Franciæ fuit, et in Africam trajecit adversus Saracenos bellaturus.*

D

connestabulus Franciæ, nec in Palæstina militavit.

54 *At Machautus primum omnino improbabile pronuntiat ex silentio scriptorum omnium, qui in ejusmodi sub singulis regibus ministros diligenter indagarunt; de altero suspicatur, potuisse ipsi aliquod monumentum præluxisse; præsertim cum hujus generis militia minime aliena esset ab ingenio* Joannis; *nisi tamen, inquit, laudatus l'Allouette Saracenos confuderit cum Albigensibus, de quibus infra agendum est. Ego, quod ad officium connestabuli attinet, omnino assentior Machauto; quia nec in Catalogo connestabulorum, quem ex Sammarthano et Godefroi Morerius suo Lexico inseruit, illius nomen invenio. Cum eodem etiam agnosco, sacram in Saracenos expeditionem* B. Joannis *indoli tam bene congruere, ut mirum videri possit, si, non dico in Africam, sed in Asiam cum Philippo Augusto rege anno* 1190 *vel* 1191 *inter cruce signatos non trajecerit. Veruntamen cum variis de causis ab hac profectione prohiberi potuerit, eam quoque improbabilem censeo, tacente biographo, qui* Joannis *desiderium adversus Albigenses militandi non siluit; quemadmodum in vita edenda num.* 13 *legere est, et suo loco dicemus.* E

Præter nimiæ gloriæ cupiditatem et prodigentiam

55 *Præter bellicosam indolem, biographus nimiam liberalitatem seu prodigentiam, et ludicrorum certaminum, quæ ipse* torneamenta, *Galli* tournois *appellant, immodicum amorem, atque ex illis natæ inanis gloriæ cupiditatem Beato ante suæ vitæ emendationem adscribit : quæ sane vitia sunt in hujusmodi conditionis viris satis communia ac toleranda. Ceterum de aliis, saltem gravioribus, cum minime arguit. Contra longe deterior depingitur in compendio vitæ, ex quo Henriquezius in Annotatis ad Menologium Cisterciense hac die* 29 *Septembris lit.* c *sequentia recensuit.* Qui cum fuisset insolentissimus juvenis, miles in armis strenuus, natura speciosus, progenie generosus, fama gloriosus, omnibus immunditiis plenus fuit carnalibus et spiritualibus. *Hæc eadem ex Henriquezio in Annales Cistercienses ad annum* 1184, *cap.* 3, *num.* 2 *transtulit adoptavitque Manricus.*

alii alia ei non recte affricant.

56 *Mihi vero tanti non est istius Vitæ compendium; cujus fidem, ætatem, locumve, ex quo acceptum sit, neuter indicat, tanti, inquam, non est ignotæ fidei compendium, ut* Joannem *tam profligatis moribus umquam fuisse credam. Certe anonymus in vita edenda num.* 4 *exponens, quo modo a pio quodam canonico Regulari ad sanctiorem vitam adductus fuerit, canonicum illum inanem gloriam perditamque in mundanis rebus sine ullo vero animæ lucro operam, non scelera aut graviora vitia, eidem molliter exprobrantem inducit. Non fuisse illum rei alienæ contra fas cupidum, aut injustum, quod sciret, possessorem, colligimus ex charta, in qua partem decimarum, quos cum ex quorumdam consilio sibi deberi ratus, uno anno vindicasset, deinde post diligentem inquisitionem melius edoctus, monasterio Sosmensi sive Essomensi, gallice* Essomes, *canonicorum regularium S. Augustini in diœcesi Suessionensi sito, volens libensque restituit, cavitque, ne qua de iisdem controversia posset imposterum moveri.* F

Decimas, quas sibi deberi putaverat.

57 *Chartam illam ex archivo ejusdem abbatiæ acceptam exhibet Machautus a pag.* 448, *eamdemque pleniorem habemus inter instrumenta mss. e Longo-ponte missa, qualem hic subjicio.* Ego Joannes Montismirabilis dominus notum facio, quod

A quod in territorio meo de Geleschez do quibusdam exsartatis * (*id est terra inculta, dumetis vel silvestribus arboribus ante consita*) ad culturam redactis partem decimæ ad jus Sosmensis ecclesiæ pertinentem, quibusdam mihi suggerentibus, ad jus meum pertinere, per annum tenui in saisina (*id est, mihi vindicari.*) Postmodum vero facta deliberatione, a senioribus illius patriæ magis disertis rei veritate conquisita *, ejusdem decimam præfatæ ecclesiæ reddidi, et cum uxore mea Helvide concessi in eleemosynam, et laudavi libere et absolute, salvo jure aliarum ecclesiarum in perpetuum possidendam. Et ut magis ratum haberetur, nec res ad litigium deveniret, excommunicatione præmissa et juramenti districtione *, testimonio testatorum approbata *, supra metas et locorum conterminia, quibus partes ecclesiæ dividuntur, certis metis feci limitari terram.

* *Mach.* exertatis
* *ibid.* inquisita
* *ibid.* distinctione
* *ibid.* approbato

Essomensi abbatiæ restituit.

58 Prædictam itaque decimam et ego et successores mei contra violentiam Sosmensi ecclesiæ obtinendam jure tuebimur; et quidquid infra metas continetur, vel est, vel erit ad culturam redactum, ejusdem Sosmensi ecclesiæ decima persolvetur. Quod ut ratum sit, corroboro; deinde B ex parte mea testes introduco, Reinaldum militem de Bergieres, Raynaldum militem de Vallecampi, et domnum Ausolinum *, et Stephanum præpositum de Chaverou, Radulfum de Curia Dominici, Nicolaum de Villafontis, Doonem sacerdotem de Condé cum suis capellanis Radulfo et Guitero : ex parte abbatis Gaufridi, Hugonem canonicum sacerdotem de sancto Martino, Petrum de Brumets capellanum abbatis. Actum est hoc anno ab Incarnatione Dominica 1194. *Ceterum hanc donationem seu cessionem a* B. Joanne *factam esse, priusquam vitam suam sanctius instituere aggressus est, ex dicendis patebit.*

* *ibid.* Ausoldum

§ IV. Ad sanctiorem vitam conversus, adhuc in seculo virtutibus, præsertim charitate in proximum, emicat : xenodochium subtus Montem-mirabilem exstruit dotatque.

C

Joannem e bello revertentem

Admirandæ Joannis *ad sanctiorem vitam conversionis initia et post Deum auctorem anonymus noster in vita num.* 4 *et sequenti ita incipit exponere.* Johannes itaque cum, hostibus subjugatis, triumphator ad propria remearet, in occursum ejus venire consueverat canonicus quidam Regularis, religiosus plurimum, non cum adulatoria sive favorabili laude, sicut filia Jephte patri suo de prælio reverteuti legitur occurrisse; sed potius exacerbans eum et increpans, sic dicebat : Quid, quæso, lucri vobiscum de torneamento reportastis? Et merito inanem gloriam vento comparans, O, inquiens, sagacem mercatorem cum tantis expensis laboribusque infructuosis; nec, ut æstimo, absque verberum passione, nihil aliud, quam ventum, cura et studio diligenti comparantem! His et hujusmodi monitis salutaribus a seculi vanitate Principem memoratum revocare satagebat.

60 Cumque in bellicis actibus juventutis tempora peregisset, adhuc quoque indissolubili amoris vinculo labenti seculo innodari putaretur, medici sui spiritualis piam exhortationem humili quidem et devota aure suscipiens, a pristina sua conversatione mirabili modo se paulatim cœpit retrahere, et ab altitudine seculari in sui ipsius contemptum descendens, per humilitatis gradus de virtute in virtutem descendebat *etc. Henriquezius ex suo vitæ compendio de eodem argumento exscripsit sequentia* Qui (*B. Joannes*) expugnato Visortio sub rege Francorum Philippo, cui unice dilectus erat, et Joannes Pronus ab illo vocabatur, a canonico quodam Regulari sancti-Joannis de Vineis, nomine Valtero, conversus est. *Si hujus Compendii auctori fides tuto posset adhiberi, non modo canonici nomen ac monasterium, verum etiam tempus, quo* Joannes *conversus est, haberemus. Quod de conversionis tempore asserit, mox examinabimus, de canonico interim videamus.*

AUCTORE C. S.
a vanæ gloriæ cupiditate ad sanctiorem vitam

61 *Quidquid sit de* Valteri *vocabulo, aliunde probabilissimum est, hunc fuisse monasterii S. Joannis in Vineis, quod canonicorum Regularium ordinis S. Augustini abbatia est, gallice* Saint Jean des Vignes *appellata, et tunc juxta, nunc intra Suessionensis urbis muros sita. Ratio, cur ita sentiam, est, quod ecclesia sancti Stephani in* E *Montemirabili ad eamdem abbatiam pertineret, et ab ejusdem alumnis administraretur. Machaulus pag.* 427 *ex Chronico S. Joannis in Vineis profert fragmentum chartæ signatæ anno* 1125, *in qua Lisiardus Suessionensis episcopus ad Galierum abbatem S. Joannis in Vineis de Galchero Beati proavo ad propositum nostrum ait :* Præterea Galcherus, dominus castelli, quod dicitur Mons mirelli, ecclesiam S. Stephani, in eodem castro sitam, per manus nostras reddi postulavit prædictæ S. Joannis (*in Vineis abbatiæ*) quod ita factum est. *Ex Martyrologio quoque seu Necrologio ejusdem abbatiæ ibidem pag.* 430 *legitur :* 5 Kal. Feb. Galcherius de Firmitate, pater domini Heliæ, qui dedit nobis ecclesiam de Firmitate et de Monte mirabili.

adducit canonicus Regularis

62 *Denique ipsemet* B. Joannes *apud Machautum pag.* 428 *et sequenti in fragmento chartæ cujusdam commutationis factæ cum prædicta abbatia S. Joannis in Vineis, agnoscit ecclesiam S. Stephani a decessoribus suis fundatam, et ad canonicos S. Joannis in Vineis pertinere. Cum igitur biographus asserat, Joannem a militia domum suam revertentem a quodam canonico Regulari pie interpellatum conversumque fuisse, quem hunc alium* F *fuisse credemus, quam unum ex istis monasterii S. Joannis Suessionensis alumnis, qui in Monte-mirabili, ubi* Joannes *suum domicilium habebat, divina administrabant? Quod ad conversionis annum attinet, certus nequit assignari. Secundum vitæ compendium ab Henriquezio laudatum signandus esset annus* 1195, *quo Gisortium a Philippo Galliæ rege captum diximus, et a cujus expugnatione beatum revertentem scriptor ille conversum tradit : sed, ut supra monui, sublestæ fidei iste est, et quamvis dictus canonicus salutaria consilia ei tunc dedisse potuerit verisimile tamen non est, Joannem jam tum manus suas monitori dedisse; cum postea, nempe anno* 1198 *adhuc arma tractasse ex supra allegatis dicendus sit, a quibus post conversionem suam omnimodis abstinuisse videtur.*

S. Joannis Suessionensis : quidam id anno 1193

63 *Multo longius a vero abfuit Manricus, Cisterciensis ordinis annalista, ad annum* 1184, *cap.* 3, *num.* 3 *sic pronuntians :* Hactenus de prima ejus conversione, quæ procul dubio longe ante

alius ante 1184, *alius anno* 1200

AUCTORE G. S.

ante hunc annum (1184) evenisse credenda est, ut his, quæ gessit multa miraque ante habitum susceptum, supersit locus. *Fefellit Manricum vitiosum apographum testimonii, a Galchero vel Galtera abbate Longi-pontano dati, cujus supra jam memini, in quo quia annum Christi 1200 pro emortuali Joannis scriptum legerat, ut ceteris illius gestis tempus reperiret, ejusdem monachatus initia anno 1184, et consequenter conversionem longe ante reposuit. Pro anno 1200 legendum esse annum 1217, dicam inferius, et sic cessabit omnis ratio ista præmaturandi, quæ etiam sponte sua corruit ex dictis ac dicendis. Bailletus eumdem annum 1200, quem Manricus ex vitioso apographo morti illius assignavit, ejusdem conversioni adscribit: quæ opinio licet vera esse possit, vereor tamen, ne ex mera hallucinatione profecta sit.*

factum esse volunt, sed non probant.

64 *Etenim cum dixisset Bailletus, Joannem anno 1217 mortem obiisse, annotavit in margine :* Qui dicunt, Anno 1200 (*nempe illum mortuum esse*) decepti sunt ex Henriquezio, annumque conversionis ipsius pro emortuali acceperunt. *Jam vero apud Henriquezium ex vitioso Galteri testimonio de B. Joannis morte hæc legere est :*
B Transiit autem tertio Cal. Octobris, die sanctorum angelorum, hora die * prima, anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo; *quæ uti Manrico reipsa causa fuerunt in anno mortis errandi, ita videntur de tempore conversionis illius a Bailleto perperam accepta esse : nam Henriquezius nec de conversionis nec de mortis tempore quidquam præterea memoravit. Ego nihil reperi, ex quo certum conversionis annum colligere queam; et nihil quoque obstat, quo minus ea sæculo 13 paucis annis inchoato potuerit contigisse.*

* dici

Conversus ad Deum, adhuc in sæculo degens

65 *Quam vero hæc ingens, quam mirabilis morum mutatio fuerit, conjice ex vita edenda, cui ut hac in parte major auctoritas accedat, placet supra laudati Galteri, tunc Longi-pontis, postea Cirstercii, quod totius Ordinis caput est, abbatis testimonium ex ms. nostro Longi-pontano hic recitare.* Nos frater Galterus, abbas Longi-pontis tempore, quo dominus Joannes de Monte-mirabili habitum religionis assumpsit, testificamur universis, quod antequam ingrederetur religionem, probatissimi fuit fervoris; fuit in seculo semetipsum abnegans, omnia, quæ habuerat,
C castella et villas, domos et prædia abjiciens, pompam seculi et gloriam tamquam stercora pro Christo respuens, et totus in Christo pergens, præveniente gratia illius, qui segregavit eum a vanitate et seculi fastu, et fecit eum per suam misericordiam auditorem non obliviosum mandati, quo consulit : « Si quis vult post » me venire etc. » Sic laudabilis fuit ejus conversatio, dum adhuc esset in seculo, ut omnes, qui eum viderant prius, repentinam illam dexteræ Excelsi mutationem mirarentur supra id, quod credi aut æstimari posset. *Hæc laudatus abbas Galterus, cujus reliquum de beati vita monastica testimonium suo loco etiam dabo.*

eximiis virtutibus, præsertim charitate in miseros,

66 *Pia gesta illius post conversionem, quæ in vita edenda legi possunt, nihil opus est hic exponere. At præcipue in eo eluxerunt, etiam dum in sæculo degeret (nam de hoc statu hic agimus) summa humilitas, incredibilis sui contemptus et domandi ardor, charitas in pauperes, ægros, leprosos, quorum hos, quo fœdiores, eo avidius, osculari, alios convivio excipere, in proprio lecto suo, ipse humi cubaturus, collocare; alios suis brachiis bajulare, eorumdem fœtores naribus oreque excipere; cadavera ad sepulturam deferre, velut in deliciis perpetuus sui domitor habebat :*
D *ut merito de hisce dictum accipiamus, quod mox ait Galterus abbas, omnes, qui* Joannem ante conversionem cognoverant, repentinam illam dexteræ excelsi mutationem;... supra id, quod credi aut æstimari posset, *fuisse admiratos. Domesticis testibus abbati et biographo addo externum, Vincentium Belloracensem, Ordinis S. Dominici, qui eodem sæculo 13 floruit.*

67 *Hic in Speculo Morali lib. 3, parte 10, distinct. 24, quæ* De visitatione infirmorum *inscribitur, inter alia exempla unum adfert de beato nostro sane heroicum.* Item, *inquit,* cum Johannes de Monte mirabili, dominus valde pius et devotus, videret pauperem valde afflictum ulceribus, sanie et sordibus, ait ei : Quare non vadis ad domum Dei (*id est, xenodochium, quod ab illo exstructum fuisse, mox dicemus*) ut ibi quiesceres? Respondit : Non possum ire. Et ego, ait, portabo te. Et assumpto eo super humeros, portavit eum illuc; cumque haberet sordidos pedes et tibias plenas sanie, lavit ei; et cum ei doleret cor, ait : O cor miserum et superbum! modo poteris crepare; et haustam aquam loturæ bibit cum duabus manibus. *Plura dabit vita edenda, quæ cum in quolibet homine magna et suspicienda sint, eo tamen admirabiliora sunt in Joanne, quod hunc præter delicatam educationem avito sanguinis claritudo, tituli, honores, magna apud regem suum gratia, pristina armorum tractatio partaque ex his gloria, uxor nobilis ac dives, florensque opibus et prole sua familia, præ ceteris magis deterrere ab hujusmodi pietatis operibus potuerint.*
E

suique contemptu et victoria eluxit.

68 *Inter beati viri post conversionem suam gesta biographus constructionem dotationemque xenodochii commemorat, de quo, postquam ejusdem verba dedero, nonnulla observanda veniunt. Num. 6 vitæ hæc habet :* Cum igitur servus Dei Johannes, omni fastu militiæ secularis deposito, soli Deo militare in animo decrevisset, in Montemirabili, castro suo, domum quamdam de proprio fecit velociter fabricari, ut pauperes et advenæ et peregrini in illa hospitarentur, et ægrotis ibidem ministraretur; redditibus assignatis, unde possent pauperes sustentari. Sciendum vero est, quod in ipsa domo, sicut inferius cupimus ostendere, pietatis et misericordiæ operibus insistebat, acsi illam solummodo hac de causa construere decrevisset. *De tempore conditi ab eo xenodochii nihil possum statuere, nisi illud jam exstitisse anno 1207, cujus mense Octobri ipse cum uxore sua novam donationem eidem fecisse legitur in charta, quam Machautus ex archivo baronum Montis-mirabilis acceptam pag. 410 et sequenti excudit, et ego ex eodem hic transcripsi.*
F

Cum uxore sua xenodochium condit.

69 Ego Joannes Montis mirabilis dominus, et Helvidis uxor mea, notum facimus..... quod pro remedio animarum..... donavimus in eleemosynam domui Dei, quæ sita est apud *Calceiam, in universis nemoribus meis mortuum nemus ad calefactionem pauperum et totius domus necessitatem : unum autem nemus ad universa ædificia domus jam dictæ ædificanda... An... Inc. Verbi 1207 mense Octob. *Addit Machautus chartæ appensum esse e chorda serica rubra beati sigillum, in cujus antica parte visitur leo repens in scuto cum his verbis :* Joa. de Mont..., *in postica vero scutum tribus fasciis distinctum cum ista inscriptione :* Et Castellanus Cameraci. *Subdit et alteram chordam holosericam coloris mali aurei ex eodem instrumento pendere, sed*

cui anno 1207 donationes facit.

AUCTORE C. S.

A *sed abesse sigillum, quod Helvidis fuisse, judicavit. Ceterum nescio, an puncta supra in charta indicent, lacunas esse in autographo, an tantum brevitatis causa a Machauto adhibita. Postremum mihi verisimilius apparet ex aliis instrumentis, quæ apud ipsum sequuntur, in quibus verba* Notum facimus *passim omittit.*

Eadem anno 1208 confirmat

70 *Anno sequenti, sive Christi 1208 iidem conjuges fundationem xenodochii confirmarunt per instrumentum ex supra dictorum baronum archivis a Machauto editum pag.* 411 *et sequenti, ubi sic exstat :* Ego Joannes Montis-mirabilis dominus, et Helvidis uxor mea... (*notum facimus*) quod de assensu hæredum nostrorum... fundavimus domum Dei in calceia Montismirabilis in pauperum susceptionem; et locum, in quo domus illa ædificata est, liberum ab omni consuetudine dedimus... Etiam eidem domui aquam omnino liberam ab omni, a prato culturæ * usque ad finem fossati, quod ejusdem domus porprisium (*id est septa, a Gallico* pourpris) includit, perducentem... Terram duabus carrucis sufficientem, ab omni consuetudine in luco, qui Mortoria appellatur... In universis nemoribus nostris usuarium nostri nemoris, tam ad claudendum, quam ad ardendum, B perpetuo possidendum; ita tamen, quod in nemoribus noviter abscissis infra septem annos nihil amputetur. In uno autem nemore similiter eidem domui et eidem granchiæ (*id est loco*) perpetuum usuarium dedimus ad hospitandum... An. Inc. Verb. 1208.

* an culturæ?

et amplius dotat.

71 *Rursus aliam* B. Joannis *donationis chartam eidem xenodochio factam Machautus recenset pag.* 413. Ego Joannes de Monte mirabili dominus, et Helvidis carissima uxor mea, notum... (*facimus*) quod Bartholumæus de Condeio in molendino de Duix... Hanc vero partem dicti. B. titulo emptionis acquisivimus, et domui Dei de Monte mirabili in eleemosynam donavimus... Præterea laudavimus et diligenter approbavimus eleemosynam magistri Joannis de Faremonasterio, dilecti nostri, videlicet unum modium avenæ, quem nos ei prius in eleemosynam donaveramus in grangia de Chieles, quæ est in Essardis de Gandeluco, quem ipse postea sæpedictæ domui donavit pro ministratione olei in lampade, quæ est in medio domus infirmorum. Ut igitur... 1208 mense Martio. *Huic instrumento sigilla* C *duo appensa sunt, eodem scriptore teste; unum* B. Joannis, *quale supra dictum est; alterum Helvidis, avem manui sinistræ insidentem tenentis cum hac epigrapha :* Sigillum Helvidis dom. de Monte Mirabili.

quod etiam anno 1210 fecit Helvidis.

72 *Sequitur ibidem charta ejusdem Helvidis, eleemosynam a quodam Philippo de Metringiis prædicto xenodochio factam approbantis, quam prætermitto; ac rursum alia ejusdem Helvidis, quæ sic habet :* Ego Helvidis Montis mirabilis et Oysiaci domina notum facio... quod, cum carissimus dominus et vir meus Joannes et ego in proprio fundo terræ nostræ domum Dei ædificaverimus in calceia sub Monte mirabili pro nostrarum animarum remedio, ego jugiter dictæ domus commodum et augmentum affectans, de consensu ejusdem unum molendinum fullatorum instauramus in fossatis, quo ultra consuetum alveum... Piscatura autem fossati, in quod flumen reflectetur, ejusdem domus erit... Quicumque autem idem tenuerit molendinum, providere debebit, ut desuper, et maxime a parte domus, habeant congruentem tecturam, ne nimiam faciat infirmis molestiam in strepitu malleorum... 1210. *Instrumentum hoc Machautus monet dumtaxat apographum esse sub sigillo Guilielmi de Champeaux prætoris (gallice* bailly) *Montis-mirabilis. Mitto alia instrumenta, quibus laudata Helvidis et filii ejus Joannes et Matthæus, necnon gener Ingelramus seu Enguerranus de Couci donationes eidem domui fecerunt vel confirmarunt, ut ibi legi potest.*

Xenodochium hoc conditum fuit

73 *De loco, in quo xenodochium istud a* B. Joanne *conditum fuerit, dubitavit Machautus lib.* 2, *cap.* 3; *utrum scilicet in ipso oppido seu castro, quod in monte situm diximus, an infra seu ad radices montis fuerit erectum : sed pro priori stat, donec aliquid certius proferatur. Mihi vero ex chartis, quas ex ipsius Machauti recensione recitavi ac partim etiam laudabo, indubitatum est, istud sub monte positum fuisse. In charta num.* 72 *data Helvidis diserte ait :* Cum carissimus dominus et vir meus Joannes et ego in proprio fundo terræ nostræ domum Dei ædificaverimus IN CALCEIA SUB MONTE MIRABILI. *Consonat Joannes comes Carnutensis,* B. Joannis *et Helvidis filius, in charta mensis Octobris anni* 1233 *apud laudatum scriptorem pag.* 416 *dicens :* Fulco Seignouret de Vilers E vendit coram me... domui Dei de Calceia SUBTUS MONTEMMIRELLUM.

subtus Montem-mirabilem.

74 *Rursum in alia eodem anno, mense Novembri signata, idem comes ibidem pag.* 417 *scripsit :* Sexaginta duo arpenta terræ et prati, quæ domus Dei de calceia SUBTUS MONTEMMIRELLUM emit. *Hisce etiam plane conformia sunt verba ipsius Beati et Helvidis, in charta secundo loco relata; nimirum,* Fundavimus domum Dei in calceia Montismirabilis... Etiam eidem domui (*dedimus*) aquam omnino liberam... a prato culturæ (*sive culturæ*) usque ad finem fossati, quod ejusdem domus porprisium includit, perducentem. Calceia *vox barbara* viam stratam *significat; proprisium, ut dixi,* septum : *aqua, quæ xenodochio hic libera conceditur, haud dubio est aqua Morini, sive Mucræ fluvii, qui ex supra dictis subter Montem-mirabilem labitur. Erat itaque xenodochium sub Monte-mirabili ad viam publicam, quæ ducebat ad oppidum, ad fluvium Mucram situm et cuidam prato contiguum.*

non, ut Machautus credidit, in ipso oppido,

75 *Advertit hoc Machautus, sed allata verba non de ipso xenodochio, sed de domo quadam ad illud pertinente, interpretari conatus est, dicens, se credere xenodochium in ipso oppido a* Joanne F *conditum fuisse,* licet quædam charta exstet, in qua mentio fit de quadam domo et aqua, quas xenodochium habebat sub monte. *Verum clariora sunt Beati verba, quam ut sic exponi queant; ait enim :* Fundavimus domum Dei in calceia Montismirabilis...... Eidem domui (*dedimus*) aquam... usque ad finem fossati, quod ejusdem domus proprisium includit, perducentem. *Quo magis mireris sic opinantem, ipsemet ibidem asserit, xenodochium Montis-mirabilis dudum subter montem exstitisse, sed ab ejusdem oppidi dynasta, qui suo tempore vivebat, paucis abinde annis pro majori civium commodo in oppidum translatum fuisse.*

in quod postea translatum est.

76 *Ut vero argumentum, quod ex veteri situ adversus ipsum sponte suggeritur, a se amoliatur, ait, videri sibi xenodochium ex oppido, in quo a beato Fundatore suo exstructum fuerat, deinde post ejusdem tempora propter aquæ commoditatem eo translatum esse. Næ istud est sine ulla necessitate, contraque aperta vetera instrumenta, translationem imaginari.* Sine ulla necessitate, *inquam; nam nullum argumentum profert, quam quid reliquus*

AUCTORE C. S.

liquus biographi contextus exigat, xenodochium in oppido fuisse, quodque sacellum inferioris xenodochii recentius sibi apparuerit, quam ut ab ipsius B. Joannis temporibus potuerit exstitisse. Hoc postremum certe nihil probat; cum minime mirum sit, si quadringentorum ac plurium annorum spatio, quot scilicet a sæculo 13 inchoato usque in medium fere sæculum 17 effluxere, novum sacellum ibidem ædificatum fuerit. Alterum ego ex biographi contextu non possum colligere, et si qua in hoc occurrat obscura locutio, ea ex instrumentis allegatis, quæ clara sunt, non hæc ex illo explicanda est. Sed de his jam satis.

In eodem xenodochio Beatus mulieres,

77 *Cum in prædicto xenodochio mulieres æque ac viri curarentur, utriusque etiam sexus ministros in eodem collocasse videtur. De feminis id constat ex biographo, qui num. 9 et 10 de una, veluti totius xenodochii superiore, meminit his verbis :* Mulier quædam, infirmorum domusque procuratrix, quæ pro sua religione familiaris valde eidem (*B. Joanni*) habebatur etc. *Hæc sane magnæ debuit apud ipsum fuisse auctoritatis, cum beato viro a cujusdam infirmæ putoribus abhorrenti pusillum animum audacter exprobrasse, ac paulo*
B *post eumdem acriter increpuisse ibidem legatur, quia ille priori exprobratione animatus, nares suas ad putidas ejusdem infirmæ plagas, ut seipsum vinceret, mirabili exemplo diu admotas tenuerat. Easdem loci ministras religiosas fuisse, aut saltem cum religioso habitu sanctius quoddam vitæ genus professas, habemus ex duabus chartis, quas ex sæpe dictis archivis baronum Montis-mirabilis excudit Machantus.*

quæ infirmis servirent, easque Religiosas,

78 *Prior, quæ Helvidis, ejusdemque filii Joannis est, anno 1217 signata, pag. 416 recitatur hoc modo :* Noverint universi... quod domina Hermengart, quondam Montismirelli præposita, antequam domum Dei de calceia intraret servitura pauperibus, habitum religionis ibidem suscipiens, pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum, de assensu et voluntate hæredum suorum donavit eidem domui Dei unum modium bladi... Ego autem Helvidis Montismirelli domina, et Joannes filius meus Oysiaci dominus etc. *Quod Ermengardis anno 1217, quod hæc charta data fuit,* quondam Montismirelli præposita *dicatur, videtur jam tum obiisse, ac suspicionem movet, eamdem forte fuisse mulierem illam, quæ*
C *ex vita præcedenti* infirmorum domusque procuratrix, et pro sua religione familiaris valde *Beato fuisse narratur.*

aut sub religioso habitu ac priorissa viventes, instituit.

79 *Alteram chartam dedit Matthæus,* B. Joannis *et Helvidis filius, anno, ut notatur 1241, in eaque de ejusdem loci priorissa et sororibus loquitur. Verba instrumenti accipe.* Ego Matthæus Montismirelli et Oysiaci dominus, notum facio ... quod mercatum de terra, quæ dicitur Essartum magistri Laurentii, sita in parochia de Molene inter Gemblon et Vifort, quod priorissa et sorores domus Dei de calceia... emerunt a prædicto Laurentio... ratum habeo *etc. Ex hisce omnibus colligere licet, curam et regimen xenodochii sui a* B. Joanne *tradita fuisse feminis, iisque Religiosis, aut sub habitu religioso ac priorissæ gubernio pium vitæ institutum sectantibus; sed quam Regulam eædem professæ fuerint, hactenus non sum assecutus.*

D

§ V. Aliquot piæ donationes variis cœnobiis a Beato factæ.

Donavit aliqua abbatiis Essomensi et S. Mariæ Suessionensi;

Machantus *lib. 2, cap. 13, quod de piis* Joannis *donationibus inscripsit, conqueritur, tam pauca earumdem instrumenta ad manus suas pervenisse; idque seu ignariæ, seu malæ voluntati attribuit eorum, qui hæc in tabulariis suis quærere negligunt, aut inventa non æquis de causis nolunt communicare, tametsi ad donatorum laudem vulgandam unice postulentur. Quæ tamen obtinuit, ibidem commemorat; instrumenta vero, sive eorumdem fragmenta, a pag. 410 recenset. Sequar cum ipso ordinem temporis, quo signata sunt, sic tamen, ut ea, quæ ad unum eumdemque locum pertinent, etsi serius facta legantur, continuata serie daturus sim. Prima illius charta, quam habemus, illa est, per quam decimas, quas ex quorumdam persuasione suas esse crediderat, abbatiæ Essomensi anno* 1194 *restituit, quamque jam recitavi num.* 57 E
et sequenti. Alteram, quam in gratiam abbatiæ puellaris S. Mariæ Suessionensis anno 1199 *factam ait, prætermitto, quia non video, quod sibi velit fragmentum, quod recitat.*

alia Cantipratensi

81 *Paulo clarior est donatio anno* 1200 *facta abbatiæ Cantipratensi in Cameracesio, quam Hugo III, Osiaci dominus et castellanus Cameracensis, ipsiusmet Beati avunculus, prope Cameracum fundaverat. Hanc sic exhibet laudatus Machantus pag.* 437 : Ego Joannes Montismirabilis et Oysiaci dominus, castellanus de Cambray, notum facio,... quod de voluntate et assensu Helvidis uxoris meæ donavi ecclesiæ Cantiprati quemdam lecum... in nemore Belli montis juxta Montemmirabilem... quem quidam presbyter Bonnellus a se ædificatum in manus meas... Actum anno Incarnati Verbi 1200. *Quis fuerit locus hic, idem scriptor explicat, præmittens, fuisse eremitorium, situm ad nemus Bellimontis, gallice* Beaumont, *media leuca a Monte-Mirabili, atque huic et tribus ibidem sequentibus instrumentis hunc titulum gallice præfixit :* Fundatio loci (*nimirum eremitorii prædicti*) dati religiosis, missis ex abbatia Cantipratensi in agro Cameracensi.

ab avunculo suo fundatæ

82 *Iisdem Cantipratensibus aliquanto post* grangiam, *id est, prædium vel villam rusticam, donavit, ut habemus ex instrumento, quod ibidem* F
legitur hoc modo. Ego Joannes Montismirabilis dominus, et Helvidis uxor mea, notum facimus,... quod de assensu liberorum nostrorum, videlicet Guilelmi et Joannis filiorum meorum, et Elisabeth filiæ meæ, donavimus in perpetuum ecclesiæ B. Mariæ de Cantiprato grangiam nostram, in territorio de Gilloches constitutam, cum terris jam cultis et in posterum colendis; cui donationi affuerunt Renaudus de Bergeriis; Gerardus de Castellone, Joannes de Vallecampi, Simon de Fontinellis, Guillelmus de Vilicrs, Nicolaus de Brisiaco... 1202, mense Martio. *Hanc donationem eodem anno ac mense Blanca comitissa Trecensis, velut suprema loci domina confirmavit, ut sequitur.* Ego Blancha, comitissa Trecensis Palatina, notum facio... quod dilectus et fidelis meus Joannes de Montemirabili, laude et voluntate uxoris suæ Helvidis, in eleemosynam dedit Deo et ecclesiæ B. Mariæ de Cantiprato sex carrugias terræ... Actum apud Meld. an. Dom. 1202,

A mense Martio, datum per manum Galtheri cancellarii. *Cum Galli annos tunc inchoarent a Paschate, quod vulgari anno fuit die 14 Aprilis, ambæ chartæ, datæ mense Martio, spectant ad annum nostrum 1203: quod etiam pro sequentibus observatum volo.*

in agro Cameracensi,

83 *Apud Miræum quoque in Notitia Belgii pag.* 504 *edita charta est, de qua utcumque dubitari posset, eadem ne, an alia sit cum mox memorata Joannis. Sic autem habet:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Joannes, Montis Mirabilis et Oisiaci dominus, Cameracensis castellanus, et Helvidis * uxor mea, notum facimus præsentibus et futuris, quod assensu liberorum nostrorum, videlicet Willelmi et Joannis filiorum nostrorum, et Elisabeth filiæ nostræ, donavimus in perpetuam eleemosynam ecclesiæ B. Mariæ de Cantiprato... Huic autem donationi adfuerunt Renaudus de Vergeriis, Gerardus de Castellione, Joanne * de Valle-campi, Simon de Fonteaelle, Ivo de Liuuandres; Willelmus de Vileres, Nicolaus de Buxiaco. Actum anno millesimo ducentesimo secundo, mense Martio. *Iidem utrobique annus et mensis sunt; iidem quoque te-*

* *al.* Helvisa

* Joannes

B *stes, nisi quod paululum diversa modo scripti sint, ac in posteriori instrumento inter hos prætera legatur* Ivo Liuuandres. *Verum hic in exemplari Machauti exscribentium vitio potuit prætermitti, ac eodem ex capite, vel ex difficultate characterum etiam testium nomina paululum immutari.*

quæ Beati filius postea confirmavit.

84 *Contra vero potuit* B. Joannes *eodem anno ac mense plures donationes eidem abbatiæ facere, eosdemque fere testes adhibere. Machautus ambas velut diversas edidit, unam pag.* 424, *alteram pag.* 437. *Dubium tolli potest ex donationis instrumento per Miræum edito, sicubi adhuc integrum existet. Quidquid sit, Beatus præter prædictam terram arabilem etiam jus in silvis suis lignandi Cantipratensibus, qui in eodem eremitorio prope Mantem-mirabilem morabantur, concessisse dicitur in instrumento gallico donationis, per Matthæum, ipsius Beati filium, anno* 1267 *vel* 1268 *factæ, in quo ipse hoc jus iisdem confirmavit, nimirum ut in usus proprios lignare possint* eo modo, quem, *inquit,* præscribunt litteræ dilecti Patris mei, quas habent. *Matthæi chartam vide apud Machautum pag.* 438. *De Cantipratensi abbatia ordinis S. Au-*

C *gustini, olim prope Cameracum sita, consuli potest Dionysius Sammarthanus tom. III Galliæ Christianæ auctæ, ubi col.* 162 *dicitur bellis Francorum anno* 1580 *in cineres redacta, et ejusdem incolæ in Bellingen haud ita procul ab Hallis Hannoniæ concessisse, ubi earumdem successores hodieque pergunt Deo servire.*

Duas item donationes fecit

85 *Duo alia donationum instrumenta a Beato nostro in favorem monasterii Charmensis, quod prioratus virginum ordinis Fontis-Ebraldi est in diœcesi Suessionensi, concessa reperio apud Machautum. In priori charta alterius donationem sua consensu corroborans ita loquitur pag.* 439: Ego Joannes Montismirabilis dominus omnibus... notum facio, quod Isabella la Ferrée de sancto Aniano assensu meo et Helvidis uxoris meæ et hæredum meorum dedit et concessit pro remedio animæ suæ et suorum ecclesiæ de Carmo quatuor sextarios bladi in terragio de sancto Aniano... Quod ut ratum... Hujus rei testes sunt Simon, prædictæ Isabellæ maritus, Renaudus de Bergeriis, Hugo Castri Theodorici vicecomes... anno 1202. *Alterum instrumentum ex testimonio Joannis Thorotæ, canonici et officialis Suessionensis ibidem pag.* 441 *et sequenti tale est.*

*auctore G. S. parthenoni Charmensi * canonicus*

86 Omnibus præsentes litteras inspecturis magister Joannes de Thorota canonicus * et officialis Suessionensis... Inspeximus literas bonæ memoriæ nobilis viri Joannis, quondam domini Montismirabilis, sub sigillo ejusdem, non cancellatas, non abolitas... « In nomine S. et individ. Tri-» nit. Amen. Notum sit omnibus, tam futuris, » quam præsentibus, quod ego Joannes Montis-» mirabilis dominus, assensu Helvidis uxoris » meæ, ob remedium animæ meæ et antecesso-» rum meorum, donavi sanctimonialibus de » Charmo quadragiata solidos in perpetuam elee-» mosynam absque aliqua justitia, videlicet de » parto mea proveniunt grueriæ pro pitantia » prædictis monialibus eadem in Purificatione » beatæ Mariæ, singulis annis persolvendos per » manum famuli mei, qui illos recipiet, et reddet » annuatim. Quoties autem famulus meus præ-» assignatos quadraginta solidos die constituto » monialibus non reddiderit, quinque solidos eis » pro lege dabit. Actum anno Domini. 1202. » In cujus rei testimonium præsenti transcripto... an. Dom. 1268.

Ordinis Fontis Ebraldi.

87 *Ne quid lector desideret, pauca de vocibus barbaris, quæ in utroque instrumento occurrunt, hic annotabo.* Bladum *pro quolibet frumenta usurpatur.* Terragium, *gallice* Terrage, *quoddam jus*

E *domini est certam fructuum partem ex agris percipiendi, unde et* Campipars, *gallice* Champart *appellatur.* Absque aliqua justitia *idem hic sonare videtur, quod sine debito, sive sponte et gratis.* Grueria, gruaria *vel* gruarium, *gallice* Gruerie, *item jus quoddam vel jurisdictio minor est in silvas et in his delinquentes, subjecta alteri tribunali superiori. Statuit itaque beatus Donatar, ut ex ejusmodi ditionis proventibus, qui ad ipsum pertinebunt, quadraginta solidi annui perpetua darentur sanctimonialibus Charmensibus ad emendam illis* pitantiam *in festo Purificationis B. Mariæ Virginis, id est, ad cibos seu esculenta hoc die iisdem liberalius exhibenda. Denique* pro lege *idem est, ac* pro multa, *quam ministris suis annuatim statuto die solvere negligentibus imposuit.*

Charta donationis monasterio Cervifrigidi

88 *Munificentiam suam a nonnullis creditur etiam exhibuisse religioso ordini sanctissimæ Trinitatis de redemptione captivorum, qui sub finem sæculi* 12 *a SS. Joanne de Matha et Felice Valesia institutus fuerat, erecto ab iisdem in diœcesi Meldensi inter Firmitatem-Milonis et Gandelu*

F *primo monasterio, quod* Cervus-frigidus *et* Cerfredum, *gallice* Cerfroi, *appellatur, et totius ordinis caput est. Hunc in finem Machautus pag.* 455, *et Tossanus du Plessis, Benedictinus Congregationis S. Mauri in Historia ecclesiæ Meldensis tom. II, inter instrumenta pag.* 105, *num.* 251 *producunt chartam ex archivo prædicti monasterii Cervi-frigidi, quam ex posteriori, ubi plenior exstat, hic transcribo.* Ego Joannes de Montemirabili, dominus Oysiaci, notum facio præsentibus et futuris, quod ob remedium animæ meæ, et patris mei et matris meæ, nec non et antecessorum meorum, Fratribus S. Trinitatis de Cervo-Frigido concessi, laudavi et approbavi, et in perpetuam eleemosinam donavi illos viginti arpennos nemoris, quos M. comitissa Burgundiæ eis prius dederat, in loco videlicet, in quo prædicti Fratres primitus resederunt.

a Joanne de Monte-mirabili.

89 Et unum arpennum prati apud Brunnez, in loco, qui dicitur Crievecuer; et circiter totum maresium, quod ad me pertinet, in eo loco, qui dicitur Vallandois: et totum larriscum usque ad magnam viam. Quæ eleemosina ut rata permaneat

AUCTORE C. S.

permaneat in perpetuum et stabilis, præsentem cartam sigillo meo feci confirmari, testibus subscriptis, domino Adam cappellano etc... Actum est anno gratiæ 1212, mense Martio. *Consonat editum a Machauto, præterquam quod brevitatis causa tres lacunas habeat, et aliquot voces paulo aliter scriptas, quas mox dabo. In calce tamen plenius est, hosce testes recensens :* Testibus domino Adam capellano. dom. Galtero clerico, dom. Anserico milite de Meigenes. *Accipe etiam vocum barbararum, quæ in hoc instrumento occurrunt, interpretationem.* Arpennos. *apud Machautum* arpentos : *est autem* arpennus *vel* arpentus, *gallice* arpent, *modus agri, seu jugerum, sed pro variis provinciis varium.* Maresium, *alias etiam* marescium *et* marescum, *gallice* marais, *latine paludem vel paludosam terram significat.*

Osiaci domino factæ anno 1212 vel 1213

90 *Machautus pro* maresium *legit* marchium. Larriscum, *lariscum vel* larricium, *a vetusta voce gallica* larris, ager incultus *vel* terra inculta *est. Quod ad loca ibidem indicata pertinet,* Brumez, *Machauto* Brumets, *forte is est, qui tom. VII Geographiæ Blavianæ in ducatu Valesii ponitur duobus milliaribus gallicis a Gandelu. Pro* Crievecuer ; *Machautus habet* Crevecœur; *fuitque, ut diximus,* B. Joannes *etiam Crepicordii in Cameracesio dominus; sed facile potuit etiam alius ejusdem nominis locus monasterio Cervi-frigidi propinquior fuisse. Quem vero ibidem per* Vallandois, *vel, ut est apud Machautum,* Valendois, *designare voluerit, hactenus non comperi. Ut autem lector intelligat, cur* B. Joannis, *vel ejusdem filii, concessione opus fuerit pro donatione a comitissa Burgundiæ facta, juverit pauca annotasse. Margarita Blesensis primo nupta fuit Hugoni III, Osiaci domino et castellano Cameracensi, quo sine liberis mortuo, ad alias transiit nuptias cum Ottone Burgundiæ superioris comite palatino. Laudatus autem Hugo unicam tantummodo heredem habuit sororem suam,* B. Joannis *matrem, ad quem propterea pertinebat ejusdem Hugonis hereditas.*

ad Beati filium referenda videtur.

91 *Jam igitur obierat Hugo, et Margarita Ottoni nupserat, quando hæc comitissæ Burgundiæ titulum gerens supra dicta monasterio Cervi-frigidi donavit; et idcirco sive ad eamdem donationem perpetuo firmandam opus fuerit consensu* B. Joannis, *vel ejusdem filii, sive lites alioquin timerentur, sive denique, ut laudatus Tossanus du Plessis tom. I, pag.* 179 *scribit, ipsa Margarita eam conditionem, Si Hugonis heredes consentirent, expresse adjecerit, rogatus est* B. Joannes, *vel hujus filius, consensitque in donationem, ac præterea ex suis etiam auxit. Ceterum ex anno menseque, quibus donationis charta signata est, nempe* anno 1212, mense Martio, *dubium est, an ea referenda non sit ad annum nostrum* 1213, *quia anno* 1212 *die* 25 *Martii celebratum est Pascha, a quo galli annos suos tunc ordiebantur, ut num.* 82 *dictum est. Dixi, donationem illam a* B. Joanne *vel ejusdem cognomine filio, factam fuisse : nam mihi quidem multo probabilius est, eam Joanni filio adscribi debere. Verum cum ab hac opinione pendeat tempus, quo* B. Joannes *religiosum tirocinium in Longo-ponte auspicatus est, controversiam hanc* § 7 *commodius aptiusque discutiam.*

Donavit Beatus Longoponti domum

92 *Miram est, tot inter chartas, piæ* B. Joannis *munificentiæ testes, nullam a Machaute inventam, aut certe nullam productam esse in favorem abbatiæ Longi-pontis, in qua ipse monasticam vitam denique professus est, ac supremum diem suum sancte clausit. Donasse tamen illam etiam huic aliqua, prudenter dubitari nequit, idque de domo quadam in castro Gandeluz, sive Gandelu, biographus in vita edenda num.* 48 *aliu occasione indicavit his verbis:* Dederat servus Dei Johannes in eleemosynam cœnobio Longipontis dumum quamdam, sitam in castro, cui numen Gandeluz; sed donationi factæ filius ejus primogenitus renuens assentiri, Fratribus (*id est, monachis Longi-pontis*) in dicta domo propria exercere negotia prohibebat. Quin etiam, ut eam repararent, minime permittebat. Quo audito, pater ejus Johannes (*jam monachus*) ad supradictum castrum anxius corde causa reparandæ domus accedens, in illam operarios conduxit; sed et ipse cum eis operabatur, quasi unus ex ipsis. Nam supra tectum tegulas, quibus operiretur domus, propriis humeris humiliter deferebat.

de qua filius ejus litem movit,

93 *Donationem hanc agnoscit Machautus lib.* 2, *cap.* 13; *sed dum eamdem anno* 1218 *affixit, chartam Joannis filii ad* Joannem *patrem inadvertenter retulit. Dixi* inadvertenter: *nam ipsemet inter instrumenta pag.* 456 *eamdem filio recte adscripsit, hunc titulum gallice præmittens :* Donatio Joannis domini Montis-mirabilis, postea comitis Carnutensis, *nempe per Elisabetham comitissam Carnutensem, quam duxit uxorem. Perperam quoque Machautus domum a Beato donatam exstitisse ait* extra murus oppidi Gandelu, *duas domos confundens, ut mox patebit. Porro dubitari potest, an Joannes filius post memoratam Patris factum a vexatione abstinuerit; id certum est, litem post ejusdem Beati obitum saltem revixisse, et cedentibus e jure suo monachis, sub certis conditionibus compositam fuisse. Ita colligimus ex duabus chartis ejusdem Joannis junioris, quas edidit Machautus more suo luxatas, et integriores habemus in mss. e Longo-ponte ad nos olim transmissis, e quibus illas hic subjicio.*

ac tandem inita amica pactione

94 Ego Joannes de Montemirelli dominus de Oysiaco, omnibus præsentes litteras inspecturis in perpetuum. Nuverint universi, quod, cum diu fuisset controversia inter me ex una parte, et Fratres Lontipontis ex altera, super quadam domo, quam habebant in castro de Gandeluz, et super stallis, censu, hostisiis, gallinis et foaciis et terragiis, quæ fuerunt Odonis Lepot, in eodem castro, et in villa de Villers de Vuast; tandem de communi assensu convenit inter me et ipsos, quod domum prædictam et stalla et cœtera omnia, quæ expressa sunt, et quæcumque in prædicto castro habebant et in villa de Villers, mihi et hæredibus meis quittaverunt; præter decimam, quæ fuit Odonis Lepot, et quinque arpentos pratorum apud Vuaudeluz, et præter libertates et immunitates ab antecessoribus meis ordini Cisterciensi concessas; quæ quiete et pacifice in perpetuum possidebunt.

post Patris obitum composuit.

95 Ego autem in recompensationem prædictorum, qui mihi quittaverunt, concessi prædictis Fratribus duodecim modios frumenti, ad mensuram de Gandeluz, sani et laudabilis, recipiendos singulis annis infra Octavas sancti Martini in grangia de Jebegnes.. Ita sane, quod de dicta grangia nihil frumenti tolletur, donec prædicti duodecim modii Fratribus ex integro persolvantur. Si vero ex inclementia aeris vel aliu quocumque casu contigerit, quod prædicta summa frumenti in dicta grangia inveniri non possit, de Minagio de Vuandeluz totum ex integro sine contradictione reddetur; nullis aliis de eodem minagio aliquid accepturis, donec totam prædictam summam receperint dicti Fratres. Si vero contingeret,

A ret, prædictum frumentum prædicto modo non reddi de grangia de Jehegnes seu de minagio, episcopus Meldensis terram supponeret interdicto, donec esset plenarie Fratribus satisfactum. Hæc omnia fideliter et firmiter tenere, et contra omnes, fide interposita, teneor perpetuo garantire. Matthæus quoque frater meus hoc totum laudavit, et fide interposita firmiter tenendum promisit. Actum anno Domini 1218, mense Aprili.

ut probant instrumenta, 96 *Huc etiam spectat charta altera, data, ut Longi-pontani monachi domum usibus suis necessariam, pro ea, quam in castro Gandeluz cesserunt, extra ejusdem muros sibi possent comparare, illam scilicet, quam a* B. Joanne *ante susceptum monachatum Machautus istis donatam perperam dixi, ut supra monui. Charta hæc in ms. nostro Longipontano sic habet :* Ego Joannes, Montis-mirelli dominus et Oysiaci, notum facio præsentibus et futuris, quod ego concessi ecclesiæ et fratribus Longi-pontis pro remedio animæ meæ, et pro anima patris mei, et animabus antecessorum meorum, domum unam acquirere extra muros de Gandeluz ad reponendum decimam suam et aveB riam, et quidquid aliud voluerint, salva omni justitia mea; ita duntaxat, quod neque bladum, neque vinum, nec aliud quid in eadem domo vendere poterunt ipsi fratres.

quæ hic dantur. 97 Licebit tamen eis habere in ipsa domo servientem proprium, non uxoratum, sed viventem de proprio eorum, omnino immunem a tallia et corveia et omni exactione. Quod ut ratum permaneat et inconcussum, præsentem paginam sigilli mei feci munimine roborare. Actum anno Gratiæ 1218. *Verba barbara utriusque chartæ sic interpretare.* Stalla *sunt sedes sive officinæ mercatorum, vel jus eas habendi aut elocandi :* census *pro tributo seu pensitatione debita ex agris etc;* hostisium *pro pretio ab externis mercatoribus pro locatione officinæ vel mercandi licentia debito;* gallinæ *pro censu e gallinis percipi solito usurpatur.* Foacia, *forte idem sonat, quod* Focagia *vel* Focacia, *quæ item census sunt pro singulis focis pendendus. Per* terragia *item census ex agris et prædiis domino debitus indicatur.* Quittare *est* cedere; grangia, villa rustica *vel* prædium; minagium *aliquando significat id, quod pro mensuratione frumenti debetur principi, aliquando forum* C *frumentarium, aliquando etiam prædium rusticum.* Averia *varias res, ut fructus, merces, bona mobilia etc. significat :* bladum *quodlibet genus frumenti;* tallia *censum principi, et* corveia *operam a rusticis domino suo pendenda. Qui de his plura volet, consulat Cangium in Glossario.*

Duæ aliæ ejusdem donationes. 98 *Bailletus in vita* B. Joannis *præter donationes ipsius jam enumeratas, duas præterea memorat, Valli-secretæ, quæ abbatia est ordinis Præmonstratensis in diœcesi Suessionensi, vulgo* Valsecret *appellata, et Joyaco, gallice* Jouy, *ordinis Cisterciensis abbatiæ in diœcesi Senonensi factas. De posteriori instrumentum habeo in ms. nostris e Longo-ponte acceptis, quale hic subdo.* Ego Joannes Montis-mirabilis dominus notum facio præsentibus et futuris, quod pro remedio animæ meæ et antecessorum meorum in perpetuam eleemosinam donavi ecclesiæ beatæ Mariæ Joyaci et fratribus ibidem Deo servientibus usuarium in nemore, quod vocatur Communitas de petra lata; ita quod singulis diebus perpetuo unam accipient inde quadrigatam. Quod ut ratum fiat, sigillo meo confirmavi. Actum anno Domini 1203. *Vox* usuarium *jus utendi, sive in dicto nemore in usus suos lignandi significat :* quadrigata *vero onus quadrigæ, seu vecturam quatuor equorum.* ucrosæ e s. *Forte tamen certa aliqua eo onere minor portio indicatur; nam et apud Cangium in Glossario legitur :* Quadrigata lignorum ad unum equum; *et nimis ampla apparet concessio* singulis diebus *quadrigæ seu currus a quatuor equis vecti onus ex nemore illo percipiendi. Hæc sunt, quæ de* B. Joannis *donationibus potui reperire.*

§ VI. Expenduntur aliquot Beati gesta, quæ ex Vitæ auctariis narrantur.

Angelus *Manrique in Annalibus Cisterciensibus varia de* B. Joanne, *quæ in vita non habentur, refert ex ejusdem vitæ additamentis, quibus cum ego careum, ea in hoc § recensenda duxi.* *Fertur, adhuc in sæculo degens, corpus suum* *Ad annum* 1184, *cap.* 4, *num.* 2 in Additis § 34, *ut adjecit in margine, de ejusdem, dum adhuc in sæculo degeret, corporis castigatione sequentia legi affirmat.* Frater Odo sacerdos, monachus E Longi-pontis, dixit, quod cum loqueretur cum venerabili Joanne de quodam sancto abbate cœnobii S. Benedicti Attrebatensis, et de vestibus, quibus utebatur, dixit ei testis, qui loquitur, quod utebatur camisia (*sive indusio*) cilicina, et femoralibus atque caligis ciliciis. Quo audito, dictus Joannes rogavit testem, qui loquitur, ut ei similia vestimenta cilicina præpararet. Præparavit itaque tria paria, quibus usus est dictus Joannes usque ad ingressum suum in monasterium Longi-pontis.

100 *Hæc ex relatione Odonis, seu qui Odonis* *cruciasse ciliciis* *dicta recensuit, scriptor mihi ignotus. Subdit autem Manrique :* Verum est tamen, alibi (*in margine notat* in Additis § 9) haberi femoralia rejecta a viro Dei, quia eum equitare non permittebant. *Fuit* hic idem Odo (*eodem teste Manrico num.* 3) illius (*B. Joannis*) in sæculo capellanus, in Religione socius, atque utrobique fidus coadjutor eorum, ad quæ aspirabat, cœlestium operum. *Ex hoc capite magnæ mihi essent testimonia ipsius auctoritatis, si constaret, ea illius esse, quod certo affirmare nequeo, quia plane nescio, quo auctore,* F *quove tempore ista auctaria primigeniæ vitæ adjecta sint. Ut prædictis tamen major probabilitas accedat, observo, hisce consona tradi a biographo, qui num.* 29 *vitæ edendæ de beato, nondum monacho, hæc ait :* Tempore byemali, nulla frigoris importunitate detentus, camisia et femoralibus ciliciis tantummodo sub cappa (*vetus hæc etiam laicorum sæcularium vestimenti species est*) indutus singulis noctibus ad ecclesiam pergere consuevit etc.

101 *Laudatus Manrique ibidem num.* 3 *ex* *et flagellis frontem et genua* *iisdem auctariis* § 34 *ista denuo recitat :* Dixit etiam iste testis (*Odo*) se multoties eidem Joanni ad instantiam ipsius disciplinas dedisse (*id est, ipsum flagellasse*) et multoties tædio affectum fuisse, pro eo, quod tot et tantas disciplinas sibi dari instabat. *Possem et aliud ejusdem argumenti exemplum ex Henriquezii annotatis ad Menologium suum Cisterciense adscribere; sed cum hic usus fuerit quodam vitæ compendio, ut vocat, mihi ut minimum suspecto, malo istud tacitum præterire, et pergo cum Manrico ex citatis auctariis sermonem prosequente.* Adjecit etiam (*Odo*) dominum Joannem habere callos turgentes in ge- nibus

AUCTORE C. S.

nibus ex frequentia genuflexionum, et similiter callum vel tumorem in fronte ex frequentia allidendi frontem suam in oratione ad terram; et hos callos et tumores se multoties vidisse et frontem pulverulentam.

ex assiduitate orandi callo obducta habuisse.

102 *Id ipsum de genuum callo deinde num. 4, Mauricus, laudans eadem auctaria § 4, etiam alterius testimonio confirmat,* Cæterum, *inquiens,* quod ad callos genuum attinet, adeo in viro indurnisse compertum est, ut alter testis non minori fide dignus, Thomas abbas cœnobii de Cantiprato, juratus dixerit : « Quod, si quis vellet acum infigere in genibus ejus, acus potius contra duritiem genuum se flecteret, quam posset introire. » *Floruit reipsa eodem cum* B. Joanne *tempore aliquis Thomas in abbatia Cantipratensi apud Cameracum, qui tom. III Galliæ Christianæ recusæ col. 162 tertius ejusdem loci abbas fuisse dicitur, et Matthæo, anno 1217, 8 Idus Februarii defuncto, successisse. Hic ergo, antequam, is abbas esset, satis familiaris esse potuit* B. Joannes *castellanus Cameracensis, et in eamdem abbatiam munificus, eaque ratione laudatus Thomas prædicta didicisse.*

B

pro quibus spondere nequeo.

103 *Verum cum sæculo 12 ad finem vergente eidem monasterio primus abbas præfuerit alter Joannes, cui in Gallia Christiana* beati *titulus additur, et cujus vitam scripsit Thomas Cantipratensis, sæculo decimo tertio adolescente ejusdem monasterii, deinde ordinis Prædicatorum alumnus, hinc mihi aliqua formido oritur, ne forte præmissa Thomas abbas de Joanne primo abbate dixerit, vel Thomas alter litteris consignaverit, eademque deinde ab alio, de* B. Joanne de Monte-mirabili *dicta existimante, inter hujus vitæ auctaria relata fuerint. Forsitan lucem afferre posset laudata Joannis primi abbatis vita, quam non habemus, sed Jacobus Echard tom. I Scriptorum ordinis Prædicatorum pag. 252 a se visam scribit Parisiis in bibliotheca S. Genovefæ* num. 1000. 14. 4 codice chartaceo Ms. sub finem. *Nihilominus fatendum est, supra dictum Odonis testimonium omnino favere, ut etiam Thomæ abbatis dicta ad* B. Joannem *nostrum possint referri.*

Dicitur castrum Osiaci

104 *Alterius generis est, quod Mauricus loco citato, num. 6 rursum ex additis § 18 exscripsit.* Accidit, quod comes Flandrensis terram nobilis Viri, exercitu non modico congregato, oppugnaret; et cum sederet cum omni populo suo ante castrum de Oysiaco, milites, qui erant in eodem castro ad muniendum illud constituti a Domino suo, deficiebant præ timore, et eo maxime, quod Dominus suus nullum omnino poterat eis succursum gentis facere; quoniam exercitus Flandrensis undique fuerat congregatus. Insuper tantus timor erat in tota terra illa, quod nullus ausus erat mutire. Vir vero Deo dignus, fide armatus, cum paucis militibus, scilicet cum tribus et suo capellano, venit ad abbatem de Valcellis, qui eo tempore erat, et dixit ei : Domine abbas, ego commendo vobis castrum meum de Oysiaco. Ad quod verbum stupefactus abbas, respondit : Domine, quid est, quod dicitis? Vos non potestis custodire, et ego quomodo custodiam? Etiam domum meam custodire non possum.

C

ab oppugnatione comitis Flandriæ

105 Et ille, Volo, ut custodiatis illud mihi. Cujus fidem necdum intelligens abbas, amplius admirabatur in verbis illis. Ad ultimum dixit ei Vir radicatus in fide : Scio, quod, si volueritis, castrum meum mihi per vos optime custodietur, nec aliter poterit custodiri. Tandem abbas fidem illius intelligens, in crastino fecit cantari a singulis sacerdotibus Missam de Spiritu sancto ; et statim tanta pruina surrexit de terra, quod homines comitis seso videre non poterant. Quare plurimum stupefacti fugam meditabantur. Sed retenti a comite, quod volebant, opere adimplere non poterant; donec volente Deo propter fidem Servi sui, tantæ pluviæ inundatio erupit, quod in fugam conversi de sua salute desperarent, et clamarent, Helpt Helpt (*voces belgicæ sunt, quas latine* Adjuva *reddes*) præ timore. Et sic per fidem fidelis Servi sui Dominus populum totius terræ illius ab oppugnatione Flandrensi liberavit. Hoc firmiter asserit dictus Engelbertus, dicens, hoc testimonio mille hominum posse probari.

D

divinitus liberasse.

106 *Hæc Oysiaci obsidio non videtur aptius referri posse, quam inter annos* 1197 *et* 1200, *quo tempore Balduinus Flandriæ comes, postea imperator Constantinopolitanus, Anglis adversus Gallos fœderatus, Cameracesium Artesiamque infestavit. Oysiacum autem situm erat in ingressu Artesiæ, qua Cameracensi agro adjacet, in quo etiam Valliscella, ordinis Cisterciensis abbatia ab Hugone Oysiaci domino,* B. Joannis *proavo fundata erat. Quam tamen vera sit, ista obsidionis solutio, et an aliquid divinitus interveniret, non ausim dicere; neque scio, quis fuerit Engelbertus ille, cujus testimonium ibidem allegatur, nisi forte sit* Ainglebertus, *de quo mox sermo fiet in sequenti narratione, quæ, ut verum fateor, mihi non nisi fabula esse videtur. Accipe, prout ea exstat apud laudatum annalistam num. 7 ex iisdem auctariis § 8 transcripta.*

E

et innocenti damnato ad mortem,

107 In exordio conversionis nobilis viri domini Joannis de Monte Mirabili homo quidam, Guntherus nomine de Cameraco, casu accidente, neque id facere volens, uxorem propriam interfecit. Is secundum leges urbis judicatus et condemnatus fuit ad mortem. Quod cum viro nobili innotuisset, statim surrexit, et acceptis duobus capellanis suis, venit ad locum, ubi innocens fuerat judicatus; et prosternens se ad pedes scabinorum, humiliter et devote petiit, hominem innocentem liberari. Et cum instaret petitioni, nec aliquo modo posset obtinere, quod petebat, pro eo quod sententia lata erat, hominis damnati, cujus corpus conservare non poterat ad vitam, animam cœpit exhortationibus communire, provocans ad confessionem. Sacerdos curatus dicti Guntheri ibi erat, et confessionem illius recepit, et sic duxerunt ad mortem, nobili Viro prosequente et semper exhortante, ut animam damnati eriperet a morte æterna.

F

quem supplicio subducere frustra studuerat.

108 Ministri timentes, ne in latibulis insidias posuisset, ut, quem precibus non poterat, vi liberaret, cum gladiis et fustibus armati processerunt ad locum; ubi cum esset Vir nobilis, adhuc timentes mandaverunt eidem : Domine, vos estis princeps et castellanus noster; nolite nobis molestus esse; nec enim decet vos. Quibus sic dicentibus ille respondit : Si vobis vim inferre voluissem, non venissem solus cum clericis meis : sed ex quo corpus istius habere non possum, animam saltem salvare concupisco : et ne interesset funeri, retrotraxit se cum clericis. Illi vero damnatum illum in fossam, quam fecerant, deponentes, et diligenter cooperientes, armati per desuper fossam equitantes, ut jacens extinctus interiret, custodierunt eum per spatium trium dierum,

AUCTORE C. S.

A rum, et sic recesserunt. Post hæc transitum faciens per locum illum Boissardus Exctons clericus, inspiratione divino discooperuit, quem defunctum burgenses putaverant, et sanum invenit. Liberatus vero Castellano suo gratias, quas poterat, reddens, dicebat, se meritis ipsius fuisse liberatum.

vitam mirabiliter servasse

109 Juraverunt Thomas et frater ejus Aingleberlus, quondam præpositus Oysiaci, qui tunc erat familiarissimus Principi, adjiciens, quod cito, postquam damnatus extractus fuerat de fossa, comedit cum Castellano; et quod interrogavit eum, quomodo so haberet, cum esset in fossa. Cui ille: Nullum sustinui dolorem; sed quasi in ecstasi positus nihil sentiebam, nec quando clericus retraxit me de humo. Scio, quia humilitas Principis me liberavit. *Hæc Manricus ex sæpe dictis vitæ auctariis, quorum auctoritatem ac fidem mihi magis probatam cupio, antequam ista pro veris admittam, nec inter fabulas reputem. Ita suadent mihi tum ipsa facti magnitudo et insolentia, vita scilicet homini terræ infosso per triduum servata; tum facti adjuncta, tum denique aliorum* B *de eodem silentium. Erat* B. Joannes *Castellanus Cameracensis, ex cujus officio erat non modo civitatis subjectique agri militiæ, sed etiam justitiæ administrandæ, ac ceteris in jure dicendo et in plectendis reis præesse. Quorsum igitur ille, si damnatum innocentem sciverit, damnandum permisit, damnatumve sua, qua in ceteros judices pollebat, auctoritate non liberavit, tum saltem, postquam preces suas irritas esse advertit?*

verum hæc non satis probata legi.

110 *Deinde certe parum verisimile est, istos judices inexorabiles sese exhibuisse pro vita hominis deprecanti illi, quem ut suum* Principem *et* Castellanum *agnoscebant, et ex cujus pendebant imperio. Frivolum quoque est, quod dicitur, eosdem gladiis ac fustibus se armasse, ne damnatus per homines a Castellano suo in insidiis reperetur. Quasi vero non potuisset hic illum aliter liberare, penes quem erat tam supra ipsos, quam in militares copias potestas. Fabulam etiam sapit triduana Cameracensium apud fossam custodia. An forte tam diuturna opus esse crediderunt, ut certo exspirasset reus, quem in scrobem immiserant, humoque injecta ac diligenter constipata suffocarant? Nugæ.* C *Hisce adde biographi edendi, necnon Galtheri abbatis, a quo in ordinem Cisterciensem* B. Joannes *admissus fuit, silentium in ejusdem elogio, partim dato, partim dando; quos sane mirum est de tam insigni miraculo nil scivisse, si vere contigerit, aut siluisse, si sciverint. Hæc interim a me dicta sunto, donec vitæ auctariis certior fides et auctoritas accedat.*

Mira Beati lenitas in subditos.

111 *Annalista Cisterciensis loco citato, num.* 11 *sic prosequitur:* Cæterum quanta in tributis exigendis moderatione usus (quæ virtus principes post justitiam maxime decet) etiam ultronea, si minus grata subditis, non solum recusaverit, verum etiam accepta denuo restituerit, sequentia tandem cunctis manifestant, quæ ita habent. *Laudat hic in margine addita ad vitam* § 30, *unde ista excerpsit:* Cum non haberet pecunias pro expensis, absque ulla exactione accæpit ab hominibus suis, sicut omnium terrarum est consuetudo, quamdam summam pecuniæ. Quam cum accepisset, murmurare cœperunt homines, qui ex sola gratia ei jam dictam pecuniam dederant, et dicebant: Quid est, quod Dominus noster, qui est benignus, accipit a nobis tributa, ac si esset in expeditione, vel iret ad torneamenta? Quod cum Viro Dei innotuisset, fecit dictam pecuniam restituere per Angelbertum præpositum suum, ne propter hoc homines sui contra ipsum amplius murmurarent. *Profecto digna sancto Principe hæc actio est, beatique* Joannis *clementiæ ac pietati admodum congrua; sed pro auctarii fide, ut monui, non possum spondere.*

Incerta quoque sunt, quæ de ejusdem filiæ monachatu

112 *Idem annalista cap. 5 de monasterio per Beatum filiæ suæ primogenitæ condita dotatoque meminit, auctaria vitæ denuo secutus. Mox, inquit,* filiæ, quam habebat primogenitam, religionem persuasit, « promisitque, » ut habetur in ejus actis (*in margine legitur:* in additis § 29) « quod, » si vellet esse monialis, pro ipsa construeret » abbatiam, ubi cum aliis monialibus Domino » deserviret. » Qua, ut conjector, auscultante præcepta patris, adimplevit promissa, construens ac dotans cœnobium Domus Dei, de quo in iisdem actis paulo inferius (*in margine tamen notatur,* in additis § 21:) « Soror Aales, priorissa Domus » Dei, quam ipse Joannes in castro suo, quod » Mons Mirabilis dicitur, ædificavit, et de » propriis redditibus dotavit etc. » *Quidquid sit de isto beati consilio, factaque filiæ suæ promissione, non possum annalistæ conjectanti* E *assentiri, conditionem a filia acceptatam, et a patre impletam fuisse, si abbatiam illam diversam fuisse velit a xenodochio, quod* B. Joannes *prope Montem-mirabilem exstruxit. Ut enim nihil dicam de biographi in vita edenda silentio, nullam prorsus reperi hujus abbatiæ vestigium, nullam fundationis chartam aut memoriam; nihil tale reperit Machautus, qui instrumenta ad* B. Joannem *ejusque familiam pertinentia diligenter conquisivit, variaque ex ipsis baronum Montis-mirabilis archivis obtinuit.*

Manricus conjectavit

113 *Si vero Manricus tantum velit, xenodochio, quod* Joannes *construxerat, additum ab eodem fuisse quoddam collegium monialium, quæ ægris pauperibusque ibidem inservirent, id ita esse, jam probavi superius* § 4. *Porro ex dictis* § 3 *tres* B. Joannis *filias navimus, Elisabetham, Feliciam et Mariam, et ex hisce duas postremas viris nuptas fuisse. De primogenita Elisabetha præter nomen in instrumento anni* 1202, *in quo in donationem parentum suorum consensisse dicitur, nihil inveni, nisi, quod Chesneus illam paulo post sine liberis obiisse affirmet; sed forte non alia de causa, quam* F *quod nullam de eadem mentionem postea factam legisset. Hæc igitur credi posset fuisse una e monialibus, quæ prædicto xenodochio sese mancipar unt, nisi altum hac de re tam in vita edenda, quam in instrumentis, silentium potius contrarium suaderet. Imo nec hoc asseruit scriptor Auctarii, sed ex ejusdem dictis dumtaxat conjectavit laudatus annalista. Atque hæc sunt, quæ apud eumdem de* B. Joannis *ante susceptum monachatum gestis ex vitæ edendæ auctariis, pro quorum fide spondere nequeo, annotata inveni.*

§ VII.

AUCTORE G. S.

§ VII. Desiderium illius adversus Albigenses militandi, deinde vitam solitariam, ac tandem monasticam amplectendi : hujus in Longo-ponte exordium probabilius anno MCCX illigandum est.

Adversus Albigenses,

Anonymus Longi-pontanus in vita edenda num. 13 de B. Joannis adversus Albigenses in Gallia militandi proposito hæc scribit :* Igitur cum Dei Servo mundana negotia fastidio esse cœpissent ; quid ei esset agendum, in animo revolvebat ; visumque est illi, quod Christo militaturus in terram Albigensium proficisci debuisset. *Non est hujus loci fœda Albigensium hæreticorum, quorum dux et caput erat Raymundus comes Tolosæ, dogmata et historiam, gestaque adversus hos a Catholicis bella memorare ; præsertim quod*
B *præter bonam voluntatem* Joannes *nullam in iis partem habuerit, impeditus ab uxore, ut mox videbimus. Id unum erga pro chronotaxi, quam non curavit biographus, hic annotare oportet, sacram adversus Albigenses expeditionem, quam* Cruciatam *appellant, ex Innocentii III summi Pontificis auctoritate, assentiente Philippo Augusto rege, anno* 1208 *in Gallia promulgatam fuisse, qua propterea anno* Joannes *nondum monachum induisse, nedum excessisse e vivis dicendus est.*

non adversus Coterellos,

115 *At vero Manricus, qui ejusdem mortem ex vitioso Galtheri abbatis apographo ad annum* 1200 *retulit, proinde aliam expeditionem tempore priorem huic substituit, caute omissis verbis, quibus biographus posteriorem expresserat. Itaque ad annum Christi* 1184, *cap.* 5, *num.* 1 *et* 2 *hæc ait :* Quid sibi agendum esset, revolvens, militiam sacram adversus Galliæ hæreticos, Bituricensem provinciam devastantes, quod anno præcedenti dicebamus, præferendam putavit homini militi, et qui, quo juvenis sæpius abusus erat in domesticos fidei et religionis, animi robur in hostes exerceret, non aliena talenta sibi usurpans, quod
C multorum malorum initium est, sed in propria laborans Servus fidelis. « Volens autem » (ait auctor vitæ sancti, cujus abhinc narrationem continuatam dabo, concinnam et congruam, ac continentem egregiam Cistercii laudem) « Volens, » inquam, argenti plurimum secum ferre, unde » copiosius in ipso itinere inopiæ subveniret » egenorum, in Cameracensem provinciam pro» fectus est etc. »

ut Manricus credidit, militare volens,

116 *Quas Manricus hic hæreticos in Bituricensi provincia memorat, fuerunt prædones militares,* Coterelli, *gallice* Cotereaux *appellati, quorum horrenda sacrilegaque facinora et ingentem stragem a catholicis factam narrat S. Antoninus in Historia, et ex hac Cardinalis Baronius tom. XII Annalium ecclesiasticorum ad annum Christi* 1183, *uti et mox laudatus annalista Cisterciensis. Atque hic quidem ea ratione vitavit argumentum, quod ex tempore indictæ adversus Albigenses expeditionis lectoribus mox occurrere debebat contra præfatam opinionem de beati morte anno* 1200 *affigenda ; sed id fecit contra manifesta biographi verba, quæ hoc loco prætermittens, Albigensibus Coterellos substituit. Verumtamen non de hisce, sed de illis sermonem biographa fuisse,* D *probat etiam alter ejusdem locus, quem ipsemet Manricus ibidem num. 8 recitavit et inobservatum reliquit. Verba biographi, quæ secundum partitionem nostram leguntur num. 37, ipse loco citato sic refert.*

necessarios nummos corrogat.

117 Joannes igitur quadam die, convocata populi multitudine, simulans, se velle contra Albigenses proficisci..... Valedixit eis... Dehinc vero, paucis secum assumptis comitibus, apud Longumpontem, ordinis Cisterciensis cœnobium, perrexit, ibidem Domino serviturus. *Ceterum nullus dubito, quin de Coterellis in Albigensium locum substituendis cogitaturus non fuisset Manricus, nisi ex vitioso Galtheri apographo circa annum beati emortualem deceptus fuisset, vel si vidisset instrumenta donationum a Machauta edita, ex quibus indubitatum est, ipsum multis annis diutius vixisse. Itaque, ut, unde digressi sumus, redeamus, inter ceteros principes, qui post promulgatam anno* 1208 *sacram adversus Albigenses militiam se cruce signarunt, etiam* B. Joannes *nomen suum dare constituit, et pro conscribendo milite ceterisque belli expensis necessarias pecunias corrogare cœpit.* Volens autem (*ita subdit biographus*) plurimum argenti secum ferre, unde copiosius in ipso itinere inopiæ subveniret egenorum, E
in Cameracensem provinciam profectus est, ubi de nemoribus suis quamdam partem septem millium librarum pretio commutavit.

sed ab uxore impeditus.

118 *Verum hæc pia viri cœpta ejusdem uxor Helvidis brevi post irrita fecit, ita permittente divina providentia, ut illum ad longe aliam militiam, ad monasticum scilicet institutum adduceret.* Porro (*rursus verba biographi sunt*) nemorum emptoribus uxoris assensum petentibus, omnimodis illa renuens acquiescere, venditioni dictæ, ne fieret, obviavit. Interea quidam de servis Viri Dei, cujus relatione nos ista didicimus, qui eidem in sancto proposito familiarius adhærebat, his eum alloquitur verbis : Domine (inquit) si vobis rectum videtur, ut acquiescatis mihi, peregrinationis hujus, quam disponitis facere, relinquatis propositum. In vestro etenim reditu animus vester non minus, quam in præsenti die, mundi occupationibus irretitus teneretur.... Si vestræ... non displicet voluntati, petamus ambo eremi solitudinem, ut ab hominum conturbatione et linguarum contradictione salubriter abscondamur. Me quoque F
comitem individuum, necnon ministrum fidelem habeatis.

primo vitam solitariam, mox monasticam cogitat.

119 *Subdit idem anonymus, humili Domino placuisse pii famuli dicta, et hunc ab illo missum in diœcesim Leodiensem, ut ab istius regionis heremicolis consilium locumque suo optum præposito exquireret. At illi, eodem teste, id velut periculis obnoxium omnino dissuaserunt, auctoresque fuere, ut potius ad Cisterciensium Ordinem, tum maxime florentem, se conferret. Horum monitis obsecutus pius Princeps, post consultos eudemque suadentes Parisinæ academiæ doctores theologos, tandem statuit, cum primum posset, Cisterciensia instituta sequi ; ut pluribus, nec forte sine adjunctis pro auctoris ingenio amplificatis, in vita legere est. Ad hoc ei opus erat consensu uxoris suæ Helvidis, quem et impetrasse credendus est. Forte nec difficilem illa hac in parte se præbuit ; tum quod satis provectæ ætatis esset, ac dudum parere desiisset, tum quod utriusque sexus prole domus abunde stabilita esset, tum denique, quod Helvidi displiceret humilis illa abjectaque coram hominibus Mariti sui vivendi ratio, quam ille a prima conversione*

conversione sua secutus fuerat. Mauricus præterea asserit, eosdem jam tunc ex mutuo consensu a conjugali thoro sejunctos vixisse; quod etsi in vita non exprimatur, eidem tamen satis conforme est.

et in Longo-ponte auspicatur;

120 *Uxoris consensu obtento, rebusque familiæ dispositis, quod mente conceperat, in monasterio Longi-pontis exsecutus est, suscepta ibidem habitu Cisterciensi a Galchera seu Galthero abbate die Dominicæ Ascensionis, ut testatur biographus, et consentiunt omnes. Antonius Muldrac senior Longi-pontis in ms. Campendio Chronici ejusdem abbatiæ, ad Majores meos olim transmisso, memorabilem hunc eventum his verbis inscripsit:* Die Ascensionis Dominicæ Joannes dominus de Monte-mirabili, vicecomes Meldensis, castellanus Cameracensis, et Philippo Augusto regi Francorum carissimus, post multos exantlatos labores, partosque pro rege regnoque triumphos, sui ipsius victor valedicit sæculo, et a præfato Galchero abbate cum quodam sibi intimo famulo, oominato Amando, in Longo ponte ad noviciatum, seu probationem regularem admittitur; ut constat ex vita ejusdem Joannis de Monte mirabili manu scripta, et aliis autenticis scriptis.

quod Manricus perperam sæculo 12, alii melius anno 1210.

121 *De anno suscepti habitus, quem biographus prætermisit, haud magna est inter recentiores dissensio, si Manricum excipias, qui ob male affixam illius mortem anno 1200 ejusdem tirocinium saltem aliquot annis ante sæculi 12 finem debuit reponere. Verum hic manifeste refellitur tum ex supra allegatis donationum instrumentis, ex quibus constat, eumdem sæcula 13 inchoato adhuc in sæculo versatum esse, tum ex Galcheri prælaturæ initio, quod in catalogis abbatum Longi-pontis anno 1200 innectitur. Muldracus in chronica ms. ad verba mox data annum 1210 adscripsit, quem deinde seu ipse, seu alius, certe alio atramento, in annum 1212 commutavit; ut nesciam, utri anno beati in religionem ingressum innexuerit. Machautus in Vita Gallica lib. 4, cap. 3 annum 1210 assignavit, quem secutus Bailletus est.*

alius anno 1212 illigarunt.

122 *Contra anonymus quidam, Longi-pontis, ut suspicor, monachus, in ms., quod Commentarium in vitam* B. Joannis *appellavit, contendit, ipsum nec serius nec citius, quam anno* 1212, *tirocinium suum in Longo-ponte auspicatum fuisse. Nititur hic duobus intrumentis: primum est charta confirmationis donationisque, factæ monasterio Cervi-frigidi* anno gratiæ millesimo ducentesimo duodecimo, mense Martio, *quam supra dedi* § 5, *quomque cum ille* B. Joanni *indubitanter adscribat, statuit, eumdem mense Martio præcitati anni* 1212 *nondum monachum fuisse. Altera charta Helvidis est in gratiam monasterii B. Mariæ Charmensis data, quam ex eodem hic transcribo.* Ego Helvidis, Montismirabilis domioa, notum facio, quod Radulfus, cognomeoto le Vuandres, de assensu et voluntate mea et Joaoois filii mei, io perpetuam eleemosinam donavit ecclesiæ beatæ Mariæ de Caroio unum modium bladii hyemalis motteangii in terragio suo de Cariaco, quod de me movet. Hujus vero donationis testes suot Carricus ejusdem ecclesiæ capellanus. Alardus miles do Sauciaco, Hugo miles Courobert, Calceius notarius... Actum est hoc aono 1213 meose Octobri. *In margine ad vocem* Motteangii *annotatum legitur,* gallice Moitange, id est, medium frumenti et siliginis simul mixtum.

123 *Ex hac porro charta laudatus anonymus recte infert,* B. Joannem *mense Octobri anni* 1213 *jam fuisse monachum; secus enim Helvidem illius, utpote viri sui, non filii Joannis, consensum laudaturum fuisse. Deinde vero cum ex supra dicto instrumento donationis monasterio Cervi-frigidi factæ statuisset,* B. Joannem *adhuc mense Martio anni* 1212 *inter sæculares vixisse, et aliunde ex biographo haberet, eum in die* Ascensionis *Dominicæ religioso habitu indutum esse, conclusit, eumdem post mensem, sive in die Ascensionis Domini anno* 1212 *monasticam vitam auspicatum fuisse; nimirum ut potuerit post expletum unius anni tirocinium professionem suam nuncupasse ante mensem Octobrem anni* 1213, *quo supra dicta charta Helvidis signata legitur. Evinceret plane hoc ratiocinium saltem pro anno* 1212 *vel* 1213, *si æque constaret, laudatam pro Cervo-frigido chartam spectare ad annum* 1212, *et* B. Joannis, *non ejusdem cognominis filii ac successoris esse, quod in hunc locum, ut supra monui, distuli examinandum.*

AUCTORE C. S. Probat hic, illum anno 1213 jam monachum fuisse,

sed non evincit, non fuisse ante 1212

124 *Difficultatem sensit anonymus Commentarioli auctor, eamque sibi objecit, et amoliri ibidem conatus est.* Ne quis etiam objiciat *(inquit)* donationem seu confirmationem in gratiam domus de Cervofrigido, non a Joanne patre factam, sed a Joanne filio. Nam id evinci non potest; sed potius contrarium; cum in charta ejusmodi donationis Joannes de Montemirabili Dominus Oysiaci nominetur: Joannes autem filius, vivente patre, licet monacho, ab anno videlicet 1212 ad annum 1218, numquam de Montemirabili legatur appellatus, sed tantum Dominus Oysiaci: mater autem Helvidis semper Domina de Montemirabili vocata, testibus cartulis annorum 1213, 1215, 1217, jam ad calcem vitæ præfati B. Joannis de Montemirabili, vulgari lingua (*Gallica per Machautum*) conscriptæ, impressis. Maneat igitur indubitatum (salvo tamen meliori judicio) S. Joannem donationem supra memoratam Cervofrigido mense Martio anni 1213 fecisse, et monasticum induisse habitum solemni die sequentis Dominicæ Ascensionis. *Hactenus ille.*

nam charta donationis eo anno facta

125 *Verum est, in instrumentis ab eadem laudatis et a Machauto editis Helvidem constanter appellari* Montis Mirabilis dominam, *Joannem vero ejus filium,* Dominum Oysiaci, *non* de Monte-mirabili, *usque ad annum* 1218, *quo* B. Joannes *pater certe jam obierat, et quo ibidem pag.* 456 *data legitur charta cum hoc initio:* Ego Joannes Montis-mirelli dominus et Oysiaci. *Sed pariter verum est, non soluisse* B. Joannem *patrem sese* de Monte-mirabili *appellare sine addita voce* Dominus; *ut manifestum est ex ejusdem chartis, quas* § 5 *recitari, in quibus omnibus constanter legitur:* Ego Joannes Montis-mirabilis dominus, et Helvidis uxor mea; *vel, ut habet una anni* 1208: Ego Joannes de Monte-mirabili dominus, et Helvidis *etc.; vel denique, ut in altera anni* 1200 *legere est:* Ego Joannes Montis-mirabilis et Oysiaci dominus *etc. Valde autem diversa sunt ista duo:* Joannes de Monte-mirabili. dominus Oysiaci; et Joannes Montis-mirabilis dominus, *vel* de Monte-mirabili dominus; *cum per duas posteriores phrases dominum seu possessio Montis-mirabilis* Joanni *adscribatur; per priorem possit sola familia, ex qua natus est, indicari.*

qua ipse vitiatur,

126 *Exempla, quibus id probetur, in promptu sunt. Apud Machautum pag.* 426 *et sequenti exstat charta confirmationis, quam Matthæus, alter* B. Joannis *filius, qui, ut num.* 46 *dictum est,*

AUCTORE C. S.

est, Feritatem, seu Firmitatem-Galcheri ex paterna hereditate acceperat, concessit monialibus abbatiæ B. Mariæ Suessionensis anno 1230 mense Martio, *cujus initium tale est:* Ego Matthæus de Monte-mirabili, Firmitatis Galcheri dominus. *Rursus ibidem pag.* 459 *edita est Charta Joannis junioris, per uxorem suam comitis Carnotensis factis, et ejusdem Matthæi, anno* 1236 *signata, quæ sic incipit:* Nos Joannes comes Carnotensis, Montis-mirabilis et Oysiaci dominus, et Matthæus de Monte-mirabili, Feritatis Galcherii dominus. *Utraque ergo charta facta est, Joanne juniore dominatum Montis-mirabilis jam obtinente. Nihilominus Matthæus ejusdem Joannis frater in utraque vocatur* Matthæus de Monte-mirabili; *non alia utique de causa, quam quod e familia dominorum de Monte-mirabili, sive ex* B. Joanne *natus esset.*

probabilius non est B. Joannis.

127 *Contra vero in utraque Matthæus etiam appellatur* Firmitatis *vel* Feritatis Galcherii dominus, *non simpliciter* de Feritate Galcherii; *nimirum quia hujus loci dominum habebat, sicuti Joannes frater ejus Montem-mirabilem et Osiacum possidebat, ac propterea* Montis-mirabilis et Oysiaci dominus *ibidem nominatur. Confer modo* B *cum allatis textibus ista instrumenti, in favorem domus Cervi-frigidi anno* 1212 *signati, verba:* Ego Joannes de Monte-mirabili, dominus Oysiaci, *et utrobique eumdem loquendi modum agnosces. Quam ob rem ita licet statuere. Primo, potuisse Joannem filium sese de* Monte-mirabili *dicere, etiamsi, vivente suo Patre monacho, a titulo* Domini Montis-mirabilis *semper abstinuerit, eoque interim gavisa sit ejusdem mater Helvidis.*

sed ejusdem cognominis filii.

128 *Secundo, quemadmodum in duabus prædictis chartis anni* 1230 *et* 1236 *per has voces* Matthæus de Monte-mirabili, Firmitatis Galcheri dominus *certe tantum denotatur, Matthæum ex domino Montis-mirabilis natum, non ejusdem loci dominum fuisse, ita pariter statuere licet, per ista chartæ, de qua disputamus, verba,* Ego Joannes de Monte-mirabili, dominus Oysiaci, *propter omnimodam phrasis similitudinem, non dominum Montis-mirabilis, sed ex ejusdem loci domino genitum, longe probabilius indicari. Hoc autem posito charta illa, monasterio Cervi-frigidi concessa, ad Joannem filium referenda est, non ad* C *Patrem, qui, si illam dedisset, se dominum Montis-mirabilis pro more suo appellasset. Quod denique observat anonymus, titulum* de Monte-mirabili *in nullo alio ex Joannis junioris chartis ante annum* 1218 *occurrere, nihil probat; cum etiam in nullo alio* B. Joannis *legatur sine addita voce* Dominus, *ac nihil obstet, quo minus Joannes junior, antequam titulum* Domini Montis-mirabilis *gereret, non æque ac ejusdem frater Matthæus,* de Monte-mirabili *potuerit appellari.*

Ex chartis quoque Helvidis

129 *Frustra igitur hæc charta producitur ad probandum,* B. Joannem *mense Martio anni* 1212 *nondum monachum fuisse, quæ contrarium potius probaret. Quapropter inquirendum nunc est, an aliunde aliquid luminis hisce possit affundi. Laudatus anonymus postquam e charta num.* 122 *data recte probaverat,* B. Joannem *mense Octobri anni* 1213 *in monasterio certe versatum jam esse, quia Helvidis in eadem, sine ulla ipsius mentione, velut Montis-mirabilis domina loquitur, aliam ejusdem Helvidis chartam sibi objicit, ex qua ne beati in religionem ingressus biennio citius figatur, sic disserit.* Quod si quis objiciat, Helvidem præfatam anno etiam 1210 concessisse cartulam, qua constat, illam molendinum fullatorum et piscaturam fossati domui Dei sub calceia D Montis-mirabilis dedisse, ut patet ex § præcedenti (*consule superius num.* 72;) fateor, id ita esse quidem verum, sed hoc de consensu Mariti fecesse, ut in eadem charta expresse habetur.

probabilius est, eumdem anno 1210

130 *Sic est; Helvidis in hac expresse ait, se donationem illam facere* de consensu ejusdem, *nempe Mariti sui* Joannis. *quem paulo ante nominaverat, et propterea hæc sola evincere nequit,* Joannem *citius, quam anno* 1212 *monasticam vitam exorsum esse. Sed forte non advertit anonymus ad alteram eodem anno ab Helvidi factam, quam Machantus pag.* 414 *inter donationes ipsius proprius recensuit hoc modo:* Notum... quod Philippus de Metringiis, voluntate et assensu Auferici fratris sui, et Flandrinæ uxoris suæ, in perpetuam eleemosynam donavit domui Dei de Monte-mirabili dimidium modium bladi... Unde ego Helvidis Montis-mirabilis domina in testimonium et garentiam dictæ donationis præsentem cartulam fieri præcepi... 1210. *Observat autem editor, huic chartæ appensum e vitta corii albi esse solius Helvidis sigillum cum hac epigraphe:* Sigillum Helvidis Dom. de Monte-mirabili. *Est ergo* E *hæc autographa, et ex hoc capite præferenda mox memoratæ, quam idem editor tantum ex apographa acceptam testatur.*

in Longo-ponte jam degisse,

131 *Itaque cum in hoc instrumento autographo Helvidis, tamquam Montis-mirabilis domina, nullumque de Viro suo vel de hujus consensu verbum faciens, dictam donationem confirmarit et in garentiam seu patrocinium suum receperit, cur non hinc colligamus,* B. Joannem *jam ab anno* 1210 *ad monachos transiisse? Nec oppositam probat illa altera charta eodem anno* 1210 *ab Helvide* de consensu ejusdem *viri sui facta: nam cum ab utraque absit mensis anni, forte hæc ante festum Ascensionis Domini, in quo ille in tirocinium admissus est, altera post idem festum confecta fuerit. Quin etiam apparet quædam specialis ratio pro viri sui consensu, etiamsi tunc monachus fuisset, in eodem memorando. Nempe ambo illi conjuges xenodochium istud erexerant, et Helvidis ab ipso mundanis rebus valedicente haud dubie in mandatis acceperat, ut pium opus pro viribus promoveret; ac forte de hac mola fullonia in ejusdem domus usus instauranda jam antea inter illos* F *convenerat.*

cui anno ejusdem monachatus initium

132 *Utut sit, cum hasce duas chartas Helvidis anno* 1210 *sola fecerit, ceteræ vero omnes, quas ante eumdem annum produxit Machautus, non ab ipsa, sed ab ejusdem conjuge* Joanne *cum illius consensu factæ leguntur, mihi verisimillimum apparet,* Joannem *non serius, quam prædicto anno* 1210 *suum in Longi-pontis monasterio tirocinium inchoasse. Certe ex chartis, quas ipsius esse constat, nullam protulit Machautus anno* 1208 *posteriorem, nihilque in beati gestis occurrit, quod evincat oppositum, ut paucis ostendo. Anno* 1208 *vel forte sequenti sacræ militiæ, adversus Albigenses indictæ, nomen dare gestiens, quædam nemora sua vendere cœpit ad corrogandas pecunias expeditioni necessarias. Verum mox prohibitus ab uxore, ex consilio cujusdam famuli solitariam cum ipso vitam agere desideravit, eremitasque hac super re consuluit. Ab his Cisterciensia instituta potius sectari jussus, post consultos etiam Parisienses theologos, similiter sentientes, compositasque, ut credere par est, res domesticas in monasterio Longi-pontis monachus factus est.*

illigandum videtur.

A 133 *Hæc omnia sane non tam longum tempus requirunt, quin intra biennium saltem potuerint contigisse; præsertim in viro, qui jam tum aliquo tempore animum ab humanis abstraxerat et inter ipsa mundana negotia vitam sanctissime instituerat. Quin et biographus in vita edenda, licet inter fixum de monastico statu amplectendo propositum atque ipsum tirocinium multa narret, tamen num. 18 clare indicat, non diuturnum tempus inter utrumque intercessisse. Sic enim loquitur :* Quibus (*Parisiensium doctorum consiliis*) intenta mente Dei Famulus auditis, ab illa die statuit, se Ordinem Cistercii ingressurum; quod facere nequaquam distulit : sed prinsquam dicere incipiamus, quemadmodum id factum fuerit, ad enarranda nonnulla ipsius gesta, ab eodem in seculo, corpore non animo, commorante perpetrata, quæ adhuc dicenda restant, nobis est redeundum. *Tum mox cap. 2 varia ejus gesta, et inter hæc etiam quædam ante primam ejusdem conversionem facta recenset; nimirum nihil ordinem temporis curans, in eo capite congessit, quæcumque a beato ante indutum monasticum habitum patrata fuerant, et in primo* B *capite nondum erant relata.*

Helvidis in seculo mansit, at Vallicellis sepulta est.

134 *De Helvide* B. Joannis *uxore pauca hic addo. Illam deinde in sæculo permansisse, scribit biographus in vita edenda num. 55, ubi dicitur* Joannes, *jam monachus, ab illius ædibus aliquando repulsus fuisse cum hoc responso :* Domina sudat; qua de causa videre illam vel loqui cum ea nunc vobis minime licet. *Fuere tamen, teste ac improbante Machauto, qui dicerent, illam eodem tempore, quo vir ejus ejus in Longo-ponte religiosam vestem induit, eadem de causa sese ad Suessionense S. Stephani, nunc S. Pauli puellare monasterium recepisse. Asserti falsitas patet tum ex dictis, tum ex eo, quod in tomo IX Galliæ Christianæ recusæ col. 472 legatur domus ista primum anno 1228 sacris virginibus tradita fuisse. Addit ibidem Machautus, in Notitia ecclesiarum Belgii dici, eamdem aliquando in abbatiam Vallicellensem in Cameracesio secessisse. Verum hæc abbatia virorum erat, non mulierum; et in laudata notitia Miræi pag. 504 lego quidem Helvidem ibidem sepultam esse, sed non lego habitasse. Potuit tamen postremæ vitæ annos juxta eamdem exegisse; quod nec asserere possum, nec inficiari.*

C

§ VIII. Monasticus habitus Beato collatus per Galcherum abbatem; hujus de illius virtutibus testimonium : ejusdem Beati mors anno MCCXVII illiganda.

Monasticum habitum humiliter petit.

Igitur *ex supra dictis* B. Joannes *probabilius anno* 1210 *mundanis rebus, quibus affluebat, titulisque ac honoribus valedicens, ad monasterium Longi-pontis ordinis Cisterciensis profectus est, ibidemque festo Ascensionis Domini in monasticum tirocinium admissus. Loci notitiam dedi num. 1 hujus commentarii; factum vero ipsum lubet hic ex vitæ edendæ num. 38 et sequenti recensere.* Cum igitur die Dominicæ Ascensionis prostratus humiliter in capitulo Longipontis in monachum se recipi postulasset, venerabilis Galcherus, tunc temporis ejusdem loci abbas, et qui postmodum Cistercii extitit laudabilis gubernator, sicut est ipsius ordinis consuetudo, cœpit ei prædicere gravitatem, quam in vigiliis, laboribus, cæterisque regularibus observantiis eum pati oporteret; et quod ab ipso, qui tantus extiterat in gloria seculari, et tam delicate fuerat ab instantia sua enutritus, ciborum asperitas sustineri non valeret.

AUCTORE C. S.

eoque induitur a Galchero abbate

136 Cui humilis Johannes tale dedit responsum : Sciatis (inquit) me numquam in seculo gaudium tantum habuisse, quam si scirem, me fore dignum manducandi panem furfureum, qui canibus projicitur ad vescendum. Cujus tam humili responsione audita, qui aderant, ædificati non modice, ex affectu pietatis omnes fere lachrymari cœperunt. Quod autem non inaniter, sed ex nimio caritatis ardore id dixerit, subsequens ejus conversatio manifeste declaravit. *De Galcheri, alias Galtheri (quod idem nomen est), prælatura nostrum ms. Compendium chronici Longi-pontis hæc habet :* Decimus abbas fuit Galcherus, doctor celeberrimus, qui præfuit ab anno 1200 usque ad annum 1219, quo electus abbas Cistercii, monasterio Longipontis cessit; ut constat ex multis, tum ejusdem Galcheri, tum aliorum monumentis. *Consentiunt Galliæ Christianæ scriptores tom. IX, col. 475 et sequenti in catalogo abbatum Longi-pontis, ubi eidem cognomen* de Ochies *addunt, et tom. IV a* E *col. 992 in Cisterciensium, ubi multa in ejus laudem dicuntur.*

qui de ejusdem vita monastica

137 *Hinc collige, Galchero optime perspectas esse debuisse* B. Joannis *virtutes, quippe qui illum in ordinem ac monasterium suum recepit, et usque ad ejusdem mortem, quæ anno* 1217 *contigit, abbas rexit. Eadem de causa maximi faciendum est tanti viri testimonium, quod de beato subdito suo scriptum reliquit, et cujus primam partem, quæ de vita illius seculari honorifice meminit, jam dedi num. 65, alteram de monastica hic subnecto. Post vero citato numero recensita sic progreditur Galcherus :* Et ipse, ut blandimenta noxia liberius conculcaret, factus est monachus, mortificans membra vigiliis, jejuniis et orationibus, tam intentus, tam humilis, tam timoratus, ut omnibus esset speculum sanctitatis et forma, quam alii sequerentur.

et eximiis virtutibus, præsertim humilitate,

138 Nos autem cui ejus purissimam confessionem audivimus, et conversationis insignia fide oculata inspeximus, dicimus in verbo veritatis, præstito juramento, quod, cum quadraginta septem annis in ordine vixerimus, et multos viderimus monachos et conversos sanctos et religiosos et ordinis zelatores, inter quos et nonnullis visiones F divinæ et revelationes arcanæ crebrius apparebant; pensatis tamen conditionibus, quæ in Johanne singulariter effulgebant, videlicet nobilitate, opulentia, pompa et gloria, quibus inter palatinos eminenter apparuerat, postmodum humilitate, paupertate, vilitate et abjectione mundi et sui, in tantum, ut et contemni amplecteretur; comparatione ipsius nullum de omnibus, quos præmisimus, credimus esse præferendum. Unde secundum testimonia Scripturarum indubitanter credimus, eum assumptum in atria Domini, similem factum in gloria sanctorum.

insigne testimonium scriptum reliquit.

139 *Hactenus laudatus abbas Galcherus, Beati conscientiæ moderator et oculatus virtutum testis, fide dignissimus, qui mihi quidem videtur testimonium hoc scripto reliquisse, ut, si quando de ejusdem* Joannis *beatificatione vel canonizatione agendum esset, usui foret. Ceterum Galcheri dictis omnino consonat vita edenda, in qua inter reliquas illius virtutes vere mira viri humilitas ac sui præ ceteris omnibus contemptus perpetuo apparet;*

AUCTORE G. S.

ret: quæ tanto majoris merito fecit, magisque miratus Galcherus est, quanto iste in sæculo major ceterisque excellentior opibus pariter ac sanguine mundanisque honoribus exstiterat. De gestis illius plura hic non addo, quia, si qua illustratione indigeant, id in Annotatis abunde fieri poterit. Hoc unum hic observo, nusquam in vita indicari, an beatus ad ullum e majoribus sacris ordinibus fuerit provectus. Ex mox dato tamen Galcheri testimonio satis constat, illum non fratribus laicis, quos Conversos *appellant, sed monachis divino ministerio peculiariter destinatis adscriptum fuisse. Galcherus enim ibidem* monachos a Conversis *diserte distinguit, et de B. Joanne ait :* Factus est monachus.

Mortuus est, non circa annum 1167,

140 *Pergo igitur ad illius annum emortualem, quem ut reliqua ad chronotaxim spectantia, prætermisit biographus. Quam longissime a vero hic aberravit anonymus auctor vitæ fabulosæ ejusdem beati, quam a Benedicto Gonono, monacho Cælestino Lugdunensi est mss. codicibus sui ordinis monasterii Suessionensis diximus excusam in vitis Patrum Occidentis lib. 4 et in cujus calce hæc legere est :* Demum A. Joannes, sanctitate et miraculis conspicuus, circiter decimo quarto ab obitu divi Bernardi (*Claravallensis abbatis*) anno, senio B gravis apud Longipontis cœnobium ex hac vita migravit. *Obiit autem S. Bernardus anno 1153, prout ad diem 20 Augusti, quo colitur, in Opere nostro probatum est; quam ob rem, si fabulatori credimus, B. Joannis e vivis excessus circa annum 1167 reponendus erit, quod quam falsum sit, ex supra dictis omnibus manifestius est, quam ut amplius exponi debeat.*

usque anno 1200,

141 *Angelus Manrique tom. III Annalium Cisterciensium ad annum Christi 1200, cap. 5 de ejusdem emortuali tempore dubius hærens, tandemque ex vitioso Galcheri abbatis apographo pro proxime citato concludens, ita disserit.* Pretiosam mortem venerabilis Joannis Montis-mirabilis, quondam potentis reguli, mox humilis in Longo-ponte monachi, quem supra memoravimus, quamvis multi anteponant (*anno* 1200) alii differant: in hunc annum, aut circa, incidisse, testimonium Walteri (*sive Galcheri*) abbatis mihi persuadet, sub quo habitum suscepit, et quo vivente, ex hac vita migrasse dicitur, antequam ad Cistercium ex Longo ponte, ex filia ad matrem, atque in totius ordinis caput, promoveretur. Porro testimonium, quod nobis ex antiquo ms. Longipontis dudum transmissum, post C vidimus vulgatum ab Henriquez in Menologio, tale est : « Testimonium domini Walteri de « Ochies, abbatis Longipontis, qui habitum Reli- « gionis; S. Joanni de Montemirabili dedit in die « Ascensionis; et quo adhuc vivente, S. Joan- « nes migravit ad Dominum : et post idem Gal- « therus assumptus est in in abbatem Cistercii. »

ubi ex vitioso Galcheri apographo

142 Sub finem autem hæc habet verba.... « Transiit autem tertio Kalend. Octobris, die san- « ctorum angelorum, hora diei prima, anno « Incarnationis Domini millesimo ducentesimo. » *Deinde hæc sic excipit laudatus annalista :* Hactenus certius testimonium de morte viri; sed nihilominus non omnino irrefragabile; quippe Walterus non ante ad Cisterciensem præfecturam assumptus est, quam Conradus, qui illum antecessit, ad dignitatem Cardinalitiam promoveretur adeoque post annos, ut minus, decem et novem. Quod si adhuc præfuisset Longoponti, cum Joannes obiit, expressisset haud dubie, sicut expressit de suscepti habitus tempore. Quid quod nonnulla narrantur de Joanne, quæ posteriora hoc anno esse videntur. *Objicit etiam ac* D *merito rejicit beati vitam a Gonono editam, ac denique concludit his verbis.*

143 Verum est (*inquit*) nullum in ea (*Vita, quam edemus*) tempus præfigi nec conversioni viri, nec obitui; unde ad solum Walteri testimonium recurrendum censuimus, tum ad ea, quæ dicuntur de sancto Viro, quæ procul dubio huic tempori, quam anteriori, melius aptantur. *Suspicor, hic aliquot voces intercidisse post verbum* censuimus, *ubi desiderantur hæc vel similes :* tum ad figendum obitum illius, tum etc. *Nunc annalistæ dicta expendamus. Recte ipse Walteri seu Galcheri testimonium ceterorum assertis prætulit, nec tamen, quale ipse habebat, omnino irrefragabile sensuit, quia* nonnulla narrantur de Joanne, quæ posteriora hoc anno (1200) esse videntur. *Certe ex instrumentis donationum superius relatis indubitatum est, B. Joannem anno 1208 nondum monachum, multo minus mortuum fuisse. Si hæc vidisset Manrique, haud dubie fassus esset, vel Galcherum in annotando mortis anno lapsum esse, vel in suo, quod habebat, apographo, quodque Henriquezius edidit, mendum cubare.* E

statuit Manriques in Annalibus Cisterciensibus,

sed anno 1217.

144 *Errorem in illis esse, probant hactenus dicta et apographum nostrum Longo-pontanum, a Muldraco acceptum, in cujus calce legitur :* Transiit autem tertio Calendas Octobris, die sanctorum Angelorum, hora die * prima, anno Incarnationis Domini 1217. *Consequenter ad hæc laudatus Muldracus in nostro ms. Compendio Chronici Longi-pontis ad præcitatum annum mortem ejus signavit, sic inquiens :* Vigesimo nono Septembris, die S. Michaelis archangeli, B. Joannes de Monte mirabili, omnium virtutum, sed præcipue humilitatis et charitatis radiis mirabiliter effulgens, e vita discessit, miraculis post obitum gloriosus. *Hoc anno fixo, cessant difficultates omnes quas ex memoratis donationum instrumentis adversus vitiosum Manrici apographi locum adduxi. Nihil quoque roboris habet argumentum, quo idem annalista Cisterciensis ex eodem Galcheri testimonio suspicionem moveri posse credidit pro Beati morte non ante annum 1219 figenda.*

* dici

Neque differri mors ejus potest F

145 *Verba illius, quæ dedi num 142, hoc ratiocinium continent : Galcherus expresse notat, sese Longi-pontis abbatem fuisse, quando B. Joannes monasticum habitum ibidem induit; sed non ait, eumdem suæ prælaturæ tempore obiisse. Jam ergo abbas Cistercii erat Galcherus, dum Joannes excessit a vivis. Sed Galcherus prælaturam Cistercii non ante adeptus est, quam ejusdem loci abbas Conradus ab Honorio III Romano Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem evectus fuerat : quod cum primum anno 1219 contigerit, non ante hunc annum mors B. Joannis posset reponi. Ut hujus argumenti inanitas pateat, proderit ipsius Galcheri seu Galteri verba repetiisse. Testimonium suum sic orsus est :* Nos frater Galterus abbas Longipontis tempore, quo dominus Joannes de Montemirabili habitum religionis assumpsit, testificamur universis *etc. De ejusdem vero obitu in fine ait :* Transiit autem tertio Calendas *etc. ut num. præcedenti dictum est.*

usque in annum 1129.

146 *Priora verba geminum sensum patiuntur; unum, quasi diceret Galcherus, sese Longi-pontis abbatem fuisse* tempore, quo dominus Joannes... habitum religionis assumpsit, *sed non amplius fuisse, dum ista scriberet. Secundo sic accipi possunt :* Nos frater Galterus abbas Longipontis (*jam a*) tempore, quo dominus Joannes.... habitum religionis assumpsit *etc; et sic Galcherus assereret*

AUCTORE C. S.

A *assereret, se abbatem Longi-pontis fuisse, quando* B. Joannes *ad tirocinium admissus est, et adhuc fuisse, dum ista scriberet. Hunc posteriorem interpretationem omnino suadet Galcheri de sua Cistercii prælatura silentium : si enim jam tunc Cistercio præfuerit, cur non ait :* Nos frater Galterus abbas Cistercii, autea abbas Longi-pontis tempore, quo *etc? Si autem Longi-ponti etiam præfuerit, dum laudatum testimonium scripsit, manifesta fit ratio, cur expresse dixerit,* B. Joannem, *se abbate, in monasterium admissum esse, nec addiderit, eumdem suæ in eodem loco prælaturæ tempore etiam mortuum esse.*

ut ex Galcheri verbis

147 *Nam primum necessarium erat, ut probaret,* B. Joannis *virtutes ab ipso religiosæ vitæ exordio sibi probe perspectas fuisse; ulterum plane fuisset supervacaneum : cum enim Galcherus, abbatem Longi-pontis se fuisse dixisset, dum* Joannes *ibidem monachus factus est, et talem se adhuc nominaret, satis indicavit, eumdem sub se abbate in Longi-pontis cœnobio vitam monasticam auspicatum esse et beato fine terminasse. At fuerit Galcherus, dum hæc scripsit, abbas Cistercii, aliunde tamen constat, illum, moriente* Joanne,
B *Longo-ponti abbatiæ præfuisse. Biographus in vita edenda num.* 59 B. Joannis *obitum narraturus,* In vigilia, *inquit,* S. Michaelis (cujus dies festus fuit transitus humilis Joannis...) talis visio domno Hugoni, qui tempore illo prioratus officio fungebatur, apparuisse asseritur manifeste. *Deinde visionem exponit, ac de eodem Hugone Priore expresse addit :* Qui postea extitit abbas venerabilis dicti loci, *scilicet Longi-pontis.*

dubitavit laudatus annalista,

148 *Rursum num.* 66 *inter miracula ad* B. Joannis *invocationem impetrata scribit :* Accidit quodam tempore, quod domnus Hugo venerabilis abbas Longi-pontis, ille scilicet, qui, quo tempore servus Dei Joannes obiit, visionem viderat *etc. Atque hic ipse est Hugo, quem tam Muldracus in ms. Compendio Chronici Longi-pontis, quam Galliæ Christianæ continuatores tom. IX, col.* 476, *anno* 1219 *Galchero ad Cistercii regimen promoto in Longi-pontis prælaturam successisse ostendunt. Muldraci verba accipe :* Undecimus abbas fuit Hugo ex Priore, qui præfuit ab anno 1219 usque 1231. *Mortuus ergo est* B. Joannes, *Hugone Priore, et Galchero abbate*
C *Longi-pontis, atque adeo hinc nulla ratio est contra nostri apographi assertum ejusdem Beati mortem ultra annum* 1217 *differendi. Denique* Joannem *non supervixisse usque in annum* 1219, *docet etiam charta, quam Joannes ejusdem filius anno* 1218 *monasterio Longi-pontis concessit, quæque exstat apud Muchautum pag.* 456, *et plenius in ms. nostro Longi-pontano, ex quo pauca hic describo.*

contrarium probante etiam charta anni 1218.

149 Ego Joannes Montis-mirelli dominus et Oysiaci, notum facio præsentibus et futuris, quod ego concessi ecclesiæ et fratribus, Longi-pontis pro remedio animæ meæ, et pro anima Patris mei et animabus antecessorum meorum, domum unam accipere *etc.* Quod ut ratum permaneat et inconcussum, præsentem paginam sigilli mei feci munimine roborare. Actum anno Gratiæ 1218. *Negari nequit, quin Joannes filius, qui* Montis-mirelli dominum *jam se appellat,* Joannem *patrem suum hac phrasi* pro anima Patris mei et animabus antecessorum meorum *mortuis annumeraverit anno* 1218. *Hac de causa etiam laudatus Muchautus lib.* 4, *cap.* 3 *ejusdem Beati mortem anno* 1217 *vel proxime sequenti innexuit, et ultra hunc differri posse merito negavit : ego vero ex nostro ms. apographo testimonii Galcheri annum* 1217 *retinendum censeo, quem etiam signavit Bailletus.*

Respondetur ad argumentum.

150 *Superest tamen altera difficultas, quæ pro anno illius emortuali aliquot annis citius collocando moveri potest ex iis, quæ Benedictini Galliæ Christianæ scriptores tom. IX de supra laudati Hugonis prælaturis tradiderunt. Col.* 306 *inter abbates Signiacenses duodecimo loco recensetur* Hugo de Oratorio, prior Longi-pontis, successit Ægidio. Rexisse dicitur quinque annos; ergo usque ad annum 1215 : *nam Ægidium anno* 1210 *ab officii onere vivum sublatum fuisse præmiserant. Ibidem col.* 831 *in catalogo abbatum Frigidi-montis sic legitur :* Hugo, ex priore Longi-pontis abbas Signiaci, tum Frigidi-montis occurrit 1216 in chartis Ursi-campi, defunctus 5 Non. Martii. *Denique in eodem tomo col.* 476 *in serie abbatum Longi-pontis rursum dicitur :* Hugo V de Oratorio, ex priori Longi-pontis abbas Signiaci, tum Frigidi-montis, demum Longi-pontis eligitur abbas, cui Blancha comitissa Trecensis dedit anno 1219 domum apud Ulcheium *etc.*

E

quod pro Beati obitu multo citius figendo

151 *Secundum hæc Hugo, de quo agimus, jam inde ab anno* 1210 *ex priore Longi-pontis ad Signiacensem prælaturam, atque hinc anno* 1215 *vel* 1216 *ad Frigidi-montis abbatiam promotus fuisset, et inde denique anno* 1219 *Longi-pontis abbas evasisset. Quo posito, dicendus quoque esset* B. Joannes *non serius, quam præcituto anno* 1210 *supremum diem suum obiisse, si, ut biographus expresse asserit, sub Hugone priore Longi-pontis mortuus sit. Verum quod ad abbates Signiacenses attinet, non tam accuratus horum catalogus hic est, ut eodem stare oporteat. Guilielmus Marlotus tom. II Historiæ metropolis Remensis in Appendice alium catalogum exhibet, in quo Hugonis prælatura Signiacensis alteri tempori illigatur. Ejus verba hæc sunt :* Hugo prior Longi-pontis Ægidio (*quem anno* 1202 *cessisse præmiserat*) successit; post quinque annos regiminis abdicat anno 1217. Postmodum vero fit abbas Frigidi-montis, ac tandem Longi-pontis.

peti posset ex prælaturis Signiacensi

152 *Quin ipsi Galliæ Christianæ scriptores loco citato, nimirum col.* 306 *agnoscunt, non satis certam esse opinionem, quæ Hugonis prælaturam Signiacensem ab anno* 1210 *usque ad* 1215 *perducit.* Hugo (*inquiunt*) de Oratorio, prior Longi-pontis, successit Ægidio. Rexisse dicitur quinque annos; ergo ad annum 1215 : unde falsus esset Marlotus, qui eum abdicasse ait anno 1207, futurum postmodum Frigidi-montis ac tandem Longi-pontis abbatem. Sed Marloti calculum non adeo falsum esse, ostendimus in Petro, qui sequitur. *Post hæc mox subdunt :* Petrus subprior Longi-pontis, post biennium amotus esse dicitur; quod cadere debet in annum 1217, si revera Hugo rexit ad annum 1215. Sed præterquam quod citavimus olim tom. V, col. 287 transactionem Petri abbatis Signiacensis datam anno 1213, reperimus eumdem Petrum anno 1211 in Tabulis Theodoricianis. *Hæc si vera sint, evanescet omnis ex hac parte difficultas; nempe si dicatur Hugo circa annum* 1207 *abbatiam Signiacensem abdicasse, et ad Longum-pontem reversus gessisse prioratum.*

F

et Frigidi-montis, quæ Hugoni,

153 *Restat, ut ad alteram argumenti partem respondeam, quæ peti potest ex tempore, quo idem Hugo monasterio Frigidi-montis abbas præfuisse perhibetur;*

AUCTORE G. S.

perhibetur; nam, ut supra monui, apud Galliæ Christianæ scriptores tom. IX, col. 831 *sic legitur :* Hugo, ex priore Longi-pontis abbas Signiaci, tum Frigidi-montis, occurrit anno 1216 in chartis Ursi-campi, defunctus v Non. Martii. *Hæc ibi; nec plura de eo. Recensetur autem ibidem inter Henricum I, qui ex* charta Joannis de Cardineto *anno* 1216 *adhuc abbas fuisse, annoque* 1218 *in quadam alia charta* quondam abbas *appellari dicitur; et inter Albertum,* cui Theobaldus Blesensis et Claromontensis comes confirmavit anno 1218 locum, in quo abbatia sita est *etc. Præfuisset igitur Hugo Frigido-monti ab anno* 1216, *et successorem jam habuisset anno* 1218, *quorum anno intermedio* B. Joannem *mortuum esse statuimus, ac proinde Hugo prioratum Longi-pontis gerere debuisset.*

quo priore Longi-pontis, Beatus obiit.

154 *Ad hæc duo habeo, quæ respondeam, quorum alterutrum propter biographi instrumentorumque, quæ adduxi, auctoritatem omnino dicendum est: videlicet aut Hugonem Frigidi-montis abbatem, si talis tunc huic loco præfuerit, alium esse ab abbate Longi-pontano, aut si idem sit, eumdem mense Septembri anno* 1217 *prioratus officio* B *in Longo-ponte denuo functum fuisse. Primum mihi verisimillimum apparet ex ipsis Galliæ Christianæ verbis collatis cum ms. chronico Muldraci. In illa Hugo inter abbates Frigidi-montis sic memoratur, ut in eadem prælaturam mortem obiisse dicendus sit : quis enim aliter colligat ex his verbis :* Hugo, ex priore Longi-pontis, abbas Signiaci, tum Frigidi-montis, occurrit anno 1216 in chartis Ursi-campi, defunctus v Non. Martii? *Alium item diem emortualem iidem Galliæ Christianæ scriptores Hugoni Longi-pontano abbati adscribunt col.* 476 *in serie abbatum Longi-pontis, ubi legitur Hugo* defunctus 7 Cal. Feb.. *Sane hæc geminum Hugonem indicant, unum Frigidi-montis, alterum Longi-pontis abbatem.*

adscribuntur.

155 *Hisce adde, quod Hugonis, qui postea Longi-pontis abbas fuit, tam Signiacensis, quam Frigidi-montis prælatura ignota fuisse videatur Muldraco in sæpe laudato chronico ms., cum de neutra meminerit, sed Hugonem ex Priore Longi-pontis ad ejusdem monasterii abbatiam evectum fuisse expresse dicat,* Undecimus (*inquiens*) abbas fuit Hugo ex priore, qui præfuit ab anno 1219 usque 1231. *Itaque ut hæc concilientur, ponamus, sæculo decimotertio inchoato duos floruisse in* C *Longo-ponte Hugones, quorum primus ex hujus loci priore abbas Signiacensis, ac deinde Frigidi-montis factus et mortuus sit; alter vero ex prioratu Longi-pontis in ejusdem abbatiam anno* 1219 *Galchero successerit. Denique, ne longior sim, cui hæc Hugonis geminatio non placet, is Hugonem ex Frigidi-montis prælatura ad prioratum Longi-pontis ante diem* 29 *Septembris anni* 1217 *reducat : nam eo tempore, ac priore Hugone,* B. Joannem *obiisse, ex supra dictis multo certius est, quam ut ex memoratis abbatum catalogis convelli possit.*

D

§ IX. Prima Beati corporis translatio intra claustrum monasterii; secunda intra ecclesiam in magnificum mausoleum : cultus eidem ibi exhibitus : tertia facta in hierogazophylacium.

Beati corpus e communi monachorum cœmeterio

De B. Joannis *sepulcris Muldracus in ms. Compendio chronici Longi-pontis ad annum* 1217, *quem eidem supremum inter mortales fuisse dixi, hæc ait :* Primo sepultus est in communi cimiterio; deinde in sepulchro marmoreo, intra murum claustri seu ecclesiæ decenter extructo et elevato; postremo in honorifico intra ecclesiam ad latus seu cornu Euangelii monumento. *Duas priores sepulturas etiam commemorat biographus, non item tertiam, nempe quia ante hanc scripsit. Illas vero sic indicat num.* 62 *:* Accidit, quod E corpus servi Dei Johannis de loco, in quo fuerat humatum anterius, ad locum alium transferretur *etc. Rursum num.* 64 : Contigit etiam, ut ossa Dei servi de loco, in quo primum fuerat positum corpus ejus, elevarentur in claustro monachorum, tumba ibidem in muro fabricata, ante quam monachi improvide super sedes ligneas more solito residebant. Quod cum aliquibus videretur inhonestum, monacho cuidam imperavit prior, ut Conversum carpentarium, Matthæum nomine, accersiens, ad tumulum Sancti eum adduceret, quatinus coram illo memoratas sedes amputaret. *Quod et mox factum ait, eumdemque conversum, sive fratrem laicum, pro eo pietatis obsequio gravi pedis sui malo divinitus tunc liberatum fuisse.*

transfertur in tumbam marmoream intra claustrum;

157 *Hujus translationis haud dubie causa fuit nota Viri sanctitas, cujus beata mors tam Hugoni tum temporis priori, quam alteri cuidam Longi-pontis converso, per ardentis cerei in cælum sublati visionem pridie, quam ille e vita excederet, fuerat prædicta. Forte etiam præcesserant miracula aliquot, qualia post hanc primam translationem ad ejusdem beati tumbam plurima contigisse, tradit biographus cap.* 4 *et* 5. *Quod ad translationis tempus attinet, hæc nec prima ab illius obitu* F *anno, nec etiam multis admodum annis post facta videtur. Primum colligo ex eo, quod, dum illa contigit, illius caro jam inde in cineres redacta fuerit, cum biographus verbis mox datis dicat,* OSSA Servi Dei de loco, in quo primum fuerat positum corpus ejus, *tunc elevata fuisse; ac denuo apud eumdem num.* 62 *et sequenti legatur quidam tempore, quo prima translatio decreta fuerat, in* B. Joannem *blasphemus, ore terribiliter contorto, divinitus castigatus, et* post unum fere mensem semel et secundo veniens ad tumbam Dei famuli Johannis, ad contactum OSSIS UNIUS memorati Sancti de infirmitate sua ad plenum convaluisse.

quod non serius, quam anno 1233 factum videtur.

158 *Alterum verisimile fit ex eadem vita num.* 66, *ubi dicitur Hugo abbas, quo prioratum gerente,* B. Joannes *obierat, malo genu et tibiæ, gravique quotidiana febri conflictatus,* ad memoriam viri Dei Johannis apponi jussisse ardentem cereum, quatinus ejus intercessione subsidium inveniret; *eoque facto, utraque infirmitate liber evasisse.*

AUCTORE C. S.

A *sisse. Jam vero per memoriam verisimilius beati tumbam marmoream in claustro positam significat, et sic jam tum facta fuerit prima translatio; vel si primam in communi cœmeterio sepulturam indicet, credibile est, laudatum Hugonem mirabili ista sanatione impulsum fuisse, ne corpus tanti Viri, cujus viventis sanctitatem perspectam habuerat, ac pretiosam mortem divinitus intellexerat, pateretur diutius in vulgari loco jacere. Porro Hugo iste secundum Muldraci Chronicon ms. anno 1231, secundum Galliæ Christianæ scriptores biennio serius, vivere desiit, ac proinde inter hosce annumque 1217, qui beato emortualis fuit, hanc primam translationem contigisse putamus. De eadem etiam loqui videtur biographus in vita edenda num. 71, dum ait:* Cum sacra ejus ossa ab abbate Caricampi de tumulo levarentur *etc. Vide Annotata ibidem ad lit.* p.

Hinc denuo translatum est in chorum ecclesiæ,

159 *Quamdiu in hoc secundo sepulcro* B. Joannis *ossa quieverint, mihi discere non licuit; at certe eodem sæculo hinc in aliud multo nobilius mausoleum translata fuere, prout ex Muldraco supra cœpi dicere, et nunc prolixius exponam.* Postremo (*inquit Muldracus*) in honorifico in-

B tra ecclesiam, ad latus seu cornu Euangelii (*transposita sunt*) monumento, artificiose elaborato, et duplici figura exornato; militis scilicet armati in planitie inferiori; monachi vero, antiqua ordinis cuculla induti, in superiori, cum hoc epitaphio in circuitu tumuli litteris aureis exarato.

✠ IN LONGO PONTE VOLUIT SE SUBDERE SPONTE
OBSEQUIO CHRISTI, LAPIDI QUI SUBJACET ISTI,
CUJUS IBI CINERES, MONTIS-MIRABILIS HÆRES
OLIM, JURE DEI GRATIA NOMEN EI (ID EST, JOANNES).
GRATIA SIT CHRISTO, QUI NOS DECORAVIT IN ISTO. AMEN.
AVE MARIA, GRATIA PLENA.

positumque in magnifico mausoleo.

160 *Machautus lib. 4 vitæ, cap. 4 mausoleum hoc paulo latius descripsit verbis gallicis, quæ hic latina reddidi.* Situm est ad cornu Euangelii altaris principis intra chorum; sed quod in eo singulare esse aio, velut duplex est. Nam in

C prima contignatione, terræ proxima, visitur vir extensus cubans, pro illius temporis more cataphractus, gladium sub manu dextera gestans, sub sinistra scutum, gentilitiis symbolis aurei leonis repentis in area coccinea distinctum; quæ tamen coloribus potius, quam cælo, expressa fuere, cum hodiedum non appareant amplius. Deinde velut aliud tabulatum est ex grandi saxo, ejusdem cum reliquo opere magnitudinis, super quo altera defuncti statua quiescit, similiter cubantis, habitu Religiosorum S. Bernardi induti, majori ordinis veste ornati, eaque manus cooperti. Ita Joannes Montis-mirabilis in gemina conditione ibidem spectatur, domini scilicet mundani, et humilis Religiosi, cum quadam majestate, quæ ab ipso primo accessu inspirat devotionem.

quod describitur.

161 Summa cornuis opus architecturæ elegantis ac belle elaboratæ est; nec desunt cetera adjuncta, columnæ et anterides ad contignationes sustentandas necessariæ, quæ liberum luci spatium permittunt, ut utraque sepultura undequaque commode possit spectari. *Recte etiam ait ibi Machautus, videri sibi, hujus geminæ statuæ sepulcro apponendæ causam fuisse, ut Viri sanctitas, qua in utroque statu claruit, ex utriusque conditionis diversitate spectatoribus magis elucesceret. Utramque quoque statuam, a Joanne Baptista Picart ære incisam exhibet; primam, scilicet militis cataphracti, pag. 80, alteram monachi pag. 174; sed ambæ* Joannem, *non cubantem, ut dixerat, sed stantem exhibent. In prima etiam abest scutum gentilitium; et gladii capulus, quem sub manu illius dextera esse dixerat, sub cubitu sinistræ dependet; ut dicendus sit laudatus artifex Picart ex duabus istis statuis sepulcralibus duas alias, certe diverso situ, effinxisse. Eapropter, quod alias facere decreveram, censui, eas chalcographo nostro non dare imitandus.*

et factum creditur a Maria, Beati filia,

162 *Idem scriptor docet, ibidem tredecim antiqua candelabra ferrea, ferreis vectibus, quibus mausoleum cingitur, affixa, atque infra quoque aliquot alia cum vetusta lampade, certa antiqui cultus indicia spectari. Existimat denique, hoc nobile mausoleum sumptibus Mariæ, ejusdem Beati filiæ, Engueranni vel Ingranni III domini de Couci uxoris, erectum fuisse; quod satis verisimile est ex ejusdem dominæ erga Patrem suum pietate, vitaque Christiana et munificentia in Longi-pontis abbatiam, in cujus ecclesia non procul a paterno* E *illo mausoleo etiam, ut voluit, sepulta fuit. Sane exstat apud Machautum charta ipsius gallice scripta anno 1271, in qua sepulturam suam in eadem ecclesia eligens sic loquitur.* Cum ego pro salute et securitate animæ meæ, et pro amore ac nobili memoria boni Joannis, sancti Patris mei, cujus corpus honorabiliter jacet in Longi-pontis monasterio, devote et humiliter ab abbate et conventu Longi-pontis mihi petierim sepulturam in eorumdem æde, noverint omnes, abbatem dictumque conventum, propter bonam voluntatem meam, qua supra dictis de causis illos eorumque ecclesiam prosequor...., sepulturam mihi in sua ecclesia concessisse etc.

quæ juxta illud tumulata jacet;

163 *Concessioni respondit eventus: nam, eodem teste, ipsa quoque in prædicta ecclesia ad cornu Evangelii aræ principis juxta Patris sui mausoleum in magnifica tumba sepulta jacet cum hoc epitaphio.* Hic jacet nobilis Maria de Fara; quæ, cum sanctissime viveret, fuit in eleemosynis larga, bonis operibus plena, in oratione devota; filia hujus probissimi militis et devotissimi monachi, Fratris Joannis, quondam domini de Monte-mirabili, mater Ingranni de Conci. *De tempore, quo* F *memoratum* B. Joannis *mausoleum factum videri potest, anonymus Longi-pontanus in Commentariolo ms. jam alias laudato, sic disserit.* Credibile est, contigisse translationem hanc sanctarum Joannis exuviarum ab claustro ad ecclesiæ sanctuarium anno 1250, vel circiter, quo templum istud, Galliæ totius pulcherrimum e monasticis, consummatum completumque est. Jam enim anno 1252 Matthæus, Joannis hujus secundogenitus et hæres, ut sepulchrum Parentis, varia miraculorum fama coruscans, veneraretur, mense Junio contulit ecclesiæ Longi-pontis tredecim libras fortium (summam tunc temporis notabilem) annui reditus super pedagio de Tremis accipiendas, ad fovendum cereum die noctuque accensum ante tumbam seu sepulchrum B. Joannis de Montemirabili patris, ut testatur cartula sigillata ejusdem Matthæi.

sed translationis annus incertus est.

164 *Matthæi chartam, aliasque eodem spectantes mox recitabo: interim observo, hanc anonymi de tempore exstructi mausolei opinionem satis verisimilem, non tamen certam mihi videri. Verisimile enim est, eodem tempore, quo* B. Joannis *ossa*

AUCTORE C. S.

ossa e claustro ad novum mausoleum in ecclesiam venerationis ergo translata fuere, etiam cereum illum eadem de causa eidem additum fuisse. Verum cum hæc ratio non evincat, et Longi-pontis ecclesia cum altari principe jam inde ab anno 1227 *dedicata fuisse, tam in Muldraci chronico ms., quam in Gallia Christiana legatur, potuit mausoleum istud aliquot annis citius exstitisse, ac deinde perpetui cerei donatio a Matthæo adjecta esse. Ut tamen ejusdem mausolei exstructio propius ad medium sæculum* 13 *admoveatur, suadet biographi in vita edenda de eodem silentium. Hisce breviter observatis, laudatum instrumentum Matthæi, qui post fratris sui Joannis illiberis obitum etiam Montis-mirabilis et Osiaci dominus evaserat, ex eodem anonymo subjicio.*

Matthæus Beati filius cereum

165 Ego Matthæus, Montismirelli et Oisiaci dominus, notum facio præsentibus et futuris, quod ego pro remedio animæ meæ et antecessorum et successorum meorum dedi et concessi in puram eleemosinam ecclesiæ beatæ Mariæ de Longoponte, Cisterciensis ordinis, tredecim libras fortium annui reditus pro quodam cereo, qui B ardebit die nocteque in perpetuum coram tumba carissimi domini et patris mei Joannis, quondam domini de Montemirabili, recipiendas annuatim in pedagio meo de Tremis infra festum omnium Sanctorum; ita tamen, quod dicta pecunia in alios usus nullatenus convertatur. Volo autem et præcipio, quod, quicumque dictum pedagium nostrum tenebit, dictos denarios dictæ abbatiæ dicto termino annuatim persolvat sine alicujus expectatione mandati. Si autem dicti denarii dictæ abbatiæ dicto termino non solverentur, volo, quod, quicumque dictum pedagium tenebit, quod reddat dictæ abbatiæ pro qualibet die, qua in mora solvendi dictos denarios post dictum terminum fuerit, quinque solidos fortium pro pœna, dum tamen a nuntiis dictæ abbatiæ sufficienter sit requisitus.

coram illo perpetuo accendendum

166 Et ad hæc et omnia et singula supradicta firmiter tenenda, me, mea, successores meos obligo; in cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum meum feci appendi. Datum anno Domini 1252 mense Junio. *Idem instrumentum, sed minus integrum excudit Machautus pag.* 459 *et sequenti; addens, Matthæi sigillum ordinarium* C *ac secretum, sive in postica prioris parte appositum, eidem ex vitta serica rubra appensum esse. De vocibus barbaris, quæ in eodem leguntur, hæc pauca accipe.* Libras fortium *et* solidos fortium *purioris monetæ esse, docet Cangius in Glossario ad vocem* Moneta. Pedagium *a gallica voce* peage, *quoddam tributum est principi debitum, ac nonnumquam etiam pro loco seu territorio, ubi pendendum est, usurpatur.* Tremæ, *alias* Trama, *gallice* Tresmes, *locus, ex quo supra dictæ libræ solvendæ erant, vicus est cum castro ad cognominem fluviolum in Campania gallico, et nuper ducatus titulo insignitus, inquit Baudrandus in Lexico.*

fundavit, eamque donationem tam ipse,

167 *Ejusdem donationis etiam meminit Muldracus in ms. Compendio chronici Longi-pontis, ad annum* 1252, *ubi ista legere est:* Matthæus Montismirabilis et Oisiaci dominus tredecim libras fortium annui redditus legat ecclesiæ Longipontis, et super pedagio de Tremis assignat, ad habendum cereum die noctuque in perpetuum accensum coram sepulchro B. Joannis de Monte mirabili, patris sui. *Eumdem idem Matthæus confirmavit anno* 1261, *mense Decembri, quo tempore B. Joannis corpus in choro ecclesiæ certe jam* D *jacebat, cum laudatus Matthæus verbis gallicis (nam instrumentum gallice scriptum est) dicat, se* dedisse in eleemosynam ecclesiæ Longi-pontis tredecim libras ad procurandum cereum, qui die noctuque perpetuo ardeat ante aram principem B. Mariæ Longi-pontis et tumbam Domini patris mei. *In eodem instrumento, quod apud Machautum pag.* 461, *et in ms. nostro Longi-pontano exstat, etiam mentionem facit de capellania ibidem a se fundata, sed non edicit, in cujus gratiam vel honorem id fecerit.*

quam ejus heredes confirmarunt; sed ea modo exstincta est.

168 *Eam donationem deinde etiam Maria, B. Joannis, ut dixi, filia, fratrumque suorum unica heres, anno* 1271, *et hujus filius Enguerunus de Couci anno* 1277, *mense Aprili, confirmarunt, ut videri potest apud Machautum pag.* 463 *et sequenti, ubi utriusque charta gallice scripta, sed non integra, exhibetur, et in posteriori* Joannes *expresse appellatur* Sanctus *hoc modo:* Pro cereo, qui die noctuque ardeat ante sepulturam sancti Joannis. *Item alia instrumenta annorum* 1310, *et* 1348 *ibidem breviter laudat Machautus, ut probet, prædictos annuos redditus ad eumdem* E *finem sæculo* 14 *etiam persolutos fuisse. Verum pagina* 310 *præmisit, cereum illum suo tempore, sive sæculo* 17 *non amplius accendi, quod bellis intervenientibus et abbatiæ paupertati attribuit. Præter illum autem soluisse olim etiam multos alios ibidem ardere, probant tredecim illa condelabra ferrea, quæ ad beati mausoleum affixa adhuc spectari, ex eodem dixi num.* 162.

Imminuta est hujus sepulcri veneratio.

169 *Fatetur tamen ibidem Machautus, consuetudinem illam cereos in iisdem, saltem statis temporibus et ex certis redditibus, si umquam viguerit, pariter desiisse. Juverit verba ejus ex gallicis latina recitasse.* Nec cessant, *inquit,* hodieque quidam pro sua devotione cereos ad eamdem sepulturam deferre, ut Deum honorent in Sancto suo. Hoc contingit quotidie pro ratione beneficiorum, quæ obtinentur, aut necessitatum, quæ ad illius opem implorandam cogunt recurrere. Sed magnus ille candelabrorum numerus, quæ, sustentandis cereis facta, prætexunt ferreos vectes, quibus summitas operis clauditur, abunde indicant, quanta cum celebritate hi honores ei olim exhibiti fuerint, et, si tempora eam consuetudinem interruperint, non tamen sic aboleverunt vestigia, quin sat remanserint, quæ probent, quid majores nostri hac in parte senserint, quæque nos inducere possint, ut eosdem imitemur. *Hactenus ille.*

postquam illius corpus inter sacras reliquias reclusum est

170 *Et vero mirandum non est, istam cereos tanto numero ad beati sepulcrum accendendi consuetudinem cessasse, postquam sacra ejusdem ossa, in quibus hæc veneratio ipsi exhibebatur, ex eodem sepulcro sublata et inter reliquas Sanctorum reli-* F *quias in ecclesiæ sacristia acclusa fuere. Muldracus in Compendio ms. Chronici de hoc argumento sic paucis loquitur:* Ex hoc etiam sepulchro sacra ejus ossa et caput elevata, in capsis recondita, cum Sanctorum reliquiis pie in dicto Longi-pontis monasterio asservantur ab antiquo; ut constat ex processu verbali illustrissimi ac reverendissimi domini Simonis le Gras, Suessionensis episcopi, 21 Maji 1639, de quo plura inferius. *Consule hunc Commentarium duobus §§ sequentibus, ubi totum recitabo. At quo tempore, quave occasione hæc postrema elevatio et in gazophylacio depositio facta fuerit, non constat, characteribus instrumentorum, quæ de eadem olim scripta fuisse creduntur, corrosis vel pene abolitis, quemadmodum mox laudatus episcopus Suessionensis in processu testatus*

A *testatus est, ac forte etiam aliis ejusdem rei monumentis deperditis in monasterii cladibus, quas sæculo 14 et 15 ab hostibus regni, et 16 ab hæreticis Calvinianis passum fuisse, in sæpe memorato Muldraci chronico ms. legitur.*

aliquæ ejusdem reliquiæ aliis donatæ fuerunt

171 *Præter sacras* B. Joannis *reliquias in Longoponte asservatas, etiam aliquot alibi in honore habitas, discimus ex biographo et Machauto. Prior in vita num. 71 scribit, jam tum unum illius os ad villam Voties delatum, multis ibi miraculis vel beneficiis effulsisse per potum aquæ, cui os illud intinxerant; alter autem lib. 4, cap. 5 affirmat, alias ejusdem sacri corporis particulos* multis locis *donatas esse, ac nominatim unam in Suessionensi B. Mariæ monasterio religiose servari.*

§ X. Incerta quædam de processu canonizationis illius, jussu Gregorii IX confecto: monasterii Longi-pontis reformatio, et pars processus verbalis ab episcopo Suessionensi facti pro Beati annua festivitate obtinenda.

B

Dicitur Gregorius IX papa, litteris datis

Angelus *Manrique tom. IV Annalium Cisterciensium ad annum Christi* 1236, *cap.* 2, *num 4 et sequentibus, asserit, jam inde ab hoc anno, qui fuit a* B. Joannis *obitu decimus nonus, de eodem inter Sanctos referendo, annuente Gregorio IX pontifice, actitatum fuisse.* Pro instituendo (*ait*) B. Joannis festo, cum ipsius non minus crebra miracula et populus Christianus, maxime autem Galliæ, illud exposceret, has Gregorius ad episcopum Parisiensem, et abbatem S. Victoris ejusdem urbis, eodem mense Maio litteras dedit.

« Episcopo et abbati S. Victoris Parisiensibus. » Mirabilis Deus in Sanctis suis, et suæ virtutis » potentiam mirabiliter manifestet, et salutis no- » stræ causam misericorditer operetur, fideles C » suos, quos semper coronat in cælo, in mundo « etiam frequenter honorat, et ad eorum me- « morias signa facit et prodigia, per quæ pravitas « confundatur hæretica, et fides Catholica con- » firmetur. «

ad episcopum Parisiensem et abbatem S. Victoris

173 « Nos ergo, quantas possumus, etsi non « quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum » referimus actiones, quod in diebus nostris ad » confirmationem Catholicæ fidei, et confusio- » nem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat » signa, et mirabilia potenter immutat, fa- » ciens illos coruscare miraculis, qui fidem Ca- « tholicam tam corde, quam ore necnon et » opere tenuerunt. Sicut enim dilectus filius » abbas et monasterium Longi-pontis, Cistercien- » sis Ordinis, Suessionensis diœcesis, suis nobis » litteris intimarunt, Dominus tantam piæ me- » moriæ fratri Joanni de Monte mirabili, mo- » nacho ejusdem monasterii, contulit gloriam, » quod sepulchrum ejus tot et tantis dat coruscare » miraculis, ut inter alios Sanctos ejus non in- » vocari suffragia, indignum penitus videatur. « Quare nobis humiliter supplicarunt, ut super » miraculis, quæ per eum Dominus operatur, » testimonia recipi faceremus. »

174 « Verum quia in tam sancto negotio non » est nisi maturitate et gravitate prævia proce- » dendum, de circumspectione vestra plenam in » Domino fidem obtinentes, discretioni vestræ » per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus, » ascitis vobis viris religiosis et Deum timenti- » bus, de virtute morum et veritate signorum, » operibus videlicet et miraculis, diligentissime « inquirentes, depositiones testium receptorum « tandiu sub sigillis vestris inclusas diligenter » conservetis, quousque super hoc nostræ rece- » peritis beneplacitum voluntatis. Datum Interamnæ quarto Kalendas Junii, anno decimo. » *Hactenus epistola apud Manricum, qui in margine annotavit, eam esse Gregorii epistolam* 93. *Sed utinam collectionem, seu ms. seu editam, ex qua deprompta est, indicasset; nam neque inter ejusdem pontificis scripta a variis sparsim typis edita eam reperio; neque apud Machautum aliosque, qui* B. Joannis *gesta tractarunt, ullam hujus rei mentionem factam legi.*

AUCTORE C. S.

jussisse instrui processum

de virtutibus ac miraculis B. Joannis

175 *An forte exstat aliqua Gregorii IX pontificis Epistolarum Collectio typis vulgata, quæ ad manus nostras non pervenit? Dubitare facit Guilielmus Cave in Historia litteraria sæculo* 13, *pag.* 494 *in eodem Gregorio inquiens:* Prodierunt Opera ejus omnia cum Jacobi Pamelii Notis Antverpiæ 1572. *Consonat Franciscus Pagius tom. III Breviarii Pontificum Romanorum pag.* 287, *omisso tamen anno editionis. Meminit etiam Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina* E *mediæ et infimæ ætatis lib. 7 in Gregorio IX; sed ex aliorum tantummodo recensione, sic scribens :* Editionem Jacobi Pamelii, qui Gregorii IX Opera Antverpiæ 1572 edidisse cum Notis traditur, non videre me memini. *Eamdem certe nec vidit, nec a Pamelio unquam curatam fuisse credidit Joannes Franciscus Foppens, metropolitanæ ecclesiæ Mechliniensis canonicus graduatus ac pœnitentiarius, cum in Bibliotheca sua belgica, in cujus tom. I Pamelii Opera recensuit, de Gregorii Operibus cum adjectis Notis ab illo prelo datis altum sileat.*

et exstare processus

176 *Adhæc consului virum clarissimum, in Antverpiensi typographia versatissimum, qui cum pariter assereret, Opus istud numquam a se visum esse, nec aliunde, quam ex allegatis scriptoribus sibi innotuisse, curam ulterius inquirendi inutilem fore existimavi. Itaque plane nescio, unde et* F *ex cujus fidei codice epistolam illam acceperit Manricus, in qua etiam insolita ista phrasis occurrit,* Discretioni vestræ per Apostolicam Sedem mandamus, *cum tam reliqui pontifices, quam etiam ipsemet Gregorius in epistolis suis, quas editas legi, pro vocibus* per Apostolicam Sedem *usurpare soluerint istas* per Apostolica scripta. *Ut ut sit, pergit ibidem laudatus annalista :* Extat et legitur processus miraculorum B. Joannis, in quo centum et amplius comprobantur, surdis, mutis et cæcis, contractisque, auditus, lingua, visus, atque suorum membrorum usus redditus, cum primum implorarent auxilium Sancti. Maxime autem laborantibus quartana febri, si ad ipsum confugerent, desideratam salutem donare solitum longa multorum experientia monstravit.

ultra centum miracula continens,

177 Quare et pro his febribus frequentius invocatus frequentiorem tulisse miseris opem ac præsentiorem virtutem memorabatur. Non tamen ideo ab aliis beneficiis conferendis cessabat, qui qualecumque obsequium sibi exhibitum etiam a non petentibus, præstita sanitate, si forte opus habebant, remunerabat. Referam unum tantum, quia jucundum, nec distans ab hoc tempore miraculum,

AUCTORE C. S.

raculum, quod ad illius tandem patratum lego, dum in inquisitione de mandato Gregorii per ejus delegatos procederetur. *Hic tum recitat miraculum vel beneficium, quod in vita edenda num. 78 narrat biographus. At enim mihi ista Gregorio IX mandante, facta virtutum ad miraculorum inquisitio, confectusque processus, ob aliorum silentium non parum suspecta sunt. Nam si mox memoratum beneficium eo tempore contigit, quo instruebatur processus, cur, quæso, anonymus edendus, rei gestæ consequenter synchronus vel certe ætate proximus, qui beneficium illud refert, cur, inquam, ille ne verbo quidem de facta illa inquisitione et processu meminit?*

sed de neutro mihi constat.

178 *Nihil quoque de illis novisse dicendi sunt monachi Longi-pontani, quando anno* 1639 *monumenta omnia et quidquid ad probandam* Joannis *sanctitatem cultumque pertinere invenerant, Simoni le Gras Suessionensi episcopo exhibuerunt, ut festum annuum et Officium de eodem beato ab apostolica sede impetrarent. Processum verbalem, ut vocant, a laudato illustrissimo præsule tunc conscriptum, mox dabo; sed nullum in hoc de Gregorii IX epistola, nullum de processu ante id tempus formato memoria exstat. Par de iisdem* B *silentium est apud Machautum et Bailletum; par item apud Muldracum in sæpe laudato Compendio ms. Chronici Longi-pontis; par denique apud anonymum ejusdem abbatiæ Religiosum in suo Commentariolo ms., quem ab illo nos habere dixi. Quis vero non miretur, rem tanti momenti hisce omnibus rerum* B. Joannis *indagatoribus, et quidem maximam partem domesticis, latuisse, et ad unius Manrici, in Hispania scribentis, notitiam pervenisse?*

Warnierus Prior antiquam Ordinis observantiam

179 *Itaque hæc ejusdem fidei relinquens, ad certiora, processum scilicet anno* 1639 *ab illustrissimo domino Simone le Gras confectum progredior, præmissis nonnullis ex sæpe dicto Muldraci Compendio, quæ ad illum faciendum occasionem dederunt. Ad annum* 1606 *de Juliano Warniero Religioso priore Longi-pontis (nam abbatia loci non sine magna jactura aliis in commendam dudum cesserat) annotavit sequentia.* Julianus Warnierus vere dilectus Deo et hominibus, qui prior institutus 1606, divina inspirante et adjutrice gratia, patrociniis beatissimæ Mariæ et B. Joannis de Monte mirabili cum lacrymis sæpe imploratis, anno Domini 1612, die festo sancti patris nostri C Bernardi cœpit regularem Ordinis disciplinam, in Longoponte pœne collapsam, restaurare; abstinentiam ab esu carnium, ceteraque similia Regulæ S. Benedicti et dicti ordinis Cisterciensis exercitia, prout potuit, stabilire, et cum solo suppriore suo, viro candidissimo, Antonio Labennier, animo fervènti frequentare.

in monasterio Longi-pontis restituit :

180 Tribusque novitiis, Rocho Bovent, Roberto Jeuniet et Albino Tellerio, de Crespeio oriundis, ad professionem monasticam admissis, cum iis uterque memorati Prior et supprior anno Domini 1614, vigilia festi ejusdem P. N. Bernardi vota sua denuo renovant, et mente et scripto promittunt authentico, se vitam ad mortem usque acturos juxta primævam antiquorum Ordinis patrum observantiam. Quæ quidem res ut firmiter stabiliretur, reverendi admodum patris ac beatæ memoriæ Dionysii l'Argentier, Claræ-vallis abbatis, auctoritate confirmatur. *Antequam reliqua prosequar, pauca hic interjicio. Authenticum illorum scriptum, a Muldraco laudatum, excudit Machautus pag.* 559 *et seq. Gallicum illud est, sed juverit aliqua latine reddidisse. Sic orditur :* Ad honorem et gloriam Dei, gloriosissimæ Virginis, D Matris Redemptoris nostri, S. Benedicti, S. Roberti, S. Bernardi, S. Joannis de Montemirabili, et ad salutem animarum nostrarum.

181 *Deinde post vota sua Deo facta,* Supplicamus, *inquiunt*, etiam gloriosæ Virgini, Matri Jesu Christi Domini nostri, Patronæ et Protectrici nostri Ordinis, domino S. Benedicto, legislatori nostro. S. Roberto, primo fundatori nostro, S. Bernardo, nostro bono patri, patrono et directori, S. Joanni de Montemirabili, patri nostro et conservatori,... ut dignentur apud bonum Deum nostrum intercedere, ut is hæc omnia ad majorem suam gloriam prosperet. *Redeo ad Muldracum, qui ibidem sic pergit :* Multis demum iisque gravissimis pro eadem observantia viginti quinque annorum spatio præpediti patres nostri difficultatibus, universis tamen, Deo favente, superatis, specialique Dei Genitricis ope, ac B. Joannis de Monte mirabili subsidio, laboribus exantlatis, magis ac magis numero filiorum et animi fervore proficientes, acceptorum in tot tantisque periculis beneficiorum haud immemores, de amplificando ejusdem B. Joannis cultu cogitant.

pro Beati cultu augendo solliciti,

182 Reverendissimum Simonem le Gras Suessionensem episcopum adeunt, interpellant, ad suum Longipontis monasterium 1639, 2 Maii accersiunt, cum omni honore et humanitate solemniter excipiunt, processumque verbalem de indubitatis præfati B. Joannis sanctitatis eximiæ testimoniis a dicto reverendissimo episcopo faciendum procurant, quem ad longum hic inserere bonum visum est. *Sequitur laudatus processus, quem etiam Machautus a pag.* 378 *vulgavit.* Simon miseratione divina et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia episcopus Suessionensis, Christianissimi Francorum et Navarræ regis in suis consiliis consiliarius, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem et gratiam a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo.

rogant episcopum Suession. usem, E

183 Noverint universi, quod nos ex parte venerabilium et in Christo charissimorum Fratrum, Marci Lespicier, sacerdotis et prioris claustralis, Roberti Dieu sacerdotis, Egidii Mareschal sacerdotis, Caroli Bizet sacerdotis, Anthonii Lahannier * sacerdotis, Roberti Jeuniet * sacerdotis et monasterii portarii, Bernardi Mettecoven sacerdotis, Philippi Pillier sacerdotis, Anthonii Muldrac sacerdotis et supprioris, (*hic ipse videtur esse nostri ms. Compendii, quod sæpe laudavi,* F *auctor*) Joannis Moet sacerdotis et cellerarii, et Joannis Cheron diaconi, Religiosorum, et conventus beatissimæ Virginis Mariæ de Longoponte, alias et gallice de Longpont, ordinis Cisterciensis, dictæ nostræ diœcesis Suessionensis, humiliter rogati, quatenus dignaremur mandare et ordinare, fieri collationes in scriptis, easque signari a nobis, certorum quorumdam originalium librorum manuscriptorum, et aliorum librorum typis excusorum, mittendi causa in curiam Romanam et ad Sedem Apostolicam, eo, quo tenentur desiderio et animo sanctoque proposito humillime dictam Sedem Apostolicam supplicare et rogare, quo sit illis concessum singulis annis in ecclesia sua festum et memoriam beati Joannis de Montmirel, quondam dicti monasterii et abbatiæ Religiosi professi, secundum antiqua et authentica, quæ habent, testimonia sanctæ, ut creditur, illius vitæ et sanctitatis in dicto suo monasterio tam in scriptis patrum dicti ordinis, quam aliorum auctorum fide dignorum.

ut processum verbalem conficiat, Romam mittendum.

* *Mach.* Lesnnier
* *ibid.* Jennier

184 Cui

A *Ille annuens, venit in monasterium,* 184 Cui quidem sanctæ petitioni et justæ intentioni, ut pium et gratum Deo existimavimus, annuentes, ordinavimus et statuimus personæ nostræ translationem et adductionem ad dictum monasterium ad diem Veneris, vigesimam præsentis mensis Maji et anni currentis. Ad quem diem cum viris ecclesiasticis et secretario, in hac parte per nos assumpto, cum cætero comitatu nostro sub vesperam accessimus, et ad primam dicti monasterii portam cum Cruce a venerabili dicto priore cæterisque dicti monasterii Religiosis benigne et charitative accepi, et processionaliter in ecclesiam ducti, et data per nos benedictione solemni, et habita ad dictos Religiosos in capitulo, in quod ducti fuimus, exhortatione, in domum et hospitium dicti monasterii recepti fuimus, et die Sabbati, vigesima prima dicti mensis et anni, celebrata per nos ad majus altare sancta Missa, dictus prior, assistentibus aliis Religiosis dicti monasterii, obtulit et præsentavit nobis certum quemdam librum, in pergameno manuscriptum, coopertorio tabulario tectum, prout vidimus et cognovimus, antiquum, cujus libri initium et caput iis verbis continetur litteris rubris. B

et examinat colligitque 185 « Incipit Vita S. Edmundi * Cantuariensis » archiepiscopi. » Et infra litteris nigris cum maiusculis : « Excellentis ingenii et fæcundæ facundiæ oratores avos atavosque virorum commemorabant illustrium, quotiens eorum virtutes et merita parabant proponere cæteris ad exemplum » etc. Ad finem dicti libri et in pagina ultima versa hæc verba habentur : « Ad hæc Rictiovarus cum vociferatione magna in hanc vocem erupisse fertur. Infelicissimi omnium hominum, vos hunc affirmatis Deum et Dei Filium, quem constat a Judæis occisum, mortuum ac sepultum. Nisi adoraveritis statuam Jovis, qui aera commovet, maria concitat, fulgura deventilat, non effugietis manus meas. Sed. » Ex quo libro, qui videtur esse Sanctorale, ad memoriam plurimorum Christi Sanctorum pertinens, ducenta viginti tria folia cum uno dimidio continente, extractum est scriptum, seu extracta copia, quæ prima huic præsenti processui verbali allixa continetur, præsertim ex fol. centesimo trigesimo, quod incipit :

* *al.* Edmundi

testimonia C 186 « Prologus in Vita humilis Joannis, quondam Montis-mirabilis et Oysiaci domini. » Et infra : « Solebant antiquitus nobilium victoriæ pugnatorum litterarum memoriæ commendari, ut posteri victoriosis eorum auditis actibus, effugata prorsus ignavia, et concepta cordis audacia, magnanimes ad pugnandum et robusti redderentur ; » usque ad folium vigesimum primum vitam et gesta dicti Joannis de Montemirabili exponente. Quam quidem copiam fideliter et ad amussim juxta dictum originale, et de pagina in paginam extraximus, retulimus et contulimus de verbo ad verbum, et omnia dicta solia invenimus sana, integra, neque suspecta, neque ullis mendis aut maculis interpollata : et fide dignum existimavimus tale originale manuscriptum ex fidei suæ antiquitate; quod quidem manuscriptum dicto priori cæterisque religiosis reddidimus in manus. *Paucis observo, hanc vitam eamdem esse, quam ex eodem codice a patre Antonio Muldraco acceptam excudam.*

de sanctitate ipsius 187 Eodem die (*ita pergit illustrissimus Simon le Gras*) prædictus venerabilis prior cæterique Religiosi, prædicto suo proposito adhærentes, nobis exhibuerunt certum quemdam librum, Parisiis apud Joannem Germon et Joannem Billaine via Jacobæa sub signo S. Benedicti anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono cum privilegio regis typis excusum, cujus nomen est Martyrologium Sanctorum ordinis divi Benedicti, duobus observationum libris illustratum, in quibus continentur multorum sanctorum vitæ nunquam hactenus editæ, et præclara alia antiquitatis monumenta, authore reverendo patre domno Hugone Menard, Religioso Benedictino congregationis sancti Mauri in Gallia; in cujus quidem libri in duas partes divisi, quas prædictus author observationes nuncupat, ad mensem Septembrem pagina septingentesima quarta, in medio dictæ paginæ prædictus author sic incipit. « B. Joannis. B. Joannes de Montemirabili regia Francorum stirpe ortus, princeps illustrissimus, magnum humilitatis posteritati specimen reliquit » etc. ; quæ a dicta media pagina usque ad finem paginæ septingentesimæ octavæ prosequitur. *scriptoris G. S.*

188 Quarum quidem paginarum in dicto libro impressarum copiam fidelem de verbo ad verbum sedulo et attente contulimus cum aphtographo * originali, sano et integro, non suspecto, nec viciato, et præsentibus ad seriem secundam dictarum copiarum affiximus, dictumque librum prædicto venerabili priori cæterisque Religiosis dicti monasterii reddidimus in manus. Insuper prædictus venerabilis prior cæterique dicti monasterii Religiosi nobis exhibuerunt certum quemdam librum gallice typis excusum in folio, qui apud nos Gallos vocatur. « Histoires genealogiques des maisons de Guynes, d'Ardres, de Gand, et de Coucy, et de quelques autres familles illustres, qui y ont été alliées, le tout justifié par chartes de diverses eglises, tiltres, histoires anciennes, et autres bonnes preuves, par André du Chesne Tourangeau, geographe du roy, à Paris chez Sebastien Cramoisy, ruë S. Jacques aux cicognes, mil six cens trente et un, avec privilege du roy. » *ex variis ms.,* E

* *al.* autographo

189 Et in pagina ducentesima vigesima tertia, in capite, quod tracta de dominis temporalibus de Montmirel, sic habetur gallice : « Jean seigneur de Montmirel et d'Oisy, qui se rendit religieux à Longpont, avoit une fille entre autres, appellée Marie de Mont-mirel, jointe de parenté aux plus grands du royaume etc. » *Pauca hic denique intersecanda sunt. Historiam illam genealogicam illustrium familiarum de Coucy etc., per Andream du Chesne conscriptam jam sæpe laudari, ubi de* B. Joannis *familia actum est. Quæ hic gallice ex illa mox recitata sunt, sic sonant latine :* Joannes, Montis-mirabilis et Oysiaci dominus, inter alias proles habebat filiam, appellatam Mariam de Monte-mirabili, regni primoribus affinitate junctam. *His observatis, verba laudati episcopi pergo recensere.* Et dictus author historiam dicti Joannis de Montmirel prosequendo addit ad paginam ducentesimam vigesimam sextam dicti sui libri versus finem dictæ paginæ hæc verba gallice : « Apres l'education desquelles leur pere Jean, seigneur de Montmirel, se rendit Religieux en l'abbaye de Longpont prés de Soissons, ou il vescut si pieusement et austerement, qu'enfin il merita d'etre mis au nombre des Saints. » *editisque libris,* F

190 *Hæc eadem ex gallicis latina accipe :* Post quarum educationem earum parens Joannes, Montis-mirabilis dominus, Religiosum statum amplexus est in abbatia Longi-pontis prope Suessiones, *historicis.*

AUCTORE C. S.

siones, ubi tam pie et austere vixit, ut tandem meruerit in Sanctorum numerum referri. *Prosequitur ibidem illustrissimus le Gras his verbis :* Ex quibus paginis dicti libri copiam extraximus et contulimus cum suo originali typis excuso de verbo ad verbum et fideliter, dictumque originale reperimus sanum, integrum, non suspectum, nec ulla in parte viciatum, quod porrigenti dicto priori, dictisque Religiosis reddidimus in manus. Præterea prædictus venerabilis prior, cæterique Religiosi dicti monasterii Chronicon Cisterciensis Ordinis, a S. Roberto abbate Molismensi primum inchoati, postea a S. Bernardo abbate Claravallensi mirifice aucti ac propagati, authore Auberto Miræo Bruxellensi, sanctæ theologiæ licentiato, canonico, et sigillifero Antverpiensi, impressum Coloniæ Agrippinæ sumptibus Bernardi Gualteri, anno millesimo sexcentesimo decimo quarto.

Chronicis,

191 Qui quidem author in dicto Chronico pagina octuagesima nona ad numerum secundum habet hæc verba : « B. Joannes humilis de Monmirabili, gallice Montmirel, nobilissimo genero natus, apud Longum-pontem in diœcesi B Suessionensi monachus floret. Extat ibidem vita ejus a coætaneo fuse descripta. » Et pagina trecentesima decima septima ejusdem libri de dicto chronico Cisterciensi, ad numerum quartum sic habet : « Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto typis editum est Missale Parisiis ordinis Cisterciensis, in quo habetur sub finem iste Catalogus Sanctorum ac Beatorum ejusdem ordinis. » In quo quidem catalogo prædictus author prædicti sui libri pagina trecentesima vigesima prima, ad numerum octavum sic loquitur : « Joannes, quondam dominus de Monte-mirabili, in Longo-ponte monachus, cujus miri actus leguntur : » et ad ultimam paginam prædicti sui libri in Indice et numero, qui incipit : « Sancti et Beati ordinis Cisterciensis » recenset inter prædictos Sanctos et Beatos prædictum Joannem his verbis : « B. Joannes humilis de Monte-mirabili. »

Catalogis Sanctorum

192 Quæ quidem omnia ex prædictis paginis dicti libri fideliter de verbo ad verbum, lectione et collatione facta, retulimus, et hic inseruimus : quo facto, prædictum librum præfato C venerabili priori cæterisque Religiosis reddidimus in manus. Oblatus postea nobis fuit a præfatis priore et Religiosis liber quidam, qui Collecta privilegiorum ordinis Cisterciensis dicitur, Divione impressus anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, quarto Nonas Julias typis antiquis, quos vocant Gothicos, excusus ; ad finem cujus, ubi agitur de enumeratione Sanctorum Cisterciensis ordinis, habetur secundum ordinem Sanctorum prædictus Joannes hac verborum serie, linea scilicet vigesima prædictæ enumerationis : « In Longo-ponte Joannes, quondam dominus de Monte-mirabili, monachus, cujus miri actus leguntur : » quem quidem librum dicto venerabili priori et aliis Religiosis dicti monasterii reddidimus.

et Missalibus.

193 Præterea Missale, ad usum sacri Ordinis Cisterciensis confectum, auctum et recognitum, Parisiis apud Hieronymum de Marnef sub Pellicano, monte divi Hilarii anno millesimo quingentesimo sexto excusum, per nos diligenter et sedulo versatum, inspectum et lectum, habet et numerat in ordine et enumeratione Sanctorum et Beatorum dicti Cisterciensis Ordinis prædictum Joannem sub his verbis : « Joannes, quondam dominus de Monte-mirabili, in Longo-ponte monachus, cujus miri actus leguntur. » D Quod quidem Missale per nos fuit dicto priori et Religiosis dicti monasterii redditum. Calendarium quoque sacri ordinis Cisterciensis, præcipuarum ejus solemnitatum dies festos juxta ordinem mensium continens, Divione apud Claudium Guyot typographum regium anno Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo typis excusum, ad diem vigesimum septimum mensis Septembris sub littera D inter Sanctos et Beatos dicti ordinis recenset prædictum Joannem hoc verborum ordine : « Joannes monachus in Longoponte. » Quod quidem Calendarium per nos prædicto venerabili priori cæterisquo Religiosis reddidimus. *Reliqua vide § seq.*

§ XI. Altera processus verbalis pars, indicia cultus complectens : pro illius Officio et Missa frustra laboratum ; cultus tamen certus. E

Item episcopus visitat Beati sepulcrum.

Ne *præcedens § contra morem nostrum nimium excresceret, coactus fui laudatum processum in duas partes dividere, quarum prior, quam dedi, scriptorum testimonia continet, hæc vero certa cultus indicia. Itaque laudatus illustrissimus Simon le Gras ibidem sic progreditur :* Quibus rebus sic peractis, sedulo visis, cognitis et mature consideratis, prædicti venerabilis prior cæterique dicti monasterii Religiosi, præsentibus infrascriptis et subsignatis testibus, humiliter nos rogaverunt, quatenus dignaremur in præsentia dictorum testium videre et intueri tumbam seu sepulchrum, in quo quondam sepultum et inhumatum fuit prædicti Joannis monachi corpus et depositæ exuviæ ; quod reperimus positum fuisse in ecclesia dicti monasterii ad latus dextrum, sive ad cornu Evangelii positum, ab humo elevatum cum tumba lapidea, partim alba, partim nigra, sub cujus planitie jacet in modum Religiosi dormientis figura et imago dicti Joannis monachi, erectaque est ista tumba lapidea et posita super quatuor columnas, in media quarum columnarum repræsentatur in humo jacens F imago prædicti Joannis monachi sub figura militis armati, jacentis et dormientis.

testaturque juxta illud in tabella legi antiphonas

195 Circum istam tumbam et juxta margines ipsius in circuitu inscripta sont hæc verba litteris maiusculis deauratis :

IN LONGO-PONTE VOLUIT SE SUBDERE SPONTE
OBSEQUIO CHRISTI, LAPIDI QUI SUBJACET ISTI,
CUJUS IBI CINERES, MONTIS-MIRABILIS HÆRES
OLIM, JURE DEI GRATIA NOMEN EI (ID EST, JOANNES)
GRATIA SIT CHRISTO, QUI NOS DECORAVIT IN ISTO. AMEN.

Post quidem verbum Amen habentur ista verba inscripta :

AVE MARIA, GRATIA PLENA.

Quæ verba signo Crucis interposito et impresso junguntur per circuitum ad principium verborum IN LONGO-PONTE. Ad partem dicti sepulchri extra chorum versus Septentrionalem oram reperimus

A reperimus tabellam appensam, in qua legimus, quæ sequuntur. « Ad Magn. Antiph. Oritur in » gaudium Joannes, cælestis paradisi januam in- » trans, qui audiens summum Præceptorem, » servavit humiliter omnium honorem. Ad Ben. » Antiph. Miles Christi gloriose, o Joannes san- » ctissime, tuo pio interventu culpas nostras ab- » lue, ut cælestis regni sedem valeamus scandere. » ℣. Ora pro nobis beato Joannes. ℟. Ut digni effi- » ciamur promissionibus Christi. »

et orationem de Beato, speciarique anathemata etc.

196 « Oratio. Deus, qui beatum Joannem » militem tuum de ergastulo temporalis militiæ » ad sempiterna cælestis aulæ stipendia vocare » voluisti, concede nobis famulis tuis, ut meri- » tis ipsius et intercessione ad te, qui præmium » es et fœlicitas Beatorum, per viam justitiæ » sine offensione currentes, valeamus pervenire, » qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate » Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculo- » rum. Amen. » Versus prædictam tumbam et sepulchrum, et ad latus dextrum extra chorum dictæ ecclesiæ vidimus quædam donaria votiva et quasdam effigies et similitudines partium humanarum, scilicet tibiarum, pedum, capitis humani, vinculorum ferreorum, quæ videntur exhibere me- B moriam invocationis quondam factæ prædicto Joanni in subsidium et levamen morborum et infirmitatum. Subjacet etiam ad infimas dicti sepulchri partes extra septa chori capsa lignea valde antiqua, ferrata, affixa clavis ad parietem, quæ videtur ibi posita fuisse recipiendis fidelium orantium largitionibus et eleemosynis charitativis.

Visitavit item ossa et caput separatis thecis inclusa

197 Hinc transtulimus nos, præsentibus infra nominatis testibus subsignatis, ad dicti monasterii sacrarium, seu sacristiam, in quo reliquiæ et imagines Sanctorum pie reservantur in armario, ad id confecto, religiose et pie ornato, ex quo armario prædictus prior et religiosi prædicti monasterii capsulam ligneam longam eduxerunt, nobisque visendam objecerunt: qua aperta, vidimus multa et in magno numero ossa, quæ nobis a peritis chirurgiæ et anatomicæ descriptionis declarata fuere esse humana; dictique Religiosi nobis retulerunt, se ex antiqua traditione patrum et prædecessorum suorum ab omni temporis memoria, quæ etiam multa sæcula transgreditur, audivisse et retinuisse, esse ossa prædicti Joannis C monachi, ad hoc usque tempus, ex quo e sepulchro et tumba elevata fuere, in prædicto monasterio ad piam et sanctam prædicti Joannis memoriam reservari, cum capite suo in altera capsa lignea incluso et deposito, circumornato quibusdam imaginibus picturisque deauratis et affabre factis et depictis.

cum instrumentis membrancis, vix legibilibus:

198 Vidimus etiam in dicta lignea capsa, prædicta ossa continente, quasdam chartas pergamenas, antiquissimas nimis, si fas sit ita loqui, in quibus certæ quædam litterarum species adhuc visuntur et leguntur, licet textus et series sermonis propter nimiam vetustatem, picturam litterarum oblitterantem, colligi vix possit. Infertur tamen facillime prudentibus, circumspectis et litteratis viris, litteras istas pergamenas confectas olim fuisse in titulum et memoriam elevationis e tumulo istorum ossium et prædicti capitis, et depositionis eorumdem in dictis capsis pro asservandis et pie retinendis prædictis ossibus et dicto capito. Aspeximus enim et manibus tractavimus multas chordulas sericas adhuc subsistentes, quibus singulis appensa sunt et inserta sigilla et arma, vel ecclesiastica, vel gentilitia nobilium illustrium virorum, et præcipue sanctissimorum archiepiscoporum et episcoporum, qui elevationi e tumulo prædictorum ossium et dicti capitis, necnon depositioni eorumdem in dictis capsis summa cura a multis sæculis, et sedula pietate abbatum et religiosorum dicti monasterii per injurias sæculorum, tumultuum et bellorum, reservatorum, præsentiam suam et pietatem potuerunt tunc temporis exhibuisse.

Auctore C. S.

de quibus omnibus testimonium scriptum dedit:

199 Quæ quidem omnia nos legisse tam in scriptis, contulisse tam in libris, vidisse oculis, manibus tractavisse, testamur, et horum omnium fidem facimus cum infrascriptis, subsignatis, nominatis, vocatis et rogatis testibus; scilicet domno fratre Firmino Pingré, sancti Dionysii in Francia Religioso expresse professo ordinis sancti Benedicti, sancti Joannis apud Blesas diœcesis Carnotensis priore; magistro Petro Morliere presbytero Belvacensis diœcesis, nostræ cathedralis ecclesiæ Suessionensis canonico præbendato; nobili viro Anthonio le Grain, apud Suessionenses in sede præsidiali regia consiliario regio et assessore; nobili viro Stephano Pottier, domino temporalis feudi d'Abancourt, cive Suessionensi ibique commorante; nobili viro Paulo E de Lalain, apud Suessionem consiliario * regio; Antonio Oultrebon, chirurgicam artem apud Suessiones tractante; (*Machaudus hic habet:* Outrebon, artis chirurgicæ perito) una cum magistro Isaaco Moilin presbytero, in jure canonico baccalaureo, notario apostolico, ecclesiæ nostræ Suessionensis capellano, in hac parte per nos pro secretario assumpto. Die Sabbati, vigesima prima mensis Maji, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono, in dicto monasterio beatæ Mariæ Virginis de Longo-ponto Cisterciensis Ordinis, nostræ diœcesis Suessionensis.

** al. addit. et antigrapha*

Simon episcopus Suessionensis.

Pingré. P. Morliere. Le Grain. De Lalain. Potier. Oultrebon. Moilin pro secretario assumptus.

fecit et aliud instrumentum

200 *Mox sequitur et aliud instrumentum ab eodem episcopo in supplementum superioris, cujus quædam appendix est, eodem anno confectum, quod sic habet.* Eodem anno (*nimirum* 1639) die decima quinta Julii supra nominati religiosi, prior et conventus prædicti monasterii de Longoponte per manus prioris sui nobis ad palatium F nostrum episcopale Suessionense repræsentarunt chartas pergamenas vetustissimis characteribus scriptas, tam latinis quam Gallicis verbis testimonia quædam continentes, quibus constare potest, multis retroactis sæculis prædictum Joanuem de Montmirel in sanctitatis fama apud Gallos nostrates et in dicta nostra diœcesi, necnon in præfato monasterio vixisse et defunctum fuisse; quarum chartarum pergamenarum copia præsentibus affixa de verbo ad verbum fideliter et ad amussim per nos episcopum Suessionensem facta fuit cum suo originali.

de aliis sanctitatis testimoniis postea repertis.

201 Et fidem facimus, prædictum originale nos legisse, vidisse et manibus tractavisse in præsentia præfatorum testium, ad hæc vocatorum et rogatorum, et infra nobiscum cum dicto Moilin in hac parte pro secretario per nos assumpto, subsignatorum. Quibus peractis, prædictas chartas pergamenas prædicto priori præsentatori reddidimus in manus, anno, die et mense prædictis, scilicet anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono.

Simon episcopus Suessionensis.

AUCTORE C. S.

Pingré. P. Morliere. Le Grain. De Lalain. Pottier. Oultrebon.

Et inferius. De mandato reverendissimi domini, domini episcopi Suessionensis.

Moilin pro secretario assumptus.

Laboratum est pro illius Officio et Missa

202 *Hactenus instrumenta, de quibus Muldracus in calce Ms. Compendii vitæ ejusdem* B. Joannis *hæc pauca annotavit :* Novissime reverendissimus Simon le Gras Suessionensis episcopus processum verbalem et autenticum de indubitatis sanctitatis ejus testimoniis, in curiam Romanam mittendum, licentiæ de eo festum celebrandi obtinendum gratia, confecit; speraturque hæc concessio ab Alexandro VII, nunc Ecclesiæ præsidente, interventu piissimæ et augustissima Annæ Austriacæ, Francorum reginæ, matris Ludovici XIV regis. *Ex his collige, si tempore, quod inter annum* 1639, *quo processus confectus est, annumque* 1655, *quo Alexander VII cœpit sedere, prælerlapsum est, si illo, inquam, tempore pro impetrando* B. Joannis *ecclesiastico Officio apud Sedem Apostolicam laboratum fuerit, nihil apud Urbanum VIII, quique huic anno* 1644 *in Pontificatum successit, Innocentium X, impetratum* B *fuisse. Idem dicendum videtur de Alexandro VII et ceteris successoribus Pontificibus. Certe Bailletus, qui versus finem sæculi* 17 *Vitas Sanctorum Gallico idiomate vulgavit, nihil de obtenta Officii de eo recitandi licentia noverat, dum de ejusdem cultu sic scripsit.*

ab Apostolica Sede impetranda; sed nihil obtentum :

203 Corpus illius humatum fuit in cœmeterio Longi-pontis, ubi dicitur Deus sanctitatem atque beatitudinem illius variis signis manifestasse. Quæ res deinde abbatem et religiosos impulit, ut illud primo e cœmeterio in claustrum, atque hinc in chorum ecclesiæ prope summum altare inferrent. Verum postea translatum in sacristiam est, ubi cum ceteris sacris reliquiis honoratur, quamvis in choro etiam nunc visatur monumentum ejus, in quo duplici figura, in armis scilicet atque in Religioso habitu, exhibetur. Non novimus, quidquam præterea pro ejusdem canonizatione actum esse; sed non prohibetur, quo minus populus illum pro Sancto honoret, ejusdemque apud Deum intercessionem publice inclamet. Quin etiam religiosum quemdam cultum in Ordine Cisterciensi obtinuit, quemadmodum patet ex Missalibus aliisque libris lithurgicis ad ejusdem C Ordinis usum compositis. Simon le Gras, qui sub Ludovico XIII episcopatum Suessionensem tenuit, processum verbalem fecit de omnibus instrumentis aliisque probationibus, quæ de sanctitate B. Joannis de Monte-mirabili habebantur, necnon de constanti opinione, quæ de eadem inter fideles servata est.

antiquus tamen cultus certus est;

204 Menologium Cisterciense, Martyrologium Benedictinum et Gallicanum illius festum memorant die 29 Septembris; priora duo cum titulo BEATI; posterius nomine JOANNIS HUMILIS; sed admodum negligenter, ut videatur B. Joannis de Monte-mirabili historia hujus auctori ignota fuisse. *Hæc Bailletus; quæ uti perseverantem suo tempore* B. Joannis *cultum indicant, ita satis innuunt, nullum tunc etiam temporis de eodem Officium ecclesiasticum legi solitum : quod enim de Missalibus aliisque libris lithurgicis Ordinis Cisterciensis ait, id non de Missa vel Officio, sed de nomine* Joannis *in Catalogo Sanctorum ac Beatorum ejusdem ordinis inscripto accipiendum videtur, prout iisdem inscriptum legi, illustrissimus le Gras supra testatus est. Bailleto paulo junior fuit Castellanus, qui Martyrologium Universale sæculo* 18 *aliquot annos inchoato vulgavit, et tamen hic illum titulo* Venerabilis *duntaxat appellavit; nimirum quia nullo Officio Missaque celebrabatur. An hæc postea impetrata fuerint, non reperi; sed quæ de antiquo* B. Joannis de Montemirabili, *continuatoque cultu hactenus produxi, locum illi in Opere nostro debitum esse probant.* D

cujus etiam alia in Longi-pontis cladibus

203 *Ceterum, quo minus mireris, non plura exstare de antiquo continuatoque Beati cultu monumenta, pauca hic addo de Longi-pontis abbatiæ cladibus, quibus id haud dubie adscribendum est. Muldracus in ms. Compendio Chronici ad annum* 1355 *hæc habet :* Tempore dicti Thomæ abbatis circa annum 1355 vastationibus Anglorum pene destructa periere omnia bona Longi-pontis; grangiæ (*id est, villæ rusticæ*) quædam combustæ, aliæ depopulatæ, cæteræ desertæ sunt. Centum quadraginta adhuc, tam monachi, quam conversi ibidem Domino famulantes, per domus ordinis sunt dispersi, triginta tantum relicti, qui vix panem sufficientem habentes, præ inopia magnitudine decem et octo calices, tres cruces exquisitas et alia similia cum argentea supellectili vendere sunt coacti *etc. Rursus ad annum* 1414 *ait :* Tempore dicti Nicolai (*abbatis*) 22 Aprilis Petrus Turonensis eques, E dictus de Menou, Suessionem occupans pro regni Franciæ hostibus, multis stipatus impiis militibus Longum pontem aggreditur, monachos exturbat ab ecclesia, omnia furatus devastat, depopulatus tum ecclesiæ et sacristiæ, tum conventus ornamenta... Ut constat ex antiquo bibliothecæ ms.

verisimiliter perierunt.

206 *Denique ad annum* 1567, circa 1567 civitate Suessionensi ab hæreticis capta et crudeliter occupata, Longus-pons ab iis invaditur, devastatur, subvertitur, reliquiæ majoris altaris (ut fertur) super gradus ejus impie cumburuntur, caput, nasus et manus imaginibus amputantur, sedilia capellæ B. Virginis et alia succenduntur, monachi numero viginti sex, hæreticam declinantes sævitiam, ad Feritatem Milonis (*Franciæ oppidum in Valesia*) confugiunt, ut patet ex antiquo bibliothecæ dicti monasterii ms. et traditione majorum. *Certe mirum non esset, si in hujusmodi monasterii Longi-pontani cladibus multa vetusti cultus* B. Joannis *indicia periissent. Nunc vitam hactenus ineditam subjicio.*

F

VITA

Auctore anonymo monacho Longi-pontis coævo.

Ex Ms. autographo Longi-pontano.

PROLOGUS.

Auctor a suo superiore Vitam scribere jussus,

Solebant antiquitus nobilium victoriæ pugnatorum litterarum memoriæ commendari, ut posteri, victoriosis eorum auditis actibus, effugata prorsus ignavia, et concepta cordis audacia, magnanimes ad pugnandum ac robusti redderentur. Quod idcirco præmissum est, quia et nos

A nos, post longam repulsionis moram, plurimorum denique sodalium nostrorum devicti precibus, ejus præcipue acquiescentes imperio, cui vinculis obedientiæ nos obligat professio monachalis *a*; nos, inquam, licet sermonis et scientiæ peritia careamus, tamen famosissimi principis Johannis de Monte-mirabili vitam et miracula, Deo dante, descripturi, de sæculari ejus militia, gestorumque magnitudine et copia præliorum, perenni memoria et relatu valde digna, utiliter quamplurima dicere poteramus.

pauca ejus pia gesta, omissis aliis, promittit.

2 Verum quia paucis nullatenus id valet explicari sermonibus, iis omnibus, ad terrenam secularemque pertinentibus dignitatem, silentio prætermissis, de spiritalibus tantummodo hujus Viri gloriosi et devoti Dei Servi virtutibus pauca, quæ ad communem omnium pertineant ædificationem, auditorumque simplicium devotionem valeant excitare, sermone simplici et puro, non subtili vel polito, curabimus explanare *b*. Mirabile quidem et arduum est dicere, qualiter adversarios regni Francorum gloriose triumphando potenter consueverat vir illustris debellare; sed longe gloriosius memoriæ commendandum, quemadmodum in potestates aerias virtutum jacula dirigens, suffragante Dei potentia, armis utens spiritualibus, sibi viriliter noverit subjugare. Cætera igitur omittentes, ad religiosos actus ex parte recitandos calamum applicemus.

B

ANNOTATA.

a *Hinc liquet, hunc biographum fuisse monachum, ut observavi in Commentario prævio* § 1, *in quo etiam de tempore, quo scripsisse videtur, disserui.*

b *Ex hoc brevitatis studio et proposito scriptionis fine multa in hac vita desiderantur, quæ ad illustrandam* B. Joannis *historiam plurimum possent conducere.*

CAPUT I

Ex illustri stirpe genitus, armis et magnificentia delectatur : ad meliora conversus, xenodochium condit, in quo ipsemet ministrat : de perfectiori vita deliberans, Ordinem Cisterciensem ingredi statuit.

C

Joannes vir nobilis, bellicosus et liberalis,

Princeps igitur admirandus Johannes de Montemirabili *a*, exigente animi et corporis probitate, necnon et regia generis nobilitate, in omni regno Franciæ gloriose sublimatus *b*, adhuc quoque ferventissimus armorum amator existens, in rerum distributione more nobilium sæculi hujus liberaliter se agebat. Postquam enim religionis habitum suscepit, a quodam sibi familiari secreto requisitus, utrum aliquando in unico torneamento *c* mille libras expendisset, cum nimia cordis anxietate pœnitens recognovit; Mihi (inquiens) peccatori ita, ut dicitis, certum est, contigisse. Ego vir prodigaliter degens, infinitæ substantiæ superfluus extiti dissipator. Sed quoniam consimiles liberalitatis ipsius actus, si per singula recitarentur, proprio et maximo indigerent volumine, nec expedit claustralibus in talibus meditatione versari, ad alia decrevimus transeundum; quemadmodum sæcularem reliquerit militiam, in narrationis nostræ exordio prænotantes.

A. MONACHO COAEVO.

a pio canonico regulari salubriter monitus,

4 Hoc tamen de mundana ejus conversatione utile judicavimus præmittendum, ut, qui subscripta humilitatis cæterarumque virtutum ejus gesta laudabilia lecturi sunt, hæc prima ad memoriam reducentes, divinæ clementiæ, quæ sic cedros altas confringere, id est, male elevata hominum corda salubriter humiliare, consuevit, cum debitis laudibus multimodas gratiarum referant actiones. Joannes itaque cum, hostibus subjugatis, triumphator ad propria remearet, in occursum ejus venire consueverat canonicus quidam regularis, religiosus plurimum *d*, non cum adulatoria sive favorabili laude, sicut filia Jephte patri suo de prælio revertenti legitur occurrisse *e*; sed potius exacerbans eum et increpans, sic dicebat: Quid, quæso, lucri vobiscum de torneamento reportastis? Et merito inanem gloriam vento comparans, O, inquiens, sagacem mercatorem eum, tantis expensis laboribusque infructuosis: nec, ut æstimo, absque verberum passione nihil aliud, quam ventum cura et studio diligenti comparantem!

E

priori fastu deposito, virtutum studium amplectitur.

5 His et hujusmodi monitis salutaribus a sæculi vanitate Principem memoratum revocare satagebat. Cumque in bellicis actibus juventuris tempora peregisset, adhuc quoque indissolubili amoris vinculo labenti sæculo innodari putaretur, medici sui spiritualis piam exhortationem humili quidem et devota aure suscipiens, a pristina sua conversatione mirabili modo se paulatim cœpit retrahere, et ab altitudine sæculari in sui ipsius contemptum descendens, per humilitatis gradus de virtute in virtutem condescendebat, quoad usque Deum deorum in Sion contemplari mereretur *f*. Proponens itaque Christi miles religionis suæ exemplum in omni terra dominationis suæ seminare; primum quidem, tamquam vepres et spinas et tribulos noxios et inutiles, synagogam Judæorum, sub ipsius potestate degentium, laudabilis agricola prudenter studuit extirpare.

Judæos expellit, xenodochium erigit.

F

6 Judæis igitur ab omni parte vocatis, et in ejus præsentia constitutis, cum instaret tempus metendarum frugum, unicuique ipsorum tria numismata et falcem in manu præbuit, et sic eos exire compellens, ab eorum detestanda conversatione fines suos æternaliter emundavit *g*. Jussit præterea sub præconis voce circumquaque nuntiari, ut, quicumque debitis usurarum in Judæos tenerentur obligati, absoluti et immunes omnimodis haberentur *h*. Cum igitur servus Dei Johannes, omni fastu militiæ sæcularis deposito, soli Deo militare in animo decrevisset, in Monte-mirabili, castro suo, domum quamdam de proprio fecit velociter fabricari, ut pauperes et advenæ et peregrini in illa hospitarentur, et ægrotis ibidem ministraretur; redditibus assignatis, unde possent pauperes sustentari *i*. Sciendum vero est, quod in ipsa domo, sicut inferius cupimus ostendere, pietatis et misericordiæ operibus insistebat, acsi illam solummodo hac de causa construere decrevisset.

in quo ipsemet inserviens.

7 Quotiens namque in eadem defunctorum corpora adesse contigisset, cum ad locum sepulturæ fuerant deferenda, ad hoc ipsum primus et præcipuus adjutor existebat, tempusque, quo id faciendum erat, diligenter observans, ad portandum

A. MONACHO COAEVO.

tandum se paratum Dei servus exhibebat. Porro si minoris ponderis et quantitatis adessent corpora, ut in illis deferendis sine alterius adjutorio solus ipse sufficere potuisset; a nemine se permittens adjuvari, per seipsum devotissime portabat. Sic sic gloriosus Christi miles pro clypeo, quem olim in militia sæculi gestare consueverat, feliciter ordine commutato, in tyrocinio Christi cadaverum baiulus fieri nequaquam erubescebat: et quasi alter Tobias in sepeliendis illis diligentis curæ solertiam impendebat. Nec non et languidos propriis humeris ad necessaria gerebat, et in omnibus affectu piissimo eis sedulo ministrabat.

fœdum ulcus osculatur; intolerabilem fœtorem, * al. autem

8 In supra dicta etiam domo mulier quædam paupercula plurimum infirmabatur. A mamilla namque * ipsius cum fœtore nimio putredo continue discurrebat: quam vir Dei prospiciens miserabiliter affligi, compassus est ejus angustiæ, humiliansque semetipsum, tam deformem plagam, quam cæteri non sine horrore poterant intueri, in locum putredinis defluentis, flexo genu, deosculari cœpit, ita quod labia ipsius ex ipsa putredine inhoneste tabefacta cernerentur. B Altera quoque mulier in eadem domo jacebat, quæ morbo gravissimo laborabat. Nam ex ejus latere fœtor abominabilis, cunctisque intolerabilis sine intermissione defluebat: qua de causa in secreto jacens loco, ab aliorum fuerat consortio segregata. Tantus enim erat lateris fœtor, ut cunctis appropinquantibus molestiam nimiam generaret.

victor sui naribus haurit,

9 Cumque Dei famulus illius habitaculum introisset, et fœtorem tantum diutius perferre non valeret, continuo est egressus: et ut verbis ejus loquar, sic dicebat: « Abstulit mihi cor meum « fœtor intolerabilis. » Quem cum audisset * mulier quædam, infirmorum domusque procuratrix, quæ pro sua religione familiaris valde eidem habebatur, quasi improperando illi, quod dixerat, increpare cœpit, ita dicens: O qualis miles, quam probus, quam animosus, a fœtore isto in momento superatus! Et adjecit: Peccata (inquit) vestra sunt, quæ vobis fœtent. At ille paulisper subridens, Merito, inquit, arguis me: me enim pusillanimem esse, omnino negare non possum. Nec mora, semetipsum redarguens et increpans, indignansque sibi ipsi, ad C locum revertitur, unde paulo ante fuerat egressus. Et acclinans caput suum penes latus ægrotantis, spatiumque, quod erat inter se et latus, cooperiens, ne scilicet fœtor egrediens per aerem spargeretur, sed in nares suas prorsus illum reciperet; ibidemque diutissime est commoratus *k*.

* al. vidisset

k

seque in omnibus domare studet.

10 Ad quem accedens prædicta mulier, quæ antea pusillanimem dicebat, e contra durissime ipsum cœpit arguere, eo quod tam crudelis extitisset, tanto fœtori tamdiu nares suas applicando. Cui vir sanctus respondit: Noveris, dilectissima mihi in Christo, me nunc fœtore isto, tamquam pigmentorum odoribus suaviter delectari. Et iterum, verum, inquit, dicebas: mea peccata quippe erant, quæ fœtebant. Præterea omni tempore, quo in Monte-mirabili morabatur in supradicta pauperum domo, quotiens oportebat, caput suum lavari faciebat ab eadem muliere, quæ huic officio deputata, capita languentium et sordes ægrotantium mundare consueverat; ab altera enim id fieri minime permisisset; necnon eodem pectine, quo pauperes et ægroti scabiosi pexebantur *; iisdem quoque utensilibus, quæ illorum fuerant usibus designata, sibi per D omnia ministrari faciebat.

* i. e. pectebantur.

B. M. Virginis icon ad precantem convertitur, *l*

11 Per idem tempus dum in territorio Cameracensi *l* cum ingenti militum suorum comitatu deambularet Dei servus, contigit, eum transire per quemdam locum, ubi in ipso itinere beatissimæ Virginis imago posita habebatur; sed Vir Dei alibi intentus plene non animadvertit, quid hoc esset. Cum autem aliquo spatio jam fuisset digressus, secum cogitare cœpit, quid paulo ante vidisset: et agnito, quod coram gloriosæ Mariæ virginis imagine præterisset, nullam habens de ipsa memoriam, nullamque eidem exhibens reverentiam, insalutatam reliquisset, plurimum contristabatur; statimque de equo, cui insidebat, in terram desiliit, et ut condigna satisfactione negligentiæ suæ reatum dilueret, pedes revertitur ad eamdem. Cum vero a latere imaginis stetisset, corruit in terram, flectens genu in ipso itinere, ibique cum magna compunctione et anxio cordis affectu veniam precabatur. Et ecce nutu divino facies imaginis ad ipsum conversa est, acsi Virgo gloriosa evidenti signo vellet ostendere, se precibus obsecrantis annuisse. Hoc quoque E multi, qui præsentes aderant, manifeste cernere meruerunt: ipse vero, acsi de tali miraculo nihil penitus contigisset, erigens se ab orationis loco, post catervam ejus reditum præstolantem regredi festinavit.

Pauperem puerperam ipsemet ad xenodochium portat *m*

12 Nec illud est omittendum, quod in Montemirabili operatus est quadam vice *m* dignus Deo Johannes. Cum in ipso castro muliercula pauper infantulum peperisset, nec haberet substantiam, unde in propria domo sustentari potuisset, hoc ipsum viro Dei quispiam nunciavit. Quo audito, ad domum mulieris graditur festinanter. Cum autem de mandato ejus mulier ipsa de lecto, in quo jacebat, in vas, quod vulgo corbis vocatur, fuisset translata, ad supradictum pauperum hospitium, non de nocte quidem, sed de die palam, cernente populo, propriis humeris portavit, quatinus ministraretur eidem, prout talis necessitas exigebat.

Proposito adversus Albigenses militandi dimisso, *n*

13 Igitur cum jam Dei servo mundana negotia fastidio esse cœpissent, quid ei esset agendum, in animo revolvebat; visumque est illi, quod Christo militaturus, in terram Albigensium proficisci debuisset *n*. Volens autem plurimum argenti secum ferre, unde copiosius in ipso itinere inopiæ F subveniret egenorum, in Cameracensem provinciam profectus est, ubi de nemoribus suis quamdam partem septem millium librarum pretio commutaret. Porro nemorum emptoribus uxoris *o* ejus assensum petentibus, omnimodis illa renuens acquiescere, venditioni dictæ, ne fieret, obviavit. Interea quidam de servis viri Dei, cujus relatione nos ista didicimus, qui eidem in sancto proposito familiarius adhærebat, his eum alloquitur verbis. Domine, inquit, si vobis rectum videtur, ut acquiescatis mihi, peregrinationis hujus, quam disponitis facere, relinquatis propositum *p*: in vestro etenim reditu animus vester non minus, quam in præsenti die, mundi occupationibus irretitus teneretur.

o

p

de statu vitæ amplectendo

14 Cui vir sanctus respondit: Quid igitur melius nos agere judicabis, aut cujusmodi vitam tuo decernis arbitrio fore potius eligendam? Si vestræ, inquit, non displicet voluntati, petamus ambo eremi solitudinem, ut ab hominum conturbatione et linguarum contradictione salubriter abscondamur. Me quoque comitem individuum, necnon et ministrum fidelem vobiscum habeatis. Ad

A Ad quæ sanctus : Benedictus tu, charissime, et benedictus sermo oris tui; quia preciosus. Vade ergo et diligenter require, si quos sanctos heremitas valeas reperire: sic ubi congruum noverint locum, quo secretius commodiusque cohabitare possimus. Dehinc illorum responsionem, et quidquid inveneris, nobis renuntiare stude. At ille continuo, assumptis secum viæ necessariis, Leodiensem *q* usque diœcesim devenit, et audita fama solitarii cujusdam, sanctitate celeberrimi, sine mora ad eum divertit; et præmissa salutatione, adventus sui causam ei protinus indicavit.

eremitas per sidum servum

15 A domino, inquit, Montis-mirabilis, cujus mentem sua nuper gratia dignatus est Dominus inspirare, huc ad vos directus sum. Vestram igitur obsecro sanctitatem, ut eidem vitam solitariam ducere cupienti sanum et fidele præbeatis consilium, prout experientia longiore vitæ hujus ordinem melius didicistis. Quo audito, vir ille dissuadere cœpit, dicens, omnino incongruum fore, ut heremiticam appeteret conversationem, quam procul dubio ipsum in brevi pœniteret elegisse. Et dicebat : Novit Dominus Jesus, quantas ego et consimiles mei heremitæ, et B quam difficiles a malignis spiritibus patiamur frequenter molestias; et crebris eorum concussi jaculis nonnumquam etiam graviter vulneramur; illa quoque comminantis sententia, qua dicitur « Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevan- « tem se » quam sit vera, in nobismetipsis experimento sæpius edocemur. Unde Dominus vester si assensum mihi præbere voluerit, ordinem Cisterciі, merito sanctitatis cæteris præferendum, velociter introibit : rectius namque iter tutiusve, quo perveniatur ad cœlum, me fateor ignorare.

consuli jubet, et ipsemet consulit doctores theologos;

16 Audeo insuper dicere, quod, si Parisienses theologos et quoscumque industrios super hoc consulat viros, illos contraria nequaquam sentire, sed in hac sententia omnes pariter convenire, veraciter comprobabit. His auditis, nuncius valedicens ab eo recessit. Volens tamen in suo negotio se reddi certiorem servus Dei, quam plurimos, quorum in illis partibus habetur copia, est similiter allocutus : qui omnes a prioris consilio minime discreparunt. Postremo autem ad Dominum suum est reversus, cui per ordinem, C quæ dicta fuerant, retulit universa. Et adjecit, quod etiam a theologis doctoribus responsa conquirere debuisset. Quæ cum audisset sanctus ille Dei ferventissimus Amator, nil amplius, quam Domino famulari desiderans, sine mora meandi Parisius *r* iter arripuit; quem e vestigio militum suorum et familiæ multæ turba subsecuta est copiosa. Cumque Parisiensem urbem fuisset ingressus, peritorum theologorum conventu maximo in unum congregato, primum quidem ad eos salutationis verba præmisit. Illi vero de adventu tanti Principis gavisi plurimum, cum hilaritate eum honorifice susceperunt.

qui omnes ei suadent,

17 Quos postquam familiari colloquio fuisset affatus, ait illis : Dignum est, o domini, ut nostra præsentia vobis in utilitatem cedat; vobis igitur in communi expensa crastinæ diei triginta librarum donamus benedictionem. Quibus gratias agentibus, Nunc, inquit, superest, ut secreta cordis nostri discretioni vestræ pandamus, hoc primum fieri postulantes, ut a comitatu vestro eligantur decem, qui doctrina et religione præcellere cæteros videantur. Et factum est ita. Quibus rursum ait : Ex vobis quoque, qui decem estis numero, tres nihilominus separentur in unum, ut dictum est, moribus et scientia omnibus præeminentes. Quo facto, tres illos doctores famosissimos ab aliis seorsum educens, procidit illorum pedibus humili supplicatione deprecans eos et dicens : O venerabiles viri, homo sum contemptibilis et valde miserabilis : nam totius justitiæ hactenus expers extiti, et a malorum perpetratione numquam cessavi. Verumtamen ad cœlestem patriam, a qua multorum commissione facinorum temere deviavi, per arctam pœnitentiæ viam me nunc tandem parum reverti cupientem, vos instantius rogo, ut secundum, quam a Deo percepistis, sapientiæ doctrinam cujuslibet conversationis iter rectissimum edocere studeatis.

A. MONACHO COAEVO.

ut Cisterciense institutum sectetur; quod et facere statuit.

18 Ad hæc illi paululum intra se cogitantes, unanimiter, quasi ex uno ore Dei Servo responsa dedere, dicentes : Nullum omnino tramitem, quo ad paradisi regna dirigi quisquam queat ac perduci, quam Ordinem Cistercii, vos possumus edocere meliorem; si tamen tanta vobis divinæ gratiæ virtus collata sit, ut cum perseverantia illius asperitatem velitis et valeatis pro Domino sustinere. Nunc, inquit, illi septem doctores, qui E paulo ante aderant, introducantur, ut sciamus, utrum æqualia et ipsi sentiant, an diversa. Qui cum introducti fuissent et super hoc requisiti, in nullo ab invicem fuerunt contrarii; sed omnium una sententia fuit, idem per omnia dicentium, quod tres illi priores fuerant elocuti. Quibus intenta mente Dei Famulus auditis, ab illa die statuit, se Ordinem Cistercii ingressurum; quod facere nequaquam distulit; sed prinsquam dicere incipiamus, quemadmodum id factum fuerit, ad enarranda nonnulla ipsius gesta, ab eodem in seculo, corpore non animo, commorante perpetrata, quæ adhuc dicenda restant, nobis est redeundum.

ANNOTATA.

a Montis-mirabilis, *quod Franciæ in Bria castrum sive oppidum est, a quo* B. Joannis *familia suum nomen traxit, notitiam dedi in Commentario prævio num.* 29 *et seqq.*

b *De illustribus Beati progenitoribus, paternis et maternis, satis prolixe egi* § 2 *Commentarii, ubi tamen monui, non constare, qua ratione* regiam generis nobilitatem *acceperit.* F

c Torneamentum *a gallica voce* torneement, tournoiement, *sive* tournoi, *est* ludus equestris *seu* ludicrum certamen, *viris nobilibus olim familiare, sed periculosum.*

d *De hoc canonico Regulari ac tempore, quo aliqui hæc facta volunt, consule Commentarium* § 4.

e *Lege librum Judicum cap.* 11, ℣ 34.

f *Ut credibiliora fiant, quæ de Beati post conversionem in sæculo gestis narraturus biographus est, lege Galcheri vel Galteri abbatis Longi-pontis, qui illum in monasticum tirocinium admisit, insigne testimonium, in Commentario prævio datum num.* 65, *quod partim hic repeto.* Antequam ingrederetur Religionem, probatissimi fuit fervoris; fuit in seculo semetipsum abnegans, omnia, quæ habuerat, castella et villas, domos et prædia abjiciens, pompam seculi et gloriam tamquam stercora pro Christo respuens, et totus in Christo pergens... Sic laudabilis fuit ejus conversatio, dum adhuc esset in seculo, ut omnes, qui eum viderant prius, repentinam illam dexteræ

A MONACHO COAEVO.

teræ Excelsi mutationem mirarentur supra id, quod credi aut æstimari posset.

g *Forte hæc referenda sunt ad annum* 1181 *vel* 1182, *quibus Philippus II Galliæ rex Judæos omnes primum Parisiis, deinde e toto regno suo excedere jussit. Forte tamen etiam serius contigerunt : nam cum laudatus rex eosdem anno* 1196 *redire permiserit, potuerunt etiam tunc in* Joannis *dominia reversi fuisse, ac deinceps denuo expulsi.*

h *Guilielmus Armoricus in Gestis Philippi Augusti apud Chesneum tom. V Historiæ Francorum id ipsum ab eodem rege factum ait, ad annum* 1181 *sic scribens :* Et quia Judæos odio habebat, et multas de eis in nomine Christi Jesu blasphemias audiebat, omnes debitores eorum a debitis absolvi, quinta parte totius summæ fisco retenta. *Ceterum, quod dicitur* B. Joannes *singulis eorum tria numismata et falcem dedisse, accipiendum videtur de pauperioribus, ut et aliquod viaticum haberent, et tempore messis, quæ instabat, victum labore suo sibi possent alibi comparare.*

i *De hoc xenodochio per ipsum ejusdemque uxorem Helvidem erecto fundatoque adi Commentarium prævium* § 4 *a num.* 68.

B

k *Alterum prædictis non absimile factum illius retuli in Commentario num.* 67 *ex Vincentii Bellovacensis Speculo morali.*

l Cameracum, *gallice* Cambray, *vetus Belgii civitas ad fluvium Scaldim, suique agri, vulgo* le Cambresis, *inter Picardiam, Artesiam et Hannoniam jacentis, caput est, antiquo episcopatu, qui sub Philippo II Hispaniarum rege in metropoliticam sedem evectus fuit, insignitum. Porro hujus civitatis castellaniam, ut vocant, obtinebat* B. Joannes, *hereditario jure per matrem suam Hildiardem de Osiaco acceptam, qua de re consule Commentarium prævium num.* 31 *et seq.*

m *In altero apographo nostro Longi-pontano hic pro* quadam vice *perperam legitur :* quondam vitæ.

n *Vide dicta in eodem Commentario* § 7.

o *Fuit uxor ejus Helvidis de Dampetra, de cujus illustri familia, posterisque ex hoc conjugio prognatis consule Commentarium* § 3.

p *Vocem* propositum, *quæ in exemplari, quod edo, desiderabatur, supplevi ex altero apographo Longi-pontano. Porro verisimillimum est, hunc illum famulum esse, qui intra num.* 46 Amandus *appellatur, diciturque cum ipso Beato monachus vixisse in Longo-ponte. Muldracus quoque in sæpe dicto Compendio Chronici verbis num.* 120 *in Commentario datis scribit,* Amandum *simul cum Beato, in cujus famulitio erat, monasticam vestem ibidem induisse.*

C

q *Notus vulgo est episcopatus ac principatus Leodiensis, cujus metropolis Leodium, alias Legia est, indigenis* Liège, *in Belgio, sed circulo Westphalico annumeratus, unde etiam ab aliis in Germania reponitur.*

r *Id est,* Parisios, *Gallici regni caput.*

CAPUT II

Mira illius in leprosos et pauperes charitas : vitæ austeritas, pietasque : contemptus inanis gloriæ : imprudentia divinitus correpta : gesta bellica ante conversionem.

Leprosis obviantibus stipem cum osculo manuum,

Quodam igitur tempore venerabilis Dei Servus, nondum assumpto religionis habitu, apud castrum suum, cui nomen Oysiacus *a*, cum copiosa militum suorum multitudine morabatur; cumque ab ipso castro ipsorum equitum secum habens comitatum, apud Aelimont *b* properaret, cujusdam causæ negotium ibidem tractaturus, occurrerunt ei in itinere juxta villam, quæ vocatur Sanci, leprosi viginti quinque. Qui cum eum adesse cognovissent, gavisi plurimum, eleemosynæ ipsius beneficia postulare cœperunt. At ille continuo equo, cui insidebat, desiliens, festinavit, et suscepta a suo subsequente pecunia, universo comitatu retro stante, qui proprius accedere ob fœtorem leprosorum verebantur, igne divini amoris Dei Servus æstuans, ferventissime in medium leprosorum se ingessit. Dehinc vero unicuique quinque solidorum dona distribuens, cum genuum flexione et devotissimo cordis affectu manus deosculatus est singulorum. Cum autem ab eodem loco Vir Dei fuisset aliquantulum digressus, obvium habuit leprosum; qui ex illorum erat consortio, quibus paulo ante munerum suorum largitione fuerat suffragatus.

E

alteri etiam propriam vestem largitur:

20 Ipse namque ob corporis debilitatem præcedentium vestigia sequi non prævalens, ibidem Dei Servi præstolabatur adventum, sperans, se aliquid accepturum ab eo. Perpendens itaque leprosus, ipsum adesse, quem expectabat, illum obsecrare cœpit, ut eleemosynam suam largiendo miseriæ ejus subvenire dignaretur. Sanctus vere auri vel argenti penes se nihil habens (totam namque pecuniam suam egenis distribuerat) hujusmodi leproso fertur dedisse responsum : Te, inquit, rogo, ut tunicam tu ipse mihi largiaris. Quo audito non sine admiratione, leprosus ausus non est Viro Dei renuere, quod petebat, suum ei sine mora porrigens indumentum. Quo suscepto, tunicam propriam Vir sanctus exuens, ne a quoquam deprehendi posset, ipsa leprosum induere festinavit. Dehinc quoque eodem, quod prius ab illo susceperat, cum rursus induit vestimento; nihilominus id caute faciens, videlicet ut res gesta lateret et incognita fieret universis. In quo facto Virum istum S. Martino non immerito similem dixerim; nisi forte, si dicere fas est, laudabilius extiterit opus ejus. Iste namque tunica sua nudatus in tempore hyemali, non restituta sibi parte, integram leproso dignoscitur præbuisse, beatus vero Martinus clamydis suæ partem egeno dividens, alteram sibi legitur reservasse *c*.

F

deinde inter negotia cœlesti visione recreatur,

21 Perveniens autem Dei Servus ad locum, quo tendebat, a mane usque ad vesperam in præsentia sua vidit et audivit de secularibus negotiis illos,

A illos, qui aderant, multis clamoribus litigantes, ubi partem suam, prout poterat, unusquisque defendebat. Sed Vir sanctus alibi intentus, ex omnibus, quæ dicta sunt, nil penitus intellexit. Cum vero responsum aliquod ab eodem quæreretur, præposito suo innuebat, ut pro se loqueretur, quod et ille, cum fuisset opportunum, faciebat. Postmodum autem requisitus, quare nullum petentibus in die illa responsum præbuisset, recognovit, dicens, quod tota ejus versabatur intentio ad prospiciendam quamdam faciem, quam in aere videbat, in cujus visione tanta perfundebatur suavitate, quod nullius lingua aliquatenus exprimi potuisset. Postquam vero tanta fuisset jocunditate refectus, ipsa subsequenti nocte familiæ suæ tumultum deferens, uno tantum contentus comite, ad propinquam religionis domum * profectus est, et ut liberius soli Deo vacare et contemplationis fructus carpere posset, ibidem est hospitatus.

* i. e. monasterium

Alium leprosum invisit, eique ministrat et largitur.

22 In oppido Pruvini *d* leprosus quidam populi eleemosynis sustentabatur, tam deformis, tamque abominabilis lepræ contagione perfusus, ut, nisi cum horrore nimio, nullus eum intueri potuisset. Cujus fama, quæ ubique diffundebatur, B cum ad Dei famulum Johannem pervenisset, subiit animum ejus, ut leprosum visitaret. Nec mora, longum satis arripiens iter, ad eum denique pervenit : ingressusque cellulam ipsius, salutavit eum, quem etiam flexo genu deosculans, pristinam consuetudinem prosequi non neglexit. Unius quoque diei spatio apud eum manens, devotus et humilis eidem ministravit : inde vero recessurus, largitus est dona, ex abundantia sua supplens inopiam indigentis. Insuper consolabatur eum, dicens, quod plurimum gloriari deberet pro eo, quod a Domino hoc verbere flagellatus, attestante Salomone, in filiorum Dei numero computari mereretur.

Pro Christo contemni desiderat : pauperes convivas adhibet,

23 Cum autem die quadam modo consimili loca sancta circuiret, militum *e*, qui ex ejusdem Sancti erant progenie, copiosus ei exercitus obviavit ; qui videntes eum despectius ambulantem, arguunt eum universi, dicentes : Domine, inquiunt, cum sitis totius nostræ prosapiæ caput, et in omnibus nobis numero dignitatis obtinens principatum, facitis, quod non decet. Ex hac namque contemptibili vestra conversatione nobis, qui de vestra stirpe sumus, dedecus ingens et confusio non modica generatur. Quibus Vir C sanctus respondens, Utinam, ait, o cognati, per cujuslibet dedecoris iter ad Dominum Jesum valeam pervenire! Quodam tempore in oppido suo, quod Creveceur *f* nominatur, cum nimia militum multitudine discumbebat, et more solito multos habebat pauperes coram se similiter discumbentes.

quorum uni cum ob crimina oculos eruí olim jussisset,

24 Qui cum satiati fuissent, intererat quidam cæcus, cum multimoda gratiarum actione de collatis sibi beneficiis laudens et benedicens Deum, dicebat : Summi Regis benedictionem percipere merearis, venerabilis Johannes, qui nos in præsenti bonis tuis satiasti : multa etenim bona, quæ vix enarrare sufficerem, per te mihi venerunt. Quo audito, quidam de familia cœpit quærere ab eo, quemadmodum ei per Dominum suum tanta bona contigissent. Cui cæcus respondens, cum essem, inquit, latro, maleficus, adulter et sacrilegus, multorumque aliorum facinorum labe fœdatus, multo majora committere crimina apud me decernens, oculos meos, qui ductores mei extiterant ad ea, quæ commiseram, mala, et adhuc perpetrare disponebam, eruit mihi judex æquissimus, dominus vester benedictus Dei * Johannes; sicque animam meam, ut scio certissime, ab infernalibus viis eripiens, me a morte perpetua liberavit.

A. MONACHO COÆVO.

* al. deest Dei

veniam ab eo humiliter petit.

25 Quibus dictis, sine mora Domino suo servus, qui hæc audierat, cuncta per ordinem renuntiavit. His igitur non sine cordis anxietate Dei Famulus auditis, surgens a mensa cum tanta festinatione, ut omnes, qui aderant, mirarentur, coram cæco se prostravit, cum lachrymis et cordis compunctione veniam postulavit. Ad quem cæcus, Domine, inquit, sine causa veniam postulatis : noveritis namque, quod tali facto multo majore debito, quam vos mihi, vobis ego teneor obligatus. Nam si pepercisses mihi, nunc multum aridus essem suspendio condemnandus. Pro qua cæci responsione Dei Servus consolatus est et ædificatus non modice, copiosis muneribus ejus subveniens egestati. Hoc autem dicimus in præsenti, licet pro humili satisfactione ad laudem sancti hujus pertinere videatur, huic tamen Opusculo duximus inserendum, ut tamquam de Saulo Paulum, et ex aqua vinum, factum Johannem considerantes, excitentur ad E laudandum et glorificandum Deum, qui in sanctis suis mirabilem se exhibens, commutationis hujus piissimus extitisse noscitur operator *g*.

Solebat pauperes in proprio suo lecto collocare,

26 Igitur Dei Servus, sicut præmisimus, in conviviis suis deesse pauperes, numquam patiebatur, et cum ipsis habitare multo magis, quam divitum consortia, diligebat. Eratque talis ejus consuetudo, quod, cum tota familia et milites universi soporati fuissent, pauperes ipse vocabat ; quos etiam in proprium collocans lectum, dormitionis requiem eis misericorditer exhibebat. Ipse vero nihilominus in terra cubabat, et tali lecto contentus, tota nocte sic permanebat. Cum autem quadam nocte in castro supradicto de Crevecœur moraretur, et equitum, qui aderant, nimia multitudo eum non sineret consueto more in proprio cubiculo pauperibus requiem tribuere, pauper quidam infantulus balbutiendo, prout poterat tamen, conquerens, uni de militibus necnon et Mariæ de Goignelin *h* sic ait : Mallemus certe, domine, vos et omnes socios vestros alibi commorari : valde namque nobis molesta est vestra præsentia. F

ipse humi dormire : vili leprosi equo insidens.

27 Cumque miles quæreret ab ipso, qua de causa ex ipsorum præsentia molestiam paterentur, respondit puer : Nisi præsentes essetis, in ista nocte in lecto domini vestri Johannis suaviter dormissemus, sicut heri et nudiustertius facere solebamus. Milite rursum quærente, ubi ipse Dominus dormiret, puer dixit : In humo ante lectum suum singulis noctibus ipse dormire consuevit. Et revera, cum etiam pauperes ejus lectum minime occupassent, omni ejus testante familia, pura humo dormiebat *i*. Altera vice cum iter carperet Servus Dei, obvium habuit leprosum, gradientem super equum, parvum quidem et despectum ; sed in auro vel argento ad manum nihil habens, quod ei largiretur, doluit vehementer. Veruntamen labentia pro æternis, terrena pro cœlestibus ferventi desiderio cupiens commutare, animal magni pretii, a quo portabatur, ipse statim leproso tribuit *, bestiam contemptibilem suscipiens ab eo, ambulavitque super eam coram omni populo et gente sua.

* al. præbuit

28 Cum vero ab infantibus subsequentibus eum, quasi alter Heliseus *k*, derisui haberetur, humiliter

A. MONACHO COAEVO.

sannas patienter fert: leprosus invisit.

humiliter pertransiens, mansuetus et humilis omnia sustinebat. In hoc etiam facto Dominum est imitatus, qui aselli tergo, Jerusalem ingressurus, dignatus est insidere. Præterea ubicumque proficiscens, si in suo itinere leprosorum tuguria reperisset *l*, comitatu derelicto, ad ipsos continuo divertebat, dehinc vero flexis genibus ipsorum manus vultusque spurcissimos piissimo caritatis affectu deosculans, etiam beneficia eis liberaliter impendebat. Quod si eum pecunia carere contigisset, proprias cyrothecas *, vel aliud quidpiam eis nihilominus tribuebat.

* *i. e.* chirotecas

Corpus suum domat, vigiliis, orationi et humilitati deditus:

29 Insuper tempore hyemali, nulla frigoris importunitate detentus, camisia *m* et femoralibus ciliciniis tantummodo sub cappa *n*, indutus, singulis noctibus ad ecclesiam pergere consuevit, ibique nocturnis intererat vigiliis sine intermissione orationi intentus, terramque cordis sui sanctissimo imbre rigabat, ut virtutum fructus uberrimos producere potuisset. Cum vero apud Montem-mirabilem moraretur, in majorum festivitatum celebrationibus ad confitendum Domino nocte media consurgens, ad propinquam religionis domum, quæ Boscus *o* nominatur, ibat, B quatinus sacris inserviendo meditationibus, et sola rimando cœlestia, Domino diem festum liberius agere posset, tumultu scilicet equitum et familiæ copiosæ sagaciter devitato. Accidit quadam die, quod gloria militaris, cum qua quondam Dei Servus extiterat tam famosus, adhuc quoque extitisset, nisi Christo militare præoptasset, accidit, inquam, ut ipsius memoriæ importune se offerret. Cumque hujusmodi cogitatio in animo ejus aliquandiu versaretur, tandem jussit, ut arma sua bellica in conspectu suo afferrentur: et factum est ita. Postquam vero brevissimo intervallo eadem intuitus fuisset, continuo animadvertens, quid egisset, ultor sævissimus extitit in seipsum, studens diluere per pœnitentiæ luctum, quod tali tentationi assensum præbuisset.

inanem gloriam suadenti apte respondet.

30 Eo tempore profectus Suessionem *p* Christi Miles, ab hospite suo quærebat, utrum in urbe quisquam religiosus habitaret, quatenus ædificationis causa ejus colloquio frueretur. Etiam, hospes inquit, mulier quædam a diebus multis in arcto habitaculo pro Christi nomine inclusa, quæ pro sua sanctitate a pluribus frequentatur. C Quo rogante, ut ad illam duceretur, ille respondit: Absit, Domine, a vobis, ut ad mulierem pauperculam pedes velitis pergere per vicos et plateas civitatis. Indecens esset istud, nec convenit tanto Viro hujuscemodi faceri novitatem. Quo audito, Johannes calore fidei vehementer accensus, acsi legisset vel audisset, male suadenti Petro Dominum respondisse, Redi post me, sathana; non enim sapis ea, quæ Dei sunt, responsione fere consimili hospitem suum corripere cœpit, objiciens ei et dicens: Heu, heu! quid mundi gloria, quid reges, quid principes, quid denique Johannes de Monte-mirabili, nisi cadaver putridum, quod certum est a vermibus consumendum? In his verbis homo, Servi Dei cognita virtute, siluit, nec ausus est a suo proposito eum amplius revocare.

Post imprudentem sermonem corripitur dolore lateris.

* *al.* recordatione

31 Ingresso Johanne basilicam, ut in eadem oraret, optabat, pro peccatis vehementer aliqua compunctione morderi: cumque ex peccatorum suorum consideratione * mens ejus aliquo cumpungi dolore nullatenus potuisset, erectis oculis ad beatæ Virginis imaginem, quæ ibidem habebatur, O, inquit, Regina angelorum, refugium peccatorum, utinam ego peccator, servus D tuus, nunc a te precibus obtinerem, ut os tuum ad loquendum aperires, et diceres mihi, quod Filium tuum Jesum non essem habiturus; ita tamen, quod verbum hoc minime impleretur; ot sic saltem compungeretur cor meum, unde posset ejus duritia utiliter emolliri. Quo dicto, intolerabili dolore cœpit in latere flagellari, a quo in tantum vexabatur, ut putaret, ex occasione præcedentis sermonis indiscrete prolati (optando scilicet, Virginem Mariam verbum loqui, nec fieri) malignum quemdam spiritum divino judicio accepisse in ipso hujusmodi potestatem. Cujus etiam lateris per quatuor annos continuum pertulit cruciatum; in quo quidem tempore multos industrios ac religiosos consuluit viros; sed per eos nullum angustiæ suæ remedium potuit adipisci.

quo non nisi quadriennio post mirabiliter liberatur:

32 Denique vero audita fama cujusdam religiosæ mulieris, quæ adhuc superest, et Maria de Goigneliu *q* nuncupatur, sine mora eam visitare disposuit, quatinus spiritali ejus colloquio perfrui et ædificari potuisset. Dehinc jam peracto itinere, ingressus est ad eam, et præmissa salutatione, Te, inquit, rogo, mulier ancilla Christi, E ut mihi dicere non omittas, utrum me videris hactenus, vel noveris. Vos, domine, inquit illa, numquam vidi in corpore. Nihil amplius dixerat, et Johannes per hoc solum, quod audivit, forsitan intelligens, quod ipsum in spiritu illa quandoque vidisset, tantam degustare cœpit animi suavitatem, ut etiam lateris angustiæ, quam tamdiu pertulerat, dies illa finem daret, et optata sospitate deinceps potiretur. Sciendum vero est, quod in verbo supradicto illo, videlicet, quod Virgini Mariæ dixisse memoretur Johannes, zelum Dei habuit, sed non secundum scientiam. Justissime tamen excusat eum pia intentio compunctionis habendæ: in quo quidem zelum Dei dignoscitur habuisse, sed minime secundum scientiam, cum ipsa verbi prolatio fuerit indiscreta.

auctaris hac super re ratiocinatio.

33 Quod autem, Domino permittente, sit ordine, quo diximus, in latere flagellatus, ab hoc ipso divinarum Scripturarum sensus et fidei certitudo discrepare non videtur, cum Paulus apostolus de seipso fateatur, dicens, datum sibi stimulum carnis suæ, angelum sathanæ, a quo colaphizaretur. Quin potius ipsa doloris passio F beatitudinis ejus signum fuisse credenda est, attestante Job, qui ait: Beatus homo, qui corripitur a Domino. Insuper divinæ dilectionis et electionis fuit indicium, ut ait Salomon: Quem diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quantum denique ex ipsa passione profecerit, nec rebellis vel contumax, sed patiens et humilis in eadem extiterit, patenter ostenditur, cum sui ipsius testimonio antea pro suorum peccatorum memoria nullatenus compungi potuerit, postmodum vero in tentationis fine cor ejus tam capax spiritalium tamque devotum fuerit, ut in unico talis mulieris sermone tantum perceperit saporem dulcedinis spiritalis. Præterea curationis ipsius rectissimus ordo fuit; cum lateris angustiam, quam meruit inferre indiscreta subtilitas, laudabilis simplicitas taliter effugavit.

Philippo regi militans, cum magno periculo eripit,

34 Est etiam memoriæ commendandum, quod Johannes, cum sub glorioso Francorum rege Philippo *r* militaret, a quo non, sicut a cæteris, DE MONTEMIRABILI, sed JOHANNES PROBITAS vocabatur, justissimarum ratione causarum ab

A. MONACHO COAEVO.

A ab ipso rege plurimum diligebatur. Nec immerito; quippe qui toties ei utilis et necessarius erat. Fuit autem im prælio Normanniæ, quod commisit rex Francorum adversus regem Angliæ *s* apud castrum, cui nomen est Gisurtium *t* : ubi cum fuisset rex totius exercitus sui auxilio destitutus et ab eis penitus derelictus, ab hostibus autem suis circumquaque vallatus, de medio ipsorum quærentium animam regis princeps digne laudandus Johannes virtute propria cum ingenti robore cum potenter eduxit, et a mortis periculo liberavit. Deinde veniens in partes Franciæ, congregavit gentium multitudinem copiosam, cum quibus ad dominum festinanter est reversus, prudenter et sollicite opportunum ei subsidium administrans.

juvatque; idcirco eidem carus: virtutibus,

35 Et sic demum mediante Johanne principe fidelissimo, rex Philippus, qui antea paulo minus hostibus succubuerat, castrum supra nominatum, terram quoque universam, pro qua tunc temporis decertabat, de manu regis Angliæ vi auferens, victor in Franciam honorifice cum gaudio remeavit *u*. Nimirum his de causis a rege, ut dictum est, plurimum amabatur, et vestitu deaurato sæpius ornabatur. Verumtamen ex quo B cœpit militare Christo regi, longe pretiosius Christus ipse interiorem ejus hominem inæstimabili virtutum decoro decenter illustravit, quam fuisset exterior ejus homo a Francorum rege quibuslibet aureis ornamentis antea decoratus. Præ aliis vero virtutibus, quas habebat, præcipue paupertatis humilitatisque vehemens amator semper fuit et providus exquisitor. Cum enim divitiis et gloria, quas voluptatis vanitatisque nutrices esse noverat, in seculo fuisset honoratus, contrariis animæ languoribus virtutes opponendo contrarias, videlicet divitiis paupertatem, et gloriæ vilitatem, tamquam sagacissimus animæ suæ medicus, si qua contagione peccati occasione opum et gloriæ fuisset contaminata, his virtutum salubribus antidotis vigilanter diluere satagebat.

maxime paupertatis humilitatisque amore elucet.

36 Quia duabus præmissis virtutibus claruerit et perfectus extiterit, in ejusdem probamus argumento verbi illius sanctissimi, quod egressum est de ore ejus, cum diceret, se velle esse filium hominis pauperioris vel inferioris totius terræ suæ : et quam verax extiterit hoc dicendo, operum ejus indicia manifesta declarabant. Nunc igitur videamus, Christum Regem quam recto itinere a fine totius celsitudinis ad finem totius extremi- C tatis, paupertatis, vilitatis, humiliter descendentem legitimus ejus Miles fuerit imitatus, qui cum multarum gentium caput esset, et in ipsis obtinens principatum, de primo in ultimum mutari voluit, optando videlicet, se cunctis inferiorem fieri dignitate. Et quia sic secutus est ad infima descendentem, merito sequi debuit ad regna cœlestia gradientem.

ANNOTATA.

a Oysiacum, *sive* Osiacum, *vernacule* Oisy, *castrum in Cameracesio, vel in Artesia, qua Cameracesio adjacet, a quo materna* B. Joannis *familia cognomen* d'Oisy *habuit, ad ejusdem Beati hereditatem accessit per mortem avunculi sui Hugonis III, Osiaci domini, et castellani Cameracensis, sine posteris defuncti.*

b *Non reperi hunc locum in Tabulis geographicis, uti nec villam* Sauci; *nisi forte hæc sit* Sauchi, *vel* Sauchi l'Etrée, *quæ duo loca non procul ab Osiaco in Artesia notantur in Tabula ejusdem comitatus per Guilielmum de L'Isle.*

c *Machautus lib. 2, cap. 6 hæc ita interpretatus est, ut dicat,* Joannem *leprosi tunica semetipsum induisse. Ego vero non dubito, quin dicatur leprosus utraque veste a Beato indutus fuisse; pretiosa scilicet, ut pro eleemosyna esset, altera, ut eleemosynam tegeret. Ita mihi persuadent verba biographi, de beato dicentis :* Dehinc quoque eodem, quod prius ab illo (*leproso*) susceperat, EUM (*non ait se*) rursus induit vestimento. *Id ipsum etiam insinuant, quæ subdidit : si enim* Joannes *leprosi tunicam induisset, quod celatum volebat, eo habitu fecisset palam ; et inepta esset biographi de tempore hiemali sanctoque Martino Turonensi observatio; cum certe dimidium pallii huic sancto ad pellendum frigus minus prodesse potuerit, quem* B. Joanni *tota tunica leprosi. Credo itaque,* Joannem, *cum pecuniam non haberet ad manum, e gemina sua veste interiorem dedisse pauperi leproso, eamdemque, ne hæc eleemosynam proderet, superinduta vili illa texisse.*

d Pruvinum, *alias* Provinum, *gallis* Provins, *urbs Galliæ est in Bria provincia, octodecim leucis Parisiis distans in Ortum hibernum, teste Baudrando in lexico.* E

e *Per* milites *hic, ut etiam supra et infra, more tunc recepto* viros nobiles *designat ; dum autem exercitum mox dicit, hyperbola utitur.*

f Crevecœur, *sive* Crevecœur, *latine* Crepicordium, *oppidulum fuit cum castro, nunc vicus Galliæ est in Cameracesio. Baudrandus ait, esse vetus Vincianum, Caroli Martelli victoria celebre. Erat et hoc unum e castris, quæ* B. Joannes *ab avunculo suo Hugone III Osiacensi hereditaverat.*

g *Ex hisce omnibus noli suspicari, eam pœnam homini isti injuste aut sine legitima potestate irrogatam fuisse; nam beatus hac in re* judex æquissimus *ab ipsomet cæco supra dictus est. Quod igitur veniam hic precetur, hoc ejusdem humilitati charitatique attribuendum est.*

h *Machautus lib. 2, cap. 11 illam* Mariam de Gonnelieu *appellat; sed neutro nomine mihi nota est. Verisimile est, fuisse feminam illustrem, monachis Longi-pontis, in quorum gratiam biographus hanc vitam scripsit, passim notam. Vide etiam annotanda ad lit.* q.

i *Hæc omnia favent Manrico in Annalibus Cisterciensibus ad annum 1184, cap. 4 asserenti,* B. Joannem, *antequam monachus factus est, jam aliquo tempore ab uxoris suæ thalamo ex mutuo consensu separatum vixisse.* F

k *Lege librum 4 Regum, cap. 2, ✝ 23 et seq.*

l *Quia toties de leprosis mentio fit, juverit paucis observasse, malum istud tunc temporis communius fuisse in Gallia, quo vigebant sacræ cruce signatorum expeditiones in Terram Sanctam, ex qua multi lepra infecti in patriam remearunt.*

m *Id est,* indusio *sive* interula.

n Capa *vel* Cappa *vestis talaris, etiam laicæ, species erat, quæ ceteris vestibus superinduebatur : unde Isidorus lib. 19 Orig. cap. 31 apud Cangium in Glossario ait :* Capam dictam, quia quasi totum capiat hominem.

o *De hac religiosa domo vel monasterio nihil præterea legi.*

p Suessiones *et* Augusta Suessonum, *gallice* Soissons, *urbs Galliæ est in provincia Insulæ Franciæ, ad Axonam fluvium, cognominis tractus caput, episcopalis sub metropoli Remensi.*

q *Machautus*

A. MONACHO COAEVO.

q *Machautus lib 2, cap.* 8 *hanc quoque, ut supra ad lit.* h, Mariam de Gonnelieu *appellavit, credĭditque, vel a nobili familia, quæ apud Suessiones id nomen gerit, vel certe a synonymo vico sic dictam. Suspicatus etiam est, hanc istam reclusam fuisse, quam superius num.* 30 *Beatus dicitur invisere voluisse, nec tamen tunc invisisse videtur propter subitum lateris cruciatum. Ego non dubitarem* Mariam de Goignelin, *utroque loco nominatam, unam eamdemque dicere, nisi posteriori loco diceretur illa eatenus numquam in corpore* B. Joannem *vidisse. Attamen hæc ratio non evincit contrarium, quia biographus etiam alia præpostero ordine recensuit, ut mox videbimus : Mariam autem de Goignelin reclusam fuisse, non probat Machautus. Ceterum ex eo, quod expresse dicat, illam, dum scriberet, adhuc superfuisse in viris, collige ætatem scriptoris.*

r *Designatur hic Philippus II, cognomento* Augustus, *qui, vivente patre Ludovico VII, anno* 1179 *rex coronatus, eodemque vita functo anno sequenti, in Gallia regnavit usque in annum* 1223, *quo obiit.*

s *Fuit is Richardus I rex Angliæ*, Cor-leonis *cognominatus, qui anno* 1189 *regnum auspicatus,* B *anno* 1199 *e vulnere mortuus illud reliquit.*

t Gisortii, *vulgo* Gisors, *notitiam dedi in Commentario prævio num.* 49.

u *De hisce omnibus consule eumdem Commentarium num.* 48 *et sequentibus, ubi monui, videri biographum duas expeditiones bellicas annorum* 1193 *et* 1198 *hic commiscuisse. Certum etiam est, hæc alieno loco ab illo narrari, et accidisse, priusquam* Joannes *mentem suam ad divina serio appulisset; nam ab illo tempore a bellis omnino abstinuit.*

CAPUT III

Vitam monasticam orditur in Longo-ponte : gesta illius in Religione usque ad obitum.

Suis vale dicto, ad monasterium Longi-pontis

Johannes itaque speciosis virtutum floribus vernans, in sæculo non seculariter vivebat, sed pigmentis spiritualibus, id est, suavissimo nominis sui odore universam regionem respergebat. C Veruntamen cum adhuc ab hominibus veneraretur, minus se utilitatis agere existimans, ad potiora anhelare cœpit, dans operam, ut postposita vanitate sæculi, monachorum collegio jungeretur. Hæc apud se cogitabat, ut transitorias fugiendo dignitates, honores perpetuos percipere mereretur. Quadam igitur die, convocata populi multitudine, simulans, se velle ad Albigenses *a* proficisci, de divinis alloqui cœpit eos, et ut in melius proficerent, exhortari. Nonnullis autem ipsorum lugentibus, valedixit eis, caritate pacifica deosculans universos. Dehinc vero paucis secum assumptis comitibus, apud Longumpontem, Ordinis Cisterciensis cœnobium *b*, perrexit, ibidem Domino serviturus.

properat, inter monachos admitti humiliter petens;

38 Et sciendum, quod in terra sui juris sub ipsius potestate ejusdem Ordinis cœnobio habebantur, sed parere maluit Domini jussioni, qua dictum est ad Abraham : Exi de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui. Insuper si inter suos moraretur, majorem ab ipsis, quam D ab extraneis sibi reverentiam exhiberi verebatur. Cum igitur die Dominicæ Ascensionis *c* prostratus humiliter in capitulo Longi-pontis in monachum se recipi postulasset, venerabilis Galcherus, tunc temporis ejusdem loci abbas, et qui postmodum Cistercii extitit laudabilis gubernator *d*, sicuti est ipsius Ordinis consuetudo, cœpit ei prædicere gravitatem, quam in vigiliis, laboribus, cæterisque regularibus observantiis eum pati oporteret; et quod ab ipso, qui tantus extiterat in gloria seculari, et tam delicate fuerat ab infantia sua enutritus, ciborum asperitas sustineri non valeret.

et admissus, mira victus abstinentia elucet,

39 Cui humilis Johannes tale dedit responsum. Sciatis (inquit) me numquam in sæculo gaudium tantum habuisse, quam si scirem, me fore dignum manducandi panem furfureum, qui canibus projicitur ad vescendum. Cujus tam humili responsione audita, qui aderant, ædificati non modice, ex affectu pietatis omnes fere lachrymari cœperunt. Quod autem non inaniter, sed ex nimio caritatis ardore id dixerit, subsequens ejus conversatio manifeste declaravit. Tantæ etenim erat abstinentiæ, ut etiam in vilioribus E cibis appetitum refrænaret; et quantum necessitati congrueret, edere recusabat. In pulmentis quoque suis aquam frigidam miscere consueverat, ne aliquantulum delectationis in edendo percipere potuisset.

quam moderante abbate,

40 Quadam etiam die nuntiatum est abbati de Johanne, quod nimiis abstinentiis indiscrete affligeret semetipsum. Quod vocato, abbas eum super hoc allocutus, plurimum increpavit, jubens ei districtius, ut saltem de apposito sibi pane, quantum posset, manducaret. Videns igitur Johannes, hujusmodi se mandato coerceri, ne in crimen inobedientiæ laberetur, totam sibi panis appositi portionem die illa, non dico manducavit, sed cum nimio gravamine, ut potuit, deglutivit. ita ut nec fragmentum exiguum de reliquiis ejus inveniri potuisset. Sciens itaque jussionis hujus molestiam se non posse diutius sustinere, veniens ad abbatem, supplici voce rogabat, ut ab hoc imperio, vires suas excedente, eum absolveret, aut certe tam gravem sententiam quoquo modo temperaret, ut levior fieret ad portandum. Cui abbas : Ut rogatis, ita sententiam temperabo, quod singulis diebus unum panem comedatis : de reliquo autem, si potestis, F manducare non parcatis. Rursumque Johannes : Quantum possum, vos obsecro, ne vos meæ potestati, sed potius voluntatis arbitrio hoc agendum relinquatis. Cujus prece victus abbas compulsus est obsecrantis assentire voluntati.

egregia obedientiæ specimina edit.

41 Per idem tempus abbati similiter est relatum, quod Johannes pitantias *e* comedere recusaret. Missus est ergo ei ab abbate piscis non modicus; cui etiam ex parte abbatis ipsius injunctum est, ut nihil ex eo relinquens, totum manducare debuisset. Ille vero vi coactus imperii, ad manducandum piscem, quasi ad tormentum accedens, quidquid de pisce fuerat respuendum, nec esui congruum, insuper aristas duras et maximas, ne mandati transgressor fieret, non sine cruciatu magno, comedere procuravit : et sic multo plus anxietatis pertulit corporaliter aristarum aculeos consumendo, quam utilitatis habuit carnes piscis manducando. Spiritaliter e diverso suavis ei extitit aristarum acuitas, quibus libenter vescebatur propter obedientiæ bonum, et

carnes

A carnes piscis amaræ, quas invitus comedebat, dum noxiæ voluptatis in edendo periculum incurrere vereretur.

Fœtens cadavere via semovet; contumeliis

42 Eo tempore, die quadam conventu ad laborem commeante, intererat ibi servus Dei Johannes: cumque in via, qua ambulabant, cadaver mortui animalis jaceret, fœtore suo transeuntibus molestiam animiam inferebat, ita ut plurimi monachorum fœtorem non valentes sustinere, manum vel manicam ante nares apponentes, fœtorem, prout poterant, devitabant *. Quod quidem perpendens, et conventui compatiens vir devotissimus Johannes, secessit ad cadaver, et traxit illud in partem semotam a viatoribus, ne de cætero posset aliquibus molestiam gravare. Recte etiam creditur inserendum, quod Johannes, jam assumpto habitu monachili *, in urbe Cameracensi morabatur, comitem secum habens Gilonem cellerarium de Valcellis *f*. Cumque per urbem incedentes visitare vellent quamdam inclusam, venerunt ad quemdam locum, ubi multos invenerunt illusores, in fossatis civitatis operantes, qui pertransire eos videntes, omnes simul una voce, quasi multa essent B irrisione digni, post terga ipsorum clamare cœperunt Hauy, Hauy *g*.

* al. devitarent
* al. monachali

affectus gaudet: dictum ejus ad mulierem.

43 Quibus auditis, cellerarius nimio rubore perfusus, celerius pertransibat: humilis vero Joannes omnem contumeliam sustinere pro Christo paratus, convertens se ad illos, instantissima prece eos rogabat, ut post miserum Johannem de Montemirabili, peccatorem omni opprobrio et confusione dignum, hac contumeliosa *h* voce diutius proclamarent. Non post multum tempus Dei Servus in eadem urbe consistebat causa restituendi, si qua male ab aliquo acquisivisset. Jam vero cuncta distribuerat, et ecce, advenit mulier quædam, conquerens de eo, et dicens, quod plurima inferendo damna multum injuriosus eidem fuisset. Ad quod verbum Vir Dei in sua potestate proprium nihil habens, compunctus ultra modum, mulieri supplicabat humiliter, quatinus damna illa remittere dignaretur reddere non valenti *i*. Cumque illa carens omni pietate, ad veniam concedendam flecti nullatenus potuisset, eum gemitu cordis amarissimo dicebat: Noveris, o mulier, quod, si de oculis meis et naso et auribus aurum vel argentum comparare possem, damna illa, quibus, ut asseris, tibi teneor obligatus, reddere non C differrem.

pro damnis olim illatis sibi satisfieri petentem.

44 O qui non compungitur corde, verbi hujus audita et intellecta virtute! Aliquid præmissum est, quod ad memoriam libet reducere; videlicet quod Johannes ventum inanis gloriæ et superflua corporis ornamenta pecuniarum expensis nimiis olim studiose perquirebat; sed nunc intueamur, quemadmodum vitia contraria contrariis virtutibus curare noverat, qui, sicut in capitulo præcedenti dictum est, confusionem, quæ est inanis gloriæ salubre medicamentum, cum tanta aviditate sitiebat. Hic non * quasi ad remedium ornatus superflui membra corporis sui cæteris utiliora, cæterisque cariora, utpote trium sensuum, visus videlicet, auditus et adoratus, portas perdere maluerit, quam debita non solvere, quæ etiam solvere non valebat, præsertim cum ultra posse a nemine sit aliquid expetendum. Quid igitur æstimare debemus, quam provide se a culpis emundabat, in quarum purgatione ei posse non deerat, qui in illis existebat, a quibus ex sua potentia habebatur absolutus?

* an nunc,

45 O fidelissime Dei serve Johannes, dum in tali casu membra tua tradere paratus eras, quam libenti animo, ut credimus, pro Christi dilectione suscepisses martyrii passionem? Ergo si verum est, ut pro facto sit voluntas reputanda (ut dicitur) cum in cœlis sis præmium confessoris habiturus, etiam coronam martyrii merito possidebis. Aut certe (quoniam per præmissas sensuum januas mors ingredi solet, unde dicitur mors intrare per fenestras, et per ipsas hostis humani generis pravarum suggestionum tela mortifera ad hominum corda jacere consuevit) vel prædictos sensus corporeus, tamquam proditores infideles, animum rectorem suum, meminit Johannes in manus adversarii aliquando tradidisse, et forte illis, quam cæteris membris, carere maluit, et ab eis tam acerbam expetere voluit ultionem, ut a corpore suo amputari debuissent. Verumtamen, quicquid horum sit potius credendum et eligendum, in omnibus laudandus est Christus, qui tantam Famulo suo conferre gratiam sua ineffabili dignatus est bonitate.

A. MONACHO COAEVO. *a biographo expenditur.*

Serviri sibi non patitur: *k*

46 Monachus quidam Longi-pontis, qui de familia humilis Johannis extiterat, dum adhuc in seculo moraretur *k*, volens ei in aliquo deservire, nocte quadam, sublatis occulte calciamentis ejus, ea ungere procuravit. Cum vero Vir E Dei rem gestam cognovisset, rem ferre non potuit, sed vehementer iratus statim ad priorem venit, et plurimum conquerendo, ita dicebat: Domine prior, ego quidem in hac domo perseverans decreveram habitare; sed compellor, ut video, propositum immutare: non permittor, ut videtis, id, pro quo mundum reliqui, effectui mancipare. Nec enim veni ego ministrari, sed potius ministrare: et si sic futurum erat, melius mihi fuerat in sæculo remanere, ubi servos et ancillas potuissem possidere *. Quæsita igitur, prior, et audita causa motionis ejus, animum ipsius leni mitigans sermone, Quæso, inquit, pro hac re ne contristemini; sanum etenim vobis dabo consilium. Cum sequenti nocte dormire noveritis fratrem Amandum (sic enim erat nomen monachi) ad lectum ejus eatis, calciamenta ejus occulte vobiscum deferatis, et sicut fecit vobis, similiter et vos ei faciatis. Quo audito, Johannes, mitigata prorsus ira, valde lætus * efficitur, et in ipsa nocte, quasi de illata sibi injuria sumens vindictam, læto animo Prioris consilium implere festinat. Nec dubium est, cum monachi illius, quondam famuli sui, Dei Servus F tam devote ungere calciamenta dignaretur, quin etiam mens illius unctione spiritali saginari mereretur.

* al. habere
* al. lenis

iram famuli sui mira humilitate frangit:

47 Præterea, dum quodam tempore pro aliquo negotio equitaret Johannes, contigit esurire puerum famulum ejus, qui eum sequebatur, divertensque ad propinquam religionis domum, ab his, quos ibi reperit, precibus sibi panem postulavit. Cumque repulsus fuisset, non valens ab illis obtinere, quod petebat, iratus ultra modum ad Dominum, quem solum reliquerat, est reversus; in præsentia ipsius cum furore nimio jurans, etiam habitatoribus detrahebat dictæ domus. Statim vero dignus Deo Johannes equo suo desilire festinans, procidit in terram, ante famuli sui pedes humiliter se prosternens, et animum ipsius servi leni mitigans sermone, suppliciter deprecabatur, ut eis veniam concederet, et a talium prolatione verborum desisteret. Videns igitur ille tantum Virum cum tanta humilitate pedibus suis obvolutum, confunditur in seipso, et animi sui furore deposito, Domini non renuit obedire voluntati. In hoc facto perspicuum est videre,

A. MONACHO COAEVO.

videre, Sanctus iste quantæ fuerit perfectionis. Valde enim propriorum delictorum districtus judex extitit, qui excessus alienos tanta sollicitudine diluere procuravit.

monasterii sui jura adversus filium suum

48 Dederat servus Dei Johannes in eleemosynam cœnobio Longi-pontis domum quamdam, sitam in castro, cui nomen Grandeluz *l*; sed donationi factæ filius ejus primogenitus *m* renuens assentire, fratribus in dicta domo proprin exercere negotia prohibebat. Quin etiam, ut eam repararent, minime permittebat. Quo audito, pater ejus Johannes ad supradictum castrum anxius corde, causa reparandæ domus accedens, in illam operarios conduxit : sed et ipse cum eis operabatur, quasi unus ex ipsis. Nam supra tectum tegulas, quibus operiretur Domus, propriis humeris humiliter deferebat. In eodem etiam castro tunc temporis minuta decima cedebat in possessionem ecclesiæ Longi-pontis *n* : sed ejus collectionem per servos suos præfatus Johannis primogenitus frequenter impediens, etiam molestias fratribus inferebat.

miris humilitatis operibus vindicat.

49 Cujus rei, Pater, agnita veritate, ibidem pervenit decimam collecturus. Qui se murum opponens inter fratres et filium, voluit experiri, si pro sui reverentia desisteret filius ab inceptis, aut certe mallet injurias sustinere a filio, quam ut fratres innoxii indebite punirentur. Vicos igitur perambulans, plateas circuibat, de domo in domum decimam colligens, et ejusdem baiulus existebat. Quidam vero ex his, quos Ribaldos *o* vocant, Viri Dei subsequens vestigia, allia a tergo ejus dependentia violenter detrahebat, et desuper caput ipsius ante conspectum suum in lutum projiciebat : quæ iterum Sanctus de luto humiliter recolligens, et capite demisso pertransiens, auctorem sceleris prospicere non curabat.

Repellitur a domo filii : vilia obsequia monachis exhibere gaudet,

50 Quadam autem die apud Montem-mirabilem veniens Johannes, et priorem Longi-pontis itineris sui comitem habens, hospitandi causa ad domum propriam perrexit, in qua primogeniti filii sui servos reperiens, humiliter dixit, se velle ibidem nocte illa hospitari. Illi vero occasiones quærentes et prætendentes, hospitium ei minime concesserunt. Quo viso, prior, qui comitabatur eum, scutum patientiæ porrigens illi : Ne moveamini, inquit, Dominus in propria venit, et sui eum non receperunt. In quo verbo Dei Famulus, tamquam clypeo, optime protectus, gaudens, sibi Evangelicam convenire sententiam, Domino gratias agebat; et sic cum spiritualis lucri gaudio recedentes, ab extraneis cum magna sunt veneratione suscepti. Tantæ insuper humilitatis et tam avidus lucri spiritalis fuit Dei servus Johannes, ut aliqui pusillanimes vix sine molestia quasdam virtutes audire prævaleant, quas magnanimiter et cum gaudio potuit operari.

ac sibi præ cæteris subeunda

51 Accidit namque, ut nocte quadam præ infirmitatis angustia monachus quidam vomere cogeretur. Quo viso, celeri cursu pervenit ad eum, et apprehenso ejus capite, devotissime sustentabat. Cumque vomitum suum a loco monachus amovere voluisset, Vir Dei nullatenus voluit acquiescere, quin potius cum modico stramine vomitu cumulato, propriis manibus in cloacam projicere festinavit. In illo tempore, priore Longi-pontis, Joanne quoque nec non et alio monacho pariter commeantibus, monachi illius tertii equus manticam portabat, in qua vestes eorumdem habebantur. Quod considerans Johannes, equum videlicet monachi, tamquam dignitate novissimi, vestibus onerari singulorum, concepto spiritu ardoris, vehementer indignatus, statim de equo suo in terram desiliens, affirmando dicebat : Noveritis, domine prior, me nullatenus ulterius progressurum, nisi prius ab equo monachi hujus, longe dignioris, quam sum ego, mantica deponatur, et nostro, sicut exigit ratio, imponatur deferenda.

contendit : fœdum leprosum furtim osculatur.

52 Illis vero voluntati ejus assensum præbere nolentibus, Johannes nihilominus in suo proposito immobilis permanebat. Denique autem Spiritum Dei in Servo ejus contristare formidantes, acquieverunt ei, permittentes, ut fieret baiulus vestimentorum : et sic demum cœpto itinere pacifice perrexerunt. Quadam vice conventus pro regularis laboris utilitate in agros exierat, in cujus occursum venire contigit leprosum quemdam, deformem satis atque horribilem visu. Johannes autem, qui præsens aderat, videns eum venientem jamque sibi propinquantem, ab ore illius spurcissimo osculum rapere festinat; et continuo ab illo faciem suam avertens, velato et demisso capite incedens, prout poterat, semetipsum occultabat, quatinus sancti operis sui lucrum totius conservare potuisset.

Humilitatis amantissimus, dolet se honorari,

53 Per idem tempus priore Longi-pontis, qui postea ibidem abbatis functus est officio *p*, et Johanne similiter mutuum colloquium de divinis ad invicem habentibus, quæsivit prior ab eo, placeretne voluntati ejus, quod Ordinem Cistercii fuisset ingressus. Cui respondens Johannes, Me, inquit, nollem alium ab isto Ordinem elegisse : verumtamen de cætero monachus non efficerer, si essem in præsenti Ordinem ingressurus. Hoc autem dicebat, dolens, quod singuli venerarentur eum, cunctis se viliorem æstimantem, omnesque illi reverentiam exhiberent, omnibus ministrare et subesse cupienti. Quærente itaque priore, quid ergo esset acturus; respondit, se velle ribaldum *q* fieri. Quo audito, prior admirans ultra modum, Verumne est, inquit, quod dicitis, optare vos, esse de grege hominum apud Deum et homines comptemptibili, et in ipsorum numero computari? Nonne ergo talium more vos cum illis oporteret jurare et frequenter peierare, ad decios *r* ludere, tabellam comportare, pellicem circumducere, inebriari sæpissime?

et ab omnibus contemni desiderat.

54 Nequaquam, Johannes ait : et, ut verbis ejus loquar, Ribaldi, inquit, sunt et ribaldi : plerique namque eorum multa sunt distantia moribus segregati. Est namque nonnullis quasi pro officio stabulum mundare, fimum comportare, quibuslibet abjectis rebus agendis et tolerandis humiliter subjacere, et in sudore vultus sui panem suum manducare : quorum vita, licet ab hominibus vilis reputetur et despecta, est tamen laudabilis et in conspectu Domini valde pretiosa. Quid igitur admiramini, me dixisse, quod eisdem cupiam comparari. Respondit prior : Vobis procul dubio persecutiones inferrent gravissimas, si nolletis eorum detestandis actibus conformari; immo, ut verius dicam, eum illis deformari. Et Johannes : In tolerandis eorum quibuslibet injuriis plurimum delectarer. Quid plura? Quantus et qualis humilitatis amator extiterit Sanctus iste, in his verbis manifeste possumus intueri. Commendent igitur, qui voluerint, dæmonum expulsores, cadaverum curatores, humilitatem tuam præcipuam, te ad superna gaudia æterna fœliciter exaltantem, laudo et semper laudabo

A laudabo, beatissime Johannes, qui teipsum sic abjiciens, humilians et contemnens, tamquam miles legitimus, sempiterni Regis tui imitator per omnia laudabilis extitisti.

A domo uxoris suæ repulsus, a noverca sua

55 Nec etiam silentio debemus prætcrire, quod Johannes, cum pro quodam negotio apud Montem-mirabilem quadam die pervenisset, ad domum propriam divertit. Cujus adventum deprehendens quidam de familia dominæ suæ, quondam uxoris, s ejus, celeriter nuntiavit. Et accepto responso ex ore illius, ad Dei Famulum revertitur, dicens: Domina sudat; qua de causa videre illam, vel loqui cum ea nunc vobis minime licet. Cui Vir Dei humiliter respondens, Dominus, ait, utilem ei sudorem concedat: et a suis irreverenter expulsus, cum omni patientia exiens recedebat. Et accedens ad castrum, quod Firmitas Galcheri t nuncupatur, inventa comitissa, quæ noverca ipsius erat u, honorifice et hylari vultu ab ea susceptus est. Quæ etiam arguebat eum pro eo, quod hospitandi causa alibi divertere voluisset. Tunc Johannes non immemor verbi, quod de conjuge sua paulo ante audierat: Vos, B inquit, domina, non fudatis.

amice recipitur, impetratque, ut cujusdam latronis pœna

56 Dum hæc agerentur, latro quidam scelerum suorum merito ibidem in carcere servabatur; jamque prolata fuerat comitissæ sententia, ut membrum a corpore ipsius amputaretur, aut certe oculorum suorum lumine privaretur. Quod cum Johanni intimatum fuisset, cœpit suppliciter comitissam deprecari, ne per membrorum abscisionem latro corporis sui detrimentum pateretur, sed crucis susciperet signaculum, in partes transmarinas profecturus x. Accipite eum vos, ait comitissa, et sicut vobis placuerit, judicate. Cui Johannes rursum, Absit hoc a me, domina; nequaquam ita fiet: exigit namque ratio, me potius judicari, quam alios judicare. Sed, si vobis non displicet et rectum videtur, ut dictum est, detur ei signum crucis, quatinus trans mare proficiscatur, pro posse suo fidei Christianæ adversarios expugnaturus, sicut Christum suis reatibus hactenus impugnavit.

in sacram militiam transmarinam commutetur.

57 Interea jubente comitissa, eductus est latro de carcere, et ligatis a tergo manibus in præsentia Johannis adductus, procidensque coram eo veniam precabatur. Et ecce, continuo Dei Servus ante pedes ipsius latronis similiter se prosternens, Heu!, inquit, homo, ut quid hoc facere voluisti? Nam et ego peccator sum longe C deterior et vilior, temetipso. Cumque erexisset eum, dato ei signo crucis, interventu suo corpus ejus illæsum custodivit. Si quis vero dicturus est, quod a pœna, quam juste meruerat, latronem liberare nequaquam debuerat; cur in illo reprehendat, quod ab iniquis hominibus merito puniendis, cum illorum judex esset, debitam exegerit ultionem? Laudetur potius in judiciorum rectitudine ipsius justitia; hic autem, cum esset monachus, in liberatione peccatoris ejus pia misericordia commendetur.

Auctoris de præmissis et sequentibus observatio.

58 Hæc de vita et conversatione humilis Johannis dixisse sufficiat; non quod ibi universa concludantur, quæ de sanctitate ejus utiliter fuerant referenda, sed ut per pauca manifesta ejus opera, quæ dicta sunt, interioris ejus hominis pulchritudo, puritas et fortitudo lucidius innotescat, sciaturque, quam inseparabiliter Domino spiritus illius adhæserit, pro cujus dilectione tam perfecte semetipsum abnegavit. Longum enim foret, nobisque difficile, referre per singula, quemadmodum Christi fortis Athleta devicit dæmonum tentamenta, servavit ad integrum Ordinis instituta, mitis fuit et humilis corde, regulari per omnia deditus disciplinæ, desiccatus vigiliis, maceratus jejuniis, rigatus lachrymis, aliisque gratiis quampluribus fecundatus. Nunc ergo, qualiter de præsenti sæculo ad desideratum bravium æternæ beatitudinis pervenerit, et quæ post ejus obitum per intercessionem et meritum ipsius in diversarum ægritudinum curatione Dominus fuerit operatus, subsequenter, prout ipse suum nobis auxilium impendere dignabitur, satagemus enarrare.

A MONACHO COAEVO.

ANNOTATA.

a *Adi Commentarium prævium num.* 114.

b *De hoc monasterio egi ibidem num.* 1 *et seq.*

c *Verisimilius anno* 1210, *ut in eodem Commentario probavi* § 7.

d *Alias* Galterus *appellatus, de quo insigni viro vide dicta in Commentario num.* 22. *Ejusdem de* B. Joannis, *tam in sæculo, quam in vita monastica, virtutibus testimonium ibidem etiam recitavi num.* 65, 137 *et* 138.

e Pitantia *vox monasticis scriptoribus, dum de cibis agunt, satis frequens, hic pro obsonio, saltem lautiori usurpatur, ut liquet ex sequentibus.* E

f Valcellæ, Valcella *et* Valliscella, *gallice* Vaucelle, *abbatia virorum ordinis Cisterciensis est in Cameracesio ad flumen Scaldim, duobus circiter milliaribus Cameraco condita fundataque ab Hugone II, Osiaci domino et castellano Cameracensi, ejusdemque conjuge Hildiarde. Ceterum* cellerarius *idem hic est, quod* cellarius, *sive cui cura victus monachorum commissa est.*

g *Hæc vox sugillantium est.*

h *Ita correxi ex apographo Belfortiano, cum reliqua mendose haberent:* contumelia.

i *Ut verum fatear, non satis capio, quid hæc sibi velint; nimirum quod* B. Joannes *jam monachus debita sua exsolvere inceperit, nec amplius haberet, ex quo isti mulieri faceret satis. Machautus lib.* 3, *cap.* 9 *asserit, Beatum* (*utique antequam monachum induit*) *notabilem pecuniæ summam hunc in finem se posuisse, ac deinde cum bona sui abbatis venia in creditores distribuisse. Et sic quidem facile intelligitur, cur non haberit amplius, quod prædictæ mulieri serius venienti largiretur; sed mirum manet, quod debitorum extinctionem usque in monasticam vitam distulerit.* F

k *Hic mox infra* Amandus *vocatur, ac videtur idem ille esse, de quo supra num.* 13 *et tribus sequentibus mentio facta est. Vide Annotata ibidem cap.* 1, *lit.* p.

l *Bruzen la Martiniere in suo Dictionario geographico istam hujus loci notitiam, sed verbis Gallicis, dedit:* Gandelu vicus Galliæ est cum titulo marchionatus in Bria quinque leucas Meldis dissitus in Ortum æstivum.

m *Erat hic nominatus* Joannes, *de quo plura dixi in Commentario prævio, et quod quidem attinet ad hanc controversiam, quæ non nisi post Beati obitum plane composita fuit, egi num.* 92 *et sequentibus, quos consule.*

n *Hæc illa videtur fuisse decima, quam prædictus Joannes filius in eodem instrumento, per quod litem de domo mox memorata composuit, eidem monasterio confirmavit. Adi Commentarium num.* 94. *Quid porro per* minutam decimam *designatum fuerit,, ex mox dicendis intelliges.*

o *De* Ribaldis *satis prolixe agit Cangius in Glossario, ostendens hoc nomine primum appellatos*

A MONACHO COAEVO.

tos fuisse milites, qui periculis maxime expositi, primi prælia tentare solebant: deinde vero ita etiam dictos fuisse scortatores, ac cujusvis perditissimæ vitæ, vilissimæque sortis homines. Vide infra num. 53 et sequenti, ubi B. Joannes *et prior ejus varios sui temporis* ribaldos *memorant.*

p *Fuit hic nomine* Hugo, *qui in hac ipsa Vita recurret, quique Galchero vel Galtero Longi-pontis abbati, anno* 1219 *ad Cistercii totiusque ordinis regimen promoto, in eodem Longo-ponte suffectus fuit.*

q *Vide mox dicta ad lit.* o.

r Decii, *gallice* dez, *latine sunt* tesseræ *sive* aleæ.

s *Helvidis de Dampetra, quæ, ut supra jam dixi,* Joanne *marito suo post varios susceptos ex ea liberos ad monachos transeunte, in sæculo permanserat.*

t Firmitas-Galcheri *vel* Galteri, *alias etiam* Feritas-Galterii, *gallice* la Ferté-Gaucher *dicta, vicus Franciæ in Bria est, cujus notitiam dedi in Commentario prævio num.* 30 *et sequenti.*

u *Beati matrem fuisse Hildiardem de Osiaco, dixi in Commentario prævio* § 2, *qua defuncta,* B *oportet, Andream patrem illius ad secundas nuptias transiisse, sed cum qua, plane ignotum est. Porro castrum* Firmitatis-Galcheri, *in quo hæc Beati noverca habitasse dicitur, ad familiam dominorum Montis-mirabilis etiam pertinebat.*

x *Nempe in Palæstinam, inter cruce signatos adversus infideles militaturus.*

CAPUT IV

Beati obitus divinitus præmonstratus: blasphemus castigatus: varia miracula vel beneficia ad illius tumbam obtenta: ejusdem os alibi beneficiis clarum.

C

Beati mors pridie, quam contigit, monasterii priori

In vigilia S. Michaelis *a* (cujus dies festus fuit transitus humilis Johannis de Monte-mirabili, non paucis gratiis efflorentis) talis visio domno Hugoni, qui tempore illo prioratus officio fungebatur *b*, apparuisse asseritur manifeste. Ipse prior, cum vigiliis interesset, et parum sopori lassatos oculos acclinasset, videbatur videre, quod totus chorus psallentium monachorum candelis igneis non paucis resplenderet. In medio autem tot luminarium quidam erat cereus cæteris procerior, cæteris splendidior, totum chorum suis splendoribus clarificans, et illustrans. Priori vero, qui postea extitit abbas venerabilis dicti loci, videbatur, quod ille maior cereus cum suo splendore superius ascendebat, superioremque oratorii testudinem penetrabat, nec ulterius comparebat. In cujus ascensu prior contristabatur; nam in omni choro obscuritatem nimiam relinquebat, ita quod in candelis cæteris splendor admundum exiguus remansisse videretur.

per visionem cerei in altum elevati portenditur: c

60 Tunc a somno suo prior excitatus, cogitare cœpit, quid visiu talis exprimeret; sed cujus rei indicium penitus ignoravit, quoadusque cum in eadem die Missarum solemnia celebraret, pro Dei servo Johanne tabula pulsaretur *c*. Tunc primum occurrit ejus memoriæ visio præmissa, intellexitque, per cereum superius ascendentem D spiritum fratris Johannis certissime figurari. Accidit, quod in solemnio angelorum, ipsa videlicet die, ipsius anima soluta de carnis vinculis, tamquam quidam clarescens cereus, se sursum extulit, quem, sicut credimus, Jesus Christus, cui fideliter militavit, Sanctorum catervis intulit et fœliciter sociavit.

similis visio alteri religioso oblata. d

61 Sub ejusdem temporis intervallo, dum canerentur laudes, vigiliis celebratis, quidam conversus *d*, numine Gerardus, visionem fere consimilem perhibet se vidisse. Videbatur enim eidem converso, quod uterque chorus monachorum et conversorum cereis innumeris refulgebat, et in medio cereorum illorum quidam cereus longior atque sublimior eminebat. Dum ista cerneret conversus præfatus, visus est ei homo quidam venerandi vultus ab alto descendere, cujus forma talis esse videbatur, qualis a pictoribus in vitro depingi solet Domini nostri imago. Qui majorem cereum apprehendens, statim ipsum elevabat in cœlum. Dictus vero conversus pro cerei absentia plurimum contristatus, eo quod ecclesiæ claritas magna ex parte imminuta videretur, a sopore suo protinus est excitatus. Cereus igitur iste, sicut est in alia visione superius elevatus, aperte denotat spiritum humilis Johannis, E quem multis gratiis choruscantem Jesus Christus ad civium supernorum consortia ineffabili misericordia sublevavit.

Os in Beatum blasphemi fœde contortum, e f

62 Accidit, quod corpus servi Dei Johannis de luco, in quo fuerat humatum anterius, ad locum alium transferretur *e*. Quo audito, erant quidam cæsores lapidum apud Paci *f*, inter quos fuit quidam blasphemus. Cum enim alii dicerent, quod Sanctus in feretro locaretur, respondit dictus blasphemus, quod nequaquam sic fieret, sed potius a monachis Longi-pontis ipsius ossa exponerentur canibus ad rodendum. Quo dicto, socii ejus blasphemantem durius increpabant, comminantes ei, quod ex hoc divinam deberet incurrere ultionem. Eodem vero die circa noctem divina manus, quæ dictam blasphemiam præterire noluit impunitam, in membro, quo peccaverat, cum gravissime flagellavit.

per ejusdem reliquias restituitur.

63 Os enim ejus, per quod blasphemaverat, in alteram partem deformiter est transversum, est etiam intuitus sui propemodum lumine privatus, ut cunctis cernentibus pateret liquido, quod divina ultio punierat hunc blasphemum, F Dei servo Johanni nequiter oblocutum. Hanc plagam tam deformem atque cunctis cernentibus non minimum incutientibus horrorem, potissimum tamen cuidam suo sacerdoti, qui quandoque corporali ejus faciem ventilabat *h*, fere per mensem unum sustinuisse dignoscitur. In quo quidem spatio multas Sanctorum reliquias visitavit, sed propter hoc non recepit aliquam sanitatem, quoadusque corde compunctus, semel et secundo veniens ad tumbam Dei famuli Johannis, ad contactum ossis unius memorati Sancti de infirmitate sua ad plenum convaluit.

Grave pedis malum sublatum: * *al. addit. positum* i

64 Contigit etiam, ut ossa Dei Servi de loco, in quo primum fuerat * corpus ejus, elevarentur in claustro monachorum *i*, tumba ibidem in muro fabricata, ante quam monachi improvide super sedes ligneas more solito residebant. Quod cum aliquibus videretur inhonestum monachu cuidam imperavit prior, ut conversum carpentarium, Matthæum nomine, accersiens, ad tumulum Sancti cum adduceret, quatinus coram illo memoratas sedes amputaret. Monachus

A nachus igitur cum ista converso nunciasset, respondit ille, hoc libenter se facturum. Cumque simul pergerent et secum colloquerentur, inter cætera ait conversus : Utinam tantum haberet desiderium servus Dei Johannes precibus suis mihi a Domino impetrare sanitatem, quam libenti animo ad honorem ipsius istud adimplere cupio mandatum : ipse enim conversus in pede gravis ægritudinis incommodo vexabatur. Qui cum ad locum pervenisset, sedilia cœpit conversus amputare : necdum opere peracto, Deo gratias, inquit, et B. Johanni, cujus intercessione de infirmitate mea convalui. Nec sensit ab illa die angustiam, qua tempore non modico fuerat fatigatus.

cruciatus temerario inflictus, eidem pœnitenti eximitur.

65 Supervenit etiam ibi quidam monachus, cui cum loqui non liceret, temere significare cœpit, sedes supranominatas non debere amputari, aliisque respondentibus et dicentibus, hoc fieri ob reverentiam domni Johannis, minime acquiescebat, sed signis contrariis rei gestæ detrahebat. Temeritatem cujus noluit Dominus impunitam præterire, sed voluit servi sui Johannis monstrare merita. Eodem enim die intolerabili
B dolore cœpit monachus cruciari, statimque præsumptionis agnoscens reatum, ad memoriam Sancti rediit, humiliato corde et contrito fundens preces, ut de ægritudine, quam suis incurrerat meritis, ejus orationibus reciperet sanitatem. Et confestim doloris anxietatem, quam superba præsumptio meruerat, humilitas effugavit.

Abbas febre gravique genu malo subito liberatur. k

66 Accidit quodam tempore, quod domnus Hugo venerabilis abbas Longi-pontis, ille scilicet, qui, quo tempore servus Dei Johannes obiit, visionem viderat cerei ascendentis *k*, accidit, inquam, quod in genu et tibia dolore anxio torqueretur in tantum, ut impotens esset movere ipsum genu. Insuper cotidiana * febre gravius vexabatur. Hoc duplici laborans incommodo, tandem ministrorum suorum consiliis acquiescens, ad memoriam viri Dei Johannis apponi jussit ardentum cereum, quatinus ejus intercessione subsidium inveniret. Cruri tamen ipsius emplastrum superligatum erat impositum a ministris, sed dolorem minime mitigabat. Perpendens igitur abbas, dolorem suum non minui, sed occasione
C emplastri magis ac magis augmentari, cruciatum tantum non sufferens, nocte media fecit illud amoveri. Quo amoto, fiduciam habens in Domino, et quod sine carnali medicina meritis et precibus Sancti ab utraque ægritudine sua valeat liberari, et a febris molestia et a cruris angustia velociter est adeptus sanitatem.

* al. quotidiana

Muto per potum aquæ, ejus reliquiis sacratæ, loquela redditur :

* al. Nouroy

67 In villa, cui nomen Nouroi *, non multum a Longo-ponte remota, homo quidam morabatur, qui cum morbo gravissimo ægrotare cœpisset, in tantum prævaluit ægritudo, ut ægrotus linguæ suæ officio privaretur : loqui namque nullatenus prævalebat. Elapso autem non longo tempore, Dei *l* nutu dimissus est ab infirmitate sua ; sed mutus nihilominus permansit, diebus quoque non paucis taliter perduravit. Audiens autem, meritis Dei servi Johannis de Monte-mirabili apud Longum-pontem mira quamplurima Dominum operari, ad tumbam ipsius, ubi ejus memoria habebatur, festinus perrexit. Cumque ibi pervenisset, devoto cordis affectu paululum oravit ; propinato sibi poculo de ablutione unius ossis memorati Sancti, bibit et confestim solutum est vinculum linguæ ejus, ita ut loqueretur. Nec tamen ad plenum sub unius horæ spatio, sed paulatim usum loquelæ recepit. Priusquam tamen de ipso cœnobio egrederetur, post intervallum quatuor aut quinque horarum tantummodo, prout olim consueverat, plenissime loquebatur. Tunc ipse post recuperatam loquendi facultatem, linguæ suæ primitias offerens, multimodas ei gratiarum actiones referebat, quod per beatissimum famulum suum Johannem tantum in eum dignatus fuisset miraculum operari : dehinc vero plurimum exhilaratus ad propria remeavit.

A. MONACHO COÆVO.

febricitans ad Beati tumbam bis sanatur;

68 Præterea conversus quidam Longi-pontis quartanæ febris angustias per longum perpessus fuerat tempus. Dictum est ei a quodam monacho, quod sanus efficeretur, si viri Dei Johannis suffragium fideliter imploraret : cujus verbis fidem adhibens conversus, cum sancti Viri memoriam tertio visitasset, ne in pia promissione sua monachus mendax inveniretur, sicut ei prædixerat, precibus Servi Dei febre prorsus effugata, donum adeptus est sospitatis. Post aliquod vero temporis spatium idem conversus tertiana febre graviter vexabatur; sed expertus in seipso Sancti clementiam et orationum ejus virtutem, speravit certissime, se posse velociter, ipso intercedente, E
sanari. Nec fraudatus est spe sua : facta enim ad tumulum ejus oratione, brevi quidem, sed devota, statim convaluit.

alter morbo articulari ad eamdem repente liberatur; m

69 Quidam etiam monachus et sacerdos Longi-pontis, qui eidem Viro sancto præstiterat contubernium spiritale, ita quod cilicia, quibus carnem propriam Vir spiritalis domabat, secreto ei quæreret *m*, quadam vice intolerabili cœpit ægritudine cruciari. In juncturis siquidem membrorum, in articulis manuum et pedum tantus eum artheticæ guttæ dolor arripuit, quod vix genua flectere, vix a lecto surgere, vix alibi pergere prævaleret. Is igitur audiens et videns miracula multa, quæ per Sanctum suum Dominus faciebat, quadam nocte spem salutis concipiens, surgit a lecto, et nutante vestigio tumbam Viri sancti, ubi dicta fiebant miracula, devotissime petit ; ad quam cum magno labore et desiderio pervenisset, effudit in se animam suam, Virum sanctum precibus iteratis indefesse obsecrans, ut ei a Domino impetraret desideratam salutem. Dehinc vero loca dolentia post multos gemitus applicat tumbæ F
Sancti. Nec mora, præstante Domino, sentit sancti virtutem : nam illico convaluit et restitutus est integræ sanitati.

uti et gravi infirmitate abbas Curiæ-Dei. n o

70 Alio tempore venerabilis abbas de Curia-Dei *n* pro suis negotiis iter agens *o*, apud Longum-pontem divertit, ibique cœpit cujusdam doloris angustia gravissime torqueri. Cumque tantum nullatenus ferre posset, omnium fere membrorum robore destitutus, aliquo suffragari sibi medicamine cum gemitu postulabat. Sub quo casu monachus quidam adstitit ei, qui aliquando consimili laborans ægritudine, precibus servi Dei Johannis operationem expertus fuerat in seipso. Cui dixit : Domne abbas, si mihi credititis (inquit) carnalem medicinam penitus respuetis, et absque dilatione ad tumbam Dei Servi vos deferri facietis. Quo cum adveneritis, confidite et orate ; quia procul dubio in brevi convalescetis. Quo audito, abbas a monachis quatuor undique sustentatus, ad petitionem suam ibidem deducitur, et accensam candelam offerens, brevi quidem intervallo, sed devotas fudit preces, ut optatam reciperet sospitatem. Dehinc vero se commendans orationibus Sancti, erigitur a ministris, ut ad lectum reducatur.

71 Qui

A. MONACHO COAEVO. *ibi hospitans. Os Beati miraculis alibi claret.*

71 Qui cum reverteretur, cœpit dolor ilico mitigari, paulatimque vires corporis recipiens, conductores suos a seipso repellebat, tentare cupiens, utrum posset incedere, eorum suffragio non suffultus. Et ecce festino cursu absque offensione ambulans, ad laudem Medici sui se convaluisse demonstrans, circumstantibus dicebat: Noveritis certissime, quod pro centum marcarum pretio, quod facere me cernitis in præsenti, paulo ante minime potuissem. In monasterio insuper Longi-pontis, in quo Famulo Dei Christi vivere fuit et mori lucrum, cum sacra ejus ossa ab abbate Cari-campi de tumulo levarentur *p*, contigit, ut unum ex ossibus ipsius apud villam, quæ vocatur Voties *q*, deferretur, et ibidem cum honore debito servaretur. Cum ergo innotuissent miracula, quæ ad tumbam Viri sancti fiebant, convenit multitudo languentium in dicta villa, et toto osse Famuli Dei, quod ibi custodiebatur, sacrosancti laticis haustu omnes curati sunt, a quacumque infirmitate tenebantur. Quorum curationem plenius scriberemus, nisi ad tollendum fastidium brevitati per omnia studeremus.

B

ANNOTATA.

a *Id est, die 28 Septembris, nam postridie ejus diei celebratur dedicatio ecclesiæ sancti archangeli Michaelis in monte Gargano. Annum vero fuisse tunc Christi* 1217, *probavi in Commentario prævio* § 8.

b *Hic ipse est Hugo, quem Galchero, qui* B. Joannem *monastico habitu induerat, in abbatiam Longi-pontis anno* 1219 *successisse, annatovi ad caput* 3, *lit.* p.

c *Usitatissimus fuit in monasteriis tabulæ ligneæ usus, qua malleo varie percussa, monachi convocabantur, certisque de rebus monebantur. Varia exempla dat Cangius in Glossario, ubi inter alia dicitur ejusmodi tabula adhiberi solita fuisse, tum quotiescumque aliquis infirmus in extremis versabatur, ut convenientes monachi moribundo suis precibus assisterent; tum cum defunctus esset, ut ejusdem animam Deo commendarent: quapropter etiam* tabula defunctorum et defunctoria *nonnumquam appellabatur. Alterutrum ergo hic indicavit biographus.*

d *Id est,* Frater laicus.

C

e *Sacrum* Joannis *corpus in communi monachorum cœmeterio mox ab obitu sepultum fuisse, dixi in Commentario prævio* § 9, *quem etiam de hac prima translatione et hujus tempore consule.*

f *Hic locus mihi ignotus est: nam Paciacum, vulgo* Pacy, *aliis* Passy *dictum, quod Galliæ oppidum est in Normannia ad Eburam fluvium, longius distat a Longo-ponte, quam ut de illo sermo hic esse videatur.*

h Corporale, *id est pannus linens, in quo corpus Domini nostri in sacrificio Missæ reponitur, a nonnullis ad curandos morbos aliquando adhibitum fuisse, habemus etiam ex Glabro Rodulpho, sæculi* 11 *scriptore, qui lib.* 5 *Historiæ Francorum apud Chesneum tom. IV, pag.* 54 *ad propositum nostrum hæc ait:* De Crismale, quod a quibusdam corporalis appellatur, plurimum expertum est, præstare remedia, si fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra incendia sæpius elevatum aut extinguendo compescuit, aut retrorsum pepulit, seu in partem alteram retorsit. Membra quippe ægrorum dolentia multoties sana restituit, febricitantibus nihilo minus impositum salutem contulit. *Abusum illud ad restinguendum incendium in ignem injiciendi concilium Salegunstadiense eodem sæculo* 11 *habitum, canone* 6 *severissime interdixit, ut videre est apud Labbeum et Cossartium tom. IX Concil., col.* 846. D

i *Hæc eadem translatio est, de qua mox actum fuit.*

k *Adi num.* 59 *hujus vitæ.*

l *Hanc vocem, quæ desiderabatur in exemplari, quod edo, supplevi ex alio Longi-pontano.*

m *Forte hic fuit Odo, de cujus cum* B. Joanne *pia familiaritate aliqua aliunde annotavi in Commentario prævio num.* 99 *et seq.*

n Curia-Dei, *gallice la* Cour-Dieu, *abbatia ordinis Cisterciensis est in silva Aurelianensi, sex leucis ab urbe Aureliis, vulgo* Orléans, *versus Orientem in parœcia Ingranniæ, inquiunt Galliæ Christianæ continuatores tom. VIII, col.* 1582, *ubi ejusdem initia anno* 1118 *illigantur.*

o *Ita reliqua nostra apographa, cum in illo, quod excudimus, mendose legatur* iterans.

p Carus-Campus, *Gallis* Cercamp, *abbatia ordinis Cisterciensis est in comitatu S. Pauli, in diœcesi Ambianensi, non procul ab Hesdinio, Artesiæ oppido, sæculo* 12 *condita, de qua plura vide, si lubet tom. X Galliæ Christianæ auctæ col.* 1336 *et seqq. Porro translatio, de qua hic agitur, videtur omnium prima fuisse, facta scilicet e communi cœmeterio intra claustrum monachorum. Cur vero illa abbati Cari-Campi commissa fuerit, dicere nequeo: forte tamen id honoris gratia fuerit factum.* E

q *Machantus lib.* 4, *cap.* 9 *legens* Votier, *de hoc loco sequentia sermone gallico annotavit.* Observo hic obiter, non satis discerni posse ex antiquo ms., utrum legendum sit VOUTIER, vicus parœciæ de Faveroles, una ac dimidia leuca a Longo-ponte, an VOUTIENNES, tribus leucis distans, qui locus in vetustis instrumentis VALLIS SIGNORUM dictus legitur, quod nomen huic historiæ non male conveniret. *Hæc ipse: at quidquid sit de appellatione* Voutiennes, *in omnibus nostris apographis hic legitur* Voties, *quod facilius in* Votier, *quam in* Voutiennes *potuit commutari.*

F

CAPUT V

Reliqua miracula seu beneficia ad illius tumbam et invocationem impetrata.

Monachus cruribus pessime affectus, sanatur:

Erat quidam monachus in Longo-ponte, in tibiis et genibus tumorem maximum habens continue; cui in tantum molestus erat, ut vix eum permitteret ambulare. Quem insuper tanto pertulerat tempore, ut a cunctis insanabilis diceretur. Videns igitur monachus, quamplurimos seculares ad tumbam Dei Servi precibus ipsius et merito fidei suæ a variis infirmitatibus cotidie curari, se autem, cum de salute sua ipsum aliquando rogasset in sua nihilominus ægritudine permanere, confisus est certissime, quod interventione Sancti celeriter sanaretur, si hoc ipsum fides ejus adipisci mereretur. Majoris igitur meriti existimans apud Deum ægrotos, qui curabantur, se autem minoris, vehementer sibimet-

ipsi

A ipsi indignatus, a fidei tepiditate semetipsum arguebat. Cum hac ergo humilitate et suiipsius maxima abjectione Famuli Dei subsidium devotius imploravit. Cujus exaudita prece, ab omni corpore ejus prorsus ablato tumore, curatus est tam perfecte, ut ipse, licet provectæ esset ætatis, longi itineris spatium ambulare minime gravaretur. Postmodum vero ego ipse eumdem sæpius vidi, cum ante tumulum Servi Dei præteriret, se privatim prosternentem, quasi pro gratiarum actione reverentiam eidem cupiens exhibere, aliis potiorem.

alter febrim alter languorem apud ejusdem tumbam deponunt.

73 Nec videtur omittendum, qualiter homo quidam a quotidiana febre receperit sospitatem. Jacebat ille præfati cœnobii infirmitorio *a* pauperum, ibique febris suæ incommodo gravissime laborabat. Consultum est ei a quodam monacho, ut Sancti tumbam adeat, ab eo suffragia petiturus. Acquievit ille, pergensque sine mora ad memoriam Sancti, fusa prece, quod petebat, impetravit : nam febris suæ molestias deinceps non sensit. In prædicto etiam pauperum infirmitorio languens quidam a longo tempore jacens, membrorum suorum prorsus usu erat destitutus. Cui pollicitus est infirmarius *b* conB versus, operam se daturum, ut in crastino ad memoriam famuli Dei Johannis duceretur. Qua pollicitatione ægrotus audita, lætissimus est effectus, et tota nocte illa incredibili exultabat gaudio, confidens firmissime, orationibus Sancti se languoris sui sanitatem adepturum. Mane itaque facto, ducitur languidus ad locum desideratum, ibique devotissimo affectu completa oratione, totius languoris sui plenissimam meruit recipere sospitatem. Tunc ille cum nimia jucunditate virtutes Sancti et merita circumquaque diffundebat.

Uno die, præsentibus multis abbatibus, languidus

74 Fuit præterea homo quidam, cujus ventrem et latera tumor ingens unius anni spatio, sicut ipse fatebatur, undique occupaverat, qui etiam gravissimus extiterat ad ferendum : nam ægroti præpediens anhelitum, eum loqui, nisi maxima cum difficultate, minime permittebat. Audiens autem, quod apud Longum-pontem meritis Famuli Dei a diversis languoribus plurimi curarentur, ad tumulum ejus festinanter perrexit, faciensque orationem ibi paululum obdormivit. Cumque a sopore suo fuisset excitatus, erigens se, Deo gratias, inquit et tibi, serve C Dei beatissime Johannes, cujus interventione ab ægritudine mea me sentio liberatum. Nec puto necessarium, ut quis dicat, cum quanta exultatione laudes Sancti undique prædicabat, quo intercedente, languorem, quem tanto tempore pertulerat, perdidit in momento.

et febricitans ad eumdem tumulum subito curantur.

75 Plurimi vero ordinis Cisterciensis abbates, per Longum-pontem transitum facientes, cum fieret dictum miraculum, præsentes affuerunt; qui simul pergentes ad Sancti memoriam, mirabilem Deum per Servum suum tanta signa facientem laudare et glorificare cœperunt, et corde devotissimo Sancti suffragia postulantes, ejus orationibus semetipsos commendarunt. Eadem etiam die homo quidam a quartana febre, quam longissimo temporis spatio perpessus fuerat, suffragante Dei clementia per merita Sancti sui, ad tumbam ipsius desideratam adeptus est sanitatem. Quo facto miraculo, a prior Longipontis prædictis abbatibus, qui adhuc in ipsa domo præsentes aderant, protinus est nunciatum. Quo audito, multimodas gratiarum actiones Domino referentes, quæ audierant et viderant, fideliter prædicando circumquaque seminaverunt.

Fœdus faciei tumor, genuum cruciatus

76 Erat quidam monachus in Longo-ponte, in cujus facie ab ima parte ortus est tumor maximus, ita ut ab oculo partis illius propemodum non videret; insuper tumoris angustia plurimum affligebatur. Ille vero, quid ageret, et quod sibi quæreret remedium, penitus ignorabat. Porro tandem sano reperto consilio, ad Viri Dei tumbam festinanter pervenit. Cumque pro salute sua paulisper ibidem perorasset, tumoris sui dolorem sensit continuo mitigatum, discedensque a loco ipsa die iterum est reversus : rursumque facta oratione, et a tumore et a tumoris dolore pariter est liberatus. Præterea monachus quidam ejusdem loci, sacerdos et provectæ ætatis, in genibus nimio dolore vexabatur, ita quod in choro psallentium stare nullo modo prævaleret. Hac igitur necessitate compulsus, in capitulo veniam postulavit, ut in sedilibus retro chorum ei sedendi * licentia præberetur.

* *al.* residendi

et dolores colici ibidem confestim abiguntur.

77 Quare, sicut petierat, impetravit; sed magis ac magis infestatus a dolore, extra chorum se locavit, infirmitorium deinde petiturus. E Quo viso, monachus quidam ejus angustiam perpendens, innuit ei, ut servi Dei Johannis memoriam oraturus adiret, et procul dubio celeriter sanaretur. Qui statim consilio acquievit, ad tumbam Sancti perrexit, ibidem oravit, sanitatem recepit, et in crastino chorum sanus intravit. Cum etiam monachus quidam bonæ famæ, monachorum Longi-pontis confessor, quadam nocte tortionibus anxiis urgeretur, cum tali dolore ventris ad vigilias intruivit. Et cum dictos dolores non posset diutius sustinere, exivit de choro, et devotione cordis tactus intrinsecus, ad tumbam Sancti festine perrexit; ubi fusis succinctis precibus et devotis, super suis tortionibus, quibus plurimum angebatur, mitigationem omnimodam est adeptus; dehinc ad psallentes rediit lætabundus.

Monachus pro exiguo servitio sanitatem humeri recipit.

78 Per idem tempus infantulus quidam ad tumbam Dei Famuli pergebat, accensam candelam in manu deferens, ad honorem Sancti eam ibi oblaturus; sed locum minime reperit, ubi eam collocare potuisset. Quo, quid ageret, ignorante, supervenit ibi monachus quidam sacerdos, qui puerulum intuens compassus est *, voluntatemque concepit, ut eidem ferret subsidium, F quo ab ipso occupationem, quam diximus, amoveret. Sub quo casu prospiciens, vidit non longe a loco formosum baculum, quo accepto, prout potuit, et quale potuit, candelabrum de ipso facere procuravit. In quo et Dei famulo Johanni servivit, et a sollicitudine sua puerum liberavit. Sanctus vero laboris sui fructu eum privare noluit : nam sine mora in eodem loco operis sui remunerationem suscepit : siquidem longo tempore in humero suo dolorem anxium perpessus fuerat, ita quod de brachio partis illius vix quippiam poterat operari, nec etiam sine difficultate ipsum vel modice movere prævalebat : sed dolore penitus mitigato, priusquam ab ipso discederet loco, donum adeptus est sanitatis.

* *al.* addit ei

Beati gloria cuidam piæ feminæ revelata.

79 Præterea cum in præsentia abbatis Cisterciensis de Dei famulo Johanne fieret mentio, his, qui præsentes aderant, virtutes ejus enarrantibus, abbas quidam intererat, qui sic exorsus est, dicens : Mulier quædam sancta erat in partibus Normanniæ, quæ cum cæteris virtutibus, quas

A. MONACHO COAEVO.

quas habebat, crebris visitationibus et revelationibus a Domino fovebatur. A qua cum familiari colloquio de sancti viri Johannis virtutibus c requisissem, subintulit illa et ait : Noveritis, domne, quod Vir ille sanctus, qui fuit monachus Longi-pontis, nobis familiarissimus habebatur, de cujus exitu taliter Dominus voluit ordinare. In festivitate siquidem beatissimi archangeli Michaelis cum ageret in extremis, animam ipsius de corpore egressam, sicut ostendit mihi Dominus, angeli susceperunt. Quia vero aliquas leves negligentias secum tulit, quas nulla pœnitentia studuerat expiare, Deo disponente, per triduum solummodo fuit in purgatorio *d* : quo transacto, spiritus Viri sancti introivit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum.

Hemicrania.

80 Monachus quidam Longi-pontis nimia cujusdam passionis angustia molestissime torquebatur, quæ passio migranea *e* nominatur. Rogavit sanctum Dei Johannem, ut pro sua recuperanda salute divinam clementiam imploraret; sed minime, quod petebat, impetravit. Qui cum alios a variis infirmitatibus orationibus Sancti convaluisse videret, suumque sibi dominari dolorem; B humiliantibus se cæteris adorando, cum ante tumbam ipsius transirent, dixit præfatus monachus in corde suo, se nullam hujusmodi eidem reverentiam delaturum, eo quod, sicut alii, de sua ægritudine minime sanaretur. Post aliquod vero temporis spatium doloris sui molestiam sufferre non valens, ex intimo cordis affectu rogavit Dominum, dicens : Domine, si tibi placet et dignum judicas, ut huic Famulo tuo, tamquam Sancto tuo et consorti gloriæ tuæ, reverentiam deferam pariter et honorem, in sanctitatis ejus notitiam n dolore, quo torqueor, me digneris liberare. Et confestim est pristinæ restitutus sanitati.

tuber gutturis, febris, diarrhœa

81 Conversus quidam Longi-pontis nimio dolore cujusdam tumoris, qui sub ejus gutture ortus erat, graviter angebatur. Tumulum Sancti adiit, fusisque ad eum precibus, doloris sui locum tumbæ apposuit : quo facto, tumor et tumoris dolor pariter abscesserunt. Accidit etiam, ut venerabilis abbas Castellariorum *f* quodam tempore per Longum-pontem transiret; qui cum audisset, meritis Sancti sui signa quamplurima Dominum fuisse operatum, duplici laborans in- C firmitate, febre videlicet, et altera, quæ diaria *g* vocatur, a qua multo magis, quam a febre, vexabatur, rogare cœpit Dei Servum, ut pro sua sanitate Dominum deprecaretur. Nec mora, ab utraque ægritudine sua mitigationem recepit, et sic cum multimoda gratiarum actione recessit.

et capitis dolores sanata.

82 Contigit præterea, ut in tempore messis a priore Longi-pontis conventus in agros ad metendum duceretur. Cumque ibi pervenisset mulier quædam religiosi habitus, cum priore se velle loqui dicebat. Ad quam prior vocatus accedens, alloqui cœpit eam, causam ipsius adventus quærens. At illa respondens, Ego, inquit, domine, sum mulier a longo tempore de eleemosina venerabilis Johannis de Monte-mirabili sustentata. Ad quam prior, Sustentaris, ait, o mulier de eleemosina viri sancti, qui cum Christo vivit in gloria. Et adjecit, Nocte, inquiens, transacta nimio dolore capitis gravissime cruciabar; confidensque, meritis et intercessione ejus dolorem meum posse velociter mitigari, pergens ad tumulum ipsius, languidum caput paulisper ibidem acclinavi, et confestim mitigato cruciatu, sana inde recessi. Quo audito, monachus quidam, sacerdos D et provectæ ætatis, Per omnia, inquit, consimile miraculum die hesterna precibus servi sui Johannis Dominus in me dignatus est clementer operari. Dolorem quippe capitis nimium patiens, ad tumbam Sancti perrexi, caput ibidem superposui, et brevi completa oratione, statim convalui.

Monachus, Beati obtrectator, magno cruciatu corripitur,

83 Aderat etiam ibi monachus cum priore, qui cum diu miraculis, quæ per Dei Famulum fieri audierat, incredulus extitisset, cum irrisione proferens blasphemiam, Creditis, inquit, per ejus merita vos a doloribus vestris fuisse curatos? Et adjunxit : Tumba illius (ait) cum sit de lapide marmoreo, frigida naturaliter, mirum si ad contactum ipsius in vestri capitibus sensistis refrigerium? Quo dicto, unus de adstantibus durius eum increpare cœpit, dicens, quod pro tali blasphemia esset divina ultione puniendus. Porro subsequenti nocte prædictus monachus ad vigilias cum cæteris ingrediens, intolerabili dolore in omni parte corporis sui cœpit acerrime cruciari. Cumque diu pertulisset hunc dolorem, in choro stare nullatenus prævalebat. E

deinde pœnitens, ad ejusdem tumbam liberatur.

84 Augustiam autem suam magis ac magis sentiens augmentari, secum cogitare cœpit, qua de causa istud ei accidisset : et advertit, quod in præcedenti die temere blasphemasset; miraculis quoque, Servi Dei merito perpetratis, incredulus extitisset. Post octavum vero Responsorium (erat namque dies festus B. Petri ad vincula *h*) compunctus, et reatum suum agnoscens, ad tumbam Sancti festinus perrexit : cumque breve temporis spatium ibi eum minime permitteret diutius immorari, pœnitens de peccato breviter oravit, humiliter quoque veniam postulavit; et protinus liberatus ab omni angustia, gratias agens, sanus et incolumis cum gaudio in chorum est reversus *i*. Qui etiam ab illo die et deinceps tanto devotior extitit erga Sanctum, quanto diutius indiscrete auditis ejusdem virtutibus fidem distulerat adhibere.

Auctoris epilogus

85 Multa quoque et alia miracula meritis Sancti sui Dominus est operatus, et cotidianis diebus in loco, ubi pretiosum corpus ejus manet reconditum *k*, non cessat operari. Ibi enim infirmorum variis detentorum languoribus assiduus fit concursus, qui recuperata salute lætabundi et alacres ad propria revertuntur, ad laudem et gloriam Patris F et Filii et Spiritus sancti, cui est honor et gloria nunc et semper etc.

ANNOTATA.

a *Id est,* nosocomio.

b *Id est:* infirmorum curator.

c *Vocem* virtutibus *accepi ex aliis apographis nostris, quia deerat in eo, quod excudo.*

d *Hæc illius mulieris fidei relinquamus, at certe non satis congruunt cum aliorum visionibus præcedenti capite relatis.*

e Migranea *a gallico* Migraine, *quam græca voce* hemicraniam *appellamus, acutus dolor est, dimidium tantum capitis seu cranii vehementer affligens.*

f B. Maria de Castellariis, *gallice* Nostre-Dame des Chastelliers, *abbatia virorum est ordinis Cisterciensis in diœcesi Pictaviensi, de qua consule Galliam Christianam auctam tom. II, col.* 1349.

g Diarrhœa, *seu* fluxus ventris.

h *Celebratur hoc festum Kalendis Augusti.*

i *Hinc*

A a Hinc liquet, B. Joannis corpus, cum hæc fierent, nondum in mausoleo ad cornu Evangelii summi altaris in choro jacuisse, de quo mausoleo translationeque cum nusquam meminerit biographus, statuere licet, hunc ante translationem illam, id est, ante; aut certe non admodum diu post medium sæc. 15, quo tempore ista facta fuit, vitam hanc scripsisse. Adi Comm. præv. num. 11. AUCTORE C. S.

b Cum nusquam dixerit, Beati ossa in chorum ecclesiæ translata fuisse, non alium etiam locum hic indicare censendus est, quam claustrum monasterii, intra quod illa delata atque in tumba marmorea deposita fuisse præmiserat. Vide dicta ad lit. præcedentem.

DE B. NICOLAO DE FURCA PALENÆ

ORDINIS EREMITARUM S. HIERONYMI CONGREGATIONIS B. PETRI PISANI

ROMÆ

COMMENTARIUS HISTORICUS.

B § I. Beati, a Ferrario præteriti, sed a Castellano memorati, certus cultus : patria Furca Palenæ in Aprutio : tempus natale : sacerdotium : vita eremitica Romæ. E

ANNO MCDXLIX. De hoc Beato, cujus memoria a solo Castellano

Daniel Papebrochius noster Acta B. Petri Gambacurtæ Pisani ad diem 17 Junii illustrans, multa erudite disseruit de instituta per illum sæculo 14 ad finem vergente in Monte-bello, diœcesis Urbinatis in Italia, Congregatione pauperum Eremitarum, ejusdemque appellationibus ac progressu, quæ ibidem legi possunt. Solum hic observo, florere hodieque ejusdem sectatores, sed jam ab anno 1569 solemni votorum professione sub regula S. Augustini obstrictos, ad quam eos adduxit S. Pius V papa, cum ad id usque tempus dumtaxat simplicibus votis tenerentur. Hanc congregationem multum illustravit auxitque B. Nicolaus, a sua in Pelignis patria cognominatus de Furca-Palenæ; qui cum et ipse peculiaris instituti eremitis tum Romæ tum alibi præesset, jam fere centenarius se suosque C ad illam traduxit undecimo anno post B. Petri fundatoris obitum, cujus, dum viveret, virtutes probe perspectas habuerat.

inscripta Martyrologio est, sed certus est cultus,

2 E martyrologis unus est Claudius Castellanus, qui illius memoriam celebrat, in suo Martyrologio Universali ad hunc diem 29 Septembris, sed cum solo titulo Venerabilis, gallice sic annuntians : Romæ venerabilis Nicolaus de Furca, Ordinis Hieronymitarum Montis-belli. Eumdem etiam præteriit Philippus Ferrarius tam in Catalogo Generali, quam in particulari Sanctorum Beatorumque Italiæ; quasi is ipsi minime notus fuisset. Ut tamen hoc silentium minus mireris, nota, B. Nicolai, qui anno 1449 obiit, cultum antiquiorem quidem esse Ferrario, sed tamen præcipua incrementa cepisse, postquam ille utrumque Catalogum jam vulgaverat. Enimvero, quæ de Nicolai corporis geminn elevatione intra ecclesiam S. Onuphrii in ipsa urbe Roma solemniter riteque facta, quæ de ejusdem imagine cum Beati titulo publicæ venerationi ibidem exposita, quæ de electione illius in Patronum oppidi Palenæ in Aprutio Citeriori, ex communi incolarum consilio, et Sulmonensis episcopi consensu facta, simul cum voto festum illius annuum cum vacatione a servili opere celebrandi; quæ denique de impetratis ab iisdem translatisque Roma Palenam ipsius reliquiis, ceterisque eo spectantibus infra dicturi sumus, cultum ejusdem non modo certum, verum etiam insignem esse, demonstrant.

hoc die, quo obiisse creditur, agimus.

3 Quod ad hanc 29 Septembris diem memoriam ejus consignaverit Castellanus, ea ratio fuisse videtur, quia illa excessisse e vivis passim creditur : ac verisimile est, sacrum corpus ejus, quod sub majori ara ecclesiæ S. Onuphrii Romæ quiescit, eadem die a piis Romanis frequentius invisi. Nullum tamen (quantum ego quidem deprehendere potui) vel hoc vel alio die Officium ecclesiasticum de eodem ibi recitatur. Palenenses vero illum Officio et Missa de Communi confessoris non pontificis singulis annis celebrant, sed die 14 Martii, quem etiam ex voto, ut dixi, festum habent, ac F solemni supplicatione, in qua ejusdem Beati reliquiæ et statua circumferuntur, celebriorem reddunt. Verum cum Majores mei, quando ad istum diem eorumdem opus pertigerat, de cultu illo non fuerint edocti, censui de B. Nicolao hodie, quo feliciter obiisse creditur, omnino agendum esse.

Nullam ejus Vitam habemus, sed Saianellus, ejus gesta,

4 Cum nullam illius vitam haberemus, ac pauca etiam de cultu nobis innotuissent, Romam per litteras recurrimus, ut ex prædicto S. Onuphrii monasterio de utroque argumento ad Dei ipsiusque Beati gloriam instrueremur. Responsum accepimus, omnia, quæ ad illum pertinent, legi in Historicis monumentis laudati ordinis Hieronymitarum, quæ Joannes Baptista Saianellus, ejusdem congregationis lector emeritus, exprovincialis, Patavini collegii doctor theologus et sacræ Inquisitionis consultor, a se olim edita, novis curis nuper auctius correctiusque vulgavit. Hæc igitur pretia nobis comparare studuimus; accepimusque primum hujus operis tomum in folio, anno 1758 Venetiis editum, qui Beatorum piorumque virorum ejus ordinis elogia continet; post quem auctor duos alios edendos

AUCTORE C. S.

edendos promittit, in quibus de initiis progressibusque omnium cœnobiorum, quæ Ordo nunc possidet atque aliquando possedit, tractaturus est. Ex hoc scriptoris consilio factum est, ut is in primo tomo, quem hactenus solum habeo, de cœnobiorum fundationibus meminerit quidem, sed leviter tantum, plura pro edendis servans; quod mihi sane valde incommodum accidit, præsertim quia ex B. Nicolai gestis pauca præter erectas ab eo ædes sacras novimus.

per pauca tamen propter monumentorum penuriam.

5 Ex eodem quoque discimus, hujus beati Viri præclare gesta vel a nullo veterum scriptis tradita fuisse, vel, si tradita fuerint, periisse, aut certe maximam partem delitescere; ut non tam vita ejus, quam obscurum vitæ compendium tradi nunc possit. Audi Saianellum ipsum in proœmio ad librum 2 de Majorum suorum in scribendo socordia temporumve injuria conquerentem. Ubi vero (inquit) calamum converto ad alios Dei Servos, qui vel eum (B. Petrum Gambacurtam fundatorem, cujus gesta lib. 1 exposuerat) adhuc viventem, Evangelicæ perfectionis magistrum habuerunt, vel deinceps datis ab eo legibus inhærentes, sanctitatis apicem attigerunt; video B undique angustias, ac pene omnia jacere in tenebris: adeo ut merito possimus dicere, istorum vitam absconditam esse cum Christo in Deo. Parum nempe profuit in archivis nostris singulas rimari schedas: aut enim illorum nomina vix, aut ne vix quidem, inveni; aut quæ supersunt, fragmenta tempus quidem indicant, quo vixerunt, pauca vero habent de illorum præclare gestis.

ut ipsemet præfatus est.

6 Quid quod de iis, qui ætate nostra vixerunt, vel ad eam propius accedunt, majora ac meliora nos latent; ut potiori jure posteri præsentium (Italorum dico) negligentiam accusaturi sint, quam nos præteritorum incuriam accusemus. Sin autem historicos consulamus; ante seculum 17 vix habemus Ambrosium Traversarium, qui Beltrami de Ferraria; Chronicon Ariminense, quod Bartholomæi de Cæsena; Flavium Blondum, Leandrum Albertum, Franciscum de Sanctis, qui Nicolai de Furca Palenæ; Hieronymum Corte, qui Philippi de S. Agatha, mentionem faciant; Carolum denique Tapiam, qui Beatos aliquos e nostris recenseat. Quotquot vero post seculum decimum sextum scripserunt, aut conjecturas falsas vulgaresque traditiones sequuti C sunt, aut multa pro suo ingenio venditarunt. Non itaque mirum, si de pluribus Dei Servis (quos liber iste complectitur) quorum vita virtutibus et miraculis mundo resplenduit, ac pretiosa fuit mors in conspectu Domini, brevis et implexa futura est oratio: copiosam quippe prohibet documentorum inopia; dilucidam vero scriptorum obscuritas.

sed plura de cultu scripsit in Monumentis historicis sui Ordinis,

7 Hactenus Saianellus, cujus et investigando diligentia, et in confitendo monumentorum inopiam candor, atque hinc orta in scribendo parcitas merito laudanda sunt: præstat enim pauca, quæ comperta sint, quam multa sine idoneis testimoniis tradere. Porro inter scriptores sæculi 17 reperio, Bernardinum Pucci, ejusdem ordinis religiosum, nec non Æmilium de Matthæis, patricium Sulmonensem, vitam B. Nicolai de Furca conscripsisse. Neutra ad me pervenit; sed, quod solatio mihi est, utramque habuit Saianellus. Magis mihi dolet quod Petri Bonaccioli eremum Pisanam simul cum Spicilegio ejusdem ordinis anno 1692 Venetiis editam, quæ catalogo librorum Musei nostri inscripta est, nulla diligenti investigatione reperire potuerim, ut nesciam, quo casu liber ille nobis exciderit, qui mihi D forte usui esse potuisset, præsertim in fundationibus cœnobiorum, de quibus Saianellus prolixiorem sermonem distulit in tomum II sui Operis, nondum editum, aut certe ad nos nondum transmissum.

in hoc Commentario colligenda, Natus est Nicolaus

8 In hac tanta instrumentorum penuria mihi tantum superest, ut Saianelli asserta recenseam, additis observationibus meis, quibus, quantum rerum obscuritas permittit, illa illustrentur vel refulentur. Collegit ea lib. 2, cap. 5, cui titulum fecit B. Nicolaus de Furca Palenæ, sacerdos, ubi pauca de gestis, paulo plura de ejusdem cultu disseruit. Opportune quoque in eodem libro 2 post Beatorum aliorumque insignium virorum ordinis sui elogia subjunxit varia instrumenta authentica, maxime de cultu Nicolai, quæ in hoc Commentario partim laudabo, partim etiam integra transscribam. Hisce præmissis, ad Beati gesta progrediamur. Laudatus historicus Hieronymitarum tom. I, lib. 2, cap. 5 sic orditur: Tertius Pisanæ Congregationis propagator (nam primum post fundatorem B. Petrum Gambacurtam dixerat fuisse Angelum de Corsica, secundum Beltrannum de Ferraria; cui titulum Beati apposuit) Nicolaus, oppidum in Pelignis, Sulmonensis diœcesis, patriam E habuit Furcam Palenæ, quam etiam Pelignæ appellat Flavius Blondus in Italia illustrata cap. Aprutium.

Furcæ Palenæ.

9 Puteolanus legitur apud Joannem Petrum Crescentium in Præsidio Romano, sed Furca Palenæ Sulmonensis diœcesis est, non Puteolanæ. Errori vero Crescentii forte caussam dedit bulla quædam Eugenii IV de anno 1437, die 2 Octobris, in qua ex supplicantis vel abbreviatoris vel scriptoris oscitantia, Puteolanæ diœcesis legitur. Flavius Blondus, mox laudatus, fuit B. Nicolao synchronus, potuitque illum Romæ, ubi ambo eodem tempore vixere, probe novisse: is autem loco per historicum citato Furcam Palenæ disertis verbis eidem Beato patriam adscribit, ac simul loci situm et vocabulum assignat. Auget (inquit) dextrosum amnem Sarum, sive Sangrum, Aventinus fluvius, in Superæquanis Pelignorum apud Furcam Palenæ oriundus, in ipsumque Aventinum, item dextrorsum, se exonerat Viridis torrens, inter monasterium S. Martini et Faram oppidum ex Maiella monte oriundus... Aventino autem amni, postquam Viridi auctus est, dextrorsum proxima sunt oppida Tarantum, Le- F ctumque * Paleni et Palenum, pro Pelignum corrupte appellatum.

* Letumque

cujus notitia datur, quod oppidum erat Aprutii,

10 Nam ea est Pelignorum altera pars, quos diximus Superæquanos a Majoribus vocitari; sicque paulo superius Furca oppidum, ubi Aventinus oritur, Palenæ pro Pelignæ nunc dicitur; cui cernuntur proxima oppidi, ut apparet, vetustissimi fundamenta. Ornatum vero fuit Furca oppidum sancto et celebris famæ anachorita Nicolao Furcensi, qui proximo anno apud urbem Romam centenarius est defunctus, miraculisque plurimis coruscavit. Consentit Leander Albertus in Descriptione Italiæ, titulo Peligni, cujus verba huc pariter transfero. Monte Maiella descripto, nominis Furcæ Palenæ causam exponere visum est. Oppidum ad Aventini amnis initium est Furca veterrimum, Pelignis attributum, quorum ager nunc Italis corrupte Palena dicitur pro Peligno: ita Furcam oppidum Palenæ pro Pelignorum nominant. Id Nicolaum Furcanum eremitam, hominem sanctum, ante annos 150 plurimum illustrasse, qui Romæ moriens, post obitum miraculis claruit, auctor est Blondus.

A dus. Sunt etiam hoc situ castella, Letum Paleni et Palenum, juxta quod antiquæ urbis, olim metropolis capitisque Pelignorum, vestigia, ubi jam Furcæ PALENÆ nomen pro PELIGNORUM, ut exposuimus, viget.

nunc dudum eversum, diœcesis Sulmonensis;

11 *Fuit ergo Furca Palenæ Pelignorum oppidum in Aprutio Citeriori, regni Neapolitani provincia, notaturque in Tabulis geographicis pauca milliaria Italica a civitate Sulmone in Occidentem dissita. Dixi,* fuisse *oppidum, quia Saianellus verbis infra dandis scribit, illud versus finem sæculi 15, regnante apud Neapolitanos Ferdinando II, eversum esse, et ejusdem incolas ad proximum oppidum Palenam (ubi* B. Nicolai *cultum vigere dixi) commigrasse. Quidquid de tempore sit, destructionem illius etiam asserunt alii, ac inter ceteros clerus terræ Palenæ in litteris anno 1744 pridie Idus Novembris ad summum Pontificem Benedictum XIV pro ejusdem Beati canonizatione datis, ex quibus sequentia accipe.* Beatus prædictus de Peligna regione non procul a nostra patria (*Palena*) natus in loco dicto Furca Palenæ; qui siquidem locus, etsi felix alias fortunatisque fuerit, præcipue, quod talem ac tantum ediderit B sanctitatis Heroem, inscrutabili tamen Dei judicio post varias temporum injurias (proh dolor!) nunc desolatus jacet, nomenque suum cum levibus servat vetustatis reliquiis.

ubi natus est anno 1349 vel circa,

12 *Hoc in loco natum esse* B. Nicolaum, *certo constat, idque etiam docet prima ejusdem sepulcralis inscriptio metrica inferius danda, cujus duo primi versus sic habent:*

Hoc tumulo æternum, pater o Nicolae, quiescis,
Urbs quem Roma tenet, Furcæ genuere Palenæ.

Nec minus indubitatum est, eumdem locum diœcesis Sulmonensis esse, non Puteolanæ, ut refutari non mereantur Joannes Petrus Crescentius, quemque hic laudavit, Octavius Pancirolus, qui B. Nicolaum *seu patria seu diœcesi Puteolanum dixerunt. Atque hæc quidem de loco ejus natali, de tempore Saianellus hæc subdit:* Natus est anno humanæ Salutis 1349, die 10 Septembris ut habemus ex Puccio, tum in vita hujus Beati ms., tum in Breviario historico. *Hic annus verisimiliter erui potuit ex Flavio Blondo simul ac ex duobus Beati epitaphiis romanis: cum enim* C *ille a Blondo et in posteriori epitaphio centenarius obiisse dicatur, et ex utroque epitaphio annus ejusdem emortualis fuerit vulgaris æræ Christianæ 1449, non nisi unum citro ultrove annum aberrare potest, qui nativitatem illius anno 1349 affigit.*

ex parentibus mihi ignotis.

13 *Quod ad mensem diemque attinet, fides sit penes Puccium, qui, licet medio sæculo 17, teste Saianello, scripserit, forte tamen aliquod vetus monumentum vidit, ex quo et annum et mensem et diem nativitatis determinavit. De parentibus ejusdem familiæque vocabulo, conditione ac opibus cum sileat Saianellus, dicendus est hic, utut diligenter sui Ordinis archiva et bibliothecas scrutatus fuerit, nihil plane de his compertum habuisse. Nec ego hac super re quidquam legi præterquam in litteris illustrissimi senatus civitatis Sulmonensis anno 1746 pro ejusdem canonizatione Benedicto XIV papæ oblatis, in quibus natalium nobilitas ipsi forte adscribitur his verbis:* Ad supremum majestatis Pontificiæ solium... humillimis iteratis obsequiis sistimus, quem Beatitudinis suæ obtutibus jure dignum censemus, B. Nicolaum de Furca Palenæ, Sulmonensis diœcesis... Sistimus autem non jam natalium splendore fulgentem, sed ingenti rerum præclare gestarum et miraculorum gloria ac longævo totius vitæ cursu, ad annos centum sanctissime traductæ, admirabilem, amplo meritorum thesauro instructum *etc.* *Hæc ibi de Beati natalibus, quæ quid certo indicent, mihi plane inexploratum est. Redeo ad historicum Hieronymitanorum.*

AUCTORE C. S.

Sacerdos factus, diu vixit in patria, hinc Romam profectus,

14 Piissime educatus, et sacerdotio deinde initiatus, pluribus annis in patria transactis, arctioris vitæ desiderio accensus, Romam venit initio seculi quintidecimi, fortasse eo tempore, quo apostolicam cathedram vix ascenderat Innocentius VII, patria Sulmonensis (*qui anno 1404 Bonifacio IX successit.*) Vivebat Romæ ea ætate frater Raynaldus de Pedemonte eremita, cui jam pridem, id est, anno 1384, die 25 Junii, Raynonus de Raynonis *ad perpetuum usum,* tam ipsius, *quam aliorum Pauperum Christi,* dono concesserat quandam turrim cum domibus et horto in regione S. Eustachii prope ecclesiam S. Salvatoris, quæ olim dicebatur *in Thermis* (Neronis nempe ibi fuerant thermæ) nunc dicitur *il Salvatorello;* prout in actis Joannis Petri de Surcalibus (*legitur*). Nicolaus E Fratri Raynaldo aliisque eremitis ibi degentibus facile adhæsit; quibus etiam hæres et successor fuit in prædicta domo. Ad majorem tamen cautionem ab hæredibus Raynonis confirmari sibi donationem, alias factam Fratri Raynaldo, obtinuit. ut (*habetur*) ex bulla Eugenii IV de anno 1444, de qua infra.

eremitis se adjunxit in regione S. Eustachii.

15 Ex eadem bulla apparet, Nicolaum fuisse rectorem altaris S. Salvatoris, seu sacræ illius ædiculæ, quæ erat et est in regione S. Eustachii (non in ecclesia S. Eustachii, ut legitur in bulla.) *Eadem refert Bernardinus Puccius in vita italica B. Petri Gambacurtæ cap. 25, similiter laudans bullam Eugenii IV, additque, Beatum sociosque ejus in eadem (quantum apparet.)* Pauperes Jesu Christi sectatores *appellari. Bullam ipsam neuter exhibet, quæ si autographa sit, miror, hunc in eam errorem irrepsisse, ut pro* regione S. Eustachii *posita fuerit* ecclesia S. Eustachii. *Exstat hodieque prædicta S. Salvatoris ecclesia, sanctique* Salvatoris in Thermis *etiam appellatur, de qua qui plura volet, consulere potest Octavium Pancirolum, aliosque, qui de romanæ urbis ecclesiis tractarunt. Ceterum* B. Nicolaum F *sacerdotio initiatum fuisse, etiam liquet ex instrumentis ipsi synchronis, ex quibus aliqua suis locis laudabo.*

Helyotus asserit, Beatum cum sociis

16 *Porro quæri hic potest, an* B. Nicolaus *et socii in mox dicta æde aliisque, quas ab ipsis ante suam cum Pisana congregatione conjunctionem erectas fuisse dicemus, aliquam e receptis regulis secuti fuerint, an suis tantummodo legibus vixerint: nam hac super re nihil habet Saianellus. vero Hippolytus Helyot tom. IV Historiæ Ordinum monasticorum etc., cap. 2, illos tertii ordinis S. Francisci tunc fuisse, indubitanter affirmat. Verba ejus ex gallicis latina subjicio.* Congregatio B. Nicolai de Furca Palenæ, qui et ipse erat tertii ordinis S. Francisci, similiter unita fuit eremitis B. Petri de Pisis. Hic B. Nicolaus de Furca Palenæ ita dictus fuit a loco suo natali, qui vicus Aprutii est, diœcesis Sulmonensis in regno Neapolitano. Erat presbyter, multisque annis magna cum æstimatione in patria sua vixit; verum cum sese Deo perfectius dicare ac reliquum vitæ in pœnitentiæ operibus exigere decrevisset, habitum tertii ordinis S. Francisci induit; jamque

AUCTORE C. S.

que admodum provectæ ætatis Romam contendit, ubi primo in quadam exigua æde habitavit cum unico socio, Raynaldo de Pedemonte dicto.

tunc temporis fuisse tertii Ordinis S. Francisci,

17 Eugenius IV papa, compertis Viri virtutibus, curam ei commisit parvæ ecclesiæ *Salvatoris* dictæ, quæ tunc temporis a fidelibus plurimum pieque frequentabatur. Adjunxerunt ei so ibidem quinque alii diversarum nationum socii, quibuscum vario piorum operum exercitio vacabat *etc. Hactenus Helyotus, nullo dictorum vade assignato: quapropter videndum est, quo argumento, quave verisimilitudine asserta* B. Nicolai *ejusque sociorum tertiæ regulæ professio niti videatur. Certum est, fuisse in Italia sæculo 14 et 15 aliquot contubernia eremitarum, qui cum ex Tertiariis S. Francisci prodiissent, eamdem regulam, suæ vitæ rationi accommodatam, ac partim etiam habitum servabant; de quibus, consule, si lubet, Lucam Waddingum in Annalibus Minorum, et laudatum Helyotum. Tales eremitæ fuerunt discipuli Angeli de Corsica, quos hic sub prædicta regula congregavit rexitque, donec eos secum B. Petro de Pisis tradidit, ejusdemque instituto ac* B *disciplinæ submisit, ut videri potest apud Papebrochium in Commentario de eodem B. Petro ad diem 17 Junii, § 5.*

quod etsi non improbabile sit, quia in quodam instrumento

18 *Ex hac conjunctione factum est, ut non modo ii, qui cum Angelo ad B. Petrum accesserant, verum etiam ceteri B. Petri socii, qui numquam fuerant Tertiarii, tales tamen vulgo æstimarentur, aliquando etiam in instrumentis publicis, quæ Papebrochius ibidem, et ante hunc Puccius in vita ejusdem Petri cap. 25 laudarunt. Quin eo quoque titulo Fratres Minores quamdam jurisdictionem in Petri congregationem exercere voluerunt, ut necesse habuerit hic Beatus ad Martinum V papam recurrere, qui bulla anno 1421 data ipsum sociosque omnes, ab illorum potestate immunes pronuntiavit. Vide Papebrochium loco citato. Quam ob rem debile esset argumentum, si pro tertia regula* B. Nicolao *ante suam cum B. Petri sodalitio conjunctionem adscribenda produceretur instrumentum aliquod eadem conjunctione posterius, in quo* Nicolaus tertii ordinis S. Francisci *dictus esset. Verum Puccius ibidem unum laudat certe anterius; nimirum chartam emptionis ab ipso* B. Nicolao *ejusdemque socio Dominico Zurlo* C *die 19 Novembris anni 1445 celebratæ Neapoli, in qua ambos* tertii ordinis *appellari affirmat,* prout, *inquit,* ego in vita illius Beati cap. 19 prolixius docui. *Idem instrumentum citavit Papebrochius cum eodem die ac mense, sed anno 1449 (cujus mense Septembri Beatus obiisse passim creditur) pro anno 1445 perperam adscripto.*

tertii ordinis appellantur.

19 *Fatetur Puccius, instrumentum factum esse, priusquam* Nicolaus *cum suis ad B. Petri instituta transiverit, quod anno 1446 contigisse agnoscit. Hinc pariter recte observat, istam* tertii ordinis *appellationem non potuisse eidem ob eam conjunctionem attribui; sed cum is crederet,* B. Nicolaum *numquam fuisse tertii ordinis, suspicari maluit, ipsum ex ingenti desiderio, quo eam conjunctionem dudum decretam exoptabat, istum titulum anticipasse. At hæc ratio mihi quidem non placet; tum quod gratis asseratur, tum etiam quod proprius titulus congregationis Pisanæ non esset* tertii ordinis, *sed* pauperum eremitarum; *quo modo* B. Nicolai *quinque socii vocabantur, ut mox dicemus. Itaque, quantum in re tam obscura opinari licet, non improbabile est,* B. Nicolaum *ante suam cum sæpe dicta congregatione conjunctionem fuisse tertii ordinis, uti asseritur in Neapolitano emptionis instrumento, quod nihil cogit nos cum Puccio aliter interpretari.* D

non tamen certum est.

20 *Ipsa quoque tertii ordinis regula satis accommodata erat instituto vitæ, quod* Nicolaus *cum suis tunc sectabatur, et quale item servabat Angelus de Corsica, quando versus finem sæculi 14 se suosque B. Petro de Pisis adjunxit. Veruntamen cum tam in instrumento* B. Nicolai *sociorumque ejus conjunctionis cum societate Pisana, quam in bulla Eugenii IV papæ eamdem conjunctionem approbantis (quæ suo loco recitabo) nulla prorsus fiat de tertio ordine mentio, sed ambæ ac singulæ societates appellentur* eremitæ pauperes, *vel* eremitæ de paupere vita; *dubium mihi manet, an* tertii ordinis *appellatio, in instrumento Neapolitano* B. Nicolao *et socio addita, in proprio sensu accipienda sit, nec latiori sensu ob quamdam eorumdem vitæ cum Tertiariis similitudinem data. Dubium auget ea ratio, quod, si proprie fuissent tertii ordinis S. Francisci, prudentis consilii fuisset hac de re in bulla pontificis, conjunctionem approbantis, fieri mentionem, ne alioquin ex hoc capite ab ordine Minorum interpellarentur, quemadmodum factum fuisse dixi num. 18, quia Angelus de Corsica et socii tertii ordinis fuerant.* E

§ II. Eremitorium Neapoli ab illo erectum: monasterium acquisitum prope Florentiam: confirmatio omnium possessionum et privilegia ei ab Eugenio IV papa concessa: monasterium S. Onuphrii Romæ conditum, et bonis auctum, confirmante Nicolao V papa.

Beatus, Neapoli acquisitis ædibus,

Sæpe laudatus historicus congregationis B. Petri de Pisis post ea, quæ de prima B. Nicolai habitatione romana ex eo retuli, ad erectam auctamve ab eodem in urbe Neapoli ædem sic progreditur. Anno 1417 Neapoli fuit, ibique cum aliis eremitis unam domum emit ab ebdomadariis ecclesiæ S. Anelli per instrumentum sub die 27 Augusti, notario Antonio Falconio: atque hinc origo Neapolitani nostri cœnobii, cujus erectionem plurimum promovit frater Dominicus de Pontiaco, qua emptis, qua dono acceptis domibus in eadem platea S. Anelli. Qui frater Dominicus hæredem omnium bonorum ipsum Nicolaum instituit in suo testamento de anno 1444, die 29 Januarii, notario Antonio Vigiliano. F *Puccius in vita B. Petri Gambacurtæ cap. 25 scribit,* B. Nicolaum *in suo itinere Neapolitano divertisse ad quosdam socios suos eremitas, qui in* S. Joannis de Sperlonga, *sive apud Amyclas, urbem dirutam in Terra laboris, Cajetam inter et Terracinam in ora maris Tyrrheni habitabant, quique jam inde ab anno 1412, die 27 Januarii domum sibi Neapoli in prædicta S. Anelli platea comparaverant, ut cœnobium construerent.*

eremitorium erigit,

22 *Eorum nomina sic recenset italice:* Fuerunt hi (*eremitæ*) F. Petrus Drepanensis, F. Nicolaus Veronensis, F. Dominicus Catalaunus, F. Valens Carpensis, F. Antonellus Neapolitanus

A nus, F. Franciscus Venetus, leguntur que iidem denuo Neapoli fuisse anno 1417, die 27 Augusti, et anno 1419, die 19 Augusti, ibique una cum B. Nicoalo alia emisse in eadem platea. Nicolaus autem in instrumentis vocatur superior et caput eorum. *Præ ceteris tamen laudat fratrem Dominicum Zurlum, e nobilissima regni Neapolitani familia Capeciorum natum, quem Nicolao carissimum et in cœnobio ibidem condendo præcipuum adjutorem fuisse tradit. Ego isthæc Puccii asserta aliunde confirmare nequeo; sed forte hic Dominicus Zurlus is ipse fuerit, qui Sainnello Dominicus de Pontiaco appellatur, ita forsan apud Eremitas pro more suo a loco natali dictus. Exstant hodiedum Neapoli hoc cœnobium et adjuncta ecclesia,* S. Mariæ Gratiarum *appellata, et congregatione B. Petri de Pisis etiamnum parent, sed multo spatiosius ornatiusque exstructa.*

quod cum adjuncta ecclesia S. Mariæ Gratiarum

25 *Pompeius Sarnellus in Descriptione Neapolis, cui titulum fecit* Guida de Forestieri, *videtur ejusdem cœnobii exordia multo serius collocare, cap. 15 italice hæc aiens :* Ecclesia S. Mariæ Gratiarum, prope muros civitatis Neapolis sita, B antiquitus erat perexigua ecclesia familiæ Grassæ, quæ anno 1500 concessa fuit fratri Hieronymo Brundusino, qui Fratres Hieronymianos congregationis B. Petri Gambacurtæ Pisani in urbem Neapolitanam primus induxit ad eum locum, in quo commodum monasterium condidit, amplificavitque ecclesiam, quæ nunc una e pulcherrimis ornatissimisque Neapolis est. *Hæc prædictis contraria videri debent, nisi forte istud qualecumque a* B. Nicolao *Neapoli erectum monasterium cum ipso non transierit ad congregationem Pisanam, dictaque ecclesia ejusdem Beati sociorumque usui concessa, at non iisdem donata fuerit, donec initio sæculi 16 laudatus Hieronymus Brundusinus præfatæ congregationis coloniam Neapolim adduxit.*

hodiedum superest, sed amplius atque ornatius.

24 *Verum Saianellus dubitat quidem, an hoc monasterium simul cum* B. Nicolao *juris congregationis Pisanæ factum sit; sed ibidem cap. 14 elogium Hieronymi Brundusini, quem Beati appellatione honorat, contexens, contendit hunc ejusdem amplificatorem, non primum ex eadem congregatione incolam fuisse.* Sequenti *(inquit)* anno (nimirum 1504) a Ferrariensis domus C (cui bis præsuit ad paucos menses) regimine Neapolim se contulit, ubi totus incubuit tum amplificando cœnobio, tum renovando templo S. Mariæ Gratiarum, quod etiam completum vidit ante obitum suum. *Denique in fine capitis subdit :* Moneo tamen, Caracciolum, de Magistris, Sarnellum et Celanum perperam asseruisse, Hieronymum Brundusinum Congregationem Pisanam Neapolim advexisse, quod commentum refellam tomo II, ubi de hoc cœnobio verba faciam. *Utinam tomus hic, si jam sit editus, ad me pervenisset; nam ex instrumentorum inopia cogor hæc, ut multa alia, in medio relinquere. Pergo igitur cum Saianello ad alia.*

Eugenius IV papa donat ipsi monasterium de Ricolbolis

25 Dum ea Neapoli gerebat Dominicus, aut Romæ Nicolaus erat, aut aliorum locorum fundationi operam dabat. Eugenius IV, cum esset Florentiæ eamque ecclesiam adhuc Pontifex regeret per Thomam Thomasinum episcopum Recanatensem, multa in illa diœcesi monasteria reformavit, quæ inter S. Antoninus in Summa historiarum Tit. 12, cap. 10, § 5, enumerat MONASTERIUM DE RICORBOLIS, EREMITIS ILLUD ATTRIBUENDO. Porro Eremitæ isti fuero Nicolaus ejusque socii; non vero eremitani S. Augustini, ut male colligit S. Antonino Herrera in Alphabetho Augustiniano. Hoc igitur cœnobium S. Mariæ de Ricorbolis concessit Nicolao Eugenius per litteras data circa annum 1434, quas non habemus, sed citatas legimus in sequentibus literis. Cum enim jus patronatus illius ecclesiæ ad familiam de Barbis Florentinam pertineret, hinc orta quæstio inter Nicolaum Furcensem et Joannem ac Rodulphum de Bardis.

AUCTORE C. S.

prope Florentiam, dissolutæ vitæ monialibus

26 Ad quam definiendam judicem deputavit idem Pontifex per literas sub die 28 Aprilis 1435 Thomam episcopum præfatum, qui anno sequenti, die 17 Martii decrevit, quod Nicolaus et socii tenerentur solvere singulis annis Joanni ad Rodulpho et descendentibus vel propinquioribus unam libram candelarum ceræ laboratæ in festo Assumptionis B. M. V. Nihilominus Nicolaus non multo post illinc recessit ignota nobis de caussa; idque probabiliter antequam Pisanæ congregationi uniretur; *quod postremum anno 1446 factum esse videbimus. Priusquam progrediamur, juverit aliqua annotasse. Eugenius IV anno 1434 Romanorum seditionem fugiens, Florentiam accessit, et hujus archiepiscopalem cathedram, per obitum Americi* E *Corsini, eodem anno die 18 Martii defuncti vacantem, ipsemet tenuit rexitque usque in Octobrem sequentis anni, quando ad eam evectus est Joannes Vitelleschus, teste Ughello in Italia sacra aucta tom. III, col. 168. De Thoma Thomasino, sive Buratto, ibidem consuli potest tom I, col. 1222 in episcopis Recanatensibus.*

inde ad aliud monasterium traductis

27 *Porro in ista commoratione Florentina laudatus Pontifex Eugenius, teste S. Antonino loco mox citato,* ut zelator præcipuus religiosæ conversationis, multa monasteria monialium, dissolute et inhoneste conversantium, evacuavit, dignitatem abbatissalem extinxit, et moniales eorum ad alia monasteria transmisit *etc. Erat igitur* monasterium de Ricorbolis, seu de Ricolbolis *(ut habet nostra S. Antonini editio Lugdunensis anni 1527) unum ex istarum dissolutæ vitæ monialium monasteriis, quas Pontifex alio amandavit, ut ad frugem reduceret. Puccius in vita B. Petri Pisani cap. 25 prætereà docet, illud fuisse ordinis S. Benedicti et extra muros Florentiæ situm, laudatasque Eugenii litteras servari in sui ordinis monasterio Montis Baroccii. Hallucinatus ergo fuit Herrera, quando* Eremitas, *quibus hoc* F *ab Eugenio IV traditum scripsit S. Antoninus, Augustinianos suos esse existimavit. Quin et ipse sanctus historicus utrosque satis distinxisse videtur, hosce* Eremitanos de Observantia; *illos vero* Eremitas *simpliciter appellando. Sic enim ibidem loquitur :* Monasterium Chiariti, id Eremitanis de Observantia *(quos etiam Herrera suos esse agnoscit)* elargiendo... Monasterium de Ricolbolis, Eremitis illud attribuendo.

idem Pontifex omnia illius eremitoria ipsi confirmat et privilegia largitur.

28 *Inter hæc, (teste laudato Puccio) frater Raynaldus de Pedemonte, eremita ille, cui* B. Nicolaus *Romæ se sociaverat, excedens e vivis, ipsum sui eremitorii in regione S. Eustachii, ac rerum suarum hæredem et successorem reliquit; Beatusque ab Eugenio IV litteras impetravit, quibus tum hæc donatio, tum duo alia eremitoria, quæ acquisierat, sibi confirmarentur. Huc igitur spectant, quæ habet Saianellus, citato loco ita prosecutus.* Anno 1437 erat adhuc Florentiæ Nicolaus, obtinuitque literas, ab eodem pontifice datas die secunda Octobris, quibus commis sarii

AUCTORE C. S.

sarii deputati fuere pro confirmatione locorum hactenus erectorum; videlicet Romæ, Neapoli, et S. Christianæ in Alpibus Florentiæ. Per alias etiam literas eodem anno et die datas facultatem tribuit pontifex alia loca recipiendi, et alia multa privilegia concessit. Vide in nostro Bullario. *Quam doleo, hæc tam breviter ab historico commemorari: neque enim mihi ac passim aliis facultas adest Bullarium ordinis Hieronymitarum consulendi. Ex Puccio autem in vita B. Petri Pisani tantummodo discimus, priores Eugenii litteras suo tempore in cœnobio Neapolitano asservatas; et monasterium S. Christinæ in Alpibus Florentiæ a quodam Fratre Matthæo de Hungaria, ipsius Beati socio, conditum fuisse. Ceterum laudatæ litteræ Pontificiæ si sinceræ sint, verisimiliter datæ fuerunt Bononiæ, ubi Eugenius eo tempore degebat, ut videre licet apud Odoricum Raynaldum tom. XVIII Annal. Eccles., aliosque.*

Ejusdem Papæ aliorumque fidelium munificentia

29 *Multo notior celebriorque est altera ejusdem Beati ædes romana in monte Janiculo, quam ipsemet cum annexo oratorio seu sacello S. Onuphrii condidit, ac suprema sua ætate, morte et sepultura sacravit, ac demum etiam in nostra usque tempora pretioso corporis sui thesauro illustrat.* B *Jejuna tamen de hac quoque Saianelli narratio est, quia de eadem pluribus agere constituit in tomo II edendo. Interim pauca illa, quæ hic scripsit, accipe.* Sub idem tempus solitudinis amator Nicolaus, qui jam nonagenarius nimiam populi frequentiam ad S. Salvatorem de Urbe graviter sentiebat, cogitavit se in Janiculum conferre, ubi anno 1434, die 26 Junii vineam quamdam emerat a Nicolino de Carbonibus in actis Pauli Antonii de Muscianis. In hunc finem alia bona ibidem comparavit frater Nicolaus Jacobelli de Core, Nicolai Furcensis socius, annis 1439, 1440, 1441, attamen usque ad annum 1444 ad S. Salvatorem habitasse legitur. Non multo post oratorium in Janiculo, S. Onuphrio dicatum, constructum fuit cum eremitorio; quod contigit ante annum 1446 ex infra dicendis. Eugenius IV in hoc pium opus eleemosynas contulit, ut testatur Nicolaus V, ejus successor, in quadam bulla de anno 1447, die 26 Augusti. Est in nostro Bullario.

cœnobium et ecclesiam S. Onuphrii condit

30 *Hæc tantum ibi Saianellus, pluribus (ut dictum est) in tomum II servatis. Conditum est hoc eremitorium in regione Transtiberina, in ea Janiculi parte, quæ e porta S. Spiritus egressis ad dexteram occurrit et Vaticano propius adjacet. In instrumentis inferius dandis aliquando dicitur* C *ecclesia seu capella Montis Ventosi, sive hoc vocabulo totus collis Janiculensis, sive hæc tantummodo pars designetur. Dicitur etiam esse* in contrata montis Settignani *vel* Septignani, *forte corrupte pro* Septimiani, *a porta* Septimiana, *quæ circa ejusdem Janiculi radices exstat. Denique ibidem etiam legitur eadem ecclesia* sita extra et prope Urbis muros; *cujus rei rationem dat Saianellus, quod ista Janiculi pars ante pontificatum Pauli IV nondum mœnibus cincta esset, quibus ab illo inclusa fuit. Hæc observasse juverit, ne sermonem interrumpere cogar, quando ista instrumenta recitabo. S. Onuphrius anachoreta fuit in Ægypto, cujus gesta apud nos illustrata sunt ad diem 12 Junii, quo die Martyrologio Romano inscriptus est. Sancto igitur eremitæ Onuphrio* B. Nicolaus *eremita ecclesiam suam voluit dedicari.*

31 *Recte quoque asseruit Saianellus, dictum cœnobium cum sua ecclesia a* B. Nicolao *erectum fuisse ante annum 1446: nam hoc ipso anno* Nicolaus *illud secum et cum suis tradidit congregationi Pisanæ, sicut in sequenti § ostendetur:* D *annum vero, quo prima ejusdem fundamenta jaci cœperint, determinare non possumus. Apud Saianellum pag. 265 laudatur quædam B. Nicolai imago, in muro ejusdem cœnobii depicta, quæ ex testimonio, a duobus peritis pictoribus hujus sæculi 18 dato, potuit sub finem sæculi 15 vel circiter, facta fuisse, et supra quam ista legere est:* Antiqua et vera effigies divi Nicolai, hujus monasterii fundatoris anno 1434. *Certe hic annus non potest aliud indicare, quam tempus fundati monasterii; verum inscriptio, ut patet, antiqua non est, ac forte tantum signat annum empti fundi, non cœpti ædificii. Bullam Nicolai V pontificis, quam supra laudavit Saianellus, deinde exhibet pag. 262 et sequenti, quæ quia ejusdem loci erectionem et augmentum complectitur, totam hic subjicio.*

Romæ in Janiculo,

novaque possessione auget,

32 Nicolaus Episcopus, Servus servorum Dei. Venerabili fratri episcopo Vulteranensi salutem et Apostolicam benedictionem. Ad ea, ex Apostolicæ servitutis officio libenter intendimus, per quæ personarum Altissimo in humilitatis spiritu devote famulantium statui valeat et commodo provideri. E Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Nicolai de Furca Palenæ presbyteri, et sociorum ejus, Pauperum Eremitarum, in urbe commorantium, petitio continebat, quod alias quamdam cappellam, sive quoddam oratorium, in contrata Montis Settignani de dicta urbe, in honorem et sub vocabulo Sancti Honuphrii, de caritativis subsidiis sibi per felic. record. Eugenium papam quartum, Prædecessorem nostrum, ero gatis, nec non piis Christi fidelium suffragiis, construi et ædificari fecerit, atque procuravit quamdam possessionem vineatam in contrata S. Jacobi de Septignano, juxta dilecti filii Antonii de Caffarellis, civis romani, ab uno, et hospitalis nostri sancti Spiritus in Saxia de dicta urbe ab alio, necnon capellæ sive oratorii hujusmodi res et bona ab alio, lateribus consistentem, et ad parrochialem ecclesiam sancti Sebastiani in via papæ de præfata urbe spectantem, ac eidem cappellæ sive oratorio multum necessariam, a dilecto filio Nicolao de Fundis, rectore ipsius ecclesiæ, et dilectorum filiorum illius parrochianorum consensu pro pretio centum et viginti florenorum monetæ in dicta urbe currentis emit, F et sibi emptionis titulo ad opus et utilitatem cappellæ sive oratorii hujusmodi, et in eo pro tempore degentium, acquisivit; prout in instrumento publico superinde confecto dicitur plenius contineri.

pro qua confirmanda a Nicolao V Papa litteras obtinet.

33 Quare pro parte Nicolai de Furca Palenæ et aliorum Eremitarum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut emptioni et acquisitioni hujusmodi pro earum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica præcepta mandamus, quatenus super præmissis et eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et, si per eamdem informationem ita esse, dictamque emptionem in evidentem utriusque cappellæ seu oratorii, et ecclesiæ utilitatem cedere reperis, super quo tuam conscientiam oneramus, emptionem prædictam, necnon prout illam contingunt omnia et singula, in dicto instrumento contenta,

A contenta, et quæcumque inde secuta, eadem auctoritate approbes et confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, septimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

deputato in hunc finem episcopo Volaterrano.

34 *Consequenter ad hæc laudatus episcopus auctoritate sibi commissa emptionem approbavit confirmavitque Romæ, sed primum* anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero Veneris, vigesima octava mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Nicolai, divina providentia Papæ quinti, anno tertio; *id est, eodem anno, cujus mense Septembri* B. Nicolaus *e vivis excessisse creditur. Litteras ejusdem episcopi, quibus hæc Nicolai V bulla ibidem inserta est, hic prætermitto, quia nihil prætcrea continent. Ejusdem autem præsulis titulum hunc præferunt:* Robertus Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Vulteranensis, ac judex et exequutor unicus ad infrascripta a Sede Apostolica specialiter deputatus. *Videtur ergo ille fuisse*
B *Robertus Cavalcantes, episcopus Volaterranus, qui in Ughelli Italiæ sacræ tom. I, col. 1458 ex auditore Rotæ Romanæ factus episcopus, in Volaterrana cathedra sedisse legitur ab anno 1440 usque ad 1450 nec alium præter hunc eo tempore inveni, qui* Rubertus Vulteranensis *episcopus dici potuerit.*

Supersunt hodieque ista cœnobium et ecclesia, quæ titulus Cardinalitius est.

35 *Exstat hodieque, ut supra monui, laudatum cœnobium cum ecclesia S. Onuphrii, et ab Eremitis Hieronymianis, BB. Petri Gambacurtæ et* Nicolai *Furcensis sectatoribus, incolitur, sed qui jam ab anno 1569, jussu S. Pii V Papæ, solemnem votorum religiosorum professionem sub Regula S. Augustini nuncuparunt, cum ad id usque tempus dumtaxat simplicibus votis obstricti vixerunt. Leo X summus Pontifex eamdem S. Onuphrii ecclesiam in diaconiam Cardinalitiam, Sixtus V autem in Cardinalis presbyteri titulum erexit. Qui de eadem plura volet, consulat Octavium Pancirolum in Ecclesiis urbis Romæ, ac recentiorem auctorem Romæ antiquæ et novæ, anno 1750 recusæ, qui præter Eugenii IV Papæ munificentiam etiam familiæ de Cupis largitatem in eodem monasterio ædificando laudant. Plura haud dubie de eodem*
C *dabit Saianellus in tomo II sui Operis, et in hoc ipso Commentario meo de eodem sermo sæpe redibit.*

§ III. Beatus se suosque aggregat Societati Pisanæ, Eugenio IV Papa probante et confirmante : reliquum vitæ ejusdem Romæ actum.

Jam admodum senex desiderat se suosque

Vixit ad tres circiter annos (*rursus verba Saianelli sunt*) in Janiculo Nicolaus, atque hoc tempore vidit se suosque socios et loca uniri Pisanæ Congregationi; quod jam dudum optaverat. Testatur Puccius in Vita B. Petri pag. 157 et 181, Romæ fuisse anno 1425 B. Petrum fundatorem; idque colligit ex transsumpto instrumenti donationis, factæ die 2 Maii a duobus Fratribus Viviani de Nobillaria, de societate » Fr. Petri de Pisis, nunc habitatoris Urbis. » Attamen autographum habebat Urbini, quod sæpissimo legitur in aliis instrumentis de eodem B. Petro. Illud est verum, quod Petrus, quondam Joannis de Hispania Romæ fuit in eremiturio Nicolai Furcensis ad S. Eustachium, ubi lecto graviter decumbens Frater Paulus Joannis Fravasti de Bertinorio, anno 1430, die 12 Augusti eumdem Petrum de Hispania, Eremitarum de Scolcha Rectorem (*eremitorium id erat Congregationis B. Petri de Pisis extra Ariminum*) hæredem instituit. Hoc etiam probabile est, B. Petrum fundatorem, qui non semel Romæ fuit, ad Nicolaum Furcensem divertisse, atque cum eo intimæ charitatis vinculo fuisse adstrictum. Nota itaque erat Nicolao tum B. Petri persona, tum institutæ ab eo Congregationis ratio.

AUCTORE C. S.

Congregationi Pisanæ aggregare

37 Non ita tamen nobis cognita est caussa, cur ultra mortem beati fundatoris (*Petri Pisani, quæ anno 1435 contigit*) ad annos undecim protracta fuerit utriusque Societatis unio. Proposita hæc fuit in capitulo generali, Venetiis celebrato anno 1446, de 27 Junii (*imo Maji, ut infra patebit*) in quo procurator ad hunc finem constitutus fuit Jacobus de Firmo ex Pisana Societate, E qui Romam veniens, rem totam perfecit die 8 Augusti per instrumentum conditum a Paulo Antonii de Muscianis. *Hoc ipsum instrumentum admodum prolixum est; quippe quod res gestas tum Venetiis in capitulo generali Congregationis Pisanæ, quam Romæ in ecclesia S. Onuphrii, multis verbis stilo a notariis usurpari solito, late exponit; exstatque apud Saianellum pag. 238 et duabus sequentibus, depromptum, ut ibidem dicitur,* ex autographo, in archivo *ejusdem cœnobii* S. Onuphrii de Urbe *asservato. Ego diu dubitavi, an totum totidem verbis hic recudendum esset; tandem ne nimiam nauseam lectori parerem, censui satius fore, si ex ea parte, in qua totius negotii procuratio Jacobo de Firmo commissa est, prætermissis notariorum phrasibus, cetera integre recuderem. Sic itaque se habet laudatum instrumentum.*

ipse et socii ejus cum Jacobo de Firmo,

38 In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, mensis Augusti die octava, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Eugenii quarti anno ejus sextodecimo. In præsentia mei F notarii et testium infrascriptorum, ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum, congregatis et coadunatis in ecclesia seu capella S. Honofrii Montis Ventosi, sita extra et prope muros Urbis, venerabilibus et religiosis viris, Fratre Nicolao de Furca, Fr. Colla Jacobelli, Fr. Michaele de Pescia, Fr. Francisco de Sclaonia, et Fr. Jeronymo de Sclaonia, Fratribus Heremitis de paupere vita; et dicto Fr. Nicolao pro se et aliis Fratribus suis sociis ac locis aliis Heremitarum, quibus ipse Nicolaus præest, ex parte una; et venerabili et religioso viro, Fratre Jacobo de Firmo, procuratore et sindico venerabilis et religiosi capituli Congregationis et Societatis pauperum Heremitarum parochiæ S. Raphaelis do Venetiis, Fr. Bartholi de Cesena, Rectoris generalis et Gubernatoris ipsius Societatis:

qui in capitulo generali ejusdem Congregationis,

39 In quo capitulo interfuerunt Rectores locorum ipsius Societatis, videlicet ipse Bartholus, pater et Rector heremi S. Jeronimi Ariminensis diœcesis; Fr. Archangelus de Eugubio, loci pauperum Heremitarum S. Mariæ Magdalenæ

AUCTORE C. S.

lenæ de Padua; Georgius do Patrasso, locumtenens Fratris Benedicti de Cicilia, Rectoris ipsius loci S. Raphaelis; Nicolaus Theatinus S. Mariæ de Lispia Paduanæ diœcesis; Gabriel de Ferraria, loci Misericordiæ, Ferrariensis diœcesis; Philippus de Arimino locumtenens Hieronymi Theatini, loci S. Mariæ Magdalenæ de Monte famulorum, Vicentinæ diœcesis; Jeronimus de Suncino, S. Mariæ Magdalenæ, Tarvisinæ diœcesis, et Jacobus de Firmo, loci pauperum Heremitarum S. Bartholi, Pensauriensis * diœcesis, nomine suo, et nomine Fr. Alexii de Sentaro, loci S. Blasi extra Fanum, rectores et gubernatores præfatorum nominatorum locorum, facientes et constituentes majorem et saniorem partem, et ultra duas partes Rectorum dictæ Societatis, unanimiter et concorditer, et eorum nemine discrepante.

** an. Pisaurensis?*

Venetiis celebrato, in hunc finem

40 Habens ipse Fr. Jacobus de Firmo a dicta Societate speciale mandatum, ut infra describitur, et ultra officium dicti sui mandati et procurationis dictus Fr. Jacobus de Firmo se et bona sua principaliter obligavit, et promisit de rato et ratihabitione, et se facturum et curaturum B ita et taliter cum effectu, quod dicta Societas pauperum Heremitarum parochiæ S. Raphaelis prædicti, et omnes Fratres de dicta Societate hæc omnia et singula habebunt semper rata, grata et firma, et contra non facient vel venient aliqua ratione vel causa, ex alia parte. Cujus quidem sui mandati tenor talis est, videlicet: In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Indictione octava, mensis Maii die vigesimo septimo, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Eugenii, divina providentia Papæ quarti anno sextodecimo.

deputatus fuerat, Romæ hac de re transigunt.

41 Convocato capitulo Congregationis et Societatis pauperum Heremitarum parrochiæ S. Raphaelis de Venetiis, de mandato Fratris Bartholi de Cesena, Rectoris generalis et gubernatoris ipsius Societatis, ad sonum campanellæ, in quo interfuerunt Rectores locorum ipsius Societatis; videlicet ipse Fr. Bartholus, pater et Rector heremi S. Jeronymi, Arimineusis diœcesis etc., (*quorum nomina mox recitavi num.* 39) nemine eorum discrepante, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt C discretum virum, Fratrem Jacobum de Firmo supradictum, ejusdem Societatis consocium, præsentem, et onus sindicatus et procurationis sponte in se suscipientem et acceptantem, suum actorem, factorem, sindicum et legitimum procuratorem, revocando omnes alios suos procuratores, hactenus per ipsos Fratres constitutos, ad comparendum in Romana curia, et alibi ubicumque locorum, specialiter ad acceptandum et in dictam Societatem recipiendum loca duo, unum S. Honofri Montis Ventosi extra Romam, et locum situm Romæ in parochia S. Eustachii, quæ tenet Fr. Nicolaus de la Forca, ipsorumque locorum nomine dictæ Societatis corporalem et actualem possessionem, vel quasi intrandum, accipiendum et acquirendum, ipsaque loca regendum et gubernandum, Domino concedente...

pactisque conditionibus

42 *Omitto hic cetera, quæ ad procurationem Fratri Jacobo de Firmo in capitulo Ordinis sui Venetiis legitime datam pertinent, post quæ ita sequitur in eodem instrumento Romano.* Et præfati omnes (*nimirum* B. Nicolaus *cum prædictis sociis atque Jacobus de Firmo, Congregationis Pisanæ procurator*) sic congregati et coadunati in D dicta ecclesia seu capella S. Honofrii, ut supra, pro infrascriptis peragendis, et habitis inter se nonnullis colloquiis, pro sese et nominibus, quibus supra, fecerunt hinc inde unionem in dicta Societate; ita quod dicta Societas dicti Fratris Nicolai, et dicta Societas dicti quondam Fratris Petri de Pisis, et dictorum pauperum Heremitarum parrochiæ S. Raphaelis prædicti, sint unitæ et in unione consistant ad invicem; et sic omnes supposuerunt sese pro sese et nominibus prædictis sub obedientia dictarum Societatum. Et dictus Fr. Nicolaus pro se et dictis nominibus bona et loca dictorum Eremitarum, tam dicti loci S. Honofrii, quam dicti loci ipsius Fratris Nicolai regionis S. Eustachii; et sic e converso dictus Fr. Jacobus, procurator et sindicus prædictus, similiter fecit dictam unionem cum eisdem, ut supra, et dicta bona et loca dictæ suæ Societatis similiter posuit in dicta unione; ita quod omnia bona et loca dictorum Heremitarum et Societatum sint et esse debeant in unione prædicta.

se suaque omnia anno 1446

43 Promittentes dictæ partes ad invicem pro omnibus aliis de rato, ut supra dictum est et expressum; cum hoc, quod omnes prædicti de E dicta Societate quondam Fratris Petri de Pisis et dictorum Heremitarum pauperum parrochiæ S. Raphaelis debeant observare et observent omnia prædicta, per dictum Fr. Jacobum eorum nominibus, ut supra, promissa, et omnia, quæ dictæ partes promiserunt in unione prædicta, et stare ad obedientiam, ut dictum est. Aliter si contrarium fieret, quod hic contractus non valeat; nec teneat, nisi in quantum placeat Sanctissimo Domino nostro summo Pontifici, cujus declarationi et mandato dictæ partes sese pro sese et nominibus prædictis subjecerunt et subjiciunt, et stare voluerunt et volunt; quia sic actum et conventum extitit inter ipsas partes pro sese et nominibus, quibus supra. Quæ omnia dictæ partes pro sese et dictis nominibus semper attendere et observare, attendi et observari facere, ac rata et firma habere et haberi, et non contra facere, dicere vel venire aliqua ratione vel causa promiserunt, sub ypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum eorum et dictorum locorum et Societatum, mobilium et immobilium, præsentium et futurorum: F me notario infrascripto, ut publica persona, præsente et legitime stipulante, vice et nomine omnium prædictorum, et omnium aliorum, quorum nunc interest, vel in futurum poterit interesse.

prædictæ Congregationi sociant et subjiciunt.

44 Actum in ecclesia seu capella S. Honofrii Montis Ventosi supra descripta, præsentibus iis testibus, videlicet reverendo in Christo patre et domino, domino Matthæo, canonico Congregationis S. Georgii in Alga, Castellanæ diœcesis, cubiculario dicti Sanctissimi Domini nostri Papæ, et Raymundo Jacobi de Senis, Marcello Johannis de regione Parionis, ad prædicta vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Paulus Antonii de Muscianis, civis Romanus, Dei gratia imperiali auctoritate notarius publicus, quia prædictis omnibus et singulis, dum sic agerentur et fierent, una cum prænominatis testibus interfui et præsens fui; ideo ea scripsi et publicavi, et ad fidem omnium præmissorum signum meum apposui consuetum, rogatus de prædictis. *Hactenus instrumentum unionis, circa quod pauca observanda veniunt. In initio*

A *initio totius instrumenti apud me num. 38, Indictio nona recte componitur cum anno Christi 1446, die 8 Augusti; sed num. 40 Indictio octava conjungitur cum ejusdem anni mense Maio die 27, pro qua propterea* Indictio nona *substituenda videtur. Ex hoc posteriori loco etiam liquet, prædictam unionem in generali capitulo, anno 1446 Venetiis celebrata, decretam fuisse, non die 27 Junii, uti Saianellus ex memoriæ lapsu supra num. 37 dixerat, sed 27 Maii, sicut ipsemet deinde in Chronotaxi pag.* 311 *annotavit.*

Quæ ut rata sint, Eugenio IV supplicant.

45 *Mox vidimus, in eodem unionis contractu eam conditianem appositam fuisse, ut ratus non foret, nisi in quantum summo Pontifici placiturus esset. Itaque* ut firmius subsisteret (*inquit laudatus historicus Congregationis Pisanæ*) Apostolicam auctoritatem imploravit idem Nicolaus, ad cujus et sociorum preces Eugenius IV per bullam datam anno stilo bullarum 1446 (*ducto scilicet anni initio ab Incarnatione Domini, sive a die* 25 *Martii*) sed æræ vulgaris 1447, die 1 Januarii decrevit, " ipsos Nicolaum et socios, " illorumque oratoria, domos, eremitoria et " loca, in antea perpetuis futuris temporibus in
B " omnibus et per omnia pari modo et absque ulla " differentia dictæ Congregationis et Societa- " tis " (Fr. Petri de Pisis) " membra esse, et de " illa haberi, censeri et reputari etc. " Hæc bulla est in nostro Bullario ad annum citatum. *Hoc Bullarium non habemus; sed opportune eamdem bullam edidit Puccius in vita B. Petri Pisani, et ex hac Papebrochius noster in ejusdem Beati gestis; quia tamen ad* B. Nicolaum *potius spectat, quam ad Petrum, qui jam undecimo anno obierat, dum ista data est, postulat locus, ut eam hic recudamus.*

qui postulata probans,

46 Copiosa Apostolicæ Sedis benignitas devotarum nobis et Apostolicæ Sedi, præsertim eremiticam vitam sub studio piæ ac religiosæ paupertatis ducentium, personarum vota, per quæ divinus cultus intenditur, et æternæ salutis commodum procuratur, libenter exaudit, et, ut optatum sortiantur effectum, vigilantiæ suæ curas favorabiliter interponit. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Rectoris et universorum Congregationis vel Societatis pauperum Eremitarum quondam Petri de Pisis, ac Nicolai della Furca, illiusque
C sociorum pauperum Eremitarum, petitio continebat: ipsi Nicolaus et ejus tam in Urbe, quam aliis civitatibus et locis Italiæ consistentibus domibus, oratoriis atque locis, commorantes socii, pauperes Eremitæ, considerantes laudabilem famam et virtuosa exercitia apud Deum, quibus Rector et Eremitæ Societatis prædictæ laudabiliter commendantur; quodque eorum bonus odor in agro Domini multipliciter ad laudem Altissimi est diffusus; et attendentes, quod, si ipsi cum eorum oratoriis, domibus, eremitoriis atque bonis, Congregationis * vel societatis * hujusmodi perpetuo aggregarentur, unirentur et incorporarentur, exinde brevi tempore apud Deum et homines salubribus proficerent incrementis:

* Congregationi
* Societati

utramque societatem

47 Nos, qui cultus hujusmodi augmentum ac Religiosorum propagationem nostris præsertim temporibus vigere et augeri, intentis desideriis affectamus, directioni ac statui Eremitarum prædictorum providere volentes, sperantes quoque, quod exinde tam ipsi, quam eorum oratoria, domus, eremitoria atque loca plura in spiritualibus ac temporalibus utilitatem et commoda consequentur, ipsorum Rectoris Nicolai et Eremitarum in hac parte supplicationibus inclinati, Nicolaum et socios suos hujusmodi, omniaque et singula ipsorum oratoria, domus, eremitoria et loca ubilibet consistentia (quæ omnia, quæcunque, quotcunque et qualiacunque, et cujuscunque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus existant, præsentibus haberi volumus pro expressis) cum ipsorum rebus et bonis quibuscunque, Congregationi vel Societati hujusmodi ex certa scientia authoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum aggregamus, unimus, et incorporamus.

AUCTORE C. S.

perpetuo conjungit,

48 Decernentes, ipsos Nicolaum et ejus socios, illorumque oratoria, domus, eremitoria et loca, in antea perpetuis futuris temporibus in omnibus et per omnia pari modo absque ulla differentia dictæ Congregationis vel Societatis membra esse, et de illa haberi, censeri et reputari, necnon sub illius consuetudinibus, institutis, ordinationibus, privilegiis, regimine et gubernatione uniri, regi ac gubernari debere: necnon omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis et indultis, per Nos vel sedem prædictam Congregationi E
vel Societati, ipsorumque oratoriis, domibus, eremitoriis atque locis præfatis in specie seu genere sub quacunque verborum forma concessis, uti et gaudere posse pariter ac debere; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quacunque * quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 1466 Kalendis Januarii, Pontificatus anno 16.

* *al.* quocumque, *vel adde* persona

per Apostolicas littera datas

49 *Supra ex Saianello jam monui, initium anni more cancellariæ Romanæ in Bullis servato hic duci ab Incarnatione Domini, sive a die* 25 *Martii, ac propterea designari annum vulgaris æræ Christianæ* 1467. *Id ita esse, patet etiam ex adscripto anno Pontificatus Eugenii* decimo sexto: *cum enim Eugenius IV mense Martio anni* 1431 *Pontifex creatus fuerit, non nisi annum* 15 *Sedis suæ agebat kalendis Januarii vulgaris anni* 1446, *qui ab iisdem kalendis incepit. Papebrochius tom. III Junii pag.* 539 *et sequenti eamdem bullam recitans, in margine adscripsit an.* 1446, *qui in ipsa bulla legitur; nulla addita animad-*
F *versione. Helyotus vero tom. IV Historiæ Ordinum religiosorum etc. cap.* 2 *hæc ait:* Pater Papebrochius recenset integrum Breve, quod Eugenius IV Papa dari jussit pro utriusque Congregationis unione. Corrigendum tamen est in notis chronicis hujus Brevis, dati Kalendis Januarii 1466, anno 25 Pontificatus illius; cum ipse Pontifex factus sit die 3 Martii anni 1431, et Ecclesiam rexerit tantum annis quindecim: atque adeo non potuit tunc fuisse, nisi annus illius decimusquintus. *Ita Helyotus, sed verbis gallicis.*

anno vulgaris æræ 1447

50 *At nescio, ubi annum* 25 *Pontificatus Eugenii ibidem adscriptum apud Papebrochium legerit, qui loco citato easdem, quas ego, notas ac nominatim annum Pontificatus Eugenii decimum sextum clarissime exhibet. Frustra etiam monuit Helyotus, annum Pontificatus illius* 15 *adscribendum esse. Manifestum enim est, hasce Eugenii litteras datas esse post supra dicta unionis Acta, tum Veneta, tum Romana, pro quibus confirmandis petitæ ac concessæ fuerunt. Atqui tamen in utrisque Pontificatus Eugenii annus* 15 *cum anno Christi* 1446 *conjungitur, videlicet in Venetis cum mense*

AUCTORE C. S.

mense Maio in Romanis cum Augusto ejusdem anni. Non potest ergo laudatis litteris Eugenii ejusdem Pontificatus annus 15 adscribi, sed retinendus est annus 16, annus vero Christi 1446, qui ibidem apponitur, inchoandus est a die 25 Martii, ut censuit Saianellus, vel pro eodem reponendus annus 1447. Hujus porro anni Kalendis Januarii numerabat Eugenius Pontificatus sui annum 16, complendum die 3 Martii, ante quem die 23 Februarii vita functus est.

Non satis constat, quot eremitoria

51 *Quod attinet ad eremitaria domosque, quæ per hanc aggregationem B. Petri Pisani Societati addita fuere, Saianellus in Chronotaxi Ordinis sui ad annum* 1446 *annotavit sequentia:* Quatuor loca possidebat olim Nicolaus. Primum S. Onuphrii de Urbe in monte Janiculo, cujus membrum erat alterum eremitorium ad S. Salvatorem in regione S. Eustachii. Secundum S. Mariæ Gratiarum Neapolis. Tertium S. Mariæ de Ricorbolis prope Florentiam. Quartum S. Christinæ in Alpibus, pariter Florentinæ diœcesis. Duo priora ad nos devenerunt: de aliis duobus non est certum. De singulis tamen dicam tomo II. *Res admodum obscura est. In Actis Venetis procurationis Fratri de Firmo datæ superius num.* 41 *de duobus Romanis tantum mentio est, facta illi potestate* ad acceptandum et in dictam Societatem Pisanam recipiendum loca duo, unum S. Honofrii Montis Ventosi extra Romam, et locum situm Romæ in parochia S. Eustachii, quæ tenet Fr. Nicolaus de la Forca. B

ad Congregationem Pisanam

52 *In instrumento quoque Romano unionis num.* 42 Nicolaus *legitur tantum* bona et loca dictorum Eremitarum tam dicti loci S. Honofrii, quam dicti loci... regionis S. Eustachii, *Congregationi Pisanæ submisisse. Verum Saianellus hæc ibidem sic excepit:* Duo tantum loca enunciantur in hoc instrumento spectantia ad Fr. Nicolaum; sed per has voces Omnia bona et loca reputari debet unitus locus Neapolis, tum alia, si quæ tunc possidebat Nicolaus alibi loca. *Censuit igitur dumtaxat duo loca Romana nominatim exprimi; quia hæc præcipua erant, a quibus cetera pendebant. Huic expositioni omnino favet bulla Eugenii IV Pontificis, in qua num.* 46 *dicuntur* Nicolaus (*Furcensis*) et ejus tam in Urbe, quam aliis civitatibus et locis Italiæ consistentibus domibus, oratoriis atque locis commorantes socii pauperes Eremitæ *hanc unionem flagitasse. Numero autem 47 eorumdem votis consentiens Pontifex, illos omnes*, omniaque et singula ipsorum oratoria, domus, eremitoria et loca, ubilibet consistentia, quæ omnia... haberi *voluit* pro expressis, *sæpe dictæ Congregationi Pisanæ aggregavit.* C

tunc transierint præter Romana et Neapolitanum.

53 *Quin et Saianellus in Chronotaxi ad annum* 1449 *laudat instrumentum donationis factæ anno* 1450, *ex quo liquet, Neapolitanum S. Mariæ Gratiarum monasterium saltem jam eodem anno* 1450 *istius Congregationis fuisse, cum in eo instrumento dicantur Fr. Joannes de Urbino Rector et Fr. Paulus Quirinus procurator generalis ejusdem monasterii, fuisse constituti* per religiosum virum Fr. Ierunymum de civitate Chieti, etiam tunc generalem, et caput seu gubernatorem Congregationis et Societatis pauperum Heremitarum parochiæ S. Raphaelis de Venetiis. *De monasteriis S. Mariæ de Ricorbolis vel Ricolbolis, sanctæque Christinæ in Alpibus diœcesis Florentinæ et si nihil hujusmodi proferat, verisimillimum tamen est, hæc quoque, si tunc* B. Nicolao *etiam paruerint, cum eodem Societati Pisanæ addita fuisse.*

Beatus reliquum vitæ suæ Romæ superior exegit.

54 *Porro agebat tunc temporis* B. Nicolaus *annum vitæ suæ 97 vel circa, nam triennio post centenarius obiit. Ex tam gravi ætate verisimiliter præsagiebat venerabilis Senex, mortem sibi instare, reputabatque, non melius posse se suis subditis in posterum consulere, quam si eos Eremitis B. Petri de Pisis, quorum institutum haud multum a suo dissimile, ac virtutes perspecta habebat probabatque, tandem adjungeret, et ad id suo ipsemet exemplo adduceret. Ex hac autem unione factum est, ut ipse, qui sociorum suorum caput hactenus fuerat, Rectori generali Societatis Pisanæ subjiceretur. Retinuit tamen, quamdiu supervixit, regimen Romanæ domus S. Onuphrii, ac forte etiam alterius, quam in regione S. Eustachii sitam diximus. Id probat instrumentum factum anno* 1449, *die* 28 *Martii, in quo Robertus episcopus Volaterranus ex auctoritate Apostolica sibi commissa (vide supra num.* 34) *quamdam emptionem a Beato celebratam approbans, vocat illum* Honorabilem virum, dominum Nicolaum de Furca Palenæ presbyterum et... Principalem sociorum Eremitarum in alma urbe Romana commorantium. *Consentit ejusdem Beati inscriptio sepulcralis, anno* 1606 *in ecclesia S. Onuphrii posita, in qua de eodem legitur:* In hoc monasterio Prior obiit centenarius. *Puccius in vita B. Petri Gambacurtæ pag.* 178 *laudat quoddam instrumentum anni* 1451, *in quo tres præfatæ Congregationis Fratres, Jacobus de Firmo, Georgius de Patrasso et Hieronymus Maria de Dalmatia appellantur* de societate quondam Fr. Petri de Pisis et Fr. Nicolai de Furca. *Verum hæc appellatio certe non diu tenuit, neque* B. Nicolaus *umquam in ea Congregatione alio munere, quam prioris in suo monasterio Romano functus fuisse videtur.* D E

§ IV. Beati centenaria ætas; obitus cum fama sanctitatis et miraculorum, ac sepultura: prima ejusdem corporis elevatio e terra: cultus post inquisitionem sub Urbano VIII Papa factam perseverans. F

Obiit Beatus Romæ centenarius anno 1449.

Plura *de beati viri gestis non reperit Saianellus, qui ad ejusdem obitum, cultumque mox progreditur*, Vixit post hæc (*inquiens*), Nicolaus in Pisana Congregatione ad tres circiter annos, obiitque centenarius anno 1449; cujus rei testem habemus lapidem sepulcralem marmoreum, in quo annus emortualis legitur; tum Flavium Blondum, scriptorem coævum, qui in Italia illustrata Cap. Aprutium loquens de Furca Palenæ, Nicolai patria, hæc ait: « Ornatum » vero fuit Furca oppidum sancto ac celebris » famæ Nicolao Furcensi, qui proximo anno » (id est, 1449; nam Blondus hæc scribebat anno 1450) » apud urbem Romam centena- » rius est defunctus, miraculisque plurimis co- » ruscavit. » Dies vero illius obitus non est adeo certa. Puccius noster tribus in locis mortem hujus beati Viri consignavit diei 18 Novembris. Primo quidem in Vita Ms. B. Petri de Pisis, quæ est in bibliotheca nostra Rivensi, quam scripsit circa annum 1650. Secundo in Brevia-

rio

A rio historico Ms., edito anno 1659, quod in eadem bibliotheca servatur. Tertio in eodem Breviario historico Ms., ampliato et producto ad annum 1567, quod in bibliotheca Montisbelli legitur.

sed incerto die,

56 At vero in Vita ejusdem B. Petri typis vulgata anno 1566, pag. 183, diem 29 Septembris assignat. Hanc epocham primus vulgavit Æmilius de Matthæis, patritius Sulmonensis, in Vita ejusdem B. Nicolai, conscripta anno 1660; ac deinde sequuti sunt alii scriptores nostri, unde hæc opinio in Acta producta in sacra rituum Congregatione manavit. Huic secundæ opinioni obstare videtur, quod ego legi in quodam antiquo libello Ms. archivi S. Onuphrii de Urbe, ubi exaratæ sunt apochæ censuum vel canonum, qui solvebantur illo seculo a Fratribus dicti loci. Ibi enim pag. 2 ita legitur « In nomine Domini. Amen. Anno Domini 1449, die penultima mensis Septembris. Ego presbyter Antonius « (Jacobonus) » de Palumbaria » (est castrum in Sabinis) « rector ecclesiæ S. Joannis de Pinea, confiteor, me habuisse et manualiter recepisse a Fr. Nicolao de Furca, B paupere Heremita, pro annuo censu unius vineæ, positæ supra S. Spiritum, florenum unum; et ad cautelam sui hanc apodissam propria manu scripsi. » Deinde, nescio quo, adnotatum ibi fuit : « Infra hunc annum 1449 Fr. Nicolaus de Furca mortuus est. »

qui tamen 29 Septembris communius assignatur.

57 Illam apocham vidit certe Puccius, qui paulo ante eadem pagina notaverat, Fratrem Nicolaum Jacobelli de Core fuisse intimum et inter primos B. Nicolai socios. Unde itaque habuerit de Matthæis, B. Nicolaum obiisse die 29 Septembris, qua die rectori S. Joannis de Pinea numeravit florenum, quis divinet? Video, ænigmatis solutionem, quæ pro hac sententia afferri posset. Potuit nempe rector S. Joannis de Pinea manualiter recipere pecuniam a Nicolao Furcensi uno vel pluribus diebus ante 29 Septembris, et apocham signare, sub die 29. Potuit etiam eadem die recipere et signare, eademque die mori Nicolaus, centenaria ætate consumtus. Ego vero in re tam ambigua, in qua secum ipse pugnat Puccius, nolo quidquam definire. *Hactenus Saianellus; et recte. Nam etsi ista apochæ subscriptio utroque modo conciliari possit cum* B. Ni- C colai *morte diei* 29 *Septembris obita, incertum tamen manet, ex quo monumento Æmilius de Matthæis ejusdem mortem dii 29 Septembris affixerit; quo dubio stante, supervacanea est prædicta conciliatio. Contra quoque ipsa Puccii in signandis mense dieque emortualibus inconstantia satis indicat, ipsum inter utramque opinionem vacillasse, atque adeo destitutum fuisse solido argumento, quod alterutram certam faceret. Ego minor, diem obitus in ejusdem epitaphio desiderari.*

Obiit autem cum magna fama sanctitatis,

58 *Post hæc Saianellus de Beati sepultura hæc subdit :* Asserit auctor idem (*Puccius*) in Vita Ms., tum etiam de Matthæis, inhumatum sacrum corpus jacuisse ad tres dies, ut fieret satis votis confluentis populi, donec jussu Nicolai Pontificis (*hujus nominis V, qui mense Martio anni 1447 Eugenio IV successerat*) sepultum fuit, idque accepisse testatur ex antiquorum nostrorum traditione. Qualem sanctitatis famam adeptus sit Nicolaus tam ante quam post mortem, non uno argumento probatum habemus, multo plura habituri, nisi obstaret Majorum nostrorum indiligentia. Primum suppeditat Flavius Blondus verbis supra relatis, quibus Nicolaum appellat SANCTUM AC CELEBRIS FAMÆ, QUI MIRACULIS PLURIMIS CORUSCAVIT. Sane non video, quid amplius dici possit de alio sanctissimo viro, publica apotheosi * digno vel donato. Porro Flavius scribebat Romæ, scribebat de Viro Romæ notissimo, qui vix obierat; scribebat de MIRACULIS PLURIMIS, quæ nuper contigerant. Erat Blondus Romæ cognitus, utpote secretarius Brevium Eugenii IV nuper defuncti; erat eruditione celebris. Potuitne ergo aut voluit fucum facere Romanæ curiæ ac civibus et toti mundo, scribendo de Nicolao, SANCTO AC CELEBRIS FAMÆ EREMITA..... QUI PLURIMIS MIRACULIS CORUSCAVIT; nisi res ita se haberet?

AUCTORE C. S.

** i. e. canonizatione*

ac sepultus est ad S. Onuphrium, clarus miraculis,

59 Alterum argumentum præbet lapis sepulcralis marmoreus, qui positus fuit supra ejus tumulum ipso tempore depositionis ejus, ubi legitur in fronte : DIVO NICOLAO EREMITÆ B. M. 1449. In gyro vero lapidis sequens metricum legitur epitaphium, quod est etiam apud Puccium, Bosellum et alios. *Ego tum mox datam inscriptionem, tum additum epitaphium metricum, quia non satis accurate reddita sunt a Saianello, ex ipsius lapidis sepulcralis icone, ab eodem Saianello ibidem prelo edita, claritatis ergo recensebo, deinde ipsam iconem, prout hanc chalcographus noster imitatus* E *est, subjecturus. Sic igitur habet, litteris ob angustias spatii hinc inde invicem implexis.*

Divo Nicolao heremitæ B. M. 1449.

Hoc tumulo æternum, pater o Nicolae, quiescis,
Urbs quem Roma tenet, Furcæ genuere Palenæ.
Tu sanas morbos, cædente * Macaonis arte.
O pietas! o sancta fides! o munera Christi!
Denique Janiculo meritis defendit heremum
Ipse tuis placido nunc sanctus Onofrius ore.

** cedente*

ut testatur etiam ejusdem epitaphium,

60 Placet autem (*ita progreditur idem historicus*) exhibere hunc lapidem ære impressum, ut appareat tum figura ejusdem Nicolai ad vivum expressa, tum forma habitus nostri illa ætate.



F

61 Lapis iste sepulcralis expositus est Romæ sub oculis, ut ita dicam, summi Pontificis, tota Roma inspectante.

AUCTORE C. S.

quod hodieque Romæ exstat; quapropter

inspectante, adeoque non inscio certe supremo Ecclesiæ capite, vel ejus in Urbe vicario. Nisi miracula fuissent plurima, (ut inquit Blondus) ac notissima, mansissetne lapis ille intactus per tria secula? Addere placet, me audivisse a Majoribus nostris, qui ante centum annos vivebant, hoc epitaphium dictasse Nicolaum V summum Pontificem. *Quidquid sit de auctore hujus epitaphii, ex testimonio Blondi certum est*, Nicolaum *jam inde a proximo post ejus obitum anno* plurimis miraculis *celebrem fuisse, ac propterea nihil obstare, quo minus credamus, idem epitaphium, si non ipso depositionis sive humationis tempore, saltem non multo post in eodem sepulcrali saxo incisum fuisse. Pergo cum eodem historico cetera, quæ ad ejusdem sacri corporis sepulturam, elevationesque pertinent, exponere.* Depositum fuit ejus sacrum corpus in ipsa ecclesia S. Onufrii, quam erexerat: et quidem ante altare; ibidem jacuit in fictili arca, quam tegebat prædictus lapis, per annos circiter centum quinquaginta sex. Humilitas loci, in quo jacebat, nihil prorsus imminuit populi Romani devotionem ac venerationem; sed continua gratiarum dona, quæ fideles reportabant, illam augebant in dies. B

sacrum corpus ejus cum licentia sacræ rituum Congregationis

62 Placuit proinde Romani cœnobii Rectori, piissimo viro Ludovico Guiduccio, illud in decentiori loco collocare; quod tamen exsequi noluit, sacra rituum Congregatione inconsulta. Supplicationem a Rectore porrectam non habemus, neque decretum emanatum: perierunt enim illius ætatis Acta. Id autem constat ex Regestis ejusdem sacræ Congregationis sub die quinta decima Aprilis 1606, negotium illud fuisse remissum Cardinali Dominico Tusco titulari in hæc verba: « Ad illustrissimum dominum titularem, dummodo non sub altari. » Vide nostrum Bullarium. *Permissa ergo fuit a sacra rituum Congregatione* Nicolai *corporis e terra sublatio atque in quemlibet decentiorem ecclesiæ locum translatio, modo illud non poneretur sub altari.* Hæc impetrata facultate, Rector Guiduccius loculum parari curavit in pariete ad dextrum latus ejusdem altaris. Die vero 23 Maii, amoto lapide sepulcrali, extracta est arca fictilis, in qua erant ossa et cineres, eademque arca cum ossibus et cineribus, nihil imminutis aut immutatis, reposita est in loco ad hoc parato.

anno 1606 e terra levatur et supra eam C

63 Supra arcam pro tegumento adhibitæ fuere tres magnæ tegulæ, quibus olim tegebatur Vaticana basilica (nempe pars antiqua, quæ erat tunc temporis, et quæ illo ipso anno diruta fuit sub Paulo V, cum novam basilicam amplificare cœpit) prout in una ex illis legebatur. Lapis porro sepulcralis marmoreus collocatus fuit extra ecclesiæ januam, ubi ad hæc usque tempora cernitur. De prima hac translatione instrumentum conditum fuit in curia Cardinalis vicarii sub die 9 Junii ejusdem anni 1606, quod est in Summario Actorum pro canonizatione num. 2; *apud ipsum pagina* 249 *et sequenti. Sed præstat oculatum rei gestæ testem hic producere ex vita ejusdem Beati, a Joanne Anselmo Trachsesio transcripta, ibidemque laudata pag.* 256, *ex qua excerpsi sequentia.* Nunc vero ad ea nostra convertenda est oratio, quæ gesta sunt in divi Nicolai translatione, cujus nos testes fuimus, et oculis nostris perspeximus, ac manus nostræ contrectaverunt: quod ergo vidimus, annunciamus vobis.

64 Anno Salutis 1606, Congregationis B. Petri Pisis Fratre Seraphino Mazzolio summo antistite, D Fr. Ludovicus Guiduccius, conventus S. Honuphrii Prior, vir summa veneratione ab omnibus cultus, et in ecclesiasticis rebus solertissimus... sacris indutus vestibus, collucentibus hinc inde accensis facibus, sumpto bidente, primus omnium summa pietate extitit effossor. Mox superpositus marmoreus lapis ablatus est, fictilisque capsa invenitur tegulis pariter operculata fictilibus. Solerti postmodum cura ac maxima cum reverentia præfata elevatur capsa, amotoque operculo, reliquias omnibus datum est videre, tangere ac venerari etc. Interim sericis velis arcæ superpositis, sacras reliquias, ne tangerentur, occuluit. Mox instar altaris constituitur tumulus, juxta situm, in quo diu jacuerat, ac satis commode marmoreis lapidibus exornatur. Ubi autem dies 23 Maii ejusdem anni 1606 advenit, jam absoluto sepulcro, præfatus Prior solemni ritu veterem arcam illam, quæ S. Nicolai corpus continebat, tegulis recentioribus contectam, infractam, immutatamque in extructo sepulcro honorifico collocavit.

in honoratiori loco in modum altaris exornato

65 In quo plumbea quoque cotula, Sanctorum fœta reliquiis eodem tempore composita est cum sequenti inscriptione, marmore incisa:

simul cum aliis sacris reliquiis, solemniter reponitur.

Divo Nicolao ex Pelignorum oppido Furca
Eremitæ sanctitate et miraculis insigni, E
Qui in hoc monasterio Prior obiit centenarius
Anno 1449.
Ejus corpus ex humili in decentiorem locum, sacra S. R. E. Cardinalium Congregatione, Ecclesiasticis Ritibus præposita approbante, Prior et Fratres
Transtulerunt anno Christi 1606.
Reconditæ et hoc loco plurimorum reliquiæ Sanctorum.

Notarius in instrumento, quod num. 63 *laudatum est, docet, reliquias hasce fuisse* Martini martyris, SS. quadraginta martyrum, plurimorum martyrum ex cœmeterio S. Priscillæ, et ex cœmeterio ad Cathecumbas: rursus Agabiti martyris, Sixti martyris, Donati martyris, Vitalis martyris, Thadei martyris, Leutii martyris, et aliorum martyrum, quorum nomina ignoramus. *Observa vero paucis, novum illum loculum supra humum in muro elaboratum*, instar altaris *quidem factum fuisse, sed non altare proprie dictum. Cautum enim fuerat a sacra rituum Congregatione, ne Beati corpus* sub altari, *adeoque nec super altare collocaretur: quam ob rem, dum idem tumulus infra appellatur* altare, *secundum prædicta eam vocem oportet interpretari.* F

Sub Urbano VIII Papa de hoc cultu interpellati.

66 *Hactenus omnia pro B.* Nicolai *cultu Romæ feliciter processerant, cum annis circiter viginti duobus post ob decreta Urbani VIII summi Pontificis, circa Sanctorum Beatorumque venerationem edita. Patres Hieronymiani apud S. Onuphrium degentes de eodem rationem reddere compulsi sunt. Saianellum rursus audiamus.* Anno deinde 1628 non levis quæstio mota fuit a visitatoribus Apostolicis, deputatis ab Urbano VIII pro ecclesiis Urbis. Etenim sub die 21 Januarii, die Veneris, pro ecclesia S. Onuphrii inter alia decreta hoc statuerunt: « Ostendant Patres infra » octo (dies) decretum sacræ Congregationis » super ritibus ecclesiasticis super veneratione » piæ memoriæ Nicolai de Furca Palenæ. « Responderunt autem Patres in hunc modum: « Sacram Congregationem rituum de anno 1606 » negotium hoc imposuisse illustrissimo Cardi» nali Tusco, ejusdem ecclesiæ titulari, qui, visis videndis,

A » videndis, et servatis servandis, corpus beati » Viri transtulit de loco nimis humili in decentiorem; prout clare patet ex notula facta per » quondam rev. Patrem Ludovicum Guiduccium, hujus cœnobii tunc temporis Priorem, » quæ quidem ejusdem Patris manu in libro dati » et accepti descripta apparet fol. 204 a tergo, » tenoris etc. »

Hieronymiani libellum supplicem seu responsum

67 *Sequitur hic laudati prioris annotatio Italica, quam latine reddo.* « Expensæ mensis Decembris anni 1606. Confeci computum omnium » expensarum, factarum pro corpore B. Nicolai e terra ante altare S. Onuphrii elevando, » ponendoque, ubi nunc est cum omni suo » ornatu; et comperi, impensa fuisse quadraginta scutata et baiocos viginti quinque: quod » factum est cum licentia sacræ rituum Congregationis, quæ illustrissimum dominum Cardinalem Tuscum, titularem nostrum, ad hanc » rem deputavit. Inter has expensas venit etiam » ea, quæ facta fuit pro lapide (sepulcrali scilicet) inferendo parieti extra ecclesiam, ad » dexteram ingredientibus, qui fuit supra Beati » corpus, dum sub humo jacuit: quod corpus » est in eadem arca fictili, in qua infossum fuit B » terræ, quæque inde integra elevata fuit, atque » ita etiam nunc est *etc.* » *Post hanc Guiduccii annotationem italice relatam, latine sic pergunt in suo responso laudati Patres Hieronymiani:* « Et » si magis placet illustrissimis dominis, poterunt » requiri et examinari nonnulli Fratres adhuc superstites, qui tunc temporis in præfato monasterio degebant, videlicet etc. Et interim non » dedignentur illustrissimi domini hic breviter » notata inspicere. »

visitatoribus Apostolicis exhibent;

68 *Tum subdunt prædictum* B. Nicolai *epitaphium et testimonia Flavii Blondi atque Leandri Alberti, quæ jam dedi, necnon Sylvestri Maruli, qui in Mari Oceano omnium Religionum, eumdem* Beati *titulo elogioque honoravit; ac denique libellum suum sic concludunt:* « Quibus sanctitatis relationibus si addatur declaratio facta » in generali Congregatione S. Romanæ Ecclesiæ et universalis Inquisitionis, habita coram » Sanctissimo Domino nostro, Domino Urbano » Papa VIII, die 2 Octobris 1625, tenoris etc., » declarans, quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, » qui aut per communem Ecclesiæ consensum, C » vel immemorabilem temporis cursum, aut » per Patrum virorumque sanctorum scripta, » vel longissimi temporis scientia vel tolerantia » Sedis Apostolicæ vel ordinarii, coluntur: procul dubio illustrissimi domini mei, eumdem » beatum Virum merito præfatis translatione et » locu decoratum fuisse, censebunt; et eo magis, quia idem Sanctissimus Dominus N. Urbanus VIII, cum esset ecclesiæ titularis post illustrissimum Tuscum, millies invisit venerabile » depositum, milliesque in proximo S. Onuphrii sacello consecravit. »

cultusque perseveravit.

69 *Optatum finem hic libellus supplex seu responsio Patrum Hieronymianorum habuit; nam teste eorumdem laudato historico,* visitatores Apostolici contra hæc nihil decreverunt aut reposuerunt: quare in eodem decenti loco mansit venerabile corpus Nicolai. Decretum autem Sac. Rit. Congregationis sicut tunc temporis non habebant ad manus, nec invenerunt Patres S. Onuphrii, quod ostenderent visitatoribus; ita ac multo minus post annos centum invenire datum fuit, quando causa canonizationis proposita fuit, ut dicemus.

§ V. Solemnis sacri corporis ad altare majus translatio, sæculo 18 facta: alia quædam ad cultum ejus Romanum spectantia.

Aucta Beati veneratione apud Romanos,

P*ost prædictum visitatorum Apostolicorum sub Urbano VIII summo Pontifice postulationem, responsumque a Patribus Hieronymianis S. Onuphrii datum, non modo non diminuta fuit* B. Nicolai *veneratio, verum etiam aucta fuit cum in ipsius patria in Pelignis sive in Aprutio Citeriori, ubi eodem sæculo a Pulenensibus electus patronus est; tum Romæ in ecclesia S. Onuphrii, intra quam illius corpus e terra, ut dictum est, elevatum permansit, et in suo apud fideles honore perstitit, donec tandem sequenti sæculo etiam honorabilius sub ara majori ejusdem ecclesiæ (quod anno* 1606 *a sacra rituum Congregatione vetitum fuerat) solemniter collocatum est. Ordiar ab elevatione, licet tempore posterior sit, ut absolutis, quæ ad cultum Romæ illi exhibitum pertinent, de eo, quem in sua patria obtinuit, non interrupto sermone exponam. Ducem denuo hic habeamus Saianellum, qui servato temporis ordine, Paleaeasiæ interseruit Romanis, ac deinde ad Romana regressus, sic prosecutus est.* E

corpus ejus denuo transfertur.

71 Sequenti sæculo (*videlicet* 18) novam translationem meditati sunt Patres S. Onuphrii. E veteri conditorio seu arca fictili extracta sunt ossa et cineres die 12 Maji anno 1712 coram Dominico de Zaulis, archiepiscopo Theodosiæ et almæ Urbis vicesgerente. Quæ sacra lipsana tradita fuere equiti Francisco Antonio Pellegrino Villæ Reali, ut ea in urna marmorea rite reponeret. Die 21 Junii urna ad S. Onuphrium reportata, die 12 Decembris sub ara majori collocata fuit. Hæc secundæ translationis solemnitas celebrata fuit, præsente eodem Dominico de Zaulis, qui tunc temporis erat assessor S. Officii, cum nuper in vicesgerentis munere illi successisset Nicolaus Caracciolus (postea S. R. E. Cardinalis.) Id adnotare opus fuit ad tollendam obscuritatem a recentioribus scriptoribus vitæ B. Petri de Pisis, quos dissentiri mihi, quispiam putabit, dum vicesgerente Caracciolo id contigisse, fideliter scribunt; cum tamen non ipso præsente, sed de Zaulis, B. Nicolai ossa translata fuerint, quidquid Bonuccius in oppositum scribat in vita B. Petri cap. 10. In eo autem S. Onuphrii sacelli loco, ubi huc usque B. Nicolai corpus jacuerat, legitur hæc epigraphe: F « Hic recondita asservatur fictilis arca, in qua » tria fere per secula divi Nicolai Furcensis » corpus requievit, donec ejusdem ossa in urna » sub ara majori collocata fuerunt die 12 Decembris 1712. »

In hunc finem anno 1712, die 28 Maii

72 *De hisce omnibus confectum fuit instrumentum publicum, cujus exemplar a Philippo de Amicis, Eminentissimi Cardinalis, almæ Urbis vicarii, notario descriptum anno 1742, ibidem excusum legitur in causa Canonizationis pag.* 253 *et sequenti, quod ad illustranda mox dicta visum est etiam hic recensere.* Præsenti publico instrumento

AUCTORE C. S.

mento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno ab ejusdem Domini nostri Jesu Christi salutifera nativitate millesimo septingentesimo decimosecundo, Indictione 5, die vero 28 Maji, Pontificatus autem Sanctissimi in eodem Christo Patris et Domini nostri Clementis, divina providentia Papæ XI, anno ejus decimo secundo, illustrissimus et reverendissimus D. Dominicus do Zaulis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Theodosiæ, Eminentissimi et reverendissimi domini, almæ Urbis Cardinalis vicarii vicesgerens et accessit una mecum notario, se * contulit ad dictam ven. ecclesiam S. Honuphrii, et signanter ad capellam dicti Sancti, existentis * primo loco manu dextera in ingressu dictæ ven. ecclesiæ, in qua a cornu Evangelii altaris S. Honuphrii adest altare beati Nicolai Furcensis Palenæ, cum ipsius Beati imagine, ad effectum recognoscendi dictum altare beati Nicolai; quod repertum fuit eodem modo et forma, prout alias et sub die 18 Martii 1647 fuit per Acta mei etc. descriptum.

* seque

* existentem

sacra ejus ossa in aliam thecam interim reposita

73 Deindeque de ordine et mandato dicti illustrissimi et reverendissimi D. vicesgerentis dictum altare fuit per fabros murarios devastatum, B intus quod reperta fuit quædam capsa terrea, tribus cum lapidibus pariter terrenis cooperta, in qua inventum fuit corpus dicti beati Nicolai, nempe ossa fracta, majorem partem quorum in pulverem redacta; et postea dicta ossa et pulveres fuerunt a dicta capsa terrea, in qua extabant, in alia capsa albutii, altitudinis unius palmi circiter, et longitudinis tamen quinque, cooperta cum tegmine ejusdem lignaminis, reposita, et cum stringa albi coloris alligata, et per illustrissimum et reverendissimum dominum vicesgerentem tribus in locis cera hispanica munita, et sigillata cum sigillo dominationis suæ illustrissimæ; dictaque capsa pro nunc fuit in magno abaco in sacrario dictæ venerabilis ecclesiæ reposita, et ita etc. Actum Romæ in dicta venerabili ecclesia S. Hunuphrii juxta etc., præsentibus etc.

et in sacrarium illata fuere

74 *Hactenus instrumentum primum, seu prima pars instrumentorum, quæ laudatus notarius Philippus de Amicis nonnihil contracta in unum exemplar compegit. Observandum est, diem, quo capsa fictilis,* B. Nicolai *ossa continens, detecta,* C *ossaque cum cineribus inde in aliam arcam deposita et sic in sacrarium interim illata fuere, hic dici, fuisse diem* 28 Maji; *quam ob rem, cum Saianellus supra scribat, hæc die* 12 *ejusdem mensis contigisse, oportet alterutro loco mendum cubare; sed diem* 28 *retinendam esse, patebit ex sequentibus. Observa secundo,* altare, *quod ad extrahenda eadem sacra ossa devastatum sive destructum dicitur, non fuisse proprie dictum altare celebrando sacrosanctæ Missæ sacrificio consecratum; sed ornatum* instar altaris, *uti num.* 64 *monui. Nota etiam, in prædicta arca fictili non fuisse tunc omnia ossa* B. Nicolai; *quia infra videbimus, jam inde ab anno* 1647 os unum femoris *ex eadem extractum et Palenensibus dono datum fuisse. Porro quid sit* albutium, *ex quo theca numero præcedenti constitisse dicitur, nequeo determinare, sed materiam ligneam fuisse colligere licet ex eo, quod mox subdutur, ejusdem thecæ* tegmen ejusdem lignaminis *fuisse:* lignamen *enim vox corruptæ Latinitatis a* ligno *derivata videtur.* Stringam *denique ibidem pro vinculo, a verbo* stringere *deductam, usurpari existimo.*

75 *Hisce observatis, accipe instrumentum secundum, sive secundam partem collectionis per* D *Philippum de Amicis notarium factæ.* Die vigesima prima Junii, eisdem anno, Indictione et Pontificatu, quibus supra. In mei etc. Illustrissimus et reverendissimus D. Dominicus de Zaulis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Theodosiæ, Eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis almæ Urbis vicarii vicesgerens, mihi etc. cognitus, sponte etc., ac alias etc., tradidit et consignavit illustrissimo D. equiti Francisco Antonio Pellegrino Villa Reali, fil. bon. mem. Antonii, Romano, præsenti capsulam clausam, et sigillatam, et in eodem modo et forma, prout alias et sub die 28 Maji proxime præteriti per me etc. descriptam, in qua asservantur ossa et pulveres beati Nicolai Furcæ Palenæ, ad effectum tamen illa et illas * in propriam domum asportandi, ibique capsam prædictam disigillandi, et in urna aptandi. Quæ et quas * dictus illustrissimus D. eques pia devotione ductus, et ob particularem devotionem, qua prosecutus fuit et prosequitur dictum beatum Nicolaum, acceptavit et acceptat, et medio juramento, tacta Cruce, more etc., promisit, dicta ossa et pulveres dicti Beati integre aptandi in dicta urna, et completa E dicta aptatione, in dicta urna reportare ad dictam ven. ecclesiam S. Honuphrii, alias etc., de quibus etc. Actum Romæ in sacristia dictæ ven. ecclesiæ S Honuphrii Urbis, juxta etc., ibidem præsentibus etc.

die vero 21 Junii tradita sunt illustri ac pio viro,

* illos

* quos

76 *Sequitur instrumentum tertium, sive pars tertia Translationis.* Die vigesima quinta Octobris, eisdem anno, Indictione et Pontificatu, quibus supra. Cum fuerit et sit, prout mihi notario asseritur, quod alias et sub die 28 Maji proxime præteriti ad instantiam RR. PP. venerabilis conventus S. Honuphrii de Urbe, ordinis beati Petri de Pisis, coram illustrissimo et reverendissimo domino vicesgerente fuerit recognitum altare beati Nicolai Furcæ Palenæ, et respective dictum altare de ordine ejusdem reverendissimi domini vicesgerentis devastatum fuit, in quo fuerit repertum corpus D. beati Nicolai, valde consumptum et fere in pulverem redactum, in quadam capsa terrea cocta, et commutatum in alteram capsam ligneam, tribus in partibus sigillatam, et collocatum fuerit in sacrario dictæ ven. ecclesiæ, prout in instrumento sub prædicta die per Acta mei etc. rogat. ad quod etc. F usque * etiam quod alias et sub die 21 Junii proxime præteriti pariter ad instantiam et requisitionem dictorum RR. PP. per illustrissimum et reverendissimum vicesgerentem dictam capsam, ut supra sigillatam, consignatam fuisse illustrissimo D. equiti Francisco Antonio Pellegrino Villa Reali, ad effectum ossa dicti Beati collocandi et aptandi in quadam urna, qui pia devotione ductus dictam capsam, in qua extabant dicta ossa et pulveres dicti Beati, recepit, et in ordinem disponere et in dicta urna se integre collocare, solemniter obligavit, et postea restituere dictis RR. Patribus.

ut ea in arca cupressina inaurata componeret.

* an atque?

77 Cumque ad præsens dicta ossa in dicta urna aptaverit, et volens modo ad restitutionem devenire, et quietantiam reportare; et ut de prædictis et infra dicendis veritas semper appareat; hinc igitur est, quod in mei etc., coram supradicto illustrissimo et reverendissimo D. Dominico de Zaulis, Dei et apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus * Theodosiæ, Eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis, almæ Urbis vicarii vicesgerenti, præsens et personaliter constitutus

et ab hoc sic splendide composita die 25 Octobris

* archiepiscopo

A constitutus admodum R. P. Frater Paulus Andrellinus, prior ven. conventus S. Honuphrii Urbis, Ordinis beati Petri de Pisis, mihi etc. cognitus, sponte etc., ac alias omni etc., habuit et recepit ab illustrissimo D. equite Antonio Pellegrino Villa Reali urna * cupressus inaurati *, latitudinis..... (*hic aliquid excidit*) palmorum circiter, cum cristallo antea, in qua collucata et aptata sunt ossa dicti beati Nicolai, decenter ornata cum recamo rosarum (*id est*, inter rosas acu pictas) ad effectum collocandi in altari majori dictæ ven. ecclesiæ S. Honuphrii, et per dictum illustrissimum et reverendissimum dominum vicesgerentem quatuor in partibus dictæ urnæ munita et sigillata proprio ejus solito sigillo...., deque ea et ossibus dicti Beati in ea, ut supra, collocatis et dispositis in forma dictum D. equitem quietavit, et jam per pactum etc.

* urnam * inauratæ

fideliter reddita Patribus ad S. Onuphrium.

78 Insuperque dictus D. eques dixit et declaravit, penes se remanere parum cineris ossium dicti Beati ad effectum illa reducendi in numismata, et postea restituere et consignare dicto rev. Patri priori, non solum etc., sed et omni etc., et sic tacto pectore et Cruce, respectivo jurant etc., super quibus etc. Actum Romæ domi B D. illustrissimi equitis præsentibus etc. *Subditur denique et quartum instrumentum, quod sic habet :* Die undecima Decembris ejusdem anni, Indictione, quibus supra. Requisitus ego notarius publicus infrascriptus pro parte et ad instantiam reverendissimi Patris Josephi Antonii Georgii, prioris generalis totius præfati Ordinis, accessi meque personaliter contuli ad dictam ven. ecclesiam S. Honuphrii, ad effectum describendi altare majus dictæ ven. ecclesiæ, in quo collocari debet urna cupressus inaurati, ac sigillo illustrissimi et reverendissimi D. de Zaulis vicesgerentis quatuor in partibus munita, in qua asservantur ossa beati Nicolai Furcæ Palenæ; quo perventus, coram infrascriptis testibus descripsi, quod infra.

qui eadem in pretiosa tumba altaris majoris

79 *Ex descriptione italica ibidem data sufficiat pauca retulisse. Dicitur ara in modum tumbæ ad recipiendam urnam sepulcralem facta e marmore, quod* Viride antiquum *appellant, opere anaglyphico, aliisque pretioso marmore et auratura splendide exornata. In fronte vero habere fenestellam* C *marmori incisam, quæ ostiolo ex ære inaurato clauditur. Intra hanc tumbam ex adverso fenestellæ collocanda erat arca cupressina, tres palmos circiter longa, totidemque lata, auro decorata et a quatuor lateribus sigillo sæpe dicti illustrissimi ac reverendissimi domini de Zaulis munita, in qua* B. Nicolai *ossa inter rosas acu pictas et per præfixum crystallum spectabilia, composita erant. Aderat etiam in pariete apposita hæc inscriptio :* D. Nicolaus O. B. Petri de Pisis. A. D. 1712. *Post hæc notarius instrumentum claudit, ac demum notarius alter, qui prædicta collegit, iisdem fidem facit his verbis :* Et quia bon. mem. Joannes Dominicus de Rubeis, olim causarum curiæ Eminentissimi et reverendissimi D., Urbis Cardinalis vicarii notarius, de præmissis rogatus extitit; ego Philippus de Amicis, ejusdem curiæ notarius, et in dicto de Rubeis officio successor, præsens instrumentum ad requisitionem et instantiam reverendissimi Patris Honorii Viviani, procuratoris generalis in ven. Conventu S. Honuphrii de Urbe, Congregationis beati Petri de Pisis, extraxi ex suo proprio originali, ac publicavi requisitus etc. Datum 2 Aprilis 1742.

AUCTORE C. S.

die 12 Decembris solemniter collocarunt.

80 *Ex prædictis rursum emendanda est (quantum apparet) Saianelli narratio, secundum quam num. 71 B.* Nicolai *ossa, jam in urna sua composita, ab illustrissimo domino equite Francisco Antonio Pellegrino Villa Reali ad S. Onuphrii conventum reportata fuere die 21 Junii. Nam in instrumentis mox recensitis, sacra illa ossa cineresque prælaudato pio equiti tradito quidem fuere dicto die 21 Junii, ut ea, non in urna marmorea, sed in cupressina inaurata reponeret, sed ab eodem non reddita, nisi die 25 Octobris. De ipsæ sacri illius thesauri sub ara majori depositione, quam Saianellus die 12 Decembris factam ait, instrumentum publicum non reperi; attamen depositio illa indubitata est, eaque in actis pro canonizatione illius coram sacra rituum Congregatione ibidem pag. 248 affirmatur his verbis :* Exstructa deinde in dicta ecclesia S. Honuphrii nova ara maxima de anno 1712, reverendissimus Zauli vicesgerens facultatem Patribus Ordinis concessit transferendi corpus B. Nicolai, illudque collocandi sub illa ara maxima noviter constructa, quod ipso præsente mandante, ac publico notario solemnem actum rogante, factum est : ibique ad hæc usque tempora (*id est, usque ad annum* 1747) publicæ fidelium venerationi expositum cum lampade jugiter accensa servatur, et maxima omnium devotione recolitur. E

Alia quædam de ejusdem cultu Romæ.

81 *Hæc aliaque ad cultum Romæ eidem præstitum spectantia § 7 confirmabuntur ex litteris virorum principum pro ejusdem canonizatione impetranda Benedicto XIV Pontifici Maximo oblatis. Pauca tamen hic etiam addo. In Summario ejusdem causæ pag. 265 et sequenti testati sunt anno 1744 in Romano S. Onuphrii conventu visam a se esse* B. Nicolai *effigiem in muro depictam, insigni splendore seu radiis circa caput ornatam et per crystallum uniuś circiter palmi conspicuam, quam circa finem sæculi 15, in cujus medio obiit, depictam videri affirmant. Addunt, sequentem inscriptionem (quam tamen recentiorem esse, apparet) supra ejusdem caput legi :* Antiqua et vera effigies divi Nicolai, hujus monasterii fundatoris anno 1434. *Præmittitur ibidem pag. 248, num. 27 :* De superiorum licentia anno 1640 fuit ære incisa et populo palam distributa imago radiata nostri beati Nicolai cum hac inscriptione : B. Nicolaus ex oppido Furcæ Palenæ, diœcesis Sulmonensis, Ordinis Eremitarum S. Hieronymi F propagator, qui anno 1446, ætatis suæ 97 monasterium S. Honuphrii Romæ fundavit, ubi et centenarius obiit.

et de miraculis observatio.

82 *Denique consentiunt omnes, illum miraculis Romæ claruisse, et per hæc cultum ejusdem ibidem cœptum, alitum auctumque fuisse, peculiaria tamen a nomine relata legi præter incendia Romæ extincta vel inhibita, de quibus Bonaccelolus in iisdem actis pag. 257 relatus, circa finem sæculi 17 hæc scripsit :* Pia eademque vetus traditio est, quæ pluribus etiam picturis eam exprimentibus jamdudum invaluit, B. Nicolaum ter ab incendio Romam liberasse; quod facile crediderim : cum enim Flavius Blondus eorum temporum celebris et superstes auctor scriptum reliquerit : « Miraculis plurimis coruscavit; » quoniam ea non recenset, hoc inter illa plurima patratum fuisse, satis credibile videtur. *Eadem apud alios quoque legere est; sed nemo explicat, an ista, beato vivente, an jam mortuo, contigerint. Ceterum nusquam ullum verbum reperi de ejusdem officio, missa vel festo Romæ celebrari solitis,*

AUCTORE C. S.

solitis, ut hoc cultus genere ibidem nondum honorari videatur.

§ VI. Beatus a Palenensibus Patronus electus, approbante ordinario : cultus ejus ibidem illius reliquiæ a Romanis obtentæ et Palenam translatæ : aliquæ etiam honoratæ in Sulmonensi monasterio S. Claræ : cultus ejusdem alibi.

Palenenses in Aprutio Citeriori

Haud *parum celebrior est* B. Nicolai *cultus apud populares suos in oppido Palenæ, quod Aprutii Citerioris in regno Neapolitano esse dixi, et cujus situm dedi num.* 9 *et* 10. *Saianellus de hoc argumento sic loquitur :* Crescebat in dies Nicolai fama, qua permoti Palenæ populi (oppidum Furcæ non longo a Palena dirutum fuit tempore Ferdinandi II regis Neapolis, id est, ante B linem seculi quintidecimi, et Furcenses Palenam transmigrarunt) die quartadecima Martii anno 1638 eum in protectorem suum unanimi consensu et voce elegerunt, cum obligatione celebrandi ejus festum, cui electioni, et deputationi diei quartædecimæ Martii pro festo, ordinarius Sulmonensis authoritatem suam interposuit ordinariam die 25 ejusdem mensis et anni. *Extant cum hujus electionis a Palenensibus factæ, tum libelli ad his propterea Sulmonensi episcopo vel ejusdem vicario oblati, tum denique hujus consensus authentica instrumenta italice conscripta, quæ ex archivo S. Onuphrii de Urbe Saianellus pag.* 241 *et sequenti excudit.*

B. Nicolaum anno 1638 unanimi consensu

84 *Horum primum latine redditum tale est :* Die 14 Martii anno 1638, Palenæ ac nominatim in ecclesia matrice S. Antonini dictæ terræ, inter solemnia celebrantia (*hæ tres voces sic ibi leguntur latine*) coram omni populo. Cum multum reverendus dominus Christophorus de Blasiis, dictæ terræ archipresbyter, toti dicto populo, in dicta ecclesia adstanti, exposuerit vitam, beatitudinem et famam B. Nicolai de C Furca Palenæ, popularis nostri, qui Romæ in ecclesia S. Onuphrii extra muros quiescit, tanta cum devotione Romanorum, ut ad dictum Beatum continue recurrant, a quo et infinitas gratias impetrant, et quem in summa habent venoratione; atque opportunum fore, si hæc universitas ejusque cives omnes illum sibi adsciscerent protectorem, ut, (dum hæc universitas, sicut et ceteræ omnes in tanta necessitate ac innumeris angustiis versatur) dictus Beatus dictæ universitati gratias, quas nos ipsi petere nescimus, a Domino impetrare dignetur : unusquisque dicat, quod sentit. Adstantes et populus sunt sequentes. *Recitantur hic nomina septuaginta et unum, quæ, ne lectori tædium pariam, mitto transcribere,*

sui oppidi Patronum eligunt,

85 *Tum vero subditur :* Et ab omnibus supra scriptis statutum fixumque est, una voce, uno consensu, ac nemine discrepante, factum ad decretum, uti nunc faciunt, decernunt et declarant, dictum B. Nicolaum protectorem suum, promittuntque, se die festo illius vacaturos ab omni opere servili personali, et observaturos D celebraturosque diem illum solemniter, cum consensu et auctoritate superiorum ecclesiasticorum, a quibus oportebit facultatem obtineri. Atque ita aiunt, se obligant, sanciuntque, hoc et quolibet alio modo. *Quæ sequuntur latine scripta sunt, nimirum :* Præsens publicum parlamentum et conclusionem fuisse scriptam mea propria manu de ordine infrascriptorum reverendi domini Christofori de Blasiis archipresbyteri, et omnium prædictorum civium, fateor ego notarius Clemens Lucchittus de terra Palena, qui rogatus et requisitus me signavi etc. *Item :* Extracta est præsens copia a suo proprio originali in antiquo Libro publicorum parlamentorum fol. 206 a fronte, sistenti penes me infrascriptum cancellarium in archivo hujus universitatis Pelignorum, cum quo facta diligenti collatione concordat de verbo ad verbum, meliori semper salva etc., et in fidem præsentem feci, me subscripsi, et solito sigillo ejusdem universitatis roboravi etc. Notarius Falcus Mascetta ordinarius cancellarius. *Reliquis testimoniis præterea adscriptis supersedeo.*

voventque ejus festum annuum solemniter celebrare,

86 *Ut autem hoc decretum suum exsecutioni mandaretur, Palenenses libellum supplicem vicario episcopi Sulmonensis obtulerunt, quem uti et vicarii rescriptum ex Italicis latine recensebo.* Reverendissime domine. Cum universitas Palenæ hisce calamitosis temporibus vehementer angustietur et auxilio egeat, ad patrocinium Sanctorum, quod in omni necessitate efficacissimum est, volentes recurrere, omnes ejusdem cives, viri et mulieres, magni et parvi, ex consilio reverendi domini archipresbyteri in ecclesia publica, inter Missarum solemnia, coram Deo viva voce elegerunt sibi protectorem S. Nicolaum de Furca Palenæ, voveruntque ejusdem festum die 14 Martii recurrens, observare et solemniter celebrare. Hic Sanctus sepultus Romæ in ecclesia S. Onuphrii extra muros quiescit, et propter continua miracula quotidie ab omnibus Romanis colitur, honoratur, et in maxima devotione habetur.

quod, approbante ordinario

87 Dicti cives, tum quod dictorum Romanorum vestigia sequi desiderent, tum quod erga dictum Sanctum magna pietate afficiantur, quia ipsorum popularis est, eaque devotio in dictam F terram cum magna omnium ædificatione inducta est; propterea supplicant reverendissimæ dominationi vestræ, ut consensum suum, beneplacitum, facultatemque concedere dignetur, ut in posterum liceat dictum festum ex voto facto et electione publica celebrare, ejusdemque observationem sub præcepto indicat, ut dictus Sanctus dictæ terræ patrocinium suscipere dignetur. Quod ut justum est, ita etiam rem gratam Deo dictoque Sancto fecerit; et illi (*Palenenses*) beneficii loco habituri sunt. Quam Deus *etc. Ad hæc pia postulata laudatus vicarius sequens favorabile rescriptum annotavit :* Hisce licentiam et facultatem concedimus ad faciendum, quæ nomine dictæ civitatis postulantur, dummodo adsit consensus omnium civium, et in generali conventu probetur, referaturque in librum ejusdem universitatis, et in librum ecclesiæ cum distincta totius rei mentione. Nos porro consensum ad ea necessarium damus, servatis tamen dictis conditionibus. In quorum etc. Datum Sulmonæ die vigesima quinta Martii, millesimo sexcentesimo trigesimo octavo. J. Antonius Tabassius vicarius capitularis.

88 *Subditur*

A *religiosæ exsequuntur.* 88 *Subditur denuo*: Extracta est præsens copia a suo proprio originali, colligata in antiquo libro publicorum parlamentorum fol. 206 a fronte, sistensi penes me infrascriptum cancellarium in archivo hujus universitatis Pelignorum, cum quo facta diligenti collatione concordat de verbo ad verbum, meliori semper salva etc. Et in fidem præsentem feci, me subscripsi, et solito sigillo ejusdem universitatis roboravi. Notarius Mascetta ordinarius cancellarius. *Porro licet nulla hic fiat de episcopo Sulmonensi mentio, ista tamen, saltem postea, ab eodem approbata, et executioni mandata fuisse, constat ex litteris Petri Antonii Corsignani, ejusdem sedis antistitis, anno 1744 et 1745 ad Benedictum XIV papam in causa canonizationis datis, ex quarum posterioribus aliqua hic delibo.* Beatus vero ille Palenensium quoque patronus, ipsis instantibus, anno 1638 facultate decessoris episcopi fuit selectus, ejusque festum die 14 Martii de præcepto quotannis inibi celebratur cum solenni supplicatione ac delatione statuæ dictarumque reliquiarum (*de quibus infra loquar*) magno fidelium con-B cursu, cumque celebratione Missæ et Officii de Communi confessorum non pontificum.

Ibidem in ecclesia S. Antonini 89 *De piis fundationibus in eumdem finem factis etiam meminit Saianellus*, Ut hoc festum, *inquiens*, perpetuo celebretur cum primis ac secundis Vesperis et Missa solemni, annuum censum assignavit Carolus de Mari, juris utriusque doctor Palenensis, anno 1640, die 3 Januarii in actis Clementis Luchitti, notarii Palenensis; et illius hæres, baro Amicus Angelus de Mari, bona stabilia ecclesiæ in eumdem finem assignavit; item pro emptione « ceræ impli- » candæ in solemnizatione festivitatis divi Ni- » colai de Furca cujuslibet anni »: ut in actis Dominici Antonii Trotii notarii sub die 5 Novembris, 1720. *Primum instrumentum recitat ibidem pag. 232, ex quo, prætermissis ceteris, satis erit sequentia excerpsisse.* Præfatus U. J. D. (*id est*, utriusque juris doctor) Carolus (*de Mari*)... in perpetuum dedit etc. dictis reverendis archipresbytero et presbyteris (*ecclesiæ S. Antonini in oppido Palena*) præsentibus et bona fide recipientibus etc., et acceptantibus, C aunuos ducatos septem et carlenos quatuor de carlenis argenteis, in et super primis fructibus, introitibus et pensionibus dicti territorii Burgensatici, ut supra consistentis, per dictum U. J. D. Carolum et suos hæredes successores solvendos, et per dictos RR. archipresbyterum et presbyteros percipiendos et consequendos, singulis quatuor mensibus ratam illorum ab hodie.

altare sub illius invocatione erectum dotatumque 90 Et dicti ducati septem et carleni sunt, ut dixerunt, pro dote et officiatura capellæ, a dicto U. J. D. Carolo erecta in venerabili ecclesia matrice S. Antonini, dicata beato Nicolao de Furca Palenæ, in qua cappella dicti RR. archipresbyter et presbyteri promiserunt, et in forma regiæ cameræ Apostolicæ obligarunt sese, hæredes et successores, in perpetuum celebrare qualibet hebdomada Missam in die Dominico cujuslibet hebdomadæ, et in festo dicti beati Nicolai cujuslibet anni Missam canere, et in fine dictæ Missæ commemorationem mortuorum facero et canere. Pro quibus omnibus observandis etc. ambæ partes ipsæ, et quælibet ipsarum, sponte obligarunt seipsas, et quamlibet ipsarum, eamque cujuslibet eorum hæredes et successores et omnia mobilia et stabilia, præsentia et futura. Ego præfatus notarius Clemens Lucchetus de terra Palena, qui rogatus et requisitus hic me subscripsi, ac signo, quo in meis scripturis utor, consueto signavi etc. *Nihil quidem hic legitur de stipendio pro primis ac secundis Vesperis per Carolum de Mari, ut Saianellus affirmat, assignato; verum forte id Caroli hæres, baro Amicus Angelus de Mari, postea adjecerit.*

approbantibus episcopis, exstat, 91 *Ex eodem instrumento confirmantur, quæ de Beati annua festivitate supra retulimus, ac præterea discimus, jam inde ab anno 1640 exstitisse Palenæ in S. Antonini martyris ecclesia, quæ parochialis et collegiata est, sacellum aliquod vel altare, eidem B. Nicolao sacrum. Hoc ipsum quoque testatus est in supra laudatis litteris illustrissimus Petrus Antonius Corsignanus, Valvensis et Sulmonensis episcopus, sic scribens:* In parochiali ecclesia Palenæ, sub divi Antonini martyris nomine, vetus extat altare, eidem beato Nicolao dicatum, a communitate, aliisque piis hominibus olim fundatum atque dotatum, quod in sanctis prædecessorum antistitum visitationibus merito laudatum est. *Ita ipse, dum anno, ut dixi, 1745, Benedicto XIV papæ pro B. Nicolai canonizatione impetranda supplicabat. Porro eadem Palenensium in Beatum popularem pietas eos etiam impu- E lit, ut aliquid e sacri ejusdem corporis reliquiis e Romano S. Onuphrii conventu flagitarent, quod et tandem feliciter obtinuerunt.*

iidem Palenenses B. Nicolai reliquias petunt 92 Anno vero 1644 (*ita denuo scribit Saianellus*) die 27 Aprilis constituerunt (*Palenenses*) procuratorem D. Franciscum de Sanctis, sacerdotem de Fara S. Martini, ut peteret a Religiosis nostris aliquam reliquiam B. Nicolai, Palenam asportandam. Præcedente itaque consensu Ananiæ Andreotii episcopi Atriensis, in alma Urbe vicesgerentis, die 18 Martii 1647, aperto sacro sarcophago coram Remigio Lando rectore generali, ceterisque Patribus S. Onuphrii, extractum os unum femoris collocatum rito fuit in capsula, ac traditum procuratori. Hic in grati animi signum nomine Palenensium promisit, eveniente casu constructionis alicujus monasterii in futurum, tam in dicta terra, quam ejus territorio, patres nostræ congregationis cuicumque alteri religioni anteferre: prout in actis Leonardi de Leonardis, cardinalis vicarii notarii. *Ea acta ibidem edita sunt pag. 242 et duabus sequentibus, deprompta ex autographo, Romæ in conventu S. Onuphrii asservato, quæ quia com-* F *plectuntur, quidquid hac in re factum fuit, censui fere integre recudenda.*

ab Hieronymianis monasterii S. Onuphrii, 93 In nomine Domini. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat et sit notum, quod anno a Nativitate Domini N. J. C. millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione quintadecima, die vero decimaoctava mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Domini N. D. Innocentii, divina providentia Papæ decimi, anno tertio, capitulariter congregati et coadunati ad sonum campanellæ, ut moris est, in infrascripta capella, in qua pro infrascriptis et aliis similibus negotiis congregari solent, reverendissimus P. Generalis et adm. RR. PP. Congregationis B. Petri de Pisis in ven. conventu S. Honuphrii de Urbe, videlicet reverendiss. Pater Remigius Landus Generalis, adm. R. P. Eusebius Gorettus Provincialis, adm. R. P. Famianus Pacificus prior, R. P. Desiderius Fantinus, R. P. Carolus Pintus, R. P. Antonius Fontus, R. P. Joseph Maria de Benedictis, R. P. Angelus Blagionus, R. P.

AUCTORE C. S.

R. P. Ægidius de Grandis, R. P. Franciscus Goraccius, R. P. Joannes Antonius Pacius, Fr. Urbanus Theodorus, Fr. Michael Bramantus, Fr. Petrus Aloysius, Fr. Dominicus Cinaldus, Fr. Jacobus Andreas Ciampalantes, et Fr. Benedictus Santinus, omnes dictæ Congregationis.

qui cum facultate vicesgerentis Cardinalis Vicarii

94 Qui asserentes, esse majorem et saniorem partem ipsorum ac ultra duas ex tribus partibus eorum, et votum in capitulo habentes, totumque et integrum capitulum repræsentantes, et nihilominus pro absentibus et infirmis, si qui sunt, de rato in forma promittentes, ita quod etc., alias etc., habentes et eorum præ manibus tenentes quoddam memoriale, porrectum illustrissimo et reverendissimo domino, Eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis, Sanctissimi Domini N. Papæ vicarii vicesgerenti, pro parte et ad instantiam rev. D. Francisci de Sanctis, procuratoris universitatis terræ Palenæ, Sulmonensis diœcesis, cum rescripto in calce illius, in quo sibi ipsis datur facultas extrahendi et donandi infrascriptam sacram reliquiam, et mihi notario licentiam opportunam in fine hujusmodi instrumenti extendendo quoad effectum hic inserendi consignavit, tenoris inferius regi- B strandi.

capitulariter congregati, ex lipsanotheca eximunt

95 Idcirco volentes dicti RR. PP. sic, ut supra, capitulariter congregati in capella S. Honuphrii, existente primo loco manu dextra in ingressu dictæ eorum ecclesiæ, in qua a cornu Evangelii adest altare B. Nicolai Furcæ Palenæ cum ipsius Beati imagine, cui a pede leguntur hæc verba : « Ora pro nobis, B. Nicolae » : necnon in lapide marmoreo, tegente dictum altare, legitur sequens descriptio, nempe : « Divo Nicolao, ex « Pelignorum oppido Furcæ, heremitæ sancti- « tate et miraculis insigni, qui in hoc monasterio « Prior obiit centenarius; cujus corpus ex hu- « mili in decentiorem hunc locum, S. R. E. Car- « dinalium Congregatione, Ecclesiæ Ritibus præ- « posita, approbante, prior et Fratres transtu- « lerunt anno Christi 1606 » : cujus quidem B. Nicolai corpus ibi asservatur, et reconditum adest : volentes, inquam, dicta auctoritate uti, et ad infrascriptam extractionem et donationem respectivo devenire, et publicum, ut semper veritas elucescat, conficere instrumentum ; ideo decantatis prius litaniis beatissimæ Virginis Mariæ, cum pluribus tortitiis accensis, fuit postea per C Franciscum Lazzarinum de Massa Carraria, fabrum murarium, de ordine et mandato dictorum reverendorum Patrum, apertum altare ex parte anteriori.

unum os femoris, et Palenensi oratori donant

96 Intus quod inventa fuit quædam capsa terrena, tribus cum lapidibus marmoreis cooperta, quorum altero, nempe ex medio, amoto, inventum fuit corpus dicti B. Nicolai, valde consumptum, supine jacens ; ex quo per R. P. Generalem desumptum fuit unum os femoris, et collocatum in quadam capsa lignea inter bombicem album, funiculo alligata, et per me notarium quatuor in locis cum sigillo Eminentissimi et reverendissimi domini Card. Ginetti, Sanctissimi Domini N. Papæ vicarii generalis, cera Hispanica munita et sigillata. Quam quidem sacram reliquiam, sic ut supra desumptam, repositam et collocatam, et sigillo munitam, dicti RR. PP. sic capitulariter congregati, sponte etc., omni meliori modo etc. ad majorem omnipotentis Dei et dicti B. Nicolai gloriam et honorem donarunt, concesserunt et largiti fuerunt universitati et hominibus dictæ terræ Furcæ Palenæ, Sulmonensis diœcesis, licet absentibus ; et pro D cis dicto R. D. Francisco de Sanctis, eorum procuratore, prout docuit per instrumentum publicum mandati procuræ tenoris inferius registrandi, præsente et acceptante, et una mecum notario legitime stipulante, ad effectum illam exponendi ac publice collocandi in quavis ecclesia, sacello vel loco pio, dictæ universitati et hominibus bene visis, ut a piis Christi fidelibus devoto venerari possit.

Palenam deferendam cum certis promissis :

97 Eamque dictus R. D. Franciscus de Sanctis, procurator præfatus, majori, qua potuit, devotione et reverentia, quibus supra respective nominibus ad se etc. recepit, ad effectum asportandi ad dictam terram universitati et hominibus : et suprascriptis RR. PP. capitulariter, ut supra, congregatis præsentibus gratias retulit immortales. Et ulterius animi gratitudine ob tantum receptum beneficium procuratorio nomine præfato promisit ac se obligavit, quod, eveniente casu constructionis alicujus monasterii seu conventus in futurum quovis modo pro Regularibus, tam in dicta terra quam ejus territorio, fabricandi, eumdem * monasterium seu conventum dictæ ven. Congregationis * et Patribus pro tempore existentibus B. Petri de Pisis tradere et E assignare, illosque cuicumque alteri religioni anteferre ; quibus quoque reliquiam præfatam inibi asservandam tradere et consignare promisit libere etc., alias etc. etiam ad omnia damna etc. Pro quibus etc. dictus R. D. Franciscus, quibus supra nominibus, dictam universitatem et homines, suos principales, illorum bona et jura etc. in forma cameræ Apostolicæ cum clausulis etc. Renunciavitque etc. Et ita tacto pectore, more etc. juravit etc.

* idem _
* Congregationi

de quibus omnibus exstat instrumentum publicum

98 Super quibus omnibus et singulis, tamquam rite et legitime factis, dictus illustrissimus et reverendissimus dominus vicesgerens, et pro eo ego notarius infrascriptus, ad hoc specialiter delegatus, juxta et secundum rescriptum in calce memorialis factum, dictis RR. PP. capitulariter congregatis facultatem atque licentiam desuper necessariam et opportunam concessi et impartitus fui, omni etc. Rogantes me notarium infrascriptum, ut unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum et instrumenta, conficerem atque traderem, prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romæ in suprascripta capella, præsentibus ibidem R. D. Petro Paulo de Benedictis, fil. qnd. Francisci, Sulmonensi, et F D. Jo. Baptista Rapa, qnd. Falchi de Palena, testibus ad prædicta omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis. *Hoc loco recitantur libellus supplex, quem supra memoratus R. D. Franciscus de Sanctis, Palenensium procurator, pro obtinenda prædicta facultate italice obtulerat illustrissimo domino Alexandro Victricio, episcopo Alatrino, tunc temporis summi Pontificis in Urbe Cardinalis vicarii vicesgerenti, et hujus rescriptum seu consensus, ac denique instrumentum, per quod Palenenses anno 1644 die 27 aprilis eumdem Franciscum de Sanctis suum hac in re procuratorem constituerant; verum hæc nihil præterea docent, ut necesse non sit eadem hic recudere.*

quod hic datum est.

99 *Totum autem instrumentum, ista omnia complexum, sic clauditur :* Ego Leonardus de Leonardis, civis Romanus, curiæ causarum Eminentissimi ac reverendissimi domini, almæ Urbis Cardinalis Sanctissimi Domini N. Papæ vicarii generalis, notarius publicus de præmissis rogatus,

A gatus, instrumentum subscripsi et publicavi requisitus in fidem etc. *Cardinalis vicarii vicesgerentem, a quo istas reliquias Palenensibus donandi facultas concessa fuit,* Alexandrum Vietricium, episcopum Alatrinum *appellavi, quia eidem concessionis instrumento apud Saianellum pag.* 244 *sic legitur subscriptum italice*: A. Vescovo di Alatri vicegerente; *quod ibidem in infima paginæ ora sic versum latine est:* Alexander Vitricius Romanus, episcopus Alatrinus. *Hisce consona habet Ughelli Italia sacra aucta, tom. I, col.* 294, *ubi Alexander Victricius Romanus, eo tempore in Alatrino episcopatu sedisse atque etiam almæ Urbis vicarii vicesgerentis munere functus esse dicitur. Nihilominus idem Saianellus verbis supra num.* 92 *datis laudatum vicesgerentem* Ananiam Andreotium episcopum Atriensem *dixit; verisimillime ex memoriæ lapsu; cum nullum hujus nominis inter episcopos Atrienses, sive Hadrianenses et Pennenses, Ughellus recenseat; quique ibidem col.* 1152 *illam sedem tunc tenuisse dicitur, is non* Ananias, *sed* Sylvester Andreotius *nominatur, neque ulla mentio habetur de gesto per ipsum Romæ* B *vicesgerentis officio.*

Hujus translationis tempore ac deinde sæculo

100 *Desideratus obtentusque B. Nicolai reliquias Palenenses ad oppidum suum transferri curarunt, in qua translatione, ut et postea, quædam mirabilia divinitus contigisse, sæpe laudatus historicus Hieronymitarum ex processu, ut inquit, Sulmonensi breviter ita memorat.* Multa contigerunt memoria digna, quando translatum fuit Palenam sacrum hoc pignus, quæ constant ex processu habito Sulmone mense Maii anni 1741, cum proposita fuit causa in sacra rituum Congregatione. Sacerdos D. Sylvius Campana testis deposuit, quod, quando translata fuit sacra reliquia Palenam, mula, cui impositum erat sacrum pondus, transiens prope mœnia diruta antiqui castri de Furca, non modo stetit, sed in genua procubuit, quasi natale solum beati Viri veneraretur. Deposito vero sacro pondere, statim obiit. Item quod, licet eo die ubique in montibus et locis plueret et ningeret, tamen ductori sacræ reliquiæ semper radius solis eluxit.

aliquot miracula facta narrantur.

101 Non multo post, cum processionaliter deferretur sacra reliquia per oppidum Pelignorum, mulier quædam, Salomæa nomine, labo- C rans in extremis ob fœtum in utero mortuum, se commendavit Beato; statimque fœtus exanimis ex utero prodiit, et salva facta est mulier. Idem sacerdos Campana testatus est, se anno 1720 in extremis, desperata a medicis salute, laborasse. Die quartadecima Martii cum processionaliter de more reliquia B. Nicolai per oppidum deferretur, monuerunt nepotes, ut se Beato commendaret. Prece vix facta, convalescere cœpit, et cerei, quos nepotes paraverant pro funere, oblati fuere altari ejusdem Beati. Eadem, quæ in prima contigerunt translatione, confirmavit D. Matthæus Galassi de Palena, asseruitque, B. Nicolaum in magna esse veneratione apud mulieres parturientes. *Laudatum processum Sulmonensem non vidi; sed ex tempore, quo hic confectus fuisse dicitur, nempe anno* 1741, *statuendum est, R. D. Sylvium Campana et D. Matthæum Galassi non fuisse testes oculatos eorum, quæ in translatione anno* 1647 *contigisse affirmarunt, nisi ambos admodum longævos fuisse velimus; cum inter utrumque terminum anni nonaginta et quatuor intercesserint. Ceterum ex litteris pro causa canonizationis illius ad summum Pontificem datis dubitari nequit, quin Palenenses varia beneficia sibi per ipsum a Deo collata fuisse, grati agnoverint, sicut infra videbimus.*

AUCTORE C. S.

Ejusdem reliquiæ Sulmone in monasterio S. Claræ:

102 *Inter illas una legitur a Clarissis Sulmonensibus die* 12 *Februarii anno* 1746 *scripta, quæ docet, aliquid ex sacris ejusdem Beati reliquiis in Sulmonensi monasterio S. Claræ honorari. Earum verba ex italicis latina hæc sunt*: Ex quo tempore una e sacris ipsius reliquiis in forma authentica in hoc monasterio asservatur, existimamus, nos habere earum pignus nostræ fiduciæ, quæ in dies magis accenditur ad ejusdem gloriam promovendam. *A quo tamen, quave occasione has reliquias eæ moniales acceperint, non comperi; sed peculiaris sui erga ipsum Beatum affectus causam hanc alleganl:* Tanto æquius est, nos preces nostras (*pro Nicolai canonizatione obtinenda*) addere, quod singularem devotionem erga hunc Beatum profiteamur, cum eumdem velut ortum e Furca, (quod feudum est hujus nostri antiqui monasterii, eidem a fundatrice primaque abbatissa sua B. Florosenda, e comitibus Palenæ, donatum) pro nostro habeamus.

cultus aliquis Neapoli ac Venetiis.

103 *Eumdem etiam aliquo cultu Neapoli ac Venetiis honorari, habemus ex epistola reverendissimi domini Deusdedit, ex ordine Hieronymia-* E *norum congregationis B. Petri de Pisis, episcopi Somariæ, et suffraganei Sabinensis, anno* 1744 *ad romanum pontificem eadem de causa data, ibidemque relata pag.* 265 *et sequenti. In hac ille sic loquitur:* Quam rem, ut maxime claram (*sanctitatem scilicet cultumque Nicolai*) atque testatam demonstrant.... item et pervetusta ejus depicta, tum Romæ, tum Venetiis, Neapoli et alibi, simulacra, aureolis coronis instructa, quibus semper usque in præsens fuit sacer honor et cultus delatus. *Rursum post aliqua:* Quo fit, ut, Nicolai exposcente eximia sua sanctitate, signisque clarioribus in dies illustrata, primum isthic Romæ sacri ei fuerint habiti honores; uti postea Neapoli, ubi jam excitaverat insigne cœnobium, et Venetiis et alibi factum est.

§ VII. Tentata causa solemnis beatificationis ac canonizationis B. Nicolai, multæque supplicationes pro eadem factæ Benedicto XIV summo Pontifici, eventu non prospero. F

Patres Hieronymiani in spem erecti obtinendæ

Post inchoatum auctumque trium fere sæculorum lapsu B. Nicolai Furcensis cultum desiderabatur adhuc romani pontificis oraculum, per quod beatorum sanctorumque albo solemniter adscriberetur. *Itaque, cum hæc jam pridem nota essent* (*sic prosequitur Saianellus*) Patris nostris, de cultu scilicet B. Nicolao exhibito, tum Romæ, tum Palenæ, facile persuasum illis fuit a causarum in Romana curia patronis, non opus esse disputare de immemorabili cultu: sed supplicandum esse pro signatura commissionis introductionis *in statu et terminis*, ut inquiunt. Joseph itaque Luna, procurator causæ, Memoriale exhibuit, quod incipit: *Quando postulatores etc.*; cui annexum fuit valde copiosum Summarium. In eo recensentur ducentæ et una instantiæ, factæ annis 1745 et 1746 a

AUCTORE C. S.

a principibus et magnatibus pro causa canonizationis B. Nicolai. *Hæc ibidem pariter edita sunt a pag. 245 ex exemplaribus impressis Romæ typis reverendæ cameræ Apostolicæ anno 1747; sed longum ac tædiosum foret omnia hic recudere, maxime cum sæpe eadem recurrant, quæque ad ipsius Beati gesta cultumque pertinent, in hoc Commentario jam recensuerim.*

solemnis beatificationis et canonizationis illius,

105 *Ut tamen lector intelligat, quid procurator causæ intenderit, juverit aliqua e Memoriali recitasse. Sic ergo orditur verbis ex erudito opere Benedicti XIV tum summi Pontificis depromptis.* « Quando postulatores contendunt causam versari inter exceptas a decretis Urbani octavi, non quidem ratione temporis immemorabilis, sed ratione cultus concessionum, a summis Pontificibus, aut a sacra Congregatione factarum; tunc non opus est peculiari processu super casu excepto, sive sententia judicis Ordinarii vel delegati: verum satis tantum est, ut in forma authentica exhibeatur Breve Pontificium, aut sacræ Congregationis decretum. » Ita docet et firmat Sanctissimus Dominus noster in suo perexinio Opere de Beatificatione et Canonizat. Sanctor. lib. 2, cap. 17, num. 5. Cum igitur hic sit in terminis casus, de quo in hac causa disceptandum est: et cum hæc disceptatio fieri nun possit, nisi prævia signatura Commissionis juxta irrefragabilem stylum sacræ hujus Congregationis; sequitur hinc, quod pro hac impetranda nunc temporis humiliter supplicamus, eamque nos impetraturos a Sacræ Congregationis benignitate certo confidimus, concurrentibus in beato nostro Nicolao requisitis omnibus ad hunc effectum necessariis, fama videlicet sanctitatis et miraculorum in genere, una cum principum et episcoporum instantiis.

Sacræ rituum Congregationi supplicant

106 Principum enim et episcoporum instantiæ patent ex epistolarum catalogo.., quarum originalia in manibus Eminentissimi Ponentis exhibentur. Fama autem sanctitatis et miraculorum in genere satis superque constat ex ipso decreto hujus sacræ Congregationis (*adi supra num. 62*) quæ cum de anno 1606 sacras Beati nostri exuvias ex humili in decentiorem locum transferri decreverit, atque adeo iisdem publicum cultum indulserit, id, non nisi visis videndis, servatis servandis, et per consequens, non nisi prævia sanctitatis et miraculorum in genere probatione, factum esse, evidentissimum est; cum Sedes Apostolica et Sacra hæc Congregatio in publico cultu alicui Servo Dei concedendo non timere et cœco modo, sed summa cum maturitate procedat. Verum enimvero ad hoc, ut etiam in præsens pateant fundamenta ex una parte Indulti ab hac Sacra Congregatione concessi, et ex altera supra dictæ famæ et concessi cultus continuatio atque increbrescentia innotescat, sapientissimis Eminentissimorum oculis subjiciemus primo brevissimam synopsim vitæ nostri Beati: secundo eximia quamplurium scriptorum et historicorum de ipsius sanctitate et miraculis testimonia: tertio tandem omnes publici cultus species, quibus ab ipso obitus die per tria plane secula ad hæc usque tempora Beatus noster tam in Urbe, quam in tota Sulmonensi diœcesi decoratur.

pro signatura commissionis causæ sine prævio processu ordinario.

107 *Postquam hæc præstitit postulator causæ, tandem sic concludit:* Si ergo principum atque episcoporum instantiæ non desunt; si de sanctitatis et miraculorum fama non dubitatur, si de hujus ejusdem famæ continuatione atque increbrescentia ex hactenus deductis satis superque constat; in spem certam erigimur, Eminentissimos suffragantes pro Commissionis signatura foro rescripturos, juxta stylum et praxim sacri hujus consessus, de qua testatur sanctissimus Dom. noster in admirabili suo opere de Canoniza. Sanctor., et præsertim lib. 2, cap. 20 per totum, et cap. 17, pag. 135 et seqq.. necnon cap. 38, pag. 397, num. 13 et 14, et alibi passim. Quare etc.

Joseph Luna.

Revisa Joannes Prunettus subpromotor Fidei. *Subditur prolixum Summarium paginarum feræ triginta in folio, ad quod in prædicto Memoriali lectorem sæpe remiserat procurator, et ex quo ego instrumenta aliquot descripsi in hoc Commentario. Ex litteris vero optimatum, sive, ut vocant, instantiis apud summum Pontificem pro hac causa factis, in eodem integræ recitantur sedecim; reliquæ vero centum et octoginta septem in Catalogo tantum indicantur, adscriptis personis, a quibus factæ fuerunt. Ut porro longum ac inutile foret omnes illas sedecim hoc loco recudere, ita proderit aliquas dedisse ad confirmanda ea, quæ de Beati cultu diximus.*

Clerus Palenensis pro ejusdem canonizatione

108 *Inter alios ecclesiasticos præsules illustrissimus Petrus Antonius (cognomento, ut reor, Corsignani) Valvensis et Sulmonensis episcopus, duas hac super re epistolas ad Benedictum XIV dedit, primam anno 1744 die 4 Novembris, alteram anno 1745 die 10 Septembris, quam posteriorem, quia accuratior est, dabo. Inter utramque intercessit epistola universi cleri terræ Palenæ, quam propterea primo loco hic accipe.*

Beatissime Pater,

Ut primum ad aures nostras pervenit, quamplurimas apud Sanctitatem Vestram petitiones factas fuisse pro introductione causæ in sacra rituum Congregatione super beatificatione et canonizatione B. Nicolai Furcesii, ordinis S. Hieronymi, congregationis B. Petri de Pisis, non parum exultavimus, quin et inexplicabile gaudium invasit cor nostrum. Utinam opus tam pium, diuque exoptatum sub fausto Sanctitatis Vestræ Pontificatu hac nostra tandem ætate felicem sortiatur effectum. Aliorum quippe fidelium votis nostras quoque humillimas preces jure merito adjungere tenemur, ex eo potissimum, (ut alia silentium tenant) quod noster extiterit concivis Beatus prædictus, de Peligna regione non procul a nostra patria natus, in loco dicto Furca Palenæ, qui siquidem locus, etsi felix alias fortunatusque fuerit, præcipue quod talem ac tantum ediderit sanctitatis Heroem, inscrutabili tamen Dei judicio post varias temporum injurias (proh dolor!) nunc desolatus jacet, nomenque solum cum levibus servat vetustatis reliquiis.

supplices litteras cum insigni Beati elogio

109 Is ergo Beatus omni virtutum genere imbutus, ut de progenie in progeniem firmiter constanterque transiit ad nostrates; ac sacerdotali decoratus dignitate, ut Deo et sibi melius vacaret, e patrio solo discessit, divinoque ductus consilio Romam se contulit, ubi eremiticam aliquandiu agens vitam in oratorio, Sanctissimi Salvatoris nuncupato, se postmodum laudatæ congregationi B. Petri Pisarum addixit. Cumque præ vitæ innocentia morumque integritate charissimus fuisset sanctæ memoriæ Eugenio IV ac Nicolao V, Sanctitatis Vestræ prædecessoribus, insigni horum munificentia templum cœnobiumque divi Honuphrii erexit, postque asperas pœnitentiæ vias calcatas, sanctamque traductam vitam, factus in Urbe bonorum operum exemplar, tandem dierum

A rum non minus, quam meritorum plenus, in senectuto bona centenarius migravit ad Dominum anno 1449, non sine clara sanctitatis et miraculorum fama, ex tunc ubique diffusa; adeo ut ab frequentes gratias ad ejus invocationem a Deo fidelibus concessas vix ipse defunctus communi oraculo fuerit veluti Sanctus adoratus, ut varia testantur carmina tunc temporis in ejus lapide sepulcrali exarata, nec non scriptorum, etiam contemporaneorum, monumenta.

et antiqui continuatique cultus testificatione

110 Ex quo factum, Beatissime Pater, ut etiam hic Palenæ ob innumera beneficia, ejus intercessione variis temporibus a Deo recepta, ceu Sanctus fuerit ab immemorabili veneratus publico incessanti cultu, in dies semper adaucto, ac successive Palenenses cives centum abhinc annis et ultra de diœcesani antistitis consensu dictum B. Nicolaum in hujus loci Patronum elegerunt, eique sacellum in hac parochiali ecclesia dicarunt, dotarunt et non semel ac iterum exornarunt, ejusdemque Beati festum de præcepto quotannis sub die 14 Martii solemnizarunt summa cum devotione, magnoque populi inibi confluentis concursu, necnon cum Missæ celebratione ac B recitatione officii de Communi confessoris non pontificis, expositione reliquiarum ipsiusmet Beati, ac delatione statuæ per dictum Palenæ oppidum. Quæ cum ita se habeant, annue, Sanctissimo Pater, nostris annue precibus in hujusmodi causæ promotione : hæc enim sunt Pelignæ gentis vota, hæc nostrorum suspiria populorum.

Benedicto XIV Papæ obtulit.

111 Faxit ergo cœlum, ut ipsa vota, suspiria ipsa exaudiantur pro nostra ac præfati Ordinis S. Hieronymi, totiusque Christiani orbis consolatione; et quemadmodum non deficiet fides Petri, ita Deum assidue deprecamur, ne deficiat vita Successoris in Sanctitate vestra, cujus venerabundi exosculamur pedes. Datum Palenæ pridie Idus Novembris anno reparatæ Salutis 1744.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi, obsequentissimi ac obedientissimi filii

Domnus Dominicus Isacco archipresbyter.
Domnus Falcus Galassi.
Domnus Joseph de Vitis.
Domnus Silvius Campana.
C Domnus Falcus de Vitis.
Domnus Joseph Ægidius Masciarelli.
Domnus Matthæus Galassi.
Domnus Benjamin Ludovici.
Domnus Conceptius de Vitis.
Domnus Bernardinus Perticone.
Domnus Cælestinus Galassi.

Ludovici Secretarius.

Hoc ipsum iteratis litteris

112 *Litteræ vero illustrissimi Petri Antonii, Valvensis et Sulmonensis episcopi, die 10 Decembris anni 1745 signatæ sic habent.*

Beatissime Pater,

Cum pium sit et debitum venerationi Sanctorum intendere, Sanctitati Vestræ gratum esse velim, quod me iis viris devotis adjungam, qui humillimis atque enixis precibus ab illa postularunt, ut B. Nicolai de Furca Palenæ causa in Sanctæ Sedis sanctissimum judicium super illius solemni beatificatione et canonizatione inducatur. Hanc quidem eo libentius a Sanctitate Vestra humili obsecratione dudum postulavi, iterumque exoro, quia Beatus ille in loco pene deserto Samnii juxta Palenæ oppidum, ex quo deinde Furca Palenæ dicta est, hujus Sulmonensis diœcesis, auram vitalem duxit. Is vero gradatim sic virtutum omnium fulgore emicuit, ut sacerdotio insignitus, et anachoritæ vitam exercens, posthac Ordinem S. Hieronymi Congregationis B. Petri Pisarum amplexus sit. Quo quidem in statu * ecclesiam cœnobiumque S. Honuphrii Romæ apud Janiculi montem summorum Pontificum Eugenii IV et Nicolai V, Sanctitatis Vestræ Antecessorum, largitate fundavit : iisdem vero cum semper magni habuerunt, ejusque consilio et industria usi sunt.

AUCTORE C. S.

** imo antea*

etiam fecit episcopus Valvensis et Sulmonensis,

113 Denique laboribus ac meritis pro Dei gloria et animarum salute cumulatus, senioque confectus, anno ætatis suæ centesimo Romæ diem clausit extremum 29 Septembris 1449, et in ejusdem cœnobii templo, vetustis aliquot versibus de illius sanctimonia ad hæc usque tempora existentibus, tumulatus, assiduis miraculis, Deo auctore, coruscavit. Unde factum est, ut piorum hominum, præcipue Romanorum, semper in Beatum illum assidua devotio et magnus cultus palam effulserit. Quoniam vero hæc, ceteraque plurima ejusdem Beati miranda huc usque Romæ Sanctitatis Vestræ perspicuis oculis clare apparent; alia illius prodigia, ut brevitati studeam, quæ hic testata habemus, pro episcopalis officii debito, quo in hac ditione Dei et E Apostolicæ Sedis gratia immerito fungor, Sanctitati Vestræ significare non prætermittam. Populus enim dicti oppidi Palenæ, hujus civitatis, totiusque Sulmonensis diœcesis, fere ab incunabulis, sanctissime Pater, ejusdem devotione allectus, tanta fide ad eum ita frequenter confugit, ut ejus intercessione auxilioque multa a Deo beneficia impetret; ac diu quoque, ut fama est, impetraverit.

insignem ipsius cultum in diœcesi sua

114 Quamobrem in parochiali ecclesia Palenæ sub divi Antonini martyris nomine vetus extat altare, eidem B. Nicolao dicatum, a communitate, aliisque piis hominibus olim fundatum atque dotatum; quod in sanctis prædecessorum antistitum visitationibus merito laudatum est. Ipsius itaque cultus eodem in oppido, nedum apud illius gentes et viciniores populos ab immemorabili tempore profecto stabilis est, verum etiam ejusdem sanctæ reliquiæ, authenticis literis munitæ, in dicta parœcia publicæ venerationi exponuntur. Beatus vero ille Palenensium quoque Patronus, ipsis instantibus, anno 1638 facultate decessoris episcopi fuit selectus, ejusque F festum die 14 Martii de præcepto quotannis inibi celebratur, cum solemni supplicatione, ac delatione statuæ dictarumque reliquiarum, magno fidelium concursu, cumque celebratione Missæ et Officii de Communi confessorum non pontificum.

exponens :

115 Proindeque, Beatissime Pater, ut vera dicam, nihil præfato oppido honorificentius, nil mihi, Sulmonensi civitati, plebique ambienti jucundius, obvenire posse reor, quam expectatum decretum, quo nobis liceat B. Nicolaum de Furca Palenæ eo religionis cultu, qui Sanctis exhibetur, colere et venerari, quo etiam fiat, ut illius exempla majori tum confidentia, tum utilitate, fidelibus proponantur. Annue igitur, Beatissime Pater, demissis precibus meis, dum ipse Sanctitati Vestræ salutem diuturnam incolumitatemque a Deo Optimo Maximo precor atque exoro.

Sanctitatis Vestræ

Sulmone die 10 Decembris 1745

Humillimus, addictissimus et obligatissimus servus verus

Petrus

AUCTORE C. S.

Petrus Antonius episcopus Valvensis et Sulmonensis.

et Generalis Congregationis B. Petri de Pisis.

116 *Ibidem pag. 270 legitur sequens reverendissimi patris Angeli Mariæ Fabri, totius Congregationis B. Petri Pisani prioris generalis, supplex epistola.*

Beatissime Pater,

Si quampluribus cordi est, ut in dies erga B. Nicolaum, sacerdotem et Eremitam de Furca Palenæ, Sulmonensis diœcesis, ecclesiæ conventusque S. Honuphrii de Urbe gloriosum fundatorem, præstantissimum pignus ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, devotio augeatur, quanto magis mihi fero existimandum est, qui ejusdem Eremitani Ordinis, in quo prælaudatus Nicolaus tantis virtutum exemplis vitam duxit, sum Præpositus generalis, impos vero ac omnino indignus tanto oneri subeundo. Meas ergo preces addendo tot præstantissimorum virorum instantiis, humiliter atque eo, quo par est, obsequio Sanctitati Vestræ supplex expostulo, quatenus dignetur beatificationis et canonizationis causam ejusdem Servi Dei, adeo longævo temporis spatio Beati nomine insigniti, intro-

B ducere; præsertim cum a tribus jam inde seculis haud exiguus eidem cultus fuerit a Christi fidelibus præstitus, uti extant monumenta in S. Honuphrii, quo obiit, sacello, de quibus ipse non modo testari possum, verum etiam Romani ceterique omnes, qui eamdem ecclesiam invisunt, dum ejus sacra ossa in majori ara reposita adorant quotidie. Iterum ergo oro obtestorque Sanctitatem Vestram, ad cujus pedes humillime provolutus, Apostolicam benedictionem imploro. Datum Romæ in conventu S. Honuphrii die 2 Maji 1746.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus, addictissimus et obedientissimus filius et subditus, Frater Angelus Maria Fabri, prior generalis ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis.

Nominantur multæ aliæ personæ illustres, Cardinales,

117 *Mitto alias hujusmodi litteras supplices, quæ prædictis simillima continent, recensere; lubet tamen earumdem catalogum subjicere eo ordine iisque verbis, quibus in laudato Summario enumerantur, hoc scilicet modo.*

Serenissimi Jacobi III Magnæ Britanniæ regis, 1 Martii 1746.

C Eminentissimi Cardinalis (*Trojani*) de Aquaviva, 2 Martii 1746.

Eminentissimi Cardinalis (*Petri Aloysii*) Carafa, 16 Martii 1746.

Reverendissimi (*A. Antenorii*) archiepiscopi Auxianensis, 10 Martii 1746.

Reverendissimi (*Michaelis*) archiepiscopi Theatini, 1 Novembris 1744.

Reverendissimi (*Deusdedit*) episcopi Samariæ, 1 Decembris 1744.

Reverendissime (*Joannis Baptistæ*) episcopi Nuceriæ in Umbria, 5 Martii 1745.

Reverendissimi capituli cathedralis civitatis Sulmonis septimo Kal. Martias 1746.

Illustrissimi senatus civitatis Sulmonis 5 Kal. Martii 1746.

RR. Monialium S. Claræ civitatis Sulmonis, 12 Februarii 1746.

Universitatis Terræ Palenæ 20 Decembris 1745.

Illustrissimi (*Josephi Antonii Nanni*) baronis Arcis Scalignæ, Theatinæ diœcesis, 8 Decembris 1745.

118 *Horum omnium supplicationes integræ exhibentur, quibus addi debent tres, quas dedi, ac item quarta episcopi Valvensis et Sulmonensis, de qua supra memini: reliquæ vero brevitatis studio in eodem Summario tantum indicantur hoc modo et ordine.* D

archiepiscopi episcopi.

Reverendissimi archiepiscopi Materensis et Acheruntini. Dat. 21 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Luceriæ. Datum 10 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Aquilanensis. Datum 8 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Montis Pelusi. Dat. 23 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Melphiæ et Rapollensis Dat. 20 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Casertæ. Dat. 8 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Vigiliensis. Datum 18 Februarii 1745.

Reverendissimi episcopi Melitensis. Dat. 10 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Sancti Marci. Dat. 10 Martii 1745.

Reverendissimi episcopi Nuceriæ Paganorum. E Dat. 10 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Stabiensis. Dat. 11 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Uritanensis. Dat. 14 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Alliphanensis. Dat. 23 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Ischlanensis. Dat. 20 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Litterensis. Dat. 23 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Vulturariensis. Dat. 3 Aprilis 1745.

Reverendissimi episcopi Sancti Angeli et Bisacciensis. Dat. 17 Januarii 1745.

Reverendissimi episcopi Millevi in partibus. Dat. Teate 6 Maji 1745.

119 Reverendissimi episcopi Ortonensis et Camplensis. Dat. 26 Aprilis 1745.

capitula canonicorum.

Reverendissimi episcopi Feretranensis. Dat. 26 Februarii 1745.

Reverendissimi episcopi Forosemproniensis. Dat. 23 Aprilis 1745.

Reverendissimi episcopi Calliensis. Dat. 1 Decembris 1745. F

Reverendissimi episcopi Pisaurensis. Dat. 27 Martii 1746.

Reverendissimi episcopi Urbaniæ et Sancti Angeli in Vado. Dat. 1 Januarii 1726.

Reverendissimi episcopi Ravellensis et Scalensis. Dat. 12 Januarii 1745.

Reverendissimi capituli metropolitanæ Neapolis 10 Februarii 1746.

Reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Teatinensis 24 Februarii 1746.

Reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Anxani. 4 Martii 1746.

Reverendissimi capituli cathedralis Sulmonis 18 Kal. Februarii 1745.

Reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Pentimæ sive Valvarum 15 Novembris 1745.

Reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Pisaurensis 19 Martii 1746.

Reverendissimi capituli ecclesiæ cathedralis Urbaniæ 4 Januarii 1745.

Reverendissimi capituli cathedralis Feltriæ. Datum C. Pinnæ 26 Februarii 1746.

Reverendissimi

AUCTORE C. S.

A Reverendissimi capituli cathedralis Forosempronii 22 Aprilis 1745.

Reverendissimi capituli cathedralis Callii 15 Januarii 1745.

Reverendissimi capituli cathedralis sancti Angeli in vado, Nonis Decembris 1745.

Capituli collegiatæ S. Martini della Fara, nullius, in Aprutio 23 Decembris 1745.

Capituli collegiatæ Terræ Popoli, Valvensis diœcesis. 17 Novembris 1744.

Capituli collegiatæ Terræ de Pesco Costanzo, diœcesis Montis Casini 21 Novembris 1744.

Capituli collegiatæ Terræ Mercatelli, Urbaniæ diœcesis, 26 Februarii 1745.

civitates et oppida.

120 Senatus civitatis Sulmonis 20 Decembris 1745.

Civitatis Pentimæ, Valvensis diœcesis, 25 Januarii 1745.

Universitatis Terræ Palenæ, Sulmonensis diœcesis, 5 Novembris 1744.

Universitatis Terræ di Pesco Costanzo, diœcesis Montis Casini, 8 Septembris 1744.

Universitatis Terræ di Colle di Macine, Teatinensis diœcesis, 12 Novembris 1744.

B Universitatis Terræ Lecti Palenæ, nullius, 30 Octobris 1744.

Universi cleri et communitatis Terræ Casoli, Teatinensis diœcesis, 2 Aprilis 1745.

Universitatis Terræ del Gnesso, Palena, Teatinensis diœcesis, 15 Septembris 1744.

Universitatis Terræ Montis Nigri D. Unmo, Teatinensis diœcesis, 8 Decembris 1744.

Universitatis Terræ della Taranta, Teatinensis diœcesis, 16 Decembris 1744.

Universitatis Arcis Scalignæ, Teatinensis diœcesis, 12 Novembris 1744.

Universitatis Terræ di Torricella, Teatinensis diœcesis, 5 Januarii 1745.

Universi cleri Terræ della Lama, Teatinensis diœcesis, 5 Decembris 1744.

Universi cleri Terræ di Scanno, Sulmonensis diœcesis, 9 Novembris 1744.

Universi cleri Terræ Roccæ Rasi, Sulmonensis diœcesis, pridie Kalendas Novembris 1744.

Universitas Terræ Roccæ Rasi, Sulmonensis diœcesis, 3 Novembris 1744.

Universitatis Terræ di Lama, Teatinensis diœcesis, 6 Decembris 1744.

C Universitatis Terræ Palenæ, Sulmonensis diœcesis. 5 Novembris 1744.

Illustrissimi baronis Roccæ Scalignæ, Teatinæ diœcesis, 6 Novembris 1744.

Religiosi et moniales.

121 Præpositi et PP. Congregationis Oratorii Forosempronii, 15 Kalendas Maias 1746.

RR. PP. Ordinis Prædicatorum civitatis Sulmonensis, Idibus Januarii 1745.

RR. PP. Ordinis Carmelitarum civitatis Sulmonis, 31 Octobris 1744.

RR. PP. Minorum Conventualium civitatis Sulmonis, 15 Octobris 1744.

RR. PP. Minorum Observantium terræ Palenæ, Sulmonensis diœcesis, 9 Novembris 1744.

RR. Monialium S. Claræ civitatis Sulmonis, 6 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Antonii abbatis, civitatis Sulmonis, 10 Novembris 1744.

RR. Monialium S. Monicæ, civitatis Sulmonis, 5 Septembris 1745.

RR. Monialium S. Andreæ apostoli, Neap., 11 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ de Jesu, Neap., 13 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Gaudiosi Neap., 21 Januarii 1745.

RR. Monialium de Sapientia Neap., 17 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Bernardi Neap., 15 Januarii 1746.

RR. Monialium S. Mariæ de Consolatione Neap., 14 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Marcellini Neap., 4 Januarii 1745.

RR. Monialium Crucis de Luca Neap., 30 Januarii 1745.

RR. Monialium de Regina cæli Neap., 23 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ Ægyptiacæ Majoris Neap., 14 Januarii 1745.

qui pro eadem canonizatione

122 RR. Monialium S. Joseph Neap., 26 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ de Constantinopoli, Neap., 30 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ Magdalenæ Neap., 21 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Claræ Neap., 18 Februarii 1745. E

RR. Monialium di Donna Regina Neapolis, 10 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Bernardi et Margaritæ Neapolis, 13 Januarii 1745.

RR. Monialium di Donna Romata Neapolis, 10 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Francisci de Observantia Neapolis, 22 Januarii 1746

RR. Monialium SS. Petri et Sebastiani Neapolis, 13 Januarii 1745.

RR. Monialium di D. Regina Neapolis, 25 Januarii 1746.

RR. Monialium SS. Marcellini et Festi Neapolis, 13 Januarii 1746.

RR. Monialium S. Francisci Cappucinarum Neapolis, 21 Januarii 1745.

RR. Monialium Cappucinarum le 33 Neapolis, 15 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Antonii civitatis Pinnæ, 19 Februarii 1746.

RR. Monialium S. Catharinæ de Monte Cerignone, Feltriæ diœcesis, 29 Februarii 1746. F Hic *latet error : nam cum annus Christi* 1746 *non fuerit bissextilis, mensis Februarius dies tantum* 28 *habuit.*

ad Benedictum XIV supplices libellos iterato dedere.

123 RR. Monialium S. Claræ, terræ S. Agathæ, Feltriæ diœcesis, 19 Februarii 1746.

RR. Monialium S. Joannis Baptistæ de Petra Rubbia, Feltriæ diœcesis, 4 Martii 1746.

RR. Monialium S. Claræ reipublicæ S. Marini, 29 Februarii (*vide mox annotata*) 1746.

RR. Monialium de Macerata, Feltriæ diœcesis, 26 Februarii 1746.

RR. Monialium S. Agathæ Forosempronii, 16 Aprilis 1745.

RR. Monialium S. Bernardini Forosempronii, 16 Aprilis 1745.

RR. Monialium S. Mariæ Magdalenæ Pisaurensis, 10 Martii 1746.

RR. Monialium Sanctissimæ Purificationis Pisaurensis, 7 Martii 1746.

RR. Monialium S. Catharinæ Civitatis S. Angeli in Vado, 8 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Bernardini, S. Angeli in Vado, 8 Januarii 1745.

AUCTORE C. S.

RR. Monialium S. Claræ, S. Angeli in Vadu, 8 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ Gratiarum, S. Angeli in Vado, 8 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Claræ terræ Mercatelli, Urbaniæ diœcesis, 3 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Claræ civitatis Urbaniæ, 3 Januarii 1745.

RR. Monialium S. Mariæ Magdalenæ civitatis Urbaniæ, 10 Januarii. *Hic deest annus. Post hæc enumerantur ibidem aliæ instantiæ sive litteræ supplices numero octoginta, ab supra pictis personis factæ, quas, ne longior sim, prætermitto.*

124 *Porro, ut huic Commentario finem imponamus, ad laudati Josephi Luna, procuratoris causæ, Memoriale et Summarium, teste Saianello,* opposuit de more animadversiones suas Ludovicus de Valentibus, Fidei promotor, quæ ita incipiunt : Sine ullo judiciali processu *etc.* Has diluere conatus est Responsione sua idem Joseph Luna procurator, probante Philippo Azzone advocato, quæ incipit : Etiamsi in præsentis dubii etc. At vero proposita causa in Sacra Congregatione sub die 7 Septembris anno 1748, Deo sic disponente, placuit Eminentissimis et sapientissimis Patribus ita rescribere : Dilata, et formetur Processus. *Sic* B. Nicolaus *in possessione sui cultus permansit quidem; sed an pro ejusdem solemni beatificatione et canonizatione aliquid deinceps actum fuerit, non comperi. Illustrissimi Ludovici Valentis Fidei promotoris Animadversiones, et Procuratoris Responsio ibidem editæ sunt a pag.* 273.

D *Causa tamen tunc obtenta non fuit.*

TRIGESIMA DIES SEPTEMBRIS.

SANCTI, QUI PRIDIE KAL. OCTOBRIS COLUNTUR.

Sanctus Victor, S. Ursus cum Sociis — Martyres ex legione Thebæa, Solodori in Helvetia.

S. Antoninus vel Antonius M. Placentiæ in Italia.

S. Castus M., S. Desiderius M. — Placentiæ in Italia.

S. Gregorius episcopus Armeniæ, S. Ripsime virgo M., S. Gaiana virgo M. cum Sociis Martyribus — in Armenia Majore.

S. Leopardus martyr Romanus, cultus Aquisgrani in Germania.

S. Hieronymus presbyter et doctor Ecclesiæ, in Bethleem.

S. Victurnianus, anachoreta conf., apud Lemovices in Gallia.

S. Laurus, presbyter abbas, in diœcesi Macloviensi apud Armoricos.

S. Honorius, archiepiscopus Cantuariensis, in Anglia.

S. Simon, comes et monachus, Romæ.

B. Felix de Meda, virgo et abbatissa Ordinis S. Claræ, Pisauri in ducatu Urbinate.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

Sancti Vedasti *episcopi translatio hodie est apud Molanum et Ferrarium. Acta data sunt ad* 6 Februarii

S. Humberti *presbyteri translatio hodie memoratur in Florario ms. Designat auctor* S. Humbertum *abbatem Maricollensem, cujus natalem fixerat die 6 Septembris, quo ejus corpus fuit translatum. An hoc etiam die alia sit facta translatio, alibi non invenio. At ex indice illius Florarii ms. clarum est, ejusdem* Humberti *translationem hodie annuntiari. Ejus acta data sunt, variæque in iis translationes memorantur, ad* 25 Martii,

Guilielmus, *abbas primum Villariensis, deinde Claravallensis, ut* Beatus *memoratur apud Raysium. Consule de eo dicto in Prætermissis ad* 8 Aprilis.

S. Victoris *martyris* translatio *memoratur Mediolani in Apographis Hieronymianis, et in Appendice Adonis. Si designatur* S. Victoris *Mauri translatio, quod certo non liquet, de hoc* S. Victore *actum est ad* 8 Maii.

De Algerio, *sive* Adalgerio de Villalta, *episcopo Bellunensi, qui hoc die defunctus est, consulat lector dicta in Prætermissis ad* 16 Junii.

Jacobus de Vitriaco, *S. R. E. Cardinalis, inter venerabiles hodie ponitur a Gelenio, uti et in Prætermissis apud nos ad* 1 *Maji. Plura de* Jacobo

A cobo dicta sunt ad vitam B. Mariæ Ogniacensis, quam scripsit, datam 23 Junii.

Carilefi confessoris mentio sit in mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, ejus Carilefi, opinor, cujus acta data ad 1 Julii.

S. Ottonis episcopi Bambergensis translatio apud multos martyrologos recentiores hodie annuntiatur, relataque est cum actis ad 2 Julii.

S. Sophiæ viduæ hodie mentio est in Martyrologio Romano, materque dicitur SS. Fidei, Spei et Charitatis, quas alii martyrologi una cum matre Sophia aut Sapientia annuntiant. De omnibus simul actum est, ubi tres filiæ in Romano memorantur, ad 1 Augusti.

Sirudis virgo, foror S. Donati Vesontionensis episcopi, in Gynæceo Arturi a Monasterio annuntiatur hodie ut Sancta. At ne Beatam quidem a scriptoribus, quos laudat, dictam invenio, aut nomen Sirudis ulli Martyrologio adscriptum. Non possum non dolere cum Bollando nostro, quoties video, titulos Sanctorum et Beatorum tam leviter et pro arbitrio attributos iis, quibus illos nec veneranda vetustas nec legitima auctoritas umquam donavit. Abbatissam fuisse
B Sirudem, sepultamque in suo monasterio, uti et matrem ejus Flaviam, inveniet lector in disputatis de S. Donato, et nihil fere præterea de Sirude, nisi quod vocetur Virgo sacratissima, ad 7 Augusti.

Malchus episcopus Sodorensis in Scotia hodie Sanctus nominatur apud Camerarium, qui in margine laudat Regium. Verum cum Malchum Sodorensem alibi non inveniam inter Sanctos memoratum, non sufficit allegata auctoritas, ut de eo ut Sancto agamus, nisi forte idem sit cum S. Malcho Lismoriensi, de quo actum est ad 10 Augusti.

B. Jordanus de Pisis Ordinis Prædicatorum, ita hodie in mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. An titulus Beati congruat Jordano Pisano, hic studiose non investigo, cum hic dies non videatur proprius. De eo jam actum est in Prætermissis, et, si cultum late dictum probare nobis poterunt Patres Prædicatores, uberius agi poterit, in Supplemento ad 19 Augusti.

Festum reliquiarum Redemptionis nostræ notatur Parisiis a Manerato, Greveno, Molano, Canisio, Ferrario et Castellano. De illis reliquiis,
C quæ spectant ad Opus particulare de Christo Domino, multa jam dicta sunt in S. Ludovico Galliarum rege ad 25 Augusti.

Gaudentius puer, a Saracenis, ut fertur, occisus, hodie annuntiatur a Castellano Convenis in Gallia, et in Supplemento eumdem in diœcesi Convenensi locat, ibique ait, Gallicum nomen ibidem esse S. Gaudeins, Olerone S. Goins, Castri S. Gauzeins. Pro tempore assignatur seculum 8. De Gaudentio Saussayus agit ad 30 Augusti, et Socios addit sine nomine. Jam ad illum diem in Prætermissis majorem de isto martyre aut martyribus requisivimus notitiam, quam necdum accepimus. Videri possunt dicta ad 30 Augusti.

Theodora, Arcadii regis filia, memoratur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum. At ex filiabus Arcadii imperatoris nulla fuit nota Theodora, ut videri potest ad 10 Septembris in S. Pulcheria, Arcadii filia, cujus sorores ibi sunt enumeratæ. Quare videtur erratum esse in nomine patris aut ipsius Sanctæ, nisi forte S. Pulcheria etiam Theodora fuerit vocata. Ejus Acta videri possunt ad 10 Septembris. D

SS. Quilicus et Candidus apud Astenses hodie coluntur et martyres legionis Thebææ, de quibus actum est ad 22 Septemb.

S. Machanus episcopus ad hunc diem refertur a Camerario, in Breviario Aberdonensi ad diem, quo est in Prætermissis, 28 Septemb.

B. Bernardini Ord. Minorum hodie mentio est apud Ferrarium. Designat B. Bernardinum de Feltris, qui colitur ad 28 Septemb.

Coganus abbas hodie ponitur a Camerario. Vide Prætermissos ad præcedentem 29 Septemb.

Maria de Osterwick virgo, cum titulo Beatæ, memoratur apud Gelenium in Fastis Coloniensibus, ut requiescens in ecclesia Cartusianorum. De ejus sepulcro laudatus Gelenius pag. 457 ita scribit : In Cartusiâ beata Maria de Osterwick virgo requiescit, in oratorio per Theodoricum de Morsa archiepiscopum Coloniensem ædificato; virgo admirabilis, et non vulgaris sanctitatis, magna meritis. Obiit anno Salutis 1547, 30 Septembris. Hoc ejus ibidem epitaphium :

Virginibus virgo præfulgens illa Maria,
Cujus erat genitrix Osterwick, hac cubat urna. E

Facile crediderim, Mariam a pluribus vulgo beatam vocari. Verum cum defuncta non sit centum annis ante Urbani VIII celebre de iis decretum, dictum titulum eidem vindicare non possumus.

Rachelis, uxoris Jacob patriarchæ, memoria est apud Grevenum, Canisium, et in Florario ms., ubi sancta vocatur. At, cum non habeatur in Martyrologio Romano, nec ullibi cultu ecclesiastico gaudere videatur, de ea plura non addimus. Bailletus eam dedit ad 2 Septembris diem.

Otho episcopus Gurcensis cum titulo Beati annuntiatur apud Ferrarium, qui neminem laudat, neque edicit, cur Beatum nominet. Dedit Papebrochius noster tom. V Junii pag. 520 catalogum episcoporum Gurcensium, ex ipso archivio episcopali concinnatum a Christophoro Jager, in quo decimus ponitur Otto, hujus nominis primus, designatus quidem episcopus, ast non confirmatus : administravit tamen ecclesiam annis 7, vir innocentis adeo vitæ, ut sanctitatis fama passim fulgeret... Mortuus anno 1220, sepultus est in cathedrali ecclesia. Hunc, opinor, designare voluit Ferrarius omissum in Catalogo antistitum Gurcensium, quem F dedit Megiserus in Annalibus Carinthiæ lib. 7, cap. 26. At Ottonem illum coli non existimo, nec nomen ejus apud alios martyrologos invenio.

Hieronymus Miraballus, generalis ordinis Olivetani, et Hieronymus de Mantua, ejusdem ordinis Prior, inter venerabiles hodie recensentur apud Bucelinum; posterior etiam Beatus ab eodem vocatur.

Joannes Calaures, frater laicus ordinis Prædicatorum, commemoratur ad hunc diem apud Lafonum in Anno Dominicano. Auctor ipse abstinet a titulo Beati, ait tamen Beatum vocari a scriptoribus sui ordinis. Addit, imaginem Joannis pictam cerni Neapoli in ingressu portæ conventus regii S. Petri Martyris, ubi, inquit, pictus est cum radiis, dans panem angelo. Hæc pictura nonnullum de cultu late dicto suspicionem ingerere posset : sed ea sola nequit sufficere, præsertim cum non constet, an tantæ sit vetustatis, ut sufficeret ad cultum immemorialem probandum.

Julianus

A Julianus Alemannus, *ordinis Franciscani*, beatus *vocatur ab Arturo a Monasterio in Martyrologio Franciscano, ubi plures sequuntur. At cultum illorum publicum non invenio, excepta B. Felice de Meda, de qua agimus hodie.*

Simeon monachus *annuntiatur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum. Plures sunt monachi Sancti ejusdem nominis, sed ad alios spectant dies: nec indicatur, quis his fuerit designatus.*

Jacobi de Viniaco *et* Joannis Cornerii *Cartusianorum, ut virorum* beatæ memoriæ, *fit mentio apud Canisium et Grevenum, a quo etiam mirabilia quædam de iis referuntur. Posterior etiam est apud Galenium.*

Petrus Blamovena *Cartusianus inter venerabiles Belgas recensetur a Rayssio, et a Gelenio inter Colonienses.*

Conradus, *ex abbate ordinis Cisterciensis S. R. E. Cardinalis, annuntiatur cum titulo* Beati *apud Menardum, Henriquezium, Gelenium, Bucelinum, Chalemotum et Rayssium, multisque elogiis exornatur; sed sine indiciis cultus ecclesiastici. Apud Saussayum* Conradus *quoque inter pios recensetur, sed sine titulo* Beati.


B Urbanum IV *Papam annuntiat Ferrarius cum titulo* Sancti, *additque in Annotatis:* Ex tabulis Trecensis ecclesiæ, ubi maxima celebritate colitur, templo ei dicato. *Quis, his lectis, non credat, de cultu* Urbani IV *apud Trecenses nullum esse dubium, cum adeo asseveranter loquatur Ferrarius, tabulasque Trecenses laudet? Fallitur tamen Ferrarius, sed errore, cui ignoscendum est, cum deceptus sit a Molano; minime tamen in eo excusandus, quod confidenter soleat laudare tabulas, numquam visas, cujuscumque ecclesiæ, in qua aliquem coli existimat. Ferrarium decepit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ubi* Urbanum IV, *ut* Beatum, *ad hunc diem annuntiat, quod crederet Joanni Iperio, qui in Chronico S. Bertini apud Martenium tom. III Anecdotorum col. 740 asserit,* Urbanum IV *a Trecensibus* Sanctum *vocari, additque:* Et in ejus honore ecclesiam ædificarunt in medio civitatis illius, in eodem scilicet loco, ut asserunt, ubi fuerat domicilium suum, seu locus suæ nativitatis. *Verum ea ecclesia ab ipso* Urbano IV *ædificari jussa est in honorem S. Urbani papæ martyris,*
C *ut recte observat Martenius, et fusius exponit Camuzatus in Promptuario antiquitatem Tricassinarum fol. 374 et seqq. Non colitur igitur* Urbanus IV, *nec Trecis, ubi natus est, nec Leodii, ubi fuit archidiaconus; nec Romæ; sed a pluribus inter venerabiles, ut præclarus Pontifex, memorantur.*


Benedictus, *monachus Cisterciensis, pietate præclarus,* beatus *de more vocatur apud Henriquez et Bucelinum, sed absque indiciis cultus publici.*

Ansbertus, *quem* Ambertum *vocat, ad hunc diem* Musciaci, *in diœcesi Cadurcensi annuntiatur apud Castellanum, ut sanctus et chorepiscopus. Non invenimus* Ambertum *in notitiis mss. diligenter compositis de sanctis diœcesis Cadurcensis, nisi sit* Ansbertus, *quem alii abbatem fecerunt, ut mox videbimus, et revera ipse Castellanus in corrigendis pag.* 982 Ambertum *suum pro chorepiscopo facit primum abbatem* Musciacensem, *sicut et alii volunt. Dionysius Sammarthanus tom. I Galliæ Christianæ col.* 159 *inter abbates Moissiacenses aut Musciacenses collocat secundum* Ansbertum, *sed primum*
D *Amandum fatetur incertum, mihique non minus incertus videtur* Ansbertus. *Pro eo vindicando affert ex vita S. Desiderii Cadurcensis, prout illa habetur in ms. Moissiacensi, sequentia verba:* Nam et Moissiacense cœnobium, paulo ante regiis impensis initiatum, hujus (*Desiderii*) tempore a viris laudabilibus Ansberto et Leocadio competenter expletum est. *Verum vita illa S. Desiderii edita est a Labbeo tom. I Bibliothecæ ms. pag* 699 *et seqq., locumque allegatum cap.* 12 *sic expressit:* Nam et Marciliacense cœnobium hujus temporis a viris laudabilibus Anseberto et Leutado initiatum est. *Vidit postea Labbeus dictum Moissiacense ms., et in Appendice tomi secundi ex eo notavit lectiones variantes, sed minime credidit, legitimam esse lectionem ms. Moissiacensis, in quo sit ab interpolatore Moissiacense cœnobium pro Marciliacensi substitutum, additumque illud,* paulo ante regiis impensis *initiatum. Non lubet de alterutra lectione judicare, cum hic præcipue in cultum inquiram, de quo certe ex neutra lectione constat. Laudatus Sammarthanus pro cultu affert sequentia:* In veteri, *inquit,* Martyrologio Silvæ-majoris legitur: Pri-
E die Cal. Octobris Musciaco monasterio S. Ansberti abbatis. *Verum unius privati Martyrologii auctoritas nequit securos nos facere de cultu* S. Ansberti *abbatis, præsertim cum nesciamus, quo tempore id in illo Martyrologio fuerit scriptum; cumque non inveniamus, an* Ansbertus *ille hoc tempore colatur aut umquam fuerit cultus. Præterea, ut observavit Henschenius noster ad 9 Februarii in S. Ansberto archiepiscopo Rotomagensi num. 5, Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad 9 Februarii annuntiavit S. Ansbertum Rotomagensem* in Moyssiacensi cœnobio, *acsi ibidem fuisset abbas. Hinc nonnulli scriptores conquerantur,* Ansbertum *Rotomagensem fuisse confusum cum* Ansberto *Musciacensi, recte quidem, modo constet, fuisse alium quempiam* Ansbertum *Musciacensem, de quo dubitat Henschenius, et merito. Itaque quam multa hic sint incerta, et parum probabilia, studiosus lector advertat. Primo incertum, an ullus umquam* Ansbertus *fuerit abbas Musciaci. Cum enim Saussayus S. Ansbertum Rotomagensem ibi abbatem fuisse dicat, idque verisimiliter habeat ex documentis*
F *illius abbatiæ, rationem præbet suspicandi, non ex duorum confusione ortum esse illum errorem, sed solum ex adoptato perperam S. Ansberto Rotomagensi. Vita S. Desiderii, admissa etiam lectione Moyssiacensi, parum prodest ad Ansbertum ibi statuendum abbatem. Nam monasterium, regiis impensis inchoatum,* a viris laudabilibus Ansberto de Leocadio competenter expletum *dicitur. Quis hoc non potius intelligas de constructione monasterii, quam de ejus regimine? Secundo, si omnino abbas fuisset Musciaci aliquis* Ansbertus, *de cultu ejus non constaret. Tertio, si quis* Ansbertus *fuerit certo Musciaci cultus, is facile potest esse S.* Ansbertus *Rotomagensis.*

Martinus Laterna, *presbyter Societatis Jesu Polonus, hac die in domestico Menologio ms. recolitur, sed sine ullo* Beati *titulo. Occisus fuit anno* 1592 *a Suecis hæreticis, marique demersus, dum ex Suecia in Poloniam redibat.* Beati *titulum* Martino *in Polonia attributum fuisse invenio, et fortasse non immerito. Certe ad vitæ compendium ms., in quo præclara viri virtutes,*


Capita S. MM. Ursi et Victoris
super muros tuos constitui custodes.




m
h
g
f
c
a
e
b
l
k
n
Chorographia Veteris Solodori.

A *tutes, beneficiaque et apparitiones post mortem narrantur, Bollandus noster hanc annotationem adjecit propria manu :* Scripsit mihi P. Nicolaus Lancicius, hunc una cum B. Stanislao Kostka a Clemente VIII Beatum nuncupatum, seque tum Romæ agentem curasse, permissu eorum, ad quos pertinebat, imaginem, ejus cum titulo beati sculpi. *Hoc aliquibus fortasse sufficeret ad* beati *titulum* Martino *dandum, et certe ante severa Urbani VIII decreta multis suffecisset. Verum nos exemplo Societatis Jesu, cujus scriptores a dictis titulis religiose abstinere solent, non existimamus, sufficere nuncupationem Clementis VIII, cum nesciamus, qua occasione, aut quo modo* Martinus Laterna *ab eodem* beatus *fuerit nominatus : neque enim summus Pontifex, dum quocumque modo aliquem vocat* beatum, *jus aliis concedit, ut eo titulo uti possint, eumdemque pro Beato habere, maxime post severa Urbani VIII decreta.*

S. Bavonis *Conf. translatio hodie est in ms. Florario : natalis est ad* 1 Octobris.

S. Francisci de Borgia, *præpositi generalis Societatis Jesu, obitus ad hunc diem memoratur a* B *Ferrario, Castellano et aliis, imo et in hodierno Romano, colitur vero in Ecclesia die* 10 Octobris.

S. Paulini *Eboracensis episcopi translatio memoratur in Florario ms., natalis in Martyrologio Romano ad* 10 Octobris.

SS. Tharaci, Probi et Andronici *MM. memoria hodie est in uno alterove Martyrologio ms., sed spectant ad* 11 Octobris.

S. Fortunatæ *virginis M. et trium ejus fratrum martyrum hodie mentio est in codice Usuardina Hagenoyensi, ubi annuntiantur* in Augia majori. *In Romano Martyrologio habentur ad* 14 Octobris.

Eusebii *presbyteri, qui dicitur accepisse reliquias S. Andreæ in Scotia, meminerunt hodie Dempsterus, et Ferrarius. Camerarius* Eusebium D *ponit 27 Aprilis, ut socium S. Reguli, qui reliquias S. Andreæ ex Achaia in Scotiam attulisse creditur. An S. Regulus socium revera habuerit* Eusebium, *isque colatur apud Scotos, examinari poterit, ubi Regulus ponitur in Breviario Aberdonensi, ad* 15 Octobris.

S. Huberti *episc. Conf.* translatio *hoc die memoratur apud Molanum De* S. Huberto *agendum est ad* 11 Novembris.

Adfalduidis *virgo, filia S. Romarici, ad hunc diem cum titulo* Sanctæ *annuntiatur ab Arturo a Monasterio in Gynæceo : sed sine ulla idonea auctoritate* sanctam *nominat, et sine ratione ad hunc diem. Allegat unice Saussayum ad 8 Decembris in elogio S. Romarici, in quo nominatur, ut filia, non ut Sancta. Addit Appendicem Saussayi, ubi* Adfalduidis *sive* Atfalduidis, *vocatur* beata. *At nullibi* Sanctam *vocat Saussayus. Quæ ad cultum et virginem* Adfalduidem *ulterius spectant, examinari poterunt, quando agetur de patre ipsius S. Romarico, ad* 8 Decembris.

Stratonici *martyris mentio fit in Menæis impressis cum duobus versiculis, quibus gladio cæsus di-* E *citur.* Mardonii *martyris ibidem fit mentio cum duobus item versiculis, combustum insinuantibus.* Mille Martyres *subjiciuntur in Menæis, iisque caput amputatum, indicant adjuncti versiculi.* Mygdonius, Gorgonius, Dorotheus Indes, Stratonicus, Glycerius presbyter, *et* Theophilus diaconus cum sanctis Mulieribus Sociabus, *memorantur simul in Synaxario ms. Constantinopolitano, ut dubitare vix possim, quin idem sit* Stratonicus *idemque* Mardonius *cum duobus synonymis inter posteriores memoratis. Redibunt hi omnes apud Græcos, et partim etiam in Martyrologio Romano ad* 28 Decembris.

DE SS. VICTORE ET URSO

CUM SOCIIS THEBÆIS MARTYRIBUS

C

SOLODORI IN HELVETIA.

F

CONMENTARIUS PRÆVIUS.

J. C.

§ I. Sanctorum Martyrum palæstra et antiquus cultus in Ecclesia : Acta suspecta : tempus martyrii.

PROBABILIUS ANNO 303 VEL 304. *Sancti a S. Eucherio laudati passi sunt Solodori.*

E*didimus in opere nostro ad diem 22 hujus mensis Passionem celeberrimorum Thebæorum Martyrum, qui cum S. Mauritio duce in Vallesia apud Agaunum coronati sunt. In Passione laudata de Sanctis hisce nostris meminit S. Eucherius Lugdunensis antistes ejus auctor, et scribit :* Ex hac eadem Legione (*Thebæa*) fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodoro passos, fama confirmat. Salodorum vero castrum est supra Arulam flumen, neque longe a Rheno positum. *Ex hisce in ipso limite hic deduco, celebrem fuisse de Sanctis nostris famam, sed Acta specialia martyrii eorum non exstitisse verisimiliter adulto sæculo 5, quo scripsit S. Eucherius, testem allegans, non Passionem aliquam, sed solam famam. Palæstram, quam brevibus hic describit sanctus antistes, Josias Simlerus in Republica Helvetiorum lib. 1 pagina apud me 69 pluribus prosequitur.* Salodorum, *inquit,* una est ex antiquissimis totius Helvetiæ urbibus, et Trevirorum soror dicitur, quorum urbem Nini seculo conditam esse, vetusti annales tradunt. Antiquitatem urbis indicant veteres Inscriptiones Romanæ, quarum aliquæ adhuc Salodori exstant. *Inscriptiones illæ in Deliciis Helveticis expressæ sunt, advertoque, ubi urbis nomen expressum est,* Solodorum *scribi, non* Salodorum, *quod a Salentinis profectum esse,*

AUCTORE J. C.

esse, quidam opinantur, et etiam in quibusdam instrumentis non recentibus reperitur, ita ut utroque modo scribere sine scrupulo liceat. Indigenæ urbem suam appellant Solothurn, Galli Soleure.

quæ urbs describitur. Primum ab Adone Fastis sacris

2 Ampla est ædificiisque ingentibus, tum sacris, tum profanis ornatissima. Pago inter Helvetiæ Conventus ordine undecimo nomen facit. Avitam religionem illibatam possidet, juri Lausannensis episcopi in spiritualibus subdita. In loco nonnihil eminenti ædificata est insignis cathedralis ecclesia, quæ a S. Urso nomen habet. Bertha Rudolphi II Burgundionum regis uxor celeberrimum ibi Canonicorum collegium erexit opibusque ingentibus dotavit. Urbis capitulique originem docet inscriptio, quæ legitur supra portam ecclesiæ pluribus versibus exarata : unde colligas, capitulum originem suam progressumque et urbem ipsam splendorem sanctis Martyribus nostris imprimis debere. Solodorum Arola fluvius alluit habetque in adversa ripa suburbium, ponte ligneo muris suis junctum. Haud procul inde capite minuti sancti Martyres, ex eoque in subjectum flumen præcipitati traduntur; quæ aliaque priusquam examinamus, assignemus eorum in sacris Fastis memoriam. Ab Adone B primum relatos fuisse in Martyrologium contendit Sollerius, nec quantum videtur, immerito, in antiquioribus enim Kalendariis Fastisque et Bedæ Martyrologio non memorantur. In Hieronymianis quidem hodie memoratur In Mediolano translatio S. Victoris martyris, sed alterius, Mauri verisimiliter, de quo egimus die 8 Maji.

inscripti videntur.

3 Itaque Ado sic sanctos celebrat. In Galliis castro Solodoro, quod est super Arulam fluvium, passio sanctorum martyrum Victoris et Ursi ex gloriosa Legione Thebæorum; cui cum illuc furorem Maximiani tyranni declinantes secessissent, ipsius jussu tenti ab Hirtaco executore primo diris suppliciis excruciati, sed, cælesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris, erepti, deinde in ignem missi sunt. Veniente autem mox pluvia vehementi, extincta pyra, in nullo penitus læsi, novissime gladio consummati sunt. E quibus S. Victor ad urbem Jenavensium translatus miraculorum gloria et veneratione Fidelium celebratur. Elogium suum ex Actis quibusdam composuisse Adonem, satis luculentum est. Usuardus, prætermissa translatione, nonnihil contractum in suum Martyrologium transtulit. C Memoriam SS. Victoris et Ursi apud Bedam non reperit et pariter omisit Rabanus, quam mutuatus est ab Adone Notkerus, et pro suo more contraxit. Martyrologium Richenoviense excusum tom. VI Junii annuntiationem hodiernam claudit his verbis : Et SS. Victoris et Ursi : at inde perperam inferes, multo antiquiorem Adone esse Sanctorum in Fastis memoriam, observavit enim in Præfatione Sollerius, etsi non ignobilem inter apographa Hieronymiana locum mereatur, esse tamen Sanctorum nonnullorum Germanorum mentione recentiori auctum et interpolatum.

Acta, quæ habemus ms., differunt ab editis a Surio,

4 Vicinia Angiæ divitis Helvetiæ, nomina Sanctorum nostrorum subministravit monacho, qui præfatum Martyrologium initio sæculi 12 in usum cœnobii Richenoviensis exaravit. Usuardi et Adonis elogia miscuit Baronius et hodie Martyrologio Romano inscripsit. Molanum, Canisium aliosque recentiores martyrologos omitto, ut ad actorum examen procedam. Non inveni nisi duplicia, quorum altera ex Gallia sibi allata Surius 30 Septembris edidit, altera accepimus mss. ex codice Signiacensi. Alterutra præ oculis habuisse potuit Ado in texendo SS. Victoris et Ursi elogio; in D utrisque enim præcipua leguntur, quæ apud illum contracta sunt. Difficile esset decidere, quæ antiquitate præstent et præferenda sint, neutris tamen credo multum tribuendum. Quæ nos habemus ex ms. Signiacensi, vel composita, vel certe aucta sunt post initium sæculi 7, cum in illis mentio fiat inventionis reliquiarum S. Victoris in Basilica Genevensi, quæ contigit anno 602, ut ex Fredegario infra observabimus. Eamdem epocham non habet Sanctorum Passio apud Surium, neque de S. Victoris exuviis speciatim meminit, verum aliunde etiam nihil occurrit, quo major ejus antiquitas commendetur.

de solo fere S. Victore agunt,

5 Quamquam non videtur operæ pretium pluribus in id inquirere, cum acta utraque iisdem titulis aliundè suspecta sint, ut jam edicam : id interim certum videtur, Suriana, quæ de S. Victore rebusque ad illum pertinentibus speciale nihil habent, alibi, Signiacensia, quæ ferme de solo S. Victore agunt, Genevæ, aut in ejus vicinia, vel conscripta, vel interpolata fuisse. Signiacensis porro hæc Passio tam fere unice ad S. Victorem spectat, ut, nisi interpolator rei insolentia ad pudorem usque perstrictus fuerit, expunxerit passionis longiorem historiam, quæ ad omnes sanctos Marty- E res pertinebat, ut hiulce de S. Victore referret aliqua, et mox ad hujus translationes et miraculæ festinaret. Tuis te oculis convince, lector, reddo Passionem ex ms. nostro integram, quia longa non est. Sic habet : Tempore illo, cum Maximianus imperator sanctum Mauritium cum sex millibus sexcentibus sexaginta sex in urbem Genevensium direxisset, ut jussionem suam implessent, quatinus Christianos persequerentur : tunc illi residentes in loco Agaunensi, dixerunt Maximiano imperatori : Christiani sumus, Christianos persequi non possumus. Tunc ille ira repletus jussit unumquemque interficere. Videntes hæc sancti Dei Victor et Ursus, quæ fiebant, occulte exierunt; et cum ad Salodorum castrum, qui super Arulam fluvium est, pervenissent, et auditum fuisset hoc ab imperatore, repletus furore jussit ministris suis, ut ipsos Sanctos persequerentur. Et cum pervenissent ad locum, ubi illi Sancti orabant, videntes eos ministri imperatoris, dixerunt ad illos : Qui estis vos? Et illi respondentes dixerunt : Nos sumus famuli Dei, Victor et Ursus. Et ministri dixerunt ad illos : Misit nos Maximianus imperator, ut ubicumque vos invenire poterimus, F statim vos interficiamus. Famuli Dei Victor et Ursus responderunt : Melius est nobis mori, quam ultra dæmonibus immolare. Tunc ministri comprehendentes eos, ducebant illos, ut torquerentur. Illi autem ambulantes psallebant, dicentes : Domine Jesu Christe, ne patiaris nos ire cum his, qui te negant verum Deum esse. Et cum torquerentur, clamabant : Domine Jesu Christe, da fortitudinem servis tuis, quia propter te libenter hæc patimur, et mitte angelum tuum, qui eripiat nos de manibus inimicorum nostrorum. Tunc apparuit super eos sicut radius solis, et qui eos torquebant ceciderunt, et facti sunt velut mortui, et Sancti Dei absoluti sunt a vinculo, quo tenebantur.

et sunt mutila. Ex Surianis suppleri possunt

6 Videntes vero turbæ gentilium expectantium quod factum est, glorificaverunt Deum Israel. Tunc unus ex ipsis ministris, nomine Hyrtacus, qui ad Christianos persequendos erat famosus, dixit pueris suis; Hoc, quod vidistis, phantasma est; sed dico vobis; ite concito cursu iterum comprehendere maleficos illos, qui contempserunt

A contempserunt præceptum Maximiani imperatoris, et seducunt populum ad legem Christianorum, et dicunt, se colere Christum Filium Dei... Videns vero circumadstantium multitudo, quid de Servis Dei factum fuisset, pagani quidem insistentes dæmonum culturis gaudebant, Christiani plangebant. Viderunt vero omnes per duarum horarum spatium sanctum Victorem genua flectentem, tanquam vivus adhuc esset: et cum hoc mirarentur, subito corpus ejus quievit, et sicut Sol resplenduit: statimque corpora eorum Christiani sepelierunt. *Hactenus apographum nostrum Signiacense, post quæ sequuntur translationes infra fusius memorandæ. Nemini autem dubium esse potest, quin post* se colere Christum Filium Dei, *loco, quem interpunxi, plurima prætermissa sint, quandoquidem saltus fiat a mandatu Hyrtaci de comprehendendis Martyribus usque ad horum postremum agonem et consummatum martyrium. Quæ porro sphalmate illo omissa sunt, profecto tam sunt insolentia, ut hominem vel leviter prudentem et critices non ignarum morari saltem et percellere debuerint. Ut ad judicium de actis ultra progrediamur, juverit ex Suriana Passione B excerpere et huc transferre, quæ hiatum mox indicatum supplere possunt. Monitum tamen lectorem volo, de prima facta per alios ministros, quam qui Hyrtaco præsidi urbis Solodorensis serviebant, Sanctorum comprehensione ibidem mentionem nullam esse; licet eadem fere data a Sanctis Hyrtaco responsa referantur et geminentur etiam tormenta cum prodigiis, quibus tandem fatigatus præfectus* Hyrtacus... super pontem prædicti fluminis (*Arulæ*) sibi sanctos Martyres jussit præsentari, ut eodem loco capite cæsos mox in alveum fluminis præcipitaret.

narratione prodigii,

7 Cæduntur ergo beati Martyres et in flumen præcipitantur, nec tamen longe a dicto ponte defluxerunt. Nam divina misericordia, apud quam omnia possibilia sunt, suæ mansuetudinis potentiam in eis demonstravit. Non longe namque a dicto ponte capita in manibus portantes flumen egressi sunt, et ad locum, ubi nunc in honore ipsorum basilica fabricata est, pervenerunt. Mirabilia hæc, et mirabilibus mirabiliora succedunt: sancti enim Martyres genua ad terram flectentes, quasi ad unius horæ spatium, priusquam corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernentibus, C orabant: orationi vero fine dato, corpora sua ad terram demiserunt acsi dicerent: Hæc requies nostra in seculum seculi. *Assentior enimvero lubens Passionis scriptori, esse hæc mirabilibus mirabiliora, imo tam mirabilia, ut ipso sine alio præstantiori vade asserente, apud criticos prudentes fidem inventura non sint. Certe quandoquidem meminerit basilicæ fabricatæ eo loco, ubi ex Arula in ripam ascenderant, capita in manibus gestantes Sancti, valde verosimile est, non solum longo tempore post Sanctorum martyrium, sed sæculo forte etiam decimo serius scripsisse, vel acta fabulis illis (sit verbo venia) deturpasse anonymum. Sane Ado, qui reliqua fere eo ordine, quo apud Surium gesta narrantur, in elogio suo contraxit, de prodigio tam insolenti ne suspicionem quidem ingerit; nec credo, monumenta alia, quorum initium ad Adonis sæculum attingat, reperiri, quæ commento umbram expandant.*

quæ apud criticos fidem non invenit,

8 *Scio, idem prodigium venerabilis ecclesiæ Solodoranæ Officiis Propriis omnibus monumentisque innumeris constanter unanimiterque celebrari, eamque historiam ibidem pro canonizata haberi, quippe quæ integra Bullæ Sixti IV inferius memorandæ inserta legitur: verum hisce omnibus obstantibus, non possum non fateri, eamdem illam, secundum eam partem, quæ emergentes ex fluvio Martyres capitaque manibus tenentes et per integram horam flexis poplitibus orantes exhibet, mihi haberi pro ornamento fabuloso, populari credulitate sustentato. Atque in eo criticorum ferulam non metuo, nec rigoris nimii exprobrationem, ne ab ipso quidem illustri Solodorano Capitulo, quod opem suam mihi in inquirenda veritate liberalissime contulit. Etenim ex monumentis, venerabilis illius Capituli jussu ad postulationem meam confectis, quorum infra usus erit uberior, fit mihi plane verisimile, narratiunculam illam non tantum Adonis sæculo juniorem esse, sed esse tam novellam, ut sæculum 13 vix ætate superet. Suadet id testimoniorum antiquorum penuria, quæ tanta est, ut non credam prolatum iri ullum Bulla Sixtina anni 1473 vetustius. Eumdem porro Bullam in magnum præsidium non adducet, qui novit, quantæ auctoritatis sint instrumenta similia in re pure historica, qualis hæc est.*

Victore J. C.

asserta ab auctore ignoto.

9 *Profecto ibidem narratur etiam iter Legionis Thebææ sub S. Mauritio duce Jerosolymam ejusque ibidem baptismus, instructio in fide Romæ sub Marcello Papa, quæ fabulæ æque convicta sunt et manifeste falsa. Idem porro censendum est de Officiis Propriis, in quæ, proh nimium facile! traditiunculæ populares barbaris sæculis receptæ fuerunt, ut experimur frequentissime, etiam valde recentes et penitus novellæ. Sane si suspicionem meam exponere candide liceat, ego vix dubito, quin historiola illa nata sit ex pictura vel simili monumento, in quo sancti Martyres, capitibus seu craneis ad umbilicum depositis in sepulcris reperti, exhibiti fuerint eadem manibus gestantes flectentesque, coronante illos desuper Deo. Is sane pingendi modus, quo martyrii species exprimitur, vulgaris valde est et usitatus, indeque, si ad ripam, ut palæstra vel locus, ubi ex aquis educta fuerunt sacra corpora assignaretur, flectentes depicti fuerint sancti Athletæ, facile nasci potuit præfata traditiuncula et populari credulitate nutriti celebrarique, ut ex similibus sexcentis alibi contigit. Da itaque, picturam hujusmodi in basilica per Bertham reginam exstructa exstitisse, suspicabor, credulum, imo pro sæculorum illorum barbarie sciolum, sic interpretatum fuisse, ab eoque in vulgus prodigiorum semper avidum manasse. Et hæc quidem* F *mea est opinio, quam lubens deponam, quando monumentis antiquioribus convictus fuero. Nunc quare suspicer, traditiunculam sæculum inter decimum et decimum quartum natam esse, accipe. Ejusdem auctor ait, Sanctos capita manibus ferentes, flumine egressos pervenisse ad locum,* ubi nunc in honore ipsorum basilica est fabricata: *de illa procul dubio ecclesia agens, quam regina Bertha sæculo 10, cum nulla esset ejus tempore, erexit, ut infra videbimus. Nolim autem credere, fabellam omnino novitiam fuisse, quando illam Bullæ inserendam Sixto IV obtulerunt Solodorenses; quapropter sæculum plus integrum adolescentiæ ejus concedo, et pergo ad alia.*

Probabilior est reliqua pars Passionis. Numerus Martyrum;

10 *Dispar ratio est aliarum Passionis partium, quæ, etsi cumulatis prodigiis non careant, non sunt tamen tam insolentia, partesque illæ Adonem, cujus auctoritas etiamsi non sufficiat muniendæ contra omnem falsi suspicionem narrationi, aliqualem tamen illi antiquitatem adfert. Illas itaque pro dubiis et, si velis, etiam pro probabilibus habeo. Circa sanctorum Martyrum numerum sunt jam hic prænotanda aliqua. Suriana Passio ipso fere initio*

SS.

AUCTORE J. C.

SS. Urso et Victori *Socios martyres tribuit* 66, *ita ut* 68 *cum principibus suis seu ducibus fuerint. Ado in Martyrologio suo Socios plane omisit, de solis* SS. Urso et Victore *scribens, ibidemque ad diem* 22 *Septembris S. Mauritio commilitones Thebæos assignavit tantum* 6600, *in Chronico tamen ad annum Christi* 288 *addidit* 66, *quos verisimiliter prætermissis* SS. Urso et Victore *ex Passione horum desumptos præcedentibus annumeravit, totidemque expressit Walafridus Strabo in Hymno de gloriosa Legione Thebæa, quem dedi Appendicis ad acta S. Mauritii et Sociorum* § 1. *Magis incertum est, an is specialem viderit* SS. Ursi, Victoris *ac Sociorum Passionem, qualem habuit Ado, quandoquidem ejus tempore forte jam rotundo numero Legionis* 6600, *quem expressit S. Eucherius,* 66 *alii in Martyrio SS. Mauritii et Sociorum inserti fuerint. Certe ibidem non semel observavi, in diversis codicibus variare numerum sanctorum Martyrum Legionis Thebææ, cumque, ubi rotundus non est ex Legionem Romanarum vulgari computu, ad illum accedere, cui sanctorum hodiernorum Martyrum Commilitones adnumerati sint, quod hic observasse, sufficiat: infra enim, cum de repertis sacris pignoribus disseremus, recurret de* B *hisce rursum sermo. De martyrii epocha stringamus hic paucis aliqua; paucis, inquam, nam monumenta, quæ vidi, omnia satis luculenter innuunt, martyrium* SS. Victoris et Ursi *non nisi paucis diebus post universæ Legionis apud Agaunum cædem contigisse, ita ut ejus epocha a tempore, quo hæc figitur, necessario dependeat.*

Tempus obitus martyrii.

11 *Nihil attinet, diversas chronographorum ea super re opiniones rursus hic recensere; inveniet eas lector Commentarii prævii ad acta S. Mauritii et Sociorum* §§ 6 *et* 12, *ubi plura etiam disserui de martyrii illorum epocha, et significavi, me plurimum propendere in eam sententiam, quod magnæ persecutioni decimæ illigandum sit. Pergit ea opinio mihi usque videri longe probabilissima, ex eaque annos* 303 *vel* 304 *martyrio* SS. Ursi et Victoris *initio hujus Commentarii adscripsi. De die facienda non videtur quæstio, cum constans in Fastis sacris ad* 30 *Septembris Sanctorum memoria satis innuat, eo die coronatos fuisse, cui acta etiam adstipulantur, ita enim octavo die post Socios suos Agaunenses, a quibus potuerunt aliquot ante diebus, imo hebdomadis, si velis, quando nimirum illis primum crudele Maximiani mandatum signi-* C *ficatum fuit, discessisse, martyrii lauream adepti sunt. Verum quidem est, Sanctis Thebæis conversionem illarum partium ad veram fidem adscribi, et tradi similia, ac si populis ibidem prædicassent fidemque disseminassent, quibus peragendis octo dierum et hebdomadum aliquot intervallum videatur non sufficere; at hæc ad sanctos, qui pro Mauritianis Sociis habentur, Felicem et Regulam, Victorem et Verenam aliosque referri debent, et denique assertum illud non stabilitur ullis testimoniis antiquioribus, atque adeo cum similibus traditiunculis sine magno molimine tuto negligitur. Interim dictum hic esto, utramque Passionem nos pro suspecta edituros et more nostro illustraturos.*

D

§ II. Monumenta venerabilis Capituli Solodorensis jussu curaque confecta et huc benevole transmissa. Disseritur de primaria tempore reginæ Berthæ inventione sacrorum corporum cultusque celebris initio.

Instrumenta Solodori

T*ransmissa ad nos jam ab annis aliquot fuere monumenta non pauca ad* SS. Ursi, Victoris *et Commilitonum gloriam posthumam pertinentia. Venerabile Capitulum Solodorense illa debita auctoritate munita benignissime concesserat postulationibus patris Mauritii Charaon, qui et perutilem nobis alibi sæpe operam contulit, et pro colligendis, quæ ad sancti patroni sui Mauritii et Legionis Thebææ martyrum sociorum gloriam conducere poterant, impigre imprimis laboravit, ut* E *sæpius Acta Sanctorum illorum illustrans cum grata memoria testatus sum. Instrumentis, quæ spectant ad sanctos Martyres nostros hodiernos, scrutandis intento dubia nonnulla occurrerunt, quæ vix alias, commode vero a Solodorensibus discuti posse visa sunt. Spem felicis successus faciebat ex monumentis a Chardono submissis collecta venerabilis Capituli propensio benevolentiaque in opus nostrum, summaque erga sanctos Tutelares suos veneratio. Datis itaque litteris ad collegii nostri Solodorani rectorem dubia mea proposui. Rescripsit haud diu post epistolam pater Petrus Froidevaux, qua et humanissime ad quæsita mea quæpiam respondit, promisitque et suam et venerabilis Capituli ulteriorem operam et disquisitionem. Lubet partem illam epistolæ huc transferre, ut Solodorensium pro augenda Patronorum suorum gloria solers studium propensissimaque erga nos voluntas memoris saltem animi testimonium a nobis accipiat.*

allata, quorum hic

13 *Sic itaque scribit Solodoro* 15 *Januarii* 1757 *præfatus pater Froidevaux.* Ad me datas Antver- F piæ XII proxime elapsi mensis Decembris occasione dubiorum, quæ occurrunt in discussione Actorum SS. Ursi et Victoris cum reverendissimo hujatis ecclesiæ collegiatæ Præposito domino Francisco Sury episcopi Lausannensis vicario generali quamprimum communicavi. Maxima voluptate tam ille, quam alii plurimum reverendi domini Canonici perfusi sunt, quod ex eis intelligant, a vobis summa sollicitudine perquiri, quæcumque conferre possunt ad SS. Ursi et Victoris, tutelarium suorum, cultum et gloriam promovendam. Nihil illi prætermittent, quominus omnia, quæ ad vestrum pium institutum suppeditare poterunt, studiose conquirantur vobisque, quam citissime fieri poterit, communicentur. Eum in finem, qui venerabilis Capituli tabularium denuo excutiat, et quæ eo pertinent ad se referat, aliquem jam elegerunt, admodum videlicet reverendum dominum Franciscum Jacobum Hermann, sacellanum et succentorem ecclesiæ sanctorum Martyrum, virum solertem et ad id muneris perquam idoneum... qui sperat fore, ut valeat communicare non pauca, quæ spectant ad tempus, locum, numerum et occasionem, qua inventa sunt corpora et ossa sacra, atque alia, de quibus edoceri *cupis. Biennium fere*

A *fere effluxit antequam promissa monumenta, impeditis in Germania exercituum tumultibus viis, ad me pervenerint, quæ sane reperi magna diligentia conquisita, judicio prudenti selecta, solerterque digesta.*

usus frequens et primo

14 *Sors voluit, ut præter exspectationem tomus VII hujus mensis non comprehenderit postremos duos dies, qui Octavum hunc implent, atque ita tempus natum sit paratum diu Commentarium, acceptis tandem documentis reficiendi, quod porro præsto, adjumentis tum benevole concessis usurus. Investigemus nunc ecclesiæ Solodorensis exordia, seu progressus, qui certe ab inventionibus cultuque sacrarum reliquiarum profectus est. Non attingo hactenus, quæ pertinent ad inventionem corporis* S. Victoris, *statumque, in qua tunc* S. Ursi *Sociorumque veneratio erat Solodori, de quibus speciatim postea; in illam tantum hic inventionem indago, a qua scriptores celebritatem cultus potissimum, imo ejus et ecclesiæ Solodoranæ initia veluti deducunt, licet ceteroquin non satis conveniant. Ordiamur a monumentis Solodorensibus : supra laudatus illorum digestor R. D. Hermann sicut sine ambagibus et fuco profitetur, nihil pro stabiliendo* B *martyrii auctoritate, de qua § præcedenti, sibi ad manum esse præter traditionem et historiam, in Proprio ecclesiæ collegiatæ Saladorensis approbato relatam, ita hic pariter pro dilucidanda inventione sacrorum pignorum ad idem Speciale seu Proprium remittit. Bina ejus exemplaria ad manum sunt, utrumque Friburgi, alterum anno* 1641, *alterum* 1704 *impressum, utrumque venerabilis Capituli benevolentia transmissum. Primum habet annexum Epilogum pro supplemento historiæ* SS. Ursi Victoris *et sociorum Martyrum. Ad hoc in paucis admodum ab altero diversum passim remittor eoque proinde utor.*

ad investigandum

15 *Itaque venerabilis clerus Solodorensis ritu duplici die 5 Martii agit* festum Revelationis divi Ursi, Victoris et sociorum Martyrum Thebæorum. *Totum officium proprium est. Inde accipe quæ hic ad rem faciunt. Hymnus ad Vesperas talis est.*

Pange felix Solodorum
Martyrum præconia
Et beata Thebæorum
Militum certamina,
Ossa digne servas quorum,
Recolens cum gloria.
Impios constanter divos
C Cum sprevere cæsaris,
Hirtaci non ira vivos
Sustinet, sed sanguinis
Ponte sacros fundit rivos,
Rubet unda fluminis.
Alveo vehunt beati
Victor, Ursus et Pares
Colla cæsa laureati,
Terra donec supplices
Jam necatos lege fati
Tumularet Martyres.
Berthæ lucis fulgurosæ
Cælitus demittitur
Splendor, et fragantis rosæ
Odor inde proditur,
Thebæorum gloriose
Ubi turba conditur.

celeberrimi cultus sanctorum Martyrum

16 Erant septem decemque
Martyres, qui sæculis
Senis latuere : freta
Christo, quos tam sedulis
Quærit votis : mox secreta
Tanta tradit clericis
Regna vendit hinc beata
Studiis flagrantibus,
In honorem Ursi grata
Templa firmat dotibus,
Mente tota præparata
Sanctis facta nutibus.
Turbæ multæ fit accessus
Virtus magna cernitur
Cæcis visus, claudis gressus,
Mutis sermo redditur,
Dæmonisque vim perpessus
Et surdus absolvitur.
Hinc revelas, Christe, multos,
Quinis post hæc sæculis,
Quos triginta septem fultos
Et fide et miraculis
Martyres simul sepultos
Terræ pandis tumulis.
Adsis, Urse, Christo grate
Cum tuis Consortibus,
Nosque Regi commendate
Ut de mundi sordibus
Purget, quo poli beatis
Sociemur cœtibus. Amen. E

ipsiusque Solodorensis ecclesiæ initium.

17 *Quæ adhæc observanda sunt, mox deducam; at prius subjungamus partem Lectionum 2 Nocturni, quæ ad eamdem rem plurimum conducit. Paulo post initium Lectionis 5 terminatur contracta narratio martyrii verbis inde desumptis.* Ac si dicerent : Hæc requies nostra in sæculum seculi. *Post quæ ita legitur :* Ego in loco, ut eadem refert historia, sancti Martyres annis latuere sexcentis. Demum vero illustris regina Bertha, uxor Rudolphi Burgundiæ et Romanorum regis (ex qua S. Adelhaidis uxor primi Ottonis imperatoris materque secundi Ottonis atque avia tertii Ottonis progenita est) instinctu Spiritus sancti admonita pretiosum illum reliquiarum thesaurum adinvenire ferventissime desiderans, ac propterea Altissimo ferventissimas preces cum jejuniis devotissime effundens, tandem a summo cordium cognitore, Christo videlicet, exaudita cælitus revelationem accepit, ut nosceret, ubinam talis tantusque thesaurus effodiendus et quærendus esset. Cum ergo locum, ubi sancti Martyres sepulti jacebant, sæpius devotissime invisens avide circumspiceret, ex indicio fulgidæ lucis, quam non semel animadverterat, et odoris suavissimi, veluti redolentium rosarum, verum sepulturæ F locum cognovit. *Terminatur hic Lectio 5 et sequitur* 6. Invento igitur tam pretioso thesauro, sua illico gaudens vendidit et locum illum emit. corporaque et reliquias Sanctorum digno collegit honore, illisque ecclesiam cum adjuncto collegio erexit, quam etiam dotibus, proprietatibus, privilegiis aliisque libertatibus et ornamentis magnifice decoravit.

Investigatur, quo circiter tempore

18 Quo venientes cæci, surdi, claudi, imbecilles, paralytici et obsessi, seu quacumque infirmitate alia detenti, et corpora Sanctorum tangentes, recipiebant sanitatem, atque etiamnum, si fides petentium non titubet, per Dei gratiam curantur. Præterea omnes, qui gloriosum martyrum S. Ursi et Sociorum ejus nomen puro corde invocant eorumque memoriam religiose colunt, ab aerea tempestate præservantur. *Clauditur deinde Lectio adhortatiuncula, ut Sancti religiose colantur et cum fiducia invocetur eorum patrocinium. Bertha, cui sanctorum Martyrum reliquiæ revelatæ traduntur et exordia ecclesiæ adscribuntur, uxor fuit Rudolphi II regis Burgundiæ Transjuranæ, a quo S. Innocentii Thebæi martyris*

tyris corpus accepisse Ottonem I ex hujus ipsius diplomatis aliisque monumentis ostendi § 5 Appendicis ad Gloriam posthumam Mauritianæ legionis tom. VI Septembris pag. 903. Obiit Rudolphus anno Christi 937, regnumque adeptus fuerat anno 912, acceperat vero uxorem Bertham, Burchardi Alemannorum ducis filiam, anno 922, quæ post mariti mortem nupsit Hugoni Italiæ regi, ut scribit Luitprandus lib. 4, cap. 6.

contigerit inventio

19 *Hugoni libidinosis spurcitiis immerso mox invisa fuit Bertha, sic ut illam palam execraretur. Reperire non potui, an Bertha usque ad Hugonis mortem, quæ anno 947 contigit, illi adhæserit. Certe postmodum in Helvetiam reversa est, vivebatque adhuc anno 962, quo fundavit monasterium Paterniacum in diœcesi Lausannensi medio ferme itinere Friburgum inter et Everdunum. Fundationis illius litteræ primariæ, teste Mabillonio in Annalibus ad annum 962, num. 67, exstant in bibliotheca Sebusiana, earumque compendium tradit ibidem Mabillonius cum epocha* Data in die Martio, Kalendis Aprilis, anno 24, regnante Conrado rege. Actum vero Lausana civitate. *Quo anno mortua sit Bertha regina, incompertum habeo: in monasterio Paterniaco sepulta est, ut tradit* B *inter Scriptores rerum Brunsvicensium auctor vitæ S. Adelheidis imperatricis, qui creditur Odilo Cluniacensis, lib. 1, num. 9. Figamus nunc pedem et inquiramus, quo circiter anno pretiosum thesaurum invenisse Bertha credatur. R. D. Hermann in observationibus mss. ad dubium meum secundum asserit, annum Christi 930 communiter haberi pro anno* primæ inventionis, *eamque sic figit, ut inde calculos alios ad chronotaxim deducat. De hisce interius: interim quamvis non habeo, quo absolute epocham illam evertam, ipsa tamen instrumenta Solodorensia eamdem minus verisimilem faciunt: quandoquidem non obscure innuunt, Bertham sui juris fuisse, quando revelatio memorata contigit. Appello imprimis ad Lectionis 5 initium num. 17 relatum.*

septendecim sacrorum corporum

20 *Clarius id asseri videtur in inscriptione, cupreo tegmini inscriptionis alterius insculpta, quæ visitur ad valvas ecclesiæ* S. Ursi *Solodori, quamque ex monumentis sæpe memoratis hic repræsento:*

ORIGO SOLODORI ET ECCLESIÆ COLLEGIATÆ D. URSI.

C

Terra ferax multos Salodoria tecta per annos
(Sic docuere patres) circa aurea tempora Nini
Lecta casis sedes, celebris sine mœnibus olim
Vicus tum fuerat, juncto mox robore turris
Famosæ, ex vico castrum fecere parentes.
Mœnibus urbs tandem melius munita quadratis
Digna fuit, coleret quam sæpe Rodulphia Bertha
Regali viduata thoro, lacrymisque piisque
Dum precibus Thebæa petit repetitque sepulchra,
Mota quibus Salodorum auget donatque sacratis
Mystis, templa, quibus magni sacra ossa quiescunt
Patroni, fundat claris et dotibus ornat:
Turba ubi sacra Deo concordibus æthera votis
Alterno pulsare choro vigilatque tueri,
Relliquias amat ingentes, queis mira frequenter D
Dona piis veniunt hac in mortalibus urbe;
Quæ variis mutata modis dominataque miris
Jam vicibus, reliquis tandem associata quiescit
Urbibus Helvetiæ, concors et fœdera servat,
Pacis amans Superumque ac Religionis avitæ.

ex revelatione divina

21 *Hæc porro inscriptio, etiamsi auctoritatem adferre non possit ab antiquitate, utpote verisimiliter nata tantum sæculo 15 senescente, ut suadet versus penultimus, tamen traditionem illic fuisse conformem relatis ex officio, ostendit. Hinc autem, cum vidua fuisse Bertha dicatur, manifestum fit, fundationem Solodorensis ecclesiæ post annum 937 differendam esse, quippe quo Rudolphus tantum mortuus est et viduam reliquit Bertham. Sed spectatis fundationis adjunctis, quæ exiguum tempus non patiuntur, ne vel tunc quidem locanda videtur, cum vix aut ne vix quidem duobus annis vidua fuisse videatur Bertha, antequam Hugoni Italiæ regi nupserit. Liquet id ex monumentis a Muratorio in Annalibus Italiæ ad annum 938 productis,* E *quibusque conficit, eodem illo, imo forte præcedenti, S. Adelheidem Lothario, illius matrem Bertham hujus patri Hugoni matrimonio junctam fuisse. Atque adeo, hisce stantibus, probabilius videri potest, post Hugonis mortem atque annum 947 retrahendam esse fundationem, et, cujus occasione contigit, sacrarum reliquiarum revelationem. Certe tum diutius quietiusque in Helvetia egisse videtur Bertha, tædiumque mundanorum rerum voluptatumque, quarum inanitatem experiri potuerat, exhibet mulierem sanctæ æmulationi inquietudinique magis aptam tunc, quam cum sæculi deliciis involuta esset. Et hæc quidem mea est opinio, quam narrationis ordo et adjuncta ex ipsis monumentis Solodorensibus petita pariunt.*

facta Berthæ quæ non fuit imperatrix

22 *Porro quandoquidem tempus proprius ne conjecturis quidem erui videatur posse, ponamus memoratam inventionem sacrorum corporum atque ecclesiæ Solodoranæ fundationem sub medium sæculi 10, seu annum 950, contigisse, et inquiramus, an et quid opinioni illi opponi possit. Hermannus sæpe laudatus in mss. operose discutit calculos aliunde petitos et cum epocha mox memorata combinandos. In illis, quæ ex Lectionibus Proprii Solodorensis excerpsi num. 17, dicitur:* Eo in loco, ut eadem refert historia, sancti Martyres annis latuere sexcentis. Demum regina Bertha... exaudita cælitus revelationem accepit, ut nosceret, ubinam talis tantusque thesaurus effodiendus et quærendus esset. Sexcenti *nimirum anni inveniendi sunt a revelatione facta Berthæ usque ad tempus, quo abscondita delituere sacra pignora, qui si ab anno 950 deducantur, in annum circiter 350 delabemur. Sed nec anni* sexcenti *sic certi sunt, ut non patiantur ex documentis aliis oppositionem, propter quam corrigendi sunt, eodem judice. Bulla Sixti IV, quæ incipit* Alma mater *et inferius danda est integra, asserit, quod Sancti* inter spinas et tribulos quingentis latuerint annis incogniti, *nimirum usque ad revelationem Berthæ factam, de qua agimus. Bullæ suffragantur monumenta duo non infimi inter mss. meriti, quæ hic locum habeant. Inscriptiones binæ sunt Germanicæ ad valvas ecclesiarum* S. Ursi *exstantes.*

23 *Ad primam sic prænotat collector Hermannus.* Inscriptio ad portas ecclesiæ collegiatæ S. Ursi

A Ursi plumbeis litteris lapidi quadrato infusis, quæ et anno 1474 ob aeris injurias cuprio tegmine (*cui versus paulo ante relati inscripti deinceps fuere*) obducta fuit. *Habe integram latine redditam.* Quando numerabatur post nativitatem Domini nostri Jesu Christi annus ducentesimus octogesimus octavus, regnabant duo imperatores: alter vocabatur Diocletianus, alter Maximianus. Tunc athleta cælestis S. Ursus, qui dux erat in legione S. Mauritii, cum sexaginta sex sub imperatore Maximiano et præside Hyrtaco post multos cruciatus capite cæsus et in Arulam præcipitatus fuit. Caput singuli suum sustulerunt seseque tumulo deposuerunt illo loco, ubi nunc exstat sacellum S. Petri, jacueruntque ibi quingentis annis, et inventi sunt illorum septemdecim a regina Bertha, quæ inventos inde transtulit in sacram hanc ædem etiam a Pontifice consecratam. (*Vox Germanica dubia est, sic ut ad inventos referri possit, quo sensu aptius vertetur canonizatos*). Postea anno millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio ex iisdem sanctis triginta sex reperti fuerunt et a Pontifice Sixto IV eodem tempore canonizati, qui etiam a multis præsulibus

B inde elati et in altari S. Ursi collocati fuere per vicarium Lausannensem, qui et in sacello S. Petri tres ex sanctis illis in altari S. Crucis deposuit. Omnipotens Deus, dignissima Mater ejus sanctique hanc urbem semper protegant.

Hertrada Caroli Magni mater.

24 *Hæc ibi: documentum aliud ms. hanc notam præfert.* Altera inscriptio ad portam minoris ecclesiæ S. Ursi, in Traibis Kreutz dicta, *circa quam videri potest chorographia Veteris Solodori littera* b. *Hæc porro sic habet germanice.* Anno post natum Christum 288 sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, judice Hyrtaco, Solodori SS. Ursus et Socii prope hanc ecclesiam super ponte, qui tum temporis hoc loco erat, capite truncati et in Arulam projecti sunt. Singuli caput suum extulerunt et egressi sunt ad S. Petri, et post annos 500 inventi fuerunt a Bertha regina. *Binæ inscriptiones hæ cum Bulla Sixti IV luculenter conveniunt, quingentosque tantum pro sexcentis habent annos, quibus sacra lipsana usque ad Berthæ inventionem latuerint. Si documenta allegata majorem fidem auctoritatemque adferrent, operæ pretium esset de calculis litigare; at luce meridiana clarius est, non esse ullum*

sed Rudolphi II Burgundiæ regis

C *anno 1473, seu Bulla Sixtina antiquius, atque adeo testimonia esse revelationi reliquiarum, de qua agitur, sæculis ad minimum quinque posteriora. Deducamus interim calculum, ut si quid forte circa translationem S. Victoris, de qua speciatim agam, emergat, huc remittam.* Sexcenti anni, *ut jam supra monui, si ab anno 950, circa quem sacras reliquias Berthæ revelatas fuisse suspicor, subtrahantur, relinquent annum 350, seu sæculum quartum medium, cujus initio ex mea opinione sancti Thebæi Martyres coronati sunt. Hoc si respiciatur, tuto negligi possunt anni residui, qui* sexcentis annis, *numero rotundo assertis, superabundant.*

25 *Quod si annos* quingentos *ex instrumentis aliis epochæ revelationis subducamus, in sæculum 5 deducemur, quo an sic cognita fuerint et celebrata sanctorum Tutelarium Salodorensium sepulcra*, ut ab hoc tantum latuisse per quinque sæcula censeri possint, hactenus ignoro. Sub id tempus translatum fuit corpus* S. Victoris *Solodoro Genevam, uti videbimus: sub idem figit Hermannus Solodori omnimodam vastationem per Hunnos, ad quam, si quidem vere contigit, huc forte respicitur.*

relicta vidua. Monumentum confirmationis

Ceterum ne quis miretur, tam monumentis antiquis hodiedum destitutos esse Solodorenses, subnecto instrumentum sæculi 13, quo vix habeat vetustius, quoque manifestum fit, jam ab illo tempore in tanta illos fuisse similium penuria, ut venerabile Capitulum ne possessionum suarum quidem testimonia scripta habuerit, sed ut verbalia, ut aiunt, majorumque traditiones fuerit recurrendum. Bellorumne et hostilium incursionum injuria, an alia quadam occasione et causa id contigerit, nescio; at rem ipsam, quod exhibeo ex Mss. sæpe memoratis instrumentum, indubiam facit. Henricus abbas humilis de Friensberg, executor a Sede Apostolica delegatus, Cisterciensis ordinis, Constantiensis diocesis, omnibus præsens Scriptum intuentibus notitiam subscriptorum.

auctore J. C.

26 Quæ geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, litteris solent a principibus et honestorum testimoniis corroborari. Noverit ergo præsens ætas et futura posteritas, Litteras domini Papæ nos recepisse sub hac forma. « Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto » filio abbati de Friensberg, Cisterciensis ordinis, Constantiensis diocesis salutem, et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum E » filiorum Præpositi et Capituli Solodorensis » ecclesiæ, Lausanensis diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipsæ possessiones, » redditus, homines, et alia quædam bona » ad ipsam ecclesiam spectantia in diversis locis obtineant, de quibus non habeant publica » documenta, et super his processu temporis » moveri ergo timeatur quæstionem, providere » ergo ipsis paterna sollicitudine curamus. Ne » igitur imposterum fortuitis casibus probationis » inopia subtrahatur, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus testes » idoneos, quos D. D. Præpositus, et Capitulum super præmissis duxerint producendos, » prudenter recipere et diligenter examinare procures, ipsorumque dicta redigi facias in publica » munimenta, denuntiando illis, quos negotium » forte contingit, ut receptiones* testimonii, » si velint, intersint, et super denuntiatione » sic facta confici facias publicum instrumentum. Testes autem, qui fuerint nominati, si » se gratia, odio, vel timore substraxerint, per » censuram ecclesiasticam appellatione compellas, veritati testimonium perhibere. Datum Lu- F » gduni 13 Calendas Septembris Pontificatus nostri » anno quinto. »

possessionum et

** forte receptioni*

27 Nos vero ad mandatum apostolicum, tanquam filii obedientiæ obsequentes, ad ipsum castrum Solodorense personaliter accessimus, et testes videlicet clericos et laicos ex parte prædicti Præpositi et Capituli, maturiores, videlicet et honestiores ex burgensibus, coram nobis productos secundum formam juris recepimus, et diligenter examinavimus juxta formam nobis traditam; per quorum dicta invenimus, ecclesiam Solodorensem in omni jure secundum ecclesiam Turicensem in prima sui fundatione esse constructam, et constitutam a quadam regina, nomine Bertha, quæ ipsam ecclesiam et castrum construxit; videlicet, quod ad ipsum Præpositum et Capitulum omnia judicia ipsius castri, scilicet officium sculteti, moneta, telonium, cum omnibus aliis juribus, quæ vulgo dicuntur Bauretzwing, pertinent, præter judicium sanguinis, quod solum advocato, videlicet regi Arelatensi, seu officialibus ab eodem pro tempore constitutis, in cujus regno consistit, est reservatum,

prærogativarum

AUCTORE J. C.

vatum, et in hoc omnes testes, quos recepimus, quorum nomina subscribemus, unanimiter concordarunt, et concordant, ita a suis antiquioribus pro vero didicisse, et quod ita ipsi pro certo sciant esse. Nomina testium sunt hæc. Henricus præpositus Solodorensis, Magister Nicolaus, Magister Henricus custos. Albo Plebanus de Luslingen. Conradus de Bubatsche, et Magister Petrus. Canonici Solodorenses. Henricus scultetus, Tietrus in urbe milites. Wernerus de Messon, et Ulricus Rotti Plebani. Chomo Multa. Henricus in Ponte. Coradus Hagno, et Chorados filius ejus. Henricus Hevelin, Bertholdus Isen, Borhardus Præpositi. Ulricus Suri, Ulricus Schapliné, Ulricus Lothard, minister ecclesiæ, Burgenses Solodorenses, et alii omnes, qui manifeste idem recognoverunt.

ecclesiæ Solodoranæ.

28 Unde nos de mandato et authoritate apostolica coram nobis et venerabilibus patribus et Dominis, scilicet Johanne Lausanense Episcopo, Aymone Abbate Erliacense, Ulrico abbate S. Urbani, Ulrico præposito S. Marii Lausanensi, Rodolpho comite de Falkenstein factum confirmamus, et super his prædictis, Præposito et Capitulo nostras patentes litteras sigillo venerabilis episcopi Lausanensis, nostro, et sigillis præscriptorum dominos confirmatas. Actum Solodori anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, decimo septimo Calendas Maii. *Instrumentum hocce ex autographo sigillis suis munita et in tabulario venerabilis Capituli asservato exscriptum est. Quæ porro Bulla ad abbatem de Friensberg a Pontifice data hic inseritur, est Innocentii IV, cujus annus quintus mense Augusto currebat cum anno Christi 1247, quo Lugduni agebat Innocentius.*

§ III. Inquiritur in statum, in quo SS. Ursi et Sociorum tumulos invenerit regina Bertha. Nulla ibi videtur fuisse ejus tempore ecclesia vel monumentum publicum, Sanctis consecratum. Inter septemdecim corpora ab illa inventa, fuerunt S. Ursi reliquiæ, circa quas disseritur.

Murerus circa ecclesiæ Solodorensis initia

Scriptoris non pauci et historici recentiores produnt, ecclesiam Solodorensem a sæpe memorata regina Bertha, Rudolphi II et Hugonis vidua, amplificatam quidem, ornatam et dotatam, negant tamen, tam primum fundatam et inchoatam fuisse. Hos inter Murerus in Helvetia sancta de SS. Urso, Victore et Sociis agens scribit cap. 8, Bertradam Pippini regis conjugem matremque Caroli Magni sub annum 800 excitatam cælitus, cum Solodori lubenter ageret aulamque teneret, vetus castrum Solodorense renovasse cœnobiumque in honorem S. Ursi et Commilitonum ædificasse, uti et ecclesiam, quæ postmodum a Bosone Lausannensi episcopo anno demum 892 consecrata sit. Addit, post inventas sacras reliquias a regina Bertha Rudolphi II Burgundionum regis uxore ecclesiam amplificatam solum, et cœnobium Benedictinorum *ibidem conditum fuisse. Unde hæc hauserit Murerus, hactenus ignoro; sed ex illis quæpiam certo falsa sunt, quæpiam parum verisimilia. Bertradam Caroli Magni matrem autem Solodori fixisse, tam est inauditum, ut ejus gesta perscrutanti videatur exiguo tantum tempore ibidem agere potuisse. Præterea obiit piissima imperatrix illo anno* 783, *adeoque non circa annum* 800, *nisi illud circa ad* 20 *et amplius annos extrahatur, fundavit Solodori ecclesiam. Et unde, quæso, Murerus Bosonem Lausannensem episcopum accersit, ut consecret ecclesiam* 110 *et amplius annis postquam ædificata fuit. Habeo libellum, cujus alibi alias usus erit, præferens titulum:* Status seu epocha ecclesiæ Aventicensis, nunc Lausannensis a primordiis usque ad nostra tempora (*annum* 1724) ab existente episcopo Lausannensi (*Claudio Antonio*) . . . humillime repræsentata *Benedicto papæ XIII. Ibi pag.* 18 *invenio, Bosonem anno* 882 *ad infulas Lausannenses erectum sedentemque annis circiter* 35, *nimirum usque ad annum* 917.

30 *Circa consecrationem Bosonis ibidem legitur.* Cum imperator Rudolpho I de Stratlingen, qui tempore Hieronymi (*qui Bosonem præcesserat*) se in regem Burgundiæ proclamari et coronari fecerat, bellum indixisset, unde Lausannæ pacificam residentiam tunc non obtineret, Solodori in episcopum munere consecrationis inauguratus est. *Brevius eadem fere habent Sammarthani in Catalogo, quæ si bonis monumentis nixa sunt, Murerum inducere in errorem potuere, ut ex consecratione episcopi, ecclesiæ per eumdem factam consecrationem crederet. Ejusdem furfuris esse suspicor, quæ de fundato per Bertham Rudolphi II conjugem Benedictinorum cœnobio commemorat. Sane, quod in instrumento superius num.* 27 *producto dicitur,* Ecclesiam Solodorensem in omni jure secundum ecclesiam Turicensem in prima sui fundatione esse constructam et constitutam a quadam regina, nomine Bertha, *neutiquam monachis, sed Capitulo et canonicis convenit, ut observavit in suis mss. Hermannus. Ridiculum autem esset, ex voce* monasterio *cœnobium monachorum statim condere, quandoquidem notissimum sit, monasteria canonicorum simul habitantium fuisse quondam maxime illo tempore in usu, conciliorum etiam canonibus laudato et inculcato. Verum de hisce plusquam satis: mittamus Murerum, in adjunctis tantum forsitan aberrantem, videamusque, an Bertrada vere Solodori ecclesiam fundarit, quod est assertum fere omnium, qui de Solodorensibus rebus recentius scripserunt, et ipsius sæpe laudati Hermanni, circa punctum hoc nonnihil vacillantis. Observandum porro in ipso limine, judicio, Bertradam Caroli Magni matrem frequentius* Bertham *fuisse appellatam; atque inde, ut fit, etiam innocenter errorem ex synonymia oriri potuisse, maxime, si popularis amor, ut solet, monumentorum suorum antiquitatem protendere studuit.*

anachronismi et lapsus.

31 *Porro quamvis certum est, in nullis instrumentis hactenus allatis, quæ vetustissima sunt, quæ Solodorenses proferre possint, Bertradam seu Bertham Caroli Magni matrem expresse, Bertham vero Rudolphi II conjugem in omnibus fere distinctissime fundatricem ecclesiæ Solodorensis designari, tamen etiam indubium est, ante hujus reginæ tempora ecclesiam Solodori fuisse. Etenim, ut mittam præsumptionem, quæ tantum non certitudini æquivalet, quæ a loci celebritate cultuque ibi diu Catholica religione eruitur, consecratio Bosonis episcopi Lausannensis, quæ verisimilius non in aperto campo,*

Exstitit sæculo 10 Solodori ecclesia

A *campo, sed in ecclesia peracta est, id ipsum tam evincit, ut ego pro indubio habeam. Verum, ne ex basilica existente, basilicæ* S. Ursi *exsistentium arguamus: hanc enim tantum a Bertha regina fundatam et inchoatam fuisse, credo. In chorographia Veteris Solodori superius exhibita locus occurrit quatuor crucibus et littera* I *signatus, circa quem sic notat Hermannus.* Locus intra castrum, ubi postmodum prima ecclesia parochialis, ad S. Stephani dicta, fundabatur. Quo tempore, nescitur. Spatium cohærens adhuc hodie FREYTHOFF, id est, COEMETERIUM dicitur. Parochia postmodum ad collegiatam ecclesiam translata, hic vero sacellania et Missa quotidiana fundata est. *Vix ego dubito, quin hæc dicta sint de antiquiore ecclesia, quam vel fundasse vel ornasse potuit Bertrada; sed Ursianæ basilicæ fundatio Berthæ debetur, uti et eidem adscribenda sunt celeberrimi cultus initia, saltem monumenta quodam exteriori et publico decorata. Sane tempore Berthæ tam non exstabat ecclesia* S. Ursi, *vel crypta, vel sacellum S. Petri, de quibus unice dubitari utcumque posset; ut Sanctorum Martyrum tumuli fuerint plane incogniti. Atque hoc ex monumentis traditioneque Solodorensium indubitatum est.*

B

sed nulla super Sanctorum nostrorum tumulis.

32 *Recolligamus ex Officio Proprio aliqua:* Orationi vero fine dato (*ita Lectione* 5) corpora sua ad terram dimiserunt (*sancti Martyres*) ac si dicerent: Hæc requies nostra in sæculum sæculi. Eo in loco, ut eadem refert historia, sancti Martyres annis latuere sexcentis. Demum vero illustris regina Bertha... exaudita cælitus revelationem accepit, ut nosceret, ubinam talis tantusque thesaurus effodiendus et quærendus esset... Invento igitur tam pretioso thesauro, sua illico gaudens vendit et locum illum emit, corporaque et reliquias Sanctorum digno collegit honore, illisque ecclesiam cum adjuncto collegio erexit. *Ecce Sanctorum inventa corpora in loco, qui monumento nullo designatus erat, ecce locum emptum, ecce erectam Sanctis locandis basilicam, quæ a* S. Urso *nomen accepit. Conspirat Bulla Sixtina* Alma mater, *unde excerpo huc pertinentia:* Qui tamen (*Sancti, præcisis cervicibus, in flumen præcipitati*) non longe ab eodem ponte defluentes singulique sua capita propriis manibus deferentes, ac sic in terram egressi, ibidem inter spinas et tribulos quingentis latuerunt anois incogniti.

C Sed tandem ossa eorum, videlicet decem et septem corporum dumtaxat, opere claræ memoriæ reginæ Berthæ, cui id divinitus ostensum est, effossa et levata ac ad basilicam per ipsam reginam Bertham constructam, quæ et nunc ecclesia est collegiata, per episcopum Gebennensem, tunc loci ordinarium, honorifice recondita fuere. *Clarioribus, ni failor, verbis dici non potest, sacra lipsana loco, qui sine omni indicio seu sacro seu profano, imo sylvestris erat et neglectus, inventa fuisse, et ecclesiam Ursianam tunc primum revelationis occasione inchoatam fuisse. Vacillarit hic nonnihil, ut superius innui, eruditus Hermannus, qui dum passim Bertham primam Ursianæ ecclesiæ unicamque fundatricem agnoscit et deprædicat, ad punctum tamen* Cultus quoad templa, altaria etc. *sic observat.*

qui tum temporis erant incogniti

3 Quale templum ante seculum 8 Solodori fuerit, ignoratur: nisi quod quidam existiment, tunc jam exstitisse ecclesiam S. Stephani, quæ in loco crucibus signato juxta Tabulam 1 (*chorographiam Veteris Solodori*) sita est, et ut traditur, prima parochialis fuit. Interim prima templi Solodorani ædificatio attribuitur Wertradæ, uxori Pippini, qui ambo in vicinia Solodorana, præcipue in castro PIPP, ab illo sic nuncupato, sæpius degebant, idque ad initium seculi 8. Sic Guillimannus lib. 3, pag. 379 aliique. *Recentiores hi scriptores sunt, quam ut rem tot sæculis transactam sine quæsitis antiquiorum testimoniis stabiliant. Quamquam, esto hæc omnia verisimilia, imo vera sint, parum refert. Magis mihi adversantur, quæ ita prosequitur Hermannus laudatus.* Ecclesia autem, quam hæc (*Wertrada seu Bertrada, Pippini uxor materque Caroli Magni*) exstruxisse vel inchoasse creditur, est illa inferior, (*vide delineationem num.* 5).. Hinc in ecclesia nostra hæc inscriptio: A PRIMIS ECCLESIÆ HUJUS FUNDAMENTIS ANNO 718. *Cujus ætatis sit hæc in calculis ad plures annos in ipsius etiam pro Bertrada pugnantis opinione aberrans inscriptio, non edicit Hermannus: neque ego aliunde novi. Suspicor, non esse instrumentis, in quibus de fundatione ecclesiæ Ursianæ per Wertradam altum siletur, vetustiorem, quandoquidem tam parum et quasi cursim tantum, hic compareat. Ego sane censeo, eadem omnino contra ecclesiam inferiorem seu cryptam militare, quæ hactenus contra reliquam ecclesiæ Ursianæ ante Berthæ tempora fundationem ædificationemque protuli. Et argumentum quidem negativum seu silentium antiquorum tanto profecto hic vim majorem obtinere debet, quod ecclesia illa inferior seu crypta non sit plane subterranea, ut ex delineatione liquet, ubi toto illo spatio, quo eminet a littera* a *ad litteram* f *est pavimento ecclesiæ soloque æquo superior, atque adeo latere minus potuisset. Accedit, quod cryptarum semisubterranearum locandis sacris corporibus constructio, non solum sæculo* 10, *sed multis etiam posterioribus sæculis fuerit multum communis, ut ex variis, quæ etiamnum exstant basilicis, manifestum sit: atque proin conjecturæ, quæ ex architecturæ diversitate similibusque adjunctis nasci possent, leves admodum et nullæ sunt. Plura non congero ad probandam rem, quæ mihi penitus indubia et luce meridiana clarior est. Nec, quidquid tenebras effundunt aliqui, magis ambigo de sacello S. Petri, quod constructum credo a Bertha, eodem illo loco* (*vide in chorographia Veteris Solodori littera* a, *in Novi num.* 2.) *unde septemdecim sacra corpora extraxit, quemque tum hisce, tum aliorum nondum repertis sacris exuviis sacratum et veneratione dignum censuit. Nitor hic rursus traditionibus monumentisque, quæ habent Solodorenses. antiquissimis. In Proprio seu Officio nihil quidem in rem nostram occurrit, quippe, ubi de posterioribus inventionibus sacrorum corporum nulla est mentio.*

E

F

et in loco sylvestri.

34 *Harum occasione et præcipue illius, quæ anno* 1473 *contigit, ita imprimis legitur in Inscriptione Germanica de qua num.* 23. Caput singuli suum sustulerunt seseque tumulo deposuerunt illo loco, ubi nunc exstat sacellum S. Petri, jacueruntque ibi quingentis annis, et inventi sunt illorum septemdecim a regina Bertha, quæ inventos inde transtulit in sacram hanc ædem. *Accedat testimonium ex Epilogo, seu Supplemento Historiæ SS.* Ursi, Victoris *et Sociorum, quod ad calcem Proprii Solodorensis excusum est. Sic ibi legitur:* Præter illa septemdecim ergo corpora sanctorum Patronorum cælesti et miraculosa revelatione a regina Bertha circa nonum post mundi redemptionem sæculum inventa, alia ossa ac capita triginta septem corporum leguntur anno 1473 mense Aprili effossa, occasione renovandæ et in majus spatium extendendæ capellæ, (*S. Petri*) quæ in ipso loco, quo præfata

AUCTORE J. C.

Auctore l. c.

fata regina septemdecim prima corpora invenerat, fuerat constructa. *Clarissime idem habetur ex Bulla Sixtinæ sæpius memoratæ verbis, quæ huc transfero.* Verum ex tunc (*a revelatione Berthæ reginæ facta et constructa per eadem basilica Ursiana*) satis diuturno temporis tractu effluxo, Christiana invalescente religione, dum capella satis ampla in eo loco, ubi ipsa ossa (*sacra*) reperta fuere, per ipsam reginam constructa renovaretur etc. *De sacello S. Petri hic indubie sermo est. Igitur exstructum fuit tantum et illud a regina Bertha eo loco, quem in veteri chorographia littera* a, *in Nova num.* 2 *notat, ubi inter spinas et dumeta sacræ exuviæ illi revelatæ, fuerant tumulatæ; nec est proinde hoc ecclesia* S. Ursi *saltem multis annis antiquius.*

quem Bertha erecto ibi sacello

35 *Consentit circa hæc omnia eruditissimus Hermannus instrumentorum mss. collector, qui differens ad hæc verba Proprii Soladorensis* 30 *Septembris Lectione* 6 : Non procul namque a dicto ponte capita sua in manibus portantes flumen egressi sunt, et ad locum, ubi nunc ad honorem ipsorum basilica fabricata est, pervenerunt; *sic notat :* Per basilicam hanc credibiliter ecclesiam collegiatam intelligit, ad SS. Ursi et B Victoris dictam... Ab ipso sepulturæ loco distat, et in colle sita est, qui a sepultura assurgit. In ipso autem sepulturæ loco est ecclesia ad S. Petri nuncupata. *Parum quidem, aut potius nihil ad rem præsentem facit, sive de basilica* S. Ursi, *quæ tantillo spatio inde distat, sive de sacello vel ecclesia S. Petri correctius loquatur auctor historiæ, unde hæc in Officia et Bullas Pontificias profecta sunt; interim observo, eruditos Solodoronos in ea opinione esse, quod monumenta non habeant hinc facientia, quæ Bertha regina seu sæculo* 10 *sint antiquiora, Martyrium ex Surio edendum habet et hæc eadem verba :* Non longe namque a dicto ponte capita sua in manibus portantes flumen egressi sunt, et ad locum, ubi nunc in honore ipsorum basilica fabricata est, pervenerunt. *Igitur tanto tutius hisce suffragiis nixus Passionem post sæculum* 10 *natam assero, et narrationem inde petitam de rebus sex minimum sæculis præteritis pro suspecta et commentitia habeo, et ad alia progredior. Est et alia prope Solodorum ecclesia, quæ* S. Ursi *nomen habet, quam incolæ in* Treibis kreutz, *Galli* Petit S. Ursi *appellant, quæque in memorabilis martyrii monumentum erecta est. Vide si lubet chorographiam Veteris Solodori ad litteram* b, *indeque in Novi seu hodierni locum facile deduceris. Ad præfatam litteram* b *observat Hermannus sæpe laudatus, ibi fuisse pontem Arulæ, super quo sancti Martyres capite truncati et in fluvium projecti fuere.*

consecravit. S. Ursi sacræ exuviæ

36 *Ejus rudera seu fundamenta adhuc exstant et apparent, fluvio æstivis caloribus depresso. Anno, inquit,* 1501 ex altera ripa, ubi ✠ assignatur, erecta fuit ecclesia S. Ursi dicta in TREIBIS KREUTZ cum fundatione beneficii. *Neque hæc igitur ecclesia, monumentum palæstræ ante Berthæ reginæ tempora exstitit. Examinemus nunc aliqua inventionis sæpius memoratæ adjuncta, atque imprimis an inter inventa sacra cimelia fuerit corpus* S. Ursi, *qui cum* S. Victore *inter sanctos Martyres præcipuus dux que illorum et antesignanus habetur. Adverti procul dubio lector, in monumentis, quæ hactenus allegavimus, nusquam id expresse edici; septemdecim scilicet Martyrum corpora constanter unanimiterque memorantur inventa, at nullius nominati corpus tunc temporis repertum asseritur, quod nec ego lucis, ubi inventio præfata describitur, in monumentis ullis antiquioribus offendi.* D *Alio igitur recurrendum est, ut lumen discernendo accersamus. Epilogus Officiis propriis anno* 1641 *impressis annexus in rem nostram sic habet.* Inventa sunt porro capita et ossa duorum corporum sub altari summo collegiatæ nostræ ecclesiæ, cum in eodem altari anno 1519 facta esset quædam ad ejus decorem et ornamentum immutatio, quorum corporum alterum Orientem, alterum vero Occidentem versus situm fuerat. Illud autem verum esse S. Ursi corpus, ex argentea lamina ipsi apposita, quæ etiamnum hodie asservatur, omni procul ambiguitate tunc cognosci poterat. *De altero pluribus disseremus sequenti* §, *interim vide lector post num.* 38 *delineationem tumbæ tunc inventæ, inclusæ inscriptionis, et templi inferioris* S. Ursi, *seu cryptæ, ubi repertus tunc fuit sacer thesaurus, ex prototypo a venerabili Capitulo ad nos benigne directo per chalcographum nostrum fideliter expressam.*

tunc temporis inventæ fuerunt

37 *Addimus ad hæc observationem Hermanni auctores citantis, quos ad manum non habeo. Sic ait in sæpe memorata collectione mss.* Anno 1519, feria tertia post Lætare, cum altare majus destrueretur in locum aptiorem transponendum, inventa est sub ipso altari arca lapidea pavimento immersa, et tegmine in formam tecti E elaborato, ferreisque ligamentis ac plumbo undique superinfuso firmissime clausa, in qua inventa sunt duo corpora, quorum quodlibet in modum struis compositum syndonique involutum erat. Alterum erat Orientem, alterum Occidentem versus. In prioris cranio inclusa jacebat lamina argentea in formam scedæ, cum inscriptione hac.

CONDITUR HOC SANCTUS TUMULO THEBAIOUS URSUS.

In alterius cranio erant scedæ quædam (alii de una tantum loquuntur) sed ætate putres, quæ ad primum attactum in cineres solutæ sunt. In ipsa fronte tumbæ incisa erant hæc Verba : D. M. FLAVIÆ SEVERIANÆ, et a dextra hujus inscriptionis crux parva sed oblonga. Agunt de hoc Hafnerus parte 2, pag. 206, sed falso ad annum 1518; Gothardus pag. 71, Munsterus, Lang. lib. 2, pag. 988, Antonius Wagner Solod. in Ms. Exultavit ad hunc inopinatum eventum populus omnis Deoque grates actæ sunt publica et solemnissima festivitate, missis idcirco nuntiis Bernam et ad alias finitimas urbes confœderatas : sciebatur enim, S. Ursi reliquias in F ecclesia reconditas esse, nesciebatur tamen verus sepulturæ locus. *Hæc Hermannus sæpe laudatus unde habemus, verisimiliter inter sacra corpora per Bertham reginam inventa et in basilicam collegiatam translata, fuisse corpus* S. Ursi, *depositumque eo loco, qui in delineatione notatur littera* c. *Quid aliorum quindecim sive sedecim sanctorum Martyrum sacris ossibus actum sit, non invenio : suspicor, in crypta ipsa per Bertham locata etiamnum delitescere. Ad* S. Ursi *reliquias revertamur, circa quas quæri potest, an eadem in tumba cum eadem inscriptione repertæ fuerit a Bertha regina; an potius inscriptio ab hacce tantum adjecta fuerit, quæ et reliquias tumbæ memoratæ tunc primum includi jusserit.*

aliquo signo ab aliis distinctæ

38 *Et hoc quidem casu prodesset scire, quod assecutu difficile sane esset, an sacras exuvias* S. Ursi *aliquo indicio ab aliis distinctas repererit, an vero id ex revelatione intellexerit. An in eadem tumba lapidea, de qua pluribus sequenti* §, *invenerit sacras* S. Ursi *reliquias Bertha, incertum mihi est hactenus; conjicio autem, vel ex revelatione vel ex alio denique signo cognovisse illam corpus* S. Ursi, *num inscriptionem*

A *inscriptionem laminæ argenteæ incusam, non credo esse multo vetustiorem. Satis id eruitur ex versus hexametri temporibus illis studiose quæsita rhythmi cadentia, antiquioribus multo sæculis ignota. Accedit, ut observat eruditus Hermannus, abbreviationis* Ω· *signum tum temporis usitatum, quod antiqui linea exprimebant, ut obvium est in inscriptionibus. Sane cum quingenti minimum anni effluxerint, quo abdita fuerunt sacra corpora, debuisset sæculo 5 cusa esse, quod hactenus dicta probabile non relinquunt. Refragatur tamen ad hæc Hermannus.* Quod vero, *inquit*, a Bertha non fuerit addita hæc lamina, videtur ex eo, quia characteres Latini ad annum 1430 raro adhibebantur, bene autem Gottici et Germani. Insuper si Bertha hanc laminam addidisset; cur non et alteri corpori (*simul in eadem tumba reperto*) aliam, quod certe pro veris reliquiis habuit? Fuitne episcopus Genevensis, qui id facere omisit? *Ad postulata hæc responderi poterit ex dicendis sequenti § de altero corpore; patiatur interim laudatus Hermannus, si asseram, characteres Latinos seu Romanos sæculo 9 tam raros non fuisse, quam hic innuere videatur. Præterea, quod raro accidit, accidere hic potuit, licet causam nesciamus; nec conjectura hinc petita enervare potest probabilitatem contrariam prius propositam. Ceterum quæ ulterius ad* S. Ursum *speciatim pertinent, præter ea, quæ ad hodiernum ejus cultum inferius dicenda recurrent, prosequamur.*

OCTOBRIS I. C.

1

D· M·
FL·SEVERIANAE

2

CONDIT HOC SCS
TVMVLO THEBAIDVS VRSVS

3

f f f f c b a b b a a e c c

S. Ursi reliquias sæculo XI.

39 *Sæculi* 11 *initio celebris fuit* S. Ursi *veneratio, tumque de transferendis ejus reliquiis actum fuit, nisi falso rumore deceptus fuerit Berno abbas monasterii Augiensis, cujus binas litteras pro iis obtinendis exhibet Bernardus Pez tom. VI Anecdotorum col.* 213. *Berno in Gallia Christiana aucta ad prælaturam promotus statuitur anno* 1008, *mortuus vero quadragesimo post anno. Primo ejus epistola inscribitur:* Domno H., antistitum flori omnigenarumque virtutum decori, B. Dei Matris ac Virginis servus omneque Augiensis cœnobii collegium summum indeficiens bonum. *In decursu appellat* S. Ursum *antistitis, ad quem scribit,* Patronum, *hinc, uti et ex ipso petitionis scopo, ad episcopum Lausannensem scriptam esse, verisimilius est. In libello, qui editus est anno* 1724 *et*

AUCTORE J. C.

et titulum habet Status seu epocha ecclesiæ Aventicensis, nunc Lausannensis a primordiis usque ad nostra tempora etc. *ab initio sæculi 11 usque ad Bernonis emortualem annum tres occurrunt præsules Lausannenses: Hugo, Rudolphi III Burgundiæ regis filius, Henricus secundus nominis, ejusdem sedis episcopus, et Lambertus. Alterutri ex duobus primis inscriptam esse epistolam, satis innuit littera initialis* H: *at utri, incertum videtur; cum ambo vixerint et Lausannensem sedem occuparint, quo tempore Augiensibus Berno præerat. Is porro postquam in exordio aliqua disseruit, ut ostendat, efficaces esse preces, quas vivi pro invicem fundunt, sic persequitur.* Si hujusmodi salvatio per hos, quorum adhuc corpus corrumpitur et adgravat animam, potest promereri, multo magis, Deo auctore ab his salvari nos, sperandum, quorum animæ jam cum Christo in cælesti exultant gloria, ubi in Justorum habitaculis resonat vox exultationis et salutis. Hujus rei gratia ad te, reverendissime patrum, credimus has litteras destinare, per quas indubitanter speremus charitatis dona posse impetrare. Respersit namque nos odor dulcis famæ, qua comperimus,
B vos sancti ac ter quaterque beati martyris, Ursi videlicet patroni, corpus velle transferre, quod omnino nobis gaudio sciatis fore.

postulavit Berno abbas Augiensis.

40 Quapropter te, qui fidei merito sedisque episcopalis privilegio tam præclari officii minister præcipuus digne existis, primum venerantes, deinde cunctos, qui piæ religionis studio ad id ipsum conveniunt, humillimo cordis effectu salutantes, devoti rogamus et supplices, quatinus pro munere benedictionis mereamur per vos donari tanti Patroni reliquiis. Hujus voti si, Deo auspice, compotes fuerimus, diem etiam passionis, vel si qua ejusdem Gesta Martyris penes vos habentur, nobis transmitti modis omnibus adoptamus, quatinus nunc apud memoriam B. Martyris velut in agro Dominico simul orationum semina jaciamus lachrimantes, ut per ejus intercessionem in fine bonorum operum manipulos ad cælestem aream reportare mereamur ovantes. Vale. *Cursim hic observo: quam celebris erat* S. Ursi *cultus Bernonis tempore, tam fuisse ejus Gesta Passionemque incognita, quandoquidem tam dubie trepideque illa postulet. Reliquias litteris hisce, si citius scriptæ sunt, petitas verosimilius*
C *consecutus non est Berno. Certe ad alium directa est pro illis obtinendis epistola, quæ, an prior sit, an posterior superiore, assequi non possum. Inscribitur autem:* Virtutum viro, ideoque Cuononis nomine digno B. sanctæ Mariæ semper Virginis mancipium una cum congregatione sibi credita, fraternæ charitatis munia. *Quis sit* Cuonon *ille seu* Conon, *penitus ignoro; initio satis inepte alluditur ad nomen* Conon, *et sic proponitur postulatum.* Est nobis in proximo locus divino cultui aptandus, quem aliquo raro sacrarum reliquiarum ornatu dotare cupientes has tibi litterulas per fratrem nostrum P. transmisimus, suppliciter deprecantes, uti ex benigno caritatis tuæ munere aliquam portionem ex sacratissimo corpore B. Ursi, martyris Christi ac Patroni vestri, nobis liceat contingere, ut simul habeamus, unde in commune in Domino semper gaudeamus. Nos vero pro hujusmodi recompensatione promittimus tibi indiscretæ fidei pignus interim inviolabile, donec ipsum Dominum recipias in præmium, si nunc pro ejus amore satisfacere curabis desiderio. Cuonon, *is vel* Conon, *loco aliquo præerat, ubi corpus* S. Ursi *Patroni servabatur, quantum saltem apparet, ut ubi, nescio. Fuerunt alias licet parce et raro* D *distractæ partes ejusdem sacri corporis, qua de re in fine hujus Commentarii: nunc ad* S. Victorem *progrediamur.*

§ IV. Corpus S. Victoris sæc. VII initio Genevæ inventum, eo translatum traditur sub finem sæculi V. Discutiuntur Solodorensium pro possessione S. Victoris argumenta, quæ videntur minus solida.

Graves auctores tradunt, corpus S. Victoris

E*x duobus manipuli Martyrum Solodorensium antesignanis apud alios primus communiter, apud Solodorenses scriptores tantum secundus loco passim venit* S. Victor, *de cujus cultu reliquiisque, nam quæ ad passionem pertinent cum* S. Urso *Sociisque aliis habet communia, hocce § speciatim agimus. Non caret discussio hæc sua difficul-* E *tate: quandoquidem, ut mox videbimus, dubiæ occurrant personæ, sic ut de singulis fere disputandum sit. Geneva,* Genova, Januba *aliisque etiam nominis inflexionibus appellata olim, celebris civitas, jam ante sæculum 7 creditur, se* S. Victoris *Solodorani martyris et Socii* S. Ursi *sacro corpore ditatam. Fredegarius, seu quivis alius, qui sub medium sæculum 7 Gregorii Turonensis Historiam Francorum contraxit et continuavit, ad annum 7 Theodorici regis, qui cum 602 vulgaris æræ concurrit, scribit:* Eo anno corpus S. Victoris, qui Salodoro cum S. Urso (*exemplaria nonnulla habent* Ursione) passus fuerat, a B. Æconio pontifice Mauriense invenitur. Quadam nocte in sua civitate ei revelatur per somnium, ut surgens protinus iret ad ecclesiam, quam Sedeleuba regina in suburbano Genavensi construxerat, in medio ecclesiæ designato loco, ubi sanctum corpus adesset. Cumque Genavam festinus perrexisset, cum beatis Rusticio et Patricio episcopis triduanum jejunium facientes lumen per noctem, ubi illud gloriosum et splendidum corpus erat, apparuit: quod cum silentio hii tres pontifices, cum lacrymis et orationibus ele- F vato lapide, in arca argentea invenerunt sepultum, cujus faciem rubentem quasi vivi repererunt. Ibique princeps Theudericus præsens aderat, multisque rebus hujus ecclesiæ tribuens, maximam partem Warnacharii ibidem confirmavit. Ad sepulchrum illud sanctum miræ virtutes ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino, integra assiduitate ostenduntur.

Genevæ inventum fuisse initio sæculi 7. Episcopi.

42 *Eadem hæc nonnihil limata Gestis suis Francorum inseruit Aimoinus. Ado, uti superius vidimus, elogium hodiernum* SS. Ursi *et* Victoris *his verbis claudit:* Ex quibus sanctus Victor ad urbem Jenavensium translatus miraculorum gloria et veneratione fidelium celebratur. *De eadem verisimilius inventione loquitur Sigebertus Gemblacensis in Chronico, dum annum ad Christi 608 scribit:* Theodoricus et Theodebertus, fratres et reges, Wascones sibi subjugant. Corpus S. Victoris Thebæi, apud Solodorum cum S. Urso passi, invenitur. *Fredegarii, qui verisimilius illo tempore vixit, scripsitque non multo post, testimonio nituntur probabilius ceteri scriptores allegati: hoc igitur discutiamus, anonymi Passionis*

AUCTORE J. C.

A sionis Signiacensis incertæ ætatis auctoris similem fere relationem, in illum locum rejicientes, ubi de prima translatione Solodoro Genevam disputabimus. In Fredegarii verbis aliqua occurrunt, quæ pariunt difficultatem: Rusticius imprimis et Patricius vicinarum verisimiliter Maurianensi vel Genevensi sedi civitatum episcopi, catalogis illarum ecclesiarum vel sic exsules, ut cujus fuerint ignoretur, vel sic aliarum ecclesiarum albis intrusi, ut longius ab epocha inventionis hujus remoti sint. Inter Genevenses præsules, ubi mox ex præsumptione ab ipso loco inventionis inculcata quærendum videtur, neuter illorum comparet. Locus in catalogo vacuus est ab anno 585, quo Coriatho synodo Matisconensi 2 interfuit, usque ad annum 627, quo alterum Matiscone concilium jussu Clotarii regis coactum est, ut discuterentur obtrectationes Agrestii adversus Regulam S. Columbani. In eadem illa synodo, teste Jona biographo S. Eustasii abbatis Luxoviensis, Agrestio consanguineo suo patrocinatus est Appellinus, Genavensis urbis episcopus, Itaque locando vel Rusticio vel Patricio spatium abunde relictum est, si modo aliunde, quam ex conjectura, erueretur, alterutrum Genevensem cathedram occupasse.

B

qui adfuisse memorantur. in mendosis catalogis

43 Quamquam quid vetat, cum mendis valde palpabilibus infectum Sammarthanorum catalogum deprehendamus, ex Fredegarii suppares scriptoris ambiguo quidem utcumque circa sedem testimonio, non levi tamen suspicione ex rei adjunctis, Rusticium, seu Rusticum, vel Patricium annos inter 585 et 627 Genevensium episcoporum albo inserere, ut inventioni nostræ adesse potuerit? Nulla sane erit illata Sammarthanis injuria, cum ex illis duobus, perperam alibi intrusis, unum tantum huc transferamus. Certe ego nullus dubito, quin ex inventionis hujus narratione, vel mendosa, vel male intellecta, Rusticus 15, et post illum Patricius 16, in Catalogo compareant. Per hallucinationem sane et ambo quidem, ibi inserti sunt, cum unus tantum sedem illam occupasse videatur, et medio fere sæculo ante Æconium, inter annos nimirum 549 et 573 locum in serie Genevensium episcoporum apud Sammarthanos occupent. Porro si alter Genevensi sedi detur, ex viciniæ ratione inter Augustenses, Octodurenses seu Sedunenses episcopos quærendus alter esset: at ibi non invenitur. Non invenitur,

C inquam, suo scilicet ordine et tempore; nam qui in catalogo Sedunensium episcoporum insertus est S. Florentium inter et Theodorum II Rusticus tempore Godegisilli Burgundionum principis et in translatione S. Victoris Thebæi, vel commentitius est, vel iterum per hallucinationem eo ex Fredegarii verbis, et inventione cum translatione corporis S. Victoris perperam confusis, male tradactus. Fiet hoc meum assertum ex infra de prima translatione dicendis manifestius; juverit interim hic observasse, solum Domitianum Genevensem episcopum memorari adfuisse translationi illi Solodoro Genevam, quæ tempore Gundegisili regis et Sedeleubæ sub finem sæculi 5, inter annos 473 et 500 contigit: Rusticum autem a Sammarthanis huic contemporaneum statui, qui tamen ex Fredegarii et anonymi nostri Signiacensis testimonio vixisse debuit initio sæculi 7, ut adesset, non primæ translationi cum Domitiano Genevensi, sed inventioni cum Æconio Maurianensi episcopo.

non reperiuntur. Inventionis narratio anonymi ex antiquiori

44 Sane, si Rusticius quidam primæ translationi cum Domitiano adfuisset, neutiquam ego dubitarem, quin fuisset Lugdunensis ille episcopus, quem convenit S. Epiphanius Ticinensis, pergens ad Gundobadum et Gundegisilum reges, ut refertur ab Ennodio in ejus vita apud nos data tom. II Jan. pag. 374, num. 50. Ceterum in sæpe memorato catalogo episcoporum Sedunensium nihil aliunde Rusticum vel Patricium vetat inseri Heliodorum inter et Leudmundum, quorum alter senescente sæculo 6, alter adolescente septimo Octoduri sedit. Inter Augustenses etiam præsules alterutri inserendo spatium abunde superest in Serie, uti et inter Lausanneses, cum Marius aliique tempore propinqui, ibidem satis incerti sint. Ceterum, si Rusticus Cadurcensis, qui post initium sæculi 7 sedem illam occupabat, cum Patricio Genevensi casu inventioni adfuisset, non esset res inaudita vel magnopere miranda. Notior est Æconius, Ecconius seu Hiconius, qui in synodis Matisconensibus episcopum se Mauriennatis subscribit. Subnecto nunc narrationem ex Ms. Signiacensi, ut ex eadem ad primam translationem Solodoro Genevam examinandam procedam. Itaque postquam hanc narravit anonymus, sic prosequitur ad inventionem, de qua egimus: Succedentibus vero pluribus annis per multa spatia annorum et temporum, nulli homini tunc temporis fama ipsius Martyris innotuerat, qualiter in isto domicilio corpus ipsius humatum fuisset: tamen sepulcrum ejus cunctis palam declarabatur, et omnibus famosum erat. Cum vero tempus advenisset, ut merita Martyris sui Dominus declararet, vir gloriosus Theodoricus rex Francorum ad visitandam civitatem Genavensium venit, et quod pia fide crediderat, inspiratione divina Hyconius Mauriennensis ecclesiæ præsul adfuit, qui, conjunctis secum viris apostolicis Rusticio et Patricio episcopis, secreto nocturno tempore ad sepulcrum beati Viri accesserunt, remotoque marmore, quod interna sepulcri tegebat, repererunt eum, exterius quidem decoro marmore circumseptum, intra vero loculum ex ligno imputribili factum; intrinsecus autem ornamentum ex argenti metallo fulgenti decore compositum, ibique beatum corpus positum invenerunt.

instrumento verisimiliter hausta est, ut et translationis prioris

45 Quod videntes cum omni populo glorificaverunt Deum, jam de tanto Patrono certi facti, de tanto thesauro securi. Et diutius ibidem pernoctantes et orantes, postmodum, sicut invenerunt, diligentissime componentes reposuerunt, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi et honorem beatissimi martyris Victoris, F atque ad salutem Fidelium populorum ibi devote concurrentium et tanti Martyris patrocinia fideliter requirentium, præstante Domino, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen. Observo ad hæc, narrationem anonymi satis esse conformem relationi, quam supra ex Fredegario excerpsi, sit ut videatur vel ex hac ipsa desumpta esse, vel utraque profecta ex una eademque narratione antiquiore. Imo postremum hoc potius suadent, quæ anonymus proxime annectit specialim Miracula, quæ legisse non potuit apud Fredegarium, quandoquidem is generatim tantum de illis loquatur. Sed nec videntur, si quæ anonymo nostro fides, vel posteriora, vel alia denique, quam ea ipsa, de quibus Fredegarius, pro instituto suo stringens narrationem, dixit: Ad sepulchrum illud sanctum miræ virtutes, ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino integra assiduitate ostenduntur. Suadet id, tum conformitas ceteræ narrationis, tum quod ad Miracula procedens sic orditur anonymus: Contigit vero tunc quandam mulierem etc. Ubi vocem tunc ad tempus inventionis, de qua proxime egerat, referendam esse, innuunt sequentia, quæ, si lubet, vide lector ad finem edendæ secundo loco passionis S. Victoris. In eodem

AUCTORE I. C.

verisimiliter antiquiore monumento invenit anonymus noster relationem translationis corporis S. Victoris *Solodoro Genevam, quam apud illum solum reperio. Certe quatuor scriptores superius allegati, qui agunt de inventione facta initio sæculi 7, verbo nullo insinuant, quomodo aut quando corpus* S. Victoris *Solodoro Genevam pridem pervenisset.*

relatio, ex qua habemus, illam contigisse sub Gundegisilo

46 *Suspicor autem, non ejus inventiani, sed antiquiori scriptori deberi nos narrationem illam, quia licet tenebris nonnullis involuta mox appareat, illis tamen discussis, invenitur undequaque satis verisimilis, et talibus profecto vestita adjunctis, in quibus hallucinari medii ævi scriptor monumentis nullis antiquioribus adjutus debuisse videtur. Singula paulo aperosius examinemus. Translationis narrationem sic orditur.* Temporibus vero Gundegisili regis, qui regno Burgundionum præerat Theodesinda regina exstruxit basilicam in honore martyris Vincentii et in honore sancti Victoris in territorio Genavensium sub oppido ipsius civitatis, miro opere decoratam.... quæ nunc in oculis nostris fulget. Petiit autem Domitianum, tunc temporis Genavensium episcopum, ut corpus S. Victoris martyris liceret sibi a Solodoro castro

B ibidem transferre : quod impetrans *etc. Ex tribus personis hic nominatis, solus fere* Gundegisilus, *qui alias* Godegiselus *et* Gothesilus *appellatur, et sub finem sæculi 5 regnavit in parte Burgundiæ, sedem regni Genevæ habens, tenebris non est obvolutus. In rem nostram Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. 2. cap. 28 scribit.* Fuit autem et Gundeuchus rex Burgundionum ex genere Athanarici regis persecutoris, de quo supra meminimus. Huic fuerunt quatuor filii; Gundobadus, Godegiselus, Chilpericus et Godomarus. *Bellum motum a* Gundegisilo *adversus fratrem Gundobadum, et* Gundegisili *exitum infelicem narrat idem cap. 32 et seqq. Ejus obitus in Marii Chronica illigatur anno 500. Quamdiu patri Gundeucho superstes regnaverit, incertum videtur. Si Gundobadus jam partem regni, patre Gundeucho mortuo, obtinebat, quando, teste Chronographo Cuspiniano,* Patricius factus est ab Olybrio imperatore; *verisimile est, etiam ab anno 473 regnasse hujus fratrem* Gundegisilum.

Burgundiæ rege et hujus nepte Sedeleuba, variis nominibus

47 *Genevæ autem regni sedem habuisse* Gundegisilum, *certum habemus ex vita S. Epiphanii Ticinensis scripta ob Ennodio ejus discipulo editoque a Bollando ad diem 21 Januarii; ubi cap. 12,*

C *num. 55, postquam relatum est, quomodo S. Epiphanius Lugduni apud Gundobadum captivos Ligures redemisset, sic scribitur.* Nec in uno loco summus vir in illa se regione continuit, ne forsitan in longinquo degentes dominorum feritas impediret. Fuit Genavæ, ubi Godigiselus, germanus regis, larem statuerat. *Obiit S. Epiphanius anno Christi 496. Igitur hæc cum anonymii assertis satis conveniunt.* Theodesindam *reginam, ecclesiæ in suburbio Genevensi extructæ fundatricem auctoremque translationis, nusquam alibi reperio. Fredegarius in Chronico ad annum 602 fundatricem memoratæ ecclesiæ* Sedeleubam *vocat.* Surgens, *inquit,* protinus iret ad ecclesiam, quam Sedeleuba regina in suburbano Genavensi construxerat. *An ergo eadem est* Sedeleuba *et* Theodesinda? *Sic sane suadet cum suis adjunctis narratio, si quidem vere* Theodesinda *appellata fuerit, et non erraverit anonymus noster. Et quæ demum est* Sedeleuba *illa regina? Ut recte observat ad Fredegarii locum Ruinartius, soror S. Chlotildis, uxoris Clodovei I, filia Chilperici, fratris* Gundegisili *regis, et hujus proinde neptis. Verbis sub finem numeri præcedentis ollatis annectit Gregorius :* Igitur

D Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus, ligato ad collum lapide, aquis immersit. Hujus duas filias exsilio condemnavit : quarum senior, mutata veste Chrona, junior Chrotechildis vocabatur. Chrona, *quæ in mss. plurimis editisque* Mucuruna, *alias, et non raro* Corona *appellatur, eadem est* Sedeleuba *verisimiliter Fredegarii, eadem* Theodesinda *anonymi nostri.* Chronam *sane S. Chlotildis sororem etiam* Sedeleubam *appellatam fuisse, et tempore* Gundegisili *regis Genevæ vixisse, pene indubium est. Audiamus Gregorii Turonensis Epitomatorem, qui, sive Fredegarius sit, sive quivis alius, profecto posterior non est sæculo 8. Is porro cap. 17, quæ Gregorius cap. 28 scripserat, sic exponit.*

ab auctoribus appellata et Geneva agente.

48 Fuit igitur Gundiochus rex Burgundionum ex genere Athanarici regis persecutoris. Huic fuerunt quatuor filii Gundobadus, Godegiselus, Chilpericus et Godemarus. Gundobadus Chilpericum fratrem suum interfecit gladio; uxorem ejus, ligato ad collum lapide, aquis immersit; duos filios eorum gladio trucidavit; duas filias exsilio condemnavit, quarum senior Sædeleuba,

E mutata veste, se Deo devovit, junior Chrotechildis vocabatur. *Ecce manifeste eamdem Sædeleubam nominatam, quam Gregorius* Chronam *vel* Mucurunam *appellarat. Pergamus ad propositum nostrum Epitomatorem describere. Sic prosequitur sequenti capite.* Porro Chlodoveus legationem in Burgundiam sæpius mittens ambiebat Chrotechildem. Et cum non esset licitum eam videre, Chlodoveus Aurelianum (*virum Patritium ex Gregorii lib. 1 de Gloria Mart. cap. 77*) quemdam ex Romanis, ingenio quo poterat, ad Chrotechildem prævidendam direxit. At ille nisi singulus ad instar mendici peram ad dorsum ferens veste deformi, illis perrexit partibus, anulum Chlodovei, quo ei potius crederetur, secum portans. Cumque ad Januam civitatem, ubi Chrotechildis cum germana Sædeleuba sedebat, venisset, *et ut pauper peregrinus a piis feminis hospitio exceptus esset, Chrotechildi amores Chlodovei clam aperuit, quos illa non reluctans mox acceptavit, Chlodoveoque matrimonio copulata est anno 493. Scio quidem, Epitomatoris narrationem de astutia amatoria haberi a plerisque pro fabulosa, etiamsi illam tradant Aimoinus, biographus*

F *S. Chlotildis aliique nonnulli; verum mora sororum in civitate Genevæ splendorem aut leporem relationi adferre non potest, atque proin non est, cur de illa ex eodem capite dubitetur. Igitur habemus* Sedeleubam *tempore* Gundegisili *regis, patrui sui, Genevæ agentem, et* reginam *verisimilius appellatam, quia ex regio Burgundionum sanguine procreata erat : habemus feminam Deo devotam propriamque colligendis studiose ornandisque reliquiis Sanctorum, et horum cultui basilicis conditis illustrando.*

episcopo Genevensi Domitiano, vel Donatiano, male

49 *Ad* Domitianum *Genevensem episcopum, qui* S. Victoris *corpus transtulerit, eruderandum progrediamur. Sammarthani in Catalogo Genevensium episcoporum nonum ordine numerant* Bonatianum, *de quo sic habent.* Donatianus tempore Godisilli Burgundionum regis, qui transtulit corpus S. Victoris martyris Thebæi a Soloduro Genevam, ubi ecclesiam in ejus honorem exstructam dicat. *Hunc proxime ibi sequitur* Isaac circa annum 440, (*qui*) memoratur ab Eucherio Lugdunensi in vita S. Mauricii Legionis primicerii. *Incurrit mox in oculos lectoris manifestus hic anachronismus*

A *chronismus, dum* Donatianus, *idem forte cum* Domitiano, *medio sæculo anterior* Gundegisilo, *simulque eo regnante in Genevensi sede locatur. Dico* manifestus anachronismus : *nam Andreas Du Chesne, ex nescio, quam ineptis conjecturis genealogiam Burgundionum regum contexens, morari nos hic non debet ; quandoquidem testes non alleget ullos, utque luculenter personas geminet, non ex aliis, opinor, instrumentis, quam quibus Sammarthani usi sunt, quæque ipse pejus intellexit, vel interpretatus est, ut seriem a Gundeucho ad Athanaricum pertraheret. Igitur ex supra de* Sedeleuba et Gundegisilo *disputatis manifestum est, vel* Donatianum, *si idem est cum* Domitiano, *male figi ante Isaacum, vel* Donatiano, *si diversus est a* Domitiano, *perperam adscribi translationem* S. Victoris, *quæ medio circiter sæculo post, regnante* Gundegisilo *postulanteque* Sedeleuba, *contigit. Sammarthani in fronte catalogi sui profitentur, illum se accepisse a Guichenonu, qui illum* tam ex vetustis ecclesiæ Genevensis membranis, quam ex variis mss. codicibus et probatis auctoribus primus collegerit. *Suspicor, Guichenonum translationem corporis* S. Victoris *ex Fredegario*
B *male* Donatiano *applicuisse, vel* Donatianum *ipsum pro* Domatiano *cum translatione reliquiarum, quæ* Gundegisili *tempore contigit, male eo transtulisse.*

alibi catalogis inserto,

50 *Quidquid sit, sive* Donatianum *expungere, sive post Isaacum transferre lubet,* Domitianus *catalogo ibi inserendus est. Cum autem Isaac verisimilius medio sæculo 5 jam obiisset, quando scribebat S. Eucherius Passionem SS. Mauritii et Sociorum, nullusque ibi medius reperiatur inter Maximum, qui sub Sigismundo rege fundationi monasterii Agaunensis subscriptus legitur anno 515, commode* Domitianus *is noster per annos aliquot circa 480 sedem illam implebit. Josias Simlerus in Descript. Vales. asserit, exstitisse ad portam templi* S. Victoris *Genevensis inscriptionem, in qua legebatur :* Acta sunt hæc regnante Domitiano episcopo Genevensi, quo tempore etiam castrum Solodurense episcopatui Genevensi subditum erat, *quæ, si satis antiqua sunt,* Domitiano *nostro verisimiliter adstipulantur. Sic tandem inoffensu fluet anonymi nostri relatio, quam priusquam ad alia transeamus, lubet hic inserere.* Temporibus vero Gundegisili regis, qui regno Burgundionum præerat, Theodesinda regina construxit basili-
C cam in honore martyris Vincentii, et in honore S. Victoris in territorio Genavensium sub oppido (*Forte legendum* Suburbio) ipsius civitatis miro opere decoratam, pluribus ornamentis et magnis possessionibus locupletatam et regali liberalitate, quæ nunc in oculis nostris fulget. Petiit autem Domitianum, tunc temporis Genavensium episcopum, ut corpus S. Victoris martyris liceret sibi a Salodoro castro ibidem transferre. Quod impetrans, assumpto populo Christiano, cum hymnis, psalmis et sacerdotibus ad ipsum locum, ubi sepultus erat, pervenerunt. Et per triduum obsecrantes jejuniis et vigiliis vix tandem potuerunt ad sepulcrum ejus accedere. Quo cum pervenissent, et apertum fuisset sepulcrum, ubi requiescebat corpus Martyris, totum commotum est. Videntes vero hæc mirabilia Dei timuerunt omnes. Iterum exspectantes ipsam vigiliam noctis jejunantes simul et orantes acceperunt corpus ejus, et posuerunt in feretro. Tunc sonus magnus factus est et resplenduit arca illa, ubi posuerunt eum, sicut nix.

51 Elevantes autem eum et cum hymnis, psalmis, cereis, lampadibus usque Genavam deferentes, depusuerunt eum in ecclesiam, ubi et sepelierunt, cum magnis vocibus Deum benedicentes atque sanctum Martyrem salutando proclamantes : Bene venisti, serve Dei S. Victor ; in tuo enim adventu credimus, nos salvos fieri, et apud Deum semper tuis precibus in omni nos tribulatione relevari. *Præter ea, quæ superius ex hisce observavimus, notatu forte digna sunt, ecclesiam Genevensem fuisse constructam* in honore S. Vincentii et S. Victoris, *quod, ni fallor, alibi, ubi* S. Victori *soli dedicata legitur, non invenitur ; et quod ait anonymus de basilica a Sedeleuba erecta,* quæ nunc in oculis nostris fulget, *et quo, si non erravit, aliquantum antiquitatem suam innuere videtur. Celebris erat sæculo 10 præfata ecclesia, ut liquet ex vita S. Adelheidis scripta ab Odilone abbate Cluniacensi editaque a Leibnitio tom. 1 Script. Rer. Brunsvic. pag. 262, cap. 13, ubi legitur de S. Adelheide, quod, postquam Agauni ad S. Mauritii et Sociorum tumulos uberius piis precibus indulsisset,* dehinc Genevensium adierit urbem, desiderans videre victoriosissimi Victoris martyris aulam. *Quamquam perstitit cum prioratu* E *abbatiæ et Ordinis Cluniacensis præfata ecclesia usque ad annum 1530, quo timentes sibi a Carolo Sabaudiæ duce Genevenses, quorum jam tunc non pauci ex fœdere cum Bernatibus hæresi afflati fuerant, muris urbem partemque suburbiorum cinxerunt, disjectis dirutisque ædificiis, quæ vel iis includi non poterant, vel materiam munimentis aliis exterioribus construendis ministrare debebant. Atque hanc sortem habuit basilica monasteriumque* S. Victoris. *Potuerunt quidem, cum nondum aperte saltem in catholicos resque sacras sæviretur, quinimo monachis uno adhuc alterove post anno redditibus suis et possessionibus gaudere licuerit, transferri alio sacra Martyris nostri cimelia, verum an id quisquam curaverit, et quo translata fuerint, mihi incompertum est.*

Auctore J. C. permittente et assistente.

52 *Itaque ad alia descendamus. Quod quasi proprium est celeberrimorum sanctorum reliquiis, ut de illarum possessione litigent diversæ ecclesiæ, et hic non contingere vix aut ne vix quidem potuit. Solodorensis scilicet civitas corpus* S. Victoris, *in suo passi vicinia, hodiedum reclamat et sibi vendicat.* Hodiedum, *inquam, nam in instrumentis antiquioribus, quæ attulimus hactenus, nulla est de reliquiis* S. Victoris *mentio saltem expressa, ut* F *recolligenti planum fiet. Opinio illa nata videtur tantum initio sæculi 16, uti Hermannum hactenus seculi jam ostendimus. Eruditus collector ille monumentorum mss. Solodorensium parte 2 observationum suarum productis, quæ allegavimus, Fredegarii, Adonis, Aimoini testimoniis de translatione Genevam facta, ait :* Quibus perspectis rationibus, non ausim cum Gothardo in dubium revocare, quod tot præclara monumenta asserunt. *Recte sane hactenus atque ut sobrium prudentemque criticum decet.* Interim tamen (*resumit Hermannus*) ecclesia nostra populusque Solodorensis S. Victorem, et primarium quidem hujus Legionis et nominis, possidere se non tantum putat, sed pro certo habet, idque a tempore, quo S. Ursus cum alio quodam corpore sub altari inventus est. *Narrat deinde, quomodo id contigerit. Ne actum agam, redi, lector, ad § præcedentem, ubi num. 36 et 37 narrationem inventionis hujus, quæ* anno 1519 feria 2 post Lætare *accidit, ex Proprio Solodorensi et Hermanni observationibus habes expressam integram. Huc tantum spectant, quæ ibi sic leguntur :* In alterius cranio erant

Corpus, quod Solodori in eadem tumba.

AUCTORE J. C. erant schædæ quædam (alii de una tantum loquuntur) sed ætate putres, quæ ad primum attactum in cineres solvebantur.

cum corpore S. Ursi fuit inventum, 53 *Proprium Solodorense post verba num 36 excerpta sic prosequitur :* Hoc autem (*corpus, quod in eadem tumba cum reliquiis* S. Ursi *lamina argentea distinctis repertum fuerat*) cum plurimis gravissimisque ex argumentis aliud, quam S. Victoris esse corpus non posse, conjiciatur, constat plane satis evidenter, vanam esse opinionem illorum, qui corpus ejusdem S. Victoris Solodoro Genevam olim translatum, persuaserunt. *Gravissima quæ fuerint argumenta illa, unde evidentia nata sit, tacuit Epilogi auctor ; at ego vehementer suspicor, inordinatum patriæ amorem illis gravitatem addidisse imaginariam, indeque cæcutientibus phantasma evidentiæ progenitum, quod auctores et antiquos et graves vanitatis tam decretorie insimulaverit. Verum priusquam tam hæc, tum alia, quæ ibidem sequuntur, excutimus, statuamus, sensatis, ni fallor, criticis omnibus, qui præjudiciis non laborant, annuentibus, antiquorum scriptorum illorum testimonia, veteres Genevensium traditiones, jam a sæculo certe septimo* B *constanter propagatas, convelli non posse conjecturis, quandoquidem desunt argumenta alia : convelli, inquam, non posse conjecturis, nisi hæ ad ipsam fere evidentiam pertingant. Jam vero quas hactenus a Solodorensibus cusas video et deductas, tales profecto sunt, ut meo judicio vix aut ne vix quidem inter probabiles recipi possint. Totum illarum fundamentum est inventio cimeliorum in eadem tumba cum corpore* S. Ursi *ab illis sejuncto et lamina argentea indice distincto ; quod quam sit infirmum, nemo oculatus videre non debet. Schedæ adjectæ putres in cineres resolutæ fuere ; nihil ergo inde habetur : sed adjuncta inventionis alia omnino suadebant, alterius potius, quam* S. Victoris *caput et ossa esse. Inscriptio imprimis tumbæ*, D. M. FLAVIÆ SEVERIANÆ, (*vide tabulam 2 num.* 1) *mox opinionem ingerere debuit, quod essent cimelia cujusdam* Severianæ, *cujus sepulcrum illa manifeste designatur.*

verisimilius non est corpus 54 *Opinio illa sectatores etiam aliquos mox invenit, si fides est Marcero scribenti ; itaque eruditi quidam tale super his judicium formarunt.* Quod Severiana, nobilis matrona, a S. Urso ad fidem conversa, S. Ursum clam in tumulo, quem C vivens sibi construi curaverat, post martyrium sepelisset, jussissetque, in eodem se post obitum deponi. *Conjecturæ sunt, non inficior, sed quæ ex inscriptione verisimilitudinem habent et non tam facile refelluntur. Colligamus, quæ illis opposita reperimus in Hermanni observationibus.* Quod exuviæ fuerint, *inquit*, cujusdam matronæ Romanæ, ut inscriptio insinuare videtur, nulla ratione comprehendi potest. 1. Quia Romani cadavera cremabant, et tantum cineres urnis imponebant. 2. Quia, etiam non supposita combustione Severianæ, nec pagani corpus S. Ursi, utpote Christicolæ; nec Christianus quisquam Severianam simul cum S. Urso eidem tumulo inclusisset. 3. Etsi regina Bertha utrumque simul cum tumba anno 930 invenisset, non tamen utrumque sub altari posuisset, præcipue præsente episcopo Genevensi ; nam sceda argentea vel ab ipsa addita fuit, vel jam cum S. Urso inventa. Ex quo colligendum, quod S. Ursi reliquias perbene cognoverit, sequiturque, alterum hoc corpus a Domitiano pro veris reliquiis habitum fuisse, atque a Pontifice ut tale declaratum. 4. Semper habita sunt hæc ossa et declarata a medicis pro ossibus virilibus, virumque fortem ac grandem D denuntiantia, ut aperte videri potest. *Si medici, chirurgique satis certo ossa virilia ab ossibus femininis, etiamsi multis sæculis tumulata fuerint, et non pauca forte inde separata, distinguere omnino possint (de quo medicos ipsos non inexpertos dubitantes audivi) hac unum fortius est argumentum ceteris omnibus, ad quæ non difficulter responderi posset.*

55 *Et ad primum quidem : Esto id universim verum de gentilibus ; inepte morem illum ad christianos quis traduceret, cum millena habeamus undique in contrarium exempla. Crux autem ad dextrum inscriptionis latus efformata, christianæ utique sepulturam demonstrat. Reponi a refragante posset, Crucem, quando* SS. Ursi et Victoris *reliquiæ tumba recondita sunt, adjectam esse : verum a liberaliter asserente caute probatio exigeretur. Quod pertinet ad* 2, *ego non video, quare id tam sit incredibile, imo res sit sine exemplo, ut Sanctarum ossa sacra alii corpori contumulata fuerint. Quamquam exemplo non est opus, quandoquidem id saltem incredibile non sit,* S. Ursi *cimelia sacra, metu barbarorum incurrentium abscondenda, tumbæ inclusa fuisse cum inscriptione,* E *relictis ibi, sed separatis exuviis aliis inventi in eadem arca corporis, maxime quod christianæ mulieris esse liquebat, imo forte tum temporis sanctæ cujusdam credebatur ab homine minus erudito. Nec magis evincit* 3. *Ponamus enim, Bertham reginam in eadem tumba utriusque corporis cimelia invenisse : reliquias quidem* S. Ursi *lamina argentea vel alio indicio distinctas ; ossa alterius corporis sine omni prorsus signo anonyma : ignorantiam suam vel dubium circa ossa hæc schedis adjectis testatam voluisse posteris, tumbamque, ut invenerat, integram sub altari posuisse. Quid quæso in eo piaculi fuisset? Enim vero minime inde sequeretur,* hoc etiam corpus a Domitiano, *nescio quo,* episcopo Genevensi pro veris reliquiis habitum fuisse et a Pontifice ut tale declaratum. *Quamquam ne hisce inhæreamus diutius, cum tumba interius vix ad 4 pedes in longitudinem, ad unum vero tantum pedem et paucos digitos poteat in latitudinem, potius credo, locandis cineribus, quam corporibus integris a principio destinatam fuisse ; et proinde, non Severianæ, sed alterius anonymi ex Thebæis Martyribus* S. Ursi *Sociis sacra ossa, cum* S. Ursi *reliquiis ibi recondita fuisse ; ad-* F *junxisse hæc in additis schedis Bertham, et hunc denique anonymum Martyrem,* Victorem *inter illos celebrem evasisse apud Solodorenses.*

S. Victoris, ut hodiedum credunt Solodorenses.

sed alterius, forte anonymi 56 *Opinionem hanc in me genuit servatque constantem gravium auctorum de translatione corporis* S. Victoris *testimonium et favens Genevensibus per tot sæcula producta traditio. Conjectura de anonymi Martyris exuviis aliunde mihi videtur nonnullis aliis præferenda talisque, cui opponi nihil posse videatur, quod reddat minus probabilem, ut jam experiemur. Laudatus sæpe Hermannus, qui supra num.* 52 *manifeste mecum contra Gothardum aliosque sentire videtur, non tam sibi alibi constans est, torquet enim, ni fallor, se, ut traditiones Solodorenses et aliena potius, quam propria præjudicia propugnet. Audiamus, quid opponat.* Infero pariter, *inquit,* non fuisse corpus gregarii alicujus ex Societate, sed majoris cujusdam ordinis, quia illud cum ipso S. Urso in tumba et loco tam distincto recondidit *regina Bertha. Illationis sequelam non satis video. Incertum est, ut fatetur ipse non semel Hermannus, a quo, qua occasione, quo tempore sacra cimelia tumbæ lapidex*

AUCTORE J. C.

deæ inclusa fuerint. Demus illo tempore unius tantum anonymi Martyris reliquias inventas simulque cum corpore S. Ursi *reconditas fuisse. Quid, quæso, in eo peccatum fuisset? Debebatne reverentia absterrere, ne gregarius Miles cœlo, ubi non personarum, sed operum distinctio est, receptus eodem tumulo in terris venerandus cum duce conderetur? Urbanitatem tantam reverentiamque tituli non curant, opinor, Sancti, neque ego illam vel præscriptam, vel rationibus ullis persuasam video, sic ut avellere me ab hac opinione talia non debeant. In causæ subsidium evocent Hermannus traditionem, de qua Speciale in Epilogo, Gotthardus pag. 73 et Wagnerus in mss. agunt.*

...æ Societate SS. Ursi et Victoris

57 *Habe illam lector ex Speciali seu Proprio Solodorensi sæpe memorato, et tacite mirare, quo abducant homines præjudicia et patriæ reliquiis ditandæ amor. Sic ibi legitur proxime post illa, quæ excerpsimus num.* 53. Et si quando corpus aliquod ex reliquiis horum Sanctorum translatum illuc (*Genevam*) fuerit, verosimillimam esse (constat plane satis evidenter, *quod præcesserat*) eam traditionem, qua dicuntur RR. DD. Canonici prædecessores nostri pro corpore S. Victoris (cum Genevam transferendum a regina quadam et domino ordinario Gebennensi peteretur) aliud ex hac Societate corpus pia arte et simulatione tradidisse; hoc autem venerabile corpus S. Victoris, una cum corpore S. Ursi sub altari summo collegiatæ hujus ecclesiæ tanta cautela abscondisse, ut pluribus annorum et temporum sæculis, ipsorum etiam successoribus ipse locus, quo latuerant, fuerit occultus. *Traditiunculæ! Canonici, et potentes et astuti quidem, qui episcopum et reginam luderent; ecclesia collegiata sæculo 5 Solodori nobis obtruduntur.* Et constat plane satis evidenter, *si Superis placet, hæc ita esse verisimillima. Enimvero* constat *mihi ipsique, ni fallor, Hermanno* plane satis evidenter, *nec canonicos, nec ecclesiam collegiatam sæculo 5 in castro Solodoro. loco tunc verisimiliter adhuc satis humili, exstitisse totamque fabellam, quam traditionem vocant, excogitatam esse post annum 1519 ad fovendam quorumdam conjecturam improbabilem de corpore cum reliquiis* S. Ursi *invento: ita ut traditio Epilogatoris anno 1541, quo impressum est Proprium, cunas adhuc et pueritiam oluerit.*

Thebæi martyris.

58 *Præviderat, opinor, eruditus Hermannus pro confirmanda conjectura mea argui ulterius posse, quod senatus et Capitulum, dum singula fere minutatim anno 1473 perscripserunt ad Pontificem, quæ ad sanctos Martyres, Tutelares suos sacrarumque reliquiarum revelationem, inventiones et translationes pertinebant, ut in bulla* Alma mater *sequenti § danda recensentur, de* S. Victoris *reliquiis non meminerit; et silentii rationem aliam reddere, videri voluit. Verum libero undequaque judici non occurret alia, quam quod inventa tum nondum essent cimelia cum corpore* S. Ursi, *proindeque nondum nata esset de illo conjectura, et ad hanc stabiliendum male concepta traditio. Credebant tunc temporis Solodorenses, sicut pluribus elapsis sæculis verisimiliter crediderant, cum nulla usquam fiat inter Solodorensia monumenta de* S. Victore *mentio, ipsaque regina Bertha ecclesiam, non* S. Victori, *utique primario loco Martyri, sed* S. Urso *dedicaverit, credebant, inquam, majores seculi Solodorenses,* S. Victorem *ad Genevenses potius, quam ad se spectare, atque ideo et hic potuerunt ejus speciatim non meminisse. Plura non addo, neque minutias discutio aliquas, exempli gratia, an schedæ, quæ apud corpus sacrum inventæ fuerunt, a Bertha regina adjectæ primum fuerint, an diu ante additæ et ab eadem inventæ: an ex membrana, an fuerint ex papyro potius, quæ tam cito putruerint et in pulverem resolutæ sint: nihil enim ad rem faciunt, modo, ut mihi probabilissimum est, fuerint illis inscripta testimonia de corpore anonymi Martyris Thebæi, ibidem in tumba vel deposito vel invento. Ceterum etiamsi antiquis scriptoribus constantique traditioni multorum sæculorum deferens Genevensibus patrocinatus sim, nolim tamen asserere, sic corpus* S. Victoris *illos obtinuisse, ut partes nullas, forte etiam notabiles, retinuerint Solodorani. Si caput, vel pars capitis pretiosæ lipsanothecæ cum capite* S. Ursi *inclusa de corpore sæpe memorato et in tumba cum schedis mutis invento, desumpta non sit, posset cum aliis forte etiam ossibus nonnullis veri* S. Victoris *esse.*

Dubium est an habeant Solodorenses caput S. Victoris.

59 *Profecto novimus, liberales esse scriptores patrios in reliquiis nutabilioribus* corpora *appellandis; novimus, rarius corpora integra sic aliis ecclesiis concessa esse, ut, unde transferetur, loco mœrenti pars non relinqueretur. Denique prudentius, ni fallor, thesauri sacri Solodorensis custodibus supponemus curam petendi ab episcopo Genevensi et Sedeleuba regina partem corporis sacri a se transferendi, quam astutiam et malam fidem alterius ejus loco substituendi. Claudamus hunc § Hermanni monito.* Tumba autem, de qua dictum est, adhuc servatur sub altari majori in monumento ex marmore postmodum pervenuste elaborato, in quo pariter ossa S. Ursi et S. Victoris, simulque arca, quæ utriusque Sancti capita (*delineationem habes lector in tabella I expressam*) una cum præfata lamina argentea continet, inclusa requiescunt. Tegmen vero tumbæ, seu tectum, extra ecclesiæ portas muro affixum cum inscriptione ænea facti temporisque adhuc videtur. *Præmiserat:* Interim prædictæ reliquiæ cum S. Urso in eadem arca et tumulo asservatæ pro vero S. Victoris corpore ab incolis habentur, devotissime coluntur, iisdemque miraculis coruscant. *Miraculorum et magnitudo et frequentia non Sanctorum nomina, sed potens apud Deum patrocinium designare solet, quod nihil vetat esse sancti Martyris anonymi, quovis nomine invocetur et colatur. Quæ denique hic monemur, suspicionem magnam ingerunt, utrumque sacrum caput lipsanothecæ pretiosæ inclusum ex eadem tumba sublatum esse.*

§ V. Inventio anno 1473 triginta septem sacrorum corporum, quæ creduntur Martyrum Sociorum SS. Ursi et Victoris. Eorum exaltatio a Sixto IV pontifice permissa et cum illustri pompa celebrata.

Inventa anno 1473

De *sacello* S. Petri *dicto, quod a regina Bertha conditum diximus eo loco, unde revelatu sibi septemdecim sacra corpora extraxerunt, frequens hactenus sermo fuit. Locum in Chorographia Veteris Solodori designatum habes littera* a, *in Novæ delineatione num.* 2. *Humidus est, utpote quinque scaturientibus fontibus, quos assignatos ibidem habes, circumseptus. Sacellum ibi ædificatum*

AUCTORE J. C. *tum fuerat sub medium sæculum 10, ut § 2 ostendimus, quod senescente sæculo 15 fatiscens reparatum est, atque ea occasione inventa fuere sacra cimelia. Hisce prænotatis, accipiamus ex Epilogo Proprii Solodorensis narrationem, illamque dein aliis instrumentis illustremus. Sic habet Proprium.* Præter illa septemdecim ergo corpora sanctorum Patronorum cælesti et miraculosa revelatione a regina Bertha circa nonum (*imo decimum medium*) post mundi redemptionem sæculum inventa, alia ossa ac capita tringinta septem corporum leguntur anno millesimo quadringentimo septuagesimo tertio mense Aprili effossa, occasione renovandæ et majus in spatium extendendæ ejus capellæ, quæ in ipso loco, quo præfata regina septemdecim prima corpora invenerat, fuerat constructa. Etenim cum pro fundamento ibidem foderetur, sex successivis diebus hebdomadæ Sanctæ inventa et effossa sunt prædicta illa triginta septem corpora, quorum aliqui (ut verbis utamur Bullæ a Sixto quarto papa Solodorum missæ) capita sua circa pectus, aliqui circa umbilicum, et nonnulli in brachio dextro et circa scapulas habuerunt, jacentes unus juxta B alium combinati, quandoque sex simul, quandoque tres simul, aut unus supra alium; omnes tamen directo ordine et situ pedes versus solis ortum, more Christianorum habentes. Ossa autem illa pro majori parte integra, non putrida, nec fœtida, aut incinerata, sed odorifera sunt inventa, et plura capita adhuc suos retinentia dentes, licet fere mille et ducentis annis in terra illa satis humida et lutosa latuerint.

mense Aprili sacra cimelia. 61 Quibus quidem reliquiis sic collectis (Hæc in veteri quodam codice tunc temporis, ut apparet ex verbis, conscripto, leguntur) et in locellis honeste compositis, exinde eorum mediatione quam grandia valde miracula et prodigia coruscarunt. Nam quam plurimæ utriusque sexus personæ se reliquiis ipsis devoventes, a diversis ægritudinibus et infirmitatibus morbosis reconvaluerunt. Quæ quidem miracula adhuc his diebus clarescere non desinunt. Super his siquidem sanctissimo domino summo et apostolico Pontifice, videlicet domino Sixto papa quarto moderno consulto et interpellato, ac super jam recitatis miraculis sua authoritate apostolica, testificatione sufficienter recepta, tandem per suas C bullas apostolicas has reliquias triginta septem corporum ultimate, ut præfertur, repertas, levari et ad ecclesiam præfatam collegiatam Solodorensem honorifice transferri, ac juxta alias priores consimiles antiquas reliquias recondi, mandavit. Quod cum magna honorificentia factum extitit, die videlicet Quasimodo Dominica, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto. Quarum reliquiarum virtute ineffabilia miracula et prodigia prodierunt, quæ dietim perseverare conspiciuntur etc. Deinde infra. Notandum, insuper, quod in hac translatione interfuerunt quinque prælati infulati aliique prælati ac viri ecclesiastici, milites, nobiles et etiam civitatum ambasiatores ac alii viri, utriusque sexus in numero fere quindecim aut viginti millia personarum: nam et facta est hæc translatio valde solemniter per duos dominos prælatos commissarios, per sanctissimum dominum papam Sixtum quartum deputatos etc. Hactenus codex ille, *ex eoque Proprii Epilogus. Singula nunc enucleatius percenseamus ex monumentis, quæ hic allegantur, aliisque, quæ a venerabili Capitulo communicata ad manum sunt.*

62 *Anno Christi* 1473 *die Lunæ,* 12 *Aprilis,* D *quo hebdomada Sancta inchoata est, Pascha incidente in diem* 18 *ejusdem mensis, initium fuit felicis inventionis thesauri sacri, cujus progressus tum ex jam allegata narratione habetur, tam in Bulla Sixtina infra describetur uberius. Porro ibi dicitur, inventa esse sex successivis diebus* ossa et capita triginta septem corporum; *et rursus inferius,* effossa esse triginta septem corpora. *Inscriptio ad portas ecclesiæ, quam paulo post inventionem hanc factam dedimus num.* 23, *numerat Sanctos tantum* triginta sex *tum temporis repertos, totidemque tantum memorat Hafnerus in mss., teste Hermanno, qui triginta septem capita saltem ossaque alia, licet non sic integra, ut nullum defuerit totis corporibus, fuisse conficit ex Bulla Sixtina* Alma mater. *Hæc, utpote ex missis Romam proxime post ipsam inventionem a Capitulo et senatu Solodorensi informationibus confecta, auctoritate proin debet prævalere, de re, quæ in ipsorum oculis contigerat. Priusquam Bullam illam edimus, de episcopo Lausannensi, ad quem directa est, sunt prænotanda quæpiam et dilucidanda; quandoquidem Sixtus IV præsulem illum non distincte nominet, et confusionem circa illum adverterim in Catalogis præsulum Lausannensium. Apud Sammarthanos Guilielmum de Varax, anno* 1467 *mortuum, sequitur* Rudolphus, legatus Pauli II (*qui*) pacem conciliat inter Teutones et Polonos. E *Huic subnectitur* Joannes IV, Cardinalis S. Petri ad Vincula anno 1474. *In Statu ecclesiæ Aventicensis, seu Lausannensis, qui ab illius urbis episcopo conscriptus, Benedicto XIII oblatus, et impressus est anno* 1724, *alius hic plane texitur catalogus. Anno scilicet* 1472 *ibi sistitur* Joannes de Michaelis... magnus consiliarius Sabaudiæ ducis, Sixto IV Pontifice. *Hunc biennio post subsequitur* Julianus, episcopus Lausannensis.. dein Cardinalis S. Petri ad Vincula, Pontifice et imperatore iisdem. *Unde hæc profecta sint, ignoro: at apud Ciaconium seu Oldoinum invenio, inter plurimas aliarum ecclesiarum infulas etiam Lausannensis gessisse Julianum, quamvis de illis sileant Stella, Platina, Pauvinius omnesque, quos pro Juliani gestis apud Oldoinum reperi.*

Examen super illis institutum 63 *Est is porro Julianus de Rouvere, Sixti IV ex fratre Raphaele nepos, qui et post Paulum II, assumpto Julii II nomine, Romanam sedem conscendit. A Sixto patruo in prima creatione* F *anno* 1471 *die* 15 *Decembris ad galerum promotus fuerat: varios postmodum cum ecclesiis titulos permutavit. An initio et quot annis illum gesserit, qui est* S. Petri Vincula, *non est æque indubitatum. Non invenio tamen inter Cardinales alium, qui hunc annos inter* 1472 *et* 1475 *gesserit, ita ut, asserente etiam cum nonnullis Waddingo, credere liceat, tum temporis Julianum eo insignitum fuisse, atque proin de illo in monumentis mox producendis sermonem esse. Unum autem eumdemque annis* 1473 *et sequenti Cardinalem* S. Petri *ad* Vincula *et episcopum Lausanneusem fuisse, manifestum fit ex testimonio Joannis a Staal archigrammathei Solodorensis, qui rebus circa sacras reliquias tum gestis præsens adfuit, et citatur ab Hafnero part* 2, *pag.* 179. *Verba ejus sunt:* Itaque sanctissimus pater papa Sixtus et Cardinalis ad Vincula Petri episcopus Lausannensis permiserunt, recens inventum sacrum thesaurum digne exaltari. *Hæc Joannes a Staal; ex quibus deduco, Julianum uno forte alterove anno serius in novissimo Status catalogo episcoporum Lausannensium exhiberi: nam ex litteris Lausannensis episcopi ad civitatem Solodoranam,*

quæ credita sunt 7 Sociorum SS. Victoris et Ursi.

A *lodoranam, datis Kalendis Februarii anni 1474, colligere videor, illum jam pridem ante, quo tempore causa repertorum sacrorum corporum Romæ pertractata fuit, Lausannensi ecclesiæ præfuisse. Priusquam nunc Bullam Sixtinam sæpe memoratam subnecto, prænotanda sunt adhuc aliqua ex jam ante disputatis collecta, vel aliunde incurrentia, maxime circa chronotaxim, quæ in illa est non nihil luxata. Bulla data est* Tiburc anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, tertio decimo Kalendas Augusti. Pontificatus (*Sixti IV*) anno secundo. *Cathedram S. Petri conscenderat Sixtus die 9 Augusti anno 1471 : igitur recte concurrunt notæ chronologicæ. Paulo post initium dicuntur sancti Martyres passi*, sunt fere mille ducenti anni. *Martyrium scilicet illorum passim innectebatur anno 288, quem errorem excussi dilucidans Passionem SS. Mauritii et Sociorum ad diem 22 hujus mensis. Inde porro usque ad annum datæ Bullæ fluxerunt anni 1183, qui prope ad numerum rotundum accedunt : recedunt magis in mea sententia, juxta quam Martyrium anno 303, vel 304 illigandum est. Sequitur deinde*, Quingentis latuerunt annis incogniti, *nimirum usque* B *ad revelationem septemdecim corporum reginæ Berthæ factam sub annum 950, uti supra num. 21 et seq. statuimus.*

onæ et feli- iter termina- um.

64 *Laborat autem hic computus ; nam annis 288 si addas 500, exsurget tantum annus 788, a quo duo adhuc fere sæcula supersunt usque ad revelationem memoratam. In aliis monumentis Solodoranis, ut superius observavi, pro* quingentis *legitur* sexcentis, *quod utcumque, additis rotundo numero annis superfluis, salvatur. Redi, si plura super his desideras, ad § 2, num. 24 et seq. Occurrit deinde in Bulla calculus alius initio num. 67.* Licet sexaginta sex in Solodoro de dictis fuerint Sanctis decollati, nihilominus nisi decem et septem corpora cum S. Urso, sunt fere octingenti anni, prima vice sunt effossa. *Demamus anno 1473 annos 800, reducemur ad annum 673, circa quem nullam epocham reperio desumendo computus hujus initio. Si conjecturis agendum est, suspicor, Solodoranos in monumentis, quæ ad Pontificem submiserunt, duobus sæculis Berthæ reginæ ætatem anticipasse, primamque revelationem ad medium sæculum octavum, quæ ad decimum medium figenda erat, produxisse. Certe hoc posito errore,* C *postremæ duæ notæ chronologicæ utcumque ad se invicem accedent, ut consideranti planum fiet : neque enim lubet longius discurrere super re, in qua instrumenta similia non majoris auctoritatis sunt, quam in asserendis factis historicis diu præteritis, qualia sunt hic Legionis Thebææ baptismus Jerosolymis, instructio in fide per Marcellum papam Romæ, prodigium de sanctis Martyribus nostris præcisa capita manibus flumine exportantibus. Horum priora sane duo, acta S. Mauritii excutiens, manifeste convici fabulæ, et postremum commenti valde suspectum habeo, ut insinuavi superius § 1, num. 7 et seqq. Excudamus nunc ipsam bullam :* Sixtus episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Lausannensi salutem, et Apostolicam benedictionem. Alma mater Romana Ecclesia ad instar ecclesiæ triumphantis cunctos Dei athletas, et præsertim, qui pro Christianæ fidei solido fundamento colla sua spiculatori ob martyrii palmam voluntarie submiserunt, tanto honorificentiæ potioris impendiis attollit, quanto ipsam præ cæteris excellentius illustrarunt.

65 Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Præpositi et Capituli ecclesiæ. S. Ursi, oppidi antiquissimi Solodorensis, Lausannensis diœcesis, ac sculteti, consulum et oppidanorum dicti oppidi petitio continebat, quod dudum, sunt fere mille ducenti anni, quod dum Maximianus Romanorum imperator, juncto sibi Diocletiano, transalpinare, et in Galliam contra Christianos proficisci satagens, sacram Legionem Thebæam, sanctos videlicet Mauritium, Candidum, Exuperium, Victorem et Ursum cum suis Sociis, tanquam viros bellicosos accersiri mandasset, qui ipsius mandato emoti sese ad iter præcingentes per Ierosolymamque transitum facientes, inibi primo baptizati, exindeque Romæ per Marcellum papam in fide Catholica solidati, tandem cum ipso imperatore transalpinantes Othodurum applicuerunt : ubi requisiti, idolis paganorum more sacrificare, et contra Christianos pugnare, ac id negantes, ubi hoc primo et secundo decimati, finaliter omnes in ore gladii pro Christi nomine ibidem fuerunt peremti, præter SS. Ursum, et Victorem, et suos Consocios numero sexaginta sex, qui abinde secedentes Solodorum venerunt, ubi jussu jam dicti imperatoris perquisiti, et inventi, ac quod idolis, ut prius immolarent, quæstionati, recusantes post diros variosque cruciatus ultimate in E ponte Solodori pro Christi nomine et fidei Catholicæ professione simul decapitati et in alveum fluvii præcipitati extitere; qui tamen non longe ab eodem ponte defluentes, singulique sua capita propriis manibus deferentes ac sic in terram egressi ibidem inter spinas et tribulos quingentis latuerunt annis incogniti. Sed tandem ossa eorum, videlicet decem et septem corporum duntaxat, opere claræ memoriæ reginæ Berthæ, cui id divinitus ostensum est, effossa, et levata, ac ad basilicam per ipsam reginam Bertham constructam, quæ et nunc ecclesia est collegiata, per episcopum Gebennensem, tunc loci ordinarium, honorifice recondita, et ex tunc canonice et catholice pro sacris reliquiis, sive multifariis prodentibus miraculis, merito sunt venerata, prout adhuc hodie venerantur, et quorum præsidio, quia multi variis languoribus ægroti sanitatem, aliique multis affecti incommodis remedia consequuntur salutaria, prout de his ex Legendis et scripturis veteranis sane constat.

AUCTORE J. C.

Bulla Sixti IV Pontificis.

66 Verum ex tunc satis diuturnn temporis tractu effluxo, Christiana invalescente religione, F dum capella satis ampla in eo loco, ubi ipsa ossa reperta fuere, per ipsam reginam constructa renovaretur et ampliaretur, et his novissimis diebus pro fundamento pavimenti ibidem faciendi foderetur, a casu hoc mense Aprili hujus anni septuagesimi tertii sex successivis diebus hebdomodæ Sanctæ inventa et effossa sunt ossa et capita triginta septem corporum, in longitudine et proportione aliorum decem et septem sanctorum Thebæorum, prius, ut præmissum est, repertorum, quorum aliqui capita sua circa pectus ; aliqui circa umbilicum, et nonnulli in brachio dextro et circa scapulas habuerunt, jacentes unus juxta alium combinati, quandoque sex simul, quandoque tres simul, aut unus supra alium, omnes tamen directo ordine et situ, pedes versus solis Ortum more Christianorum habentes. Ossa autem illa pro majori parte integra, non putrida, nec fœtida, aut incinerata, sed odorifera sunt inventa, et plura capita adhuc suos retinent dentes, licet fere mille et ducentis annis in terra illa satis humida et lutosa latuerint : et hujus rei testes sunt sacerdotes et laici fide digni, qui foderunt et fodi viderunt,

qua demandatur

viderunt, atque levaront ipsa ossa, quæ nunc in loculis honestis sunt reclusa, et hoc ideo, quia ex multis, et quia verissimis signis et inditiis præsumitur, quod sunt reliquiæ aliorum sanctorum Thebæorum, qui cum S. Urso et Victore Solodori decapitati simul ad eumdem locum confluxerunt.

examen in loco instruendum

67 Tum primo, quia licet sexaginta sex in Solodoro de dictis fuerunt Sanctis decollati, nihilominus nisi decem et septem corpora cum sancto Urso, sunt fere obtingenti anni, prima vice sunt effossa. Tum secundo: ista ossa et capita jam reperta, sunt longa et proportionata ad instar aliorum Thebæorum. Tum tertio, quia nulla ossa puerorum, mulierum, aut debilium personarum ibi nunc sunt visa. Tum quarto, quia non est auditum ab ævo, quod in eodem loco, ubi priora et moderna ossa sunt reperta, umquam fuerint sepulchra hominum visa, vel quispiam ibidem tumulatus, nec ibi aliqua ex tunc, nec ex post per multorum centenariorum annorum decursus fuit domus vel habitatio, ex quibus suspicari possit, aliquem ullis temporibus ibi fuisse sepultum: nec, quod maximum est, vel fama vel rumore, vel quibusvis divulgationibus auditum B est, corpora ipsorum Sanctorum alio loco defluxa vel reperta fuisse; et non est verisimile, Deum ipsos tam bene meritos, qui in sanguine suo pro Christi nomine suas laverunt stolas, non velle hic coruscare prodigiis, ut ipsorum exemplo tracti cæteri vestigia sua animosiori imitentur pectore. Quæ omnia in unum congesta præsumptionem nedum probabilem, sed violentam et notoriam faciunt, ipsa corpora nunc inventa, esse de consortio aliorum Sanctorum prius repertorum. Et licet haud dubium pie credendum, vix non sane tenendum censeatur, ut quemadmodum priora ossa, videlicet decem et septem corpora pro istis temporibus, sunt fere octingenti anni, reperta, abinde hucusque pro sacris et veris reliquiis, suis exigentibus miraculis, habita et venerata sunt, prout hodie devote venerantur, pari ratione et ista ossa novissime effossa, cum in fide Christi martyrio sint ejusdem conditionis, et quorum miracula jamjam passim in lucem prodire conspiciuntur, non minus forent pro veris et sacris reliquiis veneranda.

episcopo Lausannensi.

68 Quare pro parte dictorum Præpositi, et Capituli, nec non sculteti, consulum et oppidaC norum, ut hæc res ordine debito prosequatur, et ex hoc devotio populi augeatur, ipsique Sancti eo sincerius et majori affectu venerentur, quo eorumdem fervida passio plus meriti ipsis tribuens excellentiori authorizatione fuerit comprobata, cum sancta illa Legio canonizata sit et approbata, et de illorum ac beati Ursi Societate indubie corpora illa esse censeantur, nobis sit humiliter supplicatum, ut sibi super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; Nos igitur, qui fidelium devotionem et corporum sanctorum exaltationem, cultusque divini augmentum intensis desideriis affectamus, de præmissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in his et aliis fiduciam indubiam obtinemus, mandamus, quatenus de præmissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis per te, vel alium, seu alios, quorum et tuam desuper conscientias oneramus, te summarie, simpliciter, et de plano sine strepitu et figura judicii, sed sola facti veritate inspecta, authoritate nostra diligenter informes, et si per informationem hujusmodi præmissa repereris, veritate fulciri, ossa, corpora et capita novissime reperta, ut præmittitur, de nuD mero et Societate ejusdem S. Ursi fuisse et esse, et ut Sanctos, et sancto venerandos, in dicta basilica, ubi priores sunt reliquiæ, collocandos, et collocanda, eadem authoritate fore declares, aliaque facias in præmissis, et circa ea necessaria, et quomodolibet opportuna, quæ faciendo et exequenda videris. Non obstantibus præmissis, ac constitutionis et ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Tibure anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, tertiodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

D. Gereano. L. S.

Solodorensium ardor pro causa sine

69 *Agebat tunc episcopus Lausannensis, cui examen commissit Sixtus, Romæ, ab eoque causa aliis commendata fuit, ut ex sequentibus instrumentis clarum fiet. Itaque, ut in mandatis a Pontifice acceperat, episcopus Lausannensis examen commisit duobus commissariis, qui fuerunt* Burchardus apostolicus prothonotarius et vicarius generalis, *ut loquitur in memoratis litteris episcopus,* diœcesis Lausannensis. *Joannes a Staal eumdem appellat Burchardum Stor Præpositum ecclesiæ Ansoltingensis. Secundo loco ad examen deputatus fuit Franciscus abbas S. Joannis Erlacensis. Examine instituto* E *confectisque debite instrumentis, Burchardus Romam profectus, est. causam apud episcopum et Pontificem coram efficacius promoturus. Illa interim longius, quam ferrent ardentia Salodorensium vota, pro rei momento pertracta est: hinc apud episcopus expostularunt, ut patet ex litteris subjectis. quibus illorum nimium festinantem ardorem temperare nititur episcopus, ita scribens.* Magnifici viri, filii nostri in Christo dilectissimi, salutem in Domino. Reverendus plurimum dominus Burchardus, apostolicus prothonotarius et vicarius noster generalis causam illarum reliquiarum vestrarum summa cum diligentia prosecutus est, tam apud nos, quam ubicumque opus fuerit. Et certe maxima fuit ipsius sollicitudo; sed gravitas ipsius rei tanta est, ut non possit, nec debeat sine magna discussione transiro. Unde omnibus illis, ad quos ea res spectat (*Hic, ni fallor, aliquid excidit, quod sensum perficiat: puta,* æquum visum est, expedire, *vel quid simile*) quod res subjiceretur disputationi nonnullorum theologorum et doctissimorum canonistrarum, qui per argumenta et authoritates, visu antea processu et miraculis, hoc negotium discuterent; F quæ res non placuit prothonotario præfato procuratori vestro, ne causa, quæ spectatur divino testimonio esse elucidanda, poneretur in compromissum.

qui anno 1474 feliciter secutus est, ut liquet ex

70 Maluit igitur (*Multi rursus occurrit aliquid, nam ita legitur* Plus sua, *quæ quid velint, ignoro. Sit* præfatus prothonotaris) bullam reportare, per quam possent illa pia ossa pie recondi, quam subjicere illa disputationibus et solecismis. Magna ab eo ratione hoc factum est: nam quæ spiritu Dei aguntur, non debent cavillosis disputationibus subjici. Proinde speramus, quod Deus omnipotens, qui est mirabilis in Sanctis suis, non patietur eos, qui pro fide sua voluntariam subierunt mortem debito honore diutius fraudari, docebitque non argumentis, sed factis, causam Servorum suorum esse terminandam. Nos vero huic rei numquam deficiemus, sed assistemus animose, ut pastorem vestrum et patrem spiritualem decet. Estote igitur bono animo, dilectissimi filii, quod eorum spiritus, quorum ossa tanto ardore cupitis venerari, a summo Deo patrocinium impetrabunt, quo suam causam

AUCTORE J. C.

A causam tuebuntur multo melius et evidentius, quam possent humana lingua aut ingenium tueri, nosque, ut diximus, crescentibus miraculis, audaciter proponemus. Valete in Domino et reliqua a præfatu prothonotario plenius intelligetis, cui dabitis plenam fidem in omnibus, quæ nostro nomine referet. Romæ Kal. Februarii 1474. *Verbis suis stetit episcopus probationemque miraculorum sic ursit et instruxit, ut eodem mense sequentem Bullam ad Solodoranos dederit Sixtus, qua potestatem illis facit reperta sacra cimelia pro sacris reliquiis exaltandi. Exhibeo integram.*

altera Bulla Sixti IV.

71 Sixtus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati monasterii sancti Joannis Erlachensis et Præposito ecclesiæ Ansoltingensis Lausannensis diœcesis salutem et Apostolicam benedictionem. Visis litteris vestris atque processibus, per vos de mandato nostro super condendis in loco sacro corporibus de novo repertis, illorum, qui, ut fertur, de numero Legionis Thebæorum olim pro confessione veræ fidei ab iniquo imperatoru trucidati sunt, habitis, eisque diligenter inspectis, quamvis secundum canonicas sanctiones
B corpora sive ossa noviter inventa publice nequeant venerari, eorum præcipue, de quibus ambigitur, et qui vel quales fuerint, ob diuturnitatem temporis et brevem hominum vitam certitudo sufficiens non habetur : devota tamen dilectorum filiorum Præpositi et Capituli, ac sculteti et universitatis Solodorensis instantia atque humilis et iterata petitio nostræ mentis inclinavit affectum, ut eorum piis et meritoriis votis, quæ Dei misericordia et plurimis miraculis, postquam dicta corpora reperta sunt, juvari noscuntur, quantum nobis ex alto permittitur, annuamus. Discretioni igitur vestræ, de quibus fiduciam gerimus in Domino specialem, præsentium tenore permittimus, ut corpora sive ossa prædicta in ecclesia Solodorensi decenter recondi faciatis ; ita tamen, quod in eis recondendis honor debitus impendatur. Curate igitur, ut tenemini, quod hoc pietatis officium tali moderatione fiat, quod juste redargui non possitis, et ante tempus fidelium prona credulitas, quæ absque culpa non esset, juste reprehendi nequeat, donec certiores effecti, super veneratione illorum, prout Fidelium devotio flagitat, possimus uberius providere. Datum
C Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, sexto Idus Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

F. Jo. de Tartarinis. L. S.

Exaltatio illarum reliquiarum,

72 *Ne offendatur lector, dum hic mensem Februarium anni 1473 cum anno tertio Pontificatus Sixti IV connexum videt, qui supra advertorat, in Bulla* Alma mater, *quæ certo hacce prior est, mensem Julium ejusdem anni 1473, cum anno secundo sedis ejusdem Pontificis currentem : Papebrochius enim noster tum alibi sæpe, tum etiam in Julio II, ubi terminatur. Stellæ historia, ostendit, fuisse satis constanter usitatum in cancellaria romana, ut initium annorum non a Kalendis Januarii, sed a 25 Martii desumeretur, quem morem in monumentis Solodorensibus mss. etiam recentissime testatum habeo ab eminentissimo SS. Cosmæ et Damiani diacono cardinali Columna, sanctæ romanæ ecclesiæ Camerario; illustrissimisque viris Martio Ciapusetto, litterarum Apostolicarum sollicitatore et scriptore; Dominico Maria Laurenti litterarum apostolicarum expeditore et scriptore apostolico, Felice Antonio Paulelo reverendæ cameræ apostolicæ secretario et cancellario, qui idem a Solodorensibus interrogati 27 Aprilis 1757 authentice testati sunt. Itaque juxta hæc annus 1473, anno nostri vulgari 1473 die 25 Martii inchoatus finebat usque ad 25 Martii vulgaris nostri 1474, quo mense Februario data est hæc bulla nostra. Solodorenses accepta licentia ad translationem exaltationemque sanctorum corporum illustri cum pompa paragendam processerunt. Contigit illa eodem anno* Dominica Quasimodo, *ut ex epilogo sæpe memorato aliisque monumentis constat. Illo anno Pascha incidit in diem 10 Aprilis,* adeoque Dominica Quasimodo, *quæ prima est post Pascha, in 17 ejusdem mensis : quo die solemnitas habita fuit. Hæc quanta fuerit, conjicere licet ex Joanne a Staal, qui pompæ adfuit, cujusque verba ex mss. Solodorensibus latine reddita huc transfero.* Itaque, *inquit germanice,* Sanctissimus pater noster papa Sixtus et cardinalis ad Vincula Petri episcopus Lausannensis permiserunt, recens repertum thesaurum sacrum digne exaltare, ceteris sacris reliquiis apponere et venerari. Hi vero commissarii fuere, qui a pontifice ad id
E præstandum mandatum acceperant.

quæ translata et in ecclesia S. Ursi

73 Dominus Burchardus Stor vicarius conventus Lausannensis, præpositus Ansoltingensis.

Dominus Franciscus abbas Erlachensis.

Vicarius cantavit Missam in ara mobili ante sacellum S. Petri; abbas vero Erlachensis in templo S. Ursi ad ejusdem Sancti altare.

Dominus Michael Forchner senior sacerdos et canonicus ad concionem dixit in cœmeterio ante ecclesiam : adfuerunt autem septem millia hominum, tum ecclesiasticorum, tum secularium.

Hi sunt domini prælati, qui præsentes fuerunt.

Abbas Freinispergensis.
Joannes abbas in Bellile.
Rudolfus abbas Trubensis.
Hermannus abbas Murensis.
Joannes abbas Gottstattensis.
Abbas ad S. Andræ.
Joannes abbas Beinvillensis.

Hi omnes in circuitu supplici iverunt mitra et pedo insignes, utpote insulati.

Dominus Nicolaus abbas in S. Urbani etiam adfuit, sed et plures viri ecclesiastici adfuerunt usque ad fere quingentos.

F Adfuerunt etiam Doctor Petrus Brunnestein Lucernensis, Gaspar de Hertenstein scultetus emeritus Lucernensis, plurimique ex primario et secundo senatu :

Dominus Christianus.... Tugii :

Dominus Rudolphus.... Monasteriensis et canonicus Ergoviensis cum Nicolao Ritzi prætore ibidem :

Magister Joannes Wildberg Doctor... Sempacensis :

Dominus Joannes Barchtambul... Pfestingensis in Ergovia :

Sursea Conrardus Kiel scultetus emeritus ibidem :

Dominæ Englibergensis, Entlibuchensis et Roteburgensis.

Præfatis hisce concessæ sunt de sacris reliquiis, quæ voluerunt die Mercurii noctu post S. Georgii huc advenire et die Jovis auferre hinc sacra cimelia.

venerationi expositæ fuere.

74 *Hactenus Joannes a Staal in ms., ad quæ sunt observanda quæpiam. Qui secundo loco ponitur abbas* Joannes, *dicitur præfuisse abbatiæ in* Bellile, *in quo, ni fallor, erratum est, atque ita scriptum*

AUCTORE J. C.

plum pro Bellelai, *quam in Annalibus Præmonstratensium* Bellelaiam, *et* Bellelagiam *in diplomatis pluribus appellatam invenio, estque celebre ordinis canonici monasterium in diœcesi Basileensi, quod illo tempore potissimum vigebat, ut colligere licet ex variis diplomatis et instrumentis, quæ in Annalibus Præmonstratensium referuntur. Ex abbatiis Germanico nomine appellatis, quæ sequuntur, aliquæ verisimilius nominibus aliis latine veniunt, verum volui pressius textui adhærere. Quæ ad nomina aliorum, punctis insertis, omissa est vox* Kilcher, *dignitatis vel muneris nomen verisimilius est: at cum tum mihi, tum consultis aliis linguæ germanicæ non ignaris, dubia et non multum usitata visa sit, malui lectorem monere, quam inepta interpretatione textum corrumpere. Ceterum observari potest, plures hic abbates recenseri, quam quinque, ut in relatione Proprii Solodorensis dicitur. Infulati nimirum computantur octo, quibus additur novus abbas S. Urbani, eo honore forte nondum decoratus. Fuerunt autem, uti ex eodem Epilogo liquet, in ecclesia* S. Ursi *collocata sacra cimelia, præter trium sanctorum Martyrum corpora, quæ in sacello S. Petri in altari deposita fuere ab episcopo, teste* B *inscriptione germanica sæpius memorata. Subnectit ad hæc Hermannus sequentia germanice ex Hafnero part. 2, pag. 180, quæ latina facio.* In memoriam præfatæ exaltationis, quotannis Dominica prima post pascha hic Soldori omnibus tam viris, quam feminis et infantibus, qui, peracto Officio divino, veniunt ad basilicam S. Ursi, distribuitur faba, pro qua aliquid legitur; ab eoque Dominica illa vulgo appellatur DOMINICA FABARUM. A centum quinquaginta annis voluerunt tollere consuetudinem illam, verum, ingruente peste, mandatum fuit, rursus fabas distribuere, sicut hodieque fit.

§ VI. Inventiones et exaltationes sacrarum reliquiarum posteriores. Cultus Sanctorum Solodori et alibi. Reliquiæ aliis concessæ ecclesiis. Miracula et beneficia Sanctorum patrocinio tum Solodori, tum alibi adscripta.

C

Sacræ Martyrum reliquiæ

S*ex annis postquam reperta fuerant sacra cimelia, de quibus § superiore egimus, eodem loco inventa sunt ossa nonnulla alia, quæ et ipsa pro sanctorum reliquiis agnita, et, permittente sede apostolica, fuerunt exaltata. Quomodo quidem tunc causa Romæ acta fuerit, enucleatius expositum non invenio: at credibile est, eadem, qua ante via, quaque tam ex voto res successerat, processum, reliquiasque approbatas et Sanctos casu excepto per probationem miraculorum canonizatos fuisse. De inventione hac sic habet memoratus sæpissime epilogus Proprii Solodorensis.* Eruta fuere anno 1479 alia quædam corpora seu ossa, eodem loci, ex ipsa sancta Societate: de quorum numero tametsi quidem nihil constet certi, patet tamen, ad ecclesiam collegiatam eadem fuisse translata aliisque prius inventis conjuncta. *De numero repertorum sacrorum ossium nec mihi ex veteribus monumentis constat, inventa tamen fuisse* D *et verisimilius exaltata, evincit Sixti IV bulla, quam subnecto.* Sixtus papa IV. Dilecti Filii salutem et Apostolicam benedictionem. Intelleximus, quod in eo loco, ubi alias inventa fuerunt nonnulla corpora seu reliquiæ aliquorum do Societate S. Ursi, Socii S. Mauritii, sunt etiam noviter reperta alia corpora, seu reliquiæ cæterorum ejusdem S. Ursi Sociorum. Cum autem dictus S. Ursus una cum Sociis suis numero quinquaginta quinque jam diu canonizatus fuerit, sicut asseritis constare, et propterea corpora ipsa prius reperta de commissione et authoritate nostra propter plurima signa et miracula loco honesto et condecenti posita extiterint, in quo et hæc ultimo reperta collocata quoque esse, accepimus; Nos considerantes, beatorum corporum reliquias in veneratione et honorificentia debita ad laudem Dei veræque fidei nostræ corroborationem et propagationem habendas esse, moti etiam vestris devotissimis in hac parte precibus, tenore præsentium apostolica authoritate concedimus, ut, si ita sit, corpora ipsa ultimo, sicut dictum est, reperta ab omnibus, quemadmodum priora illa, venerari et in venera- E tione haberi debeant.

deinceps inventæ et venerationi expositæ.

76 Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16 Februarii 1479. Pontificatus nostri anno octava, *adeoque anno vulgari a Januarii Kalendis inchoato 1480, dum annus cancellariæ romanæ 1479 fluebat usque ad 25 Martii, ut superius observavi. Error porro, vel calami, vel calculi in bullam præfatam irrepsit: nempe ubi de repertis antea sacris exuviis sanctisque canonizatis agitur, dicunturque hi fuisse* quinquaginta quinque. *Etenim vidimus prius a regina Bertha septemdecim sacra corpora, postmodum vero* triginta septem, *vel ut habet instrumentum unum,* triginta sex *reperta fuisse, qui si combinentur calculi, exsurges numerus 54 vel 53, non vero 55 in bulla assertus. Non est opera pretium rem hanc operosius discutere, quandoquidem in archivo Solodorensi non originalis bulla, sed copia tantum in quam error irrepere facilius potuit, reperiatur, ut monet Hermannus. Illo judice, dici posset ad purgandum errorem,* S. Victorem *Genevam translatum illis annumeratum, vel denique* SS. Ursi *et* Victoris *sacra corpora septemdecim a Bertha repertis non comprehensa, sed superaddenda esse.* F Anno denique millesimo (*verba sunt epilogi sæpe memorati Proprii Solodorensis*) sexcentesimo trigesimo quarto, (*sex annis ante impressionem ipsius Proprii*) quo sanctæ hujus Societatis reliquiæ, ex altari, quod in navi ecclesiæ collocatum fuerat, in sublimiorem et aptiorem chori locum, ut facilius conspici, decentius ornari et commodius coli possent, translatæ sunt, reperta fuerunt ossa et fragmenta, seu partes ossium non paucæ, sub altari prælato tribus in tumbulis ex lapideis tabulis in pavimento ipso constructis et obtectis, quæ cum in eodem altari inter alia ossa integra collocari commode non potuisse videantur, a regina Bertha (*An ergo jam ab ejus tempore exstabat altare illud, et ante inventa anno 1473 corpora in illo exposita erant sacra ossa alia? Vix credo, propter ignorantiam de corporibus repertis a regina Bertha, præter reliquias S. Ursi et alterius in eadem tumba, non uno loco a Solodorensibus insinuatam. Suspicor igitur ex reliquiis anno 1473 repertis in altari illo venerationi expositas fuisse, ut sequitur*) (vel majoribus nostris, subterraneis in illis tumbulis collocata

AUCTORE J. C.

A cata fuisse, indubitata conjectura cognoscuntur.

Inventiones festive quotannis celebratæ. Ex distributis reliquiis

77 *Subjungimus illa, quibus claudatur Epilogus, ut ad dilucidandum amplius Sanctorum cultum et miracula transeamus.* Harum itaque omnium Inventionum, præcipue vero Revelationis festum celebratur solemne Solodori quinta Martii; sexta autem Aprilis, qua corpora præcipuorum Patronorum SS. Ursi et Victoris sub altari summo, ut supra dictum est, ingenti hujus ecclesiæ lætitia, tamquam pretiosissima drachma, posteaquam tot annis latuerant, denuo inventa sunt, solemne Missæ officium quotannis celebrari consuevit. *Nec dubito, quin dies illorum martyrio sacer* 30 *Septembris maxima solemnitate ibi agatur. Certe præter communes Indulgentias ab episcopis variis concessas, habentur plenariæ in festis* SS. Ursi *et Sociorum* 30 *Septembris et in festo Revelationis* 5 *Martii. Antiquitus, teste Gasparo Lang parte* 1, *pag.* 593, *festum* S. Ursi *in pluribus per Helvetiam locis solemne fuit et præcipue in urbe Tigurina. Imo celebratur adhuc hodie in plurimis adjacentibus monasteriis, ubi festum S. Hieronymi ideo transfertur. Ortum id potissimum est ex cultu sacrarum reliquiarum, quæ a* B *Solodorensibus variis ecclesiis concessæ fuerunt. Vidimus datas superius feminis illustribus, quæ ad festum translationis anno* 1474 *Solodorum convenerant. Præterea eodem anno, Hermanno teste, missæ sunt ad urbem Isnensem. Sigismundus dux Austriæ ex sacris ossibus petiit, quæ et sacellanus ejus domesticus solemniter Oenipontem transtulit anno* 1476. *Ex iisdem nactus est senatus Tigurensis anno* 1492. *Jacobus de Liebensfels Elector ac archiepiscopus Moguntinus, uti et Hugo de Landenberg episcopus Constantiensis impetrarunt reliquias, quæ etiam solemniter Moguntiam et Constantiam transportatæ fuerunt anno* 1507. *Concessæ sunt insuper aliæ a Capitulo et senatu Solodorensi monasterio in Wettingen. Corpus integram obtinuere Lucernenses : insignes partes monasterium Murense anno* 1629, *uti et Beinvillense, Bellelagiense, Rhenoviense atque ecclesia in Hergiswald ditionis Lucernensis anno* 1630. *De harum translatione constat, teste Hermanno, verisimiliter ex registro Capituli Solodorensis.*

auctus alibi Sanctorum cultus.

73 *Ex litteris P. Xaverii Fegeli ad P. Chardonum anno hujus sæculi* 45 *Friburgo datis habeo, in templo collegii Societatis nostræ, quod S. Mi-* C *chaeli sacrum est, cum summa veneratione servari ossa duo* S. Ursi, *quorum unum a duce Bavariæ Wilhelmo anno* 1596, *alterum a venerabili Capitulo ac senatu Solodorano anno* 1597 *donatum est* in gratiam, *uti in suis patentibus litteris in collegio nostro asservatis ait illustrissimus senatus Solodorensis*, et honorem reverendi patris Canisii ob conscriptam ab eodem in decrepita senecta Patroni nostri S. Ursi reliquorumque sanctorum Thebæorum Martyrum sacram Historiam, debitæ gratitudinis ergo. *Hac de causa* S. Ursus *ibi quotannis colitur officio semiduplici. Inter monumenta a sæpe laudato P. Mauritio Chardono submissa invenio epistolam anonymam scriptam, ni fallor, Lucernæ, quandoquidem nihil contineat præterquam quod ad civitatem illam ejusve viciniam spectet. Ibi porro reperio in thesauro illius ecclesiæ servari* Duo integra corpora sanctorum martyrum Sociorum SS. Ursi et Victoris. *Inter illa verisimilius eædem sacræ reliquiæ sunt, de quibus paulo superius ex monumentis Solodoranis. Ex iisdem habeo, pluribus præterea locis sacrorum corporum partes servari : nimirum Glaronæ, Abbatis-cellæ, in Arth, in monasteriis Montisangelorum et Masmunster. Præter illas reliquias, scribit Hermannus, plurimas principum urbiumque postulatis a venerabili Capitulo in Alsatiam, Burgundiam, vicinasque regiones missas, varias alio transportatas esse. Ne autem importunis postulatis nimium minuerentur, jam ab anno* 1519, *quo corpus* S. Ursi *inventum fuit, statutum est ab inclyto senatu reliquias illas non amplius separare. Quapropter, uti superius observavi, sub eadem tumba et arca repositæ asservantur, sic ut nec senatus sine Capitulo, neque hoc sine illo aperire tumbam possit. Servantur tamen partes aliquot extra arcam,* tum ad tempestates exorcizandas (*Hermanni verba sunt*) tum ut illas sacerdos, qui militibus præest, tempore belli in castris secum ferat, quod durante seculo 16 semper est observatum.

Reliquiæ forte synonymæ Buriani.

79 *Cæterum Bollandus noster ad diem* 1 *Februarii scribens de* S. *Urso presbytero, qui tum Augustæ Prætoriæ colitur num.* 5 *et* 6, *variaque confusa extricans, dubium insinuavit de corpore seu parte insigni corporis S. Ursi, quem cum SS. Albano et Dominico Burianenses prope Venetias insulani ut Tutelarem colunt : an scilicet forte Solodorensis Martyris corpus, vel portio ejus notabilis eo translata esset. Verum ex illis, quæ supra* E *de* S. Ursi *reliquiis dicta sunt, nullatenus id videtur verisimile. Certe inter illos, qui ibi colantur, martyres Ursus Augustæ Prætoriæ coronatus dicitur. et aliunde tota historia enormibus anachronismis involuta est, ut fusius probat Papebrochius noster in Commentario historico de S. Albano martyre Moguntino ad diem* 21 *Junii* § 2; *ibi insuper* § 4 *ostendit, quam inepta sint, quæ de præfatorum sacrorum pignorum translatione popularis fert traditio, simulque advertit, in qualibuscumque monumentis istius ecclesiæ nullam S. Ursi mentionem fieri, sed ejus memoriam novissime forte ex S. Albani Moguntini martyris Legenda excerptam esse, indeque natam recentem de servatis ibidem S. Ursi reliquiis traditiunculam. Sane illustrissimus vir Flaminius Cornelius senator Venetus tom. II Ecclesiæ Torcellanæ ipso initio, ubi agit de ecclesia Burianensi, nihil profert ulterius de reliquiis illis; sed non obscure innuit, habere se omnia pro admodum suspectis, quin imo paulo post edicit, Papebrochii citati censuræ se subscribere. Non est igitur, quod multum laboremus in discernendo Sancto illo ejusque reliquiis; si quid forte desiderari possit, recurret die* 20 *vel* 22 *Novembris, quo* F *examinabuntur acta S. Theonesti tutelaris Vercellensis, cujus socius fuisse asseritur, locus et opportunitas pluribus disserendis. Solodorum revertamur et relegamus, quæ Hermannus collegit ad illustrandum sanctorum Tutelarium cultum ejusque celebritatem, tum antiquam, tum recentem. Ad antiquam pertinent, quæ scribit Hafnerus part.* 1, *pag.* 227 : *Carolum Magnum sub annum* 784 *Solodorum, seu locum, ubi Sancti pretiosum sanguinem fuderant, devotissime visitasse : quod etsi monumentis antiquis probatum non inveniam, negare tamen nolim, modo ne hæc cum errore de fundata per Wertradam matrem ejus basilica Ursiana connexa sint.* In pugna Laupensi (*inquit Hermannus*) quæ anno 1839 contigit, Bernenses voto se obstrinxerunt, quotannis cereum in S. Ursi honorem Solodorum mittendi, si pro illis victoriam impetraret; quod et contigit. Hoc promisso Bernenses semper fideles steterunt, usque ad illorum a fide defectionem. Manuscriptum, ex quo hoc desumpsi, postmodum anno 1507 Francofurti prelo subjectum fuit, estque verissimum hoc votum, licet id Stetlerus ad prædictam

AUCTORE J. C.

etam pugnam pro hæreticorum more penitus prætereat.

Dubia sunt,

80 *Inter monumenta antiqua ab eodem Hermanno collecta, est fragmentum de pugna Laupensi, excerptum, ut præfert, ex illius pugnæ descriptione, quam reliquit Petrus Etterlein Lucernensis, qui sæculo 15 vixit. Verum phrasis est tam impedita, ut vix sensum scriptoris colligere liceat. Tam vere aliunde fragmentum est, ut locum hic non mereatur, quandoquidem neque initium, neque finem habeat. Illud solum inde confici potest, Bernates vere sese voto obstrinxisse* S. Urso, *illiusque patrocinio celeberrimæ pugnæ felicem et inexspectatum successum adscriptum fuisse. Insigne venerationis erga sanctos Martyres est vexillum antiquum, quod hodieque servatur Solodori, missum olim a Julio II Pontifice anno 1512. Est is scilicet papa Julianus de Rovere, qui olim episcopus Lausannensis causam repertorum sacrorum corporum Romæ promovit, uti superius abunde vidimus. Is porro cum papa esset et Helvetiæ populis amorem suum testatum vellet, pro more illorum temporum, vexilla dono misit ad singulas Helvetiæ urbes. In illo autem, quod obtinuere Solodorani,* SS. Ursus et Victor *eleganter depicti sunt.* B *Militaris ordo variæque confraternitates celebrem prætera venerationem fecerunt Hermanno : verum quæ ad ordinem militarem spectant, sunt mihi non parum dubia, qualia etiam non paucis aliis scriptoribus visa sunt. Audiamus Philippum Bonanni sub hoc titulo :* Eques Ursi in Helvetia *loquentem.* Cum Ortho Saxoniæ dux conaretur Neapolitanum regnum invadere..., imperandi juribus orbatus est. Qua de causa Germaniæ principes Fridericum Siciliæ regem in imperatorem elegerunt. Ad hanc electionem eum suam operam egregie impendissent Helvetiæ populi, inter quos tum temporis quamplurimi florebant, non minus nobilitate, quam armorum gloria conspicui, novus imperator grati animi signa decrevit illis ostendere.

quæ de ordine militari referuntur. Beneficia

81 Quamobrem anno 1214 equitum ordinem Aquisgrani excitavit, quorum insigne erat numisma cum imagine Ursi aureo torqui appensum, foliis quercus exornato... Dicatus fuit hic ordo S. Gallo, olim in Helvetia apostolo. Imaginem autem Ursi electam fuisse, dicunt Elias Asmoles et Favinus ob venerationem erga S. Ursum martyrem Legionis Thebææ. Illis Justinia- C nus adversatur, pro certo habens, fuisse ob memoriam famulatus, quem tale animal præstitit S. Gallo... Ejusdem ordinis administrationem abbatibus S. Galli imperator commisit. Feliciter ille floruit donec Helvetiæ populi reipublicæ leges elegerunt. *Itaque utrimque conjecturæ sunt, at Justiniani opinio utcumque etiam mihi probabilior apparet, quia titulum non S. Ursi, sed* Ursi *duntaxat tulit : quia in insigni nihil adoptatum, ex scuto seu insigni Thebæorum : quia denique de præstito ab equitibus* S. Urso *famulatu nusquam aliquid legitur, et S. Galli abbatibus Ordo demandatus est. Quæ de confraternitatibus collegit Hermannus certiora sunt, sed speciatim omnes non enumerat.* Præterea, *inquit,* Confraternitates S. Ursi, tam hic, quam alibi institutas, ut et nuperrime circa annum 1752 in Fehbagh, pago diœcesis Constantiensis ad fines Franconiæ, nova erecta fuit ex occasione reliquiarum illuc concessarum et quidem cum solemni translatione ibi habita. *Ceterum S. Urso ejusque sociis tutelaribus suis plurima beneficia Solodorenses accepta referunt. Huc spectat, quod Hermannus ait,* Notandum, quod Solodorum post quamlibet dictarum inventionum (*sacrorum corporum*) singulari beneficio gavisum sit. Post primam enim de anno 930 (*imo melius* 950) castrum cum vico per Bertham reædificatum est et ecclesia collegiata fundata. Post illam de anno 1473 Solodorum in fœdus Helveticum admissum fuit, nempe anno 1481. Post tertiam vero de anno 1519 a lue hæretica feliciter liberatum est, anno scilicet 1532. D

a Solodoranis sanctis Tutelaribus adscripta. Urbs arcta obsidione

82 *Celeberrima est apud Solodoranos memoria liberatæ obsidione urbis, cum anno 1318 illam cum ingenti exercitu Leopoldus dux Austriæ premeret. Solutionem ex prodigiosa apparitione Solodorani sanctis suis Tutelaribus adscribunt. Gestæ rei narrationem ex Antonii Wagneri centurionis et patricii Solodorensis chronico ms. excerptam et ad me missam ex Germanica Latinam hic refero. Titulus præfigitur.* Solodorum ab Austriæ duce arcte obsidetur. Anno post natum Christum Jesum, Salvatorem nostrum millesimo trecentesimo decimo octavo dux Austriæ per decem hebdomadas arcta obsidione Solodorum cingebat. Obsidendi causa erat, quod Solodorani Ludovico adhærerent contra Fredericum Austriacum omni conatu regnum appetentem. Bernates quadringentos viros E auxilio præsidioque miserant. Comes Kiburgensis duci militabat, quapropter Bernenses ditionem ejus igne vastarunt. Dux ponte Arulam supra urbem junxerat : cumque ex tempestate undæ intumuissent, dux adhibitis operis pontem custodire, firmare et conservare nitebatur. Verum, ponte aquis excrescentibus disrupto, plurimi flumine abrepti fuere. Solodorenses, quos attingere poterant, juvabant et ad ducem ejusque castra incolumes dimittebant. Aderat duci vir doctus et Deum timens, quem in secretius consilium scriptorem admittebat, cuique omnium plurimum confidebat. Is sæpe post secundas excubias solus ad urbis usque fossas procedebat, ut observaret, quomodo obsessi excubias agerent. Singulis vero vicibus ubique ad muros ingentem videbat manum cataphractorum militum armis plusquam naturali fulgore rutilantibus indutorum. Observabat autem inter illos unum semper ceteris robustum magis et corpore procerum. Is supra pectus gerebat ingentem crucem albam pulchre rutilantem, et instar solis splendentem. Easdem vero visiones subsequentibus pluribus noctibus vidit. F Quodam igitur die principem adivit atque ita allocutus est : Dux et domine mi clementissime, etiamsi cum totis imperii Romani viribus centum annis urbem hanc premeres, necdum potis esses illam expugnare : multis namque noctibus speculatus sum et ad urbis usque fossas processi, ut observarem, quomodo vigilias in muris agerent, atque tam bene compositas et diligentes excubias reperi, ut dici nequeat. Sed nec vivos homines illos esse, incidit cogitare.

a Leopoldo Austriæ duce pressa miraculosa, apparitione

83 Cum deinde, quæ viderat, duci singula narrasset, ut superius relata sunt, is rerum insolentia perculsus male de scriba suo suspicatus est atque sic ira exarsit, ut vinctum avehi et in vinculis detineri jusserit ; timebat enim, ne scriba cum obsessis commercium haberet et proditionis reus esset. Verum scriba, qui sincere et candide cum principe agebat, cernens præsens periculum, sic illum affatus est. Dux clementissime, eum clementia tua immerentem me vinctum avehi jubeat, innocentiam saltem meam coram Deo ejusque Matre Maria et Sanctis omnibus testatam volo. Vera tibi retuli, dux clementissime, quod

ut

AUCTORE J. C.

A ut tibi indubium sit, fidis custodibus cincta clementia tua hac nocte mecum ad urbis fossas accedat invenietque et videbit prout narravi omnia. Sin minus, pro arbitrio ejus puniar. His motus dux alta nocte cum fidissimis quibusdam et scriba vinculis circumcincto clam ad urbem accessit. Cum autem ad fossas pervenissent, vera reperit dux cum omni comitatu suo universa, propriisque vidit oculis quæcumque fidelis piusque scriba prius illi retulerat, quæque tum ducem, tum ejus custodes stupore terroreque perculerunt. Jussit itaque dux mox scribam vinculis solvi et ad castra sua reversus est. Orto vix die, dux equites suos nobiles et consiliarios convocavit, narravitque omnia, quæ sibi acciderant quæque propriis oculis viderat. Concilio deinde dimisso, caduceatorem in urbem Solodorensem destinavit, qui honorifice exceptus ducis sui nomine laboravit de fœdere cum Solodoranis ineundo, quod duci concessum fuit. Postea voluit dux, ut triginta in urbem admitterentur. Verum hisce opponentes sese Solodorani, nisi dux prius vexillum princeps in pignus traderet, illum cum suis in urbem admittere, et de pace ulterius agere noluerunt. Renisus initio dux, deinde procerum B consilio victus conditionem accepit et eum triginta equitibus urbem ingressus ad navim basilicæ S. Ursi processit, fusaque ibidem prece, vexillum suum athletæ cælesti S. Urso obtulit, post quæ ad castra sua regressus, solutaque obsidione, cum omni exercitu in ditionem suam reversus est. Pax postea Bernæ sancita fuit.

liberatur, cujus rei adhuc monumentus exstat.

84 Erat autem dies Parasceves prædicti anni, quando dux vexillum suum S. Urso obtulit, et in memoriam perpetuam rei tam memorabilis singulis annis eodem die Parasceves cum pio cantu a duobus sacerdotibus affixum Crucifixo circumfertur per navim ecclesiæ S. Ursi. Vexillum rubri coloris est et albi argento optimo intertextum. *Hactenus Wagnerus. Eadem de soluta prodigiosa apparitione Solodorana obsidione scribunt Gotthardus pag. 86, Hafnerus part. 2, pag. 129, Lang et alia archivi venerabilis Capituli monumenta, quæ is citat part. 1, pag. 986. Observat autem ad hæc Hermannus, historiam hanc initio a Calvini asseclis ceterisque acatholicis pro dubia, deinde lapsu temporis pro commentitia haberi cœptum, hodie denique in chronicis penitus* C *præteriri. Addit, vexillum, de quo in præfata descriptione sermo est, hisce etiamnum temporibus 5 Martii et 30 Septembris in choro ad continuandam memoriam exponi et peregrinis quotidie ostendi. S. Mauritium ejusque Commilitones Thebææ Legionis in similibus belli periculis sæpe clientibus suis adfuisse, ex non una apparitione in Gloria illorum posthuma liquet; neque est, cur prudens quis et sobrie criticus has neget apparitiones: fateor tamen, Wagneri narrationem talem non esse, ut dubium omne paulo rigidioribus evellat, remque adversus omnes cavillos muniat, quos eo avidius hæretici movent, quanto magis osores Sanctorum execrantur, quidquid novellis suis opinionibus adversatur. Sed hi morari nos non debent: pergamus ad alia miracula. Sunt inter illa, quæ Gothardus canonicus et pœnitentiarius ecclesiæ S. Ursi germanice edidit, adhuc quæpiam, quæ ad urbem Solodorensem universam pertinent. Verum præstabit ordinem ejus non evertere, sed latine, ut jacent edere, facile a lectore, quo volet, referenda. Ut autem tandem aliquid de Gothardo dicamus, scripsit is sub annum 1640. Certe censura Jacobi Schuler vicarii generalis et officialis episcopi Lausannensis signata est Friburgi Helvetiorum 4 Aprilis anno 1643. Ibi testatur præfatus vicarius, librum Joannis Gothardi fidei dogmata luculenter confirmare, præsertim,* inquit, quæ concernunt cultum Sanctorum sacrarumque eorumdem reliquiarum venerationem, ut clare vidimus in attestatione nobis exhibita virorum gravium et testium omni exceptione majorum circa Miracula, quæ ex vetustis monumentis ab omni falsitatis suspicione remotis, fideliter extracta sunt, sicut etiam quoad recentiorum Miraculorum attestationem, quæ pondus habet partim ab ocularibus, partim ab adhuc superstitibus piis personis quondam varie afflictis.

Miracula, quæ post secundam inventionem contigerunt.

85 *In tres autem classes dividenda sunt Miracula, quæ ibi Gothardus describit. Tria prima eadem ipsa sunt contracta, quæ Passioni secundo loco edendæ inventionibusque et translationibus* S. Victoris *subnexa sunt, et ibi non Solodori, sed Genevæ, contigisse dicuntur, inde forte illa accepit Gothardus. Quod narrat quarto loco sic prosequitur.* A paucis annis armatura ferrea in basilica S. Ursi appensa est, quæ ex veteri traditione dicitur fuisse equitis. Cum is in prælio, quod a duce Carolo Burgundione cum fœderatis ge- E stum est anno 1476, cum aliis militibus Burgundicis, ex quibus 20 fere millia cæsa, et decem fere millia lacu hausta fuere, in hac calamitate prospicere sibi non posset, vovit cum magna fiducia, Solodorum ad S. Ursum sanctamque ejus Societatem peregrinari, atque ita cum armatura integra per lacum Murtensem (an equo veheretur, an pedes esset, ignoratur) transnatavit. Atque inde Solodorum cum venisset, votum implevit et in grati animi testimonium memoratam armaturam S. Urso obtulit et reliquit. *Asserit Hermannus, eamdem illam armaturam nunc in armamentario Solodorensi asservari cum affixa inscriptione. Est porro Murta, alii* Murten, *alii* Morat *vernacule appellant, oppidum cum districtu ejusdem nominis decimo fere milliari versus Occidentem distans Berna, quinto tantum Friburgo versus Septemtrionem. Lacui adjacet, quem indigenæ oppellant* Murter Zee. *Habet is latitudinem fere æqualem unius circiter milliaris, in longitudinem quinque circiter milliaribus extensus. De Hocce porro supra sermo est, atque ita homo cataphractus totus lacum profundum natando pervasit, quod sane sine singulari beneficio contingere non* F *potuit, sive eques fuerit, sive pedes. Carolus porro, qui tam infeliciter ibi pugnavit 22 Junii 1476, erat Carolus Audax Burgundiæ et Brabantiæ dux. Scribunt, qui Helvetiam perlustrarunt, hodieque exstare sacellum, in eoque servari etiamnum cæsorum tunc Burgundionum ossa, et supra portam legi hanc inscriptionem :* Deo opt. max. Caroli inclyti et fortissimi Burgundiæ ducis exercitus Muratum obsidens ab Helvetiis cæsus hoc sui monumentum reliquit anno 1476. *Ad miracula revertamur.*

a Gothardo descripta

86 *Alia, quæ deinde Gothardus enumerat, Miracula, unde profecta sint, docet post ipsum Hermannus in collectaneis.* Pendet, *inquit,* in ecclesia nostra ad chori gradus Australes tabula publica jam sæpius renovata, quæ varia miracula huc spectantia continet. Gotthardus illa adducit a numero 5 usque ad 21 inclusive, in quibus plurima ob instantaneas sanationes notabilia sunt, Omnia circa annos 1474 et 1519 contigisse, ideo probabile est, quod præfata tabula annis ante Gotthardi tempora jam ex antiquiori descripta fuerit, ut loco citato habet. *Esto ita, quamvis*

AUCTORE I. C.

quamvis enim nihil absolute vetet, aliqua serius paulo contigisse, tamen aliunde etiam verisimillimum est, quædam saltem inter illa ea ipsa esse, quæ Sixto IV pro urgenda causa elevationis sacrarum reliquiarum oblata et sic probata fuere, ut Pontificem ad concedendam facultatem sua evidentia potissimum moverint, prout in Bullis superius productis videre licet. Dolendum est sane, solius tabulæ antiquitate et conjecturis nunc standum esse, cum desint, quæ auctoritatem addere majorem possent, et librum illum antiquum, de quo sæpe Proprium, vel interiisse, vel miracula illa ipsa cum probationibus non ibi debite adscripta esse. Relinquamus itaque Gothardo fidem et vertamus cetera, retentis etiam ejus numeris, in latinam linguam, quæ ipse vernacula edidit Miracula.

v. Mulier, quæ ex morbo sensuum usum amiserat et a maligno spiritu obsessa erat, aquam benedictam aversabatur et a nemine sedari poterat, ut primum votum fecit ad S. Ursi reliquias, sedata et sanata est.

vi. Mulier ex Biel tam membris omnibus debilitata erat, ut incedere non posset: voto facto S. Ursn Solodorensi, ad quem rheda vehi se jussit, et peregrinatione instituta, sana pedes domum B reversa est.

vii. Vir quidam digitum spina læserat, ex quo novem diebus multum passus est. Vovet ad S. Ursum ire, atque ita sine aliis adhibitis medicaminibus sanatus est.

viii. Vir ex morbo periculose decumbebat: uxor ejus votum facit S. Urso; post quod mox veluti convalescit. Postea experitur magnám pectoris et cordis anxietatem: uxor secundo votum facit S. Urso. Quamprimum peregrinatio absoluta erat, dolor a corde ad latus ægri recessit, moxque plena sanitas secuta est.

ix. Femina mente penitus capta, pari voto facto, eodem modo sanata est.

ex antiquiori tabula

87 x. Infans gravi interno malo laborabat: digerere quidquam non poterat neque crescere. Ut primum, peregrinatione instituta, ad S. Ursi corpus perductus fuit, subito sanatus est.

xi. Mulier parturiebat cum magno mortis timore. Cum pro illa votum ad S. Ursum factum fuisset, mox prolem enixa est.

xii. Puer trium annorum et dimidii pedibus ire non poterat. Facto ad S. Ursum voto, incedere C cœpit pro more talis ætatis.

xiii. Mulier puerum enixa est, qui signum vitæ non edebat: quare præsens mulier alia vovit, S. Ursum pro puero invisere tribusque horis extensis brachiis orare. Tertia vice domum cum rediret, puer vitæ signa edere cœpit.

xiv. Sexennis puer ex Bellach urinam, non sine magno dolore, tribus integris diebus emittere non poterat. Mater, urgente patre, promittit, eumdem ad S. Ursum adducere. Postridie puer calculum enixus est.

xv. Puer ex Subingen viginti duabus natus hebdommadis ita cæcus factus est, ut per octo dies nihil plane viderit: ad S Ursum perlatus, et super altari depositus mox visum recepit.

xvi. Vir ex Meinlisperg Arula submersus est. Cum autem reperiri non posset, promiserunt, illum ferre ad S. Ursum, ut Solodori, si inveniretur, sepeliretur: moxque supernatans aquis visus est prope ecclesiam S. Petri Solodori, ad quem locum sancti Martyres capite truncati processerant. Ibi super aquis invertit sese et extractus est, recentem fundens sanguinem, etiamsi tribus diebus submersus fuisset. *Miri parum admodum; prodigii vix aliquid habere videtur hæc narratio. Pergamus.* D

edita fuerunt. Alterum, quod

88 xvii. Puer ex Erizweil hic ad S. Ursum præter oblationem suam attulit bolum carneum, magnitudinis minoris nucis, asserens, tribus ante annis ovulsum sibi dentem, cujus cum pars aliqua adhuc maxillæ inhæsisset, etiamsi per duos annos dolorem non sensisset, interim materiam carneam accrevisse, eamque tantum sibi dolorem postea causasse, ut vereretur, ne amens fieret: cum autem frustra adhibita esset chirurgorum opera, vovisse ad S. Ursum peregrinari et oblationem deferre: post hoc sedatum esse mox omnem dolorem. Videbatur autem (ut ipse referebat) videre sanctas in altari reliquias eodem modo, quo illas postea in peregrinatione reperit, licet ante numquam vidisset. Materia vero carnosa sub pelle ad nasum ascendit, et ex sinistris naribus magnitudine nucis decidit.

xviii. Hernia laborans puerulus a suis S. Urso devotus moxque sanatus est.

xix. Mulier honesta prole liberata erat, ita tamen ut vita in infante non appareret. Voto facto ad S. Ursum et soluto, movere se cœpit infans et puerpera melius se habuit. E

xx. Mulier pestilenti malo laborans vovit ad S. Ursum peregrinari, et mox sanata est.

xxi. Mulier in magno dolore ex partu, S. Ursi patrocinium invocavit, moxque dolore liberata et sanata est.

Hactenus Miracula, quæ ex memorata superius tabula descripsit Gothardus, qui ad vigesimum tertium procedens sic præfatur. Ut mirabilia, quæ ab antiquis nobis relicta sunt, tanto minus in dubium revocantur, aliud adjungere lubet, quod paucis annis contigit. *Illud dein sic enarrat.*

xxii. Hoc tempore, cum edere librum hunc mihi proposueram, in mentem mihi venit, quod ante annos aliquot, antequam sacrarii custos hujus basilicæ eram, audiveram ex personis fide dignis. Illo scilicet tempore virum quendam peregrinum paralyticum, duobus innitentem scipionibus, huc ad templum et ad reliquias S. Ursi peregrinatum venisse, qui a morbo statim in dicto templo eodem, quo advenerat, die sanatus fuit, et sine auxilio scipionum abiit. Antea vero, quam miraculum hoc ab ipso communicatum fuit, duas ego, F quarum recordabar, personas interrogavi, quæ præter ceteras id audierant, et hoc quidem indagandæ veritatis causa.

Gothardi narrantis tempore

89 Has inter personas prima est vir religiosus fide dignus, et hic notus; qui mihi respondit, se, quamquam suis ipse dictum paralyticum oculis non vidisset, memorem tamen esse, quod dictum miraculum ante annos aliquot, cum factum fuit, ita innotuisset, et in omnium ore fuisset, ut hic Solodori neque ipse, neque alius quis, quam id in dubium vocarit. Altera vero persona civis est, non ex minimis civitatis Solodorensis, qui mihi roganti respondit; verissimum esse, et certum omnino: semetipsum vidisse prædictum peregrinum perdifficulter gradus hujus cathedralis duobus suffultum scipionibus ascendentem. Cum vero postea circa secundam ante Vesperas, ob negotia quædam se ad dictam basilicam contulisset, invenisse peregrinum hunc virum juxta altare divi Ursi, in quo reliquiæ sanctæ ejus Societatis servabantur, genibus flexis orantem. Ut vero soa curaret negotia, abiisse, de peregrino non cogitantem. Paulo post, ajebat, dictum peregrinum, relicto S. Ursi altari, sibi obviam venisse, binos scipiones

A piones manibus secum tulisse, et rogavisse, num confessarium convenire posset, ut, quo nihil peregrinationi suæ deesset, peccata sua confiteri posset; ipsique quidquid acciderat, narravisse. Nempe se Germanum esse, et nobilem : antea vero ad recuperandam sanitatem pecuniæ multum et bona sua, frustra tamen, impendisse; ita quidem, ut ad inopiam redactus esset. Postea vero, dicebat, sese in Einsidlen profectum fuisse, nixum suis scipionibus et spe fretum fore, ut ibidem, sicut multis aliis contigerat, sanitati restitueretur : qua non reddita, rogasse ulterius, ubinam præterea haberentur loca gratiæ et misericordiæ, in quibus sperare posset, se sanitatem esse recuperaturum : sibique dictum fuisse de reliquiis S. Ursi Solodori, et de aliis locis. Cum itaque ex Einsidlen in Wertenstein profectus esset et ibi, sed frustra, divinam implorasset clementiam, difficile huc iter instituisse, preces suas cum fiducia apud hos sanctos Martyres effudisse, et ita se a paralysi liberum sensisse inter precandum, ut sine scipionum ope, quo liberet, ire pedes posset. Quare sempiternas se, Deo et sanctis ejus Martyribus gratias debere, libere profitebatur. In hu-
B jus memoriam alterum ex scipionibus ipsi dedit, offerendum Capitulo suo nomine, alterum vero ipse in memoriam secum tulit peregrinus; antea tamen confessus fuit.

contigit. Prodigia ex monumento antiquo descripta

90 Quamquam autem dictus civis rogatus mihi soli hæc dixerit, eadem postea præstantibus duabus personis fide dignis confirmavit, et attestatus est, ex quibus illarum una etiam affirmat, suis se oculis peregrinum vidisse, et hoc miraculum tum temporis ita notum fuisse, ut miraretur, quemquam de eo dubitare posse. *Hæc ibi Gothardus vir prudens et doctus auctorque contemporaneus, quæ proinde in dubium revocari non videntur posse a sobrii judicii hominibus. Hinc procedit laudatus scriptor ad miracula quæpiam, quæ non Solodori, sed Isneæ, quæ civitas Sueviæ haud procul a Lacu Bodamico sita est, contigere. De illis ita præfatur Gothardus, postquam dixerat, plura alia mox narrato similia prodigia, sed peregrinis contigisse, ex quo factum credit, ut eorum non supersint Solodori testimonia, licet forte exstent alibi*, Quale est, *inquit*, antiquum monumentum, quod anno Domini 1466 festo S. Francisci exhibitum fuit domino consuli et senatui Isnensi de
C miraculis, quæ SS. Urso et Sociis ejus intercedentibus, facta sunt personis piis Isnensibus ibidemque in Acta relatis, cui relationi præsentes fuerunt Conradus Brenberg, dictus dominus Zutegen, item Wilhelmus Rudolphus olim consul, Jos. Schantz o senatu et Joannes Swertfeur notarius publicus, qui a senatu delegati fuerunt. Ea autem miracula sunt sequentia, *quæ mox subnectemus ex illo, postquam cum Hermanno observaverimus, anno 1474, qui est exaltationis reliquiarum anno præcedenti inventarum, quasdam ex illis Solodoro Isneam missas fuisse; inde vero illuc 4 Octobris destinatam fuisse seriem miraculorum mox edendorum; atque proinde hæc intra biennium contigisse. Sic itaque illa ex monumento refert Gothardus.*

xxiii. Dominus Der Tegen confessus est, se morbo laborasse et aliquorum dierum spatio cibum omnem respuisse : postea vero quam S. Ursum invocaverat, ejus reliquias ad se ferri curaverat et eas deosculatus fuerat, morbum statim devictum esse, non amplius se respuisse cibum, et sanum factum esse.

91 xxiv. Honesti cujusdam viri filiola in nasum suum aciculam immiserat, cujus cuspis fracta illi inhæsit ita quidem, ut duodecim annos integros dolorem passa sit non exiguum, et nemo dolorem posset levare. Huic in mentem venit, videre S. Ursi reliquias, ibique offerre quadrantem ceræ. Post votum hoc statim cuspis ita e naso prominuit, ut ipsam ea arripere facile et extrahere posset. In hujus memoriam dicta cuspis, uti Acta habent, apud imaginem S. Ursi servata est.

AUCTORE J. C. que Isneæ

xxv. Feminam quamdam honestam subito morbus ita invaserat, ut de ea omnino desperaretur : statim vero atque voto se S. Urso adstrinxerat, morbus sedatus est et ipsa sanata.

xxvi. Viro cuidam honesto puer erat quadriennis, qui incedere, aut commeare non poterat. Ad diversa hic loca peregrinationem voverat spe fretus fore, ut sanaretur puer, sed frustra : tandem ad S. Ursum confugit, et postquam ibidem puerum adduxerat mane, puer ad tactum reliquiarum ante prandium, quo libuit, ire potuit.

xxvii. Feminæ quædam parturientes, quæ partum edere non poterant, S. Ursi reliquias ad se ferri curaverunt, et corpus suum tangi, et mox pepererunt.

xxviii. Quidam adolescentulus, qui annos aliquot laboraverat, et incedere non potuerat, postquam reliquiis S. Ursi, ad quas peregrinari statuerunt pro ipso parentes, tactus erat, gressum dirigere potuit. E

xxix. Vir quidam honestus vulnus apertum in corpore gerebat, unde cibus potusque effluebat, ita ut omnes de salute ejus desperarent, qui ipsum videbant; sed hic, voto facto S. Urso, statim sanatus fuit.

xxx. Femina quædam adeo periculose parturiebat, ut et sibi, et partui suo timeret; sed S. Ursum in discrimine hoc invocans ipsi partum commendat promittitque, si masculus esset infans, ipsi se nomen Ursi daturam. Ad hæc parit femina, sed infantem, in quo vitæ signum non videbatur. Illatis vero S. Ursi reliquis iisque tactus respirare cœpit, et postea baptizatus fuit.

xxxi. Virgo quædam cibum, quem sumebat, annos aliquot respuit; postquam vero ad S. Ursum peregrinari donumque ipsi offerre statuerat, non respuit amplius cibum.

ad Sanctorum reliquias

92 xxxii. Vir quidam ex Uttenburen, qui epilepsia laborabat, peregrinaturum se ad S. Ursum promittit, laturumque ceram et pecuniam; post votum hoc nunquam amplius laboravit. F

xxxiii. Juvenis ex Uttenburen dormiens, somni tempore laborare ita cœpit, ut contracta esset manus, ita quidem, ut aperire eam non posset; cum vero peregrinari ad S. Ursum statuerat, manum mox aperire potuit et sanatus est.

xxxiv. Vir honestus Isnensis decem septimanis e brachio ita graviter laborabat, ut de die aut nocte somnum capere non posset, et medicamina in ipso nihil efficerent. Hic ad S. Ursum peregrinari, ceram offerre, et orare ibidem statuit, ex quo mox sanatus fuit et sic convaluit, ut laborasse numquam videretur.

xxxv. Viro cuidam filia erat decennis, quæ duos annos integros de nocte semper alta voce clamare solebat, qui clamor parentibus horrorem magnum afferebat; cum autem pro ipsa ad S. Ursum peregrinari statuissent, id filiæ nunquam postea contigit.

xxxvi. Puer quidam fuit, cujus ex inguine tumor fide major prominebat; qui cum reliquiis S. Ursi tactus esset, statim desedit tumor, et puer sanatus est.

xxxvii

AUCTORE J. C.

XXXVII. Femina magnum patiebatur dolorem ex osse, quod viginti omnino dies in gutture hæserat; hæc quamvis remedia multa adhiberet, nullum ipsi solatium afferebatur: demum ad S. Ursum confugit, seque ejus festo die Sancti reliquiis tangi curat; ad hæc sanatur statim, domum redit, nec dolorem ulterius sentit.

XXXVIII. Juvenis aliquis quatuordecim annos integros a tumore vexabatur, ita ut continere urinam non posset, pro quo cum votum sancto Urso factum esset, sanatus est.

XXXIX. Femina quædam ex oculis valde dolebat: hæc ad S. Ursum cum dono peregrinari statuit; postquam Sancti hujus reliquiis tacta erat, dolor omnis statim cessavit.

XL. Juvenis octo ferme septimanis lecto decumbebat et difficillime membra commovebat, putans, se eorum usu omnino privandum esse: cum ipso parentes ad S. Ursum peregrinari statuunt, et eum tangi Sancti reliquiis curant, ex quo melius se habere cœpit.

et invocationem contigere.

93 XLI. Hydropicus quidam ita turgebat, ut flectere membrum nullum posset: hic ad S. Ursum perlatus, cum Sancti reliquiis tangeretur, divinam clementiam cognovit in se, et domum reversus est. Tumor vero ad umbilicum descendit et sine dolore ægroti erepuit, sordesque multæ ex eo promanarunt; et ita sine hominum ope, invocando S. Ursum sanatus est.

B

XLII. Mulier quædam gravida et proxima partui in terram ex prima contignatione domus decidit, ita ut mortua crederetur. Maritus accedens cum ipsa ad S. Ursi reliquias peregrinari statuit, et statim circumspexit uxor, et commovere se cœpit; debilisque omnino et ægrota ad S. Ursum accessit. Postquam autem tacta erat reliquiis, domum rediit et sanata est, infantemque peperit membris omnibus sanum.

XLIII. Feminæ cuidam, quæ annos tres surda fuerat, allatæ sunt reliquiæ S. Ursi. Quamprimum iis tangebatur, In Deo, ajebat, ac S. Urso spem meam omnem colloco: melius me habeo: et postea surda non fuit amplius.

XLIV. Juvenis aliquis duas inter ædes e contignatione secunda in planum deciderat, usuque sensuum privatus jacebat: attamen in mentem veniebat cogitatio de S. Urso, et sancta ejus Societate; ad hanc visere S. Ursi reliquias proponit et membris omnibus sanus surgit.

C

XLV. Mulier quædam gravida et proxima partui læsa fuit tegula e tecto decidente, ita ut sibi desperaret; sacerdos autem S. Ursi reliquias ipsi attulit et eam his tetigit, ad quem tactum mulier commovere se et loqui adeo prudenter cœpit, ut sanctissimo Eucharistiæ Sacramento recreata fuerit. Peperit postea, neque dolorem ex tegula censit amplius: quare ad S. Ursum venit, cerasque obtulit, quæ mulierem referebant infantem brachio tenentem. *Hactenus Gothardus ex monumento superius memorato: sequens rursus Solodorum spectat ejusque tempore contigit, ut ex verbis ejus, quæ latine reddo, liquet.*

Aliud Solodorense.

94 XLVI. Ante dies aliquot, cum jam librum hunc typis mandaveram, litteræ mihi redditæ sunt viri cujusdam honesti, docti et religiosi, qui apud omnes, qui ipsum noverunt, optime audit. In his litteris fatetur vir supradictus, quod anno 1635 vigesima Junii ipse Solodorum advenisset, postquam a militibus Suecis misere adeo exceptus fuerat, ut in morbum incidisset periculosum, ita quidem, ut juxta medicorum sententiam spes vitæ non superesset, ipseque evadere periculum non posset. Cum vero in hoc vitæ discrimine vovisset Missam ad S. Ursi altare Solodori, et statuisset, sanctos hos Martyres imposterum sibi in Patronos sumere, Vitamque illorum, martyrium, miracula et imagines cum laude magna apud unumquemque divulgare, vidit, ineunte Augusto mense, quando summo in dolore et vitæ periculo erat, semisopitus in visiono S. Ursum et S. Victorem ad se decumbentem properantes secunda vice (somnium namque visionem hanc prima vice fuisse reputabat) sibique videbantur ægrotum se expansis brachiis recreare velle; qui simul ac expertus erat hanc gratiam, non solum liberatum se morbi molestia sensit, verum animus fuit etiam solatio per visionem hanc repletus. Hoc contigit Solodori in domo nobilis cujusdam, qui Christiana pietate adductus, dictum virum religiosum hospitio suo exceperat ægrotum. *Post hæc interjicit Gothardus, se nunc post miracula, quæ privatis personis contigerunt, duo narraturum, quæ in reipublicæ Solodoranæ universæ bonum acciderunt. Horum primum, ordine vero apud illum 47, est solutio obsidionis prodigiosæ apparitioni sanctorum Tutelarium adscripta, quam fusius ex Wagneri, antiquioris auctoris, ms. desumptam dedi superius num. 82. Alterum sic Gothardus prosequitur.*

D

E

Sudor ex reliquiis prodigiose fluit.

95 XLVIII. Cum Anno 1530 Solodori cives quidam veneno sectæ Zwinglianæ corrupti essent, bonique per hoc et veteres Romano-catholici cives multum vexarentur, Zwinglii assectarum aliquis Romano-catholico civi graviter minatus est, his verbis: CRASTINA DIE URSULUS NIMIUM SUDABIT: quibus indicare volebat, so suosque socios proposuisse irruere in templum S. Ursi, altaria invadere, removere imagines, reliquias S. Ursi et Sociorum ejus profanare, quin imo in cineres eas vertere. Quamquam propositum hoc et consilium pessimum impii homines isti per bonitatem et providentiam divinam exsecuti non sint: procul dubio per intercessionem supradictorum Sanctorum: iste tamen civis Zwinglii assecla (quamvis, quid prophetizaret, ipse nesciret) propheticus Caiphas et vates factus est. Eodem namque die, quo invadere templum S. Ursi statuerant impii, sudare reliquiæ dicti Sancti cœperunt, cujus sudoris non cives tantum fide digni, sed etiam a senatu urbis (postquam hic certior factus erat) viri delegati, testes oculati et certissimi fuerunt; sicut etiam monumenta ejus temporis, et eorum apographum, ex quo isthæc decerpsi (ut non dicam miraculum hoc per semetipsum innotuisse omnibus) testantur. Hic vero sudor non solum indicium fuit impii propositi, quod conceperant Zwingliani contra ecclesiam S. Ursi, sed etiam dissensionis totius civitatis; parum namque aberat, quin dicto hoc die cives Romano-catholici et Zwingliani invicem sese urbe expellerent, non sine magna sanguinis profusione. Quia vero orta hæc tempestas inter cives sedari brevi non poterat, nec extingui tam cito sectæ Zwinglianæ ardor, et quia interim fides catholica templumque S. Ursi magno erant in discrimine, tristis iste dictarum reliquiarum sudor bis postea visus est, et ultima vice festo S. Leodegarii, quod festum in tertium post festum S. Ursi diem incidit. *Hermannus in observationibus exponit, præfatum sudorem ex S. Ursi capite, quod nimirum pretiosæ lipsanothecæ inclusum est, fluxisse,*

F

A *xisse, atque sedatæ demum seditione solemni Missa et decantato hymno Ambrosiano* Te Deum Laudamus, *præsente senatu, miraculi attestatione per delegatos suos excito, gratias Deo sanctisque Tutelaribus actas esse.*

alia, quæ Gothardi et hocce tempore facta sunt.

96 *Terna adhuc subjunguntur in auctario Gothardi miracula, quæ pariter ex ipso subnecto.*

XLIX. Joannes Franciscus Kerchenmeyer, artium magister in Waldkirch ex Breysgeu duplici testimonio, Germanico et Latino, fidem facit certissimam, sese ex intestinis adeo graviter laboravisse, ut medici ipsi, vivere eum diutius non posse, dicerent; quare, cum videret, opem humanam sibi nihil prodesse, magna cum fiducia sanctos martyres Ursum et Victorem Solodoranos invocavit, promisitque, si sanitati restitueretur, se Solodurum peregrinaturum ad sepulcrum sanctorum Martyrum. Post votum hoc melius se indies habere cœpit, ita ut 21 Septembris 1651 votum ipse Solodori apud civitatis hujus Patronos impleverit.

L. Puer quidam annos octo natus propter pedum debilitatem iis niti non poterat; cum ipsu parentes se peregrinaturos in TREIBIS-KREUTZ, B in quo loco sancti martyres Ursus et Victor cum Sociis suis capite truncati sunt, promiserunt, puerumque illuc adduxerunt precesque fuderunt, quibus fusis, sanatus est statim, præsentibus religiosis et sæcularibus viris, et incedere per templum cœpit, magno parentum suorum gaudio, qui propterea multas Deo gratias egerunt, eo quod per intercessionem sanctorum martyrum Ursi et Victoris puero suo hanc gratiam largitus esset.

LI. Cum anno 1693 certus quidam civis hic epilepsia laboraret, et post multa adhibita medicamina sanari non posset, ad S Ursum in collegiali iro statuit, et postquam ibidem Sancti reliquias aliquoties inviserat, morbo suo liberatus est, nec amplius postea laboravit. *Hactenus Gothardi recusor, qui deinde addit, innumera insuper miracula et prius et suo tempore contigisse, quæ litteris mandata non fuerint. Subjungo recentissimum Hermanni verbis, ita scribentis.* Paucos abhinc annos matrona quædam Solodorana nobilissimæ familiæ experta est, (*sanctorum Tutelarium patrocinium*) quæ post grave puerperium eo devenit, ut viribus, carne, voce, cibi potusque sumendi facultate per plures dies jam destituta, C præter ussa et cutem, defunctæ jam simillima, nihil amplius haberet, adeo quidem, ut medici omnes declararent, sine evidenti miraculo non amplius sanandam. Facta autem et incepta promissione novem Missarum totidem successivis diebus supra tumbam S. Ursi et Victoris in altari summo celebrandarum, inopinato et præter omnium spem quasi ad vitam rediit, adhuc altera exin prole fœcunda, vivitque etiam hodie in summam urbis totius admirationem : *anno scilicet 1758, quo hæc collegit et scripsit Hermannus.*

Contra capitis dolores et tonitru invocantur præcipue Sancti.

97 *Claudamus denique hunc § altera ejusdem relatione.* In particulari, *inquit*, sunt Sancti nostri communes tutelares parturientium, ut ex Gothardo citatis locis patet et quotidiana experientia adhuc probat. Sunt et refugium illorum, qui vehementius capitis dolore premuntur, utpote quorum capitibus sacra, ut apud nos vocatur, arca, quæ SS. Ursi Victorisque duo capita continet, imponitur. Incredibile est, qualis sit concursus, quoties prædicta arca ex tumba desumitur, ut in processionibus circumferatur. Tanto enim zelu populus hanc arcam sibi imponi desiderat, tantaque devotione de hac gratia certat, ut spectantium lacrymas provocet. Eo scilicet crevit populi in sanctorum Tutelarium patrocinium fiducia. Sunt denique speciales Patroni contra fulgura et tempestates : a seculo enim non est auditum, quempiam intra urbis ambitum fulmine tactum occubuisse. Et licet jam sæpissime fulgur ob campanarum attractum turrim nostram ecclesiamque transierit, nunquam tamen vel minimum detrimentum nec ædificio nec altaribus hominibusve attulit. Ipse ego, qui hæc scribo, testis sum præstantis S. Ursi hac in re patrocinii : dum enim anno 1752 die 10 Julii ad horam vespertinam circiter decimam, qua subcustos (quo officio tum fungebar) exorcizandæ tempestati operam darem, fulmen horribile per turris muros penetrans medium inter octo personas, quæ campanas pulsabant, super asseres quosdam, qui ibi ad campanas elevandas vel demittendas pro laqueari sunt, cecidit. Stabam ego inferius prope baptisterium ad portas ecclesiæ cum reliquiis S. Ursi, periturus, si fulmen directe ad me tendens per dictos asseres transivisset. Id tamen quasi in prælixo sacra ossa veritum me- E dimque inter dictas octo personas per aliquot momenta errabundum, tandem crepuit, nemine læso. Nullus nostrum erat, qui hanc incolumitatem suam post Deum S. Urso Sociisque non adscriberet.

AUCTORE J. C.

§ VII. Sancti perperam SS. Victoris et Ursi Socii adnumerati. Monitum de Instrumentis subreptitiis ad nos missis circa reperta corpora in pago Schöz, de quibus egimus in Gloria posthuma S. Mauritii et Sociorum.

SS. Cosmas et Damianus male Thebæis Martyribus adscripti, uti et reperti

Antequam huic Commentario finem imponam, monendum lectorem censeo de duobus erroribus, altero Simleri, altero meo, in quem infidis verisimiliter, vel certe erroneis instrumentis quondam inductus fui, sic tamen, ut de rei veritate numquam non dubitaverim. Quod ad Simlerum spectat, scribit is lib. 2 Valesiæ pag. 42. In Helvetiis Soloturi Ursus cum Cosma, Damiano et Victore idem (*martyrium*) passus est. *Ex hisce, ni fallor, Baldesanus in Historia Legionis Thebææ inter S. Mauritii Socios illos, subdubie tamen, recenset : unde et mihi data opportunitate Solodorum scribendi, natus est animus indagandi. Respondit autem sæpe laudatus Hermannus in hæc fere verba.* Quod Simlerus lib. 2 Valesiæ de SS. Cosma et Damiano asserit, nempe illos Solodori ut F martyres Thebæos coli, apud nos novissimum est; non enim hi Sanctis nostris adnumerantur, nec alio cultu speciali gaudent, nisi quod patroni facultatis medicæ habeantur, illorumque festum a prædicta facultate Missa solemni apud patres Conventuales celebretur. *Igitur hallucinatus est Simlerus, cui curæ non fuit, quæ ad Sanctos pertinebant, examinare. Errorem ego commisi, deceptus instrumentis ad nos submissis. Ad diem scilicet 22 hujus mensis discutiens Martyrium sanctæ Legionis*

Auctore J. C.

Legionis Thebææ cultumque S. Mauritii et Sociorum illustrans, inter monumenta plurima a P. Mauritio Chardono, societatis nostræ sacerdote et operis nostri adjutore sæpissime laudato, collecta et ad nos transmissa, reperi epistolam anonymam cum elencho non parvo a Chardono ipso latine reddito miraculorum, quæ in Schôz, *pago comitatus Willisoviensis in Helvetia, contigissent. Materiam illam tractavi Gloriæ posthumæ* § 5, *pag.* 358. *Lubet ex memorata epistola excerpere, quæ pro peculiaris S. Mauritii cultus occasione ibi allegantur.* Denique, *inquit auctor epistolæ*, in Schôz, pago comitatus Willisoviensis, ecclesia filialis habetur S. Mauritio et Sociis sacra, ad parochiam Ettilwillanam spectans. Tria eodem in pago successive erecta fuerunt sacella, spatiis a se invicem non multum distantibus. Illorum uni jam anno Domini 1356 Innocentius VI magnas indulgentias concessit, quibus anno 1366 Henricus episcopus Constantiensis novas addidit.

in pago Schoz, de quibus habemus.

99 Ducenta circiter corpora anno 1489 eo in loco, ubi primum sacellum est exstructum, sive prope sacellum, sive in domibus adjacentibus mirabiliter inventa sunt, ac ibi sacellum B majus in honorem S. Mauritii ac Sociorum ejus exstructum est, a sacra Sede magnis indulgentiis pro festis Domini et beatæ Virginis aliorumque sanctorum per annum præcipuis ditatum. *Hactenus relatio anonymi, de cujus sinceritate quis dubitaret? Sequitur ejusdem observatio, quæ facit, ut de re examinanda iterum cogitarim.* Qui factum, *prosequitur*, ut tot sanctorum Martyrum corpora hoc loco fuerint sepulta, non constat. Quod ex Sociis SS. Ursi et Victoris fuerint, qui prope Solodorum gloriosum pro fide martyrium subierunt, inde colligi potest, quod, ut Legenda Solodorana meminit, alii ex sanctis Martyribus capita gestaverint corpori appressa, alii in pectore reposita, alii autem ad pedes deposuerint. In hoc autem situ sepulta in dicto loco Schöz sanctorum Martyrum corpora reperta sunt, obvertentia singula faciem versus ecclesiam, seu Ortum solis. *Hæc, inquam, quod viderem subdubie Sociis* SS. *Victoris et Ursi adscriptos, quorum corpora ibi reperta credebantur, fecerunt, ut examen huc rursus remiserim atque hic brevibus pertractem. Advertere ibidem potuit lector, quod de relatione inventionis jam* C *tum non parum dubitarim, quodque de ejus fide suspicionem ingresserint etiam hæc anonymi verba :* Quo devenerint tot ibi Sanctorum reperta corpora, non additur. Credibile est, ea per varias inde ecclesias distributa fuisse. *Nimirum inter ecclesias plurimas tum Helvetiæ, tum aliarum regionum, quas reliquiis sanctorum Thebæorum ditatas percensui quam plurimas, obviam nullam habui, quæ inde acceptas ferat, quod sane pene incredibile esset, si distributa fuissent tot ibi reperta sacra ossa. Accedit, quod nullum auctorem de inventione illa præter unum Murerum, idque verbis satis ambiguis sensuque perplexo, scribentem repererim. Itaque data opportunitate Solodorum, unde octavo vix milliari distat pagus Schöz, scribendi, sollicitius inquisivi an quidquam reperire possem rei illi dilucidandæ. Operam in eo, ut in ceteris plurimis, impendit laudatus sæpe Hermannus, atque. ecce, quid perquirenti responderit.*

Instrumentum spurium.

100 Ad dubium aliud de corporibus quibusdam in pago Schötz, ditionis Lucernensis, ad annum 1489 inventis et ex Thebæa Legione habitis. Interim nulla rei hujus notitia Solodori habetur, nec umquam fuit; imo neque in ipso loci vicinia, quantum mihi ex litteris illuc datis D crebrisque quæstionibus oretenus factis constare licuit. *Quid ad hæc, lector? Corpora illi inveniri tanto numero debuerunt in vicinia Solodori,* anno 1489; *illo scilicet tempore, quo celeberrimus Solodori erat sanctorum Thebæorum cultus a repertis paucis annis ante tot sacris exuviis illorum, quorum Socii in Schöz inveniri credebantur : et nulla hujus rei Solodori vel esset vel fuisset umquam notitia? Sed et illa sic exstincta esset, ut nullum ejus vestigium in ipso loco ejusque vicinia remaneret hodiedum? Nisi hæc manifesta erroris vel commenti indicia sint, jam fere nulla supererunt. Itaque quæcumque de inventione memorata ex anonymi epistola ibidem attuli, pro falsis et supposititiis habeo. Potuit anonymus ille falsa relatione decipi ab homine vel malevolo vel ignorante et credulo, cui similia suggesta fuerint, dubitoque, an ipsa Miracula, quæ ibidem ex illo edidi, satis etiam secure ad locum illum referantur. De illis tamen quandoquidem liber, in coque testes aliqui citantur, paulo major est fiducia, quam de reliquiarum inventione, quæ unde, aut a quo profecta sit, penitus ignoro. Nunc ipsam Passionem edo, præmissis ad explicationem tabulæ hic inserendæ notitiis ex Hermanno desumptis. Ordior a chorographia Veteris Solodori.* E

Observationes ad tabulam.

101 A *Locus quinque vivis fontibus septus, ubi ab initio sepulti fuerunt sancti Martyres, et ubi postea inter spinas et tribulos inventa fuerunt sacra illorum ossa, exstructumque sacellum*, S. Petri *dictum.*

B. *Spatium, ubi anno* 1501 *erecta fuit ecclesia* S. Ursi *dicta in* Treibis-Kreutz, *ob memoriam martyrii in ponte, qui ibi terminabatur, a Sanctis tolerati.*

C *Locus, ubi hodie exstat collegialis ecclesia* S. Ursi.

D *Spatium intra castrum, ubi prima ecclesia parochialis S. Stephani fuit, quodque etiam hodie* Freithoff, *id est* cœmeterium *appellatur.*

E *Castri antiqui circuitus muris cinctus.*

F *Vicus, ubi hibernabant et stationes habebant Romani, variis ruderibus effossisque ibidem monetis et numismatibus antiquis designatus.*

G *Turris antiquissima, quam ab ipso fundatore exstructam credunt.*

H *Collis Hermetis, adhuc hodie* Hermes-Buehl *dictus, in quo erat templum Martis et Mercurii. Eo* F *pertracti creduntur ante passionem Sancti, ut idolis immolarent, in cujus rei memoriam Crux ibi hodiedum erecta est, pictaque ea historiæ pars in parvo sacello conspicitur.*

I *Locus, ubi olim pons Arulæ, super quo Sancti capite minuti sunt, ripam utramque jungebat.*

K *Arx vel sedes præsidis, adhuc hodie* die Burg *dicta.*

L *Via regia ex Italia ad Rauracos.*

M *Sacellum S. Laurentii eo spatio constructum postea, ubi Sanctis comburentis pyra exstructa, cælitusque exstincto igne, destructa fuisse creditur.*

N *Specus mutata in ecclesiam, in qua leguntur hi versus :*

Pectore dum Christo, dum servit pectine egenis,
Hac latuit quondam diva Verena cava.

Circa hodierni Solodori tabulam duo tantum designanda sunt loca, nimirum sacellum S. Petri, quod numero 1, *et basilica collegialis* S. Ursi, *quæ numero* 2 *notata sunt. Habe nunc, lector, ipsa Acta; primo loco illa, quæ a Surio mutuamus et completa sunt, aguntque etiam de Sociis* SS. Ursi et

A et Victoris, *quod forte antiquitatem non commendat; secundo altera imperfecta, ubi* SS. Ursi et Victoris *tantum, et hujus præcipue fit mentio.*

MARTYRIUM

SS. Ursi, Victoris et Sociorum.

AUCTORE ANONYMO.

Ex editione Surii *a*.

a

Sancti, qui Solodorum a Legione secesserant.

Cum tempore Maximiani imperatoris (qui cum collega Diocletiano imperium tenuit) gravis persecutio Christianorum esset exorta, erant in legione sancti Mauritii Ursus et Victor cum sociis 66, viri in bellicis requs strenui, quorum hodie natalitia colimus. Qui beati Mauritii passione et gladii terrore turbati, non absque divino B nutu castrorum tumultus occulte relinquentes apud Solodorum castrum antiquissimum, quod est super Arulam fluvium, pervenerunt, ut per eos ibidem multorum infidelium cæcitas fidei lumen reciperet *b*.

b

ibi Maximiani jussu ab Hyrtaco torquentur * *forte* se in

2 Interea Maximianus imperator audiens, sanctum Ursum Sociosque ejus ab Agauno * fugam dedisse, nimis furore succensus est. Accito, igitur Hyrtaco, prædicti Solodorensis oppidi præside, præcepit et injunxit, ut vestigia Sanctorum diligenter perscrutando indagaret, et ubicunque ipsos inveniret, aut ad sacrificia deorum compelleret, aut variis tormentis eorum vitam finiret. Igitur beato Urso Sociisque ejus Hyrtaco præsidi præsentatis, talibus verbis eos alloquitur, dicens: O viri, quis vos furor decretis principum suasit obviare? Vestram strenuitatem monemus, et imperiali præcepto præcipimus, ut omni occasione remota, ad sacrificandum diis omnipotentibus Iovi et Mercurio velitis vos inclinare. Alioquin vos vitam faciam variis finire tormentis. Illi vero cælitus corroborati dixerunt: Christiani sumus, nec sacrificando surdis et mutis idolis, Christianæ religionis ritum volumus inquinare. C Hyrtacus videns Sanctorum constantiam, nec posse blanditiis flecti, nec terroribus molliri, præcepit manus et pedes eorum catenis nexibusque constringi, ac variis tormentis ipsos atrociter cruciari. Quod cum carnifices studiose peragerent, divina clementia (quæ sperantes in se non deserit) tanto super eos splendore claritatis illuxit, ut tortores fulgore perterriti, ad terram prosternerentur semivivi, sanctique Martyres catenis ruptis vinculisque dissolutis, starent imperterriti, glorificantes et laudantes Dominum Deum Israel.

et post varia tormenta capite truncati

3 Pagani vero, una cum præside confusione ducti, dolore et angustia torquebantur, videntes, quod multi ad Christum per miracula prædicta converterentur. Alloquitur itaque præses sanctos Martyres dicens: Unum de duobus eligite; aut diis inmortalibus sacrificate, aut vitam vestram variis faciam tormentis finire. Respondentes Sancti, dixerunt: Christus pro nobis passus est, nos etiam pro Christo, quæcumque tormenta tua decreverit malitia inferre, parati sumus sustinere. Imperat igitur præses furore repletus, magnam componi lignorum congeriem, et præparari maximum ignem, ut Sanctorum corpora cremarentur. A. Anonymo. Cumque præsentibus multis sancti Martyres fuissent adducti, Hyrtacus ait ad illos: Nisi a vestro errore resipiscatis, in his flammis corpora vestra concremabo. Sancti Spiritu sancto confortati responderunt: Nullæ nos minæ, vel tormentorum timor a sancto et justo proposito revocabunt, et parati sumus ad omnia pro Salvatoris nomine sustinenda. Sanctis igitur ad ignem, ut in illum mitterentur, accedentibus, ecce ventus validissimus de cœlo veniens, lignorum congeriem undique succensam, tanto conamine impulit, ut dissoluta et in varias partes divisa, penitus extingueretur *c*. Quod videntes multi, ad fidem conversi sunt. c

in Arulam præcipitantur.

4 Videns autem impius præses sanctos Martyres duplici miraculorum splendore clarificatos, plurimos capite truncari præcepit. Interea sancti martyres Ursus cum Sociis suis, utriusque sexus homines doctrina et exemplis in fide confortabant. Hyrtacus vero præses, vir Belial furore plenus, super pontem prædicti fluminis sibi sanctos Martyres jussit præsentari: ut eodem loco capite cæsos mox in alveum fluminis præcipitaret. Cæduntur ergo beati Martyres, et in flumen præcipitantur, E nec tamen longe a dicto ponte defluxerunt. Nam divina Misericordia (apud quam omnia possibilia sunt) suæ mansuetudinis potentiam in eis demonstravit. Non longe namque a dicto ponte, capita sua in manibus portantes, flumen egressi sunt, et ad locum, ubi nunc in honore ipsorum basilica fabricata est, pervenerunt. Mirabilia hæc, et mirabilibus mirabiliora succedunt. Sancti enim Martyres genua ad terram flectentes, quasi ad unius horæ spatium, priusquam corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernentibus *d*, orabant. Orationi vero fine dato, corpora sua ad terram dimiserunt, acsi dicerent: Hæc requies nostra sæculum sæculi. Venientesque surdi, cæci, claudi, imbecilles et paralytici, seu quacunque infirmitate detenti, tangebant corpora Sanctorum: et subitam recipiebant sanitatem. Energumeni quoque dæmonibus obsessi, ad tactum sanctorum curabantur Martyrum et usque in hodiernum diem, si fides petentium non titubet, per Dei gratiam curantur. Passi sunt autem Ursus et Victor cum Sociis suis apud Solodorum pridie Calendas Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui est benedictus in secula. Amen. F

ANNOTATA.

a *Surius unde hæc acceperit ita ad titulum præmonet*: Historia ad nos perlata est ex Francia per venerabilem D. P. Petrum a Leydis, Carthusiæ Coloniensis olim priorem. *Quæ nos ad illam prænotanda duximus, vide Commentarii prævii* § 1.

b *Si hæc ita intelligantur, ut Sanctorum in tolerandis tormentis constantia paganorum plurimi ad veram fidem amplectendam excitati fuerint, nihil est, quod repugnet: at si plurimos ad fidem prædicatione sua perduxisse innuantur, ægre id componi potest cum intervallo octo circiter dierum, quo Solodori agere potuerunt, utpote qui paucis diebus a reliqua Thebæorum Legione, quæ 22 Septembris martyrium passa est, recesserint, ipsique 30 ejusdem mensis coronati sint. Vide, quid de his dixerim Comment. prævii num.* 11.

c *Ostendunt etiam hodie Solodorenses locum, ubi hoc prodigium contigerit: scilicet designatum in chorographia Veteris Solodori littera* M. *Est ibi hodiedum sacellum S. Laurentio sacrum.*

d *Totam*

A. Anonymo. d *Totam hanc narrationem insolentis prodigii habeo suspectam commenti, sicut præmonui Comment. præv. num. 7 et seqq. Quæ porro hic de basilica fabricata eo loco, ubi flumine egressi Sancti corpora sua deposuerint, perhibentur, innuunt Passionem vel scriptam vel interpolatam fuisse, constructo jam sacello* S. Petri, *vel fundata ecclesia Ursiana, circa quæ consule Commentarium præv.* § 2 *et* 3.

PASSIO

S. Victoris et Sociorum ex Ms. Signiacensi auctore anonymo. a.

Passio S. Victoris et Sociorum.

Tempuro illo cum Maximianus imperator sanctum Mauricium cum sex millibus sexcentis sexaginta sex, in urbem Genevensium direxisset, ut jussionem suam implessent, qualinus Christianos persequerentur: tunc illi residentes in loco Agaunensi, dixerunt Maximiano imperatori; Christiani sumus, Christianos persequi non possumus *b*. Tunc ille ira repletus jussit unumquemquo interficere. Videntes hæc sancti Dei Victor et Ursus, quæ fiebant, occulto exierunt; et cum ad Salodorum castrum, qui super Arulam fluvium est, pervenissent, et auditum fuisset hoc ab imperatore, repletus furore, jussit ministris suis, ut ipsos Sanctos persequerentur. Et cum pervenissent ad locum, ubi illi Sancti orabant, videntes eos ministri imperatoris, dixerunt ad illos: Qui estis vos? Et illi respondentes dixerunt: nos sumus famuli Dei, Victor et Ursus. Et ministri dixerunt ad illos: Misit nos Maximianus imperator, ut, ubicumque vus invenire poterimus, statim vos interficiamus. Famuli Dei Victor et Ursus responderunt: Melius est nobis mori, quam ultra dæmonibus immolare. Tunc ministri comprehendentes eos, ducebant illos, ut torquerentur. Illi autem ambulantes psallebant dicentes: Domine Jesu Christe, ne patiaris nos ire cum his, qui te negant verum Deum esse. Et cum torquerentur, clamabant: Domine Jesu Christe, da fortitudinem servis tuis, quia propter te libenter hæc patimur, et mitte angelum tuum, qui eripiat nos de manibus inimicorum nostrorum. Tunc apparuit super eos sicut radius solis, et qui eos torquebant, ceciderunt, et facti sunt velut mortui, et Sancti Dei absoluti sunt a vinculo, quo tenebantur. Videntes vero turbæ gentilium exspectantium, quod factum est, glorificaverunt Deum Israel.

hujusque prima translatio

2 Tunc unus ex ipsis ministris nomine Ilyrtacus, qui ad Christianos persequendos erat famosus, dixit pueris suis: Hoc, quod vidistis, phantasma est; sed dico vobis, ite concito cursu iterum comprehendere maleficos illos, qui contempserunt præceptum Maximiani imperatoris et seducunt populum ad legem Christianorum, et dicunt, se colere Christum Filium Dei c. Videns vero circumadstantium multitudo, quid de Servis Dei factum fuisset, pagani quidem insistentes dæmonum culturis gaudebant, Christiani plangebant. Viderunt veru omnes per duarum horarum spatium sanctum Victorem genua flectentem, tanquam vivus adhuc esset: et cum hoc mirarentur, subito corpus ejus quievit, et sicut sol resplenduit: statimque corpora eorum Christiani sepelierunt. Temporibus vero Gundegisili regis, qui regno Burgundionum *d* præerat, Theodesinda regina exstruxit basilicam in honore martyris Vincentii, et in honore sancti Victoris, in territorio Genavensium, sub oppido ipsius civitatis, miro opere decoratam, pluribus ornamentis et magnis possessionibus locupletatam, et regali liberalitate, quæ nunc in oculis nostris fulget. Petiit autem Domitianum *e* tunc temporis Genevensium episcopum, ut corpus sancti Victoris martyris liceret sibi a Soloduro castro ibidem transferre: quod impetrans, assumpto populo Christiano, cum hymnis, psalmis, et sacerdotibus ad ipsum locum, ubi sepultus erat, pervenerunt; et per triduum obsecrantes jejuniis et vigiliis, vix tandem potuerunt ad sepulcrum ejus accedere. Quo cum pervenissent, et apertum fuisset sepulcrum, ubi requiescebat corpus Martyris, totum commotum est. Videntes vero hæc mirabilia Dei, timuerunt omnes. Iterum exspectantes ipsam vigiliam noctis jejunantes simul et orantes acceperunt corpus ejus, et posuerunt in feretro. Tunc sonus magnus factus est, et resplenduit arca illa, ubi posuerunt eum, sicut nix.

Genevam, ubi prodigiose invenitur initio sæcu li.

3 Elevantes autem eum, et cum hymnis, psalmis, cereis, lampadibus, usque Genevam deferentes, deposuerunt eum in ecclesiam, ubi et sepelierunt eum, magnis vocibus Deum benedicentes, atque sanctum Martyrem salutando proclamantes; Bene venisti serve Dei, sancte Victor; in tuo enim adventu credimus nos salvos fieri, et apud Deum semper tuis precibus in omni nostra tribulatione relevari. Itaque de passione sancti Martyris et translatione corporis ejus hæc ita se habent: succedentibus vero pluribus annis, per multa spatia annorum et temporum, nulli hominum tunc temporis fama ipsius Martyris innotuerat, qualiter in isto domicilio corpus ipsius humatum fuisset; tamen sepulcrum ejus cunctis palam declarabatur *f*, et omnibus famosum erat. Cum vero tempus advenisset, ut merita Martyris sui Dominus declararet, vir gloriosus Theodoricus, rex Francorum, ad visitandum civitatem Genavensium venit; et quod pia fide crediderat, inspiratione divina Hyconius Mauriennensis ecclesiæ præsul adfuit; qui conjunctis secum viris apostolicis, Rusticio, et Patricio *g* episcopis, secreto nocturno tempore ad sepulcrum beati Viri accesserunt, remotoque marmore, quod interna sepulcri tegebat, repererunt eum, exterius quidem decoro marmore circumseptum, intra vero loculum ex ligno imputribili factum; intrinsecus autem ornamentum ex argenti metallo fulgenti decore compositum, ibique beatum corpus positum invenerunt; quod videntes cum omni populo glorificaverunt Deum, jam de tanto Patrono certi facti, de tanto thesauro securi. Et diutius ibidem pernoctantes, et orantes, postmodum, sicuti invenerant, diligentissime componentes reposuerunt, ad laudem, et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et honorem beatissimi martyris Victoris atque ad salutem fidelium populorum ibi devote concurrentium, et tanti Martyris patrocinia fideliter requirentium, præstante Domino, qui vivit, et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Miracula, quæ tunc videntur contigisse.

4 Contigit vero tunc *h*, quandam fœminam orationis causa ad sepulcrum beati Martyris advenire; quæ fragili mundanaque cupiditate correpta,

A pta, cereum, qui ad sepulcrum ejus pridem arserat, fraudis ingenio auferre præsumpsit: et cum eum ad mansionis suæ hospitium deportasset, ita in manu ejus cereus ipse adhæsit, ut neque ab ipsa, neque a vicinis concurrentibus, ulla potuisset ratione divelli. Quæ secum cogitans ac delicti sui facinus recognoscens, citius ad sepulcrum beati Martyris, adstante populo, remeavit. Tunc sacerdotes, qui in loco illo sacrum officium exhibebant, rogati a cunctis, fusa protinus oratione, super manum fœminæ signaculum Crucis impresserunt; statim, favente sancti Martyris pietate, manus sanitati est pristinæ restituta. Ecce facta est iterum inter negotiatores de præstito controversia: cumque unus eorum repeteret rem suam, et alter obstinacius non se debere reddere, firmaret, causam ita finiendam decreverunt, ut supra tumbam Martyris, qui negabat, jurare deberet. Accessit: veritas ita patefacta est. Cum enim vellet mendacium suum juratus augere; ut extendit manum, illico resupinus in terram cecidit, neque malum, quod voto conceperat, ad opus perducere potuit: monstrante hoc ipsum sancto Martyre, quantum in B oculis omnipotentis Dei casum faciunt, qui peccata sua ut i... perjuriose gravius alligare non metuunt, inde postmodum cum reprobis in foveam, quam non prævident, perditionis corruant. Sed et puella quædam ibi a dæmonio curata, virtute Martyris. Is qui in ea latebat, malignus spiritus, sumpta forma lacertæ, per aurem ipsius expulsus exiit, tali forma dignus, cui sufficere non potuit angelica dignitas; et in iis se locum habere, qui similes reptilibus, reprobo sensui tradidi ventrem cordis sui carnaliter vivendo per terram semper trahunt, numquam caput ad cœlum, sed cum manibus operum ad terram potius tendentes. Longum est virorum, et fœminarum sanitates, et curationes, replicare quando quotidie Deus noster, ad gloriam Martyris innumera ibi miracula præstet, ut, quicumque beneficia cum fide ibi expetierunt, redientes, gratiam se impetrasse, nulli fiat dubium. Passi sunt autem sancti martyres Victor et Ursus sub Maximiano imperatore, pridie Kalendas Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. A ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Vide, quæ de hac Passione præmonui Commentarii prævii* § 1.

b *Desumpta sunt hæc totidem verbis ex actis S. Mauritii et Sociorum, quæ ad diem 22 hujus mensis illustrata sunt.*

c *Spalma est hic manifestum: an amanuensis, an codicis vitio? Redi ad Passionem* 1 *loco editam, ut suppleas.*

d *De* Gundegisilo *Burgundionum rege et* Theodesinda *regina, quæ verisimilius* Sedeleuba *est, pluribus disserui Comment. prævii* § 4 *num.* 47.

e *De* Domitiano *sub finem sæculi* 5 *Genevensium catalogo episcoporum inserendo, disputatum invenies Comment. prævii num.* 49. E

f *Id est, ni fallor, sciebatur, sanctum corpus in ecclesia illa delitescere, licet ignoraretur propius locus. Magnus ad illud concursus fiebat, variaque ibi Deus per sancti Martyris intercessionem faciebat miracula.*

g *De* Rustico *seu* Rusticio *et* Patricio *disquisita inveniet lector non pauca Comment prævii* § 4 *num.* 42 *et seqq.*

h *Commentarii prævii numero* 45 *hinc deduxi, eadem hæc forte miracula esse, quæ inventionem mox dictam memorans Fredegarius pro instituto suo strinxit.*

i *Littura sic vocem obduxit, ut legere non possim, nisi primam litteram et ultimas syllabas unde suspicor, fuisse* subvelent.

DE S. ANTONINO SIVE ANTONIO M.

PLACENTIÆ IN ITALIA.

J. C. C F

Sancti Martyris ex Martyrologiis noti

Pertractans *ad diem* 22 *hujus mensis Martyrium sanctorum Thebæorum Martyrum, in Gloria Posthuma collegi peculiaria quædam, quæ spectant ad Martyres de Thebæa Legione credititos, nec speciatim in Martyrologio Romano occursuros. Ibidem in Addendis pag.* 915 § 9 *ut tempori præmonerem, dixi, nihil speciale ad nos de* S. Antonino *Placentino patrono pervenisse, postquam mentem suam aperuerat Sollerius noster tom. II Julii pag.* 7 *et seqq. Ibidem Commentario prodomo ad dies* 2, 3 *et* 30 *Septembris* § 2 *speciatim de* S. Antonio *Placentino agit disquiritque,* quis, qualis et cujas, quando et ubi passus *sit, atque illud imprimis stabilit,* S. Antoninum *quemdam verisimilius martyrem Placentinis concedendum esse. Indubia sunt Sollerii pro hæc re argumenta, allegat namque vetustissima Martyrologia, quibus et Sancti nomen et palæstra sive locus, ubi præcipue colebatur, Placentia inscripta sunt ad hunc diem 30 septembris. Hieronymianus Epternacensis codex antiquissimus ibi annuntiat:* Placentiæ natalis Antoni. *Accedit Lucensis:* In civitate Placentia sancti Anthoni. *Distinctius paulo habet Corbeiensis hoc modo:* In Placentia civitate natalis sancti Antonini martyris, *cum quibus consonat Blumianus.*

Acta incognita sunt.

2 *Quatuor hisce venerandis antiquitatis monumentis accedunt ex Hieronymianis contractioribus Fastis Martyrologia Augustanum, Labbeanum Corbeiense, ubi sanctus idem Martyr, non sine mendis tamen, annuntiatus legitur. Usuardus, qui* S. Antoninum *ex Hieronymianis accepit,* Confessorem *facit, nescio, qua erroris causa. Atque hæc indubia sunt monumenta, quæ* S. Antoninum *seu* Antonium *martyrem Placentinis asserant. Baronius sanctum his verbis celebrat.* Placentiæ S. Antonini martyris ex eadem Legione, *Thebæa scilicet, de qua proxime agitur in annuntiatione SS. Victoris et Ursi. Unde, quæ primitivis Martyrologiis superaddit, acceperit eminentissimus scriptor, addit Sollerius, ab Equilino nimirum et Maurolyco, ante quos* S. Antoninum *ex Thebæa Legione et S. Mauritii societate martyrem esse, nusquam assertum reperit, neque ego porro reperio. Ablegat*

igitur

AUCTORE I. C.

igitur inter recentioris hæc fabulas tum quæ tum quæcumque bene longa referunt ex monumentis non antiquis scriptores novelli Placentini, quos refutat §§ 5 et 6. Quandoquidem non videam, Sollerii argumentis quidpiam opposuisse Placentinos D *ad id præstandum amice et sæpius invitatos, illuc lectorem remitto ne eadem rursus excutiendo actum agam.*

DE SS. CASTO ET DESIDERIO MM.

CULTIS PLACENTIÆ IN ITALIA.

Ex Hieronymianis, aliisque Fastis.

Castus et Desiderius simul annuntiati in Fastis antiquis.

Duos hodie produco Martyres, de quibus multum dubitavi, an non spectarent ad alium diem, et ad majorem quemdam martyrum manipulum. Ratio dubitandi erat, quod codices Hieronymiani non omnes consentiant in iis hodie annuntiandis. Quæsivi igitur, an eosdem alio die in codicibus Hieronymianis B conjunctos reperirem. Hoc cum invenire non potuerim, probabilius existimo, Castum et Desiderium ad hunc diem spectare. Cumque ex consensu aliquot codicum satis videatur certum, ipsos esse Martyres et simul passos, pauca illa, quæ de Castro et Desiderio se offerunt, hic colligam. Ex vetustissimo codice Epternacensi apud Florentinium in Annotatis ita legitur: Et in Mesoli Casti et Desiderii. Nihil quidem de his habent codices Florentinii et Acherii; sed in antiquo codice Richenoviensi apud nos bis eodem die ponuntur, primo quasi cum S. Antonino Placentino, post quem ita sequuntur: Castri, Desiderii. Deinde hoc modo: Alibi; Castri et Desiderii. In codice Labbeano sic habetur: Natalis Æmili et Casti. Corruptio hæc videtur, quamvis Castus et Æmilius simul passi sint in Africa, de quibus breviter actum est ad 22 Maji ex S. Cypriano: nam contraria sunt reliquis martyrologiis, et ex loco Mesoli oriri potuit nomen Æmilii, quemadmodum plurima alia in iisdem Martyrologiis non minus corrupta deprehendimus. Rectius legitur in Martyrologio Autissiodorensi apud Martenium: In Placentia civitate C SS. Antonii Casti (pro Casti) et Desiderii.

Item Casti et Desiderii festivitas simul Placentiæ celebrata:

2 In Officiis propriis ecclesiæ Placentinæ, quæ anno 1635 impressa habemus, ad 30 Septembris præscribitur Officium de S. Hieronymo, sed hæc additur observatio: Festum autem sanctorum martyrum Casti et Desiderii, in eamdem diem incidens, transfertur in diem sequentem, nisi in propria ecclesia, hoc est, in ecclesia S. Antonini, in qua ipsorum sanctorum Martyrum corpora condita jacent. Tum ad 1 Octobris ponitur Officium semiduplex sanctorum martyrum Casti et Desiderii. Lectiones autem dantur de S. Casto, qui cum Æmilio passus est in Africa, et de quo actum est ad 22 Maji, ac de S. Desiderio episcopo Lingonensi et martyre, cujus acta apud nos data sunt ad 23 Maji. Si crederem, hosce martyres hodie in Martyrologiis Hieronymianis annuntiari, satis esset de iis in Prætermissis breviter meminisse. Verum non video, quo fundamento S. Desiderii Lingonensis corpus sibi attribuant Placentini, aut etiam corpus S. Casti Africani, cum S. Æmilio passi. Dicunt quidem in lectionibus, utriusque ossa sacra modo servari Placentiæ in ecclesia S. Antonini, et festivitatem utriusque simul celebrari; sed non edicunt, qua occasione, quo tempore, cujus opera Placentiam translata fuerint illa corpora. Nihilo magis exponunt, unde contigerit, ut martyr Africanus cum episcopo Gallo eadem die eodemque officio celebraretur, ac martyr laicus episcopo martyri præponeretur.

ubi horum corpora: Placentinorum de suis opinio

3 De conservatis in ecclesia S. Antonini corporibus SS. Casti et Desiderii variis locis meminit Campius in Historia Placentina, sequiturque opinionem ex illorum officio jam expositam, sed nihil E producit, quo eam confirmet. Lib. 4 ad annum 418, pag. 121 ait, plus quam octigentos annos corpora eorum fuisse in ecclesia S. Antonini, priusquam circa medium sæculi 17 illa scribebat. Credidit igitur, ibidem ea corpora fuisse ante medium sæculi 9. Ait quoque, festum translationis esse, quod de iis celebratur 30 septembris. Idem lib. 6 ad annum 758 pag. 192 ait, aliquos legisse in vetusta scriptura, quæ postmodum erat perdita, SS. Castri et Desiderii corpora Placentiam fuisse translata, sedente Desiderio episcopo Placentino ac regnante apud Longobardos Desiderio, rege, id est, aliquot annis post medium sæculi 8. At unusquisque facile videbit, quam infirma sit illa conjectura, pro qua solum laudatur membrana perdita, nescimus cujus antiquitatis aut auctoritatis. Deinde alteram prolaturus conjecturam, primum fatetur, prorsus ignorari, quanto tempore corpus S. Casti quieverit in Africa, et S. Desiderii in Gallia; quove tempore corpora illa primum fuerint conjuncta. Tum conjicit, utrumque prius Romam fuisse delatum, ibique ambo simul conjuncta: obsidenteque Romam Aistulpho Longobardorum rege, quod contigit anno 755, effosa F fuisse e cœmeterio, ac Ticinum delata, inde postea Placentiam. Verum hæ conjecturæ non modo omni fundamento carent, sed omni etiam verisimilitudine.

non videtur satis probabilis:

4 Etenim nec verisimile nec credibile est, corpus S. Desiderii ex Gallia Romam fuisse delatum, ut in suburbano aliquo cœmeterio reconderetur; neque id ipsum fit verisimile de Castro martyre Africano. Neque enim medio ævo solebant corpora sanctorum deferri ad cœmeteria Romana, sed erui cœperunt istis sæculis sacra corpora et cœmeteriis Romanis, ut elevata alioque translata majori in veneratione haberentur. Quapropter, si constaret, corpora SS. Casti et Desiderii Roma fuisse Placentiam translata, sive prius Ticinum fuissent portata, sive recta Placentiam delata, magis crederem, Sanctos fuisse ignotos ac forte etiam anonymos, quibus nomina Casti et Desiderii post elevationem fuerint data, nisi hæc nomina cum signis martyrii, ut aliquando fit, fuerint in sepulcris inventa. At hæc quoque conjectura non est necessaria, cum nesciamus, unde illa corpora Placentini acceperint. Magis tamen verisimile est, corpora

A corpora esse duorum in martyrio Sociorum, quam alterum e Martyribus fuisse Africanum, alterum Gallum. Certe Lingonenses numquam admittent, Placentiæ servari corpus sui Desiderii, cum illud se possidere credant. Data apud nos sunt acta S. Desiderii Lingonenses ad 13 Maji, ubi etiam inventio elevatioque corporis recitata est, anno 1314 solemniter peracta, ut solum necesse sit inspicere disputata ibidem, si quis nosse velit, quam improbabilis sit opinio Placentinorum de corpore S. Desiderii Lingonensis Placentiæ servato.

ut hodierni non videntur distinguendi a Placentinis.

5 Florentinius in Annotatis, cum videret, Castum et Desiderium annuntiari in Mesoli, inquirit in locum martyrii, conjicitque satis probabiliter, Africanos esse martyres, quandoquidem in Africa erat regnum aut populus Messoli aut Massyli dictus. Massylorum regio certe nota est in Mauritania, ac pars erat Numidiæ. At dubitat Ortelius in Thesauro ad vocem Mauritania, an Messoli a Plutarcho memorati cum Massylis iidem essent, an diversi. Sive autem iidem sint, sive diversi, erant certe in Africa, ideoque probabilis est conjectura Florentinii de palæstra horum Martyrum Africana. Transferri eorum corpora potuerunt in Italiam, sicut non pauca alia Sanctorum Africanorum corpora in Italiam translata sunt. Quo minus tamen ausim certam dicere conjecturam illam de loco martyrii, facit nimia codicum Hieronymianorum corruptio: nam exigua vocis Mesoli corruptio totum statim everteret conjecturæ fundamentum. Malui igitur locum cultus SS. Casti et Desiderii assignare in titulo, quam locum martyrii, numquam fortasse certo inveniendum. Eosdem vero in vetustis annuntiari Fastis, qui coluntur Placentiæ, verisimillimum fit, cum quod memorentur eo die, in quem incidit festivitas, tum quod in uno clare, in altero obscure attribuantur Placentiæ. Quin et Placentiæ pati potuerunt, aut in ejus vicinia, cum de translatis corporibus nullum afferatur documentum fide dignum.

B

DE S. GREGORIO EPISC. ARMENIÆ CONFESSORE

E

ITEM DE SS. VIRGINIBUS RIPSIME, GAIANA ET SOCIIS MARTYRIBUS

IN ARMENIA MAJORE

CONMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Gregorii in sacris Fastis commemoratio: item SS. Ripsimes, Gaianæ et Sociorum, quorum numerus assignatur.

PROBABILIUS INTER 325 ET 330. Memoria S. Gregorii in Fastis Græcorum, Moscorum,

Græcorum Menæa, Menologia, Synaxario, aliique libri rituales maximo consensu hodie annuntiant S. Gregorium, Magnæ Armeniæ primum episcopum, qui totam gentem ad fidem Christianam convertisse legitur. Inutile esset omnia illa documenta, cum impressa C tum manu scripta hic recensere. Sufficiat dixisse, ne a brevioribus quidem Menologiis aut Synaxariis, qualia nonnulla habemus manuscripta, Kalendariorum instar latinorum, in quibus unus passim tantum Sanctus annuntiatur diebus singulis, multique dies reperiuntur vacui, memoriam S. Gregorii Armeni deesse. Græcos de more secuti sunt Mosci, in quorum Menologio et Ephemeride similiter commemoratur. Hi autem S. Gregorium frequenter annuntiant ut Martyrem, et in aliquibus vocatur Hieromartyr, uti fit in Menologio Basiliano, in Menæis impressis, in Typico Sabæ, in Menologio Slavo-Russico, in duobus brevioribus, quorum alterum est Florentiæ in bibliotheca Benedictina, alterum Majoribus nostris exscriptum fuit in bibliotheca Lindebrochii. In aliis tamen aliquot Græcorum Fastis non vocatur Martyr et Hieromartyr; sed solum Magnæ Armeniæ Episcopus, ut est apud Sirletum, et in Synaxario Sirmondi; aut Apostolus, ut in Ephemeride Moscorum. Nihil dicam de aliis, quorum tantum habemus nomina extracta, aut Supplementa ad Menæa impressa; cum nihil certi colligere ex illis valeam. F

Coptorum, Arabum, aliorumque, et in Latinis recentioribus;

2 Memoria S. Gregorii eodem etiam die annuntiatur in Fastis Coptitarum Ægypti et Æthiopum regni Habessinorum apud Ludolfum his solum verbis: Gregorius episcopus Armeniæ. Consentit Martyrologium Coptorum, quod Romæ redditum est latine pro Melchiore Inchoffero, nostrisque Majoribus communicatum. In hoc ad 26 Septembris etiam fit mentio SS. Ripsimis, Gaianæ, Sociorumque et Sociarum, de quibus inferius dicam. Similiter in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod Gratia-Simonius, postea archiepiscopus Tripolitanus, latinum fecit, memoria S. Gregorii ad hunc diem reperitur, et quidem ut Martyris, hoc modo: Certamen Gregorii martyris episcopi Armeni. Accedit in Vita Sancti Italica post memoranda Martyrologium Antiochenum cum longo elogio, et aliud Arabicum. In vetustis Fastis latinis memoriam S. Gregorii Armeni non invenio. Apud aliquos recentiores, qui eum invenerunt apud Græcos, ad 30 Septembris annuntiatur cum eadem varietate de martyrio. Molanus ita habet: Die trigesima, sacrosancti martyris Gregorii, in Magna Armenia. Baronius in Martyrologio Romano: Eodem

AUCTORE J. S.

Eodem die sancti Gregorii episcopi Magnæ Armeniæ, qui sub Diocletiano multa passus, tandem in pace quievit.

alias ut Martyris, alias sine illo titulo, ubique hoc die.

3 *Hæc verba simul docent, cur alias* Martyr *vocetur, nempe quia multa pro fide passus est, alias Martyris titulus omittatur, scilicet, quia in tormentis non occubuit, sed morte naturali. Fuit revera Martyr, si vera sunt, quæ de tormentis eidem illatis memorantur in actis; cum multa sustinuerit, ex quibus mori debuisset, nisi divinitus fuisset servatus, ut contigit S. Joanni Apostolo, quando in oleum fervens est immissus, et illæsus exivit. Itaque si vel uni ex pluribus id genus suppliciis, qualia in actis plura asseruntur, revera fuerit subjectus, omnino* Martyr *dicendus est. Si vero omnia illa supra verum exaggerata fuerint, et solum leviora sustinuerit, quam quæ nata sunt mortem inferre, gloriosus saltem erit Confessor, non tamen martyr stricte dictus, quia sic passus non fuerit usque ad mortem. Rectius dicitur passus sub Teridate Armeniæ rege, quam sub Diocletiano imperatore, etiamsi hic revera eo tempore imperavit. Castellanus* Gregorium *memorans in Martyrologio universali, annotat in margine,* Gregorium *ad 29 Septembris fuisse ponendum secundum* B *Basilii Porphyrogeniti Menologium, sed in hoc ipso Menologio habetur ad 30, ut fuerit memoria lapsus.*

Elogium Sancti ex Menologio, Actis consonum.

4 *Priusquam recenseam alios dies, quibus* S. Gregorium *variis de causis annuntiant Armeni, præmitto elogium, quod eidem ex actis concinnatum est in laudato Menologio Basiliano, quodque est actis consonum :* Gregorius sacromartyr ac multiplici certamino illustris, Diocletiano imperatore floruit, Parthus genere, propinquus Armeniæ regis. Cum autem Christianus esset, comprehensus a Tiridate, qui et ipse Armeniæ rex erat, multis excruciatur tormentis : præsertim cum eum cognovisset esse illius filium, qui patrem suum dolo interfecerat. Quamobrem eum manibus pedibusque constrictum, in profundum lacum, feris et serpentibus plenum, dejicit, in quo annos quindecim mansit, Christiana quadam vidua furtim ei alimenta subministrante. Verum divina factum est providentia, ut, Tiridate insania correpto, suasque carnes esitante, et una cum porcis in montibus pascente, soror ejus per visionem admonita fuerit, nisi Gregorius e lacu dimitteretur, C Tiridatem numquam sanatum iri. Igitur eductus e lacu Gregorius, Tiridatem cum omnibus ejus ditioni subjectis baptizavit : et episcopus factus, multisque ecclesiis Christi Sanctorumque nomini erectis, vitam finivit. *Similia leguntur in Menologio Sirleti, et in Menæis, plura etiam in Synaxario Sirmondi, ubi simul commemorantur sanctæ Virgines, inferius dandæ, quibus in Menologiis et Menæis separatum est elogium.*

Præcipua apud Armenos festivitas die 30 Septembris.

5 *Nunc varias* S. Gregorii *festivitates recensebimus ex duobus monumentis Armenicis, quæ latina fecit clarissimus Assemanus, et edidit in Bibliotheca Orientali tom. III pag. 645 et sequentibus. Primum est* Horologion *per totum annum juxta ritum Armenorum; alterum* Diarium *sive* Lectionarium, *continens vitas Sanctorum. In Horologio ad 30 Septembris ita legitur :* Inventio reliquiarum Gregorii. *Hunc esse* Gregorium *Armenum, liquet ex Diario, in quo ad eumdem diem sic habetur :* Inventio reliquiarum Gregorii Illuminatoris. *Nam* Illuminator *passim vocatur ob adductos ad fidem Armenos. Ex hoc igitur loco colligitur, die 30 Septembris, quo* S. Gregorius *apud Latinos, Græcos, Moscos, Ægyptios, Æthiopes, Syros, Chaldæos et Arabes communi* D *consensu commemoratur, celebrari apud Armenos inventionem corporis ejus, quod illa præcipua sit ejus festivitas, ut certe verisimillimum est. Nam, ut postea dicetur, creditur obiisse in solitudine, ibique inventus mortuus, ut non videatur memorari aliqua reliquiarum inventio diu post mortem facta, sed ipsa prima corporis mortui inventio, quæ fuerit diei obitus substituta, quod ille ignoraretur.*

alia 17 Novembris, et aliæ diebus aliis.

6 *In Horologio ad 18 Novembris habetur :* Historia S. Gregorii. *in Diario,* Historia S. Gregorii Illuminatoris. *Alia hæc videtur festivitas, forte qua compendium totius vitæ venit legendum. In Horologio ad 29 Decembris :* Visio S. Gregorii Illuminatoris. *Eodem die in Diario :* Visio Gregorii Illuminatoris in Vagarsciabat. *De hac visione agitur in actis cap. 10, dignaque sane est festivitate annua Armenorum, si vera sit. In Diario ad 2 Martii etiam legitur :* Possessio sedis S. Gregorii. *Agitur verisimiliter de Armeno, ejusque episcopatu. Et sane ordinatio ejus festo celebrari potest ab Armenis : de illo tamen nihil in Horologio. Rursum in Diario ad 9 Septembris ponitur,* Descensus sancti Gregorii Illuminatoris. *Insinuatur aliqua festivitas aut commemoratio martyrii :* E *neque enim dubito, quin agatur de descensu in lacum, in quem injectus asseritur, ut moreretur, sicut S. Joannes apostolus in oleum fervens fuit immissus, cujus facti celebritas in ecclesia peragitur die 6 Maji. In Horologio de eo nihil invenitur. Ad facta S. Gregorii honoranda etiam spectat festivitas aut commemoratio, quæ, tacente Horologio, in Diario ad 25 Augusti ita memoratur :* Et festum Deiparæ, quum Gregorius Illuminator idololatriam abstulit, et loco imaginis cujusdam feminæ, quam colebant, imaginem beatæ Virginis collocavit.

In Fastis item memorati filii et nepotes Gregorii, et rex Teridates.

7 *Juvabit ex iisdem monumentis recensere et alia nonnulla, quæ ostendunt, quanti* S. Gregorium *faciant Armeni, aut ad acta elucidanda utcumque conducunt. In Horologio ad 4 Decembris :* Filiorum et nepotum S. Gregorii Illuminatoris. *In Diario sic legitur :* Patriarcharum filiorum et nepotum Gregorii Illuminatoris. *In primo ad 29 Novembris :* Tiridatis regis Armeniæ ; *in altero :* Tiridatis regis. *Singulare est, quod in Diario solo ad 25 Octobris hoc modo legitur :* Deploratio regni, quod Armenis excidit, et sacerdotii, quod a F stirpe S. Gregorii Illuminatoris defecit. *Duos in actis attribui S. Gregorio filios, quos juvenis matrimonio junctus genuerit, alterumque ex iis fuisse episcopum, ejusque in primatu totius Armeniæ successorem, inferius videri in iis potest cap. 14 et 15. Alterum, in actis similiter memoratum, tertium Armeniæ primatem fuisse asserunt Armeni, illique attribuunt filios, qui S. Gregorii hic dicuntur nepotes. Quod spectat ad regem Teridatem, adeo in actis laudatur post conversionem, ut mirandum non sit, cum ab Armenis coli, si illa ex parte saltem vera sunt.*

Memoria SS. Ripsimes, Gaianæ et Sociarum apud Armenos ad 5 et 6 Octobris.

8 *Verum propius ad propositum nostrum spectant sanctæ virgines* Ripsime *vel* Ripsimia, *quæ et* Ripsimes *a latinis dicitur, ac* Gaiana *cum pluribus, de quibus una cum S. Gregorio agimus, quod ex ejus actis solum innotuerint. Prima ad 5 Octobris, altera cum reliquis ad sequentem diem in utroque monumento legitur, luxato tamen Gaianæ nomine. Ad 5 Octobris in Horologio,* Ripsimæ ; *ad 6,* Calamarum Virginum. *Rectius in Diario ad 5 :* Ripsimæ et sociarum Virginum ; *ad 6 :* Caitonæ, et sociarum Virginum.

AUCTORE I. S.

A num. Rectius hoc loco utrique Virgini sociæ tribuuntur, cum utraque cum pluribus occisa legatur. Ad sextum autem memorari Virginem illam, quæ a Græcis et Latinis Gaiana vocatur, non dubito; etiamsi nomen Caitonæ et Calamarum notabiliter differat. Nam S. Gaiana uno die post S. Ripsimen in actis occisa dicitur cum Sociabus tribus. Itaque innotescit ex qualicumque nominis similitudine, ex præcedente Ripsime, et ex Sociabus. Præterea nullo alio loco Gaianam in Monumentis illis Armeniacis invenio, cum tamen verisimile non fiat, Sanctam in illis prætermissam esse, aut sine nomine inter Socias computari.

apud Arabes et Coptitas ad 30 et 26 Septembris:

9 Magis corrupta sunt Ripsimes et Gaianæ nomina in Fastis Copticis. Ex collatione tamen colligo, in iis etiam earam memoriam celebrari. In Arabico-Ægyptio, quod ex Arabico Latinum fecit Gratia Simonius, ad 30 Septembris nostri post S. Gregorium ita sequitur : Certamen sanctarum Rabsimis et Gaetanæ martyrum. Hic nomina utcumque noscuntur, maxime cum sequantur post S. Gregorium. Verum magis difficulter cognoscantur in Fastis Coptitarum apud Ludolfum, ubi ad 29 mensis Æthiopici, sive ad 26 Septembris B nostri memorantur his verbis : Arsima et mater eius Agatha cum Virginibus. Attamen, ut jam suspicatus est ad illum diem Castellanus in Martyrologio universali, illæ ipsæ sunt Ripsime et Gaiana, ut colligo ex Martyrologio Coptico jam laudato, quod pro Inchofero factum est Latinum, sed stilo scabroso. Nam in illo ad eumdem diem commemorantur cum elogio, ex quo mihi post Acta S. Gregorii diligenter lecta omnino innotescunt. Prima ibi vocatur Arisima, quæ est Ripsime; altera Agaicta, quæ Gaiana. Additur : Et reliquæ Virgines, quæ fuerunt cum illa, et homines, qui fuerant omnes viginti duo. Et mox : Arisima autem variis modis tentata fuit ob suam pulchritudinem. Tum rex, qui illam frustra tentavit, et omnes postea crudeliter occidi curavit, vocatur Thiedad, quod satis convenit cum Teridate, et numerus eorum septuaginta et duo, ex quibus viri supra dicantur viginti et duo. Quæ de tormentis dicuntur, ab actis etiam non multum abludunt, et in fine additur : Corpora autem eorum invenit sanctus Gregorius, et posuit illa in loco sacro. Quæ sepultura opinionem nostram omnino reddit certam. Ripsimen eodem die annuntiari in C codice aliquo Usuardino, jam indicavimus in Prætermissis ad 26 Septembris. Verba dabo inferius.

Elogium SS. Ripsimes et Gaianæ ex Menologio,

10 Græci S. Ripsimen, Gaianam, reliquasque Virgines, proferunt ad 30 Septembris, alias separato elogio, alias una cum S. Gregorio. In Menologio Basiliano his verbis annuntiantur : Certamen sanctarum martyrum Ripsimiæ, Gaianæ, et Sociorum. Tum hoc subjungitur elogium : Ripsimia martyr et Gaiana in regione Armeniæ virgines et sanctimoniales fuerunt : et Gaiana quidem anus, Ripsimia vero adolescentula, generis nobilitate et eximia corporis specie clara. Quamobrem Tiridates, cognita illius pulchritudine, impotenti captus amore, comprehensam ad nefandum adigebat amplexum. Sed factus Christi virtute voti sui impos, mœrore jacuit tamquam mortuus. Sanctam autem fugientem assecuti milites, Christum abjurare, impellunt. Quod cum illa facere detrectaret, discissis ejus vestibus, ligatisque post tergum manibus, linguam ei præcidunt, oculos effodiunt, et corpus in ignem injiciunt. Paulo post gladio cæsa (græce gladiis concisa) reddidit animam : et cum ea septuaginta Viri Christiani et triginta duæ feminæ interempti sunt. At sancta Gaiana, detracta prius e corpore tota pelle, contusisque saxo ossibus, capite damnatur. Eadem leguntur in Menologio Sirletiano, et in Menæis impressis de S. Ripsime et de numero Sociorum ejus, exceptis iis, quæ mox corrigam, paulo tamen diversa de S. Gaiana.

quod in variis notabiliter ab Actis dissentit,

11 Ex actis quidem illa videntur deprompta, sicut et elogium, quod legitur in Synaxario Sirmondi, sed minus accurate, quamvis propius ad acta accedat Synaxarium. Itaque singula ex actis hic juvabit corrigere, ne quem decipiant dicta elogia. Primo Ripsime, Gaiana, et reliquæ Virgines, in Magna Armenia revera aliquo tempore vixerunt. Non cœperunt ibi virginitatem profiteri secundum acta; sed ex ditione Romanorum in Armeniam fugerant. Secundo actis consona sunt, quæ dicuntur de irrito conatu regis Teridatis ad virginitatem S. Ripsimiæ eripiendam, et de hujus fuga, in qua fuit comprehensa. At in actis non legitur, quod in solo asseritur Menologio Basiliano, tunc compulsam fuisse Sanctam ad fidem ejurandam, ut secundum acta potius pro castitate tuenda certaverit, quam pro fide, de qua necdum facta erat mentio. Ripsime autem, E quæ prima est passa, his occisa dicitur tormentis. Primam præcisa est lingua, tum vestes laceratæ, et latera Virginis lampadibus adusta : mox acutis lapidibus venter apertus, et effusa viscera : oculi etiam adhuc spirantis evulsi, et sic aut mortua aut mox moritura a militibus fuit relicta, ut illi ad cædem aliorum progrederentur. Gladio cæsa in actis non dicitur, nec in iis fit mentio de corpore in ignem injecto, sed solum de adustione corporis per admotas lampades, prout etiam intelligi debent verba Menæorum, et corpus ipsius usserunt. In Synaxario plusculum dicitur, sed standum est actis, cum ex illis omnes hauserint. Etsi enim acta nequeant habere magnam auctoritatem, ut videbimus : minor certe debet esse illorum auctoritas, qui post aliquot sæcula primis actis alia addiderunt.

prout et Metaphrastes in quibusdam ab Actis vetustioribus recessit.

12 Præterea in Menæis et Synaxario dicitur Virginis corpus gladiis concisum, aut minutatim divisum, prout etiam verba Græca Menologii Basiliani, κατὰ μικρὸν τοῖς ξίφεσι κοπτομένη, minutatim gladiis concisa, non gladio cæsa. Attamen illud ipsum in primis actis non legitur, sed solum F in Metaphraste, qui ad urendam Virginis corpus lampadibus, quas solas acta prima habent, etiam addidit ligna, ut clarum videatur, collectoribus Menæorum et Menologiorum Metaphrasten præluxisse, non acta vetustiora. Quæ vero de numero Martyrum in illis monumentis leguntur, nec vetustis actis, nec Metaphrasti sunt consona. Septuaginta Viros, et Mulieres triginta duas, præter Ripsimen et Gaianam, asserunt utrumque Menologium, Menæa et Synaxarium. At acta antiquiora solum habens, plures quam septuaginta viros simul et mulieres fuisse apud Sanctas Ripsimen et Gaianam, sive cum illis ex ditione Romanorum fugisse in Armeniam; et ex illis plures venisse ad locum, ubi occisa est S. Ripsime. At non asserunt, omnes illos fuisse occisos, qui cum Gaiana et Ripsime in Armeniam venerant.

Omnes martyres secundum Acta triginta septem.

13 Itaque omnes Martyres secundum acta, consentiente etiam Metaphraste, fuerunt triginta et septem, mortemque obierunt tribus locis diversis. Primu fuit Ripsime, cui furor militum linguam præcidisse, corpus lampadibus adussisse, ventrem lapide acuto dissecuisse et viscera effudisse, ac demum oculos moribundæ effodisse legitur. Circa eumdem

AUCTORE J. S.

dem locum occisi sunt Viri et Mulieres triginta duo, qui S. Ripsimen in fuga erant comitati aut postea secuti. Hi militum gladiis occubuerunt. Deinde una ex Virginibus, quæ ægrotabat, eaque de causa non potuerat S. Ripsimen et reliquos sequi, occisa est eodem die in loco, ubi omnes Virgines habitaverant. Sequenti die cum duabus Virginibus capta S. Gaiana, jussu regis multa sustinuit tormenta, tandemque amputato capite vitam finivit, prout in actis suo loco legi potest. Itaque triginta et quatuor passi sunt primo die, sequenti tres aliæ, et sic triginta septem habemus Martyres. Qui supererant ex omnibus, cum Gaiana *et* Ripsime *in Armeniam profectis, fuga evadere potuerunt. Quare septuaginta Martyres, qui in Menæis separatim annuntiantur, tamquam Socii* S. Ripsimiæ, *ad triginta duos, aut, addita ægrotante seorsum cæsa, ad triginta tres reducendi sunt. At duæ Mulieres, quæ post illos memorantur, credendæ sunt Sociæ* S. Gaianæ. *De die martyrii in actis vestustioribus nihil legitur. Metaphrastes ait,* Ripsimen *et reliquos* 26 *Septembris coronatos, sed verisimiliter ex conjectura aliqua incerta.*

Hæ sanctæ etiam apud Latinos memoratæ.

14 *Qui primus* Ripsimen *et Socias memoravit apud Latinos, eamque codici Usuardino Hagenoyensi inseruit, Metaphrastem secutus est, ita scribens apud Sollerium nostrum in Usuardo ad* B 26 *Septembris :* In Armenia maiore, sanctæ Ripsinæ, reginæ et virginis. Quæ cum sprevisset connubia regis Armeniæ Thiridatii propter amorem Christi, cum pluribus aliis Virginibus, inauditis tormentis est occisa. *Etiamsi corruptum sit nomen, et nimis liberaliter* regina *vocetur ; nullum tamen est dubium, quin sit ipsa* Ripsime, *quam reginam vocaverit auctor, vel quod regia stirpe dicatur nata, vel quod expetita fuerit a rege. In eodem codice ad* 27 *Septembris hæc leguntur :* In Armenia sanctæ Gaianæ viduæ, et alterius Virginis. *At* S. Gaiana *in actis asseritur Virgo, etiamsi subinde* mater *vocetur, quia ut mater alias regebat Virgines : passa etiam legitur cum duabus, non cum una sola. Galesinius utrumque Martyrem cum Sociis memoravit ad* 29 *Septembris, longumque eisdem texuit elogium, in quo occurrunt iidem fere errores, quos in Græcis jam correxi, ut necesse non sit illud recitare, aut eadem repetere. Pro die Galesinium secutus est Baronius in Romano Martyrologio. At rectius eas breviter commemoravit his* C *verbis :* In Armenia sanctarum Virginum Ripsimis et sociarum martyrum sub Tiridate rege.

§ II. Cultus S. Gregorii et Virginum : reliquiæ S. Gregorii pluribus locis honoratæ.

Cultus S. Gregorii apud Armenos,

De *insigni cultu* S. Gregorii *apud Armenos conjectura fieri potest ex pluribus festivitatibus, quas recensui num.* 5 *et seqq. Clemens Galanus in opere de Conciliatione ecclesiæ Armenæ cum Romano part.* 1, *cap.* 2 *de cultu Sancti in Armenia pag.* 39 *addit sequentia :* Ab Armenis autem singulis annis illius (*Gregorii*) ter agiter commemoratio ; primum ejus martyrii, et injectionis in puteum, ubi quatuordecim delituerat annos : secundo egressionis e puteo, cujus occasione et ipsi e profundis idololatriæ tenebris egressi, ad fidei lumen pervenerant : tertio denique inventionis corporis ejus, quam illi solemnius, et præmisso quinque dierum jejunio, celebrare solent. *Hæc ille, omissis festivitatum diebus,* D *quos vellem adjectos. Inventio corporis, quam præcipuam dixi num.* 5, *celebratur die correspondente diei* 30 *Septembris nostri. Festivitas* martyrii et injectionis in puteum, *videtur designari illis verbis num.* 6 : Descensus S. Gregorii, *quæ ponuntur ad* 9 *Septembris. Festivitas* egressionis a puteo, *forte designata fuerit illis verbis num.* 6 *datis :* Historia S. Gregorii illuminatoris, *quæ leguntur ad* 18 *Novembris. Plures ibi recensentur festivitates, sed tres jam dictæ forsan erunt totius gentis, reliquæ aut particularium solum ecclesiarum, aut minus celebres.*

apud Græcos ex quorum Officio ecclesiastico

16 *Græci die* 30 *Septembris solemni Officio celebrant* S. Gregorium *Armenum, ut liquet ex Menæis et aliis eorum libris ritualibus etiam recentioribus. Multis ac plane magnificis in illo Officio elogiis celebratur* S. Gregorius, *et una cum ipso* SS. Ripsime *et* Gaiana. *Habemus et translationem latinam in vita Italica Bonuccii a pag.* 148. *Translationis auctor fuit Petrus Benedettus, presbyter Societatis Jesu, qui et alia multo ex Græcis latina fecit. Principium hoc est :* Sacram martyrum vestem sanguine purpuratam gerens, Sancta sanctorum ingressus es celeri gradu, o E admirande Gregori, ubi lux ineffabilis, ubi divina gloria, ubi voces festum occinentes carmen : illic, sapientissime Gregori, laborum tuorum consecutus es præmia, et immarcessibilem coronam, divinumque paradisi domicilium. Non tuum sæva cruciatum procella concussit animum, non diuturnus in obscura detinens fovea carcer, gloriosissime Pugil : sed ut lux in tenebris vanitatis periculorum plenis refulsisti, quos filios Dei effecisti, sapientissime Gregori, per lavacrum baptismatis, perque meliorem atque salutarem regenerationem, divinamque atque veram institutionem, ut Pontifex Deo afflatus. (*Pro* periculorum plenis *lege* periclitantibus, *ut sensus sit clarior.*) Sponsi immortalis, universorum Domini, amore succensa Ripsimia excoriata est, corporearumque affectionum ignobilem saccum continentiæ virtute conscidit : unaque cum illa etiam veneranda certavit Gaiana, Virginumque ducens chorum, constanter in acie stetit, dejiciens veteris Evæ supplantatorem : quam meritis honoribus prosequentes, tuas, Christe, celebramus laudes (*Pro* corpnrearumque *lege*, quæ prius corporearum.) *Reliqua omnia, quibus* S. Gregorius, *ut fortissimus Martyr, ut Doctor præstantissimus, ut idolorum Eversor, ut Armeniæ Apostolus, variis modis decantatur, brevitatis gratia* F *prætermitto.*

pauca recitantur elogia.

17 *Post aliam vitam, quam Gravina edidit italice, data est alia collectio* Canticorum, versiculorum, canonum, odarum, tonorum etc. in laudem S. Gregorii Armeniorum episcopi, *quæ* ex antiquo codice monasterii Cryptæ Ferratæ *græce primum exscripta, et sic in Latinum sermonem translata fuerunt, ut liquet ex testimonio inferius addito. Ex his pauca, quia omnia ex Actis composita sunt, breviter attingam. Primum laudatur* Gregorius, *ut* Christi Hierarcha atque princeps sacerdotum, *ut* Ecclesiæ præstantissimus splendor, *ut qui* existentes in ignorantiæ errore *reddidit* filios lucis religiosis dogmatibus, *ut* omnium, in fide ipsum glorificantium, intercessor. *Tum celebratur ut Martyr* cum Gaiana ac Ripsimia. *Mox ut qui prædicatione sua* innumeras multitudines *ad Christum adduxit,* ac decies centena millia baptizavit, et idolorum abominationem *expugnavit. Deinde conservatio* Gregorii

A gurii *in lacu, et sanatio regis Teridatis decantatur.*

quibus etiam celebrantur Ripsima et Gaiana.

18 *In altero cantico constantia* S. Gregorii *in multis ac diuturnis tormentis laudatur, et mox* SS. Ripsimiæ *et* Gaianæ *virtutes et certamina perstringuntur. Eadem aliis semper et aliis verbis, ut in carminibus fieri solet, frequenter repetuntur. Itaque, missis reliquis, solum ex Ode septima subjungo nonnulla :* Veluti alterum Paulum, Gregori, universa Armenia te habet ac veneratur : ac per te in Christum fidem cognovit : edocta est multis tuis sudoribus, Martyr : a vana idolorum affectatione cultuque liberasti. *Tum de Virginibus:* Mulieres duo (Deo *legendum suspicor, aut* duæ) dignæ viriliter se gesserunt, fide animas curroboraverunt : et carnem per Christum despicientes, contra idolorum errorem restiterunt, et nunc coronis exornatæ sunt. *Hic videntur Virgines laudari, ut passæ pro fide; at in plerisque rectius celebrantur ob defensam virginitatem. Etsi enim procul dubio paratæ essent pro fide pati, non tamen in Actis leguntur sollicitatæ ad fidem negandam. Mitto reliqua, et solum observo, festivitatem* S. Gregorii *verisimi-*
B *liter celebrari per totam ecclesiam Græcorum et Moscorum, idemque fieri suspicor per totum patriarchatum Alexandrinum et Antiochenum, cum in illorum Fastis eodem die commemoretur, ut dictum est. Verumtamen in synaxario Sirmondi in fine prolixi elogii additur, synaxim sive festivitatem* S. Gregorii *peragi, in sacra æde sancti Theodori martyris,* quæ est prope Tetrapylum æreum, πλησίον τοῦ χαλκοῦ τετραπύλου. *Ut locum inquirat, ubi fuit* Tetrapylum æreum *multa disserit Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 2, pag. 178 et 179. Fuerit ibi peracta festivitas Sancti mojore solemnitate.*

Reliquiæ S. Gregorii translatæ,

19 *Colitur etiam* S. Gregorius *Armenus aliquot locis in ecclesia latina ob reliquias ad illa translatas. Priusquam id clarius explicem, juvabit huc transferre, quæ de reliquiis* S. Gregorii *tradit jam laudatus Galanus pag. 37. Relato Sancti obitu in solitudine, omnibus primum ignoto, et sepultura corporis per pastores, qui illud invenerant, ex Breviario ordinis Prædicatorum Armeniorum hæc subjungit:* Verum tempore Zenonis imperatoris apparuit Sanctus in somnis cuidam eremitæ, eumque monuit, ut inde corpus
C ipsius abducens, in propinqua civitate Tuordan sepeliret; quemadmodum et ille continuo fecit. Sed postea, cum Græcorum rescivisset hoc imperator, jussit illud transferri ex eo loco Constantinopolim, quadam solummodo parte ibidem relicta. *His ex Breviario Armeno allatis, subjungit Galanus aliqua, de quibus ulterius agam num. 39. Hic tamen verba dabo :* In hac vero sacrarum reliquiarum apud Armenios relicta parte puto utrumque fuisse lacertum, qui nunc auro gemmisquo pretiosis ornatus, pluris est apud eos, quam omnes omnium divitiarum thesauri : et alter in Majoris Armeniæ civitate Vagarsciabat, in ecclesia patriarchali, olim sede ejusdem Gregorii : alter vero Siside in Cilicia, in templo item patriarchali sanctæ Sophiæ, magna colitur Armeniorum frequentia et devotione.

et ex iis pars in cathedrali Neritonensi, caput Neapoli apud moniales,

20 Sed ex reliquiis, primo delatis Constantinopolim, indeque postea in Italiam, brachium, in ecclesia cathedrali Neritonensi depositum, multis claret miraculis, præsertim in impetrandis a Domino pluviis civibus, qui propterea eumdem Martyrem sibi patronum elegerunt. Caput vero sacrosanctum cum catenis et fragmentis virgarum, quibus Vir Dei pro Christo ligatus, et cæsus fuerat, religiosissime asservatur Neapoli in illustri quodam cœnobio monialium S. Benedicti, in quo templum est antiquitate conspicuum, sacro ejusdem beatissimi Patriarchæ nomini consecratum, vulgo dictum, Santo Lighuor, nomen corruptum ex Armeno vocabulo Grichuor, quod interpretatur Gregorius. Huc solent interdum ad sui Patriarchæ caput venerandum ex Magna usque Armenia accurrere peregrini : quos et benigne suscipere, et votis eorum plene satisfacere, nunquam omittunt magnanimæ ac piissimæ moniales illæ : quarum profecto, sicuti præclara generis animique nobilitas satis in ea est celebris civitate, ita et per universam pariter Armeniam maximopere celebratur ipsarum accurata in pretiosis istis reliquiis excolendis honorificeque tractandis diligentia, pietas, religio; imo et humanitas quoque in dictos peregrinos Armenos.

AUCTORE J. S.

ubi plures celebrantur Sancti festivitates,

21 *Tum, post pauca verba, de cultu ait :* Quo etiam die (30 *Septembris*) celebratur festum illius a prædictis sanctimonialibus, et ab ecclesia Neritonensi, solemniter duplex primæ classis cum octava et Officio proprio : sed a clero Neapolitano, die prima Octobris ad libitum duplex E minus. *Ad hæc respicit auctor, quando inferius ita monet :* Hæc ultima, *inquit,* præcipue dixerim, ut cunctis notum fiat Armenis, falsam omnino esse suorum hæreticorum calumniam : qui, et eos ab obedientia Apostolicæ Sedis avertant, non cessant in vulgus jactare, nos Latinos sacrosanctum ipsorum patriarcham Gregorium non recipere : quamobrem opus habui sæpissime plerosque ex incauta plebe, qui mecum hac de re graviter querebantur, de calumniæ falsitate reddere certiores. *Hactenus auctor, qui eadem de causa et reliquas* S. Gregorii *apud moniales Neapolitanas et in ecclesia Neritonensi festivitates addere potuisset, nisi ille postea fuissent abrogatæ, quod factam non existimo. Nam die 13 Junii celebratur Translatio* S. Gregorii, *ut apud nos ad illum diem fuit indicatum in Prætermissis. Alia rursum festivitas agitur 13 Octobris, eaque olim vocabatur* Solemnitas depositionis. *Festum vero 30 Septembris, vocabatur* Eductionis de puteo. *Habemus triam istorum festorum Officia anno* 1631 *Neapoli impressa. In quibus omnia fere sunt eadem, lectiones tamen diversæ. Tunc autem Depositio celebrabatur cum octava die 13 Octobris.* F

videlicet die 30 Septembris præcipua cum Octava,

22 *At nonnulla de his postea sunt mutata, ut colligo ex Officio, quod impressum est anno 1634, et rursum ex impresso anno 1636. De priore approbato hæc in fine leguntur:* Præsens Officium, ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali De Torres revisum et recognitum, sacra Rituum Congregatio approbavit, recitandum pro die 30 Septembris in civitate Neritonensi, et a monialibus sancti Gregorii civitatis Neapolitanæ sub ritu duplici primæ classis, et cum Octava, prout in Octavario Romano; et a clero per civitatem Neapolitanam ad libitum die prima Octobris sub ritu duplici minori sine Octava juxta rubricas. Datum hac die 26 Septembris 1634. *Subscriptum est.* C. Episcopus Portuen. Card. Pius. *Et inferius:* Julius Rospigliosus secret. *Ex hoc jam habemus, præcipuam festivitatem cum Octava tunc positam fuisse die* 30 *Septembris. Post impressum anno* 1636 *Officium, aliud decretum, ab eodem Cardinali subscriptum, sic inchoatur :* Sacra Rituum Congregatio prohibuit, tam in civitate Neritonensi, quam in civitate Neapolitana, et ubivis locorum, omnem aliam recitationem Officii proprii pro die festo S. Gregorii Armeni

AUCTORE J. S.

meni ejusque Octava, quam revisam, et approbatam per hanc eamdem sacram Congregationem sub die 16 Septembris 1634, *id est, decreto mox dato.*

aliæ ad 13 Octobris et 13 Junii sive Octava. Hymnus

23 *At abrogatas non esse alias festivitates, sed solum alia officia, colligitur ex observatione, quæ post hoc officium rubris litteris subjungitur, et sic habet :* In diebus 13 Octobris, et 13 Junii. Officium prædictum recitatur, sicut in die 30 Septembris, absque Octava. *Concessum porro est monialibus prædictis, ut id Officium reduceretur ad formam monasticam, et sic pro iis imprimeretur. In laudato officio præter lectiones, quæ ex Actis per Metaphrastem scriptis compositæ sunt eo modo, ut facta reliquis magis incredibilia breviter tantum attingantur, multa reperiuntur Sancto propria, videlicet omnes antiphonæ, hymnus, oratio. Hymnus autem ad Vesperas hic est.*

Lux o decora, Gregori,
Nostris refulge mentibus,
Te prævio, videbimus
Solem perennem gratiæ.
Tu clara gemma præsulum,
Excellis inter martyres,
Longos per anni circulos
B Tormenta passus horrida.
Tu voce curans corpora,
Cæcasque mentes inclytus
Illuminans miraculis,
Nutu fugasti dæmones.
Bonis procul fugacibus,
Amplexus es cælestia,
Spretorque mundi, cælitum
Gaudes politus præmiis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclyto
Nunc et per omne sæculum.

et alia quædam ex Officio

24 *Antiphonæ ad Vesperas et laudes hæ sunt. Prima :* Gaude Mater Ecclesia, adsunt festa solemnia Armeniæ Pontificis et martyris Gregorii. 2. Lapide ad collum alligato, prædicabat Gregorius Dominum Jesum Christum. 3. Sollicitus pastor gregis Christi fuit Gregorius, ac strenuus dæmonum debellator. 4. Idolorum templa destruxit, et sanctis Martyribus nobiles basilicas ædificavit. 5. O lux Armeniæ, qui martyrio coronari, et inter pontifices numerari digne meruisti. *Ad Magnificat in primis Vesperiis :* O lux
C Ecclesiæ, doctor veritatis, pontifex Armeniæ, norma charitatis, prædicator gratiæ, deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluia. *In primo Nocturno* 1. Probatus in Christo et perfectus inventus est, ideo data est illi gloria æterna. 2. Præcepto regis non obedivit Gregorius, coronas laureas diis offerri præcipientis. 3. Præco salutis doctrina Euangelica Armenos erudivit. *In 2 Nocturno* 1. Suspensus in equuleo Gregorius, laudabat Dominum Salvatorem. 2. Glorificavit eum Dominus in conspectu regis, et ostendit illi gloriam suam. 3. Quasi sol refulgens, sic effulsit Gregorius in templo Dei. *In tertio Nocturno* 1. Fuit magnus in Armenia magna, maximus in salutem electorum Dei. 2. Directus est divinitus in pœnitentiam gentis, et tulit abominationem impietatis. 3. Virtutes multas et miracula per beatum Gregorium Dominus fecit. Alleluia.

recitantur.

25 *Responsoria sunt cum Psalmis de communi Martyris præter octavum, quod sic habet :* Gaudet in cælis beatus Gregorius Armeniæ pontifex, gloria et honore coronatus, qui pro Christi nomine varios et graves sustinuit cruciatus. ℣ Dedit illi Dominus fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus *etc. Ad Benedictus* D *hæc est antiphona :* O Pastor egregie Gregori, lux Armeniæ, qui radiantem lumine cum angelorum agmine Regem vidisti gloriæ, vota precantium suscipe, qui laudes tuas hodie personant. *Ad Magnificat in secundis Vesperis :* O Gregori martyr Christi, esto memor nostri, ut tuis precibus adjuti, æterna gaudia mereamur consequi. Alleluia. *Oratio demum hæc legitur :* Deus, qui per beatum Gregorium, pontificem et martyrem tuum, Armeniæ gentis populum regemque veræ fidei lucem recipere tribuisti, da Ecclesiæ tuæ de tantis gaudere triumphis, et apud te meritis ejusdem et precibus adjuvari. Per Dominum. *etc. Hæc omnia, quæ saltem probabilia sunt, et pleraque satis certa, colligere volui, ut studiosus lector, quem nimiæ Actorum exaggerationes merito offendent, præcipua Sancti decora hic habeat collecta.*

Sanctus Neriti, ubi reliquiæ, patronus et Officio etiam menstruo cultus.

26 *Quæ hactenus dicta sunt de cultu* S. Gregorii *in ecclesia Neritonensi, ortum habuerunt ex Sancti reliquiis eo olim delatis. Nam, acceptis Neriti* S. Gregorii *Armeni reliquiis, hic specialis ab eo populo electus est patronus, ut dicitur in documentis mss. Neritonensibus, quæ anno* 1718 *huc* E *missa fuerunt. In iisdem asseritur, monachas Græcas ordinis S. Basilii, ob persecutiones in Oriente et Armenia vigentes contra catholicos, fugisse per mare versus Italiam, secumque tulisse corpus* S. Gregorii *Armeni, et cum eo appulisse Neritum, ibique optime exceptas fuisse, et in gratiarum actionem ex allatis reliquiis donasse Neritonensibus brachium dexterum* S. Gregorii *Armeni. Tempus, quo res peracta esset, non additur. Bonuccius in vita pag.* 132 *existimat, rem ita fere peractam esse sub Constantino Copronymo, ex mera verisimiliter conjectura, creditque prætерea cum Galano, cujus verba num.* 20 *data, prius Constantinopolim translatum fuisse corpus, indeque fugisse moniales; reliquias vero Neritonenses vocat carpum. Addit laudatus scriptor, uti etiam habent dicta documenta mss., Neritonensibus a sacra Rituum congregatione demum fuisse concessum, ut, præter festivitates ante dictas, semel singulis mensibus officium* S. Gregorii *peragere liceret. Hoc obtinuit illustrissimus dominus Antonius Sanfelicius, tunc episcopus Neritonensis, anno* 1712 *secundum documenta nostra, aut* 1713 *secundum Bonuccium.* F

Occasio, qua reliquiæ Neapolim translatæ, minus certa

27 *Porro in laudatis documentis ulterius asseritur, reliqua Sancti ossa, et instrumenta aliquot martyrii ab aliis monachis et monialibus Neapolim translata esse. Baronius in Annotatis ad Martyrologium die* 11 *Junii, occasione translati Romam corporis S. Gregorii Nazianzeni de translatione* S. Gregorii *Armeni opinionem suam ita exponit :* Eadem autem exigente occasione (*nempe fuga sanctimonialium, pudicitiæ suæ consulentium*) aliæ sanctimoniales ex Oriente profugæ, deferentes et ipsæ secum ecclesiæ suæ sacra pignora, reliquias venerandas, et inter alias sacrum caput S. Gregorii Armeni episcopi, cum appulissent ad litus Campanum, a Neapolitanis honorificentissime exceptæ sunt; erectoque templo in honorem tanti Episcopi, ac monasterio superaddito, ibidem sancte pieque vixerunt : quibus succedentes Neapolitanæ virgines, usque ad præsens sæculum sub habitu et regulis S. Basilii vixerunt; licet postmodum, cum Latinas sub Latinorum monachorum regulis monasticam vitam colere, congruere magis esset visum, et ipsæ se Benedicti regulis subdiderint. Hæc autem, Neapoli

A poli cum essem, ex antiquis ejusdem ecclesiæ monumentis didici. *Hæc Baronius, cui recentiores vitæ* S. Gregorii *scriptores fere consentiunt de occasione translatarum Sancti reliquiarum Neapolim. Hæc tamen pro certis habere non possumus. De origine et antiquitate monasterii monialium* S. Gregorii *plurima adduxit Gravina in vita part.* 2, *quæ prætermitto, cum nequeam ex illis eidem certam attribuere epocham, aut magis confirmare relatum modo translationis occasionem.*

Caput Neapoli apud moniales cum aliis aliæ

28 *De numero reliquiarum, quæ servantur Neapoli, non video omnes consonare. Baronius in Annotatis ad* 30 *Septembris eas sic recenset:* Hujus (*Gregorii*) venerandum caput, una cum catenis, quibus vinctus, et virgarum fragminibus, quibus cæsus est, Neapolim ex Oriente translatum, in nobili ecclesia in ejus honorem erecta apud sanctimoniales, ordinis S. Benedicti, olim autem S. Basilii, religiosissime asservatur. *Eædem tantum reliquiæ enumerantur in officio ante laudato his verbis:* Ejus sacras reliquias christiani, ex Armenia ad hostibus capta fugientes, in Italiam transtulerunt, et Neapoli sacrum ejus caput cum catenis, quibus vinctus, et virgarum frag-
B minibus, quibus cæsus fuerat, deposuerunt in nobili ecclesia in ejusdem honorem erecta; brachium vero in ecclesia cathedrali Neritonensi. *Aliunde tamen dicendum videtur, plures alias* S. Gregorii *reliquias servari Neapoli, dictasque solum memorari in officio, quod magis innotuerint, et serventur apud illos, quibus officium fuit concessum. Certe in documentis mss. Neritonensibus asseritur, corpus in Italiam* translatum, *brachium Neriti relictum, ex translatis Neapolim caput monialibus cessisse, et reliquum corporis ecclesiæ S. Laurentii, quæ est Franciscanorum Conventualium.*

particulæ in aliis ecclesiis. At caput aliquo tempore fuit

29 *Hisce consentit Josephus Antonius de Fabritiis in vita S. Thomæ Italica, cui inseruit enumerationem reliquiarum regni Neapolitani. Nam pag.* 130 *hæc scribit italice, quæ reddo latine:* In ecclesia S. Laurentii patrum Minorum Conventualium est corpus S. Gregorii episcopi Armeniæ. *Non intelligi totum corpus, sed ossa aliquot, quæ* corpus *more multis usitato vocantur, liquet ex aliis ejusdem scriptoris locis. Certe pag.* 142 caput et alias S. Gregorii *Armeniæ* reliquias *attribuit dictæ ejusdem monialium ecclesiæ,*
C vulgo S. Liguoro *nominatæ. Præterea pag.* 112 *enumerans reliquias, quæ conservantur in sacello ecclesiæ cathedralis, quod vocatur* Thesaurus, *sic habet:* Pars illarum reliquiarum S. Gregorii episcopi Armeniæ, quæ conservantur in Ecclesia, dicta S. Liguoro. *Jam vero quæ sint ossa et qualia, quæ haberi dicuntur in ecclesia S. Laurentii, non discutiam. Id tamen observo, ipsum quoque* S. Gregorii *caput ibi fuisse sub initium sæculi* 17, *notabilique tempore in illa ecclesia permansisse, prout refert Gravina in Vita Italica part.* 2 *cap.* 4. *Quærit ibidem per conjecturas, quo id modo contigerit, cum constet, caput antea conservatum fuisse in ecclesia monialium, ut indubitatum fit vel ex solo Cardinalis Baronii testimonio: Baronius enim caput monialibus attribuit, scripsitque annis fere quinquaginta, priusquam illud postea monialibus fuerit restitutum.*

in ecclesia S. Laurentii, relatumque est ad moniales an. 1628.

30 *Itaque laudatus Gravina, qui scripsit paulo post capitis restitutionem, conjicit sacrum Gregorii caput Religiosis Conventualibus commissum fuisse a monialibus pro custodia, sed tanto tempore in illorum ecclesia mansisse, ut jam suum illi crederent, et restituere detrectarent. Adeo tamen instituerunt moniales apud Superiores Conventualium, ut restitutio fuerit facta, intercedente permutatione, cum aliqua ex reliquiis S. Laurentii. Quare, teste Gravina pag.* 185, *anno* 1628, *die* 7 *Octobris, prædictum caput traditum fuit Guardiano Conventualium Paulo Barensi, et ab eo, die* 9 *ejusdem mensis, præsentibus viris aliquot illustrissimis, portatum ad monasterium monialium, ubi magno cum gaudio exceptum fuit ab abbatissa Eleonora Pigniatella. Sequenti anno* 1629, *die* 6 *Februarii latum fuit* Decretum de identitate capitis S. Gregorii archiepiscopi Armeniæ, *quod impressum apud Gravinam legitur die* 9 *ejusdem mensis. Hoc decreto* Alexander Lucianus,... Cardinalis Boncompagni archiepiscopi Neapolitani auditor, *et in hac causa* Judex *ab eodem* deputans, *præmisso debito examine, declaravit,* legitime constare, dictum caput, *quod erat redditum,* et aliam reliquiam,... esse caput et reliquiam sancti Gregorii martyris, episcopi Armeniæ Majoris. *Idem declaravit de reliquia S. Laurentii a monialibus reddita, et utriusque debita veneratio permittitur.*

Incertum, an corpus fuerit Constantinopoli.

31 *Hæc sufficiant de reliquiis Neapolitanis, de quibus aliqua manent incerta, nimirum utrum eo allatæ sint recta ex Armenia, an vero prius Constantinopolim fuerint delatæ, ut credidit Ga-* E
lanus num. 19 *laudatus. Hoc vix credere possum, cum ea de re apud scriptores rerum Constantinopolitanorum nihil inveniam, nec ullam mentionem de ecclesia aliqua* S. Gregorii *Armeni, cum verisimiliter hæc ædificata fuisset Constantinopoli, si eo delatum fuisset corpus. Itaque incertum mihi est, unde memoratæ reliquiæ Neapolim venerint. Æque incertum videtur, unde suas acceperint Neritonenses, quæ facile Neapoli eo mitti potuerunt. Mox enim videbimus, in Armeniam ipsam, indeque in Persidem Sancti reliquias Neapoli acceptas pervenisse. At pauca prius dicenda sunt de cultu Sancti Liburnum propagata per ipsos Armenos.*

Ecclesia magnifica S. Gregorio Liburni dicata,

32 *Bonuccius in vita* S. Gregorii *Armeni cap.* 13 *refert, se Liburni vidisse templum magnificum, sub initium hujus sæculi* S. Gregorio *dicatum. Fundamenta sacræ hujus ædis jacta sunt anno* 1701, *ut habeo ex notitiis mss. huc Neapoli olim transmissis. Fundator fuit nobilis Armenus, quem ait Bonuccius descendisse ex stirpe Theodati Oglanchescise, principis in Albania, eique multos honores* F
fuisse, variaque privilegia concessu ab Innocentio papa XII: nam et civis romanus, et comes Lateranensis, et eques militiæ auratæ ab Innocentio creatus est, prout etiam habent notitiæ nobis transmissæ, quæ similiter habent, ex Theodato Albaniæ principe oriundum fuisse Agam ecclesiæ fundatorem. Nomen ejus erat Aga Matthus Terterenz et Oglaochescise, *immensamque pecuniæ summam pro constructione dicti templi expendere debuit, cum et multa fuerint in eo ex pretioso marmore constructa, et alia enumerentur plane magnifica in descriptione Italica, quam in notitiis huc missis habeo. Illam brevitatis causa omitto, præsertim cum nesciam, an post mortem baronis Armeni, qui defunctus est anno* 1709, *et nonnulla adjungere volebat ornamenta, forte alia quædam adjecta non fuerint.*

in qua divina Officia obeunt missionarii Armeni.

33 *In dicta ecclesia anno* 1718, *qua illæ notitiæ ad Janningum nostrum missæ fuerunt, divina officia obibant missionarii Armeni ex collegio de Propaganda fide. Geminam inscriptionem in laudem fundatoris positam ex iisdem notitiis huc transfero. Prima supra ejusdem sepulcrum sic habet:*

Aga

AUCTORE J. S. Aga de Matthus Oglauchescise Armeno, Disæ et Cuciabas baroni, auratæ militiæ equiti, Lateranensis palatii comiti, summis principibus caro, et templi hujus conditori amplissimo, Armenorum natio, maximis eis devincta meritis, hoc grati memorisque animi monumentum posuit. Obiit Idibus Septembris anno S. 1709, ætatis suæ 74. *Altera in frontispicio porticus posita ita sonat :* Templum hoc Aga de Matthus, comes et baro Armenus, vir præstantia et celebritate eximius, ut cultus Dei, et Catholica fides a piis civibus Liburnensibus, et in primis a natione Armena, in dies magis augeretur, ac omnium totius orbis hominum, ad hanc urbem advenientium, animus cælestem portum facilius appeteret, ingentibus propriisque impensis a fundamentis magnificentissime erexit anno 1701. Tanti beneficii memores Armeni hoc perenne grati animi monumentum posuere. *Hactenus de magnifico illo templo, quod duodecim monachis et episcopo Armeno destinaverat fundator, sed morte præventus omnia exsequi non valuit.*

B

§ III. Alia quædam de cultu, reliquiis, et ecclesiis SS. Gregorii, Ripsimes et Gaianæ apud Armenos in variis regionibus.

Ad preces missionarii apud Armenos

N*ecesse modo est, ut regrediamur tantisper in regiones Orientales, et addamus nonnulla de cultu Sanctorum nostrorum ex litteris Missionariorum. Laudatus Bonuccius in fine vitæ pag. 200 recitat Epistolam P. Jacobi Villotte, missionarii Societatis Jesu, anno 1712, die 17 Novembris, datam ad illustrissimum dominum Antonium Sanfelicium, episcopum Neritonensem. Cum illa et de reliquiis Sancti agat, et de cultu ejus variis locis, ubi degunt Armeni, totam huc transfero :* Illustrissime Domine. Quoniam hoc mihi onus imposuit Illustrissima vestra dominatio, ut de cultu, D. Gregorio Armeniorum patriarchæ ab Armeniis deferri solito, nec non de reliquiis ejusdem Sancti, ante annos circiter 18 in Armeniam transmissis ad C patres Societatis Jesu, si quid rescirem, illud ei paucis declararem, tam piis illustrissimæ dominationis vestræ mandatis libenter obtempero.

Neapoli in Armeniam transmissæ S. Gregorii reliquiæ,

35 Anno 1692, cum agerem Erzerunti, quæ præcipua Majoris Armeniæ civitas est Turcicæ ditionis ; videremque Armeniorum, qui illic magno numero degunt, in addiscendis Christianæ legis institutis singulare studium, sic ut plerique, eiuratis Monophysitarum erroribus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomen darent ; ego fovendæ augendæque illorum pietati Romam litteras dedi ad patrem e Societate mihi in primis amicum, enixeque rogavi, ut insignes aliquas D. Gregorii, primi Armeniorum patriarchæ reliquias, ex iis, quæ Neapoli asservabantur, impetraret, et ad me transmitteret Erzeruntem. Sic enim existimabam Armeniis ad amplectendam fidem orthodoxam maximum incitamentum fore, si coram venerari possent reliquias sui sanctissimi. Patriarchæ, a quo se primum fidei lucem accepisse gloriantur : unde illum Illuminatorem vulgo appellant. Romæ dum res agitur, labitur annus integer, tandemque anno 1694, die 8 Decembris, ad me pervenerunt Erzeruntem D tam diu exspectatæ reliquiæ, cum litteris testimonialibus eminentissimi ac reverendissimi Domini Jacobi, tituli SS. Petri et Marcellini presbyteri Cardinalis Cantelmi, archiepiscopi Neapolitani, qui ad PP. Societatis Jesu, in utraque Armenia missionarios, prædictas reliquias transmiserat, instante pro iisdem missionariis illustrissimo domino Antonio Sanfelicio, tunc temporis canonico metropolitanæ ecclesiæ Neapolis, nunc autem episcopo Neritonensi, ubi patronus principalis est idem D. Gregorius Armeniorum episcopus.

indeque Constantinopolim delatæ,

36 Accingebam me tunc temporis ad iter Constantinopolitanum, componendis negotiis quibusdam, quæ ad missiones pertinebant. Sacrum pignus detuli mecum Constantinopolim, ubi reliquiis ab illustrissimo ac reverendissimo domino Gaspare Spiga, Constantinopolitano episcopo et patriarcha vicario rite recognitis et approbatis, primus illis honos deferri denique cœpit 15 Augusti, qui beatissimæ Virgini in cælum Assumptæ sacer est, anni 1695 Galatæ, quod Constantinopolis suburbium est, in templo S. Benedicti missionis patrum Societatis Jesu. Sacrum solemne E fecit doctor Armenius : concionem habuit doctor alter ejusdem nationis. Confluxerat in templum nostrum infinita Armeniorum multitudo : qui, peracto Sacro, non stantes, sed reptantes in genibus accesserunt ad altare viri ac mulieres, singularique reverentia ac pietate Illuminatoris sui sacras reliquias deosculati sunt ac venerati.

tandem in Persidem transferuntur, et prope Ispahanum

37 Elapsis deinde annis quatuor, cum Constantinopoli rediissem Erzeruntem, atque inde profectus essem Ispahanum, quæ Persarum imperii et primaria et regia civitas est ; quoniam maximum illic esse videbam Armeniorum numerum, religionisque officia longe liberius splendidiusque exerceri tuto posse, quam Erzerunti ; statui sacras divi Gregorii reliquias addicere templo S. Josephi missionis Societatis Jesu in splendidissimo Ispahanensi suburbio, quod Julfa dicitur, ubi Armenii omnes habitant. At vero hoc unum me angebat, quod inclusæ essent reliquiæ in theca parva argentea adeo humili, ut super altare posita vix appareret. Quare summopere desiderabam illam transferri in thecam aliam altiorem : unde adstantium oculis facilius pateret. F Votis meis favit Deus optimus maximus. Exeunte quippe vere anni 1699 Ispahanum pervenit illustrissimus ac reverendissimus dominus Petrus Paulus Palma, Ancyranus archiepiscopus, a sacro Carmelitarum Discalceatorum ordine assumptus, qui in aula regis Persarum tum summi Pontificis tum etiam imperatoris legati munere fungebatur. Egi cum illo de translatione reliquiarum, quam se libentissime facturum ultro promisit.

in coloniæ Armenorum Julfa deponuntur in ecclesia Societatis Jesu.

38 Tunc ego curavi confici thecam, ut in illis regionibus, satis elegantem : die 18 Octobris anni 1699 facta est solemnis reliquiarum translatio. Aderant Armenii bene multi : habita est in templo nostro supplicatio publica, in qua divi Gregorii reliquiæ sub baldachino ab illustrissimo archiepiscopo deferebantur : baldachinum sustentabant a quatuor angulis Armenii quatuor nobilitate præcipui, quibus adstabant cum facibus e primatibus alii quatuor : sequebatur populi numerosissima multitudo, totusque ille dies plenus fuit spiritualium gaudiorum. Eædem sacræ reliquiæ in prædicto Societatis

A tatis Jesu templo honorifice asservantur, et ab Armeniis religiosissime coluntur. Festum S. Gregorii ibidem celebratur 1 Octobris : Officium sub ritu duplici cum Octava. *Sequitur subscriptio. Pauca modo veniunt observanda.* Julfa, *alias* Sulfa *aut* Zulfa, *suburbium Ispahanense hic dictum, ab aliis vocatur* civitas *eaque justæ magnitudinis, media circiter pedestris itineris hora Hispahano dissita. Est colonia Armeniorum, quam eo traduxit rex Persarum Abas, qui sæculo 16 et 17 Persidem diu administravit, eaque colonia in urbem non modicam excrevit. De ea ulterius consuli possunt Dictionaria geographica, et Monumenta missionum Societatis Jesu in Oriente, gallice scripta, tom. 3, pag. 48.*

Ecclesia patriarchalis Armeniæ S. Gregorio dicata.

39 *In laudatis monumentis alia quædam ad propositum nostrum conducunt. Galanus num. 19 laudatus ait, ex reliquiis* S. Gregorii *in Armenia fuisse relictum, ut existimat,* utrumque lacertum. *Alterum ex his ponit* in Maioris Armeniæ civitate Vagarsciabat, in ecclesia patriarchali, olim sede ejusdem Gregorii. *Recte eas reliquias collocat* in ecclesia patriarchali : *at civitatem* Vagarsciabat *nullus hodie inveniet, cum*
B *non amplius exsistat civitas ipsa, sed eo loco, ubi fuisse creditur, amplum fit monasterium, in quo habitat Maioris Armeniæ patriarcha, ut ipse Galanus alio loco explicat. Princeps hujus monasterii ecclesia, eaque patriarchalis, dicata est* S. Gregorio. *Audiamus itaque de illo monasterio Missionarios Armeniæ, qui accurate omnia investigarunt, et in Monumentis laudatis tom. III, pag. 42 hæc gallice dedit Monierus:* Tribus milliaribus Gallicis ab Erivano versus Erzeruntem situm est celebre monasterium Ichmiadzin vel Echmiadzin, quod etiam nominatur Monasterium Trium Ecclesiarum, locus ordinariæ habitationis patriarchæ Armeniæ. *Erivanum, aut* Erivan, *metropolis est ditionis Persarum in Armenio, et Erzeruntum, vulgo* Erzerom, *vicissim ditionis Turcarum; situmque est monasterium in ditione Persica.*

eaque vetusta : ibidem alia S. Ripsimes, alia S. Gaianæ.

40 Constat quatuor amplis ædificiis, quæ vastam formant aream, longam magis quam latam, in qua basilica patriarchalis ædificata est structura vetusta et solida ex lapide sectili... Echmiadzin etymologia sua significat Descensum Filii Unigeniti, quia secundum vetustam traditionem Jesus
C Christus in illo loco apparuit S. Gregorio Illuminatori, Armeniæ apostolo, cui dedicata est ecclesia. Pro certo etiam in illa regione creditur, Teridati, primo Armeniæ regi Christiano, in illo loco fuisse palatium, idque illum cessisse S. Gregorio : et palatium istud fuisse in medio magnæ urbis regni metropolis, cui nomen erat Vagarsciabat : cujus tamen nullum superest vestigium. Ecclesia monasterii tenebrosa est, sed dives vasis sacris et ornamentis. Quandoquidem illa præcipuæ venerationi sit Armeniis, populus in pietatem propensus liberaliter subministrat ad eam ornandam... Duæ aliæ hujus monasterii ecclesiæ sunt extra ejus ambitum. Altera dedicata est S. Caienæ (*nobis* Gaianæ) altera S. Ripsimæ (*nobis* Ripsimæ.) Traditio habet, duas hasce Sanctas fuisse nobiles virgines Romanas, easque, ut crudelitati Diocletiani se subducerent, fugisse in Armeniam cum aliis viginti tribus *etc. Deinde pag.* 135 *de Philippo Armeniæ patriarcha Catholico, cujus initium refertur ad annum* 1632, *idem scriptor refert, ab eo instauratam fuisse ecclesiam* SS. Ripsimæ *et* Gaianæ. *An ibidem loquatur de ecclesia alia, utrique simul dicata, ignoro. Forte utraque simul reparata est, et scriptor lapsu memoriæ* ecclesiam *dixerit pro ecclesiis : qui lapsus etiam facilius editori obrepere potuit. Galanus cap. 14 ait, suo tempore templum* S. Ripsimes *adhuc* integrum *fuisse, ut* S. Gaianæ *fuisse* semidirutum, *ut hoc fortasse instauratum sit.*

Brachium S. Gregorii in Armenia servatum : de altero quæritur

41 *Hæc mihi interim sufficient de loco, ubi brachium sancti* Gregorii *Galanus memoravit, et de ecclesiis Sanctorum nostrorum ea occasione repertis. Nunc dicenda sunt aliqua de pignore illo sacro. Laudatus Missionarius, qui non modo loca illa diligenter lustravit, sed historias Armenorum pari diligentia perscrutatus est, pag. 76 cum Galano consentit de reliquiis* S. Gregorii *sub Zenone imperatore translatis ad civitatem* Tuordan, *quam gallice* Tuertan *vocat, indeque Constantinopolim. At non excipit duo brachia, prout non excipiuntur in Breviario per Galanum laudato. De relictis vero in Armenia reliquiis hoc solum dicit :* Dextera manus Sancti petita fuit pro monasterio Echmiadzin, ubi etiamnum hodie conservatur et honoratur. *Quapropter ambiguum mihi est, an alia reliquiarum* S. Gregorii *pars, quam* Siside in Cilicia *collocavit Galanus, ibidem revera sit, aut præterito sæculo, quo ille scribebat, omnino fuerit. Cum* E
enim inveniam, illam ipsam manum, quam in patriarchali Majoris Armeniæ ecclesia esse diximus, aliquando Sisidem in Ciliciam fuisse translatam, ibique longo tempore mansisse, suspicio mihi oritur, errorem Galano obrepere potuisse, ut existimaret, idem sacrum pignus, quod Siside olim fuerat, perpetuo ibidem mansisse. Civitas illa, quæ sæculo 13 et 14 regum Armenorum erat metropolis, destructa fuit per Saracenos, et vix nomen habet hoc tempore.

Ecclesia patriarchalis creditur exstructa sæculo 7.

42 *Itaque ex compendio historico patriarcharum Armeniæ, quod concinnavit laudatus Missionarius, vicissitudines dictæ* S. Gregorii *manus examinabimus, unaque considerabimus catalogum patriarcharum Lequieni. De reliquiis Neapoli et Neriti servatis consentit cum Galano, aliisque jam adductis. De reliquiis* S. Gregorii *pag.* 86 *ait, a Kiut, decimo tertio patriarcha Armeniæ, sedem patriarchalem fuisse positam in civitate Thevin, eoque translatas Sancti reliquias. Consentit Lequienus in Oriente Christiano tom. I, col.* 1379, *ubi* Citum *vel* Kint *patriarcham vocat, urbemque* Thevin, *græcis* Tiven *aut* Tiben, *putat esse* Erivanum. *Hoc incidere debuit in sæculum 5 juxta ordinem,* F
quem sequitur. Quod vero habet pag. 90, *ad sæculum 7 spectat :* Nierses III ædificavit palatium patriarchale in Echmiadzin. *Itaque tunc eo verisimiliter portata fuit manus* S. Gregorii. *De ecclesia patriarchali per Niersem III constructa consentit Lequienus col.* 1388, *allatis ex Armenorum Historia, sive ex Galano, his verbis de Nierse :* Quapropter ædificavit magnificentissimum illud gregis rationalis ovile in urbe Vagarsciabat. *Hoc de monasterio sive palatio patriarchali recte exponit Lequienus.*

alia S. Gregorii ecclesia in loco carceris : alia verisimiliter SS. Ripsimes et Gaianæ.

43 *Verum Historia Armena ad propositum nostrum addit :* Ecclesiam quoque in loco purgatorii sancti Martyris in civitate Ardasciat, et templum aliud in urbe Thein. *Post Galanum de loco primo hæc annotat Lequienus :* Purgatorium dicitur puteus, in quo vir sanctus (*nempe* Gregorius) annos quatuordecim ab illo rege (*Teridate*) variis modis afflictus traditur. *At rectius ipsa Galani verba dedisset Lequienus : sic enim non dixisset,* variis modis *in puteo afflictum fuisse* Gregorium. *Nam Teridates* Gregorium *in puteo non afflixit variis modis, cum ne vivere quidem eum*

novisse

AUCTORE J. S.

novisse tradatur. Jam vero dubitandum non videtur, quin illa ecclesia S. Gregorio *fuerit dicata, cum in loco supplicii ejus sit constructa. De templo* in urbe Thein *dicere nequeo, an similiter sacrum fuerit* S. Gregorio. *At paulo ante in Chomita vel Chomida, patriarcha schismatico, Historia Armena dicit apud Galanum pag.* 185 : Hic exstruxit Avan prope ecclesiam SS. Ripsimis et Sociarum. *Verba sic latine dedit Lequienus :* Hic exstruxit prope Avan ecclesiam SS. Ripsimæ et Sociarum. *Alia hæc videtur ecclesia ab iis, quæ prope monasterium patriarchale ædificatæ sunt, et singulæ singulis dicatæ. Forte illa erit, quam sæculo* 17 *instauratam diximus num.* 40. *Breviter etiam hic observare liceat, apud Galanum pag.* 191 *sine idonea ratione Teridati attribui constructionem trium ecclesiarum, quæ sunt in Echmiadzin.*

Sedes patriarchalis translata et cum ea brachium S. Gregorii :

44 *Anno* 1060 *aut circa illum annum, ut habet Historia Armena, et observant Galanus, Lequienus, et laudatus Missionarius, ob Turcarum populationes, sedes patriarchalis ex Armenia Sebastiam Cappadociæ translata fuit; indeque anno* 1171 *Sisidem in Ciliciam, ut iidem rursum consentiunt.* B *De allatis simul* S. Gregorii *reliquiis consonant Missionarius noster pag.* 102 *et Lequienus col.* 1400. *At prior Gregorio patriarchæ, alter Niersi ejus decessori translationem attribuit. Alter quoque civitatem* Sis, *aut* Sisidem, *Minori Armeniæ tribuit, alter Ciliciæ, quia erat in regno Minoris Armeniæ, quod eodem sæculo resuscitatum erat, et principem habebat Catholicum, eaque procul dubio fuit ratio sedem eo transferendi ex ditione imperatoris Græci, ad quam erat translata, dum extinctum fuerat Armeniæ regnum. Jam vero observare juvabit, idem omnino videri brachium aut manum* S. Gregorii, *quæ quoquoversus cum sede patriarchali fuit translata. Itaque si eamdem postea rursum in Armeniam inveniamus translatam; ut revera inveniemus, nulla supererit ratio, cur alteram Sisidi cum Galano tribuamus : neque enim prioribus sæculis inter sedem patriarchalem et Sisidem ulla erat connexio, neque hæc civitas erat sub patriarcha aut rege Armeniæ.*

Capta per Saracenos Siside, ab iisdem ablatum S. Gregorii brachium, sed inde restitutum :

45 *Vergente ad finem sæculo* 13, *dum patriarcha erat Stephanus II, civitas Sisis per sultanum Ægypti capta est, et ablata* S. Gregorii *dextera, ut consentiunt auctores jam sæpe laudati. In Historia Armena apud Galanum pag.* 403 *res sic narratur :* Tempore istius (*Stephani patriarchæ*) magnum accidit infortunium. Impios enim ac in- C fidelis saltanus Ægypti sedem divi Gregori Armeniorum Illuminatoris evertit, Armenosque propemodum omnes occidione trucidavit, reliquos secum ducens captivos una cum Stephano eorum patriarcha, qui ibi diem suum obivit. Similiter et sancti Illuminatoris nostri Gregorii dexteram, et aliorum sanctorum martyrum reliquias, et partem sacrosanctæ Crucis Domini nostri secum illuc asportavit. Sed ingrediente illo cum sacris hisce reliquiis in regnum suum, punivit Dominus populum ejus pestilentia, quemadmodum accidit Philistæis per arcam Testamenti, adeo ut innumeri pene forent, qui moriebantur : nec plane umquam ab eis indignatio Dei cessavit, quousque sanctam admirandamque divi Gregorii dexteram restituentes, ad piissimum regem nostrum Haytonem remiserunt. *Ex hac relatione patet, quanti dexteram* S. Gregorii *facerent Armeni. Dubitandum tamen non est, quin et aliæ reliquiæ fuerint restitutæ, cum non diu post pax fuerit inita.*

id factum circa

46 *De tempore istius facti non consentiunt* D *scriptores, quos ante me habeo, idque factum, quod duo fuerint reges Minoris Armeniæ, quibus nomen erat* Hayton, *et utriusque tempore Armeniam invaserint Saraceni. Hinc Lequienus, non satis consulto ordine suo chronologico, cladem illam fixit anno* 1266, *quo regnabat Hayton I. At, ipso fatente, Stephanus II patriarcha uno tantum anno præfuit, et ejus tempore clades illa contigit : successorem autem Stephani Gregorium VIII ait Armenorum ecclesiæ præfectum* anno circiter 1293. *Itaque Stephanus ejus decessor sedit circa* 1292 *Rectius ergo in Monumentis Armeniæ pag.* 113 *clades refertur ad Haytonem II, et apud Galanum ad tempora Nicolai papæ IV, cujus ibi aliquot litteræ allegantur. Lequienus ergo duas Armenorum clades confudit, et hæc ultima figenda est circa annum* 1292.

Brachio S. Gregorii utebantur in ordinationibus Armeni cum errore :

47 *Porro Armenos non solum magni fecisse, sed etiam abusos esse reliquiis* S. Gregorii, *liquet ex libello Benedicti Papæ XII, quo enumerantur plurimi Armenorum errores apud Odoricum Raynaldum ad annum* 1341, *ubi error nonagesimus octavus arguitur his verbis :* Item Catolicon Minoris Armeniæ (*ipsis patriarcha, qui Siside resi-* E *debat, quando jam alius erat in Maiori Armenia*) tenet apud se ulnam brachii et manum adhuc integram B. Gregorii, qui fuit catholicon, et fuit ordinatus episcopus more ecclesiæ græcæ : quam ulnam et manum dictus catholicon ponit super caput et manus illorum, quos ordinat in episcopos: et dicit, quod, si dictæ manus impositio et brachii non fieret super caput et manus illorum, qui per eum ordinantur in episcopos, non essent ordinati in episcopos, quia impositio dicti brachii et manus faciont consecrationes episcoporum : et propter hoc ipse nullos episcopos ut episcopos recipit, qui ordinati fuerunt per alios catholicon Armeniæ Majoris, quia nullus alius catholicon, nisi ipse, dictum brachium et manum Gregorii habet. *Ridiculus sane error, quem facile deposuerunt, opinor, postquam illo brachio fuerunt orbati. Ex ista interim Pontificis observatione rursus colligitur, unum dumtaxat* S. Gregorii *in partibus Armeniæ utriusque fuisse brachium.*

istud ex ecclesia Sisensi furtim ablatum, relatumque ad vetustam S. Gregorii ecclesiam :

48 *Ablatum revera est ex civitate Sisensi dictum* S. Gregorii *brachium ante medium sæculi* 15, *ut consentiunt Lequienus et Missionarius Armeniæ Monierus, sed prior* circa annum 1441 *factum conjicit; alter circa annum* 1445. *Lequienus rem ita narrat.* Verum, Gregorio X (*alteri IX*) defuncto, monachus quidam, cui Cy- F riaco nomen, hæresis schismatisque tenacissimus, sacrum brachii manusque S. Gregorii pignos, furtim ex ecclesia Sisensi ablatum, in Majorem Armeniam et monasterium Eschmiazin tulit, suisque artibus effecit, ut Catholicus ipse renuntiaretur, ac quidem reliquorum primus, cui soli, utpote sanctissimæ illius thecæ possessori, facultas esset episcoporum per Armenorum diœcesim omnem ordinandorum. *Hoc modo ex Sisensi ecclesia ablatæ sunt istæ* S. Gregorii *reliquiæ, repositaque ad tempus in antiqua ecclesia patriarchali. Quid de iis factum, mox videbimus.* Interim vero Sisenses nihilominus Catholicum ordinare non dubitarunt, qui per Ciliciam Cappadociamque ac regiones vicinas pristino more jura diceret : id quod ad nostram usque ætatem apud illos perseverat. *Itaque tunc non amplius crediderunt, sibi manum* S. Gregorii *necessariam esse ad episcopos ordinandos. At verisimiliter dudum illam opinionem deposuerant, ad instructionem*

summi

A *summi Pontificis, cum omnes posteriores dicantur fuisse Catholici. Vocantur illi modo Minoris Armeniæ patriarchæ, dicunturque legitimi successores* S. Gregorii : *sed hæc ad propositum nostrum non spectant.*

inde quoque furtim translatum, sed postea relatum.

49 *Cyriacus ille, qui reliquias* S. Gregorii *in monasterium Echmiadzin abduxerat, et sic patriarchatum obtinuerat, post biennium ejectus dicitur. Et præter eum, qui in Cilicia residebat, de patriarchatu Majoris Armeniæ tres contenderunt. Tunc, inquit Lequienus,* Zacharias (*unus ex tribus,*) qui in insula Aghtamar prope Erivanum urbem episcopatum gerebat, seque Catholicum jactitabat, S. Gregorii brachium manumque furatus, in eam insulam asportavit, seque adeo, ordinatis eum illa episcopis, summum suæ gentis pontificem esse jactitavit. *De relatis ad monasterium reliquiis subjungit Lequienus :* Zacharia illo in Aghtamar insula defuncto, suffectus illi fuit Joannes IX, qui relato ad monasterium Eschmiazin sacro S. Gregorii pignore, anno 1476 sedis illic patriarchalis compos factus est, una cum Sergio II. *Consonat Monierus pag.* 132 *de ablatis antea et relatis reliquiis. De* B *patriarchis, qui deinde plures simul fuerunt, hic non ago.*

Item in Persidem jussu regis portatum, sed ecclesiæ suæ deinde restitutum.

50 *Sub initium sæculi* 17 *rex Persarum Abas I, cum duo de patriarchatu contenderent, sacras* S. Gregorii *reliquias Hispahanum vel Aspahanum, ut vocant alii, quæ Persarum metropolis est, afferri jussit, ibique multis annis detinuit, ut consentiunt Lequienus col.* 1413, *et Monierus in Monumentis suis pag.* 133. *Hic vero addit, fecisse id regem Persarum, ut sic Armenos ad metropolim suam attraheret, quod devotissimi sint* S. Gregorio, *eaque verisimillima est ratio, cum Armenorum civitas Julfa, ut dictum est num.* 38, *ubi nunc aliæ sunt* S. Gregorii *reliquiæ, sub eodem rege prope Hispahanum sit condita. Attamen post annos circiter triginta Philippus patriarcha bene catholicus a rege Persarum obtinuit, ut sibi liceret reliquias* S. Gregorii *ad pristinum locum referre, teste laudato Missionario, et consentiente Lequieno col.* 1414. *Eas deinde a monasterio Echmiadzin amotus fuisse non invenio, ut verisimiliter etiam nunc ibidem serventur. Hæc de vultu* S. Gregorii *sufficiunt, ut discamus, maximam eius venerationem esse apud Armenos. Addi tamen potest, quod* C *observat Monierus pag.* 194, *singulis Quadragesimæ Sabbatis particulare festum agi, et quinto Sabbato festum* S. Gregorii.

Reliquiæ S. Ripsimes Hispahanum delatæ.

51 *Quod spectat ad corpora* SS. Ripsimes *et* Gaianæ, *illa diu forsan in suis manserunt ecclesiis. Certe nihil fere de illis invenire potui. Bonuccius tamen in Vita Italica affert aliqua de reliquiis* S. Ripsimes *pag.* 167, *quæ latine reddo :* Petrus do Valle in secunda parte Itinerarii sui Epistola 8, quæ data est die 4 Aprilis 1620 ex metropoli Persarum Hispahano, narrat, reliquias S. Ripsimes in istam civitatem per aliquot Armenos translatas esse ab ipsorum regione : quarum pars patribus Carmelitis excalceatis, illius civitatis missionariis, concessa est, dante eas manu sua rege, postquam illas fuerat veneratus surgendo, osculando, et imponendo capiti suo. *Nunc progrediamur ad vitas* S. Gregorii *examinandas.*

§ IV. Quæ et qualia S. Gregorii Acta, cum Græca tum Latina, in quibus de SS. Ripsime, Gaiana et Sociis etiam agitur : Vitæ aliquot recentiores.

Vita Græca, quæ præluxit Metaphrastæ, multis vitiis obnoxia :

Acta S. Gregorii *vetustiora Græca, quæ primum examinare oportet, necdum innotuerunt eruditis neotericis, quantum invenire valui, nisi per dicta quædam Papebrochii nostri, qui ea et vidit et exscribenda curavit. Laudatus Papebrochius tom. I Maji in annotatis ad Ephemerides Græco-Moscas pag.* 43 *ita loquitur de* S. Gregorii *Actis :* Quæ a Metaphraste exscripta apud Lipomanum extat prolixa ejus vita, contracta ex alia longe prolixiori, quam sub nomine Agathangeli, veluti coævi, habemus Græcam. Vereor, ne E multis fabulosis additamentis prodigiosius amplicata sit, quam verisimilitudo patiatur. *Ad* 18 *Aprilis idem Papebrochius in Annotatis ad vitam S. Eleutherii edicit, quare hanc* S. Gregorii *vitam curaverit exscribendam, edendamque censeat, uti et alias similes, etsi hanc* de multa fabulositate suspectam *habeat, nimirum* ut, eum fons ipse publico expositus fuerit, non nimium fidenter bibatur ex rivo, quem inde traduxit Metaphrastes ; vir sane magnus, sed cujus hic solum scopus fuit, ut, quæ in ecclesiis quibusdam Græcis ob rusticitatem aut prolixitatem styli non sine stomacho prudentium legebantur, ea proprio ipsius stylo brevius concinniusque deducta minus displicerent. *De eadem vita rursum loquitur Papebrochius ad* 10 *Maji in Annotatis pag.* 506 : *ibique insinuat suspicionem suam de vita hac scripta in Sicilia. At hanc suspicionem deposuisset, opinor, si eam contulisset cum documentis Armenis : nam ex multis auctor scripsisse videtur in ipsa Armenia, aut in ejus vicinia, ejusque asserta non a græcis solum, sed magis quoque liberaliter ab ipsis Armenis fuerunt adoptata. Ut autem de illa vita sententiam nostram edicamus, conside-* F *randa sunt scriptorum judicia de vita per Metaphrastem scripta. Nam omnia illa, quæ in ejus lucubratione lectores possunt offendere, non minus debent offendere in vita vetustiore, cum eadem facta prolixius referat, præter Metaphrastis nomen, quod criticis aliquot recentioribus adeo exosum est, ut ipsis vel solum sufficere videatur ad acta aliqua reprobanda; sed immerito : neque enim Metaphrastes vitis vetustioribus fabulas immiscuit, sed fabulosas subinde suo stilo exponendas suscepit, et contrahendo aut concinnando aliqua subinde, ut fieri solet, immutavit. Ubi vero vitas habuit fideliter scriptas, eas fabulis non exornavit, nec multa in iis mutavit, ut tam Majores nostri per experientiam didicerunt, quam nos ipsi eadem magistra quotidie discimus. Hoc tamen verum est, solam Metaphrastis auctoritatem pro Sanctis vetustioribus indubitatæ fidei non esse, cum ipse ad hoc non sit satis antiquus, cumque defectum ætatis suæ non suppleverit delectu critico, sed adoptaverit non solum vitas probatorum auctorum, sed etiam fabulosas, aut certe multis fabulis aut exaggerationibus fabulosis fœdatas.*

39 53 *Baronius*

Auctore J. S. Aliqua vitia in ea agnoscit Baronius,

53 *Baronius in Annalibus ad annum* 311, *ubi aliqua breviter dixerat de martyrio* SS. Ripsimes *et* Gaianæ, *et de iis, quæ sub Teridate rege passus est* S. Gregorius *in Armenia; de actis num.* 22 *hæc subjungit :* Non inficias iverim, acta illa Gregorii complura habere, quæ haud cunctis arrident in omnibus. Ceterum scimus ea citata esse ab Euthymio, accuratissimo auctore, cum ait : « Itaque sanctus etiam Gregorios Magnæ præsul « Armeniæ ante omnes jussit cruces ligneas quibusdam in locis a se collocatas adorari, ad « easque tamquam ad sacra perfugia concurri, « idque cum nondum esset Pontifex declaratus *etc.* » *Ostendit Baronius, hæc legi in actis per Metaphrastem datis : aliaque addit ex ipsis quoque* Armeniorum libris, *per quos putat designari acta Metaphrastæ græca. Poterat ea certe laudare Euthymius : sed forte respexerit ad antiquiora inferius edenda, in quibus eadem habentur ; aut ad Officia Armenorum, in quibus leguntur similia. Quocumque respexerit Euthymius, qui sæculo* 12 *floruit, non credidit omnia fictitia esse, quæ de gestis* S. Gregorii *referuntur ; valetque ejus auctoritas, ut intelligamus,* Gregorium *Græcis eruditis medii* B *sæculi non fuisse ignotum, ejusque gesta ab iis fuisse lecta. At non multum prosunt ad fidem vitæ* S. Gregorii *conciliandam.*

magis illam reprehendunt alii.

54 *Tillemontius tom. V Monumentorum Eccl. in Persecutione Diocletiani art.* 41 *breviter attingit* S. Gregorium *Armenum, Actaque ejus per Metaphrastem scripta omnino reprobat, uti et danda inferius ex dictis Papebrochii nostri.* Longam, *inquit,* habemus Historiam de quodam sancto Gregorio episcopo Majoris Armeniæ, qui asseritur fuisse Apostolus illius regionis, et convertisse Teridatem tempore Diocletiani. Intelligitur ex pluribus locis recentium scriptorum, ut Euthymii. S. Niconis, Nicephori, et Gregorii presbyteri, qui scripsit Historiam concilii Nicæni, nomen et Historiam ejus Sancti celebrem fuisse in Armenia : sed hoc non sufficit ad auctoritatem ejus actis attribuendam. *Tum ait, acta esse Metaphrastis, refertque sententiam Baronii, et Papebrochii verba dat compendio, et sic acta dimittit, tamquam indigna, ex quibus præcipua etiam capita seligeret, pro ulteriori refutatione ad eorum lectionem remittens. Bailletus ad* 30 *Septembris in tabula critica ait, acta* S. Gregorii *tantis invo-* C *luta esse fabulis, ut vix aliquid probabile inveniri valeat, idque in duobus tantum locis ope Eusebii et Sozomeni. Fatendum sane est, acta* S. Gregorii *omnia, quæ habemus, multis laborare defectibus, fabulosisque exaggerationibus misere corrupta esse. Plura tamen in iis reperiemus, quæ aut certa sunt aut probabilia, quam crediderunt laudati critici.*

Vita Græca unde accepta : auctor se dicit coævum :

55 *Enumeremus igitur omnia* S. Gregorii *acta, quæ nobis innotuerunt, ut deinde examinemus, quid in iis videatur improbandum, quid contra aut certo aut probabiliter admitti valeat. Prima vita, eaque prolixissima, de qua jam superius dedi verba Papebrochii, accepta est ex bibliotheca Medicæa Florentina S. Laurentii Plut.* 7 *Cod.* 25, *ut adscripsit apographo nostro ipse Papebrochius, qui Florentiæ cum Henschenio exscribendam curavit, non propria manu exscripsit, exscriptamve cum codice contulit : sed utrumque factum manu mihi ignota, magisque festinanter, quam diligenter, nisi multa in codice sint menda. Nam non pauca scriptionis vitia, clara illa et manifesta, in apographo nostro inveni, ut dicam in annotatis. Scriptor illius vitæ in titulo vocatur* Agathangelus : *sub finem de sua in scribendo fide* D *agit, aitque se multa omisisse, et solum necessaria et utilia scripsisse, quia et asserit se gestorum, quæ scribit, fuisse spectatorem, et doctrinæ per* Gregorium *traditæ, de qua narravit multa, fuisse auditorem. At id nequit de omnibus intelligere; quandoquidem multa refert ante natum* Gregorium *facta, multa facta in locis, in quibus nec ipse præsens fuit nec* Gregorius. *Hinc inferius examinabo, an saltem verisimile fieri possit, auctorem cum* S. Gregorio *vixisse, et posteriora quædam ejus gesta vidisse aut doctrinam audivisse.*

Latina medio ævo composita,

56 *Prædictam vitam compendio longo expressit Neapoli scriptor latinus, forsan Metaphraste vetustior. Hujus Anonymi scriptoris lucubrationem Majores nostri invenerunt Romæ in bibliotheca Barberina, eamque Papebrochius noster propria manu exscripsit, præmissis aliquot de ipso codice annotationibus, quarum initium subjungo :* Ex antiquissimo codice membranaceo in folio maximo ms. grandibus litteris quadratis Eminent. Cardinalis Barberini num. 926 : qui fuit ab abbate Ugellio ipsi Cardinali donatus : de quo et sequens documentum in folio, eidem codici præfixo. E *Documentum id spectat ad ætatem Gaytæ, abbatissæ monasterii* S. Gregorii *Neapoli, qua petente vita fuit conscripta, ut in Præfatione dicit auctor; et consequenter ex eo colligitur tempus vitæ scriptæ, modo ætas Gaytæ fuerit recte assignata. Sic autem habet :* Per publica documenta, quæ conservantur in archivio monialium venerabilis monasterii S. Gregorii, primi in Oriente Majoris Armeniæ episcopi, constructi intus civitatem Neapolis, satis clare constat, jam effluxisse spatium annorum circiter octingentorum : ex quo Gayta, denominata in hac præsenti scriptura, uti abbatissa dicti monasterii, regebat prædictum locum atque ecclesiam : cujus intuitu et precibus fuit ab incognito auctore illius temporis scripta omnis hæc vita, et passio hujus sancti episcopi Gregorii, nec non forsan aliorum etiam sanctorum martyrum et confessorum, de quibus fit expressa mentio in hoc volumine. Cujus Gregorii integrum caput sanctissimum in ecclesia ejus nomini dicata pie ac religiose Neapoli nunc conservatur, atque, ut decet, ab omnibus veneratur. F

non ex Metaphraste, sed ex Vitæ vetustiore,

57 *Hæ observationes, quæ ante annum* 1661 *quo Roma discessit Papebrochius, fuerunt conscriptæ, per annos circiter octingentos, a quibus Gayta fuerat abbatissa, nos remittunt ad sæculum* 9. *At ex vita* S. Gregorii, *quam scripsit Dominicus Gravina, oritur dubitatio de tempore, quo Gayta fuit abbatissa, quam videtur longe juniorem facere. Nam part.* 2, *pag.* 130 *verba de Gayta, huic vitæ inserta, refert post alia instrumenta sæculi* 11. *In Præfatione ad lectorem, si illa sit Gravinæ, et non bibliopolæ, codici latino,* quo scriptus est, *inquit,* sub administratione Gaynæ (*lege* Gaytæ) *abbatissæ, tribuit annos quingentos. Itaque cum vita illa anno* 1630 *sit impressa, quingenti illi anni tantum ducunt ad sæculum* 12. *Poterit quis suspicari, codicem ab eo reputatum sæculi* 12, *non item vitam. At quod verba de Gayta retulit post instrumenta sæculi* 11, *indicat opinionem ejus de Gayta illis instrumentis posteriore. Itaque hæreo ambiguus, nec satis video, utri magis credere debeam de tempore, quo Gayta floruit, et quo conscripta est hæc vita. At video, parum referre, fueritne vita conscripta sæculo* 9 *an* 12, *cum Anonymus auctor omnia sumpserit ex antiquiore Græco, aut fortasse*

A *fortasse ex latino simili, si quis ante ipsum græcam latinitate donaverit, aut ex ea latinam scripserit. Metaphraste vetustior est, si scripserit sæculo 9, et alias junior. Metaphrasten tamen non est secutus, sed antiquiorem Græcum, ut ex collatione intelligitur. Etsi enim omiserit multa, eaque præ reliquis improbabilia, in iis, quæ adoptavit, magis expressit sensum antiquioris, quam Metaphrastæ.*

alia a Metaphraste : quo hic modo ex vetustiores hauserit, quo modo Latinus.

58 *Tertiæ vitæ auctor est Metaphrastes, eaque latine edita est apud Lipomanum et Surium. Nos et Græcam habemus, sed non recudemus. Hæc vita ex prima Græca per Metaphrastem composita est, sicut Latina mox dicta, sed non eodem prorsus modo. Metaphrastes præcipue omisit prolixas sermocinationes, quibus primus auctor vitam extendit, dum* S. Gregorium *inducit cum rege disputantem, ipsumve aut* Ripsimen *aut* Gaianam *preces ad Deum dirigentem, aut* Gregorium *de fide aut doctrina christiana coram populo disputantem. Accedunt et aliæ sermocinationes de rebus variis, longique nominum propriorum elenchi in vita prima. At illa omnia aut omnino omisit Metaphrastes, aut breviter aliqua ratiocinia perstrinxit.* B *Verum facta pleraque, etiamsi aut fictitia sint, aut supra verum exaggerata, eodem fere modo enarravit, paucis tantum prætermissis. Contra Latinus auctor, qui in præfatione conqueritur, vitam* S. Gregorii *Armeni* olim *fuisse scriptam* satis inconsulto et rusticano stylo, *totam emendare suo modo conatus est. Etenim non solum ratiocinia prolixiora contraxit : sed etiam facta improbabilia partim omisit, partim sic mitigavit, ut pleraque probabilia videri possent, si ab auctore contemporaneo et accurato sic fuissent asserta. Attamen et ille nonnulla adoptavit, quæ cum historia illius temporis non congruunt, cumque reliqua sumpserit ex vita fabulosis exaggerationibus et apertis fabulis fœdata; neque hæc tantam habent probabilitatem, quantam haberent, si desumpta essent ex monumentis aliunde non suspectis.*

Encomium S. Gregorii, ex lingua Armena Latine redditum.

59 *Ad tres modo memoratas vitas accedit* Encomium sancti Gregorii Armenorum Illuminatoris, auctore S. Joanne Chrysostomo, exceptum ex D. Jarrintir seu Homiliario Armeno bibliothecæ regiæ (*Parisiensis*) notato littera c, ex Armena lingua in latinam versum anno 1735, *quo titulo editum est a Montfaucono tom. XII Operum S. Chrysostomi pag.* 822 *et sequentibus. Dominus* C *abbas de Villefroy, qui hoc Encomium ex lingua armena latinum fecit, ibidem præmonuit, illud legi in tribus* Homiliariis *Armenis, unumque ex istis maximum esse volumen, quod, inquit,* videtur esse decimi vel undecimi seculi. *Alia duo sunt minoris vetustatis. Titulum elogio præfixum in vetustiore codice sic expressit interpres :* Beati Joannis Chrysostomi Homilia, dicta de vita et suppliciis magni patriarchæ et martyris Gregorii, Armenorum illuminatoris, pronuntiata Kokisi, quæ est Armeniæ urbs (dum erat ibi in exsilio) efflagitante quodam doctore et episcopo Armenorum, qui Dioscorus vocabatur, atque consanguineus erat martyris Gregorii; et postulante magno cœtu, qui congregatus erat Kokisi in die festi sancti Illuminatoris partium Orientalium. *Consonat quoad sensum titulus alterius ms. In tertio ms., ex quo editum est Encomium, titulus brevior sic habet :* Sermo sancti Joanis Chrysostomi, Constantinopolis episcopi, de sancto Illuminatore, magno Gregorio, pontifice Dei nostri.

60 *Hic Sermo, si revera esset* Chrysostomi, *multum conduceret ad probabilitatem conciliandam plerisque factis, quæ in vita* S. Gregorii *asseruntur de ipso Sancto. Verum Montfauconus in Monito prævio observat, tot tantaque in illo Sermone occurrere* a Chrysostomi more et stylo dissonantia, ut tanto Doctori nemo adscribere ausit ; puteum nempe et fossam loquentem, serpentes et dracones orantes, Tiridatem regem in aprum conversum, et portenta similia. *Tum ait, illa ipsa tamen legi in vita* S. Gregorii ; *et subdit :* Posset fortasse dici, Chrysostomum concionem in laudem S. Gregorii Illuminatoris habuisse; sed illam ab Armenis ita immutatam fuisse, ut jam Chrysostomi stylus ibi fere nusquam compareat. *Ad 14 Septembris in S. Joanne Chrysostomo* § 83 *eatenus assensus sum Montfaucono, quod existimarem, Sermonem illum non fuisse umquam pronuntiatum a Chrysostomo. Quod vero spectat ad loquentes fossam, serpentesque et dracones, hoc ad fabulas non videtur pertinere, sed ad figuram sive prosopopeiam nimis audacem, qua auctor et puteum et serpentes loquentes inducit, sicut homines facit loquentes in majori orationis parte. At loquela illa putei et serpentum in actis* S. Gregorii *asserta non est, nec sic voluit auctor Sermonis* E *intelligi, opinor, acsi veram puteo et serpentibus tribuisset loquelam. An forma apri, quæ Teridati in Oratione æque ac in vita tribuitur, pro fabula sit habenda, hic necdum examino. Si constaret, Sermonem esse Chrysostomi, qui medio circiter sæculo post mortem* Gregorii *Antiochiæ florere cœpit, non statim pro fabulis haberem facta in illo* de S. Gregorio *asserta.*

auctore S. S. quod Chrysostomo non est ausus adscribere editor.

61 *At Sermo ille nequaquam mihi videtur Chrysostomi. Nam primo perpetua fere illa prosopopeia, quæ in Sermone regnat, stilo Chrysostomi non congruit, nec illa reliquis eius Orationibus de Sanctis consentanea est. Præterea totus Sermo a stilo Chrysostomi alienus est, cum fere nihil ex sacris litteris habeat admixtum, nihil fere ad mores instruendos ; quæ alias frequentia sunt in Chrysostomo ; cumque tota dictio ab elegantia et acumine Chrysostomi longe absit. Secundo non est verisimile, Chrysostomum Cucusi in Minori Armenia, ubi exsul fuit, ad concionem dixisse, ut jam probavi in Chrysostomo. Oratio tamen illa dicitur* Kokisi, *quod explicat Montfauconus* Cucusi, *habita ad magnum populi cœtum, et in die festo* S. Gregorii. *At rursus incertum saltem est, an festivitas* F S. Gregorii *celebraretur eo tempore Cucusi in Minori Armenia : neque enim* S. Gregorium *pastorem aut doctorem habuit Minor Armenia, quæ erat provincia Romani imperii, sed sola Major, quæ sub suo erat rege. Tertio Chrysostomus non peroraverit certe sermone Armenorum, qui ipsi verisimiliter notus non erat. At in Homiliariis, in quibus asseritur, in quo loco, in qua festivitate, quibus rogantibus, habita esset Oratio, ne additur quidem, quo sermone fuerit conscripta, et a quo in linguam Armenam translata, quod maxime addendum fuerat. Forte auctores titulorum illorum crediderunt, dictum fuisse Encomium, prout exstat, lingua Armena.*

et merito, ut variis rationibus

62 *At ipsum Encomium abunde manifestat, Chrysostomum non esse scriptorem suum. Nam præter ea, quæ plerisque fabulosa videbuntur, et præter multa, quæ a stilo et elegantia Chrysostomi absunt longissime, non pauca etiam continet, quæ sanctus ille doctor numquam dixisset. Numquam* S. Gregorium *dixisset* similem Petro et Paulo ; *nec* Orientales partes *sic attribuisset* S. Gregorio, *sicut* plagas Occidentales *Petro et Paulo, quemadmodum*

confirmatur probabilius est scriptoris Armeni.

AUCTORE I. S.

admodum facit auctor Encomii pag. 823. Sit illa comparatio, si minus stricte sumatur, non plane inepta. At Chrysostomi esse non credam, qui præcipuus est admirator SS. Petri et Pauli. Sic non induxisset Chrysostomus angelum eo modo loquentem ad puellam gentilem, ut inducit auctor pag. 827, acsi illa historias Veteris Testamenti optime norisset. Mitto alia plura, quæ a judicio Chrysostomi aliena videntur: nam totum Encomium nimiis exaggerationibus plenum est. Itaque ignoramus, cujus illa sit lucubratio, et magis existimamus, fœtum esse cujusdam doctoris Armeni, quam Græci, et incerti temporis; ideoque magnam eidem auctoritatem non esse tribuendam. Inter patriarchas Armeniæ apud Galanum pag. 75 decimus quartus fuit Joannes Mantacnuensis, qui floruit sæculo 5, et Orationes composuit. An hujus forte sit, quis edicat?

Alia documenta, ex lingua Armena latine translata,

63 Præter vitas et modo memoratum Encomium, alia quædam documenta ex libris Armenis latine reddita, atque huc Neapoli transmissa sunt, quibus usum video in Vita Italica Bonuccium infra latius memorandum. Itaque necesse est illa recensere, et quanti valere videantur, breviter indicare.
B Monumenta illa initio libelli, in quo collecta sunt, sic enumerantur: Primum. Historia S. Gregorii magni Armenorum patriarchæ et illuminatoris, extracta ex Armaiaurk, hoc est, Martyrologio Armeno. Secundum. Alia Historia S. Gregorii illuminatoris nostri, de conceptione, nativitate, et qualitate vitæ et reliquiarum ejus. Tertium. Commemoratio Theridatis regis. Quartum. Martyrologium seu testificatio sanctarum Hripsimarum (id est, Ripsimes et Sociarum) Virginum. Quintum. Inventio reliquiarum S. Gregorii. Sextum. Martyrologium (id est elogium ex Martyrologio) sanctorum patriarcharum, filiorum et nepotum S. Gregorii. Septimum. Festum Schiogaghatis, id est, lucis stillantis, descensionis Unigeniti ad civitatem Vagarsciabath. Octavum. Martyrologium sanctarum Gaianarum: id est, S. Gaianæ et Sociarum. Unde autem omnia illa fuerint accepta, mox indicatur his verbis: Supradicta monumenta eruta sunt ex libris Armenis, qui servantur Venetiis; atque ex Armeno idiomate in latinam linguam translata sunt Romæ a domino Jacobo de Baldassarri, sacerdote Armeno, anno 1717: et nunc servantur Romæ in archivio
C domus professæ Societatis Jesu, et Neapoli in archivio monasterii S. Gregorii Armeni, alias S. Ligorii.

sed omnia sunt medii aut posterioris ævi.

64 Omnia illa qualemcumque cum actis S. Gregorii connexionem habent, et in illis per partes explicantur, quæ in vita edenda sunt collecta. Si quis modo rogaverit, cujus ea omnia ætatis sint, respondebo, aut medii ævi esse, aut posteriorum sæculorum. In prima ex illis Historia S. Gregorii asseritur translatio corporis, eaque Zenoni imperatori tribuitur, relicto apud Armenos brachio. At ex vaga illius rei narratione satis colligitur, scriptum illud diu post compositum esse. De reliquis omnibus ex ipsa lectione colligitur, non esse antiqua, comparatione facta ad ætatem S. Gregorii. Nam vetusta non vocamus, quæ a duobus aut tribus sæculis scripta sunt, aut etiam a mille annis, si agatur de rebus longe vetustioribus. Quapropter illa omnia solum proderunt ad perspiciendum, quid de S. Gregorio, gestisque in ejus vita relatis, censuerint medio ævo et posterioribus sæculis Armeni.

65 Præterea quatuor habemus vitas S. Gregorii, posterioribus sæculis in Italia conscriptas. Prima ex illis prodiit Neapoli Italice impressa D
anno 1576, tamquam ex latina lingua in italicam translata secundum vetustum codicem litteris Longobardicis conscriptum. Auctor interpretationis aut Vitæ hujus Italicæ est Blasius Acciaivolo U. J. D., qui eam dicavit Lucretiæ Carracciolæ, monasterii S. Gregorii Armeni tunc abbatissæ. Habet hæc vita aliquid similitudinis cum vita græca a nobis edenda, non tamen eadem videtur, forte quia scriptor Latinus pro arbitrio Græcæ aliqua addidit, et alia omisit. Poterunt hæc in Annotatis assignari, ubi operæ pretium videbitur. Secunda similiter Neapoli impressa est anno 1630, et auctorem habet Dominicum Gravina, ordinis Prædicatorum, jam aliquoties laudatum. Hæc autem et in titulo, et in Præfatione, dicitur collecta ex Metaphraste, ex codice Longobardico, cui quingentos annos in Præfatione tribuit editor, et ex Relatione de christiana religione in Armenia, quam ipse Gravina composuit. Præfatio illa forte est Lazari Scoriggio bibliopolæ, qui ita fere loquitur, acsi vitam, quam impressit, ex dictis Monumentis ipse collegisset. At Gravina illius vitæ auctor asseritur ab Eccardo in Bibliotheca Prædicatorum tom. II pag. 533, et ab aliis passim. Vita latina, quam E
laudat Gravina, eadem videtur cum illa, quam edemus secundo loco; cum pag. 130 quædam verba ex Præfatione auctoris recitentur de Gayta abbatissa.

Vita ex Latino in idioma Italicum versa, altera Italice scripta.

Tertia Italica et quarta ceteris prolixior:

66 Tertia vita rursum Neapoli impressa est anno 1636 italice, inscribiturque, Brevis relatio de vita, martyrio et miraculis invictissimi S. Gregorii martyris, apostoli, archiepiscopi et primatis magnæ Armeniæ; patroni nobilissimi monasterii sacrarum virginum, protectoris totius regni et fidelissimæ hujus civitatis Neapolis. Auctor est Angelus Volpe de Monte Peloso, ex ordine Minorum Conventualium. In hoc Opusculo non enarrantur omnia Sancti gesta: sed in præcipua vitæ capita inquiritur, et de iis disseritur, eo tamen modo, ut scriptor ille nobis prodesse vix possit. Postremus S. Gregorii Armeni biographus, qui nobis innotuit, prolixius italice scripsit de gestis Sancti, quam ullus præcedentium, et ad illorum documenta adjunxit alia quædam recenter accepta, quæ pro majori parte jam enumeravi. Auctor istius vitæ est Antonius Maria Bonucci, Societatis Jesu presbyter, qui eamdem Romæ imprimendam curavit anno 1717. Hanc vitam aliquoties jam laudavi, et etiamnum allegabo, ubi videbitur expedire, sicut et ceteras mox recensitas. F

alii recentiores de gestis S. Gregorii scriptores.

67 Multa etiam de S. Gregorio scripsit Clemens Galanus, Clericus regularis, et olim ad Armenos missionarius, in Opere Conciliationis ecclesiæ Armenæ cum Romana, in qua tom. I ex Historia Armena catalogum patriarcharum Armeniæ a S. Gregorio usque in sæculum 14 produxit, multaque de S. Gregorio disseruit, Metaphrasten passim secutus et recentiores historicos. Similia de S. Gregorio et reliquis Armenorum patriarchis disputata sunt in Monumentis missianis Societatis Jesu in Oriente, gallice scriptis. Tomus tertius, qui anno 1723 Parisiis impressus est, unice fere agit de rebus Armeniæ. Illa autem, quæ spectant ad S. Gregorium aliosque patriarchas et historiam Armeniæ, collegit Monier cum aliis Societatis nostræ in Armenia missionariis, et in Galliam transmisit. Hinc illa laudabo nomine patris Monier. De S. Gregorio scripserunt aliqua etiam recentiores historici, et nonnulli vetustiores, quos nominabo, ubi erit necessarium, ejusque vitam dedit Bailletus, sed brevissime, omissis præcipuis fere factis. Si modo studiosus

A studiosus lector quæsiverit, quantum dicti vitæ scriptores aliique memorati nobis prodesse valeant ad gesta S. Gregorii recte examinanda, cogar respondere, exiguum ex omnibus haberi adjumentum, quoniam plerique omnia pro veris admiserint, et alii pauci sine ullo examine quasi omnia abjecerint.

§ V. Inquiritur in præcipua Vitæ S. Gregorii asserta, quæ nec omnia cum adjunctis suis sunt admittenda, nec omnia rejicienda.

Non omnia in vita S. Gregorii fabulosa crediderunt Baronius et Papebrochius

De actis S. Gregorii Armeni diversa admodum video esse judicia. Ipsi Armeni, Græci quoque et multi ex Latinis posteriorum sæculorum ea pro legitimis habent, et omnia in iis relata sine ulla hæsitatione pro veris videntur admittere, certe prout conscripta sunt a Metaphraste: nam B Græca edenda Latinis recentioribus vix innotuerunt, et a paucissimis fuerunt conspecta. At, sicut jam dictum est num. 54, agnovit Baronius, complura haberi in actis, quæ nequeant placere criticis accuratis, idque de Græcis magis etiam indicavit Papebrochius noster. Neuter tamen voluit, omnia esse fabulosa, cum Baronius pro auctoritate actorum alleget Euthymium, et ex iis aliqua Annalibus suis inseruerit: Papebrochius quidem timet, ne multis fabulosis additamentis prodigiosius amplificata sit (vita) quam verisimilitudo patiatur; et sic innuit, multis fœdatam esse fabulis; sed non existimavit, præcipua etiam capita figmentis annumeranda. At recentiores critici jam nominati omnia fere abjicere maluerunt, quam examinare operosius, quæ ex omnibus vera videantur, quæ solum probabilia, et quæ demum supra verum exaggerata, et fictitiis ornamentis corrupta: Ejusmodi examen consentaneum est sententiæ Baronii et Papebrochii; idque a multis sæculis jam cœpit anonymus auctor vitæ latinæ, secundo loco edendæ, quando ex vita, quam inconsulto stylo scriptam dixit, suam composuit: nam multa, quæ verisimiliter falsa credidit, aut certe nimis prolixa et C exaggerata, in sua amputavit, alia mitigavit, reliqua vero adoptavit. At ne hæc quidem omnia sunt probabilia.

Auctor primæ vitæ suspectum de mendacio se facit, gestorum spectatorem se dicens;

69 Ut modo aliqua proferamus, quæ in vita illa videntur fabulosa, et deinde alia, quæ suadent, præcipua capita non esse fictitia, inquirendum in ætatem scriptoris, qui se Agathangelum nominat, et num. 173 rerum gestarum spectatorem fuisse dicit, et auditorem doctrinæ traditæ per Sanctum. Insinuat præterea, fuisse Evangelicorum præceptorum ministram, id est, opinor, aut episcopum aut presbyterum, et regi Teridati sub quo episcopatum gessit et defunctus est Gregorius, Opusculum suum inscribit. Hæc si vera sunt, scripsit non diu, aut certe non multis annis, post obitum S. Gregorii. At Papebrochio nostro suspectum fuit, quod auctor se spectatorem et auditorem dixerit, mihique etiam credibile non apparet, idemque aliis omnibus, qui vitam accurata crisi expendent, non fiet verisimile, si extendatur ad totam vitam S. Gregorii, ejusque res gestas etiam in juventute, imo et in media ætate.

70 Et certe non potuit auctor de omnibus, quæ narravit, prudenter affirmare, aut callide etiam confingere, visa et audita se scribere; quandoquidem ordiatur a potentia Parthorum, eaque occasione scribat multis sæculis præterita, et mox transeat ad translationem imperii a Parthis ad Persas, bellaque inde nata, quæ integro sæcula erant transacta, etiamsi scripsisse credatur non diu post mortem Gregorii. Sic inter visa aut audita numerare non potuit, quæ de pueritia Teridatis et Gregorii narrat, quæque de gestis eorum ante regnum Teridatis, cum necdum fuerit natus, aut certe puer vel adolescens, quando illa contingere debuerunt, nisi scripserit ætate decrepita. Rursum non vidit nec præsens audivit, quæ refert de SS. Ripsime et Gaiana ante earum adventum in Armeniam, et de molitionibus Diocletiani ad Ripsimen nuptiis sibi alligandam. Similia quoque sunt, quæ de gestis Constantini Magni in Occidente, ejusque contra alios imperatores bellis vitæ inseruit. Ea videre non potuit in Occidente, et simul cum S. Gregorio degere in Armenia. Hæc omnia auctor non vidit, et tamen narravit, et multa quidem ex iis cum ejusmodi rerum adjunctis, acsi præsens facta vidisset et dicta audivisset. Cum autem hæc, quæ non vidit, sic referat; ex modo narrandi colligi nequit, alia ab ipso fuisse visa.

auctor v. S. cum saltem multa ex illis videre non potuerit.

E 71 Hinc verisimile non est, auctorem vidisse horrenda illa supplicia, quæ Gregorio illata narrat, antequam moriturus in puteum injiceretur: nam et illa secundum chronotaxim ex vita dandam annis fere quadraginta præcedere debuerunt mortem Gregorii, et supra verisimilitudinem sunt exaggerata. Nihilo magis vidisse credendus est certamina sanctarum virginum Ripsimes et Gaianæ, earumque Sociarum, cum et hæc diu essent præterita, ornamentisque poeticis magis, quam historicis, fuerint corrupta. Idem rursus censendum de Gregorii in puteum injectione, de ejusdem post annos quatuordecim eductione, et de congressu S. Gregorii cum Teridate, in figuram apri converso, et de reliquis omnibus, quæ episcopatum S. Gregorii præcesserunt: nam et multa his inserta sunt incredibilia: et auctor multa alia videre potuerat, et idoneam ad scribendum ætatem habere, etiamsi puer fuisset, dum illa fieri debuerant. Rursum non existimo, scriptorem adfuisse baptismo, quem regi et Armenis contulit S. Gregorius, cum et in hisce nimia utatur amplificatione, et nonnulla scribat prorsus incredibilia.

et alia pleraque verisimiliter non spectaverit.

F 72 Quid ergo, inquiet aliquis, existimabimus de Agathangelo vitæ hujus auctore, qui ait se visa et audita narrare, si omnibus modo enumeratis, quæ longe maximam vitæ partem faciunt, non adfuisse censendus sit? Variæ hic duri possunt conjecturæ, nihil certo probari. Qui severius judicabunt de Agathangelo, censebunt impostorem esse, qui se contemporaneum mentitus est, ut lectores suos falleret, et figmentis suis fidem conciliaret. In eam conjecturam propendebat Papebrochius noster, et consentientes habuisset non paucos.

Prima de ejus asserto conjectura:

73 Potest tamen et alio modo contigisse, ut multa legantur in vita S. Gregorii Armeni, quæ contemporaneo auctore prorsus indigna sunt, et aut pro meris figmentis habenda, aut fictitiis adjunctis sic corrupta, ut a figmentis vix differant; nimirum si forte Agathangelus aliquis brevem veramque S. Gregorii vitam sermone Armenico scripserit, et hanc Græcus aliquis deinde ornandam susceperit, fictisque rerum gestarum adjunctis amplificandam, qualem modo habemus, relicta interim protestatione primi scriptoris, quod referat visa et audita. Hæc conjectura mitior est, quam præcedens; mihique videtur probabilior, quia sic vera

alia mitior,

AUCTORE J. S.

vera esse potuerunt summa rerum capita, ut mihi omnino vera videntur ob rationes allegandas, et solum corrupta fuerint amplificationibus fabulosis; sicut corrumpuntur plurimæ Sanctorum vitæ, etiamsi accurate initio fuerint conscriptæ, dum posteriores præcedentium asserta augere studeut et amplificare.

tertia mitissima.

74 *Attamen et alia quoque occurrit conjectura, qua Agathangeli verba forsan erunt exponenda. Ait ille, se rebus gestis adfuisse, spectatorem se fuisse, et doctrinæ traditæ auditorem. At non asserit, se adfuisse omnibus, quæ narrat. Itaque forsan de ultimis loquitur* S. Gregorii *annis, quibus eumdem subinde verba facientem audire potuit, quibus et regem Teridatem, et filios* S. Gregorii, *et episcopos, quos a* S. Gregorio *ordinatos narrat, potuit cognoscere. Si vera est hæc conjectura, quam nolim magis asserere quam præcedentes; potuit videre alia multa, quæ facta narrat, uti ecclesiarum ædificationem, morum emendationem, episcoporum et presbyterorum consecrationem, regis Teridatis aliorumque pietatem et bona opera. Quapropter, si solum de decem ultimis* Gregorii *annis, aut etiam de viginti ultimis dicat, res gestas se vidisse,* B *et doctrinam se audivisse, uti revera in simili occasione aliqui dicerent, imprudenter tamen; non asserit rem prorsus incredibilem; sed parum id ipsi proderit ad fidem promerendam de omnibus etiam præcedentibus, quæ narrat, cum ipsa narratione rerum improbabilium fidem sibi detrahat.*

quæ tamen non sufficit ad fidem vitæ in omnibus conciliandam.

75 *Fuerit enim virili ætate paucis annis post mortem* Gregorii, *et tunc scripserit ea, quæ partim in juventute, partim in pueritia viderat et audiverat. In hisce quidem non longe a vero facile aberraverit, modo debita in inquirendo diligentia usus fuerit, et in narrando prudentia. At in prioribus, quæ jam tum forte per famam multum erant aucta, sic etiam multum aberrare poterat, præsertim si magis laborabat, ut magna et mirabilia scriberet, quam ut accurato studio in veritatem inquireret: qualem fuisse scriptorem hujus vitæ, ipsa factorum quorumdam improbabilitas docet. Si diligenter attendere velimus ad ea, quæ et postremis sæculis et nostra etiam ætate novimus facta et scripta, imo ad illa etiam, quæ quotidie in libellis et foliolis publicis scribi audimus, facile intelligemus, non omnibus scriptoribus contempo-* C *raneis id concedendum privilegium, ut de eorum assertis dubitare non liceat; sed iis solum, qui veritatis amore, prudentiaque et cautela in asserendo aut narrando hanc laudem sibi vindicant. Quapropter, cum Agathangelus iis dotibus caruerit, etsi* Gregorium *adolescens aut juvenis vidisset et audivisset, ne vel sic quidem fidem mereretur de omnibus, quæ narrat, et maxime de prioribus, quæ conversionem Armeniæ præcesserunt.*

At non facile pro certo falsis habenda, quæ facta dicuntur in Armenia:

76 *Jam vero cum difficile sit, ex memoratis conjecturis ullam tam solidis argumentis firmare, ut haberi possit pro sententia abunde probata, malim prudenti lectori electionem permittere, quam unam asserere iis rationibus, quibus mihi ipse nequeo satisfacere. Res gestæ in Magna Armenia sæculo tertio et quarto parum curæ fuerunt scriptoribus Græcis et Latinis, qui subinde breviter solum de regibus Armeniæ meminerunt, quando Armeni cum Romanis bella gerebant contra Parthos primum, et deinde contra Persas, aut quando his contra Romanos aderant, aut coronam ab imperatoribus accipiebant. Ejusmodi et similibus occasionibus de Armenis subinde meminerunt historici; sed domestica Armenorum gesta vix umquam atti-* D *gerunt, et breviter tantum. Hinc facile contingere potuit, ut in conversione regni Armeniæ multa sint facta, eaque et illustria et mirabilia, quæ nec Græci nec Latini litteris mandarunt, aut etiam ignorarunt; quæque hac de causa nobis nova, inaudita, et incredibilia primo intuitu videbuntur, et quæ vel sic vera esse possunt. Itaque, etiamsi multa id genus incredibilia in actis* S. Gregorii *reperiantur, non existimo illa omnia statim habenda pro certo falsis aut fictitiis; sed ea solum pro falsis certo reprobanda, quæ certis rationibus falsa ostendi possunt.*

auctor non videtur post aliquot sæcula

77 *Interim certum mihi videtur, scriptorem hujus vitæ non scripsisse aliquot sæculis post mortem* S. Gregorii, *eaque, quæ vera vitæ inservit, non hausisse ex historicis Græcis et Latinis, sed aut ex fama etiam tum vigente apud Armenos, aut ex documentis ejusdem nationis. Nam si quis Græcus vitam illam post aliquot sæcula ex Græcis documentis voluisset componere, iisque, quæ ad propositum suum in historicis invenerat, fabulosa multa pro arbitrio suo addere, saltem non mutasset nomina propria apud Græcos suo tempore usitata. At auctor contrarium in aliquibus fecit, ut satis liquet ex nomine primi Persarum regis, qui imperium* E *a Parthis ad Persas transtulit. Nam ille apud Dionem et Herodianum, qui ejus tempore floruerunt et græce scripserunt, vocatur* Artaxerxes; *sicut et apud Lampridium Latinum, aliosque recentiores. Idem rex apud Agathiam, qui sæculo 6 floruit, et Persica etiam documenta consuluit, scribitur* Artaxares, *uti et apud alios nonnullos. Idem Persarum rex in Annalibus Alexandrinis Eutychii vocatur* Azdashir, *et juxta alios, ut in versione pag.* 371 *dicitur,* Ardshir. *In Historia dynastiarum Georgii Abul-Pharajii* Ardeshir *legitur pag.* 52, *et* Ardshir *pag.* 80. *Sic nomen etiam modice mutatum est in versionibus ex Arabico.*

ex documentis Græcis vitam composuisse.

78 *At ab Agathangelo nostro idem ille Persarum rex constanter vocatur* Artasiras, *quod differt ab omnibus, et verisimiliter magis congruit cum pronuntiatione Armenica: nam in Monumentis Armeniæ pag,* 68 *idem rex* Artasiras *nominatur a Missionariis nostris, quamvis iidem non ignorarent,* Artaxerxem *passim vocari ab Europæis. Sic apud Assemanum in Bibliotheca Orientali tom. I, pag.* 189 *iterata mentio fit* Artasciri, *qui frater erat Saporis II Persarum regis, ejusque* F *deinde successor passim vocatus est* Artaxerxes. *Eadem esse illa nomina indicat laudatus Assemanus tom. III, part.* 1, *ubi pag.* 96 *agit de* Adesero *vel* Ardasciro, *Sirois Persarum regis filio, et rursum pag.* 416 Ardascirum *ex Syris scriptoribus nominat, et ad illud nomen notat sequentia :* Ardascirus, Persice Ardascir. Sed cum littera *d* sæpe cum *t* permutetur, et *scin* cum *sin* : hinc aliis dicitur Ardasirus vel Ardsirus, aliis Artasirus : unde vulgatum nomen Artaxares, *x* pro *s* substituto. Apud Theophanem Adeser pro Ardeser vel Ardasir perperam obrepsit. *Mox addit idem quoque nomen esse* Artaxerxes, *primumque post restitutum Persarum imperium illius nominis regem esse, qui ab auctore nostro vocatur* Artasiras, *a Dione* Artaxerxes.

sed scripsisse aut ex fama vigente aut ex documentis Armenicis.

79 *Quapropter, cum nomen illius regis Agathangelus expresserit modo, quem nec apud Græcos nec apud Latinos historicos invenimus, eoque magis accedente ad linguam Persicam, necesse est, ut dicamus, illum hausisse ex fontibus Armenicis aut Persicis, præsertim cum et alia omnia idem persuadeant. Nam et plurima affert nomina propria*

A *pria virorum et mulierum, provinciarum, civitatum, fluminum et montium, quæ apud scriptores Latinos et Græcos certe non invenerit. Si quis autem contendere voluerit, omnia illa ab Agathangelo procul dissito fuisse conficta, apud me non facile fidem inveniet. Etenim omnia illa, de quibus nonnulla apud scriptores probæ notæ invenimus, vera reperimus, exceptis forte aliquot adjunctis aut exaggerationibus. Itaque non est ratio, cur obscuriora tam facile condemnemus: tam enim historia quam topographia Armeniæ obscura admodum mansit apud Latinos et Græcos, eamque obscuritatem auget linguarum differentia, quod Latini et Græci plusculum liberatis sibi sumpserint in nominibus locorum et hominum immutandis. Hinc enim modo difficulter intelligimus, eademne sint nomina an diversa, quæ ab antiquis latine aut græce scripta fuerunt, cum iis, quæ postmodum ex lingua Armenica ad nostras fuerunt translata.*

nec attingit ulla posteriora facta.

80. *Jam vero quod spectat ad ætatem scriptoris, etiamsi nolim asserere, eum revera fuisse contemporaneum, aut etiam juvenem vel adolescentem fuisse, dum senex erat* Gregorius, *quod ultimum mihi videtur incertum;* B *difficulter tamen credam, integris sæculis fuisse posteriorem. Prima ratio jam data est, quod videatur scripsisse ex fama, quæ solet veris falsa miscere, et facta vera falsis adjunctis corrumpere; non ex historiis saltem Græcis. Altera ratio est, quod numquam vel minimum attingat de ulla persona, aut de ullo facto, quod Constantino Magno vel Teridate sit posterius. Hoc autem difficile admodum fuisset homini, qui aliquot sæculis post scripsisset, præsertim si in chronologia parum fuisset versatus, et non paucos nominare voluisset principes, ut fecit hic noster. Quanto autem imprudentior fuit in exaggerationibus suis, et in confingendis mirabilibus, tanto facilius immiscuisset aliqua de rebus aut personis posterioribus, quemadmodum de prioribus multa immiscuit, nisi aut contemporaneus aut suppar fuisset* Gregorio, *Teridatique, de quibus præcipue agit, et quorum successores nullo unquam verbo attingit, sicut nec successores Constantini Magni in imperio, nec ullos alios* S. Gregorii *in episcopatu præter Arostacen, et Vertanem, quem* C Urthanem *vocat, ut presbyterum.*

imo neque tempus, quo obiisse Sanctum dicunt, Armeni,

81 *Accedit et tertia ratio ex silentio biographi nostri, qui multa prætermisit ex illis, quæ postmodum ab Armenis asserta sunt, et in Historia ipsorum nunc locum habent. Primo silet Agathangelus de loco et modo, quo obiit* S. Gregorius. *At de morte ejus ex Breviario Prædicatorum Armenorum ita habet Galanus cap.* 2 *pag.* 37 : Beatus illuminator noster Gregorius, ab humanis oculis occultatus asperam eremitarum vitam per multos jam duxerat annos in recessu cujusdam montis Daghaniensis provinciæ : cujus transitus ad Christum sciri a nemine potuit; nisi quod pastores nonnulli post aliquod tempus casu corpus eius invenientes, ibidem sepelierunt. *In utraque* S. Gregorii *vitæ Historia, quam num.* 64 *ex Armena Latinam factam dixi, idem refertur, et in prima pastores, invento corpore, dicuntur nescivisse,* quisnam esset. *Id vero tempore Zenonis imperatoris revelatum esse eremitæ, cui nomen erat* Garnicius, *utraque affirmat. Monierus pag.* 76 *similia de morte* S. Gregorii *in Historia Armena invenit, aitque defunctum in monte* Sepuh *nominato. Hæc omnia, quæ afferre volui ad simul explicandam Armenorum de morte* S. Gregorii *sententiam, prætermisit biographus, ex eoque conjici potest, eum scripsisse, priusquam corpus esset inventum. Nolim tamen pro certis asserere omnia illa, quæ de morte hic dicuntur, licet mors illa solitaria ex silentio biographi fiat verisimilis; et minus etiam ut certum admittere, quod additur in mox laudata vita Armena, inventum esse defuncti* corpus illius stans in cortice ejusdem arboris, *in qua obierat.*

AUCTORE J. S.

aliqua plura serius asserta omittit.

82 *Sic prætermisit biographus alia multa, quæ postmodum ab Armenis pro gloria ecclesiæ suæ excogitata sunt. Galanus cap.* 2 *refert multa privilegia, quæ* S. Gregorio *concessisset S. Silvester Papa. At nihil de his Agathangelus noster. Asserit, unum ex illis fuisse, ut liceret* S. Gregorio *patriarcham consecrare Albaniæ, et revera a* S. Gregorio *consecratum pro Albania alterum Gregorium, nepotem suum; de quo rursum tacet vita nostra. Mitto plura, quæ Monierus ex Historia Armenorum similiter narravit, altum de iis tacente biographo nostro, qui verisimiliter scripsit longo tempore, antequam illa essent inventa. Quapropter suspicor, scriptorem satis antiquum fuisse ad meliorem vitam concinnandam, sed magis fuisse sollicitum ad magna et mirabilia scribenda, quam ad veritatem diligenter investigandam et nunc sequendam.* E *Si vero multa de industria omisit, ne ætatem suam proderet, longe cautior fuit in ætate sua occultanda, quam in assertis fabulosis intra limites probabilitatis continendis. Quidquid sit, vera falsis miscuit.*

§ VI. Convertio Armeniæ Majoris attribuenda S. Gregorio; ea figenda sub initium sæculi quarti : alia quædam Vitæ capita confirmantur.

Fides ab Apostolis in Armenia prædicata : sed religio ibi defecit :

Q*uamquam SS. Bartholomeus, Thaddæus, et forsan alii ex Apostolis, fidem leguntur prædicasse in Armenia Majore, et apud populos vicinos, et procul dubio non paucos ad Christum converterint, tamen felicia illa principia cito videntur evanuisse, nullaque sequentibus sæculis ante* S. Gregorium *nostrum reperiuntur christianæ fidei vestigia in Magna Armenia, ut fatetur Monierus in Monumentis Missionum Orientalium tom. III, pag.* 67, *ubi ait, neque ex historia neque ex traditione Armenorum vel minimum innotescere de fide christiana apud Armenos conservata usque ad tempora fere Constantini Magni. Ait quidem Galanus cap.* 2, *innumeros in Armenia fuisse martyres, qui* S. Gregorii dormitionem in Armenia *præcesserunt, recte mortem* S. Gregorii *assignans, ut aliquos saltem inveniat. At minime probat de Armenia Magna, quam convertit* S. Gregorius, *ullos in ea post Apostolorum tempora fuisse martyres ante* S. Gregorium : *nam* Ripsime et Gaiana *cum Sociis passæ sunt* Gregorii *tempore, et aliunde in Armeniam advenisse dicuntur.* F

deinde in Magna Armenia ante Gregorium martyres,

84 *Decem millia martyrum Crucifixorum, qui in monte* Ararath *occubuisse asseruntur, nihilo magis prosunt ad Armeniam martyribus implendam. Nam illorum historia aut fabulosa, aut fabulis corrupta est, ut abunde probatum ad* 22 *junii. Si quid autem veri habent acta, milites illi erant Romani, nec in Armenia Magna fuerint passi, sed in monte aliquo, cui nomen* Ararath *pro sua libertate imposuerit scriptor fabularum*

rum amans. *Multos deinde martyres recenset Galanus, in Minore Armenia passos, qui ad propositum nostrum non conducunt, cum Armenia Minor esset provincia Romani imperii, nec dubium sit, quin fides Christiana in ea essset propagata diu ante conversionem Maioris Armeniæ per Gregorium.*

aut Christianos fuisse, probari non potest.

85 *Tillemontius tom. V Monum. Eccl. in Persecutione Diocletiani art. 44 dubitanter ex Eusebio lib. 6, cap. 46 argumentum profert pro vetustiore Armenorum conversione. Recenset ibidem Eusebius aliquot S. Dionysii Alexandrini Epistolas, et inter eas unam* ad Armenios similiter de pœnitentia, quorum episcopus erat Meruzanes. *Hinc ait de Meruzane:* Nomen istud barbarum præbet nonnullam rationem credendi, Magnæ Armeniæ fuisse episcopum. *Addit tamen, non esse ullam aliam istius suspicionis rationem. Et sane levissima est illa suspicio, cum non defuerint eo tempore alia similia nomina in imperio Romano. Attamen Bailletus ad 30 septembris in* S. Gregorio *Meruzanem facit episcopum in Maiori Armenia, et consequenter sine ullo argumento asserit, multos ibi Catholicos fuisse ante* S. Gregorium.

B *Verum constans Armenorum traditio* S. Gregorium *tribuit Armeniæ Magnæ apostolum: neque popularis est ista traditio, sed confirmari ea potest testimoniis ad hoc satis vetustis, et silentio omnium Patrum et scriptorum, qui circa illud tempus floruerunt, et nullum de Christianis Armeniæ Magnæ mentionem fecerunt. Itaque Meruzanem in Minori Armenia episcopum fuisse prorsus existimo, sicut omnes erant episcopi in Romano imperio, ad quos ibi scribit S. Dionysius.*

Conversi Armeni ante Iberos sub rege Teridate,

86 *Sozomenus lib. 2, cap. 8 de conversione Armenorum hæc scribit :* Nam quod Armenios attinet, jam dudum antea Christi fidem eos suscepisse comperi. *Hæc minus accurate ex Græco a Valesio data sunt. Narraverat cap. 7, Iberos tempore Constantini Magni conversos. Tum ait, finitimas gentes* postea *conversas, Armenos vero ante Iberos verba græca sic habent:* Ἀρμενίους δὲ πάλιν πρότερον ἐπυθόμην χριστιανίσαι. Armenios vero e contrario prius Christianos fuisse comperi. *Asserit, Armenos conversos ante Iberos, idque dicere poterat, etiamsi conversi fuissent, quando jam imperare in Occidente cœperat Constantinus. Nam cum Iberi legantur ad Constantinum legatos*

C *misisse, ut fœdus cum eo inirent, et prædicatores Christianæ fidei impetrarent, eorum conversio videtur figenda, quando post victum anno 323 Licinium solus imperabat Constantinus. Si vero voluerit Sozomenus, etiam ante Constantini imperium Christianam fidem ab Armenis susceptam, necesse est ad sæculum tertium respicere, aut ad primos annos quarti. Audiamus interim, quomodo eorum conversionem referat laudatus Sozomenus :* Aiunt enim, Teridatem gentis illius regulum (*græce* ἡγούμενον ducem) occasione cælestis cujusdam portenti, quod in domo ipsius acciderat, et ipsum Christianum esse factum, et subditis omnibus palam per præconem mandasse, ut eamdem religionem colerent. *Ex his confirmantur aliquot vitæ asserta, videlicet regis ipsius Teridatis conversio cum omni populo. Cæleste portentum forte insinuat revelationem, quæ sorori regis oblata invita asseritur, et quæ, si vera est, viam aperuit ad regis totiusque regni conversionem.*

ante annum 313;

87 *Christianam fuisse Armeniam annis non paucis, antequam solus imperaret Constantinus, et ante mortem Maximini imperatoris, anno 313 defuncti, liquet ex Eusebio lib. 9, cap. 8, ubi de* D *plagis Romano imperio illatis agit, et de Maximino sic loquitur:* Bellum insuper a tyranno commotum est adversus Armenios, jam inde a priscis temporibus amicos ac socios populi Romani: qui cum Christiani ipsi quoque essent, et divinæ religionis studiosissimi, Deo invisus tyrannus eos ad simulacrorum ac dæmonum cultum traducere per vim conatus, pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit. *De bello a Maximino contra Armenos gesto inferius sic brevissime loquitur :* Et ipse quidem in bello adversus Armenios una cum exercitu suo varias clades atque ærumnas pertulit. *Tillemontius bellum istud refert ad annum 312, nequit certe serius figi; sed inchoari potuit aliquot annis citius, cum Maximinus administraret Syriam ab anno 305, et sic Armenis esset vicinus. Non edicit Eusebius, quanto tempore jam tum Christiani fuissent Armeni. Tamen suspicari possumus, recentem fuisse eorum conversionem, eaque de causa adeo exacerbatum fuisse Maximinum, ut in alieno etiam regno leges ferre præsumeret. Hæc autem suspicio majores ex dicendis vires accipiet.* E

eorum conversio ex aliquo documento figenda anno 305 aut 306.

88 *Combefisius in auctario patrum Græcorum part. 2 a col. 271 edidit Narrationem brevem de rebus Armeniæ, cujus initium ad propositum nostrum conducit. Sic autem habet :* Dei amantissimo Constantino Magno imperatore, sancta Nicæna synodus contra Arium celebrata est, trigesimo quarto anno regis Tiridatis, ac vigesimo egressionis S. Gregorii ex lacu, sancto Rostace ac Patre eius episcopum (*lege* episcopatum) gerente, qui etiam ad synodum profectus est. *Hæ temporis notæ si omnino accuratæ essent, quod non contendo. principium conversionis Armenorum figendum esset anno 305 aut 306. Num constat, synodum Nicænam sub Constantino habitam anno 325. Si ergo hic annus erat vigesimus egressionis* S. Gregorii ex lacu, *sive ex tetro et diuturno carcere, de quo agam in Annotatis ad vitam; eductus est* Gregorius *anno 305 aut 306; eodemque tempore cœpta est Armeniæ regis omnisque populi conversio. Stante hac epocha, facile intelligitur, exacerbatum fuisse contra Armenos Maximinum, quod idola dejicerent, templa profana everterent, ac tandem ad bellum contra illos prosiluisse, quod cultum deorum, qui diu in Armenia viguerut, prorsus eliminarent.* F

ex Theophane sub Constantino, sub quo Cæsareæ sedebat Leontius,

89 *Huic epochæ favet Theophanes in Chronographia pag. 19, ubi ait : Pari quoque eventu ipsius (Constantini Magni) ætate Armeni Tiridatis eorum regis*, et Gregorii eorum episcopi hortatibus, fidem una cum salute susceperunt universi. *Cœpit imperare Constantinus anno 306. Itaque ex Theophane certe non citius, sed forte paulo serius figenda esset conversio, Accedit Leontius, Cæsareensis in Cappadocia episcopus, a quo* S. Gregorius *consecratus creditur, ad epocham datam utcumque confirmandam. Nam Leontius anno 325 interfuit concilio Nicæno, et superfuit post Nicænum, nescimus quanto tempore, ut verisimile fiat, ipso sæculo 4 factum episcopum, aut non diu ante, sed de anno ipso, quo sedere cœpit, nihil certi potest statui. At saltem episcopum non fuisse a medio sæculo 3, nec a tempore S. Dionysii Alexandrini, qui anno 264 aut 265 obiit, aliunde certum est: nam obeunte S. Dionysio Alexandrino, in cathedra Cæsareensi sedebat. Firmilianus, cujus obitus a Tillemontio figitur anno 269. Quare Meruzanes, de quo supra actum est, non erat Majoris Armeniæ episcopus, cum primus post Apostolos habeatur* S. Gregorius.

Utrum

A *trum inter Firmilianum et Leontium alii sederint intermedii, invenire non potui. Id tamen verisimillimum est.*

et ex omnium collatione sub initium sæculi 4.

90 *Si modo conjungamus testimonia hactenus recitata, eaque etiam componamus cum vita edenda, omnia satis concordabunt ad conversionem Armeniæ cum initio episcopatus* Gregorii *figendam sub initium sæculi quarti. Contemporaneus testis est Eusebius de plena eorumdem conversione ante annum 312, post quem figi nequit bellum, quod ea de causa sustinuerunt. Hinc serius eorum conversio figi saltem non potest, quam circa annum 310; sed figi potest citius, si aliunde nihil obstat. Sozomeni verba tempus conversionis minus determinant: at epochæ datæ saltem congruunt, nec sinunt, ut multo serius credamus conversos Armenos. Theophanes, qui chronicum suum ex vetustioribus documentis sæculo 8 aut 9 conscripsit, pro Armenorum conversione assignat imperium Constantini: quod ad priores Constantini imperantis annos necessario restringendum ex Eusebio. Itaque verisimiliter non longe a vero aberrat Narratio rerum Armenicarum, quæ ad annum 305 aut 306 reducit Armenorum conversionem. Hæc quoque epocha cum Leontio, qui* Gregorium *consecravit,* B *recte cohæret, ut jam dixi, et cum vita edenda. Veruntamen non tam stricte epocham illam asserendam existimo, cum verba Eusebii et Sozomeni id non exigant, aliorum vero auctoritas tanta non sit, ut nequeamus timere, ne forte aberraverint ad aliquot annos. Quapropter malim late sub initium sæculi quarti conversionem Armeniæ collocare, quam eamdem intra unum alterumve annum coarctare sine idoneis argumentis.*

Aliquot vitæ asserta

91 *Verum priusquam plura de chronotaxi dicamus, nonnulla vitæ asserta confirmemus. Gregorius aut Georgius, presbyter Cæsareensis, in Oratione de partibus Nicænæ synodi, quam latine edidit Lipomanus tom. 6, a fol. 116, circa finem agit de S. Leontio Cæsareensi, quem multum pro fide ait laborasse ante Nicænam synodum, multorumque martyrum magistrum fuisse. Inter discipulos vero S. Leontii etiam numerat* S. Gregorium *nostrum, de quo hæc scribit :* Ex iis enim unus quoque est Gregorius, magnus inter victores athletas, qui invenit reliquias sanctarum martyrum Ripsimes et Gaianæ, et impudicum Teridatem prius quidem evertit, deinde autem ad fidem deC duxit. *Ex his verbis primo habemus, sanctas* Ripsimen *et* Gaianam *revera martyrio coronatas in Armenia, earumque reliquias deinde ibidem inventas a* Gregorio *: utrumque in vita asseritur. Secundo, cum impudicum vocat Teridatem, utcumque insinuat, laudatas virgines pro castitate sua passas, quod regis libidini nollent consentire, prout vita rursum habet.*

aliunde confirmata,

92 *Tertio conversio regis Teridatis per* Gregorium, *de qua ex pluribus aliis documentis constat, clarissime confirmatur. Quarto verba illa;* Teridatem prius quidem evertit, *omnino significant, grave aliquot malum accidisse Teridati, priusquam converteretur, ut gravissimum illud, quo in vita rex in formam apri conversus dicitur, forte non omni careat fundamento, ut pluribus dicam in Annotatis. Quinto demum allegata verba* Gregorium *faciunt S. Leontii discipulum : et vita similiter* Gregorium *in ecclesia Cæsareensi instructum asserit. Videtur tamen ante episcopatum Leontii præceptis vitæ christianæ imbutus. At id non obstat, quo minus multa quoque a Leontio discere potuerit. Fortasse tamen ob consecrationem et documenta tunc accepta solum Leontio tribuitur discipulus.*

et nominatim consecratio ejus per S. Leontium

93 *Apud Combefisium laudatum a col.* 317 *edita est Invectiva in Armenios hæreticos Isaaci Catholici, in qua de* S. Gregorio *nostro frequenter fit mentio. De ordinatione* S. Gregorii *per Leontium dictus Isaacus cap.* 13, *col.* 367 *ex interpretatione Combefisii ita scribit :* Nam sanctus Gregorius, qui Armeniorum episcopus fuit, ac Leontius beatissimus Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopus, qui eumdem Gregorium ordinavit, securitatis pactum inter se inierunt, ut qui pro tempore Armeniorum episcopus præficeretur, ab ecclesia ac pontifice Cæsariensi ordinationem acciperet, ex qua ipse a principio Gregorius sacerdotium accepisset : quæ omnia in libro de Vita ac martyrio S. Gregorii accuratius explicantur. *In secunda Invectiva col.* 402 *idem contra hæreticos Armenos urget et probat hoc modo :* Nam Gregorius Magnæ Armeniæ episcopus ordinationem accepit in Cæsarea urbe. Cum ergo magnus pontifex Leontius malignam Armeniorum mentem perspectam haberet, per litteras significavit Tiridatæ regi in hæc verba : « A me sacerdotium accepistis : maneat ergo meæ sedi inconcussum jus E ordinationis in vestra metropoli. » Accepitque validum ac firmum rescriptum hujus tenoris : « Hujus rei sponsores exhibemus dexteram Excelsi, ac pretiosam crucem etc. » *Epistola tota ibidem legi poterit. Isaacum illarum Invectivarum auctorem Combefisius* Sancti *titulo honoravit, uti et Niconem, cujus verba jam dabo; nescio tamen, an satis certo illis scriptoribus titulus* Sancti *congruat : id examinari poterit de S. Nicone ad 26 Novembris.*

in ecclesia Cæsareensi stabilitur.

94 *In Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. XXV, pag.* 328 *exstat fragmentum Opusculi de erroribus Armenorum, quod Niconi a quibusdam tribuitur, rectene an secus, non est opus hic examinare. Quisquis fuerit ille Nicon, ordinationem* Gregorii *per Leontium fortiter asserit, et alio rursum argumento confirmat, ita scribens :* Deinde cum magnus Gregorius, qui fuit magnæ Armeniæ episcopus, cavisset Armeniæ episcopum a nullo alio esse ordinandum, quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopo, ubi ipse quoque ordinatus est; et horrendæ execrationes et anathema in eos sit intentatum, qui aliter faciunt, hæc quidem illi transgrediuntur.... Sin autem negant ma- F gnum Gregorium hæc constituisse; ostendant nobis ejus ad filios constitutiones, et os eis obturabitur. *Demum Gelasius Cyzicenus in Historia concilii Nicæni lib.* 2, *cap.* 36 *recenset episcopos, quibus per varias orbis partes commissa est cura promulgandi statuta concilii. Inter hos de Leontio Cæsareensi sic habet :* Leontius Cæsareæ Cappadociæ, magnum ecclesiæ Domini ornamentum, ecclesiis in eadem Cappadocia, Galatia, Ponto Diusponti, Paphlagonia, in Ponto Polemaico, Armenia Parva et Magna. *Hæc rursum innuunt, tam Armeniam Magnam Cæsareensi in Cappadocia ecclesiæ obnoxiam fuisse, quam reliquas provincias enumeratas. Quare non video dubitandum esse de asserta in vita* S. Gregorii *consecratione in ecclesia Cæsareensi per S. Leontium.*

In concilio Nicæno fuit successor Gregorii : ex quinque ibi subscriptis

95 *Vita num.* 169 *asserit, concilium Nicænum vivente* S. Gregorio *habitum, sanctum tamen eo non venisse, sed misisse filium suum* Arostacen, *quemadmodum etiam nunc habet historia et traditio Armenorum. Consentit hac de re Narratio de rebus Armeniæ, cujus verba dedi num.* 88, *in qua*

AUCTORE J. S.

qua vocatur Rostaces. *In subscriptionibus concilii Nicæni apud Labbeum tom. II Conciliorum col.* 52 *leguntur quinque episcopi* provinciæ Armeniæ Majoris. *Verum cum menda non pauca in subscriptiones videantur irrepsisse, forsan non erunt omnes illi Majoris Armeniæ : nam unus illorum dicitur episcopus* Amasæus, *quæ civitas est Ponti, ut addendus videatur episcopis Ponti, qui ibidem sequuntur. Qui autem ex illis creditur fuisse* S. Gregorii *filius, ibi legitur* Acrites, *notaturque in margine* Aristarces, *et alias* Aristæus. *Baronius ad annum* 311, *num.* 27 *hunc pro successore* S. Gregorii *assignat, aitque nomen in subscriptionibus corruptum, et vocari* Arostaoem, *videlicet a Metaphraste apud Surium. Id secutus est Binius in annotatis ad subscriptiones, et Tillemontius tom. VI in Concilio Nicæno art. 4. Verum* Acrites *subscripsit ut* Diospontanus. *Ex verbis autem Gelasii Cyziceni mox datis videtur* Diospontum *regio fuisse distincta ab utraque Armenia, cum ibi memoretur* Pontus Diosponti.

Unumquam Majoris Armeniæ, unicus ad eam spectare videtur.

96 *Carolus a S. Paulo in Geographia sacra* Diospontum *recenset ut episcopatum Armeniæ secundæ, allegans* Acriten, *de quo agimus. At Holstenius in annotatis pag.* 248 *observat,* Diospontum *videri provinciam, non urbem, ita scribens* B *ad vocem* Diospontum : Episcopatus supposititius ex codicum vulgarium confusione natus. Manuscriptus antiquissimus Diospontu sic seorsum ponit, ut provinciæ nomen, cui deinde subjicitur Eutychianus Amasiæ episcopus. Unde certum est, Diospontum ante fuisse, qui postea Hellenopontus * appellatus fuit. Ita quoque Ortelius Dispontum a veteri medico appellatum observavit. *Rursum pag.* 250 *ad vocem* Helenopontus, *ait,* Qui ante Diospontus. *Hæc omnino confirmantur ex verbis Gelasii Cyziceni jam datis. Itaque unum duntaxat Majoris Armeniæ episcopum in concilio Nicæno fuisse existimo, prout nec vita* Gregorii, *nec Narratio de rebus Armeniæ, nec historia aut traditio Armenorum de pluribus meminerunt. Ille autem apud Labbeum col.* 52 *legitur post titulum* Provinciæ Armeniæ majoris *primo loco ita subscriptus :* Arsaphius Sophenensis, *aut* Arasphius Sophonensis. *Hujus nomen non adeo corruptum est, ut nequeat idem credi cum successore* S. Gregorii. *Nam is in vita nostra vocatur* Arostaces, *apud Surium* Arostanes, *apud Combefisium* Ro- C staces, *apud Galanum cap.* 3 *et hodiernos Armenos* Aristarces. *Hunc solum, inquam, ex Majori Armenia in concilio fuisse existimo, sicut unicus ex Perside illi interfuisse legitur. Quod autem dicitur* Sophenensis, *ostendit eum ex Majori fuisse Armenia, cujus regio nota est* Sophene. *Hæc enim aut civitatem poterat habere cognominem, aut nomen dare episcopo, quod unicum haberet. Carolus a S. Paulo Sophenen non recte adscripsit Armeniæ secundæ, quæ pars est Minoris, ut etiam observavit Holstenius.*

* al Helenopontus

In illo concilio non fuit Gregorius : nec tamen mortuum fuisse,

97 *Nicephorus Callistus lib.* 8, *cap.* 14 *recenset multos concilii Nicænis episcopos, ex iisque non paucos nominat, qui varia pro Christi nomine erant passi. Inter hos ab eo numeratur* Gregorius Majoris Armeniæ, *acsi concilio adfuisset. At vita id negat, et Armeni ipsi numquam* Gregorium *ipsum, sed ejus filium ac successorem in concilio fuisse dixerunt. Quare recte eum Nicephori lapsum observavit Baronius jam laudatus, sed addit rationem minime probandam, hæc scribens :* At manifesti erroris arguitur Nicephorus, cum ait interfuisse Nicænæ synodo hujus prædecessorem Gregorium, quem longe antea constat esse defunctum. *Verum contra hanc Baronii conjecturam* D *et vita nostra* Gregorium *tempore concilii facit viventem, et Narratio de rebus Armeniæ apud Combefisium : Galanus quoque et Monierus ed Historiis Armenis scribunt,* Gregorium *tempore concilii Nicæni superfuisse. Quid ergo in contrariam opinionem impulit Baronium? Procul dubio Metaphrastes, licet ne hic quidem afferat mortem* Gregorii *ante concilium Nicænum, sed solum referat, filium a Patre consecratum episcopum, et tunc subjiciat :* Cumque eum consecrasset, et universam circumcirca regionem cum eo obivisset, et verbo fidei eos amplius confirmasset, in eam, quam jam olim parturierat, revertitur solitudinem. *Tum loqui incipit de Constantino imperatore, et de concilio Nicæno, ad quod, inquit,* accessit etiam Armeniæ episcopus Arostanes : *nec vel minimo verbo insinuat, utrum* S. Gregorius *tum viveret, an defunctus esset; nec mortem Sancti refert. Itaque sententia Metaphrastæ prorsus est ambigua, et nihil pro morte* Gregorii *habuisse videtur Baronius præter conjecturas.*

habet Armenorum vetusta traditio, cui nulla obstat ratio.

98 *Mortuum crediderit, opinor, quod filius ejus profectus sit ad concilium, quodque de vita* Gregorii *nihil amplius memoret Metaphrastes. At vita nostra, ex qua Metaphrastes omnia hausit, asserit,* Gregorium *vixisse post concilium, fide-* E *que et canonibus concilii usum esse ad populum erudiendum; nec ita affixum fuisse solitudini, ut* *supremam ecclesiæ suæ curam non gereret. Quare, si omnino contrarium diceret Metaphrastes, non esset audiendus contra vetustiorem vitam, quam past aliquot sæcula secutus est, et contra omnem Armenorum traditionem et historiam. Conversionem Armeniæ retulit Baronius ad annum* 311, *et licet aliquot annis citius factam existimem, ea certe epocha nequit prodesse ad mortem* Gregorii *figendam ante annum* 325, *cum Armeni annos triginta aut plures ejus episcopatui tribuant. Bailletus in* S. Gregorio *figit mortem Sancti modico tempore ante dominium Constantini in Oriente, sive ante victum Licinium, et sic aliquot annis ante concilium Nicænum; sed nec rationes hic allegat nec de chronotaxi vitæ* Gregorii *recte scripsit. Fateor quidem, vitam* S. Gregorii *non esse tantæ fidei, ut ex ea certum fiat,* Gregorium *superfuisse post concilium; quod tamen omnia vetustiora et recentiora Armenorum documenta idem asserant : id mihi saltem videtur pro-* F *babilius, et omnino sequendum; cum nulla obstet alicujus momenti ratio. Non venit ipse ad concilium : sed Senem excusare verisimiliter poterat infirmitas corporis, aut ætas grandæva. Teridatem Armeniæ regem Bailletus etiam aliquot annis citius defunctum dicit sine ulla ratione. Examinemus igitur, an Teridates, cujus tempore conversa est Armenia, videatur vixisse anno* 325, *uti in vita* S. Gregorii *asseritur.*

Vivebat etiam Teridates, nec contraria probat Lex mendosa,

99 *Baronius ad annum* 325, *num.* 27 *recitat Legem de Annona et Tributis, quæ videri potest apud Gothofredum in Codice Theodosiano tom. IV, pag.* 6. *In hac Lege, quæ tribuitur Constantino Magno, quæque secundum consules additos, figenda esset anno* 315, *mentio fit* Arsacis regis Armeniorum. *Si autem anno* 315 *rex Armeniorum erat Arsaces, Teridates, sub quo conversa est Armenia, non superfuit usque ad annum* 325. *Baronius ait, Arsacem fuisse Minoris Armeniæ regem. At id probabile non est, quia Minor Armenia iis temporibus regem non habebat, sed diu redacta fuerat in provinciam imperii Romani. Itaque melior est sententia Gothofredi, qui in Commentario*

A *mentario observat, non solum Arsacem Armeniæ regem non convenire temporibus Constantini Magni, sed nec Datianum patricium, nec Eusebium* ex consule et ex magistro equitum et peditum, *qui in eadem Lege memorantur. Hinc autem suspicatur, corruptos esse in Lege consules et subscriptionem,* Constantioque imperatori eam adscribendam. *Tres enim dictæ personæ sub Constantio facile inveniuntur, et notissimæ sunt. Ejusmodi menda in codice non raro occurrunt, et nisi consulum corruptio admittatur, necessario admittenda est alia : nam Lex data legitur* Constantinopoli. *At anno* 315 *nomen* Constantinopolis *notum non erat, et Byzantium, cui deinde illud nomen datum est, necdum erat in ditione Constantini. Quapropter, etiamsi Gothofredus nihil ausus sit mutare, ejus opinio de referenda Lege ad Constantium certa mihi videtur; nec obstare potest, quo minus Teridates vixerit anno* 325, *et serius.*

sed chronotaxis Armenorum, cum Romana historia

100 *Qualemcumque chronotaxim regum Armeniæ ex Historiis Armenorum contexuerunt Galanus et Monierus, ex qua huc transferam nonnulla ad confirmationem. Post* S. Gregorium *Armenorum patriarcha fuit Aristorces aut Arostanes* B *ejus filius, ut fertur, annis septem, sed hi pro majore parte videntur includendi vitæ* Gregorii. *Tum successisse dicitur Vertanes, alter, ut volunt,* S. Gregorii *filius, annis quindecim. Hujus patriarchæ tempore mortem regis Teridatis ponit Galanus, ejusque filii ac successoris Chosroïs II, quem improbum vocat, additque :* Qui, relicto regni ac suæ iniquitatis hærede Dirano filio, cito vitam finivit. *Post Vertanem patriarcha ponitur Hesychius annis sex sub rege Dirano. Tum* Parniersch *annis quinque patriarcha, cujus tempore in regnum successit Arsaces : nam Diranus mortuus dicitur* non multo post *Hesychium patriarcham. Monierus de patriarchis et regibus jam recensitis, et de tempore singulis assignato consentit; sicut etiam de regum et patriarcharum numero consonat Narratio de rebus Armeniæ apud Combefisium, ubi prætermissi sunt anni. Restat ergo, ut inquiramus, an Arsaces, qui notissimus est in Romana historia, ad eadem fere tempora referatur ab Armenis et Romanis Scriptoribus.*

collata, omnino insinuat,

101 *Vertanes et Hesychius patriarchæ simul fere impleverunt tempus, quod fluxit inter Teridatem et Arsacem. Nam Galanus cap.* 5 *refert,* C *Hesychium, a Dirano rege occisum, et subdit :* Ipse porro Diranus non multo post debita suæ impietati animadversione plexus est : nam cæcus effectus, impatienter ac miserabiliter sibi mortem conscivit. *Quare, si Vertanes factus est patriarcha septem annis post concilium Nicænum, sive anno* 332, *mors Hesychii venit figenda circa annum* 353, *et sic secundum Armenos ad regnum pervenerit Arsaces circa* 354 *aut* 355. *Si quis patriarchatum Vertanis crediderit citius figendum, citius etiam Arsacem ad regnum perducere poterit. At verisimile non est, Arsacem citius ad solium Armeniæ fuisse elevatum. Nam Tillemontius tom. IV Imperatorum variis vicibus de Arsace meminit, et in Constantino Magno art.* 60 *asserit, Arsacem anno* 360 *nuptiis junctum fuisse cum Olympiade, quæ antea Constanti imperatori fuerat desponsata. Ammianus libro* 20, *cap.* 11 *rem narrat, et tum primum de Arsace meminit.*

Teridatem post annum 325 superfuisse.

102 *Quare ex matrimonio tum inito utcumque colligitur, juvenem anno* 360 *fuisse Arsacem, et sic chronotaxis Armenorum non videtur longe abesse a vero : secundum hanc enim Arsaces anno* 360 *paucis solum regnaverat annis. Itaque Armenica illa chronotaxis satis congruit cum Romana, ut iterum colligitur ex Nierse, qui patriarcha factus est post omnes jam recensitos, et recte cum imperio Theodosii Magni ab Armenis connectitur, ut ex subductis annis quilibet colliget. Igitur non adeo vitiosa est chronotaxis illa Armenorum, ut negari debeat, Teridatem et* S. Gregorium *superfuisse post concilium Nicænum. Nam cum hi duo essent personæ præcipuæ, auctor Anonymus, qui sæculo* 7 *chronotaxim illam componebat, illud saltem rescire poterat ex vetustis monumentis. Si autem ad aliquot annos subinde aberraverit, vel sic tempus illud, quod inter Teridatem et Arsacem ponitur, recte congruet cum historia Romana, et sic semper erit probabilius, Teridatem circa annum* 330 *obiisse, quam ante* 325.

AUCTORE J. S.

§ VII. Duplex chronotaxis gestorum S. Gregorii, aliorumque in vita relatorum; prima secundum vitam, eaque non satis probabilis : altera solum pauca complectens capita. E

Secundum vitam, relatorum in ea, hæc fere chronotaxis.

P*ræter capita vitæ modo confirmata, in eadem non pauca alia reperiuntur vera, quemadmodum multa etiam fabulosa, aut nimiis exaggerationibus corrupta, ut in Annotatis ostendam. Ut vero studiosus lector de singulis rectius judicare valeat, duplicem dabo chronotaxim. Prima presse inhærebit vitæ : altera solum ordine deducet certiora vitæ capita. Agathangelus, ut dorent, quo genere natus fuerit* S. Gregorius, *vitam ejus orditur a ruina imperii Parthorum, quod sæculo* 3 *translatum est ad Persas. Historia hæc vera est, et apud scriptores Græcos et Latinos notissima, exceptis forte aliquot adjunctis, quæ aut alibi inveniet, aut confinxit Agathangelus noster. Primus Persarum rex, qui Artabanem Parthorum regem de solio dejecit, a Latinis passim vocatur Artaxerxes, a nostro Artasiras, ut jam dictum. Si a vera hac historia ordiamur, et reliqua pro veris admittamus, chronotaxis* S. Gregorii *et regis Teridatis ejusmodi figenda erit.* F

Ex tempore translati ad Persas imperii

104 *Rebellionem Artasiræ sive Artaxerxis contra Artabanem Parthorum regem, quem* tribus præliis, *ut habet Xiphilinus in Compendio Dionis, superavit et occidit, ab aliis video figi anno* 225, *ab aliis* 226, *et rursum* 227. *Biographus noster modo admodum probabili insinuat, non uno anno finitum fuisse bellum istud intestinum, sed saltem duobus annis bellatum fuisse, antequam occideretur Artabanes, et probabilius tertio tantum anno occisum. At mors Artabanis figenda certe non est post annum* 228, *cum relata sit a Dione, qui ultra illum annum scribendo non processit. Occiso Artabane, ad bellum se paravit rex Armeniæ, qui in vita* Cufaro *vocatur, et ab Armenis hodiernis* Chofroës, *asseriturque fuisse pater Teridatis, sub quo conversa est Armenia.*

belloque inter Persas et Armenos

105 *Quare initium belli inter Cusaronem et Artasiram locari debebit anno* 229 *aut* 230. *Fudit Cusaro primo anno exercitum Artasiræ, secundo anno multa in ditione inimica rapuit spolia,* et num. 12 hoc modo deinceps in annos decem *fecisse asseritur. Hi perducunt usque ad annum* circiter

AUCTORE J. S.

circiter 240, si decem anni distinguantur a prima Cusaronis expeditione, in qua Persas prælio superavit; aut etiam paulo longius, si etiam annum secundum ab illis decem biographus distinguere voluerit. Ex Romana historia etiam fit certum, post mortem Artabanis Parthorum regis bellum fuisse inter Persas et Armenos, et hos initio fuisse victores, testatus est Dion. Ex eodem rursum fit probabilissimum, bellum istud fuisse diuturnum et ad annos facile quindecim continuatum a Persis contra Romanos eorumque fœderatos Armenos. Nam certe inchoatum non est post annum 229, nec finitum videtur ante annum 244, quo pax inita est inter Philippum imperatorem et Saporem Persarum regem. Initium in Dionis compendia sic narrat Xiphilinus: Artaxerxes enim Persa, cum Parthos tribus præliis superasset, atque Artabanum regem eorum interfecisset, irruit in Armeniam. Ex qua pulsus ab incolis, Medisque nonnullis et filiis Artabani, in fugam se conjecit, ut quidam putant. Nam alii recessisse aiunt, ut majores copias compararet.

diu continuato.

106 *Hujus belli causa Alexander imperator exercitum duxit in Orientem, et anno 233 tribus agminibus ditiones Persicas ingredi voluit, ut fusius narrat Tillemontius tom. III Imperatorum in* B *Alexandro art. 21 et sequentibus. Ex his agminibus unum per Armeniam transivit, et procul dubio sibi adjunctum habuit Armenorum exercitum, et sic Mediam Persarum provinciam invasit. Reducto autem exercitu, mox anno sequenti 234 Alexander, cum intellexisset, teste Herodiano,* Germanos Rhenum Danubiumque transgressos, *cum omnibus fere copiis recessit sine ulla pace cum Persis inita. Itaque satis intelligimus, quomodo Armeni cum aliis fœderatis Romanorum ac relictis Romanorum copiis bellum multis annis continuare potuerint contra Persas, quorum vires erant attritæ. Hæc autem potest esse ratio, cur Romanæ provinciæ usque ad annum 241 parum aut nihil legantur passæ in Oriente, etiamsi bellum esset cum Persis, et paucos ibi milites haberent Romani.*

circa 241 occisus Cusaro pater Teridatis.

107 *Cædes Cusaronis Armeniæ regis, quem pater* S. Gregorii *Anac dolose occidisse asseritur tempore veris, post duodecim belli annos, quando iterum cogitabat in Persidem irrumpere, sic figenda erit anno 240 aut 241. Hanc cædem in Ro-* C *manorum historiis non invenio, ideoque incerta videtur. Mutatio tamen notabilis, quæ anno 241 inducta est in res Persarum et Romanorum, ejusmodi facto qualemcunque affert verisimilitudinem. Nam anno 241 ingentes in Mesopotamia et Syria progressus fecerunt Persæ, ut Antiochiam usque pervenerint, eamque ceperint, sicut claris verbis edicit Julius Capitolinus in Gordiano imperatore pag. 162. Hac de causa Gordianus anno 242 cum ingenti exercitu in Orientem profectus est, et aut eodem anno aut sequenti Persas sæpius profligavit, urbesque in Syria et Mesopotamia amissas recepit. Jam vero secundum vitam rex Persarum, intellecta cæde Cusaronis, exercitum suum duxit in Armeniam, eamque totam occupavit. Itaque, si anno 240 occisus est Cusaro, reliquum illius anni impendere potuit rex Persarum ad Armeniam occupandam, et anno 241 Syriam et Mesopotamiam aggredi. Si vero cædes facta est an. 241, ut probabilius est, quia Gordianus Roma non discessit ante annum 242, potuit rex Persarum eodem anno Armeniam occupare, et eodem tempore cum parte exercitus, aut postea cum toto exercitu Romanorum provincias invadere, ac pro-* D *gredi etiam anno 242, donec Gordianus cum Romano exercitu adveniret. Hæc omnia rectissime cohærerent, modo cædes Cusaronis per Anacum et occupatio Armeniæ, tam nota essent in historiis Romanis, quam nunc sint in Armenicis. Verum nec de cæde regis Armeniæ, nec de occupata eo tempore a Persis Armenia, vel verbum reperire potui apud historicos rerum Romanorum.*

natus circa 240 Gregorius, circa 230 Teridates:

108 *Pergamus tamen cum vita ad chronotaxim nobis propositam. Cæso Cusarone, Anac ipse in fuga accisus dicitur. Ex consanguineis, qui etiam plerique sunt occisi; servati sunt duo infantes, ex iisque* Gregorius *fuga delatus asseritur in ditionem Romanorum, educatusque Cæsareæ in Cappadocia. Alter, qui non nominatur, dicitur in Persidem delatus. Secundum hæc ergo natus est* S. Gregorius *circa annum 240. Deinde num 16 rex Persarum dicitur omnes Armenos fecisse captivos. At unus captivorum, qui evasit, unum ex filiis Cusaronis servavit,* non minimum puerum, *ut videatur jam octennis aut decennis fuisse Teridates, quando pater ejus Cusaro est occisus. Quapropter Teridatis nativitas ex hisce figenda est late circa 230. Verum hæc ætas Teridatis summas habebit difficultates, si cum Agathangelo Armeniam* E *sub ipso conversam dicamus.*

et post relata de utroque,

109 *Interim pergamus cum eodem.* S. Gregorius *uxorem duxisse dicitur Cæsareæ et duos genuisse filios. Id matrimonium late figi potest circa 270. Teridates vero regnum paternum recipere potuit in bello, quod Carus imperator contra Persas gessit anno 283 aut etiam aliquot annis citius aut serius per occasionem nobis ignotam.* Gregorius, *qui pati cœpit non diu post receptum a Teridate regnum, certamina sua pro fide inchoare potuit circa 290, eoque tempore in tetrum injici carcerem aut puteum, ut ibi moreretur. Si autem ibi manserit annis quatuordecim, eductus fuerit circa 304. et circa id tempus cœpta est conversio Armeniæ. Ordinatus episcopus* S. Gregorius, *cœptam Armenorum conversionem continuavit, ecclesiasque plurimas ædificavit et episcopos ordinavit, aliosque clericos.*

mortuus Gregorius circa 326, Teridates circa 330.

110 *Cum autem vitæ solitariæ amans esset* Gregorius; *omnibus recte in Armenia constitutis, dicitur episcopum ordinasse filium Arostacen, quod factum est ante annum 325, sive ante concilium Nicænum, cui Arostaces interfuit, vivente* Gregorio, *sed ob senium aut corporis infirmitatem ad concilium non veniente. Dicitur porro* Gregorius F *aliquo tempore post concilium vixisse, et sic obitus ejus figi potest circa annum 326, quando ex data chronotaxi annos numerabat circiter octoginta et sex. Teridates vero etiam post* Gregorium *superfuit secundum vitam, ut mors ejus figenda veniat circa annum 330, quando annos numerare debebat circiter centum. Tam grandæva utrinque ætas non quidem prorsus esset incredibilis, si assereretur a scriptore fideli et accurato: sed fidem hic difficulter inveniet ob manifestos Agathangeli in aliis excessus, præsertim ætas Teridatis, cum datæ chronotaxi hujus vitæ et alia efficaciter repugnent.*

At hæc chronotaxis videtur contraria historiæ,

111 *Prima enim Armenia ab anno circiter 240 fuisset Persis obnoxia, donec Teridates auxilio Romanorum paternum regnum recuperasset. Fuit revera sæculo 3 Armenia aliquo tempore sub patrocinio Persarum. At id cœptum videtur serius. Etenim Zonaras in Annalibus lib. 12, cap. 21 in galla imperatore scribit sequentia :* Sub hoc motus Persarum recruduit, qui Armeniam occuparunt, Tyridate rege fuga elapso, cujus filii se ad hostes

A hostes contulerant. Hæc ponenda sunt anno 252 aut 253, nisi contigerunt eo ipso anno 251, quo imperium adeptus est Gallus. Zonaræ eatenus consentit Zozimus in Gallo, quod asserat, Persas in ditione Romanorum prædabundos incurrisse, ita scribens: Persæ vero in Asiam (id est Minorem) pedem intulerunt, tum Mesopotamiam excidio dantes, tum in Syriam progredientes, ad ipsam usque Antiochiam, donec et illam cepere totius Orientis metropolim... Ac Persis quidem in proclivi fuisset tota potiri Asia, si non ob immensam vim spoliorum, libenter ea servare domumque deportare maluissent. Hæc ipsa verba insinuant, Armeniam prius occupatam fuisse a Persis, quia non poterant in Asiam Minorem intrare, nisi per Armeniam aut Syriam. Itaque probabilius est, circa annum 252, non circa 240, Armeniam fuisse occupatam a Persis, et ab Agathangelo duos Armeniæ reges confusos.

pluresque admittendi reges, quibus nomen Teridates,

112 Nam Teridates ille, de quo meminit Zonaras, si jam circa annum 252 filios habebat, nequit probabiliter credi idem cum Teridate, sub quo Armenia est conversa. Præterea Teridati illi nequeunt etiam convenire, quæ de Teridate nostro in B Vita leguntur. Nam noster legitur puer fugisse, et post diuturnum exsilium in regnum rediisse, istudque deinceps non amisisse. At Teridates, de quo agit Zonaras, amisit regnum, quod jam in virili ætate possederat, eoque etiam carebat, quando Valerianus imperator a Persis fuit captus, anno 259 aut 260. Nam apud Trebellium Pollionem pag. 174 legitur Epistola Artabasdi Armeniorum regis ad Saporem regem Persarum, cui auxilia se misisse ait. Erat ergo circa 260 rex Armeniæ Artabasdus Persarum amicus. Quare Teridates ille, qui fugisse legitur circa 252, aut exsulabat etiam tum, aut defunctus erat.

et tertius ponendus ille, sub quo Armenia conversa.

113. Potest ergo ille esse pater Teridatis, sub quo Armenia est conversa, aut etiam avus, si senex erat, dum fugit, ut satis fit verisimile: sed non videtur Teridates ille, sub quo conversa est Armenia. Plures certe fuerunt reges Armeniæ, quibus nomen erat Teridates. Tres invenire se credidit Tillemontius in Imperatoribus, sed hi fortasse ad duos reduci poterunt, et sic sub tertio conversa erit Armenia. Teridates I spectat ad sæculum 1, et a Nerone coronam accepit. Alter Teridates, quem Tillemontius secundum vocat, anno 217 co- C ronam accepit ab imperatore Macrino, ut narrat tom. III in Macrino art. 4. Tertium denique ponit illum, quem circa 252 expulsum vidimus a Sapore Persarum rege. At hic facile idem esse potest cum secundo, cum nullus reperiatur intermedius, et ab anno 217 usque ad 252 solum anni numerentur triginta et quinque.

Hinc incertum, quod de patre Teridatis dicitur, ut alia multa.

114 Inter reges Armeniæ, quos Galanus cap. 1 enumerat ante Teridatem, qui cum S. Gregorio floruit, nullum alium ponit ejusdem nominis, cum duos saltem et forte tres invenerimus, et alios etiam tribus prioribus æræ Christianæ seculis Armeniæ reges deprehendamus, quos non recensuit Galanus. Nihil ergo habere possumus de tempore, quo Chosroës aut Cusaro, si omnino pater Teridatis est dicendus annumerandusque Armeniæ regibus, regnum obtinuit. Potuit esse successor Artabasdi, quem circa annum 260 Armeniæ regem vidimus, et sic pater esse Teridatis, de quo quærimus. At sic falsum erit, Cusaronem fuisse Armeniæ regem, quando Parthorum regnum ad Persas translatum est, cumque bella gessisse contra Artaxerxem Persam. Contra, si quis eo tempore Cusaronem in Armenia regnasse existimaverit, et contra Artaxerxem bella gessisse; statuendus erit inter duos Teridates, poteritque filius esse Teridatis, qui anno 217 coronam a Macrino accepit, pater vero alterius, qui circa 253 coactus est ex Armenia fugere, sed nequit probabiliter statui pater Teridatis nostri, sub quo conversa est Armenia; sed aut avus aut proavus illius esse poterit. Verum hæc omnia nimis incerta sunt ad prudentem formandam conjecturam, aut chronotaxim satis probabilem. Nam incertum est, an pater Teridatis nostri dictus fuerit Cusaro aut Chosroës: incertum, an ille fuerit occisus per submissum a rege Persarum sicarium: incertum, an sicarius ille fuerit pater S. Gregorii. Hæc enim a solo biographo asserta leguntur, ex quo eadem asserere potuerunt posteriores Armeni.

AUCTORE J. S.

Certiora vitæ asserta ad qualemcumque ordinem redacta:

115 Igitur rectius facturi videmur, si deserta chronotaxi, quæ ex Vita fluit, sed modo improbabili, ad qualemcumque ordinem duntaxat redigamus certiora Vitæ asserta. Hoc autem fieri potest tali modo. Translatio imperii Parthorum ad Persas vera est, et contigit circa annum 226. Ortum inde bellum inter Persas et Armenos cum Romanis fœderatos, quod finitum est anno 244. Verum cum incertum plane sit, an ætas S. Gregorii et Teridatis Armeniæ regis ullam cum illis factis E habeat connexionem, eorum tempus natale latissime figi potest circa medium sæculi 3, et præcipue Gregorii; Teridates enim forte fuerit multo junior. Malim tamen suspicari, utrumque post medium sæculi 3 natum esse, quam ante. Si porro non nimium aberret Narratio de Rebus Armeniæ apud Combefisium jam laudata, Teridates regnum Armeniæ obtinuerit circa annum 291 aut 292: nam concilium Nicænum, quod habitum est anno 325, dicitur habitum trigesimo quarto anno regis Tiridatis. Nihil invenio in Historia Romana, quod huic epochæ sit contrarium, et certe quando Galerius Maximianus circa annum 297 per Armeniam in Persas duxit, eosque prælio superavit, ut videri potest apud Tillemontium tom. IV Imperatorum art. 15, Armeni Romanorum erant fœderati, et eo tempore eorum rex fuerit Teridates. Ea victoria, quam diuturna cum Persis secuta est pax, finitum est bellum inter Persas et Romanos, et Teridates obtinuerit securam a Persis Armeniæ possessionem, si eam antea non habebat. Bellum autem inter Persas et Romanos ortum fuerat a tempore Probi imperatoris, sive ab anno 282 secundum Tillemontium, nec invenio, ullo pacis pacto F citius fuisse finitum. Igitur, si verum est, patrem Teridatis dolo occisum, in illo bello etiam fieri potuit, Teridatesque tunc fugere coactus, post aliquot annos regnum ope Romanorum recuperaverit.

116 Gloriosa fidei confessio, cujus causa S. Gregorius gravissima legitur sub Teridate passus, ad priores Teridatis annos referenda est, figendaque late sub finem sæculi 3 aut initium quarti. At caremus fundamento satis solido ad annum propius assignandum. Finis tormentorum fuit carcer diuturnus, quo liberatus cœpit regem et Armenos convertere. Tetrum ac diuturnum fuisse carcerem facile credimus, quia in Narratione de rebus Armeniæ ab eductione Gregorii assignatur tempus concilii Nicæni, illudque figitur anno vigesimo egressionis sancti Gregorii ex lacu. Hæc quidem famosam et diuturnam in carcere detentionem insinuant; sed non indicant, totis quatuordecim annis in eo detentum fuisse Gregorium, ut vita asserit. Si solum tot mensibus in horrido carcere fuisset S. Gregorius, pro ingenti prodigio haberemus, quod postea vivus contra omnium exspectationem esset re-

pertus

pertus, præsertim si relictus fuisset sine cibo et potu, ut squalore et inedia moreretur. Itaque non ausim quatuordecim carceris annos pro compertis habere, et similiter incertum credo, an S. Gregorius pro fide passus sit ante finem sæculi 3, aut etiam ante generalem Diocletiani persecutionem, anno 303 inchoatam. Teridates enim amicus erat principum Romanorum, et sic fortasse eorum exemplo aut suggestione Christianam religionem exstirpare voluerit. Hæc tamen suggestio jam ante finem sæculi 3 fieri potuit per Galerium, qui diu ante generalem persecutionem adversus domesticos et milites suos persecutionem movere cœpit.

et initium conversionis Armeniæ

117 Conversionem Armeniæ saltem contigisse sub initium seculi quarti, ex Eusebio, Sozomeno, Theophane et aliis scriptoribus invicem collatis jam ostendi § 6, eamque epocham, si ab anno 300 usque ad 310 extendatur, satis certo probatam existimo. Si vero etiam propius ad annum aliquem accedere velimus, solum investigare debemus, quid videatur probabilius. Igitur probabilius est, circa 306 conversam fuisse Armeniam quam citius, et existimo non longe a vera abesse Narrationem de rebus Armeniæ ibidem laudatam, ex qua conversionis initium figendum esset anno 305 aut 306. B Etenim Theophanes, cui nec Eusebius contrarius est nec Sozomenus, conversionem ponit sub Constantino Magno. At Constantinus non cœpit imperare ante annum 306. Itaque aut erravit aut minus accurate locutus est Theophanes, si conversio cœpta est ante annum 306. Si vero etiam aliquot annis serius cœpta esset, id tanto magis consonum esset Theophani. At ex Eusebio certum fit, peractum fuisse ante annum 312, sive ante bellum ea de causa Armenis a Maximino imperatore illatum. Itaque cum saltem duo vel tres anni sint impensi ab eductione S. Gregorii e carcere usque ad perfectam totius quasi gentis conversionem, hujus principium inter 306 et 310 probabilius est ponendum.

circa an. 306 probabilius fixum,

118 Accedit alia ratio probabilis ex martyrio SS. Ripsimes et Gaianæ, si Armenorum de his traditionem cum Romana historia conferamus. Nam Monierus pag. 70 ex Historia Armena scribit, eas in Armeniam fugisse metu persecutionis Diocletiani, uti et apud alios ex eodem fonte haustum invenio. Et revera longe probabilior hæc est causa earum fugæ in Armeniam, maxime si credantur C venisse ex Syria aut Minore Asia, non Roma aut ex Italia, quam quod in Vita asseritur de expetitis a Diocletiana nuptiis Ripsimes. Si autem fugerint ob persecutionem, fuga illa verisimiliter contigerit anno 304, quando generalis in omnes Christianos sæviebat persecutio. Nam persecutio generalis Diocletiani cœpta quidem est anno 303, sed priora edicta fere tantum spectabant ad ecclesiasticos, in quos maxime illo anno sæviebat persecutio. At secundo persecutionis anno, sive circa initium anni 304, publicatum est præceptum, inquit Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap. 3, ut omnes ubique locorum ac gentium publice idolis sacrificia ac libationes offerrent. Itaque tunc tempus erat fugiendi ex imperio Romano ad nationes barbaras, sicut multos fugisse testatur Eusebius in Vita Constantini lib. 2 cap. 53, ideoque verisimillimum fit, eo anno Virgines, de quibus loquimur, in Armeniam fugisse, ibique habitationem suam fixisse. Itaque earum martyrium, quo in Armenia coronatæ sunt post aliquam ibidem commorationem, ex verisimili conjectura figi poterit circa 305 aut 306. Ex hac autem martyrii epocha, quam, non D ut certam, sed ut probabilem solum trado, principium conversionis Armeniæ, quod non diu admodum post videtur secutum, rursus veniet figendum inter 306 et 310.

ut major pars populi circa 310 aut 311 esset baptizata.

119 Monierus huic conversionis epochæ satis consentit; dum ex Historia Armena pag. 73 tradit, anno 310 facile quatuor milliones hominum baptizatos fuisse. Nam inter egressum S. Gregorii e carcere et baptismum ingentis istius multitudinis multa intercesserunt. Et vel sola multitudinis debita instructio annos absumere poterat. Itaque si constat, maximam multitudinem anno 310 baptizatam, necesse est initium conversionis ab anno fere 306 figere, cum facile quatuor anni effluere potuerint, priusquam tanta multitudo satis esset instructa ad baptismum recipiendum. Quapropter epocha conversæ Armeniæ sic ordinanda videtur, ut initium ejus per eductionem Gregorii e carcere figatur circa 306, annique sequentes usque ad 310 tribuantur consecrationi S. Gregorii, dejectioni idolorum, erectioni ecclesiarum, instructioni et baptismo populorum, collectioni et consecrationi aliquot sacerdotum, ut circa 310 aut 311 major pars Armeniæ Christiana esset et baptizata. Deinde vero Gregorius usque ad finem vitæ perrexit omnia recte ordinare, confirmare et perficere. E

Exstat Epistola, tamquam Gregorii nostri ad S. Jacobum Nisibenum:

120 Jam pluribus probari § 6, mortem S. Gregorii et regis Teridatis ponendam videri post concilium Nicænum sive post annum 325. Assemanus tom. 1 Bibliothecæ Orientalis pag. 557 in addendis et corrigendis recenset aliqua Opuscula S. Jacobi Nisibeni, tamquam scripta ad S. Gregorium Illuminatorem, quæ exstant in codice Armeno Venetiis servato. Hæc eo (codice) continentur, inquit laudatus Assemanus. S. Gregorii Illuminatoris Epistola ad S. Jacobum Nisibis episcopum. Argumentum Epistolæ sic explicat: Rogat, ut tractatum sibi perscribat de iis, quæ mox recensebo. Sequitur in codice: S. Jacobi responsio ad S. Gregorium. De hac responsione sic Assemanus: Transmittit ei sequentem tractatum, in capita 18 divisum: videlicet 1 De Fide, 2 de Caritate, 3 de Jejunio, 4 de Oratione, 5 de Pugna spirituali, 6 de Pietate, 7 de Pœnitentia, 8 de Resurrectione mortuorum, 9 de Humilitate, 10 de Pastorum officiis, 11 de Circumcisione adversus Judæos, 12 de Sabbato adversus eosdem, 13 de Delectu ciborum, 14 de Paschate, 15 de Gentium electione et Judæorum reprobatione, 16 Christum esse Filium Dei, 17 de Virginitate F et castitate adversus Judæos, 18 adversus Judæos, qui Messiam expectant, ut eorum dispersionem colligat. Tum additur Epistola ad alios scripta. De omnibus vero Opusculis judicium suum Assemanus declarat his verbis: Et hæc quidem Jacobi Opera genuina esse, facile mihi persuadeo, tum quia quæstiones eorum dumtaxat proprias continent, tum etiam quia eorum pleraque a Gennadio indicantur, nimirum in Catalogo scriptorum.

et Opuscula Nisibeni ad nostrum: sed alius videtur Gregorius.

121 Omnia illa Opuscula anno 1756 Romæ impressa sunt, accurataque Præfatione et eruditis annotationibus illustrata ab eruditissimo domino Nicolao Antonello, tunc basilicæ Lateranensis canonico, nunc S. R. E. Cardinale: ejusdemque Eminentissimi Domini humanissimo dono circa initium hujus anni 1760 ad nos perlata. Ad Epistolam autem, cui pag. 1 hic titulus Latinus: S. Gregorii nostri Illuminatoris ad sanctum Jacobum episcopum Nisibenum: observat sequentia: Cognomentum Illuminatoris inscitia atque audacia librariorum, qui hanc Literam, et Sermones

nes S. Jacobi descripserunt Gregorii nomini additum fuisse, minime dubito. Manifestissimus enim error est, qui, nisi Acta S. Gregorii Illuminatoris, qualia nobis ab omnibus antiquis scriptoribus tradita sunt, omnino falsa ac mendosa, etiam quoad notam temporis dicantur, nullo pacto defendi potest. Siquidem Gregorius I Armeniæ episcopus vel ante vel paulo post Nicænam synodum vita functus ad cælestem patriam migravit, fuitque et sanctitate vitæ et sacrarum rerum scientia illustris. Sermones autem, quos in lucem damus, pluribus annis post synodum Nicænæ habitam S. Jacobus Nisibenus scripsit, atque ita in eis loquitur, perinde atque fieri solet ad virum, quem et ætate et scientia et auctoritate quis præcellit, quemque in rebus fidei rudiorem instruere necesse est. Quare ea, quæ S. Jacnbus rescribit, neque ætati, neque sanctitati, neque famæ ac nomini S. Gregorii Illuminatoris congruunt.

ad quem scripsit Nisibenus. Gregorius tamen probabilius vixit tempore Nicæni concilii.

122 Verumenim quia celebre erat Gregorii Illuminatoris nomen apud Armenos, id in causa fuisso puto, cur librarii, cum in antiquis codicibus epistolam Gregorii cujusdam nomine scriptam reperissent, et ad eumdem Gregorium Sermones a S. Jacobo missos fuisse, ut majorem operi auctoritatem et venerationem apud suos conciliarent, Illuminatoris cognomentum apposuerunt. *Hæc observatio ex ipsis operibus solerter deprompta est ex accurata. Deinde conjicit eminentissimus editor, epistolam forte esse* S. Gregorii, *quem Illuminatoris nepotem et primum Albaniæ episcopum dicunt Armeni. Huic certe omnia rectius congruent, sed conjectura est incerta, ut agnoscit Antonellus. At parum refert, fueritne Gregorius ille nepos sancti nostri, an alius, cum satis probatum sit, non fuisse nostrum cognomento Illuminatorem. Verumtamen probabilius est,* Gregorium *Illuminatorem superfuisse post concilium Nicænum, ut communis est Armenorum sententia, et biographus num.* 170 *affirmat. Attamen neque ille, nec auctor narrationis de rebus Armeniæ, nec ullus alius a me visus indicat, quanto superfuerit tempore. Vita quoque non edicit, quot annis episcopatum gesserit, quemadmodum de annis episcopatus silet frequenter laudata narratio de rebus Armeniæ, quæ tamen numerat annum vigesimum eductionis* ex lacu, *ut saltem innuat, aut viginti fere annos, aut diutius episcopum fuisse.*

et post annorum fere viginti aut plurium episcopatum.

123 *Ex illo vetustorum silentio vereor, ne recentiores Armeni pro arbitrio, aut ex levibus conjecturis, annorum episcopatus numerum asseruerint. Armena historia apud Galanum cap.* 2, *habet :* Qui (Gregorius) rexit Armenam ecclesiam ab anno quintodecimo usque ad quadragesimum sextum regni Teridatis, quando in viventium regionem demigravit; vixitque in sede patriarchali annos triginta. *Ab anno* 15 *Teridatis usque* 46 *numerantur anni triginta et unus. Si tamen sub finem anni decimi quinti episcopatum suscepisset, mortuusque esset sub initium anni quadragesimi sexti, tantum sedisset annos triginta et aliquid dies vel menses. Monierus pag.* 75 *ex Historia Armena ait,* Gregorium *Armeniæ episcopatum administrasse solum annis trinyinta et tribus, et deinde septem aliis annis cum filio Aristarce. Verum a recentioribus, aut saltem pluribus sæculis post mortem* Gregorii, *inventos puto illos annorum numeros, quia male cohærent, cum laudata narratione apud Combefisium. Si enim concilium Nicænum habitum est anno* 24 *Teridatis, et* Gregorius *defunctus anno* 46 *ejusdem Teridatis, vixit usque ad annum* 337. *Quod aliunde probabile non est; nam Aristarces, cui septem episcopatus annos tribuunt Armeni, aliquo saltem tempore ante concilium Nicænum, fuit episcopus, et sic defunctus fuerit aut ante annum* 330, *aut certe non diu post, imo forte etiam anno* 326 *aut* 327. *Quapropter de annis episcopatus* Gregorii *nihil probabilius dicere possumus, quam episcopum fuisse annis viginti, et fortasse paulo plures.*

defunctus videtur inter 325 et 330

124 *Bonuccius in Vita Italica, nota* 10, *non ultra viginti episcopatus annos* Gregorio *attribuit, mortemque ejus consequenter figere debet circa annum* 330. *Ratio datur, quia* Gregorius *anno* 310 *consecratus dicitur a Leontio, et quia sex ultimis vitæ annis dicitur in solitudine vixisse. Verum auctor ea non asserit ut probata, neque ego probare valeo, anno* 310 *consecratum esse* Gregorium, *aut vixisse usque ad* 330 : *Aristarces enim ab anno* 320 *consecrari potuit, et* Gregorius *anno* 326 *aut* 327 *mori in solitudine, si omnino sex annis post consecrationem Aristacis vixerit aut etiam septem, ut volunt alii. Quam autem parum possimus fidere annis, quos Armeni episcopatui* S. Gregorii *tribuunt, liquet etiam ex annis, quos improbabiliter adscribunt regi Teridati. Nam Jacobus Villotte, Societatis Jesu olim in Armenia missionarius, apud Bonuccium pag.* 165 *ex Historia Armena Teridatis regno attribuit* annos quinquaginta sex, *qui secundum narrationem de rebus Armeniæ ducerent usque ad annum* 347. *Hoc improbabile esse, facile ostendi potest ex regibus, qui inter Teridatem et Arsacem fuerunt intermedii. Itaque, neglectis illis annis, mortem* S. Gregorii *probabilius figimus inter* 325 *et* 330.

ACTA

AUCTORE I. S.

ACTA

Auctore Agathangelo.

Ex bibliotheca Medicæa Florent. S. Laurentii interprete I. S.

PRÆFATIO.

De potentia regni Parthorum.

Auctor de bello inter Persas et Armenos scripturus. *a*

Qui se tradiderunt *a* desiderio iter faciendi per maria et ad aquarum pericula incitantur, naves alacriter exstruunt, et in mari vivere amant, malum erigunt, et gubernaculis undarum impetum infringunt, navemque dirigunt, ubicumque voluerint, concavum illud lignum, pulli instar, B pro arbitrio suo refrænantes. Hos non terret fluctuum vis, non saxorum occursus conturbat: in periculis enim vitam transigentes, in mortis vicinia versari cupiunt, ut unicuique afferant utilia. Et hi quidem ad victum civitatum pergunt; alii vero ad ornatum virorem ac mulierum ad mare Indicum properant, pretiosorum lapidum gaudia transferentes eis, qui illos flagitant. In ejusmodi rerum pelagus et ego sermone ingrediar, in Armenorum videlicet negotia, scribens res gestas Persarum Armenorumque, qualia invicem bella gesserint.

præfatur de potentia Parthorum.

2 Pauli, quando in maxima fuerunt felicitate, regnum Persarum, Armenorum, et Indorum illorum, qui finitimi sunt Orientalibus Persis, imo et durissimorum Massagetarum, possederunt hoc ordine. Primus ex genere Parthorum, qui postmodum Arsacidæ fuerunt cognominati, et ætate reliquos præcedens et virtute ornatus, dominium obtinuit regni Persarum. Qui secundas sortitus erat partes, Armeniorum consecutus est regnum. Qui tertio erat gradu, Indorum Persis vicinorum dominium habuit. Quartus vero Massagetarum C regnum suscepit. Hic erat ordo in genere Parthorum, et longissimo tempore *c* in tali steterunt prosperitate.

Οἱ τῇ ἐπιθυμίᾳ τὰ *b* ἐν πελάγεσιν ὁδοιπορίαις ἑαυτοὺς ἐκδιδόντες, καὶ πρὸς τοὺς κινδύνους τῶν κυμάτων ἐπειγόμενοι, προθύμως ναῦς κατασκευάζουσι, καὶ ἐν θαλάττῃ τὸν βιόν ἀσπάζονται, ἱστὸν ἱστῶντες καὶ τοῖς πηδαλίοις ἐκγέμνοντες τὴν τῶν ὑδάτων βίαν καὶ κυβερνοῦντες τὴν ναῦν, ἐνθάπερ βουληθῶσιν, χαλιναγωγοῦντες κατάπερ πῶλον τὴν σκάφην πρὸς τὴν οἰκείαν ὁρμήν. Τούτους οὐ δειλαίνει κυμάτων βία, οὐ προσβολὴ σπιλάδων καταπτοεῖ· ἐν κινδύνοις γὰρ διαιτόμενοι, γείτωνες θανάτου εἶναι ἀσπάζονται, ὅπως χωρηγήσωσιν ἑκάστῳ τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Καὶ οἱ μὲν πρὸς καταστροφὴν πόλεων ἐπείγονται, οἱ δὲ πρὸς καλλοπισμὸν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐπὶ τὴν Ἰνδικὴν θάλατταν σπεύδουσι, τοῖς ἐν ἐκείνοις εὐθυμίας λίθων τιμίων τοῖς δεομένοις μετακομίζοντες. Εἰς τοῦτο οὖν κἀγὼ πέλαγος πραγμάτων εἰσελθῶν, βαδίσω τῷ λόγῳ ἐπὶ τῶν Ἀρμενίων πράγματα, συγγραφόμενος τῶν Περσῶν τε καὶ Ἀρμενιῶν, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους. E

3 Πάρθων * ἐν εὐτυχίᾳ μεγίστῃ ὄντες καὶ κρατοῦντες τῆς τῶν Περσῶν βασιλείας καὶ Ἀρμενίων καὶ ἰνδῶν τῶν γιτνιαζόντων τοῖς ἑῴοις Πέρσαις, ἐτὶ δὲ τῶν σκληροτάτων Μασσαγετῶν, εἶχον τὴν τάξιν ταύτην· ὁ μὲν γὰρ πρῶτος τοῦ γένους τῶν Πάρθων, τῶν εἰς ὕστερον μετονομασθέντων Ἀρσαδίκον *, καὶ ἐν χρόνοις τὰ πρεσβεῖα ἔχων καὶ ἐν ἀρετῇ κοσμούμενος, ἐγίνετο τῆς τῶν Πέρσων βασιλείας κύριος· ὁ δὲ τὰ δεύτερα κληρούμενος ἐπέβαινεν τῇ τῶν Ἀρμενίων βασιλείᾳ. Ὁ δε τὸν τρίτον βάθμον ἔχων τῇ τῶν Ἰνδῶν τῶν πλησίων ὄντων Πέρσων ἐβασίλευσεν. Ὁ δὲ τέταρτος τῆς τῶν Μασσαγετῶν βασιλείας ἐπελαμβάνετο· αὐτὴ ἡ τάξις ὑπῆρχε ἐν τῷ γένει τῶν Πάρθων, ἐπὶ πλεῖστόν τε χρόνον τῆς τοιαυτῆς εὐδαιμονίας ἐντὸς ἦσθεν. F

* forte Πάρτοι

* ἀρσακίδων

ANNOTATA.

a *In codice præfationi hic ad vitam præmittitur titulus :* πρόλογως Ἀγαθαγγέλου ἐν οἷς, καὶ τὸ μαρτήριον ἁγίου Γρηγορίου. Prologus Agathangeli ad hæc, et martyrium S. Gregorii.

b Τὰ *legendum* ταῖς, *ut notatur in margine apographi. Hac autem occasione lectorem moneo, non pauca in apographo reperiri scriptionis menda, eaque clara et manifesta, uti ubi o scriptum est pro ω, aut contra, et sic de aliis vocalibus et diphthongis, quarum sonus hodie a multis vix discernitur. Cum id contigisse putem nimia exscribentis festinatione, Vitaque non sit tantæ auctoritatis, ut minutiis illis Annotata videantur extendenda, clara scriptionis menda sine ulteriori monitione corrigam, non item illa, quæ videbuntur dubia.*

c *Non examinabo, an omnia, quæ de Parthorum imperio tradit scriptor, accurata sint. Constat, primum ingentis illius imperii auctorem fuisse* Arsacen, *indeque successores ejus Parthorum reges fuisse* Arsacidas *dictos. Agathias, lib. 2, pag. 60 græce, pag. 56 latinæ versionis, asserit, Parthorum regnum durasse* annis septuaginta supra ducentos, ab Arsace primo ad Artabanum ultimum regem. *Sed longissime aberrat, nisi pro* ducentis *scriptum fuerit* quadringentis : *nam sic propius saltem accederet ad verum. At cum de initio regni Parthorum scriptores non consentiant, plura de eo non dicam. Parthorum autem reges amplissimum habuerunt regnum, quale deinde fuit Persarum, et reges dederunt Armeniæ; sed non semper usque ad translatum ad Persas dominium : nam Romani jam ante id sibi frequenter vindicarunt. An Parthi Indis sibi finitimis, et Massagetis, ut hic noster asserit, etiam regis dederint, aliis inquirendum relinquo.*

CAP. II.

A A AGATHANGELO.

CAPUT I.

Destructum Parthorum imperium, occiso Artabane ab Artasira, qui persarum regnum occupat.

Ἄρξομαι δὲ ἐκεῖθεν, ὅθεν τῆς πτώσεως ὁ Πάρθος ἀρχὴν ἐδείξατο. Ἀρταβάνης ὁ παῖς Οὐαλάρσου ἐκ Πάρθων καταγενόμενος, τῆς τῶν Χαλδαίων παιδείας ἐν πείρᾳ ὑπάρχων, δρόμοντε ἀστέρων καὶ ῥοπὰς ἀναμετρεῖν ἐπιστάμενος, καὶ τύχας εἰδέναι παιδευθείς, μετὰ τῆς οἰκείας ἀλόχου καθεύδων ἐν τῇ σκηνῇ, ἐσκόπη ἐπὶ τὰ φαινόμενα ἄστρα, ἔγνω δέ τι, καὶ πρὸς τὴν βασιλίδα φησίν· δρόμον ἐθεασάμην ἀστέρος, εἰκάσα τε οὕτως τήμερον, εἰ τοῦ οἰκείου δεσπότου βουληθείη τις ἀποστῆναι πολεμόν τε πρὸς αὐτὸν ποιῆσαι, ἐν τῷ πάροντι καιρῷ νικᾷ, ἡττομένου τοῦ δεσπότου· καὶ ταῦτα εἰρηκώς, ἐτράπη εἰς ὕπνον. Κατὰ δὲ συνήθειαν μία τῶν θεραπενίδων τῆς βασιλίσσης ἐν αὐτῇ τῇ σκηνῇ καθεύδουσα, ὑπούργει τῇ ἐπιταττομένῃ χρείᾳ παρ᾽ αὐτῆς. Ἥτις τῶν ἐν πρώτοις τελούντων θυγάτηρ ὑπάρχουσα, συνήθης ἦν
B τινὶ τῶν μεγιστάνων Ἀρτασιρᾷ πρόσαγορευομένῳ, ἐκ τῆς πατρίας τῆς Ἀσσυρίας, πόθῳ πρὸς αὐτὸν βαλλομένη καὶ τῶν ῥημάτων τοῦ βασιλέως ἀκροατὴς γενομένη, λαθοῦσά τε τὸν βασιλέα καὶ τὴν βασίλισσην, ἔδραμεν πρὸς Ἀρτασιρᾶ, παῖδα Σασάνου, ὅθεν καὶ Σασαμίκαι ἐκλήθησαν οἱ ἐξ αὐτοῦ καταγενόμενοι καὶ βασιλέων Περσῶν.

4 Εἰσβαλοῦσα οὖν αὐτὴ εἰς τὴν σκήνην, διακωλύεσθαι γὰρ αὐτὴν ἐκ τῶν ὑπηρετούντων οὐκ ἦν, τὸ γὰρ φίλτρον τῶν ἀμφοτέρων οὐκ ἠγνοῆτο, ἔλεγεν οὕτως· Φίλε Ἀρτασιρᾶ, ἀπείτω σου βλεφάρων ὁ ὕπνος· ὅρμα νῦν πρὸς τὴν βουλήν, ἣν πάλαι εἶχες· θάῤῥει, ἀφορῶν πρὸς τὴν μαντεῖαν τοῦ βασιλέως· νῦν καίρος πανοπλίας, νῦν βουλῆς χρεία ἀνδρῶν σοφωτάτων, νῦν ἀθροῖσαι πλῆθος πρὸς παράταξιν δεῖ. Ὁ γὰρ βασιλεύς, δρόμον ἀστέρων θεασάμενος, ἔφη· νῦν δοῦλος ἀντιπράττων δεσπότῃ νικᾷ ἐν τῷ πάροντι καιρῷ. Ἀλλὰ δεῦρο, σὺ μὲν χώρει ἐπὶ τὴν βουλήν, ἐμοὶ δὲ δεξίαν ἐπιδούς, ὅρκῳ βεβαίωσον τὴν ἐμὴν γνώμην, ὡς τῆς βασιλείας Περσῶν ἔντος γινόμενος, ἐμὲ τῆς σῆς κοίτης ἔξω οὐ καθισᾶς, κοινωνόν με τῆς αὐτῆς δεξιᾶς ἀποδεικνύων. Τοῦτο γὰρ ἀεὶ μοι ἔλεγες ἐπαγγελλόμενος, ἥνικα τῆς αὐτῆς βουλῆς ἀπήρχου. Ταῦτα μὲν Ἀρταδούκτα. Ὁ δὲ Ἀρτασί-
C ρας χάριν μεγίστην ὁμολογήσας, καὶ ἀψάμενος τοῦ γυναίου τῆς χειρὸς μετὰ οἰκείας δεξιᾶς ἀναθείνων εἰς οὐρανόν, ἔλεγεν· οὕτως ὁράτω θεία δύναμις, ἥλιος καὶ πῦρ ἀήρ τε καὶ γῆ, ὡς τήμερον βουλευόμενος μετὰ τῶν ἀρίστων Περσῶν, καὶ ἀφιστάμενος τοῦ βασιλέως, αὐτίκα σε ἐν τῷ ἐμῷ οἴκῳ δεσπόξειν πάντων παρασκευάσω.

5 Ταῦτα ἀκούσασα Ἀρταδούκτα ἔλεγεν· βαδιῶ λοιπὸν πρὸς τὴν σκηνὴν τοῦ βασιλέως· χρὴ γὰρ τὴν τήμερον τὴν τῶν προλαβουσῶν ἡμερῶν διακονίαν προσάγειν. Εἰ γὰρ καὶ τύχην ἐλευθέραν κεκτήμεθα τεχθέντων ἐκ μεγιστάνων· ἀλλὰ δουλεύειν ταῖς βασιλικαῖς χρίαις χρή. Ταῦτα εἰποῦσα, ἐπορεύετο εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ βασιλέως, καὶ λάθρα εἰς τὴν οἰκείαν κοίτην ὑπεισελθοῦσα ἀνεκλίνετο. Ὁ δὲ Ἀρτασιρᾶς ἀναστάς, συνήγαγεν τοὺς μεγιστάνους τῶν Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων, μεθ᾽ ὧν καὶ ἀλλαῖς ἡμέραις ἐβουλεύετο, καὶ στάς ἐν μέσῳ λέγει· ἄνδρες ἄριστοι Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων, τὴν τῶν Πάρθων ἀλαζωνίαν ἐκ πολλῶν τῶν χρόνων ἴσμεν, ἀλλοτρίων πόνους ἁρπάζοντας. Ἐνκαυχῶνται δὲ ἀδικοῦντες, μάτην φονεύοντες οὐ παύονται, Περσῶν ἄνδρας καὶ Ἀσσυρίους βδελύττονται οἱ Πάρθοι, ἐκ βαρβάρων γῆς

Exponitur occasio, a b

Ordiar autem ab eo, unde Parthus lapsus sui ostendit principium. Artabanes, filius Valarsi *a*, ex Parthis oriundus, cum scientiam Chaldæorum *b* haberet compertam, cursumque astrorum et inclinationes metiri nosset, rerumque eventus præscire didicisset, cum propria uxore dormiens in tabernaculo, contemplatus est apparentia sidera, intellexitque aliquid, et ad reginam dixit: Cursum vidi sideris, illumque hodie talem censeo, ut, signis a domino suo velit abscedere, illumque bello impetere, præsenti tempore victoriam sit consecuturus, superato domino. Et, his dictis, reversus est ad dormiendum. Secundum consuetudinem autem una ancillarum reginæ, in eodem dormiens tabernaculo, servit in necessariis ab ipsa mandatis. Hæc cujusdam ex primariis ministris erat filia, et familiaris erat cuidam ex E magnatibus, cui nomen Artasiras e ex provincia Assyria *d*, cujus tenebatur desiderio. Itaque cum *d* regis verba audivisset, regemque et reginam id lateret, cucurrit ad Artasiram, filium Sasani, unde Sasamicæ *e* vocati sunt, qui ex illo et Persarum *e* regibus orti sunt.

qua Artasiras, ab amica excitatus

4 Ea igitur in tabernaculum ingressa, (neque enim a ministris prohiberi poterat: nam amborum amor non erat incognitus) sic locuta est: Care Artasira, abeat a palpebris tuis somnus: arripe nunc consilium, quod olim habuisti: confide, respiciens ad divinationem regis. Nunc tempus est integræ armaturæ, nunc opus consulto sapientissimorum virorum, nunc congreganda in aciem multitudo. Quippe rex, considerato astrorum cursu, dixit: Nunc servus, Domino suo repugnans, præsenti vincit tempore. Age, tu quidem ad consilium vade: mihi vero dexteram porrigens, sententiam meam jurejurando confirma, quod, ubi consecutus fueris regnum Persarum, me a thoro tuo non sis separaturus, hujus F ejusdem dexteræ participem me fuisse ostendens: hoc enim semper mihi dixisti, re mihi annuntiata, quando hoc ipsum consilium aggredi cœpisti. Hæc quidem Artaducta. Artasiras vero gratias egit maximas, apprehensamque mulierculæ manum cum dextera sua in cælum extendens, dixit: Sic videat divina potestas, sol et ignis, aerque et terra, ut, hodie consilio cum primatibus Persarum habito, deficiensque a rege, confestim te in domo mea faciam dominam.

Persas et Assyrios instigat ad rebellionem

5 His auditis, Artaducta dixit: Ceterum vadam ad tabernaculum regis. Nam oportet me hodie præcedentium dierum ministerium agere. Etiamsi enim libertatem molitionum felici sorte a primatibus habeamus: oportet tamen ministrare necessitatibus regiis. His dictis, abibat in tabernaculum regis, latenterque lectum suum ingressa, decumbebat *f*. Surgens vero Artasiras, congregavit primates Persarum et Assyriorum, quibuscum *f* et aliis diebus consultaverat, et stans in medio dicit: Viri optimi Persarum et Assyriorum, fastum Parthorum a multo tempore novimus, alienosque ab eis rapi labores. Gloriantur, dum injurias inferunt; occidere sine causa non desinunt, viros Persarum et Assyriorum abominantur 41 Parthi,

A. Agathangelo.

Parthi, ex terra Barbarorum in nostram ingressi *g*. Quid ergo dicitis? Si verba mea sunt falsa; maneat idem et regnans et injuria afficiens. Si vero non nisi vera dixi, ad arma concurramus. Nam præstat mori, quam servire regi injurias inferenti. Hæc Artasiras.

contra Parthos. Itaque proceres cum Artasira legatos mittunt,

6 Optimates autem Persarum dicta cum favore exceperunt: cupiebant enim Parthorum liberari dominio, et regem habere Persarum ex suo genere. Itaque ad Artasiram dicunt: Te dictorum factorumque ducem habemus, prudentiam consilii tui experientia edocti, scientesque gubernationem tuam ex norma virtutis procedere. Itaque quod vis, fac, et ducem te præbe: nos sequimur dicta tua, facturi, quæ ad utilitatem utrorumque conducunt. Quare, orta luce, Persæ cum duce suo Artasira, ad bellum respicientes, ad regem Artabanem prius legatos miserunt Zecam et Carinam, præcipuarum familiarum principes et belli duces. Hi abeuntes, steterunt coram magno *h* rege. Principium vero dictorum eorum hoc erat. Nos sumus legati Persarum: si mens tibi placida ad audiendum Persarum verba, loquamur etiam tamquam legati multa legationis B verba sine timore et periculo, cum et lex id jubeat, quam statuerunt olim optimates, qui legatos ab omni perpessione servabant immunes. Si igitur permittis, rex, dicemus. Rex vero Artabanes dedit eis licentiam dicendi, quod vellent.

et Artabano insinuant rebellionem suam, qui minitans respondet.

7 Deinde sermonem exorsi sunt. O rex, apud nos Persas cura est, ut regi subjaceant, prout sunt regis, omnium domini: ut vero rex ipse ex æquitate et justitia res administret, sine barbarico sensu gubernet, ut et inimicis quidem terribilis appareat, subditis vero benevolus. Qua enim ratione poterit injuriam inferentes punire, si ipse ab injuriis principium ducat? Quo modo gravia committentes supplicio afficiet, si ipse in delicta sit promptus? Nos experti gravia tua delicta, regio tuo imperio nos subtraximus, non odio subjectionis, sed fugientes regem improbum; non tyrannidem arripientes, sed sensum tyrannicum non ferentes *i*. Hæc Persarum verba. At rex Artabanes, inclinato ad plures horas *k* capite ad pavimentum respiciebat, prævidens futurum e regno suo lapsum: inde missos intuitus, dixit: Ego hujus injuriæ auctor sum, qui alios principatibus et potestatibus honoravi, alios divitiis auxi, C multos donis regalibus agrorum et possessionum dominos constitui. Vos autem abite ad consilia a vobis decreta. Me vero videbitis ad sententias vestras accomodatum. Docebo vos regi non resistere. Vos vero missi abscedite, nec umquam amplius ejusmodi sermonum fiatis ministri, ne vindictam injuriæ mihi illatæ a vobis exordiar.

Artasiras bis cum Artabano confligens, in tertio

8 Hæc audientes Zecas et Carinas abierunt ad concilium Persarum, venientesque annuntiaverunt omnia Artasiræ et reliquis Persarum primatibus: addiderunt etiam dictis insanam regis iram, non exspectantis umquam legationem secundam, sed armati adversus duces consilii. Artasiras autem mittens ad Artaductam, eam abstulit, munitissimoque cum rebus suis inclusit castello: ipse vero cum Persis et Assyriis arma parabat adversus magnum regem Artabanem. Artabanes quoque, intelligens arma parari contra se, similiter se parabat cum Parthis, habens et Persas non paucos, qui gregalium suorum conspirationis non erant participes. Primo autem impetu ex illis, qui invicem bello impetebant, tam Persis quam Parthis, plurimi cadebant ex utraque parte. At potentior fiebat Artasiras, quod alii plurimi Artabanem de-

ὑπεισελθόντες εἰς ἡμᾶς· τί οὖν ἐρεῖτε; εἰ ψευδεῖς οἱ D ἐμοὶ λόγοι, μενέτω βασιλεύων καὶ ἀδικῶν. Εἰ δὲ τῆς ἀληθείας ἔξω οὐκ εἴρηκα, ὁρμήσωμεν πρὸς παράταξιν· κρεῖττον γὰρ θανεῖν ἢ εἶναι δοῦλοι δεσπότου ἀδικοῦντος. Ταῦτα μὲν Ἀρτασιρᾶς.

6 Οἱ δὲ τῶν Περσῶν ἄριστοι ἐδέξαντο τὰ εἰρημένα· ηὔχοντο γὰρ ἀπαλλάττεσθαι μὲν τῶν Πάρθων, ἐκ δὲ τῶν οἰκείου γένους εἶναι βασιλέα τῶν Περσῶν. Καὶ πρὸς Ἀρτασιρᾶν ἐροῦσιν· σὲ ἀρχηγὸν καὶ λόγων καὶ πράξεων ἔχομεν, πεῖραν τῆς σῆς ἀγαθῆς γνώμης λαβόντες, ἐναρετόν τε πολίτειαν εἶναι ἔν σοι ἐπιστάμενοι· ὃ οὖν βούλῃ, πράττων ἡγεμόνευε· ἡμεῖς δὲ ἑπόμεθα τοῖς σοῖς λόγοις, πράξοντες ὅσα εἰς λυσιτέλειαν ἀμφοτέροις ἐστίν. Ἡμέρας οὖν γενομένης, καὶ πρὸς πόλεμον ἀφιδόντες οἱ πέρσαι ἅμα τῷ Ἀρτασιρᾷ τῷ ἀρχηγῷ αὐτῶν, πρέσβεις πρότερον ἀπέστελλον πρὸς τὸν βασιλέα Ἀρταβάνην, Ζηκᾶν καὶ Καρινᾶν, μεγίστους γενεάρχας καὶ στρατηγούς, ὅτινες ἀπελθόντες ἔστησαν ἐναντίον τοῦ ἀρχιβασιλέως, ἀρχὴ δὲ τῶν λόγων αὐτῶν ἦν αὐτή. Ἡμεῖς πρέσβεις Περσῶν· καὶ εἰ ἡμεροτάτη γνώμη τοὺς παρὰ Περσῶν δέξασθαι λόγους, λέξωμεν καὶ οἷα πρεσβεῖς λόγους ἐπαγγέλλειν πολλούς, φόβου καὶ κινδύνου ἔξω ὑπάρχοντες, τοῦτο καὶ τοῦ νόμου κελεύοντος, ὃν τεθήκασιν οἱ πάλαι ἄριστοι, ἀπαθεῖς τοὺς E στελλομένους πρέσβεις φυλάξαντες. Εἰ οὖν συγχωρῇς, βασιλεῦ, ἐροῦμεν. Ἀρταβάνης δὲ ὁ βασιλεὺς ἐδίδου αὐτοῖς χώραν λέγειν, ὅπερ βούλονται.

7 Ἤρχον τε δὲ τοῦ λόγου λοιπὸν οὕτως· ὦ βασιλεῦ, ἔστιν παρ᾽ ἡμῖν τοῖς Πέρσαις μελέτη τὸ τοῖς βασιλεῦσιν ὑποτάσσεσθαι, οἷα τοῦ βασιλέως δεσποτοῦ τυγχάνοντο πάντων· αὐτὸν δὲ, τὸν βασιλέα εὐνομίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ τὰ πράγματα κυβερνᾶν, ἔξω βαρβαρικῆς φρονήσεως πολιτεύεσθαι, καὶ ἀντιπάλοις μὲν φοβερὸς φαίνεσθαι, ὑπηκόοις δὲ εὐνοϊκός. Πῶς γὰρ οἷος ἔστιν κωλύειν ἀδικοῦντας, εἴπερ αὐτὸς ἀπάρχεται ἀδικίας; πῶς τιμωρεῖται τοὺς δεῖνα πράττοντας, αὐτὸς πρόχειρος εἰς τὰ πλημμελήματα; ἡμεῖς πεῖραν τῶν σῶν δεινῶν εἰληφότες, τῆν σῆς βασιλείας ἑαυτοὺς ἐστερήσαμεν, οὐ μισοῦντες ὑποταγῆναι, ἀλλὰ παράνομον βασιλέα φεύγοντες, οὐ τυραννοῦντες, ἀλλὰ τυραννικὴν γνώμην μὴ φέροντες. Ταῦτα τῶν Περσῶν τὰ ῥήματα. Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἀρταβάνης πλείστας ὥρας κλίνας τὴν κεφαλὴν, καὶ θεωρῶν εἰς τὸ ἔδαφος, προεώρα τὴν μέλλουσαν ἔκπτωσιν τῆς οἰκείας βασιλείας, καὶ ἀποβλέψας πρὸς τοὺς σταλέννας λέγει· ἐγὼ τῆς ὕβρεως ταύτης αἴτιος, τοὺς μὲν ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις τιμήσας, τοὺς δὲ πλουτεῖν παρεσχηκώς, πολλοὺς δὲ δωρέαις βασιλικαῖς καὶ ἄγρων καὶ κτημάτων κυρίους καταστήσας· ὑμεῖς F δὲ χωρεῖτε πρὸς τὸ βουλευθὲν παρ᾽ ὑμῶν· ὄψεσθαι δὲ μὲ πρὸς τὰς ὑμετέρας γνώμας μεταρυθμιζόμενον. Διδάξω ὑμᾶς μὴ ἀνθίστασθαι βασιλεῖ. Οἱ δὲ σταλέντες ὑμεῖς βαδίσατε, μηκέτι τοιούτων λόγων ὑπουργοὶ γινόμενοι, μήπως ὑμᾶς πρώτους τῆς ἐμῆς ὕβρεως δίκας ἀπάρξομαι.

8 Ταῦτα ἀκούσαντες Ζηκᾶς καὶ Καρινᾶς ἐπορεύοντο εἰς τὸ συνέδριον τῶν Περσῶν καὶ ἐλθόντες ἀπήγγειλαν ἅπαντα τῷ τε Ἀρτασιρᾷ καὶ τοῖς λοιποῖς ἀρίστοις τῶν Περσῶν, προστεθεικότες τοῖς εἰρημένοις καὶ τὴν μανίαν τοῦ βασιλέως, ὡς μηκέτι ἀναμένοντος αὐτοῦ δευτέραν ἀπαγγελίαν, ἀλλ᾽ ὁπλιζομένου κατὰ τῶν τῆς βουλῆς ἀρχηγῶν. Ὁ δὲ Ἀρτασίρας πέμψας πρὸς Ἀρταδούκταν, ἤφερεν καὶ ὀχυρωτάτῳ καστέλλῳ ταυτὴν καθιστὰ ἅμα τοῖς οἰκείοις πράγμασιν· αὐτὸς δὲ ὁπλίζετο μετὰ Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων κατὰ τοῦ ἀρχιβασιλέως Ἀρταβάνου. Αἰσθόμενος δὲ Ἀρταβάνης τῆς κατ᾽ αὐτοῦ παρασκευῆς ὁπλίζετο καὶ αὐτὸς μετὰ Πάρθων, ἔχων καὶ οὐκ ὀλίγους Πέρσας, μὴ κοινωνηκότες τῇ τῶν ὁμοφυλῶν βουλῇ. Πρώτῃ δὲ προσβολῇ πολεμήσαντες πρὸς ἀλλήλους Πέρσαις τε καὶ Πάρθοις ἐξ ἑκατέρου μέρους πλεῖστοι ἔπιπτον. Ἐπικρατέστερος δὲ ἐγίνετο Ἀρτασίρας, πλείστων καὶ ἑτέρων χωρισθέντων μὲν Ἀρταβάνου, προστεθέντων

δὲ

A. AGATHANGELO.

A δὲ ἀρτασιρᾷ. Ἐν δευτέρᾳ δὲ παρατάξει ὁρμήσαντες κατ' ἀλλήλων πλείστους ἀνήλισκον ἐκ τῶν Πάρθων, εἰς φυγὴν δὲ πρὸς βραχὺ ἐτρέπετο ὁ βασιλεὺς Ἀρταβάνης, πάλιν δὲ εἰς πόλεμον εὔτρεπος γινόμενος. Δύο οὖν καὶ δέκα μῆνας παροχησάντων πρὸς ἀλλήλους, πῆ μὲν πολεμούντων, πῆ δὲ ἀναπαυομένων, εἰς ὕστερον δὲ αὖθις πρὸς μάχην ἰδόντες ἔφθασαν εἰς τὸ χωρίον τῆς παρατάξεως καὶ φησι πρὸς τὸν βασιλέα Ἀρταβάνην.

9 Ὁ μολογήσας, ἅμα αὐτῇ ἐβασίλευσε. Τῶν τε περιλειφθέντων Πάρθων, Περσῶν τε καὶ Ἀσσυρίων, πάντα πράττων ἐπιεικῶς, εὐνομίᾳ χαίρων καὶ πολιτείᾳ δικαιοτάτῃ. Ἔσπευδε γὰρ ἐπαίνους κομίζεσθαι, οἷα ἐξ ἀδοκήτου Περσῶν βασιλείας ἐπιβάς. Τὰ δὲ συμβάντα ταῦτα ἀπηγγέλλετο Χος Ἀρσαδίκῃ βασιλεύοντι τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, ὡς τοῦ παιδὸς σασάνου ἀρτασιρᾶ κρατισθέντος τῆς Περσῶν βασιλείας, ἀπολέσαντος δὲ Ἀρταβάνην τὸν αὐτοῦ ἀδελφόν. Προσετέθει δὲ τοῖς ἀπαγγελλομένοις, ὅτι καὶ Πάρθοι χαίρουσι μᾶλλον τῇ βασιλείᾳ Ἀρτασιρᾶ, ἢ τοῦ οἰκείου προσυγγενοῦς, ἐπείδηπερ ἐξέλειπον ἄχρονοι τῆς τῶν Πάρθων βασιλείας, καὶ περικράτει ἡ τοῦ Ἀρταβάνου υἱοῦ Οὐαλερίου δεσποτεία, ἀποκτανθέντος ὑπὸ Ἀρτασίρου υἱοῦ Σασάνου, οὐκέτι οὐδὲ ἐπὶ χρόνον μακρὸν σταθῆναι ἴσχυσεν. Οὗτος ὁ B Ἀρτασίρας τις τῶν Σταχριτῶν πατρίδος σατράπης ὑπῆρχεν, ὃς παραγενάμενος συναθροίσας τε καὶ συναρμώσας τοὺς τῶν Περσῶν στρατοπαιδάρχας ἐποίησεν ἀθετῆσαι καὶ ἀπώσασθαι τὴν Πάρθων βασιλείαν, εὐδοκίσαντας καὶ πεισθέντας μᾶλλον ἕλεσθαι τὴν αὐτοῦ δεσποτείαν. Ἐπειδὴ οὖν μετὰ θάνατον τοῦ Ἀρταβάνου, τοῦ ἀποκτανθέντος ὑπὸ τοῦ Ἀρτασιροῦ, υἱοῦ Σασάνου, κατείλαβεν ἡ ἀγγελία αὐτὴ πρὸς τὸν Κουσάρω βασιλέα Ἀρμενείας, ἀδελφὸν δὲ Ἀρταβάνου, ὁ ἦν δεύτερος τῆς δεσποτείας Πάρθων, ὁ μὲν τῶν Ἀρμενίων βασιλεὺς τῆς τῶν Πάρθων δεσποτείας δεύτερος ὑπῆρχεν. Καίτοιγε ὅμως καὶ ἐν τάχει ἀκούσας τὴν λυπηρὰν ἀγγελίαν, καὶ στρατοπεδευσάμενος, οὐκ ἔφθασεν εἰς τὸν ῥυθμὸν τῆς παρατάξεως. Ἅμα τε ἔφη οὖν μετὰ πλείστης λύπης ἐπὶ τῇ γενομένῃ συμφορᾷ καὶ μάλιστα διὰ τὸ μὴ φθάσαι αὐτὸν τὸ ἔργον τοῦ πολέμου ποιῆσαι.

sererent, et Artasiræ se adjungerent. Deinde, cum secundo conflictu invicem impeterent, plurimi ceciderunt ex Parthis, et rex Artabanes confestim in fugam versus est, rursus tamen postea ad bellum reversus. Cum igitur duodecim mensibus invicem essent vicini, partim bellantes, partim quiescentes, demum iterum ad pugnam intenderunt, et in locum conflictus pervenerunt, et dicit ad regem Artabanem *l*....

prælio cum occidit, et regnum obtinet, dolente rege Armeniæ.

9 « Confessus, cum ipsa *m* regnavit in reliquos « Parthos, Persasque et Assyrios, omnia faciens « moderate, æquitate gaudens et gubernatione « justissima. Studebat enim laudes consequi, ut « qui ex improviso Persarum regnum erat adeptus. Hæc porro, quæ contigerant, annuntiata « sunt [Cusaroni *n*] Arsacidæ, regnanti in magna Armenia, videlicet quod filius Sasani Artasiras prævaluisset in regno Persarum, et perdidisset Artabanem fratrem suum.. Adjectum « erat nuntiatis, etiam Parthos magis gaudere « regno Artasiræ, quam illius, qui cum eis ex « eodem sanguine ortum ducebat, quandoquidem « citissime deseruerunt Parthorum regnum, et « superata est potentia Artabanis, filii Valerii *o*, « occisi ab Artasira, filio Sasani, et ad longum « tempus stare non potuit. Hic Artasiras erat unus E « ex satrapis provinciæ Stachritarum *p*, qui, cum « venisset et in unum collegisset præfectos exercituum Persarum, et cum eis convenisset, effecit, ut abrogarent ac repellerent Parthorum « imperium, et acquiescerent consentirentque « ejusdem potius dominationem instituere. Ubi « ergo post mortem Artabanis, occisi ab Artasira, « filio Sasani, pervenit hic nuntius ad Cusaronem « regem Armeniæ, Artabanisque fratrem *q*, et « in dominatione Parthorum secundum; rex quidem Armeniæ dominatione Parthorum secundus erat, et, quamvis velociter post auditum « tristem nuntium castrametaretur, non pervenerat in numerum exercitus congregati. Continuo itaque maximo cum dolore locutus est de « infortunio, quod acciderat, et maxime, quia « non advenerat » ad opera belli exercenda.

ANNOTATA.

a *Valarsus, qui hic pater Artabani statuitur, a Latinis forte vocatur* Vologesus. *Decessor Artabani in regno Parthorum certe fuit Volegesus, et Artabanus ab aliquibus etiam Vologesi filius dicitur. Hic vero in hac vita* Artabanes *constanter vocatur, a Latinis passim* Artabanus.

C b *Alias vocatur Astrologia judicaria, quæ a Chaldæis ad alias quoque gentes transivit, sed vana* F *est, et temeraria ea divinatio, si adhibeatur ad investiganda ea, quæ ab hominum voluntate pendent, ut modo convenit inter eruditos. Quod de somnio Artabani hic asseritur, ex aliis quoque scriptoribus legitur apud Herbelotium ad nomen* Ardschir.

c *In Romana Historia vocatur* Artaxerxes, *sed idem est nomen ex lingua Persica diverso modo expressum, ut probatum in Commentario num.* 77 *et* 78.

d *De patria Artasiræ nullum invenio cum nostro consentientem, certe ad modum loquendi. Dion et Herodianus, ambo contemporanei,* Persam *dicunt, quemadmodum et Agathias, Zonaras aliique posteriores. Constat autem, Persidem, quatenus provincia est particularis, omnino distinctam esse ab Assyria provincia, quamvis ambæ cum aliis plurimis olim fuerint sub imperio Persarum, quod Cyrus fundavit, et Alexander Magnus destruxit. Hinc oritur dubium, erraveritne biographus, an vero alii, qui fortasse Persam crediderint, quod regnum suum vocaret* Persarum. *Sub illo etiam fuerant Assyrii, Medi, Babylonii sive Chaldæi, qui omnes ante Persas latissimum in Asia habuerant dominium, ipsique Parthi cum aliis populis plurimis. Regnum tamen Persarum, quod totum sibi vindicare conatus est Artaxerxes, longius se extenderat, quam ullum ex præcedentibus, aut quam se extendebat regnum Parthorum, quod occupavit. Ex latissimo illo Persarum imperio non paucas provincias tunc possidebant Romani, eaque ratio esse poterat, cur Artaxerxes cum principibus sibi adhærentibus* Persarum *potius, quam* Assyriorum *nomine, voluerit regnare, si patria Assyrius fuit; et fortasse etiam ut placeret Persis, eosque eo titulo sibi magis devinciret. Itaque non ausim Agathangelum certi erroris arguere, et vetustioribus certam fidem tribuere, cum Artaxerxem, quem obscurum dicunt fuisse hominem, verisimiliter non noverint, nisi per restitutum ab ipso Persarum regnum. Potuerunt ergo in patria ejus facile errare, aut Persam dicere, quia erat ex imperio Persarum, quod partim occupabat, partim occupare meditabatur. Dion lib.* 80, *cap.* 3, *ubi narraverat Artaxerxis de Parthis victoriam, bellumque ab eo in Ar-*menia

Hic ergo formidabilis nobis (*Romanis*) fuit. D
A AGATHANGELO. *menia et Mesopotamia inchoatum, num. 4 subjungit:* seque omnia recu-
dum cum ingenti exercitu non modo Mesopotamiæ, sed et Syriæ immineret;
peraturum esse minaretur, quæcumque Græco mari tenus Persæ olim obtinuissent, utpote quæ
hæreditario jure ad se pertinerent. *Hæc satis indicant, cur Persarum regis titulum assumpserit. At,*
si vera sunt, quæ de ejus natalibus referuntur apud Agathiam lib. 2, pag. 61 in Græco, 57 in versio-
ne latina, nec in Perside natus est Artaxerxes, nec in Assyria, sed in regione Cadusæorum, quos
Cellarius cum vetustis geographis collocat in Media Atropatene prope mare Caspium. Nam ex famo
refert, matrem Artaxerxis nuptam fuisse Pabeco cuidam.... ignobili plane homini, coriario scili-
cet sive sutori, peritissimo tamen cursus astrorum, quique facile futura prospiceret. *Forte magus*
erat, et non tantum vanus astrologus, quamvis ne magi quidem futura certo cognoscere valeant. Forte
etiam, idque mihi probabilius videtur, merum est commentum, ad illustrandos utcumque fictitia illa
futuri cognitione ignobiles aut spurios Artaxerxis natales. Nam subdit: Virum quemdam milita-
rem, nomine Sasanum, per Cadusæorum regionem forte fortuna iter facientem, apud Pabecum
hospitio exceptum, et in illius domuncula divertisse. *Hac igitur occasione ex Sasano et uxore Pa-*
beci dicitur natus Artaxerxes, consentiente Pabeco ob futuram prolis magnitudinem, ut volunt. Natus
ergo esset in regione Cadusæorum ex matre ignobili, et ex patre Sasano, viro militari. Addit, edu-
catum a Pabeco, et consequenter in eadem regione: sed contentionem.... inter Sasanum et Pa-
becum exarsisse, utrumque enim voluisse filium ex se appellari; atque ægre tandem inter eos con-
venisse, ut filius quidem Pabeci vocaretur, e semine tamen Sasani genitus. *Ad horum qualemcum-*
que confirmationem subdit Agathias: Hoc modo Artaxaris genus repetentes Persæ, vera hæc esse
affirmant, ut in regiis membranis conscripta. *Herbelotius tamen ex parte tantum consentit prædi-*
ctis, ut mox dicam, et necdum invenimus, utrum Sasanus, pater Artaxerxis Assyrius fuerit, an
Persa.

e *Constat ex pluribus, stirpem illam regum Persarum a Sasano agnomen habuisse, et* Sasanidarum
fuisse dictum, ut Abulfaraius habet, pag. 80, non explicans tamen, fueritne Sasanus pater, an avus E
B *Artaxerxis, sive* Ardshiri, *ut ipse vocat. Eutychius patriarcha in Annalibus pag.* 367 Azdashirum
vocat filium Babeci, filii Sasani; *et sic Sasanum facit Artasiræ sive Artaxerxis avum. Herbelotius*
in Bibliotheca Orientali ad nomen Ardschir Bebegan, *qui est Artasiras biographi nostri, fuse disse-*
rit, et colligit varias scriptorum de patre Artaxerxis sententias. Babecum, *quem* Pabecum *vocat*
Agathias, facit potentem virum, et Sasanum *ejus pastorem, cui Babecus filiam suam nuptiis junxe-*
rit. Itaque Babecus esset avus, Sasanus pater Artaxerxis, idemque repetit ad nomen Sassan, *unde,*
inquit, Sassanianæ *vel* Sassanidæ *reges Persarum. Addit ibidem,* Sasanum *vel* Sassanum *ex regia*
stirpe ortum fuisse, sed ob egestatem, ad quam fuerat redactus, factum esse pastorem Babeci. Quid de
omnibus his sit verius, certo edicere nequeo. Verisimilius tamen est, Sasanum fuisse Artasiræ patrem,
ut noster asserit, quandoquidem nomen suum posteris dederit, indeque etiam conjicere possumus, non
fuisse ignobilem. Artasiras *etiam, quem unum* ex magnatibus *facit noster, non potuisset efficere, quæ*
perfecit, nisi in splendida aliqua dignitate fuisset ante rebellionem.

f *Nocturnus hic mulieris egressus et regressus verisimiliter fictitius est, sicut etiam illud, quod se-*
quitur de congregatis eadem nocte ab Artasira magnatibus. Voluit auctor totam conspirationem in unam
noctem conjicere, sed improbabiliter. Monitum tamen de somnio regis fuisse Artasiram, idque a mu-
liere, habet etiam laudatus Herbelotius, sed non dicit, omnia tam properanter peracta.

g *Cum Parthia ante fuerit provincia regni Persici, sed modica et ignobilis, non est verisimile,* bar-
baros *ob Artasira Parthos dictos. Verum de ratiociniis universim dicere possumus, ea pro ingenio*
scriptoris composita.

h *Titulum* magni regis *primus assumpserat Artabanus, teste Herodiano lib. 6, pag. 576, an vero*
ἀρχιβασιλέως *titulo etiam græce uteretur, ignoro. At fuerit vox Persica, quæ utroque modo explicari*
poterat.

i *Meminerit studiosus lector, hæc proferri a rebellibus, qui speciosum quærunt prætextum. At illa* F
C *nec approbasset Apostolus, nec sana approbabit Theologia.*

k *Tam diuturnum Artabani silentium non est verisimile.*

l *Dion lib. 80, num. 3 ait, ab Artasira sive Artaxerxe* Parthos tribus præliis *victos. Hic noster*
tria etiam insinuat prælia, primum utcumque dubium, sic tamen, ut post illud cresceret potentia Ar-
tasiræ, in secundo Artasiram facit victorem, in tertio procul dubio scripsit occisum fuisse Artabanum.
At, ut notatum est ad apographum nostrum, erasa ibi sunt aliqua ex codice. Itaque eventum tertii
prælii et pauca antecedentia et sequentia huc transfero ex Metaphraste: Cum postremo utrinsque
partis acies prope essent, aiunt Artasiram dixisse Artabani regi, ne temere faceret, et perderet
genera Persarum et Parthorum: regnum enim nolle deinceps manere apud Artabanem, sed transire
ad Artasiram. Tu autem, inquit, si me audias, vives citra ullam molestiam. Dabo enim tibi
reginam, quæ affatim suppeditabit omnia, quæ ad usum pertinent. Oportet autem non alio, quam
te ipso uti magistro ejus, quod est utile, et meminisse responsi, quod aliquando reginæ dixisti
in tabernaculo. Sed hæc quidem Artasiras. Artabanes autem prius adspiciens ad quosdam suos
familiares: Quam gravis res est, inquit, fœmina! Amor conjugii potius læserit, quam juverit.
Hæc cum dixisset, jubet transire quemdam ex satellitibus, et interficere reginam. Existimabat
enim, eam prodidisse secretum. Conversus autem ad Artasiram, respondit, esse sibi longe optabilius
mori, quam Artasiræ, qui erat servus, regno cedere. Quæ simul atque dixisset, insane et bacchantis
more irruit in Persas; et ex eis quidem multos sauciat, plures autem occidit: dirigit vero etiam
hastam adversus Artasiram. Ille autem (habebat enim manus sagittandi peritas, et quæ hac in re
semper magna cum laude versabantur) fugam quidem simulat. Dum eum autem persequitur Arta-
banes, immittit telum in pectus propter mamillam ejus, qui persequebatur. Quod cum ob vires
ejus, qui fuerat jaculatus, sustineri non potuisset, rumpit Artabani thoracem; et trajecto pectore
excidit e dorso, et morte statim afficit Artabanem. Mox autem convenientes inter se Parthi et Persæ,
regem renuntiant Artasiram, qui ostendebat, se magnam eorum gerere curam, et non parvam
esse

A esse suam in eos humanitatem. Et ille quidem cum sic se haberet, Artaductam ducit uxorem, quam datum jusjurandum ei prius desponderat, et eam eligit reginam. *Hæc omnia e codice erant erasa. Quæ vero sequuntur notata usque ad finem hujus capitis, sic erant in codice denigrata, ut difficulter legi potuerint.*

m *Nimirum cum Artaducta, ut jam vidimus ex verbis Metaphrastæ mox datis. Æquitas Artasiræ in subditos laudatur etiam ab Eutychio pag.* 375 *his verbis :* Quanta fieri potuit cum justitia inter homines versatus est. *At certe occupatio regni non erat justa.*

n *In græco tantum legi potuit* Χοσ, *sed constat, agi de Cusarone, de quo ita Metaphrastes apud Surium :* Cusaro autem, Artabanis frater, qui regnum Magnæ obtinebat Armeniæ, cum intellexisset ea, quæ evenerant, et quod ad Persas fuit translatum Parthorum imperium, magno dolore est affectus. *Apud Metaphrastem, nomen ejus* Cusaro *scribitur in hac vita* Cusaron, *et aliquando etiam* Cusaro.

o Valerii *forte mendose, cum* Valarsi *ante scribatur. Licet verisimiliter idem sit nomen Orientale.*

p *Tractum aut populum illum non invenio : neque id mirandum, cum quia in amplissimo Parthorum imperio plurimæ erant minores provinciæ, tum quia linguarum diversitas locorum nomina multum immutat. Facile tamen credere possum, ex satrapis regni Parthorum fuisse Artasiram.*

q *Aut aliqua in apographo sunt mendosa, quod recte legi non potuerint, aut varia inutiliter repetuntur. An rex Armeniæ revera esset frater Artabani Parthorum regis, ut asserit Agathangelus, invenire in Historia Romana nequeo.*

CAPUT II.

Bellum ab Armeniæ rege contra Persas pro imperio gestum : dolo Anaci occisus rex Armeniæ.

B E

Ἀνάκαμψας δὲ ἐπ' Ἐρασενεῖς τὴν ἰδίαν πατρίδα, καὶ ἐν τῷ ἐπιόντι ἐνιαυτῷ ἤρξατο ὁ αὐτὸς κουσάρων ὁ τῶν Ἀρμενίων βασιλεὺς στρατείαν συναθροίζειν, καὶ συγκαλεῖν τὴν τῶν Ἀλξανῶν καὶ Ἰβηρῶν στρατοπεδαρχίαν, ἀνοῖξαι δὲ καὶ τὰς Κλεισούρας τῶν Ἀλανῶν, καὶ τοῦ λεγομένου καὶ Ζουάρου πύργου, ἐκβάλλει τε τὰ τῶν Οὔννων στρατεύματα, ὥστε ἐπιδραμεῖν τοῖς τῆς Περσίδος μέρεσιν καταλαβεῖν τε καὶ τὰ κλίματα τῆς Ἀσσυρίας, ἕως τῶν Κασπίων λεγομένων πυλῶν, πρεδεῦσαί τε καὶ ἀφανισμὸν μεταθεῖναι τὰς ἐν ἡσυχίᾳ καὶ εὐανθίᾳ πόλεις τε καὶ κωμοπόλεις καθιστάμενος. Ἐσπούδαζεν γὰρ ἐνθυμούμενος καὶ τὸν νομὸν ἐξᾶραι τῆς τῶν Περσῶν δεσποτείας εἰς τέλος, ἐκδίκησιν λαβεῖν ἐπειγόμενος τῆς ἐκπτώσεως τῆς δεσποτείας τοῦ ἀδελφοῦ. Μεγάλην δὲ ἔχων μῆνιν, καὶ πεπληγὼς ἀμέτρῳ ζήλῳ τὴν καρδίαν ὑψηλὰ ἐφρόνει, θαῤῥῶν τῷ τῆς στρατείας πλήθει καὶ τῇ ἀνδρείᾳ τῶν συμμάχων. Τότε οὖν ἐν τάχει εἰς βοήθειαν ὁμοῦ πάντες ἔφθασαν μετὰ ἀπείρου πλήθους καὶ ἀνδριωτάτων ἱππέων καὶ ἰσχυρᾶς ἑτοιμασίας· Ἀλβάνοι, Λιφίννιοι, Σιλβάνοι, Κασπῖται, καὶ ἄλ-
C λοι ἐκ τῶν αὐτῶν μερῶν, ὅπως τὴν ἄμυναν τοῦ Ἀρταβάνου αἵματος ἐπιζητήσωσιν. Καὶ γὰρ ἐν μεγίστῃ λύπῃ ὑπῆρχεν διὰ τὴν φυσικὴν ἀδελφότητα τοῦ ἀναιρεθέντος, καὶ τὴν αὐτοῦ συγγένειαν τὴν ὁμοθυμαδὸν ὑποτάγησαν τῶν ἐπαρθέντων Σταχριστῶν, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ ἀποστείλας ἦν ὁ Κουσάρων πρέσβεις, ἵνα οἱ συγγενεῖς εἰς βοήθειαν παραγένωνται, ἀντιστάμενοι τῇ νεωστὶ βασιλείᾳ, καὶ χεῖρα ὀρέξωσιν εἰς συμμάχειαν. Ὅμως οἱ συγγενεῖς, φύλαρχαι καὶ σατράπαι καὶ ἔξαρχοι Πάρθων, οὐκ ὑπήκουσαν. Πεπεισμένοι γὰρ καὶ εὐδοκήσαντες καὶ ὑποταγέντες ἦσαν τῇ τῶν μονογενῶν δεσποτείᾳ, ἢ ἀδελφότητι.

11 Πλὴν ὅμως λαβὼν ὁ Κουσάρω τὸ πλῆθος τοῦ ἰδίου στρατοπέδου, καὶ τοὺς προσηλύτους λίαν ἐμπειροπολέμους, ἐπέβη τῇ Περσίδι. Θεωρήσαντος δὲ τοῦ τῶν Περσῶν βασιλέως τὸν ἀμύθητον ὄχλον τοῦ στρατεύματος, ὅτι ἐν βαρυτάτῃ δυνάμει ὁρμησθέντες ἐπέφθασαν αὐτόν, ἐξῆλθεν καὶ αὐτὸς εἰς ὑπάντησιν ἀκουσίως ἐν ἑτοιμασίᾳ πολέμου· καὶ ἀντιπίπτειν μὴ ἰσχύσας, νῶτα διδοὺς, φυγὰς ἔμπροσθεν αὐτῶν ἐγένετο. Οἱ δὲ πολέμιοι καταδιώξαντες κατέστρωσαν τῶν Περσῶν πᾶσαν στρατείαν, κἂν ταῖς πεδιάσι καὶ ταῖς ὁδοῖς περισκόρπησαν ἄπειρον τῶν κατακοπέντων καὶ τεθνηκότων πλῆθος. Ὁ δὲ βασιλεὺς τῆς ἀρμενίας, ἀναζεύξας ἐν μεγίστῃ νίκῃ

Reversus vero est in Erasenen *a* provinciam suam, et sequenti anno idem Cusaro Armeniæ rex cœpit congregare exercitum, et convocare agmina Albanorum et Iberorum *b* : apertisque Alanorum Claustris, quibus et Zuari turris *c* est nomen, Hunnorum *d* emittit agmina, ut partes invaderent Persidis, caperentque tractus Assyriæ usque ad portas dictas Caspias *e*, prædarenturque et exterminarent civitates et oppida felici quiete florentia. Studebat enim et cogitabat præfecturam dominationis Persarum in perpetuum tollere, ut vindictam caperet de lapsu dominii fratris sui. Magnam autem fovens iram, immoderatoque succensus zelo, excelsa animo volvebat, fretus exercitus sui multitudine et commilitonum virtute. Tunc igitur velociter omnes simul in auxilium venerunt cum innumera multitudine et equitatu fortissimo validoque apparatu, Albani, Liphinnii, Silvani, Caspitæ *f*, aliique ex illis partibus, ut vindictam de sanguine Artabanis requirerent. In maxima enim erat tristitia F propter naturalem occisi fraternitatem, et propter consanguineos unanimiter subjectos superbis Stachristis *g*, et maxime, quia etiam legatos miserat Cusaro, ut consanguinei suppetias venirent, resistentes nato nuper imperio, manumque præberent auxiliatricem ad bellum simul gerendum. Attamen consanguinei, qui tribuum principes, satrapæ et duces erant Parthorum, non obtemperarunt. Nam obsequentes magis acquiescentesque et subjecti erant unigenarum dominationi, quam fraternitati.

11 Verumtamen Cusaro, sumpta secum multitudine exercitus sui cum advenis belli arte admodum exercitatis, ingressus est Persidem. Cum autem videret Persarum rex innumerabilem exercitus multitudinem, quandoquidem maximis cum viribus ipsum prævenerant, invitus et ipse obviam processit cum apparatu bellico : cumque resistere non valeret, terga dans, in fugam ab ipsis conversus est. Hostes vero persecuti, totum Persarum prostraverunt exercitum, et circumquaque in campis et in viis disperserunt innumeram concisorum mortuorumque multitudinem. Porro rex

Rex Armeniæ, collecto ingenti exercitu,

invadit Persidem, et victoriam de Persis obtinet,

A MATHANGELO.

rex Armeniæ, motis castris, maxima potitus victoria et ingenti pecuniarum copia, magna cum oblectatione transgreditur in partes Armeniæ. Ubi autem pervenerat in provinciam Ararat *h* et civitatem, quæ vocatur Valeroctista *i*, jubet nuntios mitti in varias partes, litterasque scribi ad componenda donaria, suspendenda in septem fanis, quæ sunt in ejus ditione: mittitque tauros albos, hircos albos, equos albos, asinos albos, vasa aurea et argentea, lapides pretiosos, et ex vestimentis tam quæ ipse habebat, quam quæ a consanguineis acceperat, magnificentissima ad honorem et ornatum venerandorum locorum suorum, ab omnibus spoliis quintam pro iis partem separans. Multa quoque sacerdotibus dona largiebatur: agmina vero, quæ secum habebat, donis honorata, dimisit.

quos decem annis bello premit. At inductus promissis regis Persarum

12 At rursum sequenti anno exercitum congregavit Cusaron Armeniæ rex, et advocavit idem sociorum subsidium, aut majus etiam præcedente, duxitque ad partes Syriæ. Adjuncta autem eidem quoque sunt Saracenorum *k* agmina in subsidium. Raptisque iterum spoliis, cum laude reversus est ad loca propria. Et hoc modo deinceps in annos decem *l* subjectam regi Persarum B potestatem evertit. Cum ergo perspiceret Persarum rex hæc omnia mala, quibus affligebatur, confusus est vehementer, hæsitque ambiguus. Convocatis autem omnibus regibus, locorum præsidibus, et belli ducibus, quos habebat in ditione sua, ad consultandum, hortatus est omnes, ut invenirent malorum exitum. Promittebat vero dona majora illi, qui vindictam facere valeret, annuntians, se eidem secundam dignitatem in dominio suo traditurum, dicens, quod, etiamsi quis sit fortunæ admodum tenuis, solio tantum meo primo apparente, æqualem ab ipsis post me obtineat honorem.

Anac, regis Armeniæ consanguineus,

13 Tunc aliquis illustrissimus in ditione Persarum gentis præfectus, cui nomen Anac, consanguineus Cusanoris regis, ex ipso surgens consessu, processit in medium, et promisit vindictam se capturum de proprio consanguineo, tamquam de inimico. Incipiens vero disserere Persarum rex, eidem dicit: Si hanc mihi vindictam toto animo exquisiveris, avitam potestatem statim vobis dabo, tibique imponens diadema, gloria sublevabo, cla- C rissimumque et omnium illustrissimum in regno meo efficiam, et secundus a me vocaberis. Respondens vero Parthus Anac, dixit: Relictos ex cognatione mea benefaciendo honoraveris. Ego enim et frater meus germanus tibi hodie subjecti sumus; etiamsi discedimus. Nam incertum manet, an invicem etiamnum simus visuri. Itaque tunc Parthus, simulac erat paratus, cum proprio fratre, et cum uxoribus ac liberis, et cum reliquo apparatu egressus est, tyranni speciem simulans, profectusque est in partes Armeniæ, quasi deserens Persarum regem, accedensque ad regem Armeniæ Cusaronem.

ad ipsum proficiscitur instar transfugæ, et humaniter exceptus,

14 Advenit itaque in provinciam et civitatem Chalchal *m* dictam, in loca hiberna regum Armeniæ. Rex vero eum videns, summo cum honore excepit, maxime postquam simulando dolose cum ipso colloqui cœpit, et adventus sui fidem manifestare, dicens: Hac de causa adsum, ut communi consensu de ambobus nobis vindictam facere possimus. Igitur perspiciens rex virum ad se venisse cum omnibus suis, indubitanter ei credidit: et tunc eidem regalem tribuit honorem, eumque attollens, in secundo sedere fecit solio. Omne autem tempus hiemale, illud-

D καὶ πλήθει χρημάτων μετὰ πολλῆς θυμηδίας διαβαίνει εἰς τὰ μέρη τῆς Ἀρμενίας. Παραγενόμενος δὲ ἐν τῇ πατρίδι Ἀραράτ καὶ πόλει, ἥτις καλεῖται Οὐαλεροκτίστη, παρακελεύεται ἀγγέλους διαποσταλῆναι διαφόροις μέρεσι, καὶ γράμματα καταπεμφθῆναι πρὸς τὸ ἀναθήματα γίνεσθαι, τοῖς ἕπτα ἱεροῖς, τοῖς ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ ἐξουσίᾳ ὑπάρχουσιν, καὶ πέμπει λεύκους ταύρους καὶ λευκοὺς τράγους καὶ ἵππους λευκοὺς καὶ ἡμιόνους λευκούς, χρύσα καὶ ἀργυρὰ σκεύη, καὶ λίθους τιμίους, καὶ πολυτελέστατον ἱματισμὸν ἐξ ὧν τε εἶχεν καὶ ἀπὸ τῶν αὐτοῦ συγγενῶν, εἰς τιμὴν καὶ κόσμον τῶν σεβασμίων αὐτοῦ τόπων, ἀπὸ πάντων τῶν σκυλῶν τὸ πέμπτον εἰς αὐτοὺς ἀφορίσας. Πολλά τε δῶρα τοῖς ἱερεῦσιν ἐχαρήσατο, τοῖς δὲ στρατεύμασι τοῖς περὶ αὐτὸν παρασχὼν δωρεάς, ἀπέλυσεν.

12 Πάλιν δὲ ἐν τῷ ἐπίοντι ἐνιαυτῷ στρατείαν συναθροίσας Κουσαρω, ὁ τῶν Ἀρμενίων βασιλεύς, καὶ τὴν αὐτοῦ συμμαχίαν ἀνακαλεσάμενος, ἢ καὶ πλείονα τῆς προτέρας, ἐπέδραμεν εἰς τὰ μέρη τῆς συρίας. Συνεβάλλοντο δὲ αὐτῷ καὶ αἱ τῶν Σαρακηνῶν στρατεῖαι πρὸς συμμάχειαν. Σκευλεύσας δὲ καὶ τὸ δεύτερον, ἐν ἐπαίνῳ ὑπέστρεψεν εἰς τοὺς αὐτοῦ ἰδίους τόπους· καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἑφεξῆς, ἐπὶ δέκα ἔτη τὴν ὑποτεταγμένην τῷ τῶν Περσῶν βασιλεῖ ἐξουσίαν κατέστρεψεν. E Ταῦτα οὖν θεασάμενος ἅπαντα τὰ κακὰ ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς, κατειληφότα αὐτόν, συνεχύθη σφοδρὰ καὶ διηπορεῖτο ἐν ἑαυτῷ. Προσκαλεσάμενος δὲ πάντας τοὺς βασιλεῖς καὶ τοπάρχας καὶ στρατήγους τῆς ἰδίας δεσποτείας συμβούλιον λαμβάνειν, παρακαλῶν πάντας λύσιν τῶν κακῶν εὑρεῖν· Ὑπισχνεῖτο δὲ καὶ μείζονας δωρεὰς τῷ δυναμένῳ ἐκδίκησιν εἰσπρᾶξαι, ἐπαγγελλόμενος ἐν τῷ δευτέρῳ ἀξιώματι τῆς ἡδίας δεσποτείας κατατάττειν αὐτόν, λέγων ὅτι εἰ καὶ πάνυ τις τῶν ὑποδεεστέρων τύχοι, πλὴν τοῦ ἐμοῦ θρόνου πρώτου φανέντος, παρ' αὐτῶν τὴν ἴσην μετ' ἐμὲ ἐχέτω τιμήν.

13 Τότε τις ἐκ μέσου τοῦ συνεδρίου ἐπιφανέστατος ἐθνάρχης τῆς τῶν Περσῶν δεσποτείας, ᾧ ὄνομα Ἄνακ, ἐκ τῆς συγγενείας Κουσάρω τοῦ βασιλέως, ἀναστὰς εἰς μέσον παρείη, καὶ ἐκ τοῦ ἰδίου συγγενοῦς, ὡς παρὰ ἐχθροῦ, ὑπέσχετο ἐκδίκησιν λαβεῖν. Ἀρξάμενος δὲ ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς διαλέγεσθαι, αὐτῷ φησίν· ἐάν μοι ταύτην τὴν ἐδίκησιν ὁλοψύχως ἐκζητήσῃς, τὴν ἀπαρχῆς προγονικὴν ὑμῶν ἐξουσίαν ὑμῖν ἀναδώσω, καὶ σοὶ περιθεὶς διάδημα ὑπερδοξάσω καὶ ἐπιφανέστατον καὶ ἐνδοξότατον τῶν ἐν τῇ ἐμῇ βασιλείᾳ ποιήσω, καὶ δεύτερός μου κληθήσῃ. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πάρθος Ἄνακ, F εἶπεν, τὸ κατάλιμμα τῆς ἐμῆς συγγενείας, εὐποιήσας τιμήσῃς. Ἐγὼ γὰρ καὶ ὁ ἐμὸς γνήσιος ἀδελφὸς σήμερόν σοι συντασσόμεθα, εἰ καὶ ἀπαλλαττόμεθα. Ἐπ' ἀδήλῳ γὰρ πρόκειται, τὸ ὑπ' ἀλλήλων ἔτι θεαθῆναι. Τότε οὖν ἕτοιμος γενόμενος οἱ Πάρθος μετὰ καὶ τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ σὺν γυναιξὶν τε καὶ παισὶν καὶ τῇ λοιπῇ ἀποσκευῇ ἐξῆλθεν, ἀντάρτου σχῆμα ὑποκρινόμενος, καὶ ἤρχετο εἰς τὰ μέρη τῆς Ἀρμενίας, ὡς ἀποστατήσας τῶν Περσῶν βασιλέως, προσκεχωρηκὼς δὲ Χουσάρω τῷ τῆς Ἀρμενίας βασιλεῖ.

14 Παρεγένετο οὖν ἐν τῇ πατρίδι καὶ Χαλχὰλ πόλει λεγομένῃ, ἐν παραχειμίοις τόποις τῶν τῆς Ἀρμενίας βασιλέων. Θεασάμενος δὲ αὐτὸν ὁ βασιλεὺς μετὰ πλείστης φιλοτιμίας ἀπεδέξατο, μάλιστα ὅτι ὑποκρινόμενος δολερῶς συνομιλεῖν αὐτῷ ἤρξατο, καὶ τῆς ἰδίας παρουσίας τὴν πίστιν ἀπεδείκνυτο λέγων· διὰ τοῦτο πάρειμι, ἵνα συμφώνως ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἡμῶν ἐκδίκησιν εἰσπρᾶξαι δυνηθῶμεν. Ἐπειδὴ οὖν θεώρει ὁ βασιλεὺς τὸν ἄνδρα πρὸς αὐτὸν ὁρμήσαντα σὺν πᾶσι τοῖς οἰκείοις, ἀδιστάκτως αὐτῷ ἐπίστευσεν· καὶ τότε δίδωσιν αὐτῷ τιμὴν κατὰ τὸν βασιλικὸν νόμον, καὶ ἐπὶ δευτέρῳ αὐτὸν θρόνῳ ἀναβιβάσας ἐκάθησεν. Πάντα δὲ τὸν

τοῦ

A τοῦ χειμῶνος καιρὸν καὶ τὰς τῶν δεινοτάτων ἀνέμων πνοάς, ἐν εὐφροσύνῃ ἀναπεπαυμένοι ἦσαν. Ἐπειδὴ οὖν ἤκασιν αἱ τοῦ ἔαρος ἡμέραι, πνεόντος τοῦ νότου θερμόν, τῆς θερινῆς θύρας ἀνοιγήσης, ἀπῆρεν ὁ βασιλεὺς ἐξ ἐκείνων τῶν μερῶν, καὶ κατέβη εἰς τὴν πατρίδα, λεγομένην ἀραράτ, εἰς πόλιν Οὐαλεροκτίστην, καὶ ὅτε ἐν εὐφροσύνῃ ἀναπεπαυμένοι ἦσαν ὅτε βασιλεὺς καὶ ὁ Πάρθος, ἐνεθυμεῖτο ὁ βασιλεὺς στρατοπεδεῦσαι πάλιν εἰς τὰ μέρη τῆς Περσίδος. Ὁ δὲ πάρθος ἀκούσας ἐμνήσθη τοῦ ὅρκου τοῦ πρὸς τὸν Περσῶν βασιλέα, καὶ τὴν ἰδίαν πατρίδα ἰδεῖν ἐπεπόθη καὶ τῶν ὑποσχέσεων ἐπιτυχεῖν ἐπίστευεν, ὡς μέλλων τῆς τῶν Πάρθων ἐξουσίας ἐπικρατεῖν, καὶ τὴν προγονικὴν τιμὴν ἀναλαβεῖν.

que, quo vehementissimi erant ventorum flatus, cum lætitia transegerunt in quiete. At ubi venit tempus veris, austro calidum spirante, apertaque æstatis porta, ex illis partibus rex discessit, profectusque est ad provinciam Ararat dictam, ad civitatem Valeroctistam : et ubi hilariter quieverant tam rex quam Parthus, cogitabat rex iterum castra movere in tractus Persidis. Hoc intellecto, Parthus jurisjurandi, quo se regi Persarum obstrinxerat, recordatus est, cupiebatque et propriam videre patriam, credebatque obtenturum se promissa sibi facta, velut dominationem Parthorum adepturus, honoremque progenitorum suorum habiturus. — A AGATHANGELO

15 Βουλὴν οὖν πονηρὰν σκεψάμενος, λαμβάνει τὸν βασιλέα αὐτός τε καὶ ὁ ἴδιος αὐτοῦ ἀδελφος ἰδιάζοντες, ὡς προφασιζόμενοι σκέψιν τινὰ ἀναθέσθαι αὐτῷ, τὰς δὲ ῥομφαίας αὐτῶν, ὁλοστόμους παρελυσθέντας, ἐκράτουν κρυφέως. Αὐτίκα δὲ ἀπροσδοκήτως τὰς σπαθὰς ἀνασπάσαντες, ἐπάταξαν τὸν βασιλέα, καὶ εἰς τὴν γῆν κατέῤῥαξαν. Γνοὺς δέ τις εὐθέως τὸ γινομένον πρᾶγμα, ἐξέκραγεν ὀλολύγμῳ μεγάλῳ, καὶ ὡς ὧδε καὶ ὧδε αὐτοί, ἐπιβάντες τοῖς ἰδίοις ἵπποις, φυγάδες ἐγένοντο, καὶ τοῦτο μαθόντες οἱ σατραπαὶ τῶν Ἀρμενίων,
B νουμέναρχοι διεμερίζοντο ὀπίσω αὐτῶν καταδιώκοντες, καὶ προδραμόντες τινὲς προκατελάβοντο τὴν διαβάθραν ἐπὶ πύλαις ἄρταξατ τῆς πόλεως. Ὁ γὰρ ποταμὸς Ἐρασὰχ πλημμύρων μεχρὶ τῆς κρηπῖδος ἔρεεν ἐκ τῆς λυθήσης χιόνος σὺν τῷ κρυστάλλῳ, οἰδαίνων καὶ ἀναβλύζων ἐν ταῖς ἡμέραις ὧν τῆς αὐτοῦ ἀναθολώσεως. Ἄλλοι δὲ περάσαντες τὴν γέφυραν Οὐαλεροκτήστης τῆς πόλεως, καὶ τὴν διαβάθραν τοῦ λεγομένου ποτάμου Μάθεος, συνέδραμον καταλαβεῖν τὰς διαβάσεις τῆς προκειμένης πόλεως Ἀρταξάτης, καὶ ἐν τοῖς στένοις περικυκλώσαντες τοὺς φυγάδας εἰς μέσῳ τῶν γεφύρων ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ποταμοῦ βρυχίους πεποιήκασιν. Αὐτοὶ δὲ ἀναστρέψαντες ὀλολυγμοῖς καὶ κλαυγαῖς καὶ ἐλεειναῖς φωναῖς σὺν πάσῃ τῇ χώρᾳ συναχθέντες, τὸν βασιλέα ἐθρήνουν. Ἔτι δὲ μικρὰν ἐκεῖνος θέρμην ὑπο τὰ στέρνα ἀναπνέων, τῆς τελευταίας πνοῆς αὐτῷ φθασάσης, ἐκέλευσεν τὴν συγγενείαν αὐτῶν πᾶσαν ἐξολοθρεῦσαι, καὶ μὴ δ᾽ ὅλως καταλοιπεῖν ἀπὸ νεανίσκου καὶ τοῦ μὴ γινώσκοντος δεξιὰν καὶ ἀριστεράν. Ἀλλὰ καὶ τὴν θηλείαν γονὴν ἐξηφάνησαν ἐν τοῖς ξίφεσιν. Πλὴν δυὸ μικρότατα παιδία ἐκ τῶν υἱῶν τοῦ Πάρθου διασώσας τις τῶν ἐγγυτάτων, ἐποιήσατο μετὰ τροφῶν, καὶ ἐκφυγεῖν πεποίηκεν, ἕνα μὲν εἰς τὰ μέρη τῆς Περσίδος, τὸν δὲ ἑτέρον ἐν τοῖς Ῥωμαικοῖς τόποις, καὶ ἐγένετο.

15 Igitur, pravo inito consilio, assumpserunt regem ipse ejusque frater sine alio comitatu, prætexentes, quamdam considerationem se illi propositurοs, gladios vero suos, undique involutos, occulte sumebant. Extemplo autem gladios improviso educentes, regem percusserunt, et in terram dejecerunt *n*. Cum vero factum aliquis continuo rescivisset, exclamavit magno cum ululatu; et cum illi, ascensis equis suis, huc illucque fugerent, et hoc Armenorum satrapæ didicissent; cohortium præfecti dividebantur ad E eos persequendos, et præcurrentes aliqui præoccupaverunt pontem ad portas civitatis Artaxatæ *o*. Nam fluvius Erasach *p* exundans, usque ad crepidinem fluebat ex nive soluta cum glacie, superbiens et scaturiens in diebus confusionis suæ. Alii vero transeuntes pontem civitatis Valeroctistæ, et pontem fluvii, cui nomen Matheos *q*, concurrerunt ad occupandos transitus civitatis Artaxatæ, fugitivosque in locorum angustiis circumdantes in medio pontium et illinc, fecerunt, ut submergerentur in flumine. Illi autem redeuntes, ululatibus et clamoribus, vocibusque miserandis, cum omni provincia congregati, regem lugebant. Ille vero, modicum adhuc calorem in pectore spirans, postremo adveniente flatu, præcepit, ut omnis eorum cognatio exterminaretur, nec ullus omnino relinqueretur, nec adolescens, nec ille, qui neque dexteram novit neque sinistram : quin et genus muliebre gladiis deleverunt. Verumtamen, cum quis ex proximis duos infantes maxime pusillos ex filiis Parthi servasset, nutrices iisdem attribuit, fecitque ut effugerent, alter quidem in partes Persidis, alter F in loca Romanis subjecta, ut revera factum est.

dolo regem occidit, fugiensque in flumine mergitur. — *n* — *o p* — *q*

C

ANNOTATA.

a Erasene *Armeniæ regio verisimiliter erit* Campus Araxenus, *de quo plura observabo infra lit.* h. *Nam Araxes num.* 15 *vocatur* Erasach, *indeque consequenter Campus Araxenus videtur* Erasene *vocari.*

b *Albanium et Iberiam contiguas esse provincias, et ambas Armeniæ conterminas, satis notum est geographis. Habuerunt Albani et Iberi suos reges singuli, et verisimiliter etiam tunc habebant; sed poterant fœderati esse regis Armeniæ, et communi consilio cum ipso bellum meditari contra Artaxerxem sive Artesiram, quem timebant.*

c *Alanorum Claustra, quæ tunc etiam vocabantur* Zuari Torris, *fuerunt in monte Caucaso, ad cujus Septemtrionem tunc videntur habitasse Hunni, iisque vicini Alani, degentibus ad Meridiem ejusdem montis Albanis et Iberis. Illas revera in Caucaso Portas assignat Cellarius in Geographia antiqua, vocatque* Portas Caucasias *cum Plinio, qui postquam lib.* 6 *de utraque Armenia, Albania et Iberia scripserat, cap.* 11 *de Portis Caucasus sic agit, ut illas hic alio nomine commemoratas vix dubitem.* Ab iis, *inquit,* sunt Portæ Caucasiæ, magno errore a multis Caspiæ dictæ, ingens naturæ opus montibus interruptis repente, ubi fores abditæ * ferratis trabibus, subter medias amne diri odoris * fluente, citraque in rupe castello (quod vocatur Cumania) communito ad arcendas transitu gentes innumeras; ibi loci terrarum orbe portis discluso, ex adverso maxime Harmasti * oppidi Iberum. *Verba dedi ex prima Plinii editione anni* 1469, *notatis ad marginem variantibus ex alia editione. Procopius lib.* 4 *de Bello Gothico cap.* 3 *Caucasi Portas commemorat, de monte Caucaso ad propositum nostrum ita scribens :* Est ultra regionem hanc Caucasus : qui mons in tantam altitudinem surgit, ut nec pluvia nec nix ejus culmina contingant unquam, utpote quibusvis nubibus

* al. obditæ
* al. Dyriodori
* al. Hermastis

... quam summi D
bus altiora. A medio ad imum plenus est assidua nive, infimæque ejus partes non minus quam summi
aliorum montium scopuli sese attollunt. Atque hæ quidem Septemtrioni soliquo Occidenti ob-
versæ ad Illyricum et Thraciam procurrunt : illæ vero in Orientem ac Meridiem vergentes, ad
Portas evadunt, quæ Hunnos vicinos in Persarum ac Romanorum oras inducunt. Tzur altera,
altera veteri nomine Caspia dicitur. Tractum illum, qui a monte Caucaso ad Portas Caspias per-
tingit, Alani tenent, nullius imperio subditi, Persarum plerumque socii, et in Romanos cæte-
rosque eorum hostes arma soliti ferre. Hactenus de Caucaso. Ibi Hunni, quos Sabiros appellant,
et aliæ quædam gentes Hunnicæ habitant. *Hæc sufficiunt, ut intelligamus, Portas Caucasias, quas*
describit Plinius, recte dici potuisse claustra Alanorum, *cum Alani illis arcerentur ab ingressu in*
Iberiam et provincias alias versus Austrum. Illas autem esse, quas Tzur *suo tempore vocatas asserit*
Procopius, recte observat Cellarius lib. 3, cap. 10, pag. 225. At nomen illud Tzur *a nomine* Zuari
turris *facile oriri potuit, tum ex linguarum diversitate, tum tractu temporis, quo nomina corrumpun-*
tur. Suarni *populus etiam ad Caucasum habitabat juxta Plinium lib. 6, cap. 11, ubi agit de Portis*
Caucasiis, an forte ab illis Zuari turris *nomen habuerit, certo edicere nequeo.*

d *In apographo notatur, vocem* Hunnorum *sive* Ὕννων, *scriptam fuisse* alia manu, *sed Metaphrastes*
eodem loco de Hunnis meminit, ideoque de lectione non est dubium.

e *Pylæ aut portæ Caspiæ a plerisque vetustis geographis sunt memoratæ, sed, ut Plinius supra lau-*
datus observavit, et rursum observat cap. 13, a nonnullis etiam cum Portis Caucasiis confusæ. At Cel-
larius lib. 3, cap. 18 multis antiquorum testimoniis ostendit, Portas Caspias longo terrarum intervallo
a Caucasiis dissitas, positasque fuisse inter Mediam Parthiamque, seu in extrema Media ad Orientem
solem. *Pro hac sententia laudat Ptolemæum et Strabonem. Tum ad confirmationem addit verba*
illius, qui Strabonem contraxit, et ea latine sic exprimit : Duæ sunt gentes Caspiæ, altera Occi-
dentalior Cadusiis juxta mare eodem nomine (*Caspium*,) altera Parthis vicina, cujus sunt Portæ
Caspiæ. *Hæc pluribus ibi confirmat, Portasque Caspias recte statuit in monte, quo Media dividitur*
B *a Parthia. Itaque poterant Hunni per Iberiam et Armeniam excurrere in Mediam et Assyriam, floren-* E
tissimas regni Persici provincias.

f *Ex populis hic nominatis vulgo noti sunt* Albani *Armeniæ proximi :* Caspitæ *vero, sive* Caspii
populi, qui hic memorantur, ab aliquibus tribuuntur Albaniæ, aut certe Albaniæ vicini sunt ad
mare Caspium, ut habet Cellarius lib. 3, cap. 10 in Albania. Obscuriores sunt Liphinnii *et* Silvani *aut*
Silbani, *sed verisimiliter quærendi in Iberia, ubi apud Plinium lib. 6, cap. 10 memorantur* toto mon-
tium fronte gentes Sylvorum feræ, et infra Lubienorum. *In prima editione, quam habemus, legi-*
tur Sylvarum *et* Lupeinorum. *Hi forte erant* Silvani *et* Liphinnii *in vita vocati. Metaphrastes ait,*
exercitum fuisse compositum ex Albanis et Iberis, et præterea ex Hunnis, *nimirum præter Armenos*
ipsos.

g *Qui hic* Stachristæ, *num.* 9 Stachritæ, *ubi ex satrapis illius provinciæ Artasiras fuisse dicitur.*

h *De provincia* Ararat *frequens fiet mentio, sed illam recentioribus geographis vix cognitam perspi-*
cio, cum plerique solum montem Ararat *memorent. Attamen S. Hieronymus in illa verba Isaiæ cap. 37,*
v. 38 fugeruntque in terram Ararat, *quæ dicuntur de filiis Sennacherib regis Assyriorum, post-*
quam patrem suum occiderant, provinciam Ararat *assignat his verbis :* Ararat autem regio in Ar-
menia campestris est, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis, qui
usque illuc extenditur. *Hæc verba regionem aut provinciam Ararat videntur eamdem facere cum Campo*
Araxena, aut certe, si eamdem non facit Hieronymus, regionem Ararat cum Campo Araxeno ita
conjungit, ut regionem Ararat ponat circa Tauri montis juga, ubi est mons Ararat, *non longe a con-*
finio Armeniæ et Mediæ, et deinde magis versus Mare Caspium ponere potuit Campum Araxenum.
Magis tamen credo, diversa tantum esse unius regionis nomina. At Hieronymi sententia non placuit
Cellario lib. 3, cap. 11, pag. 233; non placuit, inquam, quod Hieronymus Campum Araxenum col-
locet prope Taurum, a quo, *inquit,* magno intervallo distat. *Attamen facillimum est, Hieronymi sen-* F
C. *tentiam cum vetustis geographis conciliare, et nominatim cum Strabone. Nam Taurus non modo lon-*
gissime per Asiam extenditur, sed multis etiam locis latissime, et varia hinc inde emittit juga, quæ
Tauri portiones sunt, etiamsi alia quoque habeant nomina, prout fit de Alpibus. Jam vero Araxes
fluvius oritur ex monte Abo, ex quo alia parte ortum similiter trahit Euphrates. Sic enim Strabo
lib. 11, pag. 527 *post Masium et Niphatem Armeniæ montes, de Abo loquitur :* Deinde Abus, unde
Euphrates Araxesque prolabuntur, versus Occasum alter, alter (*Araxes*) versus Ortum. *Con-*
sentit Monierus Armeniæ missionarius pag. 12, dicens, Euphratem et Araxem ex eodem monte Abo
oriri in locis invicem satis propinquis. Addit, omnes istos montes (*locutus erat de Abo et de Ni-*
phate, ex quo Tigris oritur) *portiones esse Tauri. Idem asserit Strabo pag.* 531 *de Abo et Imbaro :*
Hi montis Tauri sunt portiones. *Quapropter regio illa, per quam Araxes fluit, recte ab Hieronymo*
collocatur ad radices Tauri montis. *Ex his vero, quæ de cursu Araxis scribit Strabo pag.* 527, *satis*
colligitur, regionem Ararat conterminam esse Mediæ Atropatenæ. Nam sic habet : Araxes versus Or-
tum latus usque ad Atropatenam, ad Occasum deinde et Septemtriones inclinat : ac primum Azaram
præterfluit, deinde Artaxata Armeniæ urbem : post per Araxenum Campum in Caspium effunditur
mare. *Si quis ex his verbis voluerit regionem* Ararat *ab Araxeno Campo distinguere; partem Atropa-*
tenæ viciniorem usque ad urbem Artaxatam, ipsamque urbem dabit provinciæ Ararat, et quæ infra
Artaxatam Araxi vicina sunt versus Mare Caspium tunc constituent Campum Araxenum. Sic pag. 529
Artaxata statuitur ad Campum Araxenum, *non in campo Araxeno. Dubito tamen, an id recte diceretur*
ex mente Hieronymi; nec refert, fueritne una provincia, an gemina.

i *Græcum nomen hujus urbis* Οὐαλορεκτίστη *latine exponi potest* condita a Valerio, *ut forsan a Va-*
lerio, Valasso aut Vologeso quodam esset constructa, et non admodum vetusta. Certe nomen illud apud
antiquos non invenio. Hoc tamen fieri etiam potest, quod nomen habuerit Armenicum longe diversum.
Frequenter hæc urbs recurret.

k *Si vera sunt, quæ narrantur de secunda Casaranis expeditione, versus Syriam duxit exercitum,*
tamquam fœderatus Romanorum, quorum provincia erat Syria, ubi et Saraceni se eidem adjungere
poterant

A *poterant, ut junctis viribus per Mesopotamiam in ditiones Persarum invaderent. Certe in bello, quod Alexander Romanorum imperator contra Artaxerxem gessit, maxime anno 233, habuit Armenos fœderatos. De illo videri potest Tillemontius tom. III Imperatorum in Alexandro art. 23.*

l *Potuit rex Armeniæ bellum illud contra Artaxerxem facile per annos decem continuare, cum pacem verisimiliter non inierit cum ipsis ante Romanos. Pax autem inter Romanorum imperatorem Philippum et Saporem Persarum regem inita est anno 244. Consule de his dicta in Commentario prævio num. 103 et seqq., ubi etiam observavi, post Alexandri imperatoris expeditionem, qaam anno 233 cum Armenis contra Artaxerxem suscepit, modicas mansisse in Oriente Romanorum copias, et vel sic nihil fere passas fuisse Romanorum ibidem provincias usque ad annum circiter 241, ut Armeni ea tempore videantur sustinuisse omnem fere belli molem.*

m Chalchal *videtur nomen Orientale urbis, quæ modo nonnihil diverso nominata fuerit a Græcis et Latinis. Suspicor designari* Carcathiocertam, *quam* Tigri *proximam dicit Plinius lib. 6, cap. 9. De ea Strabo lib. 11, pag. 527 ait :* Regia Sophenes est Carcathiocerta. *Sophene autem provincia est quæ inter montem Masium et Antitaurum extenditur, ut ait laudatus Strabo. Non assignabo propius situm Sophenes, et* Carcathiocertæ, *cum veteres geographi de iis diversimode loquuntur. At existimo, eam nomine* Chalchal *a biographo designatam, cum quod urbs sit regia, tum quod in parte aliqua Occidentali et Australi Armeniæ sita fuerit, ut verisimiliter gavisa fuerit mitiori cælo, tum quod nomen ipsum satis congruat : nam illud* certa, *quod variis Armeniæ urbibus in fine additur, ut observat Monierus. pag. 13, idem est ac græce* πόλις, *latine* civitas, *ut id ipsum græce videatur additum, et in apographo nostro unica voce legatur* χαλχαλπόλει. *Voces tamen disjunxi, quia id sensus magis videtur exigere.*

n *Jam in Commentario num. 107 ostendi, cædem hanc anno 240 aut 241 figendam, si quis omnia in his actis relata pro veris habeat, et revera eo tempore Persarum vires videri crevisse, cum late in provincias Romanorum incurrerint. Addidi tamen, de illa cæde ex Romanis historiis nihil innotescere,* E

B *ideoque nec certam videri ipsam cædem, nec occupationem Armeniæ per Artaxerxem, quæ continuo subjungitur. Deinde num. 111 latius probavi, chronotaxim hujus vitæ non bene cohærere cum historia Romana; Armeniamque serius a Persis occupatam, ut cædes regis Armeniæ, si vera est, serius etiam videatur patrata.*

o *Urbs* Artaxata *omnium antiquorum consensu olim erat metropolis Armeniæ, sitaque ad Araxem fluvium. Plerique plurali numero* Artaxata *dixerunt, aliqui singulari* Artaxatam, *quos sequar. Valeroctistam civitatem, quæ tunc regum magis ordinaria sedes fuisse videtur, ad idem flumen sitam fuisse, ex hoc loco colligitur. Verum Artaxata erat ad dexteram Araxis ripam, sive versus Mediam; Valeroctiste ad sinistram. Artaxatam fuisse ad dexteram ripam versus Mediæ confinia, intelligitur ex relatione Taciti lib. 13, cap. 39, nam refert, Corbuloni Neronis duci, quando cum exercitu Romano procedebat ad obsidendum Artaxatam, transeundum fuisse Araxem, idque eum fecisse non in urbis conspectu, sed procul per vada.* Nec tamen, *inquit,* proximo itinere ductæ legiones, quæ si amnem Araxem, qui mœnia alluit, ponte transgrederentur, sub ictum dabantur : procul et latioribus vadis transiere.

p Erasach *fuerit tunc nomen Orientale Araxis, prout modo* Aras, *aliisque vicinis nominibus vocatur. Multi voluerunt, Araxem non pati pontes, propter illud Virgilii,* Pontem indignatus Araxes. *Verum et Romani postea pontes super Araxem construxerunt, et Monierus in Monumentis Armeniæ pag. 38 testatur, pulchrum trium arcuum pontem esse Erivani super idem flumen. Citissime tamen intumescere dicitur, et rapidissime fluere, ut mirum non sit, quod pontes minus caute aut minus solide structos cito dejiciat.*

q *Plures ab utraque parte in Araxem amnes se exonerare, testantur multi etiam hodie scriptores. Ex illis est hic nominatus. Jam vero ex hisce liquet, in sinistra Araxis ripa fuisse Valeroctisten. Nam ibi cædes dicitur facta. Percussores autem, verisimiliter quod non possent aut non auderent ibi flumen*

C *transire per pontem, fugisse videntur versus Artaxatam, in adversa ripa positam, ut ibi transirent* F *per pontem et per urbem. At Armeni undique prævenerunt, ut in Mediam evaderent : Alii enim præcurrerunt ad dictum pontem, ne urbem intrare possent. Alii, transmisso flumine, juxta alteram fluminis ripam contenderunt Artaxatam, ne urbe egredi possent, si eam fuissent ingressi. Sic coacti fuerunt transitum fluminis rapidi et inflati natatu tentare, et sic aquis hausti sunt. Exposita hæc sunt modo admodum verisimili, scriptaque videntur ab homine, qui loca illa bene habebat cognita, ut forte factum sit verum.*

r *Hic fuit* S. Gregorius, *si auctori credimus : sed de eo mox plura.*

CAPUT III.

Primordia S. Gregorii et Teridatis Armeniæ regis : hic, obtento patris regno, Gregorium ad idololatriam inducere frustra nititur.

Ὡς ἤκουσεν ταῦτα πάντα ὁ βασιλεὺς τῶν Περσῶν, θυμηδίας ἐπλήσθη, καὶ μεγάλην πανήγυριν ἐπετέλει ἐκείνην τὴν ἡμέραν, καὶ πλεῖστα χαρίσματα τοῖς ἱεροῖς ἰδωρεῖτο τῶν δαιμόνων. Ἐπιστρατοπεδεύσας καταλαμβάνει τὴν τῆς Ἀρμενίας μεγάλην χώραν, καὶ πᾶσαν ἡλικίαν ὁμοῦ αἰχμαλοτίσας καταχράτος εἷλεν αὐ-

Ubi hæc omnia intellexit rex Persarum, repletus est voluptate, et maximam festivitatem celebravit illa die, plurimaque dæmonum fanis largitus est dona. Collecto autem exercitu, occupavit magnam Armeniæ provinciam, omnemque simul ætatem captivitati addicens, pro viribus

Rex Persarum Armeniam occupat, Teridate fuga subducto :

A. AGATHANGELO.

viribus abstulit. At unus, qui evaserat, e medio captivorum unum ex filiis regis Armeniæ Cusaronis servavit, non minimum puerum, cui nomen Teredates *a*, traditumque pædagogis, fugere jussit in partes Romanorum et ad cæsaris palatium. Itaque Persarum rex captam undique Armeniæ provinciam sibi vindicavit *b*, et nomine suo locis dabat nomina : insidiantes milites persecutus est usque ad confinia ditionis Romanæ, fossisque factis, limites constituit : Locum vero nominavit Φοσέων πύλας *c*, ubi ante vocabatur, Τόπος χάσματος. Teredates igitur, ubi advenerat, manebat, ut institueretur, apud quemdam comitem, nomine Lucianum.

Gregorius, doctrina Christiana imbutus, servit Teridati.

17 At Filius Parthi, qui ante ad Romanorum partes fugerat, educabatur et erudiebatur in civitate Cæsarea Cappadociæ *d*, notusque cuidam Christiano factus, docebatur timorem doctrinæ christianæ, divinæque eruditionis peritus admodum factus est, nomine dictus Gregorius. Ubi vero didicit facta patris sui, quæ olim contigerant, abiens ivit ad Teredatem *e* libera voluntate, ut ei serviret, occultans tamen se, et nihil indicans, unde, aut quomodo, aut qua de causa, in servitutem se inclinans, ad ministrandum ei cum omni subjectione venisset. Iisdem temporibus Græcorum præfectus ecclesiam Dei persecutus est, et tunc intellexit Teredates de Gregorio, quod Christianus esset. Itaque ipsum continuo cœpit increpare, variisque modis indignationem suam ostendere : frequenter autem carceribus, vinculis, et cruciatibus ipsum affligebat, studebatque eum ab adoratione Christi abducere, et ad abominandum inanium idolorum reducere cultum.

Gothorum principe ad singulare duellum provocante,

18 Illo tempore Gothorum *f* princeps exercitum congregat, multorumque secum trahens subsidium, venit bellum moturus præfecto Græcorum, eoque modo, inquiunt, legationem mittens, locutus est : Ut quid omnino commixtos adducimus in conflictum, et agmina concidimus, periculum vero simul et necessitatem urbibus inducimus? Ecce ego in lucta adversarius ex castris nostris egredior, et tu ipse ex Græcis, singulari dimicemus certamine. Si ego te superavero, Græci mihi subjiciantur servi; si vero ipse me viceris, nostri se tibi inclinantes serviant, et sine sanguinis effusione amborum partibus pax fiat et securitas. Hæc audiens Græcorum rex *g* vehementer timuit, quia ossium roborum erat ineptissimus, animique fortitudine destitutus, et turbatus est, quod non inveniret, quo eidem responderet modo. Tunc jubet, litteras quoquoversus mitti ad belli duces dominationi suæ subjectos, ut omnes velociter ad ipsum accedant. Duces autem et milites diligenter ad ipsum profecti sunt. Itaque et Licinianus, sumpto agmine, cui præerat, cum omnibus venit.

Teridates, cujus probata erat fortitudo,

19 Contigit autem, quando turmæ militares proficiscebantur, ut venirent in loca angustissima inter sepimenta vinearum, quæ erant circa portas civitatis. Portæ vero erant clausæ, cum esset nox media : et quoniam non inveniebantur equis pabula, ad plures horas circumspicientes, perspiciunt fœnum multum, in vallo depositum, ad quod nemo poterat manum extendere propter muri altitudinem. Tunc Teredates ascendens venit ad fœnile, fascesque magnas in medium agminis projicit in pabulum equorum : neque hoc tantum; sed etiam canes multos, qui pro custodia erant, desuper ex muro jaculatus est, ipse vero saltans ex muro descendit. Hanc

τὴν. Διασωθεὶς δὲ εἷς, περιεσώσατο ἐκ μέσῳ τῆς αἰχμαλωσίας ἕνα τῶν υἱῶν τοῦ βασιλέως Ἀρμενίας Κουσάρω, οὐ μικρότατον παιδίον, ᾧ ὄνομα Τηρηδάτης, καὶ παραδοὺς παιδαγωγοῖς ἐφυγάδευσεν εἰς τὰ μέρη Ῥωμανίας ἐν τῷ τοῦ καίσαρος παλατίῳ. Τὴν μὲν οὖν Ἀρμενίων χώραν ὁ βασιλεὺς Περσίδος περιελὼν ἰδιοποίητο, καὶ ἐπὶ τῷ ἑαυτοῦ ὀνόματι τοὺς τόπους ἐκάλει. Τοὺς ἐγκαθέτους στρατηγοὺς ἐξεδίωκεν ἕως τῶν ὁριῶν Ῥωμανίας, καὶ τάφρους πεποιηκὼς, ὅρια ἔστησεν· τὸν δὲ τόπον ὠνόμασεν φοσέων πύλας, ἔνθα πάλαι ἐκαλεῖτο τόπος χάσματος. Παραγενάμενος οὖν Τηρηδάτης ἐκάθισεν παιδευόμενος παρά τινι κώμητι Λυκιανῷ καλουμένῳ. D

17 Ὁ δὲ υἱὸς τοῦ Πάρθου, ὁ προσπεφυγὼς τοῖς Ῥωμαίων μέρεσιν, ἀνετρέφετο καὶ παιδεύετο ἐν πόλει Καισαρίᾳ τῆς Καππαδοκίας, καὶ ἐν γνώσει τινὸς χριστιανοῦ γενόμενος, ἐδιδάχθη τὸν φόβον τῆς τοῦ χριστοῦ διδαχῆς, καὶ τῆς θείας παιδεύσεως πάνυ ἔμπειρος ἐγένετο, ὀνόματι λεγόμενος Γρηγόριος. Ὡς δὲ ἔμαθεν περὶ τῶν τοῦ πατρὸς πράξεων, τῶν πάλαι γενομένων, ἐξελθὼν ἐπορεύθη πρὸς Τηρηδάτην αὐτοπροαιρέτως λειτουργῆσαι αὐτῷ, περικρύπτων δὲ αὐτὸν, καὶ μηδὲν ἐκφήνας, ἢ πόθεν, ἢ πῶς, ἢ ἐνεκέν τινος εἰς δουλείαν ἑαυτὸν ὑποκλείνας, ἐν πάσῃ ὑποταγῇ λειτουργεῖν ἐνώπιον αὐτοῦ. E Καὶ ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις ὁ τῶν Ἑλλήνων ἄρχων τὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν ἐδίωκε, καὶ τότε μανθάνει ὁ Τηρηδάτης περὶ Γρηγορίου ὅτι χριστιανὸς ὑπάρχει. Ἤρξατο δὲ τινικαῦτα ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, καὶ διαφόρως ἀγανακτήσεως ἐπιτιθέναι, πολλάκις δὲ ἐν φυλακαῖς καὶ δεσμοῖς καὶ βασάνοις ἔθληβεν αὐτὸν, καὶ ἀποστῆσαι ἔσπευδεν τῆς τοῦ Χριστοῦ προσκυνήσεως, καὶ εἰς δουλίαν ὑπεισαγαγεῖν τῆς τῶν ματαίων εἰδώλων βδελυρᾶς λατρείας.

18 Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις στράτευμα συναθροΐζει ὁ τῶν Γοτθων ἄρχων, καὶ πολλὴν βοήθειαν συγκομήσας, ἦλθεν πόλεμον στῆσαι μετὰ τοῦ τῶν Ἑλλήνων ἄρχοντος, καὶ τὸν τρόπον τοῦτον, φασίν, ἀποστέλλει λέγων αὐτῷ· ἵνα τί ὅλως παράγομεν τοὺς συμμίκτους ἐν τῷ πολέμῳ, καὶ κατακόπτομεν τὰ στρατεύματα, κίνδυνον δὲ ἅμα καὶ ἀνάγκην ταῖς πόλεσιν ἐπιφέρομεν; ἰδοὺ ἐγὼ ἀντίπαλος ἐκ τοῦ ἡμετέρου στρατοῦ ἐξέρχομαι, καὶ σὺ αὐτὸς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων, καὶ μονομαχήσωμεν. Ἐὰν ἐγὼ σε ὑπερνικήσω, οἱ Ἕλληνες ἐμοὶ ὑποταγῶσιν ἐν δουλείᾳ, εἰ δὲ αὐτὸς ἐμὲ ὑποπιάσῃς, οἱ ἡμέτεροί σοι ἀποκλίναντες δουλεύσωσι, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας τοῖς ἀμφοτέρων μέρεσι γένηται εἰρήνη, καὶ ἀσφάλεια. Ταῦτα ἀκούσας ὁ τῶν Ἑλλήνων βασιλεὺς, ἐφοβήθη λίαν, ὅτι ἀνελκέστατος ὑπῆρχεν τῇ τῶν ὀστῶν δυνάμει, καὶ ἐκκενωθεὶς τὸ τῆς καρδίας θάρσος, ἐταράχθη μὴ εὑρίσκων, πῶς αὐτῷ παράσχοι ἀπόκρισιν. F Τότε παρακελεύεται πανταχῇ γράμματα καταπεμφθῆναι πρὸς τοὺς στρατηγοὺς τῆς ἰδίας ἐξουσίας, ὅπως πάντες παρ' αὐτὸν ἐν τάχει παραγένωνται. Τότε δὴ οἱ ἄρχοντες καὶ οἱ στρατηγοὶ τὰ πρὸς αὐτὸν ἐν σπουδῇ κατελάμβανον. Παραλαβὼν οὖν καὶ Λικινιανὸς τὴν ὑπὸ τὴν αὐτοῦ χεῖρα στρατείαν, ἥκει μετὰ πάντων.

19 Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι τὰ συστήματα τῶν στρατοπέδων, ἔφθασαν ἐν στενωτάτοις τοποις ἀνὰ μέσον τῶν ἀμπελώνων φραγμῶν [οἳ] πρὸς τὰς πύλας τῆς πόλεως προσενέτρεχον. Αἱ δὲ πύλαι κεκλεισμέναι ἦσαν, μεσονυκτίου ὄντος, καὶ ἐπειδὴ οὐχ ηὑρίσκετο χορτάσματα τοῖς ἵπποις, ἐὼς ὥρων πλείστων ἀναβλέψαντες, θεωροῦσιν χόρτον πολὺν ἀποτεθειμένον ἐν περιβόλῳ, εἰς ὃν οὐδεὶς ἠδύνατο ἐκτεῖναι χεῖρα διὰ τὸ ὕψος τοῦ τείχους. Τότε Τηρηδάτης ἐπιβὰς κατῆσιν εἰς τὸ χορτοβολίον, καὶ ἀναρίπτει δεσμὰς μεγάλας εἰς μέσον τῆς στρατείας εἰς χορτασίαν τῶν ἵππων· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τοὺς φυλάσσοντας κύνας πολλοὺς ἐπάνωθεν τοῦ τείχους ὑπερηκόντιζεν· αὐτὸς δὲ ἀναπηδήσας καταβαίνει διὰ τοῦ τείχους. Ταύτην οὖν τὴν ῥοπὴν αὐτοῦ θεασάμενος

A μενος ὁ Λικινιανὸς ὑπερθαύμασεν, καὶ τοῦ ὀρθροῦ τὴν ἡμέραν ἀπογυμνώσαντος, ἠνοίχθησαν αἱ πύλαι τῆς πόλεως, οἱ δὲ στρατηγοὶ εἰσήεισαν εἰς τὴν πόλιν ἅμα τῶν στρατευμάτων. Ὁ δὲ Λικινιανὸς τῷ βασιλεῖ παρέστη, καὶ πάντες οἱ μεγιστάνες καὶ στρατοπεδάρχοι καὶ νουμενάρχοι.

20 Ὁ δὲ βασιλεὺς διηγήσατο πάντα τοῖς ἄρχουσι τὰ δηλωθέντα ὑπὸ τοῦ τῶν Γόθθων βασιλέως. Τότε ἤρξατο Λικινιανὸς τῷ βασιλεῖ λέγειν· μηδὲν, φησι, ταραχθήτω ἡ καρδία τοῦ ἐμοῦ δεσπότου, ἔστιν ἐνθάδε ἀνὴρ ἐν τῷ ὑμετέρῳ παλατίῳ, δι' οὗ αὐτὴν τὴν ἀπορία λύσιν λαμβάνει, Τηρηδάτης ἐκ τῆς συγγενείας τοῦ τῆς Ἀρμενίας βασιλέως. Καὶ διηγήσατο αὐτῷ πάντα τὰ κατὰ τὴν ἑσπέραν αὐτοῦ ἀνδραγαθήματα. Τότε ἐκέλευσεν προσκαλέσασθαι τὸν Τηρηδάτην, καὶ ἐλθὼν ἐξεῖπεν αὐτῷ πάντα ἀκολούθως. Παραυτίκα οὖν συνετάξαντο, καὶ ὥρισαν ἐν ἑτοιμασίᾳ πολέμου ἐπὶ τὴν αὔριον ἀλλήλους θεάσασθαι μονομαχοῦντας. Ὄρθρου δὲ ἀνατείλαντος, ἐκέλευσεν ἁλουργίδα αὐτὸν ἐνδυθῆναι, καὶ ἐκαλλοπίσθη Τηρηδάτης ἐν σχήματι καίσαρος. Περιέθηκαν δὲ αὐτῷ καὶ βασιλικὸν διάδημα, ὥστε μηδένα γινώσκειν, εἰ μὴ αὐτὸς οὗτος εἴη ὁ καῖσαρ. Τὸ δὲ πλῆθος τοῦ στρατεύματος ἐκβάλλοντες ἐν φωνῇ σάλπιγγος ἔμπροσθεν ἤγαγον ἕως ἐξ ἐναντίας τῶν ἐχθρῶν. Ἀντι-
B παρασταθέντες δὲ ὁ καισαροειδὴς καὶ ὁ τῶν Γόθθων βασιλεὺς σφοδροτάτῃ τάσει φραγγελώσαντες ἀμφότεροι τὰ τῶν ἵππων στερρὰ, ἀλλήλους ἐπέφθασαν. Ἐκεῖσε δὴ ὑπερνικήσας ὁ καισαροειδὴς τὸν Γόθθων βασιλέα, καὶ ἀπὸ χειρὸς αὐτὸν λαβὼν, παρίστησιν τῷ καίσαρι.

21 Τότε ἐμεγάλυνεν σφόδρα ὁ βασιλεὺς τὸν Τηρηδάτην, μεγίστας δωρεὰς δεδωκὼς αὐτῷ, καὶ ἐπιδήσας καὶ διάδημα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ πορφύραν ἐνδύσας καὶ καίσαρος ἐνδύμασιν κοσμήσας, καὶ στράτευμα εἰς βοήθειαν ἐγχειρίσας, ἀπέλυσεν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν· Καὶ μετὰ τὴν νίκην τῆς μονομαχίας ἀναζεύγνυται ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων χώρας Τηρηδάτης ὁ τῆς μεγάλης ἀρμενίας βασιλεὺς, καὶ παραγενόμενος εὑρίσκει τοὺς τῶν Περσῶν στρατηγοὺς ὅτι τὴν ἅπασαν χώραν εἰς ἑαυτοὺς ἦσαν ἀποσπασάμενοι ἐν δουλείᾳ· καὶ πολλοὺς μὲν ἐξ αὐτῶν κατέκοψεν, πολλοὺς δὲ εἰς τὰ μέρα τῆς Περσίδος φυγάδας ἐποίησεν, καὶ τὴν πατρῴαν δεσπότειαν ἀποσπάσας, κατίσχυσεν τῶν τῆς χώρας ὁρίων. Ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς Μεγάλης Ἀρμενίας Τηρηδάτου βασιλέως ἐπορεύθησαν καὶ ἥκασιν ὁ βασιλεύς τε καὶ ὁ στρατὸς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, τὴν λεγομένην πατρίδα, ἐν τῇ κώμῃ τῇ καλουμένῃ Ἔρηξ, ἔνθα ἦν τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ἵνα ἐκεῖ ἐπιθύσωσι. Καὶ τελεύσαντες τὸ ἀθέ-
C μιτον ἔργον, κατέβησαν παρεμβάλλοντες παρὰ τὸ χεῖλος τοῦ καλουμένου Λύκου ποταμοῦ. Εἰσελθὼν δὲ εἰς τὴν σκηνὴν ὁ βασιλεὺς, κατεκλίθη ἐν δείπνῳ, καὶ πεπωκὼς ηὐφράνθη σφόδρα. Τότε κελεύει τὸν Γρηγόριον στέμματα καὶ δασεῖς κλάδους τῶν δένδρων δῶρα εἰσφέρειν ἐν τῷ ἱερῷ τῇ εἰκόνι τῆς Ἀρτέμιδος. Ὁ δὲ οὐ προσεδέξατο τιμὴν προσενέγκαι τοῖς εἰδώλοις.

22 Ἤρξατο οὖν ὁ βασιλεὺς διαλέγεσθαι πρὸς Γρηγόριον, καὶ φησιν· ἄνθρωπος ξένος καὶ ἀπερίστατος ἐλθὼν προσεγγίσας ἡμῖν, καὶ πῶς θολμᾷς σέβειν Θεὸν, τὸν μὴ παρ' ἐμοῦ προσκυνούμενον; καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐν ἀσφαλείᾳ γενέσθαι. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ προσέταξεν, καὶ ἤνεγκαν τὸν Γρηγόριον ἐπὶ τοῦ βασιλέως. Εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ βασιλεύς· τοσαῦτα ἔτη, ἀφ' οὗ τεθέαμαί σε, καὶ ἐξ ὅλης σου δυνάμεως ἐδούλευσάς μοι εὐγνωμόνως, καὶ ηὐχαρίστουν τοῖς καμάτοις. Διὸ εἶχον ἐν τῇ ψυχῇ ἀποδοῦναί σοι τὴν χάριν· ἵνα τι οὖν οὐ ποιεῖς τὸ ἐμοῦ θέλημα; ἀποκριθεὶς δὲ Γρηγόριος, εἶπεν· ἐκέλευσεν ὁ Θεὸς, ἵνα οἱ δοῦλοι ὑποταγῶσι τοῖς σαρκικοῖς δεσπόταις, καθὼς πρέπον ἐστιν, ὡς καὶ αὐτὸς μαρτυρεῖς μοι, πῶς ἐδούλευσά σοι ἐξ ὅλης μου τῆς ἰσχύος. Ὅμως δὲ τὴν τοῦ Θεοῦ τιμὴν καὶ λατρείαν οὐδὲν ἔξεστιν ἀποδοῦναι. Αὐτὸς γάρ ἐστιν μόνος ποιη-

ejus inclinationem videns Licinianus, vehementer admiratus est : ortoque diei crepusculo, apertæ sunt civitatis portæ, ducesque cum agminibus ingressi sunt civitatem. Licinianus *h* autem adstitit regi, uti et omnes optimates, ducesque agminum et manipulorum. *A. AGATHANGELO.* *h*

20 At rex ducibus narrabat omnia, quæ manifestata erant a rege Gothorum. Tunc cœpit Licinianus regem alluqui ; Nihil, inquit, turbetur cor domini mei : est hic vir in vestro palatio, per quem hæc perplexa deliberatio solutionem accipiet, Teredates ex cognatione regis Armeniæ ; narrabatque eidem omnia vespere præcedente ab illo patrata facinora. Tunc jussit advocari Teredatem : veniensque edixit ei omnia consequenter. Quare confestim collecti sunt, et delinierunt in apparatu bellico postridie invicem videre singulari pugna decertantes. Orto crepusculo, jussit rex ipsum purpura indui, et ornatus est Teredates habitu cæsaris. Caput ejus etiam regio diademate redimiverunt, ut nullus perspicere aliud posset, nisi quod esset hic ipse cæsar. Multitudinem autem exercitus canente tuba progredi fecerent, donec starent e regione hostium. At stantes invicem oppositi personatus cæsar et Gothorum rex, equis vehementissimo E impetu percussis, in alterutrum ferebantur. Hic vero regem Gothorum superavit personatus cæsar, manuque apprehensum, ad cæsarem traxit. *cum superat et capit :*

21 Tunc imperator summopere extulit Teredatem, datis ei muneribus maximis ; diadema eidem imposuit et purpuram, vestimentisque ornavit cæsareis *i*, datoque eidem exercitu in subsidium, remisit in provinciam suam. Itaque post relatam singulari pugna victoriam, Teredates Majoris Armeniæ rex ex ditione Romanorum castra movet, et ubi advenerat, reperit, quod Persarum duces pro sua utilitate totam provinciam abstraxerant in servitutem : et multos quidem ex ipsis occidit, multos quoque coegit in Persidem fugere, paternamque dominationem sibi vindicans, confinia provinciæ munivit. Anno primo regnantis Teredatis, Magnæ Armeniæ regis, rex ejusque exercitus profecti sunt, veneruntque ad Ecclesiam *k* dictam provinciam, ad vicum, qui vocatur Erez ; ubi erat fanum Dianæ, ut ibidem offerrent sacrificia. Peractoque nefando opere, descenderunt castrametatum ad ripam fluminis dicti Lyci. Rex autem, in F tabernaculum ingressus, discubuit ad cœnandum, et, sumpto potu, admodum gavisus est. Tunc jubet Gregorium coronas, et densos arborum ramos in templum portare dona simulacro Dianæ. At ille non sustinuit *l* honorem afferre idolis. *deinde subsidio Romanorum regnum obtinet. Gregorius, idolum honorare* *i* *k* *l*

21 Cœpit igitur rex Gregorium alloqui, et dicit : Homo peregrinus et destitutus ad nos veniens accessisti, et quomodo audes colere Deum, qui a me non adoratur? Eodem die præcepit, ut sub tuta esset custodia. Postridie vero jussit, et Gregorium adduxerunt ad regem. Rex autem eidem dixit : Tot sunt anni, quibus te vidi, et totis viribus bonaque voluntate mihi servivisti, et labores accepi animo benigno. Quapropter in anima habebam tibi gratiam referre. Ut quid igitur non perficis voluntatem meam? Respondens vero Gregorius, dixit : Præcepit Deus, ut servi subjiciantur dominis carnalibus, sicut decet ; quemadmodum ipse mihi testaris, quod tibi serviverim ex tota virtute mea. Verumtamen non licet Dei honorem et cultum aliquo modo prodere. *constanter recusans, sollicitatur ad cultum idolorum.*

A. AGATHANGELO. dere. Ipse enim solus est creator cæli et angelorum, terræque et hominum, visibiliumque omnium et invisibilium creaturarum, quæ adorationem ipsi debent et servitutem. At rex dixit: Intellige, irritum fecisse te laborem, quo mihi servivisti, ut ego testor. Nunc vero pro honore inferam tibi angores, pro gloria ignominiam, pro dignitate carcerem et vincula, ipsamque mortem, qua omnes hominum spes abscinduntur; nisi receperis divinum cultum te deis oblaturum, præsertim magnæ huic Dianæ dominæ, quæ generi nostro et gloriæ est et saluti: quam et reges omnes colunt, et maxime rex Græcorum *m*. Omnis enim honestatis est mater, benignaque in humanam naturam, progenies magni fortisque Jovis. *m*

25 Verum Gregorius dixit: Ego quidem bona voluntate pro te laboravi, et numquam ego ipse laborem meum recusabo, neque negligam secundum domini præceptum servire dominis carnalibus. At exsistit Dominus, qui bonorum est remunerator. Neque enim a te aliquid accipere cogitavi, sed a Creatore, cujus sunt visibiles invisibilesque creaturæ. Quod dicis, velle te mihi pro honore angores inferre; auges mihi lætitiam B præparatam a Christo, cujus dominatio æterna, cujus regnum perpetuum, cujus bona incomprehensibilia sunt. Quod dixisti, pro gloria ignominiam te illaturum, omnino mihi concilias honorem angelorum, cum lætitia factorem suum laudantium *n*. Quod ais, pro dignitate carcerem et vincula mihi præparata; beatus sum, si vincula domini mei valeam imitari, ut cum ipso oblectationem consequar, et in adventu ejus exsultem. Quod statuis me tuis privare cœnis, præparas me ad decumbendum cum patre fidei nostræ Abraham, et cum omnibus justis, qui hilaritate summa perfruentur in regno Dei. Quod mortem mihi minitaris; ecce immisces me choro Dei, apud quem omnes choreas agent, Patres, Justi, Prophetæ, Apostoli, Martyres, et omnes electi Dei. Quum vero dixisti: morte omnem tibi vitæ spem abscindo: non mea neque unanimum piorum spes morte abscinditur; invalescit vero spes Deum colentium, quam et egu habeo. Eorum vero, qui apud vos idola et opera manuum colunt, nulla revera est spes vitæ divinæ.

sed de mercede justorum

n

24 Quod autem magnam dominam vocas Dianam, id facis te ipse decipiens. Neque ita se C habent res istorum: sed homines aliquando fuerunt. At quoniam dæmones per nidores et præstigias homines in admirationem traxerunt, quod figuras et phantasmata repræsentarent, ipsis persuaserunt, ut altaria ædificarent, columnas erigerent, et adorarent inutilia, quæ neque malum facere possunt, neque bonum. Etenim nec honorare possunt cultores suos, nec injuria afficientes ignominiose habere; quos vos tenebris excæcati et mente emoti divino cultu honoratis. Pro Deo, cujus bonis fruimini, honoratis facta e lapide, ligno, auro, et argento, quæ Deus creavit, ut conducant ad usum, ad emolumentum, ad utilitatem hominum. At mihi contingat, ut omni subjectione, animoque prorsus grato et cum timore Deo serviam. Ille enim cum unigenito Filio suo et Spiritu sancto ex nihilo produxit omnia, omnia exornavit: eaque et delere potest, et iterum innovare sua misericordia. Hac igitur ratione cum vita nostra spem non abjicimus, quia servimus Deo vivo et vero, qui et vitam nobis donare potest, dum vult. Etiamsi

multo differens,

τῆς οὐρανοῦ καὶ ἀγγέλων καὶ γῆς καὶ ἀνθρώπων καὶ D πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων κτισμάτων, τῶν ὀφειλόντων προσκυνεῖν αὐτὸν καὶ λατρεύειν. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἔφη· γίνωσκε ὅτι ἀπεποιήσω τὸν σὸν κόπον, ὃν ἐμοὶ κεκοπίακας, ὡς ἐγὼ μαρτυρῶ. Νῦν δὲ ἀντὶ τιμῆς ἐπιτίθημί σοι θλίψιν, καὶ ἀντὶ δόξης ἀτιμίαν καὶ ἀντὶ ἀξιώματος φυλακὴν καὶ δεσμὰ, καὶ αὐτὸν τὸν θάνατον τὸν ἀποκόπτοντα πάσας τὰς ἐλπίδας τῶν ἀνθρώπων, ἐὰν μὴ καταδέξῃ τοῖς θεοῖς λατρείαν προσφέρειν, μάλιστα ταύτῃ τῇ μεγάλῃ ἀρτέμιδι, τῇ δεσποίνῃ, ἥτις ἐστὶ δόξα τῷ ἡμετέρῳ γένει καὶ σωοποιός· ἣν καὶ βασιλεῖς πάντες τιμῶσι, καὶ μάλιστα ὁ βασιλεὺς τῶν Ἑλλήνων. Μήτηρ γάρ ἐστι πάσης σωφροσύνης, καὶ φιλάνθρωπος τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, καὶ γέννημα τοῦ μεγάλου καὶ ἐναρέτου διός.

25 Εἶπε δὲ Γρηγόριος· ἐγὼ μὲν σοι ἐν εὐνοίᾳ κεκοπίακα, καὶ οὐκ ἄν ποτε ἐγὼ αὐτὸς τῶν ἐμαυτὸν κόπον ἀποποιήσω, οὐδὲ ἀτεθήσω κατὰ τὸ διαταχθὲν παρὰ τοῦ θεοῦ δουλεύειν σαρκικοῖς δεσπόταις. Ἀλλ᾽ ἔστιν κύριος, ὁ τῶν ἀγαθῶν μισθαποδότης. Οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ σοῦ ἐδόκουν ἀπολαβεῖν τι, ἀλλ᾽ ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ, οὗ εἰσὶν ὁρατὰ καὶ ἀοράτα κτίσματα. Περὶ δὲ ὧν λέγεις, θλίψιν μοι ἐπιθῆναι ἀντὶ τιμῆς, προστιθεῖς μοι τὴν τοῦ χριστοῦ ἑτοιμασμένην εὐφροσύνην, οὗ ἡ δεσποτεία E αἰωνία, καὶ ἡ βασιλεία ἄληκτος, καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀκατάληπτα· καὶ ὅτι ἀντὶ δόξης ἔφης ἀτιμίαν ἐπαγαγεῖν, ὄντως προξενεῖς μοι τὴν τῶν ἀγγέλων τιμὴν ἐν εὐφροσύνῃ τὸν ἑαυτῶν ποιητήν. Καὶ ὅτι λέγεις ἀντὶ ἀξιώματος φυλακὴν καὶ δεσμὰ περιβαλεῖν μοι, μακάριός εἰμι δεξάμενος τὴν μίμησιν τῶν δεσμῶν τοῦ ἐμοῦ δεσπότου, ἵνα μετ᾽ αὐτοῦ εὐφρανθῶ καὶ ἀγαλλιάσωμαι ἐν τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ. Καὶ ἐπειδὴ νομίζεις ἀποστερεῖν με τῶν σῶν δείπνων, ἰδοὺ ἑτοιμάζεις με κατακλιθῆναι μετὰ τοῦ πατρὸς τῆς πίστεως ἡμῶν Ἀβραὰμ, καὶ πάντων τῶν δικαίων, τῶν μελλόντων εὐφρανθῆναι ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, καὶ ὅτι ἀπειλεῖς μοι θάνατον, ἰδοὺ ἀναμιγνύεις με εἰς τὸν χόρον τοῦ Θεοῦ, ἔνθα πάντες εἰσὶ χορεύοντες, πάτερες καὶ δίκαιοι καὶ προφῆται καὶ ἀπόστολοι καὶ μάρτυρες καὶ παντες οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ. Καθὼς δὲ λέγεις ὅτι ἐν τῷ θανάτῳ τὴν ἐλπίδα τῆς ζωῆς σου ἐκκόπτω, οὐχ ἡ ἐμὴ ἀλλ᾽ οὐδὲ ἡ ἐλπὶς ἐκκόπτεται ἀπὸ πάντων τῶν θεοσεβῶν, ἡ δὲ τῶν θεοφιλῶν ἐλπὶς περικρατεῖ, ἣν καγὼ αὐτὸς ἔχω· τῶν δὲ καθ᾽ ὑμᾶς λατρευόντων εἰδώλοις καὶ χειροποιητοῖς ἀνθρώπων, ἀληθῶς ἐστὲ ἀπηλπισμένοι ἀπὸ τῆς θεικῆς ζωῆς.

24 Ὧν δὲ σὺ καλεῖς μεγάλην δέσποιναν ἄρτεμιν, F σεαυτὸν ἀπατῶν. Οὐχ οὕτως γὰρ ἔχει τὰ περὶ τούτων· ἀλλ᾽ ἄρθρωποι ἐγένοντο ἐν καιρῷ τινι. Καὶ ἐπείδηπερ διὰ κνήσεις δαιμόνων καὶ γοητείας ἐξέστησαν τούς τε ἀνθρώπους, μορφὰς καὶ φαντασίας αὐτῶν τῶν δαιμόνων δεικνύντων, ἔπεισαν βωμοὺς οἰκοδομεῖν, καὶ στήλας στῆσαι, καὶ προσκυνεῖν τὰ ἀνωφελῆ, τὰ μὲν δὲ μηδὲ κακὸν μηδὲ ἀγαθὸν ποιῆσαι δυνάμενα. Οὐδὲ γὰρ τιμῆσαι τοὺς ἰδίους λατρευτὰς, οὐδὲ ἀτιμῆσαι τοὺς ὑβρίζοντας οἷοι τε εἰσὶν, οὕστινας ὑμεῖς σκοτισθέντες λατρεύετε, καὶ τὸν νοῦν ἐξεστηκότες. Καὶ αντὶ τοῦ θεοῦ, οὗ τῶν ἀγαθῶν ἀπολάβετε, τιμᾶτε τοὺς λιθίνους καὶ ξυλίνους καὶ χρυσοῦς καὶ ἀργυροῦς, αἳ ὁ θεὸς ἔκτησεν εἰς ὑπηρεσίαν καὶ ἀπόλαυσιν καὶ χρείαν τῶν ἀνθρώπων. Ἐμοὶ δὲ γένοιτο ἐν πάσῃ ὑποταγῇ καὶ πάσῃ εὐγνωμοσύνῃ καὶ φόβῳ σεβεῖν τὸν θεόν. Αὐτὸς γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὰ σύμπαντα παρήγαγεν σὺν τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ υἱῷ καὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, καὶ ἐκόσμησεν τὰ σύμπαντα, καὶ ἀφανίσαι δύναται καὶ πάλιν ἀνακαινίσαι τῷ ἰδίῳ ἐλέει. Οὕτως οὖν ἡμετέρα ζωὴ οὐκ ἀποποιῆται τὴν ἐλπίδα, ὅτι λατρεύομεν τῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ θεῷ, ὃς καὶ ἡμῖν ζωὴν δύναται χαρίσασθαι, ὅτι βούλεται, εἰ γὰρ καὶ ἀποθνήσκωμεν, ἀλλ᾽ ἀναζῶμεν. Καθάπερ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη,

A ἀνέστη, καὶ ἡμῖν ἔδειξεν τύπον ζωῆς τῆς ἀναστάσεως, καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθνήσκοντες ζωοποιούμεθα, ὅταν ἀποκαμφθῇ ἡ βασιλεία αὐτοῦ, ὅταν ἀπαιτήσουσι δίκας οἱ ἀσεβεῖς ἐπὶ τῇ δικαιοκρισίᾳ τοῦ ἀδεκάστου δικαστοῦ.

25 Πάλιν οὖν ὁ βασιλεὺς εἶπεν, ἐπειδὴ εἶπες, ὅτι παρὰ σοῦ οὐδὲν προσεδόκουν, οὐδὲ χρήζω, οἶδα τί αὐτὸς ζητεῖς, τὴν ἐν τῷ τάφῳ ἀνταπόδωσιν, ἔνθα εἰσὶν οἱ τεθνηκότες πρῶτοι. Πέμπω οὖν σε ἔγω, ὅπου βούλει ἀπελθεῖν. Τίς δὲ ἐστιν ὁ Χριστός, δεῖξόν μοι, ἵνα γνῷ, καὶ τίς ἀποδώσων τοὺς σοὺς κόπους, ὃν ποιητὴν ἀποκαλεῖς, μήπως αὐτός ἐστιν ἄρχων τῶν τάφων, ὧν σὺ ἐπιθυμεῖς ἐπιτυχεῖν; ἢ τῆς φυλακῆς τῶν δεσμῶν αὐτὸς ἐστιν ἀπολύτης; καὶ ποῦ εἰσὶν αἱ ἄπαυστοι εὐφροσύναι, ἃς λέγεις; ἢ ποία ἐστιν ἡ παρουσία; ἢ τίνες οἱ ἄγγελοι, ἢ τί ἡ ὑμετέρα ἐλπίς, ἡμῶν δὲ ἀνελπιστία; διασάφησόν μοι ταῦτα πάντα πρὸς ἡμᾶς. Οὐκ ἔτι συγχωρήσω σοι τὴν καταφρόνησιν τῶν θεῶν ὑβρίζοντι αὐτούς. Εἶπες γὰρ ὅτι ἄρθρωποι ἦσαν, καὶ εἰς θνητὴν φύσιν κατήγαγες αὐτούς. Καὶ τῆς ἀπεράντου λοιδορίας ἐπιτέθηκας τοῖς θεοῖς, καὶ ἡμῖν αὐτοῖς τοῖς βασιλεῦσιν. Ἔιρηκας γὰρ, ὅτι ἔκφρονοι ἐστὲ οἱ βασιλεῖς σέβον-

B τες αὐτούς.

26 Εἶπεν δὲ Γρηγόριος· εἰ βούλει ἀκοῦσαι, ἄκουσον. Χριστός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, δι᾽ οὗ ἐγένετο ὁ κόσμος, καὶ κριτής ἐστιν ζώντων καὶ νεκρῶν, κύριος καὶ μισθαποδότης, τοῖς ἀγαθοῖς τὰ ἀγαθά, καὶ τοῖς φαύλοις τὰ κακὰ νέμων. Αὐτός, ὃν εἴρηκάς συ, ἀληθῶς ἄρχων καὶ φύλαξ ἐστι τῶν ταφῶν. Ἀποθανὼν γὰρ ἰδίῳ βουλήματι, εἰσῆλθεν εἰς τὸν τάφον· ὅστις φυλάττει τὰ ὀστᾶ πάντων τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῇ ἰδίᾳ ἀναστάσει ἔδειξεν καὶ ἀπεκάλυψεν τὴν ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν. Αὐτὸς γὰρ καὶ τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων διαφυλάττει ζώσας, ἐπειδὴ αὐτός ἐστιν ἡ ζωή, ἵνα ἀνακαινίσῃ τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, ἐνδεδυμένας ἐν τῷ αὐτῷ σώματι ἀφθαρσίαν· καὶ τότε φανερὰς ποιήσει κατὰ τὸν ἴδιον κόπον ἑκάστῳ τὰς ἰδίας ἀμοιβάς. Καὶ αὐτὸς ἀπολύσει τοὺς δεσμίους ἀπὸ τοῦ οἴκου τῶν δεσμῶν, καὶ τοὺς ἐν εἰδωλολατρίᾳ ὑπάρχοντας, καὶ κατὰ σὲ ἐν ἁμαρτίαις δεδεμένους καὶ ἀσεβείαις κολάσεται· ἐν τοῖς τοιούτοις δεσμοῖς συνήθως μέλλει ἀποδεῖξαι τὸ ἑαυτοῦ ἔλεος καὶ τὴν χάριν, καὶ ἐξελέσθαι τοὺς ἐπ᾽ αὐτοῦ ἠλπικότας. Καὶ αἱ ἀκατάπαυστοι εὐφροσύναι τότε γίνονται, ὅταν τοὺς ἀγαπητοὺς αὐτοῦ καὶ τὰς ἐντολὰς φυλάξαντας ἀποθανατήσει τῇ ἰδίᾳ θεότητι ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ. Τοὺς δὲ

C ἁμαρτολοὺς καὶ ἐχθροὺς αὐτοῦ ὁμοίως ἀθανάτους ποιήσει ἐν τῇ αἰωνίᾳ κολάσει. Καὶ ἡ παρουσία αὐτῇ ἐστιν, ὅταν ἔλθῃ ποιῆσαι ταῦτα πάντα. Καὶ ἄγγελοι εἰσὶν οἱ ὑπηρέται τῆς μεγαλειότητος καὶ θεότητος αὐτοῦ. Ἡ ἡμετέρα οὖν ἐλπὶς ταῦτα ἀπεκδέχεται.

27 Ὁ δὲ ὑμετέρα ἀπελπιστία τούτων ἐστὶν ἄμοιρος, ὅτι οὐ γινώσκεται τὸν ποιητὴν ὑμῶν, τὸν ἀπαιτοῦντα ὑμᾶς ταῦτα. Καὶ ἐπειδὴ οὐκ ἐζητήσατε τὸν κτίσαντα ὑμᾶς, ἀληθῶς ὡς ἵπποι ἐγενήθητε ἢ ἡμίονοι, οἷς οὐκ ἔστι σύνεσις, καὶ βοὸς καὶ ὄνου ἀφρονέστεροι ὑπάρχετε, μὴ γινώσκοντες τὸν κύριον ἡμῶν. Ὅστις ἐν τῷ ἰδίῳ καιρῷ τὰς σιαγόνας ὑμῶν ἄγξει, τῶν μὴ μεμαθηκότων προσεγγίσαι αὐτῷ. Ἀλλ᾽ ἐπειδήπερ εἶπες, ὅτι τοὺς θεοὺς ὑβρίζεις. Τί εἰσὶν αἱ ὕβρεις αὗται αὐτοῖς; οὔποτε οὐδὲ τιμήσαντος αὐτοὺς αἰσθάνονται, ὅτι ἐκ χειρὸς ἀνθρώπων εἰσὶ πλασθέντες, καὶ ἀπὸ παραφρονήσεως καὶ φαντασίας ἐνυπνίων γεννηθέντες καὶ κτισθέντες. Ἀνδρίας γάρ ἐστιν εἰκὼν ἄψυχος τῶν πρώτων ἀνθρώπων. Ἀπατηθέντες ἐργάσεσθαι τούτων. Ἐν γὰρ τούτῳ ἐπλανήθησθε τυφλωθέντες ἀπὸ τοῦ φωτὸς τοῦ ποιητοῦ. Οἱ δὲ οὕτως δυσσεβοῦντες δικαίως λέγονται ὡς τὰ ἄλογα· στόμα γὰρ αὐτοῖς ἐστιν, καὶ οὐ λαλήσουσι. Ὀφθαλμοὶ αὐτοῖς εἰσίν, καὶ οὐ βλέπουσιν. Ὦτα ἔχουσι, καὶ οὐκ ἀκούουσι. Ῥῖνας ἔχουσι, καὶ οὐκ ὀσ-

enim morimur, etiam resurgimus. Quemadmodum enim Filius Dei mortuus est et resurrexit, et vitæ per resurrectionem nobis exemplar ostendit; sic, qui morimur pro ipso, ad vitam revocabimur, quando redibit regnum ejus, quando rationem reddent impii in justo judicio coram incorrupto judice. *A Agathangelo.*

25 Rursum ergo rex dixit: Quandoquidem dixisti: Quia a te nihil exspectabam, neque desidero, scio, quid quæras, remunerationem in sepulcro, ubi sunt et mortui priores. Mitto igitur te, quo vis abire. Quis vero sit Christus, dic mihi, ut sciam: et quis remunerator laborum tuorum, quem Factorem vocas, ne forsan ille sit princeps sepulcrorum, quæ desideras impetrare, aut vinculorum carceris ille liberator. Et ubi sunt indesinentes voluptates, quas dicis? Qualis est ille adventus? qui vero angeli? aut quæ spes vestra, nostraque desperatio? Edic mihi hæc omnia, ut apud nos fiant manifesta. Non amplius permittam tibi contemptum deorum, quos injuria afficis. Nam dixisti, homines fuisse, et ad mortalem naturam eos traduxisti, immaneque convicium conjecisti in deos et in nos ipsos reges, cum dixeris: Amentes estis reges, cultum eis præ- E bentes. *ad objectiones regis*

26 At Gregorius dixit: Si audire vis, audi. Christus est Filius Dei, per quem factus est mundus, et judex vivorum et mortuorum, dominus et remunerator, bonis bona, et malis mala retribuens. Ille, quem dixisti, revera est princeps et custos sepulcrorum: mortuus enim propria voluntate, ingressus est sepulcrum. Hic custodit ossa omnium hominum, suaque resurrectione ostendit ac revelavit resurrectionem mortuorum: ipse enim et animas hominum servat vivas; cum sit vita, ut animas hominum renovet, in iisdem corporibus incorruptionem indutas: et tunc unicuique secundum proprium laborem palam retribuet mercedem suam. Ipse etiam educet vinctos e domo vinculorum, viventesque in idololatria, tecumque peccatis et impietatibus vinctos puniet. Quod autem ad ejusmodi attinet vincula, pro consuetudine in iis ostendet misericordiam suam et gratiam, ex iisque eruet sperantes in se. Indesinentes vero illæ voluptates tunc erunt, quando dilectos suos, mandataque sua servantes, divina potestate faciet immortales in regno cælorum. Peccatores vero et inimicos suos similiter reddet F immortales ad pœnam sempiternam. Adventus ipsius erit, dum veniet hæc omnia facturus. Angeli sunt ministri majestatis et Deitatis ejus. Hæc igitur exspectat spes nostra. *respondet*

27 At vestra desperatio nullam in istis partem habet, quia ignorat Factorem suum, qui ea a vobis requirit. Et quandoquidem non quæsivistis Creatorem vestrum, revera facti estis ut equi aut muli, quibus non est intellectus, boveque et asino insipientiores estis, qui Dominum vestrum non cognoscitis. Hic suo tempore constringet maxillas vestras, qui non didicistis ad ipsum accedere. Verum, quoniam dixisti: Deos injuria afficis: quid sunt illis istæ injuriæ? Nequaquam honorantem eos intelligunt, quandoquidem manu hominum facti sunt, natique et creati per insipientiam ex phantasmate somniorum. Nam statua est imago inanimata priorum hominum; vos decepti ad eas *o* componendum. In hoc enim aberratis cæcati, quod careatis lumine Factoris. Qui vero sic impie agunt, juste dicuntur similes ratione carentibus. Nam os habent, et non loquentur: oculos habent, et non vident: *S. Gregorius.* *o*

A. Agathangelo

vident : aures habens, et non audiunt : nares habent, et non odorabunt : pedes habent, et non ambulabunt : neque enim est spiritus in ore eorum. Similes illis fiant omnes, qui confidunt in eis.

φραντήσουσιν· πόδας ἔχουσι, καὶ οὐ περιπατήσουσιν. Οὐδὲ γάρ ἐστι πνεῦμα ἐν τῷ στόματι αὐτῶν. Ὅμοιοι αὐτοῖς γένοιντο πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς. D

ANNOTATA.

a Hic est Teredates, aut Teredatius, ut nomen in hac Vita scribitur, aut Teridates, et Tiridates, ut alii passim scribunt, qui cum S. Gregorio Armeniam convertit, si credimus biographo. Verum in Commentario num. 111 et seqq. ostendi, istud assertum non facile conciliari posse cum historia Romana, ut Cusaro, si circa annum 240 occisus est, non fuerit pater Teridatis in hac Vita memorati, sed ulterius; aut serius floruerit, si Teridatis nostri sit pater. Auctor verisimiliter aliqua de regibus Armeniæ diu ante scripta invenerit, defectuque scientiæ chronologicæ plurium gesta ad unum retulerit.

b De occupata eo tempore a Persis Armenia nihil habemus in historia Romana ; sed ex hac constat, sub Gallo imperatore, sive anno 252 aut 253, Armeniam a Persis occupatam, et Artavasdam ibi regem fuisse saltem usque ad annum 260. Itaque auctor verisimiliter ad priora tempora retulit, quæ serius sunt facta. Consule Commentarium laudatum.

c Cum sit quasi nomen proprium, id Græcum reliqui. Fuerit verisimiliter angustus per montem transitus, quem rex Persarum contra Romanos munivit, et Portas vocavit populi ibidem habitantis. Prius nomen τόπος χάσματος verti potest, Locus hiatus. Metaphrastes, qui omnia præcedentia fere tantum contraxit, omissis difficilioribus, hoc loco tamen magis a vetusto biographo recessit. Nam de expeditione regis Persarum in Armeniam ita scribit apud Surium : Rege autem Armeniorum eo modo, quo diximus, interfecto, felici rei successu motus Persa, movet exercitum adversus perturbatos E
B Armenos : et magna acta præda, et multis abductis captivis, præclare rursus in suam revertitur regionem. Cum autem invenisset inter captivos unum ex filiis Cusaro *, nomine Teridatem, eum quidem non interficit propter teneram adhuc ætatem : mittit autem in exsilium in Romanorum regionem. Hic est Teridates, qui regnum Armeniorum posteriori tempore Romanorum auxilio acquisivit etc. Pro abducto clanculum Teridate, cum ait a rege Persarum ad terram Romanorum missum, quod verisimile non est. De Armenia vero sibi a rege Persarum asserta inferius consentit, regemque illum Artasiram nominat. At Agathangelus noster jam ante nomen regis Persarum omittere cœpit, forte quod illa non invenisset relata de Artasira aut Artaxerxe. Et revera Sapor ejus filius fuit, qui circa annum 252 Armeniam occupavit, ibique regem sibi amicum constituit.

* Cursaro male impressum

d Pro certo nolim admittere. Gregorium fuisse filium Anaci Parthi, qui regem Armeniæ dicitur occidisse, neque id certo ausim negare, cum sit communis Armenorum a multis sæculis traditio. At educatum fuisse doctrinaque christiana imbutum Cæsareæ in Cappadocia, ex melioribus habemus documentis, ut dictum in Commentario num. 91 et seqq.

e Hæc, quæ dicuntur de servitute a Gregorio libere suscepta apud Teridatem, omnino fabulam redolent. Nam crimen patris ab eo consilio potius deterrere debebat, si religio Christiana non satis deterraisset a servitute suscipienda apud principem ethnicum. Servitus illa etiam non bene cohæret cum matrimonio, quod inivisse Cæsareæ Gregorius, et duos ex illo filios ibidem genuisse. Forte Teridates numquam habitavit Cæsareæ, et certe verisimile non est, eum constanter ibi mansisse.

f Hoc loco scriptor incipit celebrare fortitudinem et facinora Teridatis. At pleraque videntur fabulosa, aut saltem fictitiis adjunctis supra verum amplificata. Quod autem spectat ad Gothos, hi revera sæculo 3 Græciam et Minorem Asiam variis vicibus infestarunt. At singulare illud certamen cum iis conditionibus, quibuscum mox proponitur, merum videtur figmentum.

g Qui ante præfectus modo rex aut imperator Græcorum vocatur, et inferius cæsar, designaturque
C omnino unus ex principibus Romanis. Modus ille loquendi tolerabilis fuisset, postquam anno 292 F
Romanum imperium in quatuor partes divisum erat a Diocletiano. At Galerio Maximiano, qui Græciam cum vicinis provinciis administrabat, minime congruunt, quæ de fictitio suo rege dicit auctor, sicut reliqua omnia non congruunt moribus Romanorum.

h Licinius hoc loco erat in apographo nostro, quod corrigendum duxi, cum idem ter scribatur Licinianus. Idem verisimiliter est, qui num. 16 scribitur Lucianus, ut forte et ibidem Licinianus sit legendum. Ceterum quod de fœno equis procurato relatum est, aut prorsus fabulosum, aut, si quid simile aliquando fecerit Teridates, improbabili expositione corruptum est. Idem de certamine, quod sequitur, dicendum. Nam incredibile non est, Gothum aliquem singulari pugna superatum a Teridate, cum ejusmodi duorum fortium conflictus subinde orirentur : sed conditiones propositæ, et ornatus ille cæsareus, totiusque exercitus apparatus apertæ sunt fabulæ.

i Rursum excedit auctor, dum vestimentis cæsareis ornatum dicit Teridatem. Credibile tamen est, donis honoratum, in Armeniam Romanorum viribus reductum, et regio diademate ab imperatore donatum Metaphrastes brevius et cum aliqua mutatione illud certamen narravit.

k Pro ἐκκλησίαν Ecclesiam, puto legendum Ἐλέγιαν Elegiam, aut modo aliquo simili, ut intelligatur territorium civitatis Elegiæ, quæ, est prope Euphratem, et circa quam Euphrates recipit Lycum amnem,: nam ex sequentibus liquet, prope Lycum amnem fuisse Dianæ fanum, et vicum Erez. Sitam oppidi aut civitatis Elegiæ assignat Plinius lib. 5, cap. 24, ubi Euphratem describit, et navigationem per idem flumen. Inter Melitenem autem, quam attribuit Cappadociæ, sive Minori Armeniæ, et Elegiam Armeniæ. Majoris videlicet, utpote sitam ad ripam fluminis oppositam, tantum ponit decem millia passuum. Inde navigatur..., inquit, Militenen Cappadociæ. Inde Elegiam Armeniæ decem M. passuum, acceptis fluminibus Lyco, Arsania, Arsano. Apud Elegiam occurrit ei (Euphrati) Taurus etc. Sic legitur in editione Francofurtensi anni 1608. At in vetustissima Veneta anni 1469 alio modo positæ sunt interpunctiones, et sic habetur cap. ibidem 25 : Inde navigatur Saeronam 50.

M. P.

A M. P. Melitenem Capadociæ 24. P. Elegicam Armeniæ 10. P. acceptis fluminibus. Lycn Arsania Arsano apud Elegiam. Occurrit ei Taurus mons nec resistit *etc. Secundum hanc lectionem apud Elegiam Lycus, Arsania et Arsanus, forte ante conjuncti, in Euphratem influunt et Euphrates deinde ad Taurum pervenit. Secundum prius datam, id fit supra Elegiam, et apud hanc civitatem Euphrates ad Taurum pervenit. Quocumque modo legatur,* Elegia *in Armenia ad Euphratem sita est, nec longo intervallo a* Tauro, *sed vel eo ipso loco, ubi Taurum offendit Euphrates, aut paulo superius.* A AGATHANGELO.

l *Cum hoc illicitum sit viro christiano, ejus religio tali modo potuit Teridati innotescere. Nam parum verisimilia sunt, quæ dicta sunt num.* 17 *de vexationibus jam ante ob religionem christianam* Gregorio *illatis.*

m *Teridates potius dixisset* imperatur Romanorum, *quam* rex Græcorum, *cum nullus tunc esset rex Græcorum, sed Græcia tota in provincias aliquot Romanorum esset redacta. At nullum debet esse dubium, quin omnes isti discursus sint biographi, non eorum, quibus illos tribuit. Metaphrastes breviter discursus utriusque perstrinxit. Quæ de Diana Jovis filia subjunguntur, consona sunt fabulis gentilium.*

n *Hæc vox non est in græco, sed forte excidit, et ad complendam dictionem requitur.*

o *Verisimiliter hic aliquid in vocibus Græcis desideratur : sed mihi sufficit sensum auctoris latine dedisse.*

CAPUT IV.

Supplicia, quibus Gregorii constantiam frangere nititur Teridates: Sancti prolixa oratio.

B

Ὑπολαβὼν δὲ ὁ βασιλεὺς, εἶπεν αὐτῷ· ποσσάκις σε ἐνουθέτησα καὶ ἐνετειλάμην, ἵνα μὴ δευτερώσῃς τὰ πλάσματα τῶν μυθευομένων σου ῥημάτων, ἃ συνράψαι μεμάθηκας· οὐδὲ γὰρ πρέπει σε λαλεῖν ταῦτα. Κἀγὼ ἐφεισάμην σου, ὡς κεκμηκότος, ὅπως ἔλθῃς εἰς εὐθύτητα σέβειν τοὺς θεούς. Σὺ δὲ ἐπιβαλὼν ἄλλῳ τὴν τιμὴν αὐτῶν, ὃν, ἂν βούλει, καλεῖς ποιητὴν, καὶ τοὺς ὄντας ἀληθῶς ποιητὰς ὑβρίζεις, καὶ τὴν μεγάλην Ἄρτεμιν, ἐν ᾗ ζῇ καὶ ζωὴν ἔχει ἡ χώρα τῆς Ἀρμενίας, σὺν ταύτῃ καὶ τὸν ἀνδρειότατον Δία, τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, μετὰ δὲ τοῦτον καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς, καλέσας ἀψύχους καὶ ἀλάλους, καὶ ἡμῖν δὲ ἐξέτεινας ὕβρεις. Ἐτόλμησας γὰρ εἰπεῖν ἡμᾶς ἵππους καὶ ἡμιόνους, καὶ πάσης λοιδορίας προστεθηκὼς, ἐτάῤῥησάς τε ἀλόγους ἡμᾶς εἰπεῖν. Νῦν περιβαλῶ σε ἐν βασάνοις, καὶ κημὸν ἐμβαλῶ ἐν ταῖς σιαγόσιν σου, ἵνα γνῷς τὴν ματαιότητα τῶν σῶν λόγων, οὓς προέλαλες ἐνώπιόν μου, ὅτι διὰ ταῦτά σοι ἐγένετο. Καὶ τοῦτό, φησι, μέγα σοί ἐστιν, ὅτι ἐλάλησας ἐνώπιον μου, καὶ ἐτίμησά σε, καὶ ἔδωκάς μοι ἀπόκρισιν, ὡς τῷ σῷ ἑτέρῳ.

At rex respondens, ad eum dixit : Quoties te monui et tibi præcepi, ut non repeteres figmenta verborum fabulosorum, quæ consarcinare didicisti : neque enim te decet talia loqui. Peperci tibi, velut ægrotanti, ut ad æquitatem accedas, deos culturus. At tu illorum honorem transferens ad alium, quem, ut vis, Factorem vocas, eosque, qui vere effectores sunt, contumeliis impetis, et magnam Dianam, per quam vivit et vigorem habet provincia Armeniæ, cumque ea et fortissimum Jovem, cæli et terræ opificem, post hunc et alios deos vocasti inanimos et mutos, et ad nos quoque injurias extendisti. Sustinuisti enim nos dicere equos et mulos, omnemque adjiciens contumeliam, etiam rationis expertes nos dicere ausus es. Nunc tradam te cruciatibus, et camum injiciam maxillis tuis, ut percipias vanitatem verborum tuorum, quæ locutus es coram me : cum id tibi eorum causa contingat. Et hoc, inquit, tibi magnum sit, quod locutus sis coram me, et te honoraverim. At tu mihi respondisti, ut æquali tuo. E *Teridates, reprehensa Gregorii in loquendo fiducia,*

C 29 Καὶ ἐκέλευσεν ἐξάγγονα δῆσαι αὐτὸν, καὶ κημὸν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δοῦναι, καὶ τοῦ παρ' αὐτοῖς λαξευτοῦ ἅλατος βώλους ἐπιθῆναι κατὰ τοῦ νώτου αὐτοῦ, καὶ στραγγαλώσαντες αὐτὸν τῇ στραγγάλῃ κατὰ τοῦ στήθους κατασφίγξαι καὶ ἀνακρεμασθῆναι ἐν ὑψηλοτάτῳ τόπῳ τοῦ δώματος τοῦ παλατίου αὐτοῦ διὰ μηχανικῶν ὀργάνων. Καὶ ἔμεινεν οὕτως κρεμάμενος ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ ἐκέλευσεν καὶ ἔλυσαν αὐτὸν ἀπὸ τῶν πικροτάτων καὶ δεινοτάτων βασάνων τούτων. Καὶ ἐνέγκαντες ἔστησαν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ βασιλέως. Καὶ ἠρώτα αὐτὸν, λέγων· πῶς ἐκαρτέρησας ἕως τῇ σήμερον; ἔλαβες ἄρα πεῖραν, ὅτι ἀληθῶς ὡς ὄνος ὄντως βαστάξας κατὰ τοῦ νώτου γόμον ἐστήρισας, καὶ ἐπὶ τόπῳ ἔμεινας μετὰ τὸν γόμον ἐπειδὴ ἐτόλμησας ὑβρίσαι τοὺς θεοὺς, λέγων ἀκινητοί εἰσι, διὰ τοῦτο ἀπέδωκάν σοι τὴν τιμωρίαν ταύτην. Νῦν δὲ ἐὰν μὴ καταδέξῃ σέβειν αὐτοὺς, καὶ προσθήσεις τοιαύτας ὕβρεις, ἔτι μειζότερά σοι κακὰ γενήσεται. Εἶπεν δὲ Γρηγόριος πρὸς τὸ βασιλέα· περὶ τῶν δαιμόνων, οὓς σὺ καλεῖς θεοὺς, ὄντως εἰσὶ θετὰ καὶ κτιστά.

F 29 Tunc manus ejus lateribus sic alligari jussit, ut exstarent cubiti, et camum ori ejus inseri, massasque excisi apud ipsos salis dorso ejus inponi ; constrictumque loro circa pectus fortiter stringente, suspendi in celsissimo loco palatii sui per instrumenta mechanica. Mansit autem septem diebus *a* sic suspensus : tunc, jubente rege, solverunt ipsum amarissimis vehementissimisque cruciatibus istis : ferentesque eum stiterunt regi. Rex autem interrogabat ipsum, dicens : Quomodo tolerasti usque in hunc diem? Experimentum nunc cepisti, quod vere, ut asinus, dorso onus gestans constiteris, et per onus in loco manseris. Quia deos contumeliis appetere ausus es, dicens : Immobiles sunt : hanc tibi pœnam retribuerunt. Nunc vero, si non consenseris eos honorare, et ejusmodi addideris injurias ; majura etiam tibi inferentur mala. Dixit vero Gregorius ad regem : Quod spectat ad dæmonia, quæ tu vocas deos, omnino illa posita sunt et factitia. *illum suspendi jubet graviter oneratum Depositus et rogatus,*

30 Τεθειμένα γάρ εἰσι καὶ κεκτισμένα. Ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐξεικονισθέντα διὰ χειρὸς τεχνιτῶν. Ὁ

30 Posita enim sunt et facta ab hominibus, et manu artificum in formam imaginum perducta. *non minus libere respondet.*

A AGATHANGELO.

A eta. Alius deus ligneus est, alius lapideus, alius æreus, argenteus, aureus; neque loquentes umquam, neque intelligentes, neque cogitantes de me et te, sicut et ipse testaberis mihi, eos numquam tibi quidpiam dixisse de meis tormentis, quæ a te mihi illata sunt. Et quo tandem modo lapides inanimes sentiunt dolores humanos? Quod ad massas salis, quibus me onerasti, ut patiar in vinculis, spero in Dominum meum Jesum Christum, omnium effectorem, fore ut extollat simplicitatem meam vero, sincero incorruptoque sale, mihique præbeat suavissimum levissimumque jugum humiliationis, dono ejus in æternum permansuræ: qui extollit misericordia sua humiles ad immensam et æternam remunerationem. Quando septem annorum hebdomades erunt impletæ, et quando mortuos suos magnifica bonitate sua requiescere faciet; illi, qui lapidea colunt idola, secundum quod dixit propheta, descendent sicut lapis in aquis multis: qui vero lignea simulacra colunt, sic cadent, ut dixit de illis: Ignis succensus est in ligna agri, et comburet peccatores et non extinguetur. Ad eos vero, qui argentum et aurum honorant, sic dixit: Argentum eorum et aurum eorum non valebit
B liberare eos in die furoris Domini: qui novit onera imponere portatu difficilia omnibus peccatoribus sibi resistentibus, et impiis tibi similibus.

Suspensus capite deorsum verso, prolixa oratione

31 Tunc rex iratus jussit eum capite deorsum verso suspendi ab uno pede, ut eo in caput præcipite pendente, inferius fumum excitarent ex limo graveolente, et fortiter cæderetur baculis
b humidis *b*. Decem homines ex mandato regis ipsum verberarunt, eoque modo pependit se-
c ptem *c* diebus. Porro dum adhuc erat suspensus, cœpit pendens orare in hunc modum: Gratias tibi ago, Domine, qui indignitatem meam tuo munere dignatus es. Ab initio enim dilexisti opus manuum tuarum, eique dedisti voluptatem quietis labore carentem in paradiso tuo, ut ea frueremur, quos immortales et laboris expertes fecisti, vitæ dono honorasti, et voluptatis constituisti hæredes: sic ab initio disposuisti, si præcepto tuo inhæseramus, non gustantes de ligno. Dixisti enim: De ligno scientiæ boni et mali ne comedatis: non quod lignum sic esset vocatum vitæ
d et mortis *d*: sed quod ita velles declarare voluntatem tuam, et unigeniti Filii tui, (ille enim
C est Filius Deitatis tuæ) et voluntatem Spiritus sancti tui: nam hic ex te procedit, et implet fines terræ. Si enim manseramus in præcepto tuo, Domine, illudque observaveramus, quod posuisti ob pulcritudinem probationis nostræ, utique nobis dedisses, ut viveremus sine labore, sine dolore, casto, sine sollicitudine, sine tristitia, et sine corruptione; ut possemus crescere et multiplicari, et in corpore vivere sine pudore, gloria redimiti in paradiso tuo, in quo nos posuisti: deinde vero, quemadmodum sanctam filiorum procreationem e sanctissimi Enoch, transtulisses in paradisum: assumpsisti enim ipsum in locum voluptatis, et in sortem sanctorum angelorum *f*. Quapropter, si mansissemus in mandato tuo, exhibuisses nobis exemplar Enoch, et secundum ejus similitudinem post fruitionem paradisi, et tranquillitates terrestres, ad immortalitatem et ordines angelicos transtulisses; simulque nobis donasses regnum tuum, quod ad gloriam nostram præparasti, priusquam mundus exsisteret: quod oculus non vidit et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit: quod et

μὲν ξύλινος, ὁ δὲ λίθινος, καὶ χαλκοῦς καὶ ἀργυροῦς, D
καὶ χρυσοῦς, μήτε λαλήσαντές ποτε, μήτε φρονήσαντες, οὐδὲ ἐνθυμηθέντες ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ σοῦ, ὡς καὶ αὐτὸς συμμαρτυρεῖς μοι, ὅτι οὐδέποτε εἶπον σοι αὐτοὶ περὶ τῶν ἐμῶν βασάνων, τῶν παρά σου ἐπενεχθησῶν μοι. Καὶ πῶς ὅλως αἰσθάνονται λίθοι ἄψυχοι τῶν πόνων τῶν ἀνθρωπίνων; ὑπὲρ ὧν δὲ ἐκρέμασάς μοι βώλους ἁλὸς, ἵνα κακοπαθῶ εν δεσμοῖς, ἐλπίζω εἰς τὸν κύριόν μου Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν πάντα δημιουργὸν ὅτι ἐξήρτησεν τὴν ἐμὴν ἀνουστίαν ἐν ἀληθινῷ καὶ εἰλικρινῷ καὶ ἀδιαφθόρῳ ἅλατι, καὶ παρέσχεν μοι τὸν ἥδυτατον καὶ ἀλαφρότατον ζυγὸν τῆς ταπεινώσεως, διὰ τῆς αὐτοῦ δωρεᾶς εἰς τὸν αἰῶνα διαμενούσης, ὁ ὑψῶν τοὺς ταπεινοὺς διὰ τὴν φιλανθρωπίαν αὐτοῦ εἰς τὴν ἀπέρατον καὶ ἀτελεύτητον ἀνταπόδωσιν. Ὅταν αἱ ἕπτα τῶν ἐνιαυτῶν ἑβδομάδες πληρωθῶσιν, ὅταν ἀναπαύσῃ τοὺς ἑαυτοῦ τοὺς κεκμηκότας τῇ μεγαλοδώρῳ αὐτοῦ ἀγαθότητι, οἱ σέβοντες τὰ λίθινα εἴδωλα, κατὰ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου, καταβήσονται, ὥσει λίθος ἐν ὕδασι πολλοῖς· οἱ δὲ τὰ ξύλινα γλύπτα σέβοντες πεσοῦνται οὕτως, ὡς εἶπεν περὶ αὐτῶν, πῦρ ἐκκέκαυται ἐπὶ τὰ ξύλα τοῦ ἄγρου, καὶ κατακαύσει τοὺς ἁμαρτολοὺς, καὶ οὐ σβεσθήσεται. Πρὸς δὲ τοὺς τὰ ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ σέβοντας οὕτως εἶπεν· τὸ ἀργύριον αὐτῶν καὶ τὸ χρυσίον οὐ δυνήσεται ἐξελέσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ὀργῆς Κυρίου, E
τοῦ δυναμένου κρεμάσαι φορτία δυσβάστακτα πᾶσιν τοῖς ἀντισταμένοις ἁμαρτωλοῖς, καὶ τοῖς κατά σε ἀσεβέσι.

31 Καὶ θυμωθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐκέλευσεν αὐτὸν κατὰ κεφαλῆς κρεμασθῆναι ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ποδὸς, ἵνα ἔτι αὐτοῦ ἀπὸ κεφαλῆς κρεμαμένου καπνίσωσιν ὑποκάτω αὐτοῦ δυσώδη κόπρον, καὶ τυφθῇ σφοδρὰ βάκλοις ὑγροῖς· καὶ ἔδειραν αὐτὸν δέκα ἄνθρωποι κατὰ τὴν κέλευσιν τοῦ βασιλέως, καὶ ἔμεινεν οὕτως κρεμάμενος ἕπτα ἡμέρας. Ἔτι δὲ αὐτοῦ κρεμαμένου, ἤρξατο εὔχεσθαι ἀπὸ τῆς κρεμάσεως οὕτως· εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα, τῷ καταξιώσαντι τὴν ἐμὴν ἀναξιότητα τῆς σῆς δωρεᾶς. Ἀπ ἀρχῆς γὰρ ἠγάπησας τὸ πλάσμα τῶν χειρῶν σου, καὶ δέδωκας τὴν ἀκάματον τρυφὴν τῆς ἀναπαύσεως τοῦ παραδείσου εἰς ἀπόλαυσιν ἡμῶν, ἀθανάτους, ἀπόνους ποιήσας, τῶν κλήρων τῆς ζωῆς ἀξιώσας, καὶ εὐφροσύνης κληρονόμους ποιήσας, ὡς καὶ ἡτοίμασας ἐν ἀρχῇ, εἰ μείναμεν ἐν τῇ σῇ ἐντολῇ, ἀπὸ τοῦ ξύλου μὴ γευσάμενοι. Εἶπες γάρ· μὴ φάγετε ἀπὸ τοῦ ξύλου τοῦ γνωστοῦ καλοῦ καὶ πονηροῦ· οὐχ ὅτι τὸ ξύλον οὕτως ἦν ὀνομασμένον ζωῆς καὶ θανάτου. Ἀλλ᾽ οὕτως σὺ βουληθεὶς δεῖξαι τὸ σὸν θέλημα, καὶ τοῦ μονογενοῦς σοῦ υἱου (αὐτὸς γὰρ ἐστιν ὁ γόνος τῆς σῆς θεότητος) καὶ F
τὸ θέλημα τοῦ ἁγίου σοῦ πνεύματος τοῦτο γὰρ ἐξ σοῦ ἐκπορεύεται, καὶ πληροῖ τὰ πέρατα τῆς γῆς. Εἰ γὰρ ἐμείναμεν ἐν τῇ σῇ ἐντολῇ, δέσποτα, καὶ ἐφυλάξαμεν αὐτὴν, ἣν ἔθου διὰ τὴν καλλονὴν τῆς ἡμετέρας δοκιμασίας, ἐχαρίσω ἂν ἡμῖν τὸ ζῆν ἄπονον, ἄκοπεν, καθαρὸν, καὶ ἀμέριμνον, ἄλυπόν τε καὶ ἀκήρατον, αὐξηθῆναι δυναμένους καὶ πληθυνθῆναι καὶ ζῆν σωματικῶς ἀνεὺ αἰσχύνης, δόξαν ἐνδεδυμένους ἐν τῷ σῷ παραδείσῳ, ἐν ᾧ ἀπέθου ἡμᾶς· ἔπειτα δὲ ὥσπερ τὴν ἁγίαν τεκνογονίαν τοῦ παναγίου Ἐνώχ, μεταθεῖναι ἐν τῷ παραδείσῳ· ἀνέλαβες γὰρ αὐτὸν εἰς τὴν τῆς εὐφροσύνης τάξιν, καὶ τὸν κλῆρον τῶν ἀθανάτων ἀγγέλων. Νῦν οὖν εἰ ἐμείναμεν ἐν τῇ σῇ ἐντολῇ, ἔδειξας ἡμῖν τύπον τὸν Ἐνώχ, ἵνα κατὰ τὴν ὁμοίωσιν αὐτοῦ μετὰ τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ παραδείσου, καὶ τὰς γηίνας καταστάσεις μετήνεγκας εἰς τὴν ἀθανασίαν καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις· καὶ ἅμα ἐπήγαγες ἂν ἡμῖν καὶ τὴν σὴν βασιλείαν, ἣν προητοίμασας εἰς τὴν ἡμετέραν δόξαν πρὸ τοῦ εἶναι τὸν κόσμον· ἣν ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη· ἣν καὶ νῦν δώσεις, δέσποτα, τοῖς ἠγαπηκόσιν τὸ παναγιόν σου ὄνομα, καὶ τὴν παρουσίαν τοῦ σοῦ μονογενοῦς.

32

32 Ὅτε οὖν ἐθεάσατο ὁ μισόκαλλος τιμηθέντας ἡμᾶς ὑπὸ τοῦ θελήματος τῆς σῆς φιλανθρωπίας, ἐφθόνησε τῇ τοῦ στεφάνου τιμῇ τῆς καυχήσεως ἡμῶν, τιμῇ δὲ τῇ παρὰ σοῦ δεδωμένῃ, ὅτι ἐν ὁμοιώματι τῆς σῆς εἰκόνος πεποίηκας τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἔστησας αὐτὸν δεσπότην πάντων· καὶ ἀπὸ τοῦ διαβολικοῦ φθόνου αἱ εὐόλισθοι ἀπάται καὶ ὁ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ κατέβαλεν τὸν ἄρθρωπον, καὶ ἐξέρριψεν ἐκ τῆς ζωῆς καὶ τῆς ἀναπαύσεως τῆς σῆς ἀγαθότητος, τῆς χαρισθείσης αὐτῷ. Ὅτε οὖν οἰκτείρησεν ἡ σὴ θεότης τὴν ἀσθένειαν τῆς ἀνθρωπότητος, διὰ τὴν ἀκατάλυπτόν σου ἐλεεμοσύνην καὶ ἀγαθότητα, καὶ ἀνοχὴν τῆς σῆς μακροθυμίας, οὐκ ἀφῆκας, ἀλλ' ἐξαπέστειλας τοὺς ἁγίους σου προφήτας εἰς τὸν κόσμον· οἳ καὶ ἐγένοντο φωστῆρες ἐν τῷ αὐχμηρῷ τόπῳ ἐν μέσῳ τῶν ἔθνων· οἵτινες ἀπὸ τῶν ἀνοήτων καὶ ἀνόμων ἀνθρώπων μισηθέντες ἐδιώχθησαν. Αὐτοὶ γὰρ καὶ ἀπεκάλυψαν τὰ μυστήρια τοῦ φωτός σου, καὶ ἐκηρύξαντο τὸ θέλημά σου, καὶ τὴν ἔλευσιν τοῦ σοῦ υἱοῦ, εἰς τὸν κοσμὸν μέλλοντος παραγενέσθαι, καὶ ἆραι τὸ βάρος τῆς κατακριθήσης ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων. Οὗ ἕνεκα τοιαῦτα κηρύξαιεν ἐν τῷ κόσμῳ, ἐν κακουχίαις ἀπέθανον καὶ βασάνοις καὶ διαφόροις πειρασμοῖς, καὶ ἐν ταραχῇ καὶ πικρότητι ἔζησαν ἐν τῷ κόσμῳ διὰ τὴν σὴν κήρυξιν παρὰ τῶν θλιβόντων αὐτούς.

33 Οἱ θλίβοντες ἠσθένησαν καὶ ἔπεσον, διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῷ ἐπαναστῆναί μοι τὸν πόλεμον τοῦτον οὐ φοβηθήσεται ἡ καρδία μου, καὶ ἐν τῷ ἐπεγερθῆναί μοι παράταξιν ἐπὶ σοὶ ἤλπισα, τῷ ἐπ' ἐσχάτῳ καιρῷ φανερώσαντι τὰ μυστήρια τοῦ θελήματός σου, οὗ προήγγειλας ταῖς πρώταις γενεαῖς διὰ τὸν ἀγαπητόν σου υἱὸν ἐν τοῖς προφήταις, ἵνα ἐλθὼν γεννηθῇ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου. Καθάπερ γὰρ διὰ τῆς παρθένου Εὔας ὁ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, οὕτως καὶ διὰ ταύτης τῆς ἀχράντου παρθένου ζωὴ εἰσῆλθεν· καὶ ὥσπερ διὰ τῆς γεννήσεως Εὔας τοῦ Καῒν κατάρα καὶ ὑδρῶτες καὶ κόποι καὶ τρόποι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, οὕτω διὰ τὴν γέννησιν τοῦ σοῦ υἱοῦ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου ἀνάπαυσις καὶ ζωὴ καὶ εὐλογία εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον. Ὁ ἀποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, ἵνα ἐλθὼν σαρκωθῇ καθ' ὁμοίωσιν τῆς ἡμετέρας σαρκὸς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ ἡμᾶς πρὸς τὴν αὐτοῦ θεότητα συνάψῃ διὰ τῆς ἰδίας ὁμοιότητος. Ὃς καὶ ἐγένετο ὡς ἡμεῖς, καὶ ἐτέχθη ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ ἐνηνθρώπησεν, καὶ ἐσαρκώθη τὴν ἡμετέραν σάρκα λαβών. Διαμένει δὲ ἐν τῇ ἰδίᾳ δόξῃ καὶ τῇ φυσικῇ αὐτοῦ θεότητι, καὶ ἀλλοίωσιν οὐκ ἐδέξατο ἀπὸ τῆς θεότητος αὐτοῦ διὰ τὴν σάρκωσιν· ἀλλ' αὐτὸς ὁ ὢν καὶ ἔστι καὶ μένει εἰς τὸν αἰῶνα μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἠγάπησε τοὺς ἀνθρώπους, διὰ τοῦτο ἐγένετο εὐσεβὴς, ἵνα ἡμᾶς ἐνέγκῃ εἰς τὴν περισσίαν τῆς χάριτος τῆς αὐτοῦ θεότητος. Καὶ τοῦτο ἦν τὸ θέλημα τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν, καὶ ἐπλήρωσε τὴν βουλήν σου· ὡς καὶ τοὺς ἁγίους ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑπομονῇ δοξάσει ἐν τῷ ὑπενεγκεῖν τὴν ἐξουσίαν σὺν τῶν παθημάτων διὰ τοῦ θανάτου καὶ τῆς ταφῆς.

34 Καὶ ἐπειδὴ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι σέβειν τὰς ἀνθρωπομόρφους εἰκόνας, ξυλογλύπτους τέχνῃ τῶν τεκτόνων, ἐγένετο αὐτὸς ἀληθινὴ εἴκων ἀνθρώπου, ἵνα τοὺς εἰκονοκτίστας καὶ εἰκονοφίλους καὶ εἰκονολάτρας τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι τῆς θεότητος ὑποτάξῃ· καὶ ἐπειδήπερ ἦσαν συνηθέντες ἄνθρωποι προσκυνεῖν τὰ ἄψυχα εἴδωλα, τὰ νεκρὰ, ἐγένετο αὐτὸς νεκρὰ εἰκὼν ἐν τῷ σταυρῷ καὶ ἀπέθανεν, καὶ ἄψυχος γέγονεν. Ἵνα διὰ τοῦ συνήθους ἐν τάχει αὐτοὺς ὑποτάξῃ τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι, τὸν δὲ σταυρὸν ὡς ἄγκιστρον κατασκευάσας, τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐποίει βρῶμα τῇ οἰκουμένῃ, ὅπως ἐν τούτῳ θηρεύσῃ πάντας

nunc dabis, Domine, diligentibus nomen sanctum tuum, et adventum Unigeniti tui.

multa de fidei misteriis

32 Quando ergo bonorum osor vidit nos honoratos voluntate benignitatis tuæ, invidit nobis honorem coronæ gloriationis nostræ, honorem a te datum, quando ad similitudinem imaginis tuæ fecisti hominem, eumquo constituisti omnium dominum. Ab invidia diabolica perniciosæ fraudes et mors intravit in orbem terrarum, hominemque subvertit ejecitque ex vita et ex requie bonitatis tuæ, quæ ipsi erat data. Itaque, dum Deitas tua infirmitatem humanæ naturæ miserata est, per incomprehensibilem misericordiam et bonitatem tuam, constantemque et magnanimam patientiam tuam, non dereliquisti nos, sed sanctos prophetas tuos misisti in mundum. Hi facti sunt in medio impiorum, sicut luminaria in obscuro loco : qui ab hominibus amentibus et injustis odio habiti, persecutiones passi sunt. Nam illi revelabant mysteria lucis tuæ, et prædicabant voluntatem tuam, et adventum Filii tui, qui venturus erat in mundum, hominibusque ablaturus jugum condemnati peccati. Quia hæc illi prædicabant, in afflictionibus, cruciatibusque et variis tentationibus mortem oppetierunt; et in perturbatione et amaritudine, ab affligentibus eos illata, vitam duxerunt in mundo propter prædicationem tuam.

ex sacris Scripturis

33 Affligentes infirmati sunt et ceciderunt. Quapropter, exsurgente in me bello illo, non timebit cor meum, excitatisque contra me castris, in te speravi, qui in extremo tempore revelas mysteria voluntatis tuæ, quam antea per prophetas annuntiasti primis generationibus propter dilectum Filium tuum, ut veniens nasceretur ex sancta Virgine. Nam sicut per virginem Evam peccatum ingressum est in mundum; sic per intemeratam hanc Virginem ingressa est vita : et sicut per nativitatem Cain ex Eva maledictum, sudores, labores, conversiones, ingressa sunt in mundum; sic per nativitatem Filii tui ex sancta Virgine in mundum ingressa sunt requies, vita, benedictio. Qui misisti unigenitum Filium tuum in mundum, lumen de lumine, vitam de vita, ut veniens incarnaretur in similitudinem carnis nostræ ex sancta Virgine, suaque similitudine nos cum Deitate sua conjungeret. Qui et nobis factus est similis, natusque ex sancta Virgine, et homo factus est incarnatusque, assumens carnem nostram. Permanet autem in propria gloria et in naturali Deitate sua, nullamque Deitatis suæ mutationem recepit per incarnationem, sed idem ipse et est et manet in æternum cum Patre et Spiritu sancto. Verum quoniam dilexit homines, ideo factus est misericors, et ducat nos in abundantiam gratiæ Deitatis suæ. Et hæc erat voluntas Generantis ipsum, et implevit voluntatem tuam : sicut et Sanctos sua tolerantia exaltabit per mortem et sepulturam suam, eo quod eum perpessionibus conjungat potestatem.

disserens

34 Cum autem homines colere cuperent imagines humanam præferentes formam, sculptas e ligno fabrorum arte, factus est ipse vera hominis forma, ut imaginum conditores, amatores et cultores imagini suæ Deitatis subjiceret : et cum assueti essent homines inanimata colere idola et mortua, factus est ipse mortua imago in cruce, obiitque et inanimis factus est, ut per consuetudinem illos velociter imagini suæ subderet : crucemque usus ut hamo, corpus suum mundo fecit cibum, ut per hoc traheret omnes in regiam mensam

A. Agathangelo.

mensam Deitatis suæ : et pro lignis sculptis fixit crucem in medio mundi, ut, qui soliti erant ligna adorare, per hanc consuetudinem consentirent ad crucem suam adorandum, et imaginem formæ humanæ super illam. De cruce enim, quam et prophetæ præmonstrarunt, sic dixit : Factus, tamquam mutus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum *g*. Quod et ipse, Domine, dixisti ad prophetam tuum, priusquam veniret tempus, quo hæc omnia pateretur dilectus Filius tuus Jesus Christus : in tanta tolerantia faciam te mutum, et ligabo linguam tuam in gutture tuo, et eris sicut homo non habens in ore suo verbum redargutionis. Amaverunt enim homines idola muta : ideo et dilectus Filius tuus factus est in corpore et forma hominis : et ascendit in altitudinem crucis, tamquam in altissimam speculam, et exhibuit se mutum per mortem, creaturis suam per naturam exsistens vita.

g

varia sine ordine

35 Quapropter vidit ipsum mundus in altitudine, et exsultavit, et adoravit, et subjecit se. Et quia solebant homines lætari in templis idolorum per nidores, quos offerebant inanimatis ; ideo ipse vocasti mundum ad sacrificium Christi tui, et dixisti : Vitulus meus occisus est, et cœna mea parata : et multiplicasti lætitiam a cruce tua, et pavisti omnes terræ fines vivifico ejus Corpore, quæ esca est et vita abundantissima omnibus cultoribus tuis per totum terrarum orbem. Eos vero, qui nolunt venire vocati ad nuptias spiritalis tui convivii, præparasti ad pœnam æternam, ad mortem perniciosam, ad condemnationem nunquam finiendam. Et quoniam comedebant et bibebant homines de sanguinibus sacrificiorum, dum cultu divino honorabant dæmones ; idcirco proprium sanguinem effudit in cruce, ut lignum pro ligno sculpto, ipsaque humanam referens formam imago pro execranda imagine, et pro cruoribus nidoris ejus esset sanguis, in quo est renovatio hominum, ut humana regerminaret natura.

B

dogmata refert,

36 Venit enim suo sanguine nos redempturus ad decoram servitutem Deitatis suæ : nosque liberaturus turpi servitio peccatorum. Sumus enim pretium sanguinis Filii tui, redempti liberatique sanguine et corpore ejus, et non sumus domini nostri, ut desideria nostra sequamur, aut secundum voluntates hominum mortalium nos geramus. Nam si carnales nobis sunt domini, eos carnaliter honorare oportet, sicut a te jussi sumus : non vero, ut per minas hominum mortalium dominationem tuam permutemus. Illi enim solum corpus possunt cruciatibus subjicere. At unigenitus Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus, potest et animam et corpus in æterna injicere supplicia, ignique tradere inextinguibili vermique immortali. Verum, Domine, da mihi virtutem tolerantiæ in afflictionibus laboribusque hujus periculi ; et miserere mei, ut misertus es latronis, qui communem tecum habuit perpessionem crucis tuæ ; largire mihi miserationes benignæ gratiæ tuæ, qua vitam habet tota terra, justi et peccatores, per sustentationem bonitatis tuæ. Nam solem tuum oriri facis super malos et bonos, et pluis super justos et injustos, conservans beneficentiam tuam, et misericordiam tuam ostendens omnibus hominibus.

C

c. patientiam

37 Da mihi, Domine, patientiæ gratiam in amaris hisce tormentis, quibus me affligunt, ut sim dignus servare depositum lucis fidei tuæ, quam dono tuo cognosco ; et perficere voluntatem tuam, ut non confundantur sperantes in

D

εἰς τὴν βασιλικὴν τράπεζαν τῆς θεότητος αὐτοῦ, καὶ ἄντι τῶν γλύπτων ξύλων ἔπηξεν τὸν σταυρὸν ἐν μέσῳ τῆς οἰκομένης, ἵνα οἱ ἐθηθέντες προσκυνεῖν τὰ ξύλα διὰ τῆς αὐτῆς συνεθίας πιστεύσωσιν προσκυνεῖν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπάνω ἀνθρωπόμορφον εἰκόνα. Ἐπὶ γὰρ τῷ σταυρῷ, ὃν καὶ οἱ προφῆται προεσήμαναν, ἔλεγεν οὕτως· ἐγενόμην ὡσεὶ κωφὸς οὐκ ἀκούων καὶ ὡσεὶ ἄλαλος οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα αὐτοῦ. Ὃ καὶ αὐτὸς, δέσποτα, ἔλεγες πρὸς τὸν σὸν προφήτην πρὸ τοῦ φθᾶσαι τὸν καιρὸν τοῦ ταῦτα πάντα παθεῖν τὸν ἀγαπητόν σου υἱὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐν τοσαύτῃ ὑπομονῇ ποιήσω σε ἄλαλον, καὶ δήσω τὴν γλῶσσάν σου ἐν τῷ λαρίγγι σου, καὶ ἔσῃ ὡς ἄνθρωπος μὴ ἔχων λόγον ἐλεγμοῦ ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. Ἠγάπησαν γὰρ οἱ ἄνθρωποι τὰ ἄλαλα εἴδωλα· διὰ τοῦτο καὶ ὁ ἀγαπητός σου υἱὸς ἐγένετο ἐν τῷ σώματι καὶ εἰκὼν ἀνθρώπου, καὶ ἀνῆλθεν εἰς τὸ ὕψος τοῦ σταυροῦ, ὡς ἐπὶ ὑψηλοτάτην σκοπίαν, καὶ ἔδειξεν ἑαυτὸν ἄφθογγον διὰ τῆς νεκρότητος, τοῖς ἰδίοις ποιήμασι ζωὴ κατὰ φύσιν ὑπάρχων.

35 Διὸ εἶδεν αὐτὸν ἡ οἰκουμένη ἐπὶ τὸ ὕψος, καὶ ἠγαλλιάζατο καὶ προσεκύνησεν, καὶ ὑπετάγη. Καὶ ἐπειδὴ ἐν συνηθείᾳ ἦσαν οἱ ἄνθρωποι εὐφραίνεσθαι εἰς τὰ ἱερὰ τῶν εἰδώλων ἐν κνήσεσιν, ἃς τοῖς ἀψύχοις προσέφερον· διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐκάλεσας τὴν οἰκουμένην εἰς τὴν σφαγὴν τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ εἶπες· ὁ μόσχος μου ἐσφαγμένος, καὶ τὸ δεῖπνόν μου ἑτοιμασμένον, καὶ ἐπλήθυνας τὴν εὐφροσύνην ἀπὸ τοῦ σταυροῦ σου, καὶ ἐχόρτασας πάντα τὰ πέρατα ἀπὸ τοῦ ζωοποιοῦ αὐτοῦ σώματος, ὃ ἔστιν βρῶμα καὶ ζωὴ ἱκανοτάτη πᾶσι τοῖς σοῖς προσκυνηταῖς εἰς πᾶσαν τὴν ὑπουράνον· τοὺς δὲ μὴ βουλομένους παραγενέσθαι εἰς τὴν τῶν γάμων κλῆσιν τῆς πνευματικῆς σου ἀγάπης ἡ τοίμασας εἰς τὴν αἰώνιον κόλασιν καὶ τὸν θάνατον ὀλέθριον καὶ ἀτελεύτητον κρίσιν. Καὶ ἐπειδὴ ἔτρωγον καὶ ἔπινον οἱ ἄνθρωποι τῶν αἱμάτων θυσιῶν ἐν τῷ λατρεύειν τοῖς δαίμοσι· διὰ τοῦτο ἐκένωσεν τὸ ἴδιον αἷμα ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, ἵνα τὸ ξύλον ἄντι τοῦ γλυπτοῦ ξύλου, καὶ αὐτὴ ἡ ἀνθρωπόμορφος εἰκὼν ἀντὶ τῆς βδελυρᾶς εἰκόνος, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἀντὶ τῶν αἱμάτων τῆς κνήσης, ἐν ᾧ ἀνακαίνωσις τῶν σωμάτων εἰς τὸ ἀναθάλειν τὴν ἀνθρωπότητα γέγονεν.

E

36 Ἦλθεν γὰρ ἐξαγοράσαι ἡμᾶς ἐν τῷ ἰδίῳ αἵματι εἰς τὴν καλοδουλείαν τῆς θεότητος αὐτοῦ, καὶ ἐλευθερῶσαι ἡμᾶς ἐκ τῆς κακοδουλείας τῶν ἁμαρτιῶν. Ἐσμὲν γὰρ τιμὴ αἵματος τοῦ υἱοῦ σου, λελυτρωμένοι καὶ ἐλευθερωθέντες τῷ αἵματι καὶ τῷ σώματι αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔσμεν κύριοι αὐτῶν, ἵνα τοῖς θελήμασιν ἡμῶν ἐξακολουθήσωμεν, ἢ κατὰ τὰς βουλὰς τῶν θνητῶν ἀνθρώπων πορευθῶμεν. Εἰ γὰρ εἰσὶν ἡμῶν σαρκικοὶ δέσποται, σαρκικῶς δεῖ αὐτοὺς τιμᾶν, ὅσον παρὰ σοῦ ἐκελεύσθημεν· οὐχ ὅπως δὲ τὴν σὴν δεσπότειαν διὰ τὴν ἀπειλὴν τῶν θνητῶν ἀνθρώπων ἀνταλλάξωμεν. Αὐτοὶ γὰρ τὸ σῶμα μόνον δύνανται βασανίσαι, ὁ δὲ μονογενής σου υἱὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς δύναται ἐμβαλεῖν εἰς τὰς αἰωνίους κολάσεις ἐν ψυχῇ καὶ σώματι, ἐν τῷ πυρὶ τῷ ἀσβέστῳ καὶ ἀθανάτῳ σκώληκι. Ἀλλὰ, δέσποτα, δός μοι δύναμιν τῆς ὑπομονῆς ἐν ταῖς θλίψεσιν τῶν πόνων τοῦ κινδύνοι τούτου, καὶ ἐλέησόν με ὡς τὸν λῃστὴν τὸν κοινωνήσαντα τῷ πάθει τοῦ σταυροῦ σου, καὶ ποίησον πρός μὲ τοὺς οἰκτιρμοὺς τῆς φιλανθρώπου σου χάριτος, ἐν ᾗ ἔχει τὴν ζωὴν σύμπασα ἡ γῆ, δίκαιοί τε καὶ ἁμαρτωλοὶ, ἐν τῇ ἀνοχῇ τῆς χρηστότητός σου. Ἀνατέλλεις γὰρ τὸν ἥλιόν σου ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχεις ἐπὶ δικαίους καὶ ἁμαρτολοὺς, φυλάττων τὴν ἀγαθότητά σου, καὶ δεικνύων τὸ ἔλεός σου πρὸς πάντας ἀνθρώπους.

F

37 Δός μοι, δέσποτα, τὴν τῆς ὑπομονῆς χάριν πρὸς τὰς πικρὰς βασάνους ταύτας, ἐν αἷς κεντοῦτί με, ἵνα κἀγὼ καταξιωθῶ φυλάξαι τὴν παραθήκην τοῦ φωτὸς τῆς πίστεώς σοῦ, ἣν δέδωκάς με γνῶναι, καὶ ποιεῖν τὸ θέλημά σου, ὅπως μὴ κατασχυνθῶσιν οἱ πεποιθότες

ἐπὶ

A ἐπὶ σοί, οἱ ἐγκαυχώμενοι ἐν τῷ μονογενῆ υἱῷ σου, κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ παρὰ σοῦ πεμφθέντι, ὃν αὐτὸς ἀπέστειλας εἰς θάνατον διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, ἵνα ἄρῃ τὸ βάρος ἡμῶν· καὶ ὑπὲρ τῆς παραβάσεως ἡμῶν παραδοθῇ, καὶ ἐβάσταξε εἰς ἑαυτὸν τὰς ἀνομίας ἡμῶν, καὶ σὺν τούτοις ἀπενεγκεῖν τὴν κατάραν τῆς κατακρίσεως ἡμῶν διὰ τῶν παθημάτων τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ· καὶ τελειώσει καὶ δώσει χάριτας δωρημάτων τοῖς εἰς αὐτὸν πιστεύουσιν. Καὶ νῦν, δέσποτα ἀγαθέ, ὁ εἰρηκώς· μεθ' ὑμῶν εἰμι ἑὼς τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, μηδὲ ἀφήσῃς ἡμᾶς ἔξω τῆς χειρός σου, ἀλλ' ἐνδυνάμωσον ἡμᾶς εἰς τὸ σὸν θέλημα, ἵνα ὑπομείνωμεν τὸν πόλεμον, τὸν ἕνεκεν τοῦ μεγάλου σου ὀνόματος, ὅπως φανερωθῇ τὸ καύχημα ἡμῶν, τῶν πιστῶν δούλων εἰς τὴν δεσπότειαν τῆς σῆς θεότητος, καὶ τοῦτο φανερὸν γένηται, ὅτι οὐδεὶς δύναται νικῆσαι τῶν ἐχθρῶν τοὺς ἐπὶ σὲ ἠλπικότας οἱ αὐτοῖς εἰσὶν ἐχθροί.

38 Ἀλλά, δέσποτα, συνάψαι ἡμᾶς εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν δικαίων σου ἕνεκεν τῆς σῆς φιλανθρωπίας, ὁ μὴ ἀφήσας ἡμᾶς ἐν ταῖς ἁμαρτίαις τῶν πατρῶν ἡμῶν, καὶ ἐν ματαίῳ σεβάσματι τῶν ἀρχαίων ἡμῶν, καὶ ἐν ἀνομίαις τῶν πρώτων ἡμῶν, ἀλλὰ δεδωκὼς ἡμῖν γνῶναι τὸν φύσει ποιητήν, καὶ τὴν θεότητά σου, ἵνα μὴ ἀπολώμεθα ἡμεῖς ἐν μαθαιότητι τῆς ἀθείας, ἀλλ' οἰκ-
B τείρας ὡς σοῦ ποιήματα, ὅπως μὴ ἐπέλθῃ ἐφ' ἡμᾶς ἡ ὀργή σου εἰς τέλος, καὶ μὴ ἐκτρίψῃ ἡμᾶς ὁ θυμός σου, καὶ μὴ κινηθῇ ἡ ἀπειλή σου εἰς τὴν κτίσιν σου. Καὶ νῦν, δέσποτα, δὸς δύναμιν πολέμου ὑπὲρ τῆς ἀληθείας τοῦ ὀνόματός σου ἀποθανεῖν, καὶ πάλιν ἀνακαινισθῆναι ἅμα ἐν δόξῃ, ὅταν τὸ δεύτερον ἀποστείλῃς πρὸς ἡμᾶς τὸν παντῶν μισθαποδότην, ἑκάστῳ τὸν ἴδιον σταθμίζοντα, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, ἵνα καὶ ἡμεῖς σταθῶπεν ἱλαρῷ προσώπῳ ἐνώπιόν σου, δεξάμενοι τὸν τῆς νίκης στέφανον σὺν πᾶσιν τοῖς ἀγαπητοῖς σου. Αὐτὸς γὰρ μόνος διαμένεις εἰς τοὺς αἰῶνας, καὶ πάντα τὰ στοίχεια, τὰ γονόμενα τῷ λόγῳ σου, παλαιωθήσεται. Μόνος δὲ αὐτὸς ὁ αἰώνιος, καὶ μονογενής σου υἱός, καὶ τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον. Αὐτός, δέσποτα, συνάγεις τοὺς ἀνθρώπους, ὡς σῖτον ἐν τοῖς ταμείοις, ἐν καιρῷ αὐτῶν, καὶ πάλιν ἐκ δευτέρου ἀνακαινίζεις, καὶ ἀναφέρεις ἐκ τῆς γῆς, πάντα τῶν ἀνθρώπων ὀστᾶ νεάζων καὶ νεοπτερίζων, ὡς ἀετὸς τοὺς ἀγαπηλοὺς σου.

39 Δέσποτα ἡμέρας, καὶ κτίστα σκότους, καὶ ποιητὰ φωτός, σή ἐστιν ἡ ἡμέρα, καὶ σή ἐστιν ἡ νύξ, ὁ τάξας φωστῆρας εἰς χρῆσιν ὁδηγίας τῶν σῶν κτισμάτων τοῖς
C ἐν τῇ γῇ· ὁ ποιήσας δύο φωστῆρας εἰς χρῆσιν τροπῶν ἐνιαυτῶν, μηνῶν, καὶ καιρῶν, εἰς τὸ συνάψαι τοὺς χρωμένους καὶ μετρῆσαι τὰς ἡμέρας τοῖς ἐν τῷ κοσμῳ, τὸν ἕνα ἐπ' ἐξουσίαν τῆς ἡμέρας, ἔχοντα τὸν τύπον τοῦ σοῦ μονογενοῦς, τοῦ ἀσβέστου, καὶ ἀλήπτου καὶ ἀπαύστου καὶ ἀνεμποδίστου φωτός, τοῦ μέλλοντος ἀποκαλυφθῆναι τοῖς ἰδίοις δικαίοις ἐν τῳ μέλλοντι αἰῶνι, ὅπου οὐδὲ ἡμέραι οὐδὲ νύκτες, οὐ σάββαθα, οὐ μῆνες οὐκ ἐνιαυτοὶ καὶ καιροί, οὐδὲ ἀλλαγαὶ ἐνιαυτῶν καὶ καιρῶν τροπαί. Μόνος δὲ κύριος ὑπάρχεις, καὶ ποιεῖς τὰς ἀνταποδώσεις τῆς εὐφροσύνης τοῖς σοῖς προσκυνηταῖς ἐν τοῖς ἀγαθοῖς, ὧν ἀγαθῶν οὐκ ἔστιν ἀλλαγή, οὐδὲ ἐκβολὴ τῶν δεδομένων δωρεῶν.

40 Ἡ δὲ πορεία τῆς ἀρχούσης τῆς νυκτὸς τῷ θελήματι τοῦ σοῦ μονογενοῦς τύπον τῆς ἀναστάσεως βαστάξασα φέρει, καὶ δείκυσι πᾶσιν τοῖς γηγενέσιν τὸ θάρσος τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως. Ἀπὸ δυσμῶν γὰρ εἰς ἀνατολὴν πορευομένη εἰς νεότητα, πάλιν τῷ σῷ βουλήματι εἰς δυσμὰς γηράσασα φθάνει, κηδεύεται, θάπτεται, μηνύτρια τῶν τεθαμμένων νεκρῶν, τῆς ἀναστάσεως γήνεται παραμυθία, καὶ θάρσος τοῖς ποιήμασι προσφέρει, τὴν παρουσίαν τοῦ σοῦ υἱοῦ σημαίνει ἐξ οὐρανοῦ, καὶ τὴν ἀνακαίνησιν τῆς οἰκουμένης ἐπι-

te, et gloriantes in unigenito Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo, misso a te, quem ipse ad mortem misisti propter peccata nostra, ut portaret onus nostrum, et propter trangressiones nostras traderetur : et in se ipso portavit iniquitates nostras, ut cum iis tolleret maledictum condemnationis nostræ per crucis suæ perpessiones : consummabitque et largietur gratias donorum credentibus in se. Et nunc, bono Domine, qui dixisti : Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, ne dimittas nos e manu tua, sed corrobora nos ad voluntatem tuam, ut sustineamus bellum, quod pro magno nomine tuo suscipitur, ut manifestetur gloria nostra, qui fideliter servimus dominationi Deitatis tuæ, manifesteque appareat, quod sperantes in te nullus illorum, qui eis inimici sunt, superare valeat. A. AGATHANGELO.

38 Verum, Domine, fac nos pervenire in numerum justorum tuorum propter clementiam tuam, qui non reliquisti nos in peccatis patrum nostrorum, et in vano cultu majorum nostrorum, et in iniquitatibus eorum, qui nos præcesserunt ; sed qui dedisti, ut noverimus Creatorem, et Deitatem tuam, ut non pereamus in vanitate eorum, qui ignorant Deum ; sed qui nos miseratus es ut creaturas tuas, ut non superveniat nobis ira tua in finem, et non conterat nos furor tuus, et non accedant comminationes tuæ in creaturam tuam. Et nunc, Domine, da virtutem bellicam, ad moriendum pro veritate nominis tui, et ut rursum renovemur simul in gloria, quando secundo ad nos miseris omnium remuneratorem, qui suum unicuique ponderabit, Dominum nostrum Jesum Christum, ut hilari vultu stemus coram te, accipientes victoriæ coronam cum omnibus dilectis tuis. Ipse enim solus permanes in secula, et omnia elementa, verbo tuo facta, veterascent. Tu ipse solus æternus, et unigenitus Filius tuus, et Spiritus sanctus. Tu ipse, Domine, colligis homines, ut frumentum in promptuariis, in tempore ipsorum, et iterum instauras, et e terra educis, omnia hominum ossa faciens juvenilia, novaque donans agilitate, sicut aquila pullos suos. *in tormentis* E

39 Domine diei, auctorque tenebrarum et lucis conditor, tuus est dies et tua est nox, qui ordinasti luminaria exsistentibus in terra ad ducendum creaturas tuas : qui fecisti duo luminaria, ut sint in conversiones annorum, mensium et temporum, utilia ad connectendum et dimetiendum dies degentibus in mundo ; luminare alterum, ut præsit diei, quod repræsentat typum Unigeniti tui, qui inextinctum, incomprehensibile, iudesinens, et numquam impeditum est lumen ; qui revelabitur justis suis in futuro seculo, ubi nec dies sunt nec noctes, non sabbata, non menses, non anni et tempora, neque annorum mutationes et temporum conversiones. At tu solus ibi es Dominus, tuisque adoratoribus præbes remunerationes voluptate plenas ex bonis, quorum nulla est mutatio, nullaque donorum semel concessorum umquam jactura. *sæpe repetitis* F

40 At iter illius, quæ præest nocti, voluntate Unigeniti tui typum præfert resurrectionis, cunctisque terrigenis resurrectionis mortuorum fiduciam exhibet. Ad Occasu enim ad Orientem progressa in juventutem, rursum voluntate tua senescens venit in Occidentem, funeratur, fit resurrectionis consolatio, et fiduciam creaturis affert, Filii tui de cælo adventum significat, orbis terrarum insinuat renovationem, peccatorum defectionem *precibus flagitat.*

A ἀγαθαγγέλω nem docet et interitum, justorumque fulgorem in regno adventus tui; atque ostendit te rationem exigere ab iis, qui in peccatis inveteraverunt. Et sane luna deficiens significat te æternum, interitura immortalem, et veterascens suum Instauratorem. Hæc tua voluntate in varias mutatur formas, quemadmodum fieri voluisti, donec tollantur ænigmata, quæ posuisti et præparasti in diem promissionum tuarum, quando omnes remunerabis per Unigenitum tuum et Spiritum sanctum, quoniam tua est et te decet gloria in secula. Amen.

pro aliis etiam 41 Domine omnipotens, qui coronas sperantes in te, et facis voluntatem timentium te, da mihi hanc gratiam, ut conservem fiduciam de te, et timorem magnum, quem injicies adversariis et impie in te agentibus: et da mihi tolerantiam ad consummandum cursum in hac afflictione, in qua sum. Medice dolorum nostrorum, Curator contritorum, Solutio vinctorum, Consolatio lugentium, Spes desperantium, Requies lassorum, Portus turbatorum, qui bonitate tua aspicis creaturam tuam, omniaque beneficentia tua nutris, da mihi, ut obtineam coronam cum iis,
B qui digni sunt gratia tua habiti pro nomine tuo mori, quorum mors placita fuit coram te, ut et ego dono tuo fiam dignus rapi in occursum dilecti Filii tui, quando dilectos suos rapiet in radios luminis sui ad judicandum in veritate totum mundum in ira furoris sui. Nunc igitur Domine, conforta servum tuum propter nomen tuum, ut vincamus potestates inimici; et aufer purgaque nebulam perversæ idololatriæ impiæque Dei ignorantiæ tua dilectione a creaturis tuis expulsam. Qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis, ne derelinquas gregem tuum, sed perduc eam in viam rectam. Qui solus potes dimittere peccata, iniquitatesque et injustitias condonare creaturis tuis, ut te solum colant, voluntatem tuam perficiant, magna cum gloria celebrent Divinitatem tuam, et eruantur a judiciis tuis, fruanturque bonis tuis incomprehensibilibus; quo omnes eam consequantur gratiam, ut sine pudore coram magnificentia tua consistant: opus ignorantiæ ipsorum pro peccato iis imputare noli, quoniam consuetum tibi est ea, quæ non sunt, ut sint efficere, et non existentia ad creaturarum statum perducere.

et pro Armenia 42 Qui non dimisisti genus hominum, ut viverent secundum desideria sua, sed miseratus misisti
C unigenitum Filium tuum, qui veniens creaturas tuas ad Deitatem tuam convertit. Qui jussisti Evangelia tua prædicari in toto mundo, quandoquidem tui solius sit gloria, et tibi debeatur adoratio omnis creaturæ: nam tu solus honore et gloria es dignus. Miserare igitur caritate bonitatis tuæ etiam regionem Armeniæ, ut et illi cognoscant te, et unigenitum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, missum a te, qui humanam nostram naturam assumpsit, imagine et figura similem se reddens operi manuum suarum, ut humanum sumeret corpus, et per cognationem homines ad se pertraheret. Non enim poterant homines vultum ipsius videre, et vivere. Quare factus est similis hominibus, ut homines redderet Deitate sua dignos; ut nos, cognatum corpori nostro corpus conspicientes, Deitatem Filii honoremus in bonitate Patris. In ipso etiam gratias accipimus per benignitatem a te. Suppeditentur igitur et nobis promissiones Euangelii tui, huic mundo factæ, et beneficia caritatis bonitatisque tuæ, ad omnes pertingentia.

νεύει, καὶ τὴν ἔκλειψιν καὶ τῆξιν τῶν ἁμαρτολῶν δι- D
δάσκει, καὶ τὴν τῶν δικαίων ἔκλαμψιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆς σῆς παρουσίας, τὴν ἀπαίτησιν τῶν ἐν ταῖς ἁμαρτίαις παλαιωθέντων δεικνύει. Καὶ γὰρ δὴ μηνύει ἡ ἐκλείπουσά σε τὸν αἰώνιον, ἡ φθάρτη τὸν ἀκήρατον, ἡ παλαιομένη τὸν ἀνακαινιστὴν αὐτῆς. Ἥτις τῷ σῷ θελήματι ἀλλιοῦται ἐν σχήμασι, καθὼς τὸ σὸν θέλημα ἐκέλευσεν γένεσθαι, ἑὼς οὗ ἐπαρθῶσι τὰ αἰνίγματα, ἃ ἔθου, καὶ ἡτοίμασας εἰς ἡμέραν τῶν σῶν ἐπαγγελιῶν, ὅτε ποιεῖς πᾶσιν ἀνταπόδωσιν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου, καὶ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, ὅτι σὴ ἐστιν καὶ σοὶ πρέπει ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

41 Κύριε παντοκράτερ ὁ στέφων τοὺς ἐν σοὶ ἠλπικότας, καὶ ποιῶν τὸ θέλημα τῶν σὲ φοβουμένων, καταξίωσόν με, δέσποτα, φυλάξαι τὴν ἐν σοὶ ἐλπίδα, καὶ τὸν μέγαν φόβον, ὃν ἐπάξεις τοῖς ὑπεναντίοις καὶ ἀσεβήσασιν ἐν σοί· κἀμοὶ δὸς ὑπομονὴν τελειῶσαι τὸν δρόμον ἐν ταύτῃ τῇ θλίψει, ἐν ᾗ εἰμί. Ἰατρὲ τῶν πόνων ἡμῶν, θεραπευτὰ τῶν συντετριμμένων, ἡ λύσις τῶν δεδεμένων, ἡ παράκλησις τῶν πενθούντων, ἡ ἐλπὶς τῶν ἀπελπισμένων, ἡ ἀνάπαυσις τῶν κεκμηκότων, καὶ λιμὴν τῶν τεταραγμένων, ὁ ἐπιβλέπων ἐν τῇ σῇ ἀγαθότητι ἐπὶ τὴν κτίσιν σου, καὶ τρέφων τὰ σύμπαντα ἐν τῇ χρηστότητί σου, δός μοι λαβεῖν τὸν στέφανον μετὰ τῶν καταξιωθέντων ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός σου, E
ὧν ἐστιν εὐδόκιμος ὁ θάνατος ἐνώπιόν σου, ἵνα κἀγὼ καταξιωθῶ ἁρπαγῆναι εἰς ἀπάντησιν τοῦ ἀγαπητοῦ υἱοῦ σου, ὅταν ἁρπάσει τοὺς φίλους αὐτοῦ εἰς τὰς ἀκτίνας τοῦ ἰδίου φωτὸς τοῦ κρῖναι ἐν ἀληθείᾳ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐν ὀργῇ θυμοῦ αὐτοῦ. Νῦν ουν δέσποτα ἐνδυνάμωσον τὸν σὸν δοῦλον ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, ἵνα νικήσω μὲν τὰς δυναστείας τοῦ ἐχθροῦ καὶ ἔπαρον καὶ ἀπόσμηξον τὴν ὁμίχλην τῆς κακῆς εἰδωλολατρείας καὶ ἀθείας τῇ σῇ ἀγάπῃ ἀπὸ τῶν σῶν ποιημάτων. Ὁ θεὶς τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ τῶν σῶν προβάτων, μὴ ἀφήσῃς τὸ ποίμνιόν σου, ἀλλὰ φέρε εἰς εὐθύτητα· Ὁ μόνος δυνάμενος ἀφιέναι ἁμαρτίας, καὶ συγχωρῆσαι ἀνομίας καὶ ἀδικίας τῶν σῶν κτισμάτων, ἵνα σε μόνον σέβωνται καὶ ποιήσωσι τὸ θέλημά σου, καὶ δοξάζωσιν τὴν σὴν θεότητα, καὶ λυτρωθῶσιν ἀπὸ τῶν κριμάτων σου, καὶ ἀπολαύσωνται τῶν ἀκαλήπτων σου ἀγαθῶν, ὅπως πάντες καταξιωθῶσιν ἀνεὺ αἰσχύνης στῆναι ἐνώπιον τῆς μεγαλειότητός σου, καὶ τὸ ἔργον τῆς αὐτῆς ἀγνοίας ἀναμαρτησίαν αὐτοῖς λόγισαι, ἐπειδὴ συνηθές σοὶ ἐστιν τὰ μὴ ὄντα εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν, καὶ τὰ ἀνύπαρκτα εἰς γένεσιν κτίσεως.

42 Ὁ μὴ ἀφήσας τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἐν τοῖς F
ἰδίοις θελήμασιν πορεύεσθαι, ἀλλ᾽ οἰκτείρας, καὶ ἀπέστειλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν ὃς ἐλθὼν ἐπέτρεψε τὰ σὰ ποιήματα εἰς τὴν σὴν θεότητα. Ὁ κελεύσας κηρυχθῆναι τὰ εὐαγγέλια ἐν πάσῃ οἰκουμένῃ, ἐπειδὴ σοῦ μόνου ἐστὶν ἡ δόξα, καὶ σοὶ πρέπει προσκύνησις ἀπὸ πάσης κτίσεως. Αὐτὸς γὰρ μόνος εἶ τιμῆς καὶ δόξης ἄξιος. Οἰκτείρησον οὖν ἐν τῇ χάριτι τῆς σῆς ἀγαθότητος καὶ τὴν χώραν τῆς Ἀρμενίας, ἵνα καὶ αὐτοὶ γνώσονταί σε, καὶ τὸν μονογενῆ σου υἱὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν πεμφθέντα παρὰ σοῦ, καὶ ἐνδυσάμενον τὴν ἀνθρωπότητα ἡμῶν, ἐξεικονίσαντα καὶ ἐκτυπώσαντα ἑαυτὸν εἰς τὸ πλάσμα τῶν χειρῶν αὐτοῦ, ἵνα λάβῃ τὸ ἀνθρώπινον σῶμα, καὶ διὰ τοῦ συγγενοῦς προσεγγίσῃ τοὺς ἀνθρώπους πρὸς αὐτόν. Οὐ γὰρ δύναντο οἱ ἄνθρωποι ἰδεῖν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ καὶ ζῆν· Διὰ τοῦτο ἐγένετο ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, ἵνα τοὺς ἀνθρώπους ἀξίους ποιήσῃ τῆς θεότητος αὐτοῦ, καὶ ὅπως τὸ συγγενὲς τοῦ παρ᾽ ἡμῶν σώματος θεασάμενοι, τὴν θεότητα τοῦ υἱοῦ τιμήσωμεν ἐν τῇ ἀγαθότητι τοῦ πατρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ δεξάμεθα χάριτας διὰ τῆς φιλανθρωπίας παρὰ σοῦ. Χορηγηθῶσιν οὖν καὶ ἡμῖν αἱ ἐπαγγελίαι τοῦ ἐναγγελίου σοῦ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον, καὶ αἱ εὐεργεσίαι τῆς χάριτος καὶ τῆς ἀγαθότητός σου, αἱ πρὸς πάντας ὑπάρχουσαι.

43

A 43 Ὁ ἐπιδαψιλεύων πᾶσι, δὸς ἡμῖν, ἵνα γενώμαθα μάρτυρες τῆς θεότητος παθεῖν ὑπὲρ τοῦ σοῦ ὀνόματος, καὶ ἀποθανεῖν ὑπὲρ τῆς σῆς ἀληθείας, καὶ ἀνακαινισθῆναι πάλιν ἐν παρουσίᾳ τῆς θεότητός σου. Ἦλθες γὰρ αὐτός, καὶ ἀπέθανες ὑπὲρ τοῦ πλάσματός σου, καὶ συνέμιξας τὸ θνητὸν ἡμῶν εἰς τὸ σὸν ἀθάνατον. Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἑὼς θανάτου γινώμεθα μάρτυρες τῆς σῆς ἀθανασίας, ἵνα συνψηφισθῶμεν εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν σῶν μαρτύρων. Τίνας γὰρ ἀνταποδόσεις καὶ ἀμοιβὰς δυνηθῶμεν ποιεῖν ὑπὲρ τῶν σῶν ἀγαθῶν, ἐὰν μὴ τὰς ψυχὰς ἡμῶν δῶμεν ὑπὲρ τῶν σῶν ἐντολῶν εἰς εὐδοκίαν τοῦ θελήματός σου, ἵνα γενώμεθα κληρονόμοι τῆς βασιλείας σου μετὰ τῶν εὐαρεστησάντων ἐνώπιόν σου, ὅπως προσενέγκωμεν τὰς ψυχὰς ἡμῶν θυσίαν τῇ σῇ θεότητι, ἀπολέσωμέν τε αὐτὰς, ἵνα πάλιν εὕρωμεν ἐν τῇ κιάρᾳ τῆς ἀναστάσεως, καὶ σταθῶμεν ἐκ δεξιῶν σου τὴν ἀκακίαν ἐνδεδυμένοι μετὰ τῶν προβάτων εἰς τὸ μέρος τῆς δεξιᾶς, σὺν τοῖς εὐαρεστήσασιν, ἐν εὐφροσύνῃ τῶν ἁγίων, τῶν ἠγαπηκότων τὴν σὴν θεότητα; ἐπειδὴ ἐγένετο ὁ μονογενής σου υἱὸς ἄμνος ἀληθινὸς καὶ προσήνεγκέ σοι θυσίαν τὴν ἰδίαν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν τοῦ σύμπαντος κόσμου, ὅπως γένηται μεσίτης καὶ πρεσβευτὴς τοῖς ποιήμασι πρὸς τὸν ποιήσαντα· τοῖς δὲ σπεύσασι δι' αὐτῆς τῆς εὐαρεστήσεως προσπελάσαι σοι
B ἡτοίμασας αὐτοῖς μονὰς ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆς σῆς θεότητος, καὶ τοῖς μὴ βουλομένοις εἰσελθεῖν εἰς ὑποταγὴν εὐδοκίας τῆς αὐτοῦ παρουσίας αἰωνίους κολάσεις ἐπηγγείλω.

44 Νῦν οὖν, Δέσποτα ἀγαθοποιέ, ὁ ἐλθὼν καὶ ταπεινωθεὶς καὶ λαβὼν τὴν τῶν ἀνθρώπων μορφὴν, καὶ δεδωκὼς τὴν ψυχήν σου πάσῃ ὑπομονῇ, καὶ μὴ ἀποστρέψας τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ τῆς ἐκουδενώσεως τῶν ἐμπτυσμάτων, καὶ προσενέγκας τὴν σιαγόνα τῷ παίοντι, ὄξος καὶ χολὴν ὑπὲρ ἡμῶν πέπωκας, καταγλύκανον τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων πάντων εἰς τὴν λατρείαν σου, ἵνα ὑποταγῶσιν ὑπὸ τὸν ἥδυτατόν σου ζυγὸν, καὶ σωθῶσιν ἀπὸ τῶν αἰωνίων κολάσεων. Πεπλήρωται γὰρ ἡ γῆ τῆς θεογνωσίας σου, καὶ οἱ ἀπολειφθέντες μὴ ἀποτύχωσι τῆς ἀληθινῆς σου ὁδοῦ. Προωρισθῶσιν καὶ αὐτοὶ εἰς τὴν βασιλικήν σου τράπεζαν, καὶ τῆς σῆς ἀπολαύσωσιν ὑπομονῆς. Ὁ ὑπὲρ πάντων παραγενόμενος σφαγῆναι, ὡς ἀρνίον, καὶ εὐφράναι ἐν τῷ σώματί σου, ὃ δέδωκας εἰς σωτηρίαν πᾶσιν, καὶ τὸν χείμαρρον τῆς τρυφῆς ἐδωρήσω τὸ πανάγιον αἷμα λύτρωσιν τοῦ κόσμου, οἰκτείρησον, ἵνα μνησθῶσιν καὶ ἐπιστραφῶσι καὶ ἔλθωσι πρὸς σὲ ἅπαντα τὰ πέρατα τῆς γῆς, καὶ προσκυνήσωσιν ἐνώπιόν σου οἱ καταβαίνοντες εἰς τὴν γῆν. Αὐτὸς γὰρ δύνασαι πάλιν ἀναστῆ-
C σαι καὶ ζωοποιῆσαι καὶ ἀξιῶσαι τῆς σῆς φιλανθρωπίας. Ἐν τῷ γὰρ σῷ αἵματι εἰσὶ λελυτρωμένοι, καὶ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους. Νῦν δὲ γνώσωνταί σε, ὑπὲρ ὧν ἀπέθανες. Δοῦλοι γάρ σου ὑπάρχοντες, καὶ σοῦ προσκυνηταὶ γένωνται, ὅπως μὴ ἐπέλθῃ ὁ θυμός σου ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους.

45 Ποίησον δὲ ἡμᾶς υἱοὺς φωτὸς καὶ υἱοὺς ἡμέρας, ἵνα δοξασθῇ τὸ πανάγιον ὄνομά σου ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ· δεδοξασμένος γὰρ καὶ ἀΐδιος ὑπάρχεις ἐν τῇ σῇ βασιλείᾳ, ὁ ὢν ἐν τῇ ἀϊδιότητι καὶ ἀναρχότητι καὶ ἀκαταληψίᾳ, ὁ διδοὺς τύπον τῶν παθημάτων τῷ σῷ πάθει διὰ τῆς ταπεινώσεώς σου τοῖς σοῖς ἀγαπητοῖς. Ἔδειξας γὰρ διωγμῷ, καὶ ἐφανέρωσας θλῖψιν τοῖς ἁγίοις σου διὰ τῶν κολαφισμάτων ἐν τῷ εἰσελθεῖν σε ὑπὲρ ἡμῶν εἰς τὰς κακώσεις. Ἡμεῖς δὲ οἱ γηϊνοὶ τί ὅλως παρεισφέρομεν τὰς ἡμετέρας θλίψεις τῶν παθημάτων; αὐτὸς γὰρ, δέσποτα, ἐταπεινώθης, καὶ ἀνέλαβες ταῦτα· καὶ ἐπῆρας τὸν κίνδυνον, καὶ τὰ πάθη τῆς οἰκουμένης. Ἐνδυνάμωσον οὖν τὴν ἐμὴν ἀσθένειαν ἐν τῇ ὑπομονῇ καὶ καρτερίᾳ τῆς θλίψεως, ἐν ᾗ ἕστηκα, ἵνα χρονίσας διὰ τῶν καυχημάτων ἐν τοῖς βασάνοις, ἀξιωθῶ κἀγὼ τοῖς ἀγαπητοῖς σου ἐν ἡμέρᾳ, ὅταν ἀποδώσεις τὰ ἀνεκδιήγητα ἀγαθὰ, τὰ τετηρημένα καὶ πα-

43 Qui largiris omnibus, da nobis, ut fiamus testes Deitatis tuæ patiendo pro nomine tuo et moriendo pro veritate tua, et ut iterum renovemur in adventu Deitatis tuæ. Nam ipse venisti, et mortuus es pro creatura tua, et miscuisti *h* mortale nostrum cum immortalitate tua. Quapropter et nos usque ad mortem fiamus testes immortalitatis tuæ, ut computemur in numero martyrum tuorum. Quas enim retributiones et remunerationes facere possimus pro bonis tuis, si non demus animas nostras pro mandatis tuis ad beneplacitum voluntatis tuæ, ut hæredes fiamus regni tui cum illis, qui placuerunt coram te, ut offeramus animas nostras hostiam Divinitati tuæ, ipsasque perdamus, ut inveniamus iterum in die resurrectionis, et statuamur a dexteris tuis innocentia induti cum segregatis in partem dexteræ ovibus, cum iis, qui tibi placuerunt, in gaudio Sanctorum, qui Divinitatem tuam amaverunt? Etenim Filius tuus unigenitus factus est agnus verus, et animam suam tibi hostiam obtulit pro peccatis mundi universi, ut mediator fieret et legatus creaturarum apud Creatorem : tu vero studentibus gratis moribus ad te accedere præparasti mansiones in regno Divini- E tatis tuæ; nolentibus vero ingredi viam obedientiæ. qua placeant, æterna in adventu eius supplicia denuntiasti.

A. AGATHANGELO. et pro martyrio suo

h

44 Itaque nunc, Domine benefice, qui venisti et humiliatus es, hominumque formam assumpsisti, qui animam tuam cum omni patientia dedisti, qui non avertisti vultum tuum ab extremo sputorum comtemptu, qui maxillas tuas præbuisti percutienti, qui acetum et sel pro nobis bibisti, mitescere fac corda omnium hominum erga cultum tuum, ut iugo tuo suavissimo subdantur, et æternis liberentur suppliciis. Impleta enim est terra cognitione Dei : relicti quoque non frustrentur via tua vera, prædeterminentur et ipsi ad mensam tuam regiam, et fructibus tolerantiæ tuæ perfruantur. Qui venisti mactandus pro omnibus, ut agnellus, eosque recreaturus corpore tuo, quod dedisti omnibus ad salutem, donasti etiam torrentem voluptatis, sacrosanctum Sanguinem, in redemptionem mundi effusum : miserere, ut reminiscantur et convertantur, et ad te veniant universi fines terræ, et adorent in conspectu tuo etiam qui descendunt in terram : nam tu ipse potes eos resuscitare F vitaque iterum donare, tuaque dignari clementia : sanguine enim tuo redempti sunt, liberatique potestate tenebrarum. Nunc vero cognoscant te, pro quibus mortuus es. Cum enim sint servi tui, fiant et cultores, ut non veniat furor tuus super homines.

orans

45 Nos vero fac filios lucis et filios diei, ut laudetur sacrosanctum nomen tuum in toto orbe terrarum : gloriosus enim et æternus es in regno tuo existens sempiternus, principio carens, et incomprehensibilis. Qui dedisti perpessione tua per humilitatem patiendi exemplar dilectis tuis. Ostendisti enim persecutione, et manifestasti per colaphos Sanctis tuis afflictionem, quando cœpisti pro nobis pati. Nos vero terreni quid omnino componimus afflictiones nostras cum iis perpessionibus? Tu enim, Domine, humiliatus es, idque acceptasti; et sustulisti periculum et perpessiones mundi. Corrobora igitur infirmitatem meam patientia et tolerantia in afflictione, in qua consisto, ut perseverans lætanter in cruciatibus, dignus censear, [annumerari *i*] dilectis tuis in die, quo retribues bona inenarrabilia, quæ servata

Septem diebus Sanctum pependisse, ait auctor.

i

A. AGATHANGELO.

servata sunt iis, qui speraverunt in te, et permanent in sæculum. Dum pendebat etiam, sic omnia hæc elocutus est, et scribebant commentarienses *k* per notas : nam quasi nihili faciebat extensionem, aut periculum contritionis per virgas humidas inferendæ. Confractum enim jam erat corpus ejus per torsionem. His etiam plura locutus est, ut pendebat, scriptoresque attulerunt ad regem. Nam mansit diebus septem, et postea, jubente rege, ipsum demiserunt.

ραμόνιμα τοῖς πεποιθόσιν σοι εἰς τὸν αἰῶνα. Καὶ ἔτι αὐτοῦ κρεμαμένου, οὕτως ἐλάλησεν ταῦτα πάντα, καὶ ἔγραφον οἱ ὑπομνηματογράφοι, διὰ σημείων· ὅτι ἦν ὡς οὐδὲν λογισάμενος τὴν τάνησιν*, οὔτε τὸν κίνδυνον τῆς συνθριβῆς τῶν ἀπὸ ὑγρῶν ῥάβδων. Κατεαγμένον γὰρ ἦν λοιπὸν τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ τῆς στρεβλώσεως, καὶ ἔτι πλείονα τούτων ἐλάλησεν, ὡς ἐκρεμᾶτο, καὶ γράψαντες προσήνεγκαν τῷ βασιλεῖ. Ἕπτα γὰρ ἡμέρας ἔμεινεν, καὶ μετὰ ταῦτα ἐκέλευσεν καὶ κατήνεγκαν αὐτόν. D

* *forte* Τάσιν

ANNOTATA.

a *Septem diebus ita suspensum fuisse* S. Gregorius, *habet etiam Metaphrastes. Verum, cum biographus omnia fere supra verum exaggerasse videantur, dubitare vix possim, quin et primum illud* S. Gregorii *supplicium æque supra verum sit exaggeratum, præsertim quoad tempus. Neque enim cibum aut potum videtur capere potuisse sic suspensus, et ideo rex non reliquisset eum septem diebus in supplicio, quo eum non volebat occidere, sed punire et sibi obsequentem reddere.*

b *Auctor latinus dixit* fustibus virentibus, *quod fere in idem recidet.*

c *Quod a decem hominibus, invicem succedentibus, cæsus fuerit; forte non caret solita exaggeratione hujus biographi : sed magis excedit, dum* septem diebus *cruciatum illum dicit continuatum.*

d *Hæc obscura sunt, nisi voluerit auctor insinuare, per præceptum de illa arbore Adamo datum ipsi propositam fuisse vitam et mortem, ut postea explicat. Ceterum prolixam hanc orationem magis composuit biographus ad docendum fideles, quam ad explicandum, quid Sanctus inter tormenta sit* B *locutus.* E

e *Obscursus rursum sit auctor. At vult dicere, opinor, homines, si mansissent in statu innocentiæ, transferendos fuisse in paradisum, non obstante generatione filiorum; sicut filiorum generatio non obstitit, quo minus Enoch in paradisum fuerit translatus.*

f *De Henoch Gen.* 5, ℣ 22 *dicitur :* Et ambulavit Henoch cum Deo..., et non apparuit; quia tulit eum Deus. *Eccli.* 44, ℣ 16 : Henoch placuit Deo, et translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. *Apostolus Heb.* 11, ℣ 5 *ait :* Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. *De loco, ad quem Henoch fuerit translatus, quove non sit in statu, et quo usque fruatur sorte* sanctorum Angelorum, *quos visione Dei beatos novimus, hic non inquiram. Malim obsequi Chrysostomo, qui Hom.* 21 *in Genesim num.* 4 *suadet, ne id curiosius investigemus :* Enimvero, *inquit,* Scriptura dixit, quod transtulerit illum (*Deus*) et quod viventem transtulerit, nec mortem expertus sit, sed ob suum, quem apud Deum habebat favorem, superior factus sit divina sententia contra humanum genus prolata. Quo autem illum transtulerit, et quomodo nunc agat, hoc non adjecit.

g *Verba Psalmi* 37, *quæ scriptor ad cogitata sua accomodat hic et paulo post, sunt hæc :* Ego autem tamquam surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens : et non habens in ore suo redargutiones. *Hæc de Christo patiente, et ad gravissimas accusationes tacente passim exponuntur, recteque referuntur ad Christum in cruce pendentem. At non video, quid illa verba prosint ad propositum scriptoris de adoranda imagine Christi crucifixi. Et certe non videntur dici de mortuo Christo, sicut infra videtur auctor allegata verba eo detorquere :* Et exhibuit se mutum per mortem. *Verum prudens lector et alia quædam in hisce ratiociniis inveniet, quæ minus placeant : quod auctor non habuerit tantam facultatem recte singula explicandi, quantam habuerunt præcipui Patres.*

h *Non est hic intelligenda mixtura aliqua naturæ Christi ex humanitate et divinitate, qualem asse-* C *ruerunt Eutychiani hæretici, qui unam Christo dumtaxat naturam attribuerunt. Solum vult auctor, a Filio Dei, qui natura est immortalis, assumptam quoque fuisse naturam humanam sive mortalem; et sic eamdem Personam fuisse immortalem natura divina, humana vero mortalem.* F

i *Hanc vocem signis interposui, quia forte e græco excidit.*

k *Nec de his fidem meretur auctor, neque dum asserit,* diebus septem *continuata fuisse tormenta. Utrumque adoptavit Metaphrastes, sed orationis argumentum brevissimo perstrinxit compendio. Anonymus secundæ vitæ auctor non asserit, scriptam fuisse* S. Gregorii *orationem, eam tamen prolixe, multis mutatis, pro suo ingenio exposuit. Mihi incredibile videtur, cruciatum illum* Gregorii *tam diu durasse et eo plane modo orasse Sanctum, quo orantem induxit Agathangelus noster.*

CAPUT V

Alia Sancti tormenta : injicitur tandem profundo puteo, ut ibi moriatur : regis contra Persas bella et edicta contra Christianos.

Constanti responso Gregorii incensus rex.

Ergo cœpit ipsum alloqui rex Armeniæ Teredates, et dicere : Quid tibi visum est, et quid proposuisti in cordo tuo? meæne esse vitæ particeps, quemadmodum a juventute tua vitam

Ὑρξατο οὖν λαλεῖν αὐτῷ ὁ βασιλεὺς τῆς ἀρμενίας τηρηδάτιος, καὶ λέγειν· τί σοι ἔδοξεν, καὶ πῶς ὑπέθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου, γένεσθαι κοινωνὸς τῆς ἐμῆς ζωῆς, καθάπερ ἐκοπίασας ἐκ νεότητός σου ἐν πόνοις; νῦν δὲ προέθου

A προέθου ἀποθανεῖν ἀρφῶς ἐν ματαιότητι τῶν σῶν λογισμῶν, ἐν οἷς ἐστάθης. Ἀποκριθεὶς δὲ Γρηγόριος ἔφη· σπεύδω ἐγὼ ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ δέξασθαι τὴν αἰώνιον ζωήν. Νῦν δὲ κέλευσον ἕνεκεν ἐμοῦ, καθὼς βούλει, ὁποῖον δὴ θάνατόν μοι ἐπενεγκεῖν. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ βασιλεὺς εἶπεν· οὐ δίδωμί σοι ταύτην τὴν χάριν, ὥστε γενέσθαι σοι ἀπαλλαγὴν ἐν θανάτῳ διὰ τάχους, καὶ παύσασθαι τῶν βασάνων ἐν τῇ παρὰ σοῦ καλουμένῃ ζωῇ αἰωνίῳ· ἀλλὰ κακῶσαί σε εἰς χρόνον, ὅπως μὴ γένηταί σοι ταχέως ἀποθανεῖν, ἀλλ' ἐπὶ πολύ σε βασανίσαι καὶ ἀπαιτῆσαι παρὰ σοῦ τὴν καταφρόνησιν τῶν θεῶν, καὶ τὴν μονοτονίαν, μὴ βουλόμενος αὐτοὺς σέβειν.

47 Καὶ ἐκέλευσεν κορμοὺς ξύλων ἐνεχθῆναι καὶ γένεσθαι σανίδας κατὰ τῶν ἀντικνήμων τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ μετὰ στραγγάλης περισφίγξαι σπαρτίοις εὐτόνως, ἕως οὗ κατέῤῥεεν τὸ αἷμα διὰ τῶν ἄκρων τῶν δακτύλων τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ ἰσθάνθη τῶν πόνων. Ἀποκριθεὶς δὲ Γρηγόριος εἶπεν· ἐδόθη μοι δύναμις, ὅσον αἰτησάμην τὸν ποιητὴν τοῦ κόσμου δωθῆναί μοι. Αὐτὸς γὰρ ὑπάρχει ἀρχιτέκτων καὶ δημιουργὸς ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων πάντων. Καὶ ἔλυσαν αὐτὸν ἀπὸ τούτων. Καὶ ἐκέλευσεν μετὰ ταῦτα ἥλους σιδηροὺς ἐνεχθῆναι, καὶ κατὰ τὸν πελμάτων αὐτοῦ ἐμπαγῆναι, καὶ λαβόντες ἀπὸ χειρὸς
B ἔνθεν καὶ ἔνθεν δραμεῖν αὐτὸν ἐποίουν. Ὧδε κἀκεῖ καὶ τὸ αἷμα ἐξεχύετο, καὶ ἔῤῥεεν ἀπὸ τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ τὴν γῆν σφόδρα κατέβρεχεν. Πάλιν οὖν ἔφη αὐτῷ ὁ βασιλεύς· ἀόρατα ποιήματα ταῦτά σοι εἰσίν; οὐκ ἐκεῖνα, ἃ σὺ οὐχ ὁρᾷς; εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ μάρτυς· καλῶς εἶπας, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ἀόρατος δημιουργία τοῦ ἐμοῦ Θεοῦ, ἐπειδὴ σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει· σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ. Κλαιόντες γὰρ κλαίουσι οἱ τὰ σπέρματα ἀποφέροντες, τουτ' ἔστιν κίνδυνοι καὶ κακουχίαι ἐπιφέρονται ἡμῖν ἕνεκεν θεοσεβείας· ἀλλ' ὅτι τὸ δράγμα ἐν τῷ ἀμητῷ ἐλθὼν προσενέγκῃ τοὺς εὐόπτους κάρπους τοῖς σπείρασι σὺν τούτοις, καὶ τὴν εὐφροσύνην καὶ χαρὰν καὶ ἀγαλλίασιν πᾶσαν φέρει.

48 Εἶπεν δὲ ὁ βασιλεύς· τύψατε αὐτὸν τῷ κλαυθμῷ, σκεύει τῶν δακρύων, ἵνα ἔλθῃ αὐτῷ εὐφροσύνη. Καὶ ἐκολάφησαν αὐτὸν εἰς τὴν κεφαλήν, παίοντες δεινῶς. Καὶ ἤρξατο ἐρωτᾶν αὐτὸν ὁ βασιλεύς, καὶ ἔφη· Αὕτη ἐστὶν ἡ χαρά; καὶ ἀπεκρίνατο ὁ ἅγιος· ναὶ αὕτη ἐστίν. Ἐὰν γὰρ μὴ ὁ ἐργάτης ὑδρῶτα ἐν τῷ καύσωνι τοῦ ἡλίου βαστάξῃ καὶ ὑπομείνῃ, οὐ δράσσεται τοῦ τῆς ἀποπαύσεως καρποῦ ἐν τῇ χειμερινῇ ἀναπαύσει. Ἀποκριθεὶς
C δὲ ὁ βασιλεὺς εἶπεν· οὐκοῦν ἐνταῦθα κοπίασον ἐργατικῶς διὰ τῶν βασάνων, ἐν αἷς ἕστηκας. Καὶ ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι ἅλας καὶ νίτρον καὶ ὄξος δριμύτατον, καὶ ὕπτιον αὐτὸν ἁπλῶσαι καὶ τὴν κεφαλὴν ἀσφαλισθῆναι ἐν τῷ κοχλίᾳ τῶν τεκτόνων, καὶ καλάμον αὐλίσκον πῆξαι ἐν τῇ ῥινῇ αὐτοῦ, κἀκεῖνα ἀναμιγέντα διὰ τοῦ αὐλίσκου καταχέειν εἰς τὴν κεφαλήν· καὶ μετὰ ταῦτα ἐκέλευσεν, καὶ ἤνεγκαν θύλακα δερμάτινον καὶ ἐγέμησαν αὐτὸν καμηνιαίας αἰθάλης, καὶ ἐποίησαν ἵνα μὴ πάνυ μεμέστωται ἕνεκεν τῆς δοσοληψίας τῆς πνοῆς, ὅπως εἰσελκύσαντος τοῦ ἐγκεφάλου βασανισθῇ πικρῶς· καὶ ἐνδύσαντες εἰς τὴν κεφαλὴν τὸ στόμα τοῦ θύλακος, περιέδησαν τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ· καὶ ἔμεινεν οὕτως ἓξ ἡμέρας.

49 Καὶ μετὰ ταῦτα ἐκέλευσεν, καὶ ἠνέχθη ἐπὶ τοῦ βασιλέως, καὶ ἐπῆραν τὸν θύλακον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. Ἔφη δὲ αὐτῷ ὁ βασιλεύς. Πόθεν ἔρχῃ, ἆρα ἀπὸ τῆς βασιλείας ἀφ' ἧς παραγέγονας; ἀποκριθεὶς δὲ ὁ γρηγόριος εἶπεν· ναί· ἀπὸ γὰρ τῆς βασιλείας, ἧς εἶπον, ἐκεῖθεν πάρειμι. Ἐπειδή με κατηξίωσεν ὁ Θεὸς ταῦτα πάντα παθεῖν διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Ἀληθῶς γὰρ περιμένει μοι ἡ βασιλεία· ἄντι γὰρ τῆς αἰθάλης ἀμαράνθινοι στέφανοι, ἄντι δὲ ὄξους ἀπέραντοι εὐφροσύναι. Ἐπὶ πλεῖον δὲ ὀργισθεὶς ὁ βασιλεύς, ἐκέλευσεν δῆσαι τοὺς

in operibus transegisti? At nunc sine opere proposuisti mori in vanitate ratiociniorum tuorum, in quibus consistis. Respondens autem Gregorius, dixit. Festino ego e corpore egredi, et vitam consequi sempiternam. Nunc ergo de me jube, sicut volueris, qualemcumque nempe mihi mortem inferri. At rex respondens, dixit: Non concedo tibi hunc favorem, ut cito per mortem tibi contingat mutatio, et cruciatus tui finem accipiant in illa, quam vocas vitam æternam: sed affligere te diu volo, ut mors tibi non obtingat velociter, et ad longum tempus te cruciare, et a te rationem exigere de contemptu deorum, et de pervicacia, qua eos colere detrectas. — A. AGATHANGELO.

47 Tunc jussit afferri lignorum truncos, et componi tabulas super anteriores partes pedum *a* ejus, easque funibus nodosis vehementer constringi, donec deflueret sanguis per summitates digitorum pedum ejus *b* Respondens vero Gregorius dixit: Quantum rogavi Opificem mundi ut mihi daretur virtutis, tantum mihi datum est. Ille enim est architectus et artifex visibilium et invisibilium omnium. Tum ipsum illis exsolverunt. Deinde rex jussit afferri clavos ferreos, plantisque pedum ejus infigi: sumentes vero manum E ejus hinc et inde, eumdem currere fecerunt. Et hinc quoque effundebat sanguinem, qui defluebat a pedibus ejus, et terram abunde rigabat. Iterum ergo ei rex dixit: Sunt hæc tibi invisibilia opera? Nonne hæc sunt, quæ tu non vides? At Martyr ei reposuit: Pulcre dixisti, hanc esse invisibilem operationem Dei mei; nam seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Flentes enim flent, qui deferunt semina sua: id est, pericula. et afflictiones nobis inferuntur propter pium Dei cultum: sed cum tempore messis veniens manipulus conspicuos protulerit fructus illis, qui hæc seminaverunt, simul et lætitiam gaudiumque et omnem affert exsultationem.

aliis eum subjicit tormentis. *a* *b*

48 Rex autem dixit: Percutite eum usque ad fletum, afferentem lacrymas, ut oriatur eidem lætitia. Et colaphis eum ceciderunt in caput, percutientes vehementer. Cœpit autem rex ipsum interrogare, et dicebat: Hæccine est illa lætitia? Reposuit sanctus: Sene hæc ipsa est. Etenim, nisi operarius sudorem in æstu solis tulerit et sustinuerit, non apprehendit quietis fructum in hiberna requie. Respondens vero rex F dixit: Ergo hic labora operose per tormenta, in quibus consistis. Et jussit adferri salem, et nitrum, et acetum vehementissimum, cumque pandi resupinum, caputque cochleæ artificiosæ tuto imponi, et nari ejus parvam infigi fistulam; illaque simul commixta per fistulam effundi in caput: deinde jussit, et attulerunt saccum coriaceum, quem fuligine ex camino repleverunt, et fecerunt ne nimium repleretur ad respirationem non impediendam, ut, cerebro attrahente, acriter torqueretur: et inducentes capiti ejus os sacculi, collo ejus alligarunt: et sic mansit sex diebus *c*.

iisque gravissimis. *c*

49 Post hæc, jubente rege, ipsum ad regem duxerunt, et abstulerunt saccum a capite ipsius. At rex ei dixit: Unde venis? An a regno, quod dixisti, ades? Respondens vero Gregorius dixit: Omnino, a regno, quod dixi, adsum; Quandoquidem eo favore me dignatus est Deus, ut pro nomine suo ista omnia pateret. Vere regnum mihi præparatum est, nempe pro fuligine coronæ non marcescentes, pro aceto infinitæ voluptates. Rex vero magis excandescens, funibus utrium

et frequenter mutatis.

A. AGATHANGELO.

tabundus evertit ripas fluviorum, et marium fluenta exsiccavit in jactantia sua *i*. Nam supra modum in vestimentis gloriosus erat et magnificus, ossibus robustus et firmus, et corpore succi pleno: bellator vero erat fortissimus, procerus admodum et latus statura. Hic omni tempore suo belligerans, victoriæ præmia reportavit inter gladiatores. Obtento etiam nomine glorioso, per totum mundum luctationis victoriam extendit. In tempore suo magnas inimicis intulit clades, et vindictam progenitorum suorum expetivit; obtinuit spolia multa ex partibus Assyriæ, et divitias abstulit maximas; exercitum Persarum magna strage percussit, multaque abstraxit spolia. Ducibus Romanorum factus est ductor *k*, et ordines castrorum eis præbuit. Ejecit exercitum Hunnorum, et in captivitatem duxit tractus Persidis.

dum carcere detinetur Gregorius,

56 Annis vero illis quatuordecim, qui sanctus Gregorius manebat in castro carceris, in profundissimo hiatu, mulier quædam vidua, habitans in castro illo, divinitus per visionem monita, quotidie panem præparatum mittebat deorsum in hiatum, et sic nutriebatur *l* mandato Dei annis illis, B quibus ibidem mansit. Nam ipse in præcipitio illo conservabatur caritate Domini sui. Alii enim homines, qui illuc erant injecti, moriebantur ob molestiam, acerbitatem et calamitatem loci, ob lutum et serpentes, qui erant in profunda illa caverna. Nam pro hominibus flagitiosis ædificatus erat iste locus, et ad supplicium omnium condemnatorum regionis Armeniæ.

pro idololatria litteras in regno suo promulgat,

57 Post hæc rex Teredates quoncumque per ditionem suam litteras transmitti jussit, quæ hujus erant tenoris: Teredates rex magnæ Armeniæ magnatibus, ducibus, satrapis, præfectis, et reliquis in ditione mea subditis oppidis, vicis et locis, liberis simul et libertitate carentibus, omnibus pacem. Providentia sit ab auxilio deorum, et plurimum alacritatis a fortissimo Jove, cura a domina Diana: virtus ab Hercule, virtute ornato, adsit vobis et omni regioni *m*, et reliqua. Porro omnibus annis temporum suorum Teredates rex, inimicitias gerens cum regno Persarum, vindictam exquisivit per pugnam et bellum, donec impleretur tempus quatuordecim annorum, quibus sanctissimus Gregorius erat in carcere *n* castri. Erat enim bellum durissimum inter Tere- C datem regem et reges Persidis. Rursum jussit componi secundum mandatum omnibus provinciis hunc in modum: Teredates magnæ Armeniæ rex locis in provinciis, satrapisque et belli ducibus ac civibus, pacem. Valete: nam et nos ipsi valemus. Vos scitis, quomodo antiquitus et a tempore progenitorum nostrorum victoria et pax multa nobis data sit per auxilium deorum ut omnes gentes concorditer haberemus subditas. Nam quando illos in simulacris colere non studuimus, et mandata eorum contempsimus, ira sua nos ejecerunt et expulerunt a maxima dominatione nostra.

et contra Christianam religionem

58 Nunc ergo maxime propter religionem Christianorum mandamus vobis (nam sæpe contingit, ut illorum aliquis inveniatur, ipsique cultum deorum præcipue impediunt) ut, si quos tales inveniatis, in medium *o* producatis. Nam eos manifestantibus et dona et honor dabuntur a regibus: si vero illos non indicabunt, si etiam abscondent, hi comprehensi cum damnatis habebuntur, ductique in carceres regios moriantur: domus vero eorum publico detur. Si ego vel ma-

μενος κατέστρεψεν τὰ τῶν ποταμῶν χείλη, καὶ ἐξήρανε D τὰ ῥεῖθρα τῶν θαλασσῶν ἐν τῇ ἀλαζονίᾳ αὐτοῦ. Ἐπειδὴ ἦν σφόδρα πρὸς τὴν ἀμφίασιν ἀλαζὼν καὶ σεμνὸς, καὶ δυνατὸς καὶ στερεὸς ὀστέοις, καὶ εὔσαρκος σώματι· ἀνδρειότατος δὲ καὶ πολεμιστὴς, ἄκρως ὑψηλὸς καὶ πλάτυς τῇ ἡλικίᾳ. Ὅστις πάντα τὸν χρόνον αὐτοῦ πολεμῶν, ἐλάμβανε τὰ νικητήρια ἐν τοῖς μονομάχοις. Κτησάμενος δὲ καὶ ὄνομα καυχήματος, ἔστησεν ἀθλήσεως νίκην ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Ἐν τοῖς ἰδίοις καιροῖς ἐπάταξεν ἐν πληγαῖς μεγάλαις τοὺς ἐχθροὺς, καὶ ἐζήτησεν ἐκδίκησιν τῶν προγόνων αὐτοῦ· ἔλαβεν σκῦλα πολλὰ ἀπὸ τῶν τῆς Ἀσσυρίας μέρων, καὶ ἀφείλετο ὑπάρξεις μεγίστας· ἐνέβαλεν εἰς Ῥομφαίαν τὸ στράτευμα τῶν Περσῶν, καὶ ἀπέσπασεν σκῦλα πολλά. Ἐγένετο ὁδηγὸς στρατοπεδάρχαις Ῥωμαίων, καὶ παρέδωκεν τὰς παρεμβολὰς αὐτῶν. Ἐξέβαλεν στρατίαν Οὕννων, καὶ αἰχμαλώτησεν τὰ μέρη τῆς Περσίδος.

56 Ἐν δὲ τοῖς τεσσαρεσκαιδέκα ἔτεσιν, ἐν οἷς γέγονεν ὁ ἅγιος Γρηγόριος ἐν τῷ κάστρῳ τῆς φυλακῆς, ἐν τῷ βαθυτάτῳ χάσματι, γυνὴ μία χήρα, οἰκοῦσα ἐν ἐκείνῳ τῷ κάστρῳ, χρηματισθεῖσα ἀπὸ ὁράματος, καθεκάστην ἄρτον ποιοῦσα ἕτοιμον, ἔῤῥιπτεν κάτω ἐν τῷ χάσματι, καὶ οὕτως ἐτρέφετο ἀπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ κελεύσεως τὰ ἔτη ἐκεῖνα, ἐν οἷς ἔμεινεν αὐτόθι. Αὐτὸς γὰρ E ἐν τῷ κρημνῷ ἐκείνῳ ἐφυλάττετο διὰ τῆς χάριτος τοῦ ἰδίου δεσπότου. Οἱ γὰρ ἄλλοι ἄνθρωποι ῥιφέντες ἐκεῖ ἔθνησκον ἕνεκεν τῆς δεινότητος καὶ τῆς πικρίας καὶ κακότητος τοῦ τόπου, καὶ τοῦ βορβόρου, καὶ τῶν ὄφεων, τῶν ἐγκειμένων καὶ τῆς βαθύτητος αὐτοῦ. Διὰ γὰρ τοὺς κακουργοὺς οἰκοδομήθη ἐκεῖνος ὁ τόπος, καὶ εἰς κόλασιν πάντων τῶν καταδίκων τῆς Ἀρμενίων χώρας.

57 Μετὰ δὲ ταῦτα ἐκέλευσεν ὁ Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς γράμματα καταπεμφθῆναι πανταχῇ τῆς ἰδίας ἐξουσίας ἐν τούτῳ τῷ τύπῳ. Τηρηδάτιος βασιλεὺς τῆς μεγάλης Ἀρμενίας τοῖς μεγιστᾶσι καὶ ἄρχουσι καὶ σατράπαις καὶ ἐπεξουσίαις, καὶ τοῖς λοιποῖς ὑπηκόοις ὑπὸ τὴν ἐμὴν ἐξουσίαν, κωμοπόλεσι καὶ κωμαῖς καὶ χωρίοις, ἐλευθέροις τε ὁμοῦ καὶ ἀπελευθέροις πᾶσιν. Εἰρήνη. Πρόνοια γένηται ἀπὸ τῆς τῶν θεῶν βοηθείας, καὶ πλῆθος ἑτοιμασίας ἀπὸ τοῦ ἀνδρειοτάτου Διός, φροντὶς δὲ ἀπὸ τῆς δεσποίνης Ἀρτέμιδος· καὶ ἀρετὴ ὑμῖν φθάσει ἀπὸ τοῦ ἐναρετοῦ Ἡρακλέως, πάσῃ τῇ χώρᾳ, καὶ τὰ λοιπά. Ἐν ὅλοις δὲ τοῖς ἔτεσιν τῶν αὐτοῦ χρόνων Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς ἐχθρούσας τῆς τῶν Περσῶν βασιλείας, ἐξεζήτησεν ἐκδίκησιν διὰ μάχης καὶ πολέμου, ἕως τοῦ πληρωθῆναι τὸν χρόνον τῶν δεκατεσσάρων ἐτῶν, τοῦ τὸν παναγιον Γρηγόριον ἐν τῇ φυλακῇ τοῦ κάστρου γένεσθαι. Ἦν γὰρ πόλεμος σκληρότατος ἀνάμεσον Τηρηδάτου βασιλέως καὶ ἀνάμεσον F τῶν τῆς Περσίδος βασιλέων. Πάλιν δὲ δευτέραν διάταξιν κελεύει διαχαράξαι πάσαις ἐπαρχίαις τούτῳ τῷ τύπῳ. Τηρηδάτης ὁ τῆς μεγάλης Ἀρμενίας βασιλεὺς ταῖς χώραις καὶ ἐπαρχίαις σατράπαις τε καὶ στρατηγοῖς καὶ πολίταις εἰρήνη. Ὑγιαίνετε· καὶ γὰρ ἡμεῖς αὐτοὶ ὑγιαίνομεν. Ὑμεῖς ἐπίστασθε πῶς ἄνωθεν καὶ ἀπὸ προγόνων νίκη καὶ εἰρήνη πολλὴ κεχάριστο ἡμῖν διὰ τῆς τῶν θεῶν βοηθείας, ὅπως πάντα τὰ ἔθνη συμφώνως ὑποτάξαντες ἔσχαμεν. Ὅταν γὰρ αὐτοὺς θεραπεύειν ἐν σεβάσμασιν οὐκ ἐσπουδάσαμεν, καὶ τὰς διαταγὰς αὐτῶν ὑπερεφρονήσαμεν, ἐξέβαλον καὶ ἀπώσαντο ἡμᾶς τῇ ὀργῇ αὐτῶν ἀπὸ τῆς μεγίστης ἡμῶν δεσποτείας.

58 Νῦν οὖν μάλιστα διὰ τὴν τῶν χριστιανῶν θρησκείαν παραγγέλλομεν ὑμῖν, πολλάκις γὰρ συμβαίνει εὑρηθῆναί τινα, αὐτοὶ γὰρ πλεῖον γένονται ἐμπόδιον τῇ τῶν θεῶν λατρείᾳ· ὥστε τοὺς τοιούτους εὑρόντας ὑμᾶς εἰς μέσον ἀγαγεῖν· καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν βασιλέων δῶρα καὶ τιμὴ κεχάρισται τοῖς φανεροῦσιν· εἰ δὲ μὴ ἀποδείξουσι αὐτοὺς, εἰ καὶ κρύψουσι, καταληφθέντες οὗτοι μετὰ τῶν καταδίκων λογισθήσονται, καὶ εἰς τὰ βασίλεια ἀχθέντες ἀποθανέθωσαν, ὁ δὲ οἶκος αὐτῶν τῷ δημοσίῳ ἀπουδωθῇ, εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἐγὼ οὐκ ἐφεισάμην τοῦ ἐμοῦ

A ἐμοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐεργέτου Γρηγορίου, ὅνπερ ἕνεκεν τούτου τοῦ προστάγματος πολλαῖς βασάνοις καὶ τιμωρίαις ὑποβαλὼν, ὕστερον ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐν τῷ βαθυτάτῳ κρημνῷ ῥιφῆναι, κἀκεῖσε ἅμα ὑπὸ τῶν ὄφεων βρωθῆναι. Οὐδὲ γὰρ τὸν μέγαν αὐτοῦ κόπον ἐλογησάμην τι πρὸς τῶν θεῶν ἀγάπην καὶ τιμὴν, ἵνα καὶ ὑμῖν ἀπειλὴ καὶ φόβος θανάτου γένηται, καὶ ζήσητε ὑπὸ τὴν αὐτῶν πρόνοιαν, καὶ παρ' ἡμῶν συνεργεσίας εὕρητε, συνίετε. Ὑγιαίνετε, καὶ ἡμεῖς ὑγιαίνομεν.

xime non peperci dilecto meo et bene merito Gregorio, quem propter hoc mandatum, multis cruciatibus et tormentis prius subjectum, demum in profundissimum præcipitium projici jussi, ibique simul a serpentibus devorari; neque enim magnum ejus laborem existimavi aliquid esse in comparatione ad amorem et cultum deorum, ut vobis etiam metus sit et timor mortis, et sub eorum vivatis providentia, et beneficia a nobis consequamini; intelligite. Valete, et nos valemus. A. AGATHANGELO.

ANNOTATA.

a *De hoc tormento item Metaphrastes apud Surium sic habet* : Cum tabulis anteriores tibiæ partes comprehendisset, et deinde eas fune constrinxisset, sic exprimit, ut ex ipsis etiam summis pedum digitis guttæ sanguinis distillarent. *Hoc observavi, quia latinus vitæ auctor num.* 18 *alio modo pœnam illam exposuit, totasque tibias et pedes tabulis inclusit : quod non est in hoc vita.*

b *Hic aliquot voces græcas, quas corruptas credo, molui omittere in textu latino, quam cum erroris periculo exprimere. Sunt autem hæ : καὶ ισθάνθη τῶν πόνων. Nihil de his dat Metaphrastes. At latinus hæc inseruit :* Dum vero Martyr hæc pateretur, dicit ad eum rex : Sentisne, Gregori, tormenta, quæ tibi omnium miserrimo inferuntur? *Hæc congruunt sequenti responso: sed absunt ab apographo nostro, forte quod exciderint.*

c *Quod de sex* diebus *dicitur, rursum non est verisimile.*

d *Per* τριβόλους tribolos *aut* tribulos *Metaphrastes intellexit murices ferreos, ut revera vox græca etiam significat, imo et latina. Alias significatur herba aut planta spinosa et acuta, et hanc videtur intellexisse auctor latinus vitæ secundæ. Hujus opinio mihi verisimilior apparet, quod tribuli in*
B cophinis *dicantur allati, quodque nulla fiat mentio de sanguinis fluxu, qui vehementissimus fuisset* E
per murices ferreos.

e *Etiamsi eadem Cusaronis aut Chosrois Armeniæ regis per Anacum Parthum Armeni ab aliquot saltem sæculis passim asserant, et Anacum faciant patrem* S. Gregorii, *multa tamen de his incerta esse, ut aut Cusaron non sit pater Teridatis, aut post annum* 260 *Armeniam administraverit, ostendi in Commentario num.* 111 *et sequentibus.*

f *De provincia Ararat et urbe Artaxata, olim Armeniæ metropoli, egi in annotatis ad caput* 2, *lit.* h *et* o. *De carcere, et de quatuordecim carceris annos, quos non habemus pro certis, actum est in Commentario num.* 116.

g *Civitas* Valarsapat *illa est, opinor, quæ* Vagarsciabat *vocatur apud Galanum et Monierum. Nam et nomen satis congruit, et utriusque nominis civitas ponitur in provincia Ararat et in parte orientali Armeniæ, ut de Valarsapat hic clare dicitur, de* Vagarsciabat *vero ex traditione habetur. Nam Monierus, cui similia variis locis habet Galanus, pag.* 41 *asserit, monasterium* Echmiadzin, *ubi est ecclesia patriarchalis, ædificatum esse in medio loci, quem occupavit urbs* Vagarsciabat, *et distare tribus leucis Erivano metropoli Armeniæ Persicæ versus Erzeruntem Turcarum in Armenia metropolim. Erivanum autem situm est ad Araxem, id est, circa Mediæ confinia, et ad partem orientalem Armeniæ. Mons Ararat, ut affirmat pag.* 45, *etiam non nisi decem aut duodecim leucis Erivano distat. Erat ergo* Vagarsciabat *in provincia Ararat et versus partem orientalem Armeniæ. Præterea urbs* Valeroctiste, *de qua frequenter facta est mentio et rursum fiet, eadem rursum mihi videtur.*

h *Vel nimium hic dicit auctor, vel tantum loquitur de primis regni annis, ut mox dicemus.*

C i *Si verum est istud proverbium, videtur eo magis argui Teridatis jactantia, quam laudari fortitudo. Verum omnia illa, quæ de facinoribus Teridatis jactat et frequenter repetit biographus, saltem supra verum exaggerata sunt, et pleraque forsan fictitia. Certe quæ de singularibus ejus certaminibus infra dicit, et de præmiis gladiatores inter et luctatores obtentis, non sunt rege digna, et verisimiliter fictitia, nisi forte in juventa aliquid simile fecerit Teridates, et ex uno alterove facto ad amplificandum biographus processerit.* F

k *Cum romani variis vicibus per Armeniam in Persarum ditiones irruperint, et nominatim circa annum* 297 *Galerius Maximianus in Armenia Persas gravi clade affecerit; potuit Teridates Romanis adesse cum suis, et hac de re non videtur dubitandum. Potuit etiam Teridates aliquot vicibus prædari in ditionibus Persarum, quamdiu erat bellum. At post dictam Galerii victoriam pax inita est inter Persas et Romanos Armenosque. Itaque postmodum bella contra Persas non videtur gessisse Teridates. Quod spectat ad ejectos Hunnos; si verum est, quod num.* 10 *auctor asseruit, a Cusarone transitum Hunnis datum, ut popularentur ditiones Persarum, hospites illi prædæ avidi potuerant ipsam Armeniam postea affligere, eaque de causa expelli.*

l *Quamquam negandum non videtur,* S. Gregorium *diu in horrendo carcere fuisse detentum, ut dixi in Commentario num.* 116; *tamen verisimilia non sunt omnia illa, quæ de carcere illo variis locis dicit Agathangelus noster, et ex illo Metaphrastes, auctor noster latinus, et recentiores Armeni; præsertim cum clarum et manifestum sit, omnia in hac vita fabulosis adjunctis esse vestita, et supra verum amplificata. Hinc mihi certum non videtur, sine omni cibo et potu in carcere relictum fuisse* Gregorium, *et ne verisimile quidem, talem fuisse locum, ut clanculum cibus illi subministrari posset. Illud vero præ ceteris incredibile, quatuordecim annis in illo carcere mansisse virum, idque non innotuisse illis, qui carceris curam habebant. Si enim carcer ille, ut mox dicetur,* pro hominibus flagitiosis ædificatus erat,... et ad supplicium omnium condemnatorum, *quomodo totis quatuordecim annis nullus post* S. Gregorium *in illum dicitur injectus? Quapropter de omnibus illis nihil tuto dici posse videtur, nisi sævo carcere diu admodum detentum fuisse Sanctum.*

m *An*

A. AGATHANGELO.

m *An id revera sit fragmentum epistolæ regiæ, aliis judicandum relinquo.* D

n *Falsum esse existimo, toto illo tempore bellum viguisse inter Persas et Armenos, ut jam insinuavi ad litteram* k. *De pace inter Persas et Romanos composita consuli potest Tillemontius in Diocletiano art.* 16. *Illam innecti anno* 297, *cui et duo prælia tribuit Galerii contra Persas. Non videntur mihi omnia illa eidem anno innectenda, sed id parum conducit ad propositum nostrum. Sive enim pax fuerit composita anno* 297 *sive anno sequenti, illo pace, quæ ad annos fere quadraginta duravit, comprehensi fuerunt Armeni, et sic Teridates non semper pugnavit contra Persas, dum* Gregorius *erat in carcere. Facile tamen credam, grave et diuturnum bellum fuisse inter Persarum reges et Teridatem ab eo tempore, quo hic ope Romanorum Armeniam recipere conatus est, usque ad prædictam pacem.*

o *Non est improbabile, ejusmodi contra Christianos edictum a Teridate promulgatum fuisse, imo verisimile est, id factum esse, instigante Galerio, aut etiam Diocletiano, si datum est post inchoatam persecutionem generalem Diocletiani.*

CAPUT VI

Historia sanctarum Ripsimes, Gaianæ, et Sociarum Virginum, quæ Roma dicuntur in Armeniam fugisse.

Cum Diocletianus a

Illis temporibus Diocletianus imperator quæsivit mulierem nuptiis *a* sibi sociandam : et tunc circumquaque per totam ejus dominationem missi B circumibant pictores varii generis, nempe qui similitudinem norant exhibere, qui ipsam ducti erant repræsentare imaginem, qui accurata in pingendo præstabant diligentia, qui ornamenta norant addere, et qui staturam metiri, ut oculorum pulcritudinem, nigrumque superciliorum ornatum in tabulis ad vivum repræsentantes, per colorum elegantiam exhiberent imaginem regi placitam. Cum itaque advenissent, in civitate Romanorum inveniunt monasterium viventium in quiete et in perpetua virginitate, quæ in locis solitariis ad victum solis utebantur leguminibus, erantque mulieres honestæ, prudentes, sanctæ, fide Christianæ, quæ noctu dieque et omni tempore laudes et hymnos precesque perfectas in cælum ad Deum transmittere non cessabant. Nomina vero illis hæc erant. Prima dicebatur Gaiana : altera, quæ sub ipsa enutriebatur, et ex regio *b*, et Christiano erat genere, Ripsimia : erant et aliæ C cum his plurimæ.

Καί ἐγένετο ἐν ἐκείνοις τοῖς καιροῖς ἐζήτησεν ἑαυτῷ γυναῖκα Διοκλητιανὸς ὁ καίσαρ πρὸς γάμου κοινωνίαν. καί τότε πανταχῇ τῆς ἰδίας δεσποτείας ἀποσταλέντες E περιίεσαν ζωγράφοι καί ὁμοιογράφοι, εἰκονογράφοι, ἀκριβογραφεῖς, καλλωπισταὶ καί ἡλικομέτραι, ἵνα τήν εὐμορφίαν τῆς ὄψεως, καὶ τόν μέλανα κόσμον τῶν ὀφρύων ἐν ταῖς σανίσιν ὁμοιογραφήσαντες, διά τοῦ τῶν χρωμάτων καλλωπίσματος ἀποδείξωσιν εἰς τήν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν. Τότε οὖν παραγενάμενοι εὑρίσκουσιν ἐν τῇ πόλει τῶν Ῥωμαίων μοναστήριον ἡσυχαστριῶν, ἀειπαρθένων, ἰδιαζουσῶν ἐν ἐρημίαις, ὀσπρέων μόνον κεχρημένων, σεμνῶν, σωφρόνων, ἁγίων γυναικῶν τῆς τοῦ χριστοῦ πίστεως, αἳ νυκτός καί ἡμέρας καί ἐν παντὶ καιρῷ δοξολογίας καί ὕμνους καί τελείας εὐχὰς τῷ Θεῷ εἰς τόν οὐρανόν ἀναπέμπουσαι οὐκ ἐπαύοντο. Ὀνόματα δέ ἦν αὐταῖς ταῦτα. Τῆς μέν πρώτης Γαιανὴ, καί τῆς ὑπ' αὐτῆς ἀνατραφείσας Ῥιψιμία ἐκ τοῦ βασιλικοῦ καὶ θεοσεβοῦς γένους οὔσης. Ἦσαν δέ καί ἄλλαι σὺν αὐταῖς πλεῖσται.

nuptias S. Ripsimes expeteret. c

60 Postquam ergo missi advenerant, vi in monasterium *c* Sanctarum ingressi sunt : conspectaque honestissima et sanctissima Ripsimia, admirati sunt pulcritudinem ejus. Ubi ergo velociter eam ad vivum in tabulis pictis expresserunt, profecti sunt ad imperatorem. At imperator in pictura Ripsimiæ splendidissimam intuitus pulcritudinem, per nefariam consuetudinem suam, quasi caligine obductus, palam in concupiscentiam amoris ejus exarsit : tempusque definitum constituens, festinabat et molestus erat, ut muliebres delicias *d* perfecte consequeretur. Tunc festinanter nuntios misit per totam ditionem suam, ut omnes dona ferant magnis nuptiis, maximaque cum lætitia omnes simul accurrant ad perficiendum mandatum imperatorium secundum leges regiarum nuptiarum. Videntes igitur Sanctæ missa in occulto inimici jacula, quæ jacit ad vulnerandos Christi Sanctos, affligebantur.

60 Ὅτε οὖν παρεγένοντο οἱ πεμφθέντες, εἰσῆλθον βιᾷ εἰς τὴν μάνδραν τῶν ἁγίων· καί θεασάμενοι τὴν σεμνοτάτην καὶ ἁγιωτάτην Ῥιψιμίαν, ἐξίσταντο ἐπί τὸ κάλλος αὐτῆς. Εὐθέως δέ ἐν ταῖς σανίσιν ὁμοιογραφήσαντες, πρὸς τόν καίσαρα ἔδραμον. Ὅτε οὖν ἐθεάσατο F ὁ βασιλεὺς τό λαμπρότατον κάλλος ἐν τῇ ζωγραφίᾳ τῆς Ῥιψίμης, ἐμφανῶς ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ τοῦ ἔρωτος διά τὸ ἀθέμιτον αὐτοῦ ἦθος ἐσκοτοῦτο ἐπειγόμενος· προθεσμίαν δὲ ὁρίσας, ἔσπευδεν καί ὀχλεῖτο τὴν γυναικήν εὐφροσύνην ἐπιτελέσαι. Τότε διά τάχους ἀγγέλους ἔπεμπεν πάσῃ τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, ὅπως πάντες δωροφόροι γένωνται τῷ μεγάλῳ γάμῳ, καί ἐν πλείστῃ χαρᾷ ἐρχομένους ὁμοῦ πάντας, ἐπιτελεῖν τήν τοῦ βασιλέως διαταγήν κατά τοὺς νόμους τῶν βασιλικῶν γάμων. Θεασάμεναι οὖν αἱ πανάγιοι τά κρυφοπομπαῖα βέλη τοῦ ἐχθροῦ, ἐν οἷς πέμπει τοξεῦσαι τοὺς τοῦ χριστοῦ ἁγίους, ἐθλίβοντο.

instigante diabolo,

61 Nam cum vas iræ invenisset imperatorem, sicut in paradiso serpentem, suumque eodem modo fecisset ministrum, et hic improbum illum ut belluam habens, palam Christi ecclesias per ipsum oppugnabat. Quippe ubi ipsum imbuisset superbia et corde perverso, osor ille honesti, injecto laqueo, eumdem impulit ad persecutionem contra Dei ecclesias movendam. Cum enim

61 Σκεῦος γάρ ὀργῆς εὑρών τόν βασιλέα, καθάπερ ἐν παραδείσῳ τόν ὄφιν, ὑπηρέτην ποιησάμενος τὸν αὐτόν τρόπον, καὶ ἐνθάδε τόν παράνομον τοῦτον ὡς θήρειον ἔχων, κατά πρόσωπον τάς τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας δι' αὐτοῦ ἐπολέμει. Ἀναστήσας γάρ αὐτὸν ἐν ὑπερηφανίᾳ καὶ διεστραμμένῃ καρδίᾳ, καὶ παγίδα στήσας ὁ μισόκαλλος παρώτρυνεν αὐτόν εἰς τό ἐξεγεῖραι διωγμόν κατά τῶν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν. Διαστραφεὶς γάρ τόν

νοῦν

A νοῦν καὶ ἐξεστικῶς, προσκυνεῖ τὰς τῶν νεκρῶν στήλας, καὶ χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, καὶ ξύλινα, καὶ χαλκᾶ ὀνδάλματα τῷ σεβάσματι· καὶ ἅμα ἀλαζονευόμενος, προσκροῦσαι τῇ στερεᾷ πέτρᾳ τῆς τῶν ἐκκλησιῶν πίστεως ἐνεθυμεῖτο· οὐ μόνον μὴ ἰσχύσας τὴν πέτραν μαλάξαι, ἀλλὰ καὶ συντριβεὶς κατεπόθη ἐχόμενα πέτρας ὁ ἄδικος κριτής. Ὁμοίως δὲ τῇ μανιώδῃ ἀλαζονίᾳ ἐπὶ πλεῖον ἐπαρθεὶς, πολλὰ δεῖνα ἐποίησε τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ.

62 Θεασαμένη οὖν ἡ μακαριωτάτη Γαιανὴ σὺν τῇ ἁγίᾳ Ῥιψίμῃ καὶ ταῖς λοιπαῖς σεμνοτάταις καὶ ἁγιοτρόποις γυναιξὶν, ἐμνήσθησαν τῆς ἁγίας ἀποταγῆς, καὶ τοῦ σεμνοῦ βίου, καὶ τῆς ἐπιπόνου διαγωγῆς καὶ τροφῆς, ἐν αἷς ἦσαν ἔκπαλαι παιδευθεῖσαι. Τότε οὖν ὀλολύζουσαι ἐν ἑαυταῖς διὰ τὴν ἀπόδειξιν τῆς ἑαυτῶν διαγνώσεως, τῆς ἐπὶ τοῦ μιαρωτάτου καὶ παρανόμου βασιλέως διὰ τῆς εἰκόνος αὐτῶν γενομένης, εἰς εὐχὰς καὶ ἐπιπονωτέρας ἀσκήσεις τραπῆσαι, παρεκάλουν τὸν ἐλεήμονα Θεὸν βοηθῆσαι αὐταῖς, καὶ ἐξελέσθαι αὐτὰς τοῦ πειρασμοῦ. Καὶ οὕτως ἐν τῇ προσευχῇ ἔλεγον· Κύριε τῶν κυριευόντων, καὶ Θεὲ τῶν θεῶν, ὁ Θεὸς ὁ ἀνεκλαλήτου φωτὸς, ὁ στήσας τὰ σύμπαντα τῷ σῷ λόγῳ, ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ πάντα τὸν κόσμον αὐτῶν, ὁ πλάσας τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἐκ τῆς γῆς, B καὶ σοφίαν ἐνδύσας, καὶ πληθύνας αὐτὸν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ βοηθήσας ἑκάστῳ ἐν τοῖς ἰδίοις καιροῖς, τοῖς ἐν σοὶ πεποιθόσιν, βοήθησον καὶ ἡμᾶς, δέσποτα, ἐν τῷ θλίβοντι ἡμᾶς πολέμῳ, ἵνα νικήσωμεν τὰς δολίας καὶ δεινὰς τοῦ ἐχθροῦ παγίδας, καὶ τὸ ὄνομά σου, δέσποτα, δοξασθῇ, καὶ τὸ κέρας τῆς σῆς ἐκκλησίας ὑψωθῇ, καὶ ἡμεῖς καταξιωθῶμεν φθάσαι εἰς τὰς μονὰς τῆς βασιλείας σου.

63 Καὶ μὴ γένοιτο λεῖψις τῶν ἡμετέρων λαμπάδων, καὶ μὴ σβεσθῶσιν οἱ λύχνοι τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἁγνῆς ὑποταγῆς ἡμῶν, καὶ μὴ καταλάβῃ γνόφερον σκότος τὰς φωτειδεῖς ἡμῶν πορείας, καὶ μὴ ὑποσκελισθῶμεν τοῖς ποσὶν ἀπὸ τῶν λαμπροτάτων σου ἰχνῶν, καὶ μὴ τυφλωθῶσιν τὰ βλέφαρα τῆς ὁράσεως ἡμῶν ἐν ταῖς ἱλαρωτάταις ἀκτῖσιν τῆς σῆς ἀληθείας, καὶ μὴ ἁρπάζῃ τὸ θανατοφόρον πετεινὸν τὰ σπέρματα τῆς ζωῆς, τὰ σπαρέντα ἡμῖν· ἀπὸ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ μὴ ἀπενέγκοιτο τοῦ ἁγίου σοῦ ποιμνίου τὴν σεμνότητα ὁ ἀποστάτης θὴρ, καὶ μὴ διασπαράξῃ τὰ ἀρνία τῶν σῶν προβάτων ὁ λύκος ὁ διαφθορεὺς, καὶ μὴ διασκορπίζῃ ὁ ἔχθρος τῆς ζωῆς ἡμῶν τὰ ἀποστολικὰ πρόβατα τῆς σῆς ἀγέλης. Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ ἀποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν, ἵνα ἐλθὼν C ἐμπλήσῃ πάντα τὰ πέρατα τῆς πνευματικῆς γνώσεως, ὅπως πάντας ἐν τῷ ὀνόματι Ἰσραὴλ βλέπειν τὸν Θεὸν ποιήσῃ, καὶ ἡμεῖς ἠκούσαμεν εἰπόντος· ἐὰν διώξουσιν ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πόλεως ταύτης, φεύγετε εἰς τὴν ἑτέραν· ἀμὴν λέγω ἡμῖν, οὐ μὴ πληρώσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ ἑὼς τῆς ἐμῆς παρουσίας. Καὶ νῦν, δέσποτα, φεῖσαι τῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου πεποιθυιῶν ψυχῶν, ἵνα μὴ ἀναμιχθῶμεν μετὰ τῆς ἀτίμου βδελυρίας τῶν ἐθνῶν, καὶ μὴ δὸς τὴν τῆς ἁγνείας ἡμῶν σωφροσύνην πορνικῇ καὶ μοιχαλίδι καὶ κυνικῇ ἀναιδείᾳ, καὶ μὴ τὸν μαργαρίτην τῆς παρθενικῆς ἡμῶν πίστεως τοῖς πορευομένοις χοίροις ἐν βορβόρῳ τῆς ἀσεβείας.

64 Μὴ ἀποκρινήσουσι πλήθη χειμάῤῥων ἀνέμῳ πλάνων ἐν τῇ σφοδρότητι τῆς ἀπάτης τὰ θεμέλια τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας; ἥτις ἐν πολυτίμοις λίθοις τῶν σου δικαίων οἰκοδομηθεῖσα ἐπὶ τῇ στερεᾷ πέτρᾳ, ἧς ἐγένετο ἀκρογονιαῖος κεφαλὴ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς διὰ τῆς αὐτοῦ σαρκώσεως, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τῆς ἀναστάσεως, καὶ ἀναλείψεως εἰς οὐρανὸν, καὶ καθέδρας ἐν τῇ δεξιᾷ τῆς σου θεότητος, ὅπου ὑπῆρχε τὸ πρότερον. Ἔφιδε οὖν, δέσποτα, ἐκ τῶν οὐρανῶν τῶν ἁγίων σου, ἵνα μὴ γενώμεθα κατὰ τὴν οἰκοδομηθέντα οἶκον ἐπὶ τὴν ἄμμον, ὃν ἐσάλευσαν ταραχαὶ καὶ πειρασμοὶ θλίψεων, ἀλλὰ στερέωσον ἡμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ τοῦ εὐαν-

A AGATHANGELO.

sit mente perversa et obstupefacta, mortuorum statuas, aureaque, argentea, lignea et ærea simulacra religioso cultu adorat : simulque superbiens in solidam ecclesiarum veræ fidei petram impingere in animum induxit : qui non solum non potuit petram emollire, sed contritus etiam prope petram submersus est injustus judex. Nihilominus tamen insana sua jactantia maxime elatus, multa sanctæ Dei Ecclesiæ intulit mala.

sanctæ Virgines ad preces conversæ.

62 Hæc ergo cum perspiceret beatissima Gaiana cum sancta Ripsime et reliquis castissimis sanctorumque morum mulieribus, recordatæ sunt sanctæ renuntiationis, et vitæ castæ, et laboriosæ habitationis et victus, quibus olim erant institutæ. Itaque lamentatæ secum propter manifestationem suam, apud impurissimum et improbum imperatorem per imaginem ipsarum factam, versæ ad preces et laboriosas magis exercitationes, rogabant misericordem Deum, ut sibi opem ferret illaque se tentatione liberaret. Sic autem in oratione sunt locutæ : Domine dominantium et Deus deorum, qui Deus es ineffabilis luminis, qui verbo tuo constituisti universa, qui fecisti cælum et terram et omnem ornatum eorum, E qui formasti hominem de pulvere terræ, eique sapientiam dedisti, et eum super omnem terram multiplicasti, qui unicuique suo tempore opem tulisti, nimirum in te sperantibus, adjuva et nos, Domine, in bello nos affligente, ut superemus fraudulentos et terribiles inimici laqueos, et nomen tuum, Domine, gloriose celebretur, et cornu Ecclesiæ tuæ exaltetur, et nos dignæ efficiamur, quæ ingrediamur in mansiones regni tui.

opem divinam implorant

63 Non deficiant lampades nostræ ; non extinguantur lucernæ fidei et castæ obedientiæ nostræ : non comprehendat caligo tenebrosa lucidas vias nostras ; non supplantentur pedes nostri ex splendidissimis vestigiis tuis, non excæcentur pupillæ oculorum nostrorum in jucundissimis veritatis tuæ : non rapiat volucris mortifera vitæ semina, quæ seminavit nobis unigenitus Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus : non auferat a sancto grege tuo castitatem ferus apostata ; non discerpat agnellos ovium tuarum lupus homicida ; non dispergat inimicus vitæ nostræ apostolicas oves gregis tui. Domine Deus noster, qui misisti unigenitum Filium tuum, ut veniens impleret omnes mundi fines scientia spiritali, ut F in nomine Israel omnes faceret Deum videre ; nos quoque audivimus dicentem : Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non implebitis civitates Israel usque ad meum adventum. Et nunc, Domine, parce animabus de nomine tuo confidentibus, ut non misceamur cum turpi gentium impuritate : non des castitatis nostræ puritatem meretriciæ, adulterinæ et caninæ impudentiæ, neque margaritam virginalis fidei nostræ porcis, in cœno impietatis ambulantibus.

ad servandam virginitatem,

64 Non commovebunt multitudines torrentium vento errorum per vehementiam deceptionis fundamenta Ecclesiæ tuæ sanctæ, quæ ex pretiosis lapidibus justorum tuorum supra firmam petram est ædificata, cujus factus est summus lapis angularis et caput Dominus noster Jesus Christus per incarnationem suam, per mortem, per resurrectionem, per ascensionem in cælum et sessionem ad dexteram Divinitatis tuæ, ubi ante erat. Aspice igitur de cælo Sanctas tuas, Domine, ut non fiamus sicut domus super arenam ædificata, quam concusserunt turbationes et tentationes

A AGATHANGELO.

tiones afflictionum : sed confirma nos veritate Euangelii pacis, et duc nos secundum voluntatem tuam, et dignare nos nuptiis lucidæ illius noctis quam tamquam diem illustras, quando exorientur radii vultus gloriæ tuæ : protege nos sub alis tuis, ut perveniamus ad portum voluntatis tuæ : da nobis, ut bibamus calicem certaminis, et consequamur coronam remunerationis in die justi judicii *c* gloriæ tuæ.

c *et ex ditione Romanorum fugiunt*

65 Post hæc sancta Gaiana cum Ripsime et reliquis cohabitantibus, et cum honestissimo comitatu egressæ, discedebant fugientes, ut in mundo hoc peccatis dedito animas suas ab improbis hominibus servarent castas. Desiderabant enim per incessum Apostolicum apprehendere spem vitæ et resurrectionis; proponebant fugere supplicium sempiternum; cum ovibus a dexteris consistere, promissa bona consequi, cupientes ornari coronis semper virentibus et cum quinque illis virginibus illuminari bonis operibus. Studebant hæreditate obtinere splendidissimam illam requiem in paradiso, nuptiasque illas divinas; congregationi justorum interesse, cum patriarcha Abraham recumbere, et incomprehensibili voluptate lætari ;
B quemadmodum et Dominus dixit in Euangelio : Si quis dimiserit omnia propter nomen meum, vitam æternam hæreditate capiet in secundo adventu meo *f*. Non recedebant, velut temporalem hanc mortem fugientes, sed ut avellerentur a concupiscentia insani illius et impudici. Neque enim is cogitabat corpora earum tradere cruciatibus *g*... sed ut animas suas in castitate servantes, a sordibus intemperantis concupiscentiæ, et ab exsecranda et nefaria hominum conversatione separarentur.

f

g

m. Armeniam, ubi simul habitare incipiunt.

66 Nam olim jam se præparaverant ad carceres, ad vincula, ad vexationes varias, et ad mortem ipsam subeundam pro nomine omnium Domini, ut dignæ haberentur corona justitiæ. Hunc in finem dimiserunt patriam suam, bona sua, et consanguineos *h*, ut divinum implentes mandatum, Deum videre possent. Itaque tunc profectæ, pervenerunt ad confinia Armeniæ, in provinciam Ararat, et ad Valarsapat dictam, novam *i* civitatem, quæ condita erat pro habitatione regum Armeniæ. Ubi eo pervenerant, ingressæ sunt in torcularia vinearum, quæ sunt ædificata ex parte Boreali versus Orientem, et
C nutriebantur de propriis ex foro civitatis, nihil quidem secum habentes, sed quia una ex illis noverat operari *k*, ad quotidianum victum necessaria *l* ipsis suppeditabat.

h

i

k

l

Diocletiani, ut vult auctor,

67 At non modica eo tempore facta est turbatio in regione Romanorum, et quoquoversum mittuntur, qui investigent, ut illas, si possint, inveniant. Veniunt ergo illo tempore nuntii ad Teredatem regem Armeniæ in illam ipsam civitatem Valarsapat : et epistolam, quam attulerunt, accepit cum gaudio. Erat autem scripta hoc modo : Imperator Cæsar *m* Diocletianus dilecto fratri et throni ejusdem consorti Teredatæ. Notas facio fraternitati tuæ et commilitoni meo calamitates, quas semper patimur per errantem superstitionem Christianorum. Omnino enim vilipenditur dominatio nostra ab eorum congregatione, et ab ipsis contemnitur imperium nostrum. Nam illi colunt mortuum quemdam et crucifixum, et lignum adorant, et ossa mortuorum honorant, et ob illa mortem pro Deo suo gloriæ sibi vertunt et honori. Per legem nostram damnati sunt, quandoquidem progenitores nostros, antiquus patres et imperatores, contemptui ha-

m

γελίου τῆς εἰρήνης, καὶ ὁδήγησον ἡμᾶς κατὰ τὸ σὸν D
θέλημα, καὶ καταξίωσον ἡμᾶς τοῦ τῆς νυκτὸς φωτοειδοῦς γάμου, ἐν ᾗ τὴν νύκτα ὡς ἡμέραν φωτίζεις ἐν τῷ ἀνατέλλειν τὰς ἀκτίνας τοῦ προσώπου τῆς σῆς δόξης. Σκέπασον ἡμᾶς ὑπὸ τὰς πτέρυγάς σου, ἵνα φθάσωμεν εἰς τὸν λιμένα τοῦ θελήματός σου, καὶ δὸς ἡμῖν, ὅπως πίωμεν τὸ ποτήριον τῆς ἀθλήσεως, καὶ ληψώμεθα τὸν τῆς ἀντιμισθίας στέφανον ἐν ἡμέρᾳ τῆς δικαιοκρισίας τῆς δόξης σου.

65 Καὶ μετὰ ταῦτα ἡ ἁγία Γαιανὴ μετὰ Ῥιψίμης καὶ τῆς λοιπῆς συνοικίας, καὶ τῆς σεμνοτάτης συνοδίας, ἐξελθοῦσαι ἐπορεύοντο φεύγουσαι, ἵνα τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἐν ἁγνότητι τηρήσωσιν ἐν τῷ φιλαμαρτήμονι τούτῳ κόσμῳ ἀπὸ τῶν παρανόμων ἀνθρώπων. Ἠπείγοντο γὰρ καταλαβεῖν τὴν τῆς ζωῆς καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐλπίδα εἰς τὴν ἀποστολικὴν πορείαν, ἐκφύγειν τὴν ἀτελεύτητον κόλασιν προθέμεναι, καὶ μετὰ τῶν ἐκ δεξιῶν προβάτων γενέσθαι, καὶ τῶν μὲν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν ἐπιτυχεῖν, ἀειθαλέσιν στέμμασιν ἐπιθυμοῦσαι καλλοπισθῆναι, μετὰ τῶν πέντε παρθένων ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς φωτισθῆναι· τῆς λαμπροτάτης ἀναπαύσεως τοῦ παραδείσου, καὶ τοῦ θεϊκοῦ νυμφίου, καὶ συναγωγῆς δικαίων, καὶ ἀνακλήσεως τοῦ πατριάρχου Ἀβραάμ, καὶ τῆς ἀδιαλήπτου εὐφροσύνης ἔσπευδον κληρονόμοι γενέσθαι· καθὼς καὶ ὁ κύριος ἐν τῷ εὐαγ- E
γελίῳ ἔφη. εἴ τις ἀφήσῃ πάντα διὰ τὸ ὄνομά μου, ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. Οὐχ ὡς τὸν πρόσκαιρον θάνατον φεύγουσαι, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς μανιώδους καὶ ἀκαθάρτου ἐπιθυμίας ἀποσπασθεῖσαι. Οὐδὲ γὰρ ἔμελλεν αὐτῶν τὰ σώματα παραδοῦναι βασάνοις, ἀλλ᾽ ἵνα τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐν ἁγνότητι φυλάξασαι, ἀπὸ ῥύπου τῆς ἀκολάστου ἐπιθυμίας καὶ τῆς βδελυρᾶς καὶ ἀθεμίτου διαγωγῆς τῶν ἀνθρώπων ἀποχωρισθῶσιν.

66 Ἐπεὶ πάλαι ἕτοιμαι ὑπῆρχον φυλακαῖς καὶ δεσμοῖς καὶ διαφόροις θλίψεσιν, καὶ τοῦ αὐτοῦ θανάτου πεῖραν λαβεῖν ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος τῶν πάντων δεσπότου, ὅπως ἀξιωθῶσιν τοῦ τῆς δικαιοσύνης στεφάνου. Διὰ τοῦτο ἀφῆκαν τὴν γῆν τῆς γεννήσεως αὐτῶν, καὶ τὰ χρήματα, καὶ τοὺς συγγενεῖς, ἵνα τὴν θεϊκὴν παραγγελίαν πληρώσασαι, ἰδεῖν τὸν Θεὸν δυνηθῶσιν. Τότε οὖν ἐλθοῦσαι φθάνουσιν τὰ ὅρια τῆς Ἀρμενίας, εἰς Ἀραρὰτ τὴν πατρίδα, καὶ Οὐαλαρσαπάτ, τὴν καλουμένην νέαν πόλιν, κεκτισμένην εἰς οἰκητήριον τῆς τῶν βασιλέων Ἀρμενίας. Ἐλθοῦσαι οὖν εἰσέρχονται εἰς τὰς ληνοὺς τῶν ἀμπελώνων, καὶ εἰσὶν οἰκοδομημέναι ἀπὸ Βοῤῥᾶ κατὰ ἀνατολάς, καὶ ἐτρέφοντο ἐκ τῶν ἰδίων ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς τῆς πόλεως, μηδὲν μὲν ἔχουσαι μεθ᾽ F
ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ ὅτι μία ἐξ αὐτῶν εἰδοῦσα βελουργεῖν *, τῆς ἐφημέρης τροφῆς αὐτῶν ἐχορήγει τὰς χρείας.

* *aut* ὑελουργεῖν

67 Τότε δὴ οὐ μικρὰ ταραχὴ ἐγένετο ἐν τῇ Ῥωμαίων χώρᾳ, καὶ πανταχῇ πέμπονται εἰς ζήτησιν, εἰ δυνατὸν, εὑρεῖν αὐτάς. Φθάνουσιν οὖν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἄγγελοι πρὸς Τηριδάτην βασιλέα Ἀρμενίας, ἐν αὐτῇ τῇ Οὐαλαρσαπάτ πόλει· καὶ ὡς προσήνεγκαν τὴν ἐπιστολὴν, ἐδέξατο μετὰ χαρᾶς. Ἦν δὲ τοῦτον τὸν τύπον ἔχουσα. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Διοκλητιανὸς τῷ ἀγαπητῷ ἀδέλφῳ καὶ συνθρόνῳ μου Τηριδάτῃ. Γνωρίζω τῇ σῇ ἀδελφότητι καὶ ἐμῷ συμμάχῳ τὰς συμφοράς, ἅσπερ διαπαντὸς πάσχομεν ἀπὸ τῆς πεπλανημένης θρησκείας τῶν χριστιανῶν. Πάντοτε γὰρ ἐξουδενεῖται ἡ ἡμετέρα δεσποτεία ἀπὸ τῆς αὐτῶν συναγωγῆς, καὶ καταφρονεῖται ἡ βασιλεία ἡμῶν ὑπ᾽ αὐτῶν. Αὐτοὶ γὰρ νεκρόν τινα καὶ ἐσταυρωμένον σέβουσι, καὶ ξύλον προσκυνοῦσι, καὶ τὰ ὀστᾶ τῶν τεθνηκότων τιμῶσι, καὶ τὸν ἐξ αὐτοῖς θάνατον ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ δόξαν καὶ τιμὴν ἡγοῦνται. Καὶ ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου νόμου κατακέκρεινται, ἐπειδὴ καὶ τοὺς ἡμετέρους προγόνους, τοὺς ἀρχαίους πατέρας καὶ βασιλεῖς ἐσίαναν, καὶ τὰ ξίφη ἡμῶν ἤμβλυναν, αὐτοὶ δὲ οὐκ ἀπέκαμον τοῦ ἀποθανεῖν. Πεπλάνηνται

A νηται οὖν ἐν τίνι Ἰουδαίῳ ἐσταυρωμένῳ, καὶ τοὺς βασιλεῖς ἀτιμάσαι διδάσκουσι, καὶ αὐτοὺς τοὺς θεοὺς ἐξουθενοῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰς δυνάμεις τῶν φωστήρων ἡλίου τε καὶ σελήνης ἅμα τοῖς λοιποῖς ἄστροις ὡς οὐδὲν λογίζονται, ἀλλὰ ποιήματα λέγουσι εἶναι αὐτοῦ τοῦ ἐσταυρωμένου, καὶ τὴν γῆν ἅπασαν μετέστησαν ἀπὸ τῆς τῶν θεῶν λατρείας, ὥστε καὶ τὰς γυναῖκας ἀπὸ ἀνδρῶν καὶ τοὺς ἄνδρας ἀπὸ γυναικῶν ἔτι ζώντων ἀποχωρίζουσιν.

buerunt, et gladios nostros obtuderunt, illi vero moriendo non sunt defatigati. Decepti autem sunt circa quemdam Judæum crucifixum, discuntque regibus honorem non habere, ipsos quoque deos nihili facientes. Verum et potestates luminarium, solis et lunæ, et reliquorum astrorum pro nihilo habent; sed opera esse dicunt Crucifixi sui, totamque a deorum cultu abstraxerunt terram, ut et uxores a maritis, et viri ab uxoribus etiamnum viventibus secedant.

A. AGATHANGELO.

68 Εἰ καὶ μεγίσταις ἀπειλαῖς καὶ διαφόροις βασάνοις ὑπεβλήθησαν, περισσοτέρως ἀνήφθη καὶ διέλαβεν καὶ διέδωκε ἡ θρησκεία αὐτῶν, καὶ ὅσον προσεθήκαμεν τὰς ἐκφοβήσεις, ἡ αἱματοχυσία αὐτῶν ὑπὲρ τὸ δέον ἐπλεόνασεν τὴν διδαχήν. Συνέβει οὖν θεωρεῖν με ἀπὸ τῆς αὐτῶν θρησκείας νεανίδα μίαν εὐμορφοτάτην παρθένον, καὶ βουλομένου μου αὐτὴν λαβεῖν εἰς γυναῖκα, ἐτόλμησαν καὶ ταύτην δολιεῦσαι ἀπ' ἐμοῦ· καὶ οὐδὲ ὡς βασιλέα ἐπεθύμησαν, οὐδὲ τὰς ἀπειλάς μου ἐφοβήθησαν, μᾶλλον δὲ διὰ τὴν θρησκείαν αὐτῶν βδέλυκτον καὶ ἀκάθαρτον καὶ σιαντὸν ἐλογίσαντό με. Διὸ καὶ τὴν τροφὸν μετὰ τῆς νεανίδος εἰς τὰ μέρη τῆς ὑμετέρης δεσποτείας προπέμψαντες ἐφυγάδευσαν. Φροντὶς οὖν σοι γένηται, ἀδελφέ μου, ζητῆσαι ἐν ἐκείνοις τοῖς
B μέρεσι, καὶ εὑρεῖν τὰ ἴχνη αὐτῶν, καὶ τὰς μετ' αὐτῆς ἅμα τῇ τροφῷ θανάτῳ ἀπαλλάξαι, καὶ τὴν ἀπατηθεῖσαν θεοειδῆ εὐμορφοτάτην ἐμοὶ ἐνθάδε ἀποστεῖλαι. Εἰ δὲ ἀρέσει σοι τὸ κάλλος τῆς ὄψεως αὐτῆς, σεαυτῷ τηρήσεις. Οὐ γὰρ ἀνερευθῆ ὁμοία ταύτης ἐν τῇ Ἰων'ων χώρᾳ. Ὑγίαιναι ἐν πάσῃ τιμῇ ἀπὸ τῆς τῶν θεῶν λατρείας.

68 Etiamsi autem gravissimis comminationibus, variisque subjecti fuerint suppliciis, tamen ipsorum superstitio magis accensa pluresque complexa est, et se disseminavit: quantum auximus terrores, tantum effusio sanguinis eorum supra æquum multiplicavit doctrinam ipsorum. Contigit autem, ut viderem illorum superstitionis puellam quamdam, virginem speciosissimam, quam cum uxorem ducere vellem, ausi sunt et hanc deceptam a me alienare: et neque ut imperatorem me desideraverunt, neque minas meas timuerunt; sed per superstitionem suam potius me ut detestandum et impurum *n*... habuerunt. Quapropter nutricem cum puella ad vestram transmittentes ditionem fugere compulerunt. Itaque, frater mi, cura investigare in illis partibus, et vestigia earum deprehendere, sociasque Virginis una cum nutrice morti tradere; deceptam vero, divinam scilicet et speciosissimam, inde ad me transmittere. Si vero tibi placebit decor faciei ejus, tibi ipsam servabis: neque enim inventa est huic similis in tota Ionia *o* provincia. Vale cum omni honore per cultum deorum.

ad Teridatem litteræ de fuga S. Ripsimes.

n

E

o

69 Καὶ ἐγένετο, ὡς ἀν' ἐγνώθη ἡ διαταγὴ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης, ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς μετὰ σπουδῆς πλείστης καὶ παραγγελίας, ἵνα πάντας τοὺς τόπους τῆς αὐτοῦ ἐθούσιας ἐξετάσαντες ἐν τάχει, ἐκζητήσωσιν. Δρομαίους οὖν ἔπεμπεν πανταχῆ, ἵνα εὑρόντες εἰς μέσον ἐνέγκωσιν· τοῖς δὲ εὑρίσκουσι αὐτὴν μεγάλας δωρεὰς ὑπεισχνεῖτο. Καὶ ὡς ἔτι αὐτὴ ἡ ταραχὴ ἐν τοῖς τῆς Ἀρμενίας μέρεσιν ἐκινῆτο, αἱ πανάγιαι μάρτυρες ἐκεῖναι ἐκρύπτοντο ἐν τῇ βασιλευούσῃ πολει Οὐαλαρσαπάτ· Καὶ μετ' οὐ πολὺ εὑρεθεῖσαι ἐγνώθησαν. Οὐδὲ γὰρ ἔδει κρυβῆναι τὴν τῶν μαρτύρων ἀλήθειαν, οὐδὲ τὸν λύχνον τοῦ φωτὸς αὐτῶν ὑπὸ τὸν μόδιον σκεπασθῆναι, ἐπὶ χρύσαις δὲ μᾶλλον λυχνίαις ἐπιτεθῆναι τὸ μύρον τῆς εὐωδίας τῆς πίστεως καὶ τῆς δικαιοσύνης αὐτῶν, καὶ τὸ φῶς τῆς θεογνωσίας διαδωθῆναι, ὡς καὶ
C αὐταὶ ἐν τῇ πρώτῃ αὐτῶν εὐχῇ ηὔξαντο· καθάπερ καὶ ὁ κύριος ἔλεγεν τοῖς ἑαυτοῦ ἀγαπητοῖς· εἴδωσί, φησιν, τὰ καλὰ ὑμῶν ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Διὰ γὰρ τὴν ἀγαθοεργίαν αὐτῶν ὁ ἀληθινὸς τοῦ Θεοῦ υἱὸς οὐκ ἀπαξιοῖ τὴν ἰδίαν κληρονομίαν τοῖς ἰδίοις ἀγαπητοῖς δοῦναι, καὶ ὁ φύσει υἱὸς ὑπάρχων ἀόκνως προσφέροι τοὺς φυλάξαντας τὴν ἑαυτοῦ ἐντολὴν εἰς τὴν ἰδίαν υἱοθεσίαν. Πλὴν ἐὰν τις εὑρεθείη γυλάττων τοὺς αὐτοῦ λόγους, ὡς τὸν μαργαρίτην εὑρὼν, ἐν χαρᾷ ἀγοράσει καὶ εἰσφαλήσεται, ἵνα λαβὼν τὸν τίμιον αὐτοῦ στέφανον τῆς αὐτοῦ βασιλείας.

69 Postquam epistolæ illius contextus erat perlectus, præcepit rex maximo cum studio et mandato, ut per omnia ditionis suæ loca continuo investigantes, illam quærerent. Quoquoversum ergo mittebat cursores, ut inventam in medium adducerent: illam autem invenientibus magna pollicebatur præmia. Dum vero hic tumultus fiebat in partibus Armeniæ, sanctissimæ istæ Martyres latebant absconditæ in regia civitate Valarsapat: et post non multum temporis repertæ innotuerunt. Neque enim oportebat, ut Martyrum veritas lateret, aut lucerna luminis earum sub modio absconderetur, sed potius ut supra aurea candelabra poneretur unguentum suaviter redolentis fidei et justitiæ earum, ut lumen Dei cognitionis transfunderetur, sicut et illæ in prima oratione F sua postulaverant; quemadmodum et Dominus dilectis suis dixit: Videant, inquit, opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nam verus Dei Filius non dedignatur dilectis suis hæreditatem suam largiri propter bona ipsorum opera, et qui natura est Filius, diligenter filios sibi adoptat eos, qui mandata sua observant. Præterea, si quis fuerit inventus verba ejus observare, tamquam inventam margaritam, cum gaudio emet et conservabit eum, ut pretiosam regni sui coronam consequatur.

Sanctæ in Armenia quæsitæ.

70 Αὗται οὖν, ὡς λαμπρότατον φῶς, φανῆσαι ἐπὶ τῶν ἔθνων τῆς Ἀρμενίων χώρας μὴ βουλόμεναι, ἐπλήρωσαν τὴν γῆν τῇ εὐφημίᾳ τῆς τοῦ Θεοῦ δοξολογίας εὑρίσκονται οὖν εἰς τὰς ληνοὺς ἔξωθεν τῆς πόλεως. Ὅτε οὖν ἔφθασε τὸ γράμμα ἀπὸ τοῦ μεγάλου τῶν Ῥωμαίων βασιλέως πρὸς Τηρηδάτιον τὸν τῆς Ἀρμενίας βασιλέα, οὐκ ὀλίγη ἐγένετο ταραχὴ ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ. Ἐτήρησαν γὰρ πάσας τὰς περιόδους καὶ διαβάσεις ἐν τοῖς τῆς ἑκάστης πατρίδος μέρεσιν, καὶ θεασάμενος τις αὐτὰς διηγήσατο περὶ αὐτῶν. Ὡς δὲ καταφανεῖς αὐτὰς ἡ φήμη ἐποίησεν, ἐκελεύσθησαν δύο ἡμέρας τηρηθῆναι ἐκεῖσε διὰ τῶν πεζῶν μετὰ τῶν θυρεῶν ῥοπάλων. Καὶ μετὰ

70 Hæc igitur, ut lumen clarissimum, cum nollent lucere in regione gentium Armeniæ, terram repleverunt bona fama glorificationis Dei. Inveniuntur autem in torcularibus *p* extra civitatem. Cum enim venerat epistola magni Romanorum imperatoris ad Teredatem Armeniæ regem, non modicæ in illa regione factæ sunt turbæ, observabant enim omnes circuitus et transitiones in partibus uniuscujusque provinciæ: cumque eas quis vidisset, de ipsis adnuntiabat. Ut vero fama eas fecit manifestas, jussæ sunt duabus diebus ibidem custodiri per pedites, ligneis scutis instructos

innotescunt.

p

A AGATHANGELO.

instructos. Post tres dies vulgata est fama pulcritudinis Ripsimes apud universos, et omnes homines, cum promiscui tum magni et satrapæ, concurrerunt ad videndam ejus pulcritudinem, et pro more suo impio et diabolico invicem comprimentes, conterebantur *q*. At sanctæ et beatissimæ, perspecta tanta hominum impudentia, lamentabantur alta voce cum lacrymis, manusque elevantes ad orationem, ad salutem suam conservandam rogabant omnia continentem et omnipotentem Dominum, qui jam antea ipsas ab improbissimo eruit flagitio, ut in præsenti etiam bello concedat victoriam. Vultus quoque suos circumligantes, in terram se projecerunt ex verecundia, quam incutiebant spectatores, circum ipsas congregati.

D τρεῖς ἡμέρας ἤχησεν ἡ φήμη τοῦ κάλλους τῆς Ῥιψίμης παρὰ πᾶσι, καὶ πάντες ἄνθρωποι, καὶ σύμμικτοι καὶ μεγάλοι καὶ σατράπαι, συνέδραμον εἰς τὸ θεωρῆσαι τὸ αὐτῆς κάλλος, καὶ κατὰ τὴν ἄθεον αὐτῶν καὶ δαιμονιώδη συνήθειαν, ἀλλήλοις ἐπεμβαίνοντες συνεθλίβοντο. Αἱ δὲ ἅγιαι καὶ μακαριώταται, θεασάμεναι τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀναίδειαν, ὀλολύζουσι ὑψηλῇ τῇ φωνῇ μετὰ δακρύων, καὶ τὰς χεῖρας εἰς εὐχὰς ἐπάρασαι, ἐζήτουν σωτηρίαν παρὰ τοῦ παντοκράτορος καὶ παντοδυνάμου δεσπότου, ὃς καὶ ἐν πρώτοις αὐτὰς ἐλυτρώσατο ἀπὸ τοῦ παρανομωτάτου μιάσματος, ἵνα δώσῃ καὶ τὴν τοῦ παρόντος πολέμου νίκην. Τὰς δὲ ὄψεις αὐτῶν περιδήσασαι, ἔρριψαν ἑαυτὰς εἰς τὴν γῆν ἀπὸ αἰδοῦς ἐκ τῶν θεατῶν, τῶν περὶ αὐτὰς συνηγμένων.

ANNOTATA.

a *Dubitari nequit, quin fabulosa et ridicule conficta sint, quæcumque hic fuse referuntur de quæsitis a Diocletiano nuptiis. Nam Diocletianus uxorem habuit Priscam, antequam esset imperator, eaque numquam repudiata fuit. Præterea quæ dicuntur de modo quærendi formosam mulierem, non congruunt gravitati imperatoris Diocletiani, sed inepta sunt figmenta.*

b *Sicut pictorum missio procul dubio est fictitia, sic monasterium illud virginum solitariarum in* E
B *urbe Roma, et regia stirps* S. Ripsimes *aut* Ripsimiæ, *ejusdem scriptoris sunt commentata.*

c *Vox græca* μάνδρα, *quæ speluncam, stabulam, caulam significat, pro monasterio deinde usurpari cœpit. At nec speluncam nec monasterium ingressi fuissent, si sponsam quæsivissent Diocletiano.*

d *Insulsa sunt figmenta, a moribus et ætate Diocletiani prorsus aliena.*

e *Hic notavit Papebrochius, aliquod verba fuisse in codice* erasa, forte quia repetita. *Non videtur certe aliquid deesse.*

f *Hæc* in secundo adventu meo *non sunt in Evangelio, nataque sunt auctorem facere suspectam de errore aliquo Armenorum, beatitudo Sanctorum differtur usque ad judicium. Vide notanda ad cap. 9, lit.* b.

g *Hic iterum aliqua verba erant erasa, eaque forte desiderantur. Porro quod spectat ad rationem fugiendi, illa non est verisimilis, quæ datur de nuptiis a Diocletiano expetitis. Hinc multa fiunt dubia. Primo dubia videtur ipsa fuga in Armeniam, cum potuerint esse Virgines Armenæ, ut videtur affirmari in Menologio Basiliano, ubi de earum fuga alium est silentium. Hoc observat Bonuccius in Annotatione* 11 *ad vitam* S. Gregorii *pag.* 185. *Addit rationem non contemnendam ex* S. Ripsimes *nomine,* quod, *inquit,* originem habet a lingua Armena, aut potius Siriaca. *Secundo ne probabile quidem videtur, sanctas Roma fugisse in Armeniam, aut in urbe habitasse, ob immensum locorum distantiam. Tamen, cum omnia documenta vetustiora tradant,* SS. Gaianam, Ripsimen, *et socias virgines aliunde in Armeniam venisse, eamque opinionem, quæ Armenis minus honorifica est, quam foret opposita, ipsi non videantur confinxisse, probabilius mihi est, eas ex ditione Romanorum fugisse in Armeniam; non tamen ex Urbe aut ex Italia, sed ex provincia aliqua Armeniæ vicina, quales sunt Pontus, Cappadocia, Minor Armenia, Syria et Mesopotamia, omnes conterminæ; rursum non ad fugiendas Diocletiani nuptias, sed potius ad se sævissimæ ejus persecutioni subtrahendas. Hæc de re incerta probabilior mihi videtur conjectura.*

h *Nihil ex his pugnat cum fuga, etiam suscepta persecutionis causa.*

C i *Si erat nova civitas, suspicari possumus ædificatam fuisse sæculo* 3 *a quodam Valarso aut Vologeso, Armeniæ rege, atque idcirco nomen illius urbis apud Strabonem, Plinium et Ptolemæum non inveniri. Jam dixi,* Vagarsciabat *deinde vocatam fuisse a recentioribus, et eamdem videri, quæ alias* Valeroctiste *in hæc vita vocatur.* F

k *Verbum* operari *non exprimit totum significationem verbi græci, quod hujus incerta sit lectio, et incerta consequenter significatio. Nam in apographo observatur, legi* ὑελουργεῖν, *quod est,* in vitro operari, *cum* ὑελουργὸς *sit* vitriarius; *aut* βελουργεῖν, *quæ vox græca non est. At vox latina* velum *ad græcos translata fuit, indeque formata vox* βῆλον *et* βῆλον, *an inde forte auctor dixerit* βελουργεῖν in velis operari, *sicut ab* ἔριον lana *dicitur* ἐριουργεῖν lanificium exercere, *aliorum esto judicium.*

l *Unius opera non poterat multis ad victum sufficere, sed poterant adferre ex bonis suis, quæ aliquo saltem tempore ad emenda necessaria servirent. Nec fidem meretur auctor, dum dicit contrarium.*

m *Hæc inscriptio longe abest a stilo romano illorum temporum: neque enim Diocletianus* cæsarem *se vocasset, sed multos alios nomini suo addidisset titulos; Teridatem vero numquam dixisset* σύνθρονον ejusdem solii, *sed* regem Armeniæ. *Mitto alia plura, cum nullum possit esse viris eruditis dubium, quin hæc supposititia sit epistola, sicut fictitium est totum, quod scripsit auctor de cupitis a Diocletiano nuptiis.*

n *Vocem* σιαντὸν, *quæ verisimiliter corrupta est, latine omisi.*

o Ionia *est particularis Asiæ Minoris provincia, eaque satis nota, in qua Ephesus clarissima erat civitas. At Agathangelus eo modo utitur voce* Ionia, *ut per eam videatur quasi totam Asiam Minorem intelligere.*

p *Torcularia, in quibus sanctæ habitationem suam fixisse dicuntur num.* 66, *et in quibus modo dicuntur inventæ, sunt ædificia, in quibus uvæ exprimuntur. Hoc autem cum non semper fiat, sed fixo quodam*

A *quodam anni tempore; poterant ibi ad menses aliquot commorari, donec locum aptiorem pro habitatione sua invenissent.* A AGATHANGELO

q *Quemadmodum omnia supra verum amplificare solet biographus, sic procul dubio concursus ille populi nimium exaggeratus est, si non sit omnino fictitius; sicut et illa, quæ sequuntur de Sanctis.*

CAPUT VII

Sanctarum Ripsimes, Gaianæ et Sociarum cum Teridate pro castitate certamina, et martyrium.

Καὶ οἱ πλεῖστοι αὐτῶν, καὶ μάλιστα πιστικοὶ τοῦ βασιλέως, πορευθέντες διηγοῦνται αὐτῷ περὶ τοῦ αὐτῆς κάλλους. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὄρθρου ταχέως ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς τὴν μακαριωτάτην Οἰψιμίαν ἐν τοῖς βασιλείοις ἀνενεχθῆναι· τὴν δὲ ἁγίαν Γαιανὴν ἅμα ταῖς λοιπαῖς αὐτόθι τηρηθῆναι. Εὐθέως οὖν ἀπὸ τῶν βασιλικῶν χρυσεμπαστοφορεία μετὰ πλήθους δορυφόρων ἐν ταῖς ληνοῖς ἔφθασαν, ὅπου ἦσαν παραμένουσαι ἔξωθεν τῆς πόλεως, καὶ πολυτελέστατος ἱματισμὸς καὶ ἁπαλος· καὶ κόσμια λαμπρὰ προσενέγκαντες, ἔδωκαν αὐτῇ, ἵνα μετὰ τιμῆς καὶ δόξας εἰσελθοῦσα εἰς τὴν πόλιν θεάσηται τὸν βασιλέα. Πρὸ τοῦ γὰρ εἰδεῖν αὐ-
B τήν, ἐβουλήθη λαβεῖν αὐτὴν εἰς γυναῖκα διὰ τοὺς διηγησαμένους περὶ τῆς εὐμορφίας αὐτοῦ. Ὅτε οὖν ταῦτα πάντα ἐθεάσατο ἡ παναγία Γαιανή, ἤρξατο λαλεῖν πρὸς τὴν ἀνατρεφεῖσαν παρ᾽ αὐτῇ, καὶ φησι. Μνήσθητι, τέκνον ἐμόν, ὅτι καταλέλοιπας τὴν μεγάλην τιμὴν καὶ χρυσέμπαστον βασιλικὸν θρόνον τῶν σῶν γονέων, καὶ τὴν βασιλικὴν ἁλουργίδα, καὶ ἐπεθύμησας τὸ ἀκατάληπτον φῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας, ὅς ἐστι δημιουργὸς καὶ σωσποιος καὶ ἀνακαινιστὴς τῶν ἁπάντων, ὁ ἐπαγγειλάμενος φυλάττειν τὰ ἀνεκδιήγητα ἀγαθὰ τοῖς ἐπ᾽ αὐτὸν πεποιθῶσι. Καὶ σύ, τέκνον ἐμόν, ἐξουθένωσας τὴν πρόσκαιρον τῶν σῶν προγόνων πόρφυραν, νῦν οὖν μὴ δώσεις τὴν ἁγίαν σου σωφροσύνην βρῶμα κυσὶν ἐν τῇ χώρᾳ ταύτῃ τῶν βαρβάρων. Μὴ γένοιτο, θύγατερ ἐμή, ταῦτα οὕτως εἶναι· ἀλλ᾽ ἵνα δέξηται ἡμᾶς μετὰ σου ὁ ὁδηγήσας ἡμᾶς ἐκ νέας ἡλικίας ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, καὶ ἐν τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν.

Plurimi autem eorum, et maximo qui fideles erant regi, ad ipsum accedentes, narrabant de Ripsimes pulcritudine. Postridie vero in crepusculo matutino rex continuo jussit beatissimam Ripsimiam ad palatium adduci; et sanctam Gaianam una cum reliquis ibidem conservari. Itaque velociter a regio palatio lecticæ auro variatæ *a* cum multitudine satellitum ad torcularia pervenerunt, ubi permanebant extra urbem Sanctæ, unaquo vestitus pretiosissimus et mollis: ornamentaque afferentes splendida, eidem dederunt, ut cum honore et gloria urbem ingressa, regem videret. Nam priusquam eam rex videret, uxorem sibi sumere volebat, quia audiverat narrantes de ejus egregia forma. Quando ergo hæc omnia conspexit sanctissima Gaiana, cœpit alloqui apud se enutritam, et dicit: Memor esto, filia mea, quod reliqueris honorem magnificum et auro conspersum thronum regium parentum tuorum purpuramque *b* regiam, et desiderasti incomprehensibile lumen regni Christi, qui est conditor, servator et innovator universorum; qui promisit bona se conservaturum inenarrabilia sperantibus in se. Tu, filia mea, pro nihilo habuisti temporalem progenitorum tuorum purpuram: nunc ergo in hac barbarorum regione sanctam castitatem tuam non dabis escam canibus. Absit, filia mea, ut hæc ita fiant: sed ille nos accipiat tecum, qui nos duxit a pueritia nostra usque in diem hanc, et usque ad horam, in qua sumus.

Cum S. Ripsime a Teridate quæreretur, hortante Gaiana,

a

E

b

72 Ὅτε οὖν ἐθεάσατο ἡ ἁγία Ῥιψίμη τὸν θόρυβον ἐλθόντα πρὸς αὐτήν, καὶ ἃ ἤκουσεν ἀπὸ τῆς ἰδίας τροφοῦ, ἐνεδύσατο ὡς ὅπλον τὴν τοῦ πνεύματος δύναμιν, καὶ ἔχουσα τὴν πίστιν τοῦ ἰδίου δεσπότου ἐκ νέας ἡλικίας ὡς θώρακα, ἐξέκραξε μεγάλῃ τῇ φωνῇ, καὶ ἥπλωσε
C τὰς χεῖρας αὐτῆς τύπον τοῦ σταύρου, καὶ ἤρξατο ἐκ φωνῆς λέγειν οὕτως· κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ποιήσας τὰ σύμπαντα διὰ τοῦ ἀγαπητοῦ υἱοῦ σου, καὶ περικοσμήσας διὰ τοῦ ἁγίου σου πνεύματος ὁρατά τε καὶ ἀόρατα κτίσματα, αὐτὸς εἶ ὁ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα παραγαγών, τῷ γὰρ σῷ λόγῳ διηκεῖται τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, τὰ ἐν θαλάσσῃ καὶ ἐν ξηρᾷ· αὐτός, δέσποτα, δέδωκας εἰς κατακλυσμὸν τοὺς παρανόμους καὶ μιαροὺς ἀνθρώπους τῆς ὀγδοῆς γενεᾶς, καὶ ἐρρύσω τὸν ἀγαπητόν σου Νωέ, τὸν φυλάξαντα τὸν τῆς διαγωγῆς σου λόγον· περιεποιήσω δὲ ἐν τῷ σταυροειδεῖ ξύλῳ ἀπὸ τῶν ὑδάτων τοῦ κατακλυσμοῦ. Ὁ τότε τῷ τύπῳ τοῦ σταύρου σωτηρίαν ποιήσας, καὶ νῦν ποίησον τῷ ἀληθινῷ σῷ σταυρῷ, ἐν ᾧ ἀνελθὼν ἐξέχεας τὸ αἷμά σου εἰς ἴασιν τῶν ἡμετέρων τραυμάτων. Ὁ φυλάξας τὸν Ἀβραὰμ ἐν μέσῳ τῶν ἀσεβῶν Χαναναίων, καὶ περισώσας ἀπὸ τῆς ἀτίμου καὶ βδελυρᾶς αἰσχύνης τὴν δούλην σου Σάῤῥαν, ὁ οἰκτήρας τὸν δοῦλόν σου Ἰσαάκ, καὶ περιποιησάμενος Ῥεβέκκαν τὴν σὴν δούλην ἀπὸ τῶν παρανόμων Φιλιστιαίων, μὴ ἀφήσῃς ἡμᾶς διὰ τὸ πανάγιόν σου ὄνομα.

72 Cum ergo videbat sancta Ripsime turbam ad se appropinquantem, et hæc a nutrice sua audiebat, pro armis induit virtutem spiritus, habensque ab adolescentia sua fidem Domini sui pro thorace, exclamavit elata voce, junxitque manus suas in formam crucis, et cœpit alta voce sic loqui: Domine Deus omnipotens, qui fecisti omnia per dilectum Filium tuum, omniaque per sanctum Spiritum tuum exornasti, tam visibilia quam invisibilia; tu es, qui ex non existentibus ad existendum adduxisti universa: verbo enim tuo constituta sunt, tam quæ in cælo quam quæ sunt super terram, tam quæ in mari sunt, quam quæ in terra arida: tu, Domine, diluvium induxisti super homines improbos et execrandos octavæ generationis, et eripuisti dilectum tuum Noe, qui verba instituti tui observavit; ipsum vero ab aquis diluvii conservasti in ligno, figuram crucis referente. Qui tunc figura crucis salutem dedisti, et nunc præbe salutem per veram crucem tuam, in quam conscendens sanguinem tuum effudisti ad sananda vulnera nostra. Qui custodivisti Abraham in medio impiorum Chananæorum, et defendisti a fœda et execranda infamia famulam tuam Saram, qui misertus es famuli tui Isaac, et servasti famulam tuam Rebeccam ab improbis Philistinis; no derelinquas nos propter sanctissimum nomen tuum.

illa precibus

F

A. AGATHANGELO.

Dei opem implorat.

73 Qui doces et instruis nos, et das verba tua in ore nostro, ut hisce possimus erui a laqueo inimici, et dixisti : Quia nomen meum invocatum est super vos. Et : Vos estis templum Deitatis meæ. Et olim : Quia nomen meum sanctificabitur in cordibus vestris; et dedisti verba in ore nostro, ut petamus et dicamus : Sanctificetur nomen tuum. Nunc hoc a te petimus : Ecce congregata est multitudo improborum, ut in nobis contaminent nomen sanctum tuum, et templum nominis tui. Etiamsi infirmæ nos simus et humiles, tu tamen, benigne Servator, custodi animas nostras ab impura turpitudine. Qui si visti hanc tentationem in nos ingruere, da nobis tua virtute victoriam : tua enim est victoria et vincet nomen tuum. Conserva nos in spe castitatis, ut cum illa ingrediamur in numerum segregatum electorum tuorum, et obtineamus mercedem laborum, quam dabis singulis, qui permanserint in testamento tuo, et præcepta tua observaverint. Quemadmodum Noe a diluvio aquarum, sic nos eripe ab iniquo diluvio, quod nos circumdat. Si enim et feras et jumenta servasti in arca, quanto magis non deseres imaginem B tuam, gloriam tibi dantem, qui solus es gloriosus?

omnesque simul Virgines regis nuptias recusant

74 Hisce ab ea sic dictis, multitudo confluxit hominum. Nam innumeri erant, regis ministri, qui venerant eam ad palatium perducturi, satrapæ, magnates et præfecti, qui aderant ad ipsam honorandam et ad abeundum cum ea, ut ipsam abducerent uxorem regis, reginamque Armeniæ. At omnes virgines simul ejulantes, manusque ad cælum elevantes, rogabant benignum Dominum, ut liberarentur iniquissimis et nefandis nuptiis, elevataque voce magna cum fletu clamabant : dicentes : Absit, ut nos fallant opes, ut voluptas nos emolliat, ut regia dignitas nos subvertat, aut persecutio conterat, aut cruciatibus deliciamus. Nequaquam timemus mortem sævissimam, quam nobis inferetis. Absit, ut cum temporaneis commutemus æterna, vitam immortalem, cujus dominatio non præterit, et bona indesinentia. Verum non profunditas, non altitudo, non periculum, non gladius, non afflictiones, non vincula, non cruciatus, non ignis, non aqua, non sublimitates, non deceptiones, non maiestas, non mendicitas, non præsentia, non futura, non vita, non mors C potest nos separare a caritate Christi. Ei promisimus virginitatem nostram, ei offerimus puritatem nostram : eum suscipimus, et amorem ejus desideramus, donec stemus coram gloria et laude ejus sine pudore et confusione.

Cum noluisset S. Ripsime ad regem venire, eo jubente,

75 Et factum est tonitru vehementissimum, ut expavesceret turba : illæ vero audierunt vocem sibi dicentem : Viriti animo estote, et confidite : nam vobiscum sum, et servavi vos in omnibus c viis vestris, et ex hoc loco tollam servatas sine d macula, ut et hic glorificetur nomen meum in partibus gentium Borealibus c. Si vero maxime, Ripsime, secundum nomen tuum ejecta es d, cum Gaiana et reliquis ex morte in vitam. Itaque nolite timere, sed venite in locum, ubi vobis parata est, iisque, qui vobis sunt similes, ineffabilis delectatio. Sic autem prævalente tonitru, homines timore excæcati sunt, multorum equi frenum mordentes excusserunt sessores suos, multosque et conculcarunt et occiderunt : clamoreque et tumultu omnes exæstuarunt, aliique ab aliis invicem conculcati sunt. Nam terror omnes fecee rat attonitos, multoque effuso cruore e terram contaminarunt. Facta igitur hoc tumultu inter con-

73 Ὁ διδάξας καὶ παιδεύσας, καὶ δοὺς τοὺς λόγους D σου ἐν τῷ στόματι ἡμῶν, ἵνα ἐν τούτοις δυνηθῶμεν σωθῆναι ἀπὸ τῆς παγίδος τοῦ ἐχθροῦ, καὶ εἰπὼν, ὅτι τὸ ὄνομά μου ἐπικέκληται ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ὑμεῖς ἐστε ναὸς τῆς θεότητός μου· Καὶ πάλαι, ὅτι τὸ ὄνομά μου ἁγιάσεται ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, καὶ ἔδωκας λόγον ἐν τῷ στόματι ἡμῶν αἰτήσασθαι καὶ λέγειν, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου· νῦν τοῦτο αἰτούμεθα παρὰ σοῦ· ἰδοῦ συνήχθη πλῆθος κακῶν μιᾶναι τὸ πανάγιον ὄνομά σου ἐφ' ἡμᾶς, καὶ τὸν ναὸν τοῦ ὀνόματός σου. Εἰ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀσθενεῖς καὶ ταπειναὶ ὑπάρχομεν, πλὴν αὐτὸς φύλαξον τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀπὸ τῆς ἀκαθάρτου ἀτιμίας φιλάνθρωπε σῶτερ. Ὁ ἐάσας ἐπελθεῖν ἡμῖν τὸν πειρασμὸν τοῦτον, δὸς ἡμῖν νίκην τῇ σῇ δυνάμει. Σὴ γάρ ἐστιν ἡ νίκη, καὶ νικήσει τὸ σὸν ὄνομα. Φύλαξον ἡμᾶς τῇ ἐλπίδι τῆς σωφροσύνης, ἵνα μετ' αὐτῆς εἰσέλθωμεν εἰς τὸν ἀριθμὸν τοῦ κλήρου τῶν σῶν δικαίων, καὶ λάβωμεν τοὺς μισθοὺς ὑπὲρ τῶν κόπων, οὓς δώσεις ἑκάστῳ τοῖς ἐμμείνασιν ἐν τῇ διαθήκῃ σου, καὶ φυλάξασιν τὰ προστάγματά σου. Ὅσως τὸν Νῶε ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ τῶν ὑδάτων, φύλαξον ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ παρανόμου κατακλυσμοῦ τούτου τοῦ περικυκλώσαντος ἡμᾶς. Εἰ γὰρ τὰ θηρία καὶ τὰ κτήνη ἔσωσας ἐν τῇ κιβωτῷ, πόσῳ μᾶλλον οὐκ ἀφείσῃ τῆς σῆς εἰκόνος, δοξολογούσης σε τὸ μόνον ἔνδοξον. E

74 Τούτων οὖν παρ' αὐτῆς οὕτως ῥηθέντων, τὸ πλῆθος συνέῤῥεεν τῶν ἀνθρώπων. Ἦσαν γὰρ ἄπειροι, οἱ τοῦ βασιλέως ὑπηρέται, οἱ ἐλθόντες λαβεῖν αὐτὴν εἰς τὰ βασίλεια, σατράπαι καὶ μεγιστᾶνες καὶ ἄρχοντες τιμῆσαι αὐτὴν, καὶ ἀπελθεῖν μετ' αὐτῆς, ἵνα ἀπενέγκωσιν αὐτὴν εἰς γυναῖκα τοῦ βασιλέως καὶ βασιλίδα τῆς Ἀρμενίας. Ὁμοῦ δὲ πᾶσαι ὀλολύζουσαι, καὶ τὰς χεῖρας ἀπάρασαι εἰς τὸν οὐρανὸν, ᾔτουν παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ δεσπότου λυτρώσασθαι ἀπὸ τοῦ παρανομωτάτου καὶ ἀθεμίτου γάμου, καὶ ἐπάρασαι φώνην μεγάλην μετὰ κλαυθμοῦ ἔκραζον λέγουσαι· μὴ γένοιτο, ἵνα ἀπατήσῃ ἡμᾶς πλοῦτος, ἡμαλάξῃ ἡμᾶς τρυφὴ, ἢ διατρέψῃ ἡμᾶς βασιλεία, ἢ θλίψῃ ἡμᾶς διωγμὸς, ἢ ὀλιγορήσωμεν ταῖς βασάνοις. Οὐ μὴ φοβηθῶμεν τὸν δεινότατον θάνατον, τὸν ὑφ' ὑμῶν ἐπιφερόμενον ἡμῖν. Μὴ γένοιτο ἡμᾶς ἀνταλλάξαι τὰ αἰώνια ὑπὲρ τῶν προσκαίρων, καὶ τὴν ἀθάνατον ζωὴν, ἧς ἡ δεσπότεια οὐ παρέρχεται, καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀκατάπαυστα. Ἀλλ' οὐδὲ βάθος οὐδὲ ὕψος, οὐ κίνδυνος, οὐ μάχαιρα, οὐ κακοχίαι, οὐ δέσμα, οὐ βάσανοι, οὐ πῦρ, οὐχ ὕδωρ, οὐ μετεωρισμοὶ, καὶ ἀπάται, οὐ μεγαλοσύνη, οὐ πτωχεία οὐκ ἐνεστῶτα, οὐ μέλλοντα, οὐ ζωὴ, οὐ θάνατος δύναται ἀποχωρῆσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ χριστοῦ. Αὐτῷ γὰρ ἐπηγγειλάμεθα τὴν F παρθενίαν ἡμῶν, αὐτῷ ἀναθέμεθα τὴν ἁγιστείαν ἡμῶν, αὐτὸν δεχόμεθα καὶ τὴν ἀγάπην αὐτοῦ ἐπιποθοῦμεν, ἕως οὗ παρασταθῶμεν ἐνώπιον τῆς αὐτοῦ δόξης, καὶ τοῦ ἐπαίνου ἄνευ αἰσχύνης καὶ ἐντροπῆς.

75 Καὶ ἐγένετο σφοδρωτάτη βροντὴ, ὥστε ἐκφοβεῖσθαι τὸν ὄχλον, καὶ ἤκουσαν φωνῆς λεγούσης πρὸς αὐτάς· ἀνδρίζεσθε, καὶ θαρσεῖτε· μεθ' ὑμῶν γὰρ εἰμι, καὶ ἐφύλαξα ὑμᾶς ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς ὑμῶν, καὶ ἤνεγκα ὑμᾶς τοῦ τόπου τούτου φιλάξας ἀσπίλους, ἵνα καὶ ἐνθάδε δοξάσθῃ τὸ ὄνομά μου ἐν τοῖς Βορινοῖς μέρεσιν τῶν ἐθνῶν. Εἰ δὲ μάλιστα, Ῥιψίμη, κατὰ τὸ ὄνομά σου ἀληθῶς ἐξεῤῥίφθης σὺν τῇ Γαιανῇ καὶ ταῖς λοιπαῖς ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. Μὴ φοβηθῆτε οὖν, ἀλλα δεῦτε εἰς τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἡτοιμάσθη ὑμῖν, καὶ τοῖς ὑμῖν ὁμοίοις ἡ ἀνεκλάλητος εὐφροσύνη. Καὶ οὕτως ἐπὶ ἀρᾷ τῆς βροντῆς κρατούσης, ἐσκοτώθησαν οἱ ἄνθρωποι ἀπὸ τοῦ φόβου, καὶ πολλῶν ἵπποι ἀφηνιάσαντες ἔῤῥιψαν τοὺς ἐπιβάτας, πολλοὺς δὲ καὶ κατεπάτησαν καὶ ἀπέκτειναν, κραυγῇ τε καὶ ταραχῇ παντες ἐθορύβησαν, καὶ ὑπ' ἀλλήλων συνεπατήθησαν. Τὸ γὰρ φόβητρον πάντας ἐξέστησεν, καὶ πολλῶν αἱμάτων ἐκχυθέντων τὴν γῆν ἐμόλυναν. Γενομένου οὖν τούτου τοῦ θορύβου τοῖς συναχθεῖσίν, τινες τῶν ὑπηρέτων ἐκ μέσης τῆς

A τῆς ταραχῆς δραμόντες, ἀπήγγειλαν πάντας τοὺς λόγους αὐτῶν καὶ τὰ λεγόμενα τῷ βασιλεῖ. Καὶ εἶπεν ὁ βασιλεύς· ἀνθ' ὧν οὐκ ἐβουλήθη ἐλθεῖν ἐν τιμῇ καὶ εἰρήνῃ, βίᾳ ἐνεχθῇ ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ εἰσαχθῇ εἰς τὸν τοῦ βασιλέως κοιτῶνα.

76 Λαβόντες ἂν τὴν ἁγίαν Ῥιψημίαν οἱ δορυφόροι, ποτὲ μὲν σύροντες, ποτὲ δὲ ἀναβαστάζοντες ἦγον. Ἡ δὲ κράζουσα ἔλεγεν· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, βοήθει μοι. Καὶ ὅλος ὁ ὄχλος ἠκολούθει ποταμηδὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ πλήθους ἡ γῆ ἐξσείετο. Ἤνεγκαν οὖν αὐτὴν ἐν τῷ παλατίῳ εἰς τὸν βασιλικὸν κοιτῶνα· καὶ ὡς ἐνέκλεισαν αὐτὴν, ἤρξατο ζητῆσαι παρὰ κύριον, καὶ λέγειν· κύριε τῶν δυνάμεων, σὺ εἶ Θεὸς ἀληθινός· αὐτὸς εἶ σχίσας τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ διαγαγὼν τὸν λαόν σου· αὐτὸς καὶ τὴν στερεὰν πέτραν ἔστρεψας εἰς πηγὴν ὑδάτων, καὶ ἐπότισας τὸν διψῶντα λαόν· αὐτὸς εἶ ὁ κατενέγκας τὸν δοῦλόν σου Ἰωνὰν ἐν τῷ βυθῷ τῆς θαλάσσης, καὶ δοὺς πεῖραν λαβεῖν τῆς σῆς δυνάμεως, ἐξέσωσάς τε αὐτὸν πόῤῥω τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, καὶ πάλιν τὸ δεύτερον ἔκτος φθορᾶς ἀνήνεγκας αὐτὸν, ὁλόκληρον ἔστησας μετὰ τῶν ζώντων, μηδὲ τριχὸς κινηθείσης τῶν αὐτοῦ βοστρύχων. Αὐτὸς καὶ τὸν Δανιὴλ, βληθέντα βρῶμα θηρίοις, περιέσωσας ἐκ τῶν φοβερῶν αὐτῶν μυB λῶν, ἵνα ὁ ἀπαγορευθεὶς ἐπὶ τῶν θλιβόντων δοξασθῇ. Αὐτὸς καὶ τοὺς τρεῖς παῖδας σώους καὶ ἀσπίλους ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐφύλαξας, καὶ ἐδόξασάν σε θεωρήσαντες τὰ θαύματά σου. Αὐτὸς παρέσχες χόρτον ἐσθίειν τὸν σκληρότατον καὶ παρανομώτατον βασιλέα τῶν Βαβυλώνων, ὅτι οὐκ ἔγνω δοξάζειν σε ἐπὶ τῶν σῶν θαυμάτων, ὧν ἔδειξας αὐτῷ, ἀλλάξας αὐτὸν ἐπὶ τῇ τῶν κτηνῶν μορφῇ, καὶ θεὶς τὴν κατοίκησιν αὐτοῦ μετὰ τῶν θηρίων τοῦ ἀγροῦ, καὶ τὴν νομὴν αὐτοῦ μετὰ τῶν ὀνάγρων. Αὐτὸς καὶ τὴν δούλην σου Σουσάνναν δεύτερον ἐκ τοῦ πικροῦ θανάτου ἔσωσας, καὶ κατῄσχυνας τοὺς παρανόμους ἐχθροὺς καὶ ἐξωλόθρευσας, καὶ στέφανον καυχήσεως τοῖς ἐν σοὶ πεποιθομένοις χαρισάμενος ἀνέστησας. Σὺ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσιν. Αὐτὸς, δέσποτα, τὴν δόξαν σου ἑτέρῳ οὐ δώσεις· δεδοξασμένος γὰρ ὑπάρχεις ὑπὲρ τὰ πέρατα τῆς γῆς. Μὴ βδελύξωσι τὰ ἔθνη τὸ πανάγιον ὄνομά σου. Δύνασαι κἀμὲ ῥύσασθαι ἀπὸ τοῦ μιάσματος τούτου, ὅπως τελευτήσω ἐν ἁγνότητι, ἀποθανοῦσα ὑπὲρ τοῦ ἁγίου σοῦ ὀνόματος.

77 Καὶ ὡς ἔτι ἡ ἁγία Ῥιψήμη ταύτας τὰς εὐχὰς τῷ Θεῷ προσέφερεν, παραγενόμενος εἰσῆλθεν ὁ βασιλεὺς Τηρηδάτιος εἰς τὸν κοιτῶνα, ἔνθα ἐνεκέκλειστο ἡ πανα-C γία. Εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ, ὁμοῦ πάντες, οἱ μὲν ἔξωθεν τοῦ παλατίου, οἱ δὲ ἐν ταῖς πλατείαις, ἄλλοι δὲ ἐσώτεροι, ᾄδοντες ἐκραύγαζον κρωτοῖς πηδοῦντες. Καὶ οἱ μὲν ᾄδοντες, καὶ τινὲς μὲν ἐν τῷ κάστρῳ, οἱ δὲ τὸ μέσον τῆς πόλεως ἐπλήρωσαν καὶ παίζοντες, λογιζόμενοι τοῖς γάμοις ᾄδειν καὶ χορεύειν. Ὁ δὲ κύριος ὁ Θεὸς, προσεσχηκὼς τῇ ἀγάπῃ τῆς αὐτοῦ Ῥιψημῆς, ὥστε περισῶσαι αὐτὴν, ἵνα μὴ ἀπολεῖται ἡ παραθήκη, ἣν ἐφύλαξεν καὶ ἠσφαλίσατο ἕως τότε, ἐνίσχυσεν αὐτὴν, ὡς τὴν Ῥαχὴλ καὶ Δεβορὰν, καὶ δέδωκεν αὐτῇ δύναμιν, ἵνα ῥυσθῇ ἀπὸ τῆς παρανομωτάτης ἐκείνης βίας. Εἰσελθὼν οὖν ὁ βασιλεὺς, ἐπέλαβεν αὐτῆς, ὥστε πληρῶσαι τὸ ἀθέμιτον ἔργον. Αὐτὴ οὖν ἐνδυναμωθεῖσα ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀνδρείως ἀντέστη, ἀπωθοῦσα αὐτόν· καὶ ἀπὸ τρίτης ὥρας μαχησάμενος ὁ βασιλεὺς ἕως δεκάτης, ἐκλυθεὶς ἔπεσεν, οὕτως δυνατώτατος ὢν, ὃς καὶ ἐν τῇ Ἰώνων χώρᾳ ἔτι ὑπάρχων, πολλὰς δυναστείας ἀπέδειξεν διὰ τὸ τῶν ὀστέων στερεὸν, ὅτε καὶ ἐξέστησεν πάντας. Οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, ἀφ' οὗ τὴν προγονικὴν πατρίδα παρέλαβεν, πολλὰ ἔργα τῆς αὐτοῦ ἀνδρειότητος ἀπέδειξεν, καὶ πανταχοῦ εὔφημος γενάμενος ἦν. Οὗτος οὖν ἀπὸ μίας κόρης ἡττηθεὶς τῷ θελήματι καὶ τῇ δυνάμει τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀποκαμὼν ἐξῆλθεν ἔξω.

A. AGATHANGELO.

gregatos, quidam ministrorum, ex mediis turbis abscurrentes, nuntiaverunt regi omnia illarum verba, omniaque jam relata. At rex dixit, ut, cum noluisset venire cum honore et pace, vi afferretur ad palatium, et induceretur in cubiculum regium.

vi ad regis cubiculum defertur, Dei opem implorans,

76 Itaque satellites sanctam Ripsimiam arripuerunt, et modo trahentes, modo gestantes, adduxerunt. Illa vero clamans dicebat: Domine Jesu Christe, adjuva me. Omnis quoque turba sequebatur in modum fluminis, et terra movebatur a multitudine. Duxerunt ergo illam ad palatium in cubiculum regium. Ut autem ipsam incluserunt, cœpit orare ad Dominum, et dicere: Domine virtutum, tu es Deus verus: tu es, qui scidisti mari rubrum, et traduxisti populum tuum: tu duram petram vertisti in fontem aquarum, et populo sitienti potum dedisti. Tu ipse es, qui servum tuum Jonam in profundum maris fecisti descendere, et, ut caperet experimentum potestatis tuæ, servasti ipsum modo ab humana natura multum alienu, et secundo rursum sine corruptione ipsum eduxisti, et cum vivis incolumem constituisti, ne crine quidem cæsariei ejus amoto. Tu quoque Danielem, feris objectum in escam, ex tremendis ipsarum unguibus eripuisti, ut, qui abnegatus erat, coram affligentibus gloriam consequeretur. Tu et tres pueros ab igne salvos et illæsos conservasti, gloriamque tibi dederunt videntes mirabilia tua. Tu durissimo et iniquissimo Babyloniorum regi fœnum dedisti manducandum, quia non noverat gloriam tibi attribuere ob miracula, quæ eidem ostenderas; mutastique eum in formam jumentorum, eique habitationem dedisti cum bestiis agri, et pabulum cum onagris. Tu etiam servam tuam Susannam iterum ex amara morte eruisti, et iniquos ejus inimicos confudisti et exterminasti; coronam gloriationis confidentibus de te gratuito dono constituisti. Tu idem ipso es, et anni tui non deficient. Tu, Domine, gloriam tuam alteri non dabis: nam glorificatus es trans fines terræ. Non exsecrentur gentes sanctissimum nomen tuum. Potes et me eruere ab hac contaminatione, ut moriar in castitate, occumbens pro sancto nomine tuo. E

sed regem repellit:

77 Adhuc preces has Deo offerente sancta Ripsimia, ingressus est rex Teredates in cubiculum, cui Sancta erat inclusa. Illo autem ingresso, simul omnes, alii extra palatium, alii in plateis, alii interius, cantantes exclamarunt, et cum plausibus saltarunt. Et cantantes quidem, (quorum aliqui erant in castro, alii mediam urbis partem impleverant) et ludentes credebant se nuptiarum causa cantare. At Dominus Deus, cum attenderet ad caritatem Ripsimiæ suæ, ut servaret eam, ne periret depositum, quod eo usque servaverat et securum reddiderat, confortavit ipsam, quemadmodum Rachelem *f* et Debboram, deditque ei vires, ut liberaretur violentia illa iniquissima. Ingrediens ergo rex, apprehendit eam, ut opus nefandum perageret. Illa igitur viribus animata a sancto Spiritu, fortiter restitit, ipsum repellens. Ubi autem rex ab hora tertia pugnaverat usque ad decimam, deficiens viribus cecidit, licet alias esset robustissimus, ut, qui cum adhuc in Ionia *g* degeret, multa fortitudinis dedit specimina per soliditatem ossium suorum, quando omnibus stuporem ingessit. Neque tunc solum: sed in regno etiam suo, postquam regionem progenitorum suorum obtinuit, multa virtutis suæ exhibuit documenta, et ubique famosus evaserat. Hic igitur ab una Puella superatus F

f

g

A *A* AGATHANGELO. superatus pro voluntate Dei, et virtute Christi, fatigatusque cubiculo exivit.

et S. Gaiana, ad locum adducta, eam

78 Jussit vero adduci beatissimam Gaianam, et lignum ex collo ejus suspendi, et ad januas cubiculi eam constitui. Ipse autem iterum intrabat ad sanctam, dato ministris mandato decipiendi Gaianam, ut ex janua ad sanctam Ripsimiam diceret, ut regis voluntati obsequeretur, quo et tu et nos vivere possimus, inquit. Itaque, cum recepisset ipsam alloqui, appropinquavit januæ cubiculi, et dicit: Filia, custodiat te Christus ab hac contaminatione, et tibi dentur vires. Filia mea, nequaquam contingat, ut excidas ab hereditate, et temporalia desideres, quæ nihil hodie sunt, et cras intereunt. Quando ergo proferebat admonitionem ei factam; lapidibus contundendo os ejus dentes ejus frangebant, cogebantque ipsam loqui secundum voluntatem regis. Illa vero magis confirmans, dicebat: Viriliter age. Et: Vides Christum, de quo es confisa. Memento, filia mea, spiritualis educationis, qua te enutrivi: memento divinæ institutionis, qua te eduxi: memento persecutionum, quibus ambæ impetitæ sumus: memento calicis immortalis, quem ambæ bibendum habemus: memento
B divitis in inferno redarguti: memento universalis resurrectionis: memento gehennæ exurentis, et supplicii sempiterni: memento incorruptorum bonorum, quæ et nobis præparata sunt, si patiamur.

ad constantiam hortatur:

79 Memento divinæ allocutionis, quam auribus hodie hausisti, nos omnes tecum confortantis et animantis. Hæc dignam te faciet corona et requie, quam promisit. Igitur te nobiscum roborabit, ut fiamus templa divini luminis in æternis tabernaculis. Dominus noster et rex et Deus, qui se propter nos ad conditionem vilem humiliavit, non deseret nos humiles, quia ipsum desideramus. Servator mundi nobis auxilium præstabit, qui huc usque nos, de se confisas, non dereliquit, dignatusque est suis verbis animare. Nam ille est humilium Dominus, et custodiet nos famulas suas ab omni peccato, quemadmodum hodie audivimus. Conservavit enim nos dextera sua Omnipotens, et proteget usque in finem, modo nos non discedamus ab ejus amore. Excitat potentiam suam, et venit, ut salvas nos faciat. Nos vero nomen Domini invocabimus, ut illuminet vultum suum super nos, et salvabimur
C Ille enim est Dominus Deus noster per mortem suam. Per totum diem memento Domini, quia humiliatus est, ut nos exaltaret; sanguinem suum effudit, ut nos viveremus; ad mortem traditus est, ut nos salutem obtineremus. Illum pone in anima tua, eumque invoca, in corde tuo. Ecce venit in adjutorium, et roborabit brachia tua, sicut Davidis adversum ursos et leones, quos hædorum causa tenens discerpsit. Ille est, qui per manum Davidis servi sui contrivit illos: conteret igitur et hujus iniquitatis malitiam coram te, quæ filia es fidei Davidis, quæ in brachiis meis educata es in justitia, et coram altari glorioso Dei. Qui et hodie revelatus est nobis per misericordiam et miserationes suas, ipse tibi dabit, ut mecum sine pudore vultum ipsius contempleris.

dejecto tandem rege, palatio et urbe egreditur, *h*

80 Hæc omnia dicebat sancta Gaiana ex janua cubiculi lingua rumana *h*, adhuc rege pugnante cum sancta Ripsime. At ex ministris regis erant nonnulli, qui intelligebant sermonem Romanorum: et ubi hæc omnia, quæ sancta Gaiana loquebatur ad Puellam, audiverant, eam

D

78 Καί ἐκέλευσεν ἐνεγκεῖν τὴν μακαριωτάτην Γαιανήν, καὶ ξύλον κατὰ τοῦ τραχήλου αὐτῆς κρεμασθῆναι, καὶ ἐπὶ ταῖς τοῦ κοιτῶνος θύραις στῆσαι αὐτήν. Αὐτὸς δὲ εἰσίν πάλιν πρὸς αὐτὴν, παραγγείλας τοῖς ὑπηρέταις ἀπατῆσαι τὴν Γαιανὴν, εἰπεῖν πρός τὴν ἁγίαν Ῥιψημίαν ἀπό τῆς θύρας, ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ὅπως σὺ καὶ ἡμεῖς ζήσωμέν, φησιν. Καταδεξαμένη οὖν λαλῆσαι αὐτῇ, προσῆλθεν τῇ τοῦ κοιτῶνος θύρᾳ, καὶ φησιν· τέκνον φυλάξῃ σε ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ μιάσματος τούτου, καὶ γένηταί σοι δύναμις. Τέκνον ἐμόν, μηδαμῶς γένηταί σε ἐξελθεῖν ἀπό τῆς κληρονομίας, καὶ τὰ πρόσκαιρα ἐπιθυμῆσαι, τὰ μηδὲν ὄντα σήμερον, καὶ αὔριον ἀπολλύμενα. Ὅτε οὖν ἐποίησε τὴν προσενεχθεῖσαν αὐτῇ νουθεσίαν, λίθοις τό στόμα αὐτῆς ῥύψαντες, τοὺς ὀδόντας κατέκλασαν, καὶ ἠνάγκαζον αὐτὴν εἰπεῖν τό θέλημα τοῦ βασιλέως. Ἡ δὲ πλέον διισχυριζομένη ἔλεγεν· ἀνδρίζου. Καὶ, θεωρεῖς τὸν Χριστὸν, ᾧ πεποίθεις. Μνήσθητι, τέκνον μου, τῆς πνευματικῆς ἀνατροφῆς, ἐν ᾗ σε ἀνέτρεψα· μνήσθητι τῆς θεϊκῆς νουθεσίας, ἐν ᾗ σε ἀνήγαγον· μνήσθητι τῶν ἀμφοτέρων ἡμῶν διωγμῶν· μνήσθητι τοῦ ἀθανάτου ποτηρίου, ὃ ἄμφω πιεῖν ἔχομεν· μνήσθητι τοῦ ἐλεγχθέντος πλουσίου ἐν τῷ ᾅδῃ. Μνήσθητι τῆς οἰκουμενικῆς ἀναστάσεως· μνήσθητι τῆς γεέννης τῆς φλογιζούσης, καὶ τῆς αἰωνίου κολάσεως· μνήσθητι τῶν ἀδιαφθόρων ἀγαθῶν, τῶν καὶ ἡμῖν ἡτοιμασμένων, ἂν ὑπομείνωμεν. E

79 Μνήσθητι τῆς θεϊκῆς προσφωνήσεως, ἧς ἤκουσας σήμερον τοῖς ὠσίν, ἐνισχυούσης καὶ ἐνδυναμούσης πάσας ἡμᾶς μετὰ σοῦ· αὐτῆ ἀξίαν σε ποιήσει τοῦ στεφάνου, καὶ τῆς ἀναπαύσεως, ἧς ἐπηγγείλατο· κρατερώσει οὖν σε σὺν ἡμῖν, ἵνα γενώμεθα ναοί θεϊκοῦ φωτὸς εἰς τάς αἰωνίους σκηνάς. Ὁ δὲ κύριος ἡμῶν καὶ βασιλεὺς καὶ θεὸς, ὁ δἰ ἡμᾶς ἐν εὐτελείαν ταπεινώσας ἑαυτόν, μὴ ἀφήσῃ ἡμᾶς τὰς εὐτελεῖς, ὅτι αὐτὸν ποθοῦμεν. Ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου βοηθήσει ἡμῖν, ὃς οὐκ εἴασεν ἡμᾶς ἑώς ἄρτι τάς ἐπ' αὐτόν πεποιθυίας, καὶ ἠξίωσεν ἡμᾶς ἐνδυναμωθῆναι διὰ τῶν ἰδίων λόγων. Τῶν γάρ ταμεινῶν ἐστιν ὁ δεσπότης αὐτὸς, καὶ φυλάξει ἡμᾶς τὰς δούλας αὐτοῦ ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, κάθως σήμερον ἠκούσαμεν. Διεφύλαξεν γὰρ ἡμᾶς ὁ παντοδύναμος δεξιᾷ, καὶ σκεπάσει εἰς τέλος, μόνον μὴ ἀπόστωμεν τῆς αὐτοῦ ἀγάπης, ἀλλ' ἐξεγείρει τὰς δυναστείας αὐτοῦ, καὶ ἥλθει εἰς τὸ σῶσαι ἡμᾶς· καὶ ἡμεῖς τὸ ὄνομα κυρίου ἐπικαλεσόμεθα, ἐπιφᾶναι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ σωθησόμεθα. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεός ὁ κύριος ἡμῶν ἕνεκεν αὐτοῦ θανάτου. Μεθ' ὅλην τὴν ἡμέραν F μνήσθητι τοῦ δεσπότου, ὅτι διά τὸ ἡμᾶς ὑψῶσαι ἐταπεινώθη, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐξεκένωσεν ὑπὲρ τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ διὰ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν εἰς θάνατον παρεδώθη. Θὲς αὐτὸν ἐν τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐπικαλοῦ αὐτὸν ἐν τῇ καρδίᾳ σου. Ἰδού ἔφθασεν εἰς βοήθειαν, καὶ ἐνισχύσει τούς βραχίονας σου, ὡς τοῦ παιδὸς Δαβὶδ ἐπὶ τοὺς ἄρκτους καὶ τοὺς λέοντας, οὓς ἐρίφων δίκην σχήσας ἔκλασεν. Αὐτὸς συνέτριψεν διὰ χειρὸς Δαβὶδ τοῦ δούλου αὐτοῦ, συντρίψει οὖν καὶ τὴν τῆς ἀνομίας τούτου κακίαν ἐνώπιον σου, θυγάτηρ τῆς πίστεως Δαβὶδ, ἡ ἀνατραφεῖσα ἐπὶ τοὺς βραχίονας μου ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ἐνώπιον τοῦ δεδοξασμένου θυσιαστηρίου τοῦ Θεοῦ. Ὅστις καὶ σήμερον ἀπεκαλύφθη ἡμῖν διὰ τῆς φιλανθρωπίας αὐτοῦ, καὶ τῶν ἰδίων εἰκτιρμῶν, αὐτὸς δώσει σοι σὺν ἐμοὶ ἄνευ αἰσχύνης ἰδεῖν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.

80 Ταῦτα οὖν πάντα ἐλάλει ἡ ἁγία Γαιανὴ ἐν τῇ ῥωμαικῇ διαλέκτῳ ἀπὸ τῆς θύρας τοῦ κοιτῶνος, ἔτι τοῦ βασιλέως μαχομένου μετὰ τῆς ἁγίας Ῥιψήμης. Ἦσαν δὲ τινες τῶν ὑπηρέτων τοῦ βασιλέως ἀκούοντες τὴν τῶν Ῥωμαίων ὁμιλίαν· καὶ ὡς ἤκουσαν ταῦτα πάντα, ἃ ἐλάλησεν Γαιανὴ μετὰ τῆς παιδὸς, ἐπῆραν αὐτὴν ἀπὸ τῆς

A τῆς θύρας. Εἰ γὰρ καὶ πολλάκις ἔτυψαν αὐτῆς τὸ πρόσωπον λίθοις, καὶ τὸ στόμα σὺν τοῖς ὀδοῦσιν, καὶ ταῖς οὐλαῖς συνέτριψαν· ἀλλ' ὅμως αὐτὴ οὐκ ἤλλαξεν τοὺς λόγους, τοῦ λαλῆσαι ἄλλως πρὸς τὴν παρθένον, ἀλλὰ καθὼς ἤρξατο τοῖς αὐτοῖς προσέθηκεν. Ἐμαχήσατο οὖν ἔτι μετ' αὐτῆς ἀπὸ τῆς δεκάτης ὥρας ἕως μίας φυλακῆς τῆς νυκτός. Καὶ ἐνδυναμωθεῖσα ἡ νεᾶνις ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔρριψεν τὸν βασιλέα, ὀλιγωρήσαντα καὶ ἐκλυθέντα, γυμνὸν καὶ ἐκδεδυμένον ἀπὸ τῶν ἱματίων καὶ τῆς στολῆς αὐτοῦ· ἐσκόρπησεν δὲ καὶ τὰ κόσμια τοῦ διαδήματος, καὶ ἐν αἰσχύνῃ κατέλιπεν αὐτόν. Ἐξῆλθεν δὲ τὰ ἴδια ἐνδύματα κατεσχισμένα φοροῦσα, πλὴν ὅμως ἀσπίλως φυλαχθεῖσα ἔμεινεν ἐν ἁγνότητι, καὶ ἀνοίξασα τὴν θύραν, βίᾳ ἐξῆλθεν, καὶ σχίσασα τὸν ὄχλον παρῆλθεν διὰ μέσης τῆς πόλεως, μηδενὸς ἰσχύσαντος κρατῆσαι αὐτήν. Διαπερῶσα οὖν ἐξείη κατὰ ἀνατολὰς τὴν πύλην, καὶ ἐλθοῦσα εἰς τὴν ληνὸν, ὅπου τὸ πρότερον ἦν ἡ καταμονὴ αὐτῶν, εὐηγγελίζετο ταῖς λοιπαῖς παρθένοις.

81 Μείνασαι δὲ μικρὸν ἀπὸ τῆς πόλεως εἰς τὰ μέρη τὰ βόρεια κατὰ ἀνατολὰς ἐν λόφῳ τινὶ ἀμμώδει, ἐχόμενα τῆς βασιλικῆς ὁδοῦ, τῆς ἀποφερούσης εἰς τὴν Ἀρταξὰτ πόλιν, γονυκλίνασαι ηὔχοντο, λέγουσαι· Κύριε παντοκράτορ, τίς δυνηθῇ ἀνταποδοῦναί σοι ἀντὶ τῶν ἀγαθῶν, τῶν παρὰ σοῦ ἡμῖν χαρισθέντων, ὅτι ἐφύλα-
B ξας τὴν ἐλπίδα ἡμῶν, καὶ ἔσωσας ἡμᾶς ἀπὸ τῶν μιαρῶν ὀδόντων τοῦ θηρὸς, βουλομένου διαφθεῖραι ἡμᾶς. Τίς οὖν ἔστιν ἐν ἡμῖν δύναμις ἀνταποδοῦναί σοι; ἀλλ' αἱ ψυχαὶ ἡμῶν ἔστωσαν ἀντὶ τῆς σωτηριώδους ἀγάπης σου. Αὐτὸς γὰρ κατηξίωσας ἡμᾶς τῆς σῆς ὑπηρεσίας βαστάζειν τὸ ὄνομά σου, ἐν ᾧ ἔσωσας ἡμᾶς. Πλὴν γὰρ σοὶ, δέσποτα, ἄλλον οὐκ οἴδαμεν, καὶ τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν ὅλην τὴν ἡμέραν. Ἡμῖν δὲ ἀγαθόν ἐστιν ἀποθανεῖν ἐν τῇ ἁγιότητι ἡμῶν, ἢ ἵνα ἐκτείνομεν τὰς χεῖρας ἡμῶν πρὸς θεὸν ἀλλότριον. Οὐδὲν γάρ εἰσι τὰ σεβάσματα τῶν ἐθνῶν. Αὐτὸς εἶ δημιουργὸς μετὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, οὗ χωρὶς ἐγένετο οὐδὲν, καὶ τὸ ἀγαθόν σου πνεῦμα, τὸ ὁδηγοῦν ἡμᾶς ἐν γῇ εὐθείᾳ καὶ ἀποφέρον ἡμᾶς εἰς τὰ αἰώνια καὶ ἐπουράνια ἀγαθὰ, ἵνα ἄνευ αἰσχύνης παρασταθῶμεν τῷ μονογενεῖ σου μετὰ τῶν ἐκ δεξιῶν, ὅταν ἀποστείλῃς αὐτὸν ἐξ ἑτοίμου κατοικητηρίου αὐτοῦ ἐπισκέψασθαι πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν γῆν.

82 Ὁ πλάσας καταμόνας τὸν ἄνθρωπον, ὁ συνεὶς εἰς πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν, ἡμεῖς γὰρ ἀπὸ τοῦ λαοῦ σου
C ὑπάρχομεν καὶ τῶν προβάτων τῆς νομῆς σου· εἰσέλθωμεν οὖν εἰς τὰς σκηνὰς, ἃς ἡτοίμασας τοῖς ἀγαπητοῖς σου. Σπεύδομεν, δέσποτα, ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σώματος τούτου, ἵνα συναφθῶμεν εἰς τὸν χορὸν τοῦ ἀγαπητοῦ μονογενοῦς σου μετὰ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἠγαπηκότων τὴν ἡμέραν τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Μόνον ἀπὸ τῆς ἀκαθαρσίας ῥῦσαι ἡμᾶς. Ἐλθέτωσαν δὲ ἐφ' ἡμᾶς βάσανοι ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου. Ἕτοιμαι γὰρ ἐσμεν, καὶ ἐπιστάμεθα, ὅτι οὐ μὴ παρίδῃς ἡμᾶς. Αὐτὸς γὰρ, δέσποτα, μαρτυρεῖς τῇ ἐμῇ ταπεινώσει, ὅτι γηινὴν ζωὴν ἐπεθύμησα ἐκ νέας μου ἡλικίας. Ἐπειδὴ ἀνέβλεψας, ἐπίστευσα τῷ εἰρημένῳ σου λόγῳ· οὐαὶ ὑμῖν ὅταν καλοὺς ἡμᾶς εἴπωσιν οἱ ἄνθρωποι· μακάριοι δὲ ἐστε, ὅταν διώξωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσιν, καὶ εἴπωσι παμπονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμᾶς ψευδόμενοι, ἕνεκεν ἐμοῦ· χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε. Ἀληθῶς, δέσποτα, ἐχάρημεν ἐπὶ τῷ ἐπελθόντι ἡμῖν τούτῳ πολέμῳ, ὥστε ἀθλῆσαι ἡμᾶς ἐν τῇ σῇ ἀγάπῃ. Ἐνίκησεν γὰρ ἡ σὴ δύναμις, καὶ δέδωκεν ἡμῖν τὴν νίκην. Εὐφράνθημεν ἀνθ' ὧν ἡμέρων ἐταπείνωσας ἡμᾶς, ἔτων, ὧν εἴδομεν κακά. Καὶ ἴδε ἐπὶ τὰς δούλας σου καὶ τὰ ἔργα σου, καὶ ὁδήγησον ἡμᾶς ἐν τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ καὶ οὐρανίῳ, ὅπου συνάγεις τοὺς σοὺς ἁγίους, καὶ ἔστω ἡ λαμπρότης κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐφ' ἡμᾶς.

amoverunt a porta. Licet enim frequenter faciem ejus lapidibus percuterent, et os eius cum dentibus et crinibus comminuissent, illa tamen non mutabat sermones, ut alio modo loqueretur cum Virgine : sed sicut cœperat, sic et prosequebatur. Rex ergo adhuc cum Sancta pugnabat ab hora decima usque ad primam noctis vigiliam *i* : et roborata Puella a Spiritu sancto, dejecit regem negligentem et deficientem, nudum pallioque suo et veste talari exutum : dispersit quoque ornamenta diadematis, eumque reliquit pudore affectum. Exivit autem, discissa gerens vestimenta : servata tamen sine macula in castitate permansit; portaque aperta, per vim egressa est : scindensque turbam, per mediam transiit civitatem, nemine valente ipsam apprehendere. Itaque pertransiens versus Orientem egressa est porta, veniensque ad torcular, ubi antea eorum erat mansio, reliquis Virginibus bonum attulit nuntium.

A. AGATHANGELO.

i

81 Ubi vero manserant aliquo tempore non longe a civitate in partibus Borealibus versus Orientem in tumulo quodam arenoso prope viam regiam, quæ ducit ad urbem Artaxat, flexis genibus orabant, dicentes : Domine omnipotens, quis potest tibi retribuere pro bonis, quæ nobis gratiose tribuisti? Nam custodivisti spem nostram, et eripuisti nos a pollutis dentibus feræ bestiæ, nos volentis corrumpere. Quæ ergo in nobis est virtus retribuendi tibi? At animæ nostræ sint *k* pro salutari caritate tua. Tu enim nos dignatus es ministerio tuo, ut portemus nomen tuum, in quo servasti nos. Nam præter te, Domine, alium non novimus, et nomen tuum nominamus tota die. Nobis autem melius est mori in sanctitate nostra, quam manus extendere ad Deum alienum. Quæ enim gentes colunt, nihil sunt. Tu enim es conditor cum unigenitum Filio tuo, sine quo factum est nihil, et Spiritus tuus bonus, qui ducit nos per viam rectam, et elevat nos ad bona æterna et cælestia, ut sine pudore constituamur coram Unigenito tuo cum iis, qui stant a dexteris, quando miseris ipsum ex parato habitaculo suo, ut visitet omnes in terra habitantes.

reversoque ad Socias, pro servata virginitate Deo gratias agit.

E

k

82 Qui solus fecisti homines, qui intelligis omnia opera eorum; nos sumus ex populo tuo et ex ovibus pascuæ tuæ : ingrediamur igitur in tabernacula, quæ præparasti dilectis tuis. Festinamus, Domine, egredi ex hoc corpore, ut inseramur choro dilecti Unigeniti tui cum numero eorum, qui dilexerant adventum Domini nostri Jesu Christi. Tantum ab immunditia erue nos. Veniant vero super nos tormenta pro nomine tuo : nam paratæ sumus, et novimus, quod non despicias nos. Tu ipse enim, Domine, testimonium præbes humilitati, quod a pueritia mea vitam desideraverim *l* terrenam. Quoniam respexisti; credidi verbo a te dicto : Væ vobis, si benedixerint vobis homines : beati vero estis, cum persequentur et calumniabuntur vos, si dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exsultate. Vere, Domine, lætatæ sumus, de bello hoc, quod in nos excitatum est, ut luctaremur in amore tuo. Vicit enim potestas tua, et victoriam nobis concessit. Lætatæ sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala. Et, respisce in servas tuas, et in opera tua, et dirige nos in supernam et cælestem Jerusalem, ubi congregas Sanctos tuos, et sit splendor Domini Dei nostri super nos.

et se ad martyrium offert.

F

l

83

A AGATHANGELO.

Cædes S. Ripsimes, et mox aliorum 32 :

83 Adhuc omnia hæc loquente sancta Ripsime, eadem nocte advenerunt in locum illum præfecti regis et magister coquorum cum militibus, instructi lampadibus, et accedentes, S. Ripsimes manus ad latera ligaverunt, et volebant eidem linguam abscindere. At illa lubenter protulit linguam extensam. Et mox vestimenta, quibus erat induta, manibus pedibusque dilaceraverunt, extensasque lampades admoverunt corpori, et sic flamma lampadum corpus adurentes, et acutos lapides in sinus ejus infigentes, viscera ejus dispserserunt : oculosque etiam tum spirantis evulserunt *m*. Post hæc vero, illa neglecta, dixerunt : Hoc modo pereant omnes, qui regiis mandatis resistunt. Erant autem et alii Sancti, viri et mulieres, plures quam septuaginta, qui cum ipsis foras erant egressi, et quidam ad locum venerant, quod cuperent ipsarum reliquias componere et sepelire. In hos ergo gladios stringentes, occiderunt triginta et duos *n*. Hi vero sic sunt locuti : Dileximus, Domine, ut exaudias vocem deprecationis nostræ : inclinasti aurem tuam, Bone, et nos invocabimus te. Gloria tibi, qui B non tardasti indignitatem nostram bonis tuis dignari, misericors : custodisti nos ut pupillam oculi, et sub tegumento alarum tuarum protexisti contra iniquorum multitudinem : nam oves sumus gloriosi nominis tui. Hæc simul dicentes mortem obierunt.

alia ægrota in omnium habitatione occisa.

84 Unam ex illis ægrotantem in ipsarum mansione in torculari occiderunt, in hora obitus sui sic locutam : Gratias tibi ago, misericors Domine, qui nec me destituisti. Cum enim infirma essem, non poteram Socias meas currendo sequi. Verumtamen, benigne et misericors, spiritum meum accipe et conjunge cum choro Martyrum tuarum, mearum vero Sororum, una cum matre nostra Gaiana, et sorore ac filia nostra Ripsime. Hæc itaque sic locuta obdormivit *o*. Trahentes vero foras corpora projecerunt, ut fierent esca canibus civitatis, avibusque et feris.

Teridates, quasi amore

85 At rex vehementer erubuit, ille nimirum, qui ubique tam famosus evaserat in bello, et qui maxime in Olympicis certaminibus Ioniæ apparuerat instar gigantis *p* ; qui et bella fortiter gesserat trans flumen Euphratem in partibus Saracenorum, ubi aliquando vulneratus bello egressus est cum equo fugiens, et, ne comprehenderetur, C trahens equum, armaque propria et equi indumentum dorso imponens, Euphratem transnatavit : et hic, ossium robore ubique celebratus, ab una victus Puella, Dei voluntate confusus est. Verumtamen negligens verecundiam suam, in visionem vero faciei Puellæ, et in amorem ejus inflammatus, in maxima sedebat tristitia et luctu, de morte Puellæ lamentans. Videte, inquiebat, magicum genus illorum, qui sectæ sunt Christianorum ; quo animas hominum perdant modo, dum eas avertunt ab adoratione deorum : præsentem vitam ejusque fruitionem contemnunt : mortem non verentur. Verum maxime cogito admirandam summopere Ripsimiam, cui in comparatione adæquata non est ulla mulier terrestris. Ad illam enim cor meum anhelat, ejusque non oblivisear, donec in vita fuero rex Teredates. Ioniam cognovi regionem et Romanam, ditionesque Parthorum, et Assyriam et Persidem, et, ne plura nominem, multa loca et provincias accessi in bello, plurima in pace, et pulcritudinem huic æqualem numquam vidi. Hanc perverterunt magi illi, qui eam ita

83 Ἔτι δὲ λαλούσης ταῦτα πάντα τῆς ἁγίας Ῥιψή- D μης, ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐπέστησαν εἰς τὸν τόπον οἱ ἄρχοντες τοῦ βασιλέως, καὶ ὁ ἀρχιμάγηρος μετὰ τῶν στρατιωτῶν, λαμπάδας βαστάζοντες, καὶ προσελθόντες ἔδησαν ἐξάγκωνα τὴν ἁγίαν Ῥιψήμην, καὶ ἐζήτουν γλωττοτομῆσαι. Ἡ δὲ ἑκουσίως προέφερεν ἐκβάλλουσα τὴν γλῶτταν, καὶ αὐτίκα τὰ περὶ αὐτὴν ἱμάτια περισχίσαντες χερσὶ καὶ ποσὶ, καὶ τανύσαντες τὰς λαμπάδας τῷ σώματι προσέφερον, καὶ οὕτως τῷ πυρὶ τῶν λαμπάδων τὸ σῶμα καύσαντες, καὶ λίθους ὀξεῖς ἐν τοῖς κόλποις αὐτῆς πήξαντες, ἐσκόρπησαν τὰ σπλάγχνα αὐτῆς, καὶ ἔτι ἐχούσης πνοὴν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξόρυξαν. Μετὰ ταῦτα δὲ καταμελήσαντες αὐτὴν, ἔλεγον· πάντες οἱ τοῖς βασιλικοῖς προστάγμασιν ἀνθιστάμενοι τούτῳ τῷ τρόπῳ ἀπολέσθωσαν. Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι ἅγιοι ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, πλείους ἑβδομήκοντα ὀνομάτων, οἱ σὺν αὐταῖς ἐλθόντες ἔξω, τινὲς τὸν τόπον φθάσαντες ἐζήτουν τὰ λείψανα αὐτῶν συστεῖλαι καὶ θάψαι. Τούτοις οὖν ξίφη ἐπιθέντες ἀνεῖλαν ὀνόματα τριάκοντα δύο, καὶ αὐτοὶ δὲ ἔλεγον οὕτως· ἠγαπήσαμεν, κύριε, ἵνα εἰσακούσῃς τῆς φωνῆς τῆς δεήσεως ἡμῶν· ἔκλινας τὸ οὖς σου, ἀγαθὲ, καὶ ἡμεῖς ἐπικαλεσάμεθά σε. Δόξα σοι, τῷ μὴ ὑστερήσαντι τὴν ἡμῶν ἀναξιότητα τῶν σῶν ἀγαθῶν, φιλάνθρωπε. Ἐφύλαξας ἡμᾶς ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, καὶ ἐν σκέπῃ τῶν πτερύγων σου ἐσκέπασας ἀπὸ E τῶν ἀνόμων πλήθους. Πρόβατα γὰρ ἐσμὲν τοῦ ἐνδόξου σοῦ ὀνόματος. Ταῦτα δὲ ἐπὶ τὸ αὐτὸ εἰπόντες ἐτελειώθησαν.

84 Μίαν ἐξ αὐτῶν, ἀσθενοῦσαν ἐν τῇ καταμονῇ αὐτῶν τῇ ληνῷ, ἀπέκτειναν, καὶ αὐτὴν εἰρηκυῖαν οὕτως ἐν ὥρᾳ τῆς τελευτῆς αὐτῆς· εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα φιλάνθρωπε, τῷ κἀμὲ μὴ ὑστερήσαντι. Ἀσθενὴς γὰρ ὑπάρχουσα, οὐκ ἠδυνήθην δραμεῖν ὀπίσω τῶν ἐμῶν ἑταίρων. Ὁμῶς δὲ, ἀγαθὲ καὶ ἐλεήμων δέξαι καὶ συνάψον τὸ ἐμὸν πνεῦμα εἰς τὸν χόρον τῶν σου μαρτύρων, ἐμῶν δὲ ἀδελφῶν, μετὰ τῆς μητρὸς ἡμῶν Γαιανῆς, καὶ ἀδελφῆς καὶ τέκνου ἡμῶν Ῥιψήμης. Καὶ αὐτὴ οὖν οὕτως λαλήσασα ἐκοιμήθη. Σύραντες δὲ τὰ σώματα ἔξω ἔῤῥιψαν βρῶμα γένεσθαι κυσὶν τῆς πόλεως, καὶ πετεινοῖς καὶ θηρίοις.

85 Ὁ δὲ βασιλεὺς μεγάλως ἐνετράπη, ὁ οὕτως ὀνομαστὸς πανταχοῦ γενάμενος ἐν πολέμῳ, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς ὀλυμπιακοῖς ἀγῶσι τῆς Ἰωνίας γῆς γιγανταῖος φανεὶς, καὶ πολέμους ἐπέκεινα τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ κατορθώσας εἰς τὰ μέρη τῶν Σαρακηνῶν, ὅπου ποτὲ τρωθεὶς ἐξίει μετὰ τοῦ ἵππου τὸν πόλεμον φεύγων, καὶ ὥστε μὴ καταλυφθῆναι τόν τε ἵππον σύρων καὶ τὰ οἰ- F κεῖα ὅπλα καὶ τὸ τοῦ ἵππου ἔνδυμα τοῖς μεταφρένοις ἐπιθεὶς, διενήξατο τὸν Εὐφράτην· καὶ οὗτος πανταχοῦ στερεώτατος τοῖς ὀστέοις ἀπὸ μιᾶς νεανίδος ἡττηθεὶς κατισχύνθη θελήματι τοῦ Θεοῦ. Ὅμως δὲ παριδὼν τὴν ἑαυτοῦ αἰσχύνην, εἰς δὲ τὴν ὅρασιν τῆς ὄψεως τῆς κόρης, καὶ τῆς αὐτῆς φιλίας θερμανθεὶς, ἐν μεγίστῃ λυπῇ καὶ πένθει ἐκάθητο, τὸν θάνατον τῆς κόρης ὀδυρόμενος, βλέπετε, λέγων, τὸ γοητικὸν γένος τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας πῶς ἀπόλλυσι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, διαστρέφοντες ἀπὸ τῆς θεῶν προσκυνήσεως, καὶ τῆς μὲν παρούσης ζωῆς καὶ ἀπολαύσεως καταφρονοῦσι, τὸν θάνατον οὐ φοβοῦνται. Ἐννόω δὲ μάλιστα τὴν θαυμασιωτάτην Ῥιψήμην, ἧς οὐκ ἐξισοῦτο τις ἐν συγκρίσει τῶν γηγενῶν γυναικῶν. Ὀπίσω γὰρ αὐτῆς ἡ καρδία μου ἀπομένει, καὶ οὐκ ἐπιλανθάνομαι αὐτῆς ἕως ἂν εἰμὶ ἐν τῇ ζωῇ Τηρηδάτιος ὁ βασιλεύς. Τὴν γὰρ Ἰωνίαν καὶ Ῥωμαΐαν χώραν ἐπίσταμαι, καὶ τὰ μέρη τῶν Πάρθων, Ἀσσυρίαν τε καὶ Περσικὴν, καὶ ἵνα μὴ ἐφεξῆς ὀνομάσω, πολλοὺς γὰρ τόπους, καὶ χώρας ἐν πολέμῳ κατέλαβον, πλείστους τε καὶ μετ' εἰρήνης, καὶ τοῦ κάλλους ταύτης ὅμοιον οὐκ ἐθεώρησα πώποτε, ἣν διαστρέψαντες ἦσαν οἱ γοηταὶ, οὕτως ὑπερβαλλόντως φαρμακεύσαντες, ὡς κἀμὲ νικῆσαι.

86

A

supra modum præstigiis instruxerunt, ut et me vinceret. a Agathangelo.

86 Τῇ δὲ ἐπιούσῃ προσελθὼν ὁ ἀρχιμάγηρος, διάταγμα ᾔτει λαβεῖν περὶ τῆς ἁγίας Γαιανῆς, ποίῳ θανάτῳ αὐτὴν ἀποκτείνῃ. Αὐτὸς οὖν ἀκούσας, ὡς ἐξεστηκὼς ἀπὸ τῆς φιλίας καὶ μωρανθεὶς καὶ ἐκλυθεὶς καὶ ἔξω ἑαυτῷ γενάμενος, ἐνόμησεν ζῆν τὴν ἁγίαν Ῥιψήμην, καί φησιν· ἐπὶ μεγάλῳ ἀξιώματι καὶ τιμῇ καὶ δώροις ἵστημι τὸν δυνάμενον πεῖσαι τὴν κόρην ἐλθεῖν πρὸς μέ. Ὁ δὲ ἀρχιμάγηρος ἔφη οὕτως· ἀπολοῦνται πάντες οἱ τοῦ βασιλέως ἐχθροί, καὶ οἱ τῶν θεῶν καταφρονοῦντες, καὶ τῶν βασιλικῶν προσταγμάτων, ὡς ἐκείνη. Ἡ δὲ διαστρέψασα αὐτὴν γοήτρια μετὰ δυαῖν ἑταίρων αὐτῆς ζῇ. Καὶ ὡς ἤκουσεν τὸν τῆς ἁγίας Ῥιψήμης θάνατον ὁ βασιλεύς, πάλιν ἐν λύπῃ κατεπόθη καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ θρόνου, ἐπὶ τὴν γῆν ἐκάθησεν καὶ ἐθρήνει καὶ ἔκλαιεν. Πάλιν οὖν κελεύει τὴν ἁγίαν Γαιανήν, ὥστε τὴν αὐτῆς γλῶσσαν διὰ τοῦ τένοντος ὄπισθεν πρῶτον ἐκβαλεῖν, καὶ οὕτως ἀποκτανθῆναι αὐτήν, ἐπειδὴ ἐτόλμησεν, φησιν, ἐν διαστρόφῳ νουθεσίᾳ ἀπολέσαι τοιαύτην κόρην, ἔχουσαν τὴν τῶν θεῶν εὐμορφίαν ἐν μέσῳ τῶν ἀνθρώπων. Διὰ τοῦτο πρῶτον καταπήξαντες, οὕτως αὐτὴν ἀποκτείνατε. Δεξάμενος οὖν τὴν παραγγελίαν, ὁ ἀρχιμάγηρος ἐκέλευσεν ἔχουσας τὰς
B ἁλύσεις ἐκβαλεῖν αὐτὰς διὰ τῆς ἡλιακῆς πύλης τῆς πόλεως εἰς τὰ μέρη τῆς βασιλικῆς ὁδοῦ, τῆς ἀποφερούσης εἰς τὴν γέφυραν τοῦ βαθυτάτου καλουμένου ποταμοῦ, εἰς τὸν τόπον, ὅπου πάντας τοὺς καταδίκους ἐφόνευον ἐν τῇ πεδιάδι παρὰ τὸ φοσσάτον, τὸ τὴν πόλιν κυκλοῦν.

86 Postridie accedens coquorum magister, mandatum petiit de sancta Gaiana, qua eam morte perimeret. Audiens ergo rex, quasi attonitus præ amore et stupidus dissolutusque et mentis impos factus, putabat vivere sanctam Ripsimen, et dicit: Si quis persuadere possit Puellæ, ut veniat ad me, ei magnam dignitatem, honorem et dona offero. At magister coquorum sic dixit: Pereant omnes regis inimici, et contemptores deorum, ac mandatorum regiorum, quemadmodum illa. At Præstigiatrix, quæ illam pervertit, etiamnum vivit cum duabus Sociabus. Ubi vero audivit rex mortem sanctæ Ripsimes, iterum tristitia absorptus est, solioque descendens, in terra sedebat, lugebat, flebat. Quare iterum de sancta Gaiana præcepit, ut linguam ejus a radice primum retro evellerent, et sic ipsam occiderent, Quia ausa est, inquit, perversa admonitione perdere talem Puellam, quæ in medio hominum habebat pulcritudinem deorum. Hac de causa ipsam prius figentes sic occidite. Accepto mandato, magister coquorum jussit vinctas catenis illas ejici per portam urbis solarem in partes viæ regiæ, quæ ducit ad pontem fluminis, dicti Profundissimi, ad locum, ubi occidebant omnes condemnatos in planitie prope fossam, quæ urbem cingit. E

S. Ripsimen insaniens, S. Gaianam

87 Καὶ πησσόντων αὐτῶν πάλους τέσσαρας μιᾷ ἑκαστῃ αὐτῶν, καὶ ἑτοιμαζόντων· ἤρξατο ἡ ἁγία Γαιανὴ σὺν ταῖς ἄλλαις λαλεῖν οὕτως· εὐχαριστοῦμέν σοι, δέσποτα, τῷ καταξιώσαντι τὴν ἡμῶν ἀναξιότητα ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ μεγάλου σου ὀνόματος, καὶ ἐτίμησας τὴν γηινὴν ἡμῶν φύσιν ἀξιωθῆναι τῆς θεότητος, καὶ συγκοινωνοὺς ἡμᾶς πεποίηκας ταῖς μάρτυσι Ῥιψήμῃ καὶ ταῖς λοιπαῖς. Νῦν δὲ σπεύδουσαι ἐπιποθοῦμεν καταλαβεῖν ὀπίσω τῆς ἡμῶν θυγατρὸς Ῥιψήμης καὶ τῶν ἀδελφῶν. Μνήσθητι οὖν ἡμῶν, δέσποτα, ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέραν, ἐλογίσθημεν γὰρ ὡς πρόβατα σφαγῆς. Ἀνάστα καὶ μὴ ἀπώσῃ ἡμᾶς ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, καὶ δὸς ἡμῖν τὴν νίκην σου. Ὁ δὲ πονηρὸς ἅμα τῷ συνέργῳ αὐτοῦ, ὡς πάντοτε, καὶ νῦν ἐντραπήσεται.

87 Dum autem illi singulis quatuor figebant palos, et omnia parabant, cœpit sancta Gaiana cum reliquis sic loqui: Gratias tibi agimus, Domine, qui indignitatem nostram hac dignatus es gratia, ut moriamur pro magno nomine tuo, et honorasti sic terrenam nostram naturam, ut Divinitate tua sit fruitura, et consortes nos fecisti martyrum Ripsimes et reliquarum. Nunc ergo festinantes desideramus sequi filiam nostram Ripsimen et Sorores. Memento igitur nostrum, Domine, quia propter te morti tradimur tota die, reputatæ enim sumus sicut oves occisionis. Exurge, et ne repuleris nos, propter nomen tuum, et da nobis victoriam tuam. Malus vero cum adjutore suo, sicut semper, ita et nunc confundetur.

crudelissima morte occidi jubet.

88 Μετὰ ταῦτα οὖν προσελθόντες περιέσχισαν τὰ ἱμάτια ἀπὸ τῶν μελῶν αὐτῶν, καὶ ἐτανύσαν μίαν ἑκάστην τέσσαρσι πάλοις, τοὺς δὲ ἀστραγάλους τρυπήσαν-
C τες καὶ αὐλίσκῳ φυσοῦντες, ὡς ἄσκους, ἐξέδηραν τὰ τῶν ἁγίων δέρματα κάτωθεν ἀπὸ τῶν ποδῶν ἕως τῶν μασθῶν αὐτῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἅμα τῶν τριχῶν. Τὰς δὲ γλώσσας διὰ τῶν αὐχένων τρυπήσαντες ἐξέβαλον, καὶ λίθους ὀξεῖς ἐν τοῖς κόλποις αὐτῶν πήξαντες διεσκόρπησαν τὰ σπλάγχνα αὐτῶν, καὶ ἔτι σῶσαι τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν ξίφεσιν. Οἱ δὲ ἅμα αὐταῖς παραγενάμενοι ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων χώρας, πλείους ὑπῆρχον ἑβδομήκοντα. Οἱ δὲ σφαγέντες μετὰ τῶν ἁγίων Γαιανῆς καὶ Ῥιψήμης, ἅμα ταῖς λοιπαῖς τριάκοντα ἑπτὰ ἦσαν τὸν ἀριθμόν. Τοσοῦτος ἦν ὁ χορὸς τῶν μαρτύρων. Τῇ εἰκάδῃ σὺν καὶ ἕκτῃ τοῦ μηνὸς Σεπτεμβρίου ἐτελειώθη ἡ ἁγία Ῥιψήμη ἅμα τοῖς σὺν αὐτῇ ἀθληταῖς, εἰκάδῃ δὲ καὶ ἑβδόμῃ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς ἡ Γαιανὴ σὺν ταῖς δυσὶν ἔλαβεν τὸν στέφανον τῆς νίκης.

88 Post hæc ergo accedentes, dilaceraverunt vestimenta a membris earum, et unamquamque extenderunt quatuor palis: talos vero perforantes, et fistula inflantes, sicut utres, pellem Sanctis detraxerunt ab imo, sive a pedibus usque ad ubera eodem modo una cum capillis. At linguas per cervices perforando extraxerunt; lapidesque acutos in sinus earum figentes, viscera disperserunt: et etiam tum viventibus capita gladio amputata q sunt. Qui simul cum illis venerant e regione Romanorum, plures erant quam septuaginta. Qui vero cum sanctis Gaiana et Ripsime mactati sunt, una cum reliquis numero fuerunt triginta et septem. Tantus erat Martyrum chorus. Itaque vigesima sexta mensis Septembris mortua est sancta Ripsime cum Athletis eidem adjunctis: vigesima septima ejusdem mensis Gaiana cum duabus obtinuit coronam victoriæ. F

ut cum duabus aliis occisa est.

q

ANNOTATA.

a *Vox* χρυσεμπαστοφορεῖον *nullibi quidem a me inventa: sed tres voces, ex quibus composita est, significationem, quam illi dedi, insinuant, nempe* χρυσὸς aurum, ἔμπαστος inspersus, conspersus, *aut* variatus, *et* φορεῖον lectica, *seu sella* gestatoria.

b *Ornamenta hæc memorat auctor, quia* Ripsimen *dixerat genere regio natam, sed incongrue non minus quam fabulose.*

c *Armenia*

A AGATHANGELO.

c *Armenia in partibus Borealibus ab auctore ponitur, comparatione habita, opinor, ad Syriam,* D *Mesopotamiam, Persidem aliosque provincias; quamvis Armenia minus versus Boream sita fit, quam regiones, quæ passim solent* Boreales *vocari.*

d *Deducit auctor nomen* Ripsime *a verbo* ῥίπτω projicio, *unde* ῥίψις jactus. *At probabilius non est nomen græcum, sed orientale.*

e *Totum illud verisimiliter fabulosum cum memorato tonitru.*

f *Sic quidem legitur in apographo nostro, sed mendose, opinor. Certe de fortitudine Rachelis nihil legitur, sed* Jahel *una cum Debbora fortiter egisse legitur contra Sifaram Jud. 4, quem Jahel occidit. Quare* Jahelem *cum Debbora hic positum fuisse existimo.*

g *Fuit forte Teridates aliquando in Ionia provincia, sed, ut jam monui,* Ionia *hic latius sumitur. Ceterum pugna hæc videtur fictitia, hujusque figmenti causa tot fabulas de fortitudine Teridatis commentus videtur biographus.*

h *Auctor, qui virgines fecit romanas, consequenter latine locutam Gaianam dixit. Verum ipse omnia illa composuit, non* Gaiana.

i *Id est, usque ad initium noctis, quam in quatuor vigilias dividebant Orientales. At minime dubitandum, quin fabulosa sit pugna illa diuturna.*

k *His verbis sancta suam et sociarum vitam offert Deo in gratiarum actionem, ut pluribus exponitur inferius.*

l *Forte hic omissa est negatio,* non; *nam sensus erit melior, si legatur,* quod a juventute mea vitam non desideraverim terrenam.

m *Metaphrastes apud Surium sanctæ martyrium ita exponit:* Eis autem (*Virginibus*) orationi diligenter intentis, cum quidam nuntiassent, ubi illæ essent, accedit, procedente jam nocte, regis coquorum princeps, ab ipso missus cum satellitibus, habentibus in manu lampades. Qui cum beatam Ripsimem accepissent, manibus pone circumactis eam vinciunt, et eam jubent linguam proferre.
B Cum illa autem verbo citius fecisset, quod jussa fuerat, eam exscindunt. Postea fracta tunica, et E extensis utrisque ejus manibus et pedibus, cum eam rectis lignis alligassent scelerati, urebant lampadibus. Deinceps autem cum acuto lapide ventrem eius dissecuissent, in terram effundunt intestina, et ejus adhuc parum palpitantis oculos effodiunt: et totam minutatim discepserunt. *Hoc postremum non habet noster. Cætera satis congruunt.*

n *De numero martyrum egi in Commentario num.* 13. *At non omnes mox memorati,* plures quam septuaginta, *fuerunt martyres.*

o *Hujus separatam cædem omisit Metaphrastes, licet de toto martyrum numero consentiat.*

p *Rursum ad fabulas poeticas delabitur auctor. Nam poeta digniora sunt, quam historico, quæ et de fortitudine Teridatis, et de insano ejus in* Ripsimen *amore, et de ejusdem errore, quo inferius fingitur viventem credidisse, Agathangelus consarcinavit.*

q *Metaphrastes animadvertit plura hisce Sanctis illata fuisse tormenta, quam rex jusserat: consentitque de pelle detracta, de linguis per cervicem excisis, de ventribus per acutos lapides exsectis, et denum de capitibus amputatis.*

C

CAPUT III

Pœna divinitus inflicta regi Teredati: S. Gregorius e carcere aut puteo eductus, regem Armenosque docere incipit.

Cum Teridates divinitus esset punitus insania.

Rex autem, postquam sex diebus profundissima detentus manserat tristitia ex desiderio pulcritudinis Ripsimes, deinde voluit exire ad venationem cum agmine suo: cumque pedites lina pararent, et discessuri essent ad venationem in campum, dictum Φαρακάνης ἐμάκων, rex currum suum ascendit, sedensque exivit urbe. Protinus autem castigatio, immissa a Deo, regem in curru percutit, spiritus immundus, ipsumque dejicit in terram. Cœpit porro furere, et carnes proprias comedere: quin etiam, veluti Nabuchodonosor rex Babylonis, ab humana natura ad formam aprorum *a* dejectus est, et cum ipsis habitabat in arundinetis, planeque nudus pertransibat campum. Neque enim comprehendere eum poterant, qui ex urbe id volebant, propter naturale rubur, quo præstabat, et propter furorem dæmonum, qui eum inhabitabant. Verum et homines plurimi ex iis, qui habitabant in urbe, eodem modo correpti a dæmonibus furebant, horrendaque subversio toti contigit regioni. Familiares vero regis, servique et ministri, eodem modo omnes *b* simul multis castigabantur suppliciis.

Ἐπεὶ οὖν ἡμέρας διέμεινεν βαθυτάτῃ λύπῃ κατασχεθεὶς ὁ βασιλεὺς ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας τοῦ κάλλους τῆς Ῥιψήμης· καὶ μετὰ ταῦτα ἠβουλήθη εἰς θήραν ἐξελθεῖν ἅμα τῷ στρατεύματι, καὶ ἑτοιμαζόντων τῶν πεζῶν τὰ λινὰ, καὶ μελλόντων ἀπελθεῖν εἰς τὴν θήραν ἐν τῇ πεδιάδι, καλουμένῃ φαρακάνης ἐμάκων, ἀνῆλθεν ἐν τῷ ἅρματι ὁ βασιλεὺς, καὶ καθίσας ἐξίει τὴν πόλιν, καὶ εὐθέως τιμωρία παρὰ τοῦ θεοῦ φθάσασα παίει τὸν βασιλέα ἐπὶ τῷ ἅρματι, πνεῦμα ἀκάθαρτον, καὶ εἰς γῆν καταβάλλει· καὶ ἤρξατο μαίνεσθαι, καὶ τὰς ἰδίας σάρκας κατεσθίειν. Ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ὁμοίωσιν Ναβουχωδονοσὸρ τοῦ βασιλέως Βαβυλῶνος, ἀπὸ φύσεως ἀνθρωπίνης γενόμενος ἐν μορφῇ συάγρων, μετ᾽ αὐτῶν ᾤκει εἰς τοὺς καλαμῶνας, καὶ γυμνωθεὶς παντελῶς τὴν πεδιάδα περιῄει. Οὐδὲ γὰρ οἱ ἐν τῇ πόλει βουλόμενοι κρατῆσαι αὐτὸν ἴσχυον διὰ τὴν φυσικὴν αὐτῷ δύναμιν προσοῦσαν, καὶ τὴν τῶν δαιμόνων μανίαν τῶν ἐν αὐτῷ οἰκισθέντων. Ἀλλὰ καὶ πλεῖστοι τῶν ἐν τῇ πόλει ἀνθρώπων τὸν αὐτὸν τρόπον δαιμονισθέντες ἐμαίνοντο, καὶ φοβέρα καταστροφὴ πάσῃ τῇ χώρᾳ ἐπέφθασεν. Οἱ δὲ τοῦ βασιλέως οἰκεῖοι, δοῦλοί τε καὶ ὑπηρέται, ὡσαύτω πάντες ὁμοῦ τιμωρίαις πολλαῖς ἐκόλαζοντο. F

A 90 Ἐν ἐκείνῳ οὖν τῷ καιρῷ ὀπτασία ἐπεφάνη τῇ τοῦ βασιλέως ἀδελφῇ, τῇ καλουμένῃ Κουσαρωδούκτᾳ. Ἐλθοῦσα οὖν διηγεῖτο τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἔλεγεν· ὅραμα ἐθεασάμην ταύτῃ τῇ νυκτί. Ἄνθρωπος εἷς φωτοειδέστατος, παραστὰς ἔφη πρὸς μὲ, ὅτι οὐδεμία ἴασις τῆς πλήγης τῶν βασάνων ἡμῶν γενήσεται, ἐὰν μὴ πέμψαντες ἐν τῇ ἀρταξὰτ πόλει, ἐκεῖθεν ἐνέγκητε τὸν δέσμιον Γρηγόριον, ἵνα αὐτὸς ἐλθὼν διδάξῃ ἡμᾶς φάρμακον ἰάσεως. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἄνθρωποι κατεγέλων τῶν αὐτῆς ῥημάτων, λέγοντες· τάχα καὶ αὐτὴ συμμαίνῃ, ἀπὸ δαίμονος ἐλαυνομένη. Πῶς γὰρ οὔ; ἰδοὺ δεκαπέντε ἔτη πληροῦνται, ἀφ᾽ οὗ αὐτὸν ἔρριψαν ἐν τῷ κρημνῷ, καὶ λέγεις αὐτὸν ζῆν; ποῦ γὰρ κἂν τὰ ὀστᾶ εὑρίσκεται; ἐν αὐτῇ γὰρ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ ἐκεῖ ἐχαλάσθη, ἀπὸ τῆς θέας τῶν ἡμῶν ὀφθαλμῶν ἀνηλώθη. Δεύτερον οὖν καὶ τρίτον ὁ φανεὶς αὐτῇ μετὰ μείζονος ἀπειλῆς ἔλεγεν· ἐὰν μὴ συχνῶς διηγήσει, μεγάλας τιμωρίας καὶ αὐτὴ δέξῃ. Αἱ δὲ βάσανοι τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῦ βασιλέως ἐπλεόναζον, καὶ ὁ θάνατος ἐν ὄχλῳ. Εἰσελθοῦσα οὖν πάλιν ἐν μεγάλῃ σπουδῇ Κουσαρωδούκτα διηγήσατο τοὺς λόγους.

91 Εὐθέως οὖν ἀποστέλλουσι τιμιώτατόν τινα σατράπην, Αὐταυίαν ὀνόματι, ἀπελθεῖν ἐν τῇ Ἀρταξὰτ πόB λει. Οἱ δὲ πολῖται, ὡς ἐθεάσαντο αὐτὸν ἐρχόμενον, ἐξιόντες εἰς ὑπάντησιν αὐτοῦ μετὰ χαρᾶς, ἐπυνθάνοντο τὴν αὐτοῦ παρουσίαν. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· διὰ τὸν δέσμιον Γρηγόριον πάρειμι, ἐκβαλεῖν αὐτὸν ἀπὸ τῆς φυλακῆς. Τῶν δὲ θαυμαζόντων καὶ λεγόντων· ἆρα σύ; πολλὰ γὰρ ἔτη ἐστίν, ἀφ᾽ οὗ ἐρρίφθη ἐκεῖ. Εἶτα αὐτὸς διηγήσατο τὸ ὅραμα, καὶ τὰ λεγόμενα ἔργα. Ἐνέγκαντες οὖν σχοινία μακρὰ καὶ στιβαρὰ, προσδήσαντες σχοίνους μακροὺς ἐχάλασαν κάτω. Ἀνεβόησεν οὖν αὐταυίας ὁ σατράπης μεγάλῃ τῇ φωνῇ καὶ εἶπεν, Γρηγόριε, εἰ ἔτι ἐν τοῖς ζῶσιν ὑπάρχοις, δεῦρο ἔξω· ὁ γὰρ κύριος ὁ Θεός σου, ᾧ αὐτὸς λειτουργεῖς, ἐκέλευσέν σε ἀνελθεῖν. Καὶ εὐθέως ἀναστὰς, καὶ δραξάμενος τῶν σχοινίων, ἐκίνει αὐτά. Αἰσθόμενοι οὖν καὶ ἀνελκύσαντες αὐτὸν ἀναφέρουσιν, καὶ ἐθεάσατο ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ μεμελῶτο, ὡς δαλός. Καὶ προσενέγκαντες ἱμάτια ἐνέδυσαν αὐτὸν, καὶ μετὰ χαρᾶς πλείστης λαβόντες αὐτὸν, ἀπὸ τῆς Ἀρταξὰτ τῆς πόλεως ἔρχονται εἰς Οὐαλεροκτίστην πόλιν.

92 Τότε οὖν ὁ βασιλεὺς διὰ τὴν τοῦ δαίμονος μαστίγα ἀγόμενος βίᾳ εἰς ὑπάντησιν ἔρχεται τοῦ ἁγίου, γυμνὸς καὶ ἐπονείδιστος. Οἱ δὲ σατράπαι ἔξω τῆς πόλεως παραμένοντες προσεδέχοντο αὐτούς. Θεασάμενοι C οὖν ἐρχόμενον τὸν ἅγιον Γρηγόριον, ἅμα Αὐταΐᾳ τῷ σατράπῃ, πολλῶν ἐπακολουθούντων αὐτοῖς ὄχλων ἀπὸ Ἀρταξὰτ τῆς πόλεως, προσεχώρουν εἰς συνάντησιν αὐτοῦ δαιμονιαζόμενοι, καὶ τὰς ἰδίας σάρκας ἐσθίοντες, καὶ ἀφρίζοντες ἔπιπτον ἔμπροσθεν αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἅγιος εὐθὺς γόνυ κλίνας, ηὔξατο ἐκτενῶς περὶ αὐτῶν· ὡς δὲ ἀνένηψαν, ἐκέλευσεν αὐτοὺς περιβαλέσθαι ἱμάτια, καὶ σκεπᾶσαι αὐτῶν τὰ ἀσχήμονα. Προσελθὼν οὖν ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν σατραπῶν ἐπελάβοντο τῶν ποδῶν τοῦ παναγίου Γρηγορίου, καὶ ῥίψαντες αὐτοὺς εἰς τὴν γῆν, ἀνεβόων λέγοντες· αἰδούμεθα παρὰ σοῦ μὴ μνησθῇ τῶν κακῶν ἡμῶν, ἐν οἷς σε ἐθλίψαμεν. Αὐτὸς δὲ ἐξεγείρας αὐτοὺς, ἔλεγεν πρὸς αὐτούς· κἀγὼ καθ᾽ ὑμᾶς ἄνθρωπος ὑπάρχω, σῶμα ἔχων ὁμοιοπαθὲς ὑμῖν. Ὑμεῖς δὲ γνῶτε τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἥλιόν τε καὶ σελήνην σὺν τοῖς ἄστροις, τὴν θάλασσάν τε καὶ τὴν ξυράν, τὸν καὶ ὑμᾶς δυνάμενον ἰάσασθαι.

93 Καὶ εὐθέως ἤρξατο ὁ ἅγιος Γρηγόριος πυνθάνεσθαι, ποῦ, φησιν, εἰσὶν κείμενα τὰ σώματα τῶν τοῦ Θεοῦ μαρτύρων; ἔφησαν ἐκεῖνοι· ποίων μαρτύρων λέγεις; εἶπεν αὐτοῖς· τῶν διὰ χριστὸν ἀποθανόντων ὑφ᾽ ὑμῶν. Καὶ εἶπον πρὸς αὐτόν· δεῦρο καὶ ἴδε τὸν τόπον. Δραμὼν οὖν ὁ ἅγιος συνέστειλεν τὰ αὐτῶν λείψανα,

A AGATHANGELO.

soror ejus in visione docetur, sanandum a S. Gregorio. c

90 Eo tempore visio obtigit sorori regis, cui nomen Cusaroducta *c*. Hanc ergo, accedens ad homines, narrabat, et dicebat: Visionem vidi hac nocte. Vir lumine splendidissimus mihi adstans dixit, quod nulla sanatio plagæ cruciatuum nostrorum sit futura, nisi mittatis ad civitatem Artaxat, indeque nuferatis vinctum Gregorium, ut ille veniens nos doceat medicamentum, quo obtineatur sanatio. At homines id audientes deridebant eius verba, dicentes: Forsitan et ipsa insanis, stimulata a dæmone. Numquid non? Ecce quindecim anni complentur a tempore, quo eum in præcipitium injecerunt, et dicis ipsum vivere? Ubi enim vel ossa inveniuntur? Nam eadem hora, qua illuc dimissus est, a visu oculorum nostrorum ablatus est. Secundo igitur et tertio apparens ipsi, cum gravioribus minis dixit: Nisi assiduo narraveris, magnas et ipsa sustinebis pœnas. Cruciatus vero hominum et regis augebantur, et mors in multitudine. Rursum ergo accedens Cusaroducta, magno studio narravit audita verba.

Hinc Sanctus e carcere eductus. d

91 Confestim ergo mittunt satrapam quemdam honestissimum, nomine Autauiam *d*, ut se conferat ad urbem Artaxat. Cives vero, ubi viderunt eum venientem, obviam exeuntes cum E gaudio, interrogabant de adventu ejus. Ille autem dixit: Adsum propter vinctum Gregorium, ut eum de carcere educam. Illis vero mirantibus et dicentibus: Ain tu? Nam multi sunt anni, a quibus illuc injectus est: deinde ipsis narravit visionem, et quæ contigerant. Quapropter allatis funibus longis et crassis, colligaverunt funes oblongos, et deorsum demiserunt. Exclamavit ergo Autauias satrapa elata voce, et dixit: Gregori, si etiamnum in vivis es, egredere. Nam Dominus Deus tuus, cui tu servis, præcepit, ut ascendas. Et continuo surgens, et pugno funes apprehendens, eos movit. Id ergo sentientes, atrahentesque eum sursum tulerunt: visumque corpus ejus, nigrum erat factum instar titionis. Allatis vero vestimentis eum induerunt, eoque maxima cum lætitia suscepto, a civitate Artaxat proficiscuntur ad civitatem Valeroctisten *e*. e

supplicem habet regem et alios:

92 Tunc ergo rex, per flagellum dæmonis vi ductus, in occursum Sancti procedit, nudus et ignominiosus. Satrapæ vero, qui degebant extra civitatem, illos exspectabant. Ubi autem vide- F runt venientem sanctum Gregorium cum Autaia satrapa, multis ipsos sequentibus a civitate Artaxat, obviam ei se contulerunt a dæmonibus vexati, et proprias cumedentes carnes, spumasque emittentes coram ipso prociderunt *f*. At Sanctus f velociter genu flectens, orabat pro illis cum fervore. Ubi ad sobrietatem mentis redierunt, jussit eos vestibus circumdari, et verenda eorum tegi. Accedentes ergo rex et satrapæ apprehenderunt pedes sancti Gregorii, seque in terram projicientes, exclamaverunt ad ipsum dicentes: Rogamus te, ne memineris malorum, quibus te afflíximus. Ille vero eos surgere faciens, ad eosdem dixit: Et ego inter vos homo sum, habens corpus vestris simile. Vos autem cognoscite eum, qui fecit cælum et terram, solem et lunam cum sideribus, mareque et terram aridam, qui et vos potest sanare.

curam mox habet de Martyrum corporibus: et regem

93 Tum continuo cœpit sanctus Gregorius interrogare. Ubi, inquiebat, jacent corpora Dei Martyrum? Illi dixerunt: De quibus Martyribus loqueris? Dixit eis: De illis, qui pro Christo occisi sunt a vobis. Responderunt eidem: Veni et vide locum. Currens itaque Sanctus eorum cor-

A. AGATHANGELO.

pora simul conjunxit. Nam in loco mortis ipsorum projecta jacebant, conservata autem Dei potentia: novem dies totidemque noctes dispersa foris corpora nec fera bestia attigit, nec canis (nam prope civitatem erant;) sed neque avis iis insidere potuit; nec vero olebant corpora eorum. Quapropter et rex et omnes pretiosissima attulerunt indumenta pro sepultura. At sanctus Gregorius hæc illis digna non censuit: sed ea propriis contegens vestimentis, ad omnes dicebat: Sic permaneant, donec vos fiatis digni, qui honoretis earum corpora: conjunctisque corporibus, abiit in torcular, ubi prius earum fuerat habitatio, ibique mansit. Per totam porro noctem Deum orans pro illorum salute sanctus Gregorius, quærebat, ut pœnitentes salutem consequerentur. At sequenti die rex, satrapæ et magnates cum promiscuis et universa turba in genua provoluti sunt coram sancto Gregorio et sanctis Martyribus, et flentes dixerunt: Condona nobis mala, quæ tibi intulimus, et ora Deum tuum, ut non pereamus.

proceresque et populum g

94 At sanctus Gregorius ad eos dixit: Quem dicitis Deum tuum g, ipse verus est Deus et conditor omnipotens, propria agens voluntate, beneficus, carens tempore, materia et quantitate, perfectus. B Materialia vero opera per æternam suam cognitionem componens, ex nulla substantia mundum præparatum fixit, et ex non exsistentibus ad exsistendum universa procedere fecit Deus. Omnipotentem ergo Dominum ipsum cognoscite, ut sanemini a pœna, ab eo vobis immissa, qui sua clementia et misericordia vos corripuit secundum divinam Scripturam sapienter dicentem: Quem enim diligit Deus, corripit, et flagellat omnem filium, quem recipit. Ille igitur per clementiam suam vocat vos ad adoptionem filiorum: cumque sit verus Dei Filius, non confunditur fratres vocare illos, qui revertuntur ad ipsius adorationem: et Spiritum sanctum donat, caritatis suæ arrabonem, et exhilarat corda vestra ad permanentem lætitiam, modo revertentes secundum voluntatem ejus incedatis, ut det vobis immortalitatem.

docere incipit.

95 Præterea, quod vocatis Deum meum, recte facitis. Nam Deus est eum cognoscentium. Qui vero eum non cognoverunt, etsi eius sint creaturæ, alieni sunt a curatione et benigna ejus caritate. C At qui eum timent, appropinquant ipsi, ejusque visitatio circumdando eos custodit. Si vero dicatis: Ubi est, ut protegat timentes se? qui enim inciderunt in manus nostras, in cruciatibus vitam finierunt, et cum illis egimus, sicut voluimus; intelligite, quod Dominus velit requiem mortis hominum, et in secundo adventu gloriæ eius revelabuntur bona, ut hæc dilectis suis donet, et iis, qui eum cognoverunt, et voluntatem ejus perfecerunt. Considerate enim, quomodo Deus potentia sua constantes servaverit sanctas Martyres suas, ut multæ vexationes non valuerint unam illarum ab eo separare. Sanctam vero suam Ripsimen cum Sociabus suis a vestra contaminatione et iniquitate custodivit immunem. Fraus tamen laquei inimici, qua ab initio deceptus est homo, fecit, ut incederet per viam, quæ ducit ad interitum. Meam autem indignitatem ea gratia, sicut voluit, per clementiam suam dignatus est Deus, ut paterer pro magno ipsius nomine; deditque mihi patientiam, ut propriam sortem consequerer, quemadmodum dixit magnus apostolus Paulus (quem utinam et vos cognoscatis, et verbis ejus fruamini

ἔκειντο γὰρ ἐν τῷ τοῦ θανάτου αὐτῶν τόπῳ ἐῤῥιμένα, D φυλαχθέντα δὲ διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεος· ἐννέα ἡμέρας καὶ τὰς ἴσας νύκτας ἐσκορπισμένα ἔξω τὰ σώματα μήτε θηρίου ἀψαμένου μήτε κυνὸς (ἐγγὺς γὰρ περὶ τὴν πόλιν ἦσαν) ἀλλ᾽ οὐδὲ πετεινὸν ἐφιζάνειν ἠδυνήθη οὐδὲ μὴ ὤζεσαν τὰ σώματα αὐτῶν. Προσήνεγκαν οὖν πολυτελέστατον ἱματισμὸν τῆς κηδεύσεως χάριν ὁ βασιλεὺς καὶ πάντες. Ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος οὐκ ἄξια αὐτῶν ἔκρινε ταῦτα, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς ἰδίοις ἱματίοις σκεπάσας αὐτὰ, εἶπεν πρὸς πάντες· οὕτως ἐχέτωσαν ἑώς οὗ γένησθε ὑμεῖς ἄξιοι τοῦ τιμῆσαι τὰ σώματα αὐτῶν, καὶ συνάψας τὰ λείψανα ἀνεχώρησεν εἰς τὴν ληνὸν, ὅπου τὸ πρότερον ἡ καταμονὴ αὐτῶν ὑπῆρχεν, κακεῖσε ἔμεινεν. Καὶ δι᾽ ὅλης τῆς νυκτὸς ὁ πανάγιος Γρηγόριος τῷ Θεῷ εὐξάμενος περὶ τῆς σωτηρίας αὐτῶν, ἐζήτει πῶς ἵνα μετανοήσαντες σωθῶσιν. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν σατραπῶν καὶ μεγιστάνων καὶ συμμίκτων ὁμοῦ καὶ παντὸς τοῦ ὄχλου γονυπετοῦντες ἔμπροσθεν τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων, κλαίοντες ἔλεγον· συγχώρησον ἡμῖν τὰ κακὰ ἡμῶν, τὰ παρ᾽ ἡμῶν σοι γενόμενα, καὶ αἴτησαι παρὰ τοῦ Θεοῦ σου, ἵνα μὴ ἀπολώμεθα.

94 Ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος ἔφη πρὸς αὐτούς· ὃν λέγετε Θεόν σου, Θεός ἐστιν ἀληθινὸς, καὶ ποιητὴς παντοδύναμος, αὐτοθέλητος, ἀγαθουργὸς ἄχρονος, ἄϋλος, E ἄποσος, αὐτοτελής. Ἔνυλα δὲ ποιήματα διὰ τῆς ἀϊδίου αὐτοῦ γνώσεως συστησάμενος ἐκ τῆς ἀνυπαρξίας τὸν κόσμον πήξας ἡτοίμασεν, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι προσελθεῖν τὰ σύμπαντα ἐποίησεν ὁ Θεός. Παντοκράτορα οὖν κύριον αὐτὸν γνῶτε, ὅπως ἰαθῆτε ἀπὸ τῆς ἐπιτιμίας, τῆς παρ᾽ αὐτοῦ ἐπελθούσης ὑμῖν, ὅστις ἕνεκεν τῆς ἰδίας φιλανθρωπίας καὶ τοῦ ἐλέους ἐπαίδευσεν ὑμᾶς κατὰ τῆς θείας γραφῆς σοφῶς εἰπούσης· ὃν γὰρ ἀγαπᾷ κύριος παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν, ὃν καταδέχεται. Αὐτὸς οὖν διὰ τῆς ἰδίας φιλανθρωπίας προσκάλει ὑμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, καὶ ἀληθινὸς ὢν υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς ὀνομάσαι τοὺς ἐπιστρέφοντας εἰς τὴν αὐτοῦ προσκύνησιν· καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον χαρίζεται ἀῤῥαβῶνα τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, καὶ ἱλαροῖ τὰς καρδίας ὑμῶν εἰς τὴν παραμόνιμον εὐφροσύνην, μόνον ἵνα ἐπιστρέψαντες κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ πορεύεσθε, ἵνα παράσχῃ ἡμῖν καὶ τὴν ἀθανασίαν.

95 Πλὴν ὅτι Θεόν μου καλεῖτε, καλῶς ποιεῖτε. Τῶν γὰρ ἐπιγνώντων ἐστὶ θεός. Οἱ δὲ μὴ ἐπιγνῶντες, κἂν ποιήματα αὐτοῦ ὑπάρχουσιν, ἀλλότριοί ἐστιν τῆς κηδεμονίας αὐτοῦ καὶ τῆς φιλανθρώπου ἀγάπης. Οἱ δὲ φοβούμενοι αὐτὸν ἐγγύσουσι αὐτῷ, καὶ ἡ ἐπισκοπὴ αὐτοῦ περικυκλοῦσα φιλάττει αὐτούς. F Ἐὰν δὲ εἴπητε, ποῦ ἐστιν ὅτι σκεπάζει τοὺς φοβουμένους αὐτὸν; οἱ γὰρ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν ἐμπέσαντες ἐν βασάνοις ἀπέθανον, καὶ καθὼς ἠβουλήθημεν, πεποιήκαμεν αὐτοῖς· γνῶτε ὅτι θέλει κύριος τὴν ἀνάπαυσιν τοῦ θανάτου τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ δόξης ἀποκαλύπτεται τὰ ἀγαθὰ, ὥστε δοῦναι αὐτὰ τοῖς αὐτοῦ ἀγαπητοῖς, καὶ τοῖς γινώσκουσι καὶ ποιοῦσι τὸ θέλημα αὐτοῦ. Βλέπετε γὰρ, πῶς τῇ ἰδίᾳ δυναμει ὁ Θεὸς ἐφύλαξε βεβαίας τὰς ἁγίας αὐτοῦ μάρτυρας, καὶ οὐδὲ αἱ πολλαὶ θλίψεις ἀποχωρῖσαι αὐτοῦ μίαν ἐξ αὐτῶν ἠδυνήθησαν. Περιεσώσατο δὲ καὶ τὴν ἁγίαν αὐτοῦ Ῥιψίμην μετὰ τῶν συνουσῶν αὐτῇ ἀπὸ τοῦ ὑμετέρου μιάσματος καὶ τῆς ἀνομίας. Ἡ δὲ ἀπάτη τῆς παγίδος τοῦ ἐχθροῦ ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀπατήσασα τῶν ἄνθρωπον, ὁδοιπόρον αὐτὸν τῆς ἀπολλυμένης ὁδοῦ κατέστησεν. Τὴν δὲ ἐμὴν ἀναξιότητα ὁ Θεὸς, ὡς ἠθέλησεν, κατηξίωσε διὰ τῆς ἰδίας φιλανθρωπίας παθεῖν ὑπὲρ τοῦ μεγάλου ὀνόματος αὐτοῦ· καὶ δέδωκέν μοι ὑπομονὴν, ἵνα καταλάβω τοὺς ἰδίους κλήρους, καθὼς εἶπεν ὁ μέγας ἀπόστολος Παῦλος, ὃν γένοιτο καὶ ὑμᾶς γνῶναι καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ ἀπολαύειν ἐν τῇ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Χριστοῦ· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ καταξιώσας ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν

A τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. Ἀληθῶς γὰρ κατελάβομεν κοινωνοὶ γενέσθαι τῶν καυχημάτων, ἵνα κοινωνήσαντες τοῖς παθήμασι τοῦ Χριστοῦ ἀπολαύσωμεν καὶ τῆς αὐτοῦ ἀθανάτου δόξης.

96 Αὐτὸν γνῶτε, τὸν καλέσαντα ὑμᾶς εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς τῆς θεότητος, ἵνα προσελθόντες τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, εὕρητε ἔλεος παρ' αὐτοῦ καὶ ἀποτινάξαντες πάντα ῥύπον τῆς κακίας καὶ ἀνομίας, ἀπολούσησθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν ὕδατι ζῶντι, καὶ τὴν τοῦ φωτὸς καὶ τῆς δόξης στολὴν ἐνδύσασθαι καταξιωθῆτε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Περὶ δὲ τῆς ἁγίας Ῥιψίμης ὑμεῖς οἴδατε, πῶς ἐφύλαξεν αὐτὴν ὁ κύριος, καὶ περιεποιήσατο ἀπὸ τῶν ἀνόμων καὶ ἀκαθάρτων ὑμῶν χειρῶν. Καὶ αὐτὸς σύ, βασιλεῦ, ἐπίστασαι τὴν σὴν ἀνδρείαν καὶ ἀρετήν, πῶς ἐγένου ἀσθενὴς ἐνώπιον μίας κόρης· ἐφύλαξεν γὰρ αὐτὴν ἡ δύναμις τοῦ δεσπότου αὐτῆς Χριστοῦ. Περὶ δὲ ἐμοῦ οὐκ ἀγνοεῖς, ὅτι ἤδη δεκαπέντε ἔτη πληρώσαντός μου, καὶ κειμένου ἐν τῷ σκοτεινῷ καὶ βαθυτάτῳ κρημνῷ ἐν μέσῳ ὄφεων καὶ σκορπίων κατοικοῦντος, διὰ τὸν τοῦ κυρίου φόβον οὐκ ἐβλάβην, οὐδὲ ἐφοβήθη οὐδὲ ἐξέστη ἡ καρδία μου. Πεποιθὼς γὰρ ἤμην κυρίῳ τῷ Θεῷ, τῷ ποιητῇ τῶν ἁπάντων. Περὶ δὲ τούτων ἐπιστάμεθα ὅτι ἐν ἀγνοίᾳ πεποιήκατε. Νῦν δὲ ἐπι-
B στρέψατε, καὶ γνῶτε τὸν κύριον, ἵνα ἐλεήσας σώσῃ ὑμᾶς· καὶ τοὺς τεθνηκότας μὲν ὑμῖν, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ, εἰς πρέσβειαν ἐπικαλέσασθε. Ζῶσιν γὰρ καὶ οὐκ ἀπέθανον. Καὶ γνῶτε τὸν Θεόν· αὐτὸς γάρ ἐστι δεσπότης τῶν ἁπάντων.

97 Ἀπόστητε τῶν βδελυρῶν σεβασμάτων, λιθίνων καὶ ξυλίνων, ἀργυρέων καὶ χρυσέων καὶ χαλκῶν ἰνδαλμάτων· ψευδῆ γάρ εἰσι καὶ μάταια. Προέλεγον γὰρ ἡμῖν περὶ ταύτης τῆς πλάνης ὑκῶν, ὅτι ὁμίχλη ζοφερὰ καὶ σκότος παχύτατον ἐπικάθηται τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς καρδίας ὑμῶν, καὶ οὐκ ἠδυνήθητε ἀναβλέψαι καὶ νοῆσαι, ὅπως τὸν ποιητὴν γνῶτε. Εἰ δὲ ἐν τῇ παρούσῃ εὐθύτητα θεάσομαι παρ' ὑμῶν, εἰς τὴν τῆς θεότητος αὐτοῦ λατρείαν σπευδόντων προσπελάσαι, μὴ γένοιτό μοι παύσασθαι νύκτος καὶ ἡμέρας ὑπὲρ ὑμῶν δεηθῆναι, ἵνα μὴ ἀπόλεσθε. Ἄφατος γάρ ἐστιν ἡ φιλανθρωπία τοῦ ποιητοῦ, καὶ ἀνεξερεύνητος καὶ ἀνεκδιήγητος πρὸς τὰ αὐτοῦ ποιήματα, ἐπεὶ διὰ τῆς μακροθυμίας ἀνέχεται· συγχώρει, ἐκδέχεται, φείδεται διὰ πολλοὺς οἰκτηρμούς. Ὃς καὶ ἀπὸ τῶν ἀρχαίων ἡμερῶν ἔασεν πορεύεσθαι τοὺς ἀνθρώπους κατὰ τὸ θέλημα αὐτῶν, καθὼς γέγραπ-
C ται. Ἐξαπέστειλα αὐτοὺς κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν καρδιῶν αὐτῶν, πορεύεσθαι τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτῶν. Νῦν δὲ προσκάλει ὑμᾶς κληρονόμους τῆς ἀφθάρτου ζωῆς, εἴ τις οὐ παρέρχεται. Διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἀγαπητοὺς αὐτοῦ μάρτυρας ἐξαπέστειλε πρὸς ὑμᾶς, οἱ ἐν τῷ μαρτυρίῳ ὁμολόγησαν τῆς ὁμοουσίου τριάδος τὴν δεσποτείαν τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ, τῷ ἀπ' αἰῶνος καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, οὗ ἡ βασιλεία βασιλεία αἰώνιος καὶ τῆς δεσποτείας αὐτοῦ οὐκ ἔστι τέλος. Ἔθεντο οὖν τὸν θάνατον αὐτῶν σφραγῖδα πιστικωτάτην τῆς ἀληθοῦς αὐτῶν καὶ βεβαίας πίστεως.

98 Οἱ ζῶσι τῷ Θεῷ, καὶ πρεσβεύουσιν πρὸς τὸν Θεὸν τοῖς δυναμένοις κτήσασθαι αὐτούς. Ἐπειδὴ γὰρ διὰ τὸν Θεὸν ἀπέθανον, δύνανται τὴν πολλῶν νεκρότητα ζωοποιῆσαι. Διὰ τούτους οὖν διαλέγητε τῷ Θεῷ ἐν τῷ θανάτῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἀπέθανεν, ἵνα τὴν τῆς κτήσεως νέκρωσιν ζωοποιήσῃ. Οὗτοι δὲ ἀπέθανον, ἵνα μάρτυρες γένωνται τῆς θεότητος αὐτοῦ. Ἔπαθεν γὰρ οὐχ ὅτι χωρὶς τοῦ ἰδίου θανάτου ζωὴν ἡμῖν οὐκ ἠδύνατο χαρίσασθαι, ἀλλ' ἵνα μεγαλύνῃ τὸ πλάσμα αὐτοῦ διὰ τῆς ἰδίας ἐξουδενώσεως, καὶ τοὺς εὐτελεῖς ὑψώσῃ καθ' ἡμᾶς γενόμενος. Πάλιν δὲ ἀπέθανεν οὗτος, οὐχ ὅτι οὐκ ἔκτος τῆς τούτων μαρτυρίας

per misericordiam Christi) Benedictus Deus, qui dignus nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine. Vere enim obtinuimus participes fieri gloriationum, ut Christi passionum Socii effecti, fruamur et immortali ejusdem gloria. A. AGATHANGELO.

96 Eum cognoscite, qui vocavit vos in admirabile lumen Divinitatis suæ, ut accedentes *multa* ad thronum gratiæ ejus, inveniatis misericordiam; et excutientes omnem immunditiam malitiæ et injustitiæ, abluamini secundum animas vestras aqua viventi, et digni habeamini, quorum animæ induantur vestimento luminis et gloriæ. De sancta autem Ripsime scitis, quomodo servaverit ipsam Dominus, et a manibus vestris iniquis immundisque eripuerit. Tu ipse, rex, nosti vires et fortitudinem tuam, et quam factus sis imbecillis coram unica Puella. Eam enim servavit virtus Domini eius Christi. De me vero non ignoras, quod, cum jam ab annis quindecim *h* ad finem currentibus in tenebroso ac profundissimo jacerem præcipitio, in medio serpentum habitans et scorpionum, propter Dei timorem nullo affectus sim damno, neque timuit, neque obstupuit cor meum: nam confisus eram de Domino Deo, omnium conditore. At de hisce E novimus, vos ea in ignorantia fecisse. Nunc vero revertimini, et cognoscite Dominum, ut miseratus vos faciat salvos: illas etiam, quæ vobis mortuæ sunt, sed vivunt Deo, ad patrocinandum vobis invocate. Nam revera vivunt, et nequaquam sunt mortuæ. Deum cognoscite, ille enim est universorum Dominus.

97 Discedite ab abominandis simulacris, a *doctrinæ Christianæ* lapideis et ligneis, argenteis, aureis et æreis statuis. Mendacia enim hæc sunt et inania. Prædixi vobis de hoc vestro errore, quod nebula caliginosa, et densissimæ tenebræ obtegant oculos cordis vestri; et non potuistis considerare et intelligere, ut agnoscatis Creatorem. Si vero hodie in vobis video rectitudinem, festinantibus ad cultum Divinitatis appropinquare, absit ut cessem die noctuque pro vobis orare, ne pereatis. Ineffabilis enim est misericordia Creatoris, incomprehensibilisque et inenarrabilis in creaturas suas: quandoquidem per æquanimitatem sustinet: condonat, recipit, parcit per multitudinem miserationum. Qui etiam a vetustis temporibus sivit homines incedere secundum voluntatem ipsorum, F sicut scriptum est: Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis: nunc vero vocat vos, ut fiatis vitæ incorruptæ heredes, si quis non recedat. Hac de causa et dilectos Martyres suos misit ad vos, qui in martyrio suo confessi sunt consubstantialis Trinitatis dominationem Deo, qui est super omnia, qui est a sæculo et usque in sæculum, cujus regnum est regnum æternum, et dominationis eius non est finis. Quapropter morte sua, tanquam sigillo fidelissimo, veritatem stabilitatemque fidei suæ obsignarunt.

98 Hi vivunt Deo, et legatione funguntur *capita* apud Deum pro iis, qui eos possidere potuerunt. Cum enim pro Deo mortem oppetierint, multorum mortuam conditionem ad vivam valent revocare. Per hos ergo loquimini cum Deo in morte Filii ejus. Filius enim Dei mortuus est, ut mortuum creaturæ statum ad vitam reducat. Hi vero mortui sunt, ut fierent eius Divinitatis testes. Nam passus ille est, non quod non posset sine morte sua vitam nobis gratis donare, sed ut magnificaret creaturam suam propria depressione, et viles exaltaret, similis nobis factus. Hi vero

A. AGATHANGELO. vero iterum mortui sunt, non quod sine martyrio nullus sit fidelis, sed ut magni fierent hi, qui ipsum amaverunt. Verum et meam quoque vitam servavit in corpore meo, etiamsi vexationes et dolorum angustiæ gravissimæ me invaserint, ac vehementius, quam reliqui homines, fuerim afflictus. Quo enim modo fieri poterat, ut vel ad unum diem humana natura vehementiam cruciatuum perferrem, aut quomodo poterat homo vel unam horam durare in horridissimo illo puteo, in quo jacebam extensus in medio serpentum, qui in circuitu fervorem excitabant circa corpus meum, et circumvoluti super membra mea saliebant? Veruntamen admiranda maxime misericordia vivum me servavit Dominus, et verborum, quibus dignus non sum, auctorem me fecit, ut operarer ad sanationem animarum vestrarum, et utilitatem vobis a Dei clementia adferrem.

οὐκ ἐγίνετο πιστός, ἀλλ' ἵνα μεγαλυνθῶσιν οὗτοι, οἱ ἠγαπηκότες αὐτόν. Ἀλλὰ καὶ τὴν ἐμὴν πνοὴν ἐφύλαξεν ἐν τῷ σώματί μου, εἰκαὶ ἐπέφθασάν με θλίψεις καὶ ἀνάγκαι βαρύταται πόνων, περισσοτέρως θλιβέντος μου τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων. Πῶς γὰρ ἦν δύνατον μίαν ἡμέραν ἀπενεγκεῖν ἀνθρωπίνῃ φύσει τὸ βάρος τῶν βασάνων, ἢ πῶς ἠδύνατο ἄνθρωπος βαστάξαι μίαν ὥραν ἐν τῷ φοβορωτάτῳ ἐκείνῳ βύθῳ, ἐν ᾧ τεθαμμένος ἐκείμην ἐν μέσῳ ὄφεων, οἱ καὶ κυκλοῦντες ἀνέβραζον περὶ τὸ ἐμὸν σῶμα καὶ περιειλούμενοι ἐσκάριζον ἐπάνω τῶν ἐμῶν μελῶν; ὅμως δὲ πολυθαύμαστον ἔλεος τοῦ κυρίου ἐφύλαξέν με ζῶντα, καὶ ὧν οὐκ εἰμι ἄξιος λόγων ἐργάτην με πεποίηκεν, πρὸς ἴασιν ψυχῶν ὑμῶν ἐργάζεσθαι καὶ τὴν ὑμῶν ὠφέλειαν παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας προσφέρειν ὑμῖν. D

proponens. 99 Et jam nunc cœpi vobis exponere divina oracula ad pascendum animas vestras, ut exaudiatis verba legis, quæ prædicavit omnium Conditor, et purificati liberemini amara hac pœna, quæ vobis supervenit, et æterna vita fruamini,
B audientesque animabus vestris recipiatis bona regni cælestis. Nunc ergo, si studeatis emundari peccatis ignorantiæ, lapideis et ligneis simulacris, etiam inenarrabilia Dei bona animabus vestris recipere poteritis. Tunc et sancti Martyres Dei, qui per vos passi sunt, pro vobis intercedent : et verba nostra, laboresque et dolores ad utilitatem vestram seminabuntur : et vos, ubi hac vita admirandi longævique gavisi fueritis, hæredes fieri poteritis futurorum bonorum ac cælestium deliciarum. Si vero nolueritis obedire verbo prædicationis vitæ, in hac vita Deus vos percutiet malo et cruciatibus, vosque exterminando tradet in manus alienas inimicorum vestrorum, memorque malorum vestrorum morte vos faciet demigrare.

99 Καὶ ἤδη ἠρξάμην ὑμῖν θέσθαι τὰ ὑπερουράνια λόγια ψωμίζειν ὑμᾶς, ἐὰν εἰσακούσητε τοὺς λόγους τοῦ νόμου τῆς κηρύξεως τῶν πάντων δημιουργοῦ, καὶ λυτρωθῆτε ἁγιασθέντες ἀπὸ τῆς πικρᾶς ταύτης ἐπιφθασάσης ὑμῖν ἐπιτημίας, καὶ τῆς αἰωνίας ζωῆς ἀπολαύσητε,
καὶ ἀκούσαντες δέξησθε τὰ ἀγαθὰ τῆς ὑπερουρανίου E
βασιλείας εἰς τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Νῦν οὖν ἐὰν σπεύσητε καθαρισθῆναι ἀπὸ τῶν τῆς ἀγνοίας ἁμαρτιῶν, τῶν λιθίνων καὶ ξυλίνων σεβασμάτων, καὶ τὰ ἀνεκλάλητα ἀγαθὰ τοῦ Θεοῦ εἰς τὰς ψυχὰς ὑμῶν δέξασθαι ἰσχύσετε. Τότε καὶ οἱ ἅγιοι μάρτυρες τοῦ Θεοῦ, οἱ παρ' ὑμῶν παθόντες, ὑπὲρ ὑμῶν πρεσβεύσουσι, καὶ οἱ λόγοι ἡμῶν πόνοι τε καὶ κόποι εἰς ὠφέλειαν ὑμῶν σπαρήσονται· ἀγαμεροί τε πολυχρόνιοί τε ταύτης τῆς ζωῆς ἀπολαύσαντες, κληρόνομοι γενήσεσθε τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ ἐπουρανίων ἀπολαύσεων. Εἰ δὲ μὴ βουλήθητε ὑπακούειν τοῦ λόγου τοῦ κηρύγματος τῆς ζωῆς, ἐνταῦθα ἤδη πατάξει ὑμᾶς ἐν κακώσει καὶ βασάνοις, καὶ ἐξολοθρεύσας χερσὶν ἀλλοτρίαις ἐχθρῶν ὑμῶν παραδώσει ὑμᾶς, καὶ μνησικακήσας θανάτῳ ἀπαλλάξει ὑμᾶς.

ANNOTATA.

a *De hac regis Teridatis castigatione consentiunt plane Armenorum documenta, quæ vidit omnia, et Metaphrastes, et auctor latinus. Metaphrastes sic habet* : Ab illo ergo tempore transiit sextus dies, et jam flamma amorum Teridatæ sensim marcescente, ille egressus est ad venationem. Non tardavit autem justitia : sed eum quædam invadit insania, qua furebat plane dæmoniace, et præ morbo erat emotæ mentis, et dentibus suis arrodebat carnes : et mutata fuit forma eius in porcum.
C *Addit exemplum Nabuchodonosoris, et insaniam multorum regis ministrorum, quorum formam tamen mutatam fuisse non dicit. Latinus inferius consuli potest num.* 24. *Auctor Encomii* S. Gregorii, *quod nomine Chrysostomi editum, ut dixi in Commentario num.* 59 *et seqq., operum Chrysostomi tom. XII, pag.* 826 *sic habet :* Venationis ferarum horam cum rex (*Teridates*) condixisset, jamque egressurus ex urbe, conscendisset currum; immissum desuper iræ divinæ flagellum in eum irruit. F
Ab ipso dæmone correptus, e curru præceps agitur, atque fureus lacerare corpus incipit. Ille, velut alter Babyloniorum rex Nabuchodonosor, naturæ oblitus humanæ, similis apro, inter apros versabatur, et exinde gramine pascebatur. En quæ tunc loci fiebant prodigia. *Multa de eodem asserto sequuntur, quæ omitto. Galanus, Monierus, omnesque recentiores, qui vitam* S. Gregorii *in Italia scripserunt, de mutato in apri formam Teridate consentiunt, uti de Menæa et Menologia Græcorum et Officia Armenorum. Nicephorus Callistus lib.* 8, *cap.* 35 *consentit de Teridate, et plures etiam adjungit.* Quum enim Gregorius ille, *inquit,* qui miraculis edendis clarus fuit, multa a Teridate propter Christum passus, et post multas variasque malorum species, ad quatuordecim annos foveæ cœnosæ et caliginosæ inclusus esset, Teridates ipse eius gentis princeps, cum domo sua tota, et cum optimatibus divinæ iræ vindictam est expertus. Ad vitam enim simul et formam porcorum redacti, seipsos devorabant. *Nec formam porcorum aliis, quam regi tribuit vita, nec adeo universim* cum domo sua tota *punitum dicit : id solus habet Nicephorus. Obiter hic moneo, in Annotatis ad locum allegatum Nicephori* S. Gregorium *Armenum perperam confundi cum S. Gregorio Thaumaturgo, qui et tempore et loco episcopatus, et rebus gestis clarissime ab hodierno distinguitur. Ceterum scriptores allegati non sunt tantæ auctoritatis, ut valeant certos nos reddere de figura Teridatis in apri formam mutata, quandoquidem posteriores omnes ex biographo nostro aut Metaphraste hausisse videantur. Itaque, cum Agathangelus, qui omnia figmentis a se inventis supra modum amplificavit, primus videatur istud prodigium asseruisse et exposuisse, hoc ipsum quoque cum reliquis supra veritatem exaggeratum, dubitare vix possim : neque enim ullus alius auctor contemporaneus,*
suppar

A *suppar, aut aliquot etiam seculis posterior, de tanto prodigio meminit. Verumtamen verisimile est, castigationis aliquid divinitus illatum fuisse Teridati; cum quod pleræque Agathangeli fabulæ ex facto aliquo vero videantur concinnatæ, tum quod res adeo ab omnibus recepta sit, tum demum quod etiam Gregorius Cæsariensis, cujus verba dedi in Commentario num.* 91, *pœnam non levem Teridati illatam, insinuet his verbis :* Impudicum Teridatem prius quidem evertit, deinde autem ad fidem deduxit. *Quare incredibile non est, Teridatem divina castigatione de statu mentis fuisse dejectum, ac deinde a* S. Gregorio *sanatum et conversum.* S. AGATHANGELO.

b *Etiamsi incredibile non sit, aliquos cum rege punitos fuisse : probabilius tamen eorum numerus supra verum auctus est biographo.*

c *De hac visione regis sorori oblata consentiunt Metaphrastes, recentiores* S. Gregorii *vitæ scriptores, Galanus et Monierus. Hic ultimus ex Armena Historia eam gallice vocat,* Cæsaroduite. *Sozomenus lib. 2, cap. 8 innuit, de simili visione aliquid sibi innotuisse, cum illi attribuat conversionem Armeniæ, ita scribens :* Aiunt enim Teridatem, gentis illius regulum, occasione cœlestis cujusdam *portenti (græce* θεοσημείας, *quod exponi etiam potest* divini vaticinii) quod in domu ipsius acciderat, et ipsum Christianum esse factum *etc. Hoc referri potest ad visionem Cusaroductæ, licet pœnam quoque Teridati divinitus inflictam obscure insinuare iis verbis potuerit, cum et hæc videatur fuisse prodigiosa. Hoc saltem dicit, Teridatem quodam oraculo aut prodigio divino ad fidem fuisse pertractum, et sic visioni Cusaroductæ nonnullam conciliat probabilitatem, imo et castigationi Teridatis.*

d Autauias *et* Autabias *in apographo nostro scribitur nomen, apud Metaphrastem* Autaias, *et sic etiam inferius apud nos, in vita latina* Abdias, *et sic in italica, quam ex latina edidit Acciaivolo, apud Bonuccium in vita pag.* 72 Autasias, *et tandem in vita ms. ex Armenorum lingua latine reddita,* Oda. *Hæc observavi, ut studiosus lector intelligat, quanta sit differentia in nominibus, quæ ex Armenis per diversos Latina redduntur. Porro, quæ sequuntur de modo, quo ex carcere eductus est Sanctus, et de administratione omnium, defunctum credentium, certiora non sunt, quam sit, in ejusmodi carcere fuisse* S. Gregorium.

e *Ex hoc loco iterum colligitur, eamdem esse civitatem, quam alias* Valarsapat, *alias* Valeroctisten
B *vocat auctor, et quæ deinde* Vagharsciabat *fuit dicta.* E

f *Nullum mihi est dubium, quin multum inventionis poeticæ in his sit, sicut in omnibus, quæ sequentur de regis et aliorum miseriis, etiamsi aliquid verisimiliter subsit veri.*

g *Sic auctor inducit* Gregorium, *qui dicere potuisset,* Deum meum, *repetentem dicta ab eis verba. Verum semel monuisse pro multis sequentibus sufficiat, non esse pro ipsis Gregorii verbis habenda, quæ illi attribuit auctor : sed ipsum verisimiliter et in verbis et in factis multa commentum esse, quæ personis et rebus congruere credebat.*

h *Alias annis quatuordecim in carcere fuisse dicitur* Gregorius, *alias quindecim, nempe quatuordecim completis, et inchoato quintodecimo, si vera dicantur. Verum de veritate tanti temporis non minus dubitamus, quam de qualitate tam sævi carceris.*

CAPUT IX

Pergit S. Gregorius erudire regem et Armenos.

Καὶ ὡς ἐλάλησε ταῦτα πάντα ὁ ἅγιος Γρηγόριος, πάντες ὁμοῦ περιέσχισαν τὰς στολὰς αὐτῶν ὁ βασιλεύς τε καὶ οἱ μεγιστᾶνες αὐτοῦ, καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πάσσοντές τε κονιορτὸν, ἐπὶ τὴν γῆν ἐκάθηντο, καὶ ἔλεγον ὁμοθυμαδὸν ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος, ἆρα ἐστὶν ὑμῖν ἐλπὶς συγχωρήσεως παρὰ Θεῷ; ἡμεῖς γὰρ ἀπολλύμενοι ἐγενήθημεν ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ἡμῶν, καὶ τοῖς σκοτινοτάταις ὁδοῖς. Νῦν δὲ πῶς ἀφεθήσονται αἱ πολλαὶ αὗται ἁμαρτίαι ἡμῶν; ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος ἔφη πρὸς αὐτούς· φιλάνθρωπός ἐστιν ὁ κύριος καὶ μακρόθυμος, καὶ πολυέλεος, καὶ οἰκτιρμός· πρὸς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτὸν, καὶ τοὺς ἐκζητοῦντας αὐτὸν, μισθαποδότης γίνεται. Οἱ δὲ ἔλεγον πρὸς αὐτόν· γνώρισον ἡμῖν, καὶ βεβαίωσον τὰς καρδίας ἡμῶν πατὴρ ἡμῶν, ὅπως δυνηθῶμεν παρακαλέσαι τὸ πρόσωπον τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς. Εἰ ἆρα ἐπιστραφεὶς πάλιν δέξηται ἡμᾶς εἰς μετάνοιαν, καὶ εἰ ἔτι ἔστι τόπος τῆς ἐπιστροφῆς ἡμῶν, καὶ οὗπερ κέκοπται ἡ ἐλπὶς τῆς ζωῆς ἡμῶν παρ' αὐτοῦ· καὶ αὐτὸς οὐ μνησικακήσῃς ἡμῖν περὶ πάντων τῶν παρ' ἡμῶν σοι γεναμένων, καὶ παράξῃς ἡμῖν τὴν εὐθυτάτην διδασκαλίαν, καὶ μὴ μισήσας παρατρέψῃς ἡμᾶς ἀπὸ τῆς δικαίας καὶ εὐθείας ὁδοῦ. Πάντες οὕτως ἅμα τῷ βασιλεῖ ἐκραύγαζον ὀλολύζοντες κλαυθμῷ, γῆν πασσόμενοι ἐνώπιον αὐτοῦ, μὴ δυνάμενοι δὲ μίαν ὥραν χωρισθῆναι αὐτοῦ διὰ τὴν φοβερὰν τῶν δαιμόνων μανίαν. Εἰ γὰρ πρὸς ῥοπὴν ἀφίσταντο, εὐθέως τῶν δαιμόνων ἐπιπεσόντων τοῖς ἀνθρώποις μαίνεσθαι συνέβαινεν, καὶ κατεσθίειν τὰς ἰδίας σάρκας.

C

Ubi locutus est hæc omnia sanctus Gregorius, omnes sciderunt vestimenta sua, cum rex, tum proceres, tum reliqua hominum turba, spargentesque pulverem, humi sederunt, dixeruntque unanimiter quasi uno ore : An spes veniæ nobis est apud Deum? Perditi enim sumus ignorantia nostra, et viis tenebrosissimis. Nunc vero quomodo dimittentur multa illa peccata notra? At sanctus Gregorius ad eos dixit : Benignus est Dominus et æquanimis, multæque misericordiæ et commiserationis : omnium, qui invocant nomen ejus, eumque exquirunt, fit remunerator. Illi vero ad ipsum dixerunt : Instrue nos, et confirma corda nostra tamquam pater noster, ut possimus invocare eum, qui creavit nos. Si itaque conversus nos iterum recipiat ad pœnitentiam, et si etiam nunc sit locus conversioni nostræ, et necdum abscissa sit ab eo spes vitæ nostræ; tu ipse ne sis memor malorum omnium, quæ tibi a nobis illata sunt, et propones nobis doctrinam rectissimam, nec odio incitatus, a justa et recta via nos abducas. Sic omnes una cum rege clamaverunt cum fletu ejulantes, per terram sparsi coram ipso, non valentes vero vel ad horam ab eo separari propter horribilem dæmonum insaniam. Si enim ad momentum discedebant, insilientibus continuo dæmonibus in homines, furebant, et proprias manducabant carnes.

Cum omnes peterent ulteriorem instructionem;

F

101 Quando

A. AGATHANGELO. Sanctus ex iis, quæ sibi et sanctis

101 Quando ergo sanctissimus Gregorius verba audivit, quæ coram ipso loquebantur, lacrymans multum, ad eos dixit : Vos scitis, quanta mihi mala intuleritis : fierine potest, ut homo tanta patiatur et perferat? qui annis quindecim in medio serpentum degit, vivere et nullum ab eis pati malum? Ex his primum cognoscite potestatem Creatoris : nam omnium Conditor, quemadmodum desiderat, et quandocumque vult uniuscujusque mutat consuetudinem, ut etiam amarissimum et nocentissimum eorum venenum in horrendissimo illo profundo pro me, indigno servo suo, dulce reddiderit et mitigaverit. Etiamsi enim nos indigni sumus, ad utilitatem tamen vestram nos conservando miraculorum suorum virtutem demonstravit, et hoc tempore adduxit ad vos excolendos, ut ex misericordia Dei percipiatis fructum, qui vobis per nos affertur. An fieri rursum potest, ut una Puella restiterit viro gigantæi roboris, sicut oculis vestris vidistis? Et quomodo id factum esset, nisi a Deo data esset potestas victoriæ, ut Martyrem suam servaret immaculatam ab iniqua trangressione vestra? B

101 Ὅτι οὖν ἤκουσεν ὁ πανάγιος Γρηγόριος τοὺς D λόγους αὐτῶν, οὓς ἐλάλησαν ἐνώπιον αὐτοῦ, δακρύσας ἐπὶ πολὺ εἶπεν πρὸς αὐτούς· ὑμεῖς οἴδατε, πόσα μοι κακὰ ἐνεδείξασθε· εἰ δυνατόν ἐστιν ἄνθρωπον τοσαῦτα παθεῖν καὶ βαστάζειν, εἰ καὶ χωρητὸν ἄνθρωπον δεκαπέντε ἔτη ποιήσαντα ἐν μέσῳ ὄφεων ζῆν, καὶ μηδὲν παθεῖν παρὰ αὐτῶν κακόν; πρῶτον ἐν τούτοις γνῶτε τὴν τοῦ κτίσαντος δύναμιν, ὅτι ὁ πάντων δημιουργὸς, ὡς θέλει, καὶ ὅτε βούλεται, ἀλλάσσει ἑκάστου τὸ ἦθος, ὡς καὶ τὸν πικρότατον καὶ ἐπιβλαβῆ αὐτῶν ἰὸν τῷ φοβερωτάτῳ ἐκείνῳ βάθει μετ' ἐμοῦ τοῦ ἀναξίου αὐτοῦ δούλου καταγλυκάνας ἡμέρωσεν. Εἰ γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀνάξιοι ὑπάρχομεν, ἀλλὰ διὰ τὴν ὑμετέραν ὠφέλειαν φυλάξας ἡμᾶς, ἀπέδειξεν τῶν θαυμάτων αὐτοῦ δύναμιν, καὶ παρέστησεν ἡμᾶς εἰς τὴν ὥραν ταύτην πρὸς τὴν ὑμῶν γεωργίαν, καὶ ὠφέλειαν τὴν ἀπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας, ἥτις δι' ἡμῶν προσφέρεται ὑμῖν. Πάλιν ἐνδέχεται, μιᾶς κόρης ἀντίστασιν πρὸς ἄνθρωπον γίγαντα γενέσθαι, ὡς ἐθεάσασθε τοῖς ὑμετέροις ὀφθαλμοῖς; καὶ πῶς τοῦτο ἐγένετο. Εἰ μὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἦν δεδομένη δύναμις τῆς νίκης, ὥστε φυλάξαι τὴν αὐτοῦ μάρτυρα ἄσπιλον ἀπὸ τῆς παρανόμου ὑμῶν παραβάσεως.

Martyribus contigerant, Dei potentiam prædicat,

102 De morte vero illorum beatissimorum Martyrum, quorum sanguis in regione vestra effusus est, qui et divinæ dignati sunt gratia, et sacrificium Deo oblati sunt, quid oportet dicere? Propter hos et visitatio exquisitionis a Deo facta est vobis, qui habitatis in regione Armeniæ, et gratia justissimi illorum sanguinis, qui effusus est, ecce, remissio vobis offertur peccatorum per pœnitentiam vestram ab eo, qui nimia dona gratis tribuit, Deo. Quod vero ad me spectat, assevero, quod, etiamsi non essem per mandatum Dei vobis constitutus prædicator, sed quasi propria voluntate, non possem præsumere vel usque ad unum apicem a vobis abscondere : quanto minus nunc, cum mandatum a Deo accipiam. Singulis enim diebus in profundissimo præcipitio apertis oculis vidimus Dei angelum, animos mihi addentem, et dicentem, sicut et nunc eamdem video visionem : Dominus Deus custodivit te, suoque ministerio dignum censuit, et agri excolendi officium tibi commisit, ut cum reliquis ingrediens operariis, mercedem recipias. Cum autem vos me injeceritis in profundam illam foveam, et in lutum istud mortiferum, incolumis per voluntatem Dei egressus sum. Hæc sæpe dico, non quod gloriam mihi C capto, sed quod nequeo abscondere mirabilia Dei. Neque enim fieri potest, ut obliviscar, aut potius non annuntiem, quod me, qui creditus eram mortuus coram oculis vestris, ex morte eripuerit, ut vos ipsi testamini. Ego enim occisus eram a vobis, et vos delictis mortui : sed, ecce, per occisum vos mortui una ad vitam revocamini.

102 Περὶ δὲ τοῦ θανάτου τῶν αὐτῶν μακαριωτάτων E μαρτύρων, ὧν τὸ αἷμα ἐξεχύθη ἐν τῃ ὑμετέρᾳ χώρᾳ, τῶν καὶ καταξιωθέντων τῆς θεϊκῆς χάριτος, καὶ προσενεχθέντων θυσία τῷ Θεῷ, τί δεῖ καὶ λέγειν; δι' οὓς καὶ ὑμῖν ἐπισκοπὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ ζητήσεως γέγονε, τοῖς τὴν Ἀρμενίων χώραν οἰκοῦσι, καὶ ἕνεκεν τοῦ δικαιοτάτου αὐτῶν αἵματος, τοῦ ἐκχυθέντος, ἰδοὺ ἄφεσις ὑμῖν χαρίζεται διὰ τῆς ὑμῶν μετανοίας παρὰ τοῦ παντοδωροδώτου Θεοῦ. Περὶ δὲ ἐμαυτοῦ, λέγω, ὅτι, εἰ καὶ μὴ διὰ τῆς διαταγῆς τοῦ Θεοῦ γενάμενος ἤμην κήρυξ, ἀλλ' ὡς ἐξ ἰδίου θελήματος, οὐκ ἂν ἠδυνήθην τολμῆσαι κἂν μέχρι μιᾶς κεραίας κρύψαι ἀφ' ὑμῶν· πόσῳ μάλιστα νῦν, λαβὼν παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸ πρόσταγμα; καὶ ἑκάστην γὰρ θεωροῦμεν τῷ βαθυτάτῳ κρημνῷ ἠνεῳγμένοις ὀφθαλμοῖς Θεοῦ ἄγγελον, διαπαντὸς παραθαρρύνοντά με, καὶ λέγοντα, καθάπερ καὶ νῦν τὴν αὐτὴν θέαν θεωρῶ· κύριος ὁ Θεὸς ἐφύλαξέ σε καὶ ἄξιον ἔκρινεν τῆς αὐτοῦ ὑπηρεσίας, καὶ δέδωκέ σοι ἔργον γεωργικὸν, ἵνα καὶ σὺ μετὰ τῶν λοιπῶν ἐργατῶν εἰσελθὼν κομίσῃ τοὺς μισθούς. Ὑμῶν δὲ ἐμβαλόντων με ἐν ἐκείνῳ τῷ βάθει καὶ τῷ θανατοποιῷ βορβόρῳ, ἐξῆλθον βουλήματι τοῦ Θεοῦ ὁλόκληρος. Οὐχ ὅτι ταῦτα πολλάκις λέγων καύχημα ἐμαυτῷ περιτίθημι, ἀλλὰ τῷ μὴ δύνασθαί με κρύπτειν θαυμάσια τοῦ Θεοῦ. Ἀμήχανον γάρ με ἐπιλαθέσθαι, μᾶλλον δὲ μὴ ἐξαγγεῖλαι, ἐπειδὴ περιεσώσατό με ἐκ τοῦ θανάτου τοῖς ὑμετεροῖς F ὀφθαλμοῖς λελογισμένον νεκρὸν, καθὼς καὶ ὑμεῖς μαρτυρεῖτέ μοι. Ἐγὼ γὰρ τεθνηκὼς ἤμην ἀφ' ὑμῶν καὶ ὑμεῖς δὲ τοῖς παραπτώμασι νεκρωθέντες. Ἀλλ' ἰδοὺ διὰ τοῦ τεθνηκότος ὑμεῖς οἱ νεκροὶ ἅμα ζωοποιεῖσθαι.

multaque perstringens exponenda,

103 Nam datum est enarrare vobis mandata Dei, ut revertamini ad rectissimam et veram viam, et recedatis a vanis vestris simulacris, lapideisque et ligneis, argenteis et aureis et æreis statuis, quæ nihil sunt et numquam alicui sunt utilia, et regrediamini ad Deum vivum, qui fecit cælum et terram, et omnia, quæ in illis sunt, et ad Verbum, Filium ejus unigenitum, et ad æternum ejus Spiritum, qui vivos, sanctos et mundos reddit omnes, qui ipsum collaudant et adorant. Nunc ergo, si videam, vos alacriter et libera voluntate ad ipsius Divinitatem revertentes, cum gaudio et suavitate exorsi, enarrabimus vobis de creatis ab ipso : quomodo specio-

103 Ἐδώθη γὰρ διηγήσασθαι ὑμῖν τὰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ, ὥστε ἀποστρέψαι ὑμᾶς εἰς τὴν καλλίστην καὶ ἀληθινὴν ὁδὸν, καὶ ἀποστῆσαι ὑμᾶς ἀπὸ τῶν ματαίων ὑμῶν σεβασμάτων, λιθίνων τε καὶ ξυλίνων, ἀργυρέων καὶ χρυσέων καὶ χαλκῶν ἰνδαλμάτων, μηδὲν ὄντων, καὶ μηδέποτε χρησιμευόντων τινί, καὶ ἐπιστρέψαι ὑμᾶς πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα, τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τὸν μονογενῆ υἱὸν, καὶ τὸ ἀΐδιον αὐτοῦ πνεῦμα τὸ ζωοποιόν τε καὶ ἁγιαστικὸν καὶ καθάρσιον τοῖς αὐτὸν δοξολογοῦσι καὶ προσκυνοῦσι. Νῦν οὖν, ἐὰν ὑμᾶς ἴδω προθύμως καὶ αὐτοπροαιρέτως ἐπιστρέψαντας πρὸς τὴν αὐτοῦ θεότητα, μετὰ χαρᾶς καὶ ἡδύτητος ἀρξάμενοι διηγησόμεθα ὑμῖν περὶ τῶν δημιουργηθέντων παρ' αὐτοῦ·

A αὐτοῦ· πῶς ὁ καλὸς κόσμος ἐκτίσθη παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ, καὶ πῶς ἡ διαγωγὴ τοῦ κόσμου ἐπρυτανεύθη, καὶ πῶς οἱ μὲν τῶν ἀνθρώπων τὰ εὐάρεστα αὐτῷ ποιήσαντες, ἐξ ἰδίων προαιρέσεων, ἐτελειώθησαν πρὸς τὸν Θεὸν, οἱ δὲ τὰ κακὰ πράξαντες, ἐξετασθέντες ἤδη ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ δικὰς δεδώκασι, καὶ πῶς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ σώματι παρεγένετο ἐν ἀτιμίᾳ, καὶ πῶς δεύτερον ἐπιτέλει ἔρχεσθαι ἐν τῷ αὐτῷ σώματι διὰ τῆς τοῦ Πατρὸς δόξης, καὶ περὶ τῶν γενησομένων ἀγαθῶν, καὶ τῆς μελλούσης κρίσεως, καὶ πῶς ἐν τῷ παρόντι βίῳ διάγειν ἡμᾶς δεῖ ἐν ταῖς ἐντολαῖς κατὰ θέλημα τοῦ Θεοῦ, πῶς τὴν μετάνοιαν εὑρεῖν, καὶ δι' αὐτῆς τὴν ἄφεσιν, πῶς ἐξιλεώσασθαι τὰ ἡμαρτημένα, καὶ κατὰ τὸ τοῦ Θεοῦ βούλημα φεύγειν τὰ κακὰ ποιεῖν τε τὰ ἀγαθὰ, καὶ τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν ἐπιτυχεῖν, καὶ πῶς δεῖ πορεύεσθαι ἐν ταῖς τοῦ Θεοῦ ὁδοῖς.

104 Ταῦτα διηγήσομαι κατὰ τάξιν ἀκόπῳ τῇ γλώσσῃ καὶ ἀπαύστῳ τῷ στόματι, ἵνα καὶ ὁ κύριος κατὰ τὴν αὐτοῦ φιλανθρωπίαν δεξάμενος τὴν ὑμῶν μετάνοιαν καταξιώσῃ ὑμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν τῆς φιλανθρωπίας αὐτοῦ χάριν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Ὅμως δὲ ἡμεῖς ἀρξάμενοι ἀπ' ἀρχῆς ἀποδείξωμεν τὴν ἀγαθὴν τοῦ κόσμου δημιουργίαν, τὴν παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ, ἐὰν ὑμεῖς βούλησθε ἐξ ὅλης καρδίας ἀκοῦσαι καὶ πι-
B στεῦσαι. Ἀρχὴν δὲ ποιησώμεθα ἐξηγήσεως πρὸ πάντων περὶ τοῦ μεγάλου καὶ μόνου ἀγαθοῦ Θεοῦ, καὶ λοιπὸν περὶ τῶν γενομένων πάντων παρ' αὐτοῦ. Ταύτην δὲ εἰς τὴν ὑμετέραν διδασκαλίαν καὶ ὠφέλειαν σπεύδομεν ἐντελέστερον ἐξηγήσασθαι κατὰ τὴν τῆς θεότητος αὐτοῦ διαταγήν. Ἀναγκαῖον γὰρ ἡγησάμεθα καὶ περὶ αὐτοῦ συμμέτρους ἐπιτηδίους τε καὶ εὐαρμώστους λόγους ἐκθέσθαι· περὶ γὰρ θεολογίας τὰ ῥήματα γίνονται. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι αὐτὸς ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός, οὐ περὶ τῆς ἀκαταλήπτου φύσεως δυνατὸν τι εἰπεῖν· ἀλλ' ὡς ἔστιν ἐνδεχόμενον διηγήσασθαι. Ἀκατάγηπτος γὰρ καὶ ἀνήκαστος καὶ ἀμέτρητος, ἀπερίληπτος, ἀπεριόριστος καὶ ἀνεξέταστος, ἀπροσπέλαστος, ἀπερινόητός ἐστιν ἀπὸ πάσης κτίσεως. Ἀόρατος μέν ἐστι τῇ θέᾳ, καὶ πᾶσιν ἐγγύτατος, καὶ τῇ τῶν οἰκτιρμῶν προνοίᾳ καὶ ἐπισκοπῇ καὶ φιλανθρωποτάτῃ χάριτι πάντων προνοεῖ, οὐδέποτε θεαθεὶς ὑπὸ τῶν θνητῶν καὶ σαρκοφόρων, ἀλλ' οὐδὲ ἐκ τῶν πυρίνων λειτουργῶν ἀγγέλων τε καὶ δυνάμεων, μόνον δεδοξασμένος ἐστὶν παρὰ πάσης κτήσεως.

105 Καὶ πάντα μὲν παρ' αὐτοῦ γέγονεν· αὐτὸς δὲ μόνος ἐστὶν ὁ ὤν. Ἄνδρες δίκαιοι κατηξιώθησαν γνῶναι τὴν αὐτοῦ δημιουργίαν, καὶ προσκυνῆσαι αὐτῷ, ὑπο-
C ταγέντες τῷ θελήματι αὐτοῦ, ἐκλάμψαντες θεοπρεπῶς ἐν τῷ εὐπρεπεστάτῳ βίῳ. Προφῆται δὲ ὀνομάσθησαν ἐν ταῖς ἀρχέαις γενεαῖς ἀπὸ τοῦ θεοδιδάκτου γένους τῶν ἑβραίων, καὶ τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ, ὅντινα διὰ τὴν ἄγαν θεοσέβειαν ἐκλεξάμενος ὁ Θεὸς, πατέρα πολλῶν ἐθνῶν ὀνόμασεν, ἵνα ὡς πρωτόπιστος εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς πίστεως καὶ τῆς δικαιοσύνης ἀνακαθήσας καυχήσεται, κληθεὶς δικαιότατος πατὴρ, οὗ καὶ τὸ σπέρμα, λαὸς περιούσιος καὶ πρωτοτόκος καὶ γνήσιος ὠνόμασται. Ἐν μέσῳ δὲ τούτων οἱ προφῆται ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἐξέλαμψαν διὰ τῶν θεοπρέπων λόγων, οἱ καταξιωθέντες τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος πρὸς τοῦ διδάξαι πάντας τὸν τῆς θεότητος νόμον. Προέθεντο δὲ πᾶσι τὸ θέλημα καὶ τὰς διαταγὰς αὐτοῦ τὰς εὐθείας, καθάπερ αἱ αὐτῶν βίβλοι τῆς προφητείας ἀκριβῶς δηλοῦσιν, αἱ καὶ εἰς τὴν πάντων ὠφέλειαν πανταχοῦ διεδώθησαν καὶ διέδραμον, καὶ ἔτι δραμοῦνται εἰς τέλος. Πεπληρώκασι γὰρ τὰ πέρατα εὐνομωτάτοις ῥήμασι, καὶ ὡς ἐνώπιον ἑκάστου ἀποδεικνύουσιν ἀναγινώσκοντι τὸ εὔτεχνον τῆς θεϊκῆς προφητείας αὐτῶν λόγων, ὥστε δοκεῖν θεωρεῖσθαι τοὺς μακαρίους ἐκείνους κατὰ πρόσωπον. Ἐν μέσῳ οὖν τούτων τῶν ἁγίων καὶ θεοσεβῶν χορῶν τῶν προφητῶν ἀναστὰς μέγας προφήτης, ᾧ ὄνομα Μωσῆς, ὡς καὶ καταξιωθεὶς τῆς θεϊκῆς χάριτος, ἤρξατο διδάσκειν

sus hic mundus a bono Deo sit conditus, quomodo administratus sit mundi status, quomodo ex hominibus alii, qui placita Deo liberis voluntatibus fecerunt, perfecti apud Deum evaserint; alii vero, qui mala sunt operati, examinati etiam in hac vita pœnas dederint: quomodo Filius Dei in corpore advenerit in humilitate, et quomodo iterum perfecte in eodem corpore sit venturus per gloriam Patris: et de bonis futuris, et de futuro judicio: quomodo in præsenti vita oporteat nos inhærere mandatis secundum voluntatem Dei, quomodo pœnitentiam invenire, et hujus ope remissionem, quomodo expiare peccata, et secundum voluntatem Dei mala fugere ac bona facere, consequique bona promissa, et quomodo oporteat per vias Dei incedere. *A. AGATHANGELO.*

104 Hæc ex ordine enarrabo lingua indefessa et ore indesinenti, ut Dominus, pro sua misericordia acceptans pœnitentiam vestram, dignos vos faciat ingredi in gratiam clementiæ suæ per Jesum Christum Dominum nostrum. Veruntamen exorsi ab initio, ostendamus rectam mundi creationem per Deum bonum, si vultis ex toto corde audire et credere. Ante omnia vero principium narrationis ducamus de magno, eoque solo bono Deo, et deinde de omnibus ab ipso factis. Hanc vero ad instructionem et utilitatem vestram studemus perfectiorem facere secundum mandatum Divinitatis eius. Necessarium enim duximus de ipso verba congruentia, aptaque et concinna proferre: nam de theologia fit sermo. Scimus enim, ipsum esse verum Deum, de incomprehensibili eius natura non potest aliquid affirmari, sed, sicut capi potest, disseri. Nam neque apprehendi, neque accedi, neque mensurari, neque includi, neque circumscribi, neque explorari, neque loci proximitate attingi, neque mente comprehendi ab ulla creatura potest. Invisibilis quidem est oculis, sed omnibus proximus, et miserationum suarum cura, visitatione et benignissima caritate omnibus providet, numquam visus a mortalibus et carne indutis, sed neque a ministris suis igneis *a*, Angelisque et Virtutibus, solum magnifica laude celebratus est ab omni creatura. *de Deo disserit.* *a*

105 Et omnia quidem ab ipso facta sunt: ille vero solus est, QUI EST. Viros justos eo dignatus est favore, ut ejus in mundo condendo opificium cognoscerent, eumque adorarent, subjecti ipsius voluntati, splendentes divine vita honestissima. Illi autem prophetæ nominati sunt in generationibus antiquis, ortique ex genere Hebræorum divinitus electo, et ex semine Abraham, quem ob eximiam pietatem elegit Deus, et patrem multarum gentium nominavit, ut tamquam primus fidelis, in principatum fidei et justitiæ erectus glorietur, vocatus Justissimus Pater, cujus et semen populus Peculiaris, et primogenitus et genuinus appellatus est. Inter hos vero ex eodem genere eluxerunt prophetæ verbis majestatem præferentibus, dignati gratia Spiritus ad omnes Dei legem docendos. Proponebant autem omnibus voluntatem et mandata ejus recta, quemadmodum libri eorum prophetiæ accurate ostendunt, qui etiam ad utilitatem omnium quoquoversum dispersi sunt, et discurrerunt, et etiamnum discurrent usque in finem. Impleverunt enim fines orbis terrarum verbis justissimis, et quasi coram omnibus legenti exhibent decore contexta prophetiæ eorum oracula, ut beati illi coram conspici videantur. In his ergo sanctis et religiosis prophetarum choris cum surrexisset *de prophetis et Moyse, et de mundi*

A. AGATHANGELO

surrexisset magnus propheta, cui nomen Moyses, et cui divinam Deus donavit gratiam, cœpit omnes docere. Accepta enim a Deo vera cognitione, magnus ille inter prophetas enarravit mundi creationem.

creatione. Hortatusque ad Martyres digne sepeliendos, b

106 Hinc itaque et nos ordiamur verba facere per gratiam docentis omnia Spiritus, exponentes vobis de ambobus mundis a bono Deo conditis, propter initium et finem temporarii hujus, et propter futurum, æternumque *b* et permanentem. Utinam dentur verba in ore meo, ut et utilitatem vobis afferam, et vos audita recipiatis et credatis, et ab operatione diabolica et mala recedatis, ac divinæ exercitationis fiatis participes. Incipiemus ergo per gratiam Christi deinceps enarrare per minutas annotationes, vosque auribus illa haurientes ex toto corde audite. Agite itaque, fratres, ut faciamus profectum, cum studio communem salutem super vos attrahite, ut pœnæ a vobis auferantur, et confestim oriatur requies ex conturbatione, quæ vos apprehendit; et ex captivitate et errore conversio ad salutem. Ego omnia Dei mandata consequenter proposui, simulque in auditu vestro profectum feci, ab initio usque ad finem omnia *c* enarrans. Venite ergo, B primum componamus ad sepulturam divinum thesaurum *d*, ut hujus gratia vobis omnibus donetur sanatio. Illos autem ad requiei locum portemus, ædificantes ipsis ædem martyricam, et oratorium in usum precationis communis, semper petentes a Deo, primum quidem mutationem et pacem, et misericordiam cum fide et caritate, vitam vero cum his, et Dei regnum, ut vos liberati voluntaria servitute operationum tenebricosarum, divini luminis gloriam invenire valeatis precibus et intercessionibus illorum apud Deum, illique animas vestras faciant requiescere a tormentis ærumnaque vobis illata, ubi de his confirmati fueritis apud Deum.

alia subjungit monita.

107 Tunc et Deus, qui habitat in illis, miserabitur vos per pœnitentiam vestram et confessionem, humiliationemque et subjectionem fidei. Oportet ergo, vos insistere jejuniis, laborum tolerantiam cordibus vestris imprimere, et in mente timorem Dei manifeste præferre, et excutere desideria voluntatis vestræ, ut digni habeamini lavacro sancti baptismatis, et participes fiatis sortis C luminis horum Sanctorum, et gloriationis crucis, quæ pereuntibus stultitia est, vobis vero inventis sapientia salutis et virtus Dei est. Qui etiam in adoptionem filiorum Dei dignabitur vos assumere, delens peccata vestra, ut accipiatis participationem coronæ horum Sanctorum, qui ad vos venerunt, ut et vos Dei fiatis adoratores cum divino choro Dei gloriam celebrantium, et participetis benedictionem Spiritus sancti. Ubi vero acceperitis divina mysteria, ut emundemini labe diabolica; calcato maligno illo pedibus cognitionis Dei, ingressi divinis fruemini lætitiæ nuptiis, comedendo corpus veri agni, Filii Dei, et gloriæ eritis participes, et in unum coalescetis spiritum, per Corpus et Sanguinem ejus connexi. Hi autem Martyres erunt pro vobis per Dei misericordiam murus fortissimus et turris inexpugnabilis, et advocati et patroni: hi in certaminibus suis viriliter sanguinem suum effuderunt, ut modo vos ad Deum adducant. Nam vos lucrati sunt, ostendentes pugnas suas et victorias, quas Dei virtute retulerunt.

πάντας. Δεξάμενος γὰρ ὁ μέγας ἐκείνων τῶν προφητῶν D παρὰ Θεοῦ τὴν ἀληθινὴν γνῶσιν, ἐξηγήσατο τὴν κοσμοποιίαν.

106 Ἐντεῦθεν οὖν καὶ ἡμεῖς ἀρξώμεθα διὰ τῆς χάριτος τοῦ παντοδιδάκτου πνεύματος τοὺς λόγους ποιεῖσθαι, ἐκτιθέμενοι ὑμῖν περὶ ἀμφοτέρων τῶν κόσμων, τῶν παρὰ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ κτισθέντων, ἕνεκεν τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ τέλους τοῦ προσκαίρου τούτου, καὶ τοῦ μέλλοντος καὶ αἰωνίου καὶ παραμονήμου. Γένοιντο οὖν ἡμῖν λόγοι ἐν τῷ στόματι εἰς τὸ δεῖξαι ὑμῖν τὴν ὠφέλειαν, ὑμᾶς τε ἀκούσαντες δέξασθαι καὶ πιστεῦσαι, καὶ ἀποχωρισθῆναι τῆς σατανικῆς καὶ πονηρᾶς πράξεως, καὶ τῆς θεϊκῆς γυμνασίας κληρονόμους γενέσθαι. Ἀρξόμεθα οὖν διὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος διηγήσασθαι ἐφεξῆς ἐν λεπτομέρεσι σημειώσεσι, καὶ ὑμεῖς ἐνωτιζόμενοι ὁλοθύμως ἀκούσατε. Δεῦτε οὖν ἀδελφοί, τῆς ὠφελείας γενώμεθα, τὴν κοινὴν σωτηρίαν ἐν σπουδῇ εἰς ἑαυτοὺς ἐφελκύσαντες, ἵνα ἀφ' ὑμῶν αἱ τιμωρίαι ἐπαρθῶσι, καὶ γένηται ἀπὸ τῆς ἐπελθούσης ταραχῆς ἐν τάχει εἰρήνη· καὶ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας καὶ πλάνης ἐπιστροφὴ σωτηρίας. Ἐγὼ δὲ πάντα τὰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ ἀκολουθῶς προέθηκα, ὁμοῦ εἰς τὰς ἀκοὰς ὑμῶν ὠφέλειαν, ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἐξηγησάμενος E πάντα. Δεῦτε οὖν, πρῶτον συστείλωμεν τὸν θεϊκὸν θησαυρόν, ἵνα διὰ τοῦτο χαρισθῇ ὑμῖν πᾶσιν ἴασις· προσενέγκωμεν δὲ αὐτοὺς εἰς ἀνάπαυσιν, οἰκοδομήσαντες αὐτοῖς μαρτύριον ναόν, καὶ εὐκτήριον κοινῆς προσευχῆς, διαπαντὸς αἰτούμενοι παρὰ τοῦ Θεοῦ, πρῶτον μὲν τὴν διαλλαγὴν καὶ εἰρήνην, καὶ τὸ ἔλεος ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, σὺν τούτοις δὲ ζωὴν καὶ τὴν Θεοῦ βασίλειαν, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς αὐτοπροαιρέτου δουλείας τῶν σκοτεινῶν ἔργων, τὴν δόξαν τοῦ θεϊκοῦ φωτὸς εὑρεῖν δυνηθῆτε, εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις αὐτῶν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ οὗτοι ἀναπαύσωσιν τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀπὸ τῶν βασάνων καὶ τῆς ἐπελθούσης ὑμῖν μοχθηρίας, ὅταν βεβαιωθῆτε πρὸς τὸν Θεὸν περὶ τούτων.

107 Τότε καὶ ἡ κατοικοῦσα αὐτοῖς θεότης οἰκτειρήσει ὑμᾶς ἐν τῇ μετανοίᾳ ὑμῶν, καὶ τῇ ἐξομολογήσει καὶ ἐν τῇ ταπεινώσει καὶ ὑποταγῇ τῆς πίστεως. Δεῖ οὖν τὴν τῶν νηστειῶν ἔχειν ὑμᾶς κακοπάθειαν, φυτεῦσαί τε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, καὶ εἰς τὸν νοῦν παραδέξασθαι τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον, καὶ ἀποτινάξασθαι τὰ ἐνθυμήματα τοῦ θελήματος ὑμῶν, ὅπως καταξιωθῆτε τοῦ λούτρου τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, συμμερισταὶ γενόμενοι τοῦ κλήρου τοῦ φωτὸς τῶν ἁγίων τούτων, καὶ τοῦ καυχήματος τοῦ σταυροῦ, ὅστις τοῖς ἀπολλυμένοις F μωρία ἐστίν, τοῖς δὲ εὑρεθεῖσιν ὑμῖν σοφία σωτηρίας, καὶ δύναμις Θεοῦ ἐστιν· ὃς καὶ εἰς υἱοθεσίαν καταξιώσει ὑμᾶς τῆς θεότητος, ἐξαλείφων τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν, εἰς τὸ δέξασθαι τὴν μερίδα τοῦ στεφάνου τῶν ἁγίων τούτων, τῶν πρὸς ὑμᾶς ἐλθέντων, ὥστε καὶ ὑμᾶς γενέσθαι προσκυνητὰς τῆς θεότητος αὐτοῦ μετὰ τοῦ Θεοῦ χοροῦ τῶν δοξολογούντων αὐτόν, συμμετόχους γενομένους τῆς εὐλογίας τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ὑποδεξάμενοι δὲ τὰ θεϊκὰ μυστήρια, καταρισθῆναι ἀπὸ τοῦ σατανικοῦ ῥύπου, καταπατηθέντος τοῦ πονηροῦ τοῖς ποσὶν τῆς ὑμῶν θεογνωσίας, ὑμεῖς εἰσελθόντες ἀπολαύσετε τοῦ θεϊκοῦ γάμου τῆς εὐφροσύνης, εἰς τὸ ἐσθίειν τὸ σῶμα τοῦ ἀληθινοῦ ἀμνοῦ, τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς δόξης συμμέτοχοι ἔσεσθε, καὶ γενήσεσθε εἰς ἓν πνεῦμα συνδεδεμένοι ἐν τῷ σώματι καὶ τῷ αἵματι αὐτοῦ. Οἱ δὲ μάρτυρες οὗτοι ἔσονται περὶ ὑμᾶς τῷ τοῦ Θεοῦ ἐλέει τεῖχος ἰσχυρώτατον, καὶ πύργος ἀκαταμάχητος, καὶ ἐπιστάται καὶ πρεσβευταί· οἱ καὶ Ἀνδρείως τὸ αἷμα αὐτῶν ἐξεκένωσαν ἐν τοῖς ἰδίοις ἀγῶσιν, ἵνα νῦν ὑμᾶς λαβόντες τῷ Θεῷ προσενέγκωσιν. Ἐκέρδησαν γὰρ ὑμᾶς τὰ ἴδια παλαίσματα ἀποδείξαντες, καὶ τὰ νικητήρια, τῇ τοῦ Θεοῦ δυνάμει ἀπενεγκάμενοι.

108

A. AGATHANGELO.

Pergit Sanctus diebus sexaginta quinque

A 108 Νῦν οὖν πρὸς ἑσπέραν ἐστιν, ἀπάγετε εἰς ἀνάπαυσιν. Ἀπὸ δὲ τῆς αὔριον σπουδὴ γίνηται οἰκοδομῆσαι τὰς σκηνὰς τῆς τούτων καταπαύσεως, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἀντὶ τῆς γηίνης σκηνῆς, ἣν ὑμεῖς αὐτοῖς οἰκοδομεῖτε ἐνθάδε, ἑτοιμάσωσιν ὑμῖν φωτινὰς σκήνας ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ἧς προσδοκοῦμεν ἐπιτυχεῖν ταῖς τούτων πρεσβείαις, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγώμενοι ἐν τῃ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ· αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. Καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἀπέλυσε τὸν ὄχλον. Ὁ δὲ βασιλεὺς καὶ οἱ μεγιστᾶνες αὐτοῦ οὐδέποτε ἠδύναντο χωρισθῆναι αὐτοῖς, πεπληγμένοι γὰρ ἦσαν καὶ φοβερισμένοι. Νυκτὸς οὖν καὶ ἡμέρας ἡ κατομονὴ αὐτῶν ἦν ἐν τῷ ἀμπελῶνι πρὸς τῇ θύρᾳ τῆς ληνοῦ. Ἦσαν ἐνδεδυμένοι σάκκους, καὶ σποδοῦ καθήμενοι. Νηστεύοντες δὲ ἐπὶ ἡμέρας ἑξήκοντα πέντε, λαλῶν καὶ παιδεύων καὶ διδάσκων αὐτοὺς καὶ διαβεβαίων, ὡς σοφὸς ἰατρὸς, σπουδάζων εὑρεῖν τὸ τῆς σωτηρίας αὐτῶν φάρμακον, ὅπως αὐτοὶ πρῶτοι προσενέγκωσιν αὐτῷ τὰς ψυχὰς αὐτῶν, ὡς οἱ ἀσθενοῦντες, καὶ αὐτὸς ὡς εὔσπλαγχνος ἰατρὸς ἰάσηται ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ. Συνεβίβαζεν δὲ αὐτοὺς, ὥστε πάντα ἀκριβῶς ἐγνωκέναι, οὐκ ἀκροτηριάζων, οὐδὲ ἀεροβατῶν ἐν τοῖς λόγοις, ἀλλ᾽ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς κοσμοποιίας μέχρι τῶν θεοφόρων
B ἁγίων καὶ θεολόγων διηγησάμενος, καὶ τὰς πράξεις ἑκάστου τῆς ἀρετῆς ἐκτιθέμενος, τῶν πνευματικῶν ἐκφωνήσεων γνωστικοὺς αὐτοὺς κατέστησεν, καὶ τοὺς θεοφιλεῖς ἄνδρας μετὰ τῆς ἀληθινῆς παραδώσεως τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοὺς πνευματικοὺς πόνους ἑνὸς ἑκάστου μετὰ ἀποδείξεων ὀνομαστὶ ἐγνώρισεν αὐτοῖς, τὰ ῥήματα αὐτῶν, τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ ῥηθέντα διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, παρέ.ηκεν, καὶ τὴν ἑρμηνείαν συνέθηκεν ἐν δυνάμει τῶν λόγων αὐτῶν.

108 Nunc, quoniam instat vespera, abite ad requiem. At a die crastina cura habeatur ædificandum istorum requiei tabernacula, ut illi etiam pro terreno habitaculo, quod vos hic ædificatis, præparent vobis splendida tabernacula in regno cælorum, quod horum intercessionibus confecturos nos speramus, cum simul congregati simus in regno Christi, cui gloria et potentia nunc et semper et in secula seculorum Amen. Et his dictis, dimisit multitudinem. Rex vero et magnates ipsius nunquam poterant a Sancto discedere: attoniti enim erant et exterriti. Quare noctibus et diebus manebant in vinea ad portam torcularis. Induti erant saccis, et pulvere *e* conspersi sedebant. Cum autem jejunarent ad sexaginta et quinque *f* dies, loquens Sanctus, instituensque et docens ipsos, et confirmans, veluti sapiens medicus, studebat invenire medicinam salutis eorum, ut illi primi offerrent eidem animas suas, sicut infirmi, et ipse, tamquam misericors medicus, eas sanaret per Euangelium Christi. Congregabat autem illos, ut omnia accurate essent intellecta, non summa legens rerum vestigia, neque aerem verberans sermonibus, sed ab initio ordiens a principio E creationis mundi et usque ad viros divinos et theologos doctrinam suam deducens, et opera virtutis uniuscujusque exponens, spiritualium dictorum scientia eos imbuit, et viros Deo dilectos simul cum vera traditione de Christo, et vitam illorum, et spirituales labores singulorum cum probationibus nominatim ipsos docebat: verba eorum, per Spiritum sanctum de Deo dicta, proferebat, et virtute verborum suorum interpretationem componebat.

innumerum docere populum.

109 Αὐτοὶ δὲ συναγόμενοι καὶ συναθροιζόμενοι ἐν ἀπείρῳ πλήθει ἀνθρώπων ἀλλήλους προσελάμβανον, εἰς τὴν ἀκρόασιν τῆς διδασκαλίας τὰς ἀκοὰς προσφέροντες. Ὄχλοι δὲ ἀναρίθμητοι εἰς τὴν φήμην ἤρχοντο θεωρῆσαι ἅμα καὶ ἀκοῦσαι τὰ ἀνεκδιήγητα θαύματα τοῦ Θεοῦ, καὶ λαοὶ πολλοὶ ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν σὺν τοῖς παιδίοις ἀπὸ διαφόρων πατρίδων ὡρμούμενοι. Ἔπεσε γὰρ καὶ ὁ φόβος τοῦ πάντων δημιουργοῦ ἐπὶ πάντας, καὶ ὑπετάγησαν καὶ ἐδέξαντο τὴν πίστιν μετὰ πολλῆς σπουδῆς. Ἐθεωροῦν γὰρ τὰ θαυμάσια, καὶ γνησίως ἐπίθοντο τῇ ψυχοφελεῖ νουθεσίᾳ, καὶ φωτοφόρῳ κηρύγματι, καὶ ζωοποιῷ καὶ ζωηφόρῳ ἐπαγγελίᾳ τοῦ εὐαγγελίου, πάντα καταδεξάμενοι. Ὁ βασιλεὺς δὲ σὺν
C τοῖς ἄρχουσιν ἐν σπουδῇ ποιεῖν τὰ παρ᾽ αὐτοῦ προστεταγμένα ἠπείγετο· πληρωθέντων τῶν ἑξήκοντα ἡμερῶν, ὄρθρου ταχέως προσελθόντες οἱ μεγιστᾶνες καὶ ἄρχοντες σὺν τῷ βασιλεῖ, καὶ τῷ λοιπῷ ὄχλῳ, μετὰ γυναικῶν καὶ παιδίων θηλαζόντων, φατρίαι διάφοροι, προσπέσοντες τῷ ἁγίῳ Γρηγορίῳ, ἐζήτουν ἴασιν εὑρεῖν τῶν βασάνων. Πληγέντες γὰρ ἦσαν τῇ τῆς ὀργῆς ῥάβδῳ τοῦ δικαιοτάτου κριτοῦ, μάλιστα δὲ ὁ βασιλεὺς, ἀλλαγεὶς ἐν μορφῇ κοπρορύκτων χοίρων, δεδασυμένου ὅλου τοῦ σώματος αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ ἀναφυεισῶν τριχῶν, ὡς καὶ τῶν μεγάλων συάγρων, τῶν ἐν τοῖς καλαμῶσιν βοσκομένων, καὶ οἱ ὄνυχες δὲ τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν ἦσαν, ὡς τῶν γεορύκτων χοίρων, καὶ τὸ στόμα, ἡ ὀψὶς ἀλλοιωθεῖσα ἐν σχήματι χοίρου.

109 At congregati, et ad innumeram hominum multitudinem coacervati invicem assumebant, ad audiendam doctrinam aures arrigentes. Innumerabiles quoque turmæ ob famam accurrebant ad videndum et audiendum inenarrabilia Dei miracula, populique multi, cum viri tum mulieres cum parvulis, ex variis provinciis profecti. Nam timor Conditoris omnium corripuit omnes, et obedierunt, fidemque præbuerunt multo cum studio. Viderunt enim mirabilia, et ingenua simplicitate crediderunt monita animæ utilia, prædicationem illuminantem, promissa Euangelii salutem vitamque afferentia, omnia recipientes. Rex vero et principes diligenter nitebantur perficere, quæ mandata erant a Sancto. Completis illis diebus sexaginta *g*, mane confestim accedentes magnates et principes cum rege, et cum reliqua multitudine, cum uxoribus et pueris lactentibus, agmina diversa, accidentesque ad pedes sancti Gregorii, flagitabant sanationem dolorum. Percussi enim erant virga ira justissimi Judicis, et vel maxime rex, mutatus in figuram in stercore se volutantium porcorum, hirsuto reddito toto ejus corpore, et excrescentibus per membra ejus pilis, quales sunt magnorum aprorum, qui pascuntur in arundinetis; imo et ungues manuum pedumque erant velut terram fodientium porcorum, quemadmodum et os: vultus forma porcina alienatus *h*.

rego necdum sanato.

110 Δικαίαν γὰρ ἐπιτιμίαν παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ Θεοῦ δεξάμενος διὰ τὸ ἄγριον αὐτοῦ καὶ ἀνήμερον ἦτος, ἐκπεσὼν τῆς βασιλείας μετὰ τῶν θηρίων ἐν τῷ ἀγρῷ ἐβόσκετο. Παρασυνεβλήθη γὰρ τοῖς κτήνεσιν τοῖς ἀνοήτοις, καὶ ὁμοιώθη αὐτοῖς, κατὰ τὸ γεγραμμένον, κεχωρισμένος ἐκ μέσου τῶν ἀνθρώπων. Ὅτε οὖν ἐξῆλθεν ὁ ὁμολογητὴς ἐκ τῆς φυλακῆς καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Γρηγόριος, ἔφθασαν εἰς τὸν τόπον τῶν μαρτυρι-

110 Nam justam pœnam cum accepisset a Deo justo judice ob mores suos silvestres et immites, regno privatus cum feris pascebatur in agris. Comparatus enim est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, secundum quod scriptum est, separatus ab hominibus. Quando ergo confessor et martyr Christi Gregorius exivit de carcere, per Dei providentiam venerunt ad

A. AGATHANGELO. ad locum, ubi passi erant Martyres, et congregati sunt omnes vexati a dæmonibus, ut ipsi procederent obviam, et cum eis rex, ac instar apri magna voce clamavit, dormitans *i* et vultum suum spuma replens, more quadrupedum currens ex arundinibus, et pervenit ad locum istum. At sanctus Gregorius precatus, rogabat datorem donorum omnium Deum, ut ad tempus, non sanitatem formæ obtineret, sed ut auditum impetraret et mentem, ut doctrinam prudenter exciperet, ut perpenderet expusita de dictis Dei oraculis, tantumque dumtaxat sanationis eidem concederetur; ut sine impedimento audiret, loqueretur et cogitaret. Hac ergo sanatione obtenta, rex illis sexaginta et sex diebus institutionis suæ permansit in eadem figura, undique ligatus et inclusus in medio eorum, qui convenerant.

pro quo rogat populus. 111 Omnes vero provoluti et flentes rogabant sanationem sibi et regi. At sanctus post consolationem ad eos dixit : Et ego vobiscum, tamquam unus ex vobis, rogabo quæ utilia sunt, et vos uno animo rogate sanationem vestram ; et benignus Deus miserebitur vestrum. Festinate igitur B ædificare sacras Martyribus ædes, et corpora Christi Martyrum ad requiem perducere, ut ipsi vobis impetrent requiem a cruciatibus, et a supplicio, quod vobis supervenit : ab horrendis etiam, amaris ac paratis pœnis futurisque et annuntiatis judiciis eruamini, et dignemini regno Christi. Illis vero studiose obsecrantibus, ut volebat, eos facere jubebat. Ille quoque quamdam visionem illis enarrans, dicebat : Venite, inquit, fratres, narrabo vobis providentiam caritatis Conditoris in vos. Hæc mihi ostensa est visio tremenda et divina, manifestans, quam clementer se demittat in gratiam sanctorum Martyrum, et horum incomparabilem gloriam, ad immensam altitudinem in regno cælorum elatam et visitationem, quæ vitam afferat, vobis benigne impertiendam.

σάντων ἀπὸ τῆς Θεοῦ οἰκονομίας, καὶ συνήχθησαν D πάντες εἰς ἀπαντὴν ἐρχόμενοι δαιμονιῶντες, καὶ ὁ βασιλεὺς σὺν αὐτοῖς, καὶ ὡς σύαγρος μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἔκραξεν, βρίζων καὶ ἄφρου πληρῶν τὴν ἑαυτοῦ ὄψιν, ἐν ὁμοιώματι τετραπόδων τρέχων ἀπὸ τῶν καλάμων, καὶ ἔφθασεν εἰς τὸν τόπον ἐκεῖνον. Ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος εὐξάμενος ἐζήτει παρὰ τοῦ παντοδωροδότου Θεοῦ, ἵνα πρὸς ὥραν οὐ τὴν ὑγείαν τῆς ὄψεως ἀπολάβοι, ἀλλ' ἵνα τὴν ἀκρόασιν καὶ τὴν ἔννοιαν, ὡς τὴν διδασκαλίαν νηφαλίως ἔχειν, ὥστε νοῆσαι τὰ λεγόμενα τῶν λεγομένων λογίων τοῦ Θεοῦ, τοσοῦτον μόνον τὴν ἴασιν γενέσθαι αὐτῷ, ὥστε ἀκούειν καὶ λαλεῖν καὶ νοεῖν ἀνεμποδίστως. Τετυχηκὼς δὲ ταύτης ὁ βασιλεὺς τῆς ἰάσεως, τὰς ἑξήκοντα ἓξ ἡμέρας τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ ἔμεινεν ἐν τῇ αὐτῇ μορφῇ, περιδεδεμένος καὶ περικεκλωμένος ἐν μέσῳ τῶν συνηγμένων ἀνθρώπων.

111 Πάντες δὲ κυλιόμενοι καὶ κλαίοντες ἐζήτουν ἴασιν ἑαυτοῖς τε καὶ τῷ βασιλεῖ. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτοὺς μετὰ τὴν παράκλησιν ὁ ἅγιος· κἀγὼ μεθ' ὑμῶν ὡς εἷς ἐξ ὑμῶν ζητήσω τὴν ὠφέλειαν, καὶ ὑμεῖς συνθύμως ζηθήσατε τὴν ὑμετέραν ἴασιν, καὶ ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς ἐλεήσει ὑμᾶς. Σπεύσατε οὖν οἰκοδομῆσαι τὰ μαρτύρια καὶ ἀναπαῦσαι τοὺς τοῦ Χριστοῦ μάρτυρας, καὶ αὐτοὶ E ἀναπαύσωσιν ὑμᾶς ἀπὸ τῶν βασάνων, καὶ τῆς ἐπελθούσης τιμωρίας, σωθῆτε καὶ ἀπὸ τῶν φοβερῶν καὶ πικρῶν καὶ ἑτοιμασμένων κολάσεων καὶ τῶν μελλουσῶν καὶ ἐπηγγελμένων κρίσεων καὶ καταξιωθῆτε τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας. Τῶν δὲ ἐν σπουδῇ ζητούντων, καθὼς βούλεται, προέταξεν αὐτοῖς ποιεῖν. Καὶ αὐτός τι ὅραμα διηγόμενος αὐτοῖς, ἔλεγεν. Δεῦτε, φησιν, ἀδελφοί, διηγήσομαι ὑμῖν τὴν κηδεμονίαν τῆς τοῦ δημιουργοῦ ἀγάπης, τὴν πρὸς ὑμᾶς οὖσαν. Ἥτις ἀπεκαλύφθη μοι φοβερὰ καὶ θεϊκὴ θεωρία, δηλοῦσα τὴν αὐτοῦ συγκατάβασιν, τὴν πρὸς τοὺς ἁγίους αὐτοῦ μάρτυρας, καὶ τὴν ἀσύγκριτον τούτων τιμὴν τὴν εἰς τὸ ἄμετρον ὕψος ἀρθεῖσαν ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ, καὶ τὴν ὑμῖν μέλλουσαν χαρισθῆναι ζωοφόρον ἐπίσκεψιν.

ANNOTATA.

a *Ministros igneos vocat angelos, aut forte seraphinos, alludens verisimiliter ad verba Psalmi* 103. ℣ 4 : Qui facis angelos tuos, spiritus ; et ministros tuos, ignem urentem. *Hinc tamen certum non sit, auctorem ignea angelis tribuere corpora, qui fuit error aliquot antiquorum. At ipsis etiam Angelis videtur negare visionem Dei, in quo certe erravit, cum Angeli gaudeant Dei visione, quem-* C *admodum et homines beati. Error autem ille, quod nulla creatura claram habere possit visionem, attribuitur Armenis in libello Benedicti papæ XII, edito apud Odoricum Raynaldum ad annum* 1341 *num.* 48 *et sequentibus. Nam libelli* § 8 *omnibus beatis, tam Angelis quam hominibus, negatur clara Dei visio, et rursum* § 105. *Quapropter verisimile est, in eo Armenorum errore fuisse hujus Vitæ scriptorem.*

b *Hic rursum de errore suspectus esse posset, uti et ante cap.* 5, *sicut ibi observavi nisi aliis locis mentem suam declararet, de beatitudine Sanctorum non differenda usque ad judicii diem. Nam in eo errore fuerunt aliquando Armeni aliqui, ut vellent, tam justorum defunctorum beatitudinem, quam pœnas improborum, differri usque ad judicium universale, sicut liquet ex mox laudato Benedicti XII libello. At noster mox num.* 111 *memorat* incomparabilem gloriam *Martyrum,* ad immensam altitudinem in regno cælorum elatam. *Et rursum num.* 118 *de iisdem Martyribus dicit, quod* vitam possideant sempiternam *etc. Itaque non differt beatitudinem Sanctorum usque ad mundam aliquem futurum æternumque, ut quis alias suspicori posset. Incongrue tamen loquitur, cum* de ambobus mundis *verba se facturum dicit, et præsentem quasi opponit futuro. Novimus quidem ex S. Petro, orbem terrarum igne interiturum, ejusdemque verba* 2 *Petr.* 3, ℣ 13 : Novos vero cælos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. *Verum hac de causa non debemus duos dicere mundos; cum unicus sit universalis, in quo etiam est sedes Beatorum, sive cælum empyreum. Quo usque vero mundus sit destruendus et innovandus, theologis et interpretibus sacræ Scripturæ examinandum relinquo.*

c *Biographus abscidit reliqua omnia, quæ ad instruendum populum disseruit eo tempore* S. Gregorius : *potuisset et plura omittere, cum illa non sint necessaria ad vitam Sancti exponendam. Et sane suam potius, quam* S. Gregorii *censendus est dedisse doctrinam.*

d. *De Martyrum corporibus loquitur.*

e *Græce in apographo tantum habetur* σποδοῦ *pulveris, ut fortasse aliquid desideretur. Quod vero spectat*

spectat ad rem ipsam, verisimiliter commentum est biographi, quod rex aliique non auderent umquam a Gregorio *abscedere.*

A. AGATHANGELO.

f Sexaginta *dies habent Metaphrastes et scriptor latinus. At Metaphrastes addit, istud jejunium a* Gregorio *fuisse indictum : quod non habet hic noster.*

g *Ante dixit* sexaginta quinque *dies, et de iisdem videtur hic loqui.*

h *Jam ante monui, has regis miserias videri exaggeratas supra verum.*

i *In apographo legitur* βρίζων, *id est, præ gravedine cibi aut potus* dormitans, *idque alienum non est a porco : sed parum congruit cum præcedente clamore. Hinc dubito, an forte scriptum non fuerit,* γρύζων grunniens, *quod porcorum est. Ceterum non habenda hæc nisi pro ornamentis fabulæ, qua aprum fecit auctor. Hinc inferius ipsum inducit, tamquam primo die, quo ad* S. Gregorium *accessit, sanæ menti restitutum, ut prædicationem audire posset et intelligere, imo et loqui; sed totam figuram porcinam ad sexaginta quinque aut sex dies eidem relinquit. At* S. Gregorius *a primo die pro integra regis sanatione procul dubio orasset.*

CAPUT X

Visionem suam narrat Gregorius cum explicatione accepta.

Ἐφάνη οὖν μοι λίαν θαυμαστὸν καὶ θεϊκὸν καὶ ἀνεκδιήγητον ὅραμα, οὗν ἐκ μέρους ἔλαβον τὴν κατανόησιν. Ἐν τῷ μεσονυκτίῳ οὖν τουτῷ, ὡς ὑμεῖς κεκμηκότες ἀναπαύεσθαι ἀπὸ τοῦ βάρους τῆς ἀγρυπνίας, ἐγὼ ἐγρηγόρουν ἔτι ἐνθυμούμενος καθ' ἑαυτὸν ἕνεκεν τῶν ἐξαίφνης θαυμασίων καὶ ἐπισκέψεων καὶ ἐλέους τοῦ Θεοῦ πρὸς ὑμᾶς, διὰ τὸ ἐμβαλεῖν αὐτὸν ὑμᾶς ἐν τῷ χωνευτηρίῳ τῆς θεϊκῆς γνώσεως τῆς διδασκαλικῆς παιδεύσεως. Ἐλογιζόμην δὲ καὶ τὴν τῶν μαρτύρων ἀγάπην, τὴν πρὸς τὸν αὐτῶν ποιητὴν, καὶ τὰς ἑτοιμασθείσας αὐτοῖς ἀμοιβὰς, ἄρα ὁποῖαι νῦν ὑπάρχουσι. Ὡς δὲ ἐν τούτοις ἤμην, ἄφνω ἐγένετο φωνὴ σφοδροτάτης βροντῆς, καὶ φοβερὸς κτύπος, ὡς φωνὴ θαλάσσης βραζούσης, τῶν κυμάτων οἰδαινόντων καὶ τεταραγμένων, καὶ διηνοίχθη τὸ σκηνοειδὲς στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ καθελθὼν ἄνθρωπος εἰς ἐν σχήματι φωτὸς ἐκάλεσε τὸ ὄνομά μου, καὶ εἶπεν Γρηγόριε. Ἐγὼ δὲ ἀτενίσας, ἴδον τὴν μορφὴν αὐτοῦ. Ἔμφοβος δὲ γενόμενος, καὶ τρομάσας εἰς τὴν γῆν ἔπεσον. Καὶ εἶπέν μοι· πρόσεχε ἄνω, καὶ ἴδε τὰ θαυμάσια, ἃ ἐγὼ σοι δείξω. Καὶ ἀναβλέψας ἐθεασάμην τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τὰ ὕδατα τὰ ὑπεράνω τοῦ στερεώματος διασχισθέντα καθ' ὁμοίωσιν τῶν φαράγγων, ὡς τοὺς λόφους τὸν ὀρέων, ᾧ δὲ καὶ ᾧ διαμερισμένα, ἑστηκότα καὶ συντεθειμένα, ἀνήκαστα καὶ ἀκατάληπτα τῆς τῶν ὀφθαλμῶν θεωρίας. Καὶ τὸ φῶς εἶδον ῥέον ἄνωθεν, καὶ μέχρι τῆς γῆς ηατιὸν, καὶ μετὰ τοῦ φωτὸς στρατιαὶ ἄμετροι, φωτοϊδεῖς, δίπτεροι ἐν ὁράσει ἀνθρώπων. Ἦσαν δὲ αἱ πτέρυγες αὐτῶν πῦρ. Κατίεσαν δὲ καθ' ὁμοίωσιν λεπτοτάτου κονιορτοῦ, κινουμένου ἀπὸ τῆς θερμωτάτης ἀκτῖνος τοῦ ἡλίου, ὅταν διὰ θυρίδων καὶ φωτοφόρων στρογγυλῶν εἰσβάλλει. Οὕτως αἱ στρατιαὶ μετὰ τοῦ φωτὸς ἐπλήρωσαν τὰ κάτω μέρη, καὶ προέτρεχε τὸ φῶς σὺν τῇ στρατιᾷ, καὶ εἷς φοβερὸς ἐν ὁράσει ἀνθρώπου, ὑψηλὸς καὶ ἔνδοξος, ἐκράτη τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος τῆς στρατιᾶς, καὶ προῆγεν ἕως κάτω, καὶ τὰς ἄμφω ἀρχὰς ἐφύλαττεν, καὶ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ σφύρα μεγάλη χρυσῆ καὶ πάντες ἠκολούθουν αὐτῶν. Αὐτὸς δὲ πετόμενος ὀξέως, κατὰ τὴν ὀξύτητα τοῦ ἀετοῦ, κατελθὼν ἔφθασε τὸ ἔδαφος τῆς γῆς εἰς τὸ μέσον τῆς πόλεως, καὶ ἐπάταξε τὸ πάχος τοῦ πλάτους τῆς γῆς. Μέγας δὲ καὶ ἄμετρος κτύπος ἤχησεν ἐν τοῖς καταχθονίοις τῶν ἀβύσσων, καὶ πᾶσα ἡ γῆ ἐν βλέμματι ὀφθαλμῶν ἱκανῶς ὁμαλισθεῖσα ἐξισώθη, καὶ πεδίον γέγονε:

114 Καὶ θεωρῶ ἐν μέσῳ τῆς πόλεως ἐγγὺς τοῦ παλατίου τοῦ βασιλέως τετορνευμένην βάσιν χρυσῆν, τῷ μεγέθει ὡς βουνὸν μέγαν, καὶ ἐπάνω αὐτῆς στῦλον πυ-

Itaque apparuit mihi admodum admirandum, divinum et inenarrabile spectaculum, cujus intelligentiam ex parte assecutus sum. In media hac nocte, quando vos dormientes requiescebatis a labore vigiliarum; ego vigilabam, in memetipso adhuc cogitans de repentinis mirabilibus et visitationibus, et de Dei in vos misericordia, quia vos immisit in conflaturam Dei cognitionis et eruditæ institutionis. Considerabam autem et Martyrum caritatem, qui feruntur in Creatorem suum, et paratas eis retributiones, qualibus utique nunc fruuntur. Quando his immorabar, repente facta est vox tonitrui vehementissimi, et sonitus terribilis, qualis est sonus maris fervescentis, fluctibus intumescentibus et conturbatis : et cæli firmamentum, tabernaculi referens formam, apertum est : descendensque homo quidam a in habitu viri, vocavit nomen meum, et dixit, Gregori. Ego vero intendens oculos, vidi formam ejus : at timens tremensque factus, in terram cecidi. Et dixit mihi : Respice sursum, et vide mirabilia, quæ tibi ostendam. Sursumque aspiciens, vidi firmamentum cæli, et aquas, quæ sunt supra firmamentum, discissas per modum præcipitiorum, sicut vertices montium, hinc et inde divisas, consistentes et simul compositas, hominum conspectui invisibiles et incomprehensibiles. Lucem etiam vidi desuper fluentem, et ad terram usque descendentem : et cum luce erant agmina immensa, eaque lucidorum et bipennium in aspectu hominum : sed pennæ eorum erant sicut ignis. Descendebant autem in similitudinem minutissimi pulveris, qui movetur a ferventissimo solis radio, quando per fenestras et rotunditates luciferas ingreditur. Hoc modo agmina eum lumine implebant inferiores partes : et procurrebat lux cum agmine, et aliquis verenda hominis specie, excelsus et gloriosus, regebat principium et finem agminis, duxitque deorsum usque : et ambo custodiebat agmina, habebatque in manu sua grandem malleum aureum, et ipsum omnes sequebantur. Ille autem, velociter volans instar velocis aquilæ, descendens venit ad solum orbis terrarum in mediam civitatem, et percussit crassitiem latitudinis terræ : ingens vero et immensus sonitus in infernis abyssorum locis insonuit; et omnis terra secundum oculorum visum abunde explanata est et ad æqualitatem reducta, factaque est planities. Mirabilis

114 Et in medio civitatis prope palatium regis video basim auream tornatam magnitudine collis ingentis, et super ipsam ignis columnam valde S. Gregorii

A AGATHANGELO. valde excelsam, et supra ipsam capitulum ex nube et crucem lucidam: præterea video alias tres bases, unam in loco, ubi martyrio coronata est sancta Gaiana cum duabus suis Sociabus; et unam in loco, ubi passa est sancta Ripsime cum triginta tribus, et unam in loco torcularis. Hæ autem bases erant ignei aspectus, et columnæ ex nube iis insistebant, et capitula ex igne: et supra tres columnas erant cruces tres lucidissimæ ad similitudinem crucis Dominicæ, et trium columnarum cruces erant similes: at lucidi capituli columna erat excelsior. Et quatuor columnæ supra cruces mirabilis aspectus fornices, invicem similes, habebant superductas. Supra has videbam orbiculare dimidii circuli tabernaculum, quasi lunam, cujus structura ex nube videbatur et divinitus facta: at infra tabernaculum supra fornices videbam triginta sanctos Christi Martyres, tamquam in forma candidissimi luminis cum vestimentis, de quibus nihil referre possum. Supra verticem ædificii spectabam solium admirandum, divini operis, reverendum, igneum, et supra illud Dominicam crucem, lumen vero circumfusum solio erat mixtum cum radiis crucis,
B simulque cum iis compactum columnam lucis efficiebat, et usque ad partem supremam resplendebat.

visio. 115 Ex medio basium inferiorum columnarum scaturiebat fons aquæ vehementissimæ, eaque effusa explicabatur per omnia loca campestria, replebatque omnia, quæ patebant oculorum conspectui, fiebatque mare magnum. Cælestis autem et viridis coloris omnes simul apparebant campi. Et vidi multitudinem ingentem altarium igneorum et crucem supra unumquodque altare: splendebant autem ut multitudo stellarum. Et vidi gregem innumerabilem caprarum coloris nigri, quæ ingredientes in aquas fiebant oves, ut et cutis earum mutaretur in candorem: unica autem vice coloris aurei et splendidissimæ fiebant, ut radios et etiam emitterent. Dum adhuc speculabar, confestim gregum facta est generatio, et multiplicati sunt, et fœtus eorum omnia repleverunt: agnique generati erant omnes lucidi velleris. Post hos vero
C et alii fœtus propositi sunt, et ex illis nonnulli, qui in aquas fuerant ingressi, transiverunt, et agni facti sunt nigri, irruentesque in medium gregum, cœperunt mactare, et multum sanguinis effusum est. Et cum adhuc contemplarer, gregibus natæ sunt alæ, factique sunt alati, et volantes ad agmina lucis assumpti sunt: et ortum est diluvium ignis, trahensque perdidit lupos. Ego vero aspiciens miratus sum.

nnp ei 116 At vir, qui primum me vocaverat, mihique ostenderat, dixit mihi: Homo, quid stas attonitus, et non consideras magnalia Dei? Et dixi: Quomodo, Domine? Dicit ille: Hanc visionem vidisti, ut intelligas. Apertum est enim cælum: scito, quod apertæ sint fores Christi misericordiæ in creaturas suas: et ex voce sonitus tonitrui intellige adventum roris benignitatis et cognitionis Dei. Apertæ sunt portæ cæli, et aquæ, quæ supra cælos sunt, divisæ fuerunt, ut nullum imposterum sit impedimentum, quominus homines hujus regionis sursum ascendant. Nam sancti Martyres illi, qui hic passi sunt, partibus etiam borealibus viam aperuerunt: illi enim ascenderunt, et aliis viam fecerunt. Ecce autem et lux, quæ implevit omnia, prædicatio Evangelii est, quæ et tractus implet boreales: et agmina lucis desiderarunt descendere ad odorem suavissimum sanguinis Martyrum, flores fragrantia, rosas colore imitantis. Ab

ρὸς ὑψηλὸν σφόδρα, καὶ ἐπάνου αὐτοῦ κεφαλίδα ἐκ D
νέφους καὶ σταυρὸν φωτός· ἔτι δὲ θεωρῶ ἄλλας τρεῖς βάσεις, μίαν ἐν τῷ τοπῷ, ᾧ ἐμαρτύρησαν ἡ ἁγία Γαιανὴ μετὰ τῶν δυὸ ' ἑταιρῶν αὐτῆς, καὶ μίαν ἐν τῷ τόπῳ, ᾧ ἐμαρτύρησεν ἡ ἁγία Ῥιψίμη μετὰ τῶν τριάκοντα τριῶν, καὶ μίαν ἐν τῷ τόπῳ τῆς λήνου. Αἱ δὲ βάσεις ἐκεῖναι ἦσαν πυροειδεῖς καὶ στῦλοι ἐπέκειντο ἐκ νεφελῆς, καὶ αἱ κεφαλίδες ἐκ πυρός, καὶ ἐπάνω τῶν τριῶν στύλων σταυροὶ τρεῖς φωτοειδέστατοι, καθ' ὁμοίωσιν τοῦ δεσποτικοῦ σταυροῦ, καὶ τῶν στύλων τούτων οἱ σταυροὶ ἴσοι ἦσαν, τῆς δὲ φωτοείδους κεφαλίδος ὁ στῦλος ὑψηλότερος ὑπῆρχεν. Καὶ τοῖς τέσσαρσι στύλοις ἐπάνω τῶν σταυρῶν καμάραι θαυμαστοειδεῖς, ἴσαι ἀλλήλαις, συνεπάγησαν. Τούτων δὲ ἐπάνωθεν κυκλοφορὲς ἡμίσφαιρον σκήνωμα, ὡς σεληνήν, ἐθεώρουν, νεφοφανῆ καὶ θεοκτίστην οἰκοδομὴν ἔχουσαν· ὑποκάτω δὲ τῆς σκηνῆς ἐπάνω τῶν καμάρων τοὺς τριάκοντα ἁγίους μάρτυρας τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐν σχήματι λευκοτάτου φωτὸς μετὰ τῶν ἐνδυμάτων, περὶ ὧν οὐ δύναμαι διηγήσασθαι. Ἐπάνω δὲ τοῦ ἄκρου τῆς οἰκοδομῆς ἐθεώρουν θρόνον θαυμαστόν, θεόπλαστον, φοβερόν, πυρινόν, καὶ τὸ δεσποτικὸν σταυρὸν ἐπάνω αὐτοῦ, φῶς δὲ τούτῳ περιερχόμενον, συμμιγὲν εἰς τὰς ἀκτίνας τοῦ σταυροῦ, καὶ συμπεπηγὸς ἐπὶ τὸ αὐτό, καὶ στῦλον φωτὸς ἐργασάμενον ἔλαμψεν μέχρις ἄνω. E

115 Ἐκ μέσῳ δὲ τῶν βάσεων τῶν κατοτέρων στύλων ἐξέρευσε πήγη σφοδρωτάτου ὕδατος, καὶ ἐκχυθεῖσα ἡπλώθη ἐν πάσαις ταῖς πεδίασι, καὶ ἐπλήρωσε τὰ σύμπαντα ἄχρι τῆς τῶν ὀφθαλμῶν καταλήψεως, καὶ ἐγένετο θάλασσα μεγάλη. Οὐρανωειδῆ δὲ καὶ χλωρίζοντα ἐφάνη ὅμου πάντα τὰ πεδία. Καὶ ἴδον πλῆθος πυρινῶν θυσιαστηρίων ἄμετρον, καὶ σταυρὸν ἕνα ἐπάνω ἑνὸς ἑκάστου θυσιαστηρίου· ἔλαμπον δὲ ὡς τὸ πλῆθος τῶν ἄστρων. Καὶ ἴδον ἀγέλην ἀναρίθμητον αἰγῶν ἐν χρώματι μελανῷ, ἥτις περάσασα τὰ ὕδατα, πρόβατα ἐγένετο, ὡς καὶ τὴν χρόαν στραφῆναι αὐτῶν εἰς λευκότητα. Χρυσόμαλλα δὲ φωτοειδέστατα ἐφ' ἅπαξ ἐγένοντο, ὥστε καὶ ἀκτίνας ἐκπέμπειν. Αὐτὰ ἔτι δὲ προέχοντος ἐμου, ἐξαίφνης γέννησις τῶν ποιμνίων ἐγένετο, καὶ ἐπληθύνθησαν, καὶ τὰ γεννήματα αὐτῶν ἐπλήρωσε τὰ σύμπαντα καὶ τὰ γεννηθέντα ἀρνία πάντα φωτόμαλλα ὑπῆρχον. Μετὰ δὲ ταῦτα ἄλλα γεννήματα προετέθησαν, καὶ ἐξ αὐτῶν τινα, εἰσελθόντα εἰς τὰ ὕδατα, ἐπέρασαν, καὶ τὰ ἀρνία λύκοι ἐγένοντο μελανοί, καὶ ὁρμήσαντες ἐν μέσον τῶν ποιμνίων, ἤρξαντο σφάζειν, καὶ πλῆθος αἵματος ἐξεχύθη. Καὶ ὡς ἔτι ἐθεώρουν, ἀνεφύησαν πτέρυγες τοῖς ποιμνίοις, καὶ ἐγένοντο πτερατὰ καὶ πετασθέντα ἀνελήφθησαν εἰς τὰς στρατίας τοῦ φωτός, καὶ F
ἀνίστη κατακλυσμὸς πυρός, καὶ σύρας ἀπώλεσε τοὺς λύκους. Ἐγὼ δὲ ἀτενίζων ἐθαύμασα.

116 Ὁ δὲ ἄνθρωπος, ὁ ἐν πρώτοις καλέσας με, καὶ δείξας μοι, εἶπέν μοι· ἄνθρωπε, τί ἑστήκας ἐκπληττόμενος, καὶ οὐ κατανοεῖς τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ; καὶ εἶπον· πῶς δέσποτα; λέγει αὐτός· τοῦτο τὸ ὅραμα ὤφθη σοι, ἵνα συνήσῃς. Ἤνοικται γὰρ ὁ οὐρανός· γνῶθι, ὅτι ἠνοίγησαν αἱ θύραι τῆς φιλανθρωπίας τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὰ αὐτοῦ πλάσματα, καὶ τῇ φωνῇ τοῦ φθόγγου τῆς βροντῆς μάθε τὴν ἔλευσιν τῆς βροχῆς τοῦ ἐλέους καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ· ἠνοίχθησαν αἱ θύραι τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ ὕδατα ὑπεράνω αὐτῶν διεμερίσθη, ἵνα μηκέτι γένηται ἐμπόδιον ἀναβῆναι ἄνω ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τῆς χώρας ταύτης. Οἱ γὰρ ἅγιοι μάρτυρες οὗτοι, οἱ ἐνθαῦτα μαρτυρήσαντες, ἠργάσαντο ὁδὸν καὶ τοῖς βορινοῖς μέρεσιν· αὐτοὶ γὰρ ἀνῆλθον, καὶ τοῖς ἄλλοις πορείαν ἐποίησαν. Ἰδοὺ δὴ καὶ τὸ φῶς, τὸ πληρῶσαν τὰ σύμπαντα, τὸ κήρυγμα τοῦ εὐαγγελίου ἐστὶν ὃ καὶ τὰ μέρη τοῦ βορρᾶ πληροῖ. Καὶ αἱ στρατιαὶ τοῦ φωτὸς ἐπεπόθησαν καθελθεῖν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας τοῦ ἀνθοειδοῦς καὶ ῥοδοχρώτου αἵματος τῶν μαρτύρων, ἀπὸ τοῦ νῦν οὖν συμμιγήσεται

' δυαῖν aut δυῶν

A μιγήσεται εἰς κατοίκησιν μετὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ πλῆθος τῶν ἀγγέλων. Ὁ δὲ ἄνθρωπος ὁ φοβερὸς καὶ ἔνδοξος, ὁ τὴν ἀρχὴν ἔχων τοῦ φωτὸς, καὶ σφύραν χρυσῆν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, ὁ πατάξας τὸ πάχος τῆς γῆς, τὸ δὲ ἦχος ὑποταγὴ τῆς δουλείας τῆς γῆν ἀντιβοώσης.

117 Ὁ δὲ στῦλος τοῦ πυρὸς, καὶ ἡ βάσις ἡ χρυσῆ, καὶ ἡ κεφαλὶς ἡ ἐκ νέφους, καὶ ὁ σταυρὸς ὁ τοῦ φωτὸς, ὁ ἐπάνω αὐτῆς· ἡ βάσις ἡ χρυσῆ πέτρα στερεώσεως καὶ ἀκινησίας ἐστίν. Ὁ δὲ στῦλος τοῦ πυρὸς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, συνάγουσα πάντας τοὺς λαοὺς εἰς ἑνότητα τῆς πίστεως ὑποκάτω τῶν πτερύγων αὐτῆς. Καὶ ἡ κεφαλὴ ἡ ἐκ νέφους ὑποδοχὴ τῶν δικαίων, ὅταν πετασθῶσιν ἐν τῇ τοῦ κυρίου παρουσίᾳ εἰς τὴν ἀπαντὴν ἀναληφθέντες. Ὁ δὲ σταυρὸς τοῦ φωτὸς, ὁ ἐπάνω αὐτῆς, ἱερωσύνη ἐστὶν ἐν μέσῳ τῶν λαῶν, τύπον ἔφουσα τῆς τοῦ Χριστοῦ εἰκόνος σεσαρκωμένου ἀρχιερέως καὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ ὁμοίωμα. Αὐτὸς γὰρ καὶ τύπος γένεται τοῦ ναοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἶκος προσευχῆς καὶ δεήσεως πάντων τῶν πιστῶν, καὶ θρόνος ἱεροσύνης. Καὶ αἱ βάσεις αἱ πυριναὶ ὑπάρχουσαι ἕνεκε τῶν παθημάτων καὶ τῶν ἐπενεχθησῶν θλίψεων καὶ τοῦ θανάτου τῆς ὑπομονῆς. Τὸν θάνατον γὰρ αὐτοῦ ἐποίησας βάσεις ἀληθινῆς καὶ βεβαίας πίστεως ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. Καὶ οἱ ἐκ τῆς

B νεφέλης στῦλοι, ἐπειδὴ ἡ νεφέλη ἔχει τὴν κουφότητα καὶ τὴν ὀξύτητα, τύπον ἔχει τῆς ἀναστάσεως καὶ τῆς ἀναλήψεως εἰς οὐρανόν. Ἡ κεφαλὴ δὲ ἡ πυρινὴ, ὅτι ἡ κατοίκησις αὐτῶν γίνεται ἐν τῷ πυρὶ τῆς θεότητος καὶ τῷ φωτί. Καὶ οἱ στῦλοι ἔχουσιν τὸν τύπον τῶν παθημάτων τῶν μαρτύρων, ἀφομοιωθέντων τοῖς τοῦ κυρίου παθήμασιν, καὶ ἀποθανόντων ὑπὲρ αὐτοῦ. Ἐν τῷ Θεῷ γὰρ ζῶσι, καὶ σὺν Χριστῷ ἐσταυρώθησαν. Ζῇ οὖν Χριστος ἐν τοῖς ὀστέοις αὐτῶν, καὶ δείκνυσι πᾶσι τὴν ζωὴν αὐτῶν, ἐπειδήπερ οὕτοι ἐφανέρωσαν τὴν ὀσμὴν τῆς εὐωδίας αὐτοῦ καὶ τῆς γνώσεως ἐν ἑαυτοῖς. Αὐτὸς δὲ διαφημήσει τὴν αὐτῶν εἰς τὰ πέρατα.

118 Ἀπέκτειναν γὰρ τῇ ὑπομονῇ τὰ ὑπόγεια σώματα, καὶ ἐκρέμασαν ἐπὶ σταύρου, συμπαθήσαντες τῷ πάθει τοῦ αὐτῶν δεσπότου, ἵνα καὶ τῆς δόξης καὶ τῆς δυνάμεως γένωνται κοινωνοί. Ὁ πρῶτος σταυρὸς ἔχει τὸν τύπον τοῦ καυχήματος καὶ τῆς ἱερατικῆς τιμῆς τῶν πεποιθότων ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ· οἱ δὲ τρεῖς τῶν ἁγίων μαρτύρων ἀνάπαυσιν, ὅτι ἐν τῷ τόπῳ τοῦ στεφάνου αὐτῶν καὶ τῆς ἐκχύσεως τοῦ αἵματος οἰκοδομηθήσονται τὰ μαρτύρια τῶν λειψάνων αὐτῶν. Ὁ δὲ ὑψηλότατός ἐστιν ὁ στῦλος ὁ πρῶτος, ὅτι μεγάλη καὶ ὑψηλή ἐστιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ὑπὲρ πὰν τὸ ὕψος τῶν ἁγίων. Αἱ δὲ καμάραι αἱ ἐν ἀλλήλαις συναφθῆσαι, αὐτή ἐστιν

C ἡ κοινωνία τῆς ἑνώσεως τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Ἡ δὲ σκηνὴ ἡ ἐπάνω ἔχει τὸν τύπον τῆς ἄνω πόλεως, καὶ τῆς ὁμονοούσης συναγωγῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας. Ὅτι δὲ θεωρεῖς τοὺς μάρτυρας οὕτως, γνῶθι ὅτι τὸν μὲν θάνατον πρόσκαιρον ἐδέξαντο, τὴν δὲ ζωὴν αἰώνιον ἔχουσιν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ δεδοξασμένοι, διὰ τοῦτο καὶ τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ τετύπωνται ἐν ἑαυτοῖς. Ἐπάνω δὲ τοῦ ἄκρου τῆς οἰκοδομῆς θεωρεῖς, οὗτος ὁ θρόνος τῆς παντοδυνάμου φύσεως τῆς θεότητος, καὶ τοῦ αὐτοῦ τέλους ὕψος. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας καὶ τελείωσις πάσης ἀγαθοσύνης, καὶ ἐν αὐτῷ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογῆται, καὶ αὐξεῖται εἰς αὔξησιν τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾧ πὰν τὸ σῶμα σὺν τοῖς ἄρθροις καὶ μέλεσι καὶ ἁρμονίαις ἐν βεβαιότητι κοσμεῖται. Φῶς δὲ περιέχει τὸν σταυρόν, τοῦτ' ἔστιν τὸ πνεῦμα τῆς θεότητος, ὃ τὸν υἱὸν δοξάσει, καὶ συνεμίγη ταῖς ἀκτῖσιν αὐτοῦ, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ υἱοῦ δοξάμενον, διηγῆται τοῖς ἰδίοις ἀγαπητοῖς, καὶ ἡνώθη ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ὅτι μία ἐστὶν ἡ φύσις τῆς θεότητος.

119 Καὶ ὅτι ἐξέλαμψεν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων στύλων καὶ ἐξέρευσεν σφοδρωτάτη πηγὴ, ὅτι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἡ χάρις τοῦ πνεύματος ἐν μέσῳ τῶν μαρτυρησάντων καὶ τῆς ἱεροσύνης ἐξερεύξεται πηγὴ βαπτι-

hoc igitur tempore cum hominibus cohabitabit commixta angelorum multitudo. Vir vero verendus et gloriosus, qui principatum habet luminis, et malleum aureum in manu sua, ille est, qui percussit crassitiem terræ; sonitus vero subjectio famulatus terræ respondentis cum clamore.

a AGATHANGELO.

117 Columna ex igne, basis ex auro, capitulum ex nube, et supra hanc crux est ex lumine. Basis aurea est petra soliditatis firmitatisque immobilis. Columna ignea est Ecclesia universalis, congregans omnes populos in unitatem fidei sub alis suis. Capitulum ex nube est susceptio justorum, quando in adventu Domini assumpti volabunt in occursum ejus. Crux vero luminosa, quæ superius est, sacerdotium est in medio populorum, typum habens Christi imaginis, qui incarnatus est supremus sacerdos, et Divinitatis ejus similitudinem. Illa enim et typus est templi Dei, et domus orationis et obsecrationis omnium credentium et thronus sacerdotii. Bases sunt igneæ propter perpessiones illatasque afflictiones et mortis tolerantiam. Nam mortem ejus fecisti bases veræ et constantis fidei per sanguinem ipsius. Quod attinet ad columnas ex nube, quoniam nubes levitatem habet et velocitatem, typum habet resurrectionis et assumptionis in cælum. Caput vero est igneum, quoniam in igne habitant et luce Divinitatis. Columnæ etiam exhibent figuram perpessionum Martyrum, quod similitudinem habeant cum perpessionibus Domini, et quod pro ipso sint mortui. Nam vivunt in Deo, et crucifixi sunt cum Christo. Vivit ergo Christus in ossibus eorum, et omnibus manifestat vitam eorum, quandoquidem in se ipsis manifestarunt odorem suavitatis ipsius et cognitionis. Ipse vero divulgabit ipsorum [famam *b*] in fines orbis.

explicatur

E

b *de conversione*

118 Nam occiderunt tolerando terrena corpora, et suspenderunt in cruce, participes facti perpessionum Domini sui, ut et gloriæ et potestatis ejus fiant participes. Prima crux exhibet figuram gloriationis et sacerdotalis honoris eorum, qui confident de cruce Christi: tres aliæ sanctorum Martyrum requiem, quia in locis coronæ eorum et effusi sanguinis ipsorum construentur sacræ ædes pro depositione corporum ipsorum. Columna prima omnium excelsissima est, quia magna et excelsa est Catholica Ecclesia super omnem excellentiam Sanctorum. Fornices invicem conuexæ designant communionem unitatis Ecclesiæ Catholicæ. Tabernaculum, quod superius est, figuram repræsentat civitatis supernæ, societatisque unanimis regni cælorum. Quod vero sic vides Martyres, intellige, quod mortem temporalem acceperint, vitam vero possideant sempiternam, per gloriam Filii Dei gloriam consecuti, ideoque et figuram crucis in se repræsentant. Quod supra verticem ædificii cernis, solium est omnipotentis naturæ Divinitatis, et perfectionis ejus sublimitas. Nam ipse est caput Ecclesiæ, et perfectio omnis bonitatis, et in ipso omnis ædificatio coagmentatur et augetur in Dei incrementum, in quo totum corpus cum juncturis, membris et cohærentiis in soliditate ornatur. Lux vero crucem circumdat, id est spiritus Dei, qui Filium glorificabit, et commixta est cum radiis ejus, quandoquidem glorificatus a Filio, id annuntiat dilectis suis; simulque cum iis compacta est, quia una est natura Divinitatis.

E

119 In medio quatuor columnarum effulget, et effluit vehementissimus fons, quia in medio martyrio coronatorum et sacerdotii erumpet gratia spiritus Catholicæ Ecclesiæ, fons baptismatis, ad

Armenorum.

A Agathangelo.

ad abluendum una cum corpore maculas animæ : vehementer autem scaturiendo implevit omnia, quia per baptismum salus orta est multis populis. Cælestis coloris visa est omnis planities, quia terra fiet sicut cælum, conjunctis in unum angelis et hominibus : multitudo [altarium] ignearum apparuit, quia revera fient altaria Dei, expiationem omnibus tribuentia, eaque visa sunt ignea, ut divinus cultus fiat cum gloria : columnæ in singulis altaribus significant ministerium precum sacerdotalium : cruces vero super ea sunt, ut sanctissimum Christi nomen celebretur usque ad fines orbis terrarum : erant secundum multitudinem stellarum, quia adoratio sanctæ Trinitatis multiplicabitur, sicut astra : quod attinet ad turmas gregis nigrarum caprarum, quæ descenderunt in aquam, et mutatæ sunt in candorem ovium ; ecce dextera divinæ gratiæ per sacerdotium accedit, per quod prorumpere faciet e fonte baptismatis remissionem, et expiationem, quam fert peccatoribus : oves aurei coloris ut lumen resplendebant, id est, baptizati lumine induentur, et regno promisso fient digni : nati greges et omnia replentes indicant, quod prædicatio longo tempore sit augenda, et generatura novos fœtus ad B regenerationem, quodque illos baptisma sit multiplicaturum.

Et hæc eidem committitur. ut et constructio ecclesiarum.

120 Quod pars gregum, quæ in aquam ingressa erat, transivit indeque abivit, hoc est, in extremis temporibus surgent quidam, qui excident a veritate : abjicient enim sigillum fœderis et cultus divini, et deserent præcepta sancta, et ex agnis fient lupi : et concident sanctos agnos, id est, in veritate permanentes : ex ordine etiam sacerdotali fient lupi, et agnorum effundent sanguinem, illorum nempe agnorum, qui ordinis sunt sacerdotalis, et populis creabunt perturbationem. Qui vero indubitanter permanserint ex agnis, sive ex populo fuerint, sive ex sacerdotibus, assumptis alis, in regnum Christi volabunt. Qui vero sententiam luporum, et facta rapinæ eorum secuti fuerint, igni tradentur inextinguibili. Et tu, inquit, confide, confortare, et securum te redde, quia opus ad manus tuas pervenit. Nam præparata sunt tibi bona, ut cum veris operariis incedens, mercedem consequaris incorrupta Christi dona. Nunc itaque concreditum tibi a Domino Jesu Christo depositum in securitate constitue. Ædificabis autem templum Dei nomine C in loco tibi ostenso, ubi est columna ignea, quæ basim habet auream ; et sacras Martyrum ædes in locis cædis eorum, ubi facti sunt hostia viva pro spe Christi, ut et sanentur, qui percussi sunt, et felix prædicationis progressus pergat semper, omnesque de die in diem proficiant in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi fidei. Hæc ubi illo dixerat, circa auroram motus est factus, et transiit visio.

σματος ἀπολούσασθαι τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς μετὰ τοῦ σώ- D ματος· καὶ ὅτι σφόδρως ἀναβλύσασα ἐπλήρωσε τὰ σύμπαντα, διὰ τὸ γενέσθαι σωτηρίαν διὰ τοῦ βαπτίσματος πολλῶν λαῶν· ἐπειδὴ καὶ οὐρανόμορφος ἐφάνη πᾶσα ἡ πεδία, τοῦτ᾽ ἔστιν ὅνι ἡ γῆ ὡς οὐρανὸς γένεται, συναπτομένων ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων· καὶ τὸ πλῆθος τῶν πυρινῶν, ὅτι ἀληθῶς γίνονται θυσιαστήρια Θεοῦ, τὸν ἐξιλασμὸν πᾶσι διαμερίζοντα, καὶ πυρινὰ διὰ τοῦτο ἐφάνησαν, ἵνα ἡ λατρεία τοῦ πνεύματος γένηται ἐν δόξῃ· καὶ στῦλοι καθ᾽ ἕκαστον θυσιαστήριον ἡ λειτουργία τῶν εὐχῶν τῆς ἱεροσύνης, καὶ σταυροὶ ἐπάνω αὐτῶν, ἵνα τὸ πανάγιον ὄνομα τοῦ Χριστοῦ δοξασθῇ εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· καὶ ὅτι κατὰ τὸ πλῆθος τῶν ἀστρῶν ἦσαν ὅτι ἡ προσκύνησις τῆς ἁγίας τριάδος, ὡς ἀστέρες, πληθυνθήσεται. Καὶ τὰ πλήθη τῆς ἀγέλης τῶν μελανῶν αἰγῶν, τῶν κατελθόντων εἰς τὸ ὕδωρ, μεταβληθέντων εἰς τὴν λευκότητα τῶν προβάτων, ἰδοὺ ἡ δεξιὰ τῆς θεϊκῆς χάριτος διὰ τῆς ἱεροσύνης φθάνει, δι᾽ ἧς ἐξερεύξηται τῆς πηγῆς τοῦ βαπτίσματος ἄφεσιν καὶ ἐξιλασμὸν φέρουσα τοῖς ἁμαρτωλοῖς· καὶ τὰ χρυσόμαλλα ὡς φῶς ἐξέλαμψαν, τοῦτ᾽ ἔστιν, οἱ βαπτιζόμενοι φῶς ἐνδύσονται, καὶ τῆς ἐπηγγελμένης βασιλείας γένονται ἄξιοι· καὶ τὰ γεννηθέντα ποίμνια καὶ πληρώσαντα τὰ σύμπαντα, τοῦτ᾽ ἔστιν, χρόνον πολὺν αὐξηθήσεται τὸ κήρυγμα καὶ γεννήσει νέον γέννημα εἰς ἀναγέννησιν, καὶ E πληθυνεῖ αὐτοὺς τὸ βάπτισμα.

120 Καὶ ὅτι μέρος τῶν ποιμνίων, εἰσελθὸν εἰς τὸ ὕδωρ ἐπέρασεν, ἐκεῖθεν παρῆλθεν, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐν ἐσχάτοις καιροῖς ἀναστήσονται τινες ἐκπέσοντες τῆς ἀληθείας· ἀποῤῥίψουσιν γὰρ τὴν σφραγίδα τῆς διαθήκης καὶ τῆς θεϊκῆς ἁγιστείας, καὶ ἐάσουσιν τὰ ἅγια προστάγματα, καὶ ἐκ τῶν ἀρνίων γίνονται λύκοι· καὶ κατακόψουσι τὰ ἅγια ἀρνία, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἐμμείναντες, καὶ ἀπὸ τῆς ἱερατικῆς τάξεως γίνονται λύκοι, καὶ ἐκχύσεις αἱμάτων ποιήσουσι τοῖς ἀρνίοις, τῶν ἀρνίων τῆς ἱερατικῆς διαθήκης, καὶ τοῖς λαοῖς ταραχήν. Οἱ δὲ ἀπομείναντες ἀδιστάκτως ἐκ τῶν ἀρνίων, καὶ τῶν λαῶν καὶ ἱερέων, πτέρυγας λαβόντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Χριστοῦ πετασθήσονται. Οἱ δὲ τὴν γνώμην τῶν λύκων καὶ τὴν πρᾶξιν τῆς ἁρπαγῆς αὐτῶν ἔχοντες, τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ παραδωθήσονται. Καὶ σύ, φησιν, θάρσον καὶ κραταιοῦ καὶ ἀσφάλισαι, ὅτι ἔφθασεν ἔργον εἰς τὰς χεῖράς σου· ἑτοίμασταί σοι γὰρ τὰ ἀγαθά, ὅπως εἰσελθὼν μετὰ τῶν ἀληθινῶν ἐργατῶν κομίσῃ τοὺς μίσθους, τὰ ἄφθαρτα δωρήματα τοῦ Χριστοῦ. Νῦν οὖν ἀσφάλισαι τὴν πιστευθεῖσάν σοι παραθήκην παρὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Οἰκοδομήσεις δὲ ναὸν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸν τόπον τὸν δειχθέντα σοι, F ὅπου ὁ στῦλος ὁ πυρινός, ὁ ἔχων χρυσῆν βάσιν, καὶ τὰ μαρτύρια τῶν ἁγίων ἐν τοῖς τόποις τῆς σφαγῆς αὐτῶν, ὅπου ἐγένοντο θυσία ζῶσα ὑπὲρ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐλπίδος, ἵνα καὶ οἱ πεπληγότες ἰαθῶσιν, καὶ ἡ κατευόδωσις τοῦ κηρύγματος προκόψῃ διαπαντός, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας πάντας φθάσαι εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τῆς πίστεως τοῦ Χριστοῦ. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, περὶ τὸν ὄρθρον σεισμὸς ἐγένετο, καὶ παρῆλθεν τὸ ὅραμα.

ANNOTATA.

a *Hanc visionem* S. Gregorii *in Fastis Armenorum commemorari, liquet ex dictis in Commentario num.* 6. *Visio ibi dicitur contigisse in urbe* Vagharsciabat, *quam in hac vita alias* Valeroctisten, *alias* Valarsapat *vocari jam monui. Eamdem visionem narravit Metaphrastes, sed brevius : latinus eam omnino prætermisit, et forte rectius. Potuit quidem* S. Gregorius *visione aliqua de conversione futura Armeniæ edoceri : difficulter tamen edicere possumus, quantum ex omnibus de ea hic relatis pro vero habendum sit.*

b *Vox* famam *non est in græco : sed necesse est exciderit vox aliqua, quæ famam, virtutem, aut quid simile significat, nisi articulus* τὴν *referatur ad superiorem vocem* ὀσμὴν, *quod in idem recidet.*

CAPUT XI

A

A. AGATHANGELO.

CAPUT XI

Templa ædificata : rex sanatus cum populo : idola multis in provinciis confracta et gentes institutæ.

Νῦν οὖν ὁ πάντων ποιητής, πάντων πλάστης, ὁ πάντων κτίστης, ὁ πάνσοφος, ὁ πάντων κύριος, ὁ παντοκράτωρ, ὁ πάντων γνώστης, ὁ πάντων ἰατρός, ἐπαίδευσεν ὑμᾶς, ἵνα τῆς θεότητος αὐτοῦ οἰκείους ὑμᾶς ποιήσῃ, ὁ δείξας ὑμῖν δἰ ἡμῶν τὴν τῆς ζωῆς ὁδόν καὶ ἐπιτήδευσιν σωτηρίας, δἰ ἧς τὴν συγχώρησιν ἐπιφέρει ὑμῖν ἐφ' ἅπαξ. Διά τοῦτο καὶ τὴν τῶν μελλόντων ὅρασιν ἔδειξέν μοι διηγήσασθαι ὑμῖν, ὥστε τὸ θέλημα αὐτοῦ ἐν ὑμῖν νῦν ἀποτελεσθῆναι. Ὑμεῖς δὲ σπεύσατε πρός τὴν διαταγήν τὴν παρ' αὐτοῦ ῥηθεῖσαν. Δεῦτε μετενέγκωμεν τούς μάρτυρας εἰς ἀνάπαυσιν, ὅπως καὶ αὐτοὶ ὑμᾶς μετένεγκωσιν εἰς ἀνακαίνωσιν. Τοῦτο δὲ εἰπών, ἐκέλευσε τὰ πρὸς τὴν οἰκοδομὴν ἐν τοῖς προτεταγμένοις τόποις. Κομίζοντες οἱ μέν λίθον, οἱ δὲ πλῆνθον, οἱ δὲ κέδρινα ξύλα ἐν ἀγαθότητι καρδίας καὶ σπουδῇ καὶ φοβῷ. Αὐτὸς δὲ ὁ ἅγιος Γρηγόριος, ἀναλαβὼν τὸ τῶν οἰκοδόμων σπαρτίον, τά τεμέλια τῶν ναῶν ἐχάραξε, B καὶ ἕκαστος ἐκ τοῦ πλήθους φροντίδα ἀναδεξάμενος, καλλίστῳ χαράγματι εὐαρμόστως τούς θεμελίους κατέθεντο εἰς ἐκδομάτωσιν τῆς οἰκοδομῆς, πάντων χεῖρα ὀρεξάντων εἰς τό ἔργον ἐν πίστει καὶ φόβῳ μεγάλῳ, δεδειὼς ἕκαστος μήπως ὕστερον τῆς σωτηριώδους χάριτος ἐκπέσῃ τῆς ἰάσεως. Ἐξεδωμάτωσαν δὲ ναούς τρεῖς, ἕνα ἐν τοῖς βορινοῖς μέρεσι κατά ἀνατολὰς τῆς πόλεως, ἔνθα ἐμαρτύρησαν οἱ περί τὴν ἁγίαν Ῥιψίμην τριάκοντα τρεῖς, τόν δὲ ἕτερον ἐν τοῖς μερεσι τοῦ νότου, ἔνθα ἐμαρτύρησεν ἡ τῆς ἁγίας τροφὸς Γαιανὴ μετά τῶν τριῶν αὐτῆς ἑταίρων, τὸν δὲ τρίτον παρὰ τὴν λήνον ἐν μέσῳ τοῦ ἀμπελῶνος, ὅπου τὸ πρότερον ὑπῆρχεν αὐτῶν ἡ καταμονή.

Sancto hortante et dirigente, tres Martyribus conduntur ædes. *

Nunc igitur ille, qui est omnium conditor, omnium effector, omnium creator, omni sapientia cumulatus, omnium dominus, omnia continens, omnium cognitor, omnium medicus, vos docuit, ut divinitatis suæ vos faceret conscios, manifestata vobis per nos via vitæ, et idoneo salutis obtinendæ remedio, per quod unica vice remissionem vobis affert. Hac de causa et futurorum visionem mihi ostendit, ut eam vobis enarrarem, quo voluntas ejus in vobis modo perficiatur. Vos vero festinate ad implendum mandatum ab eo vobis declaratum. Venite, transferamus martyres ad requiem, ut et illi vos perducant ad renovationem. Hoc ubi dixerat, mandavit necessaria ad ædificationem in designatis locis. Adferebant alii lapides, alii lateres, alii ligna cedrina, cum bonitate cordis, diligentia et timore. Ipse vero sanctus Gregorius, assumpto E ædificantium funiculo, fundamenta templorum signavit, et singuli e multitudine, curam exhibentes, pulcherrimo ordine lapides fundamentales concinne deponebant, ad structuram ædificii, omnibus manum operi admoventibus cum fide et timore magno, quod unusquisque metueret, ne forsan postea salutari gratia sanationis excideret. Construxerunt autem tria templa, unum in partibus borealibus ad orientem civitatis, ubi cum sancta Ripsime martyrio coronati sunt triginta tres; alterum in partibus australibus, ubi passa est sanctæ nutrix Gaiana cum tribus *a* sociabus suis, tertium vero apud torcular in medio vineæ, ubi prius earum erat commoratio. *a*

122 Οἰκοδομήσαντες δὲ τούς τόπους ἐκόσμησαν χρυσοῖς καὶ ἀργυροῖς, φανοῖς καὶ λαμπάσιν ἀσβέστοις, καὶ λυχνίαις καιομέναις διαπαντός. Προσέταξε δὲ αὐτοῖς ποιῆσαι καὶ λάρνακας ἑκάστῳ ἀπό σανίδων κεδρίνων ἐν στερεοῖς ἥλοις συγκλειθείσας· καὶ πάντα κατά C τό προστεταγμένον παραυτίκα ἀπηρτίθη. Ἐνεχθησῶν δὲ τῶν λαρνάκων πρός τὴν θύραν τῆς λήνου ἐνώπιον τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, αὐτὸς καταμόνας εἰσῆλθεν, μή συγχωρήσας ἀλλῷ τινι συνεισελθεῖν αὐτῷ. Οὐ γάρ δεῖ, φησιν, ὑμᾶς πλησιάσαντας προσπελάσαι αὐτοῖς, μήπω ἰαθέντας, μηδὲ καθαρισθέντας διά τοῦ βαπτίσματος. Αὐτὸς δὲ λαβὼν τάς λάρνακας ἔσω, ἕκαστον τῶν ἁγίων ἐν τῇ ἰδίᾳ λάρνακι κατέθετο, σύν τοῖς αὐτῶν ἐσχισμένοις ἱματίοις περισφίγξας, ἐσφράγισε τῇ τοῦ Χριστοῦ σφραγίδι. Ὁ δὲ βασιλεὺς, καὶ οἱ μεγιστάνες, καὶ ὁ στρατὸς, ἕκαστος προσέφερεν μύρα εὐωδέστατα, καὶ ἀρώματα καὶ ἐνδύματα διάφορα, ἀπό μεταξίων ὑφασμένα, καὶ χρυσέμπαστα, ὁλοσήρικα. Καί ἡ γυνὴ τοῦ βασιλέως καὶ νεανίδες τοῦ αὐτοῦ γένους, καὶ αἱ τῶν μεγάλων γυναῖκες καὶ θυγατέρες τά πορφυρᾶ, καὶ διαχρυσᾶ, καὶ βύσσινα, καὶ οὐρανόχρωτα, καὶ χιονοφανῆ, εἰς τά ἐνδύματα τῶν ἁγίων προσέφερον, ὡσαύτως χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ λινόν ἐκόμησαν ἐν σπουδῇ πρὸς τὴν θύραν τῆς λήνου.

arcis compositis corpora ipse imponit: dona plurima pro Sanctis oblata

122 Loca vero, quæ ædificaverunt, exornarunt auro et argento, laternis et lampadibus inextinctis, et candelabris semper ardentibus. Eis quoque præcepit, ut singulis construerent arcas ex tabulis cedrinis per solidus clavos conclusas : et omnia, quæ mandaverat, velociter perfecta F sunt. Allatis vero arcis ad portam torcularis coram sancto Gregorio, ipse solus ingressus est, non sinens secum alium quempiam ingredi. Non enim oportet, inquiebat, vos prope ad illos accedere, cum necdum sanati sitis, neque mundati baptismate. At ipse, arcis intro portatis, singulos Sanctos in propria deposuit arca, scissis eorum constringens vestimentis, signavitque sigillo Christi. Rex vero, et magnates, et exercitus, unusquisque proferebat unguenta odoris optimi, et aromata, et vestimenta varia ab opificibus serici contexta, aureisque variata filis et holoserica. Conjux quoque regis, et puellæ ex ejusdem genere, et magnatum uxores et filiæ, purpurea et inaurata et byssina et cælesti colore tincta et niveo candore fulgida, pro indumentis Sanctorum offerebant ; similique modo aurum, argentum et linum studiose afferebant ad portam torcularis.

123 Ἐξελθὼν δὲ ὁ ἅγιος Γρηγόριος, ἐθεάσατο πάντα βεβουνισμένα ἐπί τῇ θύρᾳ, καὶ μή καταδεξάμενος λαβεῖν τι ἐξ αὐτῶν, ἔφη πρὸς αὐτοὺς· τοῦτο ὑμῖν πάλαι εἴρηκα, ὅτι οὐ δέον ἐστίν τῶν ὑμετέρων τι αὐτοῖς προσεγγίσαι, μήπω καθαρισθέντων τῷ λουτρῷ τοῦ ἁγίου

necdum accipit Gregorius, sed pro iis custodiri jubet.

123 At egressus sanctus Gregorius, vidit omnia in cumulum congesta ad portam, et non sustinens ex illis aliquid accipere, ad eos dixit : Jam ante indicavi, nequaquam decere, aliquid rerum vestrarum *b* ad Sanctos accedere, quod necdum *b*

mundati

A AGATHANGELO.

mundati sitis lavacro sancti baptismatis. Vestra vero alacritas accepta est pro salute vestra. Hæc vero omnia in cellis terrenis custodiantur, donec vobis pastor et doctor munere benigni Domini advenerit, fiantque sacerdotes et episcopi, ac totus ordo ecclesiasticus. Tunc ergo illuminati amore Dei, et hæc omnia per constitutum vobis summum sacerdotem habebitis ad ministerium Dei altarium. At nunc progredientes manum porrigite, ut unumquemque eorum in loco proprio deponamus. Rex autem Teredatius etiam tunc habebat figuram porci cum unguibus manuum et pedum et similitudine vultus, excepto sermone humano. At dentes erant magni, velut aprorum: capillorum hirsuties erat per totum corpus: circumdatus erat sacco, ut horrendum spectaculum in medio populorum.

Rex, sanatis manibus et pedibus, pro constructione

124 Itaque accedens rogat sanctum Gregorium, ut manuum ac pedum obtineat sanationem, et operis pro sanctis non omnino expers permaneat. Sanctus vero Gregorius ædem ingressus, flexit genua coram Domino omnium et misericordi Deo: complexusque arcas sanctorum Martyrum et beatorum corporum Christi athle-
B tarum, obtulit ferventes obsecrationes, extensis sanctis manibus iisque semper in cælum expansis, efflagitans sanationem regi pro membris memoratis. Clamor vero omnium et ejulatus et fletus aera replebat. Igitur Sanctus ad regem conversus, per gratiam Christi manus ejus ac pedes sanavit *c*: nam ungulæ ejus deciderunt, ut particeps fieret laboris pro Sanctis, operandi propriis manibus gratia impetrata. Sanatus ergo rogavit sanctum Gregorium, quidnam faciendum sibi committeret. Ille vero eidem dedit mensuram arcarum, ut loca singulis effoderet arcis in cellis Martyrum, in locis a Domino separatis. Rogavit autem sanctum Gregorium, ut juberet reginam Asichenem, conjugem suam, et sororem, nomine Cusaroductam, secum operari, ut et hæ operis participes fieri mererentur. Illo autem jubente, iverunt intro in ecclesiam ad fodiendum secundum arcarum diametrum in locis requiei Martyrum.

sacrarum ædium ipse laborat.

125 Sumens itaque rex marram et ligonem, effodit loca sanctis secundum mensuram arcarum: regina vero Asichene, et regis soror Cusaro-
C ducta, acceptum in sinu pulverem foras portabant; et consequenter præpararunt primum sanctæ Ripsimes depositioni locum, deinde aliorum triginta trium *d* in loco martyrii eorum, ubi sanguis ipsorum pro Christi nomine effusus est. Simili modo in æde Martyrum, quæ est ad Austrum civitatis, præpararunt sanctæ Gaianæ et tribus cum ea *e* rex ipse cum sorore sua, et domina et Asichene, thecas, propriis manibus loca singula circumornantes. Post hæc accedens rex cum sancto Gregorio decrevit abire in altissimum et amplum montem, Mases *f* nominatum, septem dierum itinere distantem, ut ex vertice ejus caperet lapides duros, graves, latusque et ingentis amplitudinis, ut non facile moverentur a multis hominibus. Sublatas ergo in humerum gigantis more octo columnas *g* tulit pro portis templorum, et constituit porticus et lapides superiores ostiorum, pro priore et inconsiderata pugna, qua in cubiculo suo cum sancta Ripsime luctatus est, reddens labores.

Recondita Martyrum corpora: cruces erectæ:

126 Ubi ædificaverat et ornaverat tres martyrum ædes, sanctus cum omni apparatu omnique ornatu unumquemque sanctorum in loco suo deposuit: et sanctam quidem Gaianam in

βαπτίσματος. Ἡ δὲ προθυμία ὑμῶν δεκτή ἐστιν περὶ τῆς σωτηρίας τῆς ὑμετέρας. Ταῦτα δὲ πάντα ἐν τοῖς ὑλικοῖς ταμείοις τηρηθείη μέχρις ὑμῖν ποιμὴν καὶ διδάσκαλος ἀπὸ τῆς τοῦ φιλανθρώπου δωρεᾶς παρασχεθείη, καὶ γένωνται ἱερεῖς καὶ ἐπίσκοποι, καὶ πᾶσα ἐκκλησιαστικὴ ἀκολουθία. Φωτισθέντες οὖν ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἀγάπῃ τότε, καὶ ταῦτα πάντα εἰς ὑπηρεσίαν τῶν τοῦ Θεοῦ θυσιαστηρίων ἕξετε διὰ τοῦ καθισταμένου ὑμῖν ἀρχιερέως. Νῦν δὲ προσελθόντες χεῖρα ὀρέξατε, ἵνα ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῇ ἰδίᾳ καταθέσει καταπαύσωμεν. Ὁ οὖν βασιλεὺς Τηρηδάτιος ἔτι ὑπῆρχεν ἐν τῇ τοῦ χοίρου μορφῇ, καὶ τοῖς ὄνυξι τῶν χειρῶν καὶ ποδῶν, καὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς ὄψεως, πλὴν τῆς ἀνθρωπίνης ὁμιλίας. Ἦσαν δὲ οἱ ὀδόντες μεγάλοι ὡς συάγρων, καὶ τῶν βοστρύχων ἡ δασύτης περὶ ὅλον τὸ σῶμα, περιδεδεμένος ἐν σάκκῳ ὡς φοβερὸν θέαμα ἐν μέσῳ τῶν λαῶν. D

124 Προσελθὼν οὖν παρεκάλει τὸν ἅγιον Γρηγόριον, ὅπως τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν τῆς ἰάσεως ἐπιτύχῃ, καὶ τοῦ ἔργου τῶν ἁγίων μὴ ἄμοιρος παντελῶς γένηται. Ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος εἰσελθὼν, καὶ γονυκλίνας τῷ πάντων δεσπότῃ καὶ φιλανθρώπῳ Θεῷ, περιλαβών τε καὶ τὰς λάρνακας τῶν ἁγίων μαρτύρων καὶ μακαρίων σωμάτων τῶν τοῦ Χριστοῦ ἀθλητῶν, προσέφερεν ἐκτενεῖς δεήσεις, ἐπάρας τὰς ἁγίας καὶ διαπαντὸς ἡπλωμένας χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐπιζητῶν τῷ βασιλεῖ τοῖς συναχθεῖσιν ἴασιν. Ἡ δὲ κραυγὴ πάντων καὶ ὀλολυγμὸς καὶ ὁ κλαυθμὸς τὸν ἀέρα ἐπλήρου. Στραφεὶς οὖν πρὸς τὸν βασιλέα, διὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς πόδας ἰάσατο· ἐξέπεσαν γάρ αἱ ὅπλαι αὐτοῦ, ἵνα κοινωνὸς γένηται τοῦ ἔργου τῶν ἁγίων, ταῖς ἰδίαις χερσὶν καταξιούμενος κοπιᾷν. Ἰαθεὶς οὖν ἠρώτα τὸν ἅγιον Γρηγόριον, τί αὐτῷ προστάττει ποιεῖν. Ὁ δὲ τὸ μέτρον δέδωκεν αὐτῷ τῶν ἁγίων λαρνάκων, ὥστε σκάπτειν τοὺς τόπους ἑκάστῃ λάρνακι ἐν ταῖς στοαῖς τῶν μαρτύρων ἐν τόποις ἀφορισμένοις παρὰ κυρίου. Παρεκάλεσε δὲ τὸν ἅγιον Γρηγόριον, κελεῦσαι τὴν βασίλισσαν Ἀσιχήνην αὐτοῦ γυναῖκα, καὶ τὴν ἀδελφὴν, τὴν καλουμένην Κουσαρωδούκτα, συνεργοὺς αὐτῷ γενέσθαι, ὅπως καταξιωθῶσι καὶ αὐταὶ κοινωνῆσαι τῷ ἔργῳ. Κελεύσαντος δὲ αὐτοῦ, ἐπορεύθησαν σκάπτειν κατὰ τὸ διάμετρον τῶν λαρνακων ἔσω ἐν τῷ ναῷ ἐν τοῖς τόποις τῆς αὐτῶν καταπαύσεως. E

125 Λαβὼν οὖν ὁ βασιλεὺς ἀξινόρυγα λαξευτήριον καὶ ἄμμην, ἔσκαπτε τοὺς τῶν ἁγίων τόπους κατὰ τὸ μέτρον τῶν λαρνάκων. Ἡ δὲ βασίλισσα Ἀσιχήνη, καὶ ἡ τοῦ βασιλέως ἀδελφὴ κουσαρωδούκτα, δεξάμεναι τὸν χοῦν εἰς τοὺς κόλπους αὐτῶν ἔξω ἐκόμιζον, καὶ ἀκολούθως ἡτοίμασαν πρῶτον τὴν τῆς ἁγίας Ῥιψίμης κατάθεσιν, ἔπειτα τῶν τριάκοντα τριῶν ἐν τῷ τόπῳ τῆς αὐτῶν μαρτυρίας, ὅπου ἐκενώθη τὸ αἷμα αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῷ μαρτυρίῳ, τῷ κατὰ νότον τῆς πόλεως, ἡτοίμασαν τῆς ἁγίας Γαιανῆς καὶ τῶν ἅμα αὐτῇ τριῶν αὐτὸς ὁ βασιλεὺς σὺν τῇ ἰδίᾳ ἀδελφῇ καὶ τῇ δεσποίνῃ Ἀσιχήνῃ τὰς θήκας χέρσιν ἰδίαις περικοσμήσασαι τοὺς ἑκάστους τόπους. Μετὰ δὲ ταῦτα προσελθὼν ὁ βασιλεὺς συνετάξατο τῷ ἁγίῳ Γρηγορίῳ εἰς ὑψηλότατον καὶ μέγα ὄρος, Μασῆς λεγόμενον, ἀπελθεῖν, ἑπτὰ ἡμερῶν ὁδὸν ἔχον, ὥστε ἀπὸ τῆς κορυφῆς λαβεῖν λίθους ἀκροτόμους, στιβαροὺς, πλάτει τε καὶ μήκει παμμεγέθει, ὡς μὴ ῥᾳδίως κινεῖσθαι ὑπὸ πλήθους ἀνθρώπων. Ἀναβαστάξας οὖν τῷ νώτῳ γιγαντιαίως καὶ κομίσας ὀκτὼ στήλας εἰς τὰς θύρας τῶν ναῶν, ἔστησεν παραστάδας καὶ ὑπέρθυρα, ἀντὶ τῆς προτέρας καὶ ἀνοήτου μάχης, ἣν μετὰ τῆς ἁγίας Ῥιψίμης ἐπύκτευσεν ἐν τῷ ἰδίῳ κοιτῶνι, ἀντεισφέρων τῶν πόνων. F

126 Οἰκοδομήσας δὲ καὶ καλλοπίσας τρεῖς ναοὺς τῶν μαρτύρων, μετὰ πάσης ἑτοιμασίας καὶ παντὸς κόσμου ἕκαστον τῶν ἁγίων ἐν τοῖς ἰδίοις τόποις ἀπεκατέστησεν· καὶ τὴν μὲν ἁγίαν Γαιανὴν πρὸς τοῖς νοτιαίοις μέρεσιν

A μέρεσιν μετά τῶν τριάκοντα τριῶν ἐν τοῖς βορίνοις μέρεσιν κατά ἀνατολάς τῆς πόλεως ἐν τῷ ναῷ παραδέδωκαν· καὶ τὴν σφαγεῖσαν ἀσθενῆ ἐν τῇ ληνῷ ἀπέθεντο, ἔνθα καὶ γέγονε ναός κατά βορρᾶ τῆς πόλεως. πάντας οὖν τούς μαρτύρας παθόντας ὑπέρ τοῦ Χριστοῦ μετήνεγκαν εἰς τόν ἑκάστου τόπον τῆς αὐτῶν καταθέσεως, κατά τὴν προφαγεῖσαν ὅρασιν τῷ ἁγίῳ Γρηγορίῳ οὕτως τελειώσαντες. Ἔσω δὲ τῶν τριῶν ναῶν ἐπάνω τῶν κοιμητηρίων καὶ ζωοφόρων τάφων, ἐν τοῖς τόποις τῶν θυσιαστηρίων, ἔστησεν ἑκάστῳ τό δεσποτικόν σημεῖον τοῦ σταυροῦ, ἵνα, φησίν, ἐνώπιον τοῦ ζωοδότου ζημείου τούτου προσκυνήσητε κύριον τόν Θεόν, ποιήσαντα ὑμᾶς· καὶ φησιν· ἰδοὺ στύλοι στερεοὶ ἀνέστησαν* τῇ ὑμῶν κατεστρεμμένῃ οἰκοδομῇ. Οὗτοι οἱ στύλοι ἀναβαστάξουσιν τὸ βάρος τῆς οἰκοδομῆς ὑμῶν εἰς σωτηρίαν. Ἰδοὺ τρεῖς στύλοι· ὁ δὲ τέταρτος στύλος τῆς ζωῆς πρός Θεόν ὑμᾶς ἀναφέρει. Δεῦτε, τόν διαταχθέντα τόπον τοῦ δεσποτικοῦ οἴκου περιτείχωμεν περιβόλῳ. Καὶ ἅμα τῷ βασιλεῖ σὺν τοῖς ὄχλοις τὸν τόπον, ἔνθα ἐθεάσατο τόν στύλον πυρινόν ἐπί τῇ χρυσῇ βάσει, περιετείχησεν ὑψηλοτάτῳ τείχει εἰς τιμὴν τοῦ τόπου, θυρεῷ δὲ καὶ κλείθροις ἀσφαλησάμενος, καὶ στήσας ἐκεῖ τό σωτήριον σημεῖον τοῦ σταυροῦ, ἐκέλευσεν, ἵνα ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ πάντες φθάνοντες καὶ γονυπετοῦντες προσ-
B κυνήσωσι τὸν παντοκράτορα Θεόν.

* *forte* ἀνέστησαν

127 Ὅτως οὖν φωτίσας τὰς ψυχάς, ἐν τῷ θεϊκῷ ἅλατι ἀρτύσας διά τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος, ἀπέστησε τῶν ματαίων σεβασμάτων καὶ χειροποιήτων εἰδώλων, καὶ εἰσήγαγεν αὐτούς εἰς λατρείαν τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ. Ἀπὸ τότε οὖν ἰδίᾳ γνώμῃ καὶ προθυμίᾳ ἐσπούδαζον εἰς εὐχάς καὶ νηστείας, εἰς φόβον καὶ ἀγάπην, καὶ ἀκρόασιν τῆς θεϊκῆς διδασκαλίας. Συναχθέντων δὲ ἐπὶ τό αὐτό ὄχλων πολλῶν καὶ λαῶν, ἐν τῷ τῆς προσκυνήσεως τόπῳ προσεφώνησεν ὁ ἅγιος Γρηγόριος, καὶ φησιν· κλίνατε γόνυ πάντες, ὅπως ποιήσῃ κύριος ἴασιν τοῖς τιμωρουμένοις. Πάντων δὲ καμψάντων γόνυ τῷ Θεῷ, ἐκτενῶς ὁ ἅγιος Γρηγόριος ηὔχετο, δεόμενος μετά πόνου καὶ πολλῶν δακρύων, ἴασιν ἐπιζητῶν. Ὁ δὲ βασιλεύς ἑστηκώς ἐν μέσῳ τῶν λαῶν ἐν τῇ προρρηθείσῃ μορφῇ, ἐξαίφνης ἤρξατο τρέμειν καὶ τὴν λεπίδα τοῦ χοίρου ἐκ τοῦ ἰδίου σώματος ἀπορρίπτειν μετά τῆς κακοειδοῦς ὄψεως, καὶ τῶν ὀδόντων, καὶ τῆς δασύτητος τῶν τριχῶν. Ἐκδυσάμενος δὲ τὸ παχύτατον δέρμα, εἰς τὴν ἰδίαν μορφὴν ἐστράφη τοῦ προσώπου αὐτοῦ, καὶ τό σῶμα γέγονεν ἁπαλόν, ὡς παιδίου
C προσφάτως γεγεννημένου καὶ ὁλοκλήρως τοῖς μέλεσι πᾶσιν ἰάθη. Ὡς αὐτός δὲ καὶ οἱ λοιποὶ ἄνθρωποι ἐνοχληθέντες πολλοὶ ἐκ τῶν διαφόρων νοσημάτων ἰάθησαν, λεπροὶ, ξηροί, παραλυτικοί, ὑδρωπικοί, δαιμονιῶντες, λελωβημένοι καὶ ποδαλγοί· καὶ οὕτως ἀνοιχθείσης τῆς τοῦ φιλανθρώπου Χρίστου χάριτος, εἰς πάντας ἦλθεν ἴασις διά τοῦ δούλου αὐτοῦ Γρηγορίου, καὶ καθῆρεν αὐτοὺς ἀπό τῶν νοσημάτων.

128 Καὶ ἡ πηγή τῆς τοῦ Χριστοῦ γνώσεος τὰς ἀκοὰς πάντων ἐπλήρωσε τῇ ἀλιθινῇ διδασκαλίᾳ τοῦ Χριστοῦ, ἐθεωροῦντό τε καρδίαι πλήρεις εὐφροσύνης καὶ θυμηδίας. Ἡ γάρ χώρα ἐκείνη, ἥτις καὶ τῆς φήμης τῶν θαυμασίων τούτων ἄμοιρος ἦν, καὶ τά τῆς ἀπιστείας μέρη, ἐν οἷς τά θαυμάσια τοῦ Θεοῦ ἐτελέσθη, εὐθέως τῶν οὕτως γενομένων πραγμάτων ἐν πείρᾳ γέγονεν, οὐ μόνον διά τὴν θείαν διδασκαλίαν, ἀλλά καὶ τὴν προορισθεῖσαν αἰώνων ἐπαγγελίαν, ὅπως τοῖς ἐνεστῶσι καὶ τοῖς ἐπερχομένοις καὶ ἐπέκεινα τά θεοδώρητα χαρίσματα παραδοθῇ. Γυμνασθέντες οὖν κατ' ὀλίγον τοῖς πράγμασι μετά παρρησίας καὶ προσθήκης τὴν μάθησιν τῆς καινῆς διδασκαλίας συνήγοντο διδαχθῆναι. Ὀξυνθέντες οὖν καὶ ἑτοιμασθέντες εἰς τό κήρυγμα, οἱ ἐν ἀγνοίᾳ πρότερον ὄντες, ἄνθρωποι προσέτρεχον, ἀπό

partibus Australibus *h* [cum duabus posuerunt, sanctam Ripsimen] cum triginta tribus in Borealibus versus Orientem civitatis in templo sepulturæ tradiderunt; et Irfirinam mactatam in torculari deposuerunt, ubi et templum constructum est ad Septemtrionem civitatis. Itaque omnes Martyres pro Christo passos transtulerunt, ad loca suæ depositionis singulus, omnia perficientes secundum visionem sancto Gregorio ante manifestatam. Intus vero in tribus templis super cœmeteria et sepulcra vitam afferentia, in locis altarium *i*, in singulis Sanctus constituit Dominicum signum crucis, ut, inquiebat, coram hoc signo, per quod vita data est, adoretis Dominum Deum, qui fecit vos. Et dicebat: Ecce, solidæ columnæ erectæ sunt adversus ædificium *k* vestrum subversum. Hæ columnæ portabunt pondus ædificii vestri in salutem. Ecce tres columnæ, quarta vero columna vitæ ad Deum vos sustollet. Agite: præceptum locum ædis Dominicæ munimento circumvallemus. Tum una cum rege et cum turbis locum, ubi vidit columnam igneam super basim auream, circumvallavit muro altissimo ad honorem loci, saxoque ad ostium et claustris munivit, et salutare crucis signum
E ibi erexit, præcipiens, ut omnes ad illum locum venientes genuaque flectentes adorent omnipotentem Deum.

A. Agathangelo. h i k

127 Postquam sic animas illuminaverat, et divino sale condiverat per Euangelicam prædicationem, avulsit eos a vanis simulacris et ab idolis manu factis, induxitque ad cultum clementis Dei. Ab eo igitur tempore propria voluntate et alacritate diligenter accedebant ad preces et jejunia, ad timorem et amorem, ad audiendam doctrinam divinam. Adductis autem ad idem studium turbis ac populis multis, sanctus Gregorius in loco orationis eos allocutus est, et dixit: Flectite genua omnes, ut Dominus sanet castigatos. Omnibus vero genua Deo flectentibus, sanctus Gregorius ferventer orabat, flagitans cum dolore et lacrymis multis, ut obtineret sanationem. Rex vero consistens in medio populorum in forma ante dicta, repente cœpit tremere, et porci squalorem a corpore suo abjicere unaque vultus et dentium fœditatem, et hirsutiem capillorum. Exutus etiam pelle crassissima, reversus est ad propriam personæ suæ formam, corpusque factum est molle, sicut pueri recenter nati, et integram omnium membrorum consecutus est sanitatem *l*. Quemad-
F modum ille, sic et alii homines multi male affecti ex diversis morbis sanati sunt, leprosi, aridi, paralytici, hydropici, obsessi a dæmonibus, mutilati et pedibus laborantes. Hoc modo, allata misericordis Christi gratia, sanatio ad omnes venit per servum ejus Gregorium, qui illos morbis suis liberavit.

regi reliquisque ægrotis sanitas restituta. l

128 Fons quoque cognitionis Christi aures omnium implevit vera doctrina Christiana: eratque videre corda gaudio et oblectatione plena. Nam illa regio, quæ etiam carebat fama horum mirabilium, et tractus illi infideles, in quibus Dei mirabilia patrata sunt, velociter rerum ita gestarum experimenta habuerunt, non solum propter divinam doctrinam, sed etiam ob præfinitam sæculorum promissionem, qua et præsentibus et sequentibus et futuris data a Deo dona conceduntur. Brevi itaque tempore exercitati rebus ipsis, cum libertate et incremento colligebantur, ut erudirentur intelligentia novæ doctrinæ. Igitur animati et præparati homines, qui prius erant in ignorantia, accurrebant ad prædicatio-

Sanctus erudit populum accedentem

A. AGATHANGELO.

nem, a diversis locis et provinciis regionis Armeniæ profecti, et diligenter ad apertum fontem Christi gratiæ et cognitionis veniebant in Ararat provinciam, et ad regium locum ex domo Thorgom *m*, ex quo effluxit gratia prædicationis Euangelii Dei.

et idolorum templa

129 Tunc ergo unanimiter cum rege et magnatibus consilium fecerunt pro communi pace, ut destruerent everterentque offendicula, et de medio auferrent, ne cui fierent palus offensionis et scandali, quo impediretur a suprema libertate, ut cum fiducia venirent ad perfectionem bonorum, secundum scriptum sancti Pauli verbum *n*, ut omnes pervenirent in mensuram ætatis Christi, quorum libertas est in cælo, unde et exspectamus, inquit, Christum : et gloriationem habemus in cruce, et laudem ad gloriam Dei. Confestim ergo rex, consentientibus et reliquis, pro imperio mandavit, ut in potestate esset sancti Gregorii evertere patrios, quos ipsi putabant, deos, et colles eorum, ut de medio tollerentur monumenta ipsorum. Ipse quoque rex cum exercitu profectus est ab urbe Valeroctiste ad civitatem Artaxerxoctisten *o*, ut destrueret vigentem ibi cultum Dianæ in locis dictis ὀνειρομούσοις *p*. B Abeuntibus autem illis occurrit locus, cognominatus Divinantium per somnia *q*, Demonstrantium somnia, Numen dæmonis scribæ, et Cognitiones sacerdotum. Tridis *r* vocata est ara Apollinis...

evertit,

130 Hanc igitur primum, injecta manu, abstulerunt, fregerunt, et a fundamentis everterunt. Cum ibi apparerent dæmones, velut turma militum et cohortium paratarum tamquam ad bellum, lanceas gestantium, et humana forma procurrentium cum hastis et scutis magnoque clamore, fuga eorum facta est, et ad templum Dianæ recesserunt : unde etiam supervenientibus hominibus resistentes pugnabant, jacula impotentia et lapides nimborum instar ex suprema ædificii parte vibrantes in homines *s*, quos, utpote neophytos, modico tempore perturbarunt. At ubi ea vidit Gregorius, facto Dominico crucis signo in portam templi pervenit, et continuo motum a fundamentis ædificium concidit : lignorum vero materies virtute signi incensa est et combusta. Fumus autem aera obscuravit, et omnes dæmones, in fugam conjecti, coram hominibus spectra faC ciebant, et dissoluti plangentesque magno cum clamore et fletu dicebant : Væ nobis : væ nobis! quia ex omni terra fugavit nos Jesus, Mariæ filius, et hic per vinctum et mortuum Gregorium concitata est adversum nos persecutio. Quo ergo fugiamus? Nam gloria ejus implevit orbem terrarum. Nunc itaque cedentes discedamus ad habitandum in monte Caucaso in partibus Borealibus, ut ibidem servati in quiete degamus. Nam indesinenter per aera vagantes nos fecit et separavit a societate hominum, ut non perficiantur ab illis desideria nostra. Hæc illi dicebant, audientibus omnibus.

crucem multis locis erigit:

131 Homines autem in fide abundantius firmabantur. Postquam vero dæmones nigra specie fuerant visi, tamquam fumus, a loco illo evanuerunt. At omnibus templum a fundamentis diruentibus, spoliatio facta est thesaurorum ibi servatorum, qui indigentibus et pauperibus, pupillisque et viduis et hominibus derelictis fuerunt divisi. Ambitum templi cum ministris eius et sacris *t*, agrisque et terminis, in servitium ministerii ecclesiastici separaverunt. Hoc modo sanctus Gregorius omnibus seminavit verba cogni-

D διαφόρων μερῶν καὶ πατρίδων τῶν ἀρμενίων χώρας ὁρμώμενοι, καὶ ἐν σπουδῇ κατελάμβανον τὴν ἀνοιχθεῖσαν πηγὴν τῆς τοῦ Χριστοῦ χάριτος καὶ τῆς γνώσεως εἰς Ἀραρὰτ τὴν πατρίδα, καὶ βασιλικὴν χώραν ἐν τοῦ οἴκου Θοργὼμ, ἐν ᾗ ἐξέῤῥευσεν ἡ χάρις τοῦ κηρύγματος τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Θεοῦ.

129 Τότε οὖν συμβούλιον ποιήσαντες ὁμοθυμαδὸν μετὰ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν μεγιστάνων ἕνεκεν τῆς κοινῆς εἰρήνης, ὥστε καθελεῖν καὶ κατασκάψαι τὰ σκάνδαλα, καὶ ἐκ μέσου ἐπᾶραι, ἵνα μηδενὶ γένηται σκώλοψ καὶ πρόσκομμα, ὥστε ἐμποδίζειν πρὸς τὴν ἀνωτάτην ἐλευθερίαν, ὅπως θαῤῥοῦντες φθάσωσιν εἰς τὴν τῶν ἀγαθῶν τελείωσιν κατὰ τὸ σημειωθὲν ῥητὸν τοῦ ἁγίου παύλου, ὥστε πάντας φθάσαι εἰς μέτρον τῆς τοῦ Χριστοῦ ἡλικίας, ὧν ἡ ἐλευθερία ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅθεν καὶ ἀπεκδεχόμεθά, φησιν, Χριστόν, καὶ τὸ καύχημα ἔχομεν ἐν τῷ σταυρῷ καὶ τὸν ἔπαινον εἰς δόξαν Θεοῦ. Ἐν τάχει οὖν ὁ βασιλεὺς ἐξουσιαστικῶς ἐκέλευσεν, συμπειθομένων καὶ τῶν λοιπῶν, ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου εἶναι τὴν καταστροφὴν τῶν πατρώων νομιζομένων αὐτοῖς θεῶν, καὶ τῶν βουνῶν αὐτῶν, ὅπως ἐξάρῃ ἐκ μέσου τὰ μνημόσυνα αὐτῶν. Αὐτὸς οὖν ὁ βασιλεὺς ἐπορεύθη μετὰ τοῦ στρατεύματος ἀπὸ Οὐαλεροκτίστης τῆς πόλεως εἰς τὴν Ἀρταξερξοκτίστην, ὥστε καταστρέψαι τὸν ἐκεῖ σεβασμὸν τῆς ἀρτέμιδος ἐν τοῖς λεγομένοις E τόποις ὀνειρομούσοις. Ἀπιοῦσι δὲ αὐτοῖς ὑπήντησε τόπος, προσαγορευόμενος ὀνειροπόλων, ὀνειροδείκτων, σέβασμα δαίμονος γραμματέως, καὶ γνώσεις ἱερέων. Τρίδις ἐκέκλητο βωμὸς Ἀπόλλωνος, χαρτυλαρίων διός, διδαχῆς εὐμαθήτης * ἱερέων.

* *forte* εὐμαθεστήτης.

130 Πρῶτον οὖν τοῦτον χειροσάμενοι καθεῖλαν, καὶ ἔκλασαν, καὶ ἐκ θεμελίων κατέστρεψαν· ἐν ᾧ φανέντων τῶν δαιμόνων, ὡς πλῆθος στρατοπέδων καὶ νουμέρων ἠτοιμασμένων, ὡς εἰς παράταξιν, λόγχας βασταζόντων ἐν σχήματι ἀνθρώπων προστρεχόντων μετὰ δοράτων καὶ θυρεῶν, καὶ μεγάλως βοώντων, τροπὴ γέγονεν αὐτῶν, καὶ εἰς τὸ τῆς ἀρτέμιδος ἱερὸν ἔφυγον, ὅθεν καὶ τοῖς καταλαβοῦσιν ἀνθρώποις ἀνθιστάμενοι ἐμάχοντο, βέλη ἀδύνατα καὶ λίθους ὡς λαίλαπας ἄνωθεν ἐκ τῆς οἰκοδομῆς κατὰ τῶν ἀνθρώπων ἀκοντίζοντες, οὓς πρὸς ὀλίγον ἐτάραξαν νεοπίστους ὑπάρχοντας. Ὡς δὲ Γρηγόριος ταῦτα ἐθέασατο, τὸ δεσποτικὸν σημεῖον τοῦ σταυροῦ ποιήσας, εἰς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ ἔφθασεν, καὶ εὐθὺς ἡ οἰκοδομη σεισθεῖσα ἐκ θεμελίων κατέπεσεν. Ἡ δὲ τῶν ξύλον κατασκευὴ ἀναφθεῖσα κατεκάη ἀπὸ τῆς τοῦ σημείου δυναμέως. Ὁ δὲ κάπνος τὸν ἀέρα ἐκάλυψεν, καὶ πάντες οἱ δαίμονες, φυγάδες γενόμενοι, ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων φαντασίας ἐποίουν περιεσχισμένοι καὶ κοπτόμενοι ἐν κραυγῇ μεγάλῃ καὶ κλαυθμῷ λέ- F γοντες. Οὐαὶ ἡμῖν, οὐαὶ ἡμῖν, ὅτι ἀπὸ πάσης τῆς γῆς ἐφυγάδευσεν ἡμᾶς Ἰησοῦς, ὁ υἱὸς Μαρίας, καὶ ἐντεῦθεν διὰ τοῦ δεσμίου καὶ τεθνηκότος Γρηγορίου γέγονεν ἡμῖν δίωξις. Ποῦ οὖν φύγωμεν; ἡ γὰρ δόξα αὐτοῦ ἐπλήρωσεν τὴν ὑπ' οὐρανῶν. Νῦν οὖν ἐκχωρήσαντες ἀπέλθωμεν εἰς κατοίκησιν ἐν ὄρει καυκασίῳ ἐν τοῖς μέρεσι βοῤῥᾶ, ὅπως ἐκεῖσε διασωθέντες ἡσυχάσωμεν. Ἀπαύστως γὰρ κατὰ τὸν ἀέρα πλανομένους ποιήσας, διεχώρησεν ἀπὸ τῆς ἐπιμιξίας τῶν ἀνθρώπων, ὥστε μὴ συντελέσαι δι αὐτῶν τὰς ἐπιθυμίας ἡμῶν. Ταῦτα δὲ ἔλεγον ἐκεῖνοι, ἀκουόντων πάντων.

131 Οἱ δὲ ἄνθρωποι περισσοτέρως ἐν τῇ πίστει ἑδραῖοι ἐγίνοντο. Μελανοφανεῖς δὲ οἱ δαίμονες ὀφθέντες, ὡς κάπνος, ἀπὸ τοῦ τοποῦ ἐκείνου ἐξέλειπον. Πάντων δὲ καθελόντων τὸ ἱερὸν ἐκ θεμελίων, ἁρπαγὴ τῶν ἐκεῖσε θησαυρῶν γέγονε τοῖς δεομένοις καὶ πτωχοῖς, ὀρφάνοις τε καὶ χήραις καὶ ἀπεριστάτοις διανεμηθέντων. Τὴν δὲ περιοχὴν τοῦ ἱεροῦ μετὰ τῶν ὑπηρετῶν αὐτοῦ καὶ τῶν ἱερῶν, καὶ ἀρούρας καὶ ὁρίων εἰς δουλείαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ὑπηρεσίας ἀφόρησαν. Οὕτως δὴ πᾶσιν ὁ ἅγιος Γρηγόριος σπείρας τὸν λόγον τῆς θεογνωσίας, καὶ πάντας στήσας ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ὁδῷ, ἐδίδαξεν τὰς ἐντολὰς

A ἐντολὰς τοῦ κτίσαντος αὐτοὺς Θεοῦ, καὶ ἐν πάσαις ταῖς πόλεσι τῆς Ἀρμενίας, καὶ ταῖς κώμαις καὶ χωρίοις, καὶ κωμοπόλεσιν, ἀφόρισε τοὺς τόπους τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ, μὴ καταβαλὼν θεμέλιον ἐκκλησίας, μηδὲ στήσας θυσιαστήριον, διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν τὴν τῆς ἱερωσύνης τιμήν. Μόνον δὲ περιετείχισεν τοὺς τόπους περιβόλῳ, καὶ τὸ δεσποτικὸν σημεῖον τοῦ σταυροῦ ἐπίγνυεν, ὡσαύτως ἐν εἰσόδοις καὶ ἐξόδοις, καὶ παρ' οἷς πανταχοῦ ἐδίδασκεν τοῦτο τὸ σημεῖον πάντας ἔχειν καταφυγὴν πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμόνων ἐπέλευσιν, ἵνα καὶ ἀδιστάκτως ἐνώπιον αὐτοῦ προσκυνήσωσιν.

132 Ἀπὸ τότε οὖν ἀρξάμενος, ἐκέλευσεν τὸ τῶν σαρακηνῶν γένος κατὰ σχολὴν πρὸς τὴν θείαν διδασκαλίαν γυμνάζεσθαι· ἐν ᾧ πρῶτος ἦν Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς μετὰ παντὸς τοῦ οἴκου αὐτοῦ, καὶ οἱ λοιποὶ τοῦ αὐτοῦ γένους. Σπουδὴν γὰρ ἐποιεῖτο οὕτως πᾶσαν ψυχὴν εἰς εὐθύτητα καὶ γνῶσιν ἀληθείας ἐνέγκαι, καὶ ἐμπλῆσαι πάντων τὰς ἀκουὰς τῶν λογίων τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ἀσφαλῶς τὴν τῆς ζωῆς ὁδὸν παραδοῦναι, ὥστε πάντοτε αὐτοὺς ἔχειν ἐν τῇ καρδίᾳ κύριον τὸν Θεὸν αὐτόν τε προσκυνεῖν καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύειν. Παραθέμενος δὲ αὐτοὺς τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, αὐτὸς ἀναλαβὼν τὸν βασιλέα, ἐπορεύθη, ὅπως καὶ τοῖς ἄλλοις μέρεσι B τῶν ὁρ'ων τῆς Ἀρμενίων χώρας σπείρῃ τὸν λόγον τῆς ζωῆς. Παραγενόμενος δὲ ἔφθασε τὴν τῶν δαραλιστῶν πατρίδα, ἵνα κἀκεῖ τῶν ψευδονόμων θεῶν τὰ ἱερὰ καταστρέψωσιν. Ἐλθόντες οὖν ἐν τῇ καλουμένῃ κωμῇ Θορδάν, ἐν ᾗ ὑπῆρχεν ἱερὸν λεγόμενον, λευκοδόξων δαιμόνων, βωμὸς Βασαμήνης, πρῶτον τοῦτον καταστρέψαντες τὴν εἰκόνα αὐτῆς συνέτριψαν καὶ πάντας τοὺς θησαυροὺς τοῦ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου συλλέξαντες, διεμέρισαν τοῖς πτωχοῖς, τὴν δὲ κώμην πᾶσαν σὺν ταῖς ἀρούραις καὶ ὁρίοις αὐτῆς εἰς ὄνομα ἐκκλησίας ἀφόρισαν, καὶ τὸ ζωοφόρον ἐκεῖ σημεῖον ἔστησαν. Ὁ δὲ μακάριος εὐθέως τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν ἀναλαβών, ἤρξατο τὴν πατρίδα, συνευδοκοῦντος Θεοῦ καὶ τοῦ βασιλέως, ἀφιστᾶν ἀπὸ τῶν πατρικῶν παραδόσεων, καὶ τὰς σατανικὰς καὶ δαιμονιώδεις συνηθείας τῇ ὑποταγῇ καὶ δουλείᾳ τοῦ Χριστοῦ προσφέρειν. Καὶ ὅτι ἔσπειρεν καὶ τούτοις τὸν λόγον τῆς ζωῆς, πάντας εἰς θεοσέβειαν ἄγων, μεγάλα παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ ταύτῃ τῇ πατρίδι σημεῖα γέγονεν. Οἱ γὰρ δαίμονες ὀφθαλμοφανῶς ἐν διαφόροις σχήμασι φυγάδες γενόμενοι, εἰσῆλθον εἰς τὰ μέρη τῶν Χαλτῶν.

133 Στηρίξας δὲ τοὺς πιστούς, ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ὀχυρώτατον τόπον, καλούμενον Ἰαυί, βασιλικὸν οἶκον ἐν τοῖς κοιμητηρίοις τῶν τῆς Ἀρμενίας βασιλέων, κἀκεῖ C κατέστρεψαν τὸν Βωμὸν τοῦ κρόνου, τοῦ πατρὸς Διὸς παντοδαίμονος, καὶ τὸ δεσποτικὸν σημεῖον ἔστησαν· τὴν δὲ κωμόπολιν σὺν τῷ ὀχυρώματι εἰς δουλείαν ἐκκλησίας ἀφόρισαν. Μετὰ δὲ ταῦτα εἰς τὸν ὅμορον πατρίδα, Ἐκκλησιανὴν λεγομένην, ἀνῆλθον, κἀκεῖσε ἐφάνησαν δαίμονες ἐν τοῖς μεγάλοις ἱεροῖς τῆς Ἀρμενίας, ἐν τοῖς τόποις τῶν σεβασμάτων, ὅπου ἦν ὁ βωμὸς τῆς Ἀρτέμιδος ἐν κωμοπόλει Ἔρηζ· ὡς γὰρ στρατιῶται μετὰ θυρεῶν συναχθέντες ἐμάχοντο, καὶ ἀπὸ τῆς κραυγῆς αὐτῶν τὰ ὄρη ἠχήσαντα ἐδόκει σείεσθαι. Ἐκκεχωρηκότων δὲ τούτων τοῦ ἱεροῦ, καὶ ἐκπεφευγότων, καταπεσὸν τὸ ἱερὸν μετὰ τοῦ ὑψηλοτάτου τείχους, ἐν τάχει ἠδαφίσθη. Ὁ δὲ στρατὸς ἅμα Γρηγορίῳ καὶ τῷ βασιλεῖ τὴν χρυσῆν εἰκόνα τῆς Ἀρτέμιδος συνέτριψαν, καὶ τὸν τόπον παντελῶς κατιλόντες, ἔλαβον τὸ χρύσιον καὶ τὸ ἀργύριον· κἀκεῖθεν περάσαντες τὸν Λύκον ποταμὸν κατέβαλον τὸν τῆς ἀθηνᾶς Βωμόν, θυγατρὸς Διός, ἐν τῇ κωμοπόλει Θεσδίας, τοὺς δὲ θυσαυροὺς ἀμφοτέρων τῶν ἱερῶν συνάξαντες, ἠφόρισαν εἰς ὑπηρεσίαν στικῶν* κοιμηλίων μετὰ τῶν τόπων αὐτῶν. Καὶ οὕτως ἀπὸ πολλῶν πατρίδων ἐξῆραν τὰ σκάνδαλα, χωνευτά τε καὶ χωνευτὰ καὶ γλυπτὰ εἴδωλα, βλαβερά τε καὶ ἀχρεῖα, πεποιημένα ἀπὸ τῶν ἀνοήτων καὶ ἐξεστηκότων ἀνθρώπων.

* ἐκκλησιαστικῶν, opinor

tionis Dei, omnesque in via Christi constituit, et deinde præcepta Dei, qui eos creaverat, edocuit : in omnibus quoque civitatibus Armeniæ, in vicis, locis, et in oppidis, separavit loca pro domo Dei, non jaciens tamen fundamentum ecclesiæ, nec erigens altare, quia non habebat honorem sacerdotii. Loca solum circumvallabat, et Dominicum crucis signum figebat, cum in ingressibus, tum in egressibus, et apud hos ubique docebat, ut omnes hoc signum haberent perfugium adversus dæmonum aggressiones, et indubitanter coram illo adorarent. A. AGATHANGELO.

132 Ab eo igitur incipiens tempore, jussit genus Saracenorum *u* per otium divina doctrina institui. Hac in re primus erat rex Teredatius cum omni domo sua, et cum reliquis generis sui. Nam hoc modo studebat omnem animam ad rectam viam et cognitionem veritatis adducere, omnium auditum implere dictis Euangelii, iisque secure viam vitæ tradere, ut semper in corde haberent Dominum Deum, ipsumque adorarent, atque ei soli servirent. At ille, ubi eos per Dei gratiam adduxerat, secum assumens regem, profectus est, ut aliis quoque partibus ditionis regni Armeniæ verbum vitæ seminaret. E Venit autem ad provinciam Daralistarum *x*, ut ibidem etiam templa falsi nominis deorum destruerent. Ubi vero advenerant in pagum, Thordan dictum, in quo erat templum, λευκοδόξων dæmonum vocatum, altare Basaminæ; hoc primum destruentes, imaginem ejus confregerunt, omnesque thesauros auri et argenti colligentes, pauperibus distribuerunt, totum vero pagum cum agris et finibus suis nomine ecclesiæ sequestrarunt, et salutare signum ibi posuerunt. Porro Beatus, assumpta confestim doctrina Euangelica, cœpit provinciam, Deo probante et consentiente rege, a patris avellere traditionibus, et satanicas diabolicasque consuetudines subjectioni et famulatui Christi offerre : et quandoquidem in iis seminabat verbum vitæ, omnes ad cultum Dei impellens, magna a Deo huic etiam provinciæ signa ostensa sunt. Nam dæmones variis formis, quæ oculis patebant, fugientes, in partes Chaltorum ingressi sunt.

u plures peregrans provincias,

x

133 Confirmatis autem fidelibus, egressus venit ad locum munitissimum, Javi nominatum, domum regiam ex cœmeteriis regum Armeniæ, et ibi everterunt altare Saturni, patris Jovis, F deorum principis *y*, et signum Dominicum erexerunt : oppidum vero cum munitione in servitutem Ecclesiæ separarunt. Post hæc in finitimam profecti sunt provinciam, dictam Ecclesianam *z*, ibique apparuerunt dæmones in magnis Armeniæ templis in locis sacrorum, ubi erat altare Dianæ in oppido Erex. Nam sicut milites collecti scutis pugnabant, et præ clamore eorum montes resonantes videbantur moveri. Verum illis e templo discedere coactis et aufugientibus, concidens templum cum altissimo muro confestim æquatum est solo. Exercitus vero cum Gregorio et rege auream imaginem Dianæ confregerunt, locumque omnino subvertentes, abstulerunt aurea et argentea. Inde trajicientes Lycum fluvium, dejecerunt Minervæ aram, Jovis filiæ, in oppido Thesdias : thesauros vero utriusque templi collectos segregarunt ad usum ecclesiasticorum ornamentorum cum locis ipsis. Hoc modo a multis provinciis abstulerunt offendicula, surdaque et tornatilia et sculpta idola, noxiaque et inutilia, ab hominibus amentibus et stupidis fabricata.

alia etiam fana

y

z

134

A. AGATHANGELO. *multis in locis destruit.*

134 Rex autem in fide confirmatus, cum graviore comminatione et auctoritate præcepit, ut in illis partibus a satanica et vesana dæmonum adoratione abstinerent, ac subjicerent se suavissimo ac benignissimo jugo Christi. Hæc vero ibidem perfecerant, ministerium prædicationis implentes multis etiam cum signis. Nequo tantum efficere poterat regis comminatio ac punitio, ut omnes ad credendum inducerentur, quantum miracula diversarum sanationum valebant ad gloriose celebrandum sanctissimum Christi nomen. Hæc vero omnia voluntate et misericordia Dei patravit sanctus Gregorius. Rex igitur magna voce in omnibus locis, ad quæ veniebat, narrabat per omnia sine pudore et impietates suas, et facta in se a Deo mirabilia, ejusque misericordiam et sanationem suam. Deinde vero festinavit sanctus Gregorius proficisci ad provinciam Zeranitarum, Apostolicamque ibi etiam promulgando prædicationem, abstrahere ab abominanda dæmonum adoratione, et ab Ephialtica operatione partes barbaricas, et ad disciplinam divinæ sapientiæ transferre gentem durissimam, institutisque gentibus circumlatam, ut eruditi et exercitati essent Euangelicis monitis, et non soli B resisterent. Venit ergo ad templum Vulcani, qui Jovis filius dicitur, in pago, Baraariz nominato secundum linguam Parthorum, et hoc a fundamentis everterunt : sed thesauros ibi jacentes collegerunt, et diviserunt pauperibus : locum pro ecclesia sequestrarunt, et in cognitione veritatis confirmarunt. Ab eo tempore festinavit familiarissimos, et proceres palatii, et genere liberos, Dei scientia erudire.

134 Ὁ δὲ βασιλεὺς βεβαιωθεὶς ἐν τῇ πίστει, μετὰ D μείζονος ἀπειλῆς καὶ ἐξουσίας ἐκέλευσεν ἀπὸ τῆς σατανικῆς καὶ μανιώδους τῆς τῶν δαιμόνων προσκυνήσεως ἀποστῆναι τοῖς μέρεσιν ἐκείνοις, καὶ ὑποταγῆναι τῷ γλυκυτάτῳ καὶ χρηστοτάτῳ ζυγῷ τοῦ Χριστοῦ. Ταῦτα δὲ καὶ ἐνθάδε πεποιήκεισαν, καὶ τὴν τοῦ κηρύγματος χρείαν πληρώσαντες μετὰ πλείστων σημείων. Οὐ τοσοῦτον δὲ ἡ ἀπειλὴ καὶ ἡ ἐπιθυμία τοῦ βασιλέως ἴσχυεν πρὸς τὸ πάντας πείθειν ἐν λόγοις, ὅσον τὰ θαύματα τῶν διαφόρων ἰάσεων ἐδόξασεν τὸ πανάγιον ὄνομα τοῦ Χριστοῦ. Ταῦτα δὲ πάντα πέπρακται θελήματι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου. Ὁ οὖν βασιλεὺς ἐν πᾶσι τοῖς τόποις παραγενόμενος τὰς ἰδίας ἀσεβείας καὶ τὰ παρὰ Θεοῦ γεγενομένα θαύματα πρὸς αὐτὸν, καὶ τὸ ἔλεος καὶ τὴν ἴασιν μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἀνεπαισχύντως διηγούμενος ἐπὶ πάντων. Μετὰ δὲ ταῦτα ἔσπευδεν ὁ ἅγιος Γρηγόριος καταλαβεῖν καὶ τὴν τῶν Ζερανιτῶν πατρίδα, καὶ τὸ ἀποστολικὸν κήρυγμα κάκεῖσε σπείρας, ἀποστῆσαι τῆς βδελυρᾶς τῶν δαιμόνων προσκυνήσεως καὶ τῆς Ἐφιαλτικῆς ἐνεργείας τὰ βαρβαρικὰ μέρη, καὶ εἰς τὰ μαθήματα τῆς θεϊκῆς σοφίας μεταλαβεῖν τὸ τραχύτατον ἔθνος καὶ περιφερόμενον ἐθνικαῖς ἀγωγαῖς, ὥστε πεπαιδευμένους καὶ γεγυμνασμένους ἐν τοῖς εὐαγγελικοῖς παραγγέλμασι, καὶ οὐχ οἵους καταστῆσαι. Ἔφθασεν οὖν ἐν τῷ ἱερῷ Ἡφαίστου, E λεγομένου υἱοῦ τοῦ Διὸς, ἐν κώμῃ λεγομένῃ Βαρααρὶζ κατὰ τὴν τῶν Πάρθων γλῶσσαν, καὶ τοῦτο ἀπὸ θεμελίων κατέσκαψεν, τοὺς δὲ ἀποκειμένους θησαυροὺς συλλέξαντες, τοῖς πτωχοῖς διένειμον· καὶ τὸν τόπον τῇ ἐκκλησίᾳ ἠφόρισαν, καὶ ἐστήριξαν ἐν τῇ γνώσει τῆς ἀληθείας. Καὶ ἀπὸ τότε ἔσπευδεν τοὺς οἰκειοτάτους, καὶ τοὺς μεγάλους τοῦ παλατίου, καὶ ἐλευθέρους ἐν γένει ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ σοφίᾳ παιδεῦσαι.

ANNOTATA.

a *Hic auctor nonnihil recedit ab ante dictis. Nam num.* 86 *et* 88 *duas tantum Socins* S. Gaianæ *in martyrio adjunxit. Quæ vero tertia hic additur, passa num.* 84 *dicitur in loco torcularis, ubi tertia ædes mox dicitur condita.*

b *Quomodo igitur arcas, in quibus sanctorum corpora deposuit, per ipsos compani jussit? Sic auctor, dum ingenio suo indulget, subinde commentus est invicem repugnantia.*

c *Dimidia hæc sanatio, etsi a Metaphraste etiam asserta, aliud rursum videtur auctoris figmentum. Talia videntur pleraque, quæ de rege, regina et aliis sequuntur : et, ut breviter dicam, tota illa oratoriorum constructio, etiamsi ipsa constructio verisimiliter facta sit, modo admodum improbabili relata est.*

d *Rursum auctor obliviscitur ante dictorum. Nam num.* 83 *horum Martyrum cædem refert, et solum numerat triginta et duos præter* S. Ripsimen, *quum erant triginta et tres.*

C e *Si una cum* Gaiana *tres fuisse voluit, non aberravit a numero ante determinato, ut jam observavi lit.* a. F

f *Designatur mons* Masius *apud antiquos geographos notus in Armenia. Potest ille facile* septem dierum itinere *distare ab urbe Valeractiste, ubi modo est ecclesia patriarchalis, de qua actum in Commentario num.* 39. *Nam mons Masius multo magis est versus Austrum, situsque in confinia Armeniæ et Mesopotamiæ. Hinc a Strabone tribuitur Armeniæ, a Ptolemæo Mesopotamiæ. Ex eo Cellarius in Geographia* antiqua *lib.* 3, *cap.* 11 *geminum credidit Masium, alterum in Armenia, alterum in Mesopotamia. Verum nequeo dubitare, quin idem sit mons, qui continet partem Septemtrionalem Mesopotamiæ et Australem Armeniæ. Nam Strabo ipse satis indicat, partem Masii montis esse in Mesopotamia, dum lib.* 11, *pag.* 527 *ita scribit :* Rursum si a Tauro initium sumas ab ea parte, quæ trans fluvium Euphratem opposita est Comagenæ et Melitenæ, Masius mons est imminens superne Mygdonibus in Mesopotamia versum Austrum sitis, in quibus est Nisibis. Septemtrionem versus Sophena est, Masium inter et Antitaurum. *Rursum lib.* 16, *pag.* 747 *ait, Nisibem* sub Masio monte sitam. *Itaque Masius, qui pars est Tauri, sua latitudine extendit se in Sophenam Armeniæ regionem, et in Mygdoniam Mesopotamiæ partem. Hoc ipse Cellarius deinde videtur agnovisse. Certe lib.* 3, *cap.* 15, *pag.* 448, *allegato alio Strabonis loco, ait ex eo se intelligere, Masium* ex Armenia Australi in Mesopotamiam usque ad Nisibin proferri.

g *Rursum hic inepta figmenta profert fabulator : nam si necessarii erant lapides montis Masii, poterant illi alio modo transportari.*

h *Hic aliqua sunt omissa, verisimiliter versus unus, ut ex ipsa lectione fit clarum. De arcarum depositione solum dicit Metaphrastes :* Earum unamquamque proprius accipit locus. *Si singuli Martyres in locis, ubi erant passi, fuerunt depositi,* Gaiana *cum duabus, fuit in Australi ecclesia.* Ripsime *cum triginta duobus, partim viris partim feminis, in Boreali, et una in ecclesia tertia. Itaque interposui ea, quæ scripta fuisse credo, dubitans tamen, an pro vocibus* cum duabus, *ut scribi debuit,*

A *buit, auctor non scripserit* cum tribus, *sicut Socias triginta tres dedit* S. Ripsimæ *pro triginta duabus.* A. AGATHANGELO.

i *Id est, ubi erigenda fuissent altaria: sed pro altaribus solam Crucem tunc erexit* Gregorius.

k *Hæc latine reddidi, acsi græce haberetur ἀνθέστησαν, ut revera scriptum fuisse existimo.*

l *Sanatum fuisse regem Teridatem precibus* S. Gregorii, *et gravi aliquo malo liberatum, omnino credo; cum propter verba Gregorii Cæsariensis presbyteri, in Commentario num.* 91 *data, tum propter traditionem communem Armenorum et assertionem hujus biographi, cum passim deprehendamus de factis, quæ asserit, aliquid esse veri. At de gravitate mali eamdem ei non habemus fidem, et nihilo magis de modo sanationis. Tribus vicibus sanationem asserit perfectam: nam num.* 110 *ait,* auditum et mentem *regi* a Gregorio *post egressum e carcere obtenta ut prædicationem intelligere posset: deinde num.* 124 *manuum et pedum usum, ut posset laborare, et tandem hic perfectam sanitatem.*

m *Videtur nomen esse illius, qui locum illum regium, in quo populum instruebat* S. Gregorius, *ante possederat. Domus aut familia* Thorgom *redibit.*

n *Attingit verba S. Pauli Ephes.* 4, ✠ 13; *sed omnia non recitat.*

o *Græco nomine* Ἀρταξερξοκτίστη *significatur* Urbs ab Artaxerxe condita. *Forte eo nomine designaverit auctor Artaxatam Armeniæ olim metropolim, quæ alias* Artaxiosata *fuit dicta, et ab Artaxin rege dicitur condita. Num propria nomina videtur subinde mutare.*

p *Vox græca originem habet ab* ὄνειρος somnus *aut* somnium, *et* μοῦσα musa *aut* cantus. *Forte in illis per somnia quærebant cognitionem rerum a Musis.*

q *Diversa sacrilegi loci accumulat auctor. Illa latine reddidi, etiamsi aliqua sint ambigua. Primum, quod exposui* Divinantium per somnia, *etiam exponi potest,* Interpretantium somnia, *idemque significat secundum nomen.*

r *Hæc vox videtur corrupta, forte legenda* τρίπους tripus, *qualis erat in fano Apollinis. In sequentibus etiam, quæ ne latina quidem feci, aliquid corruptionis est, saltem in voce* εὐμαθήτης, *et nihil utilitatis.*

B E

s *Quamvis non esset incredibile, dæmones per spectra aliqua repugnasse templorum eversioni; si assereretur a scriptore fideli et veri studioso; hic tamen noster aliis figmentis effecit, ut in his quoque, quæ per se fabulosa videntur, fidem nostram non mereatur. Itaque omnia illa, quæ de dæmonibus hic affirmat, et verba, quæ iisdem inferius attribuit, pro ejus figmentis videntur habenda; indeque ulterius maxime fit suspectum, quod ait, templum sponte concidisse, et materiam combustam solo Crucis signo.*

t *Ambiguum est, quid voce* ἱερῶν sacris *hic significetur; dubitavique, an forte scriptum non fuerit* ἱερέων sacerdotibus, *de quibus nihil dicitur, nisi comprehendantur generali nomine ministrorum. At per* sacra, *si vox recte fuit scripta, intelligentur vasa aliaque pro sacrificiis usitata.*

u *Obscurum est, de quibus Saracenis biographus hic loquatur: neque enim Saraceni, qui habitabant in Arabia, instructi fuerunt a* Gregorio. *Erant quidem aliqui Arabes Scenitæ aut Saraceni in Mesopotamia, iique consequenter minus remoti ab Armenia: at nec ad hos quidem Armenia egressum* Gregorium *crediderim. Quapropter, si vera de Saracenis dicat auctor, suspicarer, manum aliquam Saracenorum militasse inter Armenos, et de horum conversione sollicitum fuisse* Gregorium *æque ac Teridatem. Si vox modice fuerit corrupta, poterunt etiam intelligi incolæ regionis* Sacassenæ, *quæ in Armenia est prope Albaniam, ut habet Strabo.*

x *Quæ sit ea regio aut urbs, rursum obscurum est, sicut pleraque Armeniæ oppida parum nota sunt.* Dastira *in Acilisena, Majoris Armeniæ provincia, memoratur a Strabone lib.* 12, *pag.* 555. *In eodem, ut videtur, tractu apud Ptolemæum lib.* 5, *pag.* 134 *occurrit oppidum* Daranissa. *An idem ab* utroque *sit commemoratum, et illud ipsum noster dicere voluerit, nequeo certo edicere. Illud saltem perspicio, memorata apud Ptolemæum non minus ignota esse, quam sint aliqua in hac vita, qualis est etiam pagus* Thordan, qui mox sequitur, *sicut et* λευκόδοξοι *dæmones, et* Basamina *dea. Idem sit dictum de reliquis locis, quæ prætermittam.*

C F

y *Vocem* παντοδαίμων *nullibi inveni. Significationem latinam dedi ex conjectura. Jovem inter deos fictitios principem fuisse habitum, et filium fuisse Saturni, passim notum est.*

z *Idem hic videtur locus cum illo, de quo actum est num.* 21. *Nam et ibidem* Erex *oppidum aut vicus, et famosum in eo Dianæ templum, et vicinus Lycus fluvius. Provincia vero ibi scribitur* ἐκκλησία, *hic* ἐκκλησιανὴ, *forte neutro loco sine mendo. Vide itaque Annotata ad caput* 3 *lit.* k.

CAPUT XII

Sanctus eum insigni comitatu et cum litteris Cæsaream missus a rege, ibique ordinatus archiepiscopus, redit in Armeniam cum litteris Cæsareensium.

Ὁ δὲ βασιλεὺς Τηρηδάτιος σὺν τῇ βασιλίσσῃ Ἀσιχήνῃ, καὶ τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ Κουσαρωδούκτᾳ, ἐκέλευσεν συναχθῆναι ὁμοθυμαδὸν τὰ στρατεύματα. Οἱ δὲ διὰ τάχους εἰς τὴν ὁρισμένην ἡμέραν παρέγενοντο εἰς Ἀραράτ τὴν πατρίδα, καὶ Οὐαλεροκτίστην τὴν πόλιν, ἔνθα καὶ ὁ βασιλεὺς ἐπορεύετο. Καὶ συνήχθησαν μεγιστᾶνες, καὶ φύλαρχοι, καὶ τοπάρχαι, καὶ οἱ ἐν ἀξιώ-

Rex porro Teredatius cum regina Asichene et sorore sua Cusaroducta jussit unanimiter congregari exercitus. Illi vero velociter ad diem præstitutum advenerunt in provinciam Ararat, et in civitatem Valeroctisten, quo et rex profectus est. Congregati autem sunt magnates, principes tribuum, locorum principes, et qui in dignitatibus *Rex S. Gregorium, ut consecretur episcopus.*

A AGATHANGELO.

dignitatibus sunt honorati, agminum duces, magistratuum principes et liberi, adstiteruntque coram rege. Consultabat autem cum omnibus rex, studens bonorum operum eos reddere possessores, et dixit : Agite, hunc Gregorium, qui a Deo nobis datus est vitæ dux, quamprimum constituamus pastorem, ut illuminet nos baptismate, et renovet mysteriis vitam afferentibus Creatoris nostri Dei. At Gregorius nolebat acceptare honorem summi sacerdotii. Non sum idoneus, aiebat, propter immensam sublimitatem Divinitatis hunc honorem possidere. Nam inenarrabilia a gloria Christi habet dona, qui ductor sit hominumque intercessor apud Deum. Verum quærite dignum, qui ad hoc promoveatur.

cum electo comitatu

136 Tunc offertur regi visio verenda, eidem a Deo ostensa. Vidit enim Dei angelum sibi dicentem : Oportet vos, inquit, Gregorium sine dilatione sortiri in honore sacerdotii, ut vos illuminet. Similiter Gregorio visus est idem angelus, dicens : Ne præsumpseris resistere : nam hæc tibi a Christo mandata sunt *a*. Ille statim annuens, dixit : Fiat voluntas Dei. Tunc rex ingenti cum gaudio, studioque et timore magno B rei curam suscepit. Jussit ergo convocari satraparum duces, et locorum principes. Primus princeps domus Angelitarum *b* : secundus princeps Alsenarum, qui est ex comitatu *c* : tertius princeps, qui a dignitate sua Patricius *d* dicitur : quartus princeps, qui auctoritatem habet redimiendi regem diademate, dictus Aspeton *e* : quintus princeps, castrorum præfectus militiæ regionis Cordobitorum *f* : septimus princeps, alius ex comitatu : octavus princeps, regionis Rustinarum præfectus : nonus princeps, Comitarum regionis præfectus : decimus princeps, regionis Synistarum *g* : duodecimus princeps, regionis Sudeorum : decimus tertius princeps, regionis Sutiarum : decimus quartus, præfectus gentis Saruandarum et provinciæ Checras : decimusquintus princeps Malchasiarum domus : decimus sextus princeps Asurunarum. Hi sunt principes electi, locorum præfecti, capita familiarum mille et decem millium ductores in regione Armeniæ ex familia Thorgom *h*, quos collegit rex et misit in Cappadociam ad civitatem Cæsaream, secundum Armenorum idioma Masach *i* dictam, ut proficiscentes Gregorium constituerent summum sacerdotem totius regionis.

et cum litteris

137 Ubi ergo necessaria paraverant ad iter, et litteras scripserant sequentis argumenti, eos dimiserunt. Exemplar epistolæ. Olim ignorantia peccatorum perditi, obtenebrati fuimus errore, C et nebula impietatis conclusi, non potuimus sursum aspicere, et Solem justitiæ considerare : unde tenebrarum cœno obducti, permansimus secundum animam cæci. Cum vero benignitas Conditoris nostri Christi apparuit ad erudiendum et illuminandum nos, creaturas suas, effulgere fecit radios lucis vitam afferentis in corda nostra, et mortuam conditionem nostram ad vitam revocavit, missis confestim dilectis Martyribus suis in nostras partes. Hi, ubi advenerant, quod eorum fortitudinem et virtutem nos ignoraremus, celeberrima demonstrarunt luctamina pro suo in Deum amore. Eorum quidem Dominus, etiam ante luctam, ipsorum certamen noverat, et quales sint : sed ut etiam nos amentes sapientiam doceret. Quantum enim illi Dominum suum amaverunt, tantum supra modum propter fortia

ματι ἔντιμοι, στροτοπεδάρχαι, καὶ οἱ ἐπ' ἐξουσιῶν D ἄρχοντες, σατράπαι τε καὶ ἐλεύθεροι, καὶ παρίστανται ἐνώπιον τοῦ βασιλέως. Συμβούλιον δὲ ἔλαβεν μετὰ πάντων ὁ βασιλεὺς, σπεύδων αὐτοὺς ἀγαθῶν ἔργων κληρονόμους γένεσθαι, καὶ φησιν· δεῦτε τοῦτον ἐν τάχει, τὸν δοθέντα παρὰ τοῦ Θεοῦ τῆς ζωῆς ἡμῶν ὁδηγὸν, ποιμένα καταστήσωμεν τὸν Γρηγόριον, ὅπως φοτίσῃ ἡμᾶς διὰ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἀνακαινίσῃ διὰ τῶν ζωοφόρων μυστηρίων τοῦ δημιουργοῦ ἡμῶν Θεοῦ. Ὁ δὲ Γρηγόριος οὐκ ἐβούλετο καταδέξασθαι τὴν τῆς ἀρχιερωσύνης τιμήν. Οὐκ εἰμὴ ἱκανὸς, λέγων, διὰ τὸ ἄπειρον ὕψος τῆς θεότητος ταύτην βαστάξαι· ἀνεκδιήγητα γὰρ δωρήματα ὑπάρχουσιν ἀπὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ δόξης τῷ ἡγουμένῳ καὶ μεσίτῃ γονομένῳ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Ἀλλὰ ζητήσατε τὸν ἄξιον εἰς τοῦτο προχειρισθῆναι.

136 Τότε θεορεῖ ὁ βασιλεὺς ὅραμα φοβερὸν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀποδειχθὲν αὐτῷ. Ἴδεν γὰρ Θεοῦ ἄγγελον λέγοντα αὐτῷ· δεῖ ὑμᾶς, φησι, τὸν Γρηγόριον κληρῶσαι ἀνυπερθέτως ἐν τῇ τῆς ἱερωσύνης τιμῇ, ὅπως φοτίσῃ ὑμᾶς· ὡσαυτῶς ἐφάνη καὶ Γρηγορίῳ αὐτὸς ὁ ἄγγελος, λέγων· μὴ τολμήσῃς ἀντιστῆναι, παρὰ τοῦ Χριστοῦ γὰρ τοῦτά σοι προστέτακται. Καὶ εὐθεὼς καταδεξάμενος, ἔφη· τὸ θέλημα τοῦ κυρίου γενέσθω. Τότε ὁ βασιλεὺς μετὰ πολλῆς χαρᾶς καὶ σπουδῆς καὶ φόβου E μεγάλου ἐφρόντιζεν. Κελεύει οὖν τοὺς ἀρχηγοὺς τῶν σατραπῶν συγκαλέσασθαι, καὶ τοπάρχας. Καὶ πρῶτος ἄρχων Ἀγγελιτῶν οἴκου, ὁ δεύτερος ἄρχων Ἀλσενῶν, ὁ τῆς κομητατησίας, ὁ τρίτος ἄρχων ἐπὶ τῆς ἐξουσίας πατρίκιος λεγόμενος, ὁ τέταρτος ἄρχων ὁ τὸ διάδημα ἐξουσίαν ἔχων ἐπιδῆσαι τῷ βασιλεῖ, ὁ λεγόμενος Ἀσπέτων, ὁ πέμπτος ἄρχων στρατοπεδάρχης στρατιλατικῆς ἐξουσίας τῆς Ἀρμενίων χώρας, ὁ ἕκτος ἄρχων ὁ τῆς Κορδοβίτων χώρας, ὁ ἕβδομος ἄρχων ὁ ἕτερος κομητατήσιος· ὁ ὀγδοὸς ἄρχων τῆς Ῥουστινῶν χώρας, ὁ ἔννατος ἄρχων τῆς κωμητῶν χώρας· ὁ δέκατος ἄρχων, τῆς Συνιστῶν χώρας, ὁ δωδέκατος ἄρχων ὁ Σουδέων χώρας, καὶ ὁ τρισκαιδέκατος ἄρχων ὁ τῆς Σουτιῶν χώρας. Ὁ τεσσαρεσκαιδέκατος, ὁ ἐθναρχὴς Ζαρουανδῶν καὶ Χεκρᾶς τῆς πατρίδος· ὁ πέμπτος καὶ δέκατος ἄρχων, ὁ τοῦ Μαλχασιῶν οἴκου. Ὁ ἑξκαιδέκατος ἄρχων, ὁ Ἀσουρουνῶν. Οὗτοι οἱ ἄρχοντες οἱ ἐκλεκτοὶ, τοποκράτορες, πατριαρχικοὶ, χιλίαρχοι καὶ μυρίαρχοι ἐν μέσῳ τῆς Ἀρμενίων χώρας οἴκου Θοργὼμ, οὓς συναθροίσας ὁ βασιλεὺς, ἀπέστειλεν εἰς τὰ μέρη Καππαδοκίας εἰς πόλιν Καισαραίων, κατὰ τὴν Ἀρμενίων διάλεκτον Μασὰχ λεγομένην, ὅπως ἀπελθόντες τὸν Γρηγόριον ἀρχιερέα καταστήσωσι πάσῃ τῇ χώρᾳ. F

137 Ἑτοιμάσαντες δὲ τὰ πρὸς τὴν ὁδὸν, καὶ γράμματα χαράξαντες τοῦτον τὸν τύπον, ἀπέστειλαν. Εἰκὼν τῆς ἐπιστολῆς. Πάλαι ἀπολλύμενοι ἐν τῇ ἀγνοίᾳ τῶν ἁμαρτιῶν, ἐσκοτώθημεν ἐν πλάνῃ καὶ ἐν τῇ ὁμίχλῃ τῆς ἀθεότητος συνκλεισθέντες, οὐκ ἠδυνήθημεν ἀναβλέψαι, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον κατανοῆσαι· διὰ τοῦτο ἐν τῷ σκότει βορβορωθέντες, ἐμείναμεν τυφλοὶ τὴν ψυχήν. Ὅτε δὲ ἡ χρηστότης τοῦ ποιητοῦ Χριστοῦ ἐπεφάνη παιδεῦσαι καὶ φωτίσαι ἡμᾶς τὰ ἴδια ποιήματα, ἐξέλαμψεν τὰς ἀκτῖνας τοῦ ζωοφόρου φωτὸς εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν, καὶ ἐζωοποίησεν τὴν νεκρότητα ἡμῶν, πέμψας τοὺς ἀγαπητοὺς αὐτοῦ μάρτυρας αὐτόθεν ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν· οἱ ἐλθόντες διὰ τῆς ἡμῶν ἀσυνεσίας τῆς αὐτῶν ἀνδρειότητος καὶ ἀρετῆς, τὰ ἐμφημότατα παλαίσματα εἰς τὴν τοῦ Χριστοῦ ἀγάπην ἐπεδείξαντο. Ὁ μὲν γὰρ δεσπότης αὐτῶν, καὶ πρὸ τῆς πάλης, τὴν αὐτῶν ἄθλησιν ἐπίστατο, ὁποῖοι ὑπάρχουσιν· ἀλλ' ἵνα καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνοήτους τὴν σοφίαν διδάξῃ. Ὅσον γὰρ οὗτοι τὸν δεσπότην αὐτῶν ἠγάπησαν, ὑπερβαλλόντως ἕνεκεν τῆς ἐναρέτου αὐτῶν ἀθλήσεως κύριος ὁ Θεὸς τὰ ἄμετρα θαύματα εἰργάσατο εἰς αὐτοὺς, καὶ ἡμῖν μὲν μεγίστας

A μεγίστας τιμωρίας ἐπέθηκεν, τῷ βασιλεῖ ἡμῶν ἀλλάγην ἔθετο ἐν μορχῇ χοίρου, καὶ μετὰ τῶν ἀγρίων ζώων νέμεσθαι ἐποίησεν. Ἐλεήσας δὲ ἡμᾶς ταῖς τῶν μαρτύρων αὐτοῦ πρεσβείαις, διὰ τοῦ αὐτόθι παραγενομένου, καὶ μαρτυρίσαντος Γρηγορίου, πάντας ἰάσατο. Αὐτὸς γὰρ, περισσοτέρως μάρτυς εὑρεθεὶς, ἡμῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ ὁδηγὸς δέδοται, καὶ δι' αὐτοῦ τὰ ἀρχαῖα ἤθη, καὶ τὴν τῶν ματαίων σεβασμάτων εἰδωλομανίαν τὴν πατρικὴν ὁ Θεὸς ἐξορίσας, καὶ ἐκ μέσου ἐπάρας καθεῖλεν, καὶ ἐδίδαξεν ἡμᾶς τὰ μαρτύρια αὐτοῦ, καὶ τοῖς προστάγμασι αὐτοῦ πορεύεσθαι, ὥστε καὶ φανερῶς τὸν Θεὸν κελεύειν ἡμᾶς τὸν αὐτὸν Γρηγόριον ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον τῆς ἀληθείας λαβεῖν, ἔχοντα τοὺς οἴακας τῆς ἡμετέρας χώρας.

138 Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς τεθαῤῥηκότες τῇ συμπνοίᾳ καὶ ἀντιλήψει τῶν ὑμετέρων εὐχῶν πεπόμφαμεν Λεοντίῳ τῷ ἀρχιεπισκόπῳ Καισαρείας, καὶ πάσῃ τῇ ἱερατικῇ τάξει τῆς αὐτῆς ἁγίας ἐκκλησίας, ἐλέει Χριστοῦ καὶ εὐχαῖς ὑμετέραις, τὸν ἀσπασμὸν γεγραφηκότες. Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς σὺν τῷ στρατεύματι τῆς Ἀρμενίων χώρας, καὶ Ἀσιχήνη βασίλισσα, καὶ ἡ νεᾶνις μεγάλη κουσαρωδοῦκτα. Διὰ τοῦτο ἀπεστείλαμεν πρὸς ὑμᾶς τοὺς μεγάλους καὶ ἐντίμους ἄρχοντας τῆς ἡμετέρας μεγάλης χώρας, ἵνα διηγήσωνται ὑμῖν τὰ θαυμάσια αὐτοῦ Θεοῦ, ἐν τῇ χώρᾳ ταύτῃ πεπραγμένα ἡμῖν. Ἐπέμψαμεν δὲ ἅμα αὐτοῖς καὶ τὸν ἁγιώτατον, καὶ μέγαν ὁμολογητὴν, καὶ ζῶντα μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Γρηγόριον. Καὶ ταύτην τὴν προσηγορίαν γεγράφαμεν, ὅπως διὰ τῆς πνευματικῆς ἐπισκέψεως καὶ θεοδωρήτου χάριτος τοῦ Χριστοῦ, ἡμῖν τὸν αὐτὸν Γρηγόριον ποιμένα καὶ ἐπίσκοπον καὶ διδάσκαλον καὶ ὁδηγὸν τῆς θεϊκῆς πορείας καὶ πνευματικὸν ἰατρὸν καταστήσητε, καθὼς καὶ ἡμῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ προστέτακται, προσευχόμενόν τε καὶ ὑπὲρ ἡμῶν, ὅπως ἀξίους ἡμᾶς ποιήσῃ ὁ Θεὸς τοῦ αὐτοῦ ἐλέους, ἀσφαλῶς ἀπὸ τοῦ νῦν πορεύεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ, καὶ ἡ ὑμετέρα ἀγάπη καὶ ὁ ἀσπασμὸς ἐπικαταλάβοι ἡμᾶς.

139 Τὸ δὲ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς τούτῳ τῷ τύπῳ ἐγράφη, καὶ ἑτοιμασθέντες ἔλαβον, καὶ δῶρα ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, ἵππους τε καὶ ἡμιόνους, καὶ πολυτελέστατον ἱματισμὸν, κόσμια εἰς τὴν τιμὴν τῶν ἁγιωτάτων ναῶν τοῦ Θεοῦ, ἔνθα ἐπορεύοντο. Καὶ διαπερόντες πανταχῇ τιμῆς μεγάλης ἠξίουν τὰς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας. Ἀνεβίβασαν δὲ τὸν ἅγιον Γρηγόριον ἐν τῷ χρυσεμπάστῳ ἅρματι, ἑλκομένῳ C λευκαῖς ἡμιόνοις, καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες μετ' αὐτοῦ μετὰ τῶν ἁρμάτων καὶ ἵππων, ἕκαστος σὺν τῷ ἰδίῳ στρατεύματι, ἐξελθόντες ἀπὸ Ἀραρὰτ τῆς πατρίδος καὶ Οὐαλεροκτίστες πόλεως, ἔφθασαν ἐν τοῖς ὁρίοις Ἰωνίας, πολλὴν τιμὴν εὑράμενοι πανταχοῦ ἐν ταῖς πόλεσι, μετὰ πλείστης χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης προπεμπόμενοι, ἐπειδὴ ἀκούοντες ἦσαν ἅπαντες τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν γινομένην σωτηρίαν, καὶ τὰς ἐπ' ὠφελείᾳ πορείας αὐτῶν. Οὕτως πανταχοῦ ὁδηγηθέντες, ἔφθασαν εἰς τὴν Καισαραίων πόλιν, καὶ ἐθεάσαντο ἐκεῖ τὸν ἁγιώτατον καὶ καθολικὸν Λεόντιον, καὶ πάντας τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς χοροὺς τῶν ἁγίων κληρικῶν, καὶ τὰς ἀγγελικὰς καταστάσεις ἐν τῇ ἀσκήσει καὶ λειτουργίᾳ. Καὶ ἀσπασάμενοι αὐτοὺς, διηγήσαντο τὰ γενόμενα παρὰ τοῦ Θεοῦ· προσήνεγκαν δὲ καὶ τὴν ἐπιστολὴν τοῦ βασιλέως τῷ ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ· ὅστις μετὰ πλείστης χαρᾶς δεξάμενος, σὺν πάσῃ τῇ πόλει ηὐφραίνετο, καὶ πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἑόρταζον πανηγυρικὴν ἑορτήν. Τὸν δὲ ἅγιον Γρηγόριον ἀξίως ἐτίμησαν, κατὰ τὴν ἐνάρετον αὐτοῦ ἄθλησιν, καὶ τὸ μαρτυρικὸν στάδιον ψαλμοῖς καὶ πνευματικοῖς ᾄσμασιν δοξολογοῦντες. Καὶ τῶν ἀρχόντων δὲ τῆς πόλεως φιλοτίμως δεξαμένων αὐτοὺς μετὰ σπουδαιοτάτης φροντίδος κατὰ τὸ χριστιανικὸν σπούδασμα,

eorum certamina Dominus Deus immensa miracula in ipsis patravit: et nobis quidem gravissimas inflixit pœnas, regem vero nostrum in figuram porci *k* mutavit, et cum feris animantibus pasci fecit. At nos miseratus Martyrum suorum intercessionibus, per eum, qui huc advenit et martyrium passus *l* est, Gregorium omnes sanavit. Ipse enim, qui abundantius inventus est martyr, nobis a Deo dux vitæ datus est, et per ipsum antiquos ritus, et inanium simulacrorum, patriorumque idolorum insanum cultum exterminavit sublatumque de medio destruxit Deus: et nos testimonia sua docuit, suisque inhærere præceptis, ut etiam manifeste nos juberet Deus, hunc ipsum Gregorium nobis pastorem et episcopum veritatis accipere, ut teneat clavum regionis nostræ.

A. Agathangelo. *k* *l*

138 Hac de causa et nos, confisi de consensu vestro et subsidio orationum vestrarum, misimus ad Leontium archiepiscopum Cæsareæ, et ad omnem ordinem sacerdotalem ejusdem sanctæ ecclesiæ, per misericordiam Christi et preces vestras scripta salutatione. Teredatius rex cum exercitu regni Armeniæ, et Asichene regina, et puella magna Cusaroducta *m*. Hac de causa ad E vos misimus insignes et honoratos principes magni regni nostri, ut narrent vobis mirabilia Dei, in hac regione nobis patrata. Misimus vero cum ipsis sanctissimum magnumque confessorem et viventem Christi martyrem Gregorium; et hanc scripsimus allocutionem, ut per spiritualem visitationem et datam a Deo gratiam Christi, eumdem Gregorium nobis pastorem et episcopum, doctoremque et viæ divinæ ducem, et medicum spiritualem constituatis, quemadmodum et nobis a Deo mandatum est; et intercessorem pro nobis, ut misericordia sua Deus nos reddat dignos, qui ab hoc tempore tuto procedamus per vias ejus, et vestra caritas et salutatio ad nos perveniat.

hic datis *m*

139 Exemplar epistolæ hoc tenore scriptum est, paratique illud acceperunt, et dona in manibus suis, aurumque et argentum, equosque et mulos, et vestimenta magnificentissima pro ornamentis ad honorem sanctissimarum Dei ecclesiarum, ad quas proficiscebantur. Iter autem facientes ubique Dei ecclesias *n* magno afficiebant honore. Sanctum vero Gregorium ascendere fecerunt in currum auro distinctum, tractum a E mulis candidis: et omnes cum ipso principes cum curribus et equis, singuli cum agminibus suis egressi a provincia Ararat et urbe Valeroctiste, venerunt ad confinia Ioniæ *o*, multum honoris ubique recipientes in urbibus, magnoque cum gaudio et oblectatione deducti, quandoquidem omnes audiebant mirabilia Dei, factamque salutem, et itinera eorum fructuosa. Sic ubique deducti venerunt ad civitatem Cæsaream, et ibidem viderunt sanctissimum et catholicum Leontium, et omnes choros ecclesiasticos sanctorum clericorum, et angelicos consessus in exercitatione et liturgia. Ubi illos salutaverant, narrabant facta a Deo: epistolam vero regis attulerunt sanctissimo episcopo, qui, ea summo cum gaudio accepta, cum tota civitate exsultabat, et omnes simul magnificam celebrarunt festivitatem. Sanctum quoque Gregorium digne honorarunt propter fortia ejus certamina, totum etiam martyrii ejus cursum psalmis et canticis spiritualibus gloriose celebrantes. Præterea civitatis principes *p* honorifice eos cum diligentissima cura exceperunt

Cæsaream mittit, ubi a S. Leontio *n* *o* *p*

A AGATHANGELO.

runt secundum Christianorum studium. Sic ab omnibus decenter honorabantur, et maxime propter dignitatem nominis Martyris.

consecratur. Reversus in Armeniam, aliquos eo ducit christianos,

140 Post hæc igitur habitum est concilium episcoporum in civitate Cæsarea, ut Sanctum manus imponendo ordinarent, ipseque acciperet honorem humiliationis et summi sacerdotii Christi, et excellentiam pontificalis honoris Dei. Cum autem levarent super caput ejus sanctum Euangelium, manus imposuerunt episcopi in sancto concilio præsentes, quorum primus Leontius *q*. Accepta ergo in cælo et in terra potestate ligandi et solvendi, secundum verba Euangelii, et clavibus regni cælorum, sanctissimus Gregorius a multitudine episcoporum dimittitur magno cum honore et cum litteris. Inde egressi cum gratia Domini nostri Jesu Christi, venerunt ad civitatem Sebasten *r*, ibique morati diebus non paucis, pluribus e piissimis fratribus persuaserunt, ut secum proficiscerentur, quo sanctissimus Archiepiscopus in sua provincia eos ordinatione sacra clero sacerdotali adscriberet, multosque choros secum ducentes inde discesserunt. Honorifice autem ab omnium locorum episcopis, præfectis, B et populis excipiebantur. In eorum quoque itinere multa conveniebat populorum turba, ut viderent sanctum archiepiscopum Gregorium, et benedictionem ab eo obtinerent : et invicem dicebant : Venite videamus S. Gregorium : hic enim est vir, qui pro sanctissimo Christi nomine multos passus cruciatus, Confessoris et Martyris sortitus est nomen. Post hæc, assumpta multitudine eorum, quos ad sequendum induxerat, una cum satrapis ad iter paratus, Deique gratiæ traditus, longam viam multa cum itineris prosperitate absolvit, et cum spirituali lætitia pervenit ad regionem suam.

intelligensque superesse fanum idolorum,

141 Ubi vero pervenerant in montes regionis Armeniæ, intellexit sanctus Gregorius, quod relictum esset altare Babcium *s* in provincia Taraunarum, altare ditissimum, plenum argenteis et aureis. Erant enim ibidem deposita multa donaria magnorum regum. Nominabatur autem Altare octavi simulacri Herculis, famosissimi draconum suffocatoris, locus sacrificiorum magnæ Armeniæ regum in montibus Charcharearum. Erat situs locus memoratus supra Euphratem fluvium e regione magni montis Tauri, propter C multitudinem sacrificiorum crebris suffitionibus halans. Hoc fanum adhuc stabat, tria in se habens altaria *t*... Profectus ergo est sanctus Gregorius, ut hoc etiam fanum auferret. Nam homines ignorantes etiam tum sacrificabant in relictis istis altaribus.

dum eo tendit, monetur sacram ædem exstruere, et in ea structa reliquias ponit.

142 Reverens autem ex partibus Ioniæ, accepit de reliquiis magni prophetæ Joannis Baptistæ *u* et Athenogenis *x* martyris, veniensque e regione altarium circa Euphratem fluvium, volebat sanctus Gregorius pergere ad locum, ubi erant altaria, ut ea auferret, et martyrum reliquias ibi deponeret. Cum vero ad Euphratem appropinquarent, tribusque ab eo distarent stadiis, et modicam transituri essent vallem, in qua nonnihil erat aquæ, albi muli, qui currum trahebant, defecerunt, divinum etiam portantes sanctarum reliquiarum thesaurum, et non potuerunt transire vallem. Apparens vero angelus Domini, ad Gregorium dixit : Placuit Domino, ut habitatio Sanctorum sit in hoc loco. Continuo secundum propositionem Gregorii, multitudine

Οὕτως παρὰ πάντων δεόντως ἐτιμήθησαν, καὶ μάλιστα D διὰ τὸ ἀξίωμα τοῦ μαρτυρικοῦ ὀνόματος.

140 Μετὰ ταῦτα οὖν γίνεται σύνοδος ἐπισκόπων ἐν τῇ Καισαρα'ων πόλει, ἵνα τὸν ἅγιον χειροτονήσωσιν, ὥστε ἐγχειρισθῆναι αὐτῷ τὴν τιμὴν τῆς ταπεινώσεως καὶ ἀρχιερωσύνης τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ ὕψωμα τῆς ἀρχιερατικῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Τὸ δὲ ἅγιον εὐαγγέλιον κατὰ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ κουφίσαντες, ἐπέθηκαν τὰς χεῖρας οἱ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐπίσκοποι, ὧν πρῶτος Λεόντιος. Λαβὼν οὖν τὴν ἐξουσίαν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς δῆσαι καὶ ῥύσαι, κατὰ τὸ ῥητὸν τοῦ εὐαγγελίου, καὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, προπέμπεται ὑπὸ τοῦ πλήθους ἐπισκόπων ὁ ἁγιώτατος Γρηγόριος μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ γραμμάτων. Ἐξελθόντες δὲ ἐκεῖθεν ἐν τῇ χάριτι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔφθασαν τὴν σεβαστινῶν πόλιν, κἀκεῖσε καταμείναντες ἡμέρας οὐκ ὀλίγας, ἔπεισαν πλείονας τῶν εὐλαβεστάτων ἀδελφῶν συνεξελθεῖν αὐτοῖς, ἵνα ὁ ἁγιώτατος ἀρχιεπίσκοπος κληρώσῃ αὐτοὺς ἱερατικῷ κλήρῳ ἐν τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ, καὶ πολλοὺς χοροὺς συμπαραλαβόντες ἐπορεύοντο. Φιλοτίμως δὲ παρὰ πάσης χώρας τῶν ἐπισκόπων καὶ τῶν ἀρχόντων καὶ λαῶν ὑπεδέχοντο. Ἐπὶ δὲ τῇ αὐτῶν πορείᾳ συνήγετο ὄχλος πολὺς τῶν λαῶν, ὥστε ἰδεῖν τὸν ἅγιον ἀρχιεπίσκοπον Γρηγόριον, ἵνα εὐλογηθῶσι παρ' E αὐτοῦ, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους· δεῦτε ἴδωμεν τὸν ἅγιον Γρηγόριον. Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ὃς ὑπὲρ τοῦ παναγίου ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ πολλὰς βασάνους ὑπομείνας, ὁμολογητοῦ καὶ μάρτυρος κεκληρονόμηκεν ὄνομα. Μετὰ δὲ ταῦτα παραλαβὼν τὸ πλῆθος τῶν πειθομένων αὐτῷ ἀκολουθεῖν, ἅμα τοῖς σατράπαις συνταξάμενος, καὶ παραδοθεὶς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, διήνυσε τὸ μῆκος τῆς ὁδοῦ μετὰ πολλῆς εὐοδώσεως καὶ πνευματικῆς χαρᾶς μεχρὶ τῆς ἰδίας χώρας.

141 Καὶ ὅτε ἔφθασαν ἐν τὰ ὄρη τῆς Ἀρμενίων χώρας, ἤκουσεν ὁ ἅγιος Γρηγόριος, ὅτι ὁ Βαβήιος βωμὸς κατελείφθη ἐν χώρᾳ Ταραυνῶν, βωμὸς πλουσιώτατος, μεστὸς ἀργυρίου καὶ χρυσίου. Ἦν γὰρ ἐκεῖ πολλὰ ἀναθήματα μεγάλων βασιλέων ἀποκείμενα. Προσηγορεύετο δὲ ὁ βωμὸς ὀγδόου, σεβάσματος τοῦ ἐμφημοτάτου δρακοντοπνίκτου ἡρακλέους, τόπος θυσιῶν βασιλέων ἀρμενίας μεγάλης ἐν τοῖς χαρχαρεῶν ὄρεσι. Ἦν δὲ ἐπάνω τοῦ ποταροῦ Εὐφράτου, κατενάντι τοῦ μεγάλου ὄρους Ταύρου ὁ εἰρημένος τόπος, διὰ τὰς πολλὰς θυσίας πολύθυτος. Τοῦτο τὸ ἱερὸν ἔτι περιέστηκεν τρεῖς βωμοὺς ἐν ἑαυτῷ ἔχων· ὁ πρῶτος ἐλέγετο ὁ βαβήιος, ὁ δεύτερος F χρυσῆς, μητρὸς χρυσογεννήτων θεῶν, χρυσόκοκκος χρυσῆς μητρὸς τῶν δαιμόνων. Καὶ ὁ τρίτος βωμῶς, ἀστέρος Θεῶν καὶ τῶν ἡρακλέους ἐλέγετο κληθεὶς, καθὰ δὲ τοὺς ἑλλήνας ἀφροδίτης. Ὥρμησεν οὖν ὁ ἅγιος Γρηγόριος, ἵνα καὶ τοῦτον καθελῇ. Ἔτι γὰρ ἀγνοοῦντες οἱ ἄνθρωποι ἐθυσίαζον ἐν τοῖς καταληφθεῖσιν βωμοῖς τούτοις.

142 Ἀναστρέφων δὲ ἀπὸ τῶν Ἰωνίας μέρων ἔλαβεν ἐκ τῶν λειψάνων τοῦ μεγάλου προφήτου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου καὶ Ἀθηνογένους τοῦ μάρτυρος, καὶ φθάσας κατέναντι τῶν βωμῶν παρὰ τὴν Εὐφράτην ποταμὸν, ἐβούλετο ὁ ἅγιος Γρηγόριος ἀνελθεῖν, ἔνθα οἱ βωμοὶ, ἵνα καθελὼν αὐτοὺς μαρτύρων τοῖς λειψάνοις ἀναστήσῃ. Ὡς δὲ προσεπέλασαν τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ ἀπὸ τριῶν σταδίων, καὶ φάραγγα μικρὰν ἔμελλον περᾶσαι, ὕδωρ ὀλίγον ἔχουσαν, ἀπεστάθησαν αἱ ἐν τῷ ἅρματι λευκαὶ ἡμίονοι, καὶ τὸν θεϊκὸν θησαυρὸν τῶν ἁγίων λειψάνων βαστάζουσαι, καὶ οὐκ ἠδύναντο παρελθεῖν τὴν φάραγγα. Ἀποκαλυφθεὶς δὲ ὁ ἄγγελος κυρίου πρὸς Γρηγόριον εἶπεν· εὐδόκησεν κύριος τὴν κατοίκησιν τῶν ἁγίων ἐν τῷ τύπῳ τούτῳ. Τοῦ δὲ πλήθους εὐθέως χεῖρα ὀρέξαντος, κατὰ πρόθεσιν Γρηγορίου, ᾠκοδόμησαν μαρτύριον, καὶ τοὺς ἁγίους κατέθεντο. Ἔτι δὲ μελλούσης τελειωθῆναι

A. AGATHANGELO.

A τελειωθῆναι τῆς οἰκοδομῆς, προσέταξεν Γρηγόριος τῷ στρατεύματι, καὶ τοῖς ἄρχουσι τοῖς σὺν αὐτῷ, ἵνα ἀνελθόντες μετὰ λαξευτηρίων καταβάλωσι τοὺς βωμούς. Πολλὰ δὲ κοπιάσαντες, οὐκ ἴσχυσαν ἐξευρεῖν τὰς θύρας τοῦ ἱεροῦ, ὥστε ἔνδον εἰσελθεῖν. Οἱ γὰρ ἔνδον φαντασίας ποιήσαντες ἐκάλυψαν ταύτας. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἔξωθεν ὁ σίδηρος ἥψατο τῆς οἰκοδομῆς. Σπεύσαντες δὲ οἱ ἄρχοντες κατέβησαν διηγήσασθαι τῷ πατριαρχῇ.

manum porrigente, ædificarunt sacram martyrum ædem, et Sanctos ibi deposuerunt. Dum adhuc perficiendum erat ædificium, præcepit Gregorius exercitui et principibus, qui cum ipso erant, ut pergerent cum instrumentis lapidariis, et altaria dejicerent. At illi multum laborando non potuerunt invenire portas templi, ut illud ingrederentur : qui enim intus erant, spectra objiciendo illas occultabant. At neque extrinsecus ferrum tangebat ædificium. Itaque principes festinanter iverunt, ut Patriarchæ ista nuntiarent.

143 Ἐξελθὼν οὖν ὁ ἅγιος, καὶ κατέναντι τοῦ λόφου σταθείς, ἔνθα οἱ βωμοὶ ἦσαν, καὶ ποιήσας τὸ δεσποτικὸν σημεῖον, εἶπεν· ὁ ἄγγελός σου, κύριε ὁ Θεὸς ἀποσοβήσει αὐτούς. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, σφοδώτατος ἄνεμος ἀπὸ τοῦ δεσποτικοῦ σημείου, οὗ ἐν τῇ χειρὶ ἐβάσταζε, πνεύσας, καὶ τὴν οἰκοδομὴν τῶν βωμῶν τύψας, ἐκ θεμελίων κατέβαλεν, τῆς φάραγγος πλήρης ἐνπνεύσας, καὶ παντελῶς ἐδαφήσας τὸν τόπον, ὥστε μήδε τὰ ἴχνια αὐτῶν ἀπὸ τότε φανῆναι, καὶ τοὺς λίθους δὲ μήκοθεν ἀκοντίσας. Ἀλλ' οὐδὲ ὁ χρυσὸς καὶ ὁ ἄργυρος, ὁ πολὺς ἀποκείμενος ἐν τῷ ἱερῷ, εὑρέθη, καὶ πλῆθος δὲ ἀνθρώπων ἐκ τῶν ἱερέων καὶ τῶν δεισι-
B δαιμόνων ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ἀπέθανον, μηδὲ τῶν ὀστῶν αὐτῶν εὑρεθέντων. Οἱ δὲ ὄχλοι θεασάμενοι ἐπίστευσαν, καὶ εἶπεν πρὸς αὐτοὺς ὁ ἅγιος Γρηγόριος· θεωρεῖτε πῶς ἐξέπεσον τὰ σκάνδαλα ὑμῶν· οὐδὲν γάρ εἰσι τὰ σεβάσματα τῶν ἐθνῶν· νῦν δὲ δουλεύσατε τῷ κυρίῳ Θεῷ ὑμῶν, τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀνελθὼν εἰς τὸν τόπον ἱεροῦ, καὶ συνάξας τοὺς ἀνθρώπους, ἐδίδασκεν τὴν θεογνωσίαν, καὶ κατέθεντο τὰ τεμέλια τῆς ἐκκλησίας ἐν αὐτοῖς τοῖς τόποις, καὶ ἔστησεν θυσιαστήριον ἐν ὀνόματι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἐκεῖσε ἐν πρώτοις ἀρξάμενος ἐκκλησιῶν οἰκοδομῆς καὶ καταστάσεως θυσιαστηρίων εἰς ὄνομα τοῦ Χριστοῦ· καὶ ἑτοιμάσας λουτῆρας βαπτίσματος, πρῶτον μὲν τοὺς μετ' αὐτοῦ συνοδεύσαντας μεγάλους σατράπας ἐπελθόντας, ἡμέρας δὲ εἴκοσι ἐν τῇ αὐτῇ πατρίδι παραμείνας, ἐβάπτισε πλείους ἐννέα καὶ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων· καὶ στήσας θυσιαστήρια ἐν τοῖς μαρτυρίοις τῶν ἁγίων, τοῖς ὑπ' αὐτοῦ οἰκοδομηθεῖσιν, προσήνεγκεν προσφορὰς σωτηριῶν, καὶ τὸ ζωόποιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ μετέδωκε πᾶσι· καὶ προσέταξεν ἐπιτελέσαι κατ' ἔτος ἐν τῷ τοπῷ ἐκείνῳ τὴν τῶν μαρτύρων μνήμην ἑβδόμῃ τοῦ μηνὸς σαομὴ κατὰ χώραν λεγομένου, κατὰ δὲ Ῥωμαίους ὀκτωβρίῳ, ὅπως μετὰ πλείστης χαρᾶς συναχθέντες τὴν πανήγυριν ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἑορτάσω-
C σιν, ἐπειδὴ ἐνταῦθεν ἐκκλησίαν ἐν ἀρχῇ ᾠκοδόμησεν καὶ θυσιαστήρια ἔστησεν καὶ ἱερέας ἐκλήρωσε τοῖς τόποις ἐκείνοις, καὶ βαπτίσματα ἐποίησεν.

fanum destruit, multos baptizat, altaria erigit.

143 Egressus ergo Sanctus, et stans e regione collis, in quo erant altaria, facto signo. Dominico, dixit : Angelus tuus, Domine Deus, repellet illos. Hisce ab eu dictis, ventus vehementissimus a signo Dominico, quod in manu gestabat, spirans, ædificiumque altarium percutiens, a fundamentis dejecit, plenus ex valle aspirans, et locum omnino solo æquans, ut nec altarium vestigia ab illo tempore cernerentur, imo et lapides longissime jactarentur. At neque aurum et argentum, quod in templo plurimum jacebat, inventum est, et multitudo hominum ex sacerdotibus et superstitiosis in loco illo mortui sunt, ne ossibus quidem eorum inventis *y*. E
Turbæ vero, iis perspectis, crediderunt : et dixit ad eas sanctus Gregorius : Videtis, quo modo exciderint offendicula vestra : nam gentium numina nihil sunt. Nunc ergo servite Domino Deo vestro, qui fecit cælum et terram. Post hæc procedens ad locum templi, et congregans homines, docebat Dei cognitionem : et posita sunt fundamenta ecclesiæ in iisdem locis, et erexit altare ad gloriam Dei, ibi primum incipiens ædificare ecclesias et altaria erigere nomine Christi : præparatisque lavacris ad baptizandum, primum quidem magnos satrapas, qui itineris comites fuerant, accedentes baptizavit, deinde vero, viginti diebus in eadem permanens provincia, plures, quam novem et decem *z* hominum myriadas. Erectis quoque altaribus in sacris sanctorum martyrum ædibus, quas ipse ædificaverat, obtulit sacrificia salutaria, et salutiferum Christi Corpus et Sanguinem distribuit omnibus : prætereа mandavit, ut quotannis in loco illo martyrum memoria celebraretur septima die mensis, Saome *aa* in loco illo dicti, secundum Ro- F
manos mense Octobri, ut maximo cum gaudio congregati festivitatem illius diei celebrent, quandoquidem ecclesiam in principio ibidem construxit, altaria erexit, sacerdotes illis locis ordinavit, et baptismum contulit.

144 Ἔπειτα δὲ τὴν περίχωρον ἐπλήρωσεν ἐκκλησιῶν καὶ ἱερέων, αὐτὸς δὲ ἀπάρας, ἐπορεύθη ἐκεῖθεν μετὰ τοῦ καυχήματος τοῦ σταυροῦ, καὶ δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ, βαστάξας μέρος τῶν ἁγίων λειψάνων, ὥστε καὶ ἐν ἄλλοις τόποις οἰκοδομῆσαι μαρτύρια. Ἐν πολλαῖς δὲ ἐπαρχείαις, καὶ κωμοπόλεσιν, καὶ χωρίοις ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίας καὶ βαπτίσματα καὶ ἱερέας ἔστησεν. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ μέγας βασιλεὺς Τηρηδάτιος, ὅτι κατέλαβε τὴν τῆς ἀρμενίας χώραν ὁ ἅγιος Γρηγόριος, ἀναλαβὼν τὰ περὶ αὐτὸν στρατεύματα, καὶ τὴν βασίλισσαν ἀσιχήνην καὶ τὴν ἀδελφὴν κουσαρωδούκταν, ἐξῆλθεν ἀπὸ τῆς Ἀραρὰτ πατρίδος καὶ οὐαλεροκτίστης τῆς πόλεως, εἰς ἀνάντησιν τοῦ ἁγίου ἀρχιεπισκόπου, καὶ παρεγένετο ἐν πόλει βαγαβὰν ἥτις καλεῖται διὰ τῆς τῶν πάρθων γλώσσης, κωμόπολις βωμῶν· καὶ ἐν αὐτῇ παρέμεινεν μῆνος ἡμέρας καραδοκῶν αὐτόν. Ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος περιεῖ εἰς διάφορα μέρη, πληρῶν ἐκκλησιῶν καὶ ἱερέων, καὶ βαπτισμάτων φωτίζων πάντας, διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν κα-

ecclesias variis locis ædificat, et in iis statuit sacerdotes

144 Deinde vero loca circumjacentia replevit ecclesiis et sacerdotibus, ipseque discedens, inde profectus est cum gloria crucis et virtutis Christi, secum portans partem sanctarum reliquiarum, ut in aliis quoque locis sacras martyrum ædes construeret. Et vero in multis provinciis, oppidis et locis ædificavit ecclesias baptismatumque lavacra, et sacerdotes constituit. At ubi audiverat magnus rex Teredatius, quod in regionem Armeniæ pervenisset sanctus Gregorius, assumptis exercitibus, quos habebat secum, et regina Asichene et sorore Cusaroducta, egressus est a provincia Ararat, et ab urbo Valeroctiste, in occursum sancti archiepiscopi, venitque ad civitatem Bagaban, quæ Parthorum lingua vocatur, Oppidum altarium; mansitque in ea mensis intervallo, cum exspectans. At sanctus Gregorius circumibat ad partes varias, replens omnes ecclesiis et sacerdotibus, omnesque

A Agathangelo.

omnesque baptismate illuminans, secundum omnia ecclesiastica statuta. Eundo igitur pervenit ad civitatem, Bagabam nominatam, cum magnatibus, et cum turba ipsum ex variis locis sequentium, qui et sanationem ex morbis ab eo impetrabant. Ipse vero abundantissima doctrina omnibus in circuitu spargebat verbum vitæ una cum operariis Euangelii Christi, quos habebat, sed quorum nomina dicere difficile est. Post hæc igitur veniens sanctus Archiepiscopus, plenus Dei gratia, pervenit ad montem, dictum Napat.

regi, qui usque ad Euphratem obvium venit, litteras

145 Rex autem in occursum ejus cum exercitu venit ad ripam Euphrastis fluminis: in necursu vero Sanctus omnes replevit divina gratia, et Euangelicis salutationibus ex sibi notis Christi disciplinis. Cum magna ergo oblectatione et gaudio in oppidum revertentes, ibidem protulerunt litteras pacificas. Hoc autem modo erant scriptæ. Castigati *bb* et eruditi, mulctati et sanati, cruciati et exercitati, perditi et inventi, errore abducti et reversi, excepti fuistis et dilecti a Christo, tu Teredatius rex magnæ Armeniæ, et Asichene regina, et magna puella Cusaroducta, et omnes, qui apud vos sunt constituti. Qui sunt magnæ hujus provinciæ, Leontius archiepiscopus metropolis magnæ Cæsareæ, et omnis ordo sacerdotalis ejusdem sanctæ ecclesiæ, episcopi, presbyteri, diacoui, et populi, in Domino gaudere propter datam vobis a Deo salutem, quemadmodum nobis commemoratum est. Immodica perfusi sumus lætitia de gratuitis Christi donis, et maxime de sanctis Christi Martyribus, qui a nobis sunt missi, et in medio reginnis vestræ gloriam consecuti, quorum contemplantes exitum, fidem eorum imitamini, ut eadem coronemini gloriæ corona. Cum enim universi Conditor omnia operatus sit, ut filiorum adoptionem hæreditate accipiatis, sua voluntate omnes erudivit, ut in regno suo lassos consoletur, et oneratos reficiat. (Nam jugum meum suave est, et onus eius leve *cc*) ad se colligens et docens, ut omnes requie sua faciat dignos.

S. Leontii Cæsareensis

146 Quandoquidem enim non novistis antea, quæ oportebat scire, ideo intulit vobis virgam flagellantem, qua excitati e somno nostis visitationem sobrios vos reddentem et quoniam ea, quæ ad homines attinent, non agnovistis humane, admonuit vos modo non humano. Itaque nunc ille, quem in ignorantia vestra ad iram excitastis, stabilivit vos in immota cognitione. Nam lapis, qui a vobis, ædificantibus reprobatus est, hic vobis factus est in caput anguli. Qui vero exacerbatus est a vobis, lacrymis reconcilietur. Quem enim, oculos vestros claudentes, sicut tenebras considerastis; hic ipse, apertis cordis vestri oculis, illuminavit vos, auferens a vobis indumentum impiæ Dei ignorantiæ, induensque vos veste lumen ingerente. Nam ille, quem in ignorantia vestra gloriantes voluistis occidere; hic vobis donatus est sapientia et doctor vitæ. Hæc ubi intelleximus, abysso redundantis Christi caritatis submersi sumus, et supra modum admirati sumus incomprehensibilia ejus dona, oribusque non quiescentibus ac linguis tacere nescientibus gloriose celebravimus Dominum nostrum Jesum Christum, bonum, mirabilium patratorem, et donorum largitorem, vocesque gratiarum actionis Deo omnipotenti transmisimus.

ταστάσεων. Ἐλθὼν οὖν ἔφθασεν τὴν πόλιν, λεγομένην βαγαβὰν, μετὰ τῶν μεγιστάνων καὶ τοῦ ὄχλου ἀκολουθοῦντος αὐτῷ ἀπὸ διαφόρων τόπων, οἳ καὶ ἰάσεως παρ' αὐτοῦ ἀπὸ νοσημάτων ἐτύγχανον. Αὐτὸς δὲ ἐν τῇ δαψιλοτάτῃ διδασκαλίᾳ πᾶσι περιέσπειρε τὸν λόγον ζωῆς σὺν τοῖς οὖσιν αὐτῷ ἐργάταις τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ, οὓς κατ' ὄνομα εἰπεῖν δυσθεώρητον. Μετὰ τούτων οὖν ἐρχόμενος ὁ ἅγιος ἀρχιεπίσκοπος, πλήρης τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος, ἐπέρασεν παρὰ τὸ ὄρος, τὸ λεγόμενον Ναπάτ.

145 Ὁ δὲ βασιλεὺς προκατελάβετο αὐτὸν σὺν τῷ στρατεύματι ἐπὶ τοῦ χείλους τοῦ ποταμοῦ εὐφράτου· ἐν δὲ τῇ συναντήσει πάντας ἐπλήρωσε θεϊκῆς χάριτος, καὶ εὐαγγελικῶν ἀσπασμῶν παρὰ πλησίων τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθημάτων. Μετὰ πολλῆς οὖν εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς εἰς τὴν κωμόπολιν ὑποστρέψαντες, ἐκεῖσε προσκομίζουσι τὰ εἰρηνοφόρα γραμματα. Ταύτῳ δὲ τῷ τύπῳ ἐγέγραπτο. Μαστιγωθέντες καὶ παιδευθέντες, τιμωρηθέντες καὶ ἰαθέντες, βασανισθέντες καὶ γυμνασθέντες, ἀπολλύμενοι καὶ εὑρεθέντες, πλανηθέντες καὶ ἐπιστραφέντες, προσεδέχθητε καὶ ἠγαπήθητε ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, σὺ Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, καὶ ἀσιχήνη βασίλισσα, καὶ ἡ νεανὶς μεγάλη κουσαρωδοῦκτα, καὶ πᾶν τὸ περὶ ὑμᾶς σύστημα. Οἱ ἐκ τῆς ταύτης μεγάλης χώρας, Λεόντιος ἀρχιεπίσκοπος μητροπόλεως τῆς μεγάλης Καισαραίων, καὶ πᾶν τὸ ἱερατεῖον τῆς αὐτῆς ἁγίας ἐκκλησίας, καὶ τὰ συστήματα τῶν ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων καὶ λαῶν, ἐν Κυρίῳ χαίρειν ἕνεκεν τῆς δοθείσης ὑμῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ σωτηρίας, καθὼς ἡμῖν ἐπηνύθη. Ἀμέτρῳ εὐφροσύνῃ ἐχαρισθήσαμεν ὑπὲρ τῶν χαρισμάτων τοῦ Χριστοῦ, καὶ μάλιστα ὑπὲρ τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ μαρτύρων, τῶν πρὸς ἡμῶν πεμφθέντων, καὶ ἐν μέσῳ τῆς ὑμετέρας δοξασθέντων, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν, τὴν πίστιν αὐτῶν μιμήσασθε, ἵνα δοξασθῆτε τῷ αὐτῷ στεφάνῳ στεφανούμενοι. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ τοῦ παντὸς δημιουργὸς πάντα ἐπραγματεύσατο, ὅπως τὴν υἱοθεσίαν κληρονομήσητε, ἰδίῳ θελήματι πάντας ἐπαίδευσεν, ἵνα καὶ παρακαλέσῃ τοὺς κεκμηκότας ἐν τῇ ἰδίᾳ βασιλείᾳ, καὶ ἀναπαύσῃ τοὺς πεφορτισμένους. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς καὶ τὸ φορτίον αὐτοῦ εὐβάστακτον.... πρὸς ἑαυτὸν συνάγων καὶ διδάσκων, ἵνα τῆς ἰδίας ἀναπαύσεως πάντας ἀξίους ποιήσῃ.

146 Ἐπειδὴ γὰρ μὴ προφθάσαντες ὑμεῖς ἔγνωτε τὸ δέον, διὰ τοῦτο ἐπήνεγκεν ὑμῖν τὴν τῆς μάστιγος ῥάβδον, δι' ἧς ἔξυπνοι γενόμενοι εἴδετε τὴν σωφρονίζουσαν ὑμᾶς ἐπίσκεψιν, καὶ ὅτι τὰ ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων μὴ ἀνθρωπινῶς ἐπέγνωτε, ἐνουθέτησεν ὑμᾶς ἀπανθρώπως. Νῦν οὖν ὃν ἐν ἀγνοίᾳ παρωργήσατε, ἐβεβαίωσεν ὑμᾶς ἐν τῇ ἀσείστῳ γνώσει. Ὁ γὰρ λίθος, ὁ ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδόμων ἀποδοκιμασθεὶς, οὗτος ἐγένετο ὑμῖν εἰς κεφαλὴν γωνίας. Ὁ δὲ παροξυνθεὶς παρ' ὑμῶν, ἐν δάκρυσιν διαλλαγήτω. Ὃν γὰρ καμμύσαντες τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐλογίσασθε εἰς τὸ σκότος, οὗτος ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν ἐφώτισεν ὑμᾶς, ἀπεκδυσάμενος ἀφ' ὑμῶν τὸ ἔνδυμα τῆς ἀθεότητος, καὶ τὴν φωτοφόρον στολὴν ἐνδυσάμενος. Ὃν γὰρ καυχώμενοι ἐν τῇ ἀγνωσίᾳ ἠβούλεσθε ἀνελεῖν· οὗτος ὑμῖν σοφία καὶ γραμματεὺς τῆς ζωῆς ἐχαρίσθη. Ταῦτα ἡμεῖς ἐγνωκότες, κατεπόθημεν ἐν τῷ βυθῷ τῆς κυμαινούσης τοῦ Χριστοῦ ἀγάπης, καὶ ὑπερθαυμάσαμεν τὰ ἀκατάληπτα αὐτοῦ χαρίσματα, καὶ ἀκαταπαύστοις στόμασι καὶ ἀσιγήτοις γλώσσαις τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀγαθὸν καὶ θαυματόποιον καὶ δωροδότην ἐδοξάσαμεν, καὶ τῷ Θεῷ τῷ παντοκράτορι εὐχαριστηρίους φωνὰς ἀνεπέμψαμεν.

147

A 147 Ἐχαρισάμεθα δὲ καὶ τῷ αὐτῷ Γρηγορίῳ διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος τὰ ἄφθαρτα χαρίσματα, ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς καταξιωθῆτε δέξασθαι τὴν εἰρήνην τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας· ἡμῶν σώματι μὲν κεχωρισμένων, πνεύματι δὲ ἐγγιζόντων, μνημονεύσατε ἐν ταῖς νεοφοιτήτοις ὑμῶν προσευχαῖς, καὶ τῆς ἐπελθούσης σωτηρίας, μάλιστα ὅταν τῶν ἁγίων μνήμην ἄγετε μετὰ τῆς ὑμετέρας εὐφροσύνης. Ἡ δὲ διαθήκη τῆς μαρτυρίας ἀνάμεσον τῶν ἀμφοτέρων μερῶν εἰς τέλος διατηρηθείη, ὅτι αὐτὴ δἰ αὐτῆς ἡ δωρεὰ εἰς ἀνακαίνωσιν τῆς ἱεροσύνης τῆς ὑμετέρας χώρας διαμείνῃ ἀκίνητος ἐν τῇ τῶν καισαραίων ἐκκλησίᾳ, ἐξ ἧς καὶ ἡτοιμάσθη ὑμῖν ἡ δωρεὰ τῆς χειροτονίας, δἰ ἧς καὶ ὑμῖν τὰ ἀθάνατα βρώματα δωρεῖται τῆς παλιγγενεσίας ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ δεσπότου, καὶ ἐν τῷ σώματι καὶ τῷ αἵματι τοῦ ἐξιλασμοῦ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ μακαριότης ἡ θεϊκή, πληθυνθέντων τῶν ἱερέων, ἵνα ἀνενέγκῃ ὑμᾶς εἰς τὴν συνάφειαν τῆς πνευματικῆς ᾠδῆς, καὶ τὸν χορὸν τὸν ἐπουράνιον τῆς τοῦ Χριστοῦ στρατείας. Ὑγιαίνοντες ἐν Χριστῷ πάντοτε ἀπολαύσετε τῆς τοῦ Κυρίου σωτηρίας.

147 Contulimus quoque ipsi Gregorio per visitationem Spiritus sancti incorrupta charismata, quo et vos digni fiatis pacem regni cælorum accipere. Nostrum, qui corporo quidem absentes sumus, spiritu vero præsentes, in orationibus vestris, qui neophyti estis, memores estote, uti et salutis vobis collatæ, maxime quando Sanctorum memoriam agitis cum gaudio vestro Tabellæ vero testimonii inter utrasque partes perpetuo conserventur, ut per illas hæc gratia ad renovationem sacerdotii provinciæ vestræ permaneat immota in ecclesia Cæsareensi *dd*, ex qua etiam vobis præparata est gratia manuum impositionis : per quam et immortales vobis donantur cibi regenerationis in cruce Domini et in Corpore et Sanguine reconciliationis Christi, ac beatitudo divina, multiplicatis sacerdotibus, ut perducat vos ad participationem spiritualis cantici, et ad chorum cælestem exercitus Christi. Valentes in Christo semper fruamini salute Domini.

A. AGATHANGELO. *de sua consecratione tradit Gregorius.*

dd

ANNOTATA.

B a *Prudens lector facile videbit, has visiones de se non esse incredibiles, incertas tamen ob exiguam auctoris de veritate curam.* E

b *Facile credam, ejusmodi principes, quales hic recensentur, in regno Armeniæ fuisse : sed merito dubitamus, an tot principes* Gregorio *comites dederit Teridates. Nam consecratio* Gregorii *figenda videtur circa annum* 305 *aut* 306, *aut certe figi nequit post* 310, *nec probabiliter ante persecutionem Diocletiani. Cum ergo in tempus persecutionis videatur incidisse consecratio, non fit verisimile,* S. Gregorium *tanto cum comitatu tantoque cum apparatu venisse Cæsaream, quæ primaria erat civitas et persecutioni exposita. Ceterum aliqui ex principibus hic enumeratis repetuntur num.* 165, *tamquam regis in itinere comites, ac nominatim hic primus, qui ut princeps primariæ domus utroque loco ponitur. At illustres domos Armenorum sæculi* 4 *modo ignoramus, sicut et præcipuas præfecturas et dignitates.*

c *Id est, qui servit in palatio regis.*

d *Apud Romanos* patricii *dicebantur, qui ex Patribus per Romulum lectis orti erant, aut ex illis, qui postea in numerum illorum erant adlecti. Postea tamen sub imperatoribus* patriciatus *erat primaria dignitas, et ab ea dicebantur* patricii. *Poterat apud Armenos esse dignitas similis, sed eo tempore, quo conversa est Armenia, dignitas patriciorum necdum instituta fuisse videtur apud Romanos, cum ejusmodi patricios primum creasse dicatur Constantinus Magnus.*

e *Idem recurrit inter comites regis num.* 165, *ibique* Aspet *scribitur.*

f *Quinam sint in Armenia* Cordobitæ, *non inquiram, etsi non desint nomina urbium et regionum similia, cum nihil proferre possem præter conjecturas incertas : et sic omittam reliquorum præfectorum urbes aut regiones.*

g *Undecimus princeps per exscribentem omissus est.*

h *Domus aut familia* Thorgom *item memorata est num.* 128.

i Mazaca *erat Cæsareæ nomen antiquum, quod gessit sub regibus Cappadociæ, quorum metropolis* F
C *erat et sedes regia, et aliquo etiam tempore, postquam occupata fuerat a Romanis. Strabo semper* Mazaca *vocat, et fuse de Mazacis agit lib.* 12, *pag.* 538 *et seq. At Plinii ætate jam* Cæsarea *sic dicebatur, ut prius nomen necdum excidisset. Alii crediderunt, sub Augusto* Cæsaream *vocari cœptam, alii, quarum opinionem præfert Cellarius lib.* 3, *cap.* 8, *id factum dicunt sub Tiberio. Ex hoc loco iterum colligitur, ut ex aliis multis, non omnia hujus vitæ asserta pro fabulis habenda, et antiquum Cæsareæ nomen post tria fere sæcula etiam perseverasse apud Armenos, sicut apud ipsos Romanos necdum exciderat.*

k *Hoc nimirum dicitur secundum auctoris asserta; sed hoc ipsum satis ostendit, Epistolam non esse Armenorum, sed ipsius biographi, qui eos induxit loquentes, prout voluit. Metaphrastes nihilo minus composuit Epistolam, qualem censuit congruam, in qua illud de rege non legitur, quæque ex hac quidem composita est, sed multo est brevior. Hanc sæpe laudatus Galanus ut legitimam regis. Epistolam recitavit cap.* 2.

l Martyrem *recte vocari* S. Gregorium, *si vera sunt, quæ de tormentis eidem illatis referuntur, jam observavi in Commentario num.* 5.

m *Hic quasi alia recitatur Epistola, quæ regis, reginæ, et sororis regis nomine fuisset scripta. Satis verisimile est, litteras fuisse scriptas, sed ad Leontium potius scriptas crediderim, qua ad Cæsareenses; nec eas ab auctore nostro visas.*

n *Hæc non congruunt tempori sævissimæ persecutionis Diocletiani aut Galerii Maximiani, qua premebantur ecclesiæ Orientales, dum consecratus est* Gregorius : *sicut nec alia omnia, quæ mox sequuntur de receptione itinerantium in urbibus, de choris ecclesiasticis, aliaque similia, quæ fieri potuissent, quando Minor Asia sub Constantino plenam assecuta erat pacem, non item inter annum* 303 *et* 310.

o *Per* Ioniam *intellige ditionem Romanam, sive Minorem Asiam. Nam ex Armenia Majore aut Cappadociam statim ingressi sunt, aut per Minorem Armeniam in Cappadociam pervenerunt.*

p *Cum non sit credibile, principes civitatis Cæsareæ tunc fuisse Christianos; manifestum rursum sit, scriptorem*

A. AGATHANGELO.

scriptorem omnia illa pro ingenio suo exornasse, et magis considerasse, quid fieri debuisset sub principibus Christianis, quam quid factum sit tempore persecutionis. D

q *Consecratum revera fuisse* S. Gregorium *a S. Leontio Cæsareensi, variis documentis probavi in Commentario num.* 91 *et sequentibus.*

r Sebaste *aut* Sebastia *civitas a prophanis geographis fere locatur in Cappadocia Pontica aut Ponto; ab ecclesiasticis in Armenia Minore, fuitque revera Armeniæ primæ metropolis, cujus antistites recenset Lequienus in Oriente Christiano tom. I, col. 419. His consentit Cellarius in Geographia antiqua lib. 3, cap. 8, pag. 200 : sed mox pag. 201 aliquam in Minore Armenia invenit* Sebasten, *quæ ante* Cabeira, *deinde* Diopolis, *ac demum* Sebaste *fuit dicta, ut habet Strabo lib.* 12, *pag.* 557, *dicens ita vocatam a Pythodoride regina. At interpres vocem Græcam fecit Latinam, et* Augustam *dixit. Existimo, eamdem esse civitatem cum Sebastia, quam novo solum nomine designarunt Ptolemæus et Plinius, Strabo vero utrumque nomen protulit, quod ejus tempore facta esset mutatio. Hanc porro urbem facile pertransire poterat* S. Gregorius, *et operarios aliquot evangelicos ibidem invenire, sicut et Cæsareæ et alibi, quos secum duceret.*

s *Utrum id loci nomen sit, an idoli, certo dicere nequeo. Regio* Taraunorum *forte erit* Taurantium, *quæ est Armeniæ regio apud Tacitum memorata lib.* 14, *cap.* 14.

t *Nomina trium altarium Græca videri poterunt, si quis ea cupit. At puto, non carere mendis : cumque habere videantur aliquid absoni, Latinam interpretationem omisi, et mihi satis erit monuisse, fanum Herculi sacrum dici a Metaphraste.*

u *Quod hic de reliquiis S. Joannis Baptistæ asseritur, non videtur probabile, si de sacris ejus ossibus sit intelligendum. Nam corpus ejus videtur mansisse in sepulcro usque ad tempus Juliani Apostatæ, qui voluit illud comburere annis circiter quinquaginta post tempus conversionis Armeniæ; caput similiter occultum erat eo tempore. Utrumque videri potest in S. Joanne Baptista ad* 24 *Junii. Forte reliquiæ aliquæ post tempora Juliani in Armeniam translatæ fuerint, ut revera translatas constat ad alia loca : auctorque* S. Gregorio *attribuerit, quod factum erat multo serius.* E

B x *S. Athenogenis martyris, qui in ipsa urbe Sebastena, ubi* S. Gregorius *fuisse dicitur, passus legitur, reliquias ibidem accipere potuit in ipso itinere. Duos posuit Baronius hujus nominis Martyres, alterum in Ponto, alterum Sebaste in Armenia. Sollerius vero apud nos ad* 16 *Julii unum eumdemque credidit.*

y *Ejusmodi fani destructio prudentibus erit suspecta, quod Agathangelus noster passim prodigia videatur commentus.*

z *Sensus hic dubius est : nam auctor forte* novemdecim *voluit dicere, forte* novem aut etiam decem. *Verum, quidquid voluerit, non dubito, quin usus sit exaggeratione sibi consueta supra verum. Nam debita tot hominum instructio erat præmittenda. Et viginti dies, quibus ibidem permansisse dicitur Sanctus, non sufficiebant ad tot homines instruendos, etiamsi jam ante utcumque fuissent instructi, ab eos baptizandos, et ad erigendas ædes sacras et altaria, reliquaque peragenda, quæ sequuntur.*

aa *Mensis Armenorum* Saome, *in tabellis chronologicis D. Lenglet Dufresnoy* Sahomi, *tertius est et inchoatur die* 11 *Octobris nostri. Metaphrastes habet, festivitatem celebratam die* 7 *Octobris, quod cum mense* Sahomi *non congruit.*

bb *Has litteras Metaphrastes et auctor Latinus prorsus omiserunt. Et re ipsa verisimile non est, tale a S. Leontio scriptas; licet alias dubitandum non sit, quin ad regem scripserit.*

cc *Hic verba Evangelii Matth.* 11, ✝ 30 *non solum utcumque mutata sunt, sed etiam videtur deesse vox* πάντας omnes. *Nam legendum puto,* omnes ad se trahens *etc.*

dd *Quamquam has non credimus veras S. Leontii litteras, de cautione tamen ejus, ut archiepiscopi Armeniæ consecrarentur deinceps a Cæsareensi, videri possunt data in Commentario num.* 92 *et* 93.

CAPUT XIII

F

C

Baptismus regi, reginæ, et innumeræ Armenorum multitudini collatus : ecclesiæ per totum regnum constructæ, iisque sacerdotes præfecti : scholæ institutæ etc.

Sanctus, indicto jejunio, populum instruit

Lætati sunt consolatione Epistolæ, et maxime quoniam advenerunt itinerantes, illuminati *a* donatis a Deo bonis. Implentes autem invicem spirituale desiderium, magisque in fide confirmati, majore cum alacritate proficiebant. Itaque sanctus Gregorius pro studiosa consuetudine sua operi mandabat indesinentem instructionem suam, consentiente quam maxime piissimo rege Teredatio, ususque arte sua, docebat et hortabatur. Illi plurimum obediebant, secundum Domini præceptum, rex et exercitus cum multitudine totius regionis. Cum vero omnia ab eis *b* mandata omnes reciperent, efficaciter implebant, quod mandabatur. Tunc hortabatur domum regiam cum exercitu, ut diebus triginta jejuniis et orationibus vacarent, et ipse do more cum suis,

Εὐφράνθησαν ἐν τῇ παρακλήσει τῆς Ἐπιστολῆς, καὶ μάλιστα ὅτι ἥκασι οἱ ὁδοίποροι πεφωτισμένοι τοῖς τοῦ Θεοῦ κεχαρισμένοις ἀγαθοῖς. Πληρώσαντες δὲ τὸν πνευματικὸν πόθον πρὸς ἀλλήλους, καὶ περισσοτέρως ἐν τῇ πίστει στηριχθέντες, μετὰ μείζονος προθυμίας προέκοπτον. Ὁ οὖν ἅγιος Γρηγόριος κατὰ τὸ σύνηθες αὐτοῦ σπουδαῖον εἰς ἔργον ἐνέβαλεν τὴν ἄπαυστον αὐτοῦ διδασκαλίαν, συνευδοκοῦντός τε μάλιστα τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως Τηριδατίου, τήν τε ἰδίαν τέχνην προθέμενος, ἐπαίδευεν καὶ ἐνουθέτει· ᾧ ἐπὶ πλεῖον ὁ βασιλεὺς τε καὶ ὁ στρατὸς ὑπετάσσοντο, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ διαταγὴν, σὺν τῷ πλήθει πάσης τῆς χώρας. Πάντων δὲ καταδεχομένων παντὰ τὰ παρ' αὐτῶν προστεταγμένα, τὸ προσταττόμενον ἐνεργικῶς ἐπλήρουν. Τότε παρακελεύεται τὸν βασιλικὸν οἶκον ἅμα τῷ στρατεύματι τριάκοντα ἡμέρας νηστείαις καὶ προσευχαῖς σχολάζειν,

A λάζειν, καὶ αὐτὸς συνήθως μετὰ τῶν ἰδίων, τῶν συνελθόντων αὐτῷ ἐν ὁμονοίᾳ, τὰς ἀσκήσεις καὶ εὐχὰς καὶ ἀγρυπνίας καὶ δεήσεις μετὰ δακρύων ποιούμενος, καὶ μετὰ σκληροτάτης διαγωγῆς τὴν καθολικὴν φροντίδα καὶ στεναγμοὺς ἀδιαλείπτως εἶχεν, ὑπομυμνήσκων πάντας τὸ Ῥητὸν τοῦ πνευματοφόρου προφήτου, ὅταν ἀποστραφεὶς στενάξῃς τότε σωθήσῃ, φησίν. Οὕτως φιλοπόνως ὑπέμεινεν ὑπὲρ τῆς κοινῆς ὠφελείας, ὅπως πᾶσι σωτηρίας ὁδηγὸς γένηται. Διὸ καὶ ἐχαρίσθη αὐτῷ παρὰ τοῦ παντοκτίστου Θεοῦ τὸ πατρικὸν μετρὸν ἀναγεννῆσαι νέα γεννήματα καὶ θαυμαστὰ διὰ τῆς δωρεᾶς τῆς τοῦ Χριστοῦ δεξιᾶς, πάντας ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, ὡς ἀπὸ γαστρὸς, διὰ τῆς παλιγγενεσίας ἄνωθεν ἀναγεννήσας καὶ τελειώσας καὶ καθαρίσας καὶ σφραγισάμενος εἰς λαὸν κυρίου κατέστησεν.

149 Καταβεβληκὼς δὲ κἀκεῖσε θεμέλια, ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ καταλειφθέντα τῶν ἁγίων λείψανα ἐν τῷ τοῦ κυρίου οἴκῳ ἐναπέθετο, καὶ οὕτως ἐν πάσῃ περιχώρῳ ἐθεμελίωσεν ἐκκλησίας, καὶ θυσιαστήρια ἀνωρθώσατο, καὶ ἱερέας προεχείρησε, πάντων ἐπιστραφέντων ἐξ ὅλης καρδίας αὐτῶν προαιρέτως, καὶ προκοπτόντων ἐν νηστείαις καὶ εὐχαῖς καὶ φόβῳ Θεοῦ. Πληρωθείσης δὲ τῆς νηστείας καὶ τῆς ὁρισμένης ἡμέρας, λαβὼν ὁ μακαριώτατος τὸ στράτευμα, καὶ αὐτὸν
B τὸν βασιλέα, καὶ Ἀσιχήνην τὴν βασίλισσαν, καὶ τὴν μεγάλην νεάνιν Κουσαρωδούκταν, μετὰ τῶν λοιπῶν μεγάλων, ἀνιόντος ἡλίου, κάτεισι παρὰ τὸ χεῖλος τοῦ εὐφράτου ποταμοῦ, καὶ ἐβάπτισε πάντας ὁμοῦ ἐν ὀνόματι πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. Καταβάντων δὲ τῶν ἀνθρώπων καὶ τοῦ βασιλέως ἐν τοῖς ὕδασι τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ, φοβερὸν καὶ παράδοξον ἐπεφάνη σημεῖον παρὰ τοῦ Θεοῦ· τὰ γὰρ ὕδατα ἐπὶ τόπῳ σταθέντα ἀνεκρούσθησαν, καὶ φῶς σφοδρώτατον φανὲν, καθ' ὁμοίωμα στύλου φωτοειδοῦς, ἔστη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τοῦ ποταμοῦ, ἔνθα ἐβαπτίζοντο, καὶ τὸ δεσποτικὸν σημεῖον ἐπάνω τοῦ στύλου. Ἐπὶ τοσοῦτον δὲ ὑπερέλαμψεν, ὥστε καὶ τὰς ἀκτῖνας τοῦ ἡλίου κατακαλύπτειν καὶ μειῶσαι. Καὶ τὸ καταβληθὲν κατηχούμενον ἔλαιον ὑπὸ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου ἐν τῷ ποταμῷ περιτρέχειν πανταχοῦ εἰς τοὺς βαπτιζομένους. Πάντες δὲ θαυμάζοντες ὕψωσαν ὕμνους εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν τὸ σημεῖον ἄφανες ἐγένετο. Αὐτοὶ δὲ ὑπέστρεψαν εἰς τὴν κωμόπολιν.

150 Οἱ δὲ βαπτισθέντες ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πλείους πεντεκαιδέκα μυριάδες ἀνθρώπων μετὰ τοῦ βασιλικοῦ στρατεύματος ὑπῆρχον. Ἐξελθόντες οὖν μετὰ ἀγαλλιάσεως, καὶ λευκῶν ἐνδυμάτων, καὶ ψαλμῶν καὶ ᾠδῶν
C πνευματικῶν, καὶ κηρίων καὶ λαμπάδων, μετὰ πολλῆς ἱλαρότητος, καὶ φωτισθέντες καὶ ἰσάγγελοι γενόμενοι, καὶ τῆς υἱοθεσίας τοῦ Εὐαγγελίου ἐπιτυχόντες, καὶ ὀσμὴν εὐωδίας τοῦ Χριστοῦ ἀναπνέοντες, ἀνῆλθον εἰς τὸν δεσποτικὸν οἶκον. Τότε ὁ ἀρχιεπίσκοπος, ἐπιτελέσας τὴν λογικὴν λατρείαν, μεταδίδωσιν αὐτοῖς τὰ τῆς εὐχαριστίας μυστήρια, διαμερίζων πᾶσι τὸ πανάγιον σῶμα, καὶ τὸ τιμιότατον καὶ ζωοφόρον καὶ ζωόποιον καὶ ζωηφόρον αἷμα τοῦ πάντων σωτῆρος Χριστοῦ. Δωρησάμενος δὲ τὰ θεόπνευστα χαρίσματα, ἡσύχασεν ἐκεῖ ἡμέρας ἕπτα διὰ τὴν πνευματικὴν παράκλησιν. Ἐν δὲ ταῖς ἕπτα ἡμέραις ἐκείναις ἐβαπτίσθησαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς παρεμβολῆς, ἀνδρές τε καὶ γυναῖκες σὺν τοῖς παιδίοις, πλείους τετρακόσιαι μυριάδες. Καὶ τὰ μνημόσυνα τῶν ἐνεχθέντων ἔταξεν εἰς τὴν μεγάλην πανήγυριν, τῆς λεγομένης διαπομπῆς, τῆς ματαίως εἰς τιμὴν τῶν παλαιῶν σεβασμάτων γενομένης ἀπὸ τῶν καιρῶν τῶν νέων εἰς τὰς ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν, ξενοδέκτων θεῶν λεγομένης τῆς πανηγύρεως, ἣν ἐπιτελοῦσι ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ εὐφραντικῶς ἀπὸ τῶν ἀρχαίων καιρῶν ἐν ἡμέρᾳ τῆς πληρώσεως τοῦ ἐνιαυτοῦ. Αὐτὴν οὖν τὴν ἡμέραν ὁρίσατο ὁ ἅγιος, συναχθέντας ὁμοῦ ἑορτάζειν τὴν τῶν μαρτύρων ἡμέραν, Ἰωάννου τοῦ βαπτίστου καὶ Ἀθηνογένους τοῦ μάρτυρος ἐν ταύτῃ τῇ πόλει Βα-

qui cum ipso in concordia vivebant, exercitationes, preces, vigilias et obsecrationes cum lacrymis peragens, cum austerissimo vivendi modo curam universalem et gemitus indesinenter habebat, omnibus commemorans dictum prophetæ, Spiritu sancto impulsi; Quando aversus ingemueris, salvaberis, inquit. Sic sustinebat studiose pro communi utilitate, ut omnibus fieret dux salutis. Quapropter data est illi a Deo mensura patrum, ut regeneraret novam et mirabilem progeniem dono dexteræ Christi, cum ex aqua et Spiritu, tamquam ex ventre, per supernam regenerationem omnes genuerit, perfecerit, mundaverit, et obsignaverit, sicque Dei populum constituerit.

a AGATHANGELO.

149 Jactis autem fundamentis, ibidem etiam ecclesiam ædificavit, et Sanctorum reliquias, quæ supererant, in domo Domini deposuit: et in omnibus circumjacentibus locis ecclesias c fundavit, altaria erexit, et sacerdotes promovit, omnibus ex toto corde suo libera voluntate conversis, ac proficientibus in jejuniis et orationibus et timore Dei. Impleto deinde jejunio et die præfixo, beatissimus Vir, assumptis secum exercitu, ipsoque rege, et Asichene regina, et magna puella Cusaroducta, cum reliquis magnatibus, oriente sole, descendit ad ripam Euphratis fluminis, et omnes simul d baptizavit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Descendentibus vero hominibus et rege in aquas fluminis Euphratis, verendum ac mirabile manifestatum est a Deo signum. Nam aquæ in loco stantes fuerunt inhibitæ, et lumen clarissimum apparens, in figura columnæ lucidæ, stetit super aquas fluvii, ubi baptizabantur, et supra columnam signum Dominicum. Tantopere autem effulsit, ut solis etiam radios obscuraret et minueret. Oleum vero Catechumenorum, quod a sancto Gregorio erat infusum, visum est in flumine quoquoversum circumcurrere e in eos, qui baptizabantur. Omnes autem mirantes, vocem per hymnos in laudem Dei elevaverunt: et circa vesperam signum videri desiit: ipsi vero redierunt in oppidum.

et regem reginam, immensumque populum baptizat.

150 Qui baptizati sunt illo die, plures quam quindecim hominum myriades f cum regio exercitu erant. Egressi igitur cum exsultatione, candidis induti vestimentis, et cum psalmis et canticis spiritualibus, cum cereis et lampadibus multaque hilaritate, et illuminati angelisque similes facti, et adoptionem filiorum Euangelii consecuti, et odorem suavitatis Jesu Christi spirantes, ascenderunt ad domum Dominicam. Tunc Archiepiscopus, absoluto rationabili cultu, tribuit eis sacræ Eucharistiæ mysteria, distribuens omnibus sacrosanctum Corpus, et pretiosissimum, afferentemque salutem omnium Servatoris Christi Sanguinem. Ubi illis donaverat afflata a Deo charismata, mansit ibidem diebus septem propter consolationem spiritualem. Illis autem diebus septem baptizati sunt ex castris regiis, cum viri tum mulieres cum pueris, plures quam quadringenta g myriades. Memoriam Sanctorum allatorum statuit in magna festivitate, quæ dicitur διαπομπὴ (demissio) et quæ vane in honorem antiquorum simulacrorum peragebatur, a temporibus novarum frugum pro primitiis fructuum. Hospitalium h deorum dicta erat festivitas, quam celebrant in illo loco hilariter ab antiquis temporibus in die, quo annus completur i. Hanc igitur diem constituit, ut simul congregati diem festivitatis martyrum Joannis Baptistæ et Athenogenis

quibus et sacram communionem impertit: statuit novum festum.

A Agathangelo.

genis celebrarent in illa civitate Bagaban : in qua Vir beatissimus instructionem opere exsequens, congregatos spirituali adhortatione replevit, latiusque disserens, omnibus gratificatus est.

Religio Christiana per totam Armeniam promota : pueri

151 Post hæc egressus in omnes fines magnæ Armenorum regionis, ecclesias construxit in omnibus præfecturis, provinciis et tractibus, in civitatibus, in oppidis, in pagis, in vicis et in villis. Similiter et rex in omni ditione sua ordinavit in vicis quatuor arva, in oppidis vero arva septem, ad servitium sacerdotis, ut offerrent primitias Domino. Cumque in omnibus locis sacerdotes constituerent, jussit rex Deum, qui fecit cælum et terram, solum coli; ejusque servos et altarium Domini ministros in omnibus ecclesiis. Hos vero sortiebatur Archiepiscopus ad populos Domini summatim recensendum, ut fideliter administrarent, quæ ad directionem pertinent, et gregem Domini illuminarent. Deinde persuasit regi, ut unicuique provinciæ et loco in omnibus partibus pueros congregaret docendos, ut quod in eorum moribus est agreste, immite et insolens, ad mansuetudinem reduceret : quod et fecit, immittens eos in conflaturam spiritualis B instructionis et caritatis, ut rubiginem, sordes, et fœtorem dæmonum abstergeret et abraderet : adeoque eorum animas avulsit a vanis et patriis sacris, ut ipsi dicerent : Oblitus sum populi mei, et domus patris mei.

recte instituti : ecclesia ædificata in urbe Valeroctiste ;

152 Jubet ergo rex Teredatius per loca finium Armeniæ, ut in locum privatum ex tractibus et provinciis inferretur multitudo conventus puerorum, ad eos instituendum fideles magistros præponens. Maxime autem instruebat genus superstitiosorum sacerdotum, hisque in locis idoneis congregatis necessaria ad institutionem suppeditari jubebat; instruendos in duas dividens classes, ut alii quidem lingua Syriaca, alii Græca erudirentur. Hinc confestim, qui silvestri erant indole, qui negligentioris vitæ, qui mente belluina erant homines, fiebant propheticæ doctrinæ gnari, Apostolicarum scripturarum discipuli, et verborum Euangelicorum participes. Sic enim investigata omni traditione divina, nulla in re eos illius ostendebat expertes. Venit etiam Archiepiscopus in primum tractum, nempe in provinciam Ararat et in urbem Valeroctisten, ubi divina comminatio principium habuit, ubi et ipse signum Dominicum *k* erexerat, et Dei Mar- C tyres post mortem erant depositi. Erexit ergo ibidem altare Deo in loco sepulturæ Martyrum, et locum ante vallo circumdatum pro domo Dei, exædificavit, illum ipsum, qui ante omnia eidem divina visione ostensus fuerat.

fides in circuitu prædicata :

153 Sic quoque in locis templorum gentilium, quæ in principio fuerunt eversa, in civitate Artaxat *l*, et reliquis locis, tractibus et provinciis, multiplicavit ecclesias et sacerdotes constituit : et illas omnes Christi signo fulgentes, hos Spiritu sancto afflatos, Deo obtulit. In omni quoque tractu Armeniæ, ab extremo usque ad extremos, dilatavit operationem Euangelicæ prædicationis, a Satalorum *m* civitate usque ad regiones Chaltarum et Calarsarum, usque ad confinia Masachi Hunnorum, et usque ad portas Caspias et partes Alanorum, et ad civitatem Phatacaranen, quæ est regum Armeniæ : et a civitate Amedenorum *n* usque ad Nisiben prope confinia Syriæ, et usque ad terram Nosicarorum et Corbobitarum, et munitissimum Medorum tractum, et domum principis Machurtarum, et usque Atrapatacam, quæ προχωρία vo-

γαβάν, ἐν ᾗ καὶ ὁ μακαριώτατος τὴν διδασκαλίαν εἰς D ἔργον ἐμβαλὼν, ἐπλήρωσεν πνευματικῆς νουθεσίας τοὺς συνελθόντας, καὶ πλατυτέρως ἐξηγησάμενος, πάντας ἐχαροποίησεν.

151 Μετὰ ταῦτα δὲ ἐξελθὼν εἰς πάντα τὰ ὅρια Ἀρμενίων τῆς μεγάλης χώρας, ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίας ἐν πάσαις ταῖς ἐπαρχίαις, καὶ πατράσι, καὶ μέρεσιν, ἐν ταῖς πόλεσίν τε καὶ κωμοπόλεσιν, κώμαις τε καὶ χωρίοις, καὶ ἐποικίοις. Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ βασιλεὺς ἐν πάσῃ τῇ αὐτοῦ ἐξουσίᾳ ἔταξεν τέσσαρας ἀρούρας ἐν τοῖς χωρίοις, ἐν δὲ ταῖς κωμοπόλεσιν ἕπτα ἀρούρας, εἰς ὑπηρεσίαν τοῦ ἱερέως, ὥστε προσενέγκαι τὰς ἀπαρχὰς τῷ κυρίῳ· καὶ ἐν πᾶσι τοῖς τόποις στήσαντες ἱερέας, ἐκέλευσεν κύριον τὸν Θεὸν μόνον σέβειν, τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· καὶ τοὺς μὲν ὑπηρέτας καὶ λειτουργοὺς τῶν τοῦ κυρίου θυσιαστηρίων ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις. Ἐκλήρου δὲ τούτους εἰς ἀνακεφαλαίωσιν τῶν λαῶν κυρίου ὁ ἀρχιεπίσκοπος, παραγγέλλων αὐτοῖς διαπιστικῶς τὰ τῆς ὁδηγίας κυβερνᾶν, καὶ φωτίζειν τὸ τοῦ κυρίου ποίμνιον. Ἔπειτα δὲ ἔπεισεν τὸν βασιλέα, ἵνα ἑκάστῃ πατρίδι, καὶ τόπῳ ἐν πᾶσι τοῖς μέρεσι συναγάγῃ παῖδας πρὸς διδασκαλίαν, τὸ ἄγριον καὶ ἀνήμερον καὶ ἐφιαλτικὸν ἦθος ἐξημερῶν. Ὅπερ καὶ πεποίηκεν, ἐμβαλὼν αὐτοὺς ἐν τῷ χωνευτηρίῳ τῆς πνευματικῆς παιδεύσεως καὶ ἀγάπης, τὸν ἰὸν καὶ ῥύπον καὶ E δυσωδίαν τῶν δαιμόνων ἐκκαθαίρειν καὶ ἀποξῦσαι θέλων· καὶ οὕτω διεχώρησε τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀπὸ τῶν ματαίων καὶ πατρικῶν σεβασμάτων, ὥστε εἰπεῖν αὐτούς· ἐπελαθόμην τοῦ λαοῦ μου καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός μου.

152 Παρακελεύεται οὖν ὁ βασιλεὺς Τηρηδάτιος κατὰ τόπους τῶν ὁρίων τῆς Ἀρμενίας ἐν τῇ ἰδίᾳ ἀπὸ χωρῶν καὶ πατρίδων πλῆθος νεολαίας παίδων εἰσφέρειν, ἐπὶ τοῦ γυμνάσαι αὐτούς, πιστικοὺς διδασκάλους ἐπιστήσας. Ἐπαίδευσε δὲ μάλιστα τὸ γένος τῶν δεισιδαιμόνων ἱερέων, καὶ τούτους ἐν τοῖς ἐπιτηδείοις τόποις συνάξας, τὰ πρὸς τὴν ἀναγωγὴν ἐκέλευσεν χορηγεῖσθαι, διαμερίσας ἐν δύσι χωρίοις τοὺς παιδευομένους, τοὺς μὲν ἐν τῇ σύρᾳ διαλέκτῳ, τοὺς δὲ ἐν τῇ ἑλληνικῇ παιδευθῆναι. Διὸ παραυτίκα οἱ ἀγριογνώμονες καὶ ἀμεριμνόβιοι καὶ κτηνόφρονες ἄνθρωποι, προφητικόγνωστοι, καὶ ἀποστολικομαθεῖς, καὶ Εὐαγγελικῶν ῥημάτων κληρονόμοι ἐγίνοντο. Οὕτως γὰρ ἰχνηλατήσας πᾶσαν τὴν θεϊκὴν παράδοσιν, ἐν οὐδενὶ ἀμοίρους αὐτοὺς ἀπέδειξεν. Ἔφθασεν καὶ ἐν τοῖς πρώτοις μέρεσιν ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐν τῇ Ἀραρὰτ πατρίδι καὶ Οὐαλεροκτίστῃ τῇ πόλει, ἔνθα ἡ θεϊκὴ ἀπειλὴ ἤρξατο, ὁποῦ καὶ αὐτὸς τὸ δεσποτικὸν σημεῖον ἔστησε, καὶ οἱ μάρτυρες τοῦ Θεοῦ τελειωθέντες κατετέθησαν. Ἀνωρθώσατο οὖν ἐκεῖ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς κοιμητηρίοις, καὶ τὸν περιτειχισθέντα τόπον τοῦ οἴκου τοῦ Θεοῦ ἐξωδωμάτωσεν, F τὸν πρὸ πάντων ἀποδειχθέντα αὐτῷ διὰ τῆς θείας ὁράσεως.

153 Οὕτω καὶ ἐν τοῖς τόποις τῶν ἱερῶν, ἐν ἀρχῇ καθαιρεθέντων, ἐν Ἀρταξὰτ τῇ πόλει, καὶ τοῖς λοιποῖς τόποις, καὶ χώραις, καὶ πατράσιν, ἐπλήθυνεν ἐκκλησίας, καὶ ἱερέας κατέστησεν· καὶ σημειοχρίστους πάντας πεποιηκώς, καὶ πνευματοφόρους προσήνεγκε τῷ Θεῷ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ χώρᾳ τῆς Ἀρμενίας ἀπ᾽ ἄκρου ἕως ἄκρων διέτεινεν τὴν ἐργασίαν τοῦ Εὐαγγελικοῦ κηρύγματος ἀπὸ Σαταλῶν τῆς πόλεως μέχρι τῆς χώρας Χαλτῶν καὶ Καλαρσῶν, ἕως ὁρίων Μασαχοῦ τῶν Οὔννων, καὶ πύλων Κασπίων, καὶ μέρων Ἀλανῶν καὶ Φατακαρανῆς πόλεως Ἀρμενίας βασιλέων, καὶ ἀπὸ τῆς τῶν Ἀμηδηνῶν πόλεως μέχρι Νισιβέως παρὰ τὰ ὅρια τῆς Συρίας ἕως Νοσικάρων γῆς, καὶ Κορδοβιτῶν, καὶ τῆς Ὀχυρωτάτης χώρας τῶν μήδων, καὶ τοῦ οἴκου Μαχουρτῶν τοῦ ἄρχοντος καὶ μέχρι Ἀτραπατακὰν, ἥτις καλεῖται προχωρία κατὰ τὴν περσικὴν γλῶτταν, ἐξέτεινε τὸ Εὐαγγελικὸν κήρυγμα, θέρους καὶ χειμῶνος, ἡμέρας καὶ νυκτὸς, ὁ ἄοκνος ἐν τῇ ἀποστολικῇ αὐτοῦ πορείᾳ

A πορείᾳ καὶ εἰρηνοφόρῳ βαδίσματι, ἐπὶ βασιλέων καὶ ἀρχόντων, καὶ ἐθνῶν ἀφόβως τὸ πανσωτήριον ὄνομα τοῦ κυρίου ἐπὶ στόματος φέρων, πᾶσαν ψυχὴν χριστοφόρον εἰργάσατο.

154 Καὶ πολλῶν δεσμίων καὶ πεφυλακισμένων ἀπὸ τυράννων σωτηρίας πρόξενος γέγονεν, ἐκσπάσας ἀπὸ τῶν χειρῶν αὐτῶν τῇ δυνάμει τῆς τοῦ Χριστοῦ δόξης, τῆς ἐν αὐτῷ ἐνοικούσης. Πολλῶν δὲ καὶ τὰ ἄδικα γραμμάτια περισχίσας, ἐγένετο παράκλησις τοῖς πενθοῦσι ὀλιγοψύχοις· καὶ διὰ τῆς θεϊκῆς διδασκαλίας τὴν προσδοκωμένην ἐλπίδα τῆς ἐπιφανείας τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ ἑκάστου ψυχῇ ἐναπέθετο. Πάντας οὖν οὕτως μετὰ προθυμίας εἰς τὴν θεογνωσίαν μετήνεγκεν ἀπὸ τῆς ἀρχαίας αὐτῶν παραδόσεως. Πολλοὺς δὲ ἀναριθμήτους χοροὺς τῶν μοναστῶν ἐν ἀοικήτοις τόποις, καὶ χωρίοις, καὶ κωμοπόλεσι, τὴν ὀρεινήν τε καὶ πεδιάδα οἰκοῦντας, στηλίτας καὶ ἀποκλείστους κατέστησεν. Τινὰς δὲ καὶ δεισιδαιμόνων ἱερέων παῖδας δεξάμενος ἐνώπιον αὐτοῦ, ἐνάγειν ἐποίει σπουδὴν πνευματικοῦ μαθήματος ἐπιτιθέμενος, παραγγείλας μετὰ φόβου διάγειν αὐτούς· ἐξ ὧν καὶ εἰς τὴν B ἐπισκοπικὴν τιμήν τινες ἀξιωθέντες παρ' αὐτοῦ χειροτονοῦνται. Ὁ πρῶτος Ἀλβῆνος καλούμενος, ὅστις τοῖς μέρεσιν Εὐφράτου τοῦ ποταμοῦ ἐπέστη διδάσκαλος. Ὁ δὲ δεύτερος Εὐθάλιος, τοῖς μέρεσι Βασηνῶν κατασταθεὶς ποιμήν. Ὁ τρίτος Βάσσος, ὁ τέταρτος Μωυσῆς, ὁ πέμπτος Εὐσέβιος, ὁ ἕκτος Ἰωάννης, ὁ ἕβδομος Ἀγάπιος, ὁ ὄγδοος Ἄρτιος, ὁ ἔννατος Ἀρσύκης, ὁ δέκατος Ἀντίοχος. Αὐτοὶ ἐκ τῶν ἱερέων υἱῶν ἐξελέχθησαν γένεσθαι ἐπίσκοποι ἐν διαφόροις μέρεσιν, ὥστε εἰς αὔξησιν φέρειν τὸ κήρυγμα. Τῶν δὲ λοιπῶν τὰ ὀνόματα τὰ δυσθεώρητα εἰ καὶ βουληθείη τις ἐξειπεῖν.

catur sermone Persico, extendit Evangelicam prædicationem, tempore æstatis et hiemis, diebus et noctibus, vigil in via sua Apostolica, et in itinere suo pacem afferente; et coram regibus, principibus et gentibus nomen salutiferum Domini sine timore in ore gerens, in omni anima efficiebat, ut Christum portaret. A AGATHANGELO.

154 Multis quoque vinctis et custodia detentis per tyrannos salutem conciliabat, Christi gloriosa virtute, quæ in ipso inhabitabat, illos ab eorum manibus evellens. Præterea, conscissis multorum schedis injustis, fiebat consolatio lugentium et eorum, qui pusillo erant animo. Per divinam autem doctrinam uniuscujusque animæ instillabat exspectatam spem revelationis magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Hoc itaque modo omnes cum alacritate ab antiqua ipsorum traditione ad cognitionem Dei transferebat. Choros vero monachorum multitudine innumerabiles o in locis inhabitatis, in vicis, in oppidis, cum in montanis tum in campis degentes, stylitas p et reclusos, constituit. Sumpsit autem et nonnullos superstitiosorum sacerdotum filios apud se, quos jubebat studiose incumbere ad spiritualem doctrinam, adhortans, ut cum timore viverent : ex quibus aliquos, honore episcopali dignatos, manuum impositione ipse ordinavit. Primus q nominatus est Albenus, qui partibus fluminis Euphratis præest magister. Secundus vero Euthalius, tractui Basenorum constitutus pastor. Tertius Bassus, quartus Moyses, quintus Eusebius, sextus Joannes, septimus Agapius, octavus Artius, nonus Arcyces, decimus Antiochus. Hi ex filiis sacerdotum electi sunt ad episcopatum in variis partibus obeundum, ut prædicatio caperet incrementa. Aliorum vero nomina r contemplatu sunt difficilia, etiamsi quis vellet edicere.

pia Sancti opera : episcopi consecrati

o p E q r

ANNOTATA.

a *Indicat auctor magnates aliosque Armenos, quos ante adventum regis baptizatos dixit num.* 143.
Verum, ut ibidem certe numerum baptizatorum auxit, ita fortasse illorum baptismum ante tempus
narravit. Etenim, cum rex dicatur processisse usque ad Euphratem, qui limes est Majoris Armeniæ
ex parte Minoris et Cappadociæ, non est verisimile, multa fecisse Gregorium *ante regis adventum,*
magisque credo, a rege inchoatum baptismum, nisi forte comites S. Gregorii *jam Cæsareæ fuerint baptizati.*

b *Dubitari, an forte scriptum non fuerit,* αὐτοῦ ab eo, *id est, a* Gregorio. *Si recte legatur* αὐτῶν ab E
C eis, *intellige, a* Gregorio *et rege.*

c *Hæc facta sunt, sed paulatim, et minus cito, quam auctor insinuat.*

d Omnes simul, *id est, eodem die, opinor, aut certe sic consequenter, ut omnes ablueret.*

e *Quod spectat ad prodigia hic asserta, ea debeant videri suspecta, cum propter frequentissimos scri-*
ptoris in iis confingendis excessus, tum quia nequaquam fit verisimile, quod de oleo catechumenorum
asserit auctor. De eo recte tacuerunt Latinus et Metaphrastes. Isaac Catholicus Armenorum in Oratione
invectiva contra errores Armenorum, edita apud Combefisium in Auctario patrum Græcorum part. 2,
col. 410 *de oleo illo meminit, aitque, in libris Armenorum scriptum,* ὅτι ὁ μέγας Γρηγόριος τοσοῦτον ἐπέ-
χεε τὸ ἔλαιον εἰς τὸν τοιοῦτον λαόν, ὥστε περιεκύκλωσε τὸν λαὸν τὸ ἔλαιον ἐν τῷ ποταμῷ. *Verbum de verbo*
latine exprimam : Quod magnus Gregorius tantum infuderit olei in illum populum, ut oleum circum-
cingeret populum in flumine. *Secundum horum verborum sensum interpretatus sum verba græca Aga-*
thangeli, etiamsi cum possint habere sensum, acsi Gregorius *oleum in flumen effudisset, illudque miro*
prodigio ad omnes baptizandos se contulisset. Ut verbo mentem meam declarem : videtur scriptor pro
arbitrio exposuisse omnia ad actum illum baptizandi spectantia. Itaque baptismus ipse multorum cer-
tus quidem est : adjuncta loci, temporis, modi, et numeri baptizatorum incerta.

f *De quindecim myriadibus, id est, centum et quinquaginta hominum millibus consentiunt Meta-*
phrastes et Latinus. Laudatus Isaac semel duodecim myriades, alias novemdecim baptizatos scribit.
At non dubito asserere, numerum illum immenso intervallo supra veritatem exaggeratum, et nihil
habere probabilitatis. Verisimiliter, quæ multis mensibus aut integro anno peracta sunt, in unum diem
congessit auctor. Quam ille veri etiam similitudinis sit negligens, iterum videbit lector, modo conside-
ret, illa centum et quinquaginta hominum millia mox ab eo congregari in una ecclesia, eaque paucis
diebus constructa.

g *Hic numerus magis etiam incredibilis est, et a latino omissus, a Metaphraste timide ex fama positus.*

A AGATHANGELO. *situs. Si tantus hominum numerus erat in tota Armenia, potuit toto vitæ suæ tempore* S. Gregorius *cum presbyteris et episcopis aliis eos baptizare.* D

h *Multum dubitavi de significatione vocis* ξενοδέκτων, *quam non invenio, ne in Lexicis quidem Græco-barbaris, cum varias significationes recipere possit vox illa ex duabus Græcis composita. Dedi itaque ex conjecturis, quam credidi probabiliorem. Si quis certiorem noverit, libenter sequar.*

i *Hinc forte dicta fuit* διαπομπή, dimissio, *quod illo die annus dimittatur. Completur autem annus Armenorum die* 10 *Augustini.*

k *De cruce in loco illo circumvallato erecta egit num.* 126, *uti et de aliis omnibus, quæ hic attingit, antea variis locis.*

l Artaxerxoctisten *nominavit urbem illam num.* 129, *ubi agit de idolis ibidem destructis. At earundem civitatum nomina subinde mutari ab ipso, jam ibi observavi lit.* a.

m *Hic incipit Agathangelus subinde Armenia egredi ad vicinas provincias, forte ita amplificaut prædicationis* S. Gregorii *campum, sicut reliqua passim omnia auxit. Satala civitas est Minoris Armeniæ versus partem Borealem, et episcopos habuit sæculo* 4. *Qui sequuntur populi, videntur quærendi in regionibus Ponticis et Colchicis et versus montem Caucasum, circa quem degebant aliqui Hunni et Alani. Verum non lubet de locis obscuris plura quærere.*

n *Amida et Nisibis erant civitates Mesopotamiæ, eæque satis notæ, et sitæ ad Meridiem Armeniæ.*

o *Exaggeratione nimia non caret, quod de multitudine tanta et varietate monachorum dicitur; fortasse et totum aliquibus videbitur fictitium. Ego tamen facile crediderim, inchoatum tempore* S. Gregorii *monasticum institutum in Armenia, imo et monachos ibi citissime multiplicatos, ut forte minus peccet auctor, dum dicit* innumerabiles, *quam dum eorum varietatem describit. Monierus in Monumentis de Armenia pag.* 82 *ex Historia Armena asserit, sub finem sæculi* 4 *numerata in Armenia fuisse monasteria usque ad duo millia et quadraginta. Id poterit nihilo certius videri, quam quod no-* E
B *ster de numero asserit, ideoque judicium de re tota prudentibus permittam. Hoc solum observabo, in Assyria, in Mesopotamia, in Perside, ante annum* 320 *monachos aliquot fuisse, ut probat Assemanus in Bibliotheca Orientali tom. III, part.* 2, *pag.* 48 *et* 49, *ut mirum non sit, si in Armenia illis provinciis vicina, quæ regem habebat Catholicum, institutum monasticum ante annum* 320 *fuerit receptum, et intra decennium mire multiplicatus monachorum numerus.*

p *Dum* Stylitas *variis monachorum ordinibus accenset Agathangelus, aperte fidem sibi detrahit. Nam omnium consensu constat, primum e monachis, qui* Stylitæ *fuerunt dicti, quod in columna vitam degerent, fuisse S. Symeonem Stylitam, cujus vita data est ad* 5 *Januarii, danda accuratius Græce in Supplemento. Constat præterea, S. Symeonem non inchoasse id vitæ genus ante sæculum quintum, quando integro fere sæculo defunctus erat* S. Gregorius. *Quomodo ergo noster* Stylitas *fingit tempore* S. Gregorii, *nisi quod multo serius scripserit, et ignorantia chronologiæ in tam apertum errorem lapsus fuerit. Quare longo tempore post* S. Gregorium *scripsit aut ipse vitæ auctor, aut audacissimus et ineptissimus interpolator, si hæc aliaque figmenta vitæ primum scriptæ fuerint addita.*

q *Decem episcopos, qui hic recensentur, ordinatos fuisse a* Gregorio, *nequaquam incredibile est aut improbabile, imo et plures fuisse, quos consecravit, ut inferius addit auctor, facile prudenti lectori persuadebit latitudo regni Armeniæ. At non tam facile credemus, quod ex Historia Armena scribit laudatus Monierus pag.* 75, *quadringentos et triginta episcopos a* Gregorio *consecratos; licet et noster inferius num.* 58 *eumdem fere numerum assignet. Nam nullibi invenire potuit, magnum fuisse in Armenia Majore episcoporum numerum. De decem prioribus consentit Metaphrastes, sed primum nominat* Alcinum, *secundum* Masemorum *regioni præfectum dicit, non* Basenorum, *ut hic, et trium tantum recensct nomina.*

r *Non facile credam, alios ob nominum difficultatem prætermissos. Forte recensitos decem invenit auctor, non alios. Forte etiam tantum decem initio consecrati fuerunt a* Gregorio. F

C

CAPUT XIV

Gregorius, relicta regis aula, in solitudine sic habitat, ut frequenter invisat ecclesias : duo ejus filii jussu regis in Armeniam ducti, ex his unus Arostaces consecratus episcopus : mira regis pietas.

Albino relicta cura palatii, in eremo a

Albinum autem, virum tenacem veri Deique amantissimum in palatio regio magistrum *a* ordinavit : et ipse ad tempus otio vacabat in montibus inaccessis, omnibus exemplar factus in omnibus. Assumens enim quosdam in monasteriis institutos, seorsum abibat in montes, in scissuris petrarum et speluncis degens, et victum quotidianum sibi parans ex herbis. Cum autem ita gnaviter vexando corpori se tradidissent, attendebant ad consolationem dicti Apostolici : Cum infirmor propter Christum, tunc potens sum. Et iterum quodam verbo dicit : Si oportet me gloriari, in infirmitate mea gloriabor,

Τὸν δὲ ἀλβῆνον ἄνδρα ἀληθινὸν καὶ θεοφιλέστατον ἐν τῷ παλατίῳ τοῦ βασιλέως ἐπιστάτην ἔταξεν· καὶ αὐτὸς κατὰ καιροὺς ἐν τοῖς ἀβάτοις ὄρεσιν ἦγεν σχολὴν, τύπος ἐν παντὶ καὶ πᾶσι γενόμενος. Παραλαμβάνων γάρ τινας ἐκ τῶν μαθητευτέντων τῶν μοναστηρίων, ἀνείη εἰς τὰ ὄρη ἰδιαζόντως, ἐν σχίσμασι πετρῶν καὶ σπηλαίοις, τὴν ἡμερούσιον τροφὴν ἀπὸ τῶν βοτανῶν ἐπιτηδεύων· καὶ οὕτως φιλοπόνως τῇ καταπονήσει τοῦ σώματος ἑαυτοὺς ἐκδεδωκότες, προσεῖχον τῇ παρακλήσει τοῦ ἀποστολικοῦ ῥητοῦ, ὅταν ἀσθενῶ διὰ Χριστὸν, τότε δύνατός εἰμι. Καὶ πάλιν λέγων τινὶ ῥητῷ· εἰ δεῖ με καυχᾶσθαι, ἐν τῇ ἀσθενείᾳ μου καυχήσομαι, ἵνα οἰκήσῃ ἐν ἐμοὶ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ. Τότε οὖν

A. ACATHANGELO.

A οὖν προέκειτο αὐτοῖς οὐ μεθύσκεσθαι οἴνῳ, ἀλλὰ πληροῦσθαι ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τὰς καρδίας ἑτοιμάσαι εἰς ᾠδὰς καὶ ὕμνους πνευματικοὺς εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τοῦ Θεοῦ. Ἐκείνη ἦν γυμνασία τῆς γλυκυτάτης διδαχῆς τῶν θείων καὶ πνευματικῶν ἀναγνωσμάτων, ἐκείνη θάρσος καὶ προτροπὴ τῆς φωτοφόρου διδασκαλίας εἰς τὸ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι ἐν τῷ τοῦ Χριστοῦ σταδίῳ, ἐκεῖ ζέειν τῷ πνεύματι ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ δουλείᾳ, ἐκεῖ εὐχαὶ ἄπαυσται καὶ δεήσεις ἀπαράληπτοι, καὶ δάκρυα εἰρήνην φέροντα ἀπὸ τῆς φιλανθρωπίας τοῦ Θεοῦ, ὑπὲρ τῆς κοινῆς ζωῆς γινόμενα, ὥστε διαλλαγῆναι τῶν πάντων ποιητήν. Ἐν ταύταις διαγωγαῖς διανύων ἡμέρας πολλὰς ἐν ἀβάτοις τόποις, ἐν ταῖς ἀρχαῖς τοῦ εὐφράτου ποταμοῦ, ἐν σπηλαίοις καὶ σχίσμασιν ὀρέων καὶ ἀκρωρίαις οἰκῶν, καὶ τὸν τύπον ἀναδεξάμενος τοῦ μεγάλου προφήτου ἠλίου καὶ τοῦ παναγίου Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ, καλῶν ἔργων χαρακτὴρ ἐγένετο.

156 Τούτων ἑαυτῷ ἐπιτεθηκώς, καὶ τῇ θεϊκῇ ἐμπορείᾳ πλουτίζων, ποτὲ δὲ καὶ κατέβαινεν περιελθεῖν, καὶ ἐνισχῦσαι τοὺς μαθητευομένους ἐν τῇ ἀληθείᾳ, διαφόρων καὶ ψυχωφελῶν πραγμάτων πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις ἀντιλήψεις δωρούμενος διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος B ἀνυπερθέτως. Διαπαντὸς δὲ παριστάμενος τοῖς τόποις, διὰ τῆς θεϊκῆς κυβερνήσεως πάντας προθυμοτέρους καὶ αὐτοπροαιρέτους ἐποίει, ἐν ἀπαύστῳ στόματι τὴν ἀένναον διδασκαλίαν εἰς τὰς καρδίας πάντων σπείρων, λιπαρὰν γῆν καὶ γόνιμον ἀπεδείκνυεν τὰς ψυχὰς αὐτῶν. Ταῦτα ἐν πᾶσι τοῖς καιροῖς ἔπραττεν ἕνεκεν τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς καὶ πάσης τῆς χώρας. Συνήθως γὰρ οἱ ἀληθινοὶ διδάσκαλοι τὰς ἀρετὰς αὐτῶν κανόνα τοῖς μαθητευομένοις ἐκτίθενται, δηλαδὴ ὑπομνήσκοντες τὸ δεσποτικὸν ῥητὸν, ὁ περὶ τοῦ μόνου καὶ ὄντως σοφοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ λέγει· ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. αὐτὸς γὰρ πολλάκις κατ᾽ ἰδίαν τοὺς μαθητὰς λαβὼν, ἀδιαλείπτως τύπος αὐτοῖς ἐγένετο, ὅτε καὶ τὸν μακαρισμὸν τῆς δωρεᾶς παρεῖχεν ἐν τῷ ὄρει, καὶ πάλιν ἐν αὐτῷ τῷ ὄρει τὴν κανονικὴν εὐχὴν παρεδίδου, καὶ πάλιν ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἀζύμων ἐν τῇ νομίμῳ πανηγύρει τὰς νυκτερινὰς εὐχάς. Τρίτον ἐν τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν κατ᾽ ἰδίαν προσέφερεν. Ὅθεν; δηλαδὴ οὐχ ἑαυτοῦ ἕνεκεν ὁ πάντων δεσπότης, ἀλλὰ πρὸς καθολικὴν διδαχὴν τοῦτο ἔπραττεν, καὶ ἐγίνετο τύπος πᾶσι τοῖς ὑποτεταγμένοις. Διὸ φάσκων ἔλεγεν· γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.

157 Ἀλλὰ νῦν οὔποτε τῶν κουφοτέρων τεχνῶν τῆς C γνώσεως ἐπιτύχοιεν, ὥστε μετὰ τῶν θεολόγων συνταχθῆναι, περὶ ἧς ὁ παῦλος φησιν· ὅτι τὸ πνεῦμα ἐν τῇ κατὰ τὴν διάνοιαν θεωρίᾳ στεναγμοῖς ἀλαλήτοις ὑπερτυγχάνει ὕπερ ἡμῶν, ἐπιστάμενος τὰς τοῦ πνεύματος τοῦ ζωοποιοῦ ἐνεργείας, πρὸς τὸ ἔργον καὶ τὴν γνῶσιν εὐθύνοντος ἡμᾶς, κατὰ τὸν τύπον τοῦ κυρίου ποιοῦντος καὶ διδάξαντος, καὶ τοιούτους ἡμᾶς εἶναι, ὥστε εἰδέναι τὴν πρεσβείαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς τὸ ὑπὲρ ἀλλήλων ἡμᾶς ἐντυγχάνειν τῷ Θεῷ. Τὸ δὲ ὕψος τῆς πρεσβείας τοῦ μονογενοῦς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος παρὰ πᾶσιν ἠγνόηται. Μία γὰρ ἐστιν ἡ τιμὴ τῆς θεότητος, καὶ οὐ διάφορος. Δεξάμενοι οὖν τὴν ἀληθινὴν διδασκαλίαν, πρῶτον ἑαυτοῖς τὴν ὠφέλειαν, ἔπειτα καὶ τοῖς μαθητευομένοις βαστάζοντες ἔφερον, ποτὲ μὲν ἰδιαζόντως, ποτὲ δὲ καὶ μετὰ τῶν συναχθέντων, τὴν τοῦ Χριστοῦ δόξαν ὑψώσαντες. Ὠφελιμώτατον γὰρ ὑπάρχει ἀπὸ πάντων τῶν κοσμικῶν περισπασμῶν ἡσυχίαν ἄγειν, καὶ ἰδιάζειν. Τοῦτο γὰρ καὶ οἱ προφῆται πρότεροι ἠργάσαντο, οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐρήμοις καὶ σπηλαίοις καὶ ταῖς ὀπαῖς τῶν πετρῶν, τῆς θεϊκῆς διαγωγῆς τὴν δουλείαν πληροῦντες κατὰ τὸ ἀποστολικὸν ῥητόν. Ὡσαύτως δὲ καὶ πάντες οἱ πατέρες, οἱ διαδεξάμενοι ἀπὸ τῶν ἀποστολικῶν κανόνων, τοῖς μετέπειτα τύποι ἐγένοντο. Ὅθεν καὶ ὁ μακάριος οὗτος ἔφερεν ἐν ἑαυτῷ τὰς παρα-

ut habitet in me virtus Christi. Tunc igitur illis propositum erat, non inebriari vino, sed impleri Spiritu sancto, et præparare corda sua ad cantica et hymnos spirituales in gloriam et laudem Dei. Illa erat exercitatio suavissimæ doctrinæ divinarum et spiritualium lectionum, erat fiducia et adhortatio illuminantis eruditionis ad se in stadio Christi extendendum ad ulteriora : ibi erat servor spiritus in servituto Dei; ibi preces assiduæ, obsecrationes abundantes, lacrymæ pacem asserentes a misericordia Dei, pro communi vita effusæ, ut omnium Conditor reconcilietur. In hoc vitæ instituto multos transigens dies in locis inaccessis, circa ortum fluminis Euphratis, in speluncis et montium scissuris et crepidinibus habitans, exemplarque secutus magni prophetæ Eliæ et sanctissimi Joannis Baptistæ, bonorum operum factus est exemplar.

se exercet Sanctus, quo et sibi

156 Hisce ubi se cumulaverat, et divina negotiatione dives erat factus, aliquando etiam descendebat, ut circumiret, et confirmaret discipulos suos in veritate, rerum variarum animabusque utilium adminicula absque dilatione omnibus ecclesiis per Dei gratiam impertiens. Semper vero locis assistens, devina gubernatione omnes E alacriores et voluntarios reddebat, ore indesinenti semper fluentem doctrinam in omnium cordibus seminans, ostendebat, animas eorum terram esse pinguem et fœcundam. Hæc omnibus temporibus agebat, cum animæ suæ gratia tum regionis totius. Nam veri doctores solent virtutes suas discipulis tamquam legem proponere, recordantes videlicet dicti Dominici, quod de solo et vere sapiente Jesu Christo ait : Cœpit Jesus facere et docere. Ipse enim frequenter discipulos suos in loco privato instruens, illis perpetuo erat forma vivendi. Unde et prædicationen beatitudinum in monte peregit, et iterum in eodem monte canonicam orationem tradidit : rursum in diebus azymorum in festivitato legali preces nocturnas. Tertio in monte olivarum privatim eos allocutus est. Quare? Videlicit non sui ipsius causa, qui omnium erat Dominis; sed id faciebat ad generalem dandam instructionem, factusque est omnibus subditis suis exemplar. Hac de causa dixit : Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.

et aliis sapientiam acquirat, suos tamen

157 Jam vero non alias faciliores reperiant artes obtinendæ scientiæ, qua theologis annumerentur *b*. De quo Paulus dicit : Quod in mentis contemplatione ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ita ille, cognoscens operationes Spiritus vivificantis, nosque ad opus F et cognitionem dirigentis, exemplo Domini facientis et docentis, ut et nos tales simus, ut noscamus interpellationem sancti Spiritus, et nos quoque invicem pro aliis intercedamus apud Deum. Excellentia autem intercessionis *c* Unigeniti et Spiritus sancti apud omnes ignota est. Unus enim est honor Divinitatis, et non diversus. Ubi ergo veram obtinuerant doctrinam, primum quidem sibi ex ea utilitatem afferebant, deinde et discipulis, modo privatim, modo omnibus congregatis, Christi gloriam extollentes. Utilissimum quoque est ab omnibus occupationibus mundanis otium habere, et vivere in solitudine. Huc enim et priores prophetæ fecerunt, qui in montibus, in desertis; in speluncis, in petrarum cavernis, divini instituti servitutem explebant secundum dictum Apostolicum. Similiter et omnes patres, qui in Apostolorum mores successerunt, posteris suis facti sunt exemplaria. Unde et hic Beatus tra-

A. AGATHANGELO.

tiones in se repræsentabat, et similiter omnibus tradebat, mandatum annuntians, opimosque et ornatos ex divinis thesauris omnes reddens.

aliquando visitans et docens. Cum Sanctus nollet semper cum rege esse,

158 Ad tempus vero ad quædam veniens loca, vigilanti oculo ad idem adhortabatur studium. Tunc ergo desideratissima, honestissima et supra modum pulcherrima factat erat regio Armeniæ. Sicut enim Moyses castris Hebraicis cum choro prophetico inventus est legislator, et liberrimus Paulus cum turba apostolica, simili modo in medium eorum progressus, et vivificam Euangelii Christi prædicationem sermone Armenorum aggressus, pietatem omnes docuit: et omnes ingrediens tractus, in omnibus pro sua habitatione sibi elegit loca deserta, ibique habitabat [indeque factum] *d*, ut ex eremis sint omnes episcopi omnibus provinciis regni Armeniæ. Qui vero ab ipso ordinati erant et constituti, plures quam quadringenti *e* erant episcopi, qui et episcopatum in diversis locis administrarunt. Multitudo vero presbyterorum, diaconorum, lectorum, et aliorum, qui in Dei ministerio sunt constituti, numerum supergreditur. At rex Teredatius, subditorum suorum exigens benevolentiam, dicebat fidem benevolentiæ in se ostendi a populo B per subjectionem, qua Dei præcepta observabat; et per fidem in omnium Conditorum et Deum. Omnibus autem cum alacritate credentibus, studiose perficiebantur mandata. Rex porro frequenter procidens rogabat Archiepiscopum, ut semper maneret secum, et provincias circumirent. At ille non consensit, sed habitans in locis desertis, se jejuniis affligebat, ne in superbiam elatus conculcaretur. Omnibus vero diebus vitæ suæ sibi præscripsit, ut jejunaret per dies quadraginta usque ad vocationem Christi et requiem ejus per mortem.

rex duos illius filios ex Cappadocia

159 At rex cum universo regno dolens de secessu ejus, in multa vivebat tristitia. Tunc rex per quosdam, qui res Gregorii noverant, intellexit, quod, cum junior esset et matrimonio junctus, duos genuisset filios, quorum primogenitus natus erat, nomine Urthanes *f*, qui etiam honesta vita ornatus in ministerio clericali presbyter erat ordinatus: secundus vero Arostaces *g*, qui a pueritia educatus erat in opere et servitute Dei, cumque anachoreta esset et asceta, et in montibus degeret, multosque secundum Euangelium in omni exercitatione passus esset labores, C disciplinis spiritualibus se tradiderat: nam unico indutus erat vestimento et solus, esuriens et sitiens, oleribus vescens, degebat reclusus humilibus et indumentis et humi cubationibus. Nocturnas *h* vigilias frequenter vigilanti oculo expedite peragebat: et hoc modo non exiguo, sed longissimo tempore habitaverat. Cum vero quosdam invenisset, illos ad se jussit accedere, eosque instruendo Euangelicum ministerium docuit, et irruentes tentationes fortiter tolerare. Hic ergo lumen effectus, et supra modum resplendens, notus erat Deo et hominibus. De hisce autem cum accuratius instructus esset rex Teredatius, continuo sine dilatione tres ex principibus familiarissimis cum divinis litteris misit, ut duos Gregorii filios ad se perducerent.

in Armeniam accersit. Ex his Arostaces ordinatur episcopus:

160 Primus ex missis a rege præfectus erat castrorum totius magnæ Armeniæ: secundus Tasates, princeps provinciæ Asucoorum: tertius Datas, prænuntius *i* regis. Ubi ergo hi advenerant in provinciam Cappadocum, Urtanem invenerunt in civitate Cæsareensi. At sanctus Arostaces habitabat anachoreta in locis desertis; neque is

δώσεις, καὶ ὁμοίως πᾶσι παρεδίδω, τὴν ἐντολὴν παραγγέλλων, λιπαροὺς καὶ εὐπρεπεῖς ἐν τοῖς θεϊκοῖς θησαυροῖς πάντας ἐργαζόμενος. D

158 Κατὰ καιροὺς δὲ ἐφιστάμενός τισι τόποις, εἰς τὴν αὐτὴν σπουδὴν προέτρεπεν ἀκοιμήτῳ τῷ ὄμματι. Τότε οὖν ποθεινοτάτη καὶ εὐπρεπεστάτη καὶ ὑπερκαλλίστη ἐγεγόνει ἡ χώρα τῆς ἀρμενίας. Ὡς γὰρ ὁ Μωυσῆς νομοθέτης εὑρεθεὶς ταῖς ἑβραϊκαῖς παρεμβολαῖς μετὰ τοῦ προφητικοῦ χόρου, καὶ ὁ παῤῥησιαστικώτατος Παῦλος μετὰ τοῦ ἀποστολικοῦ συστήματος, καθ' ὡμοίωσιν αὐτῶν εἰς μέσον παρελθὼν, καὶ τὸ ζωοποιὸν κήρυγμα τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ ἐπειράσθη τῇ τῶν Ἀρμενίων γλώττῃ *, τὴν θεοσέβειαν πάντες ἐδίδαξεν, καὶ ἐν πάσαις χώραις πορευόμενος ἐπελέξατο ἑαυτῷ εἰς κατοίκησιν ἐρήμους τόπους, κἀκεῖσε ᾤκει, ἀπὸ τῶν ἐρημίων πάντας εἶναι ἐπισκόπους πάσαις ταῖς πατράσιν τῆς Ἀρμενίων χώρας. Οἱ δὲ ἐπ' αὐτοῦ χειροτονηθέντες καὶ κατασταθέντες, πλείους ἢ τετρακόσιοι ἐπίσκοποι ἦσαν, οἱ καὶ διαφόροις τόποις ἐπισκόπησαν· τὸ δὲ πλῆθος τῶν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων καὶ ἀναγνωστῶν, καὶ ἄλλων τῶν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τοῦ Θεοῦ κατασταθέντων, τὸν ἀριθμὸν ὑπερβαίνει. Τηρηδάτιος δὲ ὁ βασιλεὺς τὴν εὔνοιαν τῶν ὑπηκόων ἀπαιτῶν, τὴν πίστιν τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἀπὸ τῆς ὑποταγῆς πρὸς τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ τὸν λαὸν ἐπιδείκνυσθαι ἔφασκεν, E καὶ ἐν τῇ πίστει τῇ πρὸς τὸν ἁπάντων δημιουργὸν καὶ Θεόν· καὶ πάντων μετὰ προθυμίας πιστευόντων ἐν σπουδῇ ἐπληροῦντο τὰ προστεταγμένα. Πολλάκις δὲ ὁ βασιλεὺς προσπίπτων ἠντιβόλει τὸν Ἀρχιεπίσκοπον αὐτῷ παραμεῖναι διαπαντὸς, καὶ περινοστεῖν τὰς χώρας. Ὁ δὲ οὐκ ἐπένευσεν, ἀλλ' ἐν ταῖς ἐρήμοις κατοικῶν, ἐν νηστείαις κατέτρυχεν ἑαυτὸν, ἵνα μὴ ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας ἐπαρθεὶς καταπατηθῇ, ἀλλ' ὥρισεν ἑαυτῷ ἐν πάσαις ταῖς ἡμέραις τῆς ζωῆς αὐτοῦ διὰ τεσσαράκοντα ἡμερῶν τὴν νηστείαν ἄγειν μέχρι τῆς τοῦ Χριστοῦ κλήσεως καὶ ἀναπαύσεως τῆς ἰδίας τελευτῆς.

* *Forte addendum* καὶ

159 Ὁ δὲ βασιλεὺς σὺν πάσῃ τῇ χώρᾳ ὀδυρόμενος τὸν χωρισμὸν αὐτοῦ, ἐν πολλῇ ἀδημονίᾳ διῆγεν. Τότε ἀκούσας ὁ βασιλεὺς παρά τινων, ἐπισταμένων περὶ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, ὅτι νεώτερος ἔτι ὑπάρχων καὶ βιώσας δύο ἔσχεν υἱοὺς, ὧν ὁ μὲν πρωτότοκος ἐγνωρίζετο οὐρθάνης τοὔνομα, ὅστις καὶ αὐτὸς ἐν τῷ βίῳ διαπρέπων εἰς βαθμὸν λειτουργίας πρεσβυτέρου προσῆλθεν. Ὁ δὲ δεύτερος Ἀροστάκης, ὅστις ἐκ νέας ἡλικίας ἐν τῷ θεϊκῷ ἔργῳ τε καὶ δουλείᾳ ἀνετράφη, ἀναχωρητής τε καὶ ἀσκήτης ὢν, καὶ τὰ ὄρη οἴκων, καὶ πόλλαις κακοπαθείαις ὑποπιεσθεὶς κατὰ τὸ εὐάγγελιον πάσῃ τῇ γυμνασίᾳ, τοῖς πνευματικοῖς μαθήμασιν ἐξέδωκεν F ἑαυτὸν, ὅτι τε μονογείτων ἦ καὶ μόνος, καὶ πεινῶν καὶ διψῶν, καὶ λαχάνοις χρώμενος, ἀπεκέκλειστο ἐν ἐνδύμασι ταπεινοῖς καὶ χαμοκοιτίαις. Πολλάκις τὰς νυκτερινὰς ἀγρυπνίας ἐν ἀκοιμήτῳ ὄμματι ἐκποδὸς ἀποπληρῶν, καὶ τοῦτο οὐκ ἐπ' ὀλίγῳ χρόνῳ, ἀλλ' ἐπὶ πλείστῳ οἰκούμενος. Εὑρηκὼς δέ τινας, προσπελάσαι ἑαυτῷ πεποίηκεν καὶ κατηχήσας αὐτοὺς, ἐδίδαξεν τὴν εὐαγγελικὴν λετουργίαν, καὶ τοὺς ἐπερχομένους πειρασμοὺς ἀνδρείως φέρειν. Οὗτος δὲ φοστὴρ γενόμενος καὶ ὑπερεκλάμψας, ἐγνώσθη Θεῷ καὶ ἀνθρώποις. Περὶ τούτων ἀκριβέστερον μαθὼν Τηρηδάτιος ὁ βασιλεὺς, ἐν τάχει καὶ ἀνυπερθέτως ἀπέστειλε τρεῖς τῶν ἐνδοτάτων ἀρχόντων μετὰ θείων γραμμάτων, ἵνα τοὺς δύο υἱοὺς Γρηγορίου κομίσωσιν αὐτῷ.

160 Τῶν δὲ πεμφθέντων παρὰ τοῦ βασιλέως ὁ πρῶτος, στρατοπεδάρχης πάσης τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, ὁ δεύτερος, Τασάτης ἀσουκώων πατρίδος ἄρχων, ὁ τρίτος δατὰς, ὁ προμηνυτὴς τοῦ βασιλέως. Παραγενόμενοι οὖν οὗτοι ἐν τῇ καππαδοκῶν χώρᾳ, εὑρὸν τὸν οὐρθάνην ἐν τῇ καισαραίων πόλει. Ὁ δὲ ἅγιος ἀρωστάκης ᾤκει ἐν ταῖς ἐρήμοις ἀναχωρητὴς, ὅστις οὐκ ἐπείθετο χωρισθῆναι

A χωρισθῆναι τῆς ἡσυχίας, καὶ συνελθεῖν αὐτοῖς, εἰμὴ ἐγεγόνει συνέλευσις πλήθους χριστιανῶν· οἱ καὶ πάντα ποιήσαντες, ἐποίησαν ἅμα αὐτοῖς συνελθεῖν αὐτὸν, φάσκοντες· βέλτιόν σοι ὑπάρχει ὁ κόπος τῆς τοῦ Θεοῦ ἐργασίας, ἡ περιμονία τῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ κατοικίας, προπέμπουσιν οὖν αὐτὸν σὺν τῷ ἰδίῳ ἀδελφῷ. Οἱ δὲ ἀπεσταλμένοι, παραγενάμενοι ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ, τοὺς δυὸ υἱοὺς Γρηγορίου παρέστησαν τῷ βασιλεῖ· οὓς δεξάμενος ὁ βασιλεὺς, σὺν αὐτοῖς εἰς ἐκζήτησιν τοῦ ἁγίου Γρηγορίου ἐξῆλθεν, ὅπου δὴ εὕροι· καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει αὐτὸν ἐν τῇ Δαραναλητῶν πατρίδι, ἐν τῷ ὄρει τῷ καλουμένῳ Μαναάρχ, ἐν τῇ ἐρήμῳ. Παρεκάλεσεν οὖν ὁ βασιλεὺς Τηρηδάτιος τὸν ἅγιον Γρηγόριον, ἀνθ' ὧν, φησιν, οὐκ ἠβουλήθης παραμεῖναι ἡμῖν, ἀγαπήσας τὴν ἐρημίαν καὶ τὸν μοναστικὸν βίον, χειροτόνησον ἡμῖν ἐπίσκοπον τὸν ἅγιον υἱὸν Ἀρωστάκην ἀντὶ σοῦ. Ὁ δὴ καὶ πεποίηκεν αὐτὸς, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἀντὶ τῶν πατρῶν σου ἐγενήθησαν οἱ υἱοί σου. Καταστήσεις αὐτοὺς ἄρχοντας ἐπὶ πᾶσην τὴν γῆν.

consensit ad discedendum ex solitudine et cum illis proficiscendum, nisi ubi factus fuerat conventus multorum, Christianorum. Hi omnia molientes, effecerunt, ut una cum illis discederet, dicentes : Utilior tibi est labor in opere Dei, quam perseverans habitatio in eremo. Itaque ipsum cum fratre suo dimittunt. Qui vero erant missi, postquam advenerant in Armeniam, duos Gregorii filios regi stiterunt. His acceptis, rex cum illis profectus est ad quærendum sanctum Gregorium, ubicumque enim posset invenire : veniensque enim reperit in provincia Daranaletarum, in monte, cui nomen Manaarch, in loco solitario. Quapropter rex Teredatius hortatus est sanctum Gregorium, dicens : Quandoquidem noluisti nobiscum manere, quod ames solitudinem et vitam monasticam, pro te episcopum nobis manuum impositione constitue sanctum filium tuum Arostacen. Id sane et ipse fecit, secundum quod scriptum est : Pro patribus tuis nati sunt tibi filii *k* : constitues eos principes super omnem terram. k

A. AGATHANGELO.

161 Οὗτος ὁ Ἀρωστάκης, ὑπερβαλλόντως κάλλιστος εὑρεθεὶς, ἐπλεόνασε τὴν διδασκαλίαν ὑπὲρ τὸν πα-
B τέρα, καὶ μετ' αὐτὸν κρατήσας τοῦ πατρικοῦ τόπου, παρέλαβε τοὺς οἴακας τοῦ καθολικοῦ θρόνου τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Τότε καὶ αὐτὸς ὁ ἅγιος Γρηγόριος ἐκπορεύεται περιελθεῖν τοὺς τόπους, καὶ τὰς διαταγὰς τῶν μαθητευομένων περιεργάσασθαι, ὅπως παραμυθήσηται αὐτοὺς, καὶ χαροποιήσῃ, καὶ πλεῖον στηρίξῃ. Τηρηδάτιος δὲ, ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς, ὑπηρέτει αὐτῷ κατὰ τοὺς μαθητὰς τῆς πίστεως τοῦ Χριστοῦ. Ἀμέτρως γὰρ εὐλαβέστατος εὑρεθεὶς, καὶ τὴν θεογνωσίαν παρ' αὐτοῦ ἀναδεξάμενος, μετὰ πάσης γυμνασίας ἐν τῇ θεϊκῇ διαταγῇ προσέκοπτεν, καὶ ποθεινότατος πᾶσιν ἐγένετο ἐν τῇ τηρήσει τῶν ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ, τύπος λοιπὸν τῶν ἀγαθῶν ἔργων πάσῃ τῇ χώρᾳ γενόμενος, προσέχων μετὰ πάσης σπουδῆς τῇ ἀναγνώσει τῆς θεοπνευστοῦ γραφῆς, ὅτι μάλιστα τῆς ἑλληνικῆς παιδεύσεως ἄκρως ἦν μετεσχηκὼς, ἐν τῇ φιλοσοφίᾳ καὶ κοσμικῇ γυμνασίᾳ· μεμαθηκὼς γὰρ ταύτην ὑπῆρχεν. Δεξάμενος δὲ καὶ τὴν οὐράνιον χάριν τῆς τοῦ Χριστοῦ δωρεᾶς παραυτίκα φωτισθεὶς, καὶ ἰχνηλατήσας τὰς διαταγὰς τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων, ἑτοίμως τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσανέθηκεν, καὶ κατὰ τὸ εὐαγγελικὸν μέτρον ὁλοθύμως εἰς δουλείαν τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ ἐκδοὺς ἑαυτὸν, ἀπεγυμνώθη παντελῶς τῶν ἐθνικῶν ἐπιθημιῶν, φέρων ἐπὶ τῷ στόματι διαπαντὸς τὸ καύχημα
C τοῦ δεσποτικοῦ σημείου, καὶ ἀκολούθως λατρεύων τῷ ἐσταυρομένῳ, τῷ πάντων ζωοποιῷ.

161 Hic Arostaces quam optimus repertus, prædicationem multiplicavit supra Patrem *l*, et post ipsum in paternum elevatus locum, suscepit administrationem Catholici solii magnæ Armeniæ. Tunc et ipse sanctus Gregorius egressus est, circumitu us tractus, ad dispositiones discipulorum curiose perficiendas, ut eos consolaretur, eis gratificaretur, eosdemque magis confirmaret. Teredatius vero, piissimus rex, eidem ministrabat pro more discipulorum fidei Christi. Supra modum enim inventus est religiosissimus, obtentaque per eum cognitione Dei, omni contentione in mandatis divinis proficiebat, cunctisque desideratissimus evadebat in observatione mandatorum Dei, factus demum exemplar bonorum operum toti regno. Cum omni studio animum advertebat ad lectionem Scripturæ divinitus inspiratæ, quia quam maxime Græcæ eruditionis particeps erat, in philosophia et in exercitatione mundana : illam enim didicerat. Accepta vero cælesti gratia donorum Christi confestim illuminatus, investigatisque mandatorum Dei decretis, prompto studio animam suam Deo obtulit, et secundum mensuram Euangelicam toto animo in servitutem misericordiæ Dei se tradens, desideriis gentilibus omnino renuntiavit, perpetuo in ore suo gerens gloriationem signi Dominici, et consequenter serviens Crucifixo, qui vitam omnibus tribuit.

Gregorius discipulos visitat, juvante rege, cujus pietas l E

F

162 Εὐδοκήσας δὲ μάλιστα συνεῖναι τῷ χορῷ τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν, καὶ τοῖς τὸν αὐτοῦ σταυρὸν βαστάζουσιν ἁγίοις, ὅρον ἑαυτῷ ἐξέθετο ἐν νηστείαις καὶ ἀγρυπνίαις καὶ ἀπαύστοις εὐχαῖς καὶ στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, ὅλον τὸν χρόνον ἐκτελέσαι, καὶ πηγὰς δακρύων ἐκφέρειν, δεόμενος τὸν Θεὸν διαπαντὸς ὑπὲρ ἑαυτοῦ τε καὶ τῆς ἰδίας χώρας, τὴν συγχώρησιν ἐκζητῶν, ἵνα μὴ τὰ πρότερα τὰ ἐν ἀγνοίᾳ ἡμαρτημένα αὐτῷ ἀναμνησθῶσιν. Πολλῇ δὲ σπουδῇ ἐν πᾶσι τῇ δυνάμει ὑπακούων τῇ εὐαγγελικῇ διδασκαλίᾳ ὑπετάσσετο, εἰς τὸ δουλεύειν τῷ Θεῷ εὐπρεπῶς καὶ δεόντως. Οὕτως οὖν παιδευθεὶς προέκοπτεν διὰ πάσης εὐθύτητος ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς, ὥστε καὶ αὐτὸν ἤδη ὑπερεκπερισσοῦ τῆς θεϊκῆς διδασκαλίας ἔξαρχον καὶ προστάτην γενέσθαι. Γρηγόριος δὲ ὁ ἅγιος ἀρχιεπίσκοπος μετὰ τοῦ ἁγίου υἱοῦ αὐτοῦ Ἀρωστάκου καὶ συναντιλαμβανομένων αὐτῷ συνεργῶν περινοστήσας τοὺς μαθητευθέντας ἐστήριξεν, ἐμμεῖναι ἐν τῇ ἀληθινῇ διδασκαλίᾳ.

162 Cum autem summopere desideraret interesse choro Christi discipulorum, Sanctorumque ejus crucem bajulantium, sibi ipse præscripsit mensuram in jejuniis, in vigiliis, in assiduis precibus, in gemitibus ineffabilibus, quam omni tempore expleret, simulque fontes lacrymarum effunderet, orans Deum perpetuo pro se et pro regno suo, veniamque efflagitans, ne priora, quæ per ignorantiam commiserat, peccata in memoriam adversus se revocarentur. Multa vero diligentia et totis viribus Euangelicæ doctrinæ se subjiciebat ad serviendum Deo decenter et honeste. Sic ergo institutus proficiebat per omnem justitiam in operibus bonis, ut jam ipse supra quam redundanter divinæ doctrinæ dux præsesque fieret *m*. At sanctus archiepiscopus Gregorius cum sancto filio suo Arostace episcopo, et cum reliquis adjutoribus, quos assumpserat, in circuitu visitavit discipulos, eosque confirmavit ad persistendum in vera doctrina.

et virtus fuse laudatur, et Arostace episcopo.

m

ANNOTATA.

A. AGATHANGELO.

ANNOTATA.

a *Nimirum pro rebus spiritualibus et ecclesiasticis.*

b *Forte exciderint aliquot verba, quibus dicebatur clarius, non alio modo divinam scientiam facilius obtineri,* quam contemplatione in loco solitario. *Aut ultima illa verba omisit, tamquam ex prioribus intelligenda. Certe omnino insinuat, solitarias orationes, meditationes, contemplationes, ad impetrandam rerum divinarum scientiam utilissimas esse; ideoque improbandum non esse, si illi etiam, qui de salute animarum curam habent, subinde se ab hominum societate ad tempus avellant, ut scientiam sibi et aliis profuturam facilius acquirant aut perficiant.*

c *Locus S. Pauli, ex quo ratiocinia sua deduxit auctor, Rom.* 8, ℣ 26 *sic habet latine :* Sed ipso Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Pro* postulat *græce est* ὑπερεντυγχάνει interpellat *aut* intercedit. *Verum locus passim explicatur de Spiritu sancto per gratiam suam ad recta orandum* Similiter autem et Spi- *incitante et orantes juvante, idque colligitur ex præcedentibus Apostoli verbis* · ritus adjuvat infirmitatem nostram *etc. Quare recte ait auctor, excellentiam illius interpellationis S. Spiritus pro nobis ignotam hominibus esse; ne quis crederet, talem esse, qualis est Sanctorum pro nobis intercessio, aut hominum viventium pro aliis. Addit rationem aptam, quod una et æqualis sit Divinitas Patris et Filii et Spiritus sancti.*

d *Forte hic* ὥστε, *vel simile quid omissum. Hinc ad sensum explendum addidi voces,* indeque factum. *An assertum auctoris, quod omnes Armeniæ episcopi ex desertis aut monasteriis venerint, satis fundatum sit, non inquiro.*

e *Jam monui lit.* q *ad cap.* 13, *tantam episcoporum Armeniæ multitudinem prorsus videri improbabilem.*

f Orthaces *nomen scribitur apud Metaphrastem, apud Galanum* Verthanes, *ibique cap.* 4 *ponitur tertius inter archiepiscopos Armeniæ, et fratris sui successor, consentiente Moniero pag.* 76 : E

B *apud Combefisium in sæpe memorata Narratione de rebus Armeniæ tertius archiepiscopus vocatur* Bertanes.

g *Apud Metaphrastem* Arostanes, *apud Galanum cap.* 3 Aristarces, *apud Combefisium* Rostaces.

h *Egregium sane anachoretam descripsit Agathangelus noster, et mox eidem etiam tribuit studium alios docendi et instruendi ad salutem. Nihil ego virtutibus Arostacis, qui successor Patris in primatu Armeniæ fuit, detractum volo. Timeo tamen, ut ille pro sua in comminiscendo audacia magis consideraverit, quid monachum ornaret, quam revera ex documentis didicerit, qualem juvenis Arostaces vitam duxerit.*

i *Vox Græco* προμηνυτὴς *alibi a me non invenitur, sed derivatur a* προμηνύω præsignifico, præmonstro, prænuntio. *Hinc regis* prænuntius *a me dictus.*

k *Non existimo, allegatum Scripturæ locum recte adhiberi, ad probandum patribus substituendos esse filios eorum carnales in regimine ecclesiarum, quod in ecclesia Catholica improbatur. Attamen, si tanta fuit virtus Arostacis, quanta asseritur in hac vita, ea fuerit causa electionis illius, non quod* Gregorii *esset filius ; si ejus revera fuit filius, ut credunt Armeni : nam hoc mihi utcumque dubium apparet, cum quod ea opinio ex hac verisimiliter vita fit orta, tum quod scriptor ex spirituali filio apud Combefisium* Rostaces, *ut ibi vocatur, etiam filius dicitur* Gregorii, *eaque est opinio omnium Armenorum, ut hæc minime videatur neganda, etsi videri possit minus certa.*

l *Mallem dixisset,* post Patrem ; *aut bene cœpta Patris a filio amplificata, et ad majorem perfectionem perducta.*

m *Memorari Teridatem regem in Fastis Armenorum ad* 29 *Novembris, jam ostendi in Commentario num.* 7. *Ad illum ergo diem examinari ulterius poterit cultus ejusdem.*

C

CAPUT XV F

Laus Constantini imperatoris, quem cum Gregorio invisit Teridates : concilium Nicænum, cui interest Gregorii filius : perseverantia Sancti in bono usque ad mortem : fides scriptoris.

Constantinus Magnus, cujus egregia opera a

Cum hæc sic se haberent, illis temporibus imperabant Constantinus, filius Constantii imperatoris, in regione Hispaniarum et Galliarum *a* : credíditque in Deum factorem cæli et terræ, et in Filium ejus Unigenitum, Verbum Dei, et in sanctum Spiritum Divinitatis ejus. Hic collecta immensa multitudine ad mare magnum, quod est Oceanus, de ratione fidei coram omnibus egit, ut uno omnes essent animo, omnes veritati crederent, consono sermone de Deo omnes simul præcepta Dei perficerent, omnesque unius Dei fierent adoratores. Confisus porro de Deo,

Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις ἐβασίλευσεν Κωνσταντῖνος, υἱὸς Κωνσταντίου βασιλέως, ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Σπανίων καὶ Γαλλίων, καὶ ἐπίστευσεν εἰς Θεὸν, τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ εἰς τὸν αὐτοῦ υἱὸν, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, τὸν μονογενῆ, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα τῆς θεότητος αὐτοῦ. Οὗτος συναθροίσας ἄπειρον πλῆθος ἐπὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν, τὴν ἐν τῷ Ὠκεανῷ, τοῦτον τὸν λόγον τὸν περὶ τῆς πίστεως πᾶσι διέθετο, ἵνα ὁμοθυμαδὸν πάντες τῇ ἀληθείᾳ πάντες πιστεύσωσιν, ἐν ἑνὶ θεολόγῳ φθόγγῳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ ἐπιτελοῦντες, ὥστε ἑνὸς Θεοῦ προσκυνητὰς γενέσθαι· καὶ θαῤῥήσας τῷ Θεῷ τὰ τῶν ἑλλήνων

A ἑλλήνων βασιλέων ὥρμησεν, καὶ εὐθέως ἐξολοθρεύσας ἀπώλεσεν πάντας διὰ τῆς δυνάμεως τοῦ δεσποτικοῦ σημείου, τοὺς ἀκαθάρτους καὶ παρανόμους βασιλεῖς, τὸν Διοκλητιανὸν καὶ Μαρκιανὸν καὶ Μαξιμιανὸν καὶ Λικινιανὸν καὶ Μαξέντιον, καὶ πᾶν ἀκάθαρτον γένος τῶν ἐθνικῶν βασιλέων ἐξῆρεν ἐκ μέσου, καὶ ᾠκοδόμησεν ἐκκλησίας, καὶ τὰ κατεστρεμμένα θυσιαστήρια ἔστησεν ἐν τοῖς οἴκοις τοῦ Θεοῦ. Ἐξεδωμάτωσεν δὲ καὶ μαρτύρια, καὶ ἐπλήθυνε τοὺς λειτουργοὺς αὐτῶν, προσέθηκέν τε τιμὴν καὶ τοῖς ἱερεῦσι τοῦ Θεοῦ. Καὶ ἐποίησεν εἰρήνην τοῖς ἐπιγείοις, καὶ ἐξῆρεν ἐκ μέσου τὰ σκάνδαλα, ἵνα μηδεὶς ἐν μηδενὶ προσκόψῃ εἰς τὴν θεϊκὴν πορείαν. Κατέστρεψεν δὲ καὶ τὰ βδέλυκτα ἱερὰ τῶν δαιμόνων, καὶ τοὺς ὑπηρέτας αὐτῶν φυγάδας ποιήσας ἐξήλειψεν. Δῶρα δὲ καὶ τιμὴν ἐχαρίσατο τοῖς ἐν τῇ ἀληθινῇ θεοσεβείᾳ ἐμμείνασιν, καὶ μὴ ἀφισταμένοις τῆς εὐθύτητος.

164 Τούτου οὖν ἕνεκεν ἐχαρίσθη αὐτῷ νίκη πρὸς πάντας. Ἀνεδέξατο γὰρ εἰς αὐτὸν καὶ τὸ σημεῖον, τὸ τοῦ ἀεὶ νικῶντος σταυροῦ, καὶ τὰ προστάγματα τῆς ἀληθινῆς ἐντολῆς, καὶ ἐμμένειν ἐν τῇ ἑδραίᾳ πίστει τοῦ κυρίου ἐπηγγείλατο, καὶ ταύτην διὰ γραμμάτων εἰς τὴν οἰκουμένην ἥπλωσεν. Ἐξέπληξεν δὲ πάντας τῇ ἀνικήτῳ δυνάμει διὰ τῆς φωτοφόρου πίστεως, καὶ εὐσε-
B βῶς τῷ δεσπότῃ αὐτοῦ προκείμενος διετέλεσεν. Οὕτως ὑπερισχύσας ἐφυγάδευσε τὴν στρατιὰν τοῦ σκότους, καὶ ἀνώτερος πάντων ἐγένετο. Τοὺς δὲ ὑποταγέντας τῇ προσκυνήσει τῆς ἀληθείας, ὡς φίλους, μετὰ πλείστης τιμῆς οἰκείους ἑαυτῷ ἐποίει, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ πάντων τῶν ἀνθρώπων δυνατώτερος εὑρεθείς, τὴν ἰδίαν βασιλείαν παρὰ τοῦ Θεοῦ δεδομένην ὄντως βασιλείαν ἡγεῖτο. Ἐπὶ τοσοῦτον δὲ προέκοψεν ἐν τῇ εὐαρεστήσει τοῦ Θεοῦ, ὥστε πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγγέλων ὑπηρετεῖσθαι, καὶ τὸ σημειόχριστον διάδημα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς κατὰ πρωῒ ἐπιτιθέναι. Οὕτως θεωρῶν οὐράνιον ἄγγελον τῇ ἰδίᾳ ὑπηρεσίᾳ ὁ μακαρίτης, ποθεινότατος πᾶσιν ἐγένετο ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς Κωνσταντῖνος· ὃς καὶ τὴν ἰδίαν ἁλουργίδα τῷ Χριστῷ προσανέθηκε. Διὰ γὰρ τῆς ἐνούσης αὐτῷ θεοσεβείας πάντας ὑπερνικήσας, ἔστησε τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἐν πίστει, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις ἐβεβαίωσε τὴν ἀληθινὴν πίστιν.

165 Τούτων δὲ ἀκουστῶν γενομένων ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ, καὶ ἐν τῷ παλατίῳ τῆς βασιλείας τῶν Ἀρσακιτῶν πρὸς Τηριδάτιον βασιλέα τῆς μεγάλης Ἀρμενίας, πολλὴν εὐχαριστίαν προσενέγκας τῷ Θεῷ, μετὰ πλείστης χαρᾶς καὶ εὐφροσύνης εὐλόγησεν τὸν κύριον, ὅτι ἐν πάσῃ τῇ γῇ δοξάζηται τὸ πανάγιον αὐτοῦ ὄνομα.
C Ὅτι οὖν ἤκουσε τοιαῦτα ὁ βασιλεύς, ἐβουλεύσατο μετὰ σπουδῆς πορευθῆναι πρὸς αὐτόν, καὶ ἕτοιμος γενόμενος παραλαμβάνει τὸν μέγαν ἀρχιεπίσκοπον Γρηγόριον, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀρωστάκην ἐπίσκοπον, καὶ ἀπὸ τῶν περὶ αὐτῶν ἐνδόξων τοὺς τέσσαρας τιμιωτάτους τοῦ ἰδίου παλατίου, τὸν πρῶτον τοποκράτορα ἀπὸ Νορσιρέων μερῶν, τὸν δεύτερον τοποκράτορα ἀπὸ τῶν τῆς Ἀσσυρίας μερῶν, τὸν δὲ τρίτον ἀπὸ τῶν Ἀρουαστῶν μερῶν, τὸν δὲ τέταρτον ἀπὸ τῶν Μασαχοῦ τῶν Οὔννων μερῶν, καὶ τὸν μέγιστον ἄρχοντα τοῦ οἴκου τῶν λεγομένων Ἀγγελιτῶν, καὶ τὸν στέφοντα τὸν βασιλέα ἄρχοντα, Ἄσπετ λεγόμενον, καὶ τὸν στρατοπεδάρχην τὸν μέγαν, καὶ τὸν ἄρχοντα Μακιτῶν, καὶ τὸν ἄρχοντα Συνιστῶν, καὶ τὸν ἄρχοντα Ῥεστουνιτῶν, καὶ ἀπογράφοντα ἄρχοντα, καὶ τὸν ἐνάρχην σαπιανῶν, καὶ τὸν ἄρχοντα Πασκαπετέων, καὶ πλείστους τῶν ἄλλων μεγάλων, καὶ ἑβδομήκοντα χιλιάδας ἐκλεκτῶν στρατοπέδων.

166 Ἐξελθὼν οὖν Ἀραρὰτ τῆς πατρίδος, καὶ οὐαλαρσαπὰτ τῆς πόλεως, ἐπέρασεν εἰς τὰ μέρη τῆς Ἰωνίας. Πολλὰς δὲ ἡμέρας διανύσας, ἐν πλείστῃ εὐφροσύνῃ καὶ τιμῇ καὶ ἑτοιμασίᾳ κατὰ τὰς πόλεις ὑπὸ πάντων τῶν ἀρχόντων μετὰ μείζονος ὑποδοχῆς, διὰ γῆς τε καὶ θαλάσσης ἐπειγόμενος, ἔφθασεν ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἰταλῶν, εἰς τὴν βασιλεύουσαν πόλιν τῶν Ῥωμαίων· καὶ περὶ

imperatorum gentilium *b* ditionem invasit : et brevi tempore per virtutem signi Dominici penitus exterminavit immundos et injustos imperatores, Diocletianum *c*, et Marcianum *d*, et Maximianum *e*, et Licinianum *f*, et Maxentium, omneque immundum gentilium imperatorum genus *g* de medio sustulit : et ædificavit ecclesias, altariaque eversa in Dei ædibus erexit. Construxit similiter sacras Martyrum ædes, earumque ministros multiplicavit ; et Dei sacerdotum auxit honorem. Pacem terræ tribuit, et offendicula e medio abstulit, ut nullus ulla in re laberetur contra institutum divinum. Evertit autem et abominanda sacra *h* dæmonum, eorumque ministros fugatos obliteravit. Dona vero et honorem impertiebat illis, qui in vero Dei cultu permanserant, et a via recta non erant aversi.

164 Horum ergo causa eidem contra omnes data est victoria. Nam ille acceperat signum crucis semper vincentis, veræque legis præcepta ; et pollicitus est se mansurum in firma Domini fide, et hanc litteris *i* per orbem declaravit. Omnes autem ottonitos reddidit insuperabili virtute fidei luciferæ, et pie Domino suo subjectus vitam traducebat. Sic supra modum confortatus agmen tenebrarum fugabat, et omnibus fiebat E
major. Illos vero, qui se veritatis cultui subjecerant, tamquam amicos, maximo cum honore familiares sibi faciebat, et hoc modo omnibus hominibus factus potentior, imperium sibi a Deo datum, vere imperium existimabat. Tantum vero proficiebat in gratia Dei, ut omnibus diebus vitæ suæ angelos *k* haberet sibi ministrantes, et diadema Christi signo distinctum matutino tempore capiti suo imponentes. Cum autem religiosissimus imperator Constantinus ita paratum ad sibi ministrandum perspiceret cælestem angelum, beatus ille omnibus factus est desideratissimus : qui et purpuram suam Christo obtulit. Cum enim pietate sibi insita omnes superaret, per fidem imperium suum constituit, et in omnibus ecclesiis veram fidem stabilivit.

165 Ubi hæc innotuerant in regione Armenorum, et in palatio regni Arsacidarum Teredatio regi magnæ Armeniæ, multis Deo gratiis actis, maxima cum lætitia et exsultatione benedixit Domino, quod in omni terra glorificaretur sacrosanctum nomen ejus. Quando igitur talia rex audivit, consilium cepit ipsum studioso invisendi : F
factusque ad iter *l* paratus comites assumpsit magnum Archiepiscopum Gregorium *m* et filium ejus Arostacen episcopum, et ex viris apud se honoratis quatuor palatii sui honoratissimos : primum Norsireorum tractus præfectum, secundum Assyriæ partium præfectum, tertium tractis Aruastarum, quartum Masachi partium Hunnorum ; et principem primum domus eorum, qui nominantur Angelitæ ; et principem, qui diadema regi imponit, Aspet vocatum ; et magnum castrorum præfectum ; et ducem Macitarum, et ducem Sygistarum, et ducem Restunitarum, et scribam principem, et præfectum gentis Sapianarum, et præfectum Pascapeteorum ; plurimosque ex aliis magnatibus, et septuaginta *n* millia electorum militum.

166 Egressus ergo a provincia Ararat et civitate Valarsapat, transivit in provinciam Ioniæ. Multos autem transigens dies, magna cum voluptate, honore et apparatu in civitatibus ab omnibus præfectis una cum majore susceptione exhibitis, per terram et mare festinans, pervenit in provinciam Italicam, et in dominantem urbem

A *Agathangelo.* *b* *cd* *ef* *g* *h*
et pietas laudantur. Romanum obtinet imperium *i* *k*
et innot scil Teridati, qui statuit illum invisere *l* *m* *n*
Romamque profectus,

A. Agathangelo.

urbem Romam: et hac de re nuntius quamprimum delatus est ad palatium imperiale *o*. Ubi id intellexerat religiosissimus imperator et regum omnium honoratissimus Constantinus, et Archiepiscopus, qui in eius palatio semper versabatur, nominatus Eusebius *p*, maximo cum honore et amore egressi sunt in occursum eorum, et in eadem illa orbis instar urbe præpararunt hospitia, ut requiesceret post iter longissimum. Cum autem miraretur Dei amantissimus imperator Constantinus, interrogabat regem Teredatium, dicens: Quo modo Dei mirabilia in te facta sunt, frater? Ille vero omnia coram imperatore accurate enarravit, nimirum exhibitam a Deo misericordiam, pœnamque inflictam, qua formam jumentorum induerant, sine pudore referens, et tolerantiam Martyrum coronatorum, omniaque facta enucleate exponens: adstantem vero magnum Gregorium imperatori ostendens, Hic est, inquiebat, Vir ille, per quem cognovimus misericordiam Dei; narrabatque Viri fortitudinem ac patientiam, signaque et miracula per eum patrata.

egit cum Constantino.

B 167 Quapropter supra modum miratus, et humilians se divinissimus imperator, procidit ad pedes sancti Gregorii, ut sibi bene precaretur, ipsum vero decenter honorans, ut Christi Confessorem. Regem quoque Teredatium digne excepit fraterno osculo, eumque dilexit ut fratrem germanissimum et unanimem, maxime quod videret Christi amantem. Fœdus *q* quoque cum eo inivit, fidem in Dominum nostrum Jesum Christum interponens, ut indesinenter amicitia inter regna eorum usque ad finem conservaretur. Abundantius etiam confirmavit regem Armeniæ in confessione sanctissimæ Trinitatis. De sanctissimis autem Dei Martyribus narravit Constantinus magnus imperator, quo modo vixissent, quandu erant in ditione Rumana, qua ratione olim cognovisset eorum vivendi modum Deo gratum; quodque, cum eius essent consanguineæ *r*, omnia simul pro Christo reliquissent. Narravit victoriam sibi a Deo datam de omnibus veritatis inimicis, quo omnes superavisset modo; eidemque dixit: Scito, frater, quod Deus in omni terra ostendat misericordiam dominationis suæ, ut ipsum omnes creaturæ eius agnoscant, fiantque cultores veritatis: tales enim vult adoratores.

donaque pro Sanctis Martyribus accipit, et defert in Armeniam.

C 168 Post hæc majoribus decore honorati donis, cum ex rebus imperatoris, tum ab ecclesiis, tum a præcipuis Urbis principibus, summa cum benevolentia valedixit divino Augusto. Accepta etiam salutatione benevola ab Archiepiscopo Ecclesiæ *s*, et ab honoratissimis principibus, egressus est cum omni honore. Cum autem ipsos elevassent in currus auro distinctos, jubente sic imperatore, honorifice deduxerunt *t* in viam regiam. Ubi vero in omnibus civitatibus magnificentissimi apparuerant, et pro regia dignitate ab omnibus fuerant honorati, pervenerunt in regionem Armeniæ, in provinciam Ararat, in urbem Valarsapat, ubi erant sepulcra Martyrum. Afferebant autem obtenta dona, aurum et argentum, vasaque pretiosissima, ut ea offerrentur in ministerium Ecclesiæ Dei, et oratoriorum Martyrum. Dedit autem magnus imperator in honorem Martyrum etiam ornamenta aurea: hi vero et obtulerunt, eaque oratoria magis, quam propriam ecclesiam, exornarunt. At magnus Gregorius cœpit invisere discipulos, eosque vera prædicatione magis confirmare.

D τοῦτο παραυτίκα ἐμηνύθη ἐν τῷ βασιλικῷ παλατίῳ. Ἀκούσας δὲ ὁ θεοσεβέστατος βασιλεὺς καὶ τιμιώτατος τῶν βασιλέων Κωνσταντῖνος, καὶ ὁ ἀρχιεπίσκοπος, εἰσπορευόμενος ἐν τῷ αὐτοῦ παλατίῳ πάντοτε, ὁ καλούμενος Εὐσέβειος, μετὰ μεγίστης τιμῆς καὶ ἀγάπης ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν αὐτῶν, καὶ ἑτοίμασαν ξενία ἐν τῇ αὐτῇ οἰκουμένῃ πόλει, ὅπως ἀναπαύσηται ἀπὸ τοῦ μήκους τῆς ὁδοιπορείας. Θαυμάσας οὖν ὁ θεοφιλέστατος καῖσαρ Κωνσταντῖνος, ἐπηρώτα τὸν βασιλέα Τηρηδάτιον, λέγων· πῶς πρὸς σὲ τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ γέγονεν, ἀδελφέ; ὁ δὲ διηγήσατο πάντα ἀκριβῶς ἐπὶ τοῦ καίσαρος, τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ γεγενημένην φιλανθρωπίαν, καὶ τὴν τιμωρίαν τοῦ γενέσθαι ἐν μορφῇ κτηνῶν, ἀνεπαισχύντως ἐξαγγείλας, καὶ τὴν ὑπομονὴν τῶν ἀθλοφόρων μαρτύρων, καὶ πάντα τὰ πεπραγμένα λεπτομερῶς ἐξειπών· καὶ τὸν παρεστῶτα μέγαν Γρηγόριον ἐπὶ τοῦ καίσαρος ἀποδεικνύων, οὗτός ἐστιν, ἔφη, ὁ ἀνήρ, δι' οὗ ἡμεῖς ἔγνωμεν τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ περὶ τοῦ ἀνδρὸς καρτερίας καὶ ὑπομονῆς, καὶ τῶν σημείων καὶ θαυμάτων δι' αὐτοῦ γενομένων.

167 Διὸ ὑπερθαυμάσας ὁ θειότατος καῖσαρ Κωνσταντῖνος, καὶ ταπεινώσας ἑαυτόν, ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, ἵνα εὐλογηθῇ παρ' αὐτοῦ· πρεπόντως δὲ αὐτὸν τιμήσας, ὡς τοῦ Χριστοῦ ὁμολογητήν. Ἀξίως καὶ τὸν βασιλέα Τηρηδάτιον ἀδελφικῷ φιλήματι προσεδέξατο, καὶ ἠγάπησεν αὐτόν, ὡς γνησιώτατον ἀδελφόν, καὶ ὁμόψυχον, μάλιστα θεωρῶν αὐτὸν φιλόχριστον· καὶ διαθήκην πρὸς αὐτὸν διέθετο, μεσίτην ποιησάμενος αὐτῶν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστιν, ὅπως ἀπαραλείπτως ἡ φιλία μεταξὺ τῆς βασιλείας αὐτῶν εἰς τέλος διατηρηθείη· καὶ περισσῶς ἐβεβαίωσε τὸν βασιλέα τῆς Ἀρμενίας ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς ἁγίας τριάδος. Περὶ δὲ τῶν παναγίων τοῦ Θεοῦ μαρτύρων Κωνσταντῖνος ὁ μέγας καῖσαρ διηγήσατο, πῶς ἐν ῥωμίᾳ οὖσαι ἐβίωσαν, καθὼς πάλαι περὶ αὐτῶν ἐπίστατο τὴν εὐάρεστον αὐτῶν τῷ Θεῷ πολιτείαν, καὶ πῶς συγγενίδες αὐτοῦ ὑπάρχουσαι, πάντων ἐμοῦ διὰ τὸν Χριστὸν κατεφρόνησαν. Ἐξεῖπεν δὲ αὐτῷ καὶ τὴν νίκην τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ παρὰ τοῦ Θεοῦ πρὸς πάντας τοὺς ἔχθρους τῆς ἀληθείας, πῶς πάντων περιεγένετο, καὶ φησιν πρὸς αὐτόν. Γίνωσκε, ἀδελφέ, ὅτι ὁ Θεὸς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἀποδείκνυσι τὸ ἔλεος τῆς δεσποτείας αὐτοῦ, ὅπως πάντα τὰ ποιήματα αὐτοῦ γνώσωνται αὐτὸν καὶ γένωνται προσκυνηταὶ τῆς ἀληθείας· τοὺς γὰρ τοιούτους προσκυνητὰς βούλεται. E

168 Μετὰ δὲ ταῦτα τιμηθέντες πρεπόντως ἀπὸ τῶν βασιλικῶν, καὶ τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ τιμιωτάτων ἀρχόντων τῆς πόλεως ἐν δώροις μείζουσι, μετὰ πολλῆς εὐνοίας συνετάξατο τῷ θείῳ Αὐγούστῳ. Δεξάμενος δὲ ἀσπασμὸν καὶ ἀπὸ τοῦ ἀρχιεπισκόπου τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων ἀρχόντων, ἐξῆλθεν μετὰ πάσης τιμῆς. Ἀναβιβάσαντες δὲ αὐτοὺς ἐν χρυσεμπάστοις ἅρμασιν, κελεύσαντος τοῦ καίσαρος οὕτως, προεπέμποντο εὐπρέπως ἐπὶ τὴν βασιλικὴν ὁδόν. Λαμπρότατοι δὲ φανέντες πάσαις ταῖς πόλεσι, καὶ κατὰ τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα κατὰ πάντων τιμηθέντες, ἔφθασαν εἰς τὴν τῶν Ἀρμενίων χώραν, ἐν πατρίδι Ἀραράτ, ἐν πόλει Οὐαλαρσαπάτ, ἔνθα τὰ κοιμητήρια ἦν τῶν μαρτύρων, φέροντες καὶ τὰ παρασχεθέντα δῶρα, χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ τιμιώτατα σκεύη, ἐπὶ τῷ ἀναθέσθαι τῇ ὑπηρεσίᾳ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ τοῖς εὐκτηρίοις τῶν μαρτύρων. Ἔδωκεν δὲ καὶ ὁ μέγας καῖσαρ εἰς τιμὴν τῶν μαρτύρων χρυσᾶ κειμήλια, οἱ δὲ καὶ προσανέθηκαν, καὶ πλέον τῆς ἰδίας ἐκκλησίας ἐκόσμησαν. Ὁ δὲ μέγας Γρηγόριος ἤρξατο περινοστεῖν τοὺς μαθητευομένους, καὶ ἐπὶ πλεῖον αὐτοὺς στηρίζειν τῷ ἀληθινῷ κηρύγματι. F

169

A 169 Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, μετὰ ταῦτα ἐκέλευσεν ὁ μέγας καίσαρ αὐγοῦστος Κωνσταντῖνος σύνοδον πάντων τῶν ἐπισκόπων γενέσθαι ἐν τῇ Νικαιαίων πόλει. Τότε ὁ μέγας βασιλεὺς Τηρηδάτιος καὶ ὁ ἅγιος καὶ καθολικὸς Γρηγόριος παρασκευάσαντες ἀπέστειλαν τὸν Ἀρωστάκην ἐπίσκοπον, υἱὸν δὲ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου παραγενέσθαι ἐν τῇ Νικααίων πόλει μετὰ πάντων τῶν ἐπισκόπων, ἔνθα πάσῃ οἰκουμένῃ ἐξεδώθη ἡ ἀληθινὴ παράδωσις τῆς πίστεως, καὶ διατάξεις τῶν φωτοφόρων κανόνων, δεδομέναι εἰς εὐαρέστησιν τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου. Ἐν ταύτῃ τῇ συνόδῳ εἰσελθὼν ὁ μεγὰς καίσαρ Κωνσταντῖνος, ὡμολόγησε τὴν ὀρθὴν πίστιν, καὶ παρὰ πάσης τῆς συνόδου εὐλογηθεὶς καὶ στεφθεὶς, τὸ ἐπαίνετον ὄνομα ἐν τῇ γῇ κατέλειπεν, καὶ τὴν δικαιοσύνην ἐν τῷ οὐρανῷ προέπεμψεν. Ὁ δὲ μακαριώτατος Ἀρωστάκης ἤρχετο ἐλλαμφθεὶς ἀπὸ τῆς πίστεως τῆς ἁγίας καὶ θεοπρεπεστάτης συνόδου σὺν τοῖς κανόσι τῶν Νικααίων. Ἔφθασε δὲ ἐν τῇ τῆς Ἀρμενίας χώρᾳ, καὶ προσήνεγκε τῷ βασιλεῖ καὶ τῷ ἁγίῳ ἀρχιεπισκόπῳ τὴν ἐνεχθεῖσαν παράδωσιν. Ἐν ταύτῃ οὖν τῇ πίστει ὁ ἅγιος Γρηγόριος καὶ τοῖς κανόσι φωτίσας τὴν κληρωθεῖσαν αὐτῷ χώραν τῆς Ἀρμενίας, συμπράττοντος δὲ καὶ τοῦ βασιλέως Τηρηδάτου, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ ἐφωταγώγησε πάντας.

B 170 Ἔπειτα δὲ ὑψηλοτέρως κατηχήσαντος τοῦ μακαρίου Γρηγορίου ἐν πλείστοις λόγοις δυσερμηνεύτοις καὶ παραβολαῖς βαθείαις, καὶ εὐακούστως διὰ τοῦ πολυνοήμονος χαρίσματος, ἀπὸ τῆς δυνάμεως τῶν προφητικῶν πλήσης πάντος γεύματος θεϊκοῦ, ῥυθμίσας, κατὰ τὴν ἀληθινὴν καὶ εὐαγγελικὴν πίστιν ἐξέθετο. Πολλὰ δὲ αἰνιγματωδῶς ἀπὸ τοῦ φθαρτοῦ κόσμου λαβὼν, ἐπὶ πλεῖον ἀπέδειξε τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως, πρὸς τὰ μέλλοντα εὐτρεπίζων πάντας, καὶ πείσας εὐχερῶς δέξασθαι τοῖς τῇ ἀγνοίᾳ καὶ σαρκικοῖς φρονήμασι κατεχομένους, ὅπως νήψωσι καὶ ἐνδυναμωθῶσιν διὰ τῆς περισσοτέρας προθυμίας, καὶ εὐραῖοι γένωνται ἐπὶ τὸ βεβαιῶσαι τῶν εὐαγγελικῶν ἀγαθῶν τοὺς δρόμους. Τὴν δὲ ἐπιστασίαν τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν χάριτι Χριστοῦ ἐλλείπων ἔφερεν, καὶ πλέον ἐσπούδαζεν πάντας προτρέπων εἰς ἀγαθοεργίαν, νυκτός τε καὶ μεθ᾽ ἡμέραν ἐν νηστείαις καὶ εὐχαῖς καὶ ἀπαύστοις δεήσεσιν, μετὰ μεγάλης τῆς φωνῆς τὰ θεϊκὰ προστάγματα ὑπομιμνήσκων, καὶ πάντα ἄνθρωπον ἀσφαλιζόμενος· καὶ οὐκ ἔδωκεν ὕπνον ὀφθαλμοῖς, οὐδὲ νυσταγμὸν τοῖς βλεφάροις, οὐδὲ ἀνάπαυσιν τοῖς κροτάφοις, μέχρις ἔφθασεν τὴν τοῦ κυρίου κλῆσιν.

C 171 Οὕτως μετὰ τοῦ βασιλέως καὶ πάντων τῶν μαθητῶν τὸν πάντα αὐτῶν χρόνον τοῖς ἀναγνώσμασι σχολάσαντες τῆς θείας γραφῆς, νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν αὐτοῖς ἤνθουν, καὶ κερδήσαντες πάντα, τύπον ἀγαθὸν τοῖς φιλομαθέσι κατέλειπον, ἔχοντες θεϊκὰς παραγγελίας εἰς ἀσφάλειαν ἡμῶν· ὧν ἡ μὲν πρώτη διατάττει, ἐν τῷ νόμῳ κυρίου μελετᾷν νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Ἡ δὲ δευτέρα ὁμοίως παρακελευέται, προσέχειν τῇ ἀναγνώσει καὶ τῇ παρακλήσει καὶ τῇ διδασκαλίᾳ· μὴ ἀθέτει, φησὶ, τὴν ἐν σοι χάριν. Ἐν ταύτῃ ἴσθι καὶ μελέτα, ἵνα σου ἡ προκοπὴ πᾶσι φανερὰ γένηται. Πρόσεχε σεαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, καὶ ἐν αὐτῇ χρονήσεις. Τοῦτο γὰρ ποιῶν σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ὑπακούοντάς σου. Τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ Ἀποστολικῶς διάγων, ἠκολούθη τοῖς παραγγέλμασι τῶν παραδεδωκότων. Τοῦτο ποιήσας μετὰ τῆς τελευτῆς αὐτοῦ ἐν πάσῃ ψυχῇ ἐγκατέθετο τὴν τοῦ Χριστοῦ φωταγωγοῦσαν ἀγάπην.

172 Ὑμεῖς δὲ, καθὼς ἐδεξάμεθα τὴν διάταξιν τοῦ σου κράτους, ἄριστε βασιλέων Τηρηδάτιε, συγγράφειν τὰ ὑπομνήματα, ὡς χρήστους χρονογραφείας τόμους, διελύψαμεν, καὶ κατὰ τὸν τύπον τῆς ἑλληνικῆς παιδεύσεως ἀκολούθως τὰ πάντα συνεγραψάμεθα. Προσε-

169 Hisce sic se habentibus, postea magnus cæsar augustus Constantinus jussit concilium omnium episcoporum congregari in urbe Nicæa. Tunc magnus rex Teredatius et sanctus et catholicus Gregorius, facta præparatione, miserunt Arostacen *u* episcopum, filium sancti Gregorii, ut cum omnibus episcopis adesset in urbe Nicæa, ubi toti mundo edita est vera fidei traditio, conditaque dispositio canonum luciferorum, ambæ ad placendum Deo altissimo. Hoc ingressus concilium magnus imperator Constantinus, confessus est rectam fidem, et ab omni concilio faustis precationibus honoratus et coronatus, laudabile nomen in terra reliquit, et justitiam præmisit in cælum. At beatissimus Arostaces, illustratus fide sancti divinique concilii, venit cum canonibus Nicænorum Patrum: pervenitque in Armeniam, ac regi et sancto Archiepiscopo attulit stabilitam traditionem. Hac igitur fide hisque canonibus sanctus Gregorius illuminavit commissam sibi Armeniæ regionem, rege Teredatio opem afferente, et sic omnibus vitæ suæ diebus lumen omnibus attulit.

A. AGATHANGELO

Arostaces Gregorii filius adest concilio Niceno:

u

E

Sanctus vero pergit suos diligenter instruere.

170 At deinde sublimius instruere cum cœpisset beatus Gregorius, multaque interpretatu difficilia et parabolas obscuras adhibere, per gratiam mentis multa intelligentis, quod virtute rerum propheticarum plenus esset omni gustu divino, verbis captu facilibus ea investigabat, et secundum veram et Euangelicam fidem exponebat. Cum multa etiam ænigmatice a corrupto mundo assumeret, spem resurrectionis pluribus demonstrabat, omnes ad futura recte convertens, dextereque eos, qui ignorantia et carnalibus desideriis erant detenti, inducens ad recipiendam doctrinam, ut vigilarent majorique alacritate confirmarentur, stabilesque fierent ad firmandos cursus bonorum Euangelicorum. Principalem vero ecclesiarum curam, gratia Christi *x* deficiens gerebat, magisque diligenter omnes adhortabatur ad exercitium bonorum operum, idque noctu et in die, in jejuniis et orationibus et assiduis obsecrationibus, magna voce res divinas commemorans, et omnem hominem muniens. Et non dedit somnum oculis, neque palpebris dormitationem, neque requiem temporibus suis, donec pervenerit ad vocationem Domini.

x

E

et pietatis opera exercere usque ad mortem.

171 Sic cum rege *y* et omnibus discipulis omni tempore, vacantes lectionibus divinæ Scripturæ, in iis nocte et die florebant, lucrumque ex omnibus capientes, bonum exemplar discere cupientibus reliquerunt, habentes divina præcepta ad securitatem nostram. Horum primum jubet, in lege Domini meditari nocte ac die. Secundum similiter jubet, attendere lectioni, exhortationi et doctrinæ. Noli negligere, inquit, gratiam, quæ in te est. In hac esto et meditare, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt. Hoc ergo modo omnes vitæ suæ dies Apostolice transigens, sequebatur præcepta eorum, qui ea tradiderant. Cum vero ista fecisset, post obitum suum *z* tota anima sua consecutus est illuminantem Christi amorem.

y

I *Tim.* 4 1.

z

172 Nos vero, quemadmodum accepimus præceptum potentiæ tuæ, optime regum Teredati, conscribendi commentarios, velut utiles descriptionis temporum tomos disposuimus, et ad similitudinem eruditionis Græcæ, omnia consequenter

Conclusio auctoris.

A AGATHANGELO.

sequenter conscripsimus. Attendimus tamen etiam veluti in speculum intuiti, ad divinam traditionem, et ad præceptum magno Moysi datum, qui, cum adfuisset omnibus rebus gestis, divina præcepta scriptis tradidit, ut observarentur ab iis, qui venturi essent futuris seculis: consequenter et ad alios prophetas, quibus Deus præcepit: Sume tibi librum novum grandem, et scribes in eo stilo scribæ. Et alibi: Scribe hanc visionem in tabulis et in libro, ut legentes cum libertate legant. At sanctus David disertis verbis, de omnibus gentibus loquens, hæreditatem divinorum præceptorum ostendit, dicens: Scribatur hæc in generatione altera, et Dominus narrabit in scriptura populorum. Quod Christus Servator noster, ubi venerat, implevit divina gratia: Exite, inquiens, ad omnes gentes, et prædicate Euangelium hoc in orbe terrarum. Unde et Beatissimus, Dei fiducia repletus, studiose ostendit, operationem suam Euangelio conformem.

Isa. 8. 1
Habac. 2. 2

fidem suam in scribendo commendantis.

173 Nunc vero exemplari conscripto finem demum imponamus, qui non ex antiqua fama novimus, quæ consequenter scripsimus, sed, B cum ipsi adfuerimus, rerum gestarum facti sumus spectatores *aa* et doctrinæ traditæ auditores. Cum autem Euangelicorum præceptorum simus ministri, non sermone nostro fabulose mendacia *bb* comminiscentes; sed plurima brevitatis gratia prætermittentes, insignioribus usi sumus, ex utilioribus collecta compositione. Quod quidem non nobis tantum, o rex, sed ubi tomus coram potestate tua lectus fuerit, ubique fiet manifestum. Neque enim idonei eramus ad omnia, quæ peracta sunt a sanctis, singulatim exponenda: sed ad illud, quod facilius, necessarium et suavissimum est, more Apostolico consilium nostrum deflexímus, quemadmodum et sanctus Lucas, plurima sanctorum Apostolorum opera minutatim exponere prætermittens, necessaria et utilissima enarravit. Unde et nos simili modo exposuimus, non in honorem Electorum Christi, qui vivificæ crucis gloriationibus innotuerunt et honorati sunt, sed ad exemplar fortitudinis spiritualium filiorum, qui erudientur in variis generationibus secundum spiritualem Psalmistam, qui dicit: Sicut mandatum est patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognuscat C generatio altera: filii, qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant, ne fiant sicut patres eorum: sed ut ipsi ad Conditorem loquentes, dicant: Dominus Deus noster es tu: et ipse dicat: Populus meus vos estis. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

aa

bb

σχηκότες δὲ καί, ὡς ἐν ἐσόπτρῳ, τῇ θεϊκῇ παραδώσει D
καὶ τῇ δεδομένῃ ἐντολῇ τῷ μεγάλῳ Μωυσεῖ, ὅστις πα-
ραγενόμενος περὶ πάντων τῶν γενομένων πραγμάτων,
τὰ θεϊκὰ προστάγματα παρέδωκεν διὰ τῆς συγγραφῆς
εἰς τήρησιν τῶν ἐν τοῖς μετέπειτα αἰῶσιν ἐρχομένων·
ἀκολούθως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις προφήταις, οἷς ὁ Θεὸς
ἐτάξατο· λάβε σεαυτῷ λέγων τόμον νέον μέγαν, καὶ
γράψεις ἐν αὐτῷ γραφίδι γραμματέως, καὶ ἀλλαχοῦ·
γράψον τὴν ὅρασιν ταύτην ἐν πλάξιν καὶ ἐν βιβλίῳ,
ἵνα οἱ ἀναγινώσκοντες παῤῥησίᾳ ἀναγνώσωνται· ὁ δὲ
ἅγιος Δαβὶδ ῥητῶς περὶ πάντων τῶν ἐθνῶν τὸν κλῆρον
τῶν θείων προσταγμάτων σημαίνει, φάσκων· γραφείτω
αὕτη εἰς γενεὰν ἑτέραν, καὶ κύριος διηγήσεται ἐν γραφῇ
λαῶν. Ὅπερ ἐλθὼν ἐπλήρωσεν Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν
διὰ τῆς θεϊκῆς χάριτος· ἐξέλθετε λέγων εἰς πάντα ἔθνη,
καὶ κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ὑποκάτω τοῦ οὐρα-
νοῦ. Ὅθεν καὶ ὁ μακαριώτατος τῇ ἐλπίδι τοῦ Θεοῦ
ἐμπλησθεὶς ἐν σπουδῇ ἐφανέρωσε κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον
τὴν αὐτοῦ ἐργασίαν.

173 Νῦν δὲ κατὰ τὸν τύπον τὸν γεγραμμένον ἐπὶ
τέλει καταπαύσωμεν, οὐκ ἐκ παλαιᾶς φήμης ἐγνωκό-
τες, ἃ συνεγραψάμεθα ἀκολούθως, ἀλλ' οἷς ἡμεῖς πα-
ρεστάμενοι, θεαταὶ ἐγενόμεθα τῶν πεπραγμένων ἔργων, E
καὶ ἀκροαταὶ τῆς κεχαριτωμένης διδασκαλίας, καὶ
ὑπηρέται τῶν εὐαγγελικῶν προσταγμάτων, οὐ ψευδολο-
γήσαντες μυθωδῶς ἐκ τῶν ἡμετέρων λόγων, πλεῖστα
δὲ καταλείποντες τῇ συντομίᾳ, τοῖς ἐπισημοτέροις ἐχ-
ρησάμεθα, συλλέξαντες τῶν χρησιμωτέρων τὴν σύνθε-
σιν· ὅπερ οὐχ ἡμῖν μόνοις, ὦ βασιλεῦ, ἀλλ' ὅταν καὶ
ἐπὶ τοῦ σου κράτους ὁ τόμος ἀναγνωσθῇ, πάντη ἔκδη-
λον γενήσεται. Οὐδὲ γὰρ ἱκανοὶ ὑπήρχομεν πάντα τὰ
πεπραγμένα παρὰ τῶν ἁγίων καθ' ἓν ἐπισημάνεσθαι,
ἀλλ' εἰς τὸ εὐχερέστερον καὶ ἀναγκαῖον καὶ ἥδυτατον,
ἀποστολικῶς τὴν προαίρεσιν ἐξεδώκαμεν, ὡς καὶ ὁ ἅγιος
Λουκᾶς τὰ πλεῖστα τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἔργα παρεὶς
λεπτομερῶς ἐκθέσθαι, τὰ ἀναγκαῖα καὶ ὠφελιμώτατα
ἐξηγήσατο. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς καθ' ὁμοιότροπον ἐξεθέμεθα
οὐκ εἰς τιμὴν τῶν ἐκλεκτῶν τοῦ Χριστοῦ, οἳ διὰ πάν-
των τῶν καυχημάτων τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ γνωρι-
σθέντες ἐτιμήθησαν, ἀλλ' εἰς τύπον θάρσους τῶν πνευ-
ματικῶν γεννημάτων, τῶν μελλόντων μαθητευθῆναι ἐν
διαφόροις γενεαῖς κατὰ τὸν πνευματικὸν ψαλμῳδόν, τὸν
λέγοντα· καθὼς ἐνετείλατο τοῖς πατράσιν ἡμῶν τοῦ
γνωρίσαι αὐτὰ τοῖς υἱοῖς αὐτῶν, ὅπως γνῷ γενεὰ ἑτέρα,
υἱοὶ τεχθησόμενοι καὶ ἀναστήσονται, καὶ ἀναγγελοῦσιν
αὐτὰ τοῖς υἱοῖς αὐτῶν, ἵνα θῶνται ἐπὶ τὸν Θεὸν τὴν
ἐλπίδα αὐτῶν, καὶ μὴ ἐπιλάθωνται τῶν ἔργων τοῦ F
Θεοῦ, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ ἐκζητήσωσι, ἵνα μὴ γέ-
νωνται, ὡς οἱ πατέρες αὐτῶν, ἀλλ' ἵνα αὐτοὶ πρὸς τὸν
δημιουργὸν οὕτως φθεγγόμενοι εἴπωσι· κύριος ὁ Θεὸς
ἡμῶν σὺ εἶ, καὶ αὐτὸς εἴπῃ· λαός μου ὑμεῖς ἐστε· αὐτῷ
ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Quod hic de Constantino Magno asseritur, ipsum imperasse in Hispaniis et Galliis, quando ad religionem Christianam conversus est, verum est et satis accuratum, licet addi potuisset Britannia. Nam has provincias statim post mortem patris Constantii administrare cœpit, et conversus est, antequam trajecit in Italiam contra Maxentium ibi dominantem. Verum minime invenio, jam ab illo tempore Constantinum omnes fuisse hortatum, ut fierent Christiani, et unum colerent Deum, sicut eum fecisse mox subjungit auctor. Postea tamen id fecit per litteras.*

b *Hæc rursum sic exaggerata sunt, acsi alios omnes dejecisset Constantinus, eosque religionis causa aggressus esset, quod verum non est. Totum tamen imperium tandem obtinuit. Quo autem modo alii omnes deciderint, breviter dicam.*

c *Contra Diocletianum bella non gessit Constantinus: nam ille ultro imperium deposuit anno* 305, *et post aliquot annos privatus obiit.*

d *Legendum puto* Maximianum, *intelligendumque* Herculium *Diocletiani collegam. Hunc bis in insidiis deprehensum anno* 310 *ad mortem adegit Constantinus, quem occidere tentaverat.*

e Si

A. AGATHANGELO.

A o Si hic indicetur Maximianus Galerius; is morbo miserrimo interiit, nec impetitus bello fuit a Constantino, qui ab ejus insidiis solum sibi cavit fugiendo ad patrem Constantium : si vero agatur de Maximino Daia, hic bellum gessit contra Licinium cum Constantino fœderatum, victusque et fugiens, sumpto veneno, horrendos passus est cruciatus et morte terribili vitam reliquit.

f Legendum Licinium, etiamsi Licinianus quoque eidem fuerit nomen, cum dictus fuerit : C. Flavius Valerius Licinianus Licinius. Hic autem jam memoratus est, ut amicus Constantini. Verum ea amicitia non fuit perpetua : nam quando soli imperium tenebant Constantinus et Licinius, mortuis Diocletiano, utroque Maximiano, Constantio, Severo, Maxentio, Maximino, et Alexandro etiam, qui aliquo tempore in Africa Augusti nomen gesserat; bellum quoque exortum est inter Constantinum et Licinium, victusque est Licinius, ac deinde pax redintegrata anno probabilius 314. Ea tenuit usque ad annum 323, quo Licinius iteratis vicibus victus et captus est, ac deinde etiam occisus.

g Contra Maxentium, qui filius erat Maximiani Herculii, et Romam tyrannide opprimebat, ex Gallia exercitum per Alpes duxit Constantinus anno 311 aut 312, victisque ejus exercitibus, qui et circa Alpes et in variis deinde Italiæ partibus se opponebant, Romam usque processit ipsumque Maxentium vicit. Tum hic fugiens in Tiberum lapsus est, et aquis suffocatus anno 312. Ex dictis, quæ certa et nota sunt, utcumque innotescit modus, quo Agathangelus noster sua solet augere, verisque falsa miscere. Ait generatim, per virtutem signi dominici (id est, sanctæ Crucis) penitus exterminavit immundus et injustos imperatores. Verum est et passim notum, Constantinum vicisse virtute Crucis, quæ eidem divinitus erat ostensa. Verum est, sic victos a Constantino Maxentium et Licinium. Si quis addere velit Maximinum et Lactantio de Mortibus persecutorum cap. 46, eumque singulari favore Dei a Licinio victum dicere, non repugnabo. At nec ille a Constantino victus est, nec ab ullo Diocletianus. Maximianus Herculius a Constantino quidem punitus est, sed quando privatus erat et in atrocissimo
B scelere deprehensus, imo et probabilius ante Constantini conversionem ad Christum. Tres tantum ex E
septem de medio sustulit Constantinus. Verum omnes illos christianorum persecutores sustulit Deus, solusque ad exaltandam ecclesiam catholicam imperavit demum Constantinus. Nam quæ sequuntur de ecclesiis conditis, aliisque in favorem religionis decretis, vera sunt.

h Hæc rursum pro majori saltem parte vera sunt. Nam, teste Eusebio in vita Constantini lib. 2, cap. 45, per legem Constantinus prohibuit detestanda idolorum cultus sacrificia ,.... ita ut nullus deinceps nec statuas deorum erigere, nec divinationes et hujusmodi vanas artes attentare, nec victimas cædere auderet. Idem lib. 3, cap. 54 et sequentibus de idolorum et templorum destructione agit, uti et locis aliis. Verumtamen non sic ubique destructa sunt idola eorumque templa, ut nulla remanserint.

i Prolixas ea de re Constantini litteras recitat Eusebius in vita cap. 48 et sequentibus.

k Hic rursum ad nugas delabitur Agathangelus, dum angelos quotidie Constantino ministrantes inducit ad imponendum capiti diadema. Ejusmodi forsan fabella in Armenia fuerit sparsa.

l Totum istud regis Teridatis iter saltem dubium videri debet, cum nullibi fuerit assertum ab Eusebio in vita Constantini, aut ab ullis scriptoribus vetustis romanæ Historiæ. Metaphrastes ipse etiamsi tot Agathangeli fabulas adoptaverit, iter Teridatis pro commentitio habuisse videtur : nam penitus istud omisit. Nicephorus lib. 8, cap. 35 insinuat aliqua de illo Teridatis itinere ex fama, sed illud fortius asserit Galanus cap. 2, pag. 27 ita scribens : Porro autem eo pro certo et explorato ubique divulgat Armena traditio, regem Teridatem una cum S. Gregorio Romam usque processisse ad imperatorem Constantinum et S. Silvestrum papam visendum, et cum ipsis perpetua unionis fœdera ferienda, ut, qui hoc apud Armenios negaret; pene hæreticus haberetur. Tum profert relationem ex libro rituali Ms. Armenorum, cui nomen Giarrentir, id est liber narrationum. Hunc vero antiquissimum vocat. At novimus, aliquos tam esse faciles in illo vetustatis elogio, ut codices, quibus
C trium aut quatuor sæculorum ætas est, vetustissimos liberaliter dicant. Si vero liber ille octo etiam F
aut decem esset sæculorum, ne vel sic quidem satis esset vetustus, ut nos certos redderet de itinere Teridatis et Gregorii, prout refertur in hac vita, et modo non multum dissimili apud Galanum. Itaque per partes consideremus, quam multa in ipsa relatione occurrant improbabilia præter silentium antiquorum.

m Si credimus biographo, tam amans solitudinis erat S. Gregorius, ut nollet apud Teridatem in aula degere, ideoque filius ejus Arostaces creatus sit episcopus. Qua ergo verisimilitudine fingitur cum rege Romam profectus?

n Quæ rursum verisimilitudine septuaginta hominum millia cum rege ex Majore Armenia Romam ivisse dicuntur?

o Hæc ita sunt scripta, acsi Constantinus passim Romæ mansisset, cum tamen raro Romam veniret, et non diu admodum in urbe maneret.

p Fuit S. Eusebius tempore Teridatis Romanus pontifex, de quo actum est ad 26 Septembris. At defunctus est S. Eusebius sub Maxentio, quando Romæ non imperabat Constantinus. Itaque manifestus est hic error, et revera apud Galanum substitutus est S. Silvester, in cujus pontificatum certo incidit adventus Teridatis, si verus est.

q Fœdus fuisse inter Constantinum et Teridatem, facile credam. Verum id fieri etiam potuit per legatos : non tamen credemus, tale fœdus initum, quale exhibet in prolixo instrumento Galanus a pag. 51. Illud enim plane fictitium et imperite ab Armeno quodam impostore consarcinatum esse, facile uidebit quilibet eruditus, qui vel modice in arte critica versatus est. Privilegia, quæ in eo romanus pontifex dicitur S. Gregorio concessisse, ne speciem quidem habent probabilitatis.

r Ridiculum rursus biographi figmentum, qualia habet multa. Nec Romæ natus erat Constantinus, nec ejus pater Constantius aut avus Eutropius erant Romani : sed ex Dardania, ubi hodierna est Bulgaria latius extensa. Quomodo ergo fingitur consanguineus Virginum, quas auctor Romæ dixit habitasse?

A. AGATHANGELO.

s *Cum in hac vita nihil legatur de privilegiis a romano pontifice acceptis pro ecclesia Armena, figmenta illa, quæ apud Galanum ex Historia Armena leguntur, dicenda sunt recentiora.* D

t *Constat, concilium Nicænum, de quo mox agetur, habitum esse anno 325. Itaque iter Teridatis cum S. Gregorio debuisset incidere in annum 324, aut in tempus, quo Licinius in Minore Asia et Oriente imperabat : nam ultimum bellum inter Licinium et Constantinum anno 323 gestum est, et sub hujus anni finem, victo Licinio, Minor Asia cum reliquis Licinii provincias, quas vitare non poterat, nequaquam est probabile. At satis probabile et verisimile est, Teridatem anno 324 ad Constantinum totius imperii dominum excurrisse, ut pacem et amicitiam cum eo stabiliret. Si autem id revera fecit, longe probabilius est, aut Cæsareæ aut Nicomediæ, aut in alia quadam civitate Minoris Asiæ, collocutos esse dictos principes, quam Romæ.*

u *Fuisse* Arostacen *revera in concilio Nicæno ; pluribus probari in Commentario num.* 94, *ibique num.* 95 *ostendi, quo nunc nomine in subscriptionibus innotescat episcopus ille Armenus.*

x *Hic* non *in textu utroque addendum puto, quia necessarium videtur ad explendam dictionem. Porro quæ hic asserta sunt de Sancti eruditione et cura suos instruendi, suspicionem ingerunt, aliqua ab eo scriptis tradi potuisse. Illud revera asseritur in Homilia ante memorata de S. Gregorio apud Montfauconum tom XII Operum Chrysostomi pag.* 825 *his verbis :* Is ardenti cum zelo libros Scripturarum divinitus inspiratarum edocuit ; Homilias conscripsit sapientia plenas, populosque quamplurimos erudivit. *Ad hæc editor annotavit sequentia.* Viginti et tres Homilias composuit, quas habemus in codice O bibliothecæ regiæ. *Addit ad vocem* erudivit *hanc observationem :* Innuit institutionem ad fidem, quam scripsit sanctus Gregorius in gratiam regis et regni Armeniæ. Hæc fidei expositio refertur quoque in supra dicto codice, qui scriptus fuit anno æræ Armenæ 704, et Christi 1255. *Possunt et alia aliis locis servari Sancti scripta : an vero jam dicta ejus certo sint, aliis examinandum relinquo.*

y *Hæc non recte cohærent cum assertis cap.* 14, *quod amore solitudinis nollet cum rege semper manere ; nisi secessus ad eremum exponatur de modicis temporum intervallis, quibus secedere poterat ad acuendum spiritus fervorem.* E

B

z *Mirum est, nihil in vita legi de obitu Sancti, sicut nec apud Metaphrastem. Quare huc transfero, quæ de morte Sancti scribit Galanus cap.* 2, *pag.* 37. Ut spiritum suum, *inquit,* silentio et cælestis contemplationis dulcedine opportunius in solitudine recrearet, in secretiores Armeniæ montes secessit, ubi arctioris vitæ instituto, assiduo jejunio senioque confectus, obdormivit in Domino supra montem Siepuh. *Tum ex Armenorum ordinis Prædicatorum Breviario hæc de obitu sancti recitat :* Beatus illuminator noster Gregorius, ab humanis oculis occultatus, asperam eremitarum vitam per multos jam duxerat annos in recessu cujusdam montis Daghaniensis provinciæ ; cujus transitus ad Christum sciri a nemine potuit, nisi quod pastores nonnulli post aliquod tempus casu corpus ejus invenientes, ibidem sepelierunt. *Additur, quo modo ex sepulturæ loco corpus sit translatum : sed ea in Commentario sunt data num.* 49. *Est ea de morte S. Gregorii traditio Armenorum, de qua consentit Monicrus pag.* 76. *Quam vero ea sit parum certa, facile videbit studiosus lector, cum corpus diu manserit occultum, et post inventum per revelationem corpus, ea opinio videatur ex conjecturis nata.*

aa *Hæc de omnibus saltem auctorem dicere nulla ratione potuisse, observari in Commentario num.* 55, *et magis id ipsum ostendi num.* 69 *et seqq.*

bb *Quidquid dixerit, de impostura fit suspectus, dum omnia vidisse se dicit, atque interim plurima aperte fabulosa narrat. Nam aut falso coævum se dicit, et sic mentitur : aut revera coævus fuit, et sic fabularum amantem se prodit ; nisi postea aliquis acta interpolaverit, et ea reliquerit verba. Vide de eo conjecturam triplicem in Commentario num.* 72.

C

VITA ALTERA

Auctore anonymo

Ex codice Ms. bibliothecæ Barberinæ

PROLOGUS.

Sanctorum Vitas scribere cum sit utile,

Insignes Christi philosophus et purpuratos cælestis curiæ senatores tanto dignioribus præconiis debemus attollere, quanto et graviora supplicia pro fide sui Regis eos pertulisse cognovimus : ipsi sunt enim milites invictissimi, qui potius eligentes mori, quam vinci, stolas suas in sanguine Agni non minus feliciter, quam mirabiliter, dealbaverunt ; ipsi sunt triumphatores et amici Dei, qui cælestia regna per momentaneam mortem pro fidei constantia sunt adepti. Eorum interventione munita Ecclesia, in omnipotente confidit ; eorum exemplo instructa, quotidie cum inimico invisibili pugnat ; eorum splendore amicta, quasi aurora consurgens, candida et rubicunda procedit. Martyres enim, quorum fulgore Ecclesia, velut indumento proprio, amicitur, sunt et ex innocentia vitæ candidi, et ex rubore martyrii rubicundi. Isti sunt flores rosarum et primitiæ pugnatorum, in quibus Dei Filius sapienter de humani generis adversario triumphavit : quia enim ipse tribus turmis, prima infidelium, secunda hæreticorum, tertia peccatorum, regnum Dei invadere cupiditate iniqua præsumpserat ; mirabili quoque ordine Rex noster in triplici, martyrum videlicet, doctorum et confessorum militia obviavit : quatenus et infidelium impietatem martyrum constantia superare, et hæreticorum blasphemiis doctorum verba, quasi jacula ignita, opponere, et peccatores in malo subvertere, in bono per confessorum exempla radiantia confirmare, et felicem sponsam suam Sponsus felicior primo floribus rosarum aspersus a, secundo sagittis ardentibus præmunivit, tertio liliis convallium adornavit. F

a 2 Floribus

A 2 Floribus aspersit, ne intolerabili vitiorum odore afficeretur, sagittis præmunivit, ne in fide nimia simplicitate deficeret; liliis adornavit ne ex multiplici nigredine, qua fuerat adoperta, vilesceret. Extrania *b* dona Sponsus contulit suæ sponsæ ad pulchritudinem : media largire dignatus est ad tutelam : prima et ad decorem pariter exhibuit et virtutem. Quamquam et in decore luna speciosior videretur, et in virtute terribilis, et ordinata castrorum acies, appareret. Reus ergo apud divinam Majestatem esse convincitur, qui ad Ecclesiæ constantiam et ornamentum martyrum victorias et agones non ea, quæ par est, eloquentia manifestat. Hoc mecum considerans et super talenta ad duplicandum credita pertimescens, passionem S. Gregorii Armeniensis, quæ olim satis inconsulto *c* et rusticano stylo fuerat exarata, tum ipsius Sancti, tum precibus et suggestione Dominæ Gaytæ *d* venerabilis abbatissæ, quæ intra Parthenopensem urbem monasterium puellarum Dei suo nomini dedicatum religiose et sapientissime regit, verbis ornatioribus *e* aggredior decorare, ut et piæ postulationi videar satisfacere, et apud Dominum Martyris B interventu mihi locum merear invenire.

Vitam S. Gregorii meliori stilo exponendam suscipit auctor.

ANNOTATA.

a *Pro* aspersus, *quod clare in codice legitur, legendum* aspersit, *in margine observavit Papebrochius noster, qui hanc vitam exscripsit.*

b *Idem credidit, pro* Extrania *scriptum fuisse.* Et tertia.

c *Hoc de inconsulto stilo potuit auctor dicere de vita græca propter nimias exaggerationes et prolixitatem. At verisimilius dixerit de latina, quæ ex græca ante ipsum fuerat composita. Nam Blasius Acciainolo ex latina aliqua* S. Gregorii *vita suam anno* 1576 *impressit Italicam, quam solum ex* Latina translatam *vocat, nec tamen illa cum hac latina congruit, sed magis cum græca, quamvis multa non sint recte in italico exposita, quæ verisimiliter in priore latina jam fuerant corrupta.*

d *De Gayta abbatissa monasterii Neapolitani* S. Gregorii *Armeni, et de tempore, quo illa præfuit et hæc vita scripta est, dubitanter disserui in Commentario prævio num.* 56 *et seqq.*

C e *Tolerabilis est stilus hujus vitæ pro medio ævo. Præterea auctor crisim exercuit, et magis improbabilia amputavit. Vel sic tamen non omnia, quæ ex græca vita adoptavit, satis videntur probabilia, et non raro a mente græci biographi aberravit, et aliis quoque non caret defectibus.*

CAPUT I

Sublato Parthorum regno, Artasiras Persarum adeptus regnum, belloque impetitus a Cusarone Armeniæ rege, eum per sicarios occidit, et Armeniam occupat : Teridates Cusaronis filius regnum Armeniæ recipit, et S. Gregorium a fide Christiana abstrahere tentat.

Cum Persarum et Assyriorum regnum Artabanus, ex Parthorum genere oriundus propria sibi virtute et sapientia subjungasset *a*, magna Perses *b* et Assyrii invidia super ejus dominatione, quod fuerat ex Armenis *c*, torquebantur : alienigenæ enim subesse dominio pudor illis et tædium videbatur, et ideo de suo genere præesse aliquem modis omnibus affectabant. Crescente ergo quotidie hac invidia, contigit, ut quidam miles Assyrius nomine Artasyra *d* adversus eumdem Artabanum cum pluribus Persis et Assyriis conspiraret, quatenus et eum morti tradere, et se eripere a jugo dominationis illius possent. Congregato igitur Artasyra magno de Assyriis et Persis exercitu campestri prælio cum Artabano pugnavit, et non solum eum in ipso prælio interemit, verum etiam omnes suos milites, et totum ejus regnum suo domino subjugavit. Quod cum frater illius nomine Chusaron *e*, qui Armenis imperabat, audisset, graviter angustiatus et dolens, germani mortem amarissime flevit. Post dies vero memoris et luctus cogitans, qualiter fratris sui necem vindicare valeret, assumptis secum omnibus fere sui regni militibus, in manu valida Persarum fines cum Artasyra rege pugnaturus invadit.

Occiso Artabano, Artasiras Persarum rex.

4 Videns autem rex inæstimabilem multitudinem pugnatorum, corde dissolutus est et contremuit, et inter timorem pugnæ et verecundiam fugæ positus, qui deberet agere, nesciebat. Tandem suorum militum animatus suasione, licet nolens, in campum egreditur, et prælium cum Armenorum exercitu et rege committit; non valens autem adversariorum sustinere virtutem, cum sua militia terga vertens, fugam arripuit. Rex ergo Chusaron victoriam, inimico fugiente, adeptus, adversariorum stragem non modicam faciens, et plurima Persarum regni loca devastans, ad ultimum in partes Armenias cum magna præda et ingenti lætitia remeavit. Sequenti quoque anno non parvam militiam coadunans, in Persarum regnum ire, et plusquam prima vice fecerat, illud aggressus est devastare : quod etiam per singulos annos usque ad decennium similiter fecit. Dum has adversitates rex Persarum annualiter pateretur, et jam ante faciem Chusaronis regis stare omnino non posset, convocans totius regni sui principes et magnates, diu cum eis consilium habuit, quomodo posset ab his infestationibus

a Cusarone Armeniæ rege vincitur et multum affligitur.

A ANONYMO. nibus liberari : in ipso consilio dignitates plurimas et dona ingentia promittebat, si cum de suis aliquis vindicare, superatum sæpe a Chusarone rege, illata injuria potuisset.

Verum Anac Parthus, promissis Artasiræ inductus.

5 Tunc quidam de astantibus, Anac nomine, Parthus genere, ex ejusdem Chusaronis prosapia oriundus, pollicitus est, ei se daturum pro suis viribus operam, quatenus sanguinis sibi ratione conjunctus prædictus rex Armenus occideretur. Cumque rex hoc gratulabundus audisset, cœpit ei suggerere, ut id quantocyus affectui manciparet, pro remuneratione hujus facinoris non solum ablatam sibi a rege Chusarone hæreditatem *f*, verum etiam, ut in talibus fieri solet, montes et maria, cælum et terram promittens. Respondens autem Anac Parthus, dixit : Familiæ tantum meæ dignemini paterna clementia subvenire, quia tam pro vestri regni, quam pro vestræ personæ, vindicta cum *g* meo germano morti et periculo tradam : et hæc dicens, iter cum proprio fratre suo in Armeniæ partes arripuit. Veniens ergo in quandam Armenorum civitatem, ubi rex aderat, et regio conspectui se præsentans, a Chusarone rege cum omni honore B et humanitatis officio est susceptus : cumque rex causam sui adventus inquireret, Artasyræ imperio rebellem esse, et ab ejus facie se fugisse respondit, asserens malle se circa regem sibi proximum et consanguineum paupertatem complecti, quam apud extraneum honoribus et divitiis abundare. Tunc rex nimis exhilaratus magnum sibi * honorem concedens, in secundo solio sublimatum eum sedere juxta se fecit, et jussit, ut quotidie suo lateri familiaris assiduus adhæreret. Ante *h* vero Parthus longe aliter cogitans, quam rex sperabat, de die in diem opportunitatem rei quærebat, ut iniquitatem, quam de nece ejus corde conceperat, posset quandoque opere parturire.

* *id est*, ei

Cusaronem, dolis deceptum, occidit, ipseque deinde occiditur

6 Quodam ergo tempore, dum rex magnum exercitum congregasset, et in secreto loco cum suis consiliariis, inter quos Anac Parthus cum suo germano aderat, quasi solitarius moraretur, cœpit rationem ponere, qualiter in regnum Persarum, sicut annualiter per decennium fecerat, proficisci devastandi causa deberet. Tunc ille promissionis, quam regi Persarum fecerat, non C oblitus, cum suo fratre Chusaronem regem in solitariam partem advocat, quasi de suo sibi proficuo locuturus; et evaginatis, quos diu occultaverant, gladiis prædictum regem crudeliter percusserunt : quo facto, in equos suos velociter conscendentes, fugam arripuere. Quod scelus unus de familia regis aspiciens *i*, cœpit cum fletu magno clamare : Huc venite, huc properate, et mors innocentis regis non minus injuste *k*, quam strenue, vindicetur. Hoc audito, milites Chusaronis homicidas sunt cursu velocissimo persequuti, eosque apud Erasach fluvium capientes *l* in ipso fluvio digna sibi reddentes supplicia necaverunt.

cum familia sua, exceptis duobus parvulis.

7 Quo facto, cum ululatu et fletu magno ad regem, extremum anhelitum jam trahentem, milites remeant, et ab eo in mandatis accipiunt, ut omnes fere *m*, quos de cognatione Anach Parthi possent in suo imperio invenire, sine mora gladio trucidarent, quod secundum regis jussionem perniciter est effectui mancipatum : statim enim a viro usque ad mulierem, a sene usque ad infantem, de parentela Anach Parthi sunt in ore gladii jugulati, exceptis duobus tantum ejusdem Anach filiis parvulis, quorum unus in regionem Serdos *n*, alter in partes Armeniæ fugatus D est. Rex autem Persarum, cum necem Chusaronis regis audisset, gaudio magno repletus, cum suo exercitu in Armeniæ partes venit, et totum regnum ejus invadens, suo nomini et imperio titulavit.

S. Gregorius doctus fidem Christianam servit Teridati :

8 Tunc filius Chusaronis, ætate puer, nomine Teridatius, cujusdam sui militis studio est liberatus, et in partes Romaniæ deductus est : ibidem apud quemdam comitem Armenium *o* manens erudiebatur. Interea Gregorius filius Anach Parthi, qui in partes Armeniæ *p* deductus fuerat, cum morti sui consanguinei traderentur, in Cæsarea Cappadociæ morabatur, ibique a quodam catholico viro, cui adhæserat, omni Christianorum scientia est imbutus. Hic cum antiquum genitoris sui facinus, quod in Chusarone egerat, didicisset, ad Teridacium pergens, famulatum illi spontaneum exhibebat, ut patris inauditum scelus suo quasi servitio expiaret. Occultabat vero seipsum, nemini manifestans, unde oriundus fuisset, aut quare sponte se Teridacii famulatui subjugasset.

hic vero, fortitudine præstans,

9 Per idem tempus Gothorum rex, prælium cum Græcorum rege facturus, validam manum militum congregavit, et quia in viribus sui corporis E confidebat, regi Græcorum in hunc modum verba de monomachia facienda direxit : Quare in nostrorum regnorum periculum et ruinam nostros exercitus et milites fatigamus, cum a nobis duellium * sine aliqua militari strage fieri possit? Ambo igitur singulari certamine dimicemus, et si te mihi pugna mediante subjecero, tui quoque mihi subjicientur; si vero me superaveris, me etiam in æternum tibi flectent genua et deservient : et ita in utraque parte erit sanguinis effusione * tranquillitas. Cumque verba ista rex Græcorum audisse , contristatus est valde, quia optionem faciendæ monomachiæ nec respuere valebat pro verecundia, nec recipere poterat pro absentia virium, quas sibi non inesse sciebat. Et convocans ad se majestativis litteris totius regni sui comites et magnates, consilium ab eis cœpit exigere, qualiter Gothorum regi posset absque suæ personæ injuria respondere.

* *i. e.* duellum

* *forte* sine sanguinis effusione

Gothum singulari pugna superasse fertur,

10 Tunc Licinianus *q* comes, qui cum Teridacio ad regem venerat, inter comites et magnates alios dixit : Non turbetur hac de causa cor Domini mei neque formidet; imo omnis mœror abscedat, et angustia de animo regio auferatur : F est enim hic mecum quidam juvenis, nomine Teridacius, quondam Chusaronis Armeniæ regis filius, qui et statura procerus, et magna corporis est virtute munitus. Poterit ergo iste, si majestati vestræ placuerit, et purpura indui et diademate regio insigniri, quatenus in personæ vestræ similitudinem et figuram Gothorum regem singulari certamine aggrediatur et superet. Placuit sermo regi, et ad se Teridacium vocans, jussit, ut sequenti die regalibus vestimentis indueretur, quatenus bellum posset expetitum singulare subire. Superveniente igitur die Teridacius regia vestimenta se induit, et ejus speciem repræsentans, cujus ornamentis fuerat insignitus, Gothorum regem in monomachia est aggressus, et vicit : figurativus, ut sic dicam, cæsar verum cæsarem *r* gloriose in habitu regio superavit, et superatum manibus apprehendens ad Græcorum regem usque perduxit. Tunc rex magnificans Teridacium, dansque illi munera magna, diadema super caput ipsius posuit, et purpura eum induens ornamentis regalibus decoravit : militiam quoque

A quoque magnam dedit ei, quatenus patris amissum regnum posset militum auxilio rehabere.

receptoque paterno regno, S. Gregorium, idola colere detrectantem,

11 Accepta ergo Teridatius a rege licentia abeundi, cum militibus, quos in adjutorium sibi dederat, in partes Armeniæ proficiscitur, ibique multos ex Persarum principibus jugulans, plures persequens, non solum patris regnum de jure sibi competens recuperavit, verum etiam pace illud perpetua s stabilivit. Quo facto nimis exhilaratus et gaudens, præcepit omnibus militibus, ut secum antrum Artemidis ingredientes thura et sacrificia tam pro regno reacquisito, quam pro victoria, quam fuerat adeptus, offerrent. Sancto etiam Gregorio in mandatis specialiter dedit, ut coronis et arborum ramis Artemidis imaginem t decoraret. Quod cum Sanctus perficere recusaret, et responderet, se Jesum Christum a pueritia coluisse; Teridatius rex iratus, dixit ad eum : Quomodo ausus fuisti in Deum credere, qui a me non colitur nec adoratur? et hæc dicens, eum in custodiam mitti jussit.

multis rationibus conatur

12 Altera vero die præcepit rex S. Gregorium exhiberi, cumque suo fuisset conspectui præ- B sentatus, hujuscemodi eum verbis aggreditur : Cum tot annis gratum mihi servitium exhibueris et acceptum : mirari non sufficio, quare te uno momento mercede tibi debita meum contemnendo imperium sponte prives. Ad hæc Sanctus : Secundum mandatum Apostoli, qui servos suis dominis jubet esse subjectos, præsto fui omni tempore tibi pro tuæ voluntatis arbitrio famulari; et nisi in te remanserit, semper solitum servitium exhibebo : si vero servitutem illam, quæ soli Deo debetur, vis ut tibi, tuo præcepto colendo idolo muta et surda, impendam, hoc minime sum facturus : quia inter servitutem et servitutem differentiam esse, fides Christiana cognoscit. Est enim quædam servitus propria solius Dei, de qua ipsemet dicit : Honorem meum alteri non dabo. Est et alia multorum communis, de qua scribit Apostolus : Cui honorem, honorem ; cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum. Secundum ergo hanc ultimam servitutis acceptionem, etsi non idolis, quia spiritu et sensu carent, tibi tamen, non propter tuam remunerationem, quia a te nihil exspectavi, sed propter C mandatum apostolicum, famulabor.

a fide Christiana abducere, sed frustra

13 Et rex : Cognosce, Gregori, quia non meæ severitati, sed tuæ stultitiæ ascribetur, si tu ipse tibi animosa pertinacia vis nocere : hac enim hora omne meritum totius impensi mihi servitii perdidisti. Nunc ergo loco honoris tribulationes tibi redibuam u et angustias, pro retributione gloriæ contumelias, in vicem dignitatis carcerem et catenas, postremo et morte, quæ omnibus est terribilis, multis mediantibus suppliciis, faciam te consumi, nisi magnam deam Artemidem totius sobrietatis matrem et summi Jovis filiam adoraveris. Et Sanctus : Utinam dignus inveniar pro numine Domini mei Jesu Christi morti et supplicio tradi! hoc est enim, quod semper optavi et opto. Fac ergo, quod vis : quia deos mutos et surdos adorare nullo modo possum : de illis enim noster Psalmista dicit : Simulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum : os habent, et non loquentur ; oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audiunt; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt ; non clamabunt in gutture suo : neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

ANNOTATA.

a *Regnum Persarum, Assyriorum, et vicinorum ipsis in Asia populorum, aliquot sæculis possederant Parthi, illudque post patrem Vologesum Artabanus ex Parthis ultimus obtinuit, Itaque illud Artabanus non intulit familiæ suæ, nec armis subjugavit, ut hic scriptor credidit.*

b *Pro* Perses, *quod est in codice, lege* Persæ.

c *Iterum fallitur auctor : neque enim ex* Armenis *erat Artabanus, nec alienigena aut novus rex, sed ex regia stirpe Parthorum. Credibile tamen est, invisum Persis et Assyriis fuisse Artabanum ob nimium fastum : nam Herodianus, qui eo tempore vivebat, de Artabano pag.* 576 *ait :* Qui Rex Magnus primus (*ex Parthis*) appellatus est, duplicique diademate utebatur. *Multa quoque de fastu Artabani, et de violenta regni administratione leguntur in vita græca num.* 5 *et* 7, *sed forte per ambitiosum ejus inimicum supra verum exaggerata. Poterat tamen Persas quoque* E *et Assyrios ad invidiam excitare, quod Parthia olim ignobilis fuisset et modica, cum ipsi amplis gauderent provinciis, quæ olim tenuerant Orientis imperium.*

d *De Artasyra, ut hic scribitur, vel Artasira aut Artaxerxe, ejusque gestis contra Artabanum, et deinde contra regem Armeniæ, consuli possunt dicta in Commentario num.* 104, *et vita græca cap.* 1 *et* 2.

e Chusaron, *in vita prima, ex qua omnia hæc adoptata sunt,* Cusaron, *aut* Cusaro, *ab hodiernis Armenis* Chosroes *vocatur.*

f *De ablata Anaco per Armenum hæreditate nihil habet vita græca. Id igitur addidit de suo Latinus.*

g *Verisimiliter scriptum fuerit :* Me cum meo germano etc.

h *Pro* Ante *legendum videtur*, At.

i *Græcus non ait, visum esse, sed* continuo re*scitum ab aliquo, qui verisimiliter ad clamorem percussi regis occurrerat.*

k Juste *legendum, opinor.*

l *Submersos esse in flumine* Erasach, *quod pontes ab utraque parte occupati essent a persequentibus habet vita græca num.* 15, *ubi et Annotata videri* F *possunt. Itaque homicidæ non fuerunt vivi capti, nec a persequentibus occisi : sed cum Araxem fluvium, utroque loco* Erasach *dictum, tranare tentarent, aquis hausti.*

m *Illud fere perperam additum est. Nam nullum excepit rex, sed illi duo parvuli, qui fuerunt servati, cura alicujus contra regis mandatum fuerunt subducti.*

n *Quid loci insinuare voluerit auctor, ignoro. Quo autem perducti dicantur illi parvuli, vide in vita græca num.* 15. *Nam noster hic Latinus Armeniæ et regionum vicinarum topographiam prorsus ignorasse videtur, ideoque loca pleraque omittit.*

o *De subducto Teridate vita græca num.* 16 : *sed ibi non dicitur apud* comitem Armenium *mansisse, quæ conjectura est Latini.*

p *Imo ex Armeniæ partibus deductus fuerat Cæsaream. Pro sequentibus videri possunt Annotata ad vitam græcam, ex qua sunt accepta.*

q *Hic recte omissa est fabula, quæ a græco narratur num.* 19, *sed rectius etiam omissa esset tota illa Teridatis pugna æque fabulosa.*

r *Titulus*

A. ANONYMO.

r *Titulus cæsaris non congruit Gothorum regi.*

f *Pax illa perpetua nec asseritur in vita græca, nec vere asseri potuit, nam tempore Teridatis bella contra Persas gesserunt Armeni cum Romanis, et contra Romanos ipsos circa annum* 312 *Teridates regnum et religionem catholicam defendit, ut dictum in Commentario num.* 87.

t Artemis *græce, Diana latine vocatur. Vide vitam græcam num.* 21, *ibique consequenter annotata etiam pro sequentibus. Solum moneo, ubi latinus a græco recessit.*

u *Forte scriptum fuerit* tribuam *aut* retribuam. *Jam vero, si quis hæc ratiocinia contulerit cum discursibus vitæ græcæ, facile perspiciet, latinum alia ex græca adoptasse, alia omisisse, et sua iis substituisse, et utrumque pro ingenio sua disserentibus verba attribuisse.*

CAPUT II

B

Tormenta plurima, eaque gravissima S. Gregorio pro fide illata : tandem in teterrimum injicitur carcerem, ut sic moriatur.

Sanctus diuturno suspendio cruciatus, a

Ad hæc rex nimia ira commotus, manus Sancti post terga ligari, camum in ore ipsius mitti, lapides *a* salinarum dorso ejus adhiberi, et tam dursum quam pectus illius funibus obligari et fortiter constringi præcepit : post hæc in excelsum locum domatis palatii sui per artificialia organa, ut non posset cito mori, eum suspendi fecit. Cumque hoc secundum regis imperium perniciter fuisset exequutioni mandatum, per septem dierum spatium Sanctus in hoc acerrimo tormento pependit. Post septem vero dies impiissimus rex eum absolvi, et sibi exhiberi mandavit : quem cum videret, hoc modo eum est allocutus : Bene tibi contigit, miser, qui nec deos veneraris, nec meum imperium parvipendere animosa pertinacia timuisti. Saltem nunc vade, et C sacrifica diis, et honora eos, quibus a totius mei regni habitatoribus cultus et debita reverentia exhibetur : alioquin amariora tibi supplicia inferuntur *, quatenus duritia tua similia, immo æqualia, tormenta experiaris. Et Sanctus : Dii tui manu sunt artificis sculpti ; ea ratione, qua facti sunt et compositi, eadem possunt destrui et dissolvi : omne enim, quod compositum est, dissolvi, et quod est factum, destrui potest : quæ enim de non esse ad esse venerunt, nisi ea Creatoris potentia conservaret, utpote quæ ab eo exordium accepere, quotidie paulatim de esse ad non esse redirent. Dii igitur tui, non solum materia creationi et corruptioni subjacent, verum etiam spiritu et sensu carent : quomodo adorare me jubes, non attendo *, nisi forte me illis similem esse autumas, qui stultissima digitorum suorum opera timent; quasi quidquam majus et excellentius suo possit artifice inveniri. Quare deos debeam adorare, qui tibi nec de meis tormentis nec de sua injuria sunt loquuti, utpote qui, mortuis similes, nec loqui nec respirare aliquo modo possunt? Deum vivum proinde adorabo, qui me et ad passionis tolerantiam animavit, et in ipsa tolerantia non deseruit.

* *forte inferentur*

* *i. e. capio*

15 Hæc cum audisset rex, incredibili furore D repletus, præcepit eum in equuleo per unum tantum pedem capite verso suspendi : post hæc fumum subtus caput ejus de stercore et stipula fieri jussit : postremo decem satellitibus mandavit, ut graviter cum fustibus virentibus eum cæderent. Et ita per septem continuos dies suspensus mansit. Dum autem B. Gregorius sic penderet, orationem ad Dominum hujuscemodi fudit : Gratias tibi ago, Domine, qui me dignatus es in his suppliciis animare et beatitudinis tuæ consortem fieri. Ab initio homines, qui sunt opera manuum tuarum, dilexisti, in ipsa creatione non solum paradisi delicias et requiem eis conferens, verum etiam immortalitatem, qua possent non mori, concedens, ut in hoc statu debitam tibi obedientiam exhibentes, ad eum quandoque statum suo merito et tua gratia pervenirent, in quo morti et corruptioni subjacere non possent : sed quia invidia inimici mors introivit in mundum, homo tuum imperium parvipendens, et secundum animam in profundum inferni, et secundum corpus in temporales miserias ita cecidit, quod resurgere nunquam potuit. Tu vero, qui E sæpe consuevisti creaturæ tuæ in periculis et necessitatibus subvenire, super hominum miseria et lapsu dolens, Unigenitum tuum in mundum istum pro eo redimendo a majestatis tuæ sede misisti, qui tuo imperio sua sponte et Spiritus sancti beneplacito in mundum veniens, carnem nostram suæ Deitati veraciter voluit adunare, ut in illo nostram substantiam possidentes, non solum ad immortalitatem, quam habuimus, verum etiam ad eam, quam habituri eramus, ascendere ipso mediante possemus; qui non solum pro nobis carnem mortalem assumpsit, verum etiam mortem ignominiosam suscepit, et pretiosum Sanguinem de suo latere fudit : carnem assumpsit, ut damnum, quod homo de eo intulerat, restauraret; mortem suscepit, ut tibi de contemptu hominis satisfaceret; sanguinem fudit, ut mundum a peccato redimeret. In assumptione carnis formam nobis humilitatis proposuit, in susceptione mortis mensuram charitatis expressit, in effusione sanguinis sacramentum redemptionis ostendit.

rursum suspensus capite deorsum verso, orans

16 Denique ipsum Sanguinem nobis tradidit ad bibendum, ut, qui semel fuerat pretium nostrum in cruce, quotidie nobis esset poculum in altari. Jam vero quis ipsum ordinem redemptionis nostræ non admiretur et admirando commendet? quia enim homines nihil aliud cogitare noverunt nisi carnem, tuus Filius carnem sapientibus obtulit, ut, qui Deum invisibilem, cognoscere non poterant, saltem per carnem et in carne visibilem cognoscerent et amarent : in qua carne non sine magni causa mysterii se vivum et mortuum voluit exhibere : nam quia humanum genus primo imagines faciendas ex nimia dilectione invenit, ut videlicet amicorum viventium posset memoriam retinere, qui absentia fuerant separati; deinde errore crescente ad hoc eas statuit erigendas, quatenus per illas hominibus longissime ante mortuis cultum Deo debitum exhiberet; justissime tuus Filius factus est, et primo imago, ut sic dicam, viva *b* carnem animatam suscipiendo, et postmodum imago mortua suam animam voluntarie deponendo; quatenus et in viva imagine se ut amicum nobis repræsentaret, et in mortua ad sui cultum ab idolorum errore converteret; ut quia nos stultos colere homines mortuos delectaverat; non jam eos mortuos,

ratiocinatur. F

b

A mortuos, qui prodesse non possunt, sed eum, in cujus morte mundi est posita redemtio, adoremus; et ita repræsentando se vivum amicorum desideriis satisfecit, exhibendo se mortuum errantes ab idolorum cultu et obsequio revocavit: et quoniam in idolorum templis solebant homines fatui convenire, ut ibi de mortuis animalibus sacrificio c, manducarent, carnem, quam tibi in sacrificium suavitatis obtulerat, in sua Ecclesia distribuit comedendam; ut qui soliti erant corporeo cibo refici, pretiosam ejus carnem ad suæ redemtionis memoriam manducarent; carnem suam, quam pro salute nostra in cruce omnibus tormentis et suppliciis exposuerat, contra peccata cibum mundi esse constituit; ut qui ad mensam Divinitatis suæ nos invitaverat, hujus quotidiani cibi refectione ad festivum ferculum, quod est ejus visio, nos perduceret.

et opem divinam implorat.

17 Tu ergo, Deus omnipotens, qui per Filium tuum tot hominibus beneficia præstitisti, miserere mei, sicut misertus es latronis in cruce, qui passione Unigeniti tui communicans, uno momento factus est ejus membrum; cujus fuerat uno quasi verbo confessor. Da mihi, Domine, B virtutem et tolerantiam in passionibus istis, ut cursum martyrii mei inoffenso pede valeam consummare: libenter enim calicem salutaris accipio, quia Filium tuum pro me animam suam posuisse non nescio: libenter hic animam perdo, quia in terra viventium eam invenire me credo: libenter corpus meum suppliciis universis expono, quia in die resurrectionis illud indui gloriosa immortalitate non dubito. Dominator omnipotens, requies tribulantium *, consolator lugentium, sustentatio oppressorum, qui voluntatem sperantium in te facis, dirige gressus meos in beneplacito tuo, quatenus et hic Filio tuo merear conformari per passionem, et in futuro semper cum videam tecum in æterna gloria permanentem. Amen.

* afflictorum

Depositus, cursumque interrogatus, et constanter respondens,

18 Post septem vero dies rex Teridacius deponi Martyrem de eculeo jubet, et suo conspectui præsentari: quod cum factum fuisset, diu rex Martyrem intuens, et admirans, quomodo post tot tormenta non defecisset, tandem ita eum est allocutus: Quæ tuum animum dementia sic invasit, ut in vanitate sensus tui prius turpiter mori, quam vivere gloriose affectes: nec jam C mihi velis in gaudio pro retributione justitiæ adhærere, sicut a juventute pro præmio in exhibitione obsequii adhæsisti? Ad hæc Martyr: Quoniam ante faciem Dei vivi apparere concupisco, ideo a corpore migrare desidero, quia super hoc nullatenus, nisi mediante morte, satisfacere desiderio meo possum. Quidquid ergo de meo corpore tuo resederit animo, facias; quia mortem gratanter excipio et amplector. Et Rex: Nequaquam tibi, Gregori, hoc concedetur, ut a tribulatione instanti per momentaneam mortem citius libereris; sed per longa tempora corpus tuum exquisitis faciam suppliciis laniari, quatenus deorum contemptus sufficienter, prout dignum est, vindicetur.

variis cruciatur tormentis,

19 Et hæc dicens, de ligno tabulas concavas ad modum tibiarum et pedum ejus fieri jussit, quatenus in eis possent tam tibiæ quam pedes includi d et post inclusionem funibus vehementer astringi; cumque hoc factum esset, per summitatem digitorum pedum sanguis cœpit ex funium constrictione nimia emanare. Dum vero Martyr hæc pateretur, dicit ad eum rex: Sentisne, Gregori, tormenta, quæ tibi omnium miserrimo inferuntur? Et Martyr: Data est mihi virtus a Deo meo, ut tormenta tua superem, et contemnam. Tunc præcepto regis satellites Martyrem ab illa tibiarum et pedum constrictione solventes, clavos ferreos in plantas ejus crudeliter defixerunt: et tenentes eum duo viri per manus hinc et inde currere faciebant, quatenus supplicia suppliciis adderentur. In ipso cursu ex infixione clavorum de pedibus Martyris ubertim sanguis in terra effundebatur. Tunc dicit ei rex deridendo: Modo invisibilia contemplaris, et ideo tormenta ista visibilia parvipendis. Et Sanctus: Bene dixisti, me jam invisibilia contemplari, quia video modo, qualiter ii, qui in corpore lugentes semina mittunt, in æternitate cum gaudio et lætitia manipulos fructuum suorum colligunt. Dicit impius rex satellitibus suis, qui astabant: Cædite hunc obstinatum, et luctum ei præbete, ut postmodum lætitiæ sibi veniant. In ipsa hora præcepto regio sceleris ministri obedientes graviter eum colaphis cederunt *, et dum hoc fieret, improperabat et rex, dicens: Hoc est, insensate, gaudium, quod exspectas. Et Martyr: Ita est: nisi enim odorem solis prius operarius sustinuerit, fructum et satietatem post- E modum apprehendere de suarum manuum labore non potest.

A Anonymo

* ceciderunt

quæ fortiter

20 Et rex: Ergo laboras, dum tibi supplicia inferuntur. Et post hæc imperat, salem, acetum et nitrum in simul commisceri, et Martyrem supinum extendi, eique vertice in cochlea campestri e intercluso, ut se movere non posset, prædictum liquamen, fistula arundinea mediante, per nares in interiora cerebri ejus projici mandat. Post hæc jubet pelliceum follem deferri, et impleri spurcitiis et fuligine, non tamen usque ad summum, ut flatum emittere, et attrahere posset; et eo in Martyris cervice ligato, per sex dies hoc tormento sibi a commanipularibus diaboli est illusum. Post spatium vero sex dierum mandavit rex follem pelliceum de Martyris cervice auferri, eumque suis tribunalibus sisti, cui et dixit: Forsitan a regno illo venis, de quo nobis sæpenumero es loquutus. Cui Martyr: Verum est, quod dicis, quia a regno Dei mei venio: nisi enim in ejus regno animo et contemplatione fuissem, nequaquam tot cruciatus pro illius regni desiderio pertulissem. Rex hoc audiens, et in ira amplius exardescens, pedes Mar- F tyris funibus ligari, et in eculeo capite verso suspendi, et aquam per secessum * ejus in interiora infundi jussit. Post hæc eum sua jussione depositum monebat, dicens: Acquiesce jam, Gregori, consiliis meis, et dilige deos, quorum providentia totum regnum defenditur et subsistitur *. Et sanctus ad ista: Donec spiritus in corpore meo fuerit, a caritate Dei mei separari non potero.

* i. e. anum

* subsistit

et constanter

21 Hoc audito, rex nimia ira convictus, jussit in tantum costas ejus ungulis ferreis dissipari, quousque locus, in quo Martyr stabat, suo sanguine repleretur: quod cum fieret, ita eum gratulabundus alloquebatur: Jam necesse est, Vir lapidee, ut meo desiderio satisfacias, dum in talibus es suppliciis constitutus, quod te aut miseram mortem eligere, aut meo mandato oporteat obedire. Ad hæc Sanctus: Nunquam erit, quod consulis *; nunquam cultum Dei mei, in quo educatus sum a pueritia, derelinquam; nunquam Deum meum negabo, qui me et a præsenti angustia liberare, et in gehennam ignis mittere animam tuam potest. Et rex: Ubi est Deus tuus,

* i. e. suades

A. Anonymo. tuus, qui te de manibus meis eripiat, et me in gehennam ignis mittat, ut asseris? Et hæc dicens, imperat afferri tribulos et in terram prosterni, et corpore Martyris denudato, super eosdem tribulos eum extendi et revolvi sæpenumero jubet, ut, Martyre ex omni parte compuncto, nullus locus in ejus corpore a læsione vacaret: quod secundum impiam jussionem eo die ministri sceleris crudeliter effectui mancipارunt. Altera vero die cum ad regem deductus esset, dicit ei rex: Valde miror, quomodo adhuc vivis, et pro nihilo tot illata tibi supplicia computasti: sed manifesta nunc, quomodo fiat istud, quia necesse est jam te inaudita supplicia experiri. Ad hæc Sanctus: Non est meum sustinere, nec ex mea virtute durare: sed gratia Jesu Christi tolerantiam et fortitudinem suo Militi in agone largitur; quatenus et tu amplius erubescas, et ejus potentia magis ac magis in sui Martyris constantia reveletur. Si de mea virtute præsumerem, tormenta sustinere non valens succumberem, et negarem: quia vero supra firmam tantum petram meum posui fundamentum, quid mirum, si supplicia parvipendens in modum petræ videor duruisse? B

22 Hoc audito rex nimio furore accensus, laminas ferreas ad modum genuum ejus fieri, et eum clavis acutissimis ex utraque infigi suis genibus mandat. Post hæc eum suspendi fecit, quatenus genua ejus evellerent *: et per tres dies ita pependit. Die vero tertio Martyrem satellites deponentes, regio eum conspectui præsentarunt, cui rex dixit: Vides, Gregori, quia nequaquam te de manibus meis eripuit vanitas spei tuæ, in qua confidis. Et Martyr: Tua potius spes et operatio vana esse probatur. An non vides, quia omnium pœnarum genera vultu hilari pertransivi, quarum collatione me cito defecturum aut in corpore, aut in fidei constantia credidisti; et ego quidem, cujus corpus omnibus angustiis subjacuit et pressuris, in die judicii a Deo meo in jucunditate et gloria renovabor: tu vero, si in infidelitate hac perseveras, cum corpore simul et anima igni inextinguibili cruciaberis. Et rex: Non est mihi cura de renovatione, quam concedendam esse a Deo tuo promittis, nec apud me est ejusmodi reputatio: sed quia dixisti, quod in illa vita igne inextinguibili cruciabor, ego te ad tempus comburi extinguibili igne præcipiam: et videbimus, quid C faciet Deus tuus, in quo præsumis. Et hæc dicens, plumbum liquefactum fieri in lebetem, et super corpus Sancti mandavit infundi. Cum autem hoc factum esset, stabat Martyr fortis et constans, quasi non fuisset in aliquo læsus. Rex vero exterritus, et admirans ejus tolerantiam, dixit: Quomodo est in te spiritus, et per tot tormenta non defecisti, quæ a tam longo tempore cum meo imperio sunt illata? Et Martyr: Jam dixi, qui non est ex mea virtute, sed Dei hujusmodi supplicia sustinere: hoc est enim testamentum ejus, quod cum suis electi posuit, ut et hic eos in propria fide servet, et in futuro ipsorum labori dignum præmium reddat: elegit enim eos in caritate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam. Caritas ficta *f* esset, si quos elegit, non salvaret: sed caritas vera esse probatur, quia quos semel gratis elegit, sibi conregnaturos, in æternum conservat.

tolerat

* forte evellerentur

f

tandem in teterrimum injicitur carcerem, ut moriatur.

23 Videns rex Martyrem non posse cruciatibus flecti, cogitabat sibi honores ac divitias polliceri, ut, quem tormentis nequiverat a suæ mentis proposito, commonitione blandiflua revocaret. Et dum hoc agere jam cepisset, accessit ad eum D unus de magnatibus suis, dicens: Domine mi rex, non expedit, ut sceleratus iste veniam tuæ misericordiæ consequatur: est enim filius Anach Parthi, qui felicis memoriæ patrem tuum crudeliter cum hujus patruo interfecit: in cujus morte tota fere Armenia est destructa. Quod cum rex audisset, et veraciter, quod filius Anach Parthi esset, cognovisset; nimia indignatione repletus, per manus, pedes, et collum Sanctum vinciri, et sic vinctum in quamdam civitatem, nomine Artaxat, deduci fecit. Quo cum deductus fuisset, in quemdam mortiferum locum *g* regio est mandato depositus, quatenus patri debitam pœnam afflictio filialis exsolveret. Locus enim ille propter viros nequissimos et in pœnam omnium malefactorum fuerat ædificatus, et omnes, qui mittebantur in eo, toti deficiebant, quia locus et frigore abundabat et obscuritate horridus, et putredine abominabilis, et quod est deterius, serpentibus plenus erat: in quo tamen Martyr Dei per quatuordecim annos, per quos ibi moratus est, Dei misericordia vixit: quædam enim mulier, in præfata civitate degens, per revelationem est in somnis admonita, ut quoti- E diano victu Martyrem positum in lacu pessimo sustentaret: quod secundum visionem, quam viderat, studiose per dies singulos faciebat: quotidie namque panem unum projiciebat in lacum, quo Martyr Domini reficiebatur. Et ita usque quatuordecim annos Sanctus in lacu illo pestifero, sicut prædictum est, muliebri fuit ministerio sustentatus: quousque Deo volente de eodem lacu abstractus est.

g

ANNOTATA.

a *Si per* lapides Salinarum *auctor intelligat duras salis massas, quæ instar marmoris e sodinis eruuntur, consonat cum græco. Quod addit de* cautione adhibita, ut non posset cito morti, *non est in græco, verisimile tamen. Vide ibi annotata.*

b *Quæ dicuntur de imagine viva et mortua, et reliqua fere omnia hujus orationis ratiocinia ex vita græca ab auctore desumpta sunt, cum aliqua tamen mutatione, et omissis non paucis. Poterant omnia sine damno omitti, cum verisimiliter non sint* S. Gregorii *verba.*

c *De mortuis animalibus sacrificio oblatis, vel de mortuorum animalium sacrificio.* F

d *Hoc aliter exponitur in vita græca num. 47.*

e *Quid voce* camperatris *significatum voluerit auctor, prorsus ignoro. De tormento consonat cum vita græca.*

f *Nolim, prudens lector hoc dictum stricte accipiat. Certe Dei caritas in electos est non ficta. At non cogitavit auctor, quid sequeretur, si caritas Dei in homines, quos ad æternam salutem non perducit, ficta esset. Omnis igitur Dei caritas vera est et non ficta, etiamsi et divinæ justitiæ locum relinquat. Neque id auctor negare voluit, quantum conjicio: sed ratiocinando devenit, quo non debebat.*

g *De carcere* S. Gregorii, *qui ab alio etiam, minus tamen congrue,* lacus *vocatur pluribus locis agit vita græca. Consuli potest Commentarius noster num.* 116.

CAPUT.

A

CAPUT III

Martyrium SS. Ripsimes et Gaianæ: Teridatis insania: S. Gregorius carcere liberatus: regis et Armenorum instructio et sanatio: idola destructa.

Martyrium S. Ripsimes et Gaianæ: pœna Teridatis.

Interea rex Teridacius Ripsimiam, illustrem civem Romanam et sacratissimam virginem, quæ Diocletiani imperatoris conjugium fugiens, in partes Armeniæ cum sancta Gaiane nutrice venerat, cupiebat sibi matrimonio mediante associare. Quod cum illa facere recusaret, et diceret, se Jesum Christum suum sponsum nulla posse ratione dimittere, tam B. Ripsimia, quam ejus B nutrix, propter castitatis fidem tamdiu sunt suppliciis maceratæ, quousque supremum spiritum *a* exhalarent. Unde factum est, ut rex tum pro tormentis, quæ B. Gregorio intulerat, tum pro sanctarum martyrio Mulierum, debitas pœnas divino judicio sustineret: quadam enim die, cum venatum cum suis familiaribus pergeret, repente spiritus eum malignus invadens et præcipitans de curru, in quo sedebat, adeo insanire fecit, ut extra naturam humanam factus, carnes suas ex nimia rabie devoraret, et ut brutum animal factus, campestria ex incredibili insania *b* circuiret. Plures etiam de militibus suis eodem tempore in hunc modum a dæmone vexari cœperunt: justum quippe fuerat, ut ad torquendum diabolo traderentur, qui Creatoris sui præcepta contempserant, et eum in suis corporibus invenisse habitaculum demonstrarent, quia longo jam tempore in eorum animabus domicilium constituerat. Facta est igitur tribulatio et angustia in Armeniæ regione non modica, quia homines et de proximorum cruciatibus tristabantur, et se sine tutela regia esse dolebant.

quem a Gregorio sanandum, in visione audit ejus soror.

25 Per idem tempus soror regis, nomine Chusaroducta, vidit in somnis quemdam virum clarissimum sibi præcipientem: Dicas Armeniæ optimatibus, ut Gregorium Dei famulum abstra- C here de lacu festinent, quia per ipsum universæ Armeniæ via salutis et scientiæ ostendetur. Cumque a somno evigilasset, et visionem, quam viderat, timore perculsa referret, auditores eam ceperunt deridere, dicentes: Fortasse et tu a dæmonio es arrepta, quæ verba hujuscemodi profers? quomodo infortunatus ille vivere adhuc posset, cum quatuordecim sint anni transacti, ex quo in locum mortiferum est dejectus? vix enim ibi ejus ossa invenirentur, nedum quod hominem vivum extrahere inde possimus. Factum est autem, ut eadem Chusaroducta in somnis secundo et tertio commonefacta, quatenus omnibus fratris sui optimatibus diceret, ut Gregorius de lacu ad eorum salutem ocyus extraheretur, alioquin pro negligentia sua supplicia esset multa passura. Quæ pergens cum maxima festinatione ad optimates, visionem seriatim, quam exterrita viderat, indicavit.

26 Habito igitur consilio, optimates in civitate Artaxat, ubi lacus fuerat ædificatus, quemdam principem Abdiam *c* nomine dirigunt, præcipientes ei, ut de Gregorio studioso inquireret; et, si vivum illum reperisset, secum eum cum honore maximo ad eos perducere festinaret. Veniens ergo Abdias in civitate prædicta, ab ejus civibus cum magno honore et gaudio est susceptus. Quibus sui adventus causam solicito inquirentibus, ut Gregorium vinctum de lacu extraheret, se venisse respondit. Mirantibus illis atque dicentibus ex temporum longitudine et loci pœnalitate hominem in fata jam concessisse; Abdias visionem sororis regis, quam super hoc bis et ter viderat, recitavit. Statim ergo funes longos et validos afferentes in ipsum lacum mortiferum deposuere, clamante Abdia principe ac dicente: Gregori, si adhuc inter vivos es, veni foras; quia Deus tuus, cui servis, te ascendere jussit. Cumque S. Gregorius ascendisset, videntes homines totum corpus ejus nigerrimum, obstupuere: et inducentes eum cum ingenti gaudio et honore, in civitatem Valerotistam, ubi morabatur rex Teridacius, adduxerunt.

A. ANONYMO.

Sanctus e carcere eductus *c*

regem et alios habet supplices: reliquias Martyrum colligit:

27 Tunc rex cum omnibus illis, qui ab iniquo spiritu vexabantur, S. Gregorio obviavit, et humi prostratri pedes Sancti apprehendere et sæpenumero osculari ceperunt, ex toto corde veniam petentes, et obsecrantes, ut et passiones, E quas sibi intulerant, traderet oblivioni, et illis concupitam sanitatem impendere dignaretur. Quibus B. Gregorius, de terra eos præcipiens consurgere, dixit: Nolite a me, qui similis vestri sum, salutem corporis aut animæ quærere, sed cognoscite Factorem vestrum, qui fecit cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt: et ipse poterit vos sua pietate curare. In ipsa hora interrogavit S. Gregorius astantes, dicens: Ubi sunt sanctarum Martyrum corpora? At illi dixerunt: Quæ Martyrum corpora quæris? Et Sanctus: Quæ a vobis sunt pro amore Christi et fidei confessione perempta. Dixerunt ei: Veni et vide. Pergens itaque Sanctus ad locum, ubi sanctæ Mulieres pro fidei constantia occubuerant, et earum reliquias, quæ dispersæ fuerant, pia colligens devotione, in unum locum studuit congregare: quatenus posset eas insimul debito honore et reverentia sepelire. Tunc rex et omnes magnates pretiosas vestes in sepulturæ honorem et gloriam contulerunt, quatenus splendidis vestimentis sanctæ Mulieres in ipsa sepultura in- F duerentur. Sanctus vero indignos eos Martyrum obsequio judicans, quia nondum fuerant baptismatis gratiam consequuti, suis vestimentis earum reliquias operire curavit, ut universa, quæ ad sepulturæ honorem contulerant, reportarent. Ipse autem Martyrum reliquias deferens ad locum extra civitatem, ubi eorum fuerat habitatio, properavit, et manens ibi per totam noctem omnipotenti Domino supplicavit, ut pœnitentes, qui cupiebant salvari, apud eum de peccatis suis locum misericordiæ invenirent.

deinde regem et populum *d*

28 Altera vero die Teridacius cum totius fere regni *d* sui principibus et magnatibus omnique populo civitatis Valerotistæ, genu flexo ante S. Gregorium pergunt plorantes atque dicentes: Indulge nobis mala, quæ tibi fecimus, et postula a Creatore omnium Deo tuo, ut non pereamus. Quibus S. Gregorius dixit: Quod Creatorem omnium Deum meum esse dicitis, bene facitis, quia scientibus eum Deus est: qui enim ipsum non, ut decet, agnoscunt, licet revera sint sui creatione, extranei tamen sunt ab illo iniquitate: sola enim iniquitas intra nos et Deum divortium

A. ANONYMO. divortium facit, sola iniquitas inter Creatorem et creaturam parietem inimicitiæ ponit. Mali ergo homines a Deo sunt, sed non cum illo; ex Deo vivunt, sed non illi; per Deum sapiunt, sed non illum: primo denotantur alienati, secundo ingrati, tertio insensati. Cognoscito ergo Deum meum omnipotentem esse, et omnia, quæ in mundo sunt, fecisse, ut et in corpore a flagello instanti eripi, et in anima salutem perpetuam consequi valeatis. Ipse est enim Creator omnium rerum, incomprehensibilis, immensus, inæstimabilis, absque termino, sine tempore, absque corpore, sine materia, ex se perfectus, in se subsistens, per se omnia creans, qui est propinquus omnibus rebus conditis per essentiæ infinitatem, et invisibilis ab eisdem per excellentiam majestatis.

ad pœnitentiam hortatur. 29 Ipse igitur, qui omni principio est superior, ab omni passione liberrimus, ab omni mutabilitate extraneus, propter nostram salutem carnem induit, et mortem suscepit: non quia nequibat nos sine carnis indumento et mortis susceptione salvare; sed ut tanto amplius nos ad sui dilectionem accenderet, quanto ad humiliora
B pro nostra caritate descenderat. Non egebat Divinitas susceptione humanitatis, sed indigebat humanitas passione Divinitatis c, quatenus pia ejus ad terrena descensione ipsa posset glorioso ad cælestia sublimari: Dei enim ad ima descensio, nostra est ad summa promotio; nolite ergo de vestris criminibus desperare, sed agite gratias Creatori, quia sua justitia ideo vos castigavit, ut sanet, sua longanimitate ad hoc vos exspectavit, ut parcat; sua misericordia idcirco vos sustinuit, ut indulgeat. Agite pœnitentiam de reatibus et ignorantiis vestris, ut Deum, quem cultu dæmonum et martyrio mulierum vobis usque modo fecistis iratum, reddatis vobis deinceps precibus et emendatione vitæ placatum. Tunc enim Sanctæ, quæ a vobis passæ sunt, pro vestra salute ad Deum intercedent, si dolorem sufficientem de commissis criminibus in vestro animo esse cognoverint.

Timentibus spem ingerit, et ex miraculis 30 Cum Sanctus hæc verba dixisset, tam rex et optimates sui, quam reliqua hominum plebs, insimul sua vestimenta sciderunt; et spargentes cinerem super capita sua, humoque prostrati, unanimiter quasi ex uno ore clamabant: Quo-
C modo poterit esse nobis aliqua remissionis spes et fiducia, cum in nostris ignorantiis et tenebrosis viis perditi simus? Sanctus vero Gregorius dixit eis: Nolite præ timore nimis desperare; quia Deus noster longanimis est, mansuetus et pius, et major est ejus patienta, quam sit vestri magnitudo languoris. At illi dixerunt: Corda nostra, Pater sanctissime, confirmare digneris, et Creatorem cæli et terræ pro nostris reatibus deprecare, ut nos pœnitentes recipere non dedignetur. Et hæc dicentes propter incredibilem insaniam dæmonum nec ad momentum discedere a Sancti conspectu volebant: statim enim, si ab eo separari tentabant, a dæmonibus sine requie vexabantur. Cum ergo Sanctus ista videret, eorum afflictioni compatiens; talem ad eos protulit orationem. Omnibus notum est, quia propter Dei mei fidem mala mihi incredibilia intulistis; adeo enim in me crudelitas vestra exarsit, quod hoc a vestra iniquitate sum passus, quod humanam naturam est impossibile sustinere: id ergo, quod humanæ naturæ fuit et est impossibile, id divina potentia possibile factum videtis. Quis enim vestrum crederet, quod homo inter serpentes die noctuque vivere, et in tam asperis D tormentis posset incolumis permanere, nisi vos mihi super hoc testes essetis, qui et locum horrendum scitis, et supplicia ipsimet intulistis? Videtis ergo, quod ipse Deum meus naturæ sit factor, qui ejus est immutator: videtis, quia ipse est naturæ dominus, qui eam ad suum imperium pro sua voluntate convertit: distinguendum est ergo inter potestatem naturæ et potestatem Creatoris: natura si quidem suos fines et terminos excedere nullo modo potest, quia cursum sibi a Deo concessum eam necesse est custodire.

in sua conservatione factis 31 Creator vero illa etiam, quæ impossibilia sunt naturæ, potentia interminabili et infinita virtute, cum vult, potest effectui mancipare. Nulla tum contumelia fit naturæ, cum aliquid contra eam fieri a Creatore videtur, quia Creator nequaquam potentiam suam intra fines naturalis potentiæ alligavit, imo ab eo, quidquid habet eadem potentia naturalis, accepit. Tres quippe sunt cursus rerum, mirabilis, voluntarius, naturalis: et mirabilis quidem aliis aut eorum legi non est subjectus, sed libere in omnibus dominatur, neque illis, ut dictum est, facit injuriam, quando eis obviare videtur, quia nec illi E habent aliquid, nisi quod acceperunt ab eo, nec ille, nisi sub se, aliquid eis dedit. Licet ergo secundum naturam impossibile fuerit, me tot illata supplicia sustinere; Deus tamen omnipotens, cui servio, quod naturæ fuit et est impossibile, ex sua potentia possibile esse fecit; et ideo super tormentis meis non est mirandum, quoniam hoc, ut dixi, non ex potestate naturæ, sed Dei, quæ distinguitur a natura, ut dictum est, potentia contigit. Cognoscite ergo, quia ille, qui me inter supplicia servavit incolumem, ipse corda vestra de malo in bonum convertens, suo amore replevit. Dico enim de me, quia, nisi Deus parvitatem meam conservasset ad viam vobis scientiæ demonstrandam; neque salutis verbum prædicare præsumerem, neque inter tot amara tormenta vivere potuissem. Quotidie namque in lacu illo horrido et profundo angelum Domini confortantem me aspiciebam, atque dicentem: Ne timeas, Gregori, quia Dominus custodit te, ut sis ei minister in prædicatione, ut sis cultor vineæ suæ dilectæ, quatenus cum aliis operariis mercedem tibi debitam, peracto labore, recipias. F

eum confirmat: hortatur ad ecclesiam exstruendam. 32 Audite igitur me, dilectissimi, et Dei nuntium, ferentem vobis vitæ monita et præcepta, ne respuatis: facite meum consilium, quod suggero, quatenus in dio judicii securi ante faciem Dei vivi possitis sine rubore vestrorum reatuum apparere: expellite vanas cogitationes a mentibus vestris, et suscipite in eis timorem Dei, ut postea fidem, quæ humanæ salutis initium est, et virtutum est omnium fundamentum, plantare in ipsis jejunio, obedientia et humilitate possitis. Quod si in esse constiterit, et digni baptismatis lavacro efficiemini, et sub vestris pedibus humani generis adversarium conteretis, sanctis etiam Mulieribus, quas neci pro fidei constantia tradidistis, ædificare oratorium studeatis, quatenus earum intercessione et Judicis iram evadere, et vitam possitis perpetuam obtinere. Omnes ergo cum gaudio spirituali et fructuosa devotione hoc agite, ut, qui hic sanctis Martyribus domos ædificatis, in cælo ipsarum precibus clarissimas possitis percipere mansiones.

Perfecit docere Sanctus: deinde Martyribus ædem sacratam. 33 Hæc cum dixisset B. Gregorius, dedit licentiam tam regi et magnatibus suis, quam populo universo, ut ad loca propria remearent. Rex

A Rex autem et magnates ejus separari ab eo nolebant, quia, cum facere id tentabant, ut prædictum est, a dæmonibus sine requie vexabantur. Erat igitur eorum mansio die ac nocte in vineis juxta ostium tabernaculi Sancti, et induti saccis, cinere super capita sua sparso, in jejunio et luctu per sexaginta dies *f* ibi manserunt: B. vero Gregorius die ac nocte non cessabat eorum animos lege divina instruere et confirmare. Ad famam autem et prædicationem ejus properabat omnis utriusque sexus et ætatis diversæ audire Dei mirabilia et videre: timor enim divinus ita omnium corda repleverat, ut certatim cum summa festinatione ad Sanctum irent, parati et fidem Christi suscipere, et in omnibus Martyris imperio obedire. Completis itaque sexaginta diebus, tam rex cum suis principibus et magnatibus, quam populus universus ad pedes S. Gregorii ceciderunt rogantes, ut sanitatem super sua valetudine invenirent: omnes enim erant a justo Judice in furoris virga percussi. Dum ergo omnes prostrati jacerent, B. Gregorius dixit eis: Surgite, et Martyres prius in requiem commutemus, ut ipsæ postea in corporis et animæ renovatio-
B nem suis precibus vos commutent: et cum hæc dixisset, jussit præparari omnia, quæ ad construendum oratorium necessaria videbantur.

arcasque curat componi, eorumque corpora in iis ipse collocat.

34 Hoc audientes, omnes cum velocitate nimia et devotione mirabili universa, quæ opportuna erant ædificio, deferebant: alii enim lapides, alii ligna cedrina, alii marmora pretiosa portabant: currebant enim omnes ad hoc opus perficiendum, non modo viri et mulieres, verum etiam senes et parvuli *g*, cum timore magno et reverentia debita, timens unusquisque, ne, si ab hoc ædificio inveniretur exturris, a salutifera gratia efficeretur extraneus. Sanctus vero Gregorius plumbeam lineam *h* fabrorum accipiens, oratorii fundamenta cum nimia diligentia designavit, ut post designationem tam fundamenta immobilia constituere, quam totius fabricæ superficiem erigere valerent: et ita in paucis diebus Sanctis Dei pulcherrimo et eleganti opere templum *i* mirabile construxerunt. Post hæc B. Gregorius cedrinis tabulis locellos, in quibus conderentur reliquiæ, fieri jussit. Quod cum factum esset, accipiens ipse locellos, solus in eis San-
C ctarum reliquias collocavit, semotim uniuscujusque corpus in proprio locello recondens, et dicens eis, qui sibi locellos attulerant: Nequaquam licet vobis Martyrum exequio * appropiare, cum adhuc non sitis baptismatis gratiam consequuti.

* *i. e.* exequiis

Dona pro Martyribus oblata interim servari jubet.

35 Rex vero et uxor ejus, principes quoque et magnates sui auri et argenti nimium, balsami plurimum, linteamina byssina, pannos hyacinthinos et vestes purpureas, ornatas auro phrygio, attulerunt, juxta templi ostium ea ponentes. Cum autem S. Gregorius egrederetur, et omnia hujuscemodi ornamenta ante januam templi cumulata videret, dixit ad illos, qui ea illic posuerant: Non est conveniens Sanctarum reliquiis de rebus vestris aliquid appropiare, nisi sancto lavacro purificemini. Hæc itaque omnia in cubiculis imperialibus *k* custodiantur, donec vobis magister et pastor a Deo, patre totius misericordiæ, concedatur, ut fiant pontifices et sacerdotes et in vobis ordo ecclesiasticus esse incipiat, et cum fueritis a peccatis vestris unda baptismatis emundati, ad altaris officium et ecclesiæ ornamentum omnia ista per pontificem vobis a Deo concessum habebitis.

A. ANONYMO

regem sanat, templa idolorum destruit.

36 Post hæc omnes B. Gregorio supplicabant, quatenus sanitatem eis impendere dignaretur. Quibus B. Gregorius dixit: Ecce ego vobiscum sum, sicut unus ex vobis: quæro sanitatem vestram a Deo, et vos quærite, et vestri, qui semper benignus et pius est, miserebitur. Flectite ergo genua vestra Deo, quatenus vobis incolumitatem largiri dignetur. Quod cum universi fecissent, ipse ante locellos Martyrum genua flectens, eosque devotissime amplexatus, prolixam orationem pro sanitate regis et aliorum omnium ad Deum fudit. Et cum complesset orationem, apprehendens manum regis, signo crucis facto, eum a dæmonio liberavit: omnes etiam, qui morbo simili laborabant, nec non plures alios, paralyticos, leprosos, aridos, hydropicos, et diversis languoribus fatigatos per Salvatoris gratiam pristinæ restituit sanitati *l*. Tunc a rege B. Gregorius impetravit, quatenus sibi per totum regnum suum ire, et subvertere idolorum templa liceret; quod cum rex ei animo benigno concederet, ubicumque B. Gregorius dæmonum templa esse cognoverat, statim ea destruere, et argentum et aurum, quod in eis poterat invenire, per egenos dividere festinabat. Cum- E que a fundamentis templa everterentur, audiebantur in aere voces dæmonum, lamentantium et dicentium: Væ væ nobis *m*! quoniam ab omni loco Jesus Mariæ filius nos expellit, et in virtute ejus Gregorius, olim maceratus universis suppliciis et emortuus, nos persequitur.

ANNOTATA.

a *De* SS. Ripsimia *et* Gaiana *multo plura dabit vita Græca cap.* 6 *et* 7; *sed multis fœdata fabulis, ut ibidem annotavi. De sanctitate tamen et cultu earum abunde constat, et cultus variis locis probatus est in Commentario prævio.*

b *De pœna Teridatis, ejusque ministrorum, varia congessi in Annotatis ad caput* 8 *Vitæ Græcæ lit.* a, *et ibidem lit.* c *de sequenti sororis eius visione.*

c *In Vita Græca* Autanias, *aut* Autaïas *cum Metaphraste. Vide ibidem Annotata.*

d *Hic Latinus noster multo plus dicit, quam dixerat Græcus, quando* totius fere regni *principes ad* Gregorium *adducit. Nam Græcus solum loquitur de iis, qui erant in civitate regia, et* F *maxime de iis, qui male se habebant. Hinc rursum non recte Latinus omnem civitatis populum regi adjungit. Ratiocinia partim ex Græco adoptavit, partim alia substituit.*

e Divinitas *sive* natura divina *nequaquam passa est aut pati potest. At passa est Persona divina sive Deus in natura humana. Nec aliter, ut conjicio, sensit auctor; sed imprudenter locutus est,* Divinitatem *ponendo pro Deo aut Persona divina.*

f *Sexaginta quinque dies ponit Græcus.*

g *De senibus et parvulis nihil dixit Græcus auctor.*

h Funiculum, *non* plumbeam lineam, *habet auctor primus.*

i *Tria ædificata asserit Græcus, sed non innuit, ullum ex illis fuisse* templum mirabile, *nec de elegantia structuræ loquitur. Sic supra Latinus* marmora pretiosa *addidit, et passim nonnihil amplificat asserta Græci, ubi existimat id fieri posse; multo tamen plura omittit, sicut omisit totam* S. Gregorii visionem.

k *In* regiis *melius dixisset: at ne hoc quidem habet*

A. ANONYMO.

habet græcus. Consule de his Annotata ad caput 11 Vitæ Græcæ lit. b.

l *Hanc regis et aliorum sanationem ex duobus Vitæ Græcæ locis composuit hic Latinus, ex singulis aliquid adoptans, et aliquid etiam adjiciens. De sanatione manuum et pedum agit Græcus num. 124, de integra omnium restitutione num. 127. Sanatam a* Gregorio *regem credimus. At pro adjunctis videri possunt annotata ad caput* 11, *lit.* l.

m *Idolorum templa destruxit* S. Gregorius : *de eo nullum est dubium. Voces quoque ejusmodi dæmonum non essent incredibiles; si assererentur ab auctore magis sincero, quam sit græcus, ex quo hic sua hausit.*

CAPUT III

S. Gregorius Cæsareæ a Leontio consecratur archiepiscopus Armeniæ: eo reversus, regem multumque populum baptizat, totamque convertit Armeniam: sancti virtutes et obitus.

B

S. Gregorius archiepiscopus fit Armeniæ,

Postquam vero B. Gregorius totam fere Armeniam ab idolorum cultu et spurcitiis emundavit, ad regem Teridacium cum omni gaudio et lætitia est reversus. Tunc rex consilium cum omnibus principibus suis habuit, quatenus B. Gregorius archiepiscopus ad illuminationem totius Armeniæ efficeretur. Sed cum Athleta Christi hoc deprehenderet, omni nisu resistere eis cœpit, dicens, se tanto honore indignum esse, et consulens eis, ut aliquem invenirent, qui onus istud posset sine animæ suæ dispendio sustinere. Cumque per dies plurimos inter eos contentio hujuscemodi fieret, una eademque nocte in somnis angelus Domini et regi apparuit, præcipiens, ut Dei Hominem in summum sacerdotem sine mora eligi faceret; et B. Gregorio se ostendit, monens eum, quatenus sacratissimum C honorem recipiens, petitioni regiæ acquiesceret, asserens voluntatem regis et populi a Deo esse, ideoque minime sibi licere Dei disponentis arbitrio contraire. Supervenienti igitur die, dum utrique unam et eandem visionem revelatione sibi mutua patefacerent; B. Gregorius, non audens amplius voluntati regiæ, imo Dei dispositioni resistere, dixit : Fiat voluntas Dei : paratus sum in omnibus adimplere, quidquid de mea parvitate facere superna dignatio disposuerit.

mittitur Cæsaream, ubi a S. Leontio consecratur.

38 Tunc rex ingenti gaudio et exultatione repletus, cum omni gloria et honore S. Gregorium ad Leontium venerabilem præsulem Cæsareæ delegavit, litteris regalibus ei supplicans, ut ipsum in archiepiscopum totius Armeniæ consecraret. Dedit autem B. Gregorio tam ad sui honorem, quam ad itineris comitatum sedecim de honoratioribus totius sui regni principibus, præcipiens eis, ut Domini Confessorem in aureo curru, equis albis attrahentibus eum, ponerent, et usque Cæsaream illic hoc modo proficiscenti cum omni subjectione collaterales individui adhærerent. Assumptis ergo secum B. Gregorius sedecim principibus sibi a rege datis, aureum currum conscendens *a*, Cæsaream in paucis diebus, D Deo iter suum prosperum faciente, pervenit. Quo cum pervenisset, tam a Leontio venerabili archiepiscopo, quam ab omnibus civitatis illius hominibus cum ingenti honore et humanitatis officio est susceptus. Cumque principes, qui cum B. Gregorio venerant, piam regis petitionem antistiti Cæsareæ patefacerent, et ejus super hoc deprecatorias litteras in medium protulissent; antistes regis conversioni congaudens, preces ejus primo clementer admisit, postea diligenti exequutioni mandavit: audiverat enim, quomodo B. Gregorius pro confessione fidei Christianæ horrida supplicia pertulisset, et qualiter postmodum rex, a Deo illum visitante percussus, fuerat ad eum corde contrito et humiliato reversus. Mittens ergo archiepiscopus per universam diœcesim suam legatos, omnes episcopos suæ ditioni subjectos in Cæsarea congregari mandavit; quatenus episcoporum synodo adunata B. Gregorio totius Armeniæ pontificium traderetur. Quibus congregatis in unum et manum super caput ipsius ponentibus, B. Gregorius Spiritus sancti gratia mediante potestatem ligandi et solvendi cum honore pontificatus accepit. *a*

E

Reversus in Armeniam, regem

39 Quo facto, licentia et benedictione humiliter postulata *, ad regem reverteretur iter arripuit. In ipsa vero reversione, ubicumque superesse adhuc templa *b* dæmonum audiebat, divertebat illuc, et ea penitus destruere festinabat. In multis etiam locis ad honorem Dei ecclesias construens, sacerdotes inibi et baptisteria consecrabat. Audiens itaque Teridacius rex, quod B. Gregorius, accepto honore pontificii, remearet, cum sua conjuge Asichina regina et sorore sua germana Chusaroducta et magna militia ei statuit obviare, quatenus salutis eorum bajulus in immenso honore et gaudio exciperetur. Veniens autem usque ad flumen Euphratem, et audiens eum ad subvertenda quædam templa, quæ fuerant residua, divertisse, in eodem loco eum per unius mensis spatium exspectavit. Subversis itaque per idem spatium universis templis Armeniæ, quæ supererant, post triginta dies Sanctus ad regem Teridacium est reversus : cumque eum juxta flumen Euphraten cum omni sua militia invenisset, nimium exhilaratus præcepit suis, ut per aliorum triginta dierum spatium juxta prædictum fluvium commanentes in jejunio, luctu et F oratione persisterent, quatenus eos lavacro regenerationis dignos Spiritus sancti gratia inveniret. Quod cum fecissent, post triginta dies in ipso flumine Euphrate eos in Trinitatis nomine baptizavit, et post baptismum sacramenta eis cælestia et redemptionis mysterium reseravit.

* Deest ut *b*

et immensam hominum multitudinem baptizat:

40 Dum autem baptizarentur, visa est quædam lux in modum columnæ in ipso flumine, in cujus summitate Dominicæ Crucis signum reverendum apparuit; quia enim ii, qui tenebræ olim fuerant, lucis filii divina largiente misericordia efficiebantur, justum fuit, ut ad hoc ostendendum columna inter eos splendoris ineffabilis appareret. Postquam vero omnes de sancto lavacro ascenderunt vestibus albis induti, cereos in manu gestantes ad Dominicum templum, quod B. Gregorius construxerat in civitate Bacaubam contigua flumini, in quo baptizati fuerant, perrexerunt: in quo cum B. Gregorius Missarum solemnia celebraret, universis sacrosanctum Corpus et Sanguinem Agni immaculati distribuit. Ii vero, qui in illa die sunt baptizati plures quam quindecim miliades, id est, centum quinquaginta millia

A millia hominum exstitere. Mansit autem ibi B. Gregorius per dies septem, ut ii, qui ad primum diem venire nequiverant, per illos dies residuos novum induere hominem et Christo conformari valerent : in quibus diebus multitudo innumerabilis per Domini sacerdotem baptismatis est mysterium consecuta.

totam convertit Armeniam, amansque solitudinis,

41 Post hæc totam Armeniæ regionem Gregorius sua prædicatione circumdans, decem viros religiosos, quorum nomina sunt, Albinus, Euthalius, Bassus, Moyses, Eusebius, Joannes, Agapius c, Arsocius, Antiochus, in episcopos provida discretione promovit : sacerdotes quoque innumeros ordinans, unicuique eorum ecclesiam assignavit. Monasteria quoque in desertis locis plura constituit, in quibus viri Deo dignissimi die noctuque Creatori suo sedulum et acceptabile sacrificium exhibebant : erat enim ibi fervor spiritualis, lectio frequens, oratio assidua et indefessa, edictum de corporis abstinentia, collatio de dulcedine lacrymarum, et cætera ibi sanctæ disciplinæ studia exercebantur. Postquam vero B. Gregorius totam Armeniam ad viam salutis et scientiæ revocavit, contemplationis requiem magis diligens, B quam vitæ activæ labores, in desertum ad montana loca perrexit, ut ibi tanto liberius, quanto secretius, Creatori suo posset sollicitius famulari.

suos tamen subinde visitat. Pietas regis Teridatis.

42 Rex autem Teridatius sæpenumero ad eum accedens, ipsius pedibus provolutus rogabat eum, ut secum ad urbes descendens conversorum ad Deum animos in fide sua prædicatione firmaret; asserens longe melius ei esse multorum animas reddere Creatori et lucrifacere, quam sibi soli in contemplationis requie providere. Cujus precibus B. Gregorius compatiens et devictus, frequenter solitudinis loca deserens, in civitates Armeniæ descendebat, et cum Teridatio rege permanens, pia illi solatia super quotidiano gemitu et afflictione assidua ministrabat. Teridacius enim rex tum pro sui cordis duritia, tum pro tormentis, quæ B. Gregorio inferri jusserat, crebra suspiria et innumeros singultus emittens, amaras lacrymas indesinenter more currentis fluvii emittebat. Toto namque vitæ suæ tempore in vigiliis, oratione, luctu et jejunio perseverans Creatorem omnium supplicabat, quatenus sua delicta sibi ad pœnam non imputaret, sed ea gratuito dono et ineffabili pietate delere ad sui nominis gloriam dignaretur.

A. ANONYMO.

Gregorii Sermones scripti et obitus.

43 Postquam vero B. Gregorius universam terram Armeniæ sua prædicatione convertit, ad vitam se transferens contemplativam, secundum sapientiam sibi a Deo datam sermones multos et ædificationis verba composuit, atque ad succedentium notitiam et proficuum styli officio designavit, quatenus non solum sui contemporanei et propinqui, verum etiam posteri et remoti in doctrinam ejus largiflua salutis consilium invenirent. In bonis etiam operibus adeo se pervigilem et studiosum ostendit, ut et actio suo nomini conveniret, et nomen congrueret actioni. Nequaquam enim more illorum, qui tuba inversa canunt, et sermones suos operibus destruebat, et opera sermonibus impugnabat. Cum ergo post bonum certamen, quod certaverat, cursum ministerii consummasset, immortalitatis stolam pro retributione justitiæ recepturus, senex et plenus dierum ad Dominum in pace migravit. Cujus festum celebratur quarto Nonas Decembris ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. E

ANNOTATA.

a *De consecratione per Leontium Cæsareensem constat. At consecratio facta est tempore persecutionis. Hinc multa græci scriptoris asserta, etiamsi hic non parum sint contracta et modestius posita, non fiunt verisimilia. Videri poterunt annotata ad vitam græcam cap.* 12.

b *De uno in via destructo loquitur vita græca num.* 141 *et seqq. De pluribus ecclesiis quasi in itinere exstructis mox eadem agit, sed verisimiliter præpropere.*

c *Hoc loco omissus* Artius, *et sequentis nomen leviter mutatum. Consule græcum num.* 154, *et ad illam vitam annotata pro reliquis.*

DE S. LEOPARDO MARTYRE ROMANO, F

CULTO AQUISGRANI IN GERMANIA.

CONMENTARIUS PRÆVIUS. C. S.

Memoria in sacris Fastis; translatio et cultus Aquisgrani : Acta fabulosa.

SUB JULIANO, UT FERTUR. Illum hoc die annuntiant Martyrologium Galesinii, et Romanum Baronii,

Petrus Galesinius in Martyrologio sanctæ Romanæ Ecclesiæ *S. Leopardum *hodie annuntiavit Aquisgrani in Germania Cis-Rhenana his verbis :* Aquisgrani, S. Leopardi martyris, qui Juliani imperatoris jussu pro Christi gloria primo variis excruciatus suppliciis, demum veræ divinæque pietatis athleta fortissimus, datis cervicibus, coronatur. *Eumdem in suo Martyrologio Romano retinuit Baronius, adscripta urbe Roma pro palæstra; quo modo etiam legitur in hodierno, quod a Benedicto XIV summo pontifice recognitum, abhinc aliquot annis recusum est. Hujus verba accipe.* Eodem die, S. Leopardi martyris, ex domesticis Juliani apostatæ, cui caput

AUCTORE C. S.

put Romæ amputatum fuit, et corpus ejus Aquisgranum translatum. *Galesinius in annotationibus suis laudat Tabulas Aquisgranenses et Molani Indiculum Sanctorum Belgii; Baronius autem eumdem Molanum in Indiculo et additionibus ad Martyrologium Usuardi.*

Molanus et Grevenus in Auctariis Usuardinis;

2 *In hisce Molanus apud Sollerium nostrum inter Auctaria Usuardina ad hunc diem sic habet :* Eodem die, festivitas S. Leopardi martyris; *ac mox minoribus typis addit :* Romæ; nunc in Aquisgrani quiescentis. *In Indiculo autem Sanctorum Belgii hæc ait :* S. Leopardus martyr, cubicularius Juliani imperatoris, a quo etiam post varia tormenta Romæ capite plexus est; translatus quiescit Aquisgrani, quod oppidum est imperiale diœcesis Leodiensis. Festum ejus incidit in trigesimum Septembris. *Pluribus de eodem denuo agit in Natalibus Belgii, ubi ex Lectionibus ecclesiæ Aquensis, sive Aquisgranensis, elogium ei texuit, quod quia ex actis infra dandis contractum est, prætermitto. Molanum igitur, qui post medium sæculum 16 scripsit, primum e martyrologis ducem hic secuti fuere Galesinius et Cardinalis Baronius; ego aliquot antiquiores adjungam. Grevenus in suo Martyrologio Usuardino, anno 1521* B *edito, quo se usum fuisse, Molanus in Præfatione indicat, sanctum martyrem hoc eodem die jam commemoraverat;* Romæ (*inquiens*) S. Leopardi martyris, apud Aquisgrani nunc quiescentis : *quæ ipsissima fere verba sunt, quæ a Molano primæ annuntiationi suæ adjecta dixi.*

Florarium, editio Lubeco-Coloniensis, et ms. Martyrologium Bedæ.

3 *In Florario quoque nostro ms. sanctorum, quod anno 1486 ad calcem perductum esse notatur, hodie legitur :* Aquisgrani, sancti Leopardi martyris. *Ejusdem ætatis est Martyrologium Usuardinum editionis Lubeco-Coloniensis, anno 1490 factæ, quod pariter habet :* Ipso die, sancti Leopardi martyris. *Denique his omnibus multo antiquius est Martyrologium Bedæ, quod in usum imperialis basilicæ S. Mariæ Virginis Aquisgranensis auctum, et ex ejusdem ms. codice descriptum exstat in Museo nostro. Nullum quidem annum præfert; sed cum præfixum habeat chronicon a Nativitate Christi usque in annum 1196 deductum, neque in isto Martyrologio ullus sanctus eo tempore posterior occurrat, verisimillimum est, utrumque circa finem sæculi 12 exaratum esse. In* C *hoc ad prædictum diem sic dicitur :* Eodem die, festivitatis (*lege* festivitas) sancti Leopardi martyris. *Porro ad hæc observare tria possumus.*

in usum basilicæ Aquisgranensis auctum.

4 *Primum est, per vocem* festivitas *festum aliquod peculiare, non solum sancti in sacris Fastis memoriam indicari, idque Aquisgrani, cum S. Leopardi corpus jam tum quievisse dicendum sit in basilica Aquisgranensi, ad cujus usum istud Bedæ Martyrologium auctum fuit. Secundum est, dubium relinqui, an ibidem memoria natalis seu martyrii dies, an translationis vel alterius cujuscumque solemnitatis indicetur : nam et vox* festivitas *ambigua est; et in aliis ejusdem Martyrologii annuntiationibus* Natale, depositio, passio, *vel aliqua ejusmodi vocula pro martyrum memoria ordinarie leguntur. Tertio denique non videtur dubitandum, quin Molanus primam annuntiationis suæ partem, quam in priori editione solam habet, ex illo ipso Martyrologio acceperit; tum quia etiam utitur voce* festivitas; *tum quia annuntiationi apposuit litteram P, qua in Præfatione num. 10 præmonuerat, indicari ista hausta esse ex* Martyrologio propriæ ecclesiæ apud Belgas; hoc est, in qua corpus sanctum quiescit, vel in qua Sanctus resedit. *Belgis autem Aquisgranenses accensuit.* D

Colitur Aquisgrani, ubi ejus corpus asservatur.

5 *Corpus S. Leopardi martyris in prædicta basilica Aquisgrani a multo tempore religiose servatum esse, etiam aliunde discimus. Passio illius ms., quam dabo, sic habet in calce :* Postea vero translatus Aquisgrani, ubi usque hodie ejus pia intercessio quæritur, et de miraculis tam gloriosi Martyris per fidelium voces laus Christo recitatur, annuente Domino nostro Jesu Christo, cujus floret imperium in sæcula sæculorum. Amen. *De eodem sacro corpore ibidem quiescente etiam consentiunt Petrus a Beeck in Aquisgrano cap. 9, Joannes Noppius in ejusdem civitatis chronico lib. 1, cap. 2, et libelli sive catalogi sacrarum reliquiarum, quæ singulis septenniis in eadem imperiali basilica publice ac solemniter fidelibus solent ostendi, et inter quas decimo septimo loco* corpus S. Leopardi *recensetur. Laudatus Noppius præterea scribit, sacra hujus ossa simul cum corpore S. Caroli Magni imperatoris pretiosæ thecæ inclusa fuisse. Verba ejus ex Germanicis latina subjungo.*

quod tamen non videtur cum S. Caroli Magni corpore

6 Post peractam canonizationem (*Caroli Magni*) sacrum hujus corpus una cum ossibus nobilis Romani ac martyris S. Leopardi a prædictis duobus episcopis (*Coloniensi atque Leodiensi*) positum fuit in arca aurea, quæ hodieque in chori ara E servatur, ac in majoribus solemnitatibus spectanda deponitur. *Ita quidem ille, at mihi parum verisimiliter. Canonizatio hæc, quam anno 1166 factam præmiserat, fuit solemnis Caroli Magni corporis elevatio, quam Fredericus I imperator cum consensu antipapæ sui Guidonis Cremensis, Paschalis III dicti, assistentibus Raynaldo, archiepiscopo Coloniensi et Alexandro Leodiensi antistite, multisque imperii principibus peregit : de qua consule Opus nostrum tom. II Januarii in S. Carolo Magno pag. 888 et sequentibus, ubi etiam dicti Frederici imperatoris diploma, hac super re datum, notatur quidem anno 1166, sed ipsa sacri corporis elevatio præcedenti contigisse dicitur.*

in eadem arca inclusum ac simul elevatum fuisset

7 *Verum nulla hic de* S. Leopardo *fit mentio; neque assequi potui, unde Noppius, qui chronicon suum anno 1632 Coloniæ Agrippinæ typis vulgavit, didicerit, hujus Sancti ossa simul cum corpore S. Caroli Magni in una communi lipsanotheca recondita et suo etiam tempore sic servari solita esse. Certe supra laudati catalogi reliquiarum, variis annis ante et post Noppii chronicon editi (quorum potior est fides) oppositum docent, dum corpus* F S. Leopardi *recensent, et aliqui etiam ejusdem lipsanothecam æri incisam exhibent sine ulla addita vocula de S. Caroli corpore in eadem theca servato. Quam ob rem suspicor, Noppium hic hallucinatum fuisse, et quod de utriusque Sancti reliquiis in eodem altari asservatis acceperat, de eadem etiam arca interpretatum esse. Verum hæc melius dispicere poterunt Aquisgranenses. Utut sit, ex dictis prudenter dubitari nequit, quin S. Leopardi martyris corpus, aut saltem ejusdem notabilis pars, in sæpe dicta basilica Aquisgrani jam ab aliquot sæculis quiescat, magnoque semper in honore fuerit, cum inter celebriores sacras reliquias singulis septenniis magna cum solemnitate publicæ soleat venerationi exponi.*

Dicitur corpus ejus Otriculo ex Umbria

8 *Locum, ex quo hæ* S. Leopardi *exuviæ Aquisgranum allatæ fuerunt, scriptor Passionis illius assignat* Utricolam, *in quo loco illum mox a martyrio primitus sepultum fuisse ait,* ultra triginta millia*ria dissito ab urbe Roma. Eadem prorsus habet Molanus*

A *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ex Lectionibus, ut ait, ipsius ecclesiæ Aquisgranensis. Utricola, sive* Otriculum, *vel ut alii scribunt*, Ocriculum, *olim civitas episcopalis fuit, pro qua destructa mille circiter passibus inde aliud ejus nominis oppidum postea conditum exstat non longe a Tiberi fluvio, in Umbria ac in diœcesi Narniensi, Italis etiam nunc* Otricoli *dictum. In eo Oppido olim (ac forte etiam suo tempore) jacuisse alicujus S. Leopardi martyris corpus, ait Jacobillus in Sanctis Umbriæ, ab Henschenio nostro relatus ad diem 14 Maji in SS. Victore et Corona pag.* 269, *num.* 2, *ubi ex illius fide dicitur ibidem in charta membranea sic legi :* Ex æde divi Victoris Tiberina anno Domini 1316 sanctorum martyrum, Fulgentii, Elozymi, Nectarii, Leopardi et Coronæ translata corpora hoc sub altari quiescunt. *Subdit, ad istud altare incisam marmori exstare inscriptionem :* Hic requiescunt SS. Fulgentius, Lozymus, Nectarius, Leopardus et Corona, martyres Christi : *quæ certe favent assertioni ex actis mss. et Molano mox allegatæ.*

Aquisgranum translatum, quod satis verisimile est,

9 *De tempore et auctore translationis nihil certi traditum reperi, nisi quod ea donatio S. Carolo Magno accepta referri videatur; quæ quidem opinio satis verisimilis est, quia constat, Aquisgranensem basilicam ab hoc sancto imperatore conditam, censuque ac supellectili et Sanctorum reliquiis locupletatam esse. Verumtamen cum hæc ratio sola non evincat, suspicionem aliam movere possunt, quæ Henschenius noster mox laudatus in eadem pagina* 269, *num.* 3 *ex ms. Ultrajectino memoravit de corporibus SS. Victoris et Coronæ per Ottonem imperatorem Otriculo Aquisgranum translatis. Ms. hoc, teste Henschenio, continet* Sermonem de martyrio et translatione Victoris et Coronæ Utricolo Aquisgranum, *in eoque legitur :* Quæ (*corpora SS. Victoris et Coronæ*) Otho imperator Romæ coronatus Aquisgranum detulisset : ubi in capella S. Mariæ a Carolo Magno constructa singulis sub altaribus essent condita, ibique Dei annuente gratia, multa salutis præstarentur miracula. *Hæc, inquam, suspicionem movere possunt pro* S. Leopardi *translatione eidem Ottoni adscribenda, præsertim quia verbis numero præcedenti datis expressa mentio fit de SS. Leopardi, Coronæ aliorumque reliquiis simul asservatis Otriculi, unde secundum dicta superius* S. Leopardi *martyris, de quo agimus, corpus Aquisgranum translatum fuisse creditur.*

sed de tempore ac auctore translationis minus constat

10 *Fortasse in alteratram partem aliquid certius proferre possem, si ms. Ultrajectinum ab Henschenio laudatum, quod frustra quæsivi, ad manus meas pervenisset. Porro sive Aquisgranenses sui* S. Leopardi *corpus a Carolo Magno, sive ab aliquo Ottone acceperint, nihil obsunt allegata num.* 8, *secundum quæ* S. Leopardi *corpus sæculo* 14 *adolescente Otriculi etiam quieverit; nec pariter obest, quod Jacobillus post tom. III de Sanctis Umbriæ pag.* 38 *illud etiam inter Sanctorum corpora suo tempore ibidem asservata recensuerit; nam quod sæpe alias in Opere nostro observatum est, id hic etiam fieri potuit, ut notabilis sacri corporis pars* corpus *dictum fuerit, atque ita una ejusdem parte Aquisgranum translata, alia, quæ Otriculi remanserat, licet forte longe minor,* corpus, *ut ante, sit appellatum. Atque hæc pro conjecturis a me dicta sunto; nam Jacobillus sanctum illum Leopardum, quasi alium a nostro, fratrem S. Nectarii pariter martyris, ibidem simul quiescentis, facit; quod pro monumento nitatur, mihi plane incompertum est. Hactenus de* S. Leopardi *reliquiis et cultu.*

AUCTORE C. S.

Acta ejus, ab auctore minime antiquo scripta,

11 *Acta ejusdem accepimus a Joanne Gamans, Societatis nostræ presbytero, descripta* ex antiquo Ms. libro ecclesiæ B. Mariæ Aquensis, *id est, Aquisgranensis; suntque simillima, sed prolixiora, elogio, quod Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii ex ejusdem imperialis basilicæ lectionibus dedisse, monui num.* 2. *Illorum scriptor, cum de translatione ad ecclesiam Aquisgranensem facta meminerit, certe sæculo nono, cujus initio illa dedicata fuit, antiquior non est, imo forte multo junior, ut ipsemet satis innuit, dum velut de re dudum præterita ait in calce :* Postea vero (*post primam Sancti sepulturam Otriculi*) translatus Aquisgrani, ubi usque hodie ejus pia intercessio quæritur *etc. Dubitari tamen posset, an hæc a recentiori scriptore antiquis actis non fuerint adjecta, si cetera huic suspicioni faverent; quod non modo non faciunt, verum etiam scriptorem loco et tempore a* S. Leopardi *martyrio longe remotum manifestant.*

fabulis laborant, dum Sanctum Romæ, præsente Juliano,

12 *Duo autem in his actis fidem scriptoris præsertim sublestam faciunt. Primum est* S. Leopardi *palæstra Romana, præsente Juliano imperatore apostata; alterum occasio, quo ille Christum confessus et passus dicitur. Quod ad primum attinet, Julianum Romæ tunc degentem facit, et quidem non exiguo tempore, sed ut minimum per quatuor* mensium spatia; *quod certe contrarium est scriptoribus vetustis ac synchronis, quorum nullus tradidit, Julianum post assumptum in Galliis Augusti titulum umquam Romæ fuisse; et ex quorum dictis præterea constat, eumdem post mortem Constantii, ante quam christianos persecutus non est, numquam ex Oriente regressum fuisse. Itaque vel palæstra Sancti transferenda est in Orientem, in quem Julianus mox ab obitu Constantii citatis itineribus profectus est; et sic omnia concident, quæ de* Leopardi *Romano domicilio, deque institutione ac baptismo a quodam Valentino ibidem acceptis, et sepultura Otriculana ille narrat; vel pro Juliano substituendus est præses aliquis aut præfectus Romæ, et fabulis accensenda, quæ idem scriptor Julianum inter ac* Leopardum *facta refert.*

et divinos honores sibi poscente, passum aiunt,

13 *Alter ejusdem scriptoris error, seu verius commentum est, quod dicat, Julianum jussisse* omnes nobiles, infra Romam habitantes, sibi offerre sacrificia, acsi deus esset : *ac solitum esse* thuribulum aureum coram se quotidie *habere, ut omnes, qui illum salutandi gratia accederent, thus in eo adolerent. Hoc autem nemo veterum de Juliano tradidit, nec S. Gregorius Nazianzenus, ipsi synchronus, in Orationibus, quas in illum scriptas reliquit, eidem exprobrare prætermisisset, si is eo etiam dementiæ devenisset. Enimvero Julianus apostata tam ex hujus, quam ex aliorum antiquorum assertis voluit religiosus deorum cultor haberi, non deus. Quin tantam quoque simulabat homo vafer modestiam, ut ne* domini *quidem titulo, quem alii ejusdem decessores augusti admiserant, compellari se pateretur, ut scribit ipsemet in Misopogo pag.* 66, *editionis opera Dionysii Petavii factæ. Parum igitur novit Juliani indolem anonymus noster, multumque a verisimili abscessit, dum illum divinos honores sibi poscentem in scenam produxit, sanctumque* Leopardum, *quod eosdem ei negasset, coronatum martyrio credi voluit.*

quod utrumque falsum esse

14 *Objici hic posset locus ex laudato S. Gregorio Nazianzeno, qui in Oratione* 3, *quæ adversus Julianum est, inter necessarias artes, quibus illum*

AUCTORE G. S.

*Jum usum esse scribit, ut christianos sensim ac
velut inscios ad idolorum cultum adduceret, etiam
istom narrat. Julianus anniversarium festum ce-
lebrans, singulis militibus donativum de more lar-
giturus, juxta se aurum et thus poni jussit, ac
in propinquo ignem; voluitque, ut quilibet, an-
tequam donativa acciperent, ex antiquo, ut præ-
ferebat, more in largitionibus imperatoriis servari
solito, thus incenderent; re ipsa autem, ut hac
cæremonia christianam fidem abnegasse censeren-
tur. Sic est, hæc ibi pluribus narrat Gregorius,
uti et Sozomenus lib. 5, cap. 17; sed ambo eadem
non Juliani vanæ ambitioni, sed ejusdem im-
pio studio in promovendo inanium deorum cultu
adscribunt.*

ostenditur. Julianus domesticos suos persecutus est.

15 *Propter facti tamen similitudinem suspicor,
hunc ipsum locum anonymo nostro præluxisse, il-
lumque totam Nazianzeni narrationem sic immu-
tasse, ut, quod in Oriente contigerat, Romæ
factum dixerit; pro militibus* omnes nobiles infra
Romam habitantes *substituerit; ac denique, quod
a Juliano apostata semel dicta occasione perfide
tentatum fuerat, ipse illum ad divinos honores sibi
arrogandos* quotidie *factitasse commentus sit. His*
B *fabulis rejectis, videamus, quid de* S. Leopardo
*admitti possit; solent enim fabulæ veris misceri.
Illum Juliani apostatæ cubicularium fuisse ait, et
pro Christi fide occisum. Nihil hoc difficultatis pa-
titur, nec caret exemplo sub Juliano, qui cum
christianam religionem paulatim abolere decreris-
set, domesticos suos in primis aggressus est, teste
laudato S. Gregorio, cujus verba sunt, quæ subdo.*
Quod cum in animum induxisset, . . . alte-
rum ipsius stratagema hoc fuit, solumque ex
omnibus cautum et circumspectum; tametsi alio-
qui valde impium, ut a domesticis et satellitum
manu (quod omnibus persecutoribus familiare est)
sceleris exordium duceret.

et quibus forte fuit S. Leopardus, et in Oriente passus;

16 Neque enim fieri posse (*noverat*) ut exter-
nos aggrederetur; nisi his sibi conciliatis atque
adjunctis, quemadmodum nec exercitum ad-
versus hostes ducere, cum imperatore conten-
dentem et dissidentem. Atque hanc ob causam
aulam totam commutat, aliis morte prius sub-
ductis ac de medio sublatis, aliis submotis et ex-
pulsis; non tam quia benevolo erga magnum im-
peratorem (*Constantium*) animo fuerant, quam
quod majori erga majorem imperatorem (*Christum*)
C benevolentia afficerentur. *Ex hisce ergo unus
fuisse credi posset* S. Leopardus *cubicularius,
nisi Romæ passus esse diceretur, quo tempore Ju-
lianus, cui erat a cubiculis, cum tota aula sua
versabatur in Oriente. Contra vero, si ille in
Oriente passus sit, qua ratione Valentinus (ut in
eadem Passione legitur) prope Romam habitans,
ejusdem corpus mox a martyrio sepelivit Otriculi
in Umbria, unde Aquisgranum translatum credi-
tur. Ne lectorem pluribus morer; unum e duobus
statuendum est; videlicet, vel* S. Leopardum *in
Oriente passum esse, vel, si Romæ passus sit, fa-
bulosa esse omnia, quæ de ejusdem cum Juliano
gestis anonymus venditat.*

sed verisimilius Romæ, absente Juliano,

17 *Postremam mihi probabilius apparet ob ra-
tiones, quas lectori expendendas propono. Primo
potuit anonymus noster multo melius instrui de
loco, ex quo* S. Leopardi *reliquias Aquisgranenses
acceperint, quam de ejusdem gestis tot sæcula an-
terioribus: si autem illæ Otriculo acceptæ sint,
verisimilius est, Sanctum Romæ passum esse, quam
in Oriente: cum de translatione hinc facta Otri-
culum nihil sciatur. Secundo sic facile componi po-
test sancti Martyris Romana palæstra cum sepultura
Otriculana. Tertio secundum allegata num.* 8 D
*et 10 fuit Otriculi alicujus S. Leopardi martyris
corpus, vel saltem reliquiæ, quarum magna vel
etiam potior pars potuit Aquisgranum translata
fuisse. Quarto denique id etiam in aliarum mar-
tyrum actis sequioris notæ satis commune est, ut
ipmeratores, sub quibus passi fuere, velut præsen-
tes inducantur, quos constat tunc procul inde ab-
fuisse.*

sub præfecto gentili

18 *Hoc ipsum etiam in persecutione Juliani
locum habere, observavit Cardinalis Baronius, qui
in Annotatis ad Martyrologium Romanum die
10 Maji in S. Gordiano sub illo pariter passo,*
Admonemus, *inquit*, iterum lectorem, carnifi-
cinas illas, quas Romæ in Christianos exerceri
solitas temporibus Juliani ferunt, non ab ipso
Juliano, sed Aproniano præfecto Urbis institutas
*etc. Imo ea erat Juliani vafrities, ut, quo man-
sueti animi princeps haberetur, nulla lata lege
Christianos ad idololatriam cogeret, nec cogi velle
diceret; sed interim tales præfectos præsidesque
populis daret, qui probe noverant, se nihil gratius
ei posse præstare, quam si illos modis omnibus quam
crudelissime persequerentur; uti non uno in loco
laudatus S. Gregorius testatus est. Legerit ergo* E
anonymus noster, S. Leopardum, *cujus corpus
Aquisgranenses Otriculo acceperant. Romæ passum
fuisse sub Juliano apostatá, idque de imperatore
præsente perperam interpretatus, conjecturas suas
infeliciter addiderit et pro factis venditaverit.*

martyr occubuit.

19 *Ceterum Tillemontius tom. VII Monument.
Eccles. in persecutione Juliani apostata art. 11
observat, eodem imperante, urbis Romanæ præ-
fecturam tres gessisse, Tertullum, Maximum et
Apronianum, paganos omnes. Denique, si* S. Leo-
pardus *revera sub Juliano passus sit, ejusdem mar-
tyrium inter mortem Constantii imperatoris, quæ
mense Novembri anni 361 contigit, ac Juliani
necem, quæ mense Junio anni 363 impietatis suæ
pœnas dedit, reponendum est. Nunc acta subjicio;
quæ, licet fabulosa aut certe fabulis conspersa sint,
quia tamen nec prolixa sunt, nec alibi, quod sciam,
typis edita, danda censui, ut eruditus lector ipse
suum de iisdem judicium facilius ferre queat.*

ACTA FABULOSA F

Auctore anonymo

Ex codice Ms. ecclesiæ B. Mariæ Aquisgranensis.

Romæ nobiliter natus, a Juliano apostata

Temporibus Juliani apostatæ *a* fuit vir qui-
dam magnæ nobilitatis intra urbem Romanam.
cujus erat nomen Leopardus, qui etiam habi-
tabat in domo Aquilinea *b*, unicus patris sui
filius. Dum ipse vero jam dictus Puer pervenis-
set ad suam ætatem, mittitur a patre ad discen-
dum septem liberales artes. Prætitulatus vero
apostata iter agebat per domum Aquilineam, as-
piciensque sursum, vidit quendam Puerum specie
admirabilem in corpore, sed pulchriorem in
animo; crispo capite, lato humero, subtili ven-
tre, oculis more Romano nigris, lacertis quo-
que robustis, genis pubescentibus, alacri vultu
et mediocri statura *c*. Dum vero prænominatus
apostata ad palatium reversus fuisset, misit quen-
dam

a *b* *c*

A. ANONYMO.

A dam juvenem nomine Gallum, ut sub imperiali præcepto jussus sibi pater eum præsentaret, eo quud a tanto Juvene servitium habere decrevisset: pater veru gaudeos lætanter eum ad palatium direxit.

adsciscitur cubicularius, sed a Valentino

2 Julianus autem videns eum, circumstantibus consulibus referebat: O quam decet, talem tanto servire. Manente itaque secum Pueru per quatuor mensium spatia, in tantum sibi placuit, ut ab ipso appellaretur Cubicularius dilectus; ab omnibus autem Romanis speciosior imperatore vocaretur. Magister autem, ad quem ille missus fuerat pro studio, habitabat super Tyberim juxta pontem Molium *d*, qui nomine dicebatur Valentinus: fungebatur enim ipse summi sacerdotii honore *e*, vir præclarus ac Deum timens. Audiens tunc magister Leopardi, quod in tanto dignitatis honore viguisset, nocte ad eum veniens, his verbis alluquitur. O qualis dignitas hujus sæculi, sed quanto major futuri! Ista scilicet visibilis ac commutabilis; ventura autem sine dubio ultra intellectum hominis delectabilis. Scio, te in hujus vanitatis palatio præsentis sæculi magistratum tenere ac gloriam fallacis sæculi multum di-
B ligere; ideoque te, dilectissime Fili, diligeoter admoneo, ut cogites de interitu antecessorum tuurum, et quo quaotoque honore fungerentur, dum in senatorio ordine aliqui morarentur, et quomodo in pulverem sunt redacti. Et quid plura? Ad hoc, quod illi nunc sunt, reverteris, et omnem hujus gloriam absque tua voluntate relinques.

in fide instructus et baptizatus.

3 Itaque dulce solamen laborum, melius tibi est, ut sacri chrismatis unctione ac baptismatis unda recreatus, indubitanter post hujus sæculi vitam ad æternæ gloriam hæreditatis pervenias. Igitur Puer mooitis magistri stupefactus fuit, ac rursus animum recolligens, voluotaria voce respondit: Salutaris est admonitio tua, pater sancte, ut antea, dum sæpius tecum in scholis studui, multa magnaque miracula de Domino Jesu Christo mihi meisque conscholaribus enarrasti. Ipsum vero, quem prædicas, Jesum Christum credo et confiteor, et in ipsius nomine baptizari volu, ac etiamsi oportuerit me mori, non eum oegabo. Magister non modico gaudio repletus, accipiens eum per manum, duxit ad thermas Diocletiani, exuensque eum vestimen-
C tis, baptizavit illum in fonte, qui vocatur Palatinus, sub nomine Jesu Christi. Est autem ipse foos infra thermas Diocletiani, ducente aquæductu usque ad chrisotoclinium, quæ vocatur Aurea domus.

recusansque Juliano thus adolere,

4 In septima itaque die imperator more solito jussit omnes nobiles, infra Romam habitantes, sibi offerre sacrificia, acsi deus esset. Mos quippe suus talis erat, ut thuribulum aureum coram se quotidie staret, atque omnes, qui ad eum salutando perveoissent, quique per ordinem thimiamata ad laudem misissent *f*. Tuoc contigit quadam die, quod juvenis ipse Leopardus ante eum veniens, thimiamatis confectionem mittere noluisset: cæsar vero signum ei faciens, ut ad se veniret, susurransque ei in auriculam dicit: Oblivioni morem tuum tradidisti, mihi thimiamatis odorem non offerens. Ipse vero Spiritu sancto confortatus, aperta confessione protulit: Christianus sum, et Christum confiteor, et hunc solum adoro. Reddere igitur volo Deo, quæ Dei sunt, tibi autem cæsari, quæ tua sunt. Inclinabat itaque se in maoum cæsar, et ingemuit valde, dicens Leopardo: O quomodo carere debes nostra familiaritate; ego autem tuæ decore formositatis! At si non citius a te mihi sacrificium offertur, mors tibi procul dubio apparatur.

post verbera decollatur, sepelitur, Aquisgranum transfertur.

5 Ipse vero e contra audacter loquutus, talem sermonem protulit: Dominus in Evangelio dicit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Nec, cæsar, tuas minas timeo, nec pro te Deum relinquo. Cæsar furore correptus, jussit eum carnificibus dari, ut eum verberibus cæsum, si possent, a credulitate sua cessare facerent. Videntes autem, quod nihil proficerent, reversi nuntiaverunt cæsari: Julianus vero commotus jussit eum extra muros decollari. Decollatus est autem Athleta Christi pridie Kalendas Octobris sub Juliano apostata *g*. Dictum est ergo Valentino de bono certamine ipsius; qui cum gaudio veniens, corpusque ejus colligens cum aromatibus et linteis pretiosis, duxit eum ultra triginta milliaria in locum, qui vocatur Utricola *h*: non enim audebat eum Romæ sepelire propter metum cæsaris. Postea vero translatus Aquisgrani *i*, ubi usque hodie ejus pia intercessio quæritur, et de miraculis tam gloriosi Martyris per fidelium vo- E
ces laus Christo recitatur, annuente Domino nostro Jesu Christo, cujus floret imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Julianus apostata ab exercitu suo Parisiis proclamatus augustus anno* 360, *Romanum imperium post Constantium, mense Novembri anni* 361 *mortuum, solus obtinuit usque in annum* 363, *cujus mense Junio, die* 26 *impiam animam exhalavit ex vulnere in bello adversus Persas accepto. Hoc autem tam exiguo imperii sui tempore Ecclesiam Dei, præsertim per ministros suos, graviter persecutus est.*

b *Quam domum hic per Aquilineam designat? An forte domum C. Aquilii equitis Romani, et clarissimi juris periti, in colle Viminali olim celebrem? Parum refert; quia ex dictis in Commentario fabulosa sunt, quæ de Juliani apostatæ moru Romana gestisque in Urbe cum* S. Leopardo *anonymus enarravit.*

c *Tam accurata sancti Martyris descriptio oculatum testem vel oculati testis testimonium, vel fa-* F
bulatorem indicat; quod postremum hic ex ceteris omnibus manifestum est.

d Pontem Milvium *designat, duobus circiter milliaribus ab urbe Roma dissitum, Constantini Magni de Maxentio victoria celebrem, Italis* Ponte Molle, *a quo Anonymus* Molium *fecit, appellatum. Verum hinc denuo liquet, scriptorem hunc a* S. Leopardi *temporibus longissime abfuisse.*

e *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii arbitratus est, hunc Valentinum fuisse S. Valentinum episcopum Interamnensem;* cujus, *inquit,* tempus in Gestis suis non exprimitur, sed ex eis constat, Romæ eum habuisse multitudinem scholasticorum. *Acta hujus Sancti illustrata habes in Opere nostro ad diem* 14 *Februarii, ibidemque pag.* 757, *num.* 10 *dicitur quidem* multitudo scholasticorum *illius opera* ad Christum *confluxisse, sed non ab eodem in liberalibus artibus instituta fuisse. Verum hoc nihil refert: cum enim S. Valentinus episcopus Interamnensis sæculo tertio passus sit, debuit hic alius fuisse a magistro* S. Leopardi; *vel hujus martyrium ad sæculum tertium pariter*

A. ANONYMO. *pariter referendum est. Porro sublestior est anonymi nostri fides, quam ut in S. Leopardi magistrum pluribus inquiramus.*

f *Fabulosa hæc esse, probavi in Commentario.*

g *Genus, locum diemque martyrii ac persecutorem, sub quo* S. Leopardus *passus est, forsitan* D *e vetustiori didicit anonymus.*

h *De Utricola, sive Otricula consule Commentarium num.* 8.

i *Adi eumdem Commentarium.*

DE S. HIERONYMO PRESBYTERO

ET DOCTORE ECCLESIÆ IN BETHLEEM.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

J. S.

§ I. Generalis hujus commentarii idea.

PROBABILIUS ANNO CDXIX. *Ut S. Hieronymus multos vivens habuit hostes,*

Apud *Sulpicium Severum lib.* 1 *Dialogorum cap.* 9 *Posthumianus, qui sex mensibus apud* S. Hieronymum *fuerat, testatur, eum hæreticis odio fuisse, bonis omnibus admirationi et amori. Verissimum hoc esse Post-* B *humiani assertum, ignorare poterit nullus, qui sanctissimi doctoris opera diligenter perlegerit. Si quis vero consideraverit, prava Joviniani et Vigilantii dogmata, quæ* S. Hieronymus *acriter refutavit, ac semper in scriptis suis refutare pergit, sæculis posterioribus resuscitata fuisse, non mirabitur, odio etiamnum esse* Hieronymum *iis omnibus, qui Jovinianum, Vigilantium, aliosque hæreticos maluit duces habere, quam sanctos Ecclesiæ Patres. Horum igitur, utpote apertorum hostium, facile possemus judicia contemnere, nisi causam odii sui callide celarent, aliaque in operibus* S. Hieronymi *quærerent, ut viro maximo maculas aliquot possent adspergere, et sic alios in partes suas traherent contra famam Doctoris integerrimi.*

ita etiamnum non paucos

2 *Etenim, quemadmodum vivens* Hieronymus *non solos hæreticos habuit adversarios et obtrectatores, sed multos etiam alios, ita hoc tempore non paucos reperio, qui ejusdem facta scriptaque irreverenter et immisericorditer carpunt, assertisque non minus falsis, quam odiosis, Sancti famam maculare student. Inter hos eminere videntur illi, qui auctoritatem Romani Pontificis convellere conantur.* C *lent arrodere. An istis fortasse displicuerint magnifica elogia, quibus fidem Romanam Apostolico ore laudatam frequenter celebrat, quibus cathedram S. Petri effert, quibus a Sede Romana omnem in fidei articulis errorem amovet, eidemque incorruptam Patrum hæreditatem vindicat, certo edicere nequeo. At saltem video, ea ab ipsis alto involvi silentio. An forte illos magis offenderit, quod* S. Hieronymus *clarissimis verbis asserat necessitatem communicandi cum Romana Ecclesia, quod prophanos dicat, omnique salutis spe excludat illos omnes, qui a communione Romani Pontificis se subtrahunt, aliis ego considerandum relinquam. Hoc tamen asserere non dubito, ex ipsis* S. Hieronymi *operibus diligenter perlectis aliam mihi prorsus de sancto doctore ideam ingestam esse, quam nonnulli scriptores ingerere studuerunt.*

habet obtrectatores iniquos,

3 *Vidit olim Erasmus, qui* S. Hieronymi *Opera edidit et vitam scripsit, iniqua esse quorumdam de moribus* S. Hieronymi *judicia. Idem judicarunt alii Operum ejus editores, et nominatim Joannes Martianæus, qui ideam generalem, a nupero scriptore de moribus* Hieronymi *datam, pro hispido phantasmate habuit, non pro vera ideа. Obstupui similiter, fateor, et exhorrui ad ideam generalem, quam dedit Tillemontius tom. XII art.* 1 *de* S. Hieronymo, *etiamsi in utramque partem disserat, et nonnulla ab aliis magis reprehensa mitigare utcumque videatur, ac paucula* F *etiam de sancti virtutibus misceat. Hoc saltem gaudeo, agnovisse Tillemontium, solidam* S. Hieronymo *fuisse humilitatem: sed parum capio, quomodo cum eo virtutum fundamento conjungat vitia nonnulla, quæ cum solida humilitate vix conjungi possunt, ortumque ducunt ex superbia, præsertim cum vitia illa asserat sine ulla probatione idonea. Verum Tillemontii asserta mox examinabo. De aliis* Hieronymi *censoribus, qui præcipue sanctum accusant de nimia styli acrimonia, generatim dicendum videtur, ipsos incidisse in illud ipsum vitium, quod immerito fortasse in* Hieronymo *reprehendunt, et recte multum exaggerant supra verum. Facile credidero, acrimoniam illam a multis jactari, qui rem ipsam non examinarunt, sed aliorum censuris credulos se præbuerunt, aut paucula solum opuscula Sancti legerunt.*

4 *At non sunt tam facile ferenda judicia de viris sanctitate famosis, qualis in primis est* S. *et censores lenissimos.* Hieronymus; *sed mature omnia sunt expendenda, consideratis rerum singularum adjunctis. Etenim si omnem styli acrimoniam temere condemnemus, condemnabimus Prophetas, Apostolos,* F *Joannem Baptistam, imo et Christum Dominum, qui, etiamsi mitissimus hominum esset. Pharisaicam superbiam subinde acrioribus verbis confundendam censuit, exemploque suo falli nescio luculenter docuit, non omnem verborum acrimoniam aut suavitati aut lenitati aut caritati esse contrariam. Quare diligenter considerandum est, contra quos acriori stylo usus sit* S. Hieronymus, *quibus occasionibus pungenti utcumque calamo pugnandum duxerit, quem in finem adversarios durius percusserit, quantam conflictu vehementiore utilitatem Ecclesiæ attulerit. Nam si hæc omnia maturo examine fuerint expensa, si raro in operibus* Hieronymi, *habita ratione multitudinis, acrimonia styli apparuerit, non magis fortasse quæcumque illa vehementia censuræ obnoxia videbitur, quam fortitudo militis, ferreo brachio hostes a patria arcentis; quam solicitudo patris, filium rebellem duris plagis ad frugem revocantis, quam prudentia experti medici, putrida membra, ne vicina inficiantur, resecantis.*

5 *Lubet breviter huc transferre omnia, quæ* *Observata* *Tillemontius in* S. Hieronymo *art.* 1 *non immerito*

A vito reprehensa censuit, aut ipse tamquam reprehendenda observat. Primum ait, S. Hieronymum in scriptis suis satis frequenter aberrare, assignatque pro omni probatione levissimum memoriæ lapsum, apud Coteleriam tom. II, pag. 260 assignatum, nimirum quod credatur laudasse verba Theophili Antiocheni pro verbis S. Ignatii, ejusdem civitatis episcopi. Ne certum quidem est, memoria ibi lapsum esse S. Hieronymum. At longe certissimum est, ex leviusculo memoriæ lapsu perperam inferri, Sanctum satis frequenter in scribendo aberrare; neque id recte dicendum, etiamsi alia id genus leviuscula afferri valeant. Secunda accusatio; eaque gravior est, quod ex Origene varia Operi suo inseruerit veritati contraria, laudaturque præclarum scilicet Opus Dupinii, quod ne nominare quidem in Opere nostro volumus. At nec Dupinius nec Rufinus idonei sunt testes ad notam illam Hieronymo inurendam, sed consulenda erant Opera ipsa S. Hieronymi, examinandaque loca, quæ Rufinus objecit: nam hoc examine satis patebit, nullos origenis errores ab Hieronymo umquam approbatos, sed eo solum modo recitatos, ut abunde liqueat, alienum ab iis fuisse Hieronymum. Verum B hæc suis locis fusius venient disputanda contra defensorem Rufini Tillemontium.

contra S. Hieronymum

6 Tertia accusatio est, quod S. Hieronymus male locutus sit de S. Joanne Chrysostomo. At hanc variorum opinionem, quæ famæ S. Hieronymi apud neotericos multum nocuit, jam refutavi in S. Chrysostomo ad 14 Septembris, ac ne probabilem quidem existimo. Quarta est, quod non eadem æquitate, qua id fecit S. Augustinus, in improbis bonum, quod habebant, a malo distinxerit. Dicit hoc Tillemontius sine ulla probatione: contrarium probabit tota gestorum series. Quinta accusatio Tillemontii est, Quicumque adversarium habuit (Hieronymum) semper fere fuit hominum vilissimus. Laudat Norisium, qui ea certe verba non habet loco assignato in margine. Si vero haberet, auctoritas neoterici scriptoris nihil evinceret, cum facta sint reclamatura; nam si hostes ecclesiæ aliquando contempsit, id justa ratione fecit, ut probabitur. Sexta accusatio est, quod nimium jactaverit Hieronymus eloquentiam suam. Frivola est Rufini calumnia, quia S. Hieronymus aliquando poetarum aliorumque scriptorum gentilium verba adducit. Hoc autem eum fecisse laudabili ratione C ostendam contra ineptias Rufini.

a Tillemontio

7 Septima accusatio est Palladii item inimici, invidiam Hieronymo objicientis. Palladio, quem ut hostem omittere debuerat, suppetias venit suis verbis Tillemontius, definitque, Sanctum indole fuisse utcumque amara et morosa, quæ multis displicuerit. Quin et facile iratum fuisse dicit, ac difficulter ignovisse illis, a quibus se læsum credebat. Verum per totum hujus commentarii decursum ostendam, mitissimum fuisse Hieronymi ingenium; sed ab omni adulatione alienum, et liberum ad vera edicenda, ac festivo etiam joco inimicos, qui longe graviora merebantur, irridendos. Hinc, teste Posthumiano jam laudato, cum boni omnes admirantur et diligunt. Hinc paulo post ait idem Posthumianus: Nisi mihi fuisset fixum animo, et promissum Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum a tanto Viro discedere noluissem. Hinc ex Italia, Gallia, Hispania, Africa, aliisque regionibus ad visendum Hieronymum accurrerunt non pauci, ut dicetur suis locis. Liceat hic verbo edicere, ex lectis Hieronymi Operibus, aliorumque de eo scriptis, aliam mihi prorsus esse de indole Sancti opinionem, iniquissimamque videri censuram Tillemontii.

Auctoris J. S. expenduntur.

8 Tam vero ridicula, et ab omni etiam specie veri aliena videtur comparatio ejusdem Tillemontii inter Hieronymum et Rufinum, ut vix oculis meis credam, eum scribere potuisse, quæ impressa lego. Nam, inquit, si (virtus solida) unice consisteret in vita æquabili et uniformi, in qua pauci committuntur defectus, ratio esset præferendi Rufinum. Et deinde rursus multum moderationis attribuit Rufino, nullibi Hieronymo. Verum hæc crisis talis omnino mihi videtur, qualis foret, si quis colubrum tacite mordentem præferret cani, præ foribus domini sui contra fures nocturnos latranti. Si Tillemontius veterum judicia, ac nominatim S. Augustini maluisset sequi, quam recentium hæreticorum, Hieronymo moderationem, Rufino maledicta attribuisset. Certe Augustinus in Epistola inter Hieronymianas 110, lecta S. Hieronymi contra Rufinum Apologia, ait: Et tu quidem quantum tibi modereris, quantumque teneas aculeos indignationis tuæ, ne reddas maledictum pro maledicto, satis in tuis litteris eminet. In eadem rursum Epistola sub finem: Quapropter quis prudentium non videat, etiam tu quam E tolerabiliter feras amicissimi quondam et familiarissimi incredibiles nunc inimicitias, consolante conscientia etc. Verum hæc suo loco latius deducentur, et ex ipsis Hieronymi ac Rufini scriptis luculenter probabitur, nihil omisisse Rufinum, quo Hieronymi famam denigraret; Hieronymum vero, ut generosum Athletam, causa non minus quam eloquentia superiorem, pepercisse Rufino in reliquis; at parcere non debuisse in causa fidei, ne hæresis Origenistarum majora caperet incrementa.

aliaque ejusdem rum perstringuntur.

9 Mitto alia, quæ de vitiis S. Hieronymi generatim dicit Tillemontius, mitto similiter pauca illa, quæ de virtutibus ejus jejune perstrinxit: nam Sanctum multis accusare, paucisque timide ac frigide defendere, prævaricatio mihi videtur, non defensio. Nec defectum illum reparavit post relatam S. Hieronymi mortem art. 143, ubi ait, aliis se relinquere curam colligendi elogia, quibus viri illustres Sanctum certatim exornarunt. Posset hoc excusari, si idem passim fecisset de aliis, si in Rufinum Hieronymi adversarium non fuisset liberalior, si saltem per decursum lucubrationis suæ honorifica antiquorum elogia suis locis fideliter F inseruisset: at hoc quoque ex parte aliquando deficientem invenio. Mitto demum hoc loco omnia alia, sive ab hæreticis sive a catholicis contra mores aut doctrinam S. Hieronymi objecta; sed singula, quæ aliquid speciei habent, suis locis commemorabo et examinabo. Liceat interea candide edicere: me tot objectionum, ne dicam calumniarum causa, non solum Opera S. Hieronymi perlegere voluisse, antequam hunc scribere capi Commentarium; sed pleraque etiam neotericorum de Hieronymo scripto diligenter considerasse ac subinde cum aliquot Sancti scriptis contulisse; antequam qualecumque de moribus Sancti formarem judicium: nec tamen invenisse ullam post baptismum in sancto Doctore maculam; nullum ejus dictum aut factum, quod nequeat defendi ut laudabile, aut certe excusari ut bona intentione commendandum. Hoc autem ut clarius lector intelligere valeat, ad singula facta, quæ obtrectatoribus occasionem præbere utrumque possent, rationes, quibus ad ita agendum moveri potuit, assignare conabor.

§ II.

AUCTORE J. S.

§ II. Documenta præcipua de S. Hieronymo, cum vetustiora tum etiam recentiora.

Vita colligenda ex ipso maxime Hieronymo, et aliis synchronis.

Nunc paucis enumerare placet præcipua documenta, ex quibus haurienda est vita S. Hieronymi. Cum nulla habeatur vita satis antiqua aut satis accurata, ut enumeratione multarum statim innotescet, gesta virtutesque viri sanctissimi ex ipsis ejus operibus sunt colligenda, non quod laudes suas inaniter celebret, sed quod frequenter indicet, quo tempore librum aliquem aut epistolam scripserit, et non raro etiam aliqua breviter de gestis suis insinuet; insuper quod alios monendo vel hortando sua non obscure sensa insinuet, ac demum quod scripta ipsa gestorum ac laborum ejus pars sint maxima. S. Augustinus aliquod etiam ad colligendum S. Hieronymi vitam affert subsidium, cum quod plures ad ipsum scripserit epistolas, tum quod eumdem in aliis suis Ope-
B ribus non rara laudet. Accedunt in epistolis suis S. Paulinus, Theophilus Alexandrinus, S. Innocentius Papa, Sulpicius Severus in Dialogis, S. Prosper in Chronica, aliique plures coævi aut suppares, de quibus fiet mentio suis locis. Non licebit etiam prætermittere scripta Rufini contra S. Hieronymum cum Hieronymianis impressa, ut ex illis magis elucescat, quam acerbe simul ac frivole invectus sit in S. Hieronymum, quantamque S. Hieronymo necessitatem imposuerit respondendi. Utar autem constanter editione ultima Veronensi Operum S. Hieronymi, decem tomis distincta: alias tamen tres, quas ad manum habeo, consulam et laudabo, ubi videbitur operæ pretium.

Tria scripta pro S. Hieronymo supposititia,

11 Tria scripta plane insulsa de S. Hieronymo olim circumlata fuerunt, quæ demum communi eruditorum consensu, ut fœtus supposititii, prorsus fuerunt rejecta. Edidit tamen ea Joannes Martianay tom. V Operum S. Hieronymi inter supposititia col. 449 et sequentibus, brevemque censuram singulis præfixit. Primum ex illis scriptis fuit vulgatum nomine S. Eusebii Cremonensis, qui S. Hieronymi discipulus erat, aut certe familiaris,
C acsi esset Epistola Eusebii, Damaso Portuensi episcopo scripta: De morte S. Hieronymi, Alterum S. Augustini nomen mentitur, daturque pro Epistola S. Augustini Hipponensis episcopi ad Cyrillum Jerosolymitanum episcopum de magnificentiis beati Hieronymi. Tertium fuit suppositum nomine Cyrilli episcopi Jerosolymitani de miraculis Hieronymi ad sanctum Augustinum episcopum Hipponensem. Habemus eadem scripta impressa sæculo 15 aut 16 inchoato, sed nec annus nec locus impressionis fuit additus. Eorumdem etiam ex variis codicibus habemus apographa, ad Majores nostros missa, eademque fere uni ex codicibus nostris inserta video, præfixo tamen initio ex alia quapiam vita. Verum omnia illa prorsus sunt inutilia, satisque erit lectores instruere, ut caveant a fraudulentis illis mercibus: quod non satis fecit nuperus biographus infra memorandus.

ut jam Baronius observavit,

12 Eminentissimus Baronius ad annum 420, num. 43 indignationem suam contra id genus impostores declarat, existimatque tres diversos fuisse: sed ex styli similitudine probabilius fit eumdem sub tribus diversis nominibus lectorum simplicitati illudere voluisse. Equidem, ut puto, inquit, sicuti fecit olim presbyter Asianus, qui amore D
Pauli, ut ex Tertulliano diximus, Periodos Pauli et Theclæ confinxit, ita et isti amore Hieronymi plurima commenti sunt; digni sane et ipsi, ut eidem ab ecclesia sententiæ subjicerentur et pœnæ, quam ille tunc juste irrogatam subire coactus est. Aversatus namque semper est candor ecclesiasticæ veritatis et pudor Christianæ simplicitatis exhorruit omne, quod fictum, et respuit omne, quod commentitium esse conspexit: et execrata est omnino, atque acri semper insectata est odio, ac severa coercuit disciplina omne mendacium cum ejus auctore sincera fides. Tum observat, supposititius illas vitas verisimiliter procusas esse, quod nulla exstaret conscripta; et sic prosequitur: Quamobrem diversi pro ingenii diversitate diversa excogitarunt inventa, dum vel Eusebii, vel Augustini, vel Cyrilli Hierosolymorum episcopi nomine conscripserunt Epistolas, quibus res gestas ex animi cujusque sententia adinventus atque commentas conscriberent. Et ne ullus dubitandi locus esset, eas subintroduxerunt personas, quas ipsi, licet errantes, putarint illis vixisse temporibus. Sed ex his ipsis mendaces detecti sunt et impostores, ex quibus conati E
sunt videri veraces. Quis enim (amabo te) audiens Cyrilli episcopi Hierosolymorum nomen ad ista referri tempora, quem ante annos triginta ipsius assertione S. Hieronymi constat esse defunctum, non statim ea indignabundus excutiat? Ita Baronius.

videntur ejusdem impostoris,

13 Argumentum autem istud, quod petit ab ætate S. Cyrilli Hierosolymitani, plusquam triginta annis ante S. Hieronymum defuncti, non solum ostendit, mendacem esse Epistolam ejus nomini suppositam, sed etiam epistolam S. Augustino affictam, cum hæc ad eumdem Cyrillum data legatur, ac demum personati Eusebii epistolam ad Damasum, in qua S. Hieronymi obitus S. Cyrillo in cellula oranti fingitur revelatus. Ex illo plusquam triginta annorum anachronismo, qui in omnibus æque locum habet, verisimillimum fit, eumdem fuisse histrionem, qui Eusebii, Augustini et Cyrilli personas repræsentare voluit. Licet enim alia confinxerit nomine Eusebii, alia nomine Augustini, alia rursum nomine Cyrilli, in omnibus Cyrillum Hieronymo superstitem facit, ut turpissimus hic anachronismus, in quem nullus gestorum S. Hieronimy et historiæ illius temporis vel F
mediocriter gnarus facile incidere poterat, vix ullum relinquat dubium, quin unus idemque sit impostor, qui tres personas assumpsit, ut indoctæ posteritati illuderet. Stylus ubique idem hanc conjecturam abunde confirmat, ut jam vidit et observavit Martianæus, qui et alia Opuscula supposititia eidem attribuit. Ante epistolam personati Eusebii censuram suam his verbis exprimit: Eadem facundia, eadem eruditio, idem sermonis lepos. Illud ridiculum, hominem ne tantulum quidem potuisse dictionis figuram variare. Omni. quod aiunt, pedi eumdem inducit calceum. Apud hunc artificem eodem utuntur charactere omnes, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Eusebius, et Ambrosius: apud hunc, opinor, balbutiret ipse Tullius etc. Idem observat ante epistolam Augustino tributam his verbis: Mutavit personam noster hic histrio, sed vocem ac gestum mutare non potuit. Demum ante pseudo-Cyrilli de Miraculis scriptam: Idem et hic stylus, idem pectus, eadem insania: semper sui similis est, quocumque titulo personatus prodeat hujus actor fabulæ.

14

A 14 *Baronius aliquot etiam errores alias monstravit in memoratis epistolis, nimirum quod in iis veste muliebri sanctus dicatur Roma aufugisse, quod ex Urbe dicatur profectus Constantinopolim, quod asseratur scivisse etiam linguas* Chaldæorum, Persarum atque Medorum, *cum primam utcumque forsan intellexerit, non alias duas; quod virginitatem omni tempore illibatam servasse affirmetur, cum ipse* Hieronymus *fateatur contrarium; quod impostor ipsum* Hieronymum *sua ignorantia faciat hæreticum monothelitam, quod statuat,* Silvanum fuisse archiepiscopum Nazareth, cum diutissime post contigerit Nazareth esse ecclesiam episcopalem. *Subditque :* Quis igitur tales æquo animo ferat imposturas? *Hisce addi possent alii errores plurimi, nec difficulter probari posset, omnia in tota illa scriptorum farragine tam improbabiliter esse conficta, ut nihil plane in iis reperiatur ulla fide dignum, nisi ex aliis scriptis innotescat. Prudenter igitur monet laudatus Martianæus :* Rejicienda sunt a Christianis hujuscemodi fabulamenta. *Prudenter vocat* fabulam, nulli rei, nisi B perdendis chartis, natum.

qui multos illis immiscuit errores, apertaque mendacia,

15 *Hæc ego paucioribus indicassem, nisi nostris quoque temporibus scriptor aliquis Italicæ vitæ* S. Hieronymi *totam Lucubrationem suam insulsis illis figmentis corrupisset fœdeque contaminasset. Credidit nimirum novus ille biographus, cujus Opusculum anno 1746 Venetiis impressum est, se officio suo fecisse satis, quod lib. 1, cap. 11 fassus fuerit, non esse Augustini nec Cyrilli epistolas, quæ ipsorum nomine fuerunt suppositæ; voluitque vel sic fictitias visiones, miraculaque plurima æque fictitia opusculo suo inserere. Frivola sic agendi ratio est, quod ex falsitate tituli aut personarum, quibus epistolæ illæ sunt attributæ, non consequatur falsitas rerum, quæ in iis narrantur. Hoc quidem verum est, si quis fictitio nomine uti voluerit, quo verum suum nomen mundo non faciat manifestum. At si quis se mentitur S. Cyrillum, S. Augustinum, S. Eusebium, fingatque omnia se vidisse, aut partim ex testibus oculatis, partim ex aliis fide dignissimis intellexisse, quæ personatus scribit, quo modo non multiplicis mendacii reus erit? Si vero ille aperte mendax, quis eidem prudenter credere poterat, præsertim si multa apertis erroribus fœdata, omniaque improbabili modo expressa in chartam conjecerit, prout* C *fecit mendax ille histrio, qui Eusebii, Augustini et Cyrilli personas agere voluit? Præterea Baronius non solum illas epistolas censurarit ut lucubrationes falsi nominis; sed* explodenda *vocat* mendacia, *dicitque* ingesta ab imperitis et impostoribus; *taliaque omnino esse, qualia semper* aversatus... est candor ecclesiasticæ veritatis, *qualia semper* pudor Christianæ simplicitatis exhorruit, *qualia semper* execrata est... sincera fides. *De tempore, quo primum figmenta illa comparuerunt, plura inferius dicam.*

ut perperam ex iis haurire voluerit nuperus scriptor.

16 *Vitam aliquam* S. Hieronymi, *reliquis omnibus, ut videtur, vetustiorem primus edidit Mabillonius tom. IV Analectorum, ubi pag. 193 de ea scribit sequentia :* Superior Hieronymi vita, quæ ab auctore antiquissimo scripta est, nobis sese obtulit primo in duobus codicibus pervetustis, uno Luxoviensi, altero Sancti-Gallensi. Deinde vero eamdem in quibusdam codicibus regiis invenimus. Optandum esset, ut auctor ad singula facta tanti Doctoris magis descenderet. Sed, quod antiqua tulerunt tempora, nobis messuisse sat est. Hieronymi breve elogium retulimus in tomo II Analectorum ex Gennadio, quem hujusce vitæ auctorem, uti et breviatorem, esse existimamus. *Illam recudit Martianæus tom. V primo loco ex tribus aliis mss., cum duobus Mabillonii collatis, deditque post vitam lectiones variantes. Habemus eamdem vitam in duobus codicibus nostris mss., uno admodum vetusto, altero item pergameno, sed minus antiquo. Quod autem conjicit Mabillonius de Gennadio auctore, non displicet Martianæo, sed id,* verisimile *sibi ait videri,* tum propter styli rationem, cum propter silentiam in causa Rufini Aquileiensis, cui Gennadius impensius favebat.

Vita S. Hieronymi, quam credidit Mabillonius a Gennadio scriptam.

AUCTORE J. S.

17 *At huic conjecturæ parum favent, quæ de erroribus auctoris recte observat, his verbis :* Quisquis porro fuerit vitæ hujus auctor, parum exercitatus fuit in historia et Operibus Hieronymianis : nec optandum fuisset, eum descendisse ad singularia quædam facta Hieronymi, quia plurimis scatet erroribus chronologiæ et historiæ; sicut quum ait, ordinatum fuisse Romæ presbyterum Hieronymum annorum viginti novem. Quod utrumque falsum esse, nullus ignorat, qui res et Opera Hieronymi accuratius didicerit. *Hæc, inquam, dicta de erroribus memoratæ vitæ insertis non satis probabilem relinquunt opinionem de auctore Gennadio,* E *præsertim cum accedant alii etiam errores, in quos Gennadium incidisse, difficulter credi potest. Etenim Gennadius floruit eodem sæculo, quo defunctus est* S. Hieronymus, *nec sufficienti caruit doctrina ad vitam alicujus sancti multo melius enarrandam. Errat enim non solum vitæ auctor, dum Romæ presbyterum ordinatum dicit* Hieronymum, *et dum ait ordinatum ætate viginti et novem annorum; sed tertio errat, dum Roma discedentem deducit Constantinopolim, cum ex ipso* Hieronymo *contrarium potuerit dicere. Errat quarto, dum post prædicta omnia* Hieronymum *mittit* ad deserta loca, *in iisque* per quadriennium *detinet : nam hæc diu ante fuerant peracta. Errat quinto, dum inducit commercium inter* Hieronymum *in Bethleem degentem et S. Damasum, qui defunctus erat, antequam* Hieronymus *Roma in Palæstinam disederet. Errat sexto, dum* Hieronymo *attribuit aliqua opuscula, ab eo nunquam conscripta. Errat septimo, dum annos quinquaginta et sex habitationi ejus in Bethleem videtur attribuere, cum ibi annis solum triginta quatuor circiter habitaverit.* F

multis fœdata est erroribus,

18 *Accedunt alia, quæ per decursum examinabuntur : nam certos errores solum recensere volui. Atqui credibile non est, Gennadium* Hieronymo *supparem, et multorum librorum scriptorem, qui procul dubio multa* S. Hieronymi *opuscula legerat, in tot tamque crassos errores incidisse. Quod autem de stylo ait Martianæus, mihi nequit probari : nam stylus Gennadii multo melior est et purior, quam sit stylus dicti biographi, qui subinde aliqua vitæ immiscet parum latina, et passim sermonem profert minus elegantem, quam sit dictio Gennadii. Jejuna etiam magis est vita, quam ut digna videatur auctore suppare. Præterea Gennadius nullam conscripsit vitam, quantum novimus; et in Catalogo scriptorum cap. 17 luculenter declarat, se pro partibus Rufini stetisse contra* Hieronymum, *ut hac vel sola ratione prorsus incredibile fiat, dictam* S. Hieronymi *vitam a Gennadio fuisse conscriptam. Quare, cum nullus codex eam Gennadio attribuat, vix capio, unde in eam opinionem deductus sit eruditus Mabillonius. Nam ea mihi prorsus improbabilis apparet, cum omni careat testimonio, et innumeri dictæ*

nec videtur esse Gennadii,

AUCTORE J. S.

ctæ vitæ defectus auctorem insinuent recentiorem, aut certe minus doctum, quam fuit Gennadius. Veruntamen existimo, primam hanc esse S. Hieronymi vitam, scriptamque aut sæculo 6 aut serius. Poterit dictæ vitæ aliquid auctoritatis tribui in iis, quæ credibilia sunt, quando major auctoritas non obsistit. Attamen operæ pretium me facturum non existimo, si illam recuderem ob paucissima, quæ continet: nam hæc Commentario facile inseri, suisque locis examinari poterunt.

sicut Gennadii non videtur elogium Hieronymi aliud.

19 *Alia rursum oritur dubitatio de elogio* S. Hieronymi, *quod edidit Mabillonius tom. II Analectorum ex codice Corbeiensi, in quo est caput primum Catalogi virorum illustrium, quem post* S. Hieronymum *concinnavit Gennadius. Tillemontius tom. XII Nota* 1 *in* S. Hieronymum *non existimat, Gennadii esse illud elogium, variasque pro opinione sua affert rationes. Villarsius in editione Veronensi dedit Catalogum Gennadii tom. II, col.* 951, *elogiumque* Hieronymi *distincto charactere. Rationem in annotatis allegat his verbis :* Parum abfuit, quin totum istud capitulum de Hieronymo, quod Martianæus et Fabricius præponunt Gennadii Catalogo, penitus resecarem. Certe B e Gennadii Catalogo non profecit, neque in mss. ullis invenitur, aut invenire contigit nobis; si Corbeiensem unum excipias, quem Merovingiacis, ut illis vocare placuit, litteris exaratum tradunt patres Benedictini, Mabillonius et Martianæus; et alterum Martinianum, ex quo ante annos centum quinquaginta legit Suffridus Petri : qui meliore tamen usus consilio, non quasi Gennadii primum capitulum, sed in epistola ad lectorem sive Prologo exhibuit. Cæterum neque in aliis editis libris reperitur, neque antiquis scriptoribus notum, aut ab ipso Trithemio, lectum est. Nos Italico charactere ab ipso Opere separamus, alibi, quas narret fabulas, examinaturi. *Non possum non assentiri Tillemontio Villarsioque, elogium istud Gennadii minime videri, cum quia scriptum est stylo etiam deteriore, quam vita eidem mox abjudicata, tum quia varios continet errores, tum quia non enumerat scripta* Hieronymi *more Gennadii, sed aliqua solum de iis generatim dicit, eaque non minus de scriptis ab ipso* Hieronymo *enumeratis, quam de posterioribus, imo de iis fere solis loquitur, ut recte dicit Tillemontius, in illo elogio reperiri omnia, quæ Gennadius omit-* C *tere debuerat, omitti omnia, quæ illi fuissent recensenda.*

Vita alia a Martianæo edita.

20 *Aliam* S. Hieronymi *vitam edidit Martianæus tom V, col.* 508, *tamquam auctoris incerti, nec satis respondentem meritis sancti Doctoris nostri. Habemus eamdem vitam in tribus codicibus nostris mss., et in alio seorsum fabulam dictæ vitæ insertam de leone per* S. Hieronymum *sanato. Ejusdem vitæ ex codice Trevirensi etiam habemus apographum. Vidit vitam illam Baronius : nam ad annum* 420, *num.* 28 *aliquot errores refutat eidem insertos. Auctorem vero ignoravit, dubitanter tamen monstravit ex Petro Diacono, qui in opusculo de Viris illustribus Casinensibus cap.* 4 *ita habet :* Sebastianus B. Benedicti monachus Hieronymi doctoris egregii vitam describens, legendam ecclesiis tradidit : in qua, quæ ei a puero institutio, quale in juventute studium, quæ in senectute ei scientia fuerit, lucidissime satis demonstrat. *Joannes Baptista Marus, qui laudatum opusculum Petri Diaconi Romæ edidit cum annotatis, in his ex Wione et Vossio observat, non videri a Sebastiano scriptam vitam* S. Hieronymi ecclesiæ doctoris, *sed* S. Hieronymi discipuli S. Benedicti. *At non novimus sanctum* D *illum Hieronymum S. Benedicti discipulum; nec capimus, qua ratione* doctoris egregii *titulo honoratus fuisset, ut annotatio illa fiat improbabilis.*

auctorem habet Sebastianum monachum Casinensem,

21 *Omnem porro dubitationem de auctore illius vitæ tollit Erasmus Gattula in Historia abbatiæ Casinensis, ubi sæculo* 1 *Benedictino, quod extendit usque ad annum æræ Christianæ* 600, *pag.* 12 *ita scribit :* Floruit etiam Sebastianus (*illo sæculo, ut existimat*) S. Benedicti discipulus, auctor vitæ S. Hieronymi ecclesiæ doctoris, ut ex mss. bibliothecæ nostræ codicibus, signatis num. 147 et 148 constat, quæ etiam reperitur in mss. Sublacensibus et Reatensibus; ut hinc videas deceptum eruditissimum Johannem Gherardum Vossium, Sebastiano eam vitam abjudicantem lib. 3 de Historicis Latinis cap. 3, dum asserit, vitam S. Hieronymi, alumni S. Benedicti, ab eo scriptis consignatam. *Et mox : Vita incipit :* Plerosque nimirum illustrium virorum non ambigo nosse *etc. Hoc plane initium est apud Martianæum, uti et in mss. nostris, aliaque plura, quæ recitat Gattula, in illis reperiuntur, ut modo omne de autore illius vitæ dubium videatur sublatum. An autem Sebastianus floruerit ante annum* 600, *ut ejus ætatem figit Gattulo, non æque certum videtur. Nam ordo Petri Diaconi id quidem insinuat; sed ejus auctoritas rem non omnino facit certam. At parum refert, fueritne Sebastianus sæculi sexti, an posterior; cum saltem remotior fuerit ab ætate* E S. Hieronymi, *quam ut potuerit alia habere documenta, quam scripta sancti Doctoris aut aliorum de ejus gestis.*

sed ob errores illi insertos non est recudenda.

22 *Itaque neque hæc vita videtur recudenda, cum pluribus etiam, quam præcedens, inquinata sit erroribus. Aliquot errores jam produxit laudatus Baronius, nimirum quod Romæ* S. Hieronymus *dicatur presbyter ordinatus, et quidem* Cardinalis, *ut addit auctor; quod virginitatem asseratur servasse, quod multa scripsisse aut sacras scripturas emendasse sub Liberio pontifice, cum hæc facta sint sub Damaso; quod auctor Julianum, S. Augustini adversarium, vocet Manichæum, cum fuerit Pelagianus, Manichæis contrarius, quod demum prolixam narret fabulam de leone per* S. Hieronymum *curato, prout narrari in Prato spirituali de S. Gerasimo abbate observat Baronius. Res tota, quæ perperam ad* Hieronymum *ex errore scribentis translata fuit, examina-* F *bitur sub finem hujus Commentarii. Reperio et alios errores, maxime chronologicos, eosque partim ex prima vita adoptatos, in eadem vita : sed allegata sufficiunt, ut prudens lector videat, illam a nobis merito non recudi.*

Tertia Vita ex Scriptis Sancti composita : sed crassis inquinata erroribus.

23 *Aliam rursum* S. Hieronymi *vitam tom. V, col.* 11 *edidit Martianæus, tamquam compositam ex scriptis* S. Hieronymi, *itemque ex scriptis* SS. Augustini, Damasi, Gregorii, Gelasii aliorumque. *Eadem habetur in uno ex codicibus nostris, sed eo minus antiquo. Vita ipsa antiqua non est, nec ullum habere potest meritum, nisi ex diligentia et crisi auctoris. Diligentia autem illius certe major est, quam præcedentium, cum multo plura ex Operibus* S. Hieronymi *et aliorum antiquorum collegerit. At crisis non est satis accurata, cum multos ex prioribus vitis errores adoptaverit, suosque aliquot adjunxerit. Ex aliis presbyterum facit Cardinalem, et sub Liberio papa : qui error est geminus. Tertium eumque multiplicem ipse adjungit, dum Liberium papam facit Arianum et cum Constantio imperatore persecutorem*

A *rem Ecclesiæ, iisque Hieronymum cum S. Paula se opponentem: nam puella erat Paula, moriente Constantio*, Hieronymus *vero adolescens Grammaticæ dabat operam. Addit quarto inane commentum, quod* S. Hieronymi *hostes* prope lectum *ejus posuerint* vestem muliebrem. *Demum, ut brevis sim, tota chronotaxis perturbata est, nihilque fere suo loco positum, ac ne putida quidem leonis fabula prætermissa. Quapropter, etsi auctor multa de Operibus* S. Hieronymi *referat, multaque ipsius loca allegat, cum ordine careat et chronotaxi, prodesse nequit ad acquirendam claram de Sancti gestis intelligentiam. Huic scriptori, qui forsan sæculo* 12 *aut* 13 *scripserit, needum notas fuisse existimo supposititias epistolas, Eusebii, Augustini, et Cyrilli nomine vulgatas, cum nullam de iis faciat mentionem.*

Prolixum Opus Joannis Andreæ, in quo adoptatæ fabellæ præcedentes.

24 *Verum sæculo* 14 *opus prolixum de* S. Hieronymo *conscripsit Joannes Andreas, celeberrimus jurisconsultus Bononiensis, apud quem supposititias illas merces pro genuinis adoptatas reperio. Opus Joannis Andreæ habemus manuscriptum in codice mediocriter spisso, quem totum implet. Idem habemus impressum Basileæ, Pontificatum*
B *gerente Leone X et imperante Maximiliano I, sive anno* 1514, *ut in fine dicitur. Titulus Operi impresso hic præfixus est:* Hieronymianus, divi Hieronymi vitæ, mortis, prodigiorum, dictorum ac scriptorum exflorationes perstringens (ut sequens indicat Prologus) principaliter quatuor in partes divisus, per decretorum famosissimum doctorem, D. Joannem Andreæ studiosissime compilatus. *Auctor, scriptis suis juridicis notissimus, floruit sæculo* 14, *obiitque Bononiæ anno* 1348, *nec multis annis ante obitum, ut postea probato, opus suum edidit. Nomen ipse suum prodit in Prologo; divisionemque Operis in quatuor partes tradit, nimirum primam partem dirigit ad augendum* S. Hieronymi *cultum, præcipue apud Italos; secunda parte Sancti gesta, mortem et miracula daturum se ait, tertia illustrium virorum elogia, ac quarta demum canones ex scriptis* S. Hieronymi *depromptos. Secundo pars ad propositum nostrum conduceret, si Joannes Andreas crisim historicam æque habuisset ac legum scientiam. At insignis ille jurisconsultus omnia fere præcedentium vitarum vitia adoptat, nonnulla adjungit errata ex Vincentio Bellovacensi, Jacobo*
C *de Voragine et aliis, ac demum omnes fabulas, Eusebii, Augustini et Cyrilli venerandis nominibus confictas, lucubrationi suæ inserit, ut superfluum videatur de prolixo ejus opere plura dicere. Illud tamen utile nobis erit pro gloria Sancti posthuma, cum multa producat tempore suo facta.*

Alii Scriptores: sæculo 14 *primum productæ Epistolæ Cyrilli et aliorum.*

25 *Necesse etiam non est de modo memoratis Vincentio Bellovacensi et Jacobo de Voragine multa observare. Primus multa ex scriptis* S. Hieronymi *collegit præcepta moralia; de gestis Sancti pauciora, eaque erroribus fœdata dedit, qualia etiam habet Jacobus de Voragine. Verumtamen apud hos sæculi* 13 *scriptores needum invenio personatorum Eusebii, Augustini et Cyrilli fabulas; ut hæ videantur productæ adulto sæculo* 13 *aut ineunte* 14: *neque enim a similibus cavissent laudati scriptores, quantum ex eorum scriptis colligere licet. Ab iis non abstinuit Petrus Calo, ordinis Prædicatorum, ut constat ex apographo, quod præ manibus habeo. Scripsit autem laudatus Calotius circa initium sæculi* 14; *eodemque sæculo post medium Petrus de Natalibus, cui Calotii opus præluxit, Catalogum Sanctorum conscripsit, in quo compendiosam magis, quam accuratam, tradidit,* S. Hieronymi *vitam, adoptatis plerisque præcedentium erratis, fabulisque Epistolarum suppositarum. Ex dictis colligitur, ab initio fere sæculi* 14 *fabulosas illas Epistolas vulgari ac laudari cœpisse, eodemque sæculo scriptum existimo codicem nostrum, in quo post initium alterius vitæ subjunctas reperio. Cum autem nec in ullo ex codicibus nostris vetustioribus illæ compareant, nec notæ videantur fuisse Vincentio Bellovacensi aut Jacobo de Voragine aut ulli alteri, quantum invenire potui, ante Petrum Calotium; non immerito suspicor, notas vulgo non fuisse dictas Epistolas ante sæculum* 13 *fere finitum. Fortasse tamen multo citius fuerint confictæ, cum potuerint diu occultari, ut postea pro vetustis comparerent.*

quas nuperus scriptor contra Baronium defendit.

26 *Hæc autem de minori illorum commentorum vetustate observanda credidi, quia needum dicere possum, quod jam suo tempore dixit Tillemontius, epistolas illas ab omnibus, historiæ utcumque peritis, prorsus deseri, ut fabulis, falsitate et ignorantia plenas. Verum hoc quidem ivit in Gallia, opinor; sed alibi adhuc invenio fabularum istarum defensores. Prodiit anno* 1752 *prolixum Opus Latinum de* S. Hieronymo, *in duas*
E *divisum partes, quarum prima longissimam exhibet Dissertationem de Natali solo* S. Hieronymi, *secunda ejusdem sancti Doctoris vitam. Auctor est* admodum reverendus pater Josephus Bedekovich, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Pauli primi eremitæ definitor generalis. *Novus hic scriptor in vita cap.* 25 *epistolas illas suscepit defendendas contra Baronium,* Quia plures, *inquit,* gravissimæ notæ scriptores, uti est Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, Marcus Marulus in Palæstra Christiana, his epistolis usi sunt. *Et mox ait, iis epistolis se usurum, quas, inquit,* unius Baronii authoritas non videtur sufficienter sua evacuare virtute. *Hoc verum est, si sola Baronii spectetur auctoritas; at rationes a Baronio allegatæ, quibus multæ aliæ adjungi possunt, abunde ostendunt, epistolas esse mendaces. Interim laudatus scriptor ad unum dumtaxat Baronii argumentum respondere conatus est, reliquis prætermissis, videlicet ad argumentum de Cyrillo ante* Hieronymum *triginta annis defuncto. Cogitat primo, nomen* Cyrilli *potuisse scribi pro nomine* Prayli; *secundo epistolam forsan esse Cyrilli Alexandrini, tertio admitti saltem posse Eusebii epistolam, imo et Cyrillum Hierosolymitanum forsan*
F *vixisse, moriente* Hieronymo. *Baronio demum opponit* Marcum Marulum et Laurentium Beyerling, *ut scribit, eosque credit non minus celebres, quam Baronium.*

sed illæ tales sunt, ut prorsus defendi nequeant.

27 *Ego scriptoribus laudatis nihil detractum volo, sed nullam ipsis me facturum injuriam existimo, si magis crediderim Baronio, qui dictas epistolas examinavit, aut potius Baronii rationibus, quam aliis quibuscumque, qui sine ullo examine aliquid ex illis allegarunt. Quæ vero excogitarit nuperrimus ille scriptor de nomine* Praylii *pro* Cyrilli *forsan posito aut de Cyrillo Alexandrino, improbabilia sunt: non toties recurrit Cyrilli nomen in omnibus tribus epistolis, tam aperte non verbis modo, sed ipsis quoque rerum adjunctis Hierosolymitanus fingitur, ut nec nomen per librarios corruptum, nec Cyrillum Alexandrinum in illis epistolis invenire possit, quiquis illas oculo critico expendit. Præterea, si religiosus auctor cogitasset, stylum omnium illarum epistolarum esse hominis Latini, Cyrillum vero utrumque et Praylium linguæ latinæ verisimiliter gnaros non fuisse; in* epistola

AUCTORE J. S.

epistola etiam S. Augustino attributa non agnosci hujus sancti doctoris stylum; sed eumdem scribendi methodum in omnibus tribus inveniri; si addidisset errores apertos, aliaque incredibilia in illis asserta, ac demum multorum sæculorum de iisdem silentium, abstinuisset, opinor, a defensione epistolarum, quas ipse S. Hieronymus, *si viveret, acri censura perstringeret. Verum jam plura de his dixi, quam mereantur putida illa commenta, quæ nullo ingenio, nulla eloquentia rursum fierent probabilia.*

Vita per Erasmum scripta,

28 *Accedo ad neotericos, qui egregia* S. Hieronymi *gesta conati sunt ex ejusdem scriptis, aliisque vetustis documentis enarrare, prætermissis fabellis. Ex his primus mihi innotuit Erasmus, qui plura de* S. Hieronymi *gestis collegit, quam ulli præcedentes, et meliore ordine enarravit. De doctrina et eloquentia* S. Hieronymi *tam magnifice sensit Erasmus, ut eum omnibus omnino sanctis Patribus, tam Latinis quam Græcis, præferendum crediderit. De moribus ejusdem Doctoris longe justius tulit judicium, quando eo* nihil umquam *fuisse* nec humanius nec urbanius *asseruit, quam recentiores quidam, qui* Hieronymum *videntur solum considerasse ex paucis Opusculis, in* B *quibus acriori stylo usus est: at hanc styli acrimoniam non caruisse justis rationibus, recte observavit Erasmus, et nos suis locis probabimus. Verumtamen non caret illa vita aliquot erroribus, cum historicis tum chronologicis; neque id mirandum est, cum Erasmus scripserit, priusquam chronologia et historia multorum studio ad eam perfectionem erat perducta, ad quam deinde pervenit, etiamsi etiam hoc tempore multa supersint emendanda.*

alia per Marianum Victorium.

29 *Eodem sæculo* 16, *quo Erasmus vitam* S. Hieronymi *scripserat, ejusque Opera ediderat; aliam editionem Operum concinnavit Marianus Victorius episcopus Reatinus, aliamque eidem præmisit* S. Hieronymi *vitam, studiose compositam. Hanc prætulit Baronius ad annum* 420 *num.* 50, *suadetque lectoribus, ut* res gestas S. Hieronymi non aliunde *requirat*; his tamen emendatis, *inquit,* quæ jure emendanda superius tibi nostri suggesserunt Annales. *Dubitavi aliquantisper, an dictam* Hieronymi *vitam, meo etiam judicio reliquis omnibus præferendam, Operi nostro insererem. At, cum omnia sancti gesta ex iisdem fon-* C *tibus, ex quibus Erasmus et Victorius hauserunt, copiose petenda sint; superfluum credidi alterutram vitam recudere.*

Multa de Hieronymo examinata a Baronio et Tillemontio.

30 *Post Erasmum et Victorium multa de rebus gestis* S. Hieronymi *collegit, examinataque suis Annalibus inseruit Baronius. Justam plane de sanctitate* Hieronymi, *ac de molitionibus Rufini opinionem habuisse videtur eruditissimus Cardinalis, (quemadmodum et Erasmus et Victorius,) et non pauca illorum errata recte correxisse. Multo etiam plura de* S. Hieronymo *examinavit, quam narrarunt laudati biographi, ut in multis usui nobis sit futurus. Verumtamen si qua per decursum in chronotaxi aut in aliis Eminentissimi viri placitis corrigenda videbuntur, id consueta nobis libertate præstabimus, sicut fecit de aliis ipse Baronius. Post Baronium* S. Hieronymi *gesta multi examinarunt, alii prolixius, alii brevius, alii omnia, alii solum pauca, singuli pro instituto suo. Longum esset, omnium texere catalogum, et magis etiam, exponere, quanta sint singulorum merita in hisce aut peccata. Ex Gallis unum fere expendam Tillemontium, qui majorem passim adhibuit in gestis illustrium colligendis et exami-* D *nandis diligentiam, aut certe plura minutatim inquirit, quam alii plerique; et multos semper habet sectatores. Hisce de causis Tillemontium præ reliquis frequentius allegare, et, ubi opus est, corrigere solemus; quemadmodum iterum fiet in hoc Commentario, quod ille justo iniquiorem* S. Hieronymo *se exhibuerit, et Rufinum frivolis rationibus defendere videatur ac laudare, ut* Hieronymum *deprimat: qua occasione in plurimos incidit errores, per decursum manifestandos.*

Vita per Martianæum scripta, alia per Doleium.

31 *Eodem fere tempore vitam* S. Hieronymi *gallice conscripsit Joannes Martinnay, Benedictinus gallus, qui et novam Operum* S. Hieronymi *editionem quinque tomis imprimendam curavit. Hæc vita, anno* 1706 *Parisiis impressa, longe melior est, quam sit collectio Tillemontii, quia eruditus auctor justam de moribus et virtutibus* S. Hieronymi *ideam conceperat, qualem Erasmus, Victorius et Baronius habuerunt, talemque lectoribus suis ingerit; at Tillemontius deformem exhibuit picturam, illamque picturæ suæ deformitatem non raro conatus est defendere adoptatis Rufini calumniis; ut non dubitem edicere, totam ejus de* Hieronymo *collectionem gravi illo errore prorsus corruptam videri. Anno* 1750 *alia rursum prodiit* E S. Hieronymo *vita, latino sermone conscripta, cujus titulus est* Maximus Hieronymus vitæ suæ scriptor, sive de moribus, doctrina, et rebus gestis divi Hieronymi... Commentarius. *Auctor Sebastianus Dolci, ex ordine Minorum S. Francisci, patrio Ragusinus, res gesta* S. Hieronymi *diligenter examinare studuit, et ad ordinem chronologicum revocare: justam habuit de moribus* S. Hieronymi *opinionem, ejusque gesta non solum enarranda, sed et probanda suscepit. Hunc igitur passim consulam, opinionesque ejusdem chronologicas, in quibus a præcedentibus non raro recedit, frequenter examinabo.*

plures aliæ Vitæ, nobis fere inutiles.

32 *Restant breviter indicandæ aliquot* S. Hieronymi *vitæ quarum minor nobis usus esse poterit. Anno* 1595 *impressa est Matriti prolixa admodum* S. Hieronymi *Vita Hispanica, cujus auctor est Josephus de Siguenca, Hieronymiani ordinis in Hispania religiosus. Hic scriptor attentissimus est ad omnia, quæ laudem* S. Hieronymi *augere videntur, sed subinde contra veritatem, ut, quando contendit, virginitatem perpetuo ab* Hieronymo *servatam, quando dignitatem Cardinalitiam ipsi attribuit, quando facta nonnulla* F *supra verum exaggerat, quando fabulam leonis sanati defendit. Horum causa, et vel maxime quia scriptor nullibi ipsa scriptorum vetustorum verba allegat; vitam illam ad propositum nostrum prorsus inutilem censeo. Plura quoque non dicam de Vita Italica jam memorata, quam Josephus Renato edidit anno* 1746, *quia jam monui multa illi inserta esse fabulosa ex epistolis suppositiis. Male hoc consilio similiter corrupta est Vita Latina, quam anno* 1752 *impressam jam monui; nec plura hic lubet de illa adjungere. Demum anno* 1752 *Josephus Swinger, e Societate Jesu doctor sacræ theologiæ edidit Apologiam* S. Hieronymi *contra Joannem Clericum, notissimum sanctorum Patrum obtrectatorem. Apologia illa modestissime scripta est, rationesque allegat idoneas, quibus qualiscumque acrimonia styli Hieronymiani excusari non modo, sed etiam probari potest. Plures scriptores laudabo, ubi locus id exiget.*

§ III.

A

§ III. Patria S. Hieronymi investigatur.

Sanctus Stridone in confinio Dalmatiæ et Pannoniæ natus:

De *patre et patria sua* Hieronymus *in libro de Viris illustribus cap.* 135 *ita loquitur:* Hieronymus, patre Eusebio natus, oppido Stridonis, quod a Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit. *Multorum hic locus exercuit ingenia, variasque peperit opiniones, cum alii Stridonem Istriæ, alii Dalmatiæ, alii Pannoniæ adscripserint. Baudrandus in Lexico Geographico Stridonem existimat non distingui a* Sidrona, *quam Liburniæ urbem dixit Ptolemæus, et fuisse* versus confinia Pannoniæ late sumptæ tempore S. Hieronymi. *Addit sequentia:* Postea tantisper restaurata fuit, et nunc STRIGOUM vocatur ab accolis, in Dalmatia, ut scribit Marcus Spalatensis in sua dissertatione, quæ refertur in Historia Joannis Lucii de Regno Dalmatiæ, ubi etiam refutat opinionem Blondi, qui scripserat, Stridonem patriam S. Hieronymi esse in Istria, nuncque SDRIGNA vocari. *Cellarius*
B *in Geographia antiqua tom. I, pag.* 359 *dubitat, an* Sidrona *Ptolemæi possit haberi pro Stridone* S. Hieronymi *patria. Tillemontius nota 2 existimat, Stridonem ita fuisse in confiniis Dalmatiæ et Pannoniæ, ut pro varia extensione provinciarum aliquando Pannoniæ annumerata fuerit, aliquando Dalmatiæ. Inter episcopos concilii Nicæni tom. II Conciliorum col. 54 subscriptus legitur,* Domnus Stridonensis, *attributus* Pannoniæ, *distinctusque ab episcopis Dalmatiæ, qui præcedunt, ut jam observavit Tillemontius.*

ut Stridonem perperam Istriæ tribuit Blondus,

34 *Hisce apertos errores addiderunt aliqui, et sic inquisitionem longe difficiliorem reddiderunt. Primo erravit Blondus, qui Stridonem Istriæ voluit includere, quandoquidem certum est, confinium Dalmatiæ et Pannoniæ non fuisse in Istria. Atqui tamen Stridon quondam erat confinium Dalmatiæ et Pannoniæ. Nequit igitur esse in Istria, quæ notabili intervallo a finibus Pannoniæ semper abfuit. Joannes Baptista Goynæus Opusculum scripsit de Situ Istriæ, editum in Thesauro antiquitatum Italiæ tom. VI, part. 4, in quo cap. 4 mira verborum acrimonia irascitur in illos, qui negant Istriæ attribuendum* Hieronymum. *At unica ra-*
C *tione solida, si eam potuisset proferre, plus profecisset pro Italis suis contra* barbaros, *ut vocat, quam sexcentis injuriis. Nam vanas illas sine rationibus iras merito contemnent omnes, risuque excipient minime barbari. Quapropter rectius fecisset Goynæus, si nos docuisset, quid loci modo sit* Sdringa, *quod Blondus* oppidulum *vocat. Rectius inquisivisset, quantum fidei mereatur istud Blondi assertum:* Visitur vero apud Sdrignam sive Stridonem prædicti Eusebii, genitoris S. Hieronymi, sepulchrum, et fama per ætatis successiones tradita, et litteris laminæ insculptis plumbeæ, in eo, ut ferunt, repertæ, notissimum.

nec recte in Istria natus dicitur Hieronymus.

35 *Degens in Istria Goynæus de horum veritate inquirere poterat et debebat. At frigide dicit,* Si vera sunt ea, quæ tradit Blondus de monumento Eusebii ejusdem patris. *Qua enim ratione nos longe dissiti ea credemus vera, cum ille de veritate dubitet? Certe sola Blondi auctoritas rem illam non facit certam. Præterea, si omnino tempore Blondi aliquod monumentum fuisset ostensum pro sepulcro patris* S. Hieronymi, *quomodo non suspicaremur, opinionem illam fuisse sive traditionem potius popularem, quam Blondus adoptaverat, quam veritatem bene compertam? Si etiam certo sciremus, sepulcrum cujusdam Eusebii in Istria fuisse, parum id prodesset ad asserendos eidem* S. Hieronymi *natales contra clarum ipsius Sancti testimonium. Testatur Sanctus, in confinia Dalmatiæ et Pannoniæ natum se fuisse, non in Italia, non in Istria. At nec Italiam ignorabat nec Istriam, utpote geographiæ peritissimus. Frustra igitur Blondus, ut* tantum Virum plane Italicum *faceret, quemadmodum fatetur, sepulcrum patris ejus quæsivit in Istria. Nam, si cujusdam Eusebii sepulcrum ibi fuit, fuit verisimiliter alterius Eusebii.*

AUCTORE J. S.

Natus quoque non est in hodierna Dalmatia.

36 *Nihilo magis quærenda est patria* S. Hieronymi *in hodierna Dalmatia, longe angustioribus finibus circumscripta, quam olim erat Dalmatia, quæ usque ad confinia Pannoniæ extendebatur, ut verba ipsius manifestum faciunt. Quapropter manifeste errarunt, qui patriam* S. Hieronymi *prope Scardonam aut prope Salonam ad mare Adriaticum quæsiverunt. Non lubet tamen operosius investigare, quibus terminis circumscripta fuerit olim Dalmatia, cum sola Dalmatiæ et Pannoniæ confinia, modo inveniri possint, ad propositum nostrum* E
spectent. Verum Pannonia, quæ a Septemtrione habebat Danubium omnibus notum, ab Occidente Noricum, ab Oriente Mysiam, a Meridie Dalmatiam, ab aliis longius in Meridiem extenditur, ab aliis minus longe. Cellarius in Geographia antiqua Pannoniam extendit in Meridiem ultra Savum, et sic eidem includit partem hodiernæ Bosniæ et Croatiæ. Alii videntur Pannoniam solum usque ad Savum extendere, et sic hodiernam Slavoniam Pannoniæ attribuunt.

Limites Pannoniæ et Dalmatiæ diverso modo figuntur:

37 *Alii demum quidam neoterici contendunt, Pannoniam tempore* S. Hieronymi *extensam non fuisse in Meridiem ultra Dravum flumen, ut Slavoniam hodiernam prorsus excludant, eamque attribuant Dalmatiæ. Prima opinio, quæ Pannoniam ultra Savum versus montes Dalmatiæ et Liburniæ extendit, certis argumentis probata non videtur, etiamsi alias sit geographorum eruditorum. Secunda, quæ totam Slavoniam hodiernam, quæ aliquando Savia fuit dicta, antiquæ Pannoniæ attribuit, certa omnino est pro aliquot sæculis; at non æque manifestum fit, regionem illam, quæ inter Savum Dravumque et Danubium sita est, semper Pannoniæ annumeratam fuisse. Hinc orta est tertia opinio, cujus patroni contendunt, ad* F
Meridiem Dravo aliquando limitatam fuisse Pannoniam, Dalmatiam vero late sumptam usque ad Dravum, et infra confluentes Dravi ac Danubii usque Danubium fuisse extensam.

possunt ii convenire Sidronæ Ptolemæi in Liburnia,

38 *Prima et secunda ex relatis opinionibus utcumque favent illorum sententiæ, qui existimant,* S. Hieronymi *patriam fuisse civitatem illam, quam Ptolemæus, agens de Liburnia, recenset inter mediterraneas Liburniæ, et* Sidronam *vocat. Nam* S. Hieronymus, *dum ad confinia Pannoniæ et Dalmatiæ patriam suam collocat, sub Dalmatia late sumpta videtur Liburniam comprehendere, eaque ratione civitas Liburniæ mediterraneæ potuit esse ad confinia Pannoniæ. Veruntamen ea res manet admodum incerta, cum satis notabilis sit differentia inter nomina* Stridon *et* Sidrona; *cumque non dicat Ptolemæus,* Sidronam *fuisse in confinio Pannoniæ; sed eam aliquo intervallo a limitibus amoveat. Præterea nullus certo edicere novit hodiernum Sidronæ nomen: aut hoc saltem illi opinioni non favet: nam aliis nunc* Blanda *vocantur, aliis* Belas.

39 *Præterea*

AUCTORE J. S.

sed ea opinio plane est incerta.

39 *Præterea traditionem ullam aut memoriam de* Hieronymo *in lacis illis nato allegari non video. Sola similitudo nominis, eaque non magna, pro* Sidrona *patria* S. Hieronymi *statuenda profertur. Ex tali nominis similitudine alii ex Scardona Stridonem facere voluerunt contra apertam* Hieronymi *declarationem, cum Scardona longe abesset a finibus Pannoniæ. Quapropter dicendum est, opinionem illam de Sidrona prorsus esse incertam; etiamsi vera esse possit secundum geographiam, si Pannonia ab aliis longius ultra Savum extensa fuerit in Meridiem, quam eam extendat Ptolemæus; sic enim potuit esse in confinio Pannoniæ; aut si Sidrona Savo propinquior fuerit, quam locetur in tabula Ptolemæi. Non miror igitur, geographos in eam opinionem propendisse, ut Stridonem a Sidrona non distinguendum crederent, aut certe suspicarentur: nec tamen salidum illius opinionis est fundamentum.*

Alii patriam S. Hieronymi credunt Stridovam,

40 *Alius ab aliquot saltem sæculis locus assignatur, quem scriptores non pauci, et maxime Hungari, patriam* S. Hieronymi *fuisse volunt. Est ille situs prope confinia trium provinciarum, nimirum Croatiæ, Styriæ, et Hungariæ, inter fluvios Dravum et Murum, paulo inferias concurrentes. Oppidum, quod modo in illa loco est, vocatur* Stridova, Strigova, *aut etiam* Stridovo, Strigovo, *et* Strigna *pro variis vicinorum populorum dialectis. Regio vocatur* insula, *aut* insula Muræ *in Topographia Hungariæ latine edita anno* 1718, *aut* Muro-Dravana *apud Bedecovich, qui volumen justæ molis exaravit, ut hodiernam Stridovam cum Stridone componeret, et geographium suæ aliorumque multorum, qui locum bene habuerunt cognitum, opinioni conciliaret. De Stridova etiam alii scripserunt; sed non sine erroribus. Tillemontius art. 2 cum aliis illam Styriæ attribuit, cum tamen sit in comitatu Szaladiensi Hungariæ, aliasque fuerit in Varasdinensi Croatiæ, et in episcopatu Zagrabiensi. Insulam Muro-Dravanam, quæ secundum omnes tabulas geographicas, quas consului, potius peninsula est, formata ex Muro Dravoque inferius confluentibus et rivis aliquot in utrumque flumen superius circa Styriæ confinia se exonerantibus, late describit Bedecovichius cap. 50, addita etiam tabula geographica. Tum cap. 51 inquirit, a quibus populis inhabitata fuerit; et cap. 52, quos diversis temporibus habuerit dominos. Mox cap. 53 ostendere nititur, populum esse Slavonicum, non Hungaricum, variaque recitat documenta, quibus ostendit, olim fuisse in comitatu Varasdinensi Croatiæ, testaturque, linguam Slavonicam in insula usitatam, non Hungaricam. Deinde et alia multa disputat, ad propositum nostrum minime pertinentia.*

nunc vicum in confiniis Hungariæ, Croatiæ et Styriæ,

41 *De ipso oppida cap. 60 ita scribit laudatus auctor:* Oppidum Stridonense, quod in Latino idiomate Stridon, in Slavonico pro varia circumjuncti populi dialecto Stridovo, Strigovo et Strigna appellatur, ut oculis circumspicimus, in valle inter montes vineis consitos situatum est. *Idem cap. 44 observavit,* a Mura fluvio vix dimidiæ *horæ itinere Stridonem distare. Nec longius distat a confinio Styriæ secundum tabulam, quam dedit. In nova Styriæ tabula Joannis Baptistæ Homanni notatur* Stridova, patris S. Hieronymi Ecclesiæ doctoris, *magis versus Dravum. At credendum potius Bedecovichio, qui exiguum tractum exactius delineare potuit, quam Homanno, qui locum ob vicinam Styriam solum assignat. Oppidum habet ecclesiam parœcialem S. Mariæ Magdalenæ dicatam, cui subsunt etiam populi vicinorum vicorum, ut fuse exponit auctor. At ipsum ut fatetur,* exiguum oppidum est, vix triginta constans domibus, iisque humilibus, culmo tectis, cultis tamen *etc. Multa quoque auctor ratiocinatur de episcopatu Stridonensi, qui verisimilis fit ex subscriptionibus concilii Nicæni, et finem habere potuit, quando civitas eversa est tempore* S. Hieronymi.

ubi sacellum Sancto in colle structum,

42 *Procedit autem cap. 61 ad locum ipsum natalium* S. Hieronymi *investigandum, fateturque, illum nullis antiquorum scriptis innotescere. Tum ait ex traditione,* Sanctum eo loco esse natum, quo honori ejus templum impositum est. Templum porro colliculo e regione parochialis ecclesiæ locatum est. Ergo domum paternam S. Hieronymi, in qua natus est, in colliculo eodem constitisse, inferendum est. *Ad hoc probandum allegat ex Topographia Hungariæ sequentia verba:* Stridova D. Hieronymi natale solum, utpote in cujus honorem templum colliculo impositum multis supplicationum ordinibus, ex remotioribus etiam Hungariæ partibus eo adductis, plurimisque prodigiis continuo celebratur. *Addit alium testem de sacello Sancti posito* in monticulo, ex cujus radice fons aquæ salutaris promanat. *De fonte adjungit ipse:* Fitque ad eumdem omnium supplicationum ordinum huc adductorum tantus æque concursus, quantus ad ecclesiam, non alia de causa, quam ut de ea salutari aqua cum devotione ad S. Hieronymum bibant, domumque in vasculis absportent; seque bibendo hic, suosque domi ægrotos bibentes ab infirmitatibus præcipue, quod mirere, febrilibus sanos faciant. Cujus aquæ beneficium cum milleni et milleni homines ab immemorabili tempore se expertos esse testati fuissent, hodiedum etiam fonticulum hunc, tot Hieronymianas gratias, quot aquarum guttas scaturientem, omnes illi, qui sanitatis causa accedunt, fontem gratiarum profitentur.

quod ædificatum dicitur anno 1448:

43 His accedit, *inquit auctor,* trabs lignea vetusta, quæ figuris Gothici characteris sequentia incisa repræsentabat verba: HIC NATUS EST S. HIERONYMUS ECCLESIÆ DOCTOR. Trabs hæc supposita erat tabulato vestibuli seu atrii, ex solidis quercinis roboribus compacti, ipsius ecclesiæ, quam Fridericus comes Cilejæ ad annum Christi 1448 hoc in loco honori S. Hieronymi erigi curaverat. Sed an hoc vestibulum seu propylæum prius vel postea erectum extiterit, ad notitiam nostram non pervenit. *Tum aliqua disserit auctor, ut ratione verisimili persuadeat, vestibulum illud ecclesia, anno 1448 structa fuisse antiquius; et docet, ecclesiam sæculo 16 ordini suo S. Pauli eremitæ donatam fuisse, ac nostro demum sæculo, cum terræ concussionibus multum esset passa, totam fuisse dejectam, et a fundamentis reædificatam. Ex inventis vero hac occasione fundamentis vetustis suspicatur, majorem ibi olim exstitisse ecclesiam. At, prætermissis brevitatis gratia iis omnibus, solum observo, traditionem de nato ibidem* S. Hieronymo *saltem viguisse ab anno 1448, quo constructa fuit illa ecclesia. Ex litteris vero Nicolai Papæ V, quas laudatus Bedecovichius recitat cap. 44, colligitur, dictam traditionem jam vetustam fuisse anno 1447, quo datæ sunt summi Pontificis litteræ.*

at ex litteris Pontificiis anni 1447 colligitur,

44 *Quapropter majorem illarum partem huc transfero:* Nicolaus Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem etc. Gloriosus Deus in Sanctis suis, et in ipsorum glorificatione congaudens, in veneratione beati Hieronymi confessoris sui eo jucundius

AUCTORE I. S.

A jucundius delectatur, qua ipse, utpoto quasi luminosa ardens lucerna, super candelabrum in domo Domini posita, errorum tenebris profugatis ejus meritis almam matrem ecclesiam præ cæteris excellentius illustravit. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Fridericus Ciliæ, Ortenburgæ et Zagoriæ comes, ac regni Slavoniæ bannus, de propria salute recogitans, et in cælestibus thesaurizare cupiens; ob singularem, quam ipse, et alii Christi fideles partium illarum, ad B. Hieronymum confessorem, tamquam præcipuum ecclesiæ sidus irradians, gerunt devotionis affectum, ecclesiam sive curam S. Hieronymi de Stridoneo, Zagrabiensis diœcesis, quæ olim domus paterna ipsius Sancti, et in qua nutritus et educatus extitit, de bonis sibi desuper creditis notabiliter construi et ædificari fecerit, ac solenniter dotaverit: nos cupientes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, et in suis structuris et ædificiis debite conservetur, ac fidelium hujusmodi devotio peramplius augeatur, ipsique fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, et ad conservationem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo B ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius conspexerint se refertos, præfati comitis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri ac Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui præfatam ecclesiam in festo B. Hieronymi devote visitaverint annuatim, et ad illius conservationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, quinque annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris *etc.*

traditionem de nato ibi Hieronymo jamtum fuisse vetustam,

45 *Epistola pontificia, quam dedi ex Typographia Hungaria, quod aliquot mendis adspersa sit apud Bedecovichium, notatur data* Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo quarto Idus Novembris, Pontificatus nostri (*id est, Nicolai V*) anno primo. *Ad fidem epistolæ conciliandam auctor ibidem hæc præmittit:* Extracta est autem hæc epistola anno Christi 1698 Romæ ex archivio summi Pontificis cum ejusdem facultate, et Magistri sacri palatii revisione et approbatione, opera et industria R. P. Martini Czeles e Societate Jesu, ibidem ad C D. Petri pœnitentiarii, uti testatum facit eminentissimi Cardinalis Leopoldi a Kollonitz archiepiscopi Strigoniensis subscriptio cum appensione proprii sigilli. *Jam vero ex dicta epistola certum fit, admodum vetustam esse traditionem de* S. Hieronymo *ibidem nato. Si enim anno* 1447 *id summus Pontifex in suis litteris indubitanter asserit, prout asserentem audimus, non est credibile, opinionem illam paulo ante fuisse natam.*

et ecclesiam diu ante ibi Sancto exstructam.

46 *Epistola quoque ipsa, si recte expendatur, insinuare videtur, ecclesiam* S. Hieronymi *non fuisse tunc exstructam, sed solum* notabiliter *instauratam: non enim dicitur nova ecclesia exstructa, et* S. Hieronymo *dedicata, sed ecclesia sive cura, id est, parœcia,* S. Hieronymi *notabiliter constructa ædificata et dotata. Vox autem* notabiliter *non congruit fundationi novæ parœciæ de qua diceretur melius* recenter *aut* noviter; *sed instaurationi censusque incremento, præsertim cum vocetur* ecclesia sive cura S. Hieronymi, *nec dicatur eidem recenter dicata. Quapropter existimo, ecclesiam multo antiquiorem fuisse; sed a comite renovatam censuque auctam. Itaque, si solam spectemus traditionem, videtur Stridova prævalere reliquis locis, quibus natales* S. Hieronymi *attribuuntur. Pro hac quoque sententia major videtur esse consensus vicinorum populorum, imo et scriptorum Hungarorum et Illyricorum, quam sit pro ulla alia.*

In confinio Dalmatiæ et Pannoniæ

47 *Quapropter breviter saltem inquirendum est, an geographia cum traditione satis probata conciliari possit. Neque enim negari potest, traditiones id genus populares, etiamsi aliquatenus vetustæ sint, frequenter fallere, cum non raro initium habuerint ex conjectura, quæ acceptata paulatim in traditionem abiit. Ut autem dicta traditio cum verbis* S. Hieronymi, *et recta geographia concilietur, necesse tantum est, ut probari possit, insulam illam Muro-Drâvanam, in qua est Stridova, vel tempore* S. Hieronymi, *vel alio quopiam ante* Hieronymum *sæculo, fuisse in confinio Pannoniæ ac Dalmatiæ. Cum enim* Hieronymus *de everso Stridonis oppido dicat,* Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit; *possunt illa verba exponi de tempore* S. Hieronymi, *quo eversum est circa annum* 380, *aut de tempore præterito, ut vera sint verba, sive respiciant ad ipsam* Hieronymi *ætatem, sive ad tempus pluribus sæculis præteritum. Vel sic tamen difficile erit ostrudere, insulam Muro-Dravanam umquam fuisse in confinio Dalmatiæ et* E *Pannoniæ, saltem ante tempora* S. Hieronymi, *aut eo vivente. Plurima sane disseruit Bedecovichius, ut Dalmatiam usque ad Dravum extenderet; neque tamen perspicio, id eum evicisse pro tempore, de quo agendum est. Lubet tamen idem brevius tentare, ut studiosus lector de re tota judicium ferre possit.*

Stridora non erat S. Hieronymi tempore: sed sub Augusto,

48 *Quod quærimus, nequit inveniri tempore* S. Hieronymi. *Nam Sextus Rufus, qui scripsit Breviarium suum ad Valentinianum Augustum, vivente* Hieronymo, *de victoriis ac provinciis populi Romani, cap.* 8 *Illyrici late sumpti provinciæ ita enumerat:* Habet Illyricus septem et decem provincias: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas. Et in diœcesi Macedoniæ sunt septem: Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Prævalis et Creta. *Erat igitur eo tempore* Savia, *quæ modo* Slavonia *dicitur, et olim Pannoniæ fuit, uti et Valeria, inter Pannonias et Dalmatiam media. Quapropter quærendum est tempus, quo illa divisio non erat facta, et quo Dalmatia ad Dravum usque se extendebat. Si quo tempore id contigerit, id omnino sub Augusti imperio quærendum existimo: nimirum quando subacta erat Dalmatia,* F *provinciaque Romani imperii facta, Dalmatiæ provinciæ adjectum credo, quidquid in Pannonia erat subactum a Romanis, sive civitates ad Savum sitas, totumque tractum Savo et Dravo intermedium. Constat enim, Dalmatas prius a Romanis subactos esse, quam Pannonios; hosque Dalmatis contra Romanos subsidia tulisse, eaque occasione partem suæ ditionis amisisse, quando tota subacta est Dalmatia. Pars igitur illa Pannoniæ, quæ a Romanis erat occupata, videtur accessisse Dalmatiæ subactæ, prout eidem provinciæ inclusa fuit Liburnia, imo et Japydia, quæ cum Dalmatia stricte dicta unam sub Romanis Dalmatiæ provinciam constituerunt.*

quando per bella pars Pannoniæ

49 *Dio Cassius lib.* 49 *ad annum Urbis conditæ* 719 *primum docet, Liburnos Japydes cum aliis bellum movisse Romanis, et Augustum ipsum contra Japidus profectum, et graviter sauciatum fuisse. His vero victis,* in Pannonia exercitum duxit, neque læsus quidem ab iis umquam, neque ullum crimen objiciens. *Et, quando dixerat, ubi habitarent Pannonii, nempe ad* Istrum fluvium

AUCTORE J. S.

vium a Norico usque ad Mysiam Europæam, Dalmatis vicini, *eorumque mores exposuerat, narrat ad Sisciam civitatem, quæ ad Savum erat sita, iterum fuisse vulneratum Augustum, sed Sisciam deinde captam esse*. Ita his in potestatem cæsaris receptis, reliqua etiam Pannonia pacis conditiones accepit. *Hoc est bellum* Dalmaticum, *quod teste Suetonio lib.* 2, *cap.* 20, *Augustus per se gessit, et in quo* etiam vulnera excepit. *Verum eodem anno Pannonii a Romanis defecerunt*, et cum iis Dalmatarum rebellio exorta est. *At, ut habet Dio, Pannonii rursum recepti sunt: Dalmatæ vero difficulter subjugati. Tum subjungit*: Ac exinde Dalmatia, ut quæ arma semper et per se, et ob propinquitatem Pannoniæ (*græce* Pannoniorum) requireret, Augusti custodiæ commissa est. *Ex his colligitur, eo tempore factam esse Romanorum provinciam, eique annexum fuisse quidquid subactum erat in Pannonia.*

accessis Dalmatiæ Romanorum,

50 *Jam vero, si attendamus ad memorata, quæ narrantur ad annum Urbis conditæ* 745, *aliaque similiter consideremus, vix dubitare poterimus, quin Dalmatica Romanorum provincia fere ad Dravum usque eo tempore se extenderet; essetque*
B *insula Muro-Dravana in confinio Dalmatiæ provinciæ et Pannoniæ, eo usque liberæ. Quippe dum Siscia urbs munita ad Savum ab Augusto expugnata erat, pax data est Pannoniis ab Augusto; sed procul dubio Romanorum more, ut victi amplum terrarum tractum amitterent. Certe* Sirmium, *quod ultra Savum erat situm*, Romanorum præsidio tenebatur, *ut Dio testatur lib.* 55, *quando ad annum* 759 *novum inter Romanos et Dalmatas Pannoniosque fœderatos ortum est bellum. Hoc autem bellum, quod Batones duo, alter dalmata, alter Pannonius, concitarunt, toto triennio continuatum est, finitumque demum est, partim subjectis, partim pacificatis Dalmatis; Pannoniis vero ad pacem reductis, ut fusius apud Dionem videri potest. At rursum anno sequenti in Dalmatia proprie dicta bellum inter Romanos ac Dalmatas recruduit, ut lib.* 56 *narrat Dio, ac tunc demum Dalmatæ omnino fuerunt debellati.*

forte in confinio utriusque fuerit,

51 *Utrum etiam Pannonii, qui intra Dravum et Danubium habitabant, eodem tempore in potestatem Romanorum venerint, apud Dionem non invenio: nam ne ullam quidem urbem ultra Dravum a Romanis occupatam scribit. Varii tamen*
C *scriptores asserunt generatim, Pannoniam ab Augusto subactam. Inter hos Sextus Rufus in habet*: Batone Pannoniorum rege subacto, in ditionem nostram Pannoniæ venerunt. *Suetonius lib.* 2, *cap.* 21 *etiam* Pannoniam *annumerat provinciis per Augustum domitis. At lib.* 3, *cap.* 9 *gesta Tiberii exponens, solum ait*: Pannonico (*bello*) Breucos et Dalmatas subegit. *Quidquid autem sit verius, sive omnes Pannonii pace mox memorata Romanis se subjecerint, sive pars magna inter Dravum et Danubium libera remanserit, utcumque assignavi tempus notabile, quo insula Mura-Dravana videtur fuisse in confinio ditionis Pannoniorum et Dalmaticæ Romanorum provinciæ. Si quis nolit hanc expositionem admittere, credatque non eo sensu in confinio Dalmatiæ Pannoniæque fuisse Stridonem, sed potius inter Pannoniam Dalmatiamque stricte dictam, non contendam pugnaciter pro opinione incerta; sed lubens admittam quamcumque opinionem, modo verior appareat aut certior.*

Vastata fuit Hieronymi patria ante annum 392,

52 *Porro fœdissime vastatam fuisse deinde patriam suam*, S. Hieronymus *declarat tom. VI col.* 676, *scribens in Sophoniam, his verbis*: Iram quippe Domini etiam bruta sentiunt animalia: et vastatis urbibus, hominibusque interfectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri, et volatilium piscium que, testis Illyricum * est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum solum, ubi præter cœlum et terram et crescentes vepres, et condensa silvarum, cuncta perierunt. *Hæc scripsit* S. Hieronymus *anno* 392. *Ex hac autem observatione rursus certissimum fit, Stridonem non fuisse in Istria, ad quam Gothi non pervenerunt saltem ante annum* 400, *quo Alaricus versus Italiam processit. An tunc in Istriam penetraverit, non inquiro, quia non spectat ad propositum nostrum. Verum, si Stridon fuerit eo loco, quo Stridonem modo esse docuimus, fuerit a Gothis illud oppidum excisum, postquam anno* 378 *Valens imperator ab iis prope Adrianopolim in Thracia victus erat, et in fuga combustus. Nam post insignem illam victoriam Gothi, ubi frustra aliquot urbes in Thracia tentaverant, illamque deprædati erant*, digressi sunt effusæ per Arctoas provincias, quas peragravere licenter adusque radices Alpium Juliarum, *ut Ammianus testatur lib.* 31. *Et Zosimus lib.* 4, *pag.* 751 *ad eadem respicit tempora, dum ait* Mysiæ... Pannoniæque *loca a barbaris vexata fuisse.*

D

* mss. Illyricus

quod Stridoni congruit, non Istriæ.

53 *De eodem tempore loquitur* S. Hieronymus, *sic tamen, ut alias quasdam præcedentes et subsequentes aliorum barbarorum populationes includat, in Epitaphio Nepotiani sive Epistola* 60, *dum dicit*: Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam *, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. *Per verba* et Alpes Julias *excluditur rursum Istria, includitur vero insula Muro-Dravana iis*, Cunctasque Pannonias. *Quapropter nec historicæ nec geographicæ rationes conciliari possunt cum opinione illorum, qui* S. *Hieronymum in Istria natum voluerunt; historicæ vero optime conciliantur cum traditione incolarum insulæ Muro-Dravanæ; nec eidem sic repugnat geographia, ut ea opinio nequeat ut probabilis haberi. Si certam non ausim dicere, id sit, quia ex sola traditione populi certum non eruitur argumentum.*

E

* al. Thessalonicam mendose.

F

§ IV. Annus natalis Hieronymi investigatur, statuiturque cum S. Prospero circa annum 331.

Ex Prospero et Vita prima natus est Sanctus an. 331.

De *anno natali non minus dissentiunt scriptores, quam de patria* S. *Hieronymi; hocque maxime oritur ex ipsis sancti Doctoris verbis, qui frequenter adolescentiam sibi ut juventutem attribuit, de iis loquens temporibus, quibus certo ad ætatem utcumque maturam pervenerat. S. Prosper in Chronico sub consulibus* Basso et Albavio, *id est, anno* 331, *habet*, Nascitur Hieronymus. *At idem ad annum* 420, *quo eum abiisse asserit, ait defunctum* anno ætatis suæ nonagesimo primo, pridie Kal. Octobris. *Hic autem annorum numerus insinuat, natum* Hieronymum *anno* 329 *aut* 330, *ut error in alterutrum locum irrepsisse videatur. Si forte Prosper scripserit* undenonagesimo, *ex eoque librarius aliquis formaverit* nonagesimo primo,

A primo, *allegati loci invicem congruent. Huic suspicioni favet vita prima apud Martianæum, quæ de ætate Sancti sic habet :* Omne vitæ suæ tempus implevit annis 88 et mensibus sex. *Nam in dicta vita, uti et in aliis duabus apud Martianæum, obitus sancti figitur anno* 12 * *Theodosii imperatoris, ut anni octoginta octo natales sancti deducant ad annum* 331 *a Prospero assignatum. Utrum annus emortualis* S. Hieronymi *ex vitioso S. Prosperi loco tam fiat certus, quam communi recentiorum consensu fuit receptus, suo loco examinabimus. Interim certum est, vitam primam cum primo S. Prosperi loco consonare pro natalibus* S. Hieronymi *anno* 331 *figendis, ut jam observavit Martianæus in vita cap.* 2, *ubi illam sententiam tuetur.*

* r. c. 419

hæc sententia pluribus

55 *Non desunt certe argumenta, quæ pro illa epocha afferri possunt : sed suas etiam patitur difficultates, eaque de causa multi* S. Hieronymum *decem aut duodecim annis juniorem faciunt, alii etiam quatuordecim. Non invalidum pro epocha S. Prosperi argumentum desumitur ex comparatione ætatis* S. Hieronymi *et S. Augustini. Etenim natus est S. Augustinus anno* 354, *ut dictum est*
B *ad* 28 *Augusti in S. Augustino. Tantam autem ætatis differentiam asserit* Hieronymus, *ut Augustini pater per ætatem esse potuerit, seque senem profiteatur, dum florentem ætatem Augustino attribuit. In Epistola* 405 (*alias* 92) *sic in fine loquitur :* Vale, mi amice carissime, ætate fili, dignitate parens. *Scripsit hoc circa annum* 405, *quando Augustinus ab anno ætatis quinquagesimo non longe aberat, et* Hieronymus *secundum epocham Prosperi septuaginta circiter et duos numerabat annos, ut merito sic loqui posset. At, si sexagenarius tantum fuisset, ut sequitur ex opinione Baronii et Tillemontii, aut etiam sexagenario minor, ut habet aliorum epocha, qua ratione episcopum fere quinquagenarium sic alloqueretur? In eadem Epistola dicit.* Senem latitantem in cellula lacessere desine. Sin autem tuam vis vel exercere vel ostentare * doctrinam, quære juvenes et disertos et nobiles, quorum Romæ dicuntur esse quam plurimi, qui possint et audeant tecum congredi, et in disputatione sanctarum Scripturarum jugum cum episcopo ducere. Ego quondam miles, nunc veteranus, et tuas et aliorum debeo laudare victorias, non ipse rursus effœto corpore dimicare. *Ego*
C *sane non capio, quomodo hæc aliaque, quibus senectutem sibi in eadem Epistola attribuit* Hieronymus, *sexagenarius ad fere quinquagenarium scripsisset.*

* *al.* ostendere

Sancti dictis fit admodum verisimilis.

56 *In Epistola* 102 (*alias* 91) *ait Augustino :* Superest, ut diligas diligentem te, et in Scripturarum campo juvenis Senem non provoces. *In Epistola* 112, *scripta an.* 404 *aut* 405, *ait se* ætatis ultimæ et pene decrepitum. *Et in fine :* Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem senem olimque veteranum militare non cogas, et rursum de vita periclitari. Tu, qui juvenis es, et in pontificali culmine constitutus, doceto populos *etc. Quinquagenarius erat Augustinus, quando* juvenis *vocatur ab* Hieronymo, *quo igitur jure se* ætatis ultimæ et pene decrepitum *dixisset, qua ratione* senem olimque veteranum, *si vix major sexagenario fuisset, dum illa aliaque plura id genus scribebat? Quapropter nequeo acquiescere rationibus illorum, qui* S. Hieronymum *multo minorem ætate faciunt. Nam et in secunda contra Rufinum Apologia, quæ composita est anno* 402, *quo necdum sexaginta annos* Hieronymo *attribuunt adversarii, de sua et Rufini senectute frequenter meminit, et in aliis quoque Operibus circa eadem tempora scriptis. Accedit* S. Augustinus, *qui testatur,* S. Hieronymum *vixisse* usque ad decrepitam ætatem. *Verbo dabo post mortem relatam. At ætas ejus non fuisset decrepita, si, ut adversarii volunt, obiisset aliquot annis octogenario minor, et in eadem fere cum Augustino ætate decessisset. Quare examinandæ veniunt rationes, quibus Baronius, Tillemontius, aliique eos secuti, tam longe a Prospero recedendum crediderunt sine testimonio ullius scriptoris antiqui, imo contra omnium antiquorum de grandæva* S. Hieronymi *senectute consensum.*

AUCTORE S.

Prima objectio contra sententiam nostram

57 *Tillemontius, qui Baronii rationes collegit, primum argumentum sumit ex Commentariis in Abacuc tom. VI cap.* 660, *ubi refert sanctus dictum gentilis de morte Juliani imperatoris, an.* 363 *occisi. Sic autem de se loquitur :* Dum adhuc essem puer, et in Grammaticæ ludo exercerer etc. *Baronius ad annum* 372 *existimat,* S. Hieronymum *tunc egisse annum ætatis* circa vigesimum. *At,* puer *non vocatur ordinario loquendi modo, si quis vigesimum attigerit ætatis annum. In illa igitur sententia vix minor loci allegati est*
E *difficultas, quam in epocha antiquorum, ex qua annos triginta et duos eo tempore agebat* Hieronymus. *Audiamus igitur, quid pro se respondeat Baronius :* Facile erit, *inquit,* ut in mille labatur errores et in diversa feratur, qui ejusdem S. Hieronymi in locutione tropos minime consideravit et figuras. *Si ergo tropis et figuris usus est Sanctus, ut variis exemplis docet Baronius, frustra ille locus objicitur. Nam si dixit,* Infans eram, *quando jam triginta erat annorum, ut observat Baronius, non debemus mirari, quod dixerit,* Dum adhuc puer essem *etc., quando annos numerabat verisimiliter triginta duos. Quærendum potius est, quibus occasionibus id genus tropis utatur sanctus. Hoc igitur dicam, prout mihi videtur. Puerorum est Grammaticæ præceptis erudiri, eaque de causa, opinor, puerum se dixit eo tempore fuisse* Hieronymus, *quod etiam tum puerilibus studiis inhærere. Sic Præfatione in Abdiam de tempore, quo junior Abdiam exponere tentaverat, ait :* Infans eram, necdum scribere noveram *etc., non ætate, aut inscitia formandi characteres; sed scientia Scripturarum, et facultate eas recte exponendi.*

examinatur et solvitur.

58 *Verum, inquiet aliquis, estne credibile,* Hieronymum *usque ad ætatem triginta duorum an-*
F *norum Grammaticæ studiis occupatum fuisse? Respondeo, hoc incredibile non videri, si recte intelligatur, uti etiam intellexit Baronius. Nam per Grammaticam designat omnem litteraturam profanam, nimirum non sola præcepta loquendi latine aut scribendi, sed et poeticam, rhetoricam, philosophicam, geographicam, historicam, aliasque scientias profanas, quibus ad subtiliter et eleganter scribendum aut loquendum juventus imbuitur. Hisce artibus eodem sæculo etiam diutius inhæserunt SS. Basilius et Nazianzenus; quibus tamen nihilo inferior est* Hieronymus, *ut mirandum non sit, si triginta trium aut quatuor fuerit annorum, priusquam ad studia theologica et sacræ Scripturæ animum adjecerit. Quot ille Opera philosophica, dialectica, historica, præter poetica et rhetorica, diligentissime legere debuerit, ac frequenter pervolvere, Opera ipsius luculenter testantur. Hæc autem pleraque sub disciplina magistrorum didicit* Hieronymus, *ut infra videbimus. Quapropter si quis utcumque usu didicerit, quam late pateat artium illarum scientia, et studiosa Operum Hieronymianorum lectione perspexerit, quantum in iis excelluerit,*

AUCTORE J. S.

fuerit, nequaquam mirabitur, in iis versatum fuisse post annum ætatis trigesimum secundum.

Aliud Tillemontii argumentum tale est.

59 *Secundum Tillemontii argumentum tale est, ut vel solum hoc nostram sententiam faciat certam. Hieronymus in Epistola* 68 (*alias* 33) *refert, S. Antonium venisse Alexandriam ad refutandos Arianos, eaque de re dicit:* Quæ infantiæ meæ temporibus accidit. *Erat igitur infans ætate* Hieronymus, *dum eo venit Antonius ob rationem dictam. Erat autem tunc Alexandriæ præsens S. Athanasius, qui Sanctum redeuntem deduxit, ut in vita ipse testatur. De hisce consentit Tillemontius. At gratis affirmat, S. Antonii illum adventum contigisse anno* 355. *Nam ex vita S. Antonii, per S. Athanasium scripta, luce clarius est, Arianos ab Antonio Alexandriæ refutatos ante mortem Constantini Magni. Certe in vita S. Antonii apud S. Athanasium tom. II, pag.* 847 *narrantur gesta ab Antonio Alexandriæ num.* 69 *et sequentibus. Deinde vero post alia num.* 81 *ait S. Athanasius:* Porro Antonii fama ad imperatores usque pervenit. Hæc enim cum didicisset Constantinus augustus, itemque filii ejus Constantius et Constans augusti, illi tamquam patri scripsere, litteras mutuo ab illo accipere peroptantes. *Addit, S. Antonium, hortantibus monachis, rescripsisse. Editor* B *S. Athanasii in margine observat, gesta Alexandrina Antonii contigisse inter annum* 326 *et* 335. *Apud nos tom. II Januarii pag.* 110 *dicitur:* Id circiter anno Christi 330 aut paulo post factum. *Tillemontius tom. VII Nota* 8 *in S. Antonium fatetur, factum figendum eo tempore, quo fixum est apud nos, si S. Athanasius ordinem temporis in narrando servaverit, illumque ordinem admodum esse naturalem.*

ut ejus sententiam prorsus evertat et nostram confirmet.

60 *Quid ergo opponit? Primo Theodoretum, qui Antonium sub Constantio venisse dicit. At, ut ipse fatetur, exigua in hisce est auctoritas Theodoreti, qui factum lib.* 4, *cap.* 24 *extra ordinem leviter attingit, et fortasse* Constantio *librarii errore legitur pro* Constantino, *omissa unica littera. Secundo ait,* Hieronymum *necdum fuisse natum. At hoc quæritur: nec debuit Tillemontius vitioso circulo uti, ut ex duobus incertis utrumque probaret, nimirum ex natali tempore* S. Hieronymi *tempus adventus S. Antonii, et rursum ex tempore adventus tempus natale. Neque enim id est probare, sed in circuitum ambulare, et ex errore in errorem incidere. Objicit tertio, Didymum, quocum tunc egit S. Antonius, anno* 335 *tantum* C *fuisse annorum viginti sex, aut forsan viginti duorum. At ejusmodi ratiunculæ nihil possunt contra apertam veritatem. Poterat S. Antonius juvenem mirari pro ætate eruditissimum, eumque monere, ne doleret de amissis oculis carneis, sed potius lætaretur de mentis acumine. Etenim auctoritas S. Athanasii, qui gesta S. Antonii diligenti inquisitione habebat perspecta, parique diligentia conscripsit, qui S. Antonium Alexandriæ viderat, et redeuntem comitatus fuerat, nullum relinquit dubium, quin Antonius Alexandriæ fuerit notabili tempore ante mortem Constantini, et ante primum S. Athanasii exsilium, ad quod missus est an.* 335, *ut inter hunc annum et* 331 *videatur figendus S. Antonii Alexandriam adventus. S. Prosper in Chronico Epistolam Constantini ad S. Antonium refert ad annum* 335. *Cum autem antea Alexandriam venerit Antonius, hoc forte contigerit anno* 334 *aut* 333. *Quocumque anno venerit inter* 331 *et* 335, *infans tunc erat* Hieronymus *ex sententia nostra, quæ solidissimum ex datis* Hieronymi *verbis habet fundamentum.*

61 *Tertia Tillemontii objectio speciei aliquid habet, difficultatis nihil. In Epistola* 120 *ad Hedibiam scribit* S. Hieronymus *sequentia:* Majores tui Patera * atque Delphidius, quorum alter antequam ego nascerer, rhetoricam Romæ docuit: alter me jam adolescentulo omnes Gallias prosa versuque suo illustravit ingenio *etc. Atqui, inquit Tillemontius, Paterius Romæ docebat uno anno ante mortem Constantini, sive anno* 336, *secundum ipsius* Hieronymi *Chronicon. Revera* S. Hieronymus *ait, illo anno* (*non anno* 339, *ut alii dixerunt:*) Patera rhetor Romæ gloriosissime docet. *Verum non dicit* Hieronymus, *tunc primum docere cœpisse. Quis prudens credat, uno tantum anno docuisse Pateram aut Paterium? Forte jam decem annis, aut etiam viginti docuerat Paterius, quando tantum sibi nomen acquisiverat, et singulari aliquo honore ornatus est. Sic de Libanio rhetore Antiocheno solum meminit ad annum* 369, *etiamsi antea aliis locis docuisset, et Antiochiæ ab anno* 354 *celebris fuisset, ut docet de Libanio ipse Tillemontius tom. IV, Imperatorum in Juliano art.* 56. *Ausonius poeta Carm.* 4 *de Professoribus, celebrat Attium Pateram, de quo agimus, satisque declarat, seniorem fuisse, quam ut credibile sit, Romæ solum docere cœpisse circa* 336. *Illum enim alloquens dicit:* Tamen quod ævo florruisti proximo, juvenisque te vidi senem. E *At Ausonius, qui* juvenis *vidit* senem *Pateram, jam anno* 379 *erat ipse senex, sicut observavi ad* 28 *Septembris in S. Exuperio num.* 11, *ut verisimiliter juvenis non fuerit post* 336, *aut certe non multo post; cumque tunc senex esset Patera, hic forte non solum ante annum* 331, *quo natum credimus* Hieronymum; *sed etiam decem, viginti aut pluribus annis ante docuerit.*

Tertia objectio non habet difficultatem.

* al. Paterius

62 *Ex Delphidio rhetore, qui dicti Paterii erat filius, argumentum item sumit Dolcius in Vita, quia de illo* S. Hieronymus *in Chronico habet:* Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent; *quod ait haberi ad annum* 360, *cum potius sit ad annum* 355, *quo secundum nos* Hieronymus *erat annorum viginti et quatuor. At* Hieronymus *supra laudatus de Delphidio dicit,* Me jam adulescentulo omnes Gallias prosa versuque suo illustravit ingenio. *Hoc autem fecit diu ante designatum docendi tempus, ut rursum liquet ex Ausonio laudato, qui post Pateram Carmine quinto celebrat Delphidium, quem ab arte poetica primum laudat dicens:* Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis, Dei poeta F nobilis: *deinde ab arte oratoria in defendendis clientibus: tertio ab odio, quod contraxit accusando potentes, et quarto demum a docendi munere. Quod postremum Delphidii recenset officium, post reliqua dicens:* Mox inde Rhetor, *sed non longo tempore superstes, ut subjungit. At videamus, quo fere tempore partes accusatoris assumpserit. Inter alios Delphidius accusavit Numerium Galliæ Narbonensis præfectum, ut habet Ammianus lib.* 18, *cap.* 1. *Hoc autem contigit sub initium anni* 359, *ut etiam observat Tillemontius in Juliano tunc cæsare art.* 8. *Jam vero, si consideremus, hanc verisimiliter non fuisse primam Delphidii accusationem; ante accusationes vero præcessisse defensiones, et poemata Delphidii omnium fuisse prima; facile videbimus, tempus designatum ab* Hieronymo, *quo Delphidius* prosa versuque *illustrabat Gallias, inter annum* 340 *et* 350 *figendum esse, et* S. Hieronymum *ex nostra sententia adolescentulum fuisse; non item in sententia adversariorum, secundum quam infans tunc erat aut puerulus. Noluit illo argumento uti Tillemontius, quod revera nobis favet.*

Item alia eidem addita a Dolcio.

63 *Objicit*

Quarta nihil omnino probat.

A 63 *Objicit quarto Tillemontius verba* S. Hieronymi *in Isaiam lib.* 5, *cap.* 15 : Audivi quemdam Areopolitem, sed et omnis civitas testis est, motu terræ magno in mea infantia, quando totius orbis littus transgressa sunt maria, eadem nocte muros urbis istius corruisse. *Hoc rursum ad opinionem suam inani labore trahere conatur Tillemontius, dicens, Sanctum loqui de terræ motu, qui contigit anno* 365. *Idem existimavit Baronius, nec tamen eo usus est argumento, quod crederet* Hieronymum *tunc fuisse* annorum viginti duorum, *et figurate locutum. Sane quis prudenter credat, propria locutione usum* Hieronymum, *si agit de calamitate anni* 365, *quæ latius narratur ab Ammiano lib.* 26, *cap.* 10? *Neque enim* infantia *ad annos viginti duos extendi potest, ut jam observarunt editores Veronenses ad locum allegatum. Hi vero existimant, designari ab* Hieronymo *terræ motum anni* 344, *quo Neocæsaream in Ponto subversam scribit ipse* Hieronymus *in Chronico. At ille motus terræ fuisse solum videtur in paucis locis. Agit vero* Hieronymus *de terræ motu magis generali, in quo et mare transgressum est littora, et unci civitatis Areopolitanæ in Arabia conciderunt. Propius ad infantiam* S. Hieronymi *accedunt,* B *magisque horrendi ac diuturni fuerunt terræ motus anni* 341, *quos ipse rursum* Hieronymus *in Chronico annotavit, aliique scriptores. Erat tunc decem circiter annorum* Hieronymus, *nec mirandum esset, si eam ætatem vocasset* infantiam. *Theophanes non illo solum anno, sed etiam quatuor sequentibus varios refert terræ motus; alium quoque ad annum* 333. *Quem ex omnibus designaverit* Hieronymus, *ignoramus : at omnes illi satis congruunt opinioni nostræ.*

Quinta et sexta

64 *Objicit quinto Tillemontius ex Epistola* 52 (*alias* 2) *ad Nepotianum hæc verba :* Dum essem adolescens, immo pene puer et primos impetus lascivientis ætatis eremi duritia refrenarem, scripsi ad avunculum tuum sanctum Heliodorum exhortatoriam Epistolam *etc. Epistola autem ad Heliodorum, de qua loquitur, scripta est anno* 375, *quando ex sententia Tillemontii triginta trium circiter erat annorum, secundum nos quadraginta quatuor. Jungo huic sextam Tillemontii objectionem, quia eadem fere est difficultas. Scripsit* S. Hieronymus *contra Helvidium anno* 383 *aut* 384, *quando adversarii eidem attribuunt ultra annos quadraginta. Attamen lib.* 13 *in Ezechie-* C *lem cap.* 44 *de illo Opusculo sic loquitur :* Super qua quæstiuncula Romæ adversum Helvidium, illius temporis hæreticum, in adolescentia non grandem librum scripsisse me novi. *Miror sane hæc objecta esse a Tillemontio, cum ejus chronotaxi æque in speciem repugnent, ac nostræ. Neque enim* pene puer *est, qui annos agit triginta tres; neque* in adolescentia *est, qui major est quadragenario. Itaque considerandum est, quo sensu Sanctus pene puerum et adolescentem se dixerit; eodem nimirum, quo verbis num.* 67 *dandis,* infantem *se vocarit, quando primum tentavit in Abdiam scribere.*

solvuntur.

65 *Omnia hæc referuntur ad scientiam sacrarum Scripturarum, aut facultatem scribendi de rebus sacris. Infans erat in Litteris sacris, quando ante vitam solitariam tentabat in Abdiam scribere; adolescens,* immo pene puer, *ad præcepta recte vivendi danda, ut certe pro sua humilitate Sanctus voluit, quando ex eremo scripsit ad Heliodorum; rursum* in adolescentia *erat ad scribendum de rebus sacris contra hæreticos, quando Romæ scripsit contra Helvidium. Itaque, dum sic loquitur* Hieronymus, *non respicit ad ætatem suam ; sed ad progressum, quem fecerat in studiis sacris, quando prædicta composuit scripta. Nisi hoc aut simili sensu intelligatur, quo modo intelligemus verba, quibus in objecta ad Nepotianum Epistola se senem facit?* Nunc, *inquit,* jam cano capite, et arata rugis fronte *etc. Et num.* 4 : Audi fratrem collegio, patrem senio. *Scripta autem est Epistola circa* 394. *Igitur, si* pene puer *erat anno* 375, *si* adolescens *circa* 384, *quo demum modo senex erat anno* 394? *Neque enim adolescens decem annis fit senex. Quare nequaquam sententiæ nostræ repugnant datæ objectiones, sed potius eidem favent caput canum et rugata frons, nisi et hæc eodem sensu sint exponenda.*

Alia Baronii objectio.

66 *Restat examinandum argumentum, quod ex Præfatione in Abdiam prophetam sumpsit Baronius, quodque Tillemontius non improbavit. Fateor, me non intelligere, qua ratione argumentum vocari debeat, et non potius locus male intellectus. Vult ex illa Præfatione extundere Baronius,* S. Hieronymum *in Abdiam scripsisse primum, dum triginta erat annorum, ac deinde post alios triginta annos composuisse Commentarium in Abdiam hodie exstantem :* Quot enim, *inquit,* annos natus erat, E cum jam priorem elucubrarat, tot sane annis postea interlapsis (ut ait) posteriorem elaboravit. *Si hæc omnino diceret* Hieronymus, *contraria prorsus essent sententiæ Baronianæ. Neque enim secundum in Abdiam Commentarium scripsit circa annum* 402, *ut voluit Baronius, sed anno* 394 *aut* 395, *ut ipsis Sancti verbis probabo num.* 374. *Itaque primum scripsisset circa* 365, *et natus esset circa* 336, *quod propius ad nostram, quam ad Baronii sententiam accedit. Verum ex omnibus, quæ Baronius in verbis* Hieronymi *invenisse se credidit, ego nihil invenio, nisi unum idque ambiguum. Unum hoc, quod sensu Baronii potest exponi, habetur ex illis* Hieronymi *verbis :* Nec diffiteor per hosce triginta annos in ejus opere me ac labore sudasse. *Loquitur de opere Domini, sive intelligentia et expositione sacrarum Scripturarum. Baronius credit,* triginta annos *designari post expositum prima vice Abdiam. Hæc loci expositio, quæ nequit nostræ opinioni obesse, examinabitur jam dicto.*

quæ ne spectat quidem

67 *At nullo verbo innuit* Hieronymus, *se triginta annorum fuisse, quando primum tentabat in Abdiam scribere. Juvenem se tunc fuisse ubique* F *insinuat, nuperque e schola rhetorum egressum; et infantem in Litteris sacris.* Hoc est, *inquit,* illud tempus, mi Pammachi hac luce dulcior, quo egressi scholam rhetorum, diverso studio ferebamur, quando ego et Heliodorus carissimus pariter habitare solitudinem Chalcidis nitebamur ; quod putabam latere (*Opusculum in Abdiam*,) vulgatum est. Infans eram, necdum scribere noveram : titubabat manus, tremebant articuli. *Hæc certe non designant ullum annorum numerum. Initio pluribus verbis infantiam suam in sacris studiis declarat, ita ordiens :* Cum essem parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam : postquam factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui. Si Apostolus proficit, et quotidie præteritorum obliviscens, in priora se extendit : . . . quanto magis ego, qui necdum ad ætatem perfecti viri, et in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam, quod in adolescentia mea, provocatus ardore et studio Scripturarum, allegorice interpretatus sum Abdiam prophetam, cujus historiam nesciebam. *Ex allegatis verbis,* Necdum ad ætatem perfecti viri, et

AUCTORE J. S.

[margin: ... I. S.]

et in mensuram Christi veni, *suspicatur Baronius elici ætatem minorem Christi ætate, sive annos triginta ob locum mox allegandum. At iis verbis* S. Hieronymus *non respicit ad præteritum tempus, quo scripserat, sed ad præsens, quo illa scribit : nam non dicit* necdum veneram, *sed* necdum... veni, *insinuans, se cum Apostolo proficere, sed perfectum non esse. Totum ratiocinium tale est. Apostolus fatetur, aliquando parvulum se fuisse in scientia, et semper proficere; quo modo ego, qui necdum perfectam assecutus sum scientiam, venia dignus non ero, si in adolescentia in exponendo Abdia erravi? Ipsa expositio* Hieronymi *verborum Epistolæ ad Ephesios cap.* 4, ℣ 13, Donec occurramus omnes in unitatem * fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, *datam explicationem facit certam. Nam ipse* Hieronymus *tom. VII Operum col.* 616 *et seq. locum allegatum de perfecta virtute et scientia exponit.*

*[margin: * Hier. unitate]*

68 *Rursum in Præfatione dicta* Hieronymus *sic loquitur* : Sperabam in scriniolis latere, quod scripseram, et ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, quum subito de Italia affertur

[margin: ad ætatem Sancti.]

B exemplar a quodam juvene tot annis, quo et ego quondam scripseram, laudante Opusculum meum. *Nihil hæc significant, nisi Opusculum ad* Hieronymum *fuisse a* quodam juvene tot annis *nato, quot ipse annorum fuerat, quando scripserat. Hinc subjungit* : Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem. *Baronius ex illis verbis ait,* tot annis *postea allatum fuisse Opusculum. At id non habetur in* Hieronymo, *qui nihil dicit de tempore, quo allatum fuit, sed unice suam scribentis illud ætatem comparat cum ætate afferentis: Nihil igitur ex illa Præfatione haberi potest de natalitio* S. Hieronymi *anno. Alia argumenta contra sententiam S. Prosperi et nostram non attulit Baronius aut Tillemontius. Unum tamen adjecit Dolcius in vita, quod breviter examinabo.*

69 *Habuit* S. Hieronymus *fratrem Paulinianum, a S. Epiphanio presbyterum ordinatum in Palæstina, ut suo loco dicemus. Fuit certo Paulinianus multo junior* Hieronymo, *eamque ætatis differentiam etiam exaggerat Dolcius in calculis subducendis parum accuratus, nisi forte sint impressionis menda. Annus natalis Pauliniani utcumque innotescit ex Epistola* 82 (*alias* 62) *ad Theophilum Alexandrinum, in qua* Hieronymus *sic habet* : Porro ætas ejus (*Pauliniani*) et beatitudini tuæ nota est, et quum ad triginta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendendam. *Epistola illa, ut suo loco ostendam, data est anno* 396 *exeunte. Natus igitur est Paulinianus circa annum* 367, *et triginta sex circiter annis secundum opinionem nostram* Hieronymo *fuit junior. Hoc mirandum esset, si ejusdem matris esset Paulinianus. At ex tanta ætatis differentia facile conjicimus, ex altera uxore natum esse. Hoc autem modo non mirabimur, si idem pater viginti aut viginti quinque annos natus genuerit* Hieronymum, *ac deinde quinquagesimo sexto aut sexagesimo primo ætatis anno Paulinianum. Novi ego pueros etiamnum viventes, natos ex patre septuagenario, ut nulla in illo argumento sit difficultas.*

[margin: Alia objectio item solvitur]

C

70 *Itaque nullum ab adversariis allatum est argumentum, quod, si recte expendatur, difficultatem patiatur, aut recedere cogat a sententia S. Prosperi, cui vitæ antiquioras sunt conformes. Auctoritatem S. Prosperi confirmant dicta omnia* Hieronymi *de grandæva sua ætate, uti et Augustini et aliorum, et magis etiam comparatio inter ætatem* Hieronymi *et Augustini data. Quod vero* Hieronymus *dicit,* infantiæ suæ temporibus *S. Antonium venisse Alexandriam, tale est, ut prudens non supersit dubium; quin ante annum* 335 *natus sit* Hieronymus. *Quapropter sententiam S. Prosperi, quam dubitans examinare cœpi, considerata omnium objectionum levitate, ausi pro satis comperta sic asserere, ut saltem vero anno natali sit proxima, si forte ipso anno* 331 *natus non sit Sanctus. Ceterum hanc quæstionem fusius tractandum credidi, quia opposita Baronii et aliorum argumenta nullibi refutata inveni. Possent adjici multa Sancti dicta, cum circa finem sæculi* 4 *et initium* 5 *frequenter de senio suo meminerit : sed hæc minus necessaria credidi.*

[margin: et breviter confirmatur sententia nostra.]

D

§ V. Parentes, frater, soror, matertera : studia in patria et Romæ : iter in Galliam : baptismus Romæ susceptus.

E

Natum se fuisse parentibus Christianis, *testatur ipse* Hieronymus *in Præfatione in Job, ex Hebræo latine redditum, tom. IX, col.* 1099 *ita scribens* : Quanto magis ego Christianus, de parentibus Christianis natus, et vexillum crucis in mea fronte portans *etc. In Epistola* 82 (*alias* 62) *dicit de se et fratre Pauliniano* : Nos... ab ipsis, ut ita dicam, incunabulis Catholica sumus lacte nutriti. *Habuit igitur parentes non solum Christianos, sed etiam Catholicos. Nomen patris erat* Eusebius, *ut docet lib. de viris illustribus cap.* 135, *matris nomen nullibi exprimit, uti neque sororis, de qua fiet mentio. Frater* Paulinianus *jam memoratus est, et variis locis redibit. Castorinam habuit materteram, ad quam una exstat Epistola inferius referenda. An illustri genere ortus sit Sanctus, certo non constat. Verisimillimum tamen est, honesto saltem loco natum esse, opesque satis amplas ejus fuisse parentibus. Certe studia* Hieronymi *Romana, quæ diuturna fuisse videbimus, itinera plurima per Gallias aliasque religiones, quæ narrabimus, luculenter ostendunt, multum pro* Hieronymi *institutione expensum fuisse pecuniæ, ut necesse sit dicere, parentes ejus non caruisse opibus.*

[margin: Sanctus habuit parentes Catholicos, quos et divites fuisse]

F

72 *Conjectura de opibus et honesto genere* S. Hieronymi *vires acquiris ex sodali, quocum nutritus est, Bonoso. Nam in Epistola* 3 (*alias* 41) *ad Rufinum monachum de Bonoso, solitariam vitam aggresso, sic ad Deum loquitur* : Gratia tibi, Domine Jesu, quod in die tuo habeo, qui pro me possit rogare. Scis ipse (tibi enim patent pectora singulorum...) ut ego, et ille pariter a tenera infantia ad florentem usque adoleverimus ætatem, ut iidem nos nutricum sinus, iidem amplexus foverint bajulorum : et quum post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas eodem cibo, pari frueremur hospitio, ut ego primus cœpi velle te colere. *Eædem nutrices, iidem bajuli, studia Romæ eadem, cibi ad Rhenum iidem, idem hospitium, ac demum convictus in pueritia, adolescentia et juventute luculenter insinuant, similes fuisse opibus* Hieronymi *et Bonosi parentes, verisimileque faciunt, stirpe natos non absimili. Qualis autem fuerit Bonosi conditio,* Hieronymus *in eadem Epistola num.* 4 *declarat, laudans animi*

[margin: et nobiles, verisimillimum fit ex variis.]

AUCTORE J. S.

A nimi magnitudinem, qua omnia reliquerat, his verbis: Cedant huic veritati tam Græco quam Romano stylo mendaciis ficta miracula. Ecce puer honestis sæculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprime inter æquales erat, contempta matre, sororibus, et carissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes et nuda saxa et solitudo terrori est, quasi quidam novus paradisi colonus insedit. *Hæc sufficiant de genere S. Hieronymi, cui saltem opes non defuerunt, ac verisimiliter neque generis nobilitas.*

Severe educatus in domo paterna, ibi studia inchoavit.

73 *Puer diligenter institutus est in domo paterna, ut colligitur ex libro 1 contra Rufinum, ubi num. 80 eum sic alloquitur:* Quis nostrum non meminit infantiæ suæ? Ego certe, ut tibi homini severissimo risum moveam, . . . memini me puerum cursitasse per cellulas servorum, diem feriatum duxisse lusibus, et ad Orbilium sævientem de aviæ sinu tractum esse captivum. *Ostendunt hæc verba, severe educatum fuisse* Hieronymum *rudimentisque artis Grammaticæ imbutum Stridone sub disciplina pædagogi, quem ob severitatem vocat* Orbilium *a celebri Orbilio grammatico Beneventano, qui plagosus vocatur ab Horatio. Utrum* B *Stridone item contigerint, an post modum Romæ, quorum in somno senex aliquando recordabatur, certo edici nequit. Certe datis verbis subjungit sequentia:* Et quo magis stupeas, nunc cano et recalvo capite, sæpe mihi videor in somnis comatulus, et sumpta toga, ante rhetorem controversiolam declamare. Cumque experrectus fuero, gratulor me dicendi periculo liberatum. *Præfatione in Job jam laudata de studiis pueritiæ et adolescentiæ sic habet:* Et in Latino (*sermone*) pene ab ipsis incunabilis inter grammaticos et rhetores et philosophos detriti sumus. *Similia fortasse in patria cœpit Sanctus, ac deinde Romæ perfecit. Qua vero fuerit ætate, dum ad Romana missus est studia, nullibi invenio. Nam, etiamsi aliquando se puerum vocet, alias* adolescentulum, *dum Romæ studebat, ex eo loquendi modo ætas non satis innotescit.*

Eaque continuavit Romæ, ubi sepulcra martyrum sæpe visebat.

74 *Sive autem Romam profectus sit tenera ætate, sive annos natus fere viginti, certum est, pluribus annis Romæ* Hieronymum *studuisse, ibidemque miros in litteris humanioribus fecisse progressus. In epistolam ad Galatas lib. 1, cap. 2 de exercitiis suis Romanis* Hieronymus *ita loquitur:* C Aliquoties, cum adolescentulus Romæ controversias declamarem, et ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad tribunalia judicum, et disertissimos oratorum tanta inter se videbam acerbitate contendere, ut, omissis sæpe negotiis, in proprias contumelias verterentur etc. *De iis, quæ præter studia Romæ egit, in Ezechielem lib. 12, cap. 40 hæc memorat:* Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi diebus Dominicis sepulcra Apostolorum et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Descendant ad infernum viventes etc. *Hæc innuunt, pietatem in Apostolos et martyres viguisse in adolescente* Hieronymo.

Præceptor ibi Hieronymi Donatus,

75 *Præcipuus magister* Hieronymi *in grammaticalibus fuit Donatus, de quo variis vicibus meminit. In Ecclesiasten cap. 1 ait,* Præceptor meus Donatus. *Contra Rufinum lib. 1, num. 16 iterum Donatum præceptorem suum nominat, simulque insinuat, quamplurima se legisse liberalium studiorum Opuscula, Rufinum sic alloquens:* Puto, quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios, Vulcatii in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum. *Ipse puer, aut potius adolescens aut juvenis, omnia verisimillime ista legerat: neque enim alias ista Rufino diceret. In Chronico ad annum 354 ita habet:* Victorinus rhetor, et Donatus grammaticus meus, Romæ insignes habentur: e quibus Victorinus etiam statuam in foro Trajani meruit. *Itaque de Donato præceptore in grammaticalibus nullum est dubium.*

non Victorinus.

76 *Voluerunt alii et Victorinum* Hieronymo *præceptorem dare in rhetorica, præeunte vita prima his verbis:* In arte quidem grammatica Donatum habuit præceptorem, in rhetorica autem Victorinum oratorem. *Dubitandum quidem non videtur, quin* S. Hieronymus *jam Romæ studuerit, dum rhetoricam ibi docere pergebat Victorinus, et sic aliquando docentem audire potuerit. Attamen nullibi* E *ipsum nominat magistrum aut præceptorem suum, quamvis non solum de Victorino meminerit duobus locis jam allegatis, sed etiam in libro de viris illustribus cap. 101, ubi vel maxime locus exigebat, ut magistrum suum vocaret, si revera fuisset. Quapropter cum duobus locis, ubi Donatum et Victorinum simul commemorat, Donatum vocet* præceptorem *suum aut* grammaticum, *de Victorino taceat, dicendum est, hunc* Hieronymi *præceptorem non fuisse, sed solum ex magistris artium liberalium innotuisse Donatum. In Præfatione Commentariorum in Epistolam ad Galatas de Victorino* S. Hieronymus *iterum sic meminit:* Non quod ignorem Caium Marium Victorinum, qui Romæ, me puero, rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum. *Hic autem, ut observat editor Villarsius, aliquando etiam editum fuit,* me puerum *pro* me puero; *indeque credidit contigisse, ut aliqui Victorinum pro magistro* Hieronymi *habuerint.*

Degebat adhuc Romæ anno 363, ibique bibliothecam collegit.

77 *Necdum Roma discesserat* Hieronymus *anno 363, quo occisus est Julianus apostata, ut liquet ex Sancti verbis num. 57 datis. Annos tunc agebat circiter triginta et duos, ut non immerito dixerit num. 73:* Inter grammaticos et rhetores et F philosophos detriti sumus; *fortasse enim ultra viginti annos illis artibus perfectissime discendis impendit. Mirabile hoc videbitur iis, qui omnium artium illarum amplitudinem non intelligunt. Verum, qui ex parte saltem Hieronymianam diligentiam imitati sunt, ut jam dicere cœpi num. 58, et ipsa* Hieronymi *Opera attente pervolverunt; facile perspicient, paucis annis acquiri non posse tantam scientiam profanam, quantam ille habuit; imo mirabuntur, legi ab* Hieronymo *potuisse tot profanorum scriptorum Opuscula, præsertim cum ea non semel aut leviter pervolverit, sed multa ex iis memoriæ mandaverit, et certe perfectum copiosamque scribendi de omni scientia profana materiam ex libris tunc maxime lectis sibi comparaverit. Ut autem plures id genus scriptores ad manum haberet, bibliothecam sibi congregavit, ut ipse testatur in Epistola 22 ad Eustochium, ubi num. 30 hæc scribit:* Cum ante annos plurimos, domo, parentibus, sorore, cognatis, et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cælorum me regna castrassem, et Jerosoly-

AUCTORE I. S.

mam millitaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. *Sic nimirum eo tempore omnes scriptores profanos evolvere ac intelligere voluit, puta grammaticos, poetas, oratores, geographos, historicos, dialecticos, logicos, physicos, diversosque moralis philosophiæ doctores; quemadmodum postea nullas fere non legit sacræ Scripturæ interpretes, scientiæque theologicæ scriptores.*

et scientias quaslibet profanas didicit.

78 *Noverat procul dubio juvenis* Hieronymus *illud Horatianum* : Scribendi recte sapere est principium et fons. *Intelligebat, non sufficere ad hoc sola grammaticæ et rhetoricæ præcepta; sed necessariam quoque esse plurimarum rerum cognitionem. Quemadmodum enim architecto etiam peritissimo ad construendum pulcrum aliquod ædificium non sufficit ars ipsa, nisi ad manum habeat pretiosorum lapidum lignorumque copiam, qua structuram eleganter possit ornare; ita nec orator nec scriptor ullus copiosam variamque in scribendo exhibebit eloquentiam, nisi cum artis ipsius legibus plurimarum rerum conjunxerit notitiam, qua et orationem suam in loco possit variare, et copiose de qualibet materia disserere. Quapropter* Hiero-
B nymus *magno ingenio, diligentique studio perdiscere voluit, quidquid affert grammatica ad emendate scribendum, quidquid suggerit dialectica ad subtiliter ratiocinandum, quidquid docet rhetorica ad ornate dicendum, quidquid poetarum fabulæ, philosophorum multiplices opiniones, historiarum antiquarum varietas abunde subministrant, ad orationem pulcre colorandam, eleganter distinguendam, apte roborandam, copiose extendendam, et amplificandam. Mirum igitur non est, iis studiis multum temporis impendisse juvenem* Hieronymum. *Id mirari solum poterunt ii, qui aut* Opera S. Hieronymi *non legerunt, aut intelligere non valuerunt, quanta in iis lateat scientiarum omnium liberalium copia, perfectissimæque eloquentiæ varietas.*

Lapsum se in adolescentia fatetur Hieronymus

79 *Jam vero, antequam progredior ad baptismum Romæ susceptum, lubet examinare assertum quorumdam neotericorum, qui voluerunt, virginitatem semper illibatam ab* Hieronymo *servatam. At nos, quantum fieri potest, nec veram laudem* Hieronymo *ereptam volumus, nec falsam eidem attribuere sustinemus.* Hieronymus *ipse*
C *opinionem illam aliquot locis refellit. In Epistola* 7 *(alias* 43) : Scitis ipsi, *inquit*, lubricum adolescentiæ iter, in quo et ego lapsus sum, et vos non sine timore transitis. *In Epistola* 14 *(alias* 1) *ad Heliodorum num.* 6 *idem insinuat his verbis* : Et hoc ego, non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum, doctus nauta præmoneo; sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, timida navigaturis voce denuncio. In illo æstu (*in mundo*) charibdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia scyllæum renidens libido blanditur *etc. Clarius etiam se virginem negat in Epistola* 48 *(alias* 50) *ad Pammachium, sive in libro Apologetico pro libris contra Jovinianum scriptis. Sic enim habet num.* 20 : Virginitatem autem in cælum fero, non quia habeam, sed quia magis mirer, quod non habeo. Ingenua et verecunda confessio est, quo ipse careas, id in aliis prædicare. Numquid quia gravi corpore terræ hæreo, avium non miror volatus? *etc. Simile quid rursum insinuat in Epistola* 125 *(alias* 4) *ad Rusticum, ut merito dubitare non possimus de lapsu aliquo ante baptismum susceptum.*

80 *Attamen utcumque innuit ad Pammachium scribens* Hieronymus, *se lapsum non esse post* D
baptismum, dum dicit: Prima est virginitas a nativitate, secunda virginitas a secunda nativitate, *id est, baptismo. Hanc secundam quasi virginitatem verisimiliter habuit Sanctus, cum lapsum in itinere lubrico* adolescentiæ *se dixerit. Neque huic conjecturæ obstat, quod Vir humillimus frequenter se peccatorem nominet, aut varia sibi attribuere videatur delicta. In Epistola* 18 *(alias* 122 *et* 123) *ad Damasum num.* 11 *ita loquitur:* Utinam autem et ego compungar, et post compunctionem Dei visione dignus efficiar, quum sim homo et non munda labia habeam, et in medio quoque populi immunda labia habentis habitem. Isaias ut justus tantum in sermone peccaverat: ideo sola labia habebat immunda, non conscientiam. Ego vero quia et oculis video ad concupiscendum, et manu scandalizor et pede, et omnium membrorum parte delinquo, habeo omnia immunda: et quia semel spiritu baptizatus, rursum tunicam pollui, secundi baptismatis purgatione, id est, ignis indigeo. *Gravius etiam se accusare videtur in Epistola* 2 *(alias* 38) *ad Theodosium, cujus et monachorum videm. subditorum preces flagitat. Vocat se* obsessum omni crimine E
caput. *Ait:* Ego sum ille prodigus filius, qui omni, quam mihi Pater crediderat, portione profusa, necdum me ad Genitoris genua submisi: necdum cœpi prioris a me luxuriæ blandimenta depellere. *Verum hæc omnia videntur esse Hominis necdum liberi tentationibus, qui pra sua humilitate præteritam vitam vehementer accusat.*

non item constat de gravi lapsu post baptismum.

81 *Romæ baptizatum fuisse* S. Hieronymum, *ipse insinuat in duabus ad S. Damasum Epistolis. In priori, quæ est* 15 *(alias* 57) *ita loquitur:* Ideo mihi Cathedram Petri et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. *Rursum in sequenti ad Damasum:* Ego igitur, ut ante jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor. *Per* vestimenta Christi *baptismum designari, quia baptizati candidis induebantur vestibus, quilibet facile perspiciet, ut necesse non sit pluribus refutare inscriptionem aliquam, quam in Gradensi insula vidisse se ait Dolcius cap.* 4, *acsi ibidem baptizatus esset* S. Hieronymus: *quam opinionem ipse etiam risu potius, quam pluribus verbis refellendam credidit. Verum de tempore,* F
quo baptismum Romæ suscepit, non æque constat. Baronius ad annum 372 *num.* 40 adulta, ætate *baptizatum dicit; sed antequam proficisceretur in Galliam. Tillemontius art.* 3 *existimat, baptismum itinere Gallica posteriorem esse; neque ea opinio caret probabilitate, certam tamen non existimo. Ratio Tillemontii petitur ex verbis num.* 72 *datis,* Et quum post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas eodem cibo, pari frueremur hospitio, ut ego primus (*sive ante Bonosum*) cœperim velle te colere. *Existimat videlicet, non congruere* S. Hieronymi *gloriæ, si dicamus, prius baptizatum fuisse, ac deinde Deum colere voluisse.*

Sanctus Romæ baptizatus est

83 *Verum ea ratio rem nequaquam facit certam: potuit enim antea baptismum suscipere, et Deum colere modo multis communi, ac deinde propositum concipere Deum perfectius colendi in vita solitaria, cum eam videatur cogitationem in Gallia concepisse, fatente Tillemontio. Itaque incertum mihi est, fueritne Romæ baptizatus ante iter in Galliam, an post dictum iter Romam reversus sit ad baptismum ibidem suscipiendum. Hoc ex verbis jam datis certum est,* Hieronymum *post* Romana

peregrinatusque in Galliam, perfectius Deo servire ibi statuit.

A *Romana studia in Gallia ad Rhenum fuisse cum Bonoso socio. An alios ibi habuerit peregrinationis socios, certo edicere nequeo. Ad Niceam hypodiaconum Aquileiensem deinde scripsit in Epistola* 8 (*alias* 42): Inter delicias patriæ et communes, quas habuimus, peregrinationes, aliquando suspira. *Utrum autem Niceas cum* Hieronymo *in Galliam sit peregrinatus, an ad alia loca, nullibi invenio. Dubitari etiam potest, an jam antea in Gallia non fuisset* Hieronymus, *sive studiorum causa, sive ad lustrandam regionem. Certe lib.* 2 *contra Jovinianum num.* 7 *ait:* Quum ipse adolescentulus in Galliæ Viderim Atticotos *, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus. *Si hoc loco adolescentulum ætate se vocaverit, fuerit fortasse in Gallia ante studia Romana, aut tempore studiorum Romæ peregrinatus fuerit in Galliam. Incertum id tamen est, cum subinde* adolescentulum *se vocet alio sensu, ut jam vidimus.*

* *al.* Scotos

ibique librum S. Hilarii exscripsit. Rufinum

83 *In hoc autem, de quo agimus, itinere cum Bonoso otiosus in Gallia non fuit. Nam Treviris manu sua exscripsit duo satis prolixa S. Hilarii Opera, ut habet in Epistola* 5 (*alias*) *ad Florentium, quem rogat, ut ea a Rufino ad se transferat his verbis:* Interpretationem quoque Psal-
B morum Davidicorum, et prolixum valde de Synodis librum sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, ut mihi transferas peto. *Hæc ejusmodi librorum exscriptio innuit, jam tunc ad sacra studia animum adjecisse* Hieronymum: *indeque conjicere possumus, plures id genus libros ab eo in illo itinere exscriptos esse; neque breve fuisse illud iter, in quo et Treviris fuit, et ad Rhenum, et procul dubio in multis aliis Galliæ civitatibus. Præterea ex verbis mox allegatis colligitur, jam eo tempore amicos fuisse* Hieronymum *et Rufinum. Ex Epistola* 3 (*alias* 41) *ad Rufinum etiam colligitur, vetustam esse illorum amicitiam, cœptamque certe, antequam* Hieronymus *in Orientem proficisceretur. Eum enim optans videre, ait:* Quam ego nunc tua arctis stringerem colla complexibus, quam illud os, quod mecum vel erravit aliquando, vel sapuit, impressis figerem labiis? *Verum hæc intelligi possunt de tempore, quo eos simul Aquileiæ videbimus habitasse: neque necesse est dicere, Rufinum Romæ cum* Hieronymo *studuisse, cum* Hieronymus *Rufinum frequenter videre potuerit*
C *aut Aquileiæ, aut in patria, quando Romæ studens ad visendos parentes subinde excurrebat, ut eum fecisse, verisimillimum est.*

jam eo tempore noverat.

84 Hieronymum *jam ante conversionem a Rufino cognitum fuisse, liquet etiam ex Invectivis Rufini lib.* 2, *num.* 7, *ubi dicit:* Ante enim, quam converteretur, mecum pariter et litteras græcas et linguam penitus ignorabat. *Hæc sane verba insinuant, cognitum Rufino fuisse juvenem* Hieronymum. *At nequaquam ex iis inferendum est, cum eo Rufinum Romæ studiis operam dedisse, quod ne verisimile quidem est, cum ex nullo innotescat loco, et Rufinus* artem oratoriam vix primis labris in adolescentia *degustasset, ut de ipsa ait* Hieronymus *lib.* 1 *contra Rufinum num.* 3. *Verum ex datis Rufini verbis alia oritur dubitatio, videlicet an linguæ græcæ ignarus esset* S. Hieronymus, *quando Roma discessit. Asseruit hoc quidem Rufinus, ut ridiculo argumento* S. Hieronymum *perjurii reum faceret. At tanta est levitas Rufini in asserendo plura, quam noverat, contra* S. Hieronymum, *ut fidem non mereatur. Imo ipsa Rufini ratiocinatio ostendit, juvenis* Hieronymi *studia scientiamque parum Rufino fuisse perspecta. Rem breviter exponam.*

Linguam Græcam jam noverat Hieronymus,

85 Hieronymus, *cum ex amicis Romanis intellexisset, libros suos contra Jovinianum ab homine imperito traduci tamquam erroribus fœdatos, in Epistola* 50 (*alias* 51) *ad Domnionem, postquam observaverat, hominem indoctum ne dialectica quidem Aristotelis Opera legisse, et vel sic ratiocinari apud imperitos, de se subjungit ironice:* Stultus ego, qui me putaverim hæc absque philosophis scire non posse... Frustra ergo Alexandri verti Commentarios: nequidquam me doctus magister per εἰσαγωγὴν Porphyrii introduxit ad logicam *etc. Ex hoc loco calumniandi occasione sumit Rufinus. Ut autem probet, Alexandri Aphrodisei et Porphyrii, scriptorum gentilium, Opera ab* Hieronymo *fuisse lecta post conversionem, temere asserit, linguam græcam antea ipsi fuisse ignotam. At* Hieronymus *clare dicit, se a docto magistro ad logicam fuisse introductum per Isagogen Porphyrii. Legit igitur dialecticum illud Porphyrii opus, quando erat sub docto magistro, quando logicam discere studebat, et consequenter quando studebat Romæ: neque enim postea logicam* E *sub magistro aut dialecticam didicit, sed sacris studiis se tradidit. Testatur hoc ipse lib.* 1 *contra Rufinum num.* 30 *ita scribens:* Septem modos conclusionum dialectica me elementa docuerunt, quid significet ἀξίωμα, quod nos *pronuntiatum* possumus dicere; quomodo absque verbo et nomino nulla sententia fit, soritarum gradus, pseudomeni argutias, sophismatum fraudes. Jurare possum, me postquam egressus de schola sum, hæc numquam omnino legisse.

aut quam e studiis Romanis discessit.

86 *Itaque nullum est dubium, quin Alexandri et Porphyrii Opera dialectica diligenter Romæ evolverit* Hieronymus, *cum in iis nihil quæsiverit præter artem recte ratiocinandi, quam postea amplius discere non debuit; cumque docto uteretur magistro ad intelligendam Porphyrii Isagogen Quare, si illa Opera necdum exstabant latine, ut existimavit Rufinus, noverat linguam græcam* Hieronymus, *dum Romæ studebat, eamque verisimiliter ibidem didicit. Hæc aliunde verisimillimum est, ut de ea re dubitare non possim: novimus enim tanto tempore* Hieronymum *litteris politioribus in patriæ et Romæ operam dedisse, ut non potuerit otium deesse ad linguam græcam discendam.* F *Novimus, tot scriptores græcos eo præsertim tempore ab eodem lectos, ut verisimile non sit, illorum omnium Opera latine reddita fuisse. Præterea constat, linguam græcam deinde* Hieronymo *notam fuisse, cum multa ex græco sermone in latinum verterit. Atqui nullum invenimus tempus, quo linguam difficilem postea didicisset; non in itinere Gallico, non Aquileiæ, quod scivisset Rufinus; non in eremo Chalcidis, ubi Hebraicam discere cœpit, quando jam Græcam noverat, ut liquet ex audito Apollinari ante discessum ad eremum.*

ut variis rationibus ostenditur,

87 *Nullum igitur superest tempus, quo linguam græcam didicisset* Hieronymus *post Romana studia, nisi iter in Orientem. At lingua copiosissima non tam facile discitur, ut hoc iter* Hieronymo *ad eam discendam sufficere potuerit. Itaque necessario dicendum est,* Hieronymum *in pueritia aut adolescentia Græcis pariter ac Latinis litteris fuisse imbutum; Latinis perfectissime; Græcis eo usque, ut scriptores græcos intelligeret, græce tamen non scriberet. Accedit silentium ipsius* Hieronymi. *Nam frequenter loquitur de summo labore, quo linguam hebraicam virili ætate didicit;*

AUCTORE J. S.

cit; numquam de Græca, quæ tamen, utpote longe copiosior, multo plus laboris ac temporis requirit, ut agnoscent, omnes, qui utramque voluerunt discere. Quapropter assertum Rufini prorsus improbabile ausim dicere, nec tamen idcirco ipsum aperti mendacii accuso. Potuit ille suspicari, Hieronymum, *dum simul habitabant Aquileiæ, quod nec græce loqueretur, nec illius linguæ scientiam coram sodalibus jactaret, aut parum aut nihil græce scivisse. Quam autem levis suspicio sufficeret Rufino ad aliquid asserendum contra* S. Hieronymum, *probant innumeræ ejus calumniæ, probat ipse locus abjectus, dum miro stupore ex* Hieronymi *verbis probare nititur, Porphyrium ab ipso lectum post conversionem : ipsa enim verba luculenter ostendunt, agi de tempore, quo Romæ studuit. Eadem levitate num.* 12 *objicit impudens calumniator, non Christum, sed Barrabam, ab* Hieronymo *electum, quia nimirum sanctus ad discendam linguam hebraicam usus est magistro Judæo Baranina. Si tum puerili argutia calumniari voluit factum laudabile, qua ratione mirabimur, si plura asseruit incerta falsaque?*

Non reddidit Latinos Alexandri Commentarios.

88 *Ex verbis supra allegatis,* Alexandri verti Commentarios, *alia oritur dubitatio. Nam Tillemontius art.* 10 *aliique ea verba exponunt de* B *versione in Latinam linguam. At Villarsius in Præfatione generali num.* 31 *contendit, verba exponenda esse de lectione frequenter repetita. Rationes affert varias. Primo* vertere *idem est, inquit, ac* versare manu aut evolvere, *totusque epistolæ contextus insinuat hunc sensum. Secundo, non addit* Hieronymus, *quid ex Commentariis illis verterit, nec verisimile est, omnia Alexandri opera ab eo in latinum versa. Tertio Rufinus non objicit ei versionem, sed lectionem. Hæc prolixius apud Villarsium deducta videri possunt. Mihi certe probabile non est,* Hieronymum *ea Opera latine reddidisse, dum erat Romæ in studiis, et minus etiam postea. Hoc unum fortasse fecerit, quod non contentus diligenti lectione, selecta quædam ex iis Operibus latina sibi fecerit. Vix enim dubitari potest, quin* Hieronymus *ex præcipuis scriptoribus varia sibi delegerit, præsertim quando integra eorum volumina bibliothecæ suæ non inserebat.*

§ VI. Commoratio S. Hieronymi Aquileiæ : recensentur amici Hieronymo noti ante iter in C Orientem : Epistola prima scripta.

Sanctus fuit aliquando Athenis, forte post visam Galliam :

Quemadmodum ignoramus, quo anno in Galliam venerit S. Hieronymus, *quantoque ibi tempore manserit, sic non possumus designare annum, quo Aquileiæ cœpit habitare, nec dicere, an ea profectus sit statim post iter Gallicum. Hoc plane certum est, anno* 363 *Romæ adhuc studuisse* Hieronymum, *ideoque saltem in Galliam non esse profectum post Romana studia, nisi exeunte fere anno* 363 *aut uno ex sequentibus annis. Post peregrinationem gallicam, quam totam fere lustrasse satis verisimile est, ad alias quoque regiones peregrinari potuit, aut in Italiam vel in patriam redire. Fortasse et in Græciam amore multa videndi et discendi eo tempore profectus fuerit. Certe Athenis aliquando fuit, cum in Zachariam lib.* 2, *cap.* 12 *ita scribat :* In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ vidi sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate D corpusculi movere vix potui. Quum autem quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, Athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec prius ad agonem quemquam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. *Aliqui credunt, Sanctum Athenis fuisse, quando ex Oriente rediit Romam. At non video, qua itineris ratione Athenas fuisset perductus. Malim igitur credere, vel ex Italia vel ex patria Pannonia profectum esse in Græciam, sicut peregrinatus est in Galliam, lustrandi multa discendique gratia.*

habitavit Aquileiæ aliquo tempore cum Rufino :

90 *Post peregrinationes plures* S. Hieronymus *rudimenta quædam vitæ monasticæ exorsus est Aquileiæ ubi videtur fuisse circa annum* 370. *Rursum tamen ignoratur, quot annis Aquileiæ habitaverit, imo etiam an annos aliquot, an solum anni alicujus partem ibi traduxerit. At ex amicis, quibus Aquileiæ conjunctus fuit, certo innotescit, Sanctum Aquileiæ ad aliquod tempus habitasse. Certe Rufinus ibi habitabat, quando ab eo avulsus est* Hieronymus, *et in Orientem profectus. Nam lib* 1 *Invectivarum num.* 3 *ita de se loquitur Rufinus :* Ego, sicut et ipse et omnes norunt, ante annos fere triginta in monasterio jam positus, per gratiam baptismi regeneratus, E signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros Chromatium, Jovinum, et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in Ecclesia Dei episcopos, quorum alter tunc presbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter archidiaconus, alius diaconus, simulque pater mihi et doctor symboli ac fidei fuit. *Hæc Rufinus anno* 401, *ut suo loco videbimus. Erat igitur in monasterio Aquileiensi ante annum* 373, *quo* Hieronymum *discessisse videbimus. Discessit autem a Rufino, avulsus inexspectato aliquo turbine, ut scribit in Epistola* 3 *ad ipsum his verbis :* Postquam me a tuo latere subitus turbo convulsit : postquam glutino caritatis hærentem impia distraxit avulsio. Tunc mihi cæruleus supra caput astitit imber : tunc maria undique et undique cælum.. *Habitabat igitur Aquileiæ cum Rufino* Hieronymus *anno* 372 *aut* 373, *quando subita aliqua persecutione, de qua conjecturam meam inferius dicam, coactus est fugere, et in Orientem navigavit.*

ibique plures habebat amicos,

91 *Præter Rufinum alios Aquileiæ sibi amicos conciliavit* S. Hieronymus, *nimirum tres superius nominatos, Chromatium postea Aquileiensem episcopum, Eusebium ejus fratrem et Jovinum, postea item episcopos ignotarum nobis civitatum.* F *Matrem quoque et sorores Chromatii ibidem noverat* Hieronymus; *uti et Niceam subdiaconum et Chrysogonum monachum, ad quos postea scribentem videbimus. Accedit, qui comes fuit* Hieronymi *in itinere, Innocentius. Cum enim subito discesserit Sanctus, necesse est dicamus, dictum itineris comitem habitasse cum eo Aquileiæ, quando inde mari se commisit. Forte et Bonosus, sodalis antiquus, Aquileiæ cum* Hieronymo *habitavit. Hoc tamen est incertum, cum videatur ante iter* Hieronymi *solitariam vitam in insula amplexus. Heliodorus quoque ibidem cum* Hieronymo *habitare potuit. At certe inter amicos Aquileiæ ab eo cognitos non fuit Florentius, quem iis annumerat Baronius ad annum* 372 *num.* 42 : *nam Florentium non viderat* Hieronymus, *quando ad ipsum Hierosolymæ commorantem scripsit Epistolam* 4, § 7 *commemorandam.*

92 *Habebat et aliis locis amicos aliquot* S. Hieronymus. *Romæ erat S. Pammachius in studiis*

AUCTORE J. S.

A *diis notus, ut liquet ex epistola* 66 (*alias* 26) *ad Pammachium, cui de illo tempore num.* 9 *ita loquitur :* Scitum est quoque illud Catonis : « Sat » cito, si sat bene. » Quod nos quondam adolescentuli, quum a perfecto oratore in præfatiuncula diceretur, risimus. Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenæum scholasticorum vocibus consonabat : « Sat cito, si sat » bene. » *De antiqua amicitia rursum meminit in Præfatione ad Abdiam :* Hoc est illud tempus, mi Pammachi hac luce dulcius, quo egressi scholam rethorum, diverso studio ferebamur, quando ego et Heliodorus carissimus pariter habitaro solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur. * *Crevit multum amicitia inter* Hieronymum *et Pammachium, postquam* Hieronymus *deinde aliquot annis Romæ commoratus est, ut suis indicabitur locis. Noverat* S. Hieronymus *et Concordiæ, quæ Rufini patria videtur, Paulum senem prope centenarium, ad quem amicissime scribentem videbimus. Noverat Æmonæ virgines sacras, de quarum silentio postea amice conqueretur. Noverat Julianum diaconum, cui sororis suæ curam commendaverat, ut pluribus deinde dicetur. De hoc autem*

uti et Romæ Pammachium, et pluribus locis alios.

* al. volebamus

B *Juliano ad epistolam* 6 *hæc observat editor Veronensis :* Hunc Julianum Aquileiæ diaconum miro consensu faciunt mss. omnes. Nullus autem dubito, quin idem sit, cujus monitis sororis suæ conversionem acceptam refert Hieronymus... Unde non longe a sancti Doctoris patria eum abfuisse colligitur. *Epistola ipsa,* § 8 *danda, magis innuit Stridonensem diaconum, non Aquileiensem. Fuit et monachus quidam Antonius* Hieronymo *tunc notus, ad quem exstat epistola temporis minus certi.*

Epistola prima

93 *Unam ex* Hieronymi *epistolis, quæ ad nostram pervenerunt notitiam, Aquileiæ anno* 371 *aut* 372 *scriptam existimo, primam videlicet in editione Veronensi* (*alias* 49) de muliere septies icta. *Scripsit illam sanctus, rogante Innocentio, post notabile otium, a studio nimirum eloquentiæ, ut ipse insinuat, ita ordiens :* Sæpe a me, Innocenti carissime, postulasti, ut de ejus rei miraculo, quæ nostra ætate acciderat, non tacerem. Quumque ego id verecunde et vere, ut nunc experior, negarem, meque assequi posse diffiderem ; sive quia omnis sermo humanus inferior est laude cœlesti ; sive quia otium, quasi quæ-

C dam ingenii rubigo, parvulam licet facultatem pristini siccasset eloquii : tu e contrario asserebas, in divinis rebus non possibilitatem inspici debere, sed animum ; neque posse eum verba deficere, qui credidisset in Verbum. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo. Super onerariam navem rudis Vector imponor, et Homo, qui necdum scalmum in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus *etc. Tot excusationes ostendunt, primam id esse S. Hieronymi opusculum ; et nominatim illa verba,* Qui necdum scalmum in lacu rexi, *evincere videntur, primum id esse opusculum* Hieronymi, *exceptis tamen familiaribus epistolis, quas procul dubio ante scripserat plures ; sed nulla earum ad nos pervenit* Otium *etiam, quo utrumque siccatum fuisset eloquium, convenit commorationi Aquileiensi : inter hanc enim et Romana eloquentiæ studia intercessit diuturna peregrinatio et studium sacrum.*

sive historia de muliere septies icta.

94 *Accedit ipsa historia, qua de agit, et Innocentius, ad quem scribit, ac demum Evagrius, cujus laudes in fine commemorat. Nam omnia hæc insinuant, in Italia potius, quam in Oriente, scriptam esse historiam. Historia Vercellis nuperrime contigerat, atque hoc compendio pro titulo exponitur :* Hieronymus Innocentii precibus historiam cujusdam miraculi refert, quod Vercellis in Liguria sua ætate acciderat. Quædam mulier a viro adulterii falso accusata, atque una delatus juvenis, tormentis ad eliciendam veritatem cruciantur. Hic impatiens confitetur, quod non admiserat ; ista constanter negans, nulla vi ad confessionem non admissi sceleris adduci potest. Ducitur uterque ad supplicium, et juvenis quidem occiditur ; mulier vero sæpius icta mori non potest. Demum, cum videretur necem occubuisse, sublatum cadaver revivit : et cum denuo ad supplicium requiretur, Evagrius ei ab imperatore veniam suis precibus impetrat. *Primo, cum historia in Italia contigerit, non est verisimile expositionem ejus in Oriente petitam ab Innocentio, aut scriptam ab* Hieronymo.

95 *Secundo Innocentius quidem cum* Hieronymo *profectus est in Orientem, sed Antiochiæ defunctus est, antequam ad eremum perveniret* Hieronymus, *ut dicam num.* 102, Hieronymus *vero ipse graviter ibidem ægrotavit. Itaque, cum vivente ac petente Innocentio, historia illa sit scripta, non potuit scribi in eremo, non Antiochiæ, ubi ipse ægrotabat* Hieronymus. *In ipso itinere scriptam esse, nequaquam fit verisimile, cum itineris molestia inter excusationes non sit allegata. Restat igitur, ut in Italia scriptam dicamus cum editore Veronensi : nam et dicta de Evagrio hanc sententiam etiam confirmant. Fuit autem Evagrius iste ex præcipuis tunc* S. Hieronymi *amicis, pauca-que de eo hic notanda veniunt. Erat Evagrius presbyter Antiochenus, ex illustri stirpe Pompeiani ducis ortus, ut observat* Hieronymus *in verso Eusebii chronico ad annum* 2 *Aureliani imperatoris. Venerat in Occidentem cum S. Eusebio Vercellensi episcopo, quando hic ab exsilio post synodum Alexandrinam reversus est in Italiam. Rediit autem Evagrius in Orientem anno* 373. *Hæc ultima colliguntur ex epistola S. Basilii* (138 *alias* 8) *ad S. Eusebium Samosatenum, cui hæc scribit :* Presbyter Evagrius, Pompeiani Antiochensis filius, qui quondam in Occidentem cum B. Eusebio profectus fuerat, rediit nunc Roma, petens a nobis epistolam *etc. Venit nimirum Cæsaream Evagrius, dum redibat Antiochiam.*

videtur Aquileiæ scripta.

E

F

96 *Quid vero boni in Occidente fecerit,* Hieronymus *in laudata epistola sub finem ita perstringit :* En quo me gestorum ordo protraxit. Jam enim ad Evagrii nostri nomen pervenimus : cujus ego pro Christo laborem si arbitrer a me dici posse, non sapiam : si penitus tacere velim, voce in gaudium erumpente, non possim. Quis enim valeat digno canere præconio, Auxentium (*Arianum episcopum,*) Mediolani * incubantem, hujus excubiis sepultum pene ante quam mortuum? Romanum Episcopum (*Damasum,*) jam pene factionis (*schismatis Ursiniani*) laqueis irretitum, et vicisse adversarios, et non nocuisse superatis.... Præsentis tantum rei fine contentus sum. Imperatorem (*Valentinianum*) de industria adit, precibus fatigat, merito lenit, sollicitudine promeretur, ut redditam vitæ (*mulierem septies ictam*) redderet libertati. *Ita* Hieronymus *de Evagrio, cujus gesta contra Auxentium Arianum et pro Damaso Romano pontifice lubens hic non expono. At solum observo, longe plura de Evagrii meritis dicere potuisse* Hieronymum, *si scripsisset in Oriente, cum ibi multa pro* Hieronymo *ejusque comitibus fecerit. Itaque ex silentio*

quando Evagrius, Hieronymi amicus, erat in Occidente.

* al. Mediolanis

lentio de beneficiis Evagrii etiam colligitur, primum illud Hieronymi *opusculum ante iter Orientale scriptum fuisse.*

Ex ea forsan ortus turbo, cujus causa discessit in Orientem

97 *Quin imo vehemens mihi est suspicio, ex eodem illo opusculo ortum esse subitum illum turbinem, qui* Hieronymum *a Rufino aliisque amicis Aquileiensibus avulsit. Si quis enim historiam, prout a juveni et eloquente* Hieronymo *liberrime conscripta est, voluerit prevolvere, facile videbit, ex ea nasci potuisse potentum virorum contra Scriptorem inimicitias. Mulierem declarat innocentem, crudelissime jussu consularis tortam, condemnatamque ex falsa alterius confessione, sic enarrat, ut consularis crudelitas injustitiaque non minus omnium oculis exponatur, quam mulieris constantia innocentiaque. Non minus graphice exponitur duorum cornificum, quorum primus quater mulieri caput amputare voluerat, secundus ter eum in finem percusserat, frustratus miraculo conatus, mulierisque, postquam* visa *erat* mori, *ad vitam quasi regressus, et occultatio usque ad obtentam ejus ab imperatore per Evagrium libertatem. Ut brevis sim, talis est tota historia, ut consularis, si eam viderit, non potuerit non summo pudore suffundi, et contra Scriptorem excandescere, ac pro sua crudelitate ultionem expetere, sive per leges, sive alio quocumque modo. Quapropter vehementer suspicor, timore iracundi consularis ejusve consanguineorum* Hieronymum *ex Italia se subduxisse. Hæc autem conjectura roboratur ex comitibus, qui cum eo discesserunt, videlicet Innocentio, qui* Hieronymum *ad scribendum induxerat, et Evagrio, qui mulieri aut gratiam aut certe libertatem apud imperatorem obtinuerat: nam et hi iracundi hominis indignationem timere poterant.*

§ VII. Iter S. Hieronymi Aquileia Antiochiam : socii itineris : morbus Sancti Antiochiæ : mors Innocentii : adventus et reditus Heliodori : mirabile Sancti somnium : refutatæ Rufini calumniæ : tres scriptæ Epistolæ : auditus Appollinaris.

Hieronymus per mare in Thraciam, indeque per terram in Syriam

A*quileia discessisse* Hieronymum *ob subitam persecutionem, de qua conjecturam meam dixi, jam vidimus. Vel sola hæc discedendi ratio insinuat, in patriam inde non fuisse profectum, cum in ea non minori fuisset periculo expositus. Verum ipsa quoque sancti de discessu suo verba, manifestum faciunt, per mare discessisse. Nam laudata ad Rufinum epistola 3 de itinere sic habet :* Postquam me a tuo latere subitus turbo convulsit : postquam glutino caritatis hærentem impia distraxit avulsio, « tunc mihi cæruleus supra caput « astitit imber : tunc maria undique, et undi- » que cælum. « *Datis Virgilii verbis navigationem per mare significat. Quo autem navigaverit, sequentia utcumque innuunt de itinere verba :* Tandem in incerto peregrinationis erranti, quum me Tracia, Pontus atque Bithynia, totumque Galatiæ atque Cappadociæ iter, et fervido Cilicum terra fregisset æstu, Syria mihi velut fidissimus naufrago portus occurrit. *Ex provinciis, quas post navigationem transivit aut attigit, prima nominatur Thracia, ut navigatio videatur directa fuisse ad portum aliquem Traciæ, forte Constantinopolim. Inde, trajecto Bosphoro, terrestri itinere per Bithyniam, (quæ etiam a Ptolemæo* Pontus et Bithynia *vocatur) Galatiam, Cappadociam et Ciliciam profectus est in Syriam.*

cum Innocentio et Evagrio proficiscitur

99 *In hoc itinere socium* S. Hieronymi *fuisse Innocentium, quem Antiochiæ defunctum videbimus, nullum est dubium. De Evagrio similiter dubitandum non est, cum duos illos vocet* duos oculos *suos. Heliodorum adjungunt aliqui ; sed minus probabiliter. Nam Heliodorus videtur alia via subsecutus, ut cum* Hieronymo *eremum incoleret : quod tamen, mutato proposito, postea non fecit. Quantum ego ex collatis* Hieronymi *epistolis colligere valeo, Heliodorus Hierosolymam navigavit, indeque Antiochiam venit ad* Hieronymum, *mutatoque proposito, in patriam reversus est, ut inferius pluribus ostendam. Sic Rufinus non diu post abitum* S. Hieronymi *in Ægyptum transmisit, ut solitarios ibi inviseret. Porro verba S. Basilii, num. 95 data, ostendunt, Evagrium presbyterum, quem unum* ex duobus oculis *nominat sanctus, Cæsareæ in Cappadocia cum Basilio egisse de rebus Antiochenis.*

anno 373. in itinere videt cœnobium S. Theodosii in Cilicia :

100 *Ex hoc autem Basilii et Evagrii colloquio, quod anno 373 figitur, ulterius Tillemontius art. 4 recte deducit,* S. Hieronymum *eodem anno 373 discessisse in Orientem, atque Antiochiam venisse. Vidit in eodem itinere* S. Hieronymus *S. Theodosium abbatem, ejusque monasterium* in Scopulo *cognominatum, de quo apud nos actum est ad 11 Januarii pag. 677 et seqq. Erat illud monasterium in Cilicia juxta Rosum oppidum, ut ibidem videri potest. Fuisse ibi* Hieronymum, *liquet ex epistola ejus secunda inferius partim recitanda, in qua desiderium suum vivendi in illo monasterio declarat. Hoc igitur itinere ante hiemem anni 373 Antiochiam attigerit, cum supra conqueratur de* fervido æstu *Ciliciæ ; iterque ex Cilicia Antiochiam usque non sit longum. De Ancyra Galatiæ metropoli visa meminit sanctus in Prologo libri 2 in epistolam ad Galatas : id autem factum fuerit in eodem itinere.*

bibliothecam secum vehit.

101 *In illo etiam itinere bibliothecam, quam Romæ comparaverat, secum vexit* S. Hieronymus, *ut habemus ex epistola 22 ad Eustochium.* Quum ante annos plurimos, *inquit num.* 30, domo, parentibus, sorore, cognatis, et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cælorum me regna castrassem, et Jerosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. *Ex iisdem verbis liquet, sanctum Hierosolymam proficisci voluisse, sed illud propositum fuisse mutatum videbimus. Confirmatur id ex epistola 5 (alias 6) ad Florentium, ubi ait :* Quibus lectis (*litteris*), ita reaccensus est animus Jerosolymam proficiscendi, ut pene nocuerit proposito, *habitandi nimirum in eremo Chalcidis, ex qua scripta est epistola. Tillemontius Nota 6 nequit credere,* Hieronymum *voluisse Hierosolymam proficisci, idque ob allegata verba. Verum sine justa ratione locum illum allegat, in quo de secundo proposito agitur. Desideravit primum Hierosolymam pergere, ut dicit in epistola ad Eustochium : sed Antiochiæ gravi, ut videbimus, correptus est morbo, et socium amisit Innocentium, ut demum solum haberet Evagrium. Hujus amicitia et favor effecit,*

cit, opinor, ut nollet longius Antiochia discedere, ut aliquod in peregrina regione haberet solatium et adjumentum, quod multis morbis debilitato summe erat necessarium. Per Epistolam Florentii reaccensus est animus Hierosolymam eundi; sed cohibuit se proposito habitandi in deserto.

Ægrotante Hieronymo Antiochiæ, Innocentius

102 *Post expositum iter in Epistola ad Rufinum, quid sibi in Syria sive Antiochiæ evenerit, refert his verbis:* Ubi ego quidquid morborum esse poterat expertus, ex duobus oculis unum perdidi. Innocentium enim, partem animæ meæ, repentinus febrium ardor abstraxit. Nunc uno et toto mihi lumine Evagrio nostro fruor, cui ego semper infirmus ad laborem cumulus accessi. *Mortuus igitur est Innocentius anno 373 aut 374, antequam ex diuturnis morbis convaluisset S. Hieronymus. Tillemontius Nota 8 inquirit in annum obitus Innocentii, errorésque ex erroribus prodocens, ut certe mihi videtur, contendit, Innocentium non obiisse ante annum 375. Hac ratione* Hieronymus *mansisset Antiochiæ apud Evagrium toto fere biennio, ob anno scilicet 373 usque ad 375 longe progressum.*

et Hylas moriuntur;

103 *Nam post Innocentium ibi etiam mortuus est Hylas, ut subjungit* Hieronymus *his verbis:* Erat nobiscum et Hylas, sanctæ Melanii * famulus, qui puritate morum maculam servitutis abluerat: et hic needum obductam rescidit cicatricem. *Post mortem Hylæ pergebat ægrotare* Hieronymus, *needum sanitati restitutus, dum illam scribebat Epistolam; et sic perveniretur facile usque ad finem anni 375, et etiam usque ad sequentem, si reliqua Tillemontiana de tempore itineris Rufini essent admittenda. At minime urget ratio Tillemontii, petita ex Epistola 1 de Muliere septies icta, in qua dicit* Hieronymus, *Auxentium Arianum opera Evagrii* sepultum pene ante quam mortuum. *Credit nimirum, id scribi non potuisse ante mortem Auxentii. At, cum Auxentius fuerit condemnatus, privatusque communione Catholicorum, poterat* pene sepultus *dici, etiamsi needum esset mortuus. Et certe non potuit illam Epistolam in Oriente ante mortem Innocentii scribere* Hieronymus, *ut jam probatum est.*

* al. Melaniæ

venitque eo Hierosolyma Heliodorus.

104 *Dum ægrotus, aut certe infirmus et languidus, pergebat Antiochiæ apud Evagrium degere* Hieronymus, *ad eum venit amicus Heliodorus, nuntiavitque* Hieronymo, *Rufinum venisse in Ægyptum, quod tamen certo edicere non poterat. Id rursum habemus ex Epistola 3 ad Rufinum num. 2, ubi sic habet:* Primæ inopinati gaudii (*de adventu Rufini*) ab Heliodoro fratre mihi est nuntiata felicitas. Non credebam certum, quod certum esse cupiebam, præsertim quum et ille ab alio se audisse diceret, et rei novitas fidem sermonis auferret. *Venisse autem Heliodorum Hierosolyma ad* Hieronymum, *colligitur ex Epistola 4 (alias 5.) quæ eodem tempore ad Florentium Hierosolymæ habitantem scripta est. Nam eum prædicat ob adjutum Heliodorum his verbis:* Heliodori fratris a te adjuta necessitas mutorum etiam potest ora laxare. Quibus gratiis, quo ille præconio peregrinationis incommoda a te fota referebat? Ita ut ego ille tardissimus, quem intolerabilis languor exedit, pennatis, ut aiunt, pedibus, gestu caritatis et voto te salutaverim, et etiam complexus sim. *Ex subsidio, quod Heliodoro Hierosolymæ præstitit Florentius, liquet eum Hierosolymæ fuisse, antequam veniret ad* Hieronymum. *Non fuisse autem ab initio Antiochiæ cum* Hieronymo, *jam observavi ex verbis de morte Innocentii,* Ex duobus oculis unum perdidi. *Ex sequentibus de Evagrio,* Nunc uno et toto lumine Evagrio nostro fruor, *rursum colligitur, discessisse Heliodorum, antequam Epistolas illas simul scriberet* Hieronymus: *nam alter oculus fuisset Heliodorus, sicut ante fuerat Innocentius.*

AUCTORE J. S.

At hic, frustra detinere conante Hieronymo, rursum discedit

105 *Propositum fuisse Heliodoro cum* Hieronymo *eremum incolere, sed eum a proposito resiliisse, forte ob mortem Innocentii et pertinacem languorem* Hieronymi, *sive alia quacumque de causa, habemus ex Epistola 6 (alias 73) ad Julianum diaconum, cui hæc scribit:* Sanctus frater Heliodorus hic adfuit, qui quum mecum eremum vellet incolere, meis sceleribus fugatus abscessit. *Multum tamen laboravit Sanctus, ut Heliodorum secum retineret. Epistolam enim 14 (alias 1) ad Heliodorum deinde scriptam, sic orditur:* Quanto amore et studio contenderim, ut pariter in eremo moraremur, conscium mutuæ caritatis pectus agnoscit. Quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu, te abeuntem prosecutus sim, istæ quoque litteræ testes sunt, quas lacrymis cernis interlitas. Verum tu quasi parvulus delicatus, contemptum Rogantis per blandimenta fovisti, et ego incautus, quid tunc agerem, nesciebam. Tacerem? Sed quod ardenter volebam, moderate dissimulare non poteram. Impensius obsecrarem? Sed audire nolebas, quia similiter non amabas. Quod unum potuit, spreta caritas fecit. Quem præsentem retinere non valuit, nunc quærit absentem. Quoniam igitur et tu ipse abiens postularas, ut posteaquam ad deserta migrassem, invitatoria ad te scripta transmitterem, et ego me facturum promiseram; invito: jam propera etc. *Hæc ostendunt, non modo a proposito resiliisse Heliodorum, sed etiam abiisse, antequam* Hieronymus *migrasset* ad deserta, *quod pergeret ægrotare. Hujus autem morbi causa aut nullas dederit Heliodoro abeunti ad amicos litteras, aut perbreves, quæ non fuerint conservatæ. Tillemontius Nota 7 de Heliodoro disserit, et ex uno duos facere nititur, sed nullo alio fundamento, quam quod itinera Heliodori non bene disposuerit.*

anno 374 ægrotante etiam tum Hieronymo

106 *Jam vero, cum Heliodorus et Rufinus non nisi post discessum S.* Hieronymi *in Orientem fuerint projecti, alterque in Ægyptum venisset, alter Hierosolymæ fuisset, indeque venisset Antiochiam, nequit reditus Heliodori in Occidentem figi ante annum 374. Verumtamen, dum ille erat Antiochiæ, ubi verisimiliter non diu substitit, pergebat graviter ægrotare Sanctus. Nam in Epistola 6 ad Julianum morbi sui testem allegat Heliodorum, et de illo sic loquitur:* Ita me jugis tam corporis ægrotatio, quam animæ ægritudo consumpsit, ut morte imminente, nec mei pene memor fuerim. Quod ne falsum putes, oratorio more post argumenta testes vocabo. Sanctus frater Heliodorus hic adfuit etc. *Jam vero gravis ille diuturnusque morbus ad aliud nos deducit factum, quod sine ulla dubitatione contigit Antiochiæ, non in eremo, ut alii crediderunt, eosque secutus Tillemontius art. 9.*

Anno 374 in Quadragesima Antiochiæ, non in eremo.

107 *Loquor autem de famoso somnio, in quo Sanctus graviter correptus est ob nimiam lectionem scriptorum profanorum, et cujus causa deinde a lectione Ciceronis, poetarum, aliorumque similium scriptorum profanorum, quos eloquii gratia legebat, abstinere cœpit. Nullo verbo insinuat, se fuisse in eremo, dum id contigit. Contra ait, aut certe insinuat, eo id factum tempore, quo adhuc Hierosolymam pergere cogitabat. Eo autem animo fuisse*

AUCTORE J. S.

fuisse videtur, degens Antiochiæ, donec elegit habitationem in eremo Chalcidis. Præterea scribens in Epistolam ad Galatas, in Præfatione libri tertii ait ad Paulam et Eustochium; Notis enim et ipsæ, quod plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit; et, si quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. *In Præfatione libri secundi etiam dicit:* Multi jam anni sunt quod hæc legere desivimus. *At suo loco ostendemus, expositionem Epistolæ ad Galatas nulla ratione figi posse serius, quam anno* 389. *Quapropter somnium illud* Hieronymi *nequit statui post annum* 374. *Cum autem morbus, in quo fuit oblatum,* media ferme Quadragesima *fuerit auctus, certissimum fit, necdum eo tempore in eremo fuisse Sanctum, et consequenter somnium figendum Antiochiæ in Quadragesima anni* 374. *Morbus ipse gravissimus, quem in narrando somnio asserit, tempus confirmat, cum non videatur tam graviter in eremo laborasse.*

mirabile somnium habuit Sanctus,

108 *De ea autem in Epistola* 22 *ad Eustochium num.* 30, *ubi dixerat, non potuisse se bibliotheca sua carere, etiamsi* Jerosolymam militaturus B *pergeret,* Hieronymus *scribit sequentia:* Itaque miser ego lecturus Tullium, jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens * illuderet, in media ferme Quadragesima medullis infusa febris, corpus invasit exhaustum: et sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, et vitalis animæ calor, toto frigescente jam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitat: quum subito raptus in spiritu, ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis, et tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. C Et ille, qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus: ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Illico obmutui, et inter verbera (nam cædi me jusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: « In inferno autem quis » confitebitur tibi? »

* *al.* hostis

quo deterritus est a lectione librorum profanorum.

109 Clamare tamen cœpi, et ejulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui adstabant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, et errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego, qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, et nomen ejus obtestans, dicere, Domine, si umquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superos, et, mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jacui: testis judicium triste, quod timui: ita mihi numquam D contingat in talem incidere quæstionem. Liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram. *Hæc de se refert humillimus* Hieronymus, *ut S. Eustochium virginem deterreat a lectione librorum gentilium, maxime poetarum, qui certe, cum obscena multa reliquis immiscere soleant, virgini non congruunt. Hinc num.* 29 *præmittit hoc monitum:* Nec tibi diserta multum velis videri, aut lyricis festiva carminibus, metro ludere. *Et mox:* Quid facit cum Psalterio Horatius? cum Evangeliis Maro? cum Apostolo Cicero? *etc.*

quam etiam aliis, ipsique Damaso Papæ dissuasit.

110 *Nec tantum virginibus dissuasit* Hieronymus *lectionem poetarum, aliorumque scriptorum gentilium, sed viris etiam eruditis. In Epistola* 21 (*alias* 146) *ad Damasum Romanum Pontificem, qui ipse erat poeta, sed Christianus et pius, agens de siliquis, quibus filius prodigus ventrem implere cupiebat, ita loquitur:* Possumus autem et aliter siliquas interpretari. Dæmonum cibus est carmina poetarum, sæcularis sapientia, rhetoricorum pompa verborum. E Hæc sua omnes suavitate delectat, et dum aures versibus, dulci modulatione currentibus, capiunt, animam quoque penetrant, et pectoris interna devinciunt. Verum ubi cum summo studio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud, nisi inanem sonum et sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt: nulla ibi saturitas, veritatis, nulla refectio justitiæ reperitur. *Deinde vero, ubi plura attulerat ex sacris litteris, observassetque, Apostolum* sub aliis verbis *quasi dicere:* Ne legas philosophos, oratores, poetas; nec in eorum lectione requiescas; *contra sacerdotes similium scriptorum nimis amantes hæc profert objurgationis verba:* At nunc etiam sacerdotes Dei, omissis Evangeliis et Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium: et id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. *Nominatim graviter reprehendit temeritatem eorum, qui malunt Latini magis videri, quam Christiani, dum formulas jurandi per deos gentilium usurpant.* Absit, *inquit,* ut de ore Christiano sonet: JUPITER OMNIPOTENS; et ME HERCULE, et ME CASTOR, et cætera magis portenta, F quam numina. * *Hæc de iis Sanctus post annos multos.*

* *al.* nomina

Ex dicto somnio Rufinus Hieronymum ridicule perjurii accusavit:

111 *Verumtamen ex allegato superius loco gravis calumniæ occasionem arripuit Rufinus, dum operosa disputatione* S. Hieronymum *perjurii reum facere conatus est; acsi juratus promisisset, non lecturum se deinceps gentilium libros, eamque promissionem non servasset. Rufinum ego minus miror, cum hic, quod nihil solidæ accusationis reperire posset, et vel sic homo iracundus mallet alium accusare, quam se defendere, ubique magno conatu magnas proferat nugas. Ratiocinia quoque Rufini satis refutavit* Hieronymus, *etiamsi breviter tantum responderit. Nam observat primo, se promisisse pro futuro, innuitque, se deinde id genus libros non legisse; sed ea omnia oblitum non fuisse, quæ antea legerat. Altera responsio est, somnium fuisse, ex somnio autem nullam nasci obligationem.* Sed tamen, *inquit,* qui somnium criminatur, audiat prophetarum voces, somniis non esse credendum, quia nec adulterium somnii ducit me ad tartarum, nec corona martyrii in cœlum

A cælum levat. *Cum autem Rufinus post datum* Hieronymi *responsum, ridiculum calumniam repetiisset in litteris*, Hieronymus *lib. 3, num. 32 risu hominem excepit, nihilque ulterius respondit, nisi promissionem fuisse dormientis.*

cui frustra succurrit Tillemontius, cum verum fuerit somnium.

112 *At Tillemontius art. 9 Magnam in re nihili difficultatem sibi imaginatur, et non solum ex Rufino nititur probare*, Hieronymum *non abstinuisse a lectione librorum gentilium; sed etiam non audet* Hieronymo *consentire, somnium fuisse, in quo omnia sunt peracta; ac tandem* Hieronymum, *quasi in perjurii luto hærentem, non obscure deserit. Deplorat nimirum miseriam humanæ fragilitatis, insinuatque, defectu humilitatis noluisse* Hieronymum *agnoscere peccatum suum. Verum in ejusmodi errores frequenter lapsus est auctor ille, quod antiquos scriptores legerit sine sufficienti scientia dialectica et theologica. Certe nulla potest esse dubitatio, quin omnia acciderint dormienti* Hieronymo, *ut ipse facile decies diversis verbis repetit lib. 1 et 3 contra Rufinum. Nam ex ipso, qui objicitur, loco idem clare intelligitur. Fatetur Sanctus, se* plagas sensisse post somnum. *Quis igitur dubitet, quin plagis affectus* B *sit in somno, omniaque dormienti acciderint? Jacebat Sanctus in lecto oculis clausis instar moribundi, ut liquet ex illis verbis:* Et mirantibus cunctis, oculos aperio. *Quomodo ergo* projectus in terram, sursum aspicere non *audebat, quomodo* clamare *cœpit et* dejerare, *nisi quod illa reliquaque omnia sic in ejus imaginatione versabantur, ut accidere solet somniantibus? Quapropter nequit dubitari, quin omnia in somno contigerint, ut* Hieronymus *toties repetit contra Rufinum, et in ipso etiam loco objecto declarat.*

in quo divinitus correctum monitumque se dixit Sanctus.

113 *At, inquies, cur ergo dicit?* Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. *Respondeo, ita locutum* Hieronymum, *quia credidit, somnium fuisse a Deo immissum, seque in illo fuisse correptum, admonitumque, ut a lectione librorum gentilium abstineret, aut certe nimiam legendi libros illos libidinem temperaret. Negat, vanum fuisse aut naturale somnium; at somnium fuisse, seque in eo correctum et admonitum, non negat. Sic lib. 3 contra Rufinum num. 32 respondet:* Magni criminis reus sum, si puellis et virginibus Christi dixi, sæculares libros non legendos, et me in somnis com- C monitum promisisse, ne legerem. *Et infra:* Ego me humiliter reprehensum refero etc. *Sic S. Josephus, Mariæ sponsus, Matth. 2, ℣ 13 ab angelo* in somnis *monetur, ut fugeret in Ægyptam. Sic Abimelech rex Gераræ Gen. 20, ℣ 3* per somnium *monetur, ut restituat Abrahamo uxorem Saram. Sic Josepho patriarchæ multa per somnium de futura sua magnitudine fuerunt significata: multaque regi Ægyptio Pharaoni, multa regi Nabuchodonosor, aliisque pluribus, in somno fuerunt ostensa. Itaque, dum ait* Hieronymus *supra,* Nec vero sopor ille fuerat aut vana somnia *negat somnium fuisse vanum, ortumque ex causa mere naturali, nihilve significans; sed tam ibi, quam postea ad Rufinum, declarat, eo somnio se fuisse correptum de nimia lectione librorum gentilium. At utroque rursum loco insinuat, dormienti sibi omnia contigisse. Nam in prima expositione, ut probet, non inane fuisse somnium, somnium tamen, ait* post somnum se liventes.. habuisse.. scapulas, plagas sensisse; *sicut aliquis, qui in somnio se læsisset, dixisset:* Expergefactus vidi sanguinem copiose fluentem. *Postea vero de illo somnio ait:* Ego me humiliter reprehensum refero; *fateturque se* in somnis commonitum *promisisse, ne legeret gentilium libros, sed non dicit, se aliter promisisse aut jurasse, quam in somno.*

AUCTORE J. S.

nec tamen se ulla promissione obstrictum.

114 *Quapropter inanissima est objectio Tillemontii, qui* Hieronymum *quasi mentientem inducere voluit, nolentemque* veritati cedere. *Si vero etiam crediderit,* Hieronymum *non minus obligatum fuisse ad præstanda ea, quæ in somno promiserat, aut potius ad servanda ea, quæ se promisisse somniaverat, mirabilem sane secutus est theologiam. Certe ea non erat sententia* Hieronymi, *dum Rufino lib. 3, cap. 32 respondit:* Nunc breviter dixisse sufficiat, te exigere a dormiente, quod numquam vigilans præstitisti. *Et lib. 1, num. 31 ait:* Nec adulterium somnii ducit me ad tartarum, nec corona martyrii in cælum levat; *nimirum quia sine libertate arbitrii fiunt, quæ in somno peraguntur. Verumtamen* Hieronymus *deinde abstinuit a lectione librorum gentilium, ut jam vidimus; quia censebat, se monitum illo somnio, ut id faceret. Et, si fortasse postmodum aliquot gentilium libros iterum legerit, ut Rufinus* E *et Tillemontius contenderant, id procul dubio fecerit, quia satis intelligebat, reprehensum se fuisse ob nimis assiduam gentilium lectionem, non ob moderatum usum, qui omnibus fere sanctis Patribus communis fuit. Certe S. Augustinus, qui eam* Hieronymi *in somno reprehensionem verisimiliter non ignorabat, ea de causa non abstinuit a libris gentilium, quos in libris de Civitate Dei frequentissime adducit et refutat; multisque aliis locis.*

Rufini argumenta.

115 *Ipsas tamen objectiones Rufini audiamus. Objicit primo lib. 2, num. 5, nullam fere* Hieronymi *paginam esse, ubi non dicat:* Sed Tullius noster, sed Flaccus noster, sed Maro. *Immanis est exaggeratio: nam omnia fere Opuscula* Hieronymiana *verbis sacræ Scripturæ plena sunt: subinde tamen in nonnullis aliquid ex poetis inscriptur. Dum autem dicit Tullius* noster, *unice significat, scriptorem esse Latinum, ut et de Horatio subinde fit. Ait secundo,* Chrysippum et Aristidem, Empedoclem, *aliosque Græcos, atque* etiam Pythagoræ libros *laudari ab* Hieronymo. *Nugæ sunt hæ Rufinianæ: nam quæ de his aliquando profert* Hieronymus, *poterat ex fideli memoria, ut sé ait fecisse, vel certe ex suis excerptis* F *facile producere. Tertio objicit, verba num. 85 data de lecta Porphyrii Isagoge et Alexandri Commentariis. At hæc Romæ legerat, quando discebat logicam. Rufinus tamen ait:* Nec argumentari potest, se ante hæc didicisse. Ante enim quam converteretur, mecum pariter et litteras græcas et linguam penitus ignorabat. Post juramentum omnia hæc *etc. At Tillemontius, qui objectionem alius adoptavit, art. 10 fatetur, difficulter credi posse,* Hieronymo *tunc linguam græcam fuisse ignotam. Mihi vero res plane est incredibilis, aut potius aperte falsa. Abunde vero certum est, Romæ logicam didicisse* Hieronymum *ex allegatis auctoribus, idque ope docti magistri.*

contra S. Hieronymum

116. *Vel sola hæc Rufini objectio, quam ut validissimum telum contra* S. Hieronymum *prolixis verbis miraque fiducia intorquet, abunde ostendit, quanta temeritate viri sancti dicta factaque calumniatus sit. Tanta enim verborum impudentia in* Hieronymum *insurgit, acsi grave crimen solido ratiocinio probasset: cum talem non nisi aranearum telas nexuerit, totumque argumentum homine vel mediocriter docto sit indignum. Nam*

AUCTORE J. S.

utraque propositio, ex qua crimen deducit, falsa est. Falsum est juramentum assertum: neque enim juravit, qui se jurasse somniavit. Falsa est asserta lectio Porphyrii et Alexandri post somnium de juramento, cum Hieronymus clarissime locutus sit de tempore, quo Romæ discebat logicam. Quapropter candide edico, solo illo argumento Rufinum apud me plus suo honori detraxisse, quam omnibus suis invectivis S. Hieronymi famam læserit. Nam temeritatem suam in asserendo luculenter hic prodit in re manifesta, ut hinc colligere possimus, quam exiguam aut nullam mereatur fidem, dum alia asserit minus comperta.

nihil prorsus

117 *Ultima Rufini objectio forte aliquid veri habet, sed inanissima est. Monachi, ut asserit lib. 2, num.* 8, in monte Oliveti quam plurimos ei Ciceronis Dialogos descripserunt, *amplamque, acceperunt laboris mercedem. Vidit ipse Rufinus codicem* Hieronymi *scriptum*, in quo erat unus Dialogus Ciceronis, et idem ipse Græcus Platonis. *Addit ineptus calumniator:* Sed quid immoror tamdiu in re, quæ luce clarior est? Cum... ante non multo adhuc tempore partes Grammaticas executus sit, Maronem suum, comicosque et B lyricos et historicos auctores traditis sibi ad discendum Dei timorem puerulis exponebat, scilicet et ut præceptor fieret auctorum gentilium, quos si legisset tantummodo, Christum se negaturum juraverat. *Non examino, an omnia hæc sint vera, et non saltem exaggerato supra veritatem. Nam hoc certum est, in omnibus illis nihil esse, quod sit reprehensione dignum.*

reineunt.

118 *Abstinuit* S. Hieronymus *ad annos saltem quidecim ab omni lectione librorum illorum, ob quorum nimiam lectionem divino somnio reprehensum se existimabat, ac fortasse etiam toto vita illos deinde in usum proprium non legit. Si vero postea Vir humillimus pueros etiam instruere voluit, eosque in legendis gentilium libris* (quod in pueris necessitatis est, *ut ait num.* 110) *ad sermonem latinum et græcum recte discendum dirigere, melioresque ac minus periculosos in manus tradere, ac demum obscuriora quædam ex iis exponere, quid in facto tam laudabili vel severissimus Cato reprehendendum putet? Nam quod de juramento jactat Rufinus, puerorum terriculum est, non argumentum viro dignum: nec Rufinus ipse, opinor, si somniasset se jurasse, decem diebus se non manducaturum, maluisset fame mori, quam* C *contra imaginarium juramentum de more cibum sumere. Si quis hæc prolixius existimet disputata, quam erat necesse, cogitet, posterioribus sæculis novas contra* S. Hieronymum *insurrexisse Rufinos.*

Sanctus scribit ad S. Theodosium abbatem humillime

119 *Eo tempore, quo Antiochiæ langurbat post morbum* S. Hieronymus, *tres epistolas conscripsit, nimirum secundum, tertiam et quartam editionis Veronensis. Ardebat Sanctus desiderio amplectendi vitam monasticam aut solitariam, sed locum, ad quem se conferret, necdum elegerat; languorque ex morbis relictus cogebat differre propositum. Epistola* 2 (*alias* 38) *ad Theodosium abbatem et ceteros anachoretas in Cilicia, quos anno 373 in itinere viderat, ex tribus forte prima est, et certe scripta Antiochiæ, quia sanctus de vitæ instituto anceps hærebat. Totam, quia miram* Hieronymi *humilitatem probat, huc transfero.* Quam vellem nunc, *inquit*, vestro interesse conventui: et admirandum consortium, licet isti oculi non mereantur aspicere, tota cum exsultatione complecti. Spectarem desertum omni amœnius civitate. Viderem desolata ab accolis loca, quasi ad quoddam paradisi instar, Sanctorum cœtibus obsideri. Verum quia hoc mea fecere delicta ne consortio beatorum inferetur * obsessum omni crimine caput: idcirco obsecro (quia vos impetrare posse non ambigo) ut me ex istius tenebris sæculi vestro liberetis oratu. Et, ut ante dixeram præsens, et nunc per litteras votum indicare non cesso, quod meos mea omni ad id studium cupiditate rapiatur. Nunc vestrum est, ut voluntatem sequatur effectus. D

* *al. inferetur*

declarans desiderium amplectendi vitam monasticam.

120 Meum est, ut velim: obsecrationum vestrarum est, ut velim et possim. Ego ita sum, quasi a cuncto grege morbida aberrans ovis. Quod nisi me bonus Pastor ad sua stabula humeris impositum reportarit, lababunt gressus, et in ipso conamine vestigia concident Assurgentis. Ego sum ille prodigus filius, qui omni, quam mihi Pater crediderat, portione profusa, necdum me ad Genitoris genua submisi: necdum cœpi prioris a me luxuriæ blandimenta depellere. Et quia paululum non tam desivi a vitiis, quam cœpi velle desinere, nunc me novis diabolus ligat retibus: nunc nova impedimenta proponens, maria undique circumdat et undique pontum: nunc in medio constitutus elemento, nec regredi volo, nec progredi possum. Superest, ut oratu vestro sancti Spiritus aura me provehat, et ad portum optati littoris prosequatur. E *Hæc verisimiliter scripsit sanctus ante intellectum Rufini adventum in Ægyptum, sive ante duas sequentes epistolas, eodem tempore datas; imo fortasse etiam ante somnium superius relatum, sive sub initium anni* 374: *quidquid sit, certe ante abitum ad eremum.*

Scribit ad Florentium Hierosolymæ commorantem, additis litteris ad Rufinum,

121 *Circa mediam æstatem anni* 374 S. Hieronymum *scripsit ad Rufinum, quem in Ægyptum venisse intellexerat, aliamque simul dedit epistolam ad Florentium Hierosolymæ commorantem, ut hic adjunctam ad Rufinum perferendam curaret. In utraque admirabilem caritatem, humanitatem, summamque humilitatem manifestam facit. Primum agam de epistola ad Florentium, quem* Hieronymo *innotuisse per beneficia Heliodoro præstita, colligitur ex initio, quod tale est:* Quantus beatitudinis tuæ rumor diversa populorum ora compleverit, hinc poteris æstimare, quod ego te ante incipio amare, quam nosse. Ut enim ait apostolus, « quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; » ita e contrario tuæ dilectionis fama dispergitur, ut non tam laudandus sit ille, qui te amat, quam scelus putetur facere ille, qui non amat... Heliodori fratris a te adjuta necessitas omnium etiam potest ora laxare, ... ita ut ego ille F tardissimus, quem intolerabilis languor excedit, pennatis, ut aiunt, pedibus, gestu caritatis et voto te salutaverim, et etiam complexus sim. Gratulor itaque tibi, et nascentem amicitiam ut Dominus confœderare dignetur, precor. Et quia frater Ruffinus, qui cum sancta Melania ab Ægypto Jerosolymam venisse narratur, individua mihi germanitatis caritate connexus est, quæso, ut epistolam meam, huic epistolæ tuæ copulatam, ei reddere non graveris. *Necdum Hierosolymam venerat Rufinus, nec nisi incertum de eo rumorem audivisse videtur* Hieronymus. *Hac de causa epistolam ad Florentium dirigit.*

quem multum laudat, se humiliter deprimens,

122 *Quam vero sincere Rufinum diligeret, modesteque de se sentiret, colligitur ex sequentibus:* Noli nos ejus æstimare virtutibus: in illo conspicies expressa sanctitatis insignia: et ego cinis et vilissima pars luti, et jam favilla dum vertor, satis habeo, si splendorem morum illius imbecillitas

A imbecillitas oculorum meorum ferro sustineat. Ille modo se lavit (*baptismo nuper suscepto*) et mundus est, et tamquam nix dealbatus : ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Sed tamen, quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requiescit, forsitan et mihi, in sepulcro scelerum jacenti, dicat : Hieronyme, veni foras. Sanctus presbyter Evagrius plurimum te salutat, et Martinianum fratrem juncto salutamus obsequio, quem ego videre desiderans, catena languoris innector. Vale in Christo. *Ex desiderio videndi Martinianum fratrem, qui haud dubie solitarius erat, colligitur, S. Hieronymum etiam tum desiderasse solitariam vitam amplecti in Palæstina, aut certe de loco dubium hæsisse. Utrum autem Martinianus ille sit S. Martinianus anachoreta in Palæstina, qui eo vixit tempore, ut videri apud nos potest in vita ejus ad 13 Februarii, an alius quispiam, certo edicere nequeo. At verisimile est, dictum Sanctum designari.*

Rufino exponit desiderium videndi ipsum.

123 *Quemadmodum Rufinum magis hic celebrat laudibus, sic in Epistola 3 ad Rufinum non vulgare declarat ipsum videndi desiderium. Ordi-* B *tur enim hoc modo :* Plus Deum tribuere, quam rogatur, et ea sæpe concedere, quæ nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, licet ex sacrorum mysterio voluminum ante cognoverim; tamen in caussa propria nunc probavi, Ruffine carissime. Ego enim, qui audacia satis vota credebam, si vicissitudine litterarum imaginem nobis præsentiæ mentiremur, audio te Ægypti secreta penetrare, monachorum invisere choros, et cælestem in terris circumire familiam. O si nunc mihi Dominus Jesus Christus vel Philippi ad eunuchum, vel Abacuc ad Danielem translationem repente concederet, quam ego nunc tua arctis stringerem colla complexibus, quam illud os, quod mecum vel erravit aliquando vel sapuit, impressis figerem labiis? Verum quia nou tam te sic ad me venire, quam ego ad te sic ire non mereor, et invalidum, etiam cum sanum est, corpusculum crebri fregere morbi, has mei vicarias, et tibi obvias mitto, quæ te copula amoris innexum ad me usque perducant.

eumque ad constantem amicitiam hortatur

124 *Mox exponit, quo modo nuntium de ejus adventu acceperit, primum per Heliodorum, deinde per monachum Alexandrinum, ac tandem per* C *multos peregrinantes.* Hic vero, *inquit*, tota credulitatis frena laxavi, et tunc vere ægrotum esse me dolui. Et nisi me attenuati corporis vires quadam compede præpedissent, nec mediæ fervor æstatis, nec navigantibus semper incertum mare, pia festinatione gradienti valuisset obsistere. Credas mihi, frater, non sic tempestate jactatus portum nauta prospectat, non sic sitientia imbres arva desiderant, nec sic curvo assidens littori anxia filium mater exspectat. *Post multa de suo itinere aliaque, in fine ad constantem amicitiam hortatur his verbis :* Sed ut ad illud redeam, unde dicesseram, obsecro te, ne amicum, qui diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis mens amittat. Fulgeat, cui libet *, auro; et pompaticis ferculis corusca ex sarcinis metalla radient. Caritas non potest comparari. Dilectio pretium non habet. Amicitia, quæ desinere potest, vera numquam fuit. *Ita sincerissimus amicitiæ cultor Hieronymus. At æqualem fuisse Rufini amicitiam, nullo deprehendere possum indicio; imo ne probare quidem possumus, ad hos S. Hieronymi litteras illum umquam respondisse.*

* al. quilibet

celebrat vitam monasticam Bonosi.

125 *In eadem Epistola Rufino narrat mireque celebrat vitam monasticam Bonosi, quam verisimiliter intellexerat ex Heliodoro.* Bonosus tuus, *inquit*, imo meus, et: ut verius dicam, noster, scalam præsagatam Jacob somniante jam scandit : portat crucem suam; nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit. Seminat in lacrymis, ut in gaudio metat. . . . . Insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes et nuda saxa et solitudo terrori est, quasi quidam novus paradisi colonus insedit. Nullus ibi agricolarum, nullus monachorum, ne parvus quidem, quem nosti, Onesimus, quo velut fratre in osculo fruebatur, in tanta vastitate adhæret lateri comes. Solus ibi, imo jam, Christo comitante, non solus, videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli, nisi in deserto, non viderant. Non quidem conspicit turritas urbes; sed in novæ civitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformi; sed sic melius obviam Christo rapietur in nubibus. Nulla euriporum amœnitate perfruitur; sed de latere Domini aquam vitæ bibit. Propone hæc tibi ante oculos, amice dulcissime, et in præsentiam rei totus animo ac E mente convertere *etc.*

eam se desiderare innuens.

126 *Addit plura de Bonoso, eumque sequendi desiderium luculenter declarat, ita Deum alloquens :* Memento, quæso, hunc bellatorem tuum mecum quondam fuisse tyronem..... Fruatur ille virtutis corona, et ob quotidiana martyria stolatus agnum sequatur..... Mihi concede, ut inter Sanctorum calcanea caput possim levare : ut quum ego voluerim, (*et primus quidem, ut ante dixit*) ille perfecerit, mihi ignoscas, quia (*ob morbum*) implere non potui, ille tribuas præmium, quod meretur. *Hæc abunde declarant, qualem ægrotans anno 374 vitam meditaretur S. Hieronymus.*

Apollinarium Scripturas exponentem audit.

127 *Interea, quando gravitas morbi utcumque remiserat, studium sacræ Scripturæ prosecutus est, et Apollinarium Laodicenum, cujus magna erat doctrinæ famo, eo tempore docentem audivit. Fuit quidem Apollinaris novæ conditor hæresis, quæ jam tum innotescere incipiebat, sed ipse hæresiarcha necdum innotuerat. Quare Tillemontius art. 5 recte observat, in hoc commoratione Antiochena Apollinarium ab* Hieronymo *auditum, cum Apollinarii hæresis videatur innotuisse,* F *priusquam ex deserto Antiochiam rediit Sanctus. De audita in juventute Apollinario* Hieronymus *ita loquitur in Epistola 84 (alias 65) ad Pammachium et Oceanum num.* 3 : Dum essem juvenis, miro discendi ferebar ardore, nec juxta quorumdam præsumptionem ipse me docui. Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiæ frequenter, et colui : et quum me in sanctis Scripturis erudiret, numquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi. *Quod ait* super sensu, *idem est, ac super mente. Nam mente humana Christum privabat Apollinarius, volebatque Divinitatem Christo pro mente fuisse. Apollinarium similiter magistris suis unnumerat* Hieronymus *lib.* 1 *contra Rufinum num.* 13.

§ VIII.

§ VIII. Sanctus inhabitat eremum : inde scribit ad Florentium : deinde multas mittit Epistolas ad amicos Aquileienses, aliosque Occidentales.

Eremum incolere cœpit Sanctus verisimiliter anno 374

Quo anno et mense Antiochia ad eremum discesserit S. Hieronymus, *certo statuere non possumus. Pergebat Antiochiæ commorari, languebatque post mediam æstatem anni 374, quando scripsit ad Rufinum, ut mirandum non esset, si ad eremum non abscessisset ante annum 375. Attamen probabilius est, eum discessisse ante finem anni 374 : nam jam in eremo erat, quando accepit responsum Florentii Hierosolymæ degentis ad priores suas litteras, post mediam æstatem datas. At responsum Florentii verisimiliter Antiochiæ accepisset, si ibidem substitisset usque ad annum 375. Epistolas tamen ex eremo nullas forte scripsit ante annum 375. Nam dum scribebat ad Florentium, jam litteras acceperat ex Occidente. Litteras autem amici Aquileienses vicinique Occidentales videntur ad* Hieronymum *misisse post reditum Heliodori, qui certe Aquileiam non pervenerit ante provectam æstatem anni 374 : nam eodem anno, forte sub initium æstatis ex Syria discesserat. Omnia igitur insinuant, Epistolas* Hieronymi *de quibus modo agemus, potius referendas esse ad annum 375, quam ad 374.*

inde scribit Florentio de proposito suo non exeundi eremo,

129 *Prima ex iis videtur quinta (alias 6) ad Florentium, cui et Antiochiæ scripserat. Ita orditur Sanctus :* In ea mihi parte eremi commoranti, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, dilectionis tuæ scripta perlata sunt. Quibus lectis, ita reaccensus est animus Jerosolymam proficiscendi, ut pene nocuerit proposito, quod profuerit caritati. Nunc igitur, quomodo valeo, pro me tibi litteras repræsento : et, si corpore absens, amore tamen et spiritu venio, impendio exposcens, ne nascentes amicitias, quæ Christi glutino cohæserunt, aut temporis aut locorum magnitudo divellat; quin potius fœderemus eas reciprocis Epistolis. Illæ inter nos currant, illæ sibi obvient, illæ nobiscum loquantur. Non multum perditura erit caritas, si tali secum sermone fabuletur. Ruffinus autem frater, ut scribis, necdum venit; et, si venerit, non multum proderit desiderio meo, quum eum jam visurus non sim. Ita enim et ille longo intervallo a me separatus est, ut huc non possit excurrere; et ego arreptæ solitudinis terminis arceor, ut cœperit jam mihi non licere, quod volui; *videlicet iter Hierosolymitanum. Jam enim locum vitæ solitariæ, de quo diu hæserat ambiguus, sibi elegerat, ab eoque non recedere statuerat.*

petensque aliquot libros sibi mittendos curet.

130 *Subjungit Sanctus :* Ob hoc et ego obsecro, et tu ut petas, plurimum quæso, ut tibi beati Rhetitii Augustodunensis episcopi Commentarios ad describendum largiatur, in quibus Canticum Canticorum sublimi ore disseruit. Scripsit et mihi quidam de patria supradicti fratris Ruffini, Paulus * senex, Tertulliani suum codicem apud eum esse, quem vehementer reposcit. Et ex hoc quæso, ut eos libros, quos me non habere Brevis subditus edocebit, librarii manu in charta scribi jubeas. Interpretationem quoque Psalmorum Davidicorum, et prolixum valde de Synodis librum sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, ut mihi transferas, peto. Nosti hoc esse animæ Christianæ pabulum, si in Lege Domini meditetur die ac nocte. Cæteros hospitio recipis, solatio foves, sumptibus juvas. Mihi si rogata præstiteris, cuncta largitus es. Et quoniam, largiente Domino, multis sacræ bibliothecæ codicibus abundamus, impera vicissim, quodcumque vis, mittam. Nec putes mihi grave esse, si jubeas. Habeo alumnos, qui antiquariæ arti serviant. Neque vero beneficium pro eo, quod postulo, polliceor. Heliodorus frater (*dum Hierosolyma venerat Antiochiam*) mihi indicavit, te multa de Scripturis quærere, nec invenire *etc. Mitto reliqua, utpote ad propositum nostrum minus conducentia. Nihil de morbo suo dicit in hoc Epistola. Fuerit, opinor, sanatus, antequam ad eremum se transferret. Ex Epistola Pauli Concordiensis superius memorata, quæ verisimiliter allata est cum Epistola S. Chromatii et aliorum, hanc Epistolam ad annum 375 maluimus referre, quam ad præcedentem.*

* Concordiensis

Juliano diacono curam suæ sororis commendat.

131 *Deinde eodem anno octo aut novem epistolas* Hieronymum *simul scripsisse ad amicos Aquileienses aliosque Occidentales, vehementer suspicamur, licet certo nequeat argumento probari, omnes simul fuisse missas. Nonnulli ex illis priores ad* Hieronymum *scripserant, videlicet Julianus diaconus; Chromatius, Jovinus et Eusebius Aquileienses unam simul miserant Epistolam, et aliam Paulus senex Concordiensis. Itaque de rescriptis ad illos litteris primum agam. In Epistola 6 (alias 73) ad Julianum diaconum, a qua objurgatus fuerat* de silentio litterarum, *pro excusatione allegat morbum, quo laboraverat Antiochiæ, testemque morbi citat Heliodorum. Deinde sequentia eidem de sorore sua et aliis respondet :* Sororem meam, filiam in Christo tuam, gaudeo, te primum nunciante, in eo permanere, quod cœperat. Hic enim, ubi nunc sum, non solum quid agatur in patria, sed an ipsa patria perstet, ignoro. Et licet me sinistro Ibera excetra ore dilaniet, non timebo hominum judicium, habiturus judicem Deum; juxta illud, quod quidam * ait : « Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. » Quapropter quæso, ut Apostolici memor præcepti, quo docet opus nostrum permanere debere, et tibi a Domino præmium in illius salute pares, et me de communi in Christo gloria crebris reddas sermonibus lætiorem. *Quem vocibus illis* Ibera excetra, *designet, non constat. Voce* excetra *certe designatur homo pessimus, aut mala medians. Putant aliqui Lupicinum Stridonis episcopum designari. Magis ego suspicor, eumdem esse, cujus causa* Hieronymus *Aquileia in Orientem profectus est.*

* Horatius

itemque Chromatio Jovino et Eusebio.

132 *Porro curam de sorore, quæ lapsa fuerat in juventute, non modicam quoque ostendit in Epistola 7 (alias 43) ad Chromatium, Jovinum et Eusebium, Aquileienses clericos, eodem tempore data. Sic enim habet num. 4 :* Soror mea sancti Juliani in Christo fructus est. Ille plantavit, vos rigate : Dominus incrementum dabit. Hanc mihi Jesus pro eo vulnere, quod diabolus inflixerat, præstitit, vivam reddendo pro mortua. Huic ego (ut ait gentilis poëta) omnia etiam tuta timeo. Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo et ego lapsus sum et vos non sine timore transitis. Hoc illa nunc maxime ingrediens, omnium est fulcienda præceptis, omnium est

AUCTORE J. S.

A est sustentanda solatiis, id est, crebris vestræ sanctitatis epistolis roboranda. Et, quia caritas omnia sustinet, obsecro, ut etiam a papa Valeriano (*Aquileiensi nempe episcopo*) ad eam consortandam litteras exigatis. Nostis puellares animos his rebus plerumque solidari, si se intelligant curæ esse majoribus. In mea enim patria rusticitatis * vernacula deus venter est, et in diem vivitur; et sanctior est ille, qui ditior est. Accessit huic patellæ (juxta tritum populi sermone proverbium) dignum operculum, Lupicinus sacerdos. *Hic aliunde ignotus, sed minime laudatur in sequentibus, quæ brevitatis causa mitto.*

* al. rusticitas

quibuscum magna junctus erat amicitia:

133 *His de sororis cura præmissis, subjungo initium Epistolæ, ex quo colligitur, quanta caritate cum S. Chromatio, Jovinoque et Eusebio conjunctus esset Sanctus noster:* Non debet charta dividere, quos amor mutuus copulavit: nec per singulos officia mei sunt partienda sermonis, quum sic invicem vos ametis, ut non minus tres caritas jungat, quam duos (*Chromatium et Eusebium fratres*) natura sociavit: quin potius, si rei conditio pateretur, sub uno litterulæ apice nomina indivisa concluderem, vestris quoque ita B me litteris pruvocantibus, ut et in uno tres, et in tribus unum putarem. Nam postquam, sancto Evagrio transmittente, in ea ad me eremi parto delatæ sunt, quæ inter Syros ac Saracenos vastum limitem ducit, sic gavisus sum, ut illum diem Romanæ felicitatis, quo primum Marcelli apud Nolam prælio, post Cannensem pugnam, Hannibalis agmina conciderunt, (*prima erat contra Hannibalem victoria*) ego vicerim. Et licet supradictus frater (*Evagrius*) sæpe me visitet, atque me ita ut sua in Christo viscera foveat: tamen lungo a me spatio sejunctus (*utpote habitans Antiochiæ*) non minus mihi dereliquit abeundo desiderium, quam attulerit veniendo lætitiam. Nunc cum vestris litteris fabulor, illas amplector, illæ mecum loquuntur, illæ hic tantum latine sciunt. Hic enim aut barbarus semisermo discendus est, aut tacendum. Quotiescumque carissimos mihi vultus notæ manus referunt impressa vestigia, toties aut ego hic non sum, aut vos hic estis. *Addit alia similia, et de brevitate litterarum amice conqueritur.*

humilitas Sancti, se cum Bonoso comparantis.

134 *Profundam rursus in hac Epistola humilitatem monstrat Sanctus, dum se cum Bonoso, de quo scripserant, comparat his verbis:* Bonosus, ut scribitis, quia filius ἰχθύος, id est, piscis, C aquosa petit. Nos pristina contagione sordentes, quasi reguli et scorpiones, arentia quæque sectamur. Ille jam calcat super colubri caput: nos serpenti, terram ex divina sententia comedenti, adhuc cibus sumus. Ille jam potest summum Graduum Psalmum scandere: nobis adhuc in primo ascensu flentibus, nescio, an dicere aliquando contingat: « Levavi oculos meos in montes: « unde veniet auxilium mihi. » Ille inter minaces sæculi fluctus in tuto insulæ, hoc est, Ecclesiæ gremio sedens, ad exemplum Joannis, librum forte jam devorat: ego in scelerum meorum sepulcro jacens, et peccatorum vinculis colligatus, Dominicum de Euangelio exspecto clamorem: Hieronyme, veni foras. Bonosus, inquam, quia secundum Prophetam, omnis diaboli virtus in lumbis est, trans Euphratem tulit lumbare suum, ubi illud in foramine petræ abscondens, et postea scissum reperiens, cecinit: Domine, tu possedisti renes meos. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Me vero * Nabuchodonosor ad Babylonem, id est, confusionem mentis meæ, catenatum duxit: ibi mihi captivitatis jugum imposuit: ibi ferri circulum naribus meis innectens, de canticis Sion cantare præcepit. Cui ego dixi: Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Ut breviter cœptam dissimilitudinem finiam, ego veniam deprecor, ille exspectat coronam. *Hactenus humillimus Eremicola, variis modis insinuans, necdum se carere tentationibus carnisque illecebris: quod postea magis explicabit. In eadem Epistola totam S. Chromatii familiam miris laudibus extollit, ac salutat.*

* al. verus

Scribit ad Paulum Concordiensem, petens

135 *Dubitare vix possum, quin eodem tempore missa sit Epistola* 10 (*alias* 21) *ad Paulum, senem prope centenarium, habitantem Concordiæ, quæ civitas erat Italiæ, non admodum longe distans Aquileia. Nam Pauli litteras accepisse* Hieronymum *initio vitæ solitariæ, vidimus supra in Epistola ad Florentium. Ipsa tamen Epistola non ita clarus temporis, quo scripta est, notas continet. At vita S. Pauli primi eremitæ, quam in Catalogo scriptorum suorum primam ex omnibus ponit* S. Hieronymus, *simul cum hac Epistola ad Paulum fuit missa, quæ saltem in eremo fuit conscripta, ut mox probabimus. Itaque, sive Epistola* E *ad Paulum eodem cum reliquis tempore scripta fuerit, ut probabilius est, sive aliquot mensibus, aut integro etiam anno serius, quod mihi non est omnino certum, de ea hic agam. Initio vegetam Pauli senectutem et pietatem commendat. Tum aliqua* pro laudibus, *ut facete ait, ipsum flagitat his verbis:* Et ne putes modica esse, quæ deprecor; margaritam de Euangelio postularis; Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, scilicet Commentarios Fortunatiani, (*qui fuerat episcopus Aquileiensis et in Evangelia scripserat*): et propter notitiam persecuturum, Aurelii Victoris Historiam, simulque Epistolas Novatiani, ut dum schismatici hominis venena cognoscimus, libentius sancti martyris Cypriani bibamus antidotum.

aliquot libros, quos legeret,

136 *Ex his liquet,* S. Hieronymum *in eremo non solum legisse sacram Scripturam, ejusque interpretes, sed etiam alios libros utiles ad hauriendam doctrinam ecclesiasticam. Ceterum observo breviter, rogari ab* Hieronymo *Aurelii Victoris* Historiam. *Attamen Aurelius Victor, qui sub Constantio scripsit, erat homo gentilis. Itaque non* F *existimabat* S. Hieronymus, *se somnio illo, de quo actum est § 7, a Deo monitum, ut nullos plane gentilium libros quacumque etiam de causa legeret; sed solum, ut abstineret a lectione illorum, qui magis delectationis quam utilitatis gratia ingenium suavi carminum modulatione aut rhetoricorum pompa verborum occupant, et a studiis utilioribus avocant. Tillemontius art. 9 Rufinum, illius loci oblitum, novo argumento jurare voluit ex petita Historia Aurelii Victoris, acsi credidisset lectionem illius* Hieronymo *post imaginarium in somno juramentum fuisse illicitam. At aliter judicavit ipse* Hieronymus. *aliter judicabunt omnes theologi.*

mittensque eidem Vitam S. Pauli primi eremitæ.

137 *Subjungit autem Sanctus in laudata Epistola:* Misimus interim te tibi, id est Paulo seni Paulum seniorem, in quo propter simpliciores quosque multum in dejiciendo sermone laboravimus. Sed nescio, quomodo, etiamsi aqua plena sit, tamen eumdem odorem lagena servat, quo, dum rudis esset, imbuta est. Si hoc munusculum placuerit, habemus etiam alia condita, quæ cum plurimis Orientalibus mercibus ad te,

te, si Spiritus sanctus afflaverit, navigabunt. *Hæc ultima certe evincunt, ex Oriente missam esse hanc vitam cum Epistola, quandoquidem Orientales promittat merces. Præterea tam hæc promissio quam petitio librorum insinuant, scriptam esse Epistolam et vitam, priusquam* Hieronymus *cogitabat de discessu suo: neque enim petiisset, ut libri ad se in Orientem mitterentur, si cogitasset, cito sibi discedendum fore. Ex Catalogo etiam Scriptorum, quem dat lib. de Viris illustribus cap.* 135, *videtur vita S. Pauli scripta ante Epistolam ad Heliodorum. Nam primam omnium recenset* Vitam Pauli monachi, *tum librum Epistolarum, ac tertio loco* ad Heliodorum exhortatoriam. *Hæc autem exhortatoria certo scripta est sub initium vitæ eremiticæ. Quapropter dicendum omnino videtur, primum* S. Hieronymi *in eremo Opusculum fuisse vitam S. Pauli eremitæ.*

quam scripsit

138 *De ea a se scripta meminit sanctus in Chronico ad annum* 359 *his verbis*: Antonius monachus centesimo et quinto ætatis anno in eremo moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro referre complura: cujus nos exitum brevi libello explicavimus. *Obtinet hæc vita in editione Veronensi primum locum tomi secundi. In Prologo* S. Hieronymus *observat, S. Paulum fuisse primum eremitam, additque, S. Antonii vitam jam fuisse scriptam*, tam Græco quam Romano stylo, *nimirum Græco a S. Athanasio, cujus lucubrationem Evagrius* Hieronymi *amicus fecit latinam. Tum ait*: Pauca de Pauli principio et fine scribere disposui, magis quia res omissa erat, quam fretus ingenio. *Num.* 6 *loquitur de monachis, quos in sua eremo viderat.* Jesum testor et sanctos angelos ejus, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, et vidisse me monachos et videre, e quibus unus per triginta annos clausus, hordeaceo pane et lutulenta aqua vixit, alter in cisterna veteri . . . quinque caryeis per singulos dies sustentabatur.

in eremo

139 *Hunc locum, quia diversimode legitur in mss., versat Tillemontius Nota* 13 *pro epocha scriptæ vitæ. Prout locus hic editus est,* et vidisse me . . . et videre, *certo innuit,* Hieronymum *scripsisse in eremo; idque magis etiam declaratur, ubi pro verbis* vixit et sustentabatur, *legitur* vivit et sustentatur, *ut etiam est in aliquot Mss. At, quocumque modo legendum sit, nequit ille locus prævalere argumentis jam datis. Dixerit solum* Hieronymus, *vidisse se monachos, dixerit de altero* vixit, *de altero* sustentabatur, *minime hæc significant,* Hieronymum *in eremo non fuisse, aut monachos illos non vixisse, dum illa scribebat. Cum enim eremus latissime pateret, nec adibat quotidie sanctus singulos monachos, nec adire poterat; sed vivebat sejunctus ab iis in sua cellula. Respicit igitur ad tempus, quo illos vidit; eaque de causa ait;* vidisse, *ait* vixit, *ait* sustentabatur; *sed minime significat, se ex eremo discessisse aut illos abiisse.*

in ea graviter perstringit mundana studia.

140 *In fine hujus vitæ contra insanos rerum mundanarum amatores acriter insurgit sanctus Scriptor, ita perorans:* Libet in fine Opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt prædia; huic seni seminudo quid umquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concavis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimi quidem indumentum habuit mancipii vestri. Sed e contrario illi pauperculo paradisus patet, vos auratos gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licet, tamen servavit: vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo pulvere copertus jacet, resurrecturus in gloriam: vos operosa saxis sepulcra premunt cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso, vobis: parcite saltem divitiis, quas amatis. Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum, nisi in serico, putrescere nesciunt? Obsecro, quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris; cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam regum purpuram cum pœnis suis. *Hucusque* S. Hieronymus.

141 *Eodem tempore, quo* S. Hieronymus *scripsit Epistolas jam relatas, data etiam videtur octava (alias* 42) ad Niceam hypodiaconum Aquileiæ. *Antiquus is erat Sancti amicus, quem ad amicitiam litteris continuandam humana expostulatione hortatur. Omissa parte prima Epistolæ, posteriorem subjungo:* Ecce beatus Chromatius, *inquit*, cum sancto Eusebio, non plus natura quam morum æqualitate germano, litterario me provocavit officio. Tu modo a nobis abiens, recentem amicitiam scindis potius, quam dissuis: quod prudenter apud Ciceronem Lælius vetat. Nisi forte ita tibi exosus est Oriens, ut litteras quoque tuas huc venire formides. Expergiscere, expergiscere, evigila de somno, præsta unam chartæ schedulam caritati. Inter delicias patriæ et communes, quas habuimus, peregrinationes, aliquando suspira. Si amas, scribe obsecranti: si irasceris, iratus licet scribe. Magnum et hoc desiderii solamen habebo, si amici litteras vel indignantis accipiam. *Ex allegatis verbis Tillemontius art.* 11 *existimat, Niceam cum* S. Hieronymo *profectum fuisse in Orientem, indeque reversum. At, cum socios, quos Antiochiæ habuit, recensuerit* Hieronymus *in Epistola ad Rufinum, nec ibi aliove ullo loco de Nicea meminerit; non sic intelligenda putem verba Sancti,* Tu modo a nobis abiens *etc.; acsi Niceas fuisset in Oriente; sed de silentio ejus, quod litteras non misisset, ut Chromatius aliique fecerant.*

Scribit ad Niceam subdiaconum

142 *Hunc porro Niceam laudatus Tillemontius variis locis, et nominatim tom. X eumdem credit cum S. Niceta Dacorum episcopo, de quo apud nos actum est ex S. Paulino ad 7 Januarii, rursumque disputatum ad 22 Junii. Alii voluerunt Niceam fuisse episcopum Aquileiensem, et S. Chromatii successorem, ut videri potest in Opere nostro ad 22 Junii. Pro neutra opinione tam solidum invenio fundamentum, ut ex qualicumque nominis similitudine alterutram defendere audeam Exstat Epistola S. Leonis Papæ ad Nicetam episcopum Aquilegiensem, eaque figitur anno 458. At prorsus improbabile est, Niceam, quacum* S. Hieronymus *in juventute peregrinatus est, ad eum usque annum superfuisse. Hoc quidem minus improbabile est de Niceta, quem celebrat S. Paulinus, quemque in Catalogo scriptorum cap. 22 videtur commemorare Gennadius, ubi* Niceas Romacianæ civitatis episcopus *vocatur, variaque scripta edidisse dicitur. Attamen multa prius essent probanda, antequam S. Nicetam, Romatianæ civitatis episcopum, satis probabiliter possemus confundere cum Nicea Aquileiensi, de quo nihil præterea invenio in Operibus* S. Hieronymi; *prout nec apud Gennadium, nec apud Paulinum lego, Apostolum Dacorum fuisse ex clero Aquileiensi.*

qui aliunde non innotuit.

143 *Tribus aliis Epistolis ejusdem, ut videtur, temporis*

AUCTORE J. S.

A *temporis* S. Hieronymus *de silentio amicorum conqueritur, videlicet nona, undecima et duodecima. Nona* (*alias* 44) *data est ad Chrysogonum Aquileiæ monachum, quam sic orditur* : Qui circa te affectus meus sit, carissimus ambobus Heliodorus tibi potuit fideliter nunciare. *Notus igitur erat reditus Heliodori, dum hæc scribebat Sanctus. Deinde expostulat de non acceptis ab eo litteris, aitque in fine :* Quum hoc ipsum debueris scribere, te non habuisse, quod scriberes. *Chrysogonus ille Rufino deinde adhæsit contra* S. Hieronymum, *ut suo ordine dicemus. Epistola* 11 (*alias* 39) *data est ad virgines Æmonenses, Sancto verisimiliter cognitas, quod non longe admodum ab ejus patria distarent. De illis conqueritur his verbis :* Vos autem ignoscite, obsecro, dolenti : dico enim læsus, dico lacrymans et irascens; ne unum quidem apicem toties vobis tribuenti officium præstitistis. *Mox se humillimus Vir comparat cum tenebris, cum peccatoribus, cum errante oricula, cum filio prodigo; sed addit, hisce omnibus, uti et Petro neganti, ignovisse Dominum; nec esse credendum detrahentibus, quia* aliter... hominum livor, aliter Christus judicat. *Hoc Epi-*
B *stola non probatur certo ex eremo aut Oriente data : nam omnia etiam Aquileiæ sic scribere potuisset Sanctus.*

Sanctus item scribit ad Chrysogonum, ad virgines Æmonenses,

144 *Duodecima ad Antonium monachum* (*alias* 45) *ejusdem est sententiæ, et eodem tempore in editione Veronensi figitur. Cum tamen suspicaretur* Hieronymus, *qui* decem jam, nisi fallor, *inquit*, epistolas, plenas tam officii quam precum, *miserat, ex arrogantia oriri posse tam pertinax silentium, breviter exponit, quantum sit humilitatis bonum, quantum superbiæ detrimentum. Epistolam vero concludit his verbis :* Crede mihi, nisi stili verecundia prohiberet; tanta læsus ingererem, ut inciperes mihi rescribere vel iratus. Sed quoniam et irasci hominis est, et injuriam non facere Christiani, ad antiquum morem revertens, rursus precor, ut et diligentem te diligas, et conservo sermonem conservus impertias. *Hæc rursum Epistola certas non habet temporis notas. Tillemontius art.* 3 *suspicatur,* Antonium *illum fuisse monachum romanum, mentionemque de eo fieri in Epistola* 22 *ad S. Eustochium num.* 28, *ubi carpitur monachus perversus, dictus in aliquot editionibus* Antonius. *At ille* Antimus *dicitur in*
C *postremis editionibus, eoque describitur modo, ut verisimile non fiat, ad eum unquam scripsisse* S. Hieronymum.

et ad Antonium monachum.

145 *Venio ad Epistolam* 13 (*alias* 26) ad Castorinam materteram *ab* Hieronymo *datam. Erat illa* Hieronymo *irata, nescimus, qua de causa, fortasse quia Sanctus malebat unice Deo servire, quam in domo paterna familiæ suæ curam gerere. Quæcumque fuerit odii aut iracundiæ causa, Sanctus aliis litteris eam placare jam studuerat, dum has scripsit. Manifestissimum odii periculum et malum in hac breviter exponit, rationemque allegat his verbis :* Scilicet ut veteri rancore deposito, mundum pectoris Deo paremus habitaculum. *Et inferius :* Precor itaque, quod et ante annum prioribus litteris rogaveram, ut pacem, quam nobis reliquit Dominus, habeamus, et meum desiderium, et tuam mentem Christus intueatur... Quod si tu, quod procul absit, nolueris : ego liber ero. Epistola me hæc mea, quum lecta fuerit, absolvet. *Potuit hæc etiam Aquileiæ scribi, alteraque præcedens, quæ perdita est. Potuit et utraque mitti ex Oriente, hæc cum reliquis, prior in discessu Heliodori. Cum res de tribus modo relatis sit inserta, secutus sum editorem Veronensem, qui Epistolas* S. Hieronymi *meliori ordine disposuit, quam ullus antea fecerat.*

Casterinam materteram litteris placare studet :

146 *Restat Epistola ad Heliodorum, quæ certissime ex eremo scripta est, referendaque cum aliis ad annum* 375. *Est illa modo decima quarta* (*alias* 1) *et aliquot vicibus superius laudata. Hortatur Sanctus Heliodorum, ut vitam amplectatur monasticam, liberasque eloquentiæ suæ habenas laxat. Hac de causa in Epistola* 52 (*alias* 2) *ad Nepotianum de illa Epistola scripsit sequentia :* Dum essem adolescens, immo pene puer (*nimirum in studiis sacris*) et primos impetus lascivientis ætatis eremi duritia refrenarem, scripsi ad avunculum tuum sanctum Heliodorum exhortatoriam Epistolam, plenam lacrymis querimoniisque, et quæ deserti sodalis monstraret affectum. Sed in illo Opere pro ætate tunc lusimus, et calentibus adhuc rhetorum studiis atque doctrinis, quædam scholastico flore depinximus. *Ita ibidem de illa Epistola loquitur Sanctus, quemadmodum explicat num.* 4, *ne iterum Nepotianus requirat* pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia, et per fines capitulorum E singulorum acuta quædam breviterque conclusa, quæ plausus et clamores excitent audientium. *Malebat nimirum senior* Hieronymus *magis attendere ad gravitatem et sapientiam monitorum, quæ dabat, quam ad elegantiam et concinnitatem periodorum. Veruntamen eloquentem illam Epistolam ipse quoque magni fecit, cum et in catalogo scriptorum suorum eamdem nominatim recenseat, ut paucas alias; et in Epistola* 77 (*alias* 30) *de Fabiola dicat :* Librum, quo Heliodorum quondam juvenis ad eremum cohortatus sum, tenebat memoriter.

Heliodorum longa Epistola ad vitam monasticam hortatur.

147 *Lubet unum ex illa Epistola locum recitare, quod ex illo et difficultates vitæ solitariæ et sensa* S. Hieronymi *utcumque innotescant.* O desertum, *inquit*, Christi floribus vernans! O solitudo, in qua nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis exstruitur! O eremus familiaris Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbræ premunt? Quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid lucis aspicio. Libet, sarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. Pauper- F tatem times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? sed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis? sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lavare. Et, ut breviter ad cuncta audias Apostolorum respondentem : « Non sunt, inquit, condignæ passiones » hujus sæculi ad superventuram gloriam, quæ » revelabitur in nobis. » Delicatus es, frater, si et hic gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo.

in eaque difficultates et lucra illius vitæ exponit.

§ IX.

AUCTORE I. S.

§ IX. Designatur desertum, in quo vixit Sanctus : vita austera et occupationes : tentationes, quibus affligitur : Discit linguam Hebraicam : exscribit Hebraicum Euangelium : commentatur in Abdiam prophetam.

Habitatio Sancti erat in solitudine Chalcidis.

E*x prioribus Sancti in eremo Epistolis, quas recensuimus, de loco habitationis nihil habemus, nisi Sanctum fuisse commoratum in ea parte eremi*, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, *aut*, qeæ inter Syros ac Saracenos vastum limitem ducit. *At in Præfatione in Abdiam Sanctus vocat* solitudinem Syriæ Chalcidis.. *Est autem Chalcis metropolis illius regionis in Syria, quæ a meira-* B *poli* Chalcidene *vocatur, sitaque est inter Antiochiam ditionemque Antiorbenam et Euphratem fluvium natissimum ; sed usque ad hunc non extenditur, ut tota mediterranea sit et arida, nullisque fluviis alicujus nominis rigata. In Epistola 15 ad Damasum ait :* Et quia pro facinoribus meis ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine determinat. *Per Barbariam intelligit regionem a Saracenis tunc inhabitatam, quantum conjicere possum, quia supra Syriam Saracenis jungit. Itaque vel eremum illam tam late extendit Sanctus, ut Palmyrenam solitudinem, cui Arabia deserta adjacet, etiam comprehendat; aut Saraceni eo tempore in Palmyrenam solitudinem se extenderant. Attamen habitatio* S. Hieronymi *non tanto intervallo aberat Antiorbia, sed videtur fuisse prope vicum Maroniam, cujus possessio ad Evagrium presbyterum,* S. Hieronymi *fautorem, eo tempore erat devoluta.*

et circa Maroniam vicum, * a. Maronias

149 *Certe sanctus Doctor tom. II Operum col. 41 in vita S. Malchi hæc scribit :* Maronia * triginta ferme millibus ab Antiochia urbe Syriæ haud grandis ad Orientem distat viculus. Hic post multos vel dominos vel patronos, dum ego C adolescentulus morarer in Syria, ad papæ Evagrii (*episcopus nempe erat, dum illa scribebat Sanctus*) possessionem devolutus est. Quem idcirco nunc nominavi, ut ostenderem, unde nossem quid scripturus sum. *Habitabat nimirum in illo loco senex Malchus, de quo mira narrabantur, Sanctusque Malchum ibidem interrogavit de vita sua. Malchus autem junior inhabitaverat* eremum Chalcidis, *ut dicitur num.* 3. *Deinde captus fuit a Saracenis, liberatusque per fugam captivitate, cum abbas ejus interim obiisset, Maroniam venit, ibique monachis se tradidit, ut in fine narratur. Ex his autem habemus, eremum prope vicum Maroniam jam ante* S. Hieronymum *a monachis fuisse inhabitatam. In eadem etiam eremo habitasse* S. Hieronymum, *omnia prorsus insinuant. Nam et Malchum ibidem interrogavit, et ante* ab accolis *de eo* mira *audiverat, et Maronia erat Evagrii possessio, ut procul dubio Maroniam excurrerit, quando* Hieronymum, *quem* sæpe, *ut num.* 133 *dictum est, visitabat, erat invisurus.*

150 *Cellarius in Geographia antiqua tom. II, pag.* 263 *inter oppida Chalcidenæ, quæ obscura sunt, recenset oppidum,* Maronias *a Ptolemæo dictum ; sed existimat, illud esse aliud ab* Hieronymi Maronia. *At idoneam hujus distinctionis rationem non invenio. Nam et Maronia* Hieronymi *in mss. vocatur* Maronias, *ut editor Veronensis testatur; et oppidum, quod Ptolemæi tempore obscurum erat, poterat* Hieronymi *tempore* viculus *esse* haud grandis. *Certe duo sæcula, quibus* Hieronymus *posterior est Ptolemæo, ad hoc sufficiunt ; cum quod multa bella in illis partibus gesta sint inter Romanos et Persas, et maxime ob vicinam Saracenorum, qui multa solebant vastare et peregrinantes in captivitatem abducere. Neque necesse est, Maroniam Ptolemæi plus quam triginta milliaribus ab Antiochia amovere; licet in ejus tabula longius distet, quam Chalcis, utpote magis in Austrum remota versus Palmyram. Neque enim Chalcis totis triginta milliaribus Antiochia abfuisse videtur, ut longius distare debeat : neque tantam auctoritatem tribuimus tabulis Ptolemæi pro situ locorum, ut alteram Maroniam necesse esset confingere, si in ejus tabula paulo longius videretur distare. Hæc sufficiant de eremo, quam inhabitavit* S. Hieronymus. D

quæ non est distinguenda a Maronia Ptolemæi.

E

Austera Sancti ibidem vita.

151 *Qualem ibi vitam duxerit Sanctus, quam solitariam, quam austeram duramque, partim colligitur ex verbis num.* 147 *datis. In Epistola 22 ad S. Eustochium de vita ibi ducta liberius loquitur. Mox allegabo totum locum. Interim pauca excerpo expendenda. Solitudo* exusta solis ardoribus, horridum monachis *præstabat* habitaculum. Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. *contracta videlicet nigredine nimio solis æstu.* Nuda humo (*somnum capturus*) ossa vix hærentia (*præ macie*) collidebat. *Pro societate hominum,* scorpionum tantum socius *erat* et ferarum. *Pœnitenti de peccatis præteritis* quotidie lacrymæ *fluebant ex oculis*, quotidie gemitus *e pectore erumpebant*. Pallebant ora jejuniis,... et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabat; *tantusque erat in cibo et potu monachorum illorum rigor*, et etiam languentes *uterentur* aqua frigida, et coctum aliquid accepisse, luxuria *censeretur*. *Clamando ad Dominum* diem crebro *jungebat* cum nocte; *et* sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta *cernebat*, ibi *suæ* orationis *eligebat locum. Itaque non immerito dicit :* Qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram. *Sive enim consideremus maximos Syriæ calores, quibus assuetus non erat; sive extremam solitudinem, quam feræ magis reddebant horribilem: sive duritiam cubilis et vestimenti, quæ exhausto morbis corpusculo non mediocrem inferebant molestiam; sive summam cibi potusque vilissimi parsimoniam, perpetuaque fere jejunia, quibus robusta etiam corpora debilitantur; necesse est dicere, vitam pœnitentis* Hieronymi *undequaque fuisse durissimam. Alias molestias, quæ in eremo passus est Sanctus, inferius referemus.* F

quam molestiorem reddebat sociorum defectus

152 *Interim consideremus ulterius modum vivendi in deserto. Carebat iis solatiis* Hieronymus, *quibus alii plerique monachi gaudere poterant ex mutua conversatione. Nullus fortasse aderat, quocum poterat loqui, quia forte nullus monachorum noverat linguam latinam aut græcam.* Hic enim, *inquit Sanctus in Epistola* 7, aut barbarus semisermo (*Syricus nimirum*) discendus est, aut tacendum. *Evagrius quidem* sæpe *visitabat Sanctum, sed* longo spatio sejunctus, *utpote habitans Antiochiæ, ubi presbyter erat, ac deinde factus est episcopus, non tanto tempore apud* Hieronymum

A mum manere poterat, nec toties ipsum invisere, ut non integras hebdomadas, et aliquando verisimiliter menses neminem haberet, quocum ulla miscere posset colloquia, saltem initio. Objici tamen possunt verba ad Florentium scripta in epistola 5 : Habeo alumnos, qui antiquariæ arti serviant, *in exscribendis nimirum libris. At illi verisimiliter erant Antiochiæ, quando illorum opera non utebatur sanctus, et bibliotheca ipsa* Hieronymi *aut Antiochiæ aut Maroniæ verisimiliter manebat, ex eaque sanctus libros accipere poterat, quos volebat, ope Evagrii, qui et epistolas transmittebat.*

Manuum labore vivit, studiis sacris vacat :

153 *Præterea, ut moribus monachorum se accommodaret sanctus, propriis manibus quotidie laborabat. Sic enim habet in epistola* 17 (*alias* 77) *ad Marcum presbyterum :* Nihil alicui præripui, nihil otiosus accipio. Manu quotidie et proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo scriptum esse : « Qui autem non operatur, nec manducet. » *Hæc scripsit sanctus, postquam aliquot annis in eremo habitaverat, et cogebatur discedere. Habuerit tunc aliquot socios, quorum æque ac suo nomine loquitur, et quos ait discedere. At ignotum est, quinam illi fuerint, nec ab initio eos habuerat.* B *Nam ex primis sociis Innocentius et Hylas erant defuncti, Heliodorus vero discesserat, nec umquam rediit in Orientem. Evagrius amicus erat et fautor, non socius in deserto. Ceterum studiis quoque sacris in deserto operam dedisse sanctum, satis liquet ex libris, quos colligere nitebatur. Id non minus certo eruitur ex verbis epistolæ 22 ad Eustochium, ubi relato somnio, observat, se* tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia *legerat.*

tentationibus affligitur,

154 *Non caruisse quoque sanctum Eremitam molestis imaginationibus, cogitationibusque ad libidinem incitantibus, ingenue fatetur in sæpe laudata epistola 22 ad Eustochium num. 7, ita scribens :* O quoties ego ipse in eremo constitutus, et in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam, me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, et, si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo ossa vix hærentia collidebam. De cibis vero et potu C taceo, quum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, et mens desideriis æstuabat in frigido corpore, et ante hominem suo jam in carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam.

et consolationibus cœlestibus recreatur.

155 Non erubesco infelicitatis meæ miseriam confiteri : quin potius plango, me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam. Et mihimet iratus et rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum. Et, ut ipse mihi testis Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam mihi videbar interesse agminibus angelorum, et lætus gaudensque cantabam : « Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. » *Hæc ostendunt, sanctam Anachoretam non solum tentationibus in cogitatione et imaginatione pulsatum fuisse, sed post acria certamina relatasque palmas cælestibus quoque consolationibus quandoque abundasse. At vir humillimus de hisce brevissime loquitur; de tentationibus vero prolixius, ut Virginem nuper conversam ad pugnam instrueret, cautamque redderet ac diligentem in amovendis omnibus, quibus virginitas detrimentum pati posset.*

Ut tentationes melius superet, magno labore

156 *In epistola* 125 (*alias* 4) *quam Senex scripsit ad instruendum Rusticum monachum, de tentationibus suis rursum loquitur, simulque docet, quo usus sit remedio ad se molestis istis cogitationibus liberandum.* Dum essem juvenis, *inquit num.* 12, et solitudinis me deserta vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram. Quem quum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quin- E tiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, et contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo. *De magistro, quo in eremo utebatur, mentionem facit in epistola* 18 (*alias* 142 *et* 143) *num.* 10 *his verbis :* Est vir quidam, a quo ego plura didicisse me gaudeo, et qui Hebræorum sermonem ita elimarit, ut inter scribas eorum Chaldæus existimetur. *De eodem iterum meminit num.* 15.

discit linguam Hebræam.

157 *Porro, etiamsi primam rationem discendi linguam Hebraicam ex tentationibus repetierit* S. Hieronymus; *non defuit alia etiam ratio, qua impulsus laborem illum suscepit, diuque continuavit. Nam in Præfatione ad Isaiam ex Hebraico versum tom. IX, col.* 685, *mercedem laboris sui a* F *Deo desiderans, ait :* Qui (*Deus*) scit, me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Judæi de falsitate Scripturarum ecclesiis ejus diutius insultarent. *Hæc fuit præcipua ratio vertendi Scripturas ex fonte Hebraico, ut suis locis dicetur; eademque impulit* Hieronymum, *ut non uno, sed pluribus magistris usus sit ad acquirendam linguæ Hebraicæ perfectam intelligentiam, tædiaque omnia, quæ non modica interveniebant, fortiter superandum.*

tædiaque istius laboris vincit.

158 *In Præfatione ad versionem Danielis tom IX, col.* 1361 *de difficultatibus, quas passus est, ita loquitur :* Denique et ego adolescentulus, post Quintiliani et Tullii lectionem et flores rhetoricos : cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, et multo sudore multoque tempore vix cœpissem anhelantia stridentique verba resonare, et quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi novissime in Danielem, et tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem veterem laborem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, « Labor omnia vincit improbus; » qui mihi videbar

AUCTOR L. n. S.

bar sciolus inter eos, cœpi rursum discipulus esse Chaldaicus. Et, ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quam sonare. *Celerum eo tempore tantum Hebraicæ linguæ scientiam adeptus est sanctus, ut deinde, quando Romæ degebat, in epistolis ad Damasum, ad Marcellam et Paulam, textus Hebraicos frequenter recitaverit, ex iisque difficilia loca elucidarit. Attamen et alio deinde usus est magistro, priusquam sacram Scripturam ex Hebraica in latinum sermonem transferre cœpit, ut videbimus suo loco.*

Eo tempore videtur exscripsisse Evangelium Hebraicum.

159 *Dum eremum pergebat incolere sanctus, ubi sufficientem aquisiverat linguæ Hebraicæ notitiam, fortasse exscripserit volumen Hebraicum Matthæi, quo utebantur Nazaræi Berœenses. Eremus enim, quam inhabitabat sanctus, non longe distabat Berœa Syriæ, ut facile aliquod exemplar ad* Hieronymi *cellulam transferri potuerit, ibique ab eodem exscribi. Aptum id erat exercitium discenti linguam Hebraicam, nec ullum invenio tempus, quo illud exscriptum ab* Hieronymo *æque est verisimile. De exscripto autem illo Euangelio*
B *ipse* Hieronymus *lib. de Viris illustribus cap.* 3 *sic habet :* Porro ipsum Hebraicum (*Matthæi Euangelium*) habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. *Breviter observo, non dicere* Hieronymum, *exscripsisse se illud ipsum exemplar, quod servabatur in bibliotheca Cæsariensi. Idem Euangelium ibidem cap.* 2 *laudatur ab* Hieronymo *his verbis :* Euangelium quoque, quod appellatur Secundum Hebræos, et a me nuper in græcum latinumque sermonem translatum est *etc. Pluribus aliis locis docet* S. Hieronymus, *istud Euangelium, prout acceptum a Nazaræis Berœensibus primum exscripserat, deinde a se latine ac græce redditum, quemadmodum pluribus exposui ad* 21 *Septembris in S. Matthæo* § 3. *Hic dixisse sufficiat, verisimiliter in eremo exscriptum fuisse ab* Hieronymo. *De interpretatione vero serius facta alibi agemus. Certe Hebraicum jam habebat, quando circa annum* 383 *scripsit ad Damasum epistolam* 20, *in qua illud laudat. At de interpre-*
C *tatione sua serius loqui incepit.*

Primus Sancti in Abdiam Commentarius

160 *Magis ambiguum est tempus, quo Abdiam conatus est prima vice exponere. Baronius ad annum* 372, *num.* 55 *existimat, Commentarium primum in Abdiam fuisse scriptum anno* 372 *aut* 373, *tuncque annorum triginta fuisse* Hieronymum, *et post alios triginta annos alterum Commentarium in Abdiam, quem habemus, ab eodem fuisse elaboratum. Tillemontius art.* 6 *conjecturas Baronii partim sequitur partim suæ chronotaxi accommodat, ponitque Commentarium Antiochiæ scriptum, quando ibi simul erant* Hieronymus *et Heliodorus. Hic ordo certe melior est, quam Baronii, qui Heliodorum cum* Hieronymo *primum deducit ad eremum, in qua Heliodorus numquam fuit, ut jam dictum est. Attamen mihi, ut sententiam meam breviter edicam, videtur Commentarius ille primus in eremo scriptus, postquam Heliodorus abierat, ac jam diu in Occidentem erat reversus. Nec triginta annorum tunc fuisse sanctum, jam probavi num.* 66; *nihilo magis alterum Commentarium triginta annis fuisse posteriorem, suo loco similiter probabo. Hic vero satis erit ex ipsis verbis, per Baronium et Tillemontium allegatis, ostendere, nec præsente Heliodoro, nec Antiochiæ, Commentarium videri*

scriptum, sed in Chalcidis eremo, et absente Heliodoro. D

non videtur scriptus Antiochiæ,

161 *Verba* Hieronymi, *ex quibus tempus scripti illius Commentarii colligitur, sunt in Præfatione ad Abdiam, ubi sanctus frequenter diversis modis repetit, juvenem se fuisse, dum illum composuit. At illa generalis de sua juventute, adolescentia ac pene pueritia assertio nihil prodest, ad figendum potius Antiochiæ Commentarium, quam in deserto. Propius igitur assignat tempus his verbis :* Hoc est illud tempus, mi Pammachi, hac luce dulcior, quo egressi scholam rhetorum, diverso studio ferebamur, quando et ego et Heliodorus carissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur. *Quod de Pammachii et* Hieronymi *diversis dicitur studiis, nihil prodest, quandoquidem latissime patent. Unice igitur quærendum, quo tempore* Hieronymus *et Heliodorus* pariter habitare *nitebantur, non quamlibet eremum, sed nominatim* solitudinem Syriæ Chalcidis. *Existimavit Tillemontius, opinor, illam fuisse* Hieronymi *et Heliodori voluntatem, quando simul erant Antiochiæ apud Evagrium. Verum quamdiu apud* Hieronymum *Antiochiæ mansit Heliodorus, sanctus graviter ægrotavit. Qua igitur* E
ratione fiat credibile, eum tunc scribere cœpisse in sacram Scripturam? Præterea non videtur sanctus locum habitationis suæ in deserto elegisse, nisi diu post discessum Heliodori. Nam de loco hæsit ambiguus, desideravitque aut adire monasterium Theodosii abbatis in Cilicia, aut Hierosolymam, ut liquet ex epistola secunda et ex quinta. Heliodorus quoque, dum erat Antiochiæ, necdum eremum cum Hieronymo *incolere voluit, sed frustra desiderante eum retinere* Hieronymo, *in patriam reversus est, ut epistola* 14 *testatur. Quare illud tempus non videtur assignare Opusculo suo* S. Hieronymus; *neque ullum, quod præcessit.*

sed in eremo Chalcidis.

162 *At loquitur de tempore, quo eremum incolebat, et Heliodorum eo venturum sperabat; de tempore, inquam, quo Heliodorum invitabat, illeque se venturum promittebat. Invitavit autem* Hieronymus *Heliodorum per epistolam* 14, *anno* 375 *datam, ut abiens Heliodorus petierat, illeque abeunti promiserat. Desiderabat, quantum videtur, Heliodorus cum* Hieronymo *in eremo vivere; sed retinebatur parentum reverentia, sororisque viduæ ac parvuli nepotis cura. Nepotianus is erat, sororis viduæ filius, de cujus salute,* F
ne mundi periculis immergeretur, sollicitus erat Heliodorus. Hinc fortissimam eidem, id verisimiliter desideranti, epistolam scripsit Hieronymus, *ut veniret, neglectis parentum precibus, ut veniret,* licet parvulus et collo *penderet* nepos. *Hujus autem nepotis causa, ejusque matris vitam eremiticam ob Heliodoro dilatam, declarat ipse* Hieronymus *in epistola* 60 (*alias* 3) *ad Heliodorum, sive in Epitaphio Nepotiani, qui est ille ipse nepos Heliodori. Nam hunc num.* 3 *sic alloquitur :* Alius forsitan scriberet, quod ob salutem illius Orientem eremumque dimiseris; et me carissimum sodalem tuum redeundi spe lactaveris, ut primum, si fieri posset, sororem cum parvulo viduam; deinde, si consilium illa respueret, saltem nepotem dulcissimum conservares. Hic est enim ille, de quo tibi quondam vaticinatus sum : « Licet parvulus et collo pendeat nepos. » *Ex his certum fit,* Hieronymo *spem fuisse de Heliodoro venturo ad eremum, illumque promissa dedisse, ac verisimiliter etiam conatum fuisse domesticis se expedire negotiis, et in eremum Chalcidis ad* Hieronymum *accedere. Eo igitur tempore videtur scripsisse*

A *psisse* Hieronymus *Opusculum in Abdiam, quod excidit, quia Auctori suo displicebat.*

De illo Opusculo, quod excidit, humillime

163 *De illo primo in sacram Scripturam conatu humillime loquitur Sanctus, dicens* Opus fuisse pueriles ingenii. *Occasionem vero sic exponit :* Ardebat animus cognitione mystica, et quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diversa esse charismata. Litteras sæculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Stultus ego, viginti quatuor seniores, habentes in manibus phialas et citharas, et quatuor animalia plena oculis consurgunt de throno suo, imperitiam confitentur, gloriam Agno canunt, et Virgæ de radice Jesse, et putabam posse me, quod credebam : cujus in manu non fiebat sermo Dei, nec dicere poteram : « A mandatis tuis intellexi. » Neque illius de Euangelio beatitudinis recordabar : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Necdum de altari carbo sublatus labia mea purgaverat. Necdum error veteris ignorantiæ igne Spiritus sancti fuerat circumcisus, et audacter loquebar ad Dominum : « Ecce ego, mitte me. » *Mox addit, quo modo Opusculum istud postea prodierit :* Sperabam in B scriniolis latere, quod scripseram, et ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, quum subito de Italia affertur exemplar a quodam juvene tot annis, quot et ego quondam scripseram, laudante Opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod, quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui. Ille prædicabat, ego erubescebam : ille quasi mysticos intellectus ferebat ad cælum; ego dimisso capite confiteri meum pudorem prohibebar.

postea locutus est Hieronymus

164 *Non tamen improbat Opusculum ut erroribus fœdatum, sed solum ut fœtum incipientis minus perfectum; cum subjungat :* Quid igitur? Condemnamus, in quibus pueri lusimus? Minime. Scimus enim in tabernaculum Dei et aurum et pilos caprarum similiter oblatos. Legimus in Euangelio, viduæ pauperis duo minuta magis, quam divitum substantias, approbata. Et tunc dedimus, quod habuimus, et nunc, si tamen aliquid profecimus, Domino suum reddimus. Gratia enim ejus sum, quod sum. Nec diffiteor, per hosce triginta annos in ejus opere me ac labore sudasse. *Ita vir humillimus de primo suo in scripturas conatu locutus est, quando alterum in* C *Abdiam edebat Commentarium. Primum vero illum in Catalogo librorum suorum non recensuit. Villarsius in Præfatione Generali, Operibus* S. Hieronymi *præfixa, pag.* 12 *ait, secundum Commentarium spectare ad annum* 396, *indeque argumentatur,* priorem illum, subducta ratione (*triginta nimirum annorum*) anno adscribendum 366 vel circiter. *Verum circa annum* 366 *non cogitabat de inhabitanda eremo Chalcidis cum Heliodoro : nec ait* Hieronymus, *secundum triginta annis post primum fuisse scriptum. Solum dicit sanctus, triginta annis vacasse se studiis sacris, antequam illum scriberet. Cum vero primum composuit, iam aliquot annos iisdem studiis tribuerat, et non parum procul dubio in iis profecerat : neque enim alias tentasset prophetam exponere. Postea tamen vidit, non satis peritum eo tempore se fuisse ad tentandam prophetæ explanationem, illumque peritiæ qualemcumque defectum pro sua humilitate exaggeravit, quando prioribus meliora poterat substituere.*

§ X. Ob dissensiones ecclesiæ Antiochenæ Sanctus exagitatur in eremo, et duas hac de causa ad Damasum Papam scribit Epistolas, aliam quoque ad Marcum presbyterum.

Cum occasione Meletii scissa esset Antiochena ecclesia,

U*bi notabili tempore in eremo vixerat S.* Hieronymus, *multis exagitari cœpit molestiis, quarum causa duas ad S. Damasum Papam scripsit epistolas. Ut harum difficultatum originem studiosus lector intelligat, pauca sunt præmittenda de scissionibus ecclesiæ Antiochenæ, ortis occasione Arianorum. Postquam Ariani ecclesiam Antiochenam sub imperatore Constantio per aliquot episcopos Arianos possederant, ad eamdem transtulerunt Meletium, quod existimarent ipsum hæresi non fore contrarium. Verum Arianorum spem fefellit* E *Meletius, et se catholicum professus est, hac de causa non diu post per Constantium et Arianos in exsilium ejectus, sed post mortem Constantii sub Juliano ad ecclesiam suam reversus, ut reliqui passim episcopi exsules. Professio tamen catholica Meletii non eumdem habuerat effectum in omnium animis Catholicorum Antiochenorum. Pars magna eum ut catholicum pro episcopo suo statim acceptavit coluit; quamvis non abhorruisset a communione cum Arianis, et horum maxime opera promotus esse. Pars alia, (qui* Eusthatiani *vocabantur, quod, expulso olim S. Eustathio, catholico Antiocheno episcopo, numquam communicare voluissent cum substitutis Arianis episcopis) recusabat Meletium agnoscere, quod ab Arianis promotus esset, quodque fortasse fidem ejus haberent suspectam; et sic ab episcopo et reliquis Catholicis erant divisi.*

duoque essent Catholici episcopi, ac Vitalis quoque accederet:

166 *Anno* 362 *crevit illa dissensio, quando Lucifer Calaritanus, rediens ab exsilio, venit Antiochiam. Nam Catholicis Eustathianis episcopum ordinavit Paulinum, ut jam duo essent episcopi Antiocheni, ambo catholici, singulique haberent partem Catholicorum. Singuli quoque habebant* F *ecclesias sibi faventes. Meletium pro episcopo habebant plerique Orientales; Occidentales vero cum romano pontifice, et Ægyptii cum patriarcha Alexandrino magis favebant Paulino. Ad hosce Catholicos accessit Vitalis Apollinarista, qui hæresim suam diu occultaverat, et circa annum* 377 *ab Apollinario hæresiarcha episcopus fuit ordinatus. Hi tres jactabant, secum communicare Romanum Pontificem, quod certe verum erat de Paulino. At alii duo non videntur admissi fuisse ad communionem romani pontificis, tamquam episcopi Antiocheni, sed Vitalis solum ut presbyter, quamdiu ejus hæresis latebat, fuerat receptus; Meletii vero episcopum nec omnino probasse videntur romani pontifices propter Paulinum; nec tamen prorsus improbasse, donec tandem aliqua inter Paulinum et Meletium concordia fuit inita. Præter tres memoratos, Arianorum Antiochiæ episcopus erat Euzoius, sed hunc hæreticum esse noverat* Hieronymus.

gravisque vigeret altercatio,

167 *Altera controversia eodem tempore. Orientem agitabat, et verisimiliter vires sumebat ex discordia de episcopatu Antiocheno. Illam, cum de* vocibus

AVCTORI I. S.

vocibus magis esset, quam de dogmate, sedaverat olim aut sedare saltem conatus erat S. Athanasius, sed apud Antiochenos certe recruduerat, ut liquet ex verbis Hieronymi *infra dandis. Interim, quid fuerit controversiæ, docebit S. Gregorius Nazianzenus in Oratione 21 de S. Athanasio, quem ob eam sedatam laudat. Ubi enim observaverat, magnas aliquando contentiones dissidiaque oriri ex sola de verbis, quæ ad eumdem sensum tradunt, pugna, hanc ipsam controversiam pro exemplo allegat, ita scribens :* Nam cum essentia una, et tres hypostases nobis pie discerentur, quod alterum Divinatis naturam, alterum trium Personarum proprietates declaret ; atque eodem quidam modo apud Romanos inteligerentur, cæterum * ob linguæ illius angustiam, et verborum inopiam, *hypostasim* ab *essentia* distinguere non possent, eoque factum esset, ut pro ea, ne tres substantias admittere videntur, *Personarum* vocabulum inducerent, quid tandem contigit? Res profecto ridicula, vel potius miseranda. Diversæ fidei speciem præbuit levi illa et jejuna de vocum sono altercatio. Hic deinde et sabellismus ob tres Personas (*non admissis nimirum tribus Hypostasibus*)

Græce sed

B et Arianismus ob tres Hypostases (*acsi fuissent tres substantiæ diversæ*) quorum utrumque pertinax contendi studium effinxerat.

utrum dicenda esset hypostasis, an tres hypostases,

168 *Tum, relato schismatis periculo, remedium a S. Athanasio adhibitum sic exponit :* Utraque parte leniter et benigne accita, verborumque sententia diligenter et accurate perpensa, posteaquam concordes reperit (*in dogmate,*) nec, quantum ad doctrinam, ullo modo inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum concedens, rebus eos constringeret. *Permittebat nimirum S. Athanasius, ut dicerent tres* Hypostases, *modo servarent unitatem substantiæ, aut* unam Hypostasim, *modo admitterent tres personas vere subsistentes. At huic compositioni non omnes constanter acquievisse; sed monachos Meletianæ partis renovasse calumniam de Sabellianismo contra eos, qui unam dicebant Hypostasim, certissimum fit ex dandis* S. Hieronymi *verbis. Suspectum similiter* Hieronymo *fuisse modum loquendi illorum, qui* tres *dicebant* Hypostases, *nequaquam miror, cum sic etiam loqui possent Ariani, illique Arianos imitarentur in accusatione Catholicorum, qui* unam Hypostasim *dicebant,*

C *et tres admittebant Personas vere subsistentes.* Sabellianæ impietatis arguor, *inquit* Hieronymus *in epistola* 17, tres subsistentes, veras, integras, perfectasque Personas, indefessa voce pronuntians : si ab Arianis, merito : si ab orthodoxis ; qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt. *Hosce fuisse ex parte Meletiana, colligitur ex eo, quod eadem calumnia de Paulino fuerit prolata. At nec Meletius ipse nec Paulinus unquam videntur invicem hæreseos accusasse. Vitalis vero, qui nullum jus habebat ad episcopatum Antiochenum; Sabellianismi accusavit Paulinum, verisimiliter ut gregem ipsius ad se pertraheret.*

Hieronymus per litteras consulit S. Damasum.

169 S. Hieronymus, *cum Antiochena ecclesia sic esset scissa, multamque eidem molestiam exhiberent monachi, quod* tres Hypostates *non diceret, per litteras recurrit ad S. Damasum summum Pontificem, petiitque primum, quocum ex Antiochenis episcopis communicare deberet, cum interim ab omnium communione abstinuisset. Epistola est* 15 (*alias* 57) *quam per partes recitabo. Primum declaret sanctus, quanti faciat sedem apostolicam, ita ordiens :* Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam

D Domini tunicam, et desuper textam, minutatim per frusta discerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit, possit intelligi ; ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam, censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Neque vero tanta vastitas elementi liquentis, et interjacens longitudo terrarum, me a pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. « Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. » Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas *. Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. Hic obruta sulcis frumenta in lolium avenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol justitiæ oritur ; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, super sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa et argentea : hic testacea vasa vel lignea virgam ferream et æternum opperiuntur incendium.

* *al.* auctoritas

170 *Tum humilitatem suam excusat, exponitque, quibuscum interim communicaverit, quod incertus esset de Antiochenis, ita pergens :* Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat E tamen humanitas. A Sacerdote Victima salutem, a Pastore præsidium Ovis flagito. Facessat invidia : Romani culminis recedat ambitio, cum successore Piscatoris et discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Noe Arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro facinoribus mei ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine determinat ; * nec possum Sanctum Domini tot interjacentibus spatiis a Santimonia tua semper expetere : ideo hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, et sub onerariis navibus parva Navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit ; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

quocum ex tribus communicare deberet,

* *al.* disterminat

171 *Tillemontius art.* 16 *et* 17 *miro silentio præterit verba omnia* Hieronymi, *quibus apertissime declaratur necessitas communicandi cum Ecclesia Romana, uti et omnia illa, quibus in Romana Ecclesia dicitur* incorrupta Patrum *servari* hæreditas, *licet de hisce agat ad Damasum Epistolis. Verum alia erat Tillemontii sententia de necessitate communionis cum Ecclesia Romana, eaque apud nos refutata est in Historia patriarcharum Constantinopolitanorum ante tom. 1 Augusti pag. 48. Attamen non debuerat sensa* Hieronymi *de Ecclesia Romana supprimere, præsertim cum studiose Operibus suis inseruerit, quidquid idem sanctus de fastu aut aliis vitiis Romanæ urbis aliquando protulit. Nam ea scribendi ratione viris prudentibus manifestum facit, colligere se studuisse, quidquid conducere videbatur ad auctoritatem Ecclesiæ Romanæ deprimendam, omisisse vero non raro præclara sanctorum Patrum de auctoritate ejusdem Ecclesiæ testimonia. Quinam porro essent confessores illi Ægyptii, quibuscum S.* Hieronymus, *communicasse se dicit, colligitur ex Theodoreto lib.* 4, *cap.* 22, *ubi habet,* Episcopos Ægypti numero undecim, *qui multum laudantur, ope Arianorum per comitem Magnum* Diocæsaream *relegatos.*

communicans interim cum episcopis exsulibus,

F

A *gatos fuisse, urbem, quæ a Judæis Domini interfectoribus colitur. Judæorum inhabitatio insinuat, fuisse Diocæsaream Galilææ, ad quam relegati fuerunt episcopi, de quibus agitur. Tribus ex illis episcopis Epistolam suam* 265 (*alias* 293) *scripsit S. Basilius, nimirum* Eulogio, Alexandro et Harpocrationi, Ægypti episcopis exulibus; *quos laudat, et in media* Palæstina *constitutos ait. Itaque cum illis Ægypti episcopis communicasse interim* S. Hieronymum, *existimo cum Vallarsio in Annotatis, et cum aliis pluribus.*

eidem exposuit, quantum patiatur, quia timebat

172 *De altera quæstione Damasum his verbis* Hieronymus *interpellat:* Nunc igitur proh dolor! post Nicænam fidem, post Alexandrinum (*videlicet anni* 362) juncto pariter Occidente decretum, trium Hypostaseon ab Arianorum prole, Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæso, ista Apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi: tres personas subsistentes aiunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis latet. Cla-
B mamus, siquis tres hypostases, ut tria enhypostata, hoc est, tres subsistentes personas, non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus *, hæretici judicamur. Si quis autem Hypostasim, Usian intelligens, non in tribus personis unam hypostasim dicit, alienus a Christo est; et sub hac confessione vobiscum pariter cauterio Unionis inurimur. *Observandum hic, locum diverso modo antea editum fuisse, pro vocibus nimirum* ab Arianorum prole Campensibus, *editum fuit,* ab Arianorum præsule et Campensibus.

* al. edicimus

tres hypostases dicere, ut volebant Meletiani monachi.

173 *Verum dubitare vix possim, quin genuina sit editio Veronensis, quam dedi. Nam monachos fuisse, a quibus ita urgebatur, in duabus sequentibus epistolis insinuat* Hieronymus, *præsertim in Epistola* 17, *ubi clarissime monachos ea de causa arguit. At Meletium id exegisse, nullibi insinuat: neque id facere Meletius poterat, cum ab ejus communione abstineret* Hieronymus. *Intelligit igitur Meletianos, qui* Campenses *vocabantur, quod conventus in campis agere diu fuissent coacti. Illos vero* Arianorum prolem *dicit, non solum quia Meletius ab Arianis creatus erat episcopus, sed*
C *quia Meletiani non æque abhorruerant a communione episcoporum Arianorum, qui sederant Antiochiæ ante Meletium, ac Eustathiani, qui se semper ab Arianis separaverant. Martianæus ad hanc Epistolam etiam observat,* in pluribus mss. codicibus *legi,* ab Arianorum prole Campensibus. *Hæc igitur vera videtur lectio, et sic Hieronymus Meletium non vocat episcopum Arianorum, ut voluit Tillemontius art.* 17; *sed Meletianos sive Campenses vocat* prolem Arianorum, *quia multi ex illis cum Arianis præcedentibus communicaverant. Alius erat Antiochiæ episcopus Arianorum: at neque de hoc loquitur Sanctus.*

quamque sibi suspectus esset

174 *Hic ita porro prosequitur:* Decernite, obsecro, si placet, et non timebo tres Hypostases dicere. Si jubetis, condatur nova post Nicænam fides, et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi. *Sic loquitur fidenter Hieronymus, quia noverat, nihil decernendum a Romano Pontifice, quod orthodoxæ fidei esset contrarium. Nam vehementer suspectum habebat illum loquendi modum, quo Ariani revera utebantur, et quo hi Patrem substantia separabant a Filio, et Spiritum sanctum ab utroque. Ubi vero perversum illum Arianorum sensum exposuerat, subdit:* Absit hoc a Romana fide: sacrilegium tantum religiosa populorum corda non hauriant. Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres Personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres Hypostases, si placet, et una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas. *Ita suspicionem suam declarat Hieronymus, licet ipsorum interpretationem sciret Catholicam.*

Ille loquendi modus.

175 *Et mox iterum:* Sed mihi credite, venenum sub melle (*interpretationis Catholicæ*) latet: transfiguravit se angelus satanæ in angelum lucis. Bene interpretantur Hypostasim, et cum id, quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus judicor. Quid tam anxie unum verbum tenent? quid sub ambiguo sermone latitant? Si sic credunt, ut interpretantur, non damno, quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant, permittant et mihi meis verbis suum sensum loqui. *Hæc omnia ostendunt vehementes* Hieronymi *suspiciones, neque eas fundamento carentes, cum quia tam pertinaciter, contra concordiam a S. Athanasio olim decretam, renuebant admittere Catholicam* Hieronymi *de una Hypostasi sive substantia expositionem, tum quod antea cum Arianis multi illorum communicassent.* E

paratus tamen sententiæ Damasi acquiescere:

176 *Attamen tanta erat* Hieronymi *fiducia de Sede Apostolica, ut rem totam judicio S. Damasi permittat.* Aut, si rectum putatis, *inquit,* tres Hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. *Et inferius:* Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixam * mundi salutem, per homousian * Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur auctoritas. Et ne forte obscuritas loci, in quo dego, fallat bajulos litterarum, ad Evagrium presbyterum, quem optime nosti, digneris scripta transmittere. Simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes; quia Campenses, cum Tharsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quam ut auctoritate communionis vestræ fulti, tres Hypostases cum antiquo sensu (*Arianum insinuat sensum*) prædicent.

* al. Crucifixum
* al. homousion

observatio de Tharsensibus.

177 *Per Tharsenses hæreticos non intelligit* S. Hieronymus *asseclas* Silvani Tharsensis, *ut vult editor Veronensis. Nam Silvanus Tharsensis diu* F *erat defunctus, dum illa scribebat* Hieronymus, *et quidem in fide catholica, quam Romæ erat professus, ut colligitur ex constanti ejus amicitia cum S. Basilio, qui Silvanum Tharsensem frequenter laudat in epistolis suis et defunctum etiam* Beatum *vocat in Epistola* 244 (*alias* 82.) *Verum post mortem Silvani ecclesiam Tharsensem ab Arianis occupatam fuisse, luget S. Basilius in Epistola* 34 (*alias* 5.) *Cum tamen non omnes Tharsenses Arianum episcopum fuerint secuti, ut colligitur ex Basilii epistolis* 113 *et* 114 (*alias* 203 *et* 204) *sed aliqui sub presbyteris mansarint Catholici, forsitan Tharsenses illi, qui cum Meletianis conspirabant, etiam erant Catholici, et falso suspecti de hæresi.*

Iterum petit, quocum sit communicandum.

178 *Post hanc primam epistolam, necdum accepto responso, alteram ad Damasum, breviorem quidem, sed urgentissimam misit* Hieronymus, *ut mentem Pontificis intelligeret. Est hæc Epistola* 16 (*alias* 58,) *quam orditur humillime, ut Damasum ad respondendum permoveat. Deinde rem ita exponit:* Ego igitur, ut ante jam scripsi, Christi vestem in Romana Urbe suscipiens, nunc barbaru

AUCTORE I. S.

barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam; quid mererer, ipse constitui. Verum, ut ait gentilis poeta: « Cœ- » lum, non animum mutat, qui trans mare cur- » rit » : ita me incessabilis inimicus post tergum sequutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, passionem Christi, ut, qui apostolos honore sequeris, sequaris et merito: ita in folio cum duodecim judicaturus sedeas: ita te alius senem cum Petro cingat: ita municipatum cœli cum Paulo consequaris, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. *Nihil hic amplius quærit de una aut tri-*
B *bus Hypostasibus.*

Perperam negat Tillemontius ob hypostases,

179 *Hæ Epistolæ multum videntur displicuisse Tillemontio. Nam Sanctum eorum causa in multis carpit sine justa ratione. Primum art. 17 credere nequit, Meletianos non acquievisse Hieronymo, tres Personas subsistentes eo sensu admittenti, quo illi exponebant tres Hypostases. At hoc quidem est Hieronymum de aperto mendacio suspectum facere, imo etiam de mendacio apud illum, cui res tota erat probe perspecta. Nam importunam illam monachorum Meletianorum contentionem non solum perscripsit ad Damasum, qui longe aberat; sed etiam in Epistola* 17 (*alias* 77) *ad Marcum presbyterum, cui in fine sic loquitur:* Cæterum ego fidei meæ testes habeo aures tuas, et beati fratris Zenobii, quem tecum omnes, qui hic sumus, plurimum salutamus. *Et jam ante eidem dixerat:* Antequam de fide mea, quam optime nosti, tecum loquar, adversus barbariem istius loci versu cogor clamare vulgato: Quod genus hoc hominum *etc.*? Quæ idcirco, *inquit*, de gentili poeta sumpsimus, ut, qui Christi pacem non servat, pacem saltem discat ab ethnico. *Videamus modo, an eadem fere non sint, de quibus*
C *ad Marcum queritur Sanctus.*

dsi tres personas subsistentes confiteretur,

180 Hæreticus vocor, *inquit*, homoousian prædicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectasque Personas, indefessa voce pronuncians. Si ab Arianis, merito. Si ab orthodoxis; qui ejusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt. Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque (*Alexandrino*) condemnent. Quid unum hominem, exceptis sociis, criminantur? Si rivus tenuiter fluit, non est alvei culpa, sed fontis. Pudet dicere: de cavernis cellularum damnamus orbem. In sacco et cinere volutati, de episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? Catenæ, sordes et comæ non sunt diadematis signa, sed fletus. Permittant me, quæso, nihil loqui, *etc.*

vexatum a monachis fuisse Hieronymum.

181 *Et mox:* Non mihi conceditur unus angulus eremi. Quotidie exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor, ut volunt: non placet. Subscribo, non credunt. Unum tantum placet, ut hinc recedam. Jamjam cedo: abrupe- runt a me partem animæ meæ, carissimos fratres. D Ecce discedere cupiunt, imo discedunt, melius esse dicentes, inter feras habitare, quam cum talibus Christianis: et ego ipse, nisi me et corporis imbecillitas, et hyemis retineret asperitas, jam modo fugerem. Veruntamen, dum vernum tempus adveniat, obsecro, ut paucis mihi mensibus eremi concedatur hospitium. Aut, si hoc tardum videtur, abscedo. Domini est terra et plenitudo ejus. Ascendant soli cœlum, propter illos tantum Christus mortuus sit, habeant, possideant, glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Aut hæc magis exaggerata sunt, quod credibile non est, cum scribat ad virum bene instructum, aut omni exaggeratione carent, quæ scripsit ad Damasum.*

Idem ob alia Sanctum perperam carpit.

182 *At rursum insurgit eruditus magis, quam* S. Hieronymo *addictus, Tillemontius, aitque, in ipsum credere* Hieronymum *querelas quas facit de nimia monachorum contentione, cum conatus sit persuadere Damaso, ut una solum diceretur Hypostasis, tresque Hypostases habuerit suspectas. Respondeo, unum esse observationem: neque enim ullo verbo* Hieronymus *persuadere conatus* E *est Damaso, ut modus loquendi illorum Græcorum, qui sano sensu* tres *dicebant* Hypostases, *damnetur; sed id solum egit, ut Latini, Ægyptii, aliique, qui* unam *dicebant sano etiam sensu* Hypostasim, *alio modo loqui non cogerentur, et sic Athanasio aut potius concilio Alexandrino consensit. Quod autem* Hieronymus *in adversariis suis contentionem illam de dicendis tribus Hypostasibus habebat suspectam, non carebat ratione, cum a prole Arianorum proponeretur, et loquela esset Arianorum, usitata quidem a multis Græcis catholicis, nec tamen ab omnibus, uti nec ab Ægyptiis aut Latinis. Carpit tertio* Hieronymum *Tillemontius, quod vehementer Meletio videatur contrarius, et magis quidem quam Vitali hæretico. Respondeo, Vitalis hæresim necdum eo tempore notam fuisse* S. Hieronymo, *at notum fuisse omnibus, Meletium olim communicasse cum Arianis, et ab hisce ad episcopatum fuisse promotum; ideoque mirandum non fore, ei magis a Meletio abhorruisset eo tempore sanctus, quam a Vitale,* F *cujus hæresis postea innotuit.*

cum Hieronymus nulli fecerit injuriam,

183 *Attamen Meletium non vocat Arianorum episcopum, nec Meletium intelligit, ut perperam credidit editor Veronensis, dum dicit,* Hinc enim præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit: *nam mox opponitur* in tres partes scissa Ecclesia, *unoque ex his partibus attribuitur Meletio. Per ecclesiam autem intelligit Catholicos Antiochenos, sive illos, quos in eremo positus Catholicos credebat. Cum vero dicit,* Meletium respuo, *declarat, se non adhærere illi, qui primus ex tribus erat ordinatus, sicut eidem multi alii non adhærebant, quia amicus fuerat Arianorum, et ab Arianis promotus. Itaque in omnibus istis laudabiliter se gessit* S. Hieronymus, *et sententiam summi Pontificis sequi voluit, ut communicaret cum illo ex tribus, quocum ille communicandum decerneret. Interim etiam caritatem servavit erga eos, a quibus vexabatur. Nam rogatus a Marco presbytero de fide sua, per Epistolam jam laudatam respondit, licet alias sibi silendum credidisset post fidem suam toties declaratam, hancque responsi sui dat rationem.* Sed quia caritas omnia superat, et propositum (*silendi*) vincit affectus; non tam injuriam facientibus reddo vicem, quam tibi respondeo postulanti. Apud Christianos enim, non qui

qui patitur, ut ait quidam, sed qui facit contumelia, miser est. *Hæc ob querelas de monachis jam relatas.*

et fidem suam sæpius exposuerit.

184 *Sub finem vero ad quæsitum de fide ulterius sic respondit :* De fide autem quod dignatus es scribere, sancto Cyrillo dedi conscriptam fidem. Qui sic non credit, alienus a Christo est. *Verum hæc fidei professio, quæ verisimiliter brevis est, modo non exstat. Nam, quæ edita est nomine* S. Hieronymi *prolixa* Explanatio fidei ad Cyrillum, *passim ab eruditis habetur supposititia, et merito, nec explicat articulum illum de hypostasi aut hypostasibus, ob quem* Hieronymus *erat suspectus, nec est styli Hieronymiani. Quæritur etiam, quis sit ille Cyrillus, cui conscriptam fidem misit* Hieronymus. *Nonnulli indicant S. Cyrillum Hierosolymitanum, quem constat eo tempore fuisse in exsilio, utpote ejectum e sede Hierosolymitana.*

et in scripto etiam Cyrillo non satis noto.

185 *Verum res plane incerta est, cum quia Cyrilli nomen satis erat commune, ut plures illius nominis episcopi esse possent, tum quia* Hieronymus *non bene videtur sensisse de S. Cyrillo Hierosolymitano, si ejus sunt, quæ leguntur in Chronico ad annum* 352. *At ob multas Chronici Hieronymiani interpolationes rursus incertam videtur, an ea de Cyrillo scripserit* S. Hieronymus : *nam in vetustissimo codice Vaticano ex bibliotheca reginæ Sueciæ nihil haberi dicitur de illis, quæ in editis* Hieronymi *Chronicis leguntur de Cyrillo. Cyrillum quoque nullo prorsus verbo lædit* Hieronymus *in libro de Viris illustribus cap.* 112, *ubi eum brevi laudat elogio. Itaque, sicut incertum est, rectene tunc an sinistre de Cyrillo Hierosolymitano senserit* Hieronymus, *sic magis etiam videtur ambiguum, eine an alteri fidem suam exposuerit.*

Non certo constat de anno, quo sic vexari cœpit Sanctus.

186 *Restat investigandum, quo tempore posteriores illæ ex eremo* Hieronymi *Epistolæ ad Damasum et Marcum presbyterum fuerint scriptæ, et cujus loci Marcus fuerit presbyter. Baronius vexationes, quas* S. Hieronymus *passus est in eremo, narrat ad annum* 378 *ex Epistola ad Marcum. Tillemontius primam ad Damasum epistolam figit anno* 376, *alteram anno* 377, *ad quem similiter refert epistolam ad Marcum. Villarsius in præfatione editionis Veronensis ait, tres illas epistolas fuisse scriptas inter exeuntem annum* 376, *quo Vitalis factus est episcopus, et ineuntem* 379, *quo episcopi confessores Ægyptii ad sedes suas remissi sunt : creditque, priorem ad Damasum anno* 376 *labente aut sequentis initio scriptam, alteram anno* 377, *epistolam vero ad Marcum exeunte anno* 378 *aut ineunte* 379, *cum hiemis tempore sit scripta.** *Hæc Villarsii chronotaxis nequit certe multis annis a vera aberrare : vix tamen crediderim, epistolam ad Marcum duobus annis posteriorem esse prima ad Damasum : nam sic ultra duos annos ita exagitatus fuisset* Hieronymus. *Malim igitur conjicere, unius anni spatio omnes tres fuisse scriptas. Utrum vero epistola ad Marcum ex tribus sit ultima, an vero media inter utramque ad Damasum, non liquet ullo indicio. Nihilo certius videtur, fueritne vexatio illa* S. Hieronymi *cœpta anno* 376, *an* 377, *aut etiam* 378 : *nam forte protracta non est ultra annum, recedente verisimiliter Antiochiam* S. Hieronymo.

probabile est, cœptam vexationem post reditum Meletii anno 378:

187 *Fortasse omnis illa* S. Hieronymi *vexatio solum cœpta est post reditum Meletii ab exsilio. Nam in utraque ad Damasum epistola sic de Meletio loquitur* Hieronymus, *acsi fuisset Antiochiæ. Rediit autem ab ultimo exsilio Meletius post mortem Valentis imperatoris Ariani, sive post medium anni* 378. *Nam Gratianus imperator, intellecta cito Valentis cæde, quæ contigit die 9 Augusti,* statim, *teste Theodoreto lib.* 5, *cap.* 1 *et* 2, *legem dedit, ut omnes episcopi Catholici, quos Valens relegaverat, ad ecclesias suas reverterentur. Itaque vi hujus legis, quæ procul dubio statim in Orientem perlata est, jam mense Septembri vel Octobri Meletius Antiochiam redire potuit. Hoc autem reditu Meletii verisimiliter accensa sunt diversarum partium studia, ut monachi, qui Meletiani erant,* S. Hieronymum *tunc urgere cœperint, quod intelligerent, eum cum Meletio non communicare. Si autem eo solum tempore cœpta est illa* Hieronymi *vexatio, scripserit ad Damasum currente ad finem anno* 378, *iterumque sequenti anno, antequam ex solitudine Antiochiam rediit, et inter has duas media fuerit epistola ad Marcum presbyterum.*

at minime certum

188 *Probabilissima mihi videretur illa chronotaxis; nisi in priore ad Damasum* Hieronymus *diceret :* Hic collegas tuos, Ægyptios confessores sequor ; *et in altera :* Hinc præsidiis mundi fulta, Ariana hæresis fremit. *Nam mundi præsidia per Valentem habebant Ariani, ut ille necdum defunctus fuisse videatur; et confessores Ægyptii poterant æque, ac Meletius, per leges Gratiani ad sedes suas reverti. Hæc, fateor, impediunt, quo minus chronotaxim datam Villarsianæ præferendam censeam. Posset tamen dici, etiam post mortem Valentis non defuisse protectores hæresi Arianæ, et* Hieronymum *dicere,* Ægyptios confessores sequor, *quod illos fuisset secutus, et necdum discessissent, quando primum scribebat ad Damasum : ideo vero tam studiose de communione amplectenda inquirere, quod brevi discessuros sciret. Quidquid demum sit de occasione et tempore, quo* Hieronymum *ita exagitarint monachi, non dubito, quin Sanctus ea de causa eremum reliquerit, sive coactus a monachis, sive a Damaso Papa incitatus.*

Marcus presbyter, ad quem scripsit Sanctus.

189 *Petiit* S. Hieronymus, *scribens ad Marcum, ut* paucis sibi mensibus eremi *concederetur* hospitium, *nimirum* dum vernum tempus *adveniret. Quid responderit Marcus, ignoramus. De Marco autem ipso hæc annotavit Villarsius :* Veteres editi hunc Marcum presbyterum Teledensem faciunt. Mss. autem plerumque presbyterum aut episcopum Chalcidæ. Est autem verisimillimum, legi debere Teledensem, ut codices alii habent : quippe Teledam in Calcidæ regione grande oppidum erat, a quo non longe monasterium S. Eusebii fuisse, ex Theodoreto in Vitis Patrum cap. 4 discimus ; adeoque potuit ejus loci presbyter Calcidensium fidem agnoscere. *Idem suspicatur Tillemontius art.* 18. *De S. Eusebio, cujus monasterium erat prope vicum Teledan in monte Coryphes, actum est apud nos ex Theodoreto ad* 18 *Januarii.* Teleda *autem ibi num.* 3 *dicitur* vicus maximus et populo frequentissimus. *Situs vero montis Coryphes, in quo et vicus ille erat et monasterium S. Eusebii, num.* 2 *ponitur ad Orientem Antiochiæ, et ad Occidentem BerrhϾ, ut fere inter Antiochiam et Berrhœam videatur fuisse mons Coryphe et vicus Teleda, propinquiorque dictis civitatibus, quam Chalcidi, in cujus eremo degebat* Hieronymus. *Quare illa sententia mihi videtur incerta.*

verisimiliter sacra monachis administrabat.

190 *Martianæus tum in vita, quam in Annotatis ad epistolam existimat, Chalcidis fuisse presbyterum, ut in plerisque mss. legitur, aut etiam episcopum. Verum Chalcidis episcopum fuisse Marcum, existimare nequeo, cum Theodoretus lib.* 5 *Historiæ cap.* 4 *referat, Eusebium iis temporibus Chalcidis episcopum consecratum a S. Eusebio Samosateno.*

AUCTORE J. S.

mosateno. Magis itaque credo, Marcum fuisse presbyterum, qui præerat monachis eremi Chalcidensis, aut certe sacra iis peragebat ministeria. Poterat idem ecclesiæ Chalcidensis esse presbyter, et deputatus ab episcopo ad curam monachorum.

Hieronymo verisimiliter respondit Damasus.

191 *Quamvis nullum exstet Damasi responsum ad interrogata* S. Hieronymi : *dubitare tamen non possumus, quin Damasus responderit, jusseritque* Hieronymum *cum Paulino communicare. Verisimile quoque est, Damasum persuasisse* Hieronymo, *ut eremum desereret, nisi id jam fecisset, coactus importunis monachorum molestiis, ante acceptas Damasi litteras, quas per Evagrium aut Antiochiæ aut in deserto accipere potuit. Quid vero de una dicenda aut tribus Hypostasibus responderit Damasus, etiam incompertum est. At rursum verisimile est, respondisse Damasum, ut cuique liceret more suo loqui, et vel unam vel tres dicere Hypostases, modo recta interpretatio accederet, et sensus orthodoxus.*

Sanctus deseruit eremum : quamdiu ibi vixerit.

192 *Ceterum existimamus probabilius,* Hieronymum *ex deserto non venisse Antiochiam ante annum 379 inchoatum ; sed hoc anno et Antiochiam venisse, ibique saltem aliquot mensibus mansisse. Hactenus egimus de vita solitaria* S. Hieronymi *in* B *eremo Chalcidis, eamque extendimus ultra annos quatuor, nimirum ab anno 374 ad finem decurrente usque ad annum 379 inchoatum, et forte usque ad vernum tempus ejusdem anni. Baronius ad annum 372 credidit,* Hieronymum *ab anno 370 in Syriam profectum, et anno 374 in eremo habitare cœpisse, sed non attendit ad tempus, quo Evagrius presbyter, quocum erat* Hieronymus, *Cæsareæ fuit cum S. Basilio. Pagius ad eumdem annum num. 4 vitam solitariam* S. Hieronymi *figendam dicit anno 367 aut 368. Verum ex manifesto errore in alterum hunc errorem incidit. Baronius ad annum 372 recte observat, tunc floruisse S. Theodosium abbatem, ad quem scripsit* S. Hieronymus. *Bollandus autem ad 11 Januarii de S. Theodosio abbate in Scopulo egit pag. 677, ibique obitum ejus fixit circa annum 412. At Pagius utrumque correcturus, contendit, S. Theodosium fuisse mortuum ante annum 370, quia de Helladio ejus successore scribit ibidem Theodoretus :* Gregis autem præfecturam accepit Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicum divinitus C electus est antistes. *Sexaginta annos, quibus partim monachus, partim abbas, in monasterio habitasse dicitur Helladius, de sola ejus præfectura explicare voluit Pagius, et sic quadraginta fere annorum spatium vitæ S. Theodosii detrahit, et* Hieronymum *sex aut septem annis citius, quam oportebat, ad eremum deducit.*

§ XI. Sanctus venit Antiochiam, ubi presbyter ordinatur : scribit ibidem Dialogum adversus Luciferianos.

Hieronymus non statim ex eremo ivit Hierosolymam.

E*minentissimus Baronius ad an. 378 num. 62 existimat ,* S. Hieronymum *, quando ex eremo discessit, Hierosolymam fuisse profectum. Marianus Victorius Sanctum credidit Hierosolymam ivisse, antequam ordiretur vitam solitariam in eremo Chalcidis. Verum Tillemontius Nota 6 fuse disputat, ut probet,* S. Hieronymum *Hierosolymæ nunquam fuisse ante mortem S. Damasi. Nolim quidem omnia ejus ratiocinia adoptare, vera* D *tamen videtur ea sententia, ut paucis probare conabor.* S. Hieronymus *contra Rufinum lib. 3 num. 22 exponit itinera sua, quibus post mortem Damasi, relicta Roma, in Palæstinam migravit. Ex iis hæc traduco, quæ de adventu Antiochiam et Hierosolymam dicit :* Veni, *inquit,* Antiochiam, ubi fruitus sum communione pontificis confessorisque Paulini, et deductus ab eo, media hyeme et frigore gravissimo, intravi Jerosolymam. Vidi multa miracula, et quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi. *Hæc luculenter insinuant,* Hieronymum *antea Hierosolymæ non fuisse. Neque enim diceret, se tunc oculorum* judicio *comprobasse, quæ prius sola* fama *audierat, si antea fuisset Hierosolymæ. Tam assertum id est indicium, antea Hierosolymæ non fuisse Sanctum, ut eum ibi citius fuisse dicere non possimus sine claro ipsius testimonio. Atqui in scriptis suis nullibi declarat* Hieronymus, *Hierosolymæ se fuisse, antequam eo venit, ut stabilem in Palæstina sedem figeret. Nam loca a Baronio allegata facillime alio sensu exponuntur, et necessario exponenda sunt. Examinabimus singula, dum videbimus Sanctum Roma discedentem.* E

sed Antiochiam, ubi a Paulino

194 *Itaque non Hierosolymam, etiamsi ante eam videre desiderasset, ex eremo profectus est, sed Antiochiam reversus est Sanctus, verisimiliter ad Evagrium Paulini presbyterum, et* Hieronymi *ipsius amicum præcipuum. Antiochiæ autem eo tempore presbyterum fuisse ordinatum* S. Hieronymum, *multa certe verisimillimum faciunt. Etenim a Paulino consecratum se fuisse, Sanctus ipse declarat in libro contra Joannem Hierosolymitanum tom. 2 col. 451, ita dictum Joannem alloquens :* Fac a te ordinatum (*Paulinianum fratrem* Hieronymi) ; idem ab eo audies, quod a me misello homine sanctæ memoriæ episcopus Paulinus audivit. Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui : ego habeo, quod semper habui : nullum dispendium in ordinatione passus es. *Ex his primo habemus,* Hieronymum *ordinatum esse a Paulino episcopo. Non vocat quidem* Antiochenum, *nec tamen merito dubitabimus, quin is fuerit Antiochenus. Nam non modo nullus alius innotuit Paulinus, a quo ordinari circa id tempus potuit* Hieronymus; *sed eidem Paulino deinde fuit* F *amicissimus : cum eo enim et S. Epiphanio Romam profectus est, rediensque in Orientem, a Paulino Antiochiæ exceptus est et Hierosolymam deductus, et quotiescumque de Paulino Antiocheno loquitur, id facit summo cum honore.*

ordinatus est presbyter

195 *Præterea Antiochenæ ecclesiæ presbyterum se esse, satis clare insinuat* S. Hieronymus *in allegato libro contra Joannem Hierosolymitanum dum paulo ante data verba dicit :* Si de me et de presbytero Vincentio (*ista dicis,*) satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam, et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, sed ut in agris et in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, misericordiam deflecteremus. *Tredecim anni, post quos Joannes Hierosolymitanus* S. Hieronymo *molestus esse cœpit, designant tempus, qua Roma profectus cum Vincentio presbytero et aliis, Antiochiam transiit et in Palæstinam venit. Ex eo igitur loco recte colligitur, presbyterum*

Antiochenæ

Antiochenæ ecclesiæ fuisse Hieronymum, *Vincentium Constantinopolitanæ. Neque enim* Hieronymus *ullo alio titulo dicere poterat Antiochiam a se desertam, quam quod ibi presbyter servire potuisset, si desiderasset; sed potius dixisset, patriam a se desertam, aut certe Romam, ubi multo diutius habitaverat, quam Antiochiæ. Accedit comparatio inter ipsum et Paulinianum fratrem, qui etiam invitus erat presbyter ordinatus, ideoque non magis cogebatur vitam monasticam relinquere, ut serviret episcopo, a quo ordinatus erat, quam* Hieronymus, *ut ministraret in ecclesia Antiochena.*

post relictam eremum.

196 *Jam vero consecratum esse* S. Hieronymum *eo tempore, quo post habitationem eremi fuit Antiochiæ, nullibi quidem aperte dicitur; colligitur tamen ex antecedenti et consequenti vita. Certe presbyter non erat, quamdiu vixit in eremo, nec ibi consecratus est, cum non auderet communicare cum ullo ex tribus, qui episcopos se Antiochenos dicebant. Aliunde vero colligitur, presbyterum fuisse* S. Hieronymum, *quando post paucos annos degebat Romæ. Nam Rufinus in Epistola de adulteratione librorum Origenis, (apud Martianæum tom. V, col. 253) ait, Damasum commisisse* editionem ecclesiasticæ fidei, *subscribendam Apollinaristis* , cuidam amico suo presbytero , viro disertissimo. *Hisce autem verbis cum designet* Hieronymum, *ut suo loco dicetur, necesse est dicere,* Hieronymum *fuisse presbyterum, quando Romæ erat cum Paulino Antiocheno et S. Epiphanio Salaminensi. Id ipse* Hieronymus *insinuat in Epistola ad Eustochium , anno 384 Romæ scripta, dum num. 28 dicit:* Sunt alii (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo presbyteratum et diaconatum ambiunt , ut mulieres licentius videant. *Itaque cum ordinatus sit a Paulino Antiocheno, ideoque credibile non sit, in alia civitate ordinatum esse, quam Antiochena, ex qua Constantinopolim deinde ac Romam profectus est, non alio probabiliter tempore, quam quo post eremum Antiochiæ commoratus est , ordinatio figi potest, nec alteri anno aptius illigari, quam 379.*

Ex hac ordinatione refelluntur, qui S. Hieronymum

197 *Ex jam relato* Hieronymi *presbyteratu Baronius ad annum 378 num. 65 refutat opinionem illorum, qui medio et posteriore ævo dixerunt, sanctum fuisse Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem. Illam opinionem singulari Opusculo inculcare conatus erat Alphonsus Ciaconius, eaque de causa , opinor , Baronius in veritatem censuit investigandum, quamvis id faciat brevius , et Ciaconium non nominet. Verum brevitas Baronii, qui non curavit levitatem argumentorum Ciaconii manifestare, effecisse videtur, ut postea plures scriptores dignitatem Cardinalitiam* Hieronymo *attribuere voluerint, argumentaque repetierint plane inutilia ad propositum , quod crisi historica minus essent imbuti. Nam revera pro Cardinalitia* S. Hieronymi *dignitate nullum affertur argumentum, quod historico critico validum videri possit. Prolixior sane est Ciaconii tractatus, pluraque affert cum verba tum scriptorum sibi faventium nomina, quam ut singula operose examinari et refutari valeant , nisi integrum justæ molis scribatur Opusculum: at, cum omnia sint argumenta levissima, pleraque generali responso satis refellentur, alia brevi examine concident; et sic necesse non erit admodum prolixam texere disputationem.*

Romanæ Ecclesiæ Cardinalem

198 *Recte sub initium Tractatus sui , quem anno* 1583 *Venetiis impressum habemus , observat Ciaconius, pro hac controversia non esse consulendos theologos aut philosophos, non astronomos aut geometras; sed historiographos, aut scriptores, qui historias Operibus suis inseruerunt. Vellem tamen, alteram addidisset observationem, nimirum abstinendum similiter esse a spuriis scriptis, quæ venerandis sanctorum Patrum nominibus supposita sunt; nec magni faciendos recentium scriptorum, qui historica crisi caruerunt, prolixos catalogos. Nam hac ratione omittendi erant S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Eusebius Cremonensis, S. Petronius Bononiensis, S. Augustinus ad Fratres in Eremo. Nuda enim hæc sunt nomina; neque Opuscula illa supposititia, quæ dictorum Patrum nomina mentiuntur, auctoritatem habere debent in præsenti controversia, quidquid verborum lenociniis , quæ nullo indigent responso, inculcare conetur Ciaconius. Documentis supposititiis, quæ modo recensui, Ciaconius addit scriptores quinque aut sex medii ævi , qui sæculo* 13 *aut serius floruerunt. At hisce de rebus sæculi* 4, *quo alii a Liberio, alii a Damaso* Hieronymum *volunt Cardinalem creatum , sine antiquorum auctoritate scribentibus , fidem adhibere non erit prudentis critici, præsertim cum obstent rationes graves mox recensendæ. Minus etiam rem tantam nobis persuadere possunt scriptores sæculi* 15 *et* 16, *quos subjungit.*

199 *Post scriptores, ex quibus nullus omnino notabili pro re tam antiqua valet auctoritate , ad conjecturas procedit Ciaconius. Observat autem, ordinatum fuisse a Paulino Antiocheno , quæ vera est observatio. At, cum Ado dicat Romanæ Ecclesiæ fuisse presbyterum , conjicit postmodum promotum ad Cardinalatum. Verum Romanæ Ecclesiæ presbyterum fuisse* Hieronymum *negamus neque enim erat Paulini Antiocheni Romanos ordinare presbyteros. Quare inter scriptores sibi faventes Adonem adducere poterat Ciaconius: nam Cardinalem non negaremus* Hieronymum, *si Romanum crederemus presbyterum. At ea fuit conjectura Adonis, aut alterius, qui non consideravit argumenta opposita, ex ordinatione Paulini maxime petenda. Alteram conjecturam sumit Ciaconius ex illis* Hieronymi *verbis in cap.* 3 *Isaiæ :* Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum , cœtum presbyterorum. *At quilibet Christianus ita loqui potest : neque enim* Hieronymus *ait, se ex illo senatu esse. Deinde per* cœtum presbyterorum *non solos intelligit presbyteros Romanos , sed presbyterorum cœtum cuilibet episcopo ut senatum attribuit.*

200 *Majorem de* Hieronymi *Cardinalatu suspicionem injicere possunt verba ipsius in Epistola* 123 *(alias* 11) *ad Ageruchiam , ubi dicit :* Ante annos plurimos, quum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum , Romanæ urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem *etc. Etenim allegata verba, omnino evincunt,* S. Hieronymum *a secretis fuisse S. Damaso Papæ ; ex illo autem ministerio credibile fieret, Romanis etiam presbyteris sive Cardinalibus fuisse annumeratum ; nisi obstaret ordinatio jam ante suscepta Antiochiæ. Juvit Damasum* Hieronymus *presbyter , ut videbimus inferius , in magnis Ecclesiæ negotiis. Amabat* Hieronymum *Damasus, ejusque ingenium et eruditionem magni faciebat.* Summo sacerdotio, *id est, episcopatu tunc passim dignus habebatur* S. Hieronymus. *Hæc omnia manifestant, eo loca apud Damasum , et apud populum Romanum , vivente Damaso, fuisse sanctum, ut ad majores dignitates promoveri potuisset , si id ipse desiderasset. At sanctus nolebat alicui ecclesiæ alligari, sed vitam monasticam vivere, ideoque Paulino, dum consecratus*

auctores

argumentis

aliquot

AUCTORE J. S.

consecratus est, dixerat: Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo *etc. Hæc igitur fuerit ratio, cur Hieronymi quidem opera usus sit Damasus, nec tamen eum ad episcopatum promoverit, aut Romanæ Ecclesiæ alligaverit.*

scribus

201 *Objicit quarto Ciaconius verba S. Augustini ex Epistola* 116 (*alias* 97) *ad* Hieronymum, *ubi dicit Augustinus:* Quamquam enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. *Tum laudat scriptores aliquot, qui existimant, Augustinum fateri, se minorem dignitate, quia* Hieronymus *erat presbyter Cardinalis; iisque suffragium suum adjungit. Verum longissime aberrant a mente Augustini, imo et* Hieronymi. *Nam Augustinus allegata proferens, respexit ad verba illa* Hieronymi *ex Epistola* 105 (*alias* 92) *ad Augustinum:* Vale, mi amice carissime, ætate fili, dignitate parens. *Hisce certe verbis, ut ætate minorem, sic* dignitate *majorem Augustinum asserit* Hieronymus. *Majorem se dignitate, quod* episcopatus presbyterio major sit, *negare non potuit humillimus Augustinus, tamen* in multis rebus *se minorem* Hieronymo *affirmat, uti vere minorem ætate, eloquentia, linguarum peritia, sacræ Scripturæ notitia, omnique eruditione tam sacra quam profana eo tempore, quo scribebat fere quinquagenarius, dicere se poterat, aut saltem existimare. Itaque ex allegato loco nihil habetur pro Cardinalatu* Hieronymi.

B

creare voluerunt.

202 *Nihilo rectius Ciaconius affert verba* Hieronymi *ex Epistola* 45 (*alias* 99) *ad Asellam, ubi dicit:* Antequam domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant. Omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. *Neque enim summum sacerdotium necesse est intelligere Romanum Pontificatum, ut auctor ille credidit, magis attendens ad hodiernum loquendi usum, quam ad sensum verborum* Hieronymi. *Gratis igitur dicit, voluisse Romanos, ut post mortem Damasi Pontifex eligeretur* Hieronymus. *Si tamen illud fuisset Romanorum desiderium, ex eo rursum non recte colligeretur, Cardinalem Romanum fuisse* Hieronymum. *Neque enim ulla lex vetabat, alterius ecclesiæ presbyterum aut diaconum ad summum Pontificatum provehere.*

C

Tabulas pictas etiam objicit Ciaconius, quod in iis S. Hieronymus *exhibeatur ornamentis Cardinalitiis indutus. At non miramur, pictores in opinionem illam, ubi nata fuit, statim consensisse, uti in alia aperte fabulosa passim consentiunt. Mitto modo argumenta omnia, quæ Ciaconius refutare conatur, et pauca solum allegabo contra opinionem illam medio ævo natam, et posterioribus sæculis avide adoptatam, sed a melioribus demum criticis post Baronium rejectam.*

Præterea ex gestis Romæ

203 *Si* S. Hieronymus *fuisset Cardinalis, habuisset Romæ ecclesiam aliquam curæ suæ commissam, sive titulum Cardinalitium. At nullum uspiam de ecclesia sua protulit verbum. In iis, quæ per triennium fere scripsit Romæ, nuspiam de ecclesia, in qua ministrare debuisset, mentionem facit. Si quis solum legere voluerit Epistolam* 45 *ad Asellam, quam Roma discedens scripsit sanctus, videbit, nihil fere* Hieronymum *Romæ fecisse, quod non carperent adversarii ipsius, sed nihil de ecclesia male administrata aut objecisse adversarios, aut refutasse* Hieronymum. *Omnia fere, quæ Romæ egit et passus est, in illa Epistola attingit. Ait, frequenter se cum virginibus egisse,* divinos libros *disseruisse* nonnullis, *S. Paulæ domum frequentasse, eaque occasione multis appetitum fuisse calumniis. At nihil de Scripturis in ecclesia expositis, nihil de Sacramentis administratis, nihil de populo instituto, nihil de ecclesia sibi per Damasum commissa, nihil de ea relicta. Idem silentium de omnibus istis regnat in Epistolis, quas ad* Hieronymum *Romæ degentem scripsit Damasus, idem rursum in Rufini Invectivis, et in omnibus prorsus scriptis antiquis. At, si discedens Roma* Hieronymus, *numquam eo reversurus, ecclesiam sibi commissam reliquisset, materiam accusandi certe invenisset Rufinus.*

D

etiam Palæstinæ probatur.

204 *Expendamus modo argumentum, quo usus est Baronius ad annum* 378. *Contendebat Joannes Hierosolymitanus,* Hieronymum, *Vincentium, Paulinianum* Hieronymi *fratrem, presbyteros omnes, sibi ut episcopo subjectos esse debere. Respondet* Hieronymus *in libro contra Joannem num.* 41, *deseruisse se* Antiochiam, *Vincentium* Constantinopolim, *ut ducerent vitam monasticam, Paulinianum vero in Cypro degere, et subesse episcopo, a quo ordinatus erat, S. Epiphanio. Hoc autem idem est, acsi dixisset, episcopus meus est Antiochenus, Vincentii Constantinopolitanus, Pauliniani Salaminensis in Cypro. At si Cardinalis aut presbyter Romanus fuisset* Hieronymus, *debuisset Romam a se desertam dicere, non Antiochiam, eoque titulo probare, subjectum se non esse Hierosolymitanæ ecclesiæ. Altera* Hieronymi *responsio est, quod voluerit manere monachus, et nulli ecclesiæ ut presbyter alligari.* Fac a te ordinatum (*Paulinianum*) *inquit Joanni Hierosolymitano;* idem ab illo audies, quod a me misello homine sanctæ memoriæ episcopus Paulinus audivit: Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui, (*vitam videlicet monasticam*) *ego habeo, quod semper habui* (*id est, vel sic manebo monachus*) nullum dispendium in ordinatione passus es.

E

presbyterum non fuisse Romanæ Ecclesiæ.

205 *Noluit igitur* S. Hieronymus, *libertatis suæ acerrimus vindex, ordinatione sua avelli a vita monastica, aut ministeriis ecclesiæ Antiochenæ addici. Qua igitur ratione credemus, addictum postea fuisse ministeriis Ecclesiæ Romanæ, præsertim cum nullum habeamus testem idoneum, sed verba factaque sancti contrarium prorsus insinuent? Adeo ab officio sacerdotali obeundo alienus fuit* Hieronymus, *ut ne monachis quidem, quibus præerat, sacra ministeria obire sustinuerit, teste S. Epiphanio in Epistola inter Hieronymianas* 51 (*alias* 60), *ubi rationem ordinati Pauliniani reddit his verbis:* Cum enim vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, et sancti presbyteri Hieronymus et Vincentius propter verecundiam et humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, et laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est *etc. Hisce observatis, Baronius ita argumentatur:* Cum omnino se liberum fateatur, nec umquam tituli vinculo voluisse astringi testetur; vide, quo modo subsistat, ut fuerit ipse creatus a Damaso presbyter Cardinalis. Da igitur presbyterum Cardinalem sine titulo, et acquiescent, qui de his dubitant, dicentibus Hieronymum ordinatum a Damaso presbyterum Cardinalem: sunt enim correlativa et ad aliquid significantia antiquo more presbyter Cardinalis et titulus, ut alterum sine altero esse non

F

non valeat. *Hacteaus Baranias. Verum ab hoc diverticulo in viam redeamus.*

Dialogum contra Luciferianos scribit.

206 *Opusculum contra Luciferianos in commoratione illa Antiochena ab* Hieronymo *scriptum, existimat Tillemontius art.* 18 *et Nota* 14, *eaque opinio probabilior mihi videtur, quam Baronii, qui dictum Opusculum ad annum* 382 *Romæ compositum credidit. Certe* Hieronymus *ipse lib. de Viris illustribus cap.* 135 *recensens scripta sua,* Altercationem Luciferiani et Orthodoxi *ponit statim post ea, quæ in eremo composita jam vidimus, et ante Chronicon, quod Constantinopoli scripsit, antequam venit Romam. Cum autem passim scripta sua ea recenseat ordine, quo exarata sunt nullaque hic sit ratio ab eo recedendi, chronotaxis illa omnino videtur amplectenda. Nam et occasio scribendi, quam statim exponam, etiam persuadet, Opusculum istud potius Antiochiæ, quam in ulla alia urbe scriptum fuisse. Præterea num.* 20 *ait de concilio Nicæno :* Supersunt adhuc homines, qui illi synodo interfuerunt. *Habitum autem est concilium Nicænum anno* 325, *ut hac quoque ratione circa annum* 379, *quo Antiochiæ* Hieronymum *fuisse credimus, potius credatur scripta lucubratio, quam aliquot annis serius. Lubet modo investigare, qua occasione* S. Hieronymus *Dialogum istum conscripsisse videatur.*

sive altercationem, cujus occasio exponitur :

207 *Diuturna dissensio inter Meletium et Paulinum, qua Antiochena ecclesia erat divisa, fuit amica compositione anno* 379, *ut creditur, sublata, statutumque, ut singuli suum usque ad mortem regerent gregem ; post mortem vero alterutrius, qui superstes esset, toti ecclesiæ Antiochenæ præesset solus. De hac pacificatione Catholicorum Antiochenorum videri possunt dicta ad* 12 *Februarii in S. Meletio* § 8, *ubi etiam observatum est, Luciferianos, qui erant cum Paulino, ob receptam Meletii communionem fuisse offensos. De eadem inter Meletium et Paulinum compositione egi ad* 23 *Septembris in S. Liberio* § 13, *ibique probare conatus sum, eo tempore opinionem Luciferi Calaritani, qui noluerat episcopos Arianorum hæresi aut communione aliquando infectos in gradibus suis ab Ecclesia recipi, et diu defunctus erat, in schisma degenerasse, pacem pertinaciter rumpentibus Luciferianis. Hoc sane initium schismati Luciferianorum attribuunt Socrates et Sozomenus, quando dicunt. Luciferianos ob receptum Meletium recessisse a ceteris, id est, schismate divisos esse non modo a Meletianis, sed etiam a reliquo Paulini grege, sive ab omnibus Catholicis. Ea igitur de causa fuerit nata altercatio, quam enarrat et exponit* Hieronymus.

ex qua colligitur, schisma tunc recenter ortum.

208 *Ipsum Operis initium favet datæ conjecturæ. Sanctus enim sic orditur :* Proxime accidit, ut quidam Luciferi sectator cum alio ecclesiæ alumno odiosa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit. Asserebat quippe, universum mundum esse diaboli, et, ut jam familiare est eis dicere, factum de ecclesia lupanar. At ille e contrario, rationabiliter quidem, sed importuno et loco et tempore, defendebat non sine causa Christum mortuum fuisse, nec ob Sardorum tantum mastrucam Dei Filium descendisse. Quid plura? Dum audientiam et circulum lumina jam in plateis accensa solverent, et inconditam jam disputationem nox interrumperet, consputa pene invicem facie, recesserunt. Hoc tamen his, qui adfuerunt, statuentibus, ut in secretam porticum primo mane conveniretur. Quo quum juxta placitum omnes convenissent, visum est utrinsque sermonem a notariis excipi. *Ad hæc observo, dicta illa schismatica aut hæretica,* universum mundum esse diaboli, *et* factum de ecclesia lupanar, *quæ proferebantur ob receptos in dignitatibus suis episcopus lapsos, tamquam nova referri ab* Hieronymo, *sicuti insinuat illis verbis*, ut jam familiare est eis dicere. *At eam fuisse ipsius Luciferi sententiam, nullibi dicit aut insinuat Sanctus.*

et Luciferum non pro schismatico habitum ab Hieronymo;

209 *Præterea in tali Opusculo Luciferiunos nullibi vocat* schismaticos, *fortasse quod necdum damnati essent ab Ecclesia ; sed num.* 19 *dicit* nimium religiosos, *et num.* 20 *illorum opinionem impugnat exemplo concilii Nicæni, in quo aliquot episcopi Ariani post subscriptam fidei definitionem fuerunt recepti, ita loquens :* Miror qunsdam, et certe Nicænæ fidei sectatores, tantæ duritiæ existere, ut tres confessores de exilio revertentes non putent id ob totius orbis salutem necessitate facere debuisse, quod tot et tales viri (*in concilio Nicæno*) voluntate fecerunt. *De Lucifero diu defuncto etiam modeste loquitur et honorifice, improbans tamen, quod relicta aliarum ecclesiarum cura, ad suam recessisset ; et de sententia ipsius subjungens sequentia :* Unum est, quod etiam in præsenti constanter loquar, verbis eum a nobis dissentire, non rebus ; siquidem recipiat, qui ab Arianis baptisma consequuti sunt. *Hoc autem argumento per totum Opusculum utitur contra Luciferianos* Hieronymus, *non posse eos improbare receptionem episcoporum de lapsu pœnitentium, cum pœnitentes admitterent eos, qui ab Arianis erant baptizati. Hoc sensu num.* 14 *Orthodoxi nomine dicit Luciferiano :* Consentimus in fide, consentimus in hæreticis recipiendis, consentiamus etiam in conventu.

Hilarium vero diaconum ab Ecclesia recessisse,

210 *In eodem tamen Opusculo* S. Hiernnymus *refutat errorem Hilarii diaconi, qui exsilium etiam pro fide sustinuerat, sed in eum lapsus erat errorem, ut baptizatos ab Arianis sine novo baptismate recipere nollet. Hunc autem errorem Hilariumque ipsum multo vehementius improbat* Hieronymus, *ita scribens num.* 21 : Hilarius quum diaconus de ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens : neque baptisma sine eucharistia tradere. Et quum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. *Vides, opinar, lector, de Hilario dici, eum recessisse* de Ecclesia, *adhærentesque ei* sectam *vocari. Ut vero hic dicitur*, solusque, ut putat, turba sit mundi, *sic eodem sensu num.* 23 *vocatur* Deucalion orbis. *Cum autem S. Cyprianus in simili fuisset errore, ut observat* S. Hieronymus *num.* 23, *contra sectatores Hilarii num.* 25 *ita scribit :* Verum si voluerint hi, qui ab Hilario instituti sunt, et oves sine pastore esse cœperunt, de Scripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in Epistolis suis reliquit, sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant, edidisse. Siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant etc. *At non eadem videtur fuisse mens Hilarii diaconi ejusque sectatorum, qui de Ecclesia recesserunt. Luciferiani similiter, quando contra eos scribebat* S. Hieronymus, *recedere ab ecclesia cœperunt, in schisma delapsi, licet Lucifer ipse non eo usque videatur processisse.*

cujus occasione Sanctus præclara dat monita.

211 *Quapropter præclara iis monita, omnibus hæreticis et schismaticis, qui docili animo veritatem amplecti voluerint, multum profutura, num.* 27 *adjungit, ita scribens :* Brevem tibi apertamque

AUCTORE J. S.

que animi mei sententiam proferam, in illa esse ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari: ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses sive Campitas: scito non ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturam capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, quum et diabolus de Scripturis aliqua sit lucutus, et Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioqui si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus, in ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint, et duas tunicas habeant. *Hactenus* S. Hieronymus, *a quo tunc alia Antiochiæ scripta non novimus.*

§ XII. Sanctus Constantinopolim profectus, ibi audit S. Gregorium Nazianzenum: nonnulla ibi scripta Opuscula.

Constantinopolim profectus, Nazianzenum

A*nno* 379 *aut* 380 *Constantinopolim profectus est* S. Hieronymus, *ea maxime de causa, ut audiret S. Gregorium Nazianzenum, qui eo missus erat ad fidem Catholicam in illa ecclesia, per Arianos infecta, restituendam. De S. Gregorio Nazianzeno olim in sacris Scripturis magistro meminit* S. Hieronymus *in Epistola* 50 (*alias* 51) *ad Domnionem, ubi carpens imperitum declamatorem, recenset varios in variis disciplinis magistros suos, ironiceque de Nazianzeno et aliis sic loquitur*: Et, ut humana contemnam, sine caussa Gregorium Nazianzenum et Didymum in Scripturis sanctis catechistas habui: nihil mihi profuit Hebræorum eruditio, et ab adolescentia usque ad hanc ætatem quotidiana in Lege, Prophetis, Euangeliis Apostolisque meditatio. *Nazianzenum etiam lib.* 1 *contra Jovinianum laudat his verbis*: Et præceptor meus Gregorius Nazianzenus *etc. De eodem iterum loquitur lib.* 1 *contra Rufinum num.* 13 *ita scribens*: Numquid in illa Epistola Gregorium virum eloquentissimum non potui nominare? Quis apud Latinos par sui est? Quo ego magistro glorior et exulto. *Erat annorum quadraginta octo aut novem, quando Nazianzenum audire cœpit, sed multo etiam senior, quando eadem de causa profectus est ad Didymum, ut suo loco videbimus. Tantus erat Viri ardor perficiendi se in scientia sacrarum Scripturarum.*

et publice docentem et privatim audit,

213 *Audivit autem Nazianzenum et publice in ecclesia docentem, et in privatis congressibus sua eidem dubia proposuit. Liquet hoc ex iis, quæ refert in Epistola* 52 (*alias* 2) *ad Nepotianum, ubi sic habet*: Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus a me, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbathum δευτερόπρωτον, id est, secundo primum, eleganter lusit, Docebo te, inquiens, super hac re in ecclesia, in qua, mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire, quod nescis. Aut certe, si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. *Ita verisimiliter Nazianzenus respondebat, facete irridens levitatem populi, ut difficilem quæstionem prius examinaret. At ea responsio simul ostendit, tam privatim quam publice Nazianzenum ab* Hieronymo *auditum. In Epistolam ad Ephesios cap.* 5, ℣ 32 *rursum Sanctus insinuat, privatim se cum S. Gregorio de Scripturis egisse. Ait enim*: Gregorius Nazianzenus, vir valde eloquens, et in Scripturis apprime eruditus, quum de hoc mecum tractabat loco, solebat dicere *etc. Hinc lib. de Viris illustribus cap.* 117 *dicit*: Gregorius, primum Sasimorum, deinde Nazianzenus episcopus, vir eloquentissimus, præceptor meus, quo Scripturas explanante didici *etc. Quanti* Hieronymum *faceret Nazianzenus, uti et S. Gregorius Nyssenus, colligitur ex Nysseni elogio ibidem cap.* 128. Gregorius Nyssenus episcopus, *inquit*, frater Basilii Cæsariensis, ante paucos annos mihi et Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legi libros. *Factum id fuerit anno* 381, *quando Constantinopoli in concilio fuit Nyssenus.*

ibique biennio aut fere triennio mansit.

214 *Cœpit etiam Constantinopoli* S. Hieronymus *nonnulla scribere Opuscula ut ingenium suum exerceret ad majora, quemadmodum colligitur ex Commentariis in Isaiam lib.* 3, *ubi sic habet*: De hac visione ante annos circiter triginta, quum essem Constantinopoli, et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis episcopum, sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque tractatum, ut et experimentum caperem ingenioli mei, et amicis jubentibus obedirem. *De hoc Opusculo, quod forte primum non est, agam inferius. Interim observo ex hoc loco manifestum fieri, Nazianzenum Constantinopoli ab* Hieronymo *auditum. Fuit autem Nazianzenus Constantinopoli* triennio, *ut ipse dicit in Oratione de Episcopis tom. II, pag.* 302, *nimirum ab anno* 378 *exeunte aut ineunte* 379 *usque ad annum* 381 *longe etiam provectum.* Hieronymus *vero Constantinopolim venerit anno* 379 *aut* 380, *et sic saltem uno anno et aliquot mensibus Constantinopoli apud Nazianzenum substiterit* Hieronymus, *imo et duobus fere annis cum eodem fuerit, si venerit ante hiemem anni* 379. *Potuit etiam post ejus recessum manere anno fere toto, ut saltem biennio et forsan fere triennio fuerit Constantinopoli.*

Eusebii Chronicon ibi vertit et continuat.

215 *Primam lucubrationem* Hieronymi *ex iis, quas composuit Constantinopoli, existimamus fuisse Chronicon, partim ex Græco Eusebii redditum Latinum, partim auctum et usque ad annum* 378 *continuatum. De eo dum loquitur* S. Hieronymus, *passim versum a se Eusebii Chronicon dicit. In Danielis caput nonum ait*: Quem locum in Chronico ejusdem Eusebii, quem ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector plenius edissertum poterit invenire. *In præfatione ad librum de Situ et nominibus locorum Hebraicorum vocat Eusebii* Temporum canones, quos, *inquit*, nos Latina lingua edidimus. *In Catalogo scriptorum suarum, quem dat lib. de Viris illustribus cap.* 135 *post librum contra Luciferianos, de quo ante egimus, Chronicon recenset his verbis*: Chronicon omnimodæ historiæ. *At in Epistola* 57 (*alias* 101) *solum de versione rursum loquitur, dicens*: Quum Eusebii Cæsariensis Chronicon in Latinum verterem *etc. De versione sua jam meminit in Epistola* 18 (*alias* 142) *sive in Opusculo de Visione Isaiæ, quod scriptum est Constantinopoli, ut liquet ex verbis superius num.* 214 *datis, dum tempus visionis assignat, et hæc subjungit*: Sicut manifestum esse poterit his,

his, qui voluerint legere Temporum librum, quem nos in latinam linguam ex Græco sermone transtulimus. *Ex his nihil habemus de tempore, quo cœpit Chronicon Eusebii certere.*

anno 380 aut 381 absolutum.

216 *At ex ultimo loco certum fit, saltem serius scriptum non esse latinum S. Hieronymi Chronicon. Ordo vero, quo recensetur inter Opera Hieronymi, insinuat, medium fuisse inter librum contra Luciferianos Antiochiæ editum, et versionem Homiliarum Origenis mox memorandum. Præterea, cum circa finem Chronici referatur mors Valentis imperatoris anno 378 cæsi, et sub finem Præfationis mentio fiat de imperio Theodosii, promoti sub initium anni sequentis; non potest saltem absolutum esse Chronicon ante annum 379. Si vero consideremus ultima præfationis verba, quibus indicat, quare nihil scripserit de tempore Gratiani et Theodosii, non credemus, Chronicon absolutum ante annum 380 aut 381.* Quo fine contentus, *inquit*, reliquum tempus Gratiani et Theodosii latioris Historiæ stilo reservavi : non quo de viventibus timuerim libere et vere scribere : timor enim Dei hominum timorem expellit, sed quoniam, debacchantibus adhuc in terra nostra barbaris, incerta sunt omnia. *Ita loqui poterat anno 380 aut initio sequentis, postquam variis contra barbaros præliis imperium suum illustrare cœperat Theodosius. At non videtur sic locuturus fuisse, simul atque anno 379 intellexerat, imperium Theodosio delatum. Quapropter existimo, Chronicon Eusebii sic anno 380 ab Hieronymo latine redditum, suppletumque et continuatum, ut fortasse ab anno 376 in eremo fuerit inchoatum, finitum vero verisimiliter anno 381. De tempore, quo inchoatum videtur, consule dicenda § 32*

qua de causa illum laborem susceperit,

217 *Præter Operis utilitatem, quam Latinis communem facere voluit Sanctus, ad eum laborem suscipiendum excitatus verisimiliter fuit Hieronymus, ut more veterum in vertendis Græcis stylum exerceret, et majorem antiquarum historiarum notitiam acquireret. Præfationem ad Vincentium, postea in Palæstina socium, ut passim conjiciunt eruditi, et Gallienum aliunde ignotum, orditur hoc modo :* Vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii caussa Græcos libros latino sermone absolverent. *Hoc item se facturum insinuans, difficultatem interpretationis exponit, subditque :* Itaque, mi Vincenti carissime, et tu Galliene, pars animæ meæ, obsecro, ut quidquid hoc tumultuarii Operis est, amicorum, non judicum, animo relegatis ; præsertim cum et notario, ut scitis, velocissime dictaverim, et difficultatem rei etiam divinorum voluminum instrumenta testentur, quæ a septuaginta interpretibus edita, non eumdem saporem in Græco sermone custodiunt. *His verbis, et magis etiam sequentibus pluribus insinuat, se jam eo tempore Hebraicas Scripturas legisse. Deinde docet, quibus litterarum distinctionibus lectorum commodo et utilitati consuluerit, ut ibidem legi poterit.*

et quo modo partim transtulerit, partim auxerit.

218 *Demum declarat, se aliqua nova Eusebianis inseruisse, quod monet, ut lectores et Græcorum fidem,* inquit, *suo auctori* (*Eusebio*) adsignent, et quæ nova inseruimus, de aliis probatissimis viris libata cognoscant. Sciendum etenim est, me et interpretis et scriptoris ex parte officio usum, quia et Græca fidelissime expressi, et nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maxime historia, quam Eusebius hujus conditor libri, non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam, ut græce scribens, parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur. Itaque a Nino et *Abraam usque ad Troiæ captivitatem pura Græca translatio est. A Troia usque vicesimum Constantini annum nunc addita nunc mixta sunt plurima, quæ de Tranquillo et cæteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus. A Constantini autem supradicto anno usque ad consulatum augustorum Valentis 6 et Valentiniani iterum, totum meum est. *Hactenus de suo Opere* Hieronymus. *Illud non raro Sanctus ipse, ut jam vidimus, Augustinusque et alii antiqui laudarunt. Notissimum quoque est temporibus nostris, frequenterque impressum et recusum.*

Chronicon illud in mss. fuit interpolatum

219 *At iniqua transcribentium libertate multas passum est interpolationes et corruptiones, eaque de causa tantam nequit hoc tempore habere auctoritatem, quantam mereretur, si purum exstaret; quale conscriptum est ab* Hieronymo. *Historiam vero, quam de temporibus Gratiani et Theodosii promittere videtur Sanctus, numquam scripsit, quantum novimus, quod explanationibus sacræ Scripturæ, refutatione hæreticorum, aliisque id genus piis Operibus fuerit semper occupatissimus. Cæterum alia non pauca de Chronico Eusebii et* Hieronymi *possunt examinari ; sed ea me justo longius a gestis S.* Hieronymi *abducerent. Quapropter curiosos lectores remitto ad tomum octavum editionis Veronensis, qui Chronicon complectitur cum prolixa eruditi editoris præfatione et amplissimis Annotatis. Perspicient etiam, posterioribus sæculis contigisse, quod prævidit et in præfatione prædixit* Hieronymus, *ita scribens :* Nec ignoro, multos fore, qui solita libidine detrahendi omnibus, quod vitare non potest, nisi qui omnino nihil scribit, huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas eventilabunt. Et, quod accidere plerumque solet, negligentiam librariorum ad auctores referent. *Inter obtrectatores vero Hieronymiani Chronici non infimum locum habet Scaliger, sed hunc quoque frequentissime refutat editor Veronensis.*

Transfert Homilias Origenis 14 in Jeremiam

220 *In sæpe laudato Operum suorum catalogo post Chronicon* S. Hieronymus *recenset,* In Hieremiam et Ezechiel Homilias Origenis viginti octo, quas, *inquit*, de græco et latinum verti. *Ex hisce quatuordecim in Jeremiam sunt, totidem in Ezechielem. Omnes, inter Opera Origenis antea solum impressas, collectioni Operum S. Hieronymi inseruit diligens editor Veronensis tom. V a col. 741, ubi* ad Vincentium presbyterum *ita præfatur* Hieronymus *noster :* Magnum est quidem, amice, quod postulas, ut Originem faciam latinum, et hominem, juxta Didymi videntis sententiam, alterum post Apostolum * ecclesiarum magistrum etiam Romanis auribus donem. Sed oculorum, ut ipse nosti, dolore cruciatus, quem nimia impatiens lectione contraxi, et notariorum penuria, quia tenuitas hoc quoque subsidium abstulit; quod recte cupis, tam ardenter, ut cupis, implere non valeo. Itaque post quatuordecim Homilias in Jeremiam, quas jam pridem confuso ordine interpretatus sum, et has quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi, id magnopere curans, ut idioma supradicti viri a simplicitate sermonis, quæ sola ecclesiis prodest, etiam translatio conservaret, omni rhetoricæ artis splendore contempto. Res quippe volumus, non verba laudare. *Et max, post quædam de Operibus Origenis, ait :* Scio, te cupere, ut omne genus

* al. Apostolos

AUCTORE I. S. genus transferam dictionis : præmisi causam, cur facere non possim. Hoc tamen spondeo, quia si, orante te, Jesus reddiderit sanitatem, non dicam cuncta, quia hoc dixisse temerarium est, sed permulta sum translaturus ea lege, qua tibi sæpe constitui, ut ego vocem præbeam, tu notarium. *Ita Sanctus.*

et totidem in Ezechielem. 221 *Translatos autem esse has Homilias Constantinopoli, colligitur ex ordine jam dicto, quo illas inter Opera sua recensuit Sanctus, nimirum inter Chronicon et Opusculum de Visione Isaiæ mox memorandum, ideoque circa annum* 381. *Favet huic ordini etiam Vincentius, cui et Chronicon et has Homilias inscripsit. Oculorum dolor, quo laborabat, verisimiliter erat contractus in supplendo et continuando Eusebii Chronico. Ait enim, nimia lectione contractum. Multa autem variorum librorum lectio necessaria erat supplenti Chronicon, et magis etiam continuanti. Non tamen eodem prorsus tempore Homilias in Jeremiam et in Ezechielem transtulit, cum dicat priores jam* pridem *translatas. Conjicere igitur possumus, priores aut ante Chronicon, aut ante Chronici continuationem latine redditas, et reliquas post absolutum Chro-* B *nicon, eoque tempore omnes simul editas. Quod autem suspicatur Tillemontius art.* 14, *posteriores quatuordecim in Ezechielem non esse translatas, nisi post annum* 386, *sive post visum Alexandriæ Didymum, quia de eo in Præfatione meminit, nequaquam est probabile, ut jam observavit Veronensis editor Villarsius. Cum enim magna doctrinæ fama floreret Didymus, varioque edidisset Opuscula, necesse non erat* Hieronymo eum videre, *antequam de eodem loqueretur. Ceterum quæ ob illam versionem, laudemque Origeni datam, contra* Hieronymum *objecit Rufinus, examinabuntur cum aliis eo loco, ubi adoptatas ab aliquot neotericis Rufini calumnias refutabimus.*

Scribit Opusculum de Seraphim. 222 *Post dictas Homilias* S. Hieronymus *ponit tractatum* de Seraphim. *Insinuatur autem Opusculum de Visione Isaiæ, quod se Constantinopoli scripsisse dicit verbis num.* 214 *datis. Rationes scribendi has ibi allegat* : Ut et experimentum caperem ingenioli mei, et amicis jubentibus obedirem. *Quinam fuerint illi amici, non edicit. At verisimiliter degebant Constantinopoli. Interim Opusculum illud editum est inter Epistolas, olim quidem distractum fuit in duas ad Damasum Epi-* C *stolas, quæ erant* 142 *et* 143 *inter Hieronymianas. Martianæus in sua editione Opusculum conjunxit, edidītque tom. III post Commentarios in Isaiam, relicto tamen titulo Epistolæ* ad Damasum. *Villarsius in sua editione Veronensi conjunctum similiter tractatum edidit tom. I ut Epistolam* 18 ad Damasum. *Verum in annotatis insinuat ex Sixto Senensi, non videri Epistolam ad Damasum : testaturque, in codice Vaticano* 215, *qui olim fuit reginæ, hunc præfixum esse titulum :* Incipit brevis subitusque tractatus B. Hieronymi de Seraphim, quæ in visione Esaiæ leguntur, quem in Constantinopoli adhuc discipulus eloquentissimi viri Gregorii Nazianzeni experimento sui sensus et amicorum rogatu edidit, cui titulum imposuit DE SERAPHIM. *In toto Tractatu nihil est, quod habeat Epistolæ speciem; nihil, quod innuat, Damaso Opusculum fuisse inscriptum. Malim igitur existimare scriptum fuisse in gratiam Vincentii presbyteri aliorumque amicorum.*

figendum anno 380 aut 381, 223 Hieronymus *ipse* librum *vocat, non epistolam, quando in Epistola* 84 *(alias* 65*) anno* 399 *ad Pammachium et Oceanum data, observat, se in eo correxisse pravam Origenis interpreta-* D *tionem, ita scribens :* In lectione Isaiæ, in qua duo seraphim clamantia describuntur, illo (*Origine*) interpretante Filium et Spiritum sanctum, nonne ego detestandam expositionem in duo testamenta mutavi? Habetur liber in manibus, ante viginti annos editus. *Quapropter conjicere licet, Opusculum illud postea ab* Hieronymo, *dum Romæ erat, Damaso communicatum esse, indeque ortam inscriptionem* ad Damasum. *Nam ex epistola Damasi ad* Hieronymum, *nunc inter Hieronymianas* 35 (*olim* 124) *abunde liquet, Damasum etiam legisse scripta* Hieronymi *in eremo elucubrata.* Itaque, *inquit Damasus,* quoniam... tabellario ad me remisso, nullas jam te habere epistolas dixisti, exceptis his, quas aliquando in eremo dictaveras, quasque tota aviditate legi atque descripsi etc. *Ceterum Opusculum illud anno* 380 *aut* 381 *scriptum fuisse credimus, licet sic pleni non essent viginti anni usque ad Epistolam* 84, *anno* 399 *datam. Cum enim rotundo numero utatur Sanctus, tempus tam stricte computasse non videtur, ut necesse sit annos viginti plenos aut fere plenos dicere. Fateor tamen, ab anno* 379 *dictari potuisse.* E

in quo et perversam Origenis interpretationem corrigit, 224 *Quod autem supra dicit de emendata Origenis interpretatione, in Opere ipso sic legitur :* Quidam ante me, tam græci quam latini, hunc locum exponentes, Dominum super thronum sedentem, Deum patrem, et duo seraphim, quæ ex utraque parte stantia prædicantur, Dominum nostrum Jesum Christum et spiritum sanctum interpretati sunt. Quorum ego auctoritati, quamvis sint eruditissimi, non assentior. Multo siquidem melius est, vera rustice, quam falsa diserte proferre etc. *Non propria manu scripsisse Sanctum, sed interpolatis vicibus dictasse, et oculis etiam tum laborasse, ostendunt sequentia num.* 16 *verba :* Huc usque dictasse sufficiat; quia et oratio, quæ non propriæ manus stilo expolitur, quum per se inculta est, tum multo molestior fit, si tædium sui prolixitate congeminet, ut oculorum dolore cruciati, auribus tantum studeamus et lingua. *Hæc verba forsan occasionem præbuerunt Opusculum in duo dividendi ; sed ea non fuit mens* S. Hieronymi, *qui solum diversis diebus Opusculum dictavit, ut dictanda melius meditari posset.*

et multum humilitatis ostendit. 225 *Multum humilitatis Christianæ in eodem Opusculo exhibet Sanctus. Nam num.* 3 *ita lo-* F *quitur :* Qui peccator est, et mei similis, videt Dominum sedentem in valle Josaphat; non in colle, non in monte; sed in valle et in valle judicii. Qui vero justus, et Isaiæ similis est, videt illum sedentem super thronum excelsum et elevatum. *Rursum num.* 11 : Utinam autem et ego compungar, et post compunctionem Dei sermone dignus efficiar, quum sim homo, et non munda labia habeam, et in medio quoque populi immunda labia habentis habitem. *Plura subdit, jam recitata num.* 80. *Item num.* 6 *preces humiliter flagitat his verbis :* Quæ quum non minimum pulverem moveant, et prima statim fronte difficultatem interpretationi objiciant, in commune Dominum deprecemur, ut mihi quoque de altari carbo mittatur, ut, omni peccatorum sorde detersa, primum possim Dei sacramenta conspicere, dehinc enarrare, quæ video. *Hactenus de scriptis Constantinopoli. Baronius ad annum* 372, *num.* 61 *Homilias Origenis in eremo versas credit, quia Sanctus lib.* 2 *contra Rufinum num.* 23 *dicit, se eas transtulisse* in adolescentia. *Verum hoc modo loquendi designat adolescentiam suam in studiis*

A *studiis sacris, eamque variis locis longissime extendit.*

§ XIII. Sanctus venit Romam : a secretis est S. Damaso papæ : scribit nonnulla Opuscula in sacram Scripturam, rogante Damaso.

S. Hieronymus cum Paulino et Epiphanio Romam venit,

Postquam biennio aut forsan triennio Constantinopoli fuerat S. Hieronymus, *Romam venit anno* 382 *ad finem vergente. At ignoramus, utrum illa ipso anno* 382 *recta Constantinopoli Romam sit profectus, an vero ab anno* 381 *Constantinopoli discesserit, et Antiochiam sit reversus ad Paulinum episcopum, quocum deinde Romam venit. Baronius ad annum* 382 *num.* 2 *existimat,* Hieronymum *non esse reversum Antiochiam ;* sed Damasi (*Papæ*) monitum litteris, venturum Romam, iter per Græciam suscepisse, eoque B tempore Athenas adire voluisse. *Fuit certe Athenis* S. Hieronymus, *ut dictum est num.* 89, *sed incertum est, quo tempore eo fuerit profectus. Nam sicut juvenis lustravit Galliam, ita et Græciam, non magis a patria Pannonia dissitam, in juventute peragrare potuit. Malim igitur conjicere, aut reversum esse in Syriam, indeque cum Paulino et Epiphanio Romam anno* 382 *profectum, aut mansisse Constantinopoli, donec illi venirent, si forte eam pertransire voluerint Paulinus et Epiphanius, ut itinere terrestri Romam proficiscerentur. Quidquid sit,* Hieronymus *in epistola* 127 (*alias* 6) *insinuat, se cum laudatis episcopis Romam profectum, ita scribens :* Denique quum et me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino et Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas : quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminam Cypri rexit ecclesiam. *Hæc verba insinuant, saltem partem itineris cum laudatis episcopis instituisse Sanctum, et aut vocatum cum illis fuisse a Damaso, aut rogatum a Paulino, cujus maxime causa concilium erat Romæ congregandum.*

ubi ob scissuram Antiochenam,

227 *Nam* ecclesiastica necessitas, *de qua loquitur* Hieronymus, *maxime erat orta ex morte* C *S. Meletii, qui anno* 381 *circa Junium in concilio Constantinopolitano obiit. Poterat ea morte omnino cessare divisio ecclesiæ Antiochenæ, si administratio totius ecclesiæ relicta fuisset Paulino, qui supererat ; ut conventum fuisse inter Meletium et Paulinum, jam observavi num.* 207. *S. Gregorius Nazianzenus, nuper in cathedra Constantinopolitana confirmatus, vehementer institit, ut memoratum servaretur pactum, nullusque in locum Meletii substitueretur episcopus, relicta Paulino totius ecclesiæ cura. At Orientalium plerorumque, qui pro Meletio steterant, tanta erat contra Occidentales, cum Ægyptiis Paulino adhærentes, æmulatio, ut maluerint divisionem Antiochenam continuare et exasperare, electo in locum Meletii Flaviano. Ægerrime id tulit Nazianzenus, eaque de causa cogitare cœpit de dimittendo episcopatu, ut ipse insinuat in Carmine* 1 *de vita sua tom. II, pag.* 26 ; *aliisque etiam causis accedentibus, non diu post impetravit, ut sibi liceret episcopatum abdicare, et discedere, prout revera discessit.*

228 *Electio Flaviani non minus displicuit S. Damaso, S. Ambrosio, cunctisque Occidentalis episcopis, quia continuabat divisionem Antiochenam. Hac igitur de causa indictum est concilium generale sub Damaso Romæ celebrandum. Cumque* S. Hieronymus *multa de illis discere potuisset Antiochiæ et Constantinopoli, suaque eruditione et integritate inclaruisset, ejus in illo concilio opera uti voluit S. Damasus. Itaque hunc in finem cum Paulino et Epiphanio Romam venit anno* 382. *Venisse autem post mensem Augustum, aut certe post Augusti initium, colligitur ex ejus verbis : nam in discessu dixit,* se pene triennium *Romæ degisse. Discessit autem mense Augusto anno* 385. *Prædicto concilio opera* Hieronymi *præcipue usus videtur Damasus, et de illius concilii tempore locutus maxime videtur* Hieronymus *in epistola* 123 (*alias* 11) *ad Ageruchiam, ubi dicit :* Ante annos plurimos, quum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem *etc. Non pauca certe et ante concilium, et congregatis episcopis, et finitis episcoporum consultationibus, scribenda et expedienda fuerunt.* Hieronymum *autem in scriptis illis concinnandis operam suam adhibuisse, colligitur ex verbis Rufini infra dandis.*

Flaviani electione auctam, concilium erat indictum.

229 *De episcopis ad illud concilium convocatis loquitur* Hieronymus *in Epitaphio S. Paulæ, sive in epistola* 108 (*alias* 27) *ita de S. Paula scribens :* Quumque Orientis et Occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam imperiales litteræ contraxissent, vidit (*Paula*) admirabiles viros Christique pontifices, Paulinum Antiochenæ urbis episcopum, et Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur : quorum Epiphanium etiam hospitem habuit ; Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium humanitate possedit. *Dicuntur quidem hic convocati* Orientis et Occidentis *episcopi, ut majorem partem Orientalium non venisse, mox dicam. Interim de tempore concilii observo, celebratum videri sub finem anni* 382, *cum* Hieronymus *cum Paulino et Epiphanio non venerit certe ante Augustum, ut probatum est supra, et verisimiliter post Augustum; Paulinus vero et Epiphanius Roma non discesserint ante annum* 383, *ut colligitur ex sequentibus* Hieronymi *verbis, quibus ait;* eos discessisse, exacta hyeme, aperto mari. *Fuerunt in illo concilio S. Ambrosius multique episcopi Occidentales. Forte ad illud venerint aliqui Ægyptii, qui stabant pro Paulino : quorum adventus tamen nullo monumento antiquo potest probari.*

ad quod multi convenient episcopi Occidentales. E

230 *At major pars Orientalium, qui Flavianum Meletio substituerant Antiochiæ episcopum, rursum convenit Constantinopoli in æstate anni* 382, *ut narrat Theodoretus lib.* 5, *cap.* 8. *Cum autem ibi intellexissent, se vocari ad concilium Romanum, prolixam scripserunt epistolam, quam cap.* 9 *recitat Theodoretus, eamque transmiserunt Romam per tres episcopos,* Cyriacum, Eusebium et Priscianum. *Hac vero epistola modeste insinuant, se non venturos, multasque afferunt excusationes, fidem suam orthodoxam exponunt, electionem Nectarii pro ecclesia Constantinopolitana, Flaviani pro Antiochena, et S. Cyrilli confirmationem pro Hierosolymitana iis declarant verbis, ut satis appareat, eo fuisse animo Orientales, ut nollent Flaviani partes deserere. Hac verisimiliter de causa, ne schismate Oriens divideretur ab Occidente, nihil perfectum fuisse videtur in concilio Romano ad asserendam soli Paulino ecclesiam Antiochenam : continuata enim est divisio ad multos annos.* F

Orientales vero se per tres legatos excusant.

AUCTOR. I. S.

annos. *Si concilium Romanum Orientalibus ad laudatam epistolam responderit, id fecerit opera* S. Hieronymi. *Certe in eodem concilio conscripta fuit per* S. Hieronymum *fidei formula, quæ admittenda erat Apollinaristis, ut ab Ecclesia Catholica reciperentur.*

Quid S. Hieronymo cum Apollinaristis

231 *Hac occasione Rufinus in Apologia pro Origene, apud Martianæum tom. V Operum* Hieronymi *col.* 353, *narrat sequentia :* Damasus Episcopus, cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni, si Ecclesiæ jungi velint, subscribere deberent, conscribendam mandavit cuidam amico suo presbytero viro disertissimo : qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est Dictanti in ipsa editione de Incarnatione Domini, HOMINEM DOMINICUM dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ : novitatem sermonis incusare cœperunt. Adesse sibi cœpit, qui dictaverat, et ex auctoritate vera scriptorum Catholicorum virorum, confutare eos, qui impugnabant. Accidit, ut unus * ex ipsis, qui novitatem sermonis causabantur, ostenderet in libello Athanasii episcopi scriptum esse

* imi *legendum, opinor*

B sermonem, de quo quæstio habebatur. Quasi suasus jam ille, cui probatum fuerat, rogavit, sibi dari codicem, quo et aliis ignorantibus et contradicentibus satisfaceret. Accepto codice inauditum excogitavit adulterationis genus. Locum ipsum, in quo sermo iste erat scriptus, rasit : et ipsum sermonem rursum rescripsit, quem raserat. Codex redditus, simpliciter receptus est. Movetur iterum pro eodem sermone quæstio. Ad probationem codex profertur : invenitur sermo, de quo erat quæstio, ex litura in codice positus. Fides proferenti talem codicem denegatur, eo quod litura illa corruptionis ac falsitatis videretur indicium. Sed quoniam, ut iterum eadem dicam, Viventi hæc facta sunt a vivente, continuo egit omnia, ut fraus commissi sceleris nudaretur, et commissi macula non innocenti Viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret; se in auctorem facti atque in uberiorem ejus infamiam redundaret.

in illo concilio acciderit.

232 *Aperte profitetur* S. Hieronymus *lib.* 2 *contra Rufinum num.* 20, *hæc de se dicta fuisse a Rufino, neque facti veritatem negat, etiamsi improbet, quod talia allegasset Rufinus ad proban-*

C *dum libros Origenis ab hæreticis fuisse corruptos. Nam nec Operum Origenis corruptio ex illo facto poterat recte colligi; factumque ipsum, quoniam multis annis mansisset vulgo ignotum, fictitium plerisque videri poterat, quando post octodecim annos publice scribebatur a Rufino. Hinc* S. Hieronymus *vocat* apertas ineptias, *utpote ad propositum Rufini nihil conducentes, imo et* fabellam *dicit, quod talis videri posset; cumque declarasset, se peti* sub nomine cujusdam amici Damasi, Romanæ Urbis Episcopi,... cui ille ecclesiasticas epistolas dictandas tradidit, *factumque breviter perstrinxisset, Rufinum ita alloquitur :* Quæso te, amice carissime, ut in ecclesiasticis tractatibus, ubi de veritate dogmatum quæritur, et de salute animarum nostrarum majorum flagitatur auctoritas, hujuscemodi deliramenta dimittas, et prandiorum cœnarumque fabulas pro argumento non teneas veritatis. Fieri enim potest, ut, etiamsi a me verum audisti, alius, qui hujus rei ignarus est, dicat a te esse compositum, et quasi mimum Philistionis vel Lentuli, ac Marulli stropham eleganti sermone confictam. *Ita* Hieronymus. *Verba autem illa :* Etiamsi a me verum audisti, *satis insinuant, factum esse verum,* D *et ab ipso* Hieronymo *relatum Rufino, dum erant amici;* fabellam *vero vocari, quia revera speciem fabellæ habet, et post annos octodecim relatum ignorantibus fabella videri poterat. Ceterum observo, illum loquendi modum, quo Christus dicebatur* Homo dominicus, *a variis quidem usitatum fuisse; sed aliis displicuisse. Videri potest S. Augustinus lib.* 1 *Retract. cap.* 19.

Sanctus, cujus fama magna erat Romæ, rogatus a Damaso,

233 *Ex Operibus, quæ Romæ scripsit* S. Hieronymus, *ea recenset prima, quæ scripta sunt ad Damasum.* Hieronymi *autem eruditionem et ingenium Damasus maximi faciebat, eaque occasione sancti fama Romæ mirum in modum inclarescebat. Declarat id ipse* Hieronymus *in epistola* 45 (*alias* 99) *ad Asellam his verbis :* Antequam domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me urbis studia consonabant. Omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus, meus sermo erat. Dicebar sanctus, dicebar humilis et disertus. *Ita de priori tempore locutus est, quando discedebat Roma* Hieronymus, *mutatis tunc Romanorum plerorumque studiis. Inter Opera vero Romæ ad Damasum scripta primum in Catalogo ponit* De Osanna. *Petiit* E *hoc Opusculum Damasus per litteras, quæ inter* Hieronymianas *sunt* 19. *Has, cum perbreves sint, totas subjicio :* Commentaria quum legerem græco latinoque sermone in Euangeliorum interpretatione a nostris, id est, orthodoxis viris, olim ac nuper scripta, de eo, quod legitur : OSANNA FILIO DAVID, non solum diversa, sed etiam contraria sibimet proferunt. Dilectionis tuæ est, ut ardenti illo strenuitatis ingenio, abscissis opinionibus, ambiguitatibusque supplosis, quid se habeat apud Hebræos, vivo sensu scribas, ut et de hoc, sicut et de multis, tibi curæ nostræ in Christo Jesu gratias referant. *Ita Damasus, anno* 383 *aut sequenti.*

scribit de Osanna,

234 Hieronymus *vero Dissertationem suam, quæ inter epistolas est* 20, (*alias* 145) *ita orditur :* Multi super hoc sermone diversa finxerunt *etc. Refutataque expositione S. Hilarii et aliorum, subjungit :* Restat ergo, ut omissis opinionum rivulis, ad ipsum fontem, unde ab Euangelistis sumptum est, recurramus. *Mox procedit ad inquirendum locum Veteris Testamenti Hebraicum, ex quo hauserant Evangelistæ, et eruditam texit disputationem. Totam vero concludit hoc* F *epilogo :* Hæc interim juxta mediocritatem sensus mei breviter strictimque dictavi. Cæterum sciat Beatitudo tua, in istiusmodi disputationibus molestiam in legendo non debere subrepere : quia facile et nos potuimus aliquid ementiri, quod ex una voce solveret quæstionem, sicut et cæteros fecisse monstravimus : sed magis condecet ob veritatem laborare paulisper, et peregrino aurem accommodare sermoni, quam de aliena lingua dictam referre sententiam. *Utinam hoc Sancti* Hieronymi *consilium omnibus semper placuisset scriptoribus, aut illis saltem, qui crisim in scribendo profitentur! De sua illa Expositione meminit* Hieronymus, *in Matthæum scribens, ad cap.* 21, ℣ 9 *his verbis :* Porro quod sequitur, OSANNA FILIO DAVID, quid significet, et ante annos plurimos in brevi epistola ad Damasum, tunc Romanæ urbis Episcopum, dixisse me memini, et nunc perstringam breviter.

item de parabola filii prodigi

235 *Post hoc Opusculum in Catalogo scriptorum suorum aliud subjungit* Hieronymus *hoc modo expressum :* Et de frugi et luxurioso filiis. *Hanc expositionem item rogavit Damasus verbis* Hieronymi

AUCTORE J. S.

A Hieronymi *epistolæ* 21 (*alias* 146) *ad Damasum insertis.* Quis est iste in Euangelio (*Luc.* 15) Pater, qui duobus filiis substantiam dividit? qui duo filii? qui major, quive minor? Quomodo minor acceptam substantiam cum meretricibus dissipat; fame facta, a principe regionis præponitur porcis, siliquas comedit, ad Patrem redit, accipit annulum et stolam, et immolatur ei vitulus saginatus? Quis sit major frater, et quomodo de agro veniens, susceptioni fratris invideat? Et cætera, quæ in Euangelio plenius explicantur. *Hæc quærebat Damasus, addens sequentia :* Scio multos in hac lectione diversa dixisse, et fratrem majorem, Judæum; minorem existimasse gentilem populum. Sed quæro, quomodo Judaico populo possit aptari : « Ecce tot annis servivi tibi, et » numquam mandatum tuum præterii; et numquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis » epularer. » Et ille : « Fili, tu semper mecum » es, et omnia mea tua sunt. » Si autem de justo et peccatore voluerimus esse parabolam, justo non poterit convenire, ut de salute alterius, et maxime fratris, contristetur. *Hæc de interrogatione Damasi ex litteris* Hieronymi, *qui quæstiones sapienter propositas considerans, responsum sive* B *epistolam suam ita orditur :* Beatitudinis tuæ interrogatio disputatio fuit. Et sic quæsisse, quærendo viam est dedisse quæsitis. Sapienter quippe interroganti sapientia reputabitur.

ejusque fratris natu majoris.

236 *Deinde vero quæstiones propositas totamque parabolam cum aliis affinibus prolixe et erudite elucidat solvitque, ut in laudata epistola* 21 *videri poterit. In fine addit aliquid excusationis non necessariæ de stylo, ita concludens epistolam :* Non ambigo, quin inculta tibi nostræ parvitatis videatur oratio : sed sæpe causatus sum, expoliri non posse sermonem, nisi quem propria manus limaverit. Itaque ignosce dolentibus oculis, id est, ignosce dictanti, maxime cum in ecclesiasticis rebus non quærantur verba, sed sensus, id est, panibus sit vita sustentanda, non siliquis. *Hæc duo Opuscula ad Damasum anno* 383 *magis composita credo, quam anno* 384, *sub cujus finem, ut probabo, Damasus obiit. Cum enim existimem,* Hieronymum *post expedita concilii Romani negotia otiosum non fuisse; probabilius puto, priora ad Damasum Opuscula anno* 383 *fuisse composita, licet non diffitear, etiam anno* 384 *componi potuisse. De posteriore Opusculo mentionem facit* C Hieronymus *lib.* 2 *contra Jovinianum, ita scribens :* Super qua parabola (*de filio frugi et luxurioso*) libellum quondam Damaso episcopo, dum adhuc viveret, dedicavi.

Damasus præcedentia Hieronymi scripta legit.

237 *In catalogo scriptorum suorum, a cujus ordine numquam sine evidenti ratione recedendum existimo, post Opera modo relata* S. Hieronymus *subjungit :* De tribus quæstionibus Legis Veteris. *Hoc Opusculum, quod inter epistolas est* 36 (*olim* 125) *etiam conscripsit* Hieronymus, *rogante Damaso per epistolam inter Hieronymianas* 35 (*alias* 124). *Pontifex* Hieronymum *sic alloquitur :* Dormientem te, et longo jam tempore legentem potius quam scribentem, quæstiunculis ad te missis excitare disposui : non quo et legere non debeas : hoc enim veluti quotidiano cibo alitur et pinguescit oratio : sed quod lectionis fructus sit iste, si scribas. Itaque quoniam et heri tabulario ad me remisso, nullas te jam habere epistolas dixisti, exceptis his, quas aliquando in eremo dictaveras, quasque tota aviditate legi atque descripsi : et ultro pollicitus es te furtivis noctium horis aliquas, si vellem, posse dictare : libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram, etiamsi negasses. Neque vero ullam puto digniorem disputationis nostræ confabulationem fore, quam si de Scripturis sermocinemur inter nos; id est, ut ego interrogem, tu respondeas... Accingere igitur, et mihi, quæ subjecta sunt, dissere, servans utrabique * moderamen, ut nec proposita solutionem desiderent, nec epistula brevitatem. Fateor quippe tibi, eos, quos jam pridem Lactantii dederas, libros ideo non libenter lego, quia et plurimæ epistolæ ejus usque ad mille spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant.

* *al.* utrumque

et quæstionibus excitat Sanctum ad alia scribendum :

238 *Allegata Damasi verba probant primo, quanti Sanctus ille eruditusque Pontifex* Hieronymi *scripta faceret, quantaque aviditate legeret omnia, etiam pridem aliis inscripta. Insinuant secundo, Opusculum* Hieronymi, *quod petit Damasus, scriptum fuisse notabili tempore post priora, et sic verisimiliter anno* 384 *compositum fuisse. Ex responso* Hieronymi *ulterius liquet,* Hieronymum *Hebraicis libris acquirendis et exscribendis intentum eo tempore fuisse, et cogitasse de transferendo in sermonem Latinum libro Didymi de Spiritu sancto. Ex hac autem cogitatione* Hieronymi, *qui Librum laudatum Didymi non translulit ante* E *mortem Damasi, Vallarsius in præfatione editionis Veronensis probabiliter infert, non diu ante mortem aut supremum morbum Damasi illa utrimque fuisse scripta. Est hoc sane probabile ob rationem datam, minime tamen certum; quia forte maluit Damasus, ut alia inferius referenda prius ageret* S. Hieronymus.

idque forte antequam Romæ ad alios scripsit.

239 *Cum autem Vallarsius mortem Damasi nobiscum et cum plerisque neotericis figat anno* 384, *mense Decembri, credidit, ante hanc Damasi epistolam, et secutam* Hieronymi *lucubrationem multa alia a Sancto fuisse scripta ad Marcellam, aut Paulam, ad Eustochium, adversus Helvidium : quæ omnia ab ipso* Hieronymo *in catalogo postponuntur. Non inficior, probabilem videri eruditi editoris conjecturam, certum tamen non credo ob rationem jam datam. Quapropter existimo, sequendum ordinem ipsius* Hieronymi, *hujusque familiaritatem cum nobilibus illis mulieribus Romanis fuisse cœptam post scripta ad Damasum Opuscula, aut certe non diu ante, ut scripta ad illas probabilius sint posteriora. Ipsa allegata Damasi epistola favet ordini Hieronymiano : nam Marcella, Paula, Eustochium, Blæsilla, aliæque piæ virgines, postquam earum pietati servire cœperat Sanctus, magis occupatam habuerunt* Hieronymum, *quam ut Damasus dicere potuerit* dormientem et longo jam tempore legentem potius, quam scribentem. F

Respondet ad quæstiones Damasi, et Hebraica exscribit

240 *Damasus porro, ubi illa præmiserat, quinque proponit quæstiones perquam difficiles ex Genesi, quæ in laudata epistola legi possunt.* Hieronymus *vero responsum suum, sive epistolam* 36 *orditur hoc modo :* Postquam epistolam tuæ Sanctitatis accepi, confestim accito notario, ut exciperet, imperavi. Quo ad Officium præparato, quod eram voce prompturus, ante mihi cogitatione pingebam. Interim jam et ego linguam et ille articulum movebamus; quum subito Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de synagoga quasi lecturus acceperat. Et illico, Habes, inquit, quod postulaveras : meque dubium, et quid facerem, nescientem, ita festinus exterruit, ut, omnibus prætermissis, ad scribendum transvolarem : quod quidem usque ad præsens facio. Verum quia heri, diacono ad me misso,

misso, ut tu putas. epistolam, ut ego sentio, Commentarium, te exspectare dixisti, brevem responsionem ad ea desiderans. quæ singula magnorum voluminum prolixitate indigent, ταῦτά γε ἐσχεδίασα, dualus tantum quæstiunculis prætermissis : non quo non potuerim et ad illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro scilicet, et Novatiano, Latino sermone sint editæ : et si nova voluerimus afferre, sit latius disputandum. Certe exspecto, quid placeat : utrumne epistolari brevitate sententias tibi velis digeri, aut singulorum libros confici. *Hæc contra brevitatem, quam cupiebat Damasus.*

Et Didymi librum transferre cogitat:

241 *Quæstiones autem prætermissæ altera erat de animalibus mundis et immundis, altera de circumcisione : de quibus et Origenem scripsisse dicens, adjungit :* Ut, si ipse invenire nihil possem, de ejus tamen fontibus mutuarer. *Insinuat vero statim alia se meditari, ita pergens :* Et, ut verius loquar, Didymi de Spiritu sancto librum in manibus habeo, quem translatum tibi cupio dedicare, ne me existimes tantummodo dormitare, qui lectionem sine stilo somnum putas. *Tum de quæstionibus tribus disputatis :* Autelatis itaque B problematibus, quæ epistolæ tuæ subjeceras, quid mihi videretur annexui, veniam postulans et festinationis pariter et morarum ; festinationis, quia ad unam lucubratiunculam dictare voluerim multorum opus dierum, tarditatis, quia alio opere detentus, non statim ad interrogata rescripsi. *De hoc Opusculo mentionem facit* S. Hieronymus *in libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim ad cap. 4, ℣ 15 hoc modo :* Super quo capitulo exstat epistola nostra ad Episcopum Damasum. *Quæstio autem erat prima de his verbis :* Omnis, qui occiderit Cain, septem vindictas exsolvet. *Agens vero de secunda quæstione soluta ad cap. 15, ℣ 16 de quarta generatione, qua promissus est Abrahæ posterorum ad terram promissam regressus, ait :* Super quo capitulo parvum volumen edidimus.

Vertit duas Origenis Homilias.

242 *Post laudatum Opusculum* S. Hieronymus *in catalogo ponit* Homilias in Cantica canticorum duas. *De his Homiliis Origenis, quas Latinas fecit, meminit ipse* Hieronymus *in Epistola* 84 (*alias* 65) *ita scribens :* Objiciunt mihi, quare Origenem aliquando laudaverim. Ni fallor, duo loca sunt, in quibus eum laudavi : Præfatiuncula C ad Damasum in Homilias Cantici canticorum *etc. Inter Opera* Hieronymi *editionis Veronensis exstant illæ Homiliæ tom. III a pag. 499, ubi Sanctus ad Damasum ita præfari incipit :* Origenes, quum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico * canticorum ipse se vicit. *Tum exponit, quanta in Canticum scripserit volumina, aitque illa se prætermittere*, quia ingentis est otii, laboris et sumptuum omnia vertere : *sed* hos duos tractatus, *inquit Damaso*, quos in morem quotidiani eloquii parvulis adhuc lactentibus composuit, fideliter magis quam ornate interpretatus sum, gustum tibi sensuum ejus. non cibum afferens, ut animadvertas, quanti sint illa æstimanda, quæ magna sunt, quum sic possint placere, quæ parva sunt. *Hæ laudes Origenis criminandi materiam præbuerunt inimicis* Hieronymi ; *sed omnes id genus criminationes simul repellemus. Ceterum videtur prolixiorem Didymi librum interim distulisse* Hieronymus, *ut breviores Origenis Homilias prius transferret.*

* al. Cantica

XIV. Textum latinum Euangeliorum, volente Damaso, corrigit ex græco, totumque Novum Testamentum, et ex Veteri Psalterium.

Mandante S. Damaso textum Latinum

Quæ de correctione textus sacrarum Scripturarum modo veniunt exponenda, Romæ inchoata sunt, mandante Damaso, sed in catalogo scriptorum Hieronymi ab ipso non sunt omnia enumerata, nec suo ordine posita, quæ ibidem attinguntur. Hoc solum dicit Hieronymus lib. de Viris illustribus cap. 135 :* Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi; *subditque,* Vetus juxta Hebraicam *(linguam)* transtuli. *Cum autem in illo scriptorum suorum catalogo solum recenseat libros scriptos aut in aliam linguam translatos, de Novo Testamento correcto videtur solum loqui occasione Veteris translati, et eo tempore, quo componebat Veteris ex Hebraico translationem. Hinc solam recenset correctionem Novi Testamenti, etiamsi multas partes Veteris ex græco textu septuaginta interpretum etiam correxisset. Hæ autem correctiones a Sancto inchoatæ sunt Romæ, Damaso papa imperante, ut constat ex Præfatione, quam Evangeliis præmisit. In illa enim ad Damasum sic orditur :* Novum Opus facere me cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam : et quia inter se variant, quæ sint illa. quæ cum Græca consentiant veritate, decernam. *Græcam dicit veritatem, quia Evangelia omnia, excepto uno Matthæi, quod saltem primum græce erat translatum, reliquique omnes libri græce a suis scriptoribus erant exarati.* E

Novi Testamenti ex Græco corrigit.

244 *Non abhorrebat ab utili illa labore* Hieronymus, *prævidebat tamen, quantam ea emendatione sibi posset creare invidiam, ita pergens :* Pius labor, sed periculosa præsumptio. judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum : senis mutare linguam, et canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumpserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare, quod lectitat, non statim F erumpat in vocem, me falsarium, me clamans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversus quam invidiam duplex caussa me consolatur : quod et tu, qui summus Sacerdos es, fieri jubes ; et verum non esse, quod variat etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant, quibus. Tot enim sunt exemplaria pene, quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus ; cur non ad græcam originem revertentes, ea, quæ a vitiosis interpretibus male edita, vel a præsumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus? Neque vero ego de Veteri disputo Testamento, quod a septuaginta senioribus in græcam linguam versum, tertio gradu ad nos usque pervenit... De Novo nunc loquor Testamento ; quod græcum esse, non dubium est, excepto apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Euangelium Christi hebraicis litteris edidit. Hoc certe

certe quum in nostro sermone discordat, et diversos rivulorum tramites ducit; uno de fonte quærendum est.

quo ad modo in Evangeliis præstiterit.

245 *Deinde quid in quatuor Evangeliis præstiterit* Hieronymus, *post pauca docet his verbis :* Igitur hæc præsens Præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum. Quæ ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant. Canones quoque, quos Eusebius Cæsariensis episcopus, Alexandrinum sequutus Ammonium, in decem numeros ordinavit, sicut in Græco habentur, expressimus. Quod si quis de curiosis voluerit nosse, quæ in Euangeliis vel eadem vel vicina vel sola sint, eorum distinctione cognoscat. Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius Euangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt. Vel dum eumdem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum cæteros quoque æstimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucæ atque Matthæi : rursum in Matthæo plura Joannis et Marci, et in cæteris reliquorum, quæ aliis propria sunt, inveniantur. Quum itaque canones legeris, qui subjecti sunt, confusionis errore sublato, et similia omnium scies, et singulis sua quæque restitues. *Hæc sufficiant, ut studiosus lector intelligat, quantas quamque necessarias emendationes Latinis sui temporis Evangeliorum codicibus adhibuerit S. Hieronymus. Ipsos canones, quos a græcis accepit, videre quoque fusius explicatos et expressos poterit in editione Veronensi.*

Non absolvit totum ante mortem Damasi :

246 *Hæc Evangeliorum correctio certe facta est, vivente Damaso. At non æque constat, an totius Novi Testamenti correctionem ante mortem Damasi Sanctus absolverit : nullam enim aliorum librorum dedicationem reperimus. Hac de causa magis conjicio, Damasum supremo morbo laborare cœpisse, dum corrigendis aliis Novi Testamenti libris occupabatur* Hieronymus. *Certe priora laudatæ Præfationis verba insinuant, totius Novi Testamenti correctionem a Damaso petitam. Generatim quoque asserit Sanctus :* Novum Testamentum Græcæ fidei reddidi. *Idem repetiit in Epistola* 71 (*alias* 28) *ad Lucinium, ubi hæc scribit :* Septuaginta interpretum editionem et te habere non dubito ; et ante annos plurimos diligentissime emendatam, studiosis tradidi. Novum Testamentum Græcæ reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis normam desiderat. *Clare iterum hic loquitur de toto Novo Testamento. Quod vero dicit de interpretatione Septuaginta, spectat ad Vetus Testamentum, et inferius probabitur.*

et forte non statim totum vidit Augustinus cui placuit :

247 *Placuit S. Augustino labor ab* Hieronymo *correctioni Evangeliorum impensus, et in Epistola inter Hieronymianas* 104 (*alias* 88) *ad* Hieronymum *de ea emendatione scribit sequentia :* Proinde non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quo Euangelium ex Græco interpretatus es : quia pene in omnibus nulla offensio est, quum Scripturam Græcam contulerimus. Unde si quisquam veteri falsitati contentiosus faverit, prolatis collatisque codicibus, vel docetur facillime vel refellitur. Et si quædam rarissima merito movent, quis tam durus est, qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit? *Ex his tamen S. Augustini verbis gemina oriri potest dubitatio : primo, quare de solo loquatur Evangelio ; altera, cur dicat* interpretatus es, *non correxisti. Ad primum respondeo, de Evangelio loqui Augustinum, aut quia aliorum librorum emendationem adhuc ignorabat, aut quia multo plura in Evangeliis fuerant emendanda, quam in aliis Novi Testamenti libris : nam imprudenti quorumdam consilio ad singula Evangelia ex aliis multa fuerant adjecta, ut supra Hieronymus testatur num. 145. Ad secundum dico, interpretationem vocari, quia tam notabilis erat illa emendatio, ut Evangelia sic emendata possent dici ex græco sermone translata. Nam ex græco transtulit omnia, quæ latine non erant bene expressa.*

totum tamen Hieronymus correxit.

248 Hieronymus *in Epistola* 112 (*alias* 89) *respondens Augustino, respiciensque ad allegata verba, sic loquitur :* Et, si me, ut dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipis, exponisque caussam, cur suscipias ; quia plurimi linguæ Græcæ habentes scientiam, de meo possint Opere judicare *etc. Substituit hic pro Evangelio Novum Testamentum, pro interpretatione emendationem, quamvis aliter locutus fuisset Augustinus. Itaque vel insinuat, quomodo loquendum fuisset Augustino ; vel ipsum docet reliquos etiam libros a se correctos, si id forte ignorabat. Certe S. Hieronymus post Evangelium reliquos etiam Novi Testamenti libros correxit, idque ipsum Romæ statim post Evangelia absoluta cœpisse, nequaquam dubito. At verisimiliter, ut jam dixi, ægrotavit graviter, aut etiam obiit Damasus, ante opus absolutum. Eo autem defuncto, obtrectatores iracidi in Vicum sanctum graviter insurrexerunt; omniaque ejusdem dicta et facta paulatim ausi sunt carpere.*

[illegible]

249 *Liquet hoc ex Epistola* 27 (*alias* 102) *ad Marcellam Romæ data, quam ita orditur Sanctus :* Post priorem Epistolam... ad me repente perlatum est, quosdam homunculos mihi studiose detrahere, cur adversum auctoritatem veterum, et totius mundi opinionem, aliqua in Euangeliis emendare tentaverim. Quos ego cum possem meo jure contemnere (asino quippe lyra superflue canit) : tamen ne nos superbiæ, ut facere solent, arguant, ita responsum habeant : Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassæ rusticitatis (quam illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco sancti sint, si nihil scierint) ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum : sed Latinorum codicum vitiositatem, quæ ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad Græcam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare. Quibus si displicet fontis unda purissimi, cœnosos rivulos bibant *etc.*

verisimiliter Romæ absolvit.

250 *Post alia postmodum afferenda, ad gregem illum imperitorum, quos* bipedes asellos *vocat, revertitur, simulque ostendit, etiam Epistolas S. Pauli a se correctas, dum tria ex illis allegat loca, sicut ante fuerant lecta, et sicut correxerat :* Illi legant, *inquit :* « Spe gaudentes, tempori servientes. » Nos legamus : « Spe gaudentes, Domino servientes. » Illi adversus presbyterum accusationem omnino putent recipiendam. Nos legamus : « Adversus presbyterum accusationem » ne receperis, nisi sub duobus aut tribus testibus : peccantes autem coram omnibus argue. » Illis placeat : « Humanus sermo et omni acceptione » dignus. » Nos cum Græcis, id est, cum Apostolo,

AUCTORE J. S.

stnlo, qui græce lncutus est, erremus : « Fidelis « sermo et omni acceptione dignus. » *Hæc loca ostendunt, statim post Evangelia etiam emaculatas aliquot S. Pauli Epistolas, ut verisimile fiat totius Novi Testamenti emendationem Romæ fuisse peractam; nulli tamen (exceptis Evangeliis) dicatam, quod interim obiisset aut morti proximus esset Damasus. Non omnino tamen certum sit. Romæ omnia peracta.*

ubi etiam correxit Psalterium.

251 *Quin imo ex variis S.* Hieronymi *locis oriri potest suspicio, in eadem commoratione Romana correctum etiam fuisse textum Latinum Veteris Testamenti ex Græco Septuaginta interpretum. Nam verbis num. 246 datis testatur, se ante* annos plurimos diligentissime emendatam studiosis *tradidisse interpretationem Septuaginta. Similiter lib. 2 contra Rufinum num. 24 de emendato textu Latino Septuaginta interpretum ita loquitur :* Egone contra Septuaginta interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi? *Attamen illa postmodum fieri potuerunt. Verum de Psalterio clarius loquitur, dum lib. 2 contra Rufinum num. 30 hæc profert :* Psalterium quoque,
B quod certe emendatissimum juxta Septuaginta interpretes nostro labore dudum Roma suscepit *etc. Hæc Romæ a se correctum, rursum clarissimis verbis edicit in Præfatione ad Psalterium secundum Septuaginta, quod secunda etiam vice postmodum correxit, et tunc illa Præfatione munivit. Sic enim ibi loquitur :* Psalterium Romæ dudum positus emendaram, et juxta Septuaginta interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram *etc. Itaque de Psalterio nullum est dubium.*

ut non totum Vetus Testamentum.

252 *Verum longe mihi probabilius et quasi certum apparet, laborem emendandi aut transferendi totam translationem Septuaginta interpretum serius a sancto in Palæstina susceptum. Nam, ut videbimus suo loco, transtulit* S. Hieronymus *puram Septuaginta interpretum editionem, quæ servabatur in Hexaplis Origenis Cæsareæ in Palæstina; non communem, quæ erat interpolata. At, dum Romæ commorabatur, necdum fuerat in Palæstina, nec viderat Cæsareæ Hexapla Origenis, ut nequaquam sit probabile, versionem ex iis et emendationem Romæ fuisse concinnatam. Unicum igitur, quod pro correctione Veteris Testamenti*
C *Romæ Sanctus præstitisse videtur, est qualiscumque emendatio Psalterii, quod Romæ prima vice correxit, sed non tam accurate, ut ipse insinuat verbis jam datis :* Psalterium Romæ dudum positus emendaram, et juxta Septuaginta interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram. *Altera Psalterii correctio aut translatio ex Hexaplis cum reliquis omnibus deinde exponetur.*

§ XV. Liber adversus Helvidium : Epist. de Custodia virginitatis ad Eustochium : hujus occasione multi offensi. Aliæ duæ Epistolæ anni 384.

Scribit Sanctus contra Helvidium.

Primum *Opusculum post jam recensita ad Damasum* S. Hieronymus *in Catalogo ponit librum* Adversus Helvidium de virginitate Mariæ perpetua. *De scripto illo opere pluribus aliis locis meminit sanctus doctor. In Epistola ad Eustochium de Virginitate, quæ sequitur in catalogo,* D *ad illud num. 22 Eustochium remittit his verbis :* Quantas molestias habeant nuptiæ, et quod sollicitudinibus vinciantur, in eo libro, quem adversus Helvidium de beatæ Mariæ perpetua virginitate edidimus, puto breviter expressum. *Romæ scriptum esse hunc librum, declarat in Epistolam ad Galatas cap. 1, ℣ 19 his verbis :* Memini me, dum Romæ essem, impulsu fratrum librum de sanctæ Mariæ virginitate edidisse perpetua. *De eo rursum meminit in Matthæi cap. 12, ℣ 19. In Prologo Dialogi adversus Pelagianos alteram scribendi rationem profert, ita scribens :* Adversum eos autem, qui me dicunt hoc Opus inflammatum invidiæ facibus scribere, breviter respondebo, numquam me hæreticis pepercisse, et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ mei quoque hostes fierent. Helvidius scripsit contra sanctæ Mariæ virginitatem perpetuam. Numquid, ut ei responderem, ductus invidia sum, quem nomino in carne non vidi? *In ipso adversus Helvidium libro num. 16 ait :* Ego ipse, qui contra te scribo, quum in eadem tecum urbe consistam, albus, ut aiunt, aterve sis, nescio. *Erat igitur et Helvidius Romæ, sed* Hieronymo E *ignotus.*

virente adhuc Damaso,

254 *In Epistola 48 (alias 50) ad Pammachium num. 17 de hoc libro et secuta paulo post Epistola ad Eustochium, ita loquitur :* Dum adviveret sanctæ memoriæ Damasus, librum contra Helvidium de beatæ Mariæ virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam multa de molestiis dicere nuptiarum. Num vir egregius et eruditus in Scripturis, et virgo Ecclesiæ Virginis doctor, aliquid in illo sermone reprehendit? In libro quoque ad Eustochium multo duriora de nuptiis diximus, et nemo super hac re læsus est. Amator quippe castitatis præconium pudicitiæ intenta aure captabat. *Ex his habemus, virente Damaso, librum contra Helvidium fuisse scriptum, eumque a Damaso lectum. Quod ambiguum est de Epistola ad Eustochium; ut inferius exponam. Cum autem Damasus obierit mense Decembri anni 384, scriptus fuerit eodem anno 384 liber adversus Helvidium post memorata ad Damasum Opuscula, ut habet ordo scriptorum ab ipso* Hieronymo *concinnatus. De illo etiam libro meminit* F Hieronymus *in Ezechielem lib. 13 ad cap. 44 his verbis :* Super qua quæstiuncula Romæ adversum Helvidium, illius temporis hæreticum, in adolescentia non grandem librum scripsisse me novi. *Liceat breviter observare,* in adolescentia *librum dici scriptum, quia etiam tum in studiis Scripturarum adolescebat, et novos postea adivit magistros. Erat tamen quinquagenario major, et biennio post, quando Didymum adivit,* jam canis spargebatur caput, et magistrum potius, quam discipulum, decebat, *ut observat ipse in Epistola 84 (alias 65).*

de perpetua virginitate

255 *Prava Helvidii dogmata, quæ homo indoctus inculcare nitebatur, erant duo, primum quod beatissima Dei Genitrix post natum Christum alios ex Josepho filios peperisset, qui Fratres Domini dicebantur; alterum, quod virginitas non præstet conjugio. Non inquiro, an vera sint omnia, quæ de Helvidio asserit Gennadius in Catalogo cap. 32. Hoc abunde constat, hominem fuisse nec eloquentia nec eruditione præstantem, prorsusque obscurum. Opusculum suum* S. Hieronymus, *exorditur hoc modo :* Nuper rogatus a fratribus, ut adversus libellum cujusdam Helvidii responderem

rem, facere distuli : non quod difficile fuerit, hominem rusticanum, et vix primis quoque imbutum litteris, super veri assertione convincere ; sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur. Huc accedebat, quod homo turbulentus, et solus in universo mundo sibi et laicus et sacerdos (qui, ut ait ille *, loquacitatem facundiam existimat, et maledicere omnibus bonæ conscientiæ signum arbitratur) accepta materia disputandi, amplius inciperet blasphemare, et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam : meque, quia veritate non posset, laceraret conviciis. Verum quia has omnes tam justæ silentii mei causæ, ob scandalum fratrum, qui ad ejus rabiem movebantur, justiori fine cessarunt, jam ad radices infructuosæ arboris Euangelii securis est admovenda, et cum infœcunditate foliorum tradenda flammis, ut discat aliquando reticere, qui numquam didicit loqui.

beatissimæ Virginis Matris.

256 *Post invocationem sanctissimæ Trinitatis, de methodo, qua scripturus erat, ita loquitur :* Non campum rhetorici desideramus eloquii, non dialecticorum tendiculas nec Aristotelis spineta conquirimus. Ipsa Scripturarum verba ponenda sunt : ipsis, quibus adversum nos usus est, testimoniis revincatur, ut intelligat, se et legere potuisse, quæ scripta sunt, et non potuisse, quæ pietate roborata sunt, cognoscere. *Ubi vero argumenta Helvidii diserte subverterat, et Catholicam sententiam confirmarat, in fine ipsum alloquitur hac orationis clausula :* Rhetoricati sumus, et in morem declamatorum paululum lusimus. Tu nos, Helvidi, coegisti, qui jam Euangelio coruscante, ejusdem vis esse gloriæ virgines et maritatas. Et quia arbitror, te veritate superatum, ad detractionem vitæ meæ, et ad maledicta converti (solent enim hoc et mulierculæ facere, quæ victoribus dominis male optant in angulis) illud dico præveniens, gloriæ mihi fore tua convitia, quum eodem, quo Mariæ detraxisti, ore me laceres, et caninam facundiam Servos Domini pariter experiatur et Mater. *Ceterum Helvidium num. 16 comparat cum obscuro nebulone, qui templum Dianæ incendit, ut, cum non posset recte factis, saltem flagitio sibi nomen acquireret; ideoque mirandum non est, quod hominem ex vanitate ad impia dogmata delapsum subinde contemptim tractaverit, ut salutarem incuteret pudorem, si fieri posset.*

Scribit præcepta vivendi S. Eustochio virgini.

257 *Post dictum librum* S. Hieronymus *ponit Epistolam* Ad Eustochium de Virginitate servanda. *Verbis num. 254 datis* librum *vocat Sanctus. Et revera Opusculum illud, licet passim Epistolis annumeretur, interque illas sit vigesima secunda, tantæ est molis, ut merito* liber *vocari possit, aliosque nonnullos* Hieronymi *libros prolixitate superet. De S. Eustochio egi ad 28 Septembris, ibique compendio recensui præclara vivendi præcepta, quæ eidem in ætate puellari virginitatem professæ dedit in hoc libello* S. Hieronymus. *Veniet tamen nobilissima illa Virgo, quæ* Hieronymum *usque ad mortem habuit morum magistrum, sæpius per decursum commemoranda, uti et mater ejus S. Paula, vidua sanctissima, quæ ab* Hieronymo *semel Romæ cognito numquam deinceps recedere voluit. Hujus quoque vita apud nos data est ad 26 Januarii, ubi nobilissimæ viduæ insignes virtutes latius videri poterunt. Hic solum inquiram, quo modo nata videatur familiaritas* S. Hieronymi *cum S. Paula ejusque filiabus, et cum S. Marcella, illustrissima similiter vidua, de qua actum est ad 31 Januarii. Prima fuisse videtur Marcella, quæ amore sacrarum Scripturarum in familiaritatem* S. Hieronymi *insinuare se conata est : cumque amica esset S. Paulæ, et ad pietatem, quam prior professa erat, quasi magistra, per Marcellam nata videtur consuetudo, quæ inter Paulam et* Hieronymum *orta est maxima. Hujus conjecturæ fundamentum lectorum oculis breviter objiciam.*

Auctore J. S.

cujus matri S. Paulæ videtur innotuisse per S. Marcellam

258 S. Hieronymus *in Epistola* 127 (*alias* 16) *ad Principiam virginem S. Marcellæ, Epitaphium seu vitæ compendium concinnavit. In eo autem observat, Marcellam fuisse* nobilium feminarum *primam, quæ institutum monachorum Romæ imitari voluit. Deinde num. 5 dicit :* Hujus amicitiis fruita est Paula venerabilis : in hujus cubiculo nutrita Eustochium virginitatis decus, ut facilis æstimatio sit, qualis magistra, ubi tales discipulæ. *Hæc ostendunt, Marcellæ quasi discipulas fuisse Paulam et Eustochium. Qua vero industria* Hieronymus *a Marcella fuerit pertractus, docet num. 7 his verbis :* Denique quum et me Romam cum sanctis pontificibus Paulino et Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas,... et verecunde nobilium feminarum oculos declinarem, ita egit secundum Apostolum importune, opportune, ut pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicujus tunc esse nominis existimabar super studio Scripturarum, numquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret; nec ut statim acquiesceret, sed moveret e contrario quæstiones; non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. *Dum ait,* pudorem, *quo nobilium feminarum oculos declinabat, a Marcella fuisse superatum, abunde insinuat, primam illam fuisse, quacum de sacrarum Scripturarum intelligentia agere cœpit. Ex hisce igitur sponte fluit conjectura jam data, Marcellæ opere Paulam et Eustochium factas esse* S. Hieronymi *discipulas. Potuit tamen Sanctus Paulæ etiam innotescere per Paulinum et Epiphanium.*

Epistola illa anno 384 data, vivente verisimiliter Damaso,

259 *Ex multis vero Epistolis, quas ad sanctas illas mulieres Romæ scripsit* Hieronymus, *prima recensetur prolixa, qua de agimus, ad Eustochium Epistola. Scriptam autem hanc suspicamur, rogante Paula, et verisimiliter etiam Marcella, ipsaque desiderante Eustochio. Utrum scripta fuerit, vivente Damaso Papa, utcumque ambiguum est ex verbis num. 254 recitatis. Nam Damasus clare dicitur legisse librum adversus Helvidium; de Epistola vero ad Eustochium diserte id non affirmatur. Cum tamen in ipsa Epistola num. 22* Papæ Damasi *fiat mentio, nec addatur* sanctæ memoriæ, *aut aliud obitus ejus indicium, probabilius videtur, scriptam esse Epistolam, vivente Damaso. Quapropter eam existimo exaratam anno 384 ad finem vergente. Ex ipsa quoque Epistola num. 15 habetur, Blæsillam Eustochii sororem natu maximam viro fuisse orbatam, antequam hanc scriberet* Hieronymus. *Quin et Tillemontius Nota 29 existimat, Blæsillam jam tum fuisse conversam ad vitam illam piam austeramque, quam quatuor fere mensibus ante mortem inchoarit. At mihi plane contrarium videtur. Verba ipsa subjungo :* Et quidem molestias nuptiarum, et incerta conjugii, domestico exemplo didicisti, quum soror tua Blæsilla, ætate major, sed proposito minor, post acceptum maritum septimo mense viduata est. O infelix humana conditio, et futuri nescia ! et virginitatis coronam, et nuptiarum perdidit voluptatem. Et quamquam secundum pudicitiæ gradum teneat viduitas, tamen quas illam per momenta

menta sustinere existimas cruces, spectantem quotidie in sorore, quod ipsa perdiderit, et quum difficilius experta careat voluptate, minorem continentiæ habere mercedem. Sit tamen et illa secura, sit gaudens. Centesimus (*virginum*) et sexagesimus (*viduarum*) fructus de uno sunt semine castitatis. *Hæc omnia honestam indicant viduam, qualis post mortem mariti aliquo tempore fuit Blæsilla; non ferventissimam illam mundoque mortuam, qualem fuisse tribus aut quatuor ultimis mensibus Blæsillam, testatur* Hieronymus *in Epistola* 39 (*alias* 25) *ad Paulam. Quapropter nihil est in Epistola ad Eustochium, quod probet, scriptam post annum* 384.

Romanos non paucos offendit, quod vitia

260 *In illa autem Epistola* S. Hieronymus *non modo præclara Eustochio dedit documenta, sed multorum etiam graviter perstrinxit vitia; cum ut sacra virgo ab iis careret, tum ut pericula ex aliorum nascentia cognosceret, ac verisimiliter etiam ut multos simul erudiret. Hæc Sanctus præstabat consueta sibi libertate et eloquentia, ea tamen cautela, ut solum increpetur in vitia multis communia, et personas nominatim non aggrederetur. Hac de causa nullus poterat irasci, nisi qui se obnoxium fateretur. Veruntamen multorum*
B *contra* S. Hieronymum *ora aperta sunt occasione illius Epistolæ, idque ipse satis indicat in Epistola* 52 (*alias* 8) *ad Nepotianum decennio serius scripta, quæ similiter vivendi præcepta continet pro clericis et monachis. Hanc enim conclulit hoc epilogo :* Coegisti me, Nepotiane carissime. Lapidato jam Virginitatis libello, quem sanctæ Eustochio Romæ scripseram, post annos decem rursus Bethlem ora reserare, et confodiendum me linguis omnium prodere. Aut enim nihil scribendum fuit, ne hominum judicium subiremus : quod tu facere prohibuisti : aut scribentes nosse, cunctorum adversum nos maledicorum tela esse torquenda.

quæ libere perstringerentur. Rufinus

261 *Quid vero in illa Epistola maxime oculos Romanos offenderit, Sanctus insinuat in Epistola* 27 (*alias* 102) *ad Marcellam his verbis :* Unum miser loquutus, quod virgines sæpius deberent cum mulieribus esse, quam cum masculis, totius oculos Urbis offendi, cunctorum digitis notor, « Multiplicati sunt super capillos capitis « mei, qui oderunt me gratis, et factus sum eis « in parabolam. » Et tu putas, me aliquid deinceps locuturum? *Rufinus, qui irato adeo animo*
C *contra* Hieronymum *scripsit, ut frequenter videatur præ iracundia non expendisse, quæ accusabat, lib.* 2 *Invectivarum num.* 4 *multo plura accusat.* Libellum quemdam(*inquit*, de conservanda Virginitate Romæ positus scripsit : quem libellum omnes pagani et inimici Dei, apostatæ et persecutores, et quicumque sunt, qui Christianum nomen odio habent, certatim sibi describebant, pro eo, quod omnem ibi Christianorum ordinem, omnem gradum, omnem professionem, universamque pariter fœdissimis exprobrationibus infamavit Ecclesiam : et ea, quæ gentiles falso in nos conferre crimina putabantur, iste vera esse, imo multo pejora a nostris geri, quam illi criminabantur, asseruit. *Verum, si qui forte gentiles Opusculum istud* S. Hieronymi *exscripserint, id facere poterant ob eloquentiam. Certe ex illa Epistola non poterant discere occulta et legibus punienda Christianorum crimina, sed solum vitia omnibus conspicua, quæ nec ipsi poterant ignorare, modo excusse in omnium ordinum mores vellent inquirere.*

262 *Ejusmodi paucorum vitia improbari a sanctioribus, nec omnibus esse communia, ex Opusculo* Hieronymi *intelligebant gentiles; indeque majorem potius, quam minorem, de sanctitate morum Ecclesiæ Catholicæ æstimationem concipere debebant. Quæ Rufinus protulit ad ridiculam illam accusationem probandum, risu magis sunt digna, quam seria refutatione. Nullus ægre ferre debebat Opusculum sancti Doctoris, qui generaliter monuit, ne peccaretur. Poterat merito Sanctus cum Apostolo dicere Gal.* 4, ℣ 16 : Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? *Noverat* ipse Hieronymus, *veritatem peccantibus odiosam esse, multosque semper reperiri, qui erubescunt audire ea, quæ non erubuerunt facere. Hinc in Epistola* 40 (*alias* 100) *ad Marcellam ita loquitur :* Medici, quos vocant chirurgicos, crudeles putantur, et miseri sunt. An non est miseria, alienis non dolere vulneribus, et mortuas carnes inclementi secare ferro? non horrere curantem, quod horret ipse, qui patitur, et inimicum putari? Ita se natura habet, ut amara sit veritas, blanda vitia existimentur. *Noverat hæc, inquam*, Hieronymus. *At maluit prodesse, quam placere hominibus. Nec unquam Ecclesiæ multum profuisset, si fuisset ex iis, de quibus Deus Isaiæ* 56, ℣ 10 : Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare. E

Ejus causa Hieronymum accusans, refutatur.

263 *Epistola* 23 (*alias* 24) *et sequens* 24 (*alias* 15), *omnium primæ inter scriptas ad Marcellam ponuntur in editione Veronensi. Prior agit de exitu Leæ viduæ, eodem die defunctæ, quæ morum sanctitate insignis, virginum monasterio præfuerat. Explicabat* Hieronymus *Marcellæ aliisque præsentibus Psalmum* 72, *quando mors S. Leæ, de qua actum est apud nos ad* 22 *Martii, nuntiata est, ut declarat his verbis :* Quum hora ferme tertia hodierni diei septuagesimum secundum Psalmum... legere cœpissemus... repente nobis nuntiatum est, sanctissimam Leam exisse de corpore. *Hac igitur occasione Sanctus hanc scripsit Epistolam, quæ breve continet S. Leæ elogium, apud nos datum ad* 22 *Martii. Biduo post data est sequens Epistola de Laudibus Asellæ, ut liquet ex initio.* Nemo reprehendat, *inquit*, quod in Epistolis aliquos aut laudamus aut carpimus : quum et in arguendis malis sit correptio cæterorum, et in optimis prædicandis bonorum ad virtutem studia concitentur. Nudiustertius de F beatæ memoriæ Lea aliqua dixeramus; illico pupugit animum, et mihi venit in mentem, non debere nos tacere de virgine, qui de secundo ordine castitatis loquuti sumus. Igitur Asellæ nostræ vita breviter explicanda est *etc. De S. Asella agendum est ad* 6 *Decembris, ubi elogium de vivente scriptum cum aliis dari poterit. Interim observo, scriptas esse has Epistolas circa tempus, quo obiit Prætextatus, homo gentilis, pro anno* 385 *consul designatus. Nam in priori mentio sit de Prætextato recentissime defuncto. Mortem autem Prætextati figendam sub finem anni* 384, *probabo* § 18. *Quapropter ambæ hæ Epistolæ sub finem anni* 384 *datæ sunt, ideoque eas hic recensui post alia ejusdem anni scripta. Fieri quidem potest, ut aliæ quædam ad Marcellam præcesserint: sed id saltem incertum est, et fortasse omnes, quas mox recensebo, spectant annum* 385, *aut certe ad exeuntem annum* 384. *At adeo incertis immorari non lubet, præsertim cum parum intersit, quone an altero sint scriptæ. Quapropter pergam*

Aliæ duæ Epistolæ anno 384 datæ.

A pergam cum illo dubio ad reliquas, dum prius exposuero, quid S. Hieronymus in gratiam aliquot matronarum ac virginum viva voce præstiterit.

§ XVI. Sanctus Marcellæ, Paulæ, aliisque sacras Litteras exponit partim verbo partim scripto: recensentur Epistolæ ad illas datæ.

Recensentur viduæ et virgines sanctæ.

Sacras Litteras a S. Hieronymo viva voce frequenter expositas sanctis viduis Marcellæ et Paulæ, insinuant aliquot hujus Epistolæ ad illas eumdem in finem datæ. Idem officium a S. Hieronymo præstitum Blæsillæ tunc viduæ, docet Præfatio Commentariorum in Ecclesiasten, in qua ad Paulam Blæsillæ matrem ejusque sororem Eustochium ita scribit sanctus: Memini me ante hoc ferme quinquennium, quum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem, ut eam B ad contemptum istius sæculi provocarem, et omne, quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea, ut in morem Commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere, quæ legebat. Hac ratione Blæsillam a mundi vanitatibus ad vitam piissimam induxit: sed ob secutam ejus mortem dilatus est Commentarius. Inter has sancti discipulas erat etiam Eustochium, ut liquet ex Epistola 30, (alias 155) ad Paulam, ubi dicit: Saluta Blæsillam et Eustochium, tirunculas nostras. Saluta Felicianam, vere carnis et spiritus virginitate felicem. Saluta reliquum castitatis chorum, et domesticam tuam ecclesiam. Ex his generatim salutatis nonnullæ etiam procul dubio erant Hieronymi in sacris Litteris discipulæ.

quibus Hieronymus Romæ sacras Litteras

265 Nam in Epistola 45 (alias 99) ad Asellam virginem sic habet: Multa me virginum crebro turba circumdedit. Divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe disserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Ex his fuit ipsa Asella, virgo sanctissima, Marcellina quoque et Felicitas, quas in illa Epistola salutat, ex hisce fuisse videntur. Prior C verisimiliter erat S. Marcellina virgo, soror S. Ambrosii, quæ Romæ tunc habitabat. De ea apud nos actum ad 17 Julii. Altera mihi aliunde ignota. In eadem rursum Epistola, et in aliis, salutat Albinam matronam, S. Marcellæ matrem. Verbis supra datis salutat et Felicianam virginem. Fuerunt certe et plures aliæ virgines et viduæ, quas instruxit Romæ S. Hieronymus. An vero illis annumerandæ sint S. Lea vidua, quam laudavit defunctam elogio, et Principia virgo, quæ post discessum Hieronymi cum S. Marcella habitare cœpit; non ausim certo edicere. Nam S. Leam, ut ait in elogio, unius cubiculi secreta vallabant, ut fortasse numquam exiret monasterio, cui præerat. Principia vero admodum tenellæ tum erat ætatis, quandoquidem, capta anno 410 per Gothos Roma, id est, post annos viginti sex ejus pudicitiæ timebat S. Marcella, ut colligitur ex hujus Epitaphio ad Principiam scripto. Attamen credibile est, Principiam una cum Marcella expositionibus S. Hieronymi subinde interfuisse, uti interfuit tenella Eustochium cum S. Paula; et S. Leam scriptis ejus saltem non caruisse.

266 Jam vero hæ prælectiones sacræ Scripturæ sic videntur institutæ, ut plures simul convenirent sive in domo S. Paulæ id fieret, sive in S. Marcellæ, sive modo in una, modo in altera. Vix enim dubitari potest, quin illi conventus haberentur apud Paulam aut Marcellam, et alterutra semper adesset, si forte neutra ad alterius palatium ea de causa pergeret. Tillemontius art. 23 suspicatur, Hieronymo hospitium fuisse in palatio S. Marcellæ, quia in laudato Marcellæ Epitaphio num. 8 ad Principiam scribit sequentia: In nostrum locum statim audivimus te illius adhæsisse consortio, et numquam ab illa ne transversum quidem unguem, ut dicitur, recessisse. Favet huic suspicioni, quod Albinam Marcellæ matrem pro sua habuerit matre, Marcellamque ipsam pro sorore. Nam in Epistola 45 ad Asellam eas salutari jubet his verbis: Saluta matrem Albinam sororemque Marcellam. Et in Epistola 32: Albinam communem matrem valere cupio,... eamque per te salutari obsecro. Hæc suspicionem ingerunt, sed rem certam non faciunt, cum litteræ ultro citroque mitterentur. Verum cum amplissima essent nobilium Romanarum palatia, poterat Hieronymus in amplissima Marcellæ domo habere habitationem aliquam a ceteris remotam, in qua et studeret, cibum caperet, quiesceret, et in qua litteras a Marcella acciperet per internuntium, suasque ad ipsam daret. E

Auctor ... exposuit habitasse Sanctum in parte palatii S. Marcellæ

267 Similis conjectura fieri potest de hospitio S. Hieronymi in palatio S. Paulæ, ubi certe hospitium habuit S. Epiphanius: illaque conjectura vires acquiret ex calumnia, quæ per malevolos contra Hieronymum et S. Paulam fuit sparsa, ut postea videbimus. Attamen probabilius puto, S. Hieronymum degisse in domo aliqua ab utriusque palatio separata; cum quod nullibi clare edicat, in alterutrius palatio hospitatum se fuisse, tum quod pauper aliquod hospitium habuisse videatur. Nam in Epistola 42 (alias 149) ad Marcellam hac ratione excusat brevitatem Epistolæ, Quoniam amicis, inquit, et qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus. Rursum in Epistola 32 (alias 74) ad Marcellam, cum alio opere detentus multa scribere non potuisset, ait, se duas Epistolas alias mittere, Ne, inquit, Currentius noster forte frustra cucurrerit. Hæc autem verba longiorem innuunt a Marcella distantiam, quam sit partium ejusdem palatii.

vel S. Paulæ, ut magis est probabile.

F 268 Quidquid autem sit de sancti hospitio, id certissimum est, cautissimam fuisse conversationem S. Hieronymi cum sanctis illis matronis. De S. Marcella in ejus Epitaphio ait num. 3: Nullum clericorum aut monachorum (quod amplæ domus interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. De Paula dicit in Epistola 45 ad Asellam: Quam manducantem numquam vidi. Ibidem num. 2 universim de conversatione sua cum virginibus, quibus sacras Litteras disserebat, calumnia appetitus, ita loquitur: Dicant, quid umquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat. Pecuniam cujusquam accepi? munera vel parva vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit? Obliquus sermo, oculus petulans fuit?... Numquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Hæc de sua in conversatione cum mulieribus verecundia et honestate sanctus.

Ceterum mulieribus verecunde agebat.

269 Quantum vero ex illa brevi tempore profecerit S. Marcella, colligitur ex hujus Epitaphio num. 7, ubi eam sanctus hisce verbis prædicat: Quod

Quantum in Scripturis profecerit S. Marcella.

Quid in illa virtutum, quid ingenii, quid sanctitatis, quid puritatis invenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam, et tibi majorem dolorem incutiam, recordanti, quanto bono carueris. Hoc solum dicam, quod quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diuturna quasi in naturam versum; hoc illa libavit, hoc didicit, atque possedit, ita ut post profectionem nostram, si de aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur. Et quia valde prudens erat, et noverat illud, quod appellant philosophi τὸ πρέπον, id est, decere quod facias; sic ad interrogata respondebat, ut etiam sua non sua diceret; sed vel mea vel cujuslibet alterius, ut in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apostolo: « Docere autem mulieri « non permitto: » ne virili sexui et interdum sacerdotibus, de obscuris et ambiguis sciscitantibus, facere videretur injuriam. *Ita* Hieronymus, *ex cujus ad Marcellam Epistolis satis colligitur, ipsam privatim instrui voluisse de difficillimis, quorum expositio maxime erat petenda ex notitia linguæ Hebraicæ. Hinc autem colligimus, reliqua didicisse Marcellam, disserente ad plures simul* Hieronymo.

Epistolas complures scribit

270 *Epistolas ad Marcellam Romæ eo tempore scriptas in catalogo ita recenset sanctus:* Ad Marcellam Epistolarum librum unum. *Sunt illæ numero sexdecim, quarum ordo ex generali hac recensione nequit dari. Duas sub finem anni 384 datas jam recensui. Ex aliis nonnullæ ad eumdem fortasse annum spectant, et forte etiam ante illas sunt scriptæ. At certo id dici aut probari nequit. Itaque ex reliquis prius recensebo illas, quæ pertinent ad expositionem Scripturarum, ubi non liquet, alias fuisse interpositas. Ex his prima occurrit, quæ in editione Veronensi est Epistola* 25 (*alias* 136) *cujus occasionem sanctus ita exponit:* Nonagesimum Psalmum legens, in eo loco, quo scribitur: Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur, dixeram apud Hebræos pro Deo cæli esse positum SADDAI: . . . unumque esse de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur. Illico studiosissime postulasti, ut tibi universa nomina cum sua interpretatione digererem. Faciam, quod petisti. *Tum subditur decem Dei nominum brevis expositio.*

ad explananda sacræ Scripturæ loca

271 *Quæ sequitur Epistola* 26 (*alias* 137) *explicat nomina quædam Hebraica, in Scripturis græcis et latinis relicta. Epistolam sic orditur:* Nuper, cum pariter essemus, non per epistolam, ut ante consueveras, sed præsens ipsa quæsisti, quid ea verba, quæ ex Hebræo in Latinum non habemus expressa, apud suos sonarent: curque sine interpretatione sint posita, ut est illud, ALLELUIA, AMEN, MARAN ATHA, EPHOD. *Respondet ad omnia* Hieronymus, *excepta expositione vocis* Ephod; *additque:* Vellem tibi aliquid et de Diapsalmate scribere, quod apud Hebræos scribitur SELA; et de EPHOD, et de eo, quod in cujusdam Psalmi titulo habetur AMELETH, et cæteris istiusmodi *etc. Ex his colligitur, duas Epistolas mox memorandas ista posteriores esse. Præcessit illas Epistola* 27 (*alias* 102) *jam bis laudata, qua obtrectatoribus suis, qui correctionem Evangeliorum reprehendebant, et Epistolam ad Eustochium, libere respondet, quamvis breviter. Nam illa inchoatur hoc modo:* Post priorem Epistolam, in qua de Hebræis verbis pauca perstrinxeram, ad me repente perlatum est, quosdam homunculos mihi studiose detrahere *etc. Verba cum responso dedi num.* 249.

nullis subinde obtrectatoribus respondens.

272 *Verum ex iis, quæ ad Marcellam subjungit sanctus, videtur illa desiderasse pro mitissimo suo ingenio, ut iniquissimis calumniatoribus mansuete responderet* Hieronymus. *Sic enim habet:* Scio te, quum ista legeris, rugare frontem, et libertatem meam rursum seminarium timere rixarum; ac meum, si fieri potest, os digito velle comprimere, ne audeam dicere, quæ alii facere non erubescunt. *Dubito tamen, an serio Marcella ipsa Hieronymi in scribendo libertatem improbaverit. Fortasse alienas ipsa querelas ad Hieronymum detulit, et ad illos magis respondit sanctus, quam ad ipsius Marcellæ de illa Hieronymi libertate judicium. Forte ad idem fere tempus pertinet similis ad Marcellam Epistolo* 40 (*alias* 100) *jam laudata num.* 262, *in qua respondet Onaso Segestano, homini ignoto, nisi forte fictitio nomine obtrectatores suos generatim designet. Hæc autem Epistola cum minime pertineat ad Marcellam, mulierem suavissimam, et unice refutet homines suspiciosos, qui omnia, quæ scriptis suis contra vitia* Hieronymus *inserebat, in se dicta suspicabantur, verisimile fit, non ægre tulisse Marcellam, quod sanctus in Epistolis ad se directis contra obtrectatores se defenderet.*

Aliæ de quæstionibus sacræ Scripturæ

273 *Quocumque autem tempore illo fuerit scripta, aliquo tempore post* 26 *et* 27 *data est Epistola* 28 (*alias* 138) *de* Diapsalmate. *Hanc ita exorditur sanctus:* Quæ acceperis, reddenda sunt cum fœnore, sortisque dilatio usuram parturit. De Diapsalmate nostram sententiam flagitaras: epistolæ brevitatem caussati sumus, et rem libri non posse explicari litteris pertexuimus. Verum quid prodest ad ἐργοδιώκτην (*id est, exactorem operis*) meum? Major tibi cupiditas silentio concitatur. Itaque, ne te diutius traham, habeto pauca pro pluribus. *Post expositionem suam subjungit:* Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus totus mundus repletus est, varietate perterriti: sed cupientes et scire et docere, quæ vera sunt. *Tum expositionem Origenis latinam facit, concluditque Epistolam his verbis:* Hucusque Origenes, cujus nos maluimus in hac disputatione dumtaxat imperitiam sequi, quam stultam habere scientiam nescientium.

274 *Extorsit non diu post Marcella Epistolam* 29 (*alias* 130) *de quæstione olim proposita, saltem ex parte, nimirum de* Ephod et Theraphim. *Sentiebat* Hieronymus *difficultatem ejusmodi quæstionum, eamque mox declarat:* Epistolare officium est, *inquit*, de re familiari, aut de quotidiana conversatione aliquid scribere, et quodammodo absentes inter se præsentes fieri, dum mutuo, quid aut velint, aut gestum sit, nuntiant: licet interdum confabulationis tale convivium, doctrinæ quoque sale condiatur. Verum tu, dum tota in tractatibus occuparis, nihil mihi scribis, nisi quod me torqueat, et Scripturas legere compellat. Denique heri famosissima quæstione proposita, postulasti, ut, quid sentirem, statim rescriberem. Quasi vero Pharisæorum teneam cathedram, ut, quotiescumque de verbis Hebraicis jurgium est, ego arbiter et litis sequester exposcar . . . . Sed quia vector et internuntius sermonis nostri redire festinat, rem grandem celerius dicto, quam habeo: licet de Scripturis sanctis disputanti non tam necessaria sint verba, quam sensus. *Ad quæstiones deinde ita respondet,* ut

A *ut de ea Epistola meminerit in 64 de Veste sacerdotali ad Fabiolam.*

ad eamdem

275 *Post expositionem eruditam, cui non deest solida eloquentia, in fine adjungit sequentia :* Quam vellem nunc tibi omnem habitum sacerdotalem exponere, et per singulas vestium species divina ostendere sacramenta. Verum quia in hoc ipso brevitatem epistolæ excessimus, et Josephus et Philo, viri doctissimi Judæorum, multique de nostri id latissimi persequuti sunt, quorum, ut aiunt, voce audies me : quæ de cætero velis, præsens percunctator præsentem, ut, si quid forte nescimus, sine teste, sine judice, in fida aure muriatur. Mater communis si valeat, gaudeo, et ut valeat, Dominum precor. Nos, ut scis, Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus; in tantum ut loquentibus quoque nobis stridor quidam non Latinus interstrepat. Unde ignosce ariditati : « Etsi imperitus sum sermone, inquit Apostolus, sed non « scientia. » Illi utrumque non deerat, et unum humiliter renuebat. Nobis utrumque deest, quia et quod pueri plausibile habueramus, amisimus; nec scientiam, quam volebamus, consequuti su-

B mus, juxta Æsopici canis fabulam, dum magna sectamur, etiam minora perdentes. *Ita humiliter* Hieronymus *et perfectam sibi scientiam Scripturarum abjudicat, et eloquentiam suam perpetua fere lectione sermonis Hebraici, cui accedebat per totum fere decennium omissa poetarum et oratorum lectio, multum detrimenti passam affirmat. Crevit revera in* Hieronymo *scientia Scripturarum, quam secutis aliquot annis magno studio conatus est perficere. Attamen jam eo tempore tanta videtur fuisse, ut nulli tunc viventium cederet, quamvis humilitas* Hieronymi, *qui noverat, quid sibi deesset, contrarium credere potuerit. Eloquentia etiam mascula et succi plena, etsi flosculorum fortasse aliquid perdidisset, nulli certe Latinorum cessisse videtur.*

Epistolæ.

276 *Restat ad Marcellam de locis obscuris sacræ Scripturæ Epistola* 34 (*alias* 141) *qua exponuntur loci aliquot Psalmi* 126, *et maxime quid sit* panis doloris, *et quid* filii excussorum. *Nullo autem liquet indicio, sitne hæc prior an posterior modo recensitis. Cum porro cogeretur ibi refutare opinionem male fundatam S. Hilarii, id facit modestissime cum elogio illius Sancti, occasionem erroris attribuens Heliodoro presbytero; cujus*

C *ope usus erat pro sermone græco, et ignorantiæ sermonis hebraici.* Tantum virum, *inquit,* et temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo : qui et confessionis suæ merito, et vitæ industria, et eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur. *Claudit Epistolam hisce verbis :* Quum hæc furtivis, ut aiunt, operis ad lucubratiunculam velox notarii manus, me dictante, signaret, et plura dicere cogitarem, jam ferme quarta noctis hora excesserat : et repente stimulis quibusdam dolentis stomachi suscitatus, in orationem prorupi, ut saltem reliquo horarum spatio, subrepente somno frustraretur infirmitas. *Dubitat Tillemontius, art.* 30, *utrum Epistola illa sit Romæ scripta, an deinde in Palæstina. At nequeo ego dubitare, quin Romæ sit scripta, cum abrupta sit ob stomachi dolorem. Poterat enim postridie prosequi Sanctus, si erat in Palæstina. At Romæ eodem die responsum exspectabat Marcella.*

Alia de Commentariis Rheticii.

277 *Romæ etiam procul dubio scripta est ad Marcellam Epistola* 37 (*alias* 133.) *Quæsiverat Marcella de voce* Tharsis, *quæ variis modis accipitur in sacris Litteris. Petierat etiam ab* Hieronymo *Commentarios Rheticii Augustodunensis episcopi in Cantica canticorum. Forte ea occasione dixerat* Hieronymus *Marcellæ errorem Rheticii de voce* Tharsis, *ex quo illa occasionem petierit flagitandi expositionem. Quidquid sit causæ, de voce* Tharsis *breviter solum in Epistola disserit, et multo plura disputat ad improbandum Rheticii Commentarios.* Innumerabilia sunt, *inquit,* quæ in illius mihi Commentariis sordere visa sunt. Est quidem sermo compositus, et Gallicano cothurno fluens : sed quid ad interpretem, cujus professio est, non quo ipse disertus appareat, sed quo eum, qui lecturus est, sic faciat intelligere, quomodo ipse intellexit, qui scripsit. *Et post alia in eumdem sensum :* Frustra ergo a me ejusdem viri Commentarios postulas, quum mihi in illis displiceant multo plura, quam placeant. Quod si opposueris, cur cæteris dederim, audies, non omnes iisdem vesci debere cibis. Jesus in deserto plures hordeaceis panibus pascit, frumentaceis pauciores. *Addit plura, quibus probat, illos Commentarios inutiles esse iis, qui Scripturarum intelligentiam quærunt, qualis erat Marcella. Verisimiliter Sanctus, qui nuper Com-* E *mentarios Rheticii legerat, illos aliquibus communicaverat, necdum bene perlectos, eosque hac Epistola præmunire voluit, ne iis nimium fiderent.*

278 *Rursum Romæ data est Epistola* 41 (*alias* 54) *de pravis dogmatis sectatorum Montani. Tentata fuerat Marcella a quodam Montani sectatore; ideoque sciscitata erat* Hieronymum. *Hic vero eorum deliramenta explicat : nam* Perfidiam eorum expusuisse, superasse est, *inquit. Romæ similiter data est Epistola* 42 (*alias* 149) *contra Novatianos hæreticos de peccato in Spiritum sanctum; de quo interrogaverat Marcella, ut habet initio. In fine brevitatem excusat hoc modo :* Fuerat quidem prolixius disserendum; sed quoniam amicis, at qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus, et tibi non statim respondere, admodum visum est arrogantis, latam disputationem brevi sermone comprehendimus, ut non tam epistolam, quam Commentariolum dictaremus. *Hæ duæ Epistolæ nihil habent, ex quo colligatur, utrum scriptæ sint ante recensitas supra de quæstionibus sacræ Scripturæ, an postea.* F

alia de Montanistis, alia de Novatianis.

279 *Ex aliis quinque Romæ ad Marcellam datis, quas necdum recensui, primam esse existimo Epistolam* 38 (*alias* 23) *quæ de morbo Blæsillæ, ejusque ad meliorem vitam conversione tractat. Hanc existimo scriptam circa Martium aut Aprilem anni* 385, *sive tribus circiter mensibus ante mortem Blæsillæ, quam figum circa Julium ejusdem anni, id est, non diu, antequam* Hieronymus *mense Augusto in Palæstinam discessit. Hæc Epistola iterum docet,* Hieronymum *apologias scripsisse ad Marcellam, non pro ipsa, quæ omnia satis noverat, sed pro aliis, qui gesta* Hieronymi, *et vel maxime conversionem Blæsillæ ad vitam meliorem ægerrime ferebant. Magnam ex illa conversione* Hieronymo *concitatam esse propinquorum Blæsillæ invidiam, insinuat ipse in Epistola* 39 *de Obitu Blæsillæ ad Paulam, ubi num.* 6 *ait :* Mihique, *Blæsilla nimirum defuncta,* Veniam impetrat peccatorum; quod monui, quod hortatus sum, quod invidiam propinquorum, ut salva esset, excepi.

Ad eamdem scribit de morbo et conversione Blæsillæ,

280 *Conversionem vero ejus narrat in laudata ad Marcellam Epistola, et pro illa liberam texit apologiam.* Blæsillam nostram, *inquit,* vidimus

cujus melioris vitæ propositum

AUCTORE J. S.

dimus ardore febrium per triginta ferme dies jugiter æstuasse, ut sciret rejiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum sit. Venit et ad hanc Dominus Jesus, tetigitque manum ejus, et ecce surgens ministrat ei. Redolebat aliquid negligentiæ, et divitiarum fasciis colligata, in sæculi jacebat sepulcro. Sed *infremuit* Jesus, et conturbatus *in* spiritu, clamavit, dicens : Blæsilla, veni foras. Quæ vocata surrexit, et ecce cum Domino vescitur..... Corpus pene jacebat exanime, et anhelos artus mors vicina quatiebat. Ubi tunc erant auxilia propinquorum? ubi verba omni inaniora fumo? Nihil tibi debet, o ingrata cognatio, quæ mundo periit, et Christo revixit. Qui Christianus est, gaudeat : qui irascitur, non se esse indicat Christianum.

liberrime defendit

281 *Mox pergit mira, sed justa, libertate contra iniquos mundi amatores propositum Blæsillæ, id est, Dei causam defendere; ridetque nimis affectatum mulierum cultum, comparans præcedentem Blæsillæ vitam mundanam cum pia illa et modesta conversatione, quam elegerat. Nec dubitat cum antichrista conferre illos, qui ejusmodi vitæ institutum improbant.* Adversarius enim Christi B est, *inquit,* et antichristus, cui præcepta displicent Christi. *Quid vero calumniarentur mundani homines, in fine insinuat his verbis* : Nos, quia serica veste non utimur, monachi judicamur : quia ebrii non sumus, nec cachinno ora dissolvimus, continentes vocamur et tristes. Si tunica non canduerit, statim illud e trivio : Impostor et Græcus est. Cavillentur vafriora licet, et pingui aqualiculo fartos circumferant homines, Blæsilla nostra ridebit; nec dedignabitur loquacium ranarum audire convicia, quum Dominus ejus dictus sit Beelzebub. *Hactenus* Hieronymus, *contra quem plures forte e potentibus exacerbavit subita Blæsillæ ad pietatem mutatio, quam Epistola ad Eustochium. At injusta illa et Evangelio contrario indignatio ad cultum ascendit, quando post tres circiter menses Blæsilla defuncta est; et Paula in Palæstinam navigare voluit. Aliqui hanc Epistolam fecerunt anno 384, quod crederent Blæsillam citius defunctam, quam defunctam inferius probabo.*

Scribit ad S. Paulam de Alphabeto Hebraico.

282 *Plures ex ante recensitis Epistolæ forsan scriptæ sunt post memoratam de ægrotatione conversioneque Blæsillæ. Id tamen incertum est. At* C *non dubito, quin posteriores sint tres, eodem fere tempore circa finem Junii datæ, videlicet* 30 (*alias* 155) *ad Paulam de Alphabeto Hebraico;* 31 (*alias* 19) *ad Eustochium de Munusculis, et* 32 (*alias* 74) *ad Marcellam. Priorem ad Paulam sic orditur* : Nudius-tertius, quum centesimum octavum decimum Psalmum tibi insinuare conarer *etc.,..* studiosissime perquisisti, quid sibi velint Hebrææ litteræ, quæ Psalmo, quem legebamus, videbantur insertæ. Respondi secundum ordinem litterarum eum esse compositum... Identidem flagitasti, ut tibi interpretationes singularum edicerem litterarum. Dixi, fateor : verum quia propter barbariem linguæ memoria labitur omne, quod diximus, desideras commentariolum fieri, ut, si in aliquo forte titubaveris, oblivionem lectio consoletur. *Ex his intelligitur, qua occasione epistolaris illa Alphabeti Hebraici expositio sit data; quamque studiose Paula conaretur sacras litteras intelligere.*

pia miscens monita.

283 *At* Hieronymus *non solum eruditam dat expositionem, sed morali quoque conspersam doctrina, qua mentem Paulæ, paucis ante annis a* D *mundi vanitatibus avulsam, ad cœlestia magis sublevaret. Post ejusmodi expositionem addit sequentia* : Ore te, quid hoc sacratius sacramento? quid hac voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, et in abdita ejus intrare, et sensum Creatoris inspicere, et sermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos discere sapientia spiritali? Habeant sibi cæteri, si velint, suas opes, gemma bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, et per varias voluptates divitias suas vincere nequeant. Nostræ divitiæ sint, *in* Lege Domini meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panes Trinitatis accipere, et sæculi fluctus, Domino præeunte, calcare. *Timuisse* Hieronymum, *ne Blæsilla aut Eustochium a proposito resilirent, imo et ipsa fortasse Paula, quæ florenti adhuc ætate erat vidua, utpote annos triginta et octo circiter nata, satis insinuant, quæ sequuntur.*

suamque de ejus familia sollicitudinem indicans.

284 Saluta, *inquit,* Blæsillam et Eustochium, tirunculas nostras. Saluta Felicianam, vere carnis et spiritus virginitate felicem. Saluta reliquum castitatis chorum, et domesticam tuam ecclesiam, cui omnia, etiam quæ tuta sunt, timeo, E ne, dormiente Patrefamilias, inimicus homo zizania superseminet : quamvis etiam dicere audeant : « Ego civitas firma, civitas, quæ » non oppugnatur. » Nullus, hostili obsidente exercitu, securus est. Nemo, ut beatus Cyprianus ait, satis tutus, periculo proximus. Exemplar Epistolæ si accipere voluerit φιλοπονωτάτη nostra Marcella, tribuito. Et memento mei, obsecrans, ut Dominus noster Jesus Christus conterat satanam sub pedibus nostris velociter. *Exemplum Eustochii, cui vestis modesta jussu patrui sui violenter fuit detracta habitusque sæcularis injectus, ut dictum est in S. Eustochio ad 28 Septembris, satis ostendit, non immerito timuisse* Hieronymum *ob conatus consanguineorum, qui et potentissimi erant, et cum multis potentibus affinitate juncti. Hanc autem Epistolam post conversionem Blæsillæ fuisse scriptam, liquet ex eo, quod eam Sanctus vocet* tirunculam. *Scriptam vero esse circa finem Junii, colligetur ex sequenti, quacum videtur communicata S. Marcellæ.*

Scribit ad S. Eustochium de Munusculis.

285 *Est hæc* 31 (*alias* 19) *ad Munusculis ad Eustochium, scriptaque est in festivitate S. Petri, sive* 29 *Junii, ut liquet ex his* Hieronymi *verbis* : Festus est dies, et natalis B. Petri. *Miserat* F *Eustochium, volente verisimiliter Paula matre, munuscula quædam modici pretii cum Epistola ad* S. Hieronymum. *Hic autem ex singulis capit occasionem instruendi ac monendi piam puellam, ut dictum est in Eustochio, ad 28 Septembris num.* 26 *et* 27. *Se vero illa ex Scripturis monita dare, ait Sanctus S. Eustochio, ut* et pristini libelli etiam nunc recorderis, *inquit. Loquitur de Epistola de Servanda virginitate, quam credimus scriptam anno 384 ad finem decurrente, et vivente Damaso. Opinio illa mea utcunque confirmetur ex datis verbis : neque enim illius libelli memoria excidere potuerat Eustochio, nisi multis mensibus præcessisset Epistolam de Munusculis anno 385 fere medio datam. Tillemontius art.* 107 *Epistolam illam de Munusculis plus quam viginti annis avellit a vero tempore, creditque scriptam post mortem S. Paulæ uno aliquo incerto. Ratio ejus est, quod velit, Eustochium de nulla re disposuisse, vivente Paula matre, ideoque nec munera mittere ad* Hieronymum *potuisse. Inepta est ea*

ea ratio: nam; etsi nec volebat nec poterat munera mittere, nolente matre; poterat certe, ipsa consentiente aut jubente.

et quidem Romæ.

286 *Reclamat contra opinionem Tillemantii ipsa Epistola, ut jam dixi in S. Eustochio. Unum argumentum, quo certum sit, Romæ scriptam esse, in hunc locum reservavi.* Hieronymus *munera accepta enumerans, num. 3, sic habet:* Accepimus et canistrum cerasis refertum, talibus et tam virginali verecundia rubentibus, ut ea nunc a Lucullo delata existimarem. Siquidem hoc genus pomi, Ponto et Armenia subjugatis, de Cerasunto primus Romam pertulit. Unde et de patria arbor nomen accepit. *Si Lucullus Cerasa primus* Romam pertulit, *quo alio loco, nisi Romæ, poterat existimare tunc* a Lucullo *delata? Romæ igitur eam Epistolam scripsit* Hieronymus, *et in festivitate præcipue S. Petri apostoli, quæ celebratur 29 Junii: nam tunc cerasa ibidem matura sunt.*

Ad Marcellam scribit, dum occupabatur

287 *Epistola 32 (alias 74) ad Marcellam uno alterove die post præcedentes videtur scripta. Hæc est excusatio non scriptæ Epistolæ, quam desiderabat Marcella. Cum autem excusatio illa doceat, quam utili opere occuparetur* Hieronymus, *totam subjungo:* Ut tam parvam epistolam scriberem, *inquit*, caussæ duplicis fuit, quod et tabellarius festinabat, et ego alio opere detentus, hoc quasi παρέργῳ me occupare nolui. Quæris, quidnam illud sit tam grande, tam necessarium, quo epistolicæ confabulationis munus exclusum sit. Jam pridem cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forsitan propter odium Christi Synagoga mutaverit; et, ut amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem pertineant roborandam, plura reperio. Nunc a Prophetis, Salomone, Psalterio, Regnorumque libris examussim recensitis, Exodum teneo,... ad Leviticum transiturus. Vides igitur, quod nullum officium huic operi præponendum sit. Attamen, ne Currentius noster forte frustra cucurrerit, duas Epistolas, quas ad sororem tuam Paulam ejusque pignus Eustochium miseram, huic sermunculo annexui, ut, dum illas legeris, et in his aliquid doctrinæ pariter ac leporis inveneris, putes tibi quoque scripta esse, quæ illis scripta sunt. Albinam communem matrem valere cupio: de corpore loquor, ut spiritu valeat, non ignorans: eamque per te salutari obsecro, et duplici pietatis officio focillari, quod in una atque eadem Christiana simul diligatur et mater.

conferendo versionem Aquilæ cum textu Hebraico

288 *Ex hac Epistola, quæ docet magnam certe partem versionis Aquilæ, et verisimiliter totam cum textu Hebraico Romæ collatam esse ab* Hieronymo, *verisimile fit, jam tunc Sanctum cogitasse de nova versione Veteris Testamenti ex Hebraico. Sic nimirum semper ad ulteriora procedebat. Exscribebat* volumina *Hebræorum, quando Damasus rogabat expositionem, quam dedit in Epistola 36 num. 240 memorata. Post exscripta Hebraica paulatim processit ad collationem cum Aquila, eamque jam multum promoverat. Ut autem citius absolveret, ad quæstionem Marcellæ nullum dedit responsum; misit tamen ad illam duas Epistolas jam scriptas ad alias, ne ægrius ferret repulsam. Has vero esse duas mox laudatas, certo quidem argumento probari nequit; verisimillimum tamen est, tum quod nullæ aliæ exsteut, in quas suspicio cadit, tum quod festivæ sint et doctæ, ut insinuat* Hieronymus, *tum quod tam hæ duæ quam tertia ad Marcellam videantur spectare ad posteriora tempora, quibus Romæ fuit Sanctus.*

Alia ad Marcellam.

289 *Alias duas Epistolas Romæ scriptis addidit editor Veronensis, quas alii postea scriptas crediderunt. Mihi quoque Romanis annumerandæ videntur illæ, quæ ibidem sunt 32 et 44, alias 18 et 20: non vero Romæ scriptam credo Epistolam 33, cujus solum Fragmentum habetur ex Rufino. Perbrevis est 44 inscripta* de Muneribus, *hancque suspicor scriptam non diu post memoratam modo ad Eustochium, cum ejusdem sit generis. Fortasse Marcella, non accepto ad quæstionem propositam responso, visaque Epistola ad Eustochium, munuscula quædam misit, ut sic Epistolam reciperet. Quidquid sit, Epistolam* Hieronymus *sic inchoat:* Ut absentiam corporum spiritus confabulatione solemur, facit unusquisque, quod prævalet. Vos dona transmittitis: nos Epistolas remittimus gratiarum. *Non video, cur hanc Epistolam alieno nomine*, et fortasse Paulæ et Eustochii, *scriptam velit editor Veronensis in Annotatis. Nam munera quidem videntur missa ad Paulam etiam et Eustochium, ut habet titulus,* Hieronymus *tamen suo nomine loquitur, licet obscuritatis aliquid sit in Epistola.*

alia ad eamdem de incommodis Urbis

290 *Epistola 43 verisimiliter est ultima, quam ad Marcellam Romæ dedit* Hieronymus, *quando discedere statuerat. In hac Epistola videtur Marcellam hortari ad vitam solitariam, nunquam tamen monet, ut ipsa Romam relinquat. Quapropter magis fortasse rationem reddit, cur vitam solitariam vellet repetere, Romamque relinquere, ut etiam credit editor Veronensis in chronotaxi Epistolarum. Sive autem conatus sit Marcellam inducere ad vitam solitariam, sive suum consilium aliis probare, incommoda Urbis et delinquendi occasiones ita recenset:* Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam salutandi, qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros exspectamus. Deinceps itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur, et mordentes invicem consumimur ab invicem. Talis nos cibus occupat et dimittit. Quum vero amici recesserint, ratiocinia supputamus. Nunc ira personam leonis nobis inducit: nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat... Vestes non ad usus tantum, sed ad delicias conquiruntur. Ubicumque compendium est, velocior pes, citus sermo, auris attentior. *Plura id genus recenset, a quibus pii etiam in urbium frequentia raro cavent.*

et bono vitæ solitariæ.

291 *Tum vero sic pergit:* Quapropter, quia multa jam vitæ spatia transmisimus fluctuando, et navis nostra nunc procellarum concussa turbine, nunc scopulorum illisionibus perforata est, quum primum licet, quasi portum quemdam, secreta ruris intremus. Ibi cibarius panis, et olus nostris manibus irrigatum, et lac deliciæ rusticanæ, viles quidem, sed innocentes cibos præbent. Ita viventes non ab oratione somnus, nec saturitas a lectione revocabit. Si æstas est, secretum arboris umbra præbebit. Si autumnus, ipsa aeris temperies et strata subter folia locum quietis ostendent. Vere ager floribus pingitur, et inter querulas aves psalmi dulcius cantabuntur. Si frigus fuerit et brumales nives, ligna non coemam, et calidius vigilabo vel dormiam. Certe, quod sciam, vilius non algebo. Habeat sibi Roma suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient, et, quia de nostris dicendum est, matronarum quotidie visitetur senatus. No-

bis

AUCTORE J. 6.

bis adhærere Domino bonum est, et ponere in Domino Deo spem nostram: ut quum paupertatem illam cælorum regna mutaverint, erumpamus in vocem: « Quid enim mihi est in cælo, « et a te quid volui super terram? » Quo scilicet quum tanta reperiamus in cælo, parva et caduca quæsisso nos doleamus in terra. *Fortasse hæc Epistola posterior est mox memoranda ad Paulam, scriptaque paucis diebus ante* Hieronymi *discessum. Dolcius in vita cap.* 14 *existimat*, S. Hieronymum *post absolutam anni* 382 *Synodum in asceterio suburbano habitasse. At ea conjectura caret fundamento, repugnatque plurimis, quæ Sanctus Romæ et fecit et scripsit.*

B

§ XVII. Crescunt multorum contra S. Hieronymum odia: Blæsilla mortua, scribit de ejus obitu ad Paulam nimis dolentem: Sanctus atris calumniis appetitus, statuit discedere, et in discessu scribit ad Asellam.

Invidia contra Sanctum, ejusque causæ.

Q*uamdiu Romæ mansit* S. Hieronymus *post mortem S. Damasi Papæ, odia multorum Romanorum contra ipsum semper videntur crevisse, donec tandem atrocibus Sanctum impetierint calumniis. Multos offenderat Epistola ad Eustochium data, et magis verisimiliter consanguineos potentes exacerbabat constantissimæ virginis propositum, modestus habitus, vita austera, in quibus confirmabatur ab* Hieronymo. *Accedebat similis S. Paulæ vita, et tandem Blæsillæ, quam propinqui ad secundas nuptias pertrahere frustra conabantur. Hæc autem vel maxime ad piam illam modestamque et austeram vivendi rationem pertracta erat ab* Hieronymo, *ut jam vidimus. Auxit rursum invidiam immatura mors Blæsillæ, vix annos viginti natæ, nimiusque de ea dolor Paulæ matris materiam præbuit obtrectatoribus, acsi maluisset nepotes ex Blæsilla iterum nupta habere,* C *quam videre a secundis nuptiis abstinentem. Ad culmen tandem perductus est furor Romanorum, quando innotuit, Paulam ab Urbe discessuram, et navigaturam in Terram sanctam. Hoc enim cognito proposito, et* Hieronymus *et Paula mox atrocissima appetiti sunt calumnia, de qua inferius agemus.*

Mortua Blæsilla, S. Paulam nimis dolentem

293 *Mors Blæsillæ figenda videtur circa mensem Julium anni* 385, *id est, exiguo tempore ante discessum* Hieronymi, *ut infra probabo. De illo obitu scripsit* Hieronymus *Epistolam* 39 (*alias* 25) *ad Paulam ejus matrem, nimio dolore excedentem, quam eloquenti oratione consolatur, et sub finem acriter reprehendit ob luctum justo acerbiorem. Quanta fuerit ea occasione maledicorum licentia, declarat* Hieronymus *num.* 5 *hoc modo:* Non possum sine gemitu eloqui, quod dicturus sum. Quum de media pompa funeris te exanimem referrent, hoc inter se populus mussitabat: Nonne illud est, quod sæpe dicebamus? Dolet filiam jejuniis interfectam, quod non vel de secundo ejus matrimonio tenuerit nepotes. Quo usque genus detestabile monachorum non Urbe pellitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus? Matronam miserabilem seduxerunt, quæ quam * monacha esse noluerit, D hinc probatur, quod nulla gentilium ita suos umquam fleverit filios. *Nullus istis dicteriis magis petebatur, quam* Hieronymus, *qui in illa ipsa epistola fatetur, suis monitis ad meliora conversam fuisse Blæsillam. Adeo parum curabat insanas levissimæ multitudinis voces, imo et potentium consanguineorum Blæsillæ invidiam. Noverat enim hominis esse Christiani Deo potius placere, quam hominibus.*

* *al. quis*

Epistola consolatur et reprehendit Sanctus.

294 *Acriter tamen increpabat infirmitatem Paulæ, licet eam alias ut sanctam veneraretur, quod nimio luctu Deo placere non posset, hominibus vero esset offensioni. Dum autem num.* 4 *ut monacham alloquitur, satis insinuat, eam jam tum habuisse propositum relinquere Romam, et ad locum solitarium proficisci.* Et adhuc sic loquutus sum, *inquit*, quasi unam de turbis convenerim Christianam. Nunc vero, quum sciam toti te renunciasse mundo, et abjectis calcatisque deliciis sæculi, orationi, jejuniis, lectioni vacare quotidie; quum ad exemplum Abraham cupias exire de terra tua, et de cognatione tua, ut, et Chaldæis et Mesopotamia derelictis, terram repromis- E sionis introeas; quum omnem substantiolam aut pauperibus dilargita sis, aut filiis, ante mortem mundo mortua, dederis, miror te ea facere, quæ si facerent cæteræ, reprehensione dignæ viderentur. *Hæc verba non modo insinuant propositum relinquendi Romam, sed etiam propinquum discessum, cum in hunc finem Paula jam distribuisset bona sua in pauperes et in filios. Cum autem epistola fuerit scripta paulo post Blæsillæ obitum, ut declarat* Hieronymus *in Epistola* 77 (*alias* 30) *ad Oceanum his verbis:* Plures anni sunt, quod super dormitione Blæsillæ Paulam venerabilem fæminam, recenti adhuc vulnere, consolatus sum: *necesse est, ut dicamus, obiisse Blæsillam circa mensem Julium: nam mense Augusto discessit* Hieronymus, *quem non diu post secuta est Paula.*

Varia Hieronymum rogaverat Blæsilla.

295 *Epistolam illam in Catalogo scriptorum suorum recensent* Hieronymus *his verbis:* Consolatoriam de morte filiæ ad Paulam. *Recensetur autem ultimo loco inter scripta Romæ, et procul dubio ultimum est Opusculum, quod Romæ scripsit Sanctus præter Epistolam ad Asellam, in Catalogo non memoratam, unamque forte aut alteram ex* F *memoratis ad Marcellam. Prætermitto elogia Blæsillæ, quæ in ipsa videri possunt Epistola. Illud observo, rogasse Blæsillam, ut* Hieronymus *ex Græcis Latinos faceret* viginti quinque tomos *Origenis* in Matthæum, et quinque alios in Lucam, et triginta duos in Joannem, *ut testatur ipse* Hieronymus *in Præfatione ad Homilias in Lucam latine redditas, dicens, id* nec virium *suarum* fuisse, nec otii, nec laboris. *Quid prætere*a Hieronymum *rogaverit Blæsilla, quam expositione Ecclesiastæ a mundi vanitatibus avulserat, exponit Sanctus in Præfatione Commentariorum in Ecclesiasten, ubi ait:* Memini me ante hoc fermo quinquennium, quum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem,... rogatum ab ea, ut in morem Commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere, quæ legebat. Itaque, quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc perculsus obmutui *etc. Allegata verba indicant, voluisse paulo ante mortem Blæsillæ pro hac Ecclesiasten*

A *clesiasten exponere Sanctum, ne postea fecit pro Paula et Eustochio. Ex iis,* Et non meruimus... talem vitæ nostræ habere consortem *etiam colligitur, Blæsillam cum matre Paula et sorore Eustochio profecturam fuisse in Palæstinam, si vivere perrexisset.*

cujus obitus circa Julium anni 385 figendus.

296 *Tillemontius in* S. Hieronymo *art.* 37 *existimat, Blæsillam obiisse eodem fere tempore, quo obiit Prætextatus gentilis, præfectus prætorio et consul designatus, cujus mortem recte figit sub finem anni 384. Ratio ejus unica petitur ex Epistola* 39, *de qua agimus : in ea enim num.* 2 Hieronymus *Deum inducit loquentem ad Paulam nimis dolentem hoc modo :* Erubesce, Ethnicæ comparatione superaris. Melior diaboli ancilla, quam mea est. Illa infidelem maritum translatum fingit in cælum, tu mecum tuam filiam (*Blæsillam*) commorantem, aut non credis, aut non vis. *Ethnica illa erat Paulina, Prætextati vidua*, Cereris sacerdos magna, *ut observat Vallarsius ad Epistolam* 23, *in qua illud impiæ feminæ de Prætextato mendacium clarius exploditur. Ex loco allegato igitur liquet, Prætextatum fuisse defunctum ante Blæsillam. At ea verba nequeunt evincere,* B *tam exiguo tempore post Prætextatum vixisse Blæsillam, ut dicenda sit obiisse sub finem anni* 384 *aut initium sequentis. Nam Paulina post sex septemve menses mendacium suum non revocaverat, illudque satis recens, et notum erat Romæ, ut iterum explodi posset ab* Hieronymo. *Multo vetustius erat exemplum Melaniæ, quod in eadem Epistola num.* 4, *tamquam recens, Paulæ proponit. Ea igitur ratio nullas contra chronotaxim nostram habet vires. Neque enim verisimile est, Paulam diu Romæ mansisse, postquam bona sua in pauperes et filios diviserat ad discedendum, ut obitus Blæsillæ circa Julium anni* 385 *sit figendus, quemadmodum supra dixi.*

Atrox contra Sanctum cusa calumnia,

297 *Erupit tandem furor quorumdam contra* S. Hieronymum, *simul atque innotuit futurus S. Paulæ discessus. Subornatus est homo nequam, et verisimiliter servus, qui crimen aliquod confictum, imo impudicitiam, ut satis clare insinuatur,* Hieronymo *objiceret, et ne Paulæ quidem parceret. Facile fictitium crimen crediderunt, qui oderant Sanctum, et illi certe, qui calumniæ erant auctores, nihil prætermiserunt, quo fidem inveniret apud plurimos. At calumniator, ubi tormentis coactus* C *est verum dicere, innocentiam* Hieronymi *fassus est. Hæc palinodia calumniatoris, quem servum credimus, quod tormentis fuerit examinatus, sufficiebat ad purgandum* Hieronymum *in judicio. At major erat licentia calumniandi, quam ut ora multorum ea confessione clauderentur, nitentibus in contrarium* Hieronymi *inimicis, inter quos multi procul dubio potentes erant, et non pauci fortasse gentiles. Nam illius calumniæ architectos magis crediderim seculares et nobiles fuisse, quam ecclesiasticos aut monachos. Non deerant quidem ecclesiastici aut monachi vitæ liberioris, qui* Hieronymo *adversabantur, ejusque et scripta et facta carpebant. Verum aliud est dicta factave alicujus minus probare aut carpere, aliud atroces confingere calumnias. Primum fecerunt non solum sæculares, sed etiam imperiti ecclesiastici : alterum paucorum scelere factum fuerit, sed odio Sancti apud plures fidem invenisse videtur.*

de qua queritur in Epistola ad S. Asellam,

298 *Ex laudata ad Asellam Epistola habentur, quæ breviter dicta sunt. Profuerit illa sive testimonio suo sive alio modo in hac occasione* S. Hieronymo, *qui sic exorditur :* Si tibi putem gratias a me referri posse, non sapiam. Potens est Deus super persona mea sanctæ animæ tuæ restituere, quod meretur. Ego enim indignus nec æstimare umquam potui, nec optare, ut mihi tantum in Christo largireris affectum. Et licet me sceleratum quidam putent, et omnibus flagitiis obrutum; et pro peccatis meis etiam hæc parva sint : tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos, bonos putes. Periculosum quippe est de serva alterius judicare, et non facilis venia, prava dixisse de rectis. Veniet, veniet illa dies, in qua et mecum dolebis, ardere non paucos. Ego probrosus, ego versipellis : ego mendax, et satanæ arte decipiens. Quid enim est tutius, hæc vel credidisse vel finxisse de insontibus, an etiam de noxiis credere noluisse? Osculabantur mihi manus quidam, et ore vipereo detrahebant : dolebant labiis, corde gaudebant. Videbat Dominus et subsannabat illos, et miserum me servum suum futuro cum eis judicio reservabat. Alius incessum meum calumniabatur et risum : ille vultui detrahebat : hic in simplicitate aliud suspicabatur.

refutans calumniam,

299 *Tum pergit ad defensionem hoc modo :* Pene certe triennium cum eis vixi. Multa me virginum crebro turba circumdedit... Dicant, quid E umquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat. Pecuniam cujusquam accepi? munera vel parva vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit? obliquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud objicitur, nisi sexus meus, et hoc numquam objicitur, nisi quum Jerosolymam Paula proficiscitur. *Habemus hinc tempus procusæ calumniæ, quando innotuerat, Paulam profecturam in Palæstinam. Sequitur perstricta calumnia :* Esto, crediderunt mentienti. cur non credunt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat : fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certe veritatem magis exprimunt tormenta, quam risus : nisi quod facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, ut fingatur, impellitur. Antequam domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant. Omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus, meus sermo erat. Dicebar sanctus, dicebar humilis et disertus. Numquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? *Hactenus generatim refu-* F *tavit Sanctus suspiciones impudicitiæ sibi objectas, non indicata persona, quacum erat accusatus, nisi obscurissime, indicando ortam calumniam ex vulgato Paulæ proposito Hierosolymam proficiscendi.*

quæ et S. Paulam involvebat.

300 *At sequentia clarissime indicant, S. Paulam simul accusatam fuisse. Sunt autem legenda per interrogationem, ut edidit Martianæus; exponendaque, non de honesta conversatione, ut perperam intellexit Tillemontius art.* 25, *sed de amore impuro, quem refutat ex moribus S. Paulæ.* Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare (*id est, ad libidinem trahere*) mentem, nisi lugens atque jejunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata : quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit : cujus canticum Psalmi, sermo Evangelium, deliciæ continentia, vita jejunium? Nulla me potuit alia delectare, nisi illa, quam manducantem numquam vidi? Sed postquam eam pro suo merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illico deseruere virtutes. *Hæc ultima ironice profert, et mox*

AUCTORE J. S.

mox pergens in refutatione, declarat ejusmodi calumniam etiam sparsem fuisse de Melania, muliere item nobilissima, quæ diu ante in Ægyptum et Palæstinam fuerat profecta, non quod tum accusatus fuisset Hieronymus, *sed quod similis esset causa Melaniæ, quæ et* Melanius *aliquando vocatur, et Paulæ. Hoc unicum videtur illius loci, qui viros eruditos torsit, idque non magnum mysterium.*

insinuansque, quid dolerent

301 *Audiamus* Hieronymum, *qui ita pergit :* O invidia primum mordax tui! o satanæ calliditas semper sancta persequens! Nullæ aliæ Romanæ urbi fabulam præbuerunt, nisi Paula et Melanius, quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis, crucem Domi quasi quoddam pietatis levavere vexillum. Si balneas peterent, unguenta eligerent, divitias et viduitatem haberent materiem luxuriæ et libertatis, dominæ vocarentur et sanctæ. Nunc in sacco et cinere formosæ volunt videri, et in gehennam ignis cum jejuniis et pedore descendere. Videlicet non eis licet, applaudente populo, perire cum turbis. *Clara est ironia. Pergit Sanctus :* Si gentiles hanc vitam carperent, si Judæi, haberent solatium non placendi eis, quibus displicet Christus. Nunc vero, proh nefas! homines Christiani, prætermissa domorum suarum cura, et proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt. Lacerant sanctùm propositum, et remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium. *Post hæc modum vivendi Paulæ, et Melaniæ, licet degentis in Palæstina, comparat cum vita mundanorum, qui tantas excitabant turbas.*

calumniatores :

302 Tibi, *inquit homini mundano,* placet lavare quotidie (*in balneo nimirum*) alius has munditias, sordes putat. Tu attagenem ructas, et de comeso acipensere gloriaris. Ego faba ventrem impleo. Te delectant cachinnantium greges : me Paula Melaniusque plangentes. Tu aliena desideras : illæ contemnunt sua. Te delibuta melle vina delectant : illæ potant aquam frigidam suaviorem. Tu te perdere existimas, quidquid in præsenti non habueris, comederis, devoraveris : illæ futura desiderant, et credunt vera esse, quæ scripta sunt. Esto, inepte et inaniter, quibus resurrectio corporum persuasit, quid ad te? Nobis e contrario tua vita displicet. Bono tuo crassus sis : me macies delectat et pallor. Tu tales miseros arbitraris : nos te miserabiliorem putamus. Par pari refertur, et invicem nobis videmur insanire. *Hæc, quæ non Paulæ solum et Melaniæ, sed ipsius quoque* Hieronymi *mores insinuant, non sine dolore scripsit Sanctus, animo tamen minime dejecto, ut liquet ex verbis sequentibus :* Hæc, mi domina Asella, quum jam navem conscenderem, raptim flens dolensque conscripsi, et gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit.

insignis Sancti in gravissimis illis calumniis

303 Ora autem, ut de Babylone Jerosolymam regrediar, ne mihi dominetur Nabuchodonosor, sed Jesus filius Josedec : veniat Ezras, qui interpretatur adjutor, et reducat me in patriam meam. Stultus ego, qui volebam cantare canticum Domini in terra aliena, et deserto monte Sina, Ægypti auxilium flagitabam. Non recordabar Euangelii, quia qui de Jerusalem egreditur, statim incidit in latrones, spoliatur, vulneratur, occiditur. Sed licet sacerdos despiciat atque levites, Samaritanus ille misericors est, cui quum diceretur, « Samaritanus es et dæmonium habes; » dæmonium renuens, Samaritem se non negavit; quia quem nos custodem, Hebræi Samaritem vocant. Maleficum quidam me garriunt : titulum fidei servus agnosco. Magum vocant et Judæi Dominum meum : Seductor et Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat, nisi humana. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt : sed scio per bonam et malam famam perveniri ad regna cælorum. Saluta Paulam et Eustochium, velit nolit mundus, in Christo meas. Saluta matrem Albinam, sororemque Marcellam, Marcellinam quoque et sanctam Felicitatem, et dic eis : Ante tribunal Christi simul stabimus, ibi apparebit, qua mente quis vixerit. Memento mei, exemplum pudicitiæ, et virginitatis insigne; fluctusque maris tuis precibus mitiga.

fortitudo et modestia.

304 *Totam hanc epistolam dare volui, quia declarat, quam infami calumnia appetitus fuerit Sanctus : simulque manifestam facit viri admirabilem fortitudinem, constantiam, humilitatem, patientiam. Si enim* calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius *Eccle.* 7, ℣ 8; *non possumus non admirari miram* Hieronymi *sapientiam ac fortitudinem, qui epistola non admodum prolixa, raptimque exarata, humiliter ac fortiter, calumniam refutavit, omnemque eidem verisimilitudinem solidis argumentis detraxit; tanta tamen usus est modestia, ut neminem acerbiore verbo lædat, aut quidquam viro Christiano indignum proferat. In Præfatione ad librum Didymi de Spiritu sancto latine redditum de commoratione sua romana sic loquitur :* Cum in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de Spiritu sancto, et cœptum Opusculum ejusdem Urbis pontifici dedicare. Et ecce olla illa, quæ in Jeremia post baculum cernitur a facie Aquilonis, cœpit ardere, et Pharisæorum conclamavit senatus, et nullus scriba vel fictus, sed omnis, quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum me imperitiæ factio conjuravit. Illico ego, velut postliminio, Jerosolymam sum reversus, et post Romuli casam, et ludorum Lupercalia, diversorium Mariæ et Salvatoris speluncam aspexi,... augustiorem multo locum existimans, qui Salvatorem mundi, quam qui fratris (*Remi*) genuit parricidam (*Romulum*).

Non clerici videntur fuisse,

305 *Hunc locum exponere conatur Baronius ad annum* 385 *num.* 8, *conjicitque, per Pharisæorum senatum designari clerum Romanum, eumque inscitiæ accusari, ac imperitiæ factionem vocari. Non existimat eminentissimus scriptor, universim tam indoctos fuisse clericos Romanos, et merito; sed aliquid condonandum existimat* Hieronymo, *justis de causis indignanti. At ego minime video, excusatione* Hieronymum *indigere, nisi aliquos injuste carpserit. Nec video, quo fundamento clerum romanum per senatum Pharisæorum et imperitiæ factionem potius designasset* Hieronymus, *quam homines quoslibet superbos, gloriæ cupidos, fumam scientiæ aucupantes et imperitos aliorum censores. Existimat Baronius, clericos fuisse iratos* Hieronymo *ob epistolam ad Eustochium, recitatque hæc* Hieronymi *verba ex Epistola* 130 (*alias* 8) *ad Demetriadem :* Ante annos circiter triginta de Virginitate servanda edidi librum, in quo necesse fuit mihi ire contra vitia, et propter instructionem virginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere. Qui sermo offendit plurimos, dum unusquisque in se intelligens,

AUCTORE I. S.

A gens, quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audivit; sed quasi criminatorem sui operis aversatus est. Verumtamen quid profuit armasse exercitum reclamantium, et vulnus conscientiæ dolore monstrasse? Liber manet, homines prætcrierunt. *Hæc quidem verba evincunt, multos eo libro fuisse offensos, ut jam ante retuli; sed minime probant, eos fuisse clericos : nec ullum invenire potui argumentum, quo probare valeam, clericos præcipuas in Hieronymo persequendo partes habuisse.*

sed mundani nobiles

306 *Certe* Hieronymus *in Epistola* 54 (*alias* 10), *cum instructurus esset Furiam, viduam nobilissimam et juvenculam, eique secundas nuptias dissuasurus, timere se insinuat ab alio hominum genere, ita scribens :* Sciens et videns in flammam mitto manum : adducentur supercilia, extendetur brachium ; iratusque Chremes tumido dæsæviet ore. Consurgent proceres adversus Epistolam meam : turba patritia detonabit, me magum, me seductorem clamitans, et in terras ultimas deportandum. Addant, si volunt Samaritem, ut Domini mei titulum recognoscam. *Per Chremetem verisimiliter designat Furiæ patrem, etiam* B *tum viventem. Proceres et turba patritia certe non significant clericos. Quapropter, cum Furiæ consanguineos aliosque proceres et patricios maxime tum timere se dicat Sanctus, verisimillimum fit, eorumdem maxime censuram et iracundiam in Sanctum sævisse ob Eustochium, Blæsillam et Paulam instructas, quarum Furia erat consanguinea; illosque fuisse, qui armarunt* exercitum reclamantium *adversus* Hieronymum. *Nolim quidem dicere, nullos* Hieronymo *in gratiam nobilium adversatos fuisse clericos, aut nullos Epistola ad Eustochium fuisse offensos; nam ibi, ut observat Baronius,* cavendos monuit clericos lautos, delicatos et leves, quorum esset periculosa consuetudo : *hos illa monitione offendi potuisse non negavero, et revera fuisse offensos nonnullos facile credo. At paucorum clericorum offensio nequibat tantam excitare persecutionem, quantam passus est* Hieronymus, *et gratis omnino Baronius ait, clericos Romanos ab* Hieronymo *vocari senatum* Pharisæorum, *aut universum clerum imperitiæ argui.*

et potentes consanguineique S. Paulæ.

307 *Adeo sane improbabilis mihi videtur illa Baronii persuasio, ut non inveniam, unde in il-* C *lam incidere potuerit eruditissimus scriptor, nisi forte lapsu memoriæ crediderit, per* Pharisæos *non posse intelligi, nisi sacerdotes et clericos. At nec Pharisæi apud Judæos erant soli sacerdotes, licet inter hos nonnulli essent Pharisæi : et non alios videtur* Pharisæos *vocare* Hieronymus, *quam illos qui Pharisæorum vitia imitabantur, cujuscumque sint ordinis. Hoc sensu* Hieronymus *in Matthæum scribens, dum exponit illa Christi de scribis et Pharisæis verba cap.* 23, ℣ 5. Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, *ait :* Quicumque igitur ita facit quodlibet, ut videatur ab hominibus, Scriba et Pharisæus est. *Hæc mens* Hieronymi, *hos vocat* Phærisæos, *qui arrogantia pleni et superbia, opponebant se illis, qui vitam eligebant modestam, humilem, piam, et Christi doctrinæ magis conformem, sicut Pharisæi populum quocumque poterant modo a Christo abducebant. Hos autem fuisse potentes, nobilesque et divites, liquet ex omnibus* S. Hieronymi *epistolis, in quibus ad illorum respondet convitia. Hos refutat in epistola ad Asellam verbis num.* 301 *datis. Hosce acriter refellit in epistola* 38 *de ægrotatione Blæsillæ, ubi de Blæsilla sanata non dubitat dicere:* Nihil tibi debet, o ingrata cognatio, quæ mundo periit, et Christo revixit. Qui Christianus est, gaudeat : qui irascitur, non se esse indicat Christianum.

308 *Mox contra hos apologiam texit, ita pergens :* Vidua, quæ soluta est vinculo maritali, nihil necesse habet, nisi perseverare. At scandalizat quempiam vestis fuscior? Scandalizet Joannes, quo inter natos mulierum major nullus fuit : qui angelus dictus, ipsum quoque Dominum baptizavit : qui camelorum vestitus tegmine, zona pellicea cingebatur. Cibi displicent viliores? Nihil vilius est locustis. Illæ Christianos oculos scandalizent potius, quæ purpurisso et quibusdam fucis ora oculosque depingunt : quarum facies gypseæ et nimio candore deformes, idola mentiuntur : quibus si forte improvidis lacrymarum stilla eruperit, sulco defluit : quas nec numerus annorum potest docere, quod vetulæ sint : quæ capillis alienis verticem struunt, et præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt : quæ denique ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur. *Mitto reliqua : nam hæc satis innuunt, cujus conditionis viros refutaret et mulieres. In horum quoque gratiam, dum sepelie-* E *batur Blæsilla, ut habet Epistola* 39, inter se populus mussitabat, *non clerus :* Quo usque genus detestabile monachorum non urbe pellitur, non lapidibus obruitur, non præcipitatur in fluctus? *Quorum invidiam exceperit causa Blæsillæ in eadem epistola ipse* Hieronymus *declarat his verbis :* Mihique (*Blæsilla*) veniam impetrat peccatorum, quod monui, quud hortatus sum, quod invidiam propinquorum, ut salva esset, excepi. *Quapropter gravissima illa persecutio, quam Romæ passus est* Hieronymus, *non est attribuenda clero Romano, nec consequenter clerum imperitiæ accusavit* Hieronymus, *sed præcipue consanguineis S. Paulæ, aliisque ejusdem ordinis viris et mulieribus illorum amicis. Hi vero multos ob potentiam in suas partes traxerunt, interque eos verisimiliter clericos aliquot minus religiosos, et nominatim eos, quos epistola ad Eustochium offenderat.*

qui Hieronymum persequebantur.

309 *Altera Baronii conjectura est, quod Siricius Damasi successor usus non fuerit opera* S. Hieronymi *in conscribendis epistolis, neque Sanctum tanta amicitia foverit, quanta eumdem prosecutus erat Damasus. Utrumque videtur verum : ne-* F *que enim ulla habemus indicia singularis amicitiæ, quæ fuisset inter Siricium et* Hieronymum. *Verum nulla id Siricii culpa aut infenso in* Hieronymum *animo accidisse existimo; sed potius ipsius* Hieronymi *voluntate. Imo vehementer suspicor, non nisi exiguo tempore curam ecclesiasticas scribendi Epistolas incubuisse* Hieronymo : *nimirum quod ipse non desideraret ejusmodi curas; sed mallet unice occupari sacrarum Scripturarum studio. Existimo igitur, consensisse Damasum* Hieronymi *desiderio, et pro negotiis Ecclesiæ correctionem Novi Testamenti eidem demandasse, variasque proposuisse ex sacris litteris quæstiones. Vel sola Damasi Epistola* 35 *inter Hieronymianas, qua* Hieronymum *ait,* longo tempore legentem potius, quam scribentem, *quæstiunculis excitare se velle, responsumque* Hieronymi *ad illam, satis insinuat, non amplius eo tempore ab epistolis Damaso fuisse* Hieronymum; *sed eidem potius operam præstitisse pro sacrarum Scripturarum intelligentia.*

Siricius Papa non videtur Hieronymo adversatus.

310 *Ceterum S. Gregorius Magnus lib.* 9, *Epist.* 12 *novissimæ editionis ad Joannem episcopum*

AUCTORE I. S.

Aliqua de gestis Romæ minus certis.

pum Syracusanum ait : Nam ut ALLELUIA hic diceretur (*nimirum extra tempus Paschale, ut modo loquimur*) de Jerosolymorum ecclesia ex beati Hieronymi traditione traditur tractum. *Potuit, suadente* Hieronymo, *id instituere Damasus.* Alleluia *certe gratissimum fuit* Hieronymo : *nam de Hebraica illa Domini laudatione in Epistolis frequenter meminit. Utrum vero consuetudo ob Hierosolymitana ecclesia, an ab Antiochena aut Constantinopolitana ad Romanam, auctore* Hieronymo, *fuerit translata, an forte ab omnibus istis, non inquiro. Posset hic etiam aliquid observari de disputatione* S. Hieronymi, *quam Romæ habuit cum viro aliquo erudito, ut ipse refert in Epistola* 69 (*alias* 83) *ad Oceanum. Verum totam illam disputationem exponere malim ad tempus, quo data est memorata Epistola, ut transeamus ad investigandum annum, quo Sanctus Roma discessit. Neque enim ulterius examinabo Epistolas aliquot ad Damasum, quæ ab eruditis editoribus Operum* S. Hieronymi *suppositītiis dudum annumeratæ sunt : nec inquiram, an* Hieronymi *revera sint pauca carmina, quæ ejus nomine in Annalibus suis ad annum* 384 *exhibuit Baronius, cum* B *non invenerim, Sanctum versibus componendis umquam fuisse occupatum.*

§ XVIII. Discessus Hieronymi in Palæstinam anno 385 figendus.

Quamquam aliqua suspicionem ingerunt,

De *anno, quo* S. Hieronymus *discessit in Palæstinam, diu hæsi ambiguus inter* 384 *et* 385, *quod nonnulla* S. Hieronymi *dicta invenirem, quæ priori viderentur magis favere, quam posteriori : argumenta vero chronologorum, qui passim* Hieronymi *discessum figunt anno* 385, *utcumque jam soluta essent a Papebrochio nostro, etiamsi ille etiam communiori sententiæ de morte S. Damasi consenserit. Urgebat me quam maxime locus* S. Hieronymi *in Epitaphio S. Paulæ, ubi dicit de S. Paula* : Vixit in sancto proposito Romæ annos quinque, Bethleem annos viginti. *Cum enim, teste eodem ibidem* Hieronymo, *obierit die* 26 *Januarii, anno* 404, *et discesserit in Palæstinam post* Hie- C ronymum *mense Augusto vel Septembri, ab alterutro mense anni* 385 *usque ad* 26 *Januarii anni* 404 *inveniantur solum anni octodecim et menses quatuor vel quinque, etiamsi totum iter, quod certe aliquot mensium fuit, commorationi in Bethleem includatur. Facile quidem credebam, iter in Palæstinam viginti illis annis annumeratum fuisse ; sed existimare vix poteram, annos octodecim et menses forte quinque* annos viginti *fuisse dictos ab* Hieronymo, *præsertim cum scriberet Epitaphium, et integram S. Paulæ ætatem exacte per annos, menses et dies designaret.*

Hieronymum anno 384 Roma discessisse,

312 *Hæ rationes vehementem mihi suspicionem ingerebant de anno* 384, *Pagiumque ad annum* 404, *num.* 34 *sui immemorem fecerunt : nam ex illis intulit, S. Paulam* in Bethleem *vixisse ab* anno 384 : *quod ejus sententiæ de morte Damasi omnino repugnat. Etenim certum est ex ipso* Hieronymo, *S. Damasum fuisse defunctum, priusquam Roma ille aut S. Paula discederet, cum in Epistola* 45 *ad Asellam, quam discedens scripsit, dicat* : Beatæ memoriæ Damasus, meus sermo erat. *In eadem rursum Epistola aperte insinuat, persecutiones, quas Romæ passus est, inchoatas esse post mortem Damasi, ut necessario dicen-* D *dum sit,* Hieronymum *aliquot saltem mensibus Romæ commoratum esse post mortem Damasi. Itaque, cum Damasus obierit* 10 *aut* 11 *Decembris,* Hieronymus *vero discesserit mense Augusto, nequit discessus* Hieronymi *anno* 384 *innecti, nisi Damasi mors figatur anno* 383. *Viderunt hoc Baronius, Tillemontius, aliique plures, qui obitum Damasi figunt anno* 384, *discessum* Hieronymi *et Paulæ in Palæstinam anno* 385. *Horum vero argumenta tendunt ad probandum, non obiisse S. Damasum ante Decembrem anni* 384 : *ex quo consequitur, ut* Hieronymus *non discesserit ante Augustum anni sequentis. At rursum afferri possunt nonnulla, quæ innuunt, Damasum ab anno* 383 *fuisse defunctum, et vel maxime allegatus supra* Hieronymi *locus, cujus difficultatem dissimularunt magis, quam expenderant Baronius, Pagius et Tillemontius : et cujus causa Papebrochius noster minus certam credidit epocham mortis Damasi, licet communiori sententiæ consentiat, et anno* 384 *mortuum tradat.*

ex morte tamen Prætextati, ab ipso Hieronymo memorata

313 *Quare diuturno studio quæsivi, an argumenta, quæ verbis* S. Hieronymi *proprio sensu intellectis videntur contraria, probabili satis responso dilui possent; sed ita quærendo aliud argumentum inveni, quo omnem deposui dubitationem* E *de anno, quo Sanctus in Palæstinam discessit. Supra vidimus, de morte Prætextati consulis designati mentionem fecisse* Hieronymum *in Epistola* 23 *ad Marcellam de Exitu Leæ, et rursum in Epistola* 39 *de Obitu Blæsillæ. At obitus Prætextati, qui anno* 384 *erat præfectus prætorio, nullo ratione figi potest ante Augustum aut etiam circa initium aut medium Augusti ejusdem anni* 384; *sed necessario figendus est sub finem anni. Cum enim defunctus sit consul designatus, antequam consulatum Kalendis Januarii inire posset, et consules eo tempore designarentur anno ad finem vergente, ut aliquot exemplis probat Tillemontius tom.* V *Imperatorum Nota* 20 *in Theodosium I; dicendum est sub finem anni* 384 *obiisse Prætextatum, ut etiam observat laudatus Tillemontius. Præterea Gothofredus in Chronologia codicis Theodosiani pag.* 112 *laudat Legem anno* 384 Aquileiæ datum 5 Idus Septembris... ad Prætextatum præfectum prætorio. *Vivebat igitur Prætextatus initio Septembris, et verisimiliter necdum erat designatus consul.* F

certo constat, non discessisse ante annum 385.

314 *Hoc autem argumentum certius etiam stringit, quia Epistola, in qua de morte Prætextati prima fit mentio, scripta videtur multis mensibus ante discessum* Hieronymi. *Non discessit igitur* Hieronymus *anno* 384, *quo post Augustum vivebat Prætextatus; sed mense Augusto anni* 385, *octo aut novem circiter mensibus post ejus mortem. Neque dici prudenter potest,* Prætextatum *in neutra Epistola nominari ab* Hieronymo, *eaque de causa alium forsan esse, de quo loquitur Sanctus. Nam Symmachus orator, qui tum erat Urbis præfectus, lib.* 10, *Epist.* 23, 24 *et* 25 *Prætextati mortem imperatoribus annuntiat, et non modo consulem fuisse designatum insinuat, sed etiam talia de turbatione et luctu Urbis in morte Prætextati scribit, qualia de consule designato* Hieronymus. *Quare nec Baronius, nec Tillemontius, nec Vallarsius dubitat, quin de Prætextato loquatur* Hieronymus : *nec merito dubitari potest, cum et tempus et reliqua omnia congruant, et consul designatus esset Prætextatus.*

315 *Aliud argumentum, quod præcipuum est ex iis, quæ allata sunt ad mortem S. Damasi figendam*

Idem recte infertur ex Epistola Siricii ad Himerium.

A *gendam sub finem anni 384, et consequenter iter* S. Hieronymi *anno 385, petitur ex Epistola S. Siricii papæ ad Himerium Tarraconensem, relata apud Baronium ad annum 385, num. 6, impressa vero apud Labbeum tom. II Conciliorum col. 1017, et apud Constantium in Epistolis Romanorum Pontificum col. 624 et alios. Etenim Epistola notatur* data tertio Idus Februarias, Arcadio et Bautone consulibus; *id est, die 11 Februarii anni 385. Exordium vero Epistolæ luculenter insinuat, datam esse circa initium Pontificatus Siricii, qui Damaso successit. Sic enim orditur Siricius:* Directa ad decessorem nostrum sanctæ recordationis Damasum fraternitatis tuæ relatio me jam in Sede ipsius constitutum, quia sic Dominus ordinavit, inveni. Quam cum in conventu fratrum sollicitius legeremus, tanta invenimus, quæ reprehensione et correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse nos erat in ejus labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem, facto, ut oportebat, primitus meæ provectionis indicio, ad singula, prout Dominus aspirare dignatus est, consultationi tuæ res-
B ponsum competens non negamus etc. *Omnia hæc insinuant, Siricium sub initium Pontificatus sui hæc scripsisse, et non diu post mortem Damasi, cum hunc vivere crederet Himerius, dum suam scribebat Epistolam. Sive enim vivente Damaso, scripserit Himerius, sive, eo jam defuncto, sed mortem ejus ignorans; epistola ejus Romam pervenit, dum electus erat Siricius, atque hic insinuat, se non diu post respondisse. Itaque recte omnia congruunt diei 10 aut 11 Decembris, quo obiit Damasus, et anno 384. Verum satis nobis est ostendisse, obiisse saltem Damasum post Augustum anni 384, et consequenter* Hieronymum *non discessisse ante Augustum anni 385.*

cujus nota consularis, quod olim vitiose legeretur, suspecta fuit:

316 *Papebrochius noster in propylæo Maji pag. 58 agnoscit valorem hujus argumenti; modo nota consularis sit genuina. At cum hæc mendose primum edita fuerit hoc modo:* Arcadio et Bautone viris clarissimis consulibus, *suspectam habet hanc notam duplici de causa,* Primo, *inquit,* quia aliæ hujus Pontificis epistolæ, aliunde erutæ, carent consule: nec in prægressis aliorum Pontificum germanis epistolis, neque in iis, quas episcopi alii ad Romanos Pontifices, imo et ad hunc Siricium dedere, notatur hactenus data diei
C vel consulatus, ut omnino videatur necdum usus iste in signandis epistolis obtinuisse. Secundo suspectus merito est communis utrique consuli titulus (*nempe* viris clarissimis.) Nemo enim ea ætate sic scripserit, sed bene: « Arcadio Aug. et « Bautone viro clar. coss. » *Hæc Papebrochius de data Epistolæ, quam alioquin gravem et probam fatetur, et plagiis nullis cuiquam suspectam, ut omnis ejus suspicio in solam cadat subscriptionem, acsi illa postmodum fuisset addita, non in ipsam epistolam, ut perperam aliqui dixerunt.*

at cum eadem recte legatur in antiquioribus mss.,

317 *At Constantius, in Epistolis Pontificum* col. 638 *in annotatis ad Epistolam Siricii observat sequentia:* Abest « viris clarissimis » ab antiquioribus mss. Neque ista duo verba legit Dionysius Exiguus, uti fidem facit sincerum ejus exemplar in regia bibliotheca asservatum. Postmodum in collectione ab Hadriano ad Carolum Magnum missa temere adjectum est, vv. cc. ante coss., quod et in alias exinde translatum est. Ex omnibus autem collectionum speciebus nulla est, quæ notam illam consularem non exhibeat. Quocirca Tillemontio levis ac sublesta merito visa est conjectura Papebrochii, qui hac nota motus non satis puram ac sinceram esse suspicatur reliquam Epistolam. *Ita ille optima affert, quibus Papebrochii rationibus possit satisfieri: sed falsa ait,* reliquam epistolam *Papebrochio* non satis puram ac sinceram *esse visam, cum plane contrarium hic dicat, et solam epocham impugnet. Unice igitur inferre debuerat, ex documentis productis conjecturam Papebrochii fieri improbabilem. Cum enim in omnibus omnino reperiatur collectionibus nota illa consularis, et in antiquioribus mss., uti et apud Dionysium Exiguum, vitio postmodum adjecto careat; improbabile fit, postmodum adjectam fuisse, atque ita concidit conjectura Papebrochii, qui judicavit secundum documenta suo tempore vulgata.*

et apud Dionysium Exiguum, cessat illa suspicio:

318 *Laudatus Constantius ulterius ad argumentum Papebrochii hoc responso utitur:* Neque hinc moveri magis debuit vir eruditus, quod Siricii decessoribus inusitatum hactenus fuerit litteras suas consulari nota consignare; maxime cum hunc usum postea Innocentio ceterisque successoribus ejus familiarem fuisse constet. *Verum potuit quidem dicta ratione moveri Papebrochius,* E
cum quod inter epistolas Siricii solum duas inveniret consulari nota insignitas, et utraque difficultatibus obnoxia, nullam vero Anastasii, qui inter Siricium et Innocentium est medius; tum quod falsam consulum notam uni ex Epistolis Damasi videret additam. Si tamen scivisset, notam illam consularem recte adjunctam Epistolæ legi apud Dionysium Exiguum, cujus magna in his debet esse auctoritas, suspicionem suam procul dubio deposuisset.

videturque Siricius notas consulares primus Epistolis addidisse.

319 *Ad hoc confirmandum valet exemplum Innocentii et successorum. Etenim, postquam diligenter consideravi Epistolas summorum Pontificum sæculi 4 et 5, in eam inducor opinionem, ut credam, usum signandi epistolas diei et consulum nota a Pontificibus captam vergente ad finem sæculo 4. Primus id fecisse videtur Siricius, sed non constanter. Successoris Anastasii una solum exstat Epistola sine ulla temporis nota, ex qua de ejus consuetudine nequit certum ferri judicium. Tum ex Innocentii litteris plures, quam Siricii, habent diei et consulum notam; ea tamen adhuc caret illarum pars major. Deinde vero Epistolæ Zozimi, qui Innocentium secutus est, omnes fere nota consulari sunt signatæ, nonnullæ tamen solo mense et* F
die. Eadem fere est consuetudo in Epistolis Pontificum proxime subsequentium, nimirum Bonifacii, Cælestini, Sixti III, Leonis Magni, aliorumque. Itaque quod in paucis fecisse reperitur Siricius, in pluribus Innocentius, in plerisque epistolis fecerunt subsecuti sæculo 5 Pontifices. Cum autem Dionysius Exiguus laudatam Siricii Epistolam cum nota consulari dederit, uti et reliqui omnes Epistolarum Pontificiarum collectores, teste Constantio, nulla superest dubitatio, quin legitima sit illius Epistolæ epocha, et validum argumentum, quod ex ea desumitur pro obitu S. Damasi, et pro discessu Hieronymi *ad annum 385 referendo.*

Aliud argumentum Baronii.

320 *Baronius etiam argumentum desumpsit ex Epistola Symmachi, tum Urbis præfecti, in qua de Damaso vivente meminit: idque magni fecit Tillemontius. Illud compendio trado. Symmachus lib. 10, Epist. 34, cum esset accusatus de persecutione contra Christianos, purgat se, et Damasum Papam innocentiæ suæ vocat testem. Atqui, inquiunt, Symmachus Urbis præfectus erat anno 384.*

AUCTORE J. S.

Hoc anno igitur Damasus vivebat. Certissima esset consecutio, si Symmachus præfecturam non esset adeptus ante annum 384. At ex Epistola ejusdem libri 31 facile probari potest, ab æstate anni 383 præfectum fuisse. Itaque accusari potuisset ante Decembrem anni ejusdem, et se per dictas litteras defendere, ut ex argumento sic proposito nihil habeatur certi de tempore mortis Damasi. Cum tamen in eadem Epistola fiat mentio Prætextati præfecti prætorio; *Prætextatus vero præfecturam illam forte anno 383 non gesserit; sed certo habuerit anno 384; verisimillimum fit, Epistolam Symmachi anno 384 esse scriptam, et consequenter eo anno vixisse S. Damasum, quod ex priori argumento fit certum. Si autem anno 384 vixit Damasus, sequenti solum discessit* Hieronymus, *ut certis argumentis probatum est.*

Exponitur locus S. Hieronymi in speciem contrarius,

321 *Quapropter locus* S. Hieronymi, *qui præcipuam habet difficultatem ob annos viginti commorationi S. Paulæ in Palæstina attributos, necessario explicandus est modo improprio, quo scriptores aliquando utuntur, et quo usus est verisimiliter* S. Hieronymus, *ut numero uteretur rotundo, et Sanctæ in Palæstina commorationem,* B *quantum posset, extenderet. Nimirum partem anni* 385, *quo* Hieronymus *et Paula in Palæstinam discesserunt, pro anno numeravit, et post* 18 *annos integros initium anni 404, quo defuncta est Paula, pro alio anno; eoque numerandi modo annos invenit viginti. Eodem loquendi modo Christus Dominus tribus diebus dicitur fuisse in sepulcro, etiamsi non magna primi et tertii diei parte ibidem permanserit.*

et respondetur ad Chronica.

322 *Possent etiam objici Chronica Marcellini et Prosperi : nam Marcellinus mortem Damasi figit anno 382; Prosper vero ad annum 385 hæc scribit :* Hoc tempore Hieronymus presbyter, toto jam mundo clarus, habitat in Bethleem, egregio ingenio et studio universæ Ecclesiæ serviens. *Hæc saltem de habitatione rectius dicerentur anno sequenti; circa initium enim anni* 386 Hieronymus *in Palæstinam pervenit. Videtur igitur Prosper iter* Hieronymi *referre ad annum 384, quemadmodum et electionem Siricii papæ videtur figere sub initium ejusdem anni 384. At horum chronologorum auctoritas certioribus argumentis cedere debet; et utrique opponi potest Idatius, qui in Chronico suo Pontificatum Siricii differt usque* C *ad annum 8 Theodosii, Christianæ æræ 386, ut crediderit, non obiisse Damasum ante 385, et sic in contrariam partem excedat. Unice itaque hæc probant, Chronicorum collectores facile ad annum unum alterumve aberrare, eaque de causa illorum auctoritati non inhærendum, dum certiora aliunde habentur monumenta.*

§ XIX. Sancti iter in Palæstinam et socii : lustrata Palæstinæ et Ægypti loca sacra : consultus de sacris Scripturis Didymus.

Sanctus cum sociis mense Augusto navem ascendit,

Quandoquidem *abunde probatum est,* S. Hieronymum *anno 385 Roma in Palæstinam discessisse, ad iter ipsum et itineris socios progredimur. Scripsit* Hieronymus *Epistolam ad Asellam § 17 recitatam, dum erat ingressurus in navim. De ipso autem discessu lib. 3 contra Rufinum num. 22 hæc commemorat :* Vis nosse profectionis meæ de Urbe ordinem? Narrabo breviter. D Mense Augusto, flantibus Etesiis, cum sancto Vincentio presbytero (*Constantinopolitano, jam ante memorato*) et adolescente fratre (*Pauliniano, qui Romæ se* Hieronymo *adjunxerat,*) et aliis monachis, qui nunc Jerosolymæ commorantur, navim in Romano Portu (*oppido postea exciso*) securus ascendi, maxima me Sanctorum frequentia prosequente; *nimirum usque Portum, et ad navim. Non videntur tamen comitatæ matronæ aut virgines, cum omnium amicissimas salutet in Epistola ad Asellam, et nominatim Paulam et Eustochium, brevi secuturas.*

navigatque in Cyprum, inde Antiochiam, venitque Hierosolymam :

324 *De navigatione subjungit :* Veni Rhegium (*civitatem in ultimo Italiæ angulo ad fretum Siculum, cui et Scylla adjacet*) in Scyllæo littore paululum steti, ubi veteres didici fabulas, et præcipitem pellacis Ulyssis cursum, et sirenarum cantica, et insatiabilem Charibdis voraginem. Cumque mihi accolæ illius loci multa narrarent, darentque consilium, ut non ad Protei columnas, sed ad Jonæ portum navigarem; illum enim fugientium et turbatorum, hunc securi hominis esse cursum, malui per Maleas et E Cycladas Cyprum pergere. Urbi susceptus a venerabili episcopo Epiphanio, cujus tu testimonio gloriaris (*hoc ironice de Rufino*) veni Antiochiam, ubi fruitus sum communione pontificis confessorisque Paulini, et deductus ab eo media hyeme et frigore gravissimo, intravi Jerosolymam.

quo etiam itinere secuta est S. Paula

325 Vidi multa miracula, et quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi. *Hæc ultima insinuant,* Hieronymum *antea numquam Hierosolymæ fuisse. Eodem fere cursu in Palæstinam paulo post pervenit S. Paula, quæ similiter S. Epiphanium in Cypro, et Paulinum vidit Antiochiæ. Non dicit quidem Sanctus, eodem tempore se in Cypro aut Antiochiæ cum Paula fuisse. Hoc tamen verisimile est, maxime de Antiochia, cum et Paula, teste* Hieronymo *in Epitaphio sive Epistola* 108 media hyeme *discesserit Antiochia. Quapropter suspicatur Tillemontius art. 42,* Hieronymum *et Paulam simul Antiochia discessisse in Palæstinam : quod et mihi fit verisimile.*

Visitat loca sacra,

326 *Hoc autem iter si una instituerint, omnia etiam loca sacra Palæstinæ, quæ S. Paula visitavit, ut fuse exponit* Hieronymus *in Epistola* 108, F *simul adiverint. Baronius non existimat,* S. Hieronymum *cum S. Paula aliisque fuisse in itinere, quod hæc ad omnia Palæstinæ et Ægypti loca sacra instituit. Unica ejus ratio est, quod* Hieronymus *id clare non edicit. Verum, cum eadem itinera susceperit* S. Hieronymus, *idque pro intelligentia sacrarum Scripturarum, et uno saltem loco insinuet, se visitanti loca sacra Paulæ adfuisse, dubitare vix possim, quin* S. Hieronymus, *comitantibus aliquot viris eruditis, qui singula exponerent loca, aut certe traditiones de locis sacris vigentes, una cum S. Paula, et comitantibus eam virginibus itinera illa instituerit. Nam tanta accuratione Sanctus Paulæ itinera describit, ut ex modo narrandi singula adfuisse videantur.*

ut sacras Scripturas melius intelligat,

327 *Qua vero intentione Palæstinam lustraverit, exponit in Præfatione in librum Paralipomenon, secundum septuaginta interpretes correctum, ita ordiens :* Quomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; et tertium Virgilii librum (*sive itinera Æneæ*) qui a Troade per Leucaten et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigarint; ita sanctam Scripturam

Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus est, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curæ fuit, cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universæ Christi ecclesiæ sonant. Fateor enim, mi Domnion et Rogatiane carissimi, numquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse magistrum opinionem meam, sed ea etiam, de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de his, super quibus anceps eram? *In Præfatione ad Commentarios in Naum ait, vicum* Elcesi, *in quo natus erat propheta Naum, sibi a circumducente monstratum.*

simul cum S. Paula.

328 *Quapropter verbis supra datis,* Vidi multa miracula *etc., non alia insinuari existimo, quam relata in itinere S. Paulæ per Palæstinam. Etenim num.* 10, *quando refert S. Paulam in Bethleem* et in specum Salvatoris, *antequam ibi domicilium fixerat, ingressam, ait:* Jurabat, me audiente. *His igitur verbis clare edicit, se eo tempore cum Paula fuisse, ut nulla sit ratio existimandi, reliquum Palæstina iter ab ea sine magistro suo* Hieronymo *institutum. Præterea sanctus in Præfatione libri* 1 *in Osee indicat, se anno* 386 *Alexandriæ fuisse* rogatu *S. Paulæ. At nulla occurrit ratio, qua rogasset S. Paula, ut* Hieronymus *Alexandriam proficisceretur, nisi quod ipsa eodem proficiscens sanctum desideraret itineris comitem. Verba S.* Hieronymi *dabo num.* 337. *Non videtur itaque dubitandum, quin anno* 386 *cum S. Paula primum hiemali tempore præcipua Palæstinæ loca viserit, ac deinde verno tempore in Ægyptum sit profectus: nam æstivo tempore ex Ægypto Paulam rediisse videbimus. Hac de causa* Hieronymus *lib.* 3 *contra Rufinum post data verba de itinere in Palæstinam, visisque ibidem miraculis; de itinere in Ægyptum et reditu in Bethleem subjungit sequentia :* Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ (*uti et S. Paula*), et inter sanctorum choros aspides (*Origenistas*) latere perspexi. Protinus concito gradu Bethleem meam reversus sum, ubi adoravi præsepe et incunabula Salvatoris; *quemadmodum fecit et S. Paula, perpetuum in Bethleem figens domicilium.*

quæ Hieronymum habebat magistrum,

329 *Quapropter et tempus, quo uterque itinera illa suscepit, et adjuncta omnia insinuant, Paulam cum* Hieronymo *omnia lustrasse, tamquam cum magistro, quem sibi pro sacrarum Scripturarum intelligentia elegerat. Quod autem* Hieronymus *id clare non edicat, licet alias res esset honestissima, quia utrique plures aderant sui sexus comites, factum suspicor ob calumnias Romæ a malevolis sparsas, quarum verisimiliter causa non eodem tempore Roma discesserunt. Itaque, cum mihi non supersit dubium, quin itinera Paulæ, ab* Hieronymo *relata, sint ipsius quoque* Hieronymi, *et loca in Scripturis memorata non minus studiose ab hoc lustrata sint, quam ab illa; compendio illa itinera recitabo, rescissis brevitatis causa multis, quæ ad commendandam S. Paulæ pietatem inserta sunt. Hæc autem videri possunt ad* 26 *Januarii in S. Paula. Ex dandis vero colliget prudens lector, quantum laboraverit S.* Hieronymus *ad acquirendam sacrarum Litterarum perfectam intelligentiam.*

Exponuntur

330 Omitto, *inquit*, Cœles Syriæ et Phœnicis iter (*qua Antiochia in Palæstinam sunt profecti*) ea tantum loca commemorabo, quæ sacris voluminibus continentur. Beryto Romana colonia, et antiqua urbe Sidono derelicta, in Sareptæ litore Eliæ est ingressa turriculam, in qua adorato Domino Salvatore, per arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, pervenit Acco, quæ nunc Ptolemais dicitur: et per campos Mageddo, Josiæ necis conscios, intravit terram Philisthiim: mirata ruinas Dor, orbis quondam potentissimæ; et versa vice Stratonis Turrim ab Herode rege Judææ in honorem cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelii domum, Christi vidit ecclesiam, et Philippi ædiculas, et cubicula quatuor virginum prophetarum. Deinde Antipatrida, semirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocaverat, et Lyddam, versam in Diospolim, Dorcadis atque Æneæ resurrectione ac sanitate inclytam. *Hæc videtur conjungere* Hieronymus, *licet solus Æneas Lyddæ fuerit sanatus, Dorcas vero resuscitata in Joppen mox memoranda, quia S. Petrus Lyddæ erat, dum Dorcadem ut resuscitaret rogatus est.*

loca

331 Haud procul ab ea (*vidit cum* Hieronymo *Paula*) Arimathiam, viculum Joseph, qui Dominum sepelivit, et Nobe, urbem quondam sacerdotum, nunc tumulum occisorum: Joppen quoque, fugientis portum Jonæ;... repetitoque itinere Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit. Atque inde proficiscens, ascendit Bethoron inferiorem et superiorem, urbes a Salomone conditas, sed varia postea bellorum tempestate deletas, ad dexteram aspiciens Aialon et Gabaon, ubi Jesus filios Nave contra quinque reges dimicans, soli imperavit et lunæ; et Gabaonitas ob dolos et insidias fœderis impetrati in aquarios lignariosque damnavit. In Gabaa, urbe (*alia*) usque ad solum diruta paululum substitit, recordata peccati ejus, et concubinæ in frusta divisæ, et tribus Benjamin trecentos viros propter Paulum apostolum reservatos . . . Ingressa est Jerosolymam, urbem trinominem, Jebus, Salem, Jerusalem, quæ ab Ælio postea Hadriano de ruinis et cineribus civitatis in Æliam suscitata est.... Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulcrum resurrectionis, osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat angelus: et ipsum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat... Unde egrediens, ascendit Sion... Hanc urbem quondam expugnavit et reædificavit David... Ostendebatur illi columna, ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur flagellatus. Monstrabatur locus, ubi super centum viginti credentium animas Spiritus sanctus descendisset, ut Joelis vaticinium compleretur.

sacra,

332 Deinde perrexit Bethleem, et in dextera parte itineris stetit ad sepulcrum Rachel, in quo Benjamin . . . procreavit. Atque inde Bethleem ingressa, et in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diversorium, et stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, . . . me audiente jurabat, cernere se oculis fidei Infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, . . . parvulos interfectos, Herodem sævientem, Joseph et Mariam fugientes in

AUCTORE . S.

in Ægyptum.... Haud procul inde descendit ad turrim Ader, id est, Gregis; juxta quam Jacob pavit greges suos. et pastores nocte vigilantes audire meruerunt; Gloria in excelsis Deo *etc. Non alia intentione tum in Bethleem venit cum* S. Hieronymo *S. Paula, quam ut sacra lustraret loca, ut satis colligitur ex sequentibus. Voluit tamen ibi postea figere habitationem, sed prius peregrinationem suam perficere, ut sequitur.*

quæ S. Paula

333 Statimque concito gradu, cœpit per viam veterem pergere, quæ ducit Gazam, ad potentiam vel ad divitias Dei, et tacita secum volvere, quomodo eunuchus Æthiups, gentium populos præfigurans, mutaverit pellem suam, et dum vetus relegit Instrumentum, fontem repererit Euangelii. Atque inde ad dexteram transit. A Bethsur venit Escol, quæ in botrum vertitur. Unde in testimonium terræ fertilissimæ . . . exploratores botrum miræ magnitudinis portaverunt. Nec post longum spatium intravit Saræ cellulas, videns incunabula Isaac, et vestigia quercus Abraham, sub qua vidit diem Christi, et lætatus est. Atque inde consurgens, ascendit Chebron, hæc est Cariath-arbe, id est, oppidum B virorum quatuor . . . Altera die, orto jam sole, stetit in supercilio Caphar Barucha, id est, Villæ Benedictionis, quem ad locum Abraham Dominum prosecutus est: unde latam despiciens solitudinem, ac terram quondam Sodomæ et Gomorræ, Adamæ et Seboim, contemplata est balsami vineas in Engaddi; et Segor, vitulam conternantem, quæ prius Bala vocabatur, et in Zoaram, id est, Parvulam, Syro sermone translata est. Recordabatur speluncæ Lot, et versa in lacrymas, virgines socias admonebat, cavendum esse vinum, cujus opus Moabitæ sunt et Ammonitæ...

cum Hieronymo

334 Post ingressa sepulcrum Lazari, Mariæ et Marthæ vidit hospitium, et Bethphage, villam sacerdotalium maxillarum, et locum, in quo pullus lasciviens gentium Dei frena suscepit, Apostolorumque stratus vestibus, mollia terga præbuit ad sedendum. Rectoque itinere descendebat Jericho, recogitans illum de Euangelio vulneratum, . . . et locum Adomim, quod interpretatur sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus: et arborem sycomorum Zachæi; et juxta viam C cæcorum loca. . . Ingressa Jericho, vidit urbem, quam fundavit Hiel in Abiram primogenito suo, et cujus portas posuit in Segub novissimo filiorum. Intuita est castra Galgalæ, et Acervum præputiorum, et secundæ circumcisionis mysterium; et duodecim lapides, qui de Jordanis illuc translati alveo, duodecim Apostolorum fundamenta firmaverant; et fontem quondam Legis amarissimum, et sterilem, quem verus Elisæus sua condivit sapientia, et in dulcorem ubertatemque convertit. Vix nox transierat, ferventissimo æstu venit ad Jordanem, stetit in ripa fluminis, et orto sole, Solis justitiæ recordata est, quomodo in medio amnis alveo sicca sacerdotes posuerint vestigia, et ad Eliæ et Elisæi imperium, stantibus ex utraque parte aquis, iter unda præbuerit: pollutasque diluvio aquas, et totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus mundaverit baptismate.

in Palæstina lustravit,

335 Longum est, si velim de valle Achor dicere, . . . in qua furtum et avaritia condemnata est; et de Bethel, domo Dei, in qua super nudam humum nudus et pauper dormivit Jacob, et . . . vidit scalam usque ad cælum tendentem. Sepulcra quoque in monte Ephraim Jesu filii D Nave, et Eleazari filii Aaron sacerdotis e regione venerata est. . . Quid narrem Silo, in qua altare dirutum hodieque monstratur, et raptum Sabinarum a Romulo tribus Benjamitica præcurrit. Transivit Sichem, . . . quæ nunc Neapolis appellatur, et ex latere montis Garizim exstructam circa puteum Jacob intravit ecclesiam: super quo residens Dominus, sitiensque et esuriens, Samaritanæ fide satiatus est. . . Atque inde divertens, vidit duodecim patriarcharum sepulcra: et Sebastem, id est, Samariam. quæ in honorem Augusti ab Herode græco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt Elisæus et Abdias prophetæ, et . . . Joannes Baptista. Ubi multis intremuit consternata mirabilibus. . . Ascendit pedibus montem, in cujus duabus speluncis persecutionis et famis tempore Abdias propheta centum prophetas aluit pane et aqua. Inde cito itinere percucurrit Nazareth, nutriculam Domini; Cana et Capharnaum, signorum ejus familiares; lacum Tyberiadis, navigante Domino sanctificatum: et solitudinem, in qua multa populorum millia paucis saturata sunt panibus. . . Scandebat montem Thabor, in quo transfiguratus est E Dominus. Aspiciebat procul montes Hermon et Hermoniim, et campos latissimos Galilææ, in quibus Sisara et omnis exercitus ejus, Barach vincente, prostratus est; torrens Cison, qui mediam planiciem dividebat; et oppidum juxta Naim, in quo viduæ suscitatus est filius, monstrabatur. . .

In Ægyptum cum Paula profectus Hieronymus,

336 Transibo ad Ægyptum; et in Sochoth, atque apud fontem Sampson, quem de molari maxillæ dente produxit, subsistam parumper; et arentia ura colluam, ut refocillatus videam Morasthim, sepulcrum quondam Michææ prophetæ, nunc ecclesiam. Et ex latere derelinquam Chorreus et Gettheos, Maresa, Idumæam, et Lachis: et per arenas mollissimas, pergentium vestigia subtrahentes, veniam ad Ægypti fluvium Sior, . . . et quinque Ægypti transeam civitates, quæ loquuntur lingua Chanaanitide, et terram Gessen, et campos Taneos, in quibus fecit Deus mirabilia: et urbem No, quæ postea versa est in Alexandriam; et oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lavantur quotidie plurimorum. *Mox addit, quanta pietate monachos visitaverit, ac demum reversa sit de* F *Pelusio Majomam navigatione perveniens, rediensque in Bethleem, ibi perpetuo mansura. Totius hujus itineris comitem fuisse* Hieronymum, *et locorum quidem notitias accepisse ab eruditis circumducentibus; sed sacræ Scripturæ historias et mysteria uberius S. Paulæ exposuisse, omnino mihi persuadeo. At de gestis Alexandriæ pluscula sunt dicenda.*

Didymum consuluit de dubiis sacræ Scripturæ.

337 *Rogatu S. Paulæ Alexandriam se venisse, declarat* Hieronymus *in præfatione Commentariorum in Osee, ita scribens ad Pammachium Paulæ generum*: Unde ante annos circiter viginti duos, quum rogatu sanctæ et venerabilis socrus, immo matris tuæ Paulæ, . . . quæ monasteriorum et Scripturarum semper amore flagravit, essem Alexandriæ, vidi Didymum, et eum frequenter audivi, virum sui temporis eruditissimum, rogavique eum, ut, quod Origenes non fecerat, ipse compleret, et scriberet in Osee Commentarios, qui tres libros, me petente, dictavit: quinque quoque alios in Zachariam. *Ex his verbis primo habemus, iter illud institutum fuisse anno* 386; *neque enim citius figi potest ex ante relatis*

AUCTORE J. S.

A *relatis; neque etiam serius, cum nequeant alias inveniri anni viginti duo, etiam incompleti, ante Commentarios in Osee, circa finem anni 406 scriptos. Ex eodem loco dubitare nequeo, quin simul cum S. Paula in Ægyptum profectus sit S. Hieronymus, quandoquidem ea rogante iter istud susceperit eodem anno, quo ipsa. De consulto Alexandriæ Didymo in Præfatione Commentariorum in Epistolam ad Ephesios ita loquitur* : Denique nuper ob hanc vel maxime causam (*consulendi viros doctos*) Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia sciscitarer. *Verisimile est, S Paulam hisce quoque* Hieronymi *cum Didymo consultationibus adfuisse.*

eumque hac de causa suis annumeravit magistris,

338 *Ob illas autem, etiamsi brevi tempore fuerint continuatæ, humillimus* Hieronymus *Didymum magistris suis annumerat. Nam in Epistola* 50 (*alias* 51) *ad Domnionem ita habet* : Gregorium Nazianzenum et Didymum in Scripturis sanctis catechistas habui. *Erat* S. Hieronymus *magister potius, quam discipulus, cum annis tum scientia sacra, quando dubia sua Didymo proposuit, ut liquet ex Epistola* 84 (*alias* 65) *ad Pammachium et Oceanum, in qua de his scribit*
B *sequentia* : Jam canis spargebatur caput, et magistrum potius quam discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum. In multis ei gratias ago : quod nescivi, didici : quod sciebam, illo docente, non perdidi. *Ita loquitur Sanctus, quia Didymus erat quidem peritissimus sacræ Scripturæ interpres, sectator tamen Origenis in multis. Innuit igitur, Didymum sibi profuisse pro intelligentia difficultatum sacræ Scripturæ, non nocuisse pro integritate dogmatum Catholicorum. Rufinus, qui* S. Hieronymo *innocua aut etiam laudabilia multa objecit, crimini vertit, quod Didymo officiosam scripserit Epistolam, quæ perdita est, ut ait* Hieronymus *in laudata Epistola* 84, *ita scribens* : Et audet quidam proferre litteras meas ad Didymum, quasi ad magistrum. Grande crimen Discipuli, si hominem eruditum et senem, magistrum dixerim. Et tamen volo inspicere ipsam Epistolam, quæ tanto tempore in calumniam reservata est. Nihil præter honorem et salutationem continet. Inepta sunt hæc, frivola.

etsi modico tempore apud ipsum manserit,

339 *Idem Rufinus carpit* Hieronymum *lib.* 2 *Invectivarum, acsi nimium gloriaretur Didymo magistro.* Ceterum iste, *inquit*, qui in tota vita
C sua non totos triginta dies Alexandriæ, ubi erat Didymus, commoratus est, per totos pene libellos suos longe lateque se jactat Didymi videntis esse discipulum, et καθηγητὴν, id est, præceptorem, in Scripturis sanctis habuisse Didymum. Et omnis illa jactantia in uno mense quæsita est. *Facile credimus, non ultra mensem Alexandriæ* Hieronymum *mansisse, cum et monasteria Ægypti inviserit, et eadem æstate redierit in Palæstinam, ut videbimus. At Vir eruditissimus, qui ab annis facile viginti studium sacrarum Scripturarum cœperat, et aliquot annis in eo aliorum, etiam doctorum, magister fuerat, poterat unico mense plura proponere Didymo, quam vulgaris discipulus longo tempore disceret, imo fortasse plura, quam Rufinus ipse didicerat. Immerito igitur hic ob temporis brevitatem carpit* Hieronymum, *qui laudandus potius est, quod grato animo indicaverit magistros suos, quamvis Didymus revera non alio sensu* Hieronymi *sit magister, quam quod eum consuluerit de obscurioribus aliquot Scripturæ locis, quo etiam modo cum* Hieronymo *dubia sua conferre sæpe desideravit* S. *Augustinus, si data fuisset occasio; et fortasse in illa collatione non pauciora didicerit Didymus, quam* Hieronymus. *At hujus laudanda modestia, quod seniori honorem magisterii attribuerit.*

Cum S. Paula visit monasteria Nitriæ.

340 *Alexandria ulterius in Nitriam profectus est* S. Hieronymus *simul cum Paula, ut mihi satis certum. De se dicit* : Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, et inter Sanctorum choros aspides latere perspexi. *Ita Paulam post Alexandriam perducit ad* oppidum Domini, *Nitriam verbis num.* 336 *datis ex Epitaphio, ubi* S. Hieronymus *subdit* : Quod (*oppidum*) cum vidisset, occurrente sibi sancto et venerabili episcopo Isidoro confessore, et turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos sacerdotalis et leviticus sublimabat gradus; lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ergo * narrem Macarios, Arsenios, Serapionas, et reliqua columnarum Christi nomina? Cujus non intravit cellulam? Quorum pedibus non advoluta est? Per singulos Sanctos Christum se videre credebat, et quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur. *Ita breviter* Hieronymus *de* E *præcipuis monachis, quos vidit cum S. Paula. Quinam illi videantur, dictum est in Annotatis ad vitam S. Paulæ. Certe Isidorus episcopus confessor non est S. Isidorus Pelusiota, ut lapsu memoriæ annotavit editor Meronensis, cum ille numquam fuerit episcopus, et juvenis esset anno* 386. *Non designari quoque S. Arsenium, sed Arsisins aut alio modo legendum esse, cum S. Arsenius diu post annum* 386 *ad eremum venerit, editor Veronensis admittit.*

* *al.* ego

ac tandem cum eadem in Bethleem revertitur.

341 *Paula porro utcumque desiderabat in medio monachorum vitam traducere, cujus causa mulierum procul dubio exstruxit monasterium, sed verisimiliter dissuasit* Hieronymus, *qui ita pergit* : Mirus ardor, et vix in femina credibilis fortitudo. Oblita sexus et fragilitatis corporeæ, inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat. Et forsitan, cunctis eam suscipientibus, impetrasset, ni majus sanctorum locorum retraxisset desiderium. Atque propter ferventissimos æstus de Pelusio (*Ægypti civitate maritima*) Maiomam (*portus erat urbis Gazæ in Palæstina*) navigatione perveniens, tanta velocitate reversa F est, ut avem putares. Nec multo post in sancta Bethleem mansura perpetuo, angusto per triennium mansit hospitiolo *etc. Quæ lib.* 3 *contra Rufinum post inventos cum Sanctis aspides de suo reditu subjungit* Hieronymus, *Paulæ itineri recte congruunt.* Protinus, *inquit*, concite gradu Bethleem meam reversus sum, ubi adoravi præsepe et incunabula Salvatoris. *Addit Sanctus* : Vidi quoque famosissimum lacum (*Asphaltitem, opinor*) nec me inerti tradidi otio, sed multa didici, quæ ante nesciebam. *At hoc fortasse dicit de alio minore itinere, quod sine S. Paula instituere postmodum potuit. Ceterum occasione verborum* Hieronymi, *quod aspides, id est, Origenistas inter monachos invenerit, observamus, illum jam tum abhorruisse ab erroribus Origenis, etiamsi cum Didymo egerit de expositione Scripturarum. Verum plura de his dicentur alio loco contra objectiones Rufini.*

§ XX.

AUCTORE J. S.

§ XX. Vita Sancti in Bethleem et priores occupationes : magister Hebraicus Baranina, et ridiculæ ejus causa Rufini accusationes.

In Bethleem prius habitat in augusto hospitio.

De *Bethleem, ubi pietas* Hieronymi, *ab locum natalem Christi Domini, habitationem elegit, et de vicino Domini sepulcro Hierosolymæ, multo inveniet studiosus lector in epistola* 46 (*alias* 17), *quæ nomine Paulæ et Eustochii aut eodem anno* 386, *aut non diu post, data est ad S. Marcellam, conscriptaque verisimiliter ab ipso* Hieronymo. *Nulla alia prioribus Bethleemiticæ habitationis annis reperitur* Hieronymi *Epistola, ut Sanctus videatur tunc unice se occupasse iis studiis, quæ ad intelligendam sacram Scripturam conducunt, vitamque ducere voluisse ita solitariam, ut a frequenti litterarum commercio etiam abstineret. Cum autem dicat, S. Paulam* per trien- B nium *mansisse* angusto hospitiolo, *angustiori procul dubio contentus fuit ipse* Hieronymus, *qui pauciores secum habebat socios, quam virgines S. Paula. Verum anno* 388 *aut* 389, *ut observavi ad* 28 *Septembris in S. Eustachio, Paula cum suis, ac verisimiliter etiam* Hieronymus *cum sociis suis, inhabitare cœperunt monasteria, Paulæ sumptibus constructa. Nam de his in Epitaphio Paulæ num.* 14 Hieronymus *subjungit :* Donec exstrueret cellulas ac monasteria, et diversorum peregrinorum juxta viam conderet mansiones, in qua Maria et Joseph hospitium non invenerant.

deinde in monasterio, cui semper præfuit.

343 *Unum ex his fuisse* virorum monasterium, quod (*Paula*) viris tradiderat gubernandum, *declarat ibidem* Hieronymus *num.* 19. *Præfuit Sanctus ipse usque ad mortem, Paulamque mulieribus præfectam, ac deinde Eustochium consiliis juvit et instructionibus. Non fuisse monasterium juxta viam publicam, insinuat* Hieronymus *in libro de Locis Hebraicis de Genesi ad* Bethleem, *ubi ait prope Bethleem fuisse tumulum regis Archelai eo loco, qui* semitæ ad cellulas nostras, C *inquit,* e via publica divertentis principium est. *Auctor vitæ primæ, qui monasterium* S. Hieronymi *nosse potuit, etiamsi in aliis frequenter erret, de eo condito sic habet :* Plures ad eum religiosorum, quibus vitæ ejus fama comperta erat, protinus confluxerunt, bonumque Doctorem parvo adhuc sub tugurio boni observavere discipuli : nec multum post cellulam sibi ob discipulorum copiam, et propter frequentiam adventantium, ad Bethleemiticam portam, quæ ad Occidentem conspicit, et egredientibus ad Septemtrionem videtur, parvum habitationis locellam construxit ; *nimirum opibus S. Paulæ, quæ* Hieronymum *ejusque monachos sustentabat. Postea tamen* Hieronymus, *venditis per fratrem bonis paternis, ad condendum xenodochium allaboravit, ut suo loco dicetur.*

vitam ducens solitariam.

344 *Qua intentione habitationem solitariam in Bethleem elegisset* Hieronymus, *variis locis declarat. In libro contra Joannem Hierosolymitanum circa finem de se et Vincentio presbytero ait :* Ob id enim et ego Antiochiam et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus; sed ut in agris et in solitudine adolescentiæ peccata D deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus. *In Epistola* 117 (*alias* 47) *ad Matrem et filiam, cum invitaretur ad eas corripiendum per Epistolam, respondit hortanti :* Quasi vero episcopalem cathedram teneam, et non clausus cellula, ac procul a turbis remotus, vel præterita plangam vitia, vel vitare nitar præsentia. *Quæ mox adjungit, etiam insinuant, minus promptum tunc fuisse Sanctum ad litteras mittendum in remotas provincias.* Sed et incongruum est, *inquit,* latere corpore, et lingua per totum orbem vagari. *Plura suo loco ex illa dabo Epistola. Quanti faceret solitudinem, insinuat in Epistola* 125 (*alias* 101) *ad Rusticum his verbis :* Viderint alii, quid sentiant : unusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, et solitudo paradisus est. *De cellula sua aliis etiam locis meminit.*

vilique victu et vestitu contentus.

345 *Præterea vili cibo in solitudine sua contentum fuisse* Hieronymum, *aliquot locis ipse insinuat. In Epistola* 79 (*alias* 9) *ad Salvinam declarat, se nullo* beneficio *provocatum in laudem Nebridii, defuncti ejus mariti, scribere, suamque parsimoniam his verbis insinuat :* Procul a E Christianis ista suspicio. « Habentes victum et vestitum, his contenti sumus. » Ubi vile olusculum et cibarius panis, et cibus potusque moderatus : ibi divitiæ supervacuæ, ibi nulla adulatio, quæ vel præcipue fructum respicit: *Rursum in Epistola* 130 (*alias* 8) *ad Demetriadem simili ratione ostendit, ab adulatione se alienum, ita scribens :* Alioquin cellula monasterii, vilis cibus, vestisque contempta, et ætas vicina jam morti, brevisque temporis viaticum, carent omni assentationis infamia. *Hæc autem ad modicum victum et vestitum necessaria, ut jam dixi, S. Paula* Hieronymo *procurabat, uti et toti monasterio, quemadmodum innuit Sanctus in Epitaphio S. Paulæ num.* 30, *ubi asserit, nihil pecuniæ a Paula moriente relictum Eustochio, sed* magnum æs alienum : et, quod his difficilius est, fratrum et sororum immensam multitudinem, quos sustentare arduum, et abjicere impium est. *Palladius quoque in Historia Lausiaca cap.* 80 *ait, Paulam* Hieronymi *curam habuisse.* Hieronymum *vero ipsum pecunia caruisse, nec eam desiderasse, uti nec episcopatum, intelligimus ex aliis multis, et nominatim ex verbis ejus lib.* 1 *contra Rufinum* F *circa finem, ubi ita loquitur :* Neque enim ambimus sacerdotium, qui latemus in cellulis, nec, humilitate damnata, episcopatum auro redimere festinamus.... Pecuniam nec habemus, nec habere volumus. Habentes victum et vestitum, his contenti sumus.

Pergit discere linguam Hebraicam.

346 *Inter primas occupationes* Hieronymi *in Bethleem fuit studium linguæ Hebraicæ, quam discere cœperat in eremo Chalcidis. Voluit nimirum perfectiorem acquirere illius linguæ notitiam, eumque in finem conduxit sibi magistrum Judæum, qui occulte veniebat, et Sanctum docebat. De his in Epistola* 84 (*alias* 65) *ita loquitur :* Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursum (*ex Ægypto*) Jerosolymam et Bethleem. Quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui præceptorem ! Timebat enim Judæos, et mihi alterum exhibebat Nicodemum ! *De illo præceptore Hebræo Sanctus in Isaiam cap.* 22, ℣ 15, 16 *et seqq. ita meminit :* Hebræus autem, qui nos in Veteris Instrumenti lectione erudivit *etc. Aliis quoque locis de eodem, omisso nomine, mentionem facit. In laudata vero Epistola mox declarat*

AUCTORE J. S.

A rat Hieronymus, *quantum alias a Judæis abhorreret propter eorum perfidiam, hæc scribens :* Si expedit odisse homines, et gentem aliquam detestari, miro odio aversor circumcisos. Usque hodie enim persequuntur Dominum nostrum Jesum Christum in synagogis satanæ. Objiciat mihi quispiam, cur hominem Judæum habuerim præceptorem? *Ita loquitur Sanctus, existimans, a nemine improbandum, quod optima intentione fecerat. Et sane non video,* Hieronymi *consilium istud ab ullo sanæ mentis improbari posse, cum ea esset eruditione, ut nullum ei ab illo magistro impenderet periculum.*

sub magistro Judæo Baranina. Rufinus,

347 *Attamen Rufinus hoc quasi grave crimen* Hieronymo *objecit lib. 2 Invectivarum num. 12, ubi inter alia dicit :* Proposito enim Christo simul et Barraba, ego quasi imperitus Christum elegi. Tu, ut video, cum illis clamas, qui dicunt « Non hunc, sed Barrabam. *Et mox :* Ille vero de synagoga Barrabas tuus, pro Christo electus, docuit te resurrectionem carnis, non in virtute, sed in fragilitate sperare; litteræ occidentis amicum fieri, et inimicum spiritus vivificantis : et alia quædam secretiora, quæ, si res poposcerit, B postmodum proferentur in tempore. *Mox iterum repetitur* Barras magister. *Non erit, opinor, tam impudens* Hieronymi *adversarius tamque pertinax ineptiarum Rufini defensor, qui in istis non plus calumniæ, quam sani sensus inveniat. Certe Tillemontius, qui Rufini modestiam et moderationem multis locis ita extollit, acsi sanguinolenta ejus contra* Hieronymum *scripta legisset numquam, aut certe numquam serio expendisset, art. 44 fatetur, non modo cruentos esse illos Rufini jocos, sed æque frigidos et insulsos. Voluit vel sic tamen Rufinum ex parte protegere aut* Hieronymum *carpere, cum nomen Judæi insinuet* Barraban *aut* Barrabas, *quod negat* Hieronymus *in responso mox dando. At ne Rufinus quidem dicit, proprium illius Judæi nomen fuisse* Barrabam, *licet ob similitudinem aliquam* Barrabæ *utatur nomine, ut Judæum præceptorem opponat Christiano;* Hieronymus *vero aperte negat* Barrabam *fuisse vocatum. Itaque aut mendacii arguere debemus* Hieronymum, *qui nomen magistri sui noverat, aut crisim damnare Tillemontii, qui* Hieronymum *tacite mendacii arguit, ut ne hic quidem* C *Rufinum deserat.*

acerbe ex occasione calumnians.

348 *Lubet modo interrogare Rufini defensores, an noverint, quænam sint illa* secretiora, *quæ* Hieronymus *a Judæo didicerat, asserente Rufino? an censeant, Rufinum, qui laudabilia* Hieronymi *facta tam atrociter accusat, qui prolixam non minus, quam ineptam, texit disputationem, ut Sanctum ex somnio perjurum ostendat; qui multa alia de* Hieronymo *prodidit, ut omnia, quæ noverat, videatur protulisse, multaque similiter asseruisse, quæ nesciebat, secretiora illa interim silentio texisse, et non more calumniantium secretiora confinxisse? Objicit eodem loco, quod Sanctus* per εἰσαγωγὴν Porphyrii ad Logicam *fuerit introductus. Grave crimen, si Juvenis Opere logico hominis gentilis fuerit usus, ut artem ratiocinandi disceret! Attamen rursum Rufinus ex eo infert sequentia :* Nam Porphyrius te docuit de Christianis male loqui, concidere virgines, continentes, diaconos, presbyteros, et omnem prorsus Christianorum gradum et ordinem libellis editis infamare. *Falsa hæc sunt. At, si vera essent, inepte et falso diceretur, illa ex Opere Dialectico, quo Romæ sub magistro usus est, didicisse* Hieronymum. *Hæc autem proferre volui, ut studiosus lector de moderatione, quam nonnulli ridicule Rufino attribuunt, judicium ferre possit. Nam illa aliaque non minus gravia et inepta contra* S. Hieronymum *protulit Rufinus, quod* Hieronymus *generatim contra Origenistas se declarasset.*

joco refellitur ab Hieronymo.

349 *Non miretur itaque prudens lector, quod* S. Hieronymus *tam insulsum adversarium risu et liberali joco repellat : et potius cum S. Augustino agnoscat insignem moderationem Sancti, qui lib. 1 contra Rufinum ita respondet.* Audio præterea te quædam de Epistola mea philosophice carpere, et hominem rugosæ frontis adductique supercilii Plautino in me sale ludere, eo quod Barrabam Judæum dixerim præceptorem meum. Nec mirum, si pro BARANINA, ubi est aliqua vocabulorum similitudo, scripseris Barrabam, quum tantam habeas licentiam nominum immutandorum, ut de Eusebio Pamphilum, de hæretico martyrem feceris. Cavendus homo, et mihi maxime declinandus, ne me repente, dum nescio, de Hieronymo Sardanapalum nomines. Audi ergo, sapientiæ columen, et norma Catonianæ severitatis. Ego non illum magistrum dixi; sed meum in Scripturas sanctas studium volui comprobare, ut ostenderem, me sic legisse Origenem, quomodo et illum (*Baraninam*) audieram. Neque enim Hebræas litteras a te discere debui. *Mox* E *plura affert ad consilium suum ratione et aliorum exemplis probandum. Quod vero ait, pro Eusebio S. Pamphilum a Rufino substitutum, jam ante probaverat* Hieronymus. *Ostendit enim, nihil scripti a Pamphilo fuisse editum, ideoque Apologiam, quam pro Origene S. Pamphili nomine edidit Rufinus; Eusebii Cæsariensis censendam esse, non S. Pamphili. Videbit prudens lector, allegatis verbis Rufinum rideri ab* Hieronymo, *quod summam affectaret morum gravitatem, atque interim, etsi nullo læsus esset verbo, tam acerbe facta innocentia accusaret. Hinc illum ironice vocat* Sapientiæ columen, et Normam Catonianæ severitatis. *Vix mihi persuadere possum, severos censores, qui nimiæ acerbitatis accusant* Hieronymum, *si eodem accusarentur modo, quo* Hieronymum *accusavit Rufinus, non fore multo acerbiores.*

Apologiam quam Pamphili martyris negavit Hieronymus.

350 *Verum breviter hic observandum, litem intentari* Hieronymo *a defensoribus Rufini, quod negaverit, Apologiam a Rufino versam esse S. Pamphili, sed potius esse Eusebii probaverit. Ut mittam alios, Tillemontius tom. V, Nota 2 in S. Pamphilum contendit,* non probari a S. Hieronymo F illam Apologiam non esse S. Pamphili. *Quapropter unum duntaxat* Hieronymi *argumentum brevitatis causa profero. Lib. 1 contra Rufinum num. 9 ex vita Pamphili per Eusebium scripta recitat locum, quo laudatur amor Pamphili in litteratos, et studium librorum colligendi. Tum subduntur hæc verba :* Et ipse quidem proprii Operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos forte mittebat : in tantum se humilitate dejecerat. *Hæc verba nullum videntur relinquere dubium. Si enim Apologiam pro Origene scripsit, aliquid proprii Operis scripsit. At aliquid scripsisse proprii Operis, et* proprii Operis nihil omnino *scripsisse, ita directe invicem contradicunt, ut vel tiro dialecticus intelligat, illa numquam simul vera esse. Opponit tamen Tillemontius Eusebii verba ex Historia lib. 6, cap. 33, ubi sic habet :* Quæcumque vero necesse est de illo cognoscere, ea peti possunt ex Apologetico, qui a nobis et a sacrosancto nostri temporis martyre Pamphilo pro illius defensione conscriptus est : quem quidem nos propter malevolos quosdam accusatores communi studio atque opera junctim elaboravimus.

AUCTORE I. S.

elabnravimus. *Ita Eusebius, qui libenter sanctum martyrem sibi in companendo illo Opere sorium attribnit, idque vere poterat facere, modo Pam- philas, qui eodem Eusebio apud laudatum* Hiero- nymum *testante*, veterum tractatus scriptorum legebat studiosissime, *documenta varia Apologiæ inserenda Eusebio subministraverit, et magis etiam, si eumdem studio et consilio juverit, etiamsi ipse nihil scripsit.*

Eusebio ut auctori omnino attribuenda est,

351 *Genuinam hanc esse verborum Eusebii ex- positianem admittet quilibet, opinor, qui maluerit verum inquirere, quam inutili contentiane Euse- bium sibi cantradicentem facere. Nihil præter Epistolos familiares scripsit Pamphilus; non scri- psit ergo Apologiam pro Origene. Javit tamen Eu- sebium Apologiæ scriptorem, nimirum quærendo in vetustis scriptoribus, locos inventos ostendendo, alia documenta subministrando, ac forsan etiam argumenta aliqua suggerendo. Eusebius ipse, dum se primum nominat, abunde insinuat, se Apolo- giæ fuisse scriptorem, Pamphilum vero suum in illo Opere adjutorem. Hoc autem plane fit certum ex loco per* Hieronymum *allegato, quo nihil pra- prii Operis Pamphilus scripsisse dicitur. Addita* B *vero exceptio litterorum, quas Pamphilus mitte- bat ad amicos, etiam confirmat, nihil aliud ab ipso scriptum. Socrates, qui lib. 3, cap. 7 Pam- philo simul et Eusebio Apologiam attribuit, et Photius, qui pag.* 297 *et* 298 *utrumque etiam Apologiæ auctorem dicit, eo similiter exponendi sunt sensa. Si vero Pamphilum etiam scriptorem facere vellent, minime audiendi essent, cum Eu- sebius certissime noverit, quo modo Apologia fue- rit conscripta, Pamphilumque ejus scriptorem ne- get, suum vero fateatur adjutorem. Sic minime audiendi sunt scriptores aliquot posteriores apud Tillemontium laudati, qui Pamphilo Apologiam attribuerunt, cum verisimiliter ex* Hieronymo, *qui in libro de Viris illustribus cap.* 75 *Pamphilo Apologiam tribuit, distinctam ab Eusebiana, in er- rorem sint perducti. Sed errorem agnovit et retra- ctavit* Hieronymus *lib.* 1 *et* 3 *contra Rufinum.*

licet eum adjuverit Pamphilus.

352 *Jam vero unusquisque facile perspiciet, nec auctorem esse alicujus Operis nec dici illum, qui documenta subministravit, aut materiam quæ- sivit, aut etiam scribentem consilio juvit; sed il- lum, qui ex documentis quæsitis Opus conscribit. Nam hic non stylum modo suum, sed etiam doctri- nam Operi inserit, cum alter aliena solum offerat,* C *aut, si qua sua addat, ea scriptoris crisi subjiciat. Vidit ipse Tillemontius, adjutores scriptorum non esse Operum auctores; sed plusculum S. Pam- philo tribuere voluit, ideoque ad subtilitates quasi dialecticas, ut sanæ dialecticæ contrarias recurrit. Ait primo ad illa Eusebii verba,* Proprii Operis nihil omnino scripsit, *commune fuisse Opus Eu- sebio et Pamphilo, ideoque* proprii Operis *nihil ab eo scriptum dici. Misera enimvero cavillatio, quam necesse non erat ex Anglo scriptore ado- ptare. Nam Eusebius dixerat de Pamphilo.* Mul- tos codices præparabat, *nimirum* propria manu multos *exscribendo, ut habet* Hieronymus *de Viris illustribus cap.* 75. *Ideo ergo dicit Eusebius* pro- prii Operis nihil omnino scripsit, *quia aliena Opera exscripserat multa. Si communi opera cum Eusebio Apologiam scripsisset aut dictasset ea ra- tione, ut æqualiter essent auctores, ut nihil alter fecisset sine altero, injuriam Pamphilo fecisset Eusebius dicenda illum nihil scripsisse proprii Operis, cum Opus amborum fuisset proprium. Nam aliquid proprium dicitur non uni tantum homini, sed etiam pluribus, si communi jure illud possi- dent. Altera æque misera est Tillemontii responsio,* D *Epistolis annumerari posse Apologiam illam, ut versa est a Rufino, cum nihil fere contineat præter verba Origenis et Epistolam ad Confessores. Nihil hic dicere lubet, nisi Tillemontium ubique miser- rimum esse.* S. Hieronymi *antagonistam.*

§ XXI. Perlecta cum SS. Paula et Eustochio, iisque exposita sacra Scriptura: Commentarii in quatuor S. Pauli Epistolas et in Ecclesiasten?

Scripturam oretenus exponit SS. Paulæ et Eustochio,

V*idimas* S. Hieronymum *cum Buranina Judæo Scripturam Hebraicam pervolvisse. An hisce collationibus adfuerint SS. Paula et Eustochium, quæ linguam Hebraicam didicerunt, nullibi invenio. At alias certe cum Sanctis illis collationes habuit* Hieronymus, *de quibus hic in Epitaphio S. Paulæ num.* 26 *refert sequentia :* Denique (*S. Paula*) compulit me, ut Vetus et No- E vum Instrumentum cum filia, me disserente perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter assiduitatem tamen et crebras postulationes ejus præstiti, ut docerem, quod didiceram, non a meipso, id est, a præsumptione pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris. Sicubi hæsitabam, et nescire me ingenue confitebar, nequaquam mihi voluit * acquiescere: sed jugi interrogatione cogebat, ut e multis variisque sententiis quæ mihi videretur probabilior, indicarem. *Hæc expositio sacræ Scripturæ inchoata fuerit post fixum in Bethleem habitationem anno* 386 *aut* 387, *aut certe cœpta est ante scriptos ibidem Commentarios. Nam in cap.* 2, *ỷ* 9 *et* 10 *Epistolæ ad Titum de expositione Levitici sic loquitur :* De quibus nuper vobis in Levitico exposuisse me memini. *Quod procul dubio dicit de datis oretenus expositionibus. Verisimiliter Sanctus iisdem multas quoque sacræ Scripturæ difficultates exposuit per Epistolas, ut Romæ exposuerat Damaso et Marcellæ, cum in recensendis scriptis suis lib. de Viris illustribus cap.* 135 *dicat :* Epistolarum autem ad Paulam et Eustochium, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. *At Epistolæ hæ* F *exciderunt.*

* *al.* volebat

iisque rogantibus scribit in Epistolam ad Philemonem;

354 *Impulerunt laudatæ Sanctæ precibus suis reluctantem* Hieronymum, *ut Commentarios in aliquot S. Pauli Epistolas scriberet. Hos in mox dicto Operum suorum catalogo post scripta Romana primos recenset Sanctus his verbis :* In Epistolam Pauli ad Galatas Commentariorum libros tres. Item in Epistolam ad Ephesios libros tres. In Epistolam ad Titum librum unum. In Epistolam ad Philemonem librum unum. *Subdit :* In Ecclesiasten Commentarios. *Hos omnes Commentarios dicavit SS. Paulæ et Eustochio et consequenter omnes conscripsit, quantum videtur, non tamen eadem prorsus ordine, quo hic enumerantur. Exorsus est a minima S. Pauli Epistola ad Philemonem, quam et Pauli esse et canonicam probat in Præfatione. Sub initium vero Commentarii ita scribit :* Præpostero ordine atque perverso in Epistolas Pauli dictari a me, vobis placuit. Nam quum id crebro, o Paula et Eustochium, peteretis ut facerem, et ego obnixe, ne facerem, recusarem, saltem parvam, et quæ vobis ut numero versuum, ita sensu quoque et ordine videbatur

A batur extrema, ut dissererem, coegistis. *Ita Vir humillimus, qui necdum sibi fidebat, licet multiplici eruditione esse conspicuus, et sacras Scripturas annis multis perpetuo versasset studio.*

deinde in gratiam etiam S. Marcellæ,

355 *Exposita epistola ad Philemonem, Sanctus continuo epistolam ad Galatas tribus libris suscepit exponendam. Nam Præfationem primi libri sic orditur :* Pauci admodum dies sunt, ex quo Epistolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas transcenderam, multis retrorsum in medio prætermissis. Et ecce subito litteræ mihi de Urbe allatæ sunt, nuntiantes et Albinam venerabilem anum (*S. Marcellæ matrem*) præsentiæ Domini redditam, et S. Marcellam matris contubernio destitutam, magis nunc vestrum, o Paula et Eustochium, flagitare solatium. Et quia hoc interim fieri non potest, propter grandia maris in medio spatia atque terrarum, repente vulnus impressum saltem Scripturarum vellem curare medicamine. Scio equidem ardorem ejus, scio fidem, quam flammam semper habeat in pectore, superare sexum, oblivisci hominis, et divinorum voluminum tympano concrepante rubrum hujus sæculi pelagus transfretare. Certo B quum Romæ essem, numquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret. Neque vero more Pythagorico, quidquid responderam, rectum putabat : nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas ; sed examinabat omnia, et sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quam judicem. Itaque quod et illi absenti pergratum fore, et vobis, quæ in præsentiarum estis, utile existimo, aggredior opus, intentatum ante me linguæ nostræ scriptoribus, et a Græcis quoque ipsis vix paucis, ut rei poscebat dignitas, usurpatum.

Epistolam ad Galatas explanat,

356 *Tum enumerat scriptores, qui epistolas S. Pauli exposuerant, improbansque Marium Victorinum, Origenemque reliquis præferens, ita pergit :* Non quod ignorem, Caium Marium Victorinum, qui Romæ, me puero, rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum ; sed quod occupatus ille eruditione sæcularium litterarum, Scripturas omnino sanctas ignoraverit ; et nemo possit, quamvis eloquens, de eo bene disputare, quod nesciat. Quid igitur ego stultus aut temerarius, qui id pollicear, quod ille non potuit ? C Minime. Quin potius in eo, ut mihi videor, cautior atque timidior, quod imbecillitatem virium mearum sentiens, Origenis Commentarios sum sequutus. *Subjicit etiam scripta Origenis in epistolam, numeratque alios in epistolas S. Pauli scriptores Græcos; sed nullum inter eos probe Catholicum, ut Origenes certe præcipuus esset ante Hieronymum, secutumque deinde Chrysostomum. Deinde hæc subjungit :* Itaque, ut simpliciter fatear, legi hæc omnia, et in mente mea plurima coacervans, accito notario, vel mea vel aliena dictavi, nec ordinis nec verborum interdum nec sensuum memoriam retentans. Jam Domini tantum misericordiæ est, ne per imperitiam nostram ab aliis bene dicta dispereant, et non placeant intra extraneos, quæ placent inter suos. *Hactenus* Hieronymus *de scriptoribus, quos consulere potuit. Ex illis autem nullus fuit magni nominis præter Origenem, nisi quis addere velit Didymum et Appolinarem, quibus acumen non defuit, ut mirandum non sit, eo tempore, quo pauci erant probati interpretes, Origenem in admiratione fuisse* Hieronymo *intelligentia Scripturarum; licet dogmata ejus perversa non probaret.*

AUCTORE J. S. textus ex Veteri Testamento allegatos consulens.

357 *Initio libri 2 Sanctus insinuat diligentiam suam, qua in Scripturarum interpretatione Veteris Testamenti loca, in Novo allegato, consulebat, ita scribens :* Hunc morem habeo, ut, quotiescumque ab Apostolis de Veteri Instrumento aliquid sumitur, recurram ad originales libros, et diligenter inspiciam, quomodo in suis locis scripta sint. *Modestiam suam, quæ in allegatis supra verbis egregie elucet, iterum manifestam facit in cap. 4 ꝟ 22 et 23 hisce verbis :* Hæc interim, quantum ingenii nostri mediocritas patitur, dicta sint. Ceterum si quis potest majus aliquid invenire, quomodo Ismaël, qui de ancilla natus est, non sit repromissionis filius, sed Isaac, qui de libera, ille potius audiendus est. *Nolebat igitur legem aliis præscribere, ne auderent aliter exponere. Hæc etiam modestia effecisse videtur, ut subinde sententias Origenis aut aliorum allegaverit, quas, etiamsi non probaret, operose non refutat, acsi verecundia prohibitus fuisset aperte contra eum pugnare, quem noverat eruditissimum. Verum de his postmodum plura.*

ornatum vero sermonis negligens,

358 *Præterea, quando* S. Hieronymus *serio animum adjecit ad condendos in sacram Scripturam Commentarios, ornatum sermonis et elo*E*quentiæ pompam prudenter abjecit, non quod utatur stylo inconcinno, sed quod maluerit clara et simplici dictione obscuras sacrarum Litterarum difficultates solvere, quam flosculis orationis expositionem reddere minus dilucidam. Diu se a lectione scriptorum gentilium, in quibus quærenda est eloquentia, abstinuisse, etiam declarat in Præfatione lib. 2 his verbis :* Et ut simpliciter fatear, multi jam anni sunt, quod hæc legere desivimus. *Uberius vero in Præfatione lib. 3 mentem suam declarat Vir modestissimus, ita ordiens :* Tertium ad Galatas, o Paula et Eustochium, volumen huc cudimus, non ignari imbecillitatis nostræ, et exilis ingenii rivulum vix parvo strepentem murmure sentientes. Jam enim et in ecclesiis ista (*ornamenta verborum dicit*) quæruntur ; omissaque Apostolicorum simplicitate et puritate verborum, quasi ad Athenæum et auditoria convenitur, ut plausus circumstantium suscitentur, ut oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam favorem populi quæsitura, et in modum psalterii et tibiæ dulce canentis, sensus demulceat audientium... Verum quid F agam? Taceamne? Sed scriptum est : « Non apparebis in conspectu Domini tui vacuus... » Loquar? Sed omnem sermonis elegantiam, et Latini eloquii venustatem, stridor lectionis Hebraicæ sordidavit.

ut faciendum sacræ Scripturæ interpreti

359 Nostis enim et ipsæ, quod plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit : et si quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum judicio derelinquo. Ego, quid in mea amiserim, scio. Accedit ad hoc, quia propter oculorum et totius corpusculi infirmitatem manu mea ipso non scribo, nec labore et diligentia compenso queo eloquii tarditatem.... Verum, accito notario, aut statim dicto, quodcumque in buccam venerit : aut, si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tum me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, et se frustra adesse, toto gestu corporis contestatur... Quorsum ista? Videlicet ut et vobis et

[illegible] et cæteris, qui forte legere voluerint, sit responsum, me non panegyricum aut controversiam scribere, sed Commentarium, id est, hoc habere propositum, non ut mea verba laudentur, sed ut, quæ ab alio bene dicta sunt, ita intelligantur, ut dicta sunt. Officii mei est obscura disserere, manifesta perstringere, in dubiis immorari. Unde et a plerisque Commentariorum opus Explanatio nominatur. Si quis eloquentiam quærit, vel declamationibus delectatur, habet in utraque lingua Demosthenem et Tullium, Polemonem et Quintilianum. Ecclesia Christi non de academia et lyceo, sed de vili plebecula congregata est.

doct. Refutatur accusatio contra Sanct. in prolata.

360 *Tum hæc ex Apostolo probat, additque, Apostolos verbis simplicibus usos ad populum erudiendum, et vel sic Apostolorum libros magis legi, quam philosophorum, infertque sequentia :* Itaque sermone simplici simplicia eorum verba pandenda sunt : verba, inquam, non sensus. Cæterum si, orantibus vobis, illum possim * in exponendis Epistolis eorum habere spiritum, quem illi in dictando habuerunt; tunc videritis *, tantam majestatem et latitudinem in his veræ fuisse B sapientiæ, quanta in sæculi litteratis arrogantia et vanitas fuit. Breviter vobis meæ mentis fateor arcanum. Qui per me intellecturus est Apostolum, nolo, ut mea scripta difficulter intelligat, et ad Interpretem cognoscendum, alium quærat interpretem. *Hæc omnia censui recitanda, cum ut quilibet intelligat mentem Sancti de stylo ad expositionem sacræ Scripturæ congruo, tum quia Tillemontius art.* 1 *inter vita* S. Hieronymi *recenset, quod visus fuerit nimiam habere opinionem de sua eloquentia, illamque nimium jactare. Nam allegata verba id nequaquam insinuant, sed plane contrarium : qua enim de causa pro styli sui simplicitate quasi apologiam texit, si de eloquentia sua nimis confidebat? Erat revera* Hieronymus *eloquentia insigni ornatus, idque multis probavit scriptis, in quibus ornatus et gravitas orationis conducebat ad finem, quem sibi proposuerat. Verum aliud est eloquentem esse, aliud eloquentiam jactitare, aut de ea sibi nimium blandiri. Primum in omnibus* Hieronymi *scriptis invenio : secundum nullo possum manifestare indicio, nec ullum* Hieronymi *censor allegavit locum, ex quo accusatio-* C *nem suam probare conatus est.*

* al. possent

* al. videretis

Explicat Epistolam ad Ephesios.

361 *Conscriptis tribus libris in Epistolam ad Galatas, transiit Sanctus ad aliam, Epistolamque ad Ephesios tribus similiter libris exposuit. In Præfatione libri primi id ipse indicat hoc modo :* Et quia jam ad Galatas, orantibus vobis, ante paucos dies, quid nobis videretur, expressimus : nunc ad Ephesios transeundum est, mediam Pauli Epistolam, ut ordine, ita et sensibus. *Jam tunc fuisse æmulos, qui studiis* S. Hieronymi *detrahebant, ex eadem Præfatione colligitur. Nam commendata sacræ Scripturæ studio, illis modeste respondet, non jactando stylum suum, sed potius se excusando. Totum principium subjungo.* Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum. Quum enim a cæteris animantibus hoc vel maxime differamus, quod rationale animal sumus, et loqui possumus; ratio autem omnis et sermo divinis libris contineatur, per quos et Deum discimus, et quare creati sumus, non ignoramus : miror quosdam exstitisse, qui ipsi se inertiæ et somno dantes, nolint, quæ præclara sunt, discere; aut cæteros, qui id studii D habent, reprehendendos putent. Quibus quum possim districtius respondere, et breviter eos vel offensos dimittere vel placatos, multo esse melius Scripturas legere, quam augendis et cumulandis opibus inhiare; illud dicam, quod vel apud iniquissimum judicem obtineam, placere mihi otium meum, et solitudinem omni celebritate jucundiorem videri : et quomodo ego non reprehendo, non damno, quod faciunt; ita illos ineptias meas mihi debere concedere.

362 Parum eloquens sum, quid ad te? disertiorem lege. Non digne græca in Latinum transfero? Aut Græcos lege, si ejusdem linguæ habes scientiam, aut, si tantum Latinus es, noli de gratuito munere judicare, et, ut vulgare proverbium est, Equi dentes inspicere donati. Numquid te manu conserta in jus traho, quia nostra non scribas? * Me imperitior quisque lecturus est : tua forsitan dicta, si scripseris, Tullius admirabitur. Numquid aut Tertullianus beatum martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit a scribendo? Taceo de cæteris minutalibus, qui mecum in libris suis garriunt. Nisi et parva fuerint, magna eminere non possunt. Primum non E dicitur, nisi secundum sequatur et tertium. Ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. Quamobrem obsecro tam vos, quæ in præsentiarum estis, quam sanctam Marcellam, unicum viduitatis exemplar, ne facile maledicis et invidis Opuscula mea tradatis; neque detis sanctum canibus, et margaritas mittatis ante porcos. Qui quum bona imitari non queant, quod solum facere possunt, invident; in eo se doctos eruditosque arbitrantur, si de aliis detrahant. Quibus, obsecro, respondeatis, ut figant ipsi stylum, tria, ut dicitur, verba conjungant; sudent paululum, experiantur semetipsos, ut ex labore proprio discant ignoscere laborantibus. Scitis enim et ipsæ, quod ad hoc me Explanationum opus invitum et retrectantem compuleritis. *Hæc abunde docent, scribenti in sacram Scripturam* Hieronymo *statim non defuisse obtrectatores.*

æmulos patitur, quos refellit.

* legas

363 *Liquet ulterius ex allegatis, Commentarios illos in Epistolas S. Pauli scriptos etiam fuisse in gratiam S. Marcellæ, quæ pergebat Romæ commorari, et ad* Hieronymum *aliquando scribere,* F *ut rursum liquet ex libri secundi Præfatione, quam totam subjicio :* Secundum orationibus vestris, o Paula et Eustochium, ad Ephesios aggredimur librum, nova quoque Romam munuscula transmissuri : non quod hæc dignetur legere doctorum senatus, et bibliothecis veterum adscribere; sed quod sancta Marcella id ipsum fieri per epistolas flagitet. Cujus ego quotiescumque studiorum, ingenii, laboris recordor, toties me damno inertiæ, qui in monasterii solitudine constitutus, et illud præsepe contra videns, in quo vagientem Parvulum festini adoravere pastores, id facere non possum, quod mulier nobilis inter strepentem familiam et procurationem domus explet operis succisivis. Quapropter et illam et vos, et, si qui forte lecturi sunt, in commune precor, ut sciatis, me non cogitatum diu limatumque proferre sermonem, sed ad revelanda mysteria Scripturarum uti verbis pene de trivio, et interdum per singulos dies usque ad numerum mille versuum pervenire, ut cœpta in Apostolum Explanatio ipsius Pauli, cujus Epistolas conamur exponere, orationibus compleatur.

scribensque Paulæ, Eustochio et Marcellæ.

364 *Tertium librum alia rursum Præfatione ad*

ad SS. Paulum et Eustochium dirigit, meminitque similiter S. Marcellæ, et scientiam Scripturarum sic commendat, ut longe præferat justum illa scientia imbutum justo simplici et indocto, addat tamen prudenter, præferendam esse justitiam indoctam doctrinæ cuicumque, virtutum ornamento destitutæ. Quod si quis, *inquit*, meditatione tantum Legis instructus, vitam suam negligit, . . . iste quasi æramentum sonans, et cymbalum tinniens, et infatuatum sal, in stercore conculcandus est. Si autem detur optio singulorum, (seposito eo, qui habet sapientiam atque justitiam) magis ego velim rusticitatem justam, quam doctam malitiam etc. *Alia quoque egregia morum documenta dat in eodem libro. Unum pro exemplo affero locum, ubi sapienter exponit verba Apostoli cap. 5, ℣ 20,* Gratias agentes semper pro omnibus, *quod ita intelligendum observat de prosperis et adversis*, ut non tantum pro his, quæ bona putamus, sed etiam, quæ nos coarctant, et contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, *uti fecit Job, cujus affert verba.*

egregie immiscet

pietatis in Deum documenta.

365 *Hanc vero doctrinam continuo illustrat hoc modo :* Hæc actio gratiarum apud prudentes viros et generaliter et specialiter observatur : generaliter, ut gratias agamus Deo, quod nobis sol oritur, dies currit, nox mutatur in requiem, splendore lunæ tenebræ temperantur, et ortu occasuque stellarum tempora mutantur et redeunt : quod nobis serviunt pluviæ, terra parturit, elementa famulantur, quod tantæ animalium varietates, vel ad vehendum, vel ad operandum, vel ad vescendum, vel ad tegmen, vel ad exemplum, vel ad miraculum datæ sunt : et ad extremum, quod nati sumus, quod subsistimus, quod in mundo quasi in quadam domo potentissimi patrisfamilias procurationem gerimus, et totum, quidquid in mundo est, nostri causa intelligimus procreatum. Specialiter vero, quando in Dei beneficiis, quæ nobis accedunt, gratulamur. Sed hoc et gentilis facit et Judæus, et publicanus et ethnicus. Christianorum propria virtus est etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori. Si domus corruerit, si amantissima uxor et filii vel captivitate vel veneno vel naufragio intercepti sint, si divitias proscriptione perdidimus, si sanitatem innumerabiles morbi, et semper exspectanda miseris podagræ debilitas fregerit. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias, quod de periculis, vel de miseriis liberati sunt. Sed juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur, et semper dicamus : Benedictus Deus, minora me scio sustinere, quam mereor : hæc ad mea peccata parva sunt : nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant. *Hactenus Sanctus.*

Epistolam ac Titum explanat.

366 *Secuta est Expositio Epistolæ ad Titum, in Præfatione ad Paulam et Eustochium directa. Non meminit quidem in Præfatione de præcedentibus; at in cap. 1, ℣ 10 et 11 ita loquitur :* Et nos ante paucos menses tria volumina in Epistolæ ad Galatas explanatione dictavimus. *Cum autem ex prædictis constet, Epistolæ ad Ephesios expositionem post explanatam ad Galatas statim fuisse secutam, pauci menses designant tempus, quo Epistolam ad Ephesios exposuit, illumque ad Titum eo usque perduxit. Dubitandum itaque non est, quin hic Commentariorum in Titum liber continuo fuerit secutus post reliquos in tres alias S. Pauli Epistolas. Ulterius ex allegatis verbis conjicere possumus, explanandis quatuor illis S. Pauli Epistolis plures menses fuisse impensos. Citius quidem absolvisset Sanctus, si dictasset quotidie; sed verisimile est, multo pluribus diebus occupatum fuisse quærendo et præparando materiam dictandam, quam dictando. Nam in cap. 5, ℣ 14 ad Ephesios insinuat, quanta diligentia quæsiverit laudata ibidem ab apostolo verba,* Surge, qui dormis etc., *ita scribens :* Ego certe secundum paupertatulam meam omnes editiones veterum Scripturarum, ipsaque Hebræorum volumina diligenter eventilans, numquam hoc scriptum reperi. *Similem diligentiam in quærendis in Veteri Testamento allegatis ab apostolo locis declarat Sanctus verbis num. 357 datis. Nolim itaque prudens lector existimet, Commentarios illos Opus esse tumultuarium, aut nimis deproperatum. Etsi enim Sanctus dicat supra num. 359 :* Aut statim dicto, quodcumque in buccam venerit *etc.; et rursum num. 363, se* interdum per singulos dies usque ad numerum mille versuum pervenire; *solum hæc usserit de velocitate dictandi materiam ante diligenti studio conceptam, neglecta cura expoliendi sermonem. Non negat igitur* Hieronymus, *diligenter se investigasse verum Epistolarum S. Pauli sensum, omniaque illa adjumenta, quibus eum aliis explanaret; sed solum ait, ornatum sermonis se non quæsivisse, sive comptioris styli gratia moras dictando non interposuisse.*

Scripsit illos Commentarios anno 389.

367 *Annus, quo Sanctus Commentarios in quatuor illas Pauli Epistolas conscripsit, utcumque innotescit ex verbis num. 359 allegatis,* Nostis enim et ipsæ, quod plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas numquam Tullius, numquam Maro, numquam gentilium litterarum quilibet auctore ascendit. *Nam § 6 probavi, somnium, cujus causa Sanctus abstinuit a lectione scriptorum profanorum, contigisse anno 374 tempore jejunii quadragesimalis. Si modo addamus annos* plusquam quindecim, *scripserit in Epistolam ad Galatas, ubi ea dicit, anno 389, eodemque verisimiliter anno in omnes quatuor ordine superius designato. Nihil inoenio, quod huic chronotaxi repugnet. Nam major pars anni 386 transacta fuit itineribus per Palæstinam et Ægyptum. Deinde* Hieronymus *Vetus Testamentum hebraice legit cum Baranina, Vetus et Novum cum SS. Paula et Eustochio, ut facile hisce studiis occupare se potuerit anno 387 et 388, accedente cura monasteriorum, quæ eo tempore exstruebantur sumptibus quidem S. Paulæ, sed cum consilio curaque ordinandi singula juvante* Hieronymo. *Serius figi non posse hos Commentarios, liquet ex sequentibus in Ecclesiasten, qui aut eodem anno 389 exeunte aut sub initium anni 390 necessario figeadi sunt. Tillemontius art. 48 et Vallarsius in Præfatione ad tom. VII Operum* S. Hieronymi *figunt Commentarios istos anno 387; at sine argumentis, quæ id persuadere valeant.*

et eodem aut sub initium sequentis in Ecclesiasten.

368 *Post expositas quatuor S. Pauli Epistolas statim secuta videtur Expositio Ecclesiastæ, cui Sanctus ita præfatur :* Memini me ante hoc ferme quinquennium, quum adhuc Romæ essem, et Ecclesiasten sanctæ Blæsillæ legerem, ut eam ad contemptum istius sæculi provocarem, et omne, quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo, rogatum ab ea, ut in morem commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me posset intelligere, quæ legebat. Itaque, quoniam in procinctu nostris Operis subita morte subtracta

AUCTORE ... S.

cta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tantoque vulnere tunc perculsus obmutui: nunc in Bethleem positus, augustiore videlicet civitate, et illius memoriæ et vobis reddo, quod debeo; hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem sequutus sum; sed de Hebræo transferens, magis me Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi, in his dumtaxat, quæ non multum ab Hebraicis discrepabant. Interdum Aquilæ quoque et Symmachi et Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem, nec rursum contra conscientiam meam, fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer. *Hactenus* Hieronymus, *ex cujus verbis Commentarius ille figendus probabilius anno* 389. *Nam, ut probavi* § 17, *obiit Blæsilla anno* 385, *exiguo tempore ante* Hieronymi *in Palæstinam discessum, sive circa mensem Julium. Hisce autem si addamus annos quatuor et aliquot menses, ut sit* ferme quinquennium, *pervenimus usque ad annum* 390. *At petiit illam explanationem Blæsilla aliquo saltem tempore ante mortem, nimirum post conversionem suam ad vitam piam et modestam, cui tribus aut fere quatuor mensibus supervixit. Videtur ergo Commentarius in* B *Ecclesiasten scriptus esse ante finem anni* 389, *præsertim cum* S. Hieronymus *per* ferme *quinquennium forte solum intelligat quatuor annos et paucos menses. Scriptus igitur fuerit posterioribus mensibus anni* 389 *aut forsan prioribus anni* 390. *At hoc minus probabile est, quod Sanctus de tempore potius plus soleat dicere, quam minus.*

ut probatur. 369 *Certe nimium festinarunt Tillemontius et Vallarsius, qui eum fixerunt anno* 388. *Primus propriæ chronotaxi est utcumque contrarius: nam art.* 37 *mortem Blæsillæ figit sub finem anni* 384 *aut initius* 385, *ut* ferme quinquennium *duceret saltem ad* 389. *Vallarsius vero in Præfatione ad tomum III ait, Ecclesiasten Blæsillæ expositum anno* 383, *quando Blæsilla necdum* perfecte sæculo valedixerat. *At ea opinio minime verisimilis aut probabilis est. Nam allegata* Hieronymi *verba omnino insinuant, expositionem Ecclesiastæ petitam a Blæsilla exiguo ante mortem suam tempore, cum solam illius Operis intermissi causam alleget* Hieronymus. *Præterea, nisi ante conversa fuisset, mulier mundo dedita, qualis erat Blæsilla, non audivisset* Hieronymum *in privatis congressibus* C *Scripturas explicantem, nec ejus petiisset Commentarios. Quod autem ait Sanctus.* Ut eam ad contemptum istius sæculi provocarem *etc., non insinuat, Blæsillam etiam tum fuisse mundanis rebus nimium addictam, aut necdum conversam ad perfectiorem Dei cultum: sed solum, laborasse* Hieronymum, *ut pietatis semina, quæ jam conceperat, rigaret et aleret, eamque ad perfectiorem etiam mundi contemptum incitaret prælegendo Ecclesiasten, cujus doctrina ad eum finem maxime opportuna est. Vidit ipse Vallarsius in Præfatione tomi I, ubi dat chronotaxim Epistolarum, ad Epist.* 38 Postremum incolatus sui Romæ tempus *ab* Hieronymo *designari verbis supra allegatis, quibus Ecclesiasten Blæsillæ expositum dicit,* cum adhuc Romæ *esset. Addit ibidem:* Porro aliunde compertum est, sub anni 389 finem vel sequentis initium, quod suo loco certis argumentis constabit, hæc in Ecclesiasten Commentaria Hieronymum edidisse. *Non erat, cur hanc desereret chronotaxim. Nam et* ferme quinquennium, *quod ab anno* 385 *inchoandum est, ducit ad finem anni* 389 *aut longius,* et plusquam quindecim anni, *quibus abstinuerat a profanis scriptoribus, dum Epistolam ad Galatas exponebat, inchoati a* *Quadragesima anni* 374, *ad Pascha fere anni* 389 D *perducunt aut paulo longius. Itaque, cum aliquot saltem menses, quatuor forte aut sex aut etiam octo, Pauli Epistolis dederit Sanctus, et tum demum ad Ecclesiasten perrexerit, forte hunc non absolverit, nisi ultimis mensibus anni* 389 *aut initio sequentis.*

370 *Pauca modo veniunt observanda de hisce Commentariis. Quod ait de Commentario in Ecclesiasten,* De Hebræo transferens, magis me Septuaginta interpretum consuetudini coaptavi, in his dumtaxat, quæ non multum ab Hebraicis discrepabant, *non ita intelligendum est, acsi tunc* Hieronymus *edidisset interpretationem ex Hebraico Latinam, quam modo habemus in Vulgata Scriptura. Serius enim illam edidit Ecclesiastæ interpretationem, suo loco memorandam. Dedit quidem textum ex Hebræo, ubi non placebat interpretatio Septuaginta; sed horum interpretationem, ubi non multum erat diversa a fonte Hebraico, maluit retinere, quia usitata erat in Ecclesia. Postmodum vero purum dedit textum Hebraicum. Præterea ad nonnullas ex memoratis modo Commentariis prudentem lectorem deinde remisit* Hieronymus, *ut ex iis intelligeret, quid ipse dudum sensisset de doctrina Origenis. Nam in Epi-* E *stola* 64 (*alias* 65) *ad Pammachium et Oceanum ita loquitur:* Quod si volunt super Origine meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios: replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, et intelligent, me semper ejus dogmatibus contraisse. Quæ enim stultitia est, sic alicujus laudare doctrinam, ut sequaris et blasphemiam? *Rursum in libro contra Joannem Hierosolymitanum num.* 17 *eosdem contra perversum Origenis dogma ostendit Commentarios his verbis:* Ante annos ferme decem in Commentariis Ecclesiastæ, et in Explanatione Epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum. *Hæc verba apte chronotaxi nostræ congruere, ostendam in chronotaxi illius libri, de qua scriptores multum dissentiunt.*

Nonnullæ de prædictis Commentariis

371 *Cassiodorus de Institutione divinarum litterarum cap.* 8 *recenset Commentarios* S. Hieronymi *in Epistolas S. Pauli his verbis:* De qua (*Epistola ad Galatas*) et sanctus Hieronymus tribus libris Expositionem tetendit. Idem pater Hieronymus tribus libris Epistolam ad Ephesios diligenter aperuit. Ad Titum quoque Expositionem uno volumine comprehendit. Ad Philemonem F etiam uno libro patefacit. *Hactenus certa protulit Cassiodorus. Tum addit sequentia:* Residuas vero sancti Pauli, id est, ad Corinthios duas, ad Thessalonicenses duas, ad Colossenses unam, ad Timotheum duas, sanctus Hieronymus dicitur explanasse. *Ex Cassiodoro forsan auctor primæ vitæ censuit, plerasque Pauli Epistolas a Sancto expositas. At falsum videntur, quod Cassiodori temporibus dicebatur de his Epistolis ab* Hieronymo *expositis. Certe* S. Hieronymus *in libro de Viris illustribus cap.* 135 *scripta sua recenset usque ad annum* 392, *interque ea solum quatuor S. Pauli Epistolas expositas. Nullum vero habemus indicium, quo conjicere possimus, postmodum alias a Sancto explanatas. Verisimile itaque est,* S. Hieronymo *attributum fuisse expositionem Epistolarum S. Pauli, quæ erat alterius cujuspiam.*

observationes. Alias S. Pauli Epistolas

372 *Laudatus Cassiodorus ibi præmiserat:* Tertium vero codicem reperi Epistolarum S. Pauli, *qui* a nonnullis beati Hieronymi annotationes brevissimas dicitur continere, quem vobis pariter, Christo largiente, dereliqui. *Hæ Annotationes forsan erunt Commentarii nomine* S. Hieronymi *olim editi cum præfixa Epistola ad Heliodorum. Videri*

non exposuit S. Hieronymus.

AUCTORE I. S.

A *Videri possunt apud Martianæum inter Opera supposititia tom. V col. 925 et seqq. Nolim tamen certo dicere, istos fuisse insinuatos a Cassiodoro : nam aliquibus prolixiores videbuntur, quam ut annotationes brevissimas vocasset Cassiodorus. Sunt tamen breves, si conferantur cum* Hieronymi *Commentariis, et fere tantum annotationes. Quidquid sit, hi magis Pelagii aut scriptoris cujuspiam Pelagiani censentur, quam* S. Hieronymi : *neque hunc existimo in plures, quam quatuor S. Pauli Epistolas scripsisse. De Ecclesiaste per* Hieronymum *explanato Cassiodorus cap. 5 ita scribit :* Secundus vero liber Salomonis, qui appellatur Ecclesiastes, a beato Hieronymo potenter expositus est : quem Latino sermone nuncupat Concionatorem, quod loquatur ad populum, et sermo ejus non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur.

§ XXII. Scripti libri de Quæstionibus hebraicis in Genesim, de Locis hebraicis, de Nominibus hebraicis.

B

Sanctus scribit Quæstiones hebraicas,

P*ost Commentarios in Ecclesiasten, in quibus Sanctus hebraica latino sermone cœperat exprimere, alia Opuscula, pro quibus lingua hebraica usui fuerat, in scriptorum suorum catalogo ita recenset,* Quæstionum Hebraicarum in Genesim librum unum. De Locis librum unum. Hebraicorum nominum librum unum. *Tria hæc Opuscula, quæ circa annum 390 figenda sunt, eodem tempore videtur composuisse, quandoquidem in singulis alia duo subinde allegat. Sequar ordinem* S. Hieronymi, *etiamsi ultimus liber ex tribus primus credatur editus. Forte Quæstionum Hebraicarum librum recensuit primum, quod novum esset Opus, cum alii magna ex parte ex Græcis essent translati. Forte etiam liber ille ante alios absolutus est, et solum serius editus, quod et alios meditaretur* Hieronymus, *ut mox videbimus. Patiebatur* Hieronymus *invidorum obtrectationes, dum illa scribebat. Nam in Præfatione illis respondet : et ubi observaverat, idem accidisse Terentio, Virgilio,* C *Ciceroni, ita pergit :* Non mirum ergo si contra me parvum Homunculum immundæ sues grunniant, et pedibus margaritas conculcent, quum adversus doctissimos viros, et qui gloria invidiam superare debuerant, livor exarserit. Verum hoc illis merito accidit, quorum in theatris, curia, concione, pro rostris eloquentia pertonabat. Semper enim in propatulo fortitudo æmulos habet, feriuntque summos fulmina montes. Me vero procul ab urbibus, foro, litibus, turbis remotum, sic quoque, ut Quintilianus ait, latentem invenit invidia. Unde lectorem obsecro (si tamen hæc quoque, si quis captus amore leget) ut in libris Hebraicarum Quæstionum, quos in omnem Scripturam sanctam disposui scribere, non quærat eloquentiam, non oratorum leporem, sed magis inimicis pro nobis ipse respondeat, novo Operi veniam concedendam.

meditans illas edere in totam Scripturam.

374 Ut enim nos humiles atque pauperculi nec habemus divitias, nec oblatas dignamur accipere; ita et illi noverint, non posse se notitiam Scripturarum, id est, divitias Christi, cum mundi pariter habere divitiis. Studii ergo nostri erit, vel eorum, qui de libris hebraicis varia suspicantur, errores refellere; vel ea, quæ in latinis et græcis codicibus scatere videntur, auctoritati suæ reddere : etymologias quoque rerum, nominum atque regionum, quæ in nostro sermone non resonant, vernaculæ linguæ explanare ratione. Et quo facilius emendatio cognoscatur, ipsa primum, ut apud nos sunt, testimonia proponemus, et ex collatione eorum, quæ sequuntur, quid in illis aut minus aut plus aut aliter sit, indicabimus. Neque vero Septuaginta interpretum, ut invidi latrant, errores arguimus : nec nostrum laborem, illorum reprehensionem putamus etc. *Ex allegatis perspiciet lector,* Hieronymum *hoc Opus, quod maxime studiosum est, voluisse componere* in omnem Scripturam Sanctam : *tamen unum duntaxat librum in* Genesim *habemus, et ille solus ab ipso Sancto in libro de Viris illustribus memoratur. Præterea, quando diu post in Isaiam scripsit, lib. 15 in cap 54 librum illum laudat hisce verbis :* De quo in Hebraicarum Quæstionum libro, quem in Genesim scripsimus, plenius dictum est. *Itaque nullum mihi est dubium, quin unicum illum Hebraicarum Quæstionum librum perfecerit* Hieronymus : E *nam et unum illum anno 392 inter scripta sua recensuit, et unum illum senex laudavit, nullibi alium.*

sed aliorum causa illas intermittens ac deinde omittens.

375 *Certum tamen est, meditatum fuisse plures, eaque de causa Opus illud, quando necdum mutaverat propositum, sic laudavit, acsi plures essent libri. Nam in libro de Locis Hebraicis col. 207 ad vocem* Elmoni *ait :* Quia de his in libris Hebraicarum Quæstionum plenius disputavi. *In Præfatione libri Nominum Hebraicorum ita loquitur :* Libros enim Hebraicarum Quæstionum nunc in manus habeo, opus novum, et tam græcis quam latinis usque ad id locorum inauditum. *Volebat certe tunc plures libros scribere Sanctus. At Opus illud intermisit, ut aliquot Origenis Homilias in Lucam, rogantibus Paula et Eustochio, in latinum sermonem transferret. Nam in Prologo ad illas Homilias ita illas alloquitur :* Prætermisi paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum lucrativis operis hæc, qualiacumque sunt, non mea, sed aliena dictarem. *Ex hac autem intermissione, quæ forte contigit post librum in Genesim absolutum, verisimiliter secuta* F *fuerit omissio Operis continuandi, quod multi eo tempore Opera diversa* S. Hieronymum *flagitarent, et vel maxime, quantum conjicio, ut sacram Scripturam ex hebraico in latinum sermonem transferret. Nam Opere illo Hebraicarum Quæstionum ad integram translationem quasi præludebat. Utile erat istud Opus : at multo etiam utilior integra translatio.*

solam scripsit librum in Genesin.

376 *Cassiodorus de Institutione cap. 1 de illo Opere sic habet :* Sanctus etiam Hieronymus uno volumine de libro Geneseos Hebraicas solvit quæstiones propositas, quæ per utriusque Testamenti Scripturas divinas, tamquam linea uno calamo deducta, parili nitore descendunt. Hæc a Catholicis necessario perleguntur, quando, tantis quæstionibus resolutis, textus planissimus relinquitur, et clara luce vulgatur. *His verbis non insinuat Cassiodorus, Opus fuisse continuatum in totam Scripturam, ut perperam existimavit Tillemontius Nota 32 ; sed asserit Quæstiones de Genesi natas ope totius sacræ Scripturæ solutas. Nam* uno volumine, *et vocibus,* de libro Geneseos... quæstiones propositas, *luculenter declarat, unice se loqui de libro Quæstionum in Genesim.*

377 De

AUCTORE I. 5. Librum de Locis Hebraicis,

377 *De aliis duobus S. Hieronymi Opusculis pergit ibi Cassiodorus loqui, sed minus accurate :* Explanationes quoque, *inquit*, Hebræorum nominum et locorum, quæ ad magnam intelligentiæ partem in librorum veterum auctoritate sunt positæ, uno volumine sua nobis in latinum interpretatione lucidavit. De Novo quoque Testamento fecit alterum librum, ubi quæstiones ad eamdem Legem pertinentes diligentissimus Doctor enodavit. *Videtur ibi duo Opuscula, alterum de Locis, alterum de Nominibus confundere, et pro secundo libro substituere augmentum libri de Nominibus ex Novo Testamento, ut luculentum fiet utriusque Operis descriptione. Quod brevi titulo vocatur* De locis, *longiore inscribitur :* De situ et nominibus Locorum Hebraicorum. *Hoc Opus græce conscripsit Eusebius, latinum fecit, multisque locis auxit et correxit* Hieronymus, *ut ipse in Præfatione monet. At augmentum ex Novo Testamento non est hujus libri, in quo non exponuntur Loca, in Novo Testamento solum memorata ; sed alterius de Nominibus.*

scriptum ab Eusebio, transtulit et auxit.

378 *Ex Præfatione* S. Hieronymi, *quam subjungo, omnia studiosus lector intelliget.* Eusebius, *inquit*, qui a B. Pamphilo martyre cognomentum B sortitus est, post decem Ecclesiasticæ Historiæ libros ; post Temporum Canones *, quos nos latina lingua edidimus ; post diversarum vocabula nationum, quæ quomodo olim apud Hebræos dicta sint, et nunc dicantur, exposuit ; post Chorographiam * terræ Judææ, et distinctas tribuum sortes, ipsius quoque Jerusalem templique in ea cum brevissima expositione picturam, ad extremum in hoc Opusculo laboravit, ut congregaret nobis de sancta Scriptura omnium pene urbium, montium, fluminum, viculorum, et diversorum locorum vocabula, quæ vel eadem manent, vel immutata sunt postea, vel aliqua ex parte corrupta. Unde et nos admirabilis viri sequentes studium, secundum ordinem litterarum, ut sunt in græco posita, transtulimus ; relinquentes ea, quæ digna memoria non videntur, et pleraque mutantes. Semel enim et in Temporum libro præfatus sum, me vel interpretem esse, vel novi Operis conditorem ; maxime quum quidam, vix primis imbutus litteris, hunc eumdem librum ausus sit in latinam linguam non latine vertere : cujus imperitiam ex comparatione eorum, quæ transtulimus, prudens statim lector inveniet. Ut enim mihi excelsa non vin- C dico, ita terræ cohærentia supergredi posse me credo. *Hactenus* Hieronymus, *cujus additiones et correctiones invenire poterit studiosus lector ex collatione cum textu græco in editione Veronensi tom. III.*

* Chronicon

* al. Topographiam

Librum de Nominibus Hebraicis ex Philone

379 *Tertium* S. Hieronymi *Opusculum illius temporis vocatur*, Liber Nominum Hebraicorum, *aut* de Nominibus Hebraicis. *Est autem latina interpretatio Nominum hebraicorum, sive hominum illa sint propria sive locorum, etymologias ordine alphabetico exponens. Consilii sui rationes explicat Sanctus in Præfatione, ubi simul declarat, quanti fecerit tam hunc, quam duos alios libros supra memoratos.* Philo, *inquit*, vir disertissimus Judæorum, Origenis quoque testimonio comprobatur edidisse librum Hebraicorum Nominum, eorumque etymologias juxta ordinem litterarum e latere copulasse. Qui quum vulgo habeatur a Græcis, et bibliothecas orbis impleverit, studii nostri fuit in latinam linguam eum vertere. Verum tam dissona inter se exemplaria reperi, et sic confusum ordinem, ut tacere melius judicaverim, quam reprehensione D dignum scribere. Itaque hortatu fratrum Lupuliani * et Valeriani, qui me putant aliquid in hebrææ linguæ notitia profecisse, et rei ipsius utilitate commotus, singula per ordinem Scripturarum volumina percucurri ; et vetus ædificium nova cura instaurans, fecisse me reor, quod a Græcis quoque appetendum sit. Præterea et illud in Præfatione commoneo, ut, si qua hic prætermissa sunt, alteri sciat lector Operi reservata. Libros enim Hebraicarum Quæstionum nunc in manus habeo, Opus novum, et tam græcis quam latinis usque ad id locorum inauditum.

* al. Lupuli

et aliis magno studio concinnavit.

380 Non quo studium meum insolenter extollam, sed quod sudoris conscius, ad lectionem eorum provocem nescientes. Si quis igitur et illos et præsens volumen, librum quoque Locorum, quem editurus sum, habere voluerit, parvi pendet et rectum et nauseam Judæorum. Ac ne forte consummato ædificio quasi extrema deesset manus, Novi Testamenti verba et nomina interpretatus sum, imitari volens ex parte Origenem, quem post Apostolos ecclesiarum magistrum, nemo nisi imperitus negabit. Inter cætera E enim ingenii sui præclara monumenta etiam in hoc laboravit, ut, quod Philo quasi Judæus omiserat, hic ut Christianus impleret. *Hactenus* Hieronymus, *qui mirabatur multiplices Origenis labores, pro intelligentia sacræ Scripturæ utiles, summique acumen ingenii. Neque enim ullus usque ad tempus, quo hæc scribebat Sanctus, multa in sacram Scripturam ediderat volumina ; cum Augustinus, Chrysostomus, ipseque* Hieronymus, *qui copiose præ ceteris sacram Scripturam exposuerunt, necdum eo tempore multa produxissent, vetustiores vero omnes pauciora ediderint. Præterea eo tempore præcipuos Origenis errores non satis novisse videtur* Hieronymus, *cum diu post Opus ejus omnium deterrimum de Principiis necdum legisset. Itaque exaggerata illa Origenis laudatio partim ex ignorantia multiplicium ejus errorum, quos tamen omnes non ignorabat, partim ex admiratione ingenii et multitudine scriptorum ejus profecta est ; sicut laudat Eusebium, quem Arianum non ignorabat. At plura de his postmodum venient disputanda.*

Alia id genus Opuscula Sancto olim falso attributa.

381 *Verum hoc loco breviter observandum,* S. Hieronymo *olim attributa fuisse alia Opuscula, quæ nonnullam cum prædictis similitudinem habent. In editione Veronensi tom. III a col. 755 editæ sunt* Quæstiones Hebraicæ *in tres libros* F *Regum et duos Paralipomenon, quæ olim* S. Hieronymo *fuerunt adscriptæ. At clarum est, cum ex dictis tum ex stylo et aliis, illos non esse* S. Hieronymi *Martianæus vero, ibi col. 755 in Præfatione laudatus, ex Rabano Mauro probavit, libros esse cujusdam Hebræi, qui non diu ante Rabanum floruit. Ibidem a col. 721 editus est liber* de Locis *ex Actis, videlicet Apostolorum, olim similiter* S. Hieronymo *adscriptus. At in Admonitione prævia ibi satis evincitur, librum illum censendum non esse* S. Hieronymi, *nec scriptum ante sæculum 7. De hisce igitur plura non dicam, etiamsi plura addi possent argumenta.*

§ XXIII.

§ XXIII. Latine redditus liber Didymi de Spiritu Sancto, et Homiliæ 39 Origenis in Lucam. Rufini de his objectiones refutatæ.

Librum Didymi de Spiritu sancto, ut Romæ cœperat,

Post *Opuscula Quæstionum, Locorum, et Nominum Hebraicorum,* S. Hieronymus *in sæpe dicto Operum suorum catalogo ita pergit :* De Spiritu sancto Didymi, quem in latinum transtuli, librum unum. In Lucam Homilias triginta novem. *Hæ sunt Origenis, latinoque sermone ab* Hieronymo *donatæ. Cum autem Homiliarum causa libros Hebraicarum Quæstionum interruperit, ante tamen recenseat librum Didymi, ambiguum est, utrius Operis translatio præcesserit. At sequar ordinem* Hieronymi : *neque enim improbabile est, translationem libri de Spiritu sancto similiter dictatam esse ab* Hieronymo, *quando tetricis Operibus Nominum aut Locorum Hebraicorum, pro* B *quibus multo plura erant quærenda, quom scribenda aut dictanda, occupabatur, ut notarii, quos alebat, haberent interim aliqua exscribenda. Librum Didymi jam Romæ cogitarat transferre, et S. Damaso dedicare, ut ait in Epistola* 36 *(alias* 125) *ad Damasum his verbis :* Et ut verius loquar, Didymi de Spiritu sancto librum in manibus habeo, quem translatum tibi cupio dedicare. *Idem rursum insinuat in Præfatione ad librum translatum, quam sic orditur :* Cum in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de Spiritu sancto, et cœptum Opusculum ejusdem Urbis Pontifici dedicare. *Hæc verba insinuant, Opusculum Romæ fuisse cœptum; sed omissum est propter exortas ibi persecutiones, quarum causa, ut adjungit, discessit in Palæstinam.*

ex Græco Latinum reddit :

383 *Deinde sic pergit :* Itaque, mi Pauliniane frater, quia supradictus Pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, jam dormit in Christo, tam tuo, quam venerabilium mihi ancillarum Christi Paulæ et Eustochii, nunc C adjutus oratu, canticum, quod cantare non potui in terra aliena, hic a vobis in Judæa provocatus immurmuro, augustiorem multo locum existimans, qui Salvatorem mundi, quam qui fratris genuit parricidam. Et, ut auctorem titulo fatear, malui alieni Operis interpres existere, quam, ut quidam faciunt, informis cornicula, alienis me coloribus adornare. Legi dudum cujusdam libellos de Spiritu sancto; et juxta Comici sententiam, ex Græcis bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum, quod lectorem vel ingratis in assensum trahat; sed totum flaccidum, molle, nitidum, atque formosum, et exquisitis hinc inde odoribus * pigmentatum. Didymus vero meus, oculum habens sponsæ de Cantico canticorum, et illa lumina, quæ in candentes segetes sublimari Jesus præcepit, procul altius intuetur, et antiquum nobis morem reddidit, ut videns vocetur propheta. Certe qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet; et contemnet rivulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, non scientia, apostolicum virum ex ipso sermone exprimens, tam sensuum lumine, quam simplicitate verborum. *Hæc omnia afferre volui, quia ex hisce quoque habuit Rufinus, quod sancto Doctori objiceret, ut infra videbimus. De Didymo agit* Hieronymus *in libro de Viris illustribus cap.* 109, *ubi enumerat plura Didymi scripta, interque ea,* De Spiritu sancto librum unum, quem ego, *inquit,* in Latinum verti. *Perditus est textus græcus, sed exstat* Hieronymi *interpretatio in editione Veronensi tom. II.*

* forte coloribus

item Homilias 39 Origenis in Lucam.

384 *Prologum in dictas Origenis Homilias, quas exhibet editio Veronensis tom. VII, similiter dabo, quia et calumniæ patuit, et ad gesta* Hieronymi *quasi totus pertinet.* Ante paucos dies, *inquit,* quorumdam in Matthæum et in Lucam Commentarios vos legisse dixistis, e quibus alter et sensibus hebes esset et verbis; alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. Quamobrem petistis, ut, contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta et novem Adamantii nostri in Lucam Homilias, sicut in græco habentur, interpreter; molestam rem et tormento similem, alieno, ut ait Tullius, stomacho et non suo scribere. Quam tamen idcirco nunc faciam, quia subliniora non poscitis. Siquidem illud, quod olim Romæ sancta E Blæsilla flagitaverat, ut viginti quinque tomos illius in Matthæum, et quinque alios in Lucam, et triginta duos in Joannem, nostræ linguæ traderem, nec virium mearum, nec otii, nec laboris est. Perspicitis enim, quantum apud me et auctoritas vestra, et voluntas valet. Prætermisi paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum lucrativis operis hæc, qualiacumque sunt, non mea, sed aliena dictarem; præsertim cum a sinistro oscinem corvum audiam crocitantem, et mirum in modum de cunctarum avium ridere coloribus; quum ipse totus tenebrosus sit.

quas citius non carere fatetur

385 Fateor itaque, antequam ille objiciat, in his Origenem Tractatibus quasi puerum talis ludere : alia sunt virilia ejus, et alia senectutis seria. Quæ, si libuerit, si potuero, si Dominus, ut in latinum sermonem vertam, dederit commeatum, et prætermissum Opus prius explevero, tunc videre poteritis, immo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni et ante nescierit, et scire nunc cœperit. Præterea Commentarios viri eloquentissimi Hilarii, et beati martyris Victorini, quos in Matthæum diverso sermone, sed una gratia Spiritus ediderunt, post paucos F dies ad vos mittere disposui; ne ignoretis, quantum nostris quoque hominibus sanctarum Scripturarum quondam studium fuerit. *Hactenus* Hieronymus, *qui abunde declarat, non magni se facere istas Origenis Homilias, dum ait, se eas vertere* ad arbitrium *Paulæ et Eustochii, et* qualiacumque sunt, *non sua, sed aliena esse. Non esse etiam ab erroribus immunes, aperte declarat, dum fatetur, Origenem in iis* quasi puerum talis ludere. *Verum alia sunt, quæ Rufinus ex utraque Præfatione contra* Hieronymum *invidiose intorquet, eaque hoc loco veniunt examinanda. Non tamen examinabo hic ea, quæ ex Origenis et Didymi laudatione disseruit Rufinus, sed ea solum, quæ in S. Ambrosium et in Urbem dicta contendit.*

S. Ambrosium in utraque Præfatione perstringit Rufinus

386 *Rufinus lib.* 2 *Invectivarum num.* 21 *contendit, omnia illa, quæ de libellis* de Spiritu Sancto *dicit* Hieronymus, *in libros de Spiritu sancto S. Ambrosii contorta fuisse, iisque vocibus* informis cornicula *S. Ambrosium designari. Quæ in altera Præfatione dicuntur de Commentoriis cujusdam in Lucam, similiter refert ad Expositionem

auctore ... s.

nem Lucæ S. Ambrosii, eumque nscinem corvum *ab* Hieronymo *vocari, ridicule calumniatur, num. 24 ita scribens :* Audistis, quomodo, quem ante corvum dixerat et totum tenebrosum, nunc iterum corniculam dicat, alienis se pennis vel coloribus depingentem, et quam turpiter laceret, et nihil virile dicat habere virum, qui ad ecclesiarum Christi gloriam electus a Deo est *etc. Quam ineptæ sint hæ, ex parte saltem, calumniæ, mox ostendam. At prius audiamus, quibus argumentis studeat eas lectoribus persuadere num.* 22. Quod si negare voluerit hoc, *inquit*, quod omnes sciunt, quia de sancto Ambrosio dixerit, primo ex eo convincetur, quod apud Latinos ipsius tantum, et non alterius in Lucam Commentarius fertur. Deinde scit me habere Epistolam suam, in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum convertit suspicionem. Verum, quia Epistola illa etiam secretiora quædam continet, quæ interim modo publicari nolo ante tempus, ex aliis adhuc his similibus approbabimus. *Tam ad probandum profert verba data ex Præfatione in librum Didymi.*

aliique contendunt.

387 *Asserta illa Rufini, quamvis partim prorsus incredibilia sint, partim plane incerta, suos tamen sæculo nostro invenerunt fautores non indoctos. Benedictini, qui Opera S. Ambrosii recudenda Parisiis curarunt annis* 1686 *et* 1690, *tom. I in Admonitione ad Expositionem S. Lucæ quasi in medio relinquunt, utrum de Expositione S. Ambrosii in Lucam locutus fuerit* S. Hieronymus. *Rursum tom. II in Admonitione ad libros de Spiritu sancto non omnino edicunt, libros S. Ambrosii de Spiritu sancto ab* Hieronymo *fuisse perstrictos; sed eos ita contra censuram Hieronymianam defendunt, acsi certam esset, eos ab* Hieronymo *designatos, adducuntque aliqua argumenta ad probandam Rufini criminationem. Tillemontius vero tom. X Nota* 11 *in S. Ambrosium non dubitat pro certo edicere, libros fuisse S. Ambrosii de Spiritu sancto, quos perstringit* Hieronymus, *et rursum Nota* 35 *ejusdem S. Lucæ Expositionem dicit notatam, multaque coacervat, quibus probare conatur,* Hieronymum *non recte sensisse de Operibus S. Ambrosii. Mitto alios, qui Tillemontium, quacumque fere via incesserit, ducem solent sequi. Itaque, cum agatur de honore Ambrosii et* Hieronymi, *lubet attentius illius opinionis fundamenta examinare. Nam non desunt alii, qui opinionis sunt contrariæ : et Rufini asserta, ubi scribit contra* Hieronymum, *exiguam videntur mereri fidem.*

refragantibus aliis

388 *Opponunt se Rufino editores Veronenses, ut mittam alios, et in Annotatis tam in Præfationem* Hieronymi *ad librum de Spiritu sancto, quam ad allegatum Rufini locum observant, non videri Ambrosium, qui tacito nomine carpitur, cum* Hieronymus *Ambrosium multis locis commendet. Ad præfationem vero* Hieronymi *ad Homilias in Lucam ita mentem suam edicunt.* Calumniatur Ruffinus, notari heic abs Hieronymo sub corvi nomine S. Ambrosium; primum ex eo, quod apud Latinos ipsius tantum et non alterius in Lucam Commentarius ferebatur. Deinde quod ipsiusmet Hieronymi penes se haberet Epistolam, in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum (*Ambrosium*) converterit suspicionem. Nemo autem vel jurato Ruffino credat, id sentire de Ambrosio potuisse sanctum Patrem, qui eum plurimo continuo fecit, nec raro in suis libris pro re nata laudavit. *Ita viri illi eruditi, qui Rufini in calumniando facilitatem optime poterant habere perspectam, cum non solum ediderint omnia ab* Hieronymo *et Rufino in controversiis illis scripta, sed variis etiam Annotatis illustrarint.*

389 *Mihi sane, postquam utrimque scripta sæpius attente pervolvi, instar miraculi videtur, prudentem virum Rufino contra* Hieronymum *credere posse, si dicta ejus aliunde probari nequeant; cum frequenter asserat aperte falsa, aut certe ex veris falsissima impudenter inferat. Talia sunt, cum* Hieronymum *ex somnio perjurum facit, eamque calumniam deinde etiam defendit: cum Barabbam pro Christo ab eo electum calumniatur, quod Hebraicæ linguæ magistrum habuisset Judæum; cum lib.* 2, *num.* 12, *quod Sanctus in juventute usus esset Isagoge Porphyrii ad logicam discendam, hæc infert :* Nam Porphyrius te docuit de Christianis male loqui, concidere virgines, continentes, diaconos, presbyteros, et omnem prorsus Christianorum gradum et ordinem libellus editis infamare. *Quis non videat, neque vera hæc esse, neque recte inferri ex usu libri, ad logicam discendam compositi, neque juvenum esse eligere libros, quibus artem aliquam docentur, sed magistrorum, qui multos simul instruunt? Itaque hæc hominis sunt, nescientis modum servare. Æque insani cerebri sunt, quæ num.* 27 *de se et* S. Hieronymo *ita prosequitur :* Scripta mea nulla exstant, in quibus error meus aliquis corrigendus sit. Tua exstant multa, quæ, ut video, nunc secundum sententiam tuam universa damnanda sunt. *Et inferius :* Sed et pro omnibus non solum, quæ locutus es, sed et quæ locuturus es, si agas pœnitentiam, bene facis. Certum est enim, quod pœnitenda sunt cuncta, quæ scripseris. *Mitto alia id genus plurima, in quibus non magis apparet, aut modestia Rufini, tantopere a Tillemontio art.* 1 *laudata; quam color candidus in Æthiope; nec magis prudentia aut sanum judicium, quam in homine præ iracundia abrepto, qui omnia, quæ in buccam veniunt, sive vera sint sive falsa, in adversarium licenter effundit.*

quibus magis perspecta fuit Rufini in calumniando licentia

390 *Examinemus modo, quam belle cohæreant asserta Rufini, de quibus hic agimus. Ait Sanctus :* Malui alieni Operis interpres existere, quam (ut quidam faciunt) informis cornicula alienis me coloribus adornare. *Hæc meo quidem judicio neminem designant, nec eos improbat* Hieronymus, *qui ex scriptoribus antiquioribus argumenta aliquot hauriunt, aut eorum opiniones adoptant, singulaque suo stylo exprimunt; sed generatim illos, qui pleraque ex scriptore aliquo antiquiore desumunt, tacitoque illius nomine pro suis omnia venditant. Hoc se facere noluisse, ait* Hieronymus, *neminemque nominatim accusat, sed solum addit,* ut quidam faciunt. *Certum est, nunquam defuisse plagiarios, horumque generatim improbari consilium. At si quis voluerit contendere cum Rufino, S. Ambrosium carpi ut plagiarium; huic probandum prius erit, talem fuisse Ambrosium. At editores Benedictini in Admonitione ad libros Ambrosii de Spiritu sancto agnoscunt quidem, aliqua ex libro Didymi ab Ambrosio videri ad libros de Spiritu sancto translata. At observant, ex multis hausisse Ambrosium, et magis ex Basilio, quam ex Didymo, nec eo id modo fecisse, ut* plagiarius *dici debeat. Itaque non videtur de Ambrosio cogitasse* Hieronymus, *dum dixit :* Certe qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet : *sed de aliis, qui Didymi Opus magis expilaverant.*

Certe S. Hieronymus neminem nominat

391 *Ex ultimis verbis colligitur, plures Latinos post Didymum de Spiritu sancto scripsisse, idque indubium videtur, cum hæresis Macedoniana*

eaque dicit, quæ libris S. Ambrosii

A *niana contra Spiritum sanctum tunc nova esset, et multas ecclesias infecisset, ut antistites aliique doctores natæ nuper hæresi procul dubio se opposuerint. Quare hæc Hieronymi verba :* Legi dudum cujusdam libellos de Spiritu sancto; et... ex Græcis bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile *etc.;* sed totum flaccidum, molle, nitidum *etc.; verisimiliter impetunt Opus alicujus scriptoris indocti, qui multa ex Græcis, et maxime ex Didymo corraserat, styloque utcumque nitido, sed flaccido et minime stringenti argumenta sua exposuerat. Certe non poterat ita loqui* S. Hieronymus *de libris S. Ambrosii. Nam qui dialecticam novit, sicut optime noverat* Hieronymus, *luculenter perspiciet, S. Ambrosium in libris de Spiritu sancto magis dialectice ratiocinari, quam in aliis plerisque suis; contra uti stylo minus ornato et magis simplici, quam in multis aliis. Hanc styli simplicitatem observavit S. Augustinus lib. 4 de Doctrina Christiana cap. 21, cujus verba Benedictini in Admonitione sua mendose allegant :* Sanctus Ambrosius, *inquit,* cum agat rem magnam de Spiritu sancto, ut eum Patri et Filio demonstret æqualem, submisso tamen dicendi genere utitur; quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat.

B

de Spiritu sancto non congruunt.

392 *Si quis modo conferre voluerit libros Ambrosii de Virginitate, inveniet conscriptos sermone magis ornato, et minus dialectico. Attamen* Hieronymus *in Epistola* 22, *num.* 22 *illos S. Eustochio legendos assignat, de iis et Ambrosio ita loquens :* In quibus tanto se effudit eloquio, ut quidquid ad laudes virginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinarit. *Itaque si sic loqui potuit* Hieronymus *de libris, in quibus elucet multo major dictionis elegantia, multoque minor dialecticæ ratiocinandi cura, mihi prorsus incredibile videtur, libros de Spiritu sancto perstrictos ab* Hieronymo, *ut vigore dialectico destitutos, flosculis vero verborum nimis refertos. Quapropter non dubito asseverare, Rufinum solita sua usum temeritate, quando allegata* Hieronymi *verba ad S. Ambrosium voluit pertrahere; illosque, qui Rufino crediderunt, non satis expendisse, quam ille in libris contra* Hieronymum *temerarius fuerit in asserendo; quamque incredibile sit, Sanctum de li-*

C *bris, qui dialecticis ratiociniis pleni sunt, asserere potuisse,* nihil ibi dialecticum, nihil virile *esse; et de stylo simplici,* totum esse formosum. *Neque enim naturalem dictionis elegantiam, qua ipse utitur, sed affectatum sermonis ornatum, quo carent laudati libri, in eo tam gravi improbarit, ut necessario ad alios respexerit, quos tanti non fecit antiquitas, ut ad nos pervenerint.*

Notatos ab Hieronymo S. Ambrosii in Lucam Commentarios.

393 *Nihilo magis Ambrosii Commentarios in Lucam designatos existimo, dum dixit* Hieronymus *sequentia :* Quorumdam in Matthæum et in Lucam Commentarios vos legisse dixistis, et quibus alter et sensibus hebes esset et verbis; alter in verbis luderet, in sententiis dormitaret. *Si maxime obviam hujus loci intelligentiam sequamur, ambo scripserant in Matthæum et Lucam. At S. Ambrosius in Matthæum non scripsit, ut hoc sensu alter e duobus esse nequeat. Verum gratis tantisper credamus, alterius Commentarios fuisse in solum Matthæum, alterius in solum Lucam, eoque modo Ambrosium designari potuisse. Vel sic nulla erit ratio, cur ille Commentarius in Lucam nequeat esse hominis ignoti, sicut ignotus est scriptor, cujus in Matthæum Commentarius memoratur. Uterque fuerit scriptor imperitus, alter etiam omni destitutus eloquio, alter satis quidem eloquens, sed sacræ Scripturæ intelligentiam non assecutus. Itaque utrinsque Commentarii* nugæ *vocantur; et pro Commentariis illis in Matthæum* Hieronymus *promittebat meliores Hilarii et Victorini; pro aliis in Lucam transferebat Homilias Origenis in Lucam, easque non satis sibi probatas, in quibus fatetur, cum* quasi puerum talis ludere. *Timebat etiam invidiam, illius verisimiliter qui in Lucam scripserat, eumque timorem declarat his verbis :* Præsertim cum a sinistro oscinem corvum audiam crocitantem, et mirum in modum de cunctarum avium ridere coloribus, quum totus ipse tenebrosus sit. *Ideo, antequam ille objiciat, dictas Origenis Homilias non esse admodum accuratas, id ultro fatetur* Hieronymus.

AUCTOR. I. S.

394 *Hæc omnia ad S. Ambrosium transfert Rufinus, quem et* corvum *nominatum, et* totum tenebrosum, *homo iracundus calumniatur. Timebat igitur* Hieronymus, *si credimus incredibili asserenti, ne invidiam pateretur Ambrosii, si Origenis transferret Homilias, et Ambrosius de cunctarum avium ridebat coloribus, sive omnes contemnebat scriptores. Recte ad hæc editores Veronenses :* Nemo vel jurato Ruffino credat, id sentire de Ambrosio potuisse sanctum Patrem. *Ego certe magis crediderim, S. Ambrosii Expositionem non fuisse visam* Hieronymo, *dum Homilias Origenis transferebat. Forte etiam necdum tota erat absoluta, quod suo loco examinari poterit in S. Ambrosio. Fuit saltem ex posterioribus S. Ambrosii Operibus, nec multis annis poterat esse perfecta. Nemo igitur mirari debet, si eam nondum vidisset* Hieronymus, *qui et longissimo terrarum intervallo aberat, et nullum cum Mediolanensibus aut cum S. Ambrosio, quantum novimus, habuit commercium, ut fortasse Opus illud non viderit ante mortem Ambrosii. Certe Expositionem sive Commentarios S. Ambrosii in Lucam nequaquam contempsit. Nam in Epistola* 121 *(alias* 151) *ad Algasiam, quæ varias ex Novo Testamento quæstiones proposuerat, quæst.* 6 *eam ad Ambrosii Commentarios in Lucam remittit his verbis :* Ambrosius Mediolanensis episcopus quid de hoc loco senserit in Commentariis ejus legere poteris.

non est probabile, cum quod eos verisimiliter necdum vidisset,

E

F

395 *Præterea maximi S. Ambrosium fecit* S. Hieronymus, *et semper honorifice de eo ejusque scriptis locutus est. In Epistola* 15 *(alias* 57) *ad Damasum ait ironice :* Jungatur cum Beatitudine tua Ursinus, cum Ambrosio societur Auxentius. *Ita honoris causa Damasum Ursino, et Ambrosium, tamquam præcipuum fidei defensorem, opponit Auxentio Ariano. Quantum laudaverit libros Ambrosii de Virginibus, jam vidimus num.* 392. *In Epistola* 48 *(alias* 50) *ad Pammachium num.* 14 *laudat* S. Ambrosii de Viduis librum, *multaque ex eo cum laude recitat, et ejus auctoritate se defendit iterum num.* 17. *Lubet nonnulla recitare verba, quæ subjungit post amplum Ambrosii locum num.* 15 : Ex quibus universis perspicuum est, me nihil novi de virginibus nuptiisque dixisse; sed majorum in omnibus sequutum esse sententiam, tam hujus (*Ambrosii*) videlicet, quam reliquorum, qui de ecclesiasticis dogmatibus disputarunt : quorum æmulari exopto negligentiam potius, quam aliorum obscuram diligentiam. *Hæc verba insinuant, quanti fecerit scripta Ambrosii, cujus solius recitaverat verba. Rursum in Epistola* 84 *(alias* 65) *tres scriptores sanctos,*

tam quod Ambrosium sæpe cum laude memoraverit

AUCTORE J. S.

sanctos, quos magni faciebat, ut videbimus, ita memorat : Nec disertiores sumus Hilario, nec fideliores Victorino, qui ejus (*Origenis*) tractatus, non ut interpretes, sed ut auctores proprii Operis transtulerunt. Nuper sanctus Ambrosius sic Hexaemeron illius compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basiliique sequeretur.

et maximi fecerit.

396 *In Epistola* 112 (*alias* 89) *ad Augustinum num.* 20, *recensitis Græcis Psalmorum interpretibus, de latinis hæc subdit :* Apud latinos autem Hilarius Pictaviensis et Eusebius Vercellensis episcopi Origenem et Eusebium transtulerunt, quorum priorem et noster Ambrosius in quibusdam secutus est. Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos et tales interpretes in Explanatione Psalmorum diversa senseris. *Pauca hic observo. Si quem alium ex Latinis magni fecit Hieronymus, maximi sane fecit S. Hilarium, ut in scriptis suis frequenter declaravit. Attamen hic dicendo Ambrosius noster satis innuit, sibi et Augustino magis etiam placuisse scripta Ambrosii, quam Hilarii. Clare etiam declarat, pauciora Ambrosium e Græcis sumpsisse in Expositione Psalmorum, quam Hilarium. Tertio tales et* tantos interpretes *vocando abunde manifestat, improbabilia prorsus esse asserta Rufini, quod maximo cum contemptu de libris Ambrosii locutus fuisset* Hieronymus. *Rursum lib.* 1 *contra Rufinum num.* 2 *Ambrosium cum Hilario et Victorino columnis Ecclesiæ annumerat, observans, tres illos Sanctos multa ex Origene in sua transtulisse Opera, se tamen solum eo nomine laudatum esse a Rufino.* De his, *inquit,* omnibus tacet, et quasi columnis Ecclesiæ prætermissis, me solum pulicem et nihili hominem per angulos consectatur. *Ad tot Ambrosii scriptorumque ejus laudes accedit, quod nullo unquam loco eum refutaverit, quantum ego quidem invenire potui. Quis igitur vel juranti Rufino credat, ita locutum fuisse de duobus Ambrosii Operibus, sicut Rufinus confinxit; præsertim cum illa non sint talia, qualia contempsit* Hieronymus, *sed præcipuis Ambrosii Operibus annumeranda.*

Tillemontius Rufini

397 *Tillemontius tamen Nota* 11 *in S. Ambrosium sine ulla dubio asserit, de S. Ambrosio locutum esse* Hieronymum, *et rationes adducit opinionis suæ. Prima hæc est.* Numquam probat (*Rufinus*), illa de S. Ambrosio intelligenda esse. Itaque pro certo ponit, rem esse compertam. *Verum nulla est ea ratio, cum magis perspecta sit Rufini contra S.* Hieronymum *quælibet temere intorquendi consuetudo, quam ut sola asserendi temeritas pro argumento haberi possit. Hanc Rufini in calumniando audaciam, quæ manifesta est, notat ipse* Hieronymus *lib.* 3, *num.* 1 *his verbis :* Poteram et ego in te falsa congerere, et dicere, me vel audisse vel vidisse, quæ nullus norat, ut apud ignorantes impudentia veritas, et furor constantia putaretur. Sed absit, ut imitator tui sim, et quod in te reprehendo, ipse faciam. *Præterea, etsi tanta non esset Rufini in asserendo temeritas, poterat existimare, argumenta, quæ attulerat, ut ostenderet de Commentariis in Lucam male locutum* Hieronymum, *sufficere, ut quilibet crederet, libros de Spiritu sancto ejusdem Ambrosii ab* Hieronymo *censoria virga notatos. Neque enim idonea est ratio, qua, primo admisso, alterum quis negaret. Quapropter audiamus, an de Commentariis in Lucam idonea argumenta Rufinus ejusve defensores attulerint.*

398 *Duo priora argumenta Rufinus profert his verbis :* Quod si negare voluerit hoc, quod omnes sciunt, quia de S. Ambrosio dixerit, primo ex eo convincetur, quod apud latinos ipsius tantum, et non alterius, in Lucam Commentarius fertur. *Hæc duo argumenta,* omnes sciunt, *ac deinde,* apud latinos ipsius (*Ambrosii*) tantum, et non alterius in Lucam fertur Commentarius; *viderentur alicujus ponderis, si Rufinus in asserendo minus audax esset, et non statim utrumque argumentum ipse destrueret, dum tertium afferre se existimat. Eam ita pergit :* Deinde scit, me habere Epistolam suam, in qua hoc ipsum, de aliis excusans, in illum (*Ambrosium*) convertit suspicionem. *Tria hæc Rufini argumenta recenset Tillemontius Nota* 35 *in Ambrosium, aliique eadem ante ipsum et postea produxerunt. Examinemus igitur singula.* Omnes sciunt, *inquit. Quomodo omnes sciebant, S. Ambrosii Opus fuisse ab* Hieronymo *perstrictum, si suspicio cadebat in alios, eosque in sua Epistola excusavit* Hieronymus? *Rursum quomodo solius Ambrosii in Lucam exstabat Commentarius, si fuerat suspicio,* Hieronymum *de aliis locutum? Itaque ex ipsis Rufini verbis colligitur, non constitisse, de cujus Commentario loqueretur* Hieronymus, *nec defuisse alios latinorum in Lucam Commentarios, de quibus mentem suam edicere potuerat : neque enim suspicio poterat in alios cadere, nisi alii scripsissent in Lucam. Credamus etiam, verum esse assertum Rufini,* Ipsius tantum in Lucam Commentarius fertur. *Nihil hoc proderit Rufino, si recte intelligatur. Nam ea verba significant, solius Ambrosii Commentarium passim ab omnibus fuisse lectum : at minime indicant, conscriptos non fuisse alios. Ex aliis igitur, quos compositos fuisse ipse Rufinus innuit, unum merito improbaverit* Hieronymus, *idque cum pluribus aliis interciderit, quod minime probaretur.*

adducens refutatur.

399 *Epistola* Hieronymi, *quam allegat Rufinus, nihil probat. Credamus enim Rufino, declarasse in illa Epistola* Hieronymum, *de uno alteroque, in quos cadebat suspicio, locutum se non fuisse; non deerant alii mediocriter eruditi, qui Commentarios in Lucam potuerant concinnare, conatumque suum ad S. Paulam mittere : quemadmodum et plures haud dubie eo tempore de Spiritu sancto contra Macedonianos scripserunt. In ipso forsan* Hieronymi *monasterio non defuerunt, qui Lucam exponere commodo ingenii sui fecerint periculum. At sive ille fuerit ex monachis S.* Hieronymi, *sive Italus, sive Gallus aut Hispanus, sive ex Illyrico aut Africa; nemo mirari debet, ab homine non satis docto scriptum fuisse Commentarium, quem nec Paula nec Eustochium nec* Hieronymus *ipse probabat, quique ea de causa a multis non fuit lectus, citoque suppressus. Eadem est ratio libellorum de Spiritu sancto, quos legit et improbavit* Hieronymus. *At hujus censura digni non sunt ejusdem nominis libri Commentariique S. Ambrosii, sicut ipsi agnoscunt adversarii, ut improbabile prorsus sit, libros sancti Doctoris, quem maximi faciebat, tam gravi censura ab* Hieronymo *perstrictos.*

Aliud argumentum Tillemontii examinatur.

400 *Tillemontius ad argumenta Rufini jam refutata addit elogium, quod in libro de Viris illustribus cap.* 124 Hieronymus *dedit, ita de S. Ambrosio scribens :* Ambrosius Mediolanensis episcopus usque in præsentem diem scribit, de quo, quia superest, meum judicium subtraham, ne in alterutram partem, aut adulatio in me reprehendatur aut veritas. *Miratur Tillemontius cum aliis nonnullis hoc elogium, quod judicium suum subtrahat Sanctus; acsi id aversi ab Ambrosio animi signum esset, aut certe quod scripta ejus minoris faceret. At de aliis multis similiter nullum tulit

A tulit judicium, nominatim de Gregorio Nysseno et Amphilochio viventibus. S. Athanasii dudum defuncti scripta quædam memorat, sed nullum quoque de iis profert judicium. Vix aliquid etiam profert in laudem scriptorum S. Hilarii, quæ certo magni faciebat. Sic præclarissimos Patres frequenter sine ulla fere scriptorum laude commemorat, fortasse quod illorum nomen satis inclaruisset, ut suspicamur etiam ex his Prologi verbis: Certe quum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt. Hæc quidem dicit de iis, qui omnino erant prætermissi. At eadem est ratio illorum, qui magnum nomen erant consecuti. Quare non multum curavit in illo libro S. Hieronymus de singulis, quos recenset, scriptoribus judicium suum proferre, sed brevissime de aliquibus solum verbulum in laudem profert, et nonnullos leviter perstringit; ut librum perlegentibus manifestissime liquebit. Observare etiam possumus, eos, qui paucioribus scriptis innotuerunt, frequentius magis laudari ab Hieronymo, quam celebriores, qui satis erant omnibus noti, nimirum ut gentiles Christianorum eruditionis contemptores discerent, quanti
B et quales viri, Ecclesiam fundaverint, exstruxerint et adornaverint, et desinerent fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere.

daturque ratio, cur in libro de Viris illustribus

401 Hæc ratio non cogebat S. Ambrosium, cujus nomen erat celeberrimum, pluribus elogiis celebrare. Alia tamen forte magis cohibebat Hieronymum, ne suum de ejus scriptis proferret judicium, nimirum quod pauca ex iis legisset. Legerat quidem libros ejus de Virginibus et Viduis, dum erat Romæ, eosque ibidem honorificis elogiis commendaverat. At pleraque Opera S. Ambrosii composita sunt, postquam anno 385 Hieronymus Roma discessit; alia paucis annis ante hunc discessum, ut ea forsan Romæ numquam vidisset Hieronymus. Nulla vero S. Ambrosii Opuscula ad Hieronymum pervenisse in Palæstinam ante scriptum librum de Viris illustribus, vehementer suspicor. Etenim prioribus annis, quibus vixit in Bethleem, exiguum fuisse Hieronymo commercium cum Occidentalibus, liquet ex ejus Epistolis, inter quas nulla reperitur ante annum 392 ex Palæstina data, nisi unica ad Marcellam, quæ nomine Paulæ et Eustochii fuit conscripta. Itaque verisimillimum est, non nisi pauca ex prioribus
C S. Ambrosii Operibus fuisse ab Hieronymo lecta, dum librum illum scribebat; quemadmodum cap. 129 fatetur, ex scriptis S. Joannis Chrysostomi, quæ jam tum multa erant, ut recte dicit, unicum a se lectum fuisse Opusculum de Sacerdotio. Nam si ex plurimis Chrysostomi Operibus, iisque pro magna parte ad exponendam sacram Scripturam compositis, qualia præ reliquis quærebat, unum dumtaxat viderat Hieronymus, etiamsi Antiochiæ componerentur, quis merito contendat, Ambrosii Opera, simul atque erant composita, statim Mediolano transvolasse in Palæstinam?

judicium non tulerit Hieronymus.

402 Certe non tanta velocitate ad Hieronymum transvolavit notitia priorum Opusculorum S. Augustini, qui ab anno 386 nonnulla edidit, et singulis fere annis alia in lucem emisit. Attamen ne nomen quidem Augustini reperitur in libro de Viris illustribus, ut necesse sit dicere, nihil de scriptis ejus innotuisse Hieronymo usque ad illud tempus. Sanctus, non dubitans, quin aliquos ignoraret, rationem reddit in Præfatione his verbis: Si qui autem de his, qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis, quam mihi, debebunt imputare. Neque enim celantes scripta sua de his, quæ non legi, nosse potui, et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Itaque cum pleraque Opera S. Ambrosii non legisset nec vidisset S. Hieronymus, ut plane indubium est; aliunde tamen ignorare non posset, magnam esse Ambrosii eloquentiam famamque celeberrimam, noluit suum proferre judicium, ne adulationis merito notaretur, si magnifica elogia celebraret scripta numquam visa; aut virum tantum videretur contempsisse, si candide edixisset, se præter pauca de scriptis ejus nihil vidisse. Neque enim omnes considerassent, quam difficulter Hieronymus in Bethleem accipere posset prolixa S. Ambrosii Opera, quæ magnis sumptibus prius fuissent exscribenda, ac deinde transferenda in Palæstinam. Tantum pecuniæ non habebat ipse Hieronymus, et hic magis quærebat vetusta, quam recentia scripta. Paula vero opes, quas sibi in usus pios reservaverat, partim in itinera expenderat, partim ad condenda monasteria monachosque et monachas in iis alendos pie expendebat, partim etiam in pauperes aliosque pios usus, ut ne verisimilia quidem credant, si qui existiment, Opera S. Ambrosii tam cito ad Hieronymum pervenisse.

AUCTORE J. S.

E

Probatur, Commentarios S. Ambrosii in Lucam

403 Ex hac autem observatione non solum colligitur, judicium sine adulatione de plerisque Operibus S. Ambrosii non potuisse anno 392 ferre Hieronymum; sed quasi indubitatum fit, non fuisse visos Hieronymo Commentarios S. Ambrosii in Lucam, quando vertit Homilias Origenis. Nam Commentarii illi verisimiliter absoluti non sunt ante annum 389, ut probari potest ex iis, quæ Benedictini in Præfatione et Tillemontius in S. Ambrosio art. 49 et Nota 34 de iis collegerunt, etiamsi hi scriptos dicant anno 386. Ambo observant, Homilias esse ad populum dictas, ac deinde in decem libros divisas. Secundo, Homilias illas ad populum habitas tempore persecutionis Justinæ Imperatricis Arianæ, quæ S. Ambrosium anno 385 et 386 multum exagitavit; sed adulta anno 387 Mediolano profugit, mortuaque est anno 388. Tertio, partem Homiliarum dictam post pacem ecclesiæ Mediolanensi redditam. Hæc omnia ab ipsis probata, ulterius firmari poterunt in S. Ambrosio. Non est modo necesse, ut quæramus, annone 386 an 385 Ambrosius Homilias in Lucam dicere cœperit. At ex paucis ostendam, multum temporis Homiliis illis impensum.

F

absolutos

404 Dicebat contenta circa finem libri 4, num. 76 ante Pascha. Nam ait, se per Epiphania jecisse retia ad capiendos homines, et ad Ecclesiam perducendos, et nihil etiam tum cœpisse: Nemo adhuc nomen suum dedit. Hæc non diu post festum Epiphaniæ, aut in Quadragesima fuisse dicta, recte observant, cum desiderat Sanctus, ut nomen darent, ad baptisma in Paschate recipiendum. Quatuor igitur librorum Homilias dixerat circa Februarium. Die 7 Decembris, quo ordinatus est episcopus, dixit Homiliam lib. 8 contentam: nam ibi num. 7 ita loquitur: Pulcre mihi hodie legitur Legis exordium, quando mei natalis est sacerdotii. Itaque decem circiter mensibus tantum dixit quatuor librorum Homilias, nisi etiam hisce mensibus annus integer sit addendus. De persecutione mentionem facit lib. 7, num. 49 et seqq., quæ gravis erat anno 386, et minui cœpit inventis mense Junio corporibus SS. Gervasii et Protasii. Poterat tamen etiam postea de illa persecutione loqui, ut ibi locutus est, quamdiu supererat Justina, aut certe quamdiu cum filio Valentiniano mansit Mediolani, ut illa non minus

anno

AUCTORI. J. S.

auno 387, quam anno 386, scribere et dicere potuerit Ambrosius. Nec tamen postea incongruum erat de illa, etiamsi languesceret, similia proferre, cum superessent hæretici.

non fuisse

405 *Demum lib. 9, num. 32 de pace Ecclesiæ et Italiæ tam magnifice loquitur, ut videntur designare tempus, quo Theodosius imperator, victo Maximo tyranno, plenam Italiæ pacem conciliavit, maxime cum Justina circa idem tempus obierit, et Valentinianus junior ad pietatem esset conversus.* Ecce tempus aceptabile, *inquit*, quo non hyemalibus perfidiæ caligantis pruinis annus riget, nec altis nubibus informis crusta blasphemiæ, gelu durante, concrescit : sed procellis sacrilegii liberata, novos fructus terra jam parturit. Vere parit : dissensionum quippe omnium procella deferbuit, cuncti sæcularis cupiditatis ardores, æstusque omnes, quibus Italiæ populus per Judaicæ olim, et Arrianæ proxime sævitatis incendia coquebantur, sereno jam spiramine temperantur. Sedata tempestas est, concordia navigat, fides spirat : certatim nautæ repetunt fidei, quos reliquere, portus, et dulcia patriis oscula littoribus adfigunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes. *Hæc, inquam,* B *optime congruunt anno 388, quo et maximus occisus est, et Justina defuncta, et pax Ecclesiæ atque Italiæ data.*

ante annum 389 aut 390,

406 *At nec anno 386 nec 387 ita de pace loqui poterat Ambrosius, cum Justina semper perrexerit Arianos fovere, ideoque semper timere is posset, ne languescens persecutio vires resumeret. Mansit autem Justina cum filio Valentiniano Mediolani usque ad Septembrem anni 387. Tunc vero, irrumpente in Italiam Maximo tyranno, profugerunt ad imperium Orientale. Quare saltem usque ad Septembrem anni 387 non dixisset Ambrosius, omne periculum Ecclesiæ ab Arianis cessasse. Nam Theodosius ipse Valentiniano ad se fugienti scripsit, fugere cunctum esse, quod* pietati bellum intulisset, *teste Theodoreto lib. 5, cap. 15, qui ibidem adjungit, ab ipso Theodosio ad pietatem conversum fuisse, sive ad fidem Catholicam. Testatur id ipsum S. Ambrosius in Epistola 53 ad Theodosium, cujus* institutis *ita conversum dicit,* ut, quem ante persequebatur, nunc diligeret : quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret. *Itaque Valentinianus usque ad fugam ex Italia persecutor erat Ambrosii, instigante Justina, et solum a Theodosio ad meliora* C *reductus est consilia circa finem anni 387, aut anno 388; ut ante hunc annum tam magnifica de pace Ecclesiæ loqui non potuerit Ambrosius. Præterea tyrannis Maximi, qui Valentiniani imperium occuparit, et bellum Theodosio parabat, non sivisset tam læta dicere Ambrosium, qui eam detestabatur. Quapropter nulla ratione ante victum Maximum censeri potest prædicta de pace scripsisse Ambrosius, ut ea solum videntur perorasse aut scripsisse mense Octobri anno 388, quando Theodosius, victoria parta, venerit Mediolanum, aut paulo serius.*

ideoque nec visos ab Hieronymo, dum eos fertur notasse.

407 *Restabat S. Ambrosio liber decimus, quem absolvere potuit anno 389. Post Sermones in totum Evangelium ad populum dictos concinnandi erant Commentarii decem libris distincti, ut merito dubitare possimus, an hi lucem aspexerint ante annum 390. Nam perpetua Ambrosii negotia non multum illi temporis relinquebant pro studiis, cumque Commentarii in Lucam non egerent festinatione, alia quædam Opuscula iis interposuisse videtur, et certe Epistolas complures. Itaque ne probabile quidem videtur, Commentarios Ambrosii* D *in Lucam ab* Hieronymo *visos fuisse, dum hic circa annum 390 Homilias Origenis transferebat. Ceterum quo anno fuerint inchoati, hic minime statuo. Satis mihi est non videri absolutos ante annum 389, aut 390, ut probavi.*

Objection alia

408 *Ad objectionem modo refutatam addit aliam Tillemontius, nimirum in variis occasionibus sententias Ambrosii ad* Hieronymo *improbari. Ad hoc probandum duo affert loca; ubi credit* Hieronymum *aliter sensisse, quam* Ambrosium. *Inepta plane est objectio, cum locis designatis Ambrosius non nominetur, ut forte ne sciverit quidem* Hieronymus, *quid Ambrosius de iis sentiret. Alii adjungunt objectionem a Tillemontio omissam, videlicet quod* S. Hieronymus *in libris contra Rufinum numquam negaverit, contemptim se locutum de libris S. Ambrosii; quin et magni facere videntur hanc objectionem, acsi esset tacita confessio. Verum illi non considerarunt, opinor, ad multa alia non respondisse* Hieronymum, *quod libros Rufini non vidisset, dum primum respondit generatim ad objectiones aliquot graviores, quas ex amicis intellexerat, libris Rufini necdum acceptis.*

refutantur.

409 *In secundo deinde responso, sive libro 3* E *contra Rufinum, tantum respondit ad Epistolam postea a Rufino missam, omisitque ulterius responsum ad Rufini libros, quos tunc acceperat. Hac de causa ad alia multa nihil respondit* S. Hieronymus, *ac ne præcipuam quidem Rufini objectionem de erroribus Origenis, quos libris* Hieronymi *insertos contendebat Rufinus, multis locis prolixe allegatis, operose refutavit; sed contentus fuit generali ac brevi responso. Itaque argumentum istud a silentio* Hieronymi *petitum nullas prorsus habet vires, ut videtur perspexisse Tillemontius. Nam, quod invitus ac repugnans iterum responderet, ut testatur lib. 3, num. 9; noluit saltem ad omnia responsum suum extendere, ut declarat num. 43; eaque de causa prætermisit plurima, ad quæ alio Opere cogitabat respondere, si pax aut certe silentium utriusque non sequeretur.*

§ XXIV. Refutatur objectio Rufini, ex dictis Hieronymi de Urbe desumpta : et ostenditur, quam magnifice Hieronymus senserit de fide Romanæ ecclesiæ et summi Pontificis auctoritate.

Reliquias idololatriæ in Urbe necdum deletas doluit Sanctus.

R*ufinus lib. 2, num. 22 ex verbis* Hieronymi *in Præfatione ad librum Didymi etiam conatur ostendere,* Quomodo de urbe Roma, Deo favente, capite Christianorum, ea dicat, quæ dicebantur tunc, cum gentiles in ea populi et persecutores principes morabantur. *Verba, quæ Rufino displicuerunt, hæc sunt :* Cum in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus. *At hæc potius ex Scriptura sunt, quam a gentilibus accepta. Gentilium vero sunt ista :* Et post Romuli casam, et ludorum Lupercalia. *Et locus,* qui fratris (*Remi*) genuit parricidam (*Romulum.*) *Magnum enimvero crimen, si insinuaverit* Hieronymus, *superesse Roma quasdam gentilitatis reliquias, quas non diu post magna ex parte abstulit Theodosius imperator, ut refert Tillemontius*

A *Tillemontius tom. IV Imperatorum in Theodosio art. 48. Dolebat Sanctus, sub Christianis imperatoribus necdum Romæ aboleri potuisse idololatriam, numerumque gentilium senatorum aliorumque nobilium ac plebeiorum superesse bene magnum.*

simulque gavisus est de progressu fidei.

411 *De templorum solitudine, quam Theodosii pietas induxit, ut late prosequitur Prudentius lib. 1 contra Symmachum, cum gaudio deinde loquitur* Hieronymus *lib. 2 contra Jovinianum in fine, sic Romam alloquens :* Sed ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, Urbs potens, urbs orbis domina, urbs apostoli voce laudata... Squalet capitolium, templa Jovis et cærimoniæ conciderunt *etc. In Epistola* 107 (*alias* 7) *iterum de progressu religionis ita exultat :* Auratum squalet capitolium : fuligine et aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt : movetur Urbs sedibus suis, et inundans populus ante delubra semiruta currit ad martyrum tumulus. *Noverat igitur dolere de reliquiis gentilitiæ superstitionis, et non minus gaudere de illius ruina, ac de progressu religionis Christianæ. Hanc jam ante celebraverat in Epistola* 46 (*alias* 17) *his verbis :* Est quidem ibi B (*Romæ*) sancta Ecclesia, sunt trophæa apostolorum et martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, et, gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum.

præclare sentiens de religione Romanorum.

412 *Quantam vero de fide, quam Apostolico ore laudatam frequenter dicit, haberet existimationem, luculenter declarat in Præfatione libri 2 in Epistolam ad Galatas his verbis :* Vultis scire, o Paula et Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit. Usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides. Ubi alibi tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulcra concurritur? ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc, quam omnes Christi ecclesiæ; sed quod devotio in eis major sit, et simplicitas ad credendum. *Deinde etiam exponit, quid Apostolo in Romanis displiceret, nec iis adulari studens, nec eosdem sine causa accusare. Numquam desunt in magnis urbibus, quæ improbari possint; prout* C *illæ possim aliquo habent laudabilia. Ea vero erat libertate in scribendo* Hieronymus, *ut vitia dissimulare non soleat, data occasione de iis loquendi ; quemadmodum nec virtutes tacet. Hoc carpere Rufinum non miror, cum multa etiam laudabilia in* Hieronymo *sine ulla ratione accuset. Magis miror, nugas Rufini placere potuisse aliquot scriptoribus neotericis, quorum causa eas fusius refello, quam alias refutandæ viderentur. De pietate Romanorum loquitur etiam in Epistola* 66 (*alias* 26) *et rursum in Epistola* 127 (*alias* 16) *num.* 8, *multisque aliis locis.*

Romanæ Ecclesiæ auctoritatem.

413 *Si vero investigare velimus, quid senserit de Ecclesia Romana* Hieronymus, *quid de necessitate cum ea communicandi, quid de Romani Pontificis auctoritate, et immunitate ab errore in definiendis fidei articulis; uberius satisfaciemus Rufini sectatoribus, quam illi fortasse desiderant. Jam* § 10 *multa recitavi, quæ in laudem Romanæ Ecclesiæ ad Damasum scripsit. Paucissima repeto.* Mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam, censui consulendam. *Mox :* Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas. *Iterum :* Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa et argentea. *Rursum :* Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit, regnante diluvio : *et infra :* Quicumque tecum non colligit, spargit ; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. *Allegata verba primum declarant, Romanum Pontificem S. Petri successorem esse. Secundo, maculatum non fuisse ullo errore hæreseos, insinuat* incorrupta Patrum hæreditas, *maxime cum dicat,* apud vos solos servatur. *Tertio aperte repetitis vicibus manifestat* Hieronymus *necessitatem communicandi cum Romana Ecclesia, nullamque salutis spem relinquit iis omnibus, qui ab ejus communione recedunt.*

414 *Necessitatem communicandi et credendi cum Romana Ecclesia aliis quoque locis manifestat* Hieronymus. *De S. Athanasio ejusque successore Petro Alexandrino ait in Epistola* 127 (*alias* 16) *num.* 5 *:* Quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant. *Lib.* 1 *contra Rufinum num.* 4 *ita scribit :* Fidem suam E quam vocat? eamne, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit : ergo Catholici sumus *etc. Præterea quod insinuat de Romanæ Ecclesiæ incorrupta fide per incorruptam Patrum hæreditatem, aliis quoque verbis innuit in Epistola* 48 (*alias* 50) *ad Pammachium num.* 17, *loquens de S. Damaso Papa, qui nihil reprehenderat in* Hieronymi *ad Eustochium Epistola :* Num vir egregius, *inquit*, et eruditus in Scripturis, et virgo Ecclesiæ Virginis doctor, aliquid in illo sermone reprehendit? *Velim, mihi edicat, quisquis allegata verba aliter exponenda censet, cur* Hieronymus *Ecclesiam Romanam vocet* Virginem, *nisi quod crediderit, nullo umquam capitis sui errore maculatam fuisse. Hinc libere Theophilo Alexandrino respondet* Hieronymus *in Epistola* 63 (*alias* 68) : Sed tamen scito, nobis nihil esse antiquius, quam Christi jura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse romanam fidem, apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina ecclesia gloriatur. F

necessitatem cum illa communicandi

415 *Hæc ostendunt, quanti faceret* Hieronymus *Romani Pontificis fidem, a qua numquam volebat recedere; de qua tantum confidebat, ut in Epistola* 15 *ad Damasum scriberet :* Decernite, obsecro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere : *etiamsi eum loquendi modum quam maxime sibi suspectum declaret. Nam Romani Pontificis auctoritate tutum se credebat, ut ibidem rursum testatur his verbis :* Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per crucifixam mundi Salutem, per homousiam Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. *Unde* Hieronymo *tanta oriri poterat fiducia, nisi quod crederet, Romanos Pontifices, Christi Domini promissione subnixos et auxilio, non modo numquam in errorem lapsos esse, sed nec umquam lapsuros? Hoc sensu lib. 2 contra Rufinum, quem scripta Origenis defendentem arguit, ita loquitur :* Attamen scito, Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere : etiamsi angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari. *Ita sanctitatem et fidei veritatem, tamquam*

ejusque fidem sequenti.

propriam

AUCTORE I. S.

propriam Romanæ Ecclesiæ, celebrata Epistola 46 (*alias* 17) *ad Marcellam eo ipso loco, quo persuadere studet, Romam ob potentiam, ambitionem et magnitudinem, professioni vitæ monasticæ minus accommodatam esse, atque ita loquitur* : Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum et martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides *etc.*

et doctrinam Romanorum Pontificum

416 *Denuo una alia ratione Ecclesiam Romanam tam magnificis elogiis ornare videtur, Romanamque fidem adeo extollere, quam quod crederet, S. Petro ejusque successoribus illud a Christo datum privilegium, ut numquam in errorem inciderent, dum Ecclesiam sibi commissam docerent. Certe aut ego vehementer fallor, aut eam sententiam, quam tota fere Ecclesia Catholica, excepta tamen Gallicana, etiamnum sequitur, disertis verbis* S. Hieronymus *docuit, semperque professus est. Hac de causa Ecclesiam Romanam adeo a fidei puritate, veritate, constantia numquam mutanda, variis locis commendat. Hac de causa tam fidenter Damaso scribit, se amplexurum, quidquid ille juberet de una hypostasi aut tribus dicendis. Nam* Hieronymus *ipse in Dialogo*

B *contra Pelagianos lib.* 3, *num.* 17 *ait* : Alioqui stultissimum est, super fide mea me ex alterius pendere judicio. *Qua igitur ratione voluisset ex Damasi pendere judicio, nisi illum ob Cathedram Apostolicam credebat ab errore in docendo immunem?*

ab errore immunem luculenter docet Hieronymus

417 *Mentem vero suam clarissime indicat* Hieronymus *in Matthæum ad cap.* 17, ℣ 22 *et* 23, *ubi quærit, quomodo S. Petrus post magnifica Christi promissa* : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam *etc.*; *deinde sibi dictum audiverit a Domino* : Vade retro me, satana, scandalum mihi es. *Tum respondet* : Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam promissionem et beatitudinem, ac potestatem, et ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam, intelliget. « Ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, et « portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Et : « Dabo tibi claves regni cælorum. » Omnia de futuro, quæ si statim dedisset ei, numquam in eo pravæ opinionis error invenisset locum. *Voluit igitur* Hieronymus, *Petrum, postquam sta-*

C *tutus erat caput Ecclesiæ, non fuisse amplius errori in docendo obnoxium. Hac igitur de causa* Cathedram Petri, *sive Romanam Ecclesiam, et* Virginem *vocat, ejusque fidem ait* non posse mutari, *eamque ita omnibus sequendam statuit, ut dicat periturum, qui id facere noluerit.* Siquis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio. *Hæc sufficient, ut quilibet perspiciat, quam egregie senserit* S. Hieronymum *de auctoritate Romanorum Pontificum et Ecclesiæ Romanæ.*

§ XXV. Tractatus septem aliaque scripta in Psalmos : Vita Malchi, item S. Hilarionis.

Tractatus septem in Psalmos, qui exciderunt.

Post *versas Origenis in Lucam Homilias* Hieronymus *de scriptis suis ita pergit* : In Psalmos a decimo usque ad decimum sextum tractatus septem. *De septem his Tractatibus, quibus septem Psalmos exposuit, nullo alio Operum suorum loco meminit Sanctus, ipsique Tractatus aut perie-* *runt aut hactenus latent. Hinc eruditi dubitant,* D *sintne illi Tractatus* S. Hieronymi, *an Origenis, cujus septem Tractatus potuit Latinos facere Vallarsius in Præfatione Generali in Opera* S. Hieronymi, *præfixa tomo I, num.* 21 *et* 22 *in utramque partem disserit, et quæstionem relinquit indecisam. In eam tamen videtur partem propendere, ut magis credat, septem illos Tractatus ab* Hieronymo *compositos, quam solum ex græco versos; uti et mihi verisimilius est. Verum cum pro neutra sententia habeantur argumenta utcumque certa, malim ad indicatum Vallarsii locum lectores curiosos remittere, quam de re incerta pluribus disputare, præsertim cum illud* Hieronymi, *sive auctoris sive interpretis, Opusculum exciderit.*

Breviarium in Psalmos non est Hieronymi: hic tamen in Psalmum 93.

419 *Observat tamen laudatus Vallarsius, ex illis forsan* Hieronymi *Tractatibus aliqua immixta esse, Breviario in Psalmos, quod olim* S. Hieronymo *in variis codicibus fuit adscriptum, sed certissimis argumentis eidem modo abjudicatur ab eruditis. Istud autem Breviarium inveniet lector apud Vallarsium tom. VII post genuina* Hieronymi *Opera, ibique simul reperiet luculenter probatum, non esse Opus* S. Hieronymi, *ut nulla mihi sit necessitas ea de re rursum disserendi. Observat præ-* E *terea laudatus Vallarsius in Præfatione num.* 23, *alia quoque in Psalmos scripsisse* S. Hieronymum. *Nam testimonio S. Augustini constat, expositum ab* Hieronymo *Psalmum* 93. *In Epistola enim* 148 (*alias* 111) *ad Fortunatianum, quam* Commonitorium *vocavit, num.* 13 *ait, se allaturum* unum S. Hieronymi *locum contra Anthropomorphitas, et mox num.* 14 *ita pergit* : Cum ergo ille Vir in Scripturis doctissimus Psalmum exponeret, ubi dictum est : « Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando » sapite. Qui plantavit aurem non audiet, *etc.* » (*quæ leguntur Psal.* 93) inter cetera : « Iste » locus, inquit, adversus eos maxime facit, qui » Anthropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum » habere membra, quæ etiam nos habemus, *etc.* » *Hæc Augustini verba certo evincunt, expositum ab* Hieronymo *Psalmum* 93. *Nemo tamen ex allegatis ab Augustino* Hieronymi *verbis, quæ ad Psalmum* 93 *in Breviario mox laudato leguntur, inferre debet, Breviarium istud revera esse* Hieronymi, *aut saltem* Hieronymo *attributum fuisse ab Augustino. Nam Vallarsius clare probat, multa quidem Hieronymiana reperiri in dicto Breviario;* F *sed hoc auctoris esse multo recentioris, qui ex* Hieronymi *et aliorum Patrum scriptis in Psalmos illud Breviarium consarcinavit.*

item in secundum,

420 *Tandem Vallarsius num.* 24 *probat, et alios quosdam Commentariolos in Psalmos composuisse* Hieronymum. *Hoc autem intelligimus ex verbis sancti Doctoris lib.* 1 *contra Rufinum num.* 19, *ubi sic habet* : Illud quoque carpere dicitur, quod secundum Psalmum interpretans, pro eo, quod legimus in Latino : « Apprehendite disciplinam » et in Hebraico volumine scriptum est NESCU BAR, dixerim in Commentariolis meis : « Adorate » filium. » Et rursum omne Psalterium in Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquæ, posuerim : « Adorate pure : » quod utique sibi esse contrarium omnibus patet. *Tum exponit, qua ratione voces hebraicæ dictis modis possint exponi, ob ambiguitatem. Et ad suam defensionem subjungit* : Quid igitur peccavi, si verbum ambiguum diversa interpretatione converti; et qui in Commentariolis, ubi libertas est disserendi, dixeram : « Adorate filium » in ipso corpore, ne violentus viderer interpres et Judaicæ

daicæ calumniæ locum darem, dixerim: « Adorate « pure » sive electe, quod Aquila quoque et Symmachus transtulerunt? Quid ergo ecclesiasticæ fidei nocet, si doceatur lector, quot modis apud Hebræos unus versiculus explanetur? *Ita pro defensione sua* Hieronymus.

aliosque aliquot ante annum 392 scripsit Commentariolos.

241 *At hic observamus ex allegatis verbis, Sanctum scripsisse Commentariolos in Psalmos saltem aliquot, ac nominatim in secundum, in quo habentur verba diversis modis exposita. Rursum ex datis verbis colligitur, illos jam fuisse compositos, antequam Sanctus Psalterium ex Hebraico Latinum faceret. Hinc utcumque acquirere possumus notitiam temporis, quo breves illos Commentarios composuit. Nam Psalterium transtulit ante scriptum anno 392 librum de Viris illustribus, in quo cap. 134 ita habet de Sophronio:* De Virginitate quoque ad Eustochium, et Vitam Hilarionis monachi, Opuscula mea, in græcum eleganti sermone transtulit: Psalterium quoque et Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus. *Ex his igitur constat, Commentarios illos ante annum 392 fuisse scriptos. Attamen de illis non meminit Sanctus inter scripta sua in libro de Viris illustribus cap. 135, sive quod etiam tum esset Opus imperfectum, sive quod speraret, aliquando se prolixius et accuratius in Psalmos scripturum.*

cogitavitque uberius in Psalmos scribere.

422 *Certe cogitavit* Hieronymus *aliquando Psalmos accurate explicare, si otium daretur et vita, cum in Isaiæ cap. 64, ỷ 4 hæc scribat:* In bonam partem inscribuntur Psalmi pro Torcularibus octavus et octogesimus tertius: de quibus in suis locis, si vita comes fuerit, Domino præbente, dicetur. *Hæc circa annum 410* Hieronymus, *qui postea Ezechielem exposuit, et in exponendo Hieremia defunctus est, ut verisimile non sit, completum Opus in Psalmos ab eo umquam compositum. Quod vero spectat ad Commentariolos, de quibus agimus, illi verisimiliter scripti fuerint in gratiam SS. Paulæ et Eustochii, quibus primos in Palæstina labores dedicavit. Forte etiam tantum fuerit expositio epistolaris, perieritque cum pluribus Epistolis ad Sanctas illas in Bethleem datis, de quibus* Hieronymus *ita loquitur:* Epistolarum autem ad Paulam et Eustochium, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. *Hactenus de scriptis in Psalmos, quæ exciderant. De eorumdem emendatione, et translatione suis agetur locis.*

Scribit Vitam Malchi monachi,

423 *Post tractatus in Psalmos* S. Hieronymus *in scriptis suis recenset duas vitas his verbis:* Malchi, captivi monachi, vitam, et beati Hilarionis. *Si hæ vitæ a Sancto memoratæ sint ordine temporis, quo sunt conscriptæ, spectant ad annum* 390 *aut* 391. *Dubitari tamen potest, an forte non sint compositæ multo citius, sive ante reliqua Sancti in Bethleem opera, cum in vita Malchi dicat, quasi primum illud in Palæstina scripsisset Opusculum post silentium satis diuturnum, quo usus est, postquam Roma discessit. Malim tamen sequi ordinem* S. Hieronymi, *qui forte aliquot mensibus tacuerat, et aut corrigendo sacram Scripturam, aut præparando se ad versionem ex Hebraico utiliter laboraverat, antequam scriberet Malchi vitam. Et sequendum omnino* Hieronymi *ordinem, colligitur ex eo, quod Evagrius Antiochenus num. 2 vocetur* papa, *cum tandem anno* 388 *factus sit episcopus. Insinuat porro* Hieronymus, *cogitare se de scribenda Historia ecclesiastica, quod numquam tamen fecit, verisimiliter quod alia semper atque alia haberet, quæ ageret. Gesta Malchi, ut exponit num. 2, didicerat, quando in solitudine degebat in Syria, ubi et Malchus habitabat senex, qui omnia ipse narravit* Hieronymo, *ut in fine dicitur.*

cogitans Historiam ecclesiasticam componere.

424 *Præfationem totam subjungo:* Qui navali prælio dimicaturi sunt, *inquit*, ante in portu et in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus et uncos præparant, dispositumque per tabulata militem pendente gradu et labente vestigio stare firmiter assuescunt, ut, quod in simulacro pugnæ didicerint, in vero certamine non pertimescant. Ita et ego, qui diu tacui (silere quippe me fecit, cui meus sermo supplicium est) prius exerceri cupio in parvo opere, et veluti quamdam rubiginem linguæ abstergere, ut venire possim ad latiorem historiam. Scribere enim disposui (si tamen vitam Dominus dederit, et si vituperatores mei saltem fugientem me et inclusum persequi desierint) ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est, ab apostolis usque ad nostri temporis fæcem, quomodo et per quos Christi ecclesia nata sit et adulta, persecutionibus creverit, et martyriis coronata sit; et postquam ad christianos principes venerit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit. *Digna erat hæc Opus* Hieronymo, *sed amor sacrarum Scripturarum ad harum interpretationem curas ejus deflexit.*

et Vitam S. Hilarionis

425 *Post vitam Malchi secuta est multo prolixior S. Hilarionis vita, quæ jam anno* 392 *græce reddita erat a Sophronio, ut liquet ex verbis num. 421 datis. Gesta S. Hilarionis cum ex S. Epiphanio, qui eum noverat, tum ex aliis multis etiam tum viventibus, discere potuit* Hieronymus. *Ex ejus præfatione partem hanc transfero:* Scripturus vitam beati Hilarionis, habitatorem ejus invoco Spiritum sanctum, ut, qui illi virtutes largitus est, mihi ad narrandas eas sermonem tribuat, ut facta dictis exæquentur. *Et inferius:* Quamquam enim sanctus Epiphanius, Salaminæ Cypri episcopus, qui cum Hilarione plurimum versatus est, laudem ejus brevi Epistola scripserit, quæ vulgo legitur: tamen aliud est locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare virtutes. Unde et nos favore magis illius, quam injuria, cœptum ab eo opus aggredientes, maledicorum voces contemnimus: qui olim detrahentes Paulo meo (*primo eremitæ*) nunc forte detrahent et Hilarioni; illum solitudinis calumniati, huic objicientes frequentiam; ut, qui semper latuit, non fuisse; qui a multis visus est, vilis existimetur. Fecerunt hoc et majores eorum quondam Pharisæi, quibus nec Joannis eremus ac jejunium, nec Domini Salvatoris turbæ, cibi potusque placuerunt.

§ XXVI. Correctio Veteris Testamenti secundum Septuaginta, sive translatio ejusdem in latinum ex textu Septuaginta, qui erat in Hexaplis Origenis.

Correctio Romano novo Testamento.

Quandoquidem S. Hieronymus *post opera modo relata memoret labores suos ad emendationem sacrarum Scripturarum impensas, de iisdem hoc loco disserendum censeo, licet omnia illa, quæ brevissime perstringit, ne intra viginti quidem*

annos

annos fuerint peracta. Novum Testamentum, inquit, Græcæ fidei reddidi : Vetus juxta Hebraicam transtuli. *De correctione Novi Testamenti, quam cœpit, mandante Damaso, et Romæ probabilius totam perfecit, satis disserui* § 11, *ubi etiam probari, Psalterium prima vice a Saucto correctum fuisse Romæ. Translatio vero ex Hebraico ex parte solum erat absoluta, dum ea scribebat* Hieronymus, *si tamen ea anno* 392 *ita scripsit. Nam Vallarsius observat, in codice Veronensi non legi,* Vetus juxta Hebraicam transtuli. *Verum sive ita locutus est* Hieronymus, *quod partem transtulisset, reliquosque libros transferre meditaretur, sive ea postmodum fuerint addita, certissime constat, aliqua ante annum* 392, *aliqua post fuisse translata ex Hebraico. Antequam vero hunc laborem susciperet, multum laboravit in emaculanda editione Septuaginta interpretum, eamque non modo correxit, sed integram quoque et græca latinam fecit: De hisce itaque prius agendum.*

Vetus in Palæstina totum correxit.

427 S. Hieronymus *in Epistola* 71 (*alias* 28) *ad Lucinium num.* 5 *ait :* Septuaginta interpretum editionem et te habere non dubito et ante annos plurimos diligentissime emendatam studio-

B sis tradidi. *Et lib.* 2 *contra Rufinum, ut ostendat, se Septuaginta interpretum editioni non esse adversarium, num.* 24 *ita scribit :* Egone contra Septuaginta interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi? *Non edicit hic* Hieronymus, *quibus in emendatione usus sit exemplaribus ; neque clare exponit, utrum antiquæ editionis latinæ menda solum abstulerit, an vero substituerit translationem novam ex Græco textu. Ultimum tamen utcumque insinuat his verbis :* Meæ linguæ studiosis dedi.

sive ex Græco in Latinum vertit secundum Hexapla.

428 *At id asserit in Epistola* 106 *ad Sunniam et Fretelam, in qua num.* 2 *exponit, qualis esset differentia inter editionem vulgatam Septuaginta interpretum, quæ minus erat correcta, et alteram in Hexaplis Origenis conservatam: quam dicit puram, et a se latine redditam.* In quo illud breviter admoneo, *inquit*, ut sciatis, aliam esse editionem, quam Origines et Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores κοινὴν, id est, communem appellant, atque Vulgatam,... aliam Septuaginta interpretum, quæ in Ἑξαπλοῖς codicibus reperitur, et a nobis in

C Latinum sermonem fideliter versa est, et Jerosolymæ atque in Orientis ecclesiis decantatur. *Et inferius :* Κοινὴ autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est, quæ et Septuaginta. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινὴ pro locis et temporibus, et pro voluntate scriptorum, vetus corrupta editio est. Ea autem, quæ habetur in Ἑξαπλοῖς, et quam nos vertimus, ipsa est, quæ in eruditorum libris incorrupta et immaculata Septuaginta interpretum translatio reservatur. *Hactenus* Hieronymus. *Ex his autem liquet, totam Septuaginta translationem ab* Hieronymo *latino sermone donatam, prout ea habebatur in Hexaplis Origenis.*

Hexapla autem tota sibi ante comparaverat.

429 *Ut Sanctus Græcam Septuaginta editionem secundum Hexapla posset latine reddere, oportebat textum Græcum Hexaplarum, quæ servabantur in bibliotheca Cæsariensi in Palæstina, sibi prius comparare. Quapropter non modo textum illum Græcum sibi exscribendum curavit prioribus annis, quibus in Bethleem habitavit; sed tota etiam Hexapla, id est, Vetus Testamentum sex diversis modis descriptum. Habuisse omnia illa* Hieronymum, *cum tribus aliis translationibus græcis, id* est, *quinta, sexta, et septima, quæ etiam erant in* D *Hexaplis, sed non complectebantur totum Vetus Testamentum, nullum est dubium. Habuisse autem, antequam circa annum* 389 *scriberet in Epistolam ad Titum Commentarios, in hisce innuit ad cap.* 3, ỳ 9, *ubi simul exponit, quid Origenis Hexapla continerent. Dicit ibi prius, quid sit differentiæ inter litteras Hebraicas et Græcas, quæ Hebraicis non omnino respondent, prout exacte respondere nequeunt latinæ : observatque, videre solitos Hebræus, dum eorum voces diverso sono græce aut latine exprimuntur.*

et cum authenticis ipse contulerat.

430 *Tum ita pergit :* Unde et nobis curæ fuit omnes Veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius (*Origenes*) in Hexapla digesserat, de Cæsariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare. In quibus et ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta, et Græcis litteris tramite expressa vicino. Aquila etiam et Symmachus, Septuaginta quoque et Theodotio suum ordinem tenent. *Hæc faciunt Hexapla, sive Scripturam sex modis expressam, nimirum bis hebraice, primo litteris hebraicis, iterum Græcis. Tum accedunt quatuor translationes græcæ. Erant tamen in eadem collectione tres aliæ translationes,* E *ut subjungit :* Nonnulli vero libri, et maxime hi, qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent : quam Quintam, et Sextam, et Septimam translationem vocant; auctoritatem sine nominibus interpretum consequutas. Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum, sulatis labiis, et obtorta lingua, et stridente saliva, et rasa fauce gaudentium. *Hæc omnia non modo habuit* Hieronymus, *sed etiam secundum authenticum exemplar bibliothecæ Cæsariensis correxit, forte anno* 386 *aut* 387, *certe antequam ea scriberet. Se omnia illa, et nominatim tres ultimas translationes habere, testatur etiam* Hieronymus *lib. de Viris illustribus cap.* 54 *in Origene.*

Transtulit textum Septuaginta

431 *Quo autem modo latinam fecerit Septuaginta interpretum translationem Græcam, eamque auctum ex textu hebraico, per varia signa indicando, quid a Septuaginta textui hebraico esset additum, quid ex eodem prætermissum, declarat in aliquot translationis suæ Præfationibus. Præfatio in Psalterium tom. X editionis Veronensis col.* 105 *ita habet :* Psalterium Romæ dudum F positus emendaram, et juxta Septuaginta Interpretes, licet cursim, magna illud ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis, o Paula et Eustochium, scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere; cogitis, ut, veluti quodam novali, scissum jam arvum exerceam, et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem; æquum esse dicentes; ut, quod crebro male pullulat, crebrius succidatur.

auctum ex Hebraico per Theodotionem versu;

432 Unde consueta præfatione commoneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos, qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut, quæ diligenter emendavi, cum cura et diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel signa radiantia, id est, vel obelos vel asteriscos, et ubicumque viderit virgulam præcedentem (*sive obelum*) ab ea usque ad duo puncta, quæ impressimus, sciat in Septuaginta translatoribus plus haberi. Ubi autem stellæ similitudinem perspexerit, de Hebræis voluminibus additum noverit, æque usque ad duo puncta, juxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui

qui simplicitate sermonis a Septuaginta interpretibus non discordat. Hæc ergo vobis et studioso cuique fecisse me sciens, non ambigo multos fore, qui vel invidia, vel supercilio, malint contemnere videri præclara, quam discere, et de turbulento magis rivulo, quam de purissimo fonte potare.

additisque obelis et asteriscis indicavit,

433 *In Præfatione ad tres libros Salomonis tom. X col. 435 clarius insinuat, non solum correxisse se editionem latinam, sed id etiam fecisse novam dudum translationem, eamque similiter auctam secundum hebraicum textum. Iisdem quoque signis omissa ibi distinxit et addita. Præfationem ipsam subjungo:* Tres libros Salomonis, id est, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum canticorum veteri Septuaginta interpretum auctoritati reddidi, vel antepositis lineis (*alias obelis*) superflua quæque designans, vel stellis titulo prænotatis, ea, quæ minus habebantur, interserens;. quo plenius, o Paula et Eustochium, cognoscatis, quid in libris nostris minus sit, qui redundet.

quid omissum aut additum esset a Septuaginta.

434 Nec non etiam illa, quæ imperiti translatores male in linguam nostram de Græco sermone verterant, obliterans et antiquans, curiosissima veritate correxi. Et, ubi præpostero ordine atque perverso sententiarum fuerat lumen ereptum, suis locis restituens, feci intelligi, quod latebat. Porro in eo libro, qui a plerisque Sapientia Salomonis inscribitur, et in Ecclesiastico, quem esse Jesu filii Sirach nullus ignorat, calamo temperavi, tantummodo canonicas Scripturas vobis emendare desiderans; et studium meum certis magis, quam dubiis, commendare. *Ex ultimis verbis liquet, S. Hieronymum tantum correxisse libros sacræ Scripturæ, qui jam tum omnium consensu erant canonici, non illos, qui postea ab Ecclesia in canonem admissi sunt, et jam tum a multis pro canonicis habebantur. Ceterum Vallarsius in Annotatis suspicatur, Præfationem illam aliquid corruptionis passam a librariis, quod stylus videatur minus elegans.*

Harum correctionum causa obtrectationibus appetitur.

435 *Non supersunt omnes Præfationes, quas libris Veteris Testamenti ex Græco correctis sive translatis præmisit, ut mirandum non sit, excidisse multas etiam Præfationes in correctos Novi Testamenti libros. Præter datas tamen superest etiam Præfatio in Job correctum, sive ex Græco translatum, ex qua intelligimus, Sanctum utilissimi laboris causa patuisse morsibus invidorum. Ea tom. X col. 47 sic habet:* Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, et ventris opus sollicita mente tractarem; nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem, quia juxta sententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, et antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, mihi geminus infigitur: corrector vitiorum, falsarius vocor, et errores non auferre, sed serere. Tanta est enim vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, dum magis pulchros habere malunt codices, quam emendatos.

pergit tamen, et librum Job emendare.

436 Quapropter, o Paula et Eustochium, unicum nobilitatis et humilitatis exemplar, pro flabello, calathis, sportellisque, munusculo monachorum, spiritualia hæc et mansura dona suscipite: ac beatum Job, qui adhuc apud Latinos jacebat in stercore, et vermibus scatebat errorum, integrum immaculatumque gaudete. Quomodo enim probatione atque victoria dupliciter universa ei sunt reddita; ita ego in lingua nostra (audacter loquor) feci eum habere, quæ amiserat. Igitur et vos et unumquemque lectorem solita præfatione commoneo, et in principiis librorum eadem semper annectens, rogo, ut, ubicumque præcedentes virgulas * videritis, sciatis, ea, quæ subjecta sunt, in Hebræis voluminibus non haberi: porro, ubi stellæ imago fulserit, ex Hebræo in nostro sermone addita. Nec non et illa, quæ habere videbamur, et ita corrupta erant, ut sensum legentibus tollerent, orantibus vobis, magno labore correxi, magis utile quid ex otio meo Christo ecclesiis eventurum ratus, quam ex aliorum negotio. *Hæc ibi* Hieronymus.

AUCTORE J. S.

* *al. obelos vocat*

Hunc Hieronymi laborem maxime

437 *Quanta vero essent menda libri Job, rursum insinuat in Præfatione ad translationem suam ex Hebraico tom. IX col. 1097, hæc dicens de libro Job:* Cui si ea, quæ sub asteriscis addita sunt, subtraxeris, pars maxima voluminis detruncabitur: et hoc dumtaxat apud Græcos. Cæterum apud Latinos ante eam translationem, quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus, septingenti ferme aut octingenti versus desunt, ut decurtatus et laceratus corrosusque liber fœditatem sui publice legentibus præbeat. *Hanc* Hieronymi *sive correctionem sive translationem Jobi habuit S. Augustinus, mireque probavit, antequam omnes Veteris Testamenti libros vidisset. Nam in Epistola inter Hieronymianos 104 Augustinus dissuadet* Hieronymo *versionem ex Hebraico, suadet vero translationem ex Græco Septuaginta interpretum, hæc scribens num 4:* Ego sane te mallem Græcas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ Septuaginta interpretum auctoritate perhibentur. *Et num. 6:* Ac per hoc plurimum profueris, si eam Scripturam Græcam, quam Septuaginta operati sunt, Latinæ veritati reddideris: quæ in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit; et ita suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri aut probari dubitetur. *Jam procul dubio omnes illas translationes absolverat* Hieronymus, *dum ea Augustinus circa annum 404 scribebat; ut necesse sit dicere, plerasque etiam tum Augustino fuisse ignotas.*

probavit S. Augustinus. Addita ex Hebræo erant Theodotionis.

438 *Viderat tamen Jobi ex Græco translationem, cum num. 3 scribat sequentia:* In hac autem Epistola hoc addo, quod postea didicimus, ex Hebræo Job a te interpretatum, quum jam quamdam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ ex Græco eloquio versam in Latinum: ubi tamen asteriscis notasti, quæ in Hebræo sunt, et in Græco desunt: obeliscis autem, quæ in Græco inveniuntur, et in Hebræo non sunt: tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis ad singula verba singulas stellas videamus, significantes eadem verba esse in Hebræo, in Græco autem non esse. *Ita S. Augustinus. Jam vero observandum est, ea omnia, quæ ex Hebræo editioni Septuaginta interpretum addita fuerunt sub asteriscis, non fuisse ab* Hieronymo *primum addita ex Hebræo, aut dictæ editioni inserta, sed ab Origene desumpta fuisse ex translatione Theodotionis, ut declarat* S. Hieronymus *in Epistola* 112 (*alias* 89) *qua ad illam Augustini Epistolam respondet, num.* 19 *his verbis:* Ubi autem asterisci, id est, stellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est. *Ea igitur primus non addidit* Hieronymus, *sed addita ab Origene Latina fecit cum reliquis. Ex Theodotionis autem editione fuisse ea desumpta; etiam monet in Præfatione ad Psalterium verbis num. 432 datis.* Hieronymus *tamen non transtulit Græca Theodotionis verba,*

AUCTORE I. S.

verba, sed eadem de ipso Hebraico... expressi-
mus, *inquit in Epistola* 112 *ad Augustinum.*

Varia erat in variis regionibus editio

439 *Jam vero, etiamsi non exstent præfatio-nes in omnes Veteris Testamenti libros, ex Græcis Latinos ab* Hieronymo *factos, constat tamen ex verbis num* 427 *et seq. recitatis, omnes, qui in Judæorum erant canone, ita ab eo emendatos, sive ex Hexaplis translatos. Testatur id vasum Sanctus in Præfatione ad versionem Paralipomenon ex Hebræo tom. IX col.* 1407 *his verbis :* Cæterum memini, editionem Septuaginta translatorum, olim de Græco emendatam tribuisse me nostris. *Mitto loca alia, ubi idem Sanctus insinuat. At observo, eum utcumque dubitasse, an vel sic pura exstaret translatio Septuaginta interpretum. Nam laudatam Præfationem sic exorditur :* Si Septuaginta interpretum pura, et, ut ab eis in Græcum versa est, Editio permaneret, superflue me, mi Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa volumina latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, et nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero, cum

B pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare, quid verum sit, aut novum Opus in veteri Opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani * martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos * codices legunt, quos ab Origine elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt : totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.

* *al.* Juliani

* *al.* Palæstino

Septuaginta. Translationem Hieronymi studiose petit Augustinus.

440 *Ex his liquet, Origenis editionem, quam adoptaverat* Hieronymus, *puram tantum dici potuisse, quatenus non erat ab exscribentibus vitiata : at non æque certum fuisse, an Origenes textum Septuaginta interpretum ubique rectius exhibuisset, quam aliarum editionum primi auctores. De editione autem Origenis, quam fecerat Latinam, ita pergit :* Et certe Origenes non solum exemplaria composuit quatuor editionum, e regione singula verba describens, ut unus dissen-

C tiens statim, cæteris inter se consentientibus, arguatur; sed, quod majoris audaciæ est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minus ante fuerant, et virgulis, quæ ex superfluo videbantur apposita. *Ita Sanctus de Septuaginta interpretum translatione, quam eodem plane modo, quo Græcam fecerat Origenes, exhibuerat Latinam, ut probaret, translationem ex Hebræo utilem fore, et huic etiam editioni præferendam.* Hieronymi *tamen Septuaginta editionem S. Augustinus studiose petiit, simul atque noverat eam ab* Hieronymo *perfectam. Nam in Epistola inter Hieronymianas* 116 *(alias* 97) *num.* 34 *ad* Hieronymum *ita scribit :* Deinde nobis mittas, obsecro, interpretationem tuam de Septuaginta, quam te edidisse nesciebam. *Et num.* 35 : Ideo autem desidero interpretationem tuam de Septuaginta, ut et tanta Latinorum interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitia careamus. *Addit aliam rationem, infra referendam, ubi agetur de interpretatione ex Hebræo.*

§ XXVII. Translatio Veteris Testamenti ex Hebræo, a nonnullis initio improbata.

Circa 390 ex Hebræo Sanctus Vetus Testamentum transferre cœpit,

Postquam S. Hieronymus *editionem latinam Septuaginta interpretum, de qua egimus, ad finem perduxerat, aggressus est Opus majoris difficultatis, maximæque utilitatis, nimirum translationem Veteris Testamenti ex ipso textu Hebraico. Ut hoc aggrederetur, omnia prius adjumenta comparaverat, notitiam videlicet linguæ Hebraicæ per magistros Hebræos, omnium præcedentium interpretum editiones, in Hexaplis Origenis conservatus, magnam sacræ Scripturæ diuturno studio et lustratione diligenti locorum Palæstinæ intelligentiam. Laboriosum istud opus inchoavit circa annum* 390 : *jam enim transtulerat partem notabilem; quando anno* 392 *scripsit librum de Viris illustribus ubi cap.* 134 *ait de Sophronio,* in Græcum eleganti sermone transtulit (*Opuscula aliqua*) Psalterium quoque et Prophetas, quos nos de Hebræo in E Latinum vertimus. *Verumtamen non absolvit sanctus translationem totam ante annum* 404, *quo defuncta est S. Paula, ut infra videbimus. Tot annos impendit* S. Hieronymus *translationi Veteris Testamenti, quod alia multa interponeret scripta, quæ magis urgebant, et citius poterant absolvi. Quapropter, si omnia ordine temporis recenserem, plurima alia hisce venirent interponenda. At jucundius erit lectori, opinor, si omnia ad hanc translationem spectantia consequenter exposuero, idque libentius faciam, quod anni, quibus singuli libri sunt translati, nequeant exacte designari, ac ne ordo quidem omnino sit certus.*

exorsus a quatuor libris Regum.

442 *Exordium sanctus videtur duxisse a quatuor libris Regum, ut vulgo vocantur. At duo priores apud Hebræos* Samuel, *duo posteriores* Malachim, *id est,* Regum, *nominantur. Prologus his libris præfixus, qui possim* Galeatus *dicitur, et in quo libri canonici Judæorum enumerantur, suadet, ab iis exorsum esse* Hieronymum. *Accedit, quod ab Hebræis annumerentur Prophetis : nam Prophetas magna saltem ex parte anno* 392 *transtulerat, ut evincunt verba mox data. At postrema hæc ratio non multum urget, cum et Josue et* F *Judicum et Ruth libri Prophetis annumeratos dicat* Hieronymus, *eosque postremos transtulerit. Verum ipse Prologus magis ostendit, a Regum libris cœptam esse translationem : neque enim de ulla præcedente facit mentionem, neque ait translationum illarum causa ab invidis laceratum se fuisse, sed hoc ne fieret, metuebat. Ut autem prævenirel, quod poterat objici, in prologo tom. IX, col.* 459 *ita loquitur :* Obsecro te, lector, ne laborem meum, reprehensionem æstimes antiquorum. In tabernaculum Dei offert unusquisque, quod potest : alii aurum et argentum, et lapides pretiosos : alii byssum et purpuram et coccum offerunt et hyacinthum. Nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo, et per singulas species Ecclesiæ præsentis futuræque distincto, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea, quæ viliora sunt, prohibent. *Hisce modeste insinuat sanctus utilitatem Operis sui, etiamsi illud cum oblationibus vilioribus comparet.*

443

testansque se omnia fideliter vertere conatum.

A 443 *Tum ita pergit:* Lege ergo primum, Samuel et Malachim meum (*id est, quatuor libros Regum*) meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo et emendando solicitius, et didicimus et tenemus, nostrum est. Et quum intellexeris, quod antea nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es; vel παραφραστήν, si ingratus. Quamquam mihi omnino conscius non sim, mutasse me quidpiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices et Latinos, et confer cum his Opusculis, et ubicumque inter se videris discrepare, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accomodare debeas fidem: et si nostra firmaverit, puto quod non æstimes eum conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed et vos famulas Christi rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit, ut contra latrantes canes, qui adversus me rabido ore desæviont, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. *Hæc ultima verba* B *procul dubio diriguntur ad SS. Paulam et Eustochium, quæ pro hisce translationibus maxime institerunt apud* Hieronymum, *ut in aliquot Præfationibus legitur.*

ad Isaiam reliquosque Prophetas progressus.

444 *Post Regum libros* Hieronymus *verisimiliter progressus est ad Prophetas transferendos, quos SS. Paulæ et Eustochio omnes diversis Præfationibus inscripsit. In Præfatione ad Isaiam col.* 685 *de obtrectatoribus questus, sed breviter, ita pergit:* Et nihilominus hoc a fastidiosis lectoribus precor, ut, quomodo Græci post Septuaginta translatores, Aquilam et Symmachum et Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinæ suæ, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: sic et isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius, et postea despiciant, ne videantur non ex judicio, sed ex odii præsumptione ignorata damnare. *Et inferius:* Quem (*Christum*) quanto plus amatis, o Paula et Eustochium, tanto magis ab eo petite, ut pro obtrectatione præsenti, qua me indesinenter æmuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro: qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione fudasse, ne Judæi de falsitate C Scripturarum ecclesiis ejus diutius insultarent.

omnes, uti et Psalterium, anno 392 transtulerat,

445 *In Præfatione ad Jeremiam præter ea, quæ ad Prophetam ejusque Prophetiam observat, ut in aliis quoque facit Præfationibus, quid præstiterit singulare, et quid exspectet, declarat his verbis:* Præterea ordinem visionum, qui apud Græcos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch, notarii ejus, qui apud Hebræos nec legitur nec habetur, prætermisimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes, quibus mo necesse est per singula Opuscula respondere. Et hoc patior, quia vos cogitis. Cæterum ad compendium mali, rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quam quotidie novi aliquid scriptitantem invidorum insaniam provocare. *Dum ait,* Vos cogitis, *verisimiliter Paulam alloquitur et Eustochium, quibus idem et aliis locis dicit. In Præfatione ad Ezechielem col.* 903 *observat, editionem Septuaginta non multum distare a textu Hebraico. In Præfatione ad duodecim Prophetas minores iterum alloquitur Paulam et Eustochium, monetque unicum esse apud Hebræos librum. Hosce autem omnes Prophetas ante annum* 392 *fuisse translatos, dubitare vix possum: aut certe currente anno* 392 *absolvit. Idem certum est de Psalterio.*

nisi forte excipiendus sit Daniel: quod non videtur.

446 *Verum non æque certum videtur, an Danielis prophetiam tam cito transtulerit, cum quod in Præfatione col.* 1363 *observet, Danielem ab Hebræis non fuisse annumeratum prophetis, sed iis, qui Hagiographa scripserunt, tam quia magnam passus est in translatione Danielis difficultatem. Cum tamen* Hieronymus *ipse Danielem inter Prophetas numeraverit, ejusque translationem inscripserit Paulæ et Eustochio, eumdem fortasse cum reliquis Prophetis consequenter transtulerit. In Præfatione autem observat, Danielem non fuisse ante in Ecclesia lectum ex interpretatione Septuaginta, sed Theodotionis. De sermonis qualicumque diversitate Danielis, et aliorum quorumdam ita loquitur:* Sciendum quippe, Danielem maxime et Ezram Hebraicis quidem litteris, sed Chaldaico sermone conscriptos, et unam Jeremiæ περικοπήν, Job quoque cum Arabica lingua habere plurimam societatem. *Hac vero occasione fatetur, se in juventute ob difficultatem intelligendi Danielem fere a studio linguæ Hebraicæ avulsum, subditque:* Et, ut verum fatear, usque ad præ- E sentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere et intelligere, quam sonare. *Prolixam Præfationem concludit his verbis:* Unde obsecro vos, o Paula et Eustochium, fundatis pro me ad Dominum preces, ut quamdiu in hoc corpusculo sum, scribam aliquid, gratum vobis, utile Ecclesiæ, dignum posteris. Præsentium quippe judiciis non satis moveor, qui in utramque partem aut amore labuntur aut odio.

Una ex rationibus hujus translationis erat,

447 *Psalterium* Hieronymus *transtulit ad preces Sophronii, qui translationem reddidit Græcam. Qua occasione illud petierit Sophronius, in Præfatione tom. IX, col.* 1155 *cum aliis, ad propositum nostrum spectantibus, exponit hoc modo:* Quia igitur nuper cum Hebræo disputans, quædam pro Domino Salvatore de Psalmis testimonia protulisti, volensque ille te illudere, per sermones pene singulos asserebat, non ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta interpretibus opponebas, studiosissime postulasti, ut post Aquilam et Symmachum et Theodotionem, novam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim, te magis interpretum varietate turbari; et amore, quo laberis, vel translatione vel judicio meo esse F contentum. Unde impulsus a te, cui et quæ possum debeo et quæ non possum, rursum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quam voluntatem, in amicitia quærere. Certe confidenter dicam, et multos hujus operis testes citabo, me nihil dumtaxat scientem de Hebraica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea a veteribus discreparit, interroga quemlibet Hebræorum, et liquido pervidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quam discere, perversissimi homines. Nam cum semper novas expetant voluptates; cur in solo studio Scripturarum veteri sapore contenti sunt?

ut responderi posset Judæis, ad Hebræum textum provocantibus.

448 Nec hoc dico, quo præcessores meos mordeam, aut quidquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam olim meæ linguæ hominibus dederim: sed quod aliud sit in ecclesiis Christo credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere. Quod Opusculum meum si in Græcum (ut polliceris) transtuleris ἀντιφιλονείκων τοῖς καταούρουσιν (id est, ex adverso contendens

AUCTORE J. S.

contendens eum detrahentibus) et imperitiæ meæ doctissimos quosque viros testes facere volueris, dicam tibi illud Horatianum: « In Silvam ne ligna « feras. » Nisi quod hoc habebo solamen, si in labore communi intelligam, mihi et laudem et vituperationem tecum esse communem. *Hactenus* Hieronymus, *qui rationem illam dandi novam ex Hebræo interpretationem frequenter aliis etiam locis repetit, aliasque plures adjungit. Ceterum post Prophetas et Psalmos translatos, fortasse non statim ad alios Veteris Testamenti libros progressus est sanctus, cum et Minores Prophetas an.* 392 *Commentariis exponere cœperit, et alia non pauca eo tempore scripserit.*

Ad librum Job, magno labore translatum.

449 *Translatio libri Job videtur inter priores esse post annum* 392. *Certe in Præfatione tom. IX col.* 1097 *loquitur de translatione sua ex Græco, ut nuper edita, cum in aliquot Præfationibus* olim *dicat editam. Initio autem refutat eos, qui dicebant, in reprehensionem Septuaginta interpretum novam hanc cudi interpretationem. Quanta vero fuerit translationis difficultas, exponit his verbis:* Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quemdam præceptorem, qui apud B Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis. Cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram. *Et paulo ante:* Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem: sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, et interdum Syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur et lubricus, et, quod Græce Rhetores vocant, ἐσχηματισμένος: dumque aliud loquitur, aliud agit, ut si velis anguillam aut murænulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur.

obtrectatores suos studiose refellit:

450 *Sub finem obtrectatores ita refellit:* Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem: sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa; aut certe scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent... Quod si apud Græcos post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, Symmachus et Theodotio, judaizantes hæretici, sunt recepti; qui multa C mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, et tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud ecclesias, et explanantur ab ecclesiasticis viris; quanto magis ego Christianus, de parentibus Christianis natus, et vexillum crucis in mea fronte portans, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, et sacramenta Ecclesiæ puro ac fideli aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a malignis lectoribus non debeo reprobari? Habeant, qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo aiunt, litteris, onera magis exarata, quam codices: dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas; et non tam pulchros codices, quam emendatos. Utraque editio, et Septuaginta juxta Græcos, et mea juxta Hebræos, in Latinum meo labore translata est. Eligat unusquisque, quod vult; et studiosum me magis, quam malevolum probet.

Translatio Jobi anno 393 aut 394 figenda:

451 *In Epistola* 49 (*alias* 52) *ad Pammachium datam anno* 294, *de translationibus suis num.* 4 *ita scribit:* Libros sedecim Prophetarum, quos in Latinum de Hebræo sermone verti, si legeris; et delectari te hoc opere comperero, provocabis nos etiam cætera clausa armario non D tenere. Transtuli nuper Job in linguam nostram, cujus exemplar a sancta Marcella consobrina tua poteris mutuari. Lege eumdem Græcum et Latinum, et veterem editionem nostræ Translationi compara; et liquido pervidebis, quantum distet inter veritatem et mendacium. *Ex his abunde colligitur, etiam Danielem cum reliquis Prophetis translatum; Jobi vero librum post Prophetas anno* 393 *aut* 394. *Non meminit ibi* Hieronymus *de libris Regum et Psalterio; sed horum inter primos libros translatio aliunde est certa.*

librorum Esdræ anno 394

452 *Secuta forsan est Translatio duorum librorum Esdræ, quos Hebræorum more in unum librum conjunxit. Illam diu petierant amici Romani, Domnion et Rogatianus. Præfationem col.* 1521 Hieronymus *sic orditur:* Utrum difficilius sit facere, quod poscitis, an negare, necdum statui. Nam neque vobis aliquid imperantibus abnuere sententiæ est: et magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quam levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia, qui omne, quod scribimus, reprehendendum putant, et interdum, contra se conscientia repugnante, publice lacerant, quæ occulte legunt, in tantum, ut clamare compellar, et E dicere: « Domine, libera animam meam a labiis « iniquis, et a lingua dolosa. » Tertius annus est, quod semper scribitis atque rescribitis, ut Ezræ librum vobis de Hebræo transferam. *Ex ultimis verbis conjicio, non ante annum* 394 *ab* Hieronymo *translatum esse hunc librum, cum verisimiliter hunc non petierint, nisi postquam anno* 391 *aut* 392 *primas Translationes Romæ viderant. Deinde ob invidos hæc scribit:* Itaque rogo vos, mi Domnion et Rogatiane carissimi, ut privata lectione contenti, librum non efferatis in publicum, nec fastidiosis ingeratis cibos, vitetisque eorum supercilium, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil noverunt. Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar *etc. Addit non pauca ad defensionem suam, sed ea mitto, quia similia etiam redibunt inferius.*

quando multum Sanctus lacerabatur ab æmulis:

453 *In fine mentionem facit de adversario uno aut gemino, insinuatque ejus causa se non taciturum, his verbis:* Itaque licet et excetra sibilet, « victurque Sinon incendia jactet: » numquam meum, juvante Christo, silebit eloquium: F etiam præcisa lingua balbutiet. Legant, qui volunt: qui nolunt, abjiciant. Eventilent apices, litteras calumnientur: magis vestra caritate provocabor ad studium, quam illorum detractione et odio deterrebor. *Quis designatus fuerit voce* excetra, *quisque sit* Sinon, *et an idem utraque voce designetur, certo dici nequit. Æque mihi incertum est, utrum unus aut geminus ille adversarius Romæ degeret, an in Palæstina aut alibi. Nam hic degebat Rufinus, qui iis temporibus Joannem episcopum Hierosolymitanum contra* Hieronymum *excitavit; Romæ vero degebant alii, non ita noti, qui eodem tempore libros sancti contra Jovinianum calumniabantur. Vigilantius quoque circa id tempus* Hieronymo *detrahere cœpit. Hoc certum est, per* excetram *insinuari hominem maledicum, per* Simonem *dolosum et promptum ad lædendum. At, cum sanctus id genus vocibus passim usus sit, ut adversariorum suorum nominibus parceret, æquum non esset per leves conjecturas investigare homines, quos ille volebat solis amicis suis notos.*

454 *Translatio librorum Paralipomenon anno* 396

libri Paralipomenon anno 396 translati,

396 *figenda videtur, cum in Præfatione col.* 1407 *Sanctus dicat :* Scripsi nuper librum de Optimo genere interpretandi. *Nam hunc librum circa finem anni* 395 *aut initium* 396 *figendum videbimus. Translatio autem librorum Paralipomenon inscripta est S. Chromatio Aquileiensi, qui* Hieronymum *impellebat,* ut Hebræa volumina latino sermone *transferret. Hic igitur doctrina et sanctitate insignis episcopus ex iis erat, qui S. Hieronymi consilium probabant, et ad pergendum hortabantur; licet multi, interque eos S. Augustinus, contrariæ essent sententiæ. Horum causa nocum rursum argumentum pro Translatione sua producit in hac Præfatione. Nam, ubi necessitatem novæ interpretationis probaverat ex varietate editionum Septuaginta, quæ erat alia in Ægypto, alia Constantinopoli et Antiochiæ, alia in Palæstina; (verba dedi num.* 439) *ubi et Græcorum Translationes, post Septuaginta conditas recensuerat; pergit ad ostendendum editionis Septuaginta defectum, cum in ea non invenirentur omnia, quæ a Christo Domino et Apostolis ex Veteri Testamento erant allegata.*

ubi necessitatem translationis alio argumento

455 *Sic autem ratiocinatur :* Si igitur aliis licuit non tenere, quod semel susceperant : et post septuaginta cellulas, quæ vulgo sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere; hocque in ecclesiis legitur, quod Septuaginta nescierunt, cur me non suscipiant Latini mei, qui, inviolata editione veteri, ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, et, quod his majus est, Apostolis auctoribus, probem? Scripsi nuper librum de Optimo genere interpretandi, ostendens illa de Euangelio : « Ex Ægypto vocavi filium meum : » et « Quoniam Nazaræus vocabitur : » et, « Videbunt, in quem compunxerunt : » et illud Apostoli : « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se : » cæteraque his similia, in Hebræorum libris inveniri. Certe Apostoli et Euangelistæ Septuaginta interpretes noverant : et unde eis hæc dicere, quæ in Septuaginta non habentur? Christus Dominus noster, utriusque Testamenti conditor, in Euangelio secundum Joannem : « Qui credit, (inquit) in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. » Utique scriptum est, quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est? Septuaginta non habent : apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebræos igitur revertendum est, unde et Dominus loquitur, et Discipuli exempla præsumunt.

probat Sanctus, obtrectatoribus respondens

456 Hæc pace veterum loquor, et obtrectatoribus meis tantum respondeo, qui canino dente me rodunt, in publico detrahentes, legentes in angulis; iidem et accusatores et defensores, quum in aliis probant, quod in me reprobant, quasi virtus et vitium non in rebus sit, sed cum auctore mutetur. *Ita pro defensione sua Sanctus, qui in laudata Epistola de Optimo genere interpretandi etiam ostendit, ubi singuli textus supra producti reperiantur in Hebræis, uti etiam facit Præfatione ad Pentateuchum. Jam vero Translationes omnes hactenus memoratas fuisse absolutas ante Epistolam* 71 *ad Lucinium, ex hac ipsa colligitur, cum Sanctus ibidem num.* 5 *hæc scribat :* Canonem Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum. *Observat quidem Vallarsius, alias legi* Heptateucho, *alias etiam* Pentateucho. *At non dubito, quin legendum sit* Octateucho : *nam octo libros serius absolutos facile designabimus. Ceterum Epistola ad Lucinium fuit scripta anno* 398, *ut suo loco ostendam.*

Tres libri Salomonis post diuturnum morbum

457 *Eodem anno* 398 *figenda omnino videtur Translatio trium librorum Salomonis, nimirum Proverbiorum, Ecclesiæ et Cantici canticorum. Rationes petuntur ex Præfatione, qua illos direxit ad sanctos episcopos Chromatium Aquileiensem et Heliodorum Altinensem, amicos veteres. Illam Sanctus tom. XI, col.* 1293 *ita orditur :* Jungat Epistola, quos jungit sacerdotium : immo charta non dividat, quos Christi nectit amor. Commentarios in Osee, Amos, Zachariam, Malachiam, quos poscitis, scripsissem, si licuisset præ valetudine. Mittitis solatia sumptuum, notarios nostros et librarios sustentatis, ut vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diversa poscentium, quasi aut æquum sit, me, vobis esurientibus, aut aliis laborare, aut in ratione dati aut accepti cuiquam præter vos obnoxius sim. Itaque longo ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem, et apud vos mutus essem, tridui opus nomini vestro consecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis voluminum, MASLOTH, quas Hebræi Parabolas, vulgata autem editio Proverbia vocat, COELETH, que græce Ecclesiasten, latine Concionatorem possumus dicere; SIR ASSIRIM, quod in nostra lingua vertitur Canticum canticorum.

in Quadragesima anni 398 *translati.*

458 *Longa ægrotatio, qua fractus erat* Hieronymus, *non occurrit in Palæstina ante annum* 398. *At hoc anno tribus mensibus ægrotavit, et in Quadragesima utcumque cœpit convalescere, ut videbimus* § 36, *quando agemus de Commentariis in Matthæum et Epistola ad Lucinium, in quibus morbus ille commemoratur. Itaque morbus ille omnino persuadet, Translationem illam anno* 398 *peractam in Quadragesima, præsertim cum absoluta fuerit ante Epistolam ad Lucinium, ut liquet ex verbis num.* 456 *datis. Aliam etiam ratio suadet, citius factam non esse horum librorum Translationem, aut certe non ante* 396, *quo Commentarios in Jonam S. Chromatio dicavit Sanctus. Cum enim Chromatius hic dicatur petiisse* Osee, Amos, *etc., unum potius ex bis explanasset, quam Jonam, si illa petitio ante annum* 396 *esset facta. Ceterum in gratiam obloquentium Sanctus in fine Præfationis addit sequentia :* Si cui sane Septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim sic nova cudimus, ut vetera destruamus. Et tamen, cum diligentissime legerit, sciat magis nostra intelligi, quæ non in tertium vas transfusa coacuerunt, sed statim de prelo purissimæ commendata testæ, suum saporem servaverunt. *Hoc ipsum postea agnovit S. Augustinus, ut videbimus postmodum.*

Deinde Genesis translata reliquique

459 *Secuta est Pentateuchi translatio, quam in manibus habebat* Hieronymus, *dum scribebat ad Lucinium. At videntur aliquot anni intercurrisse, antequam esset absoluta. Minus tamen ipsa Operis moles, etiamsi magna sit, et multum temporis exigat, in longam adeo moram has translationes protraxit, quam multitudo aliorum scriptorum, quæ* Hieronymum *posterioribus quarti et prioribus annis sæculi* 5 *occuparunt, ut verisimiliter Pentateuchi translatio frequenter sit interrupta. Translationem Pentateuchi petiit Desiderius.* S. Hieronymi *amicus, quem suspicor illum esse Desiderium; ad quem exstat Epistola* 47, *anno incerto post* 392 *scripta, ut etiam existimat Vallarsius. Nam Desiderius iste Opera* S. Hieronymi *multum desiderabat, ut verisimile admodum sit, ab eo petitum*

AUCTORE J. S.

petitam Pentateuchi translationem, ubi necdum translatum intellexerat. Præfationem tom. IX, col. 1 Sanctus ita orditur : Desiderii mei desideratas accepi Epistolas, qui quodam præsagio futurorum cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis, ut translatum in latinam linguam de Hebræo sermone Pentateuchum nostrorum auribus traderem. *Tum addit nonnulla de obtrectatoribus suis, qui novam translationem fieri dicebant in reprehensionem Septuaginta interpretum. At hoc* Hieronymus *constanter negat, variisque argumentis consilium suum propugnat.*

Libri Pentateuchi non diu ante 404 absoluti.

460 *Mitto ea, quia jam data sunt similia, et finem Præfationis subjungo :* Nunc te precor, Desideri carissime, ut, quia tantum opus me subire fecisti, et a Genesi exordium capere, orationibus juves, quo possim eodem Spiritu, quo scripti sunt libri, in latinum eos transferre sermonem. *Ex his verbis probabile fit, librum Geneseis translatum esse ante reliquos, missumque cum dicta Præfatione ad Desiderium sub finem sæculi 4. Idem aliunde fit satis certum. Nam lib. 2 contra Rufinum num. 25 magnam hujusce Præfationis partem recitat, tamquam Prologum Genesis,*
B
non Pentateuchi. Imo totus Pentateuchus necdum eo tempore erat absolutus, ut clarum videatur, solum Geneseos librum primo ad Desiderium fuisse missum, reliquos vero quatuor Pentateuchi libros sine alia Præfatione aut simul aut singulos fuisse missos. At ex Præfatione in Josue liquet, absolutum non fuisse Pentateuchum tanto tempore ante annum 404, ut reliquos quatuor libros absolverit ante 26 Januarii illius anni. Nam mortua erat S. Paula, dum Præfationem in Josue scribebat Hieronymus : *illam vero sic inchoat :* Tandem finito Pentateucho Mosi *etc. : quibus verbis insinuat, diu finitum non fuisse.*

Anno 404 translati libri

461 *Restabant* Hieronymo *transferendi ex libris, quos Hebræorum canon complectebatur, Josue, Judicum, Ruth et fortasse Esther. De omnibus agit in Præfatione, libro Josue præfixa, col. 355, insinuatque col. 357, eos se transtulisse circa tempus mortis S. Paulæ, et ad preces S. Eustochii, ita scribens :* Cæterum post sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustochio virgini Christi negare non potui, decrevimus, dum spiritus hos regit artus, Prophetarum explanationi incumbere,
C
et omissum jam diu opus quodam postliminio repetere ; præsertim quum et admirabilis sanctusque vir Pammachius hoc idem litteris flagitet, et nos ad patriam festinantes, mortiferas sirenarum cantus surda debeamus aure transire. *Ita proponebat* S. Hieronymus *anno 404. At cum Prophetarum expositionem solum resumpserit sub finem anni 406; verisimiliter cessit aliorum amicorum precibus, ut etiam transferret prius Tobiam et Judith ; quemadmodum eum videbimus fecisse.*

Josue, Judicum et Ruth.

462 *Præfationem in Josue et reliquos ita orditur :* Tandem finito Pentateucho Mosi, velut grandi fœnore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, quem Hebræi JOSUE BEN NUN, id est, Josue filium Num vocant ; et ad Judicum librum, quem SOPHTIM appellant, ad Ruth quoque et Esther, quos iisdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem, ut silvam Hebraicorum nominum, et distinctiones per membra divisas, diligens scriptor conservet, ne et noster labor, et illius studium pereat. Et, ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem veterum nova cudere, sicut amici mei criminantur ; sed pro virili parte offerre linguæ meæ hominibus (quos tamen nostra delectant) ut pro Græcorum ἑξαπλοῖς, quæ et sumptu et labore maximo indigent, editionem nostram habeant. Et, D sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant, quod requirunt ; maxime cum apud latinos tot sint exemplaria, quot codices ; et unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit, quod ei visum est et utique non possit verum esse, quod dissonat : unde cesset arenato vulnere contra nos insurgere scorpius, et sanctum opus venenata carpere lingua desistat, vel suscipiens, si placet ; vel contemnens, si displicet. *Ita Sanctus, quem, quo longius in Translatione processit, eo fortiorem in refutandis adversariis deprehendere licet.*

Translatio libri Esther, Paulæ et Eustochio dicata,

463 *Jam vero, cum* Hieronymus *hic post mortem S. Paulæ inter libros translatos, etiam nominet* Esther; *exstet vero in librum Esther Præfatio, qua SS. Paulæ et Eustochio dicatur ; dubitant eruditi, fueritne liber Esther ante mortem S. Paulæ translatus, an post cum Josue et reliquis. Ut autem sententiam nostram clarius exponamus, necesse est totam Præfationem in Esther, aliunde etiam ad gesta* S. Hieronymi *spectantem, huc transferre.* Librum Esther, *inquit Sanctus tom. IX, col. 1565,* variis translationibus constat esse vitiatum, quem E ego de archivis Hebræorum relevans, verbum e verbo pressius transtuli. Quem librum editio Vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel ille, qui injuriam fecit. Vos autem, o Paula et Eustochium, quoniam et bibliothecas Hebræorum studuistis intrare, et interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram Translationem aspicite, ut possitis agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in Hebræo habetur, historiam Hebraicam latinæ linguæ tradidisse. Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus. Deo enim placere curantes, minas hominum non timemus, quia Deus dissipat ossa eorum, qui hominibus placere desiderant, et secundum Apostolum, qui ejusmodi sunt, servi Christi esse non possunt.

facta videtur ante mortem S. Paulæ

464 *Hæc Præfatione,* Hieronymo *dignissima, omnino mihi persuadet, librum Esther translatum esse ante mortem S. Paulæ. Etenim omnia, quæ a* F *variis excogitata sunt, ne S. Paulæ simul et Eustochio librum illum faterentur dicatum, ex ipsis dedicationis verbis clarissime refutantur. Neque enim sola nomina Paulam viduam et virginem Eustochium designant, sed vel maxime notitia linguæ Hebraicæ, qua SS. Paulam et Eustochium optime imbutas fuisse novimus. At Domnionem et Rogatianum, quem nonnulli substituere voluerunt, Hebraici sermonis tam peritos fuisse, ne verisimile quidem est. Magis etiam inepte aliquis pro S. Paula substituere voluit neptem ejus Paulam, quæ infans erat ea tempore. Itaque considerandum potius est, an verba* S. Hieronymi, *quæ in Præfatione ad librum Josue videntur contraria, nequeant ita intelligi, ut liber Esther fuerit translatus inter Pentateuchum et mortem S. Paulæ anno 403 aut ineunte 404. Certe* Hieronymus *non dicit, Pentateuchum absolutum esse post mortem S. Paulæ. Tillemontius quidem Nota 36 id infert ex* Hieronymi *verbis tamquam certum, aliique idem asserunt. At ego non invenio, quibus dialecticæ legibus id possit inferri. Ubi* Hieronymus *loquitur de finito Pentateucho, non agit de obitu Paulæ; sed de*

A *de progressu suo ad reliquos canonis Hebraici libros, Josue, Judicum, Ruth et Esther. Recte hinc inferemus, hos quatuor non fuisse inchoatos ante finitum Pentateuchum.*

exeunte anno 403 aut ineunte 404.

465 *Ubi vero de morte S. Paulæ sub finem loquitur, mortem illius conjungit cum suo in his ultimis libris transferendis labore, ut verisimiliter partim jam absolvisset. Sic enim loquitur :* Ceterum post sanctæ Paulæ dormitionem.... et hos libros,.... decrevimus... Prophetarum explanationi incumbere *etc. Conjunctio illa mortis et librorum ultimorum insinuat, hisce occupatum fuisse* Hieronymum, *dum obiit S. Paula, Nam Præfatio scripta est post libros absolutos. Quapropter poterat jam ante mortem S. Paulæ translatus esse liber Esther, ut factum esse hujus Præfatio docet. Sanctus igitur, ubi libros sibi adhuc transferendos diligenter consideraverat, librum Esther ex iis primum transtulerit, tamquam magis egentem nova translatione, quod in ea Translatio Septuaginta interpretum multum abesset a textu hebraico. Itaque omnino existimo Pentateuchum fuisse absolutum anno* 403, *et tunc* Hieronymum *ad quatuor reliquos considerandos et ad Translationem præparandos progressum, perfecisse vero primum Translationem Esther* B *ante mortem S. Paulæ, reliquorum vero post illius obitum anno* 404.

et deinde libri Josue, Judicum et Ruth.

466 *Quod huic ordini repugnet, in tota Præfatione in Josue nihil reperiet studiosus lector, modo singula recte valuerit expendere. Nam* Hieronymus, *qui singulari Præfatione librum Esther Paulæ et Eustochio dicaverat, in Præfatione ad Josue quemlibet lectorem alloquitur, eumque breviter instruit de quatuor libris post Pentateuchum translatis; sed non dicit, quo ordine hosce singulos transtulerit. At aliunde novimus, Esther Translationem fuisse prius absolutam. Itaque nequaquam necesse est, ut dicamus in alterutro* Hieronymi, *loco erratum esse, ut vult Tillemontius Nota* 36; *sed prorsus dicendum est, ipsum aliosque perperam ex verbis* Hieronymi *conclusisse, Pentateuchum post mortem S. Paulæ absolutum, indeque ortam esse totam difficultatem, quæ eruditos mire vexavit. Ceterum habemus modo Octateuchum, qui restabat transferendus, dum anno* 398 Hieronymus *scribebat ad Lucinium, videlicet quinque libros Moysis, sextum Josue, septimum Judicum cum Ruth, nam unus est apud Hebræos liber, teste* C Hieronymo *in Prologo Galeato, et Octavum Esther.*

Translati ab eodem libri Tobiæ

467 *Quamquam* Hieronymus *non decreverat ex Hebraico transferre, nisi libros canonis Hebraici; acquievit tamen postulationibus antistitum Chromatii et Heliodori, ut Tobiam ex Chaldaico Latinum faceret, quemadmodum docet Præfatio ad Chromatium et Heliodorum Tobiæ præfixa tom.* X, *col.* 1, *quam subjungo :* Mirari non desino exactionis vestræ instantiam. Exigitis enim, ut librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham, librum utique Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum secantes, his, quæ apocrypha memorant, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguunt enim nos Hebræorum studia, et imputant nobis, contra suum canonem Latinis auribus ista transferre. Sed melius esse judicans, Pharisæorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire, institi, ut potui. Et quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui : et quidquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego, accito notario, sermonibus latinis exposui. Orationibus vestris mercedem hujus operis compensabo, quum gratum vobis didicero, me, quod jubere estis dignati, complesse.

et Judith incerto tempore.

468 *Secuta est Translatio libri Judith, per eosdem verisimiliter antistites petita. In illam Sanctus ita præfatur :* Apud Hebræos liber Judith inter apocrypha legitur : cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestræ, immo exactioni; et sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi, magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputavi : sola ea, quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis invenire potui, Latinis expressi *etc. Ita* Hieronymus, *qui satis insinuat, auctoritatem concilii Nicæni suffecisse sibi, ad librum Judith sacris Scripturis annumerandum, ut modo similiter non dubitaret de libris reliquis in concilio Tridentino admissis pro canonicis. Alios* E *tamen libros, qui extra canonem Hebræorum erant, videlicet Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæorum libros et Baruch, numquam Latinus ex Hebraicis aut Græcis reddidisse legitur. Ceterum non constat de tempore, quo libri Tobiæ et Judith fuere translati.*

§ XXVIII. Examinantur ea, quæ Rufinus contra Translationem S. Hieronymi objecit : S. Augustinus initio Translationem dissuasit; postea probavit et usus est.

Inter eos, qui Translationem ex Hebræo accusabant, Rufinus F

Ex *frequentibus S.* Hieronymi *querelis jam intelleximus, consilium ejus de transferendo Veteri Testamento ex Hebraico in latinum sermonem a multis improbatum fuisse. Verisimile tamen est, plerosque verbis solum, non scriptis, ausos esse carpere utilissimum laborem, eidemque magis clam inter amicos suos, quam publice detraxisse. Verum Rufinus, ubi decreverat omnia in* Hieronymo *improbare, bonaque non minus accusare, quam mala, si qua tamen mala invenerit accusanda; publicum laboribus Sancti indixit bellum, omnique conatu Translationes novas atris studuit coloribus depingere: Prælusit huic accusationi Invectivarum lib.* 2, *num.* 12, *ubi calumniatur, Barabbam pro Christo ab* Hieronymo *electum, quia linguæ Hebraicæ magistrum habuerat Baraninam, additque :* Ille vero de synagoga Barrabas tuus, pro Christo electus, docuit te resurrectionem carnis non in virtute, sed in fragilitate sperare; litteræ necidentis amicum fieri, et inimicum spiritus vivificantis. *Ita prælusit non minus inepte Rufinus, quam postea accusavit. Omnia ejus verba recitare nimis esset prolixum. At argumenta dabo singula, et subinde etiam verba. Tillemontius, qui plerasque Rufini accusationes recitat, et non paucas adoptat, noluit art.* 56 *hoc examen instituere, aut Rufinum hic cum* Hieronymo *committere. Ratio, quam affert, si vera est, eumdem retinere debuisset,*

set, ne multa alia ex Rufino contra Hieronymum intorqueret, accusationesque sine debito examine solas poneret.

cum accusat: primum ejus argumentum

470 Primo objicit lib. 2, num. 31 Rufinus, divinarum Scripturarum libros, quos ad plenissimum fidei instrumentum ecclesiis Christi Apostoli tradiderant, nova... et a Judæis mutuata interpretatione fuisse mutatos ab Hieronymo. Ad confirmandam argumentum ait num. 32, dubitandum non esse, quin S. Petrus apostolus etiam librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit. Verum tota illa Rufini ratiocinatio nihil plane evincit contra Translationem S. Hieronymi. Nam certe nec S. Petrus nec alii Apostoli Ecclesiæ dederant codices latinos, quales tunc exstabant: nec codices græcos inter se dissonantes. Itaque, si Apostoli interpretationem Septuaginta, qua certe aliquando usi sunt, omnino probaverint, ut postea etiam dixit S. Augustinus in Epistola 116 inter Hieronymianas num. 35; non approbarant certe mutationes, librariorum negligentia aut quorumdam audacia postmodum inductas. Præterea Apostoli certo non improbaverunt Scripturam Hebraicam: cur ergo non licuisset Hieronymo eam Scripturam, qua Apo-
B stoli et Christus ipse Dominus usi sunt, ut variis locis ostendit, accurate latinam facere? Cur non licebat assignare et aperire fontem, et quo Interpretatio Septuaginta profluxerat, ut quidquid mutationis turbide in editiones varias Septuaginta irrepserat, ex collatione cum textu hebraico facilius deprehenderetur?

excutitur et refellitur

471 Si Novum Testamentum, hortante Damaso, laudabiliter ex textu Græco, quo fere totum fuit conscriptum, correxit Hieronymus; non minori utilitate poterat Græca æque ac Latina editio Septuaginta ex textu Hebraico corrigi et ad unam formam reduci. Utilissima igitur fuisset Translatio S. Hieronymi, etiamsi non fuisset ad alium usum adoptata ab Ecclesia, quam ad resecandos errores, qui in aliquas saltem Septuaginta interpretum editiones irrepserant, et tollendam diversorum codicum varietates. Et forsan ad hunc maxime finem arduos illos labores suscepit Hieronymus, cum Præfationem in libros Paralipomenon sic exordiatur: Si Septuaginta interpretum pura, et ut ab eis in Græcum versa est, Editio permaneret, superflue me, mi Chromati,... impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transfer-
C rem. Itaque digna Rufino, indigna viro prudente, sunt verba, quibus num. 31 ita insultat Sancto: Istud commissum, dic, quomodo emendabitur, immo nefas, quomodo expiabitur?

item secundum, tertium.

472 Objicit ille secundo, neminem Sanctorum, non Petrum, non Paulum, non alium quemlibet ausum fuisse interpretationem dare ex Hebræo. Verum id minime urget: nam Apostoli aliis occupati erant: alii Sancti aut etiam alia egerunt, aut non ita perspexerunt utilitatem novæ interpretationis, aut tantum laborem aggredi non sunt ausi. Certe quod vitio vertere Hieronymo conatur Rufinus; ejus ego cum Ecclesia laudem puto maximam, nimirum quod primus tantos labores ausus sit suscipere, eosque innumeras inter calumnias potuerit ad finem perducere. Objicit tertio verbis jam datis, aliisque admodum invidiosis frequenter repetit, a Judæis mutuasse Hieronymum translationem suam, et Barraba aspirante Translationem fecisse. At nugæ istæ sunt, et vanæ declamationes: nam aliud est linguam Hebraicam, Judæo magistro discere; aliud ex mente Judæorum Scripturam sacram transferre. Primum laudabiliter fecit Hieronymus, non secundum, cum Translationem suam composuerit, ut Judæis os occluderet; multaque de Christo præ- D
dicta clarius exposuerit, quam transtulerant Septuaginta.

et quartum invidiosissime,

473 Objicit quarto, contumeliam illatam Septuaginta interpretibus, eamque objectionem odiosissimis assertis extendit. Quin et petulantissime Hieronymo insultat, quasi convicto de gravi crimine, quod nulla poterat ratione purgari. Verum artificiosa illa Rufini calumnia satis refutatur judicio totius Ecclesiæ, quæ jam undecim sæculis censuit, maximum sibi ab Hieronymo servitium in illa Translatione præstitum. Ut autem studiosus lector ex hac accusatione intelligat, quantum vacillet Rufini fides in accusando Hieronymo, necesse est observare, Sanctum in plerisque Præfationibus et in prima omnium, ad Translationes suas diligenter monuisse, ne studiosus lector crederet, laborem suum in transferendo esse reprehensionem antiquorum, sive Septuaginta interpretum: monuisse item frequenter, se non cudere nova, ut vetera destruerentur. Attamen sic ubique Hieronymum oppugnat, acsi voluisset editionem Septuaginta mutare, et suam pro ea substituere, ut verisimili aliqua ratione posset clamare, emendatam aut mutatam esse legem Christianorum, et gentilium etiam scandalum objicere. Sed et illud, ait num. 34, E
quomodo accipiendum est? Quantum accessisse ad incredulitatem ex hoc facto gentilibus æstimatis? Non enim latent eos, quæ apud nos aguntur. Scientes ergo Legem nostram nunc emendatam vel mutatam, nonne dicunt apud semetipsos: Errant isti, nec est apud eos aliquid veritatis! Ecce ipsi, cum volunt, leges suas corrigunt et emendant. Certum est autem, errorem præcessisse, ubi emendatio subsecuta est: nec divinum videri posse, quod ab homine mutatur.

et mala fide intorta a Rufino.

474 Ita ratiocinari potuisset Rufinus, quando S. Hieronymus Novum Testamentum latinum ex græco correxit: male tamen fuisset ratiocinatus, quia emendare diversa Legis exemplaria, in quæ errores irrepserunt librariorum incuria vel audacia, non est emendare aut mutare Legem; sed curare, ne ea erroribus vitietur ac mutetur. Eodem rursum ratiocinio, si legitimum esset, uti potuisset, quando Hieronymus dedit emendatam editionem Septuaginta interpretum, eam transferendo in latinum sermonem secundum Hexapla Origenis. At, quando ita ratiocinatus est contra Translationem ex Hebraico, ineptissimo ratiocinio etiam malam fidem adjunxit. Falsum enim est, vel minimum F
tunc in Translatione Septuaginta ab Hieronymo mutatum, correctum aut abolitum. Testatur frequenter Hieronymus, suam se Translationem addere Veteri, non pro ea substituere, nec Veterem abolitam velle. Toties intentionem suam indicaverat Hieronymus, ut ea non posset ignota esse Rufino, qui scripta ejus diligenter pervestigavit. Mala igitur fide accusavit Hieronymum, acsi sua Translatione veterem et Vulgatam abolere voluisset: malaque illa Rufini fides in omnibus fere accusationibus ejus abunde se manifestat. Mitto ea, quæ Rufinus objicit de Susannæ Historia et Hymno trium puerorum erasis, ut loquitur num. 32. Nam Hieronymus passim ea tantum vertit, quæ in Hebraico invenit; sed nihil erasit ex editione Septuaginta. Præterea ad omnia, quæ a Rufino objecta audierat, abunde respondit lib. 2 contra Rufinum a num. 24 usque ad finem libri; nihil tamen magis sollicite refutat, quam calumniam de reprehensit Septuaginta, cujus causa magnum Præfationum suarum partem recitat.

475 Attamen longius etiam progressa est calumnia.

Epistola S. Hieronymi nomine conficta fuit,

minatorum contra Sanctum malitia. Ejus enim nomine composuerunt Epistolam, qua fingebatur Hieronymus *ipse condemnare Translationem suam, et de ea pœnitentiam agere. Rem totam narrat ipse* Hieronymus *lib. 2 contra Rufinum num. 24, ita scribens :* Scribit frater Eusebius, se apud Afros episcopos, qui propter ecclesiasticas causas ad comitatum venerant, Epistolam quasi meo scriptam nomine reperisse, in qua agerem pœnitentiam, et me ab Hebræis in adolescentia inductum esse testarer, ut Hebræa volumina in Latinum verterem, in quibus nulla sit veritas. Quod audiens obstupui. Et quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, unique testi nec Catoni creditum est, idipsum multorum me ex Urbe Fratrum scripta docuerunt, sciscitantium, an ita se haberet, et a quo ipsa Epistola disseminata esset in vulgus, lacrymabiliter indicantium. Qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat? Bene, quod malitia non habet tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, et totum, quidquid cupit calumnia, prævaleret. Stilum meum, qualiscumque est, et formam eloquii vir disertissimus exprimere non potuit : sed inter ipsas præstigias et alterius personam, qua se fraudulenter induerat, quis esset, ostendit.

quasi cum pœnituisset Translationis,

476 Ergo ille, qui Epistolam sub nomine meo pœnitentiæ finxerat, quod male Hebræa volumina transtulissem, objicere dicitur, me in Septuaginta condemnationem Scripturas sanctas interpretatum, ut, sive falsa sunt, sive vera, quæ transtuli, in crimine maneam : dum aut in novo Opere fateor me errasse, aut recens editio Veteris condemnatio sit. Miror, quomodo in eadem Epistola homicidam, et adulterum, et sacrilegum, et parricidam me esse non dixerit, et quidquid potest tacita mentis cogitatio intra se turpitudinis volvere. Gratias ei debeo agere, quod, quum tanta silva sit criminum, unum mihi erroris vel falsitatis crimen objecerit. Egone contra Septuaginta interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conventu Fratrum edissero, quorum Psalmos jugi meditatione decanto? Tam stultus eram, ut, quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem? Universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt. Commentarii in Duodecim Prophetas et meam et Septuaginta Editionem edisserunt. O labores hominum semper incerti! O mortalium studia contrarios interdum fines habentia! Unde me putabam bene mereri de Latinis meis, et nostrorum ad discendum animos concitare; quod etiam Græci versum de Latino post tantos interpretes non fastidiunt, inde in culpam vocor, et nauseanti stomacho cibos ingero.

de quo crimine suspectus fuit Rufinus.

477. Et quid in homine tutum sit, si innocentia criminosa est? Dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania superseminavit. « Exterminavit vineam aper de silva, et singularis ferus » depastus est eam. » Ego taceo, et litteræ non meæ loquuntur contra me. Ignoro crimen, et crimen in toto orbe confiteor. Heu mihi, mater mea, ut quid me genuisti, virum, qui judicer et discernar omni terræ? *Hactenus* Hieronymus, *qui deinde multa ex Præfationibus suis subjungit, et frivolas objectiones de Daniele, de Susanna, de hymno trium puerorum refutat num.* 33. *Jam vero de supposita* Hieronymo *Epistola observo, Rufinum de illa suppositione suspectum fuisse, quantum insinuant data* Hieronymi *verba. Attamen Rufinum non nominavit Sanctus, verisimiliter quod certa non haberet, aut habere posset testimonia de re, quæ clam erat gesta. Factum quoque negavit Rufinus, sed non persuasit* Hieronymo, *nullas in eo se partes habuisse, quemadmodum intelligimus ex iis, quæ lib. 3 contra Rufinum num. 25 ita disserit :* Quo nun erumpat semel effrænata audacia? Alienum crimen sibi objecit, ut nos finxisse videamur. Quod absque nomine dictum est, in se dictum refert, et purgans externa peccata, tantum de sua securus est innocentia. Jurat enim, se Epistolam non scripsisse ad Afros sub nomine meo, in qua confitear, inductum me a Judæis, mendacia transtulisse : et mittit libros eadem omnia continentes, quæ nescisse se jurat : (*eadem nimirum contra* Hieronymi *Translationem argumenta.*) Et miror, quomodo prudentia ejus cum alterius nequitia convenerit, ut, quod alius in Africa mentitus est, hic concorditer verum diceret, stilique eius elegantiam, nescio quis imperitus posset imitari. *Hæc sane styli et argumentorum similitudo non leve contra Rufinum præbebat argumentum; et dubitari vix potest, quin Epistola saltem conficta fuerit per fautores Rufini, si forsan id ipse Rufinus non fecerit.*

S. Augustinus variis rationibus Hieronymo

478 *S. Augustinus, cui etiam initio non placuit Translatio Scripturæ Hebraicæ, multo modestius indicavit* S. Hieronymo *incommoda, quæ ex ea oriri posse suspicabatur. In prima Epistola, inter Hieronymianas* 56, *num.* 2 *hortatur* Hieronymum *ad Græcos sacræ Scripturæ interpretes, et præsertim Origenem, latine transferendos; translationem vero ex Hebræo dissuadet his verbis :* De vertendis autem in linguam latinam sanctis Litteris canonicis laborare te nollem, nisi eo modo, quo Job interpretatus es (*ex Græco nimirum cum adjunctis ex Hebræo,*) ut signis adhibitis, quid inter hanc tuam et Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet, appareat. Satis autem nequeo mirari, si aliquid adhuc in Hebraicis Litteris et exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii vel majore spiritus concordia, quam si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam; nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendam existimo. Illi me plus movent, qui, quum posteriores interpretarentur, et verborum locutionumque Hebraicarum viam atque regulas mordicus (ut fertur) tenerent; non solum inter se non consenserunt; sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda et prodenda remanerent. Si enim obscura sunt, te quoque in illis falli potuisse creditur : si autem manifesta, illos in eis falli potuisse non creditur. Hujus igitur rei pro tua caritate expositis causis, certum me facias, obsecraverim. *Hæc Epistola, cum per Italiam vagata sit, augere potuit numerum eorum, qui* Hieronymi *consilium improbabant. At illud non contigit culpa S. Augustini, ut post videbimus.*

Translationem ex Hebræo dissuadet,

479 *Priusquam ad ea responderat* Hieronymus, *alia rursum argumenta ad dehortandum proposuit S. Augustinus in Epistola* 104 *inter Hieronymianas, ubi primum num.* 3 *quærit, qua de causa in Translatione Hebraica non indicasset per obelos et asteriscos, in quibus differret a Septuaginta. Tum num.* 4 *sic habet :* Ego sane te mallem Græcas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ Septuaginta interpretum auctoritate perhibentur. Perdurum enim erit, si tua Interpretatio

AUCTORE J. S.

terpretatio per multas ecclesias frequentius cœperit lectitari, quod a Græcis ecclesiis Latinæ ecclesiæ dissonabunt, maximo quia facile contradictor convincitur, Græco prolato libro, id est linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo, quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, et falsi crimen intenderit; aut vix aut numquam ad Hebræa testimonia pervenietur, quibus defendatur objectum. Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas et Græcas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit, quod etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere, ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere: sed tamen quo judice? Mirum si potueris invenire. *Hoc incommodum confirmat exemplo, quod exponit his verbis :*

Exsiquuntur incommoda, quæ ex publica ejus

480 Nam quidam frater noster episcopus, quum lectitari instituisset in ecclesia, cui præest, Interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe, maximo Græcis arguentibus et inflammantibus
B calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus... Judæorum testimonium flagitare. Utrum autem illi imperitia, an malitia, hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quod et Græci et Latini habebant. Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe. Unde etiam nobis videtur, aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse. Et vide, quale hoc sit in eis litteris, quæ non possunt collatis usitatarum linguarum testimoniis emendari.

in Ecclesia lectione oriri poterant.

481 *Cum autem in Præfatione in Job, quam viderat Augustinus, observasset* Hieronymus, *plurima in illo libro prætermissa fuisse apud Septuaginta, rursum in laudata Epistola num.* 6 *petit Augustinus causam tantæ differentiæ, ita scribens :* Quid tibi autem videatur, cur in multis aliter se habeat Hebræorum codicum auctoritas, aliter Græcorum, quæ dicitur Septuaginta, vellem dignareris aperire. Neque enim parvum pondus habet illa, quæ sic meruit diffamari * et qua usos Apostolos, non solum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini. *Hactenus S. Augustinus, cujus argumenta magis exponunt incommoda, quæ oriri poterant ex publico ecclesia-*
C *rum usu, et ex substitutione Translationis novæ pro Veteri Septuaginta, quam ex eo, quod suo labore solum intendisse videtur* Hieronymus, *ut sua Translatione juvaret studiosos ad sacram Scripturam intelligendam.*

** id est, late celebrari*

Verum postea, accepto Hieronymi responso

482 *Respondit tandem ad omnia* S. Hieronymus *in Epistola* 112, *sed brevitatis causa responsam, quod ibidem legi potest, prætermitto. Hoc solum observo, Augustino consilium* Hieronymi *probatum fuisse, cum in Epistola inter Hieronymianæ* 116 *num.* 34 *ita rescripserit :* De interpretatione tua jam mihi persuasisti, qua utilitate Scripturas volueris transferre de Hebræis; ut scilicet ea, quæ a Judæis prætermissa vel corrupta sunt, proferres in medium. Sed insinuare digneris, peto, a quibus Judæis, utrum ab eis ipsis, qui ante adventum Domini interpretati sunt; et, si ita est, quibus, aut quonam eorum: an ab istis posterius, qui propterea putari possunt aliqua de codicibus Græcis vel subtraxisse, vel in eis corrupisse, ne illis testimoniis de Christiana fide convincerentur? Illi autem anteriores cur hoc facere voluerint, non invenio. *Tum pe-*D *tit S.* Hieronymi *interpretationem Septuaginta interpretum, et præter utilitatem Operis pro secunda ratione hæc scribit :* Et (*ut*) hi, qui me invidere putant utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Hebræo Interpretationem in ecclesiis legi, ne contra Septuaginta auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam Interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est. *Addit opinionem suam de cucurbita Jonæ 4, ut habent Septuaginta, pro qua S.* Hieronymus *posuit* hederam. *Illa mutatio creaverat plebis tumultum num. 480 relatum.*

483 *Non invenio ad hæc ulterius respondisse* Hieronymum, *nec ad ullas deinde Augustini quæstiones. Non misit quoque Translationem suam Septuaginta interpretum : sed in fine Epistolæ* 134 (*alias* 94) *ita scribit :* Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam; et idcirco præceptis tuis parere non possumus, maxime in editione Septuaginta, quæ asteriscis verubusque distincta est. Pleraque enim prioris laboris fraude cujusdam amisimus. *Scri-* E *bebat tamen amicissime Augustino, sed cavebat ab omni disputatione cum eo, et prudenter quidem, ut suo loco exponam. Tanto autem magis poterat tacere ad ultimas illas S. Augustini interrogationes, quanto magis omnia exposuerat in variis Præfationibus. Nam et probaverat, aliqua de Christo testimonia a Septuaginta fuisse omissa, et fidendum non esse Judæis aut Judaizantibus, quales erant omnes interpretes, qui post Christum scripserant. Jam etiam responderat ad illud, quod Apostoli aliquando sumpserant testimonia de Septuaginta ; et nominatim lib. 2 contra Rufinum num. 34, ubi dixerat, Christum et Apostolos varia sumpsisse ex Hebræo, subdit :* Nec hoc dicimus, quod Septuaginta interpretes sugillemus, sed quod Apostolorum et Christi major sit auctoritas; et ubicumque Septuaginta ab Hebræo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse; ubi vero discrepant, id posuisse in Græco, quod apud Hebræos didicerant. Sicut ergo ego ostendo, multa in Novo Testamento posita de veteribus libris, quæ in Septuaginta non habentur, et hæc scripta in Hebraico doceo: sic accusator ostendat, aliquid scriptum F esse in Novo Testamento de Septuaginta interpretibus, quod in Hebraico non habeatur, et finita contentio est. *Ita* Hieronymus, *qui exemplaria examinaverat, et vitam in iis contriverat.*

et forte etiam aliunde perspecta Translationis utilitate.

484 *At ea minus nota erant S. Augustino, qui labores* Hieronymi *paulatim magis probare cœpit, ubi magis intellexerat Operis utilitatem. Certe Augustinus circa finem Epistolæ inter Hieronymianas* 132 *ait :* Infelix est enim, qui non tantos et tam sanctos tuorum studiorum labores et digne honorat, et de his Domino Deo nostro, cujus munere talis es, gratias agit. *Et mox :* Cujus doctrina in nomino et adjutorio Domini tantum in lingua Latina ecclesiasticæ litteræ adjutæ sunt, quantum numquam antea potuerunt. *Agnovit igitur S. Augustinus utilitatem studiorum* S. Hieronymi *in corrigendis transferendisque sacris Scripturis. Nam propter alia solum* Hieronymi *scripta ipsum verisimiliter non prætulisset SS. Cypriano, Hilario, Ambrosio, omnibusque generatim Latinis, præsertim cum multa ex iis necdum essent composita, et plura necdum vidisset S. Augustinus, dum ea scribebat. At considerata correctione*

labores illos S. Hieronymi multum laudavit.

A *correctione utriusque Testamenti, et præsertim Veteris translatione cum assignatione locorum, quibus ex Veteri Testamento Christus Dominus et Apostoli ex solo Hebraico erant usi; poterat S. Augustinus* Hieronymi *labores præferre non modo scriptis Latinorum omnium, sed græcorum etiam Patrum. Hos tamen non nominat Augustinus, quod eorum Opera non æque ac Latinorum habebat perspecta.*

ac de usu ejus Translationis consentiens cum Sancto.

475 *Porro* SS. Hieronymo *et Augustino idem tandem fuisse judicium de recto usu Translationis ex Hebræo, paucis libet ostendere, ut probavit Martianæus in Prolegomenis ad divinam* S. Hieronymi *Bibliothecam. Jam monui, non fuisse consilium* Hieronymi, *ut quis Translatione illa uteretur in Psalmis decantandis, aut pro lectione publica in Ecclesia; sed ad investigandum sacræ Scripturæ sensum. Verbis num. 476 datis dicit de Septuaginta :* Quos quotidie in conventu Fratrum edissero, quorum Psalmos jugi meditatione decanto. *In Epistola* 106 (*alias* 98) *ad Sunniam et Fretelam num.* 46 Hieronymus *mentem suam ita declarat :* Ex quo perspicuum est, sic Psallendum, ut nos interpretati sumus (*nimirum ex græco Septuaginta*) et tamen sciendum, quid Hebraica B veritas habeat. Hoc enim, quod Septuaginta transtulerunt, propter vetustatem in ecclesiis decantandum est : et illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum. *Noluit igitur* Hieronymus, *ut ecclesiæ statim Septuaginta interpretum Translationem abjicerent, et novam publice populo prælegerent, quod natum erat perturbare populum, ut bene observavit S. Augustinus. At voluit* Hieronymus *eruditis prodesse, ut in Scripturarum interpretatione observare possent, quid haberet textus Hebraicus, ex eoque Judæos confundere, multasque difficultates enodare. Hoc modo Translatione* S. Hieronymi *Augustinus ipse demum usus est, doluitque se id citius non fecisse.*

eamdem adhibuit in variis Opusculis,

486 *Nam in Quæstionibus Veteris Testamenti tom. III S. Augustinus utitur quidem Septuaginta interpretibus, sed adhibet etiam Hebraicam veritatem, sive Translationem* Hieronymi. *Quippe in secunda statim Quæstione in Genesim dicit :* In Hebræis aliter invenitur. *Missis aliis unum addo exemplum. Quæst.* 152 *in Genesim* Hebræi codices memorantur, *et paulo post dicitur :* Sed neque ulla Hebraica veritate ista solvitur quæstio. *Et mox :* Cum quibus Jacob in Ægyptum, etiam C secundum Hebraicam veritatem, perhibetur intrasse. *Posterioribus vitæ suæ annis S. Augustinus composuit Speculum, ex sacra Scriptura collectum, quod in editione Benedictinorum habetur tom. III a col.* 681. *Observat autem editor in Admonitione prævia, usum ibi esse S. Augustinum* versione,... non ex Græco 70, quam sequi solebat, sed ex Hebræo, quod hanc demum comperisset esse illa multis in locis planiorem. *Librum 4 de Doctrina Christiana circa idem tempus scripsit Augustinus, ibique cap. 7, num. 15 adducturus locum ex Amos propheta, ita loquitur :* Non autem secundum Septuaginta interpretes (qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio : unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum) sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium, presbytero Hieronymo, utriusque linguæ perito, interpretante, translata sunt. *Cœpit igitur S. Augustinus* Hieronymi *Translatione uti sub finem vitæ* S. Hieronymi, *eaque plurimum usus est in Quæstionibus Veteris Testamenti, anno 419 scriptis; ac demum ultimis vitæ suæ annis eam Translationem etiam prætulit.*

doluitque, se ea non usum citius.

487 *Certe in Epistola* 261 (*alias* 140) *ad Audacem num.* 5 *non obscure insinuat, melius se facturum fuisse, si in exponendis Psalmis usus fuisset Translatione Hieronymiana, ita scribens :* Psalterium a sancto Hieronymo translatum ex Hebræo non habeo. Nos autem non interpretati sumus, sed codicum Latinorum nonnullas mendositates ex Græcis exemplaribus emendavimus. Unde fortassis fecerimus aliquid commodius, quam erat (*in solis codicibus latinis*) non tamen tale, quale esse debebat (*collata nimirum Translatione ex Hebræo*). Nam etiam nunc, quæ forte nos tunc prætererunt, si legentes moverint, collatis codicibus, emendamus. Ita illud, quod perfectum est, tecum nos quoque requirimus. *Vidit igitur Augustinus senior, quod* Hieronymus *diu ante viderat; quantum perfectionis sacræ Scripturæ adferret accurata interpretatio textus Hebraici. At minime mirandum est, non omnia statim vidisse S. Augustinum, qui forte necdum tot menses tribuerat sacræ Scripturæ studio, quot* Hieronymus *annos, et latina fere tantum legerat, quando ille exemplaria latina, et Græca varia, ipsaque Hebraica diligentissimo studio erat perscrutatus.*

quando sacras Litteras magis noverat.

488 *Laudandum vero quam maxime, quod S. Augustinus, ubi diuturno studio magnam sacræ Scripturæ intelligentiam erat consecutus,* S. Hieronymi *labores laudare, et ex iis proficere non dubitaverit. Plura de his videri possunt apud Martianæum in Prolegomenis, ubi etiam exponitur, quo circiter tempore Translatio Hieronymiana, qua præter Augustinum alii etiam usi sunt, vivente* Hieronymo, *ab omni Ecclesia latina usurpari cœperit. Mihi satis erit observasse, maximo* Hieronymum *fuisse animo, qui non modo tantum laborem suscipere ausus est, sed innumeras inter obtrectationes mira constantia ad finem perduxit. Pro reliquis, ne ab ipso sancto longius abducar, ad Martianæum remitto.*

§ XXIX. Scripti Commentarii in Nahum, Michæam, Sophoniam, Aggæum et Habacuc; Epistola ad S. Paulam, liber de viris illustribus. F

Ex Minoribus Prophetis quinque explanati.

Absolutis iis, quæ de Translatione Veteris Testamenti disserenda censui, redeo ad scripta Sancti, quæ absoluta fuerunt ante librum de Viris illustribus, anno 392 exaratum, in quo cap. 135 pleraque sic enumerat :* Scripsi præterea in Michæam Explanationum libros duos : in Sophoniam librum unum : in Nahum librum unum : in Habacuc libros duos : in Aggæum librum unum : multaque alia de opere prophetali, quæ nunc habeo in manibus, et necdum expleta sunt. *Additur ibidem in editis :* Adversus Jovinianum libros duos, et ad Pammachium Apologeticum et Epitaphium. *Verum observat Vallarsius, ultima hæc non inveniri in mss., et aliunde addita videri, quod composita sint post librum de Viris illustribus. Expositio vero quinque Prophetarum ex Minoribus, qui supra nominantur, verisimiliter composita est ipso anno 392, postquam sanctus libros Regum, omnes Prophetas, et Psalterium, ex Hebræo transtulerat, et ante librum*

AUCTORE J. S.

librum de Viris illustribus, cum hoc libro primum, deinde et aliis, cœpta Prophetarum Explanatio fuerit interrupta. Accedit Præfatio in Jonam, quam ita Hieronymus orditur: Triennium circiter fluxit, postquam quinque Prophetas interpretatus sum, Michæam, Naum, Abacuc, Sophoniam, Aggæum: et alio opere detentus, non potui implere, quod cœperam. Scripsi enim librum de Illustribus viris, et Adversum Jovinianum duo volumina, Apologeticum quoque, et de Optimo genere interpretandi ad Pammachium: et ad Nepotianum, vel de Nepotiano duos libros, et alia, quæ enumerare longum est. *Hæc sanctus sub initium anni 396, ut triennium nequeat certo longius nos ducere ad annos præcedentes, quam usque ad annum 392, etiamsi aliquot menses addantur.*

primus Nahum,

490 *In quorum gratiam, et quo ordine quinque laudatos Prophetas exposuerit, declarat in Præfatione lib. 3 in Amos, ubi sic orditur:* Præpostero ordine atque confuso Duodecim Prophetarum Opus et cœpimus, et, Christo adjuvante, complebimus. Non enim a primo usque ad novissimum juxta ordinem, quo leguntur, B sed ut potuimus, et ut rogati sumus, ita eos disseruimus. Naum, Michæam, Sophoniam et Aggæum primo φιλοπονοτάταις Paulæ ejusque filiæ Eustochio προσεφώνησα: secundo in Abacuc duos libros Chromatio Aquileiensi episcopo delegavi. *Videt lector, non eodem ordine illos quinque Prophetas recenseri: sed ultimo loco videtur insinuari ordo, quo expositi sunt, quia Habacuc ultimus ponitur, sicut postremo ex his loco explanatus est. In Præfatione ad Nahum docet, prophetiam texi contra Assyrios, additque:* De consummatione itaque mundi secundum ἀναγωγὴν, o Paula et Eustochium, in consolationem Sanctorum prophetia texitur, ut quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia et caduca contemnant, et præparent se ad judicii diem, ubi ultor adversus veros Assyrios futurus Dominus est. *Exponebat autem tam textum ex Hebræo quam ex Græco Septuaginta translatum, idque constanter fecit in omnibus prophetis, licet sensum historicum magis texat ex sua Translatione, instructionem ad mores componendos et ex sua et ex Septuaginta. In hoc libro de obtrectatoribus conquerentem non* C *invenio.*

secundus Michæas, quando jaculis æmulorum impetebatur Sanctus:

491 *At verisimiliter, ubi prodiit Explanatio Nahum, studia æmulorum excitavit. Nam in Michææ, qui sequitur, caput 1, ℣ 1 ita scribit:* Vos, o Paula et Eustochium, ad Dominum Salvatorem fundite preces, ne mihi noceat invidia, sed ut mens libera id tantum cogitet, quod nititur explanare, nec sentiat convitiorum alapas, quas Dominus in passione contempsit. *Quid vero objicerent, magis declarat in Præfatione libri secundi, quam ita inchoat:* Semper invidis respondemus, quia non cessat invidia: et librorum nostrorum exordia æmulorum maledicta confutant: qui vulgo jactant, me sterilis jejunique sermonis quasdam ineptias scribere, et quum loqui nesciam, tacere non posse. Itaque obsecro vos, o Paula et Eustochium, ut ad hujuscemodi latratus claudatis aures, et infantiam, ut dicunt, meam orationibus adjuvantes, impetretis mihi juxta Apostolum adapertionem oris mei, ut de Scripturis loquenti adaptari possit: « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. »

492 Moneo autem tauros pingues, qui circumdederunt me, ut quiescant et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua, si pergent lædere. Nam, quod dicunt, Origenis me volumina compilare, et contaminari non decere D veterum scripta: quod illi maledictum vehemens esse existimant, eamdem laudem ego maximam duco, quum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus et vobis placere non dubito. Si enim criminis est Græcorum bene dicta transferre, accusetur Ennius et Maro, Plautus, Cæcilius et Terentius, Tullius quoque et cæteri eloquentes viri, qui non solum versus, sed multa capita et longissimos libros ac fabulas integras transtulerunt. Sed et Hilarius noster furti reus sit, quod in Psalmos quadraginta ferme millia versuum supradicti Origenis ad sensum verterit. Quorum omnium æmulari exopto negligentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam. *Totum hoc responsum ex Terentio adumbravit sanctus præter morem suum, ut hoc ipso ostenderet, quantum conjicio, contemnenda esse ejusmodi dicteria. Quid ex eo responso inferre voluerit Rufinus, postea videbimus.*

quos in Prologis refutat tertius Sophonias,

493 *In Præfatione ad Sophoniam rursus aliam refutat objectionem, ita ordiens:* Antequam Sophoniam aggrediar, . . . respondendum videtur E his, qui me irridendum existimant, quod, omissis viris, ad vos scribam potissimum, o Paula et Eustochium. Qui si scirent Oldam, viris tacentibus, prophetasse; et Debboram, judicem pariter et propheten, hostes Israel, Barac timente, superasse; et Judith et Esther in typo Ecclesiæ et occidisse adversarios et periturum Israel de periculo liberasse, numquam post tergum meum manum curvarent in ciconiam. *Modus est irridendi. Addit alias illustres feminas, etiam gentiles. In fine utcumque insinuat, se ad feminas scribere cœpisse, quia illæ expositionem Scripturarum magis desiderabant, quam viri. Sic enim habet:* Mihi tamen, quia aliud operis incumbit, in fine Prologi dixisse sufficiat, Dominum resurgentem primum apparuisse mulieribus, et Apostolorum illas fuisse Apostolas, ut erubescerent viri non quærere, quem jam fragilior sexus invenerat. *Hisce satis insinuat, se hactenus non multa ad viros scripsisse, quia hi non æque ac Paula et Eustochium, institerant, ut scriberet. Addere potuisset, Paulæ potissimum opibus sustentatum se fuisse, ut et multos colligere libros, et opportuna necessariaque omnia ad scribendum nancisci posset, ideoque æquissimum esse, ut in gratiam illarum,* F *quibus tam multa debebat, et quæ sacrarum Scripturarum erant studiosissimæ, potissimum laboraret. Videtur ille Prologus viros ad petendum excitasse: nam circa id tempus plurimi ejus scripta petere cœperunt.*

quartus Aggæus,

494 *Ad Paulam quoque et Eustochium scripsit Commentarios in Aggæum, in quorum fine aliam adversarii cujuspiam objectionem, quam merito mirabitur studiosus lector, attingit breviter his verbis:* Obsecro te, lector, ut ignoscas celeri sermone dictanti, nec requiras eloquii venustatem, quam multo tempore Hebrææ linguæ studio perdidi; quamquam me Alecto semper infantem ac mutum fuisse autumet. Cui ego dicam: Dominus dabit verbum evangelizanti virtutem multam. *Aliter hic legi in codice Reginæ observat Vallarsius, nimirum:* Quamquam a lacte semper infantem ac mutum fuisse me autumem. *At verba recte videntur data, et innuunt, designari mulierem adversariam, cum Alecto sit una e tribus furiis, eumque perpetuo detraxisse Hieronymo, tamquam omni eloquentia destituto. Miramur profecto, tantum potuisse æmulationem, ut*

A *ut Viro eloquentissimo etiam eloquentiæ defectum objiceret : at hæc objectio facit, ut non miremur, stylum non raro excusari ab Hieronymo, qui artem ornate loquendi optime noverat, sed credebat, hunc non debere esse præcipuam curam interpretis sacræ Scripturæ. Excusabat igitur stylum, quia carpebatur a nonnullis, licet immerito ; cum nosset ornatius se scribere posse, si voluisset stylum, elimare, et lentius procedere. At non censebat, id expedire in Commentariis sacræ Scripturæ, nec laudem eloquentiæ in iis quærebat, sed lectorum utilitatem, ut sæpissime declarat.*

ac demum Habacuc.

495 *Transiit deinde* Hieronymus *ad prophetiam Habacuc, quam duobus libris expositam dicavit S. Chromatio episcopo Aquileiensi. Eum nominat in utraque Præfatione, et in prima dicit :* De Naum orationibus tuis jam liber editus est : du Zacharia et Malachia, si vita comes fuerit, dissereiur. *At solum quia de tribus illis fuerat sermo, ut nemo inferre debeat, Michæam, Sophoniam et Aggæum non fuisse explanatos ante Habacuc. Secundi libri Prologus ita habet :* Alterum, mi Chromati, papa venerabilis, in Abacuc librum scribimus, proprium Cantico ejus Opu- B sculum dedicantes, sermonemque epicum et Psalterii, id est, lyrico more compositum, totis viribus aggredientes. Sibilet igitur excetra, et Sardanapalus insultet, turpior vitiis quam nomine, nos cœptum carpamus iter *etc. Rursum in cap. 3 meminit aut suorum aut Ecclesiæ, aut forte utriusque inimicorum, ita scribens :* Loquar et ego aliquid huic simile : Divide, Domine, in stupore omnium Achab et Jezabel. Non quidem ego Elias : sed tamen illi Achab et Jezabel interfecerunt Naboth, et tulerunt vineam ejus, et hortum suæ fecerunt luxuriæ. Inveniatur aliquis servus tuus Abdias, qui pascat pauperem tuum atque mendicum, fornicariæ sanguis detur canibus : Achab impius et avarus jaculo Domini trucidetur. *Vehementer suspicor, per Sardanapalum et Achab, si idem est, insinuari Jovinianum, cujus hæresis Ecclesiam inficere cœperat, et per* Jezabel *aut ipsam hæresim, aut mulierem Joviniani adjutricem designari.*

Scriptus liber de Viris illustribus.

496 *Eodem anno* 392 *scripsit* S. Hieronymus *librum frequentissime laudatum de Viris illustribus, aut de scriptoribus ecclesiasticis. Annum indicat cap.* 135 *his verbis :* Usque in præsentem C annum, id est, Theodosii principis decimum quartum (*sive æræ nostræ* 392) hæc scripsi. *In Præfatione ad Dextrum prætorio præfectum tam annum quam rationes scribendi exponit, ita incipiens :* Hortaris me, Dexter, ut Tranquillum sequens, ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, et, quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam, id est, ut a Passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii imperatoris annum omnes, qui de Scripturis sanctis memoriæ aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. *Enumeratisque gentilibus, qui suos recensuerant auctores, difficultatem Operis ita exponit :* At non mea est et illorum similis conditio. Illi enim Historias veteres Annalesque replicantes, potuerunt quasi de ingenti prato non parvam Opusculi sui coronam texere. Ego quid acturus, qui nullum prævium sequens, pessimum, ut dicitur, magistrum memetipsum habeo. Quamquam Eusebius Pamphili in decem ecclesiasticæ Historiæ libris maximo nobis adjumento fuerit : et singulorum, de quibus scripturi sumus volumina ætates auctorum suorum sæpe testentur.

[illegible] ad refutandam gentilium jactantiam

497 Itaque Dominum Jesum Christum precor, ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ stetit, non est facere dedignatus in Bruto, oratorum linguæ latinæ texens catalogum, id ego in ejus Ecclesiæ scriptoribus enumerandis digne cohortatione tua impleam. Si qui autem de his, qui usque hodie scriptitant, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi debebunt imputare. Neque enim celantes scripta sua de his, quæ non legi, nosse potui, et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe quum scriptis suis claruerunt, non magnopere nostri silentii dispendia suspirabunt. Discant ergo Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes ; discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint et adornaverint ; et desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant. *Hæc ratio, ut jactantia Gentilium retunderetur, videtur etiam movisse* Hieronymum *ad inserenda quandoque scriptis suis dicta poetarum, oratorum et philosophorum Gentilium. Fuisse omissos in illo* E *libro scriptores nonnullos vetustos, ex quibus aliqui postea memorati sunt in Gennadii Catalogo, alii ibidem etiam prætermissi, facile videbit, quisquis librum* Hieronymi *cum dicto Catalogo et cum Bibliothecis Scriptorum recentioribus conferre voluerit. Observarunt præterea editores Operum* S. Hieronymi, *hunc Sancti librum manifeste in codicibus variis mss. interpolatum esse, insertaque postmodum subinde aliqua, ut in tali Opere natum est fieri, spectata librariorum aliquot medii ævi audacia.*

dicta ibi de S. Pamphili Apologia pro Origine retractavit.

498 Hieronymus *cap.* 75 *Scriptoribus ecclesiasticis annumerat S. Pamphilum martyrem, eique attribuit* Apologeticum pro Origene, *quod scriptum ab eo credebat*, antequam Eusebius Cæsariensis scriberet. *Verum lib.* 2 *contra Rufinum num.* 24 *ait, se* istum librum, qui sub nomine Pamphili ferebatur, vidisse primum scriptum in codice *Rufini* ; et quia, *inquit*, non erat mihi curæ, quid pro hæretico diceretur, sic semper habuisse, quasi diversum esset Opus Pamphili et Eusebii,... Unde etiam ante annos ferme decem, quum Dexter amicus meus, qui præfecturam administravit prætorii, me rogasset, ut F auctorum nostræ religionis ei indicem texerem, inter cæteros tractatores posui et hunc librum a Pamphilo editum, ita putans esse, ut a te et tuis discipulis fuerat divulgatum. *Ita exponit* Hieronymus, *quomodo fuerit deceptus, probatque contra Rufinum, Apologiam esse Eusebii, non Pamphili. Quæ* Hieronymo *objecerunt neoterici defensores Rufini, alia occasione jam refutata sunt* § 20.

Voluisset S. Augustinus, ut indicarentur errores hæreticorum,

499 *Librum* S. Hieronymi *accepit S. Augustinus non diu antequam scripsit* Hieronymo *Epistolam inter Hieronymianas* 67, *quæ data est anno* 397, *sed sine titulo : audieratque a monacho quodam* Epitaphium *vocari, quod an verum esset, quæsivit ex* Hieronymo, *cum nomen videretur incongruum. De libro ipso num.* 2 *dicit :* Tamen utiliter a te conscriptum eumdem librum satis approbamus. *Desiderabat tamen aliquid S. Augustinus in memorato libro, quod revera utilissimum fuisset, si præstare voluisset* Hieronymus ; *sed ingentis erat laboris.* In libro etiam, *inquit num.* 9, quo cunctos, quorum meminisse potuisti, scriptores ecclesiasticos, et eorum scripta commemorasti,

memorasti, commodius, ut arbitror, fieret, si, nominatis eis, quos hæresiarchas esse nosti (quando ne ipsos quidem prætermittere volueris) subjungeres etiam, in quibus cavendi essent : quamquam nonnullos etiam prætermiseris, quod scire cuperem, quo consilio factum sit. *Respondit ad ea* Hieronymus *diu post in Epistola* 112 (*alias* 89) *num.* 3, *librum nequaquam vocandum esse* Epitaphium. *titulumque ex ipso Opere potuisse intelligi, concluditque* : Ergo hic liber vel « De « Illustribus viris; » vel proprie « De Scripto- « ribus ecclesiasticis » appellandus est : licet a plerisque emendatoribus imperitis, DE AUCTORIBUS dicatur inscriptus.

quod brevitatis gratia omisisse videtur Hieronymus.

500 *Cur vero aliquot hæresiarchas prætermiserit, aliorum vero hæreses non exposuerit, ut quæsierat S. Augustinus; non dixit ibi* S. Hieronymus, *prout ad alia nonnulla tacuit; sive quod Epistola valde prolixa fieret sine illis, sive quod S. Augustino, quem necdum bene noverat, de omnibus rationem reddere nollet. Unica forte ratio fuit, quod nollet interpretationem sacræ Scripturæ et Translationem ex Hebræo retardare Opere nimis laborioso, quale hoc fuisset, si omnium hæresiarcharum voluisset errores indicare. De suo* B *Opere in Epistola* 47 (*alias* 154) *ad Desiderium modestissime meminit num.* 3 *his verbis* : Scripsi librum de Illustribus viris ab Apostolis usque ad nostram ætatem, imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium : et post catalogum plurimorum me quoque in calce voluminis quasi abortivum et minimum omnium Christianorum posui; ubi mihi necesse fuit usque ad decimum quartum annum Theodosii principis, quæ scripserim, breviter annotare.

Græcam hujus libri Translationem

501 *Exstat liber ille* S. Hieronymi *etiam græce, editus primum ab Erasmo, tamquam translatus a Sophronio, a quo aliquot* Hieronymi *Opuscula græce reddita novimus, recususque in editione Veronensi. Verum ex prævia Vallarsii Monitione liquet, varia admodum de græca illa Translatione eruditorum esse judicia, quod minime videatur tantæ antiquitatis. Non lubet examinare varias sententias, cum res ea minus pertineat ad* S. Hieronymum. *Juvabit tamen breviter probare, Opus illud, quod græce exstat, non esse Sophronii, qui* S. Hieronymi *floruit tempore, nec multum mereri auctoritatis, ut etiam existimat Vallarsius.* C *Tillemontius quidem art.* 58 *ait, non esse rationes dubitandi, quin sit Sophronii : Sed Vallarsius eas allegat rationes, ut de suppositione prudens non supersit dubium. Nam rejecta opinione eorum, qui Translationem ab Erasmo aut alio ejusdem temporis volebant confictam, et aliorum, qui Sophronio* Hieronymi *amico eamdem vindicabant* : Inter adeo dissitas opiniones, *inquit*, media, quam prudentiores viri Bosius, Huetius, aliique probant, longe est etiam verisimilior.

non esse Sophronii, qui cum Hieronymo vixit,

502 *Tum offert argumenta, quæ probant, non esse Sophronii. Hoc autem primo* suadet stylus, ipse, qui sequiorem Græcitatem redolere non immerito visus est. *Hoc argumentum magis urget, quia* Hieronymus *cap.* 134 *asserit,* eleganti sermone *Opuscula quædam sua a Sophronio translata. Qua enim ratione elegantiam sermonis Græci inveniemus in Translatione, qua de agimus, cum græca phrasis ubique serviliter ad verbum dictioni latinæ inhæreat, careatque plerumque articulis, iisque particulis, quæ apud vetustos græcos elegantiæ gratia plurimæ sunt. Secundo* Errores quoque et falsæ lectiones, quæ licet non innumeræ, ut Vossius exaggerat, ejus tamen generis sunt, ut ex recentiore latino exemplari adornatam translationem persuadeant, *ait Vallarsius, suadent, non esse translationem Sophronii. Hic enim poterat accuratum habere exemplar latinum. Qua igitur ratione credemus, Sophronii esse illa, quæ cum exemplaribus corruptis congruunt?* D

certis argumentis

503 *Accedunt textus antiquorum græcorum, quos latinos ex Græcis libro suo inseruit* Hieronymus, *et quos facile invenire poterat Sophronius, et græcos exscribere. Laudat* S. Hieronymus *pluribus locis verba Hegesippi, verba Papiæ, verba S. Ignatii, verba S. Irenæi, verba Alexandri Hierosolymitani, verba Apollonii, verba Serapionis, verba Polycratis Ephesini, verba Alexandri Cappadociæ episcopi, verba Dionysii Alexandrini, et demum verba Eusebii Cæsariensis, in cujus Historia interpres verba ipsa græca invenire poterat. Attamen pro verbis* Hieronymi *Latinis Græca sua adnumeravit interpres, eaque multum diversa a Græcis, quæ latina fecerat* Hieronymus, *ut videre est in editione Veronensi. Tam vero negligentem fuisse Sophronium* Hieronymi *amicum, ut scriptores græcos mallet inducere verbis non suis loquentes, quam prolixos eorum textus ex Eusebii Historia exscribere, prorsus* E *est incredibile, et sic æque fit incredibile, ejus esse Translationem, quam habemus.*

fit manifestum.

504 *Tertium Vallarsii argumentum petitur ex interpolatione Operis Hieronymiani. Nam Translationi græcæ interpres addidit decem elogia, nimirum septem eorum Apostolorum, qui nihil scripserunt; et tria Discipulorum S. Pauli, quorum similiter nulla exstant scripta. Hæc vero addita fuerunt non ad calcem Operis, sed post caput primum et quartum, quibus fere locis ponenda erant ordine temporis, si fuissent* Hieronymi, *ut manifestissima sit interpolatio. Itaque hæc non esse Sophronii, qui cum* Hieronymo *floruit, clarum fit ac manifestum, præsertim cum elogia illa sint exiguæ eruditionis, et fere tantum desumpta ex Pseudo-Dorotheo. In editione Veronensi data illa sunt pro Appendice post librum* S. Hieronymi; *subjunctaque ibi altera Appendix de duodecim Doctoribus : quod Opusculum magis insulsum postea ab Anonymo quodam compositum est, et olim nomine* S. Hieronymi *perperam editum.*

§ XXX. Duo libri contra Jovinianum hæresiarcham. F

Joviniani hæresiarchæ errores

Quandoquidem *prima* S. Hieronymi *scripta post librum de Viris illustribus sint libri contra Jovinianum hæresiarcham, figendi anno* 393, *licet forsan exeunte* 392 *fuerint inchoati, dicenda veniunt nonnulla de hæresi illa, et de tempore, quo exorta videtur. S. Augustinus de Hæresibus cap.* 82 *hæresim Joviniani ejusque sectatorum ita describit* : A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut Stoici philosophi, paria esse dicebat : nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto : nec aliquid prodesse jejunia, vel a cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam. Virginitatem etiam sanctimonialium et continentiam sexus virilis in Sanctis eligentibus vitam cælibem conjugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur. Non

A Non sane ipse vel habebat vel habere volebat uxorem : quod non propter aliquod apud Deum majus meritum, in regno vitæ perpetuæ profuturum; sed propter præsentem prodesse necessitatem, hoc est, ne homo conjugales patiatur molestias, disputabat.

recte recensuisse S. Augustinum.

506 Cito tamen ista hæresis oppressa et exstincta est, nec usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire. *Ita S. Augustinus, quem aliqui putant duos errores reliquis Joviniani erroribus addidisse, nimirum de peccatorum æqualitate, et de corrupta virginitate beatissimæ Virginis Mariæ; quod istos non refutaverit S. Hieronymus. At ea suspicio prorsus improbabilis est, et ratio admodum imbecilla. Neque enim istos errores prorsus sine refutatione prætermisit* Hieronymus *ut videbimus. Si vero prætermisisset, crederemus, illos eo tempore, quo scribebat, necdum fuisse detectos, sed postmodum innotuisse. At certe secundus de amissa Virginis integritate in partu jam ante libros* Hieronymi *observatus et refutatus est a S. Ambrosio in Epistola 42 ad Siricium papam, num. 4, ubi sic habet :* Sed de via perversitatis produntur dicere : « Virgo concepit, sed non B » Virgo generavit. » *Alterum de æqualitate non solum peccatorum, sed etiam meritorum, fuse refutat S.* Hieronymus, *qui lib. 1, num. 3 hæreses Joviniani breviter exponit his verbis :* Dicit (*Jovinianus*) virgines, viduas et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti. Nititur approbare, eos, qui plena fide in baptismate renati sunt, a diabolo non posse subverti. Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum et cum gratiarum actione perceptionem eorum, nulla esse distantiam. Quartum, quod et extremum, esse omnium, qui suum baptisma servaverint, unam in regno cælorum remunerationem.

probatur.

507 *Ibi quidem videtur* Hieronymus *omittere errorem illum,* paria esse peccata, *ab Augustino memoratum; quemadmodum Augustinus omittit errorem hic assertum de æquali proborum omnium merito. Verum lib. 2, num.* 18 Hieronymus *latius exponi quartam Joviniani propositionem, qua et justos pares faciebat in remuneratione, et similiter peccatores in pœnis. Utrumque errorem incipit refutare num. 21 hoc modo :* Simulque miror, quomodo serpens lubricus et Proteus noster in varia- C rum se mutet portenta formarum. Qui enim in coitu et saturitate Epicureus est, subito in retributione meritorum Stoicus efficitur... Si non licet a virtutibus paululum declinare, et omnia peccata sunt paria, ejusdemque criminis reus est, qui panem esuriens surripuerit, et qui hominem occiderit; tu quoque maximorum scelerum reus teneris. *Pluribus quidem argumentis ostendit S. Hieronymus, justorum merita esse alia aliis majora, et aliorum gloriam aliorum remuneratione excellentiorem, redit tamen subinde ad peccata, eorumque disparem gravitatem, pœnamque inæqualem luculenter probat.* Sunt peccata levia, sunt gravia, (*inquit num.* 30). Aliud est decem milia talenta debere, aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo, et adulterio rei tenebimur : sed non est idem suffundi, et torqueri; erubescere, et longo tempore cruciari *etc. Addit alia multa.*

Ubi hæresis Joviniani delata erat ad Siricium Papam, ab eo Romæ

508 *Aliquot annis, antequam libros hosce scripsit* S. Hieronymus, *nata est hæresis Joviniani, sed initio occulte tantum serpsit. Ait S. Augustinus, ortam esse, dum juvenis erat. Natus est autem Augustinus anno 354, ut vagum istud assertum utcumque insinuet, inter annos 380 et 390 Romæ spargi cœpisse prava Joviniani dogmata. Detectum est malum, quando ausi sunt Jovinianus ejusque asseclæ scripta aliqua spargere, quæ ad S. Siricium Romanum Pontificem fuerunt perlata. Inter eos, qui scripta Joviniani ad Siricium detulerunt, et, ut damnaretur, curaverunt, fuit S. Pammachius, ad quem* S. Hieronymus *Epistola 48 (alias 50) num. 2 ita scribit :* Idcirco, te post Dominum faciente, damnatus est (*Jovinianus*), quod ausus sit perpetuæ castitati matrimonium comparare. *Fuerunt tamen et alii nobiles Romani, qui cum Pammachio contra Jovinianum egerunt, ut liquet ex Epistola Siricii papæ ad ecclesiam Mediolanensem, in qua num. 3 dicuntur Jovinianus ejusque asseclæ delati ad notitiam Siricii a* fidelibus Christianis, viri genere optimis, religione præclaris. *Inter hos verisimiliter fuit Domnion, ad quem postea de Joviniano etiam scripsit* S. Hieronymus.

et a S. Ambrosio aliisque Mediolani damnata est.

509 *Examinata hæreticorum illorum doctrina, mox secuta est damnatio, de qua S. Siricius num. 6 ita habet :* Omnium ergo nostrum tam presbyterorum et diaconorum, quam totius etiam cleri, unam scitote fuisse sententiam, ut Jovi- E nianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prontinus, Martialis, Januarius et Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis et blasphemiæ inventi sunt, divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. *Ubi hanc S. Siricii Epistolam acceperat S. Ambrosius, congregavit aliquot episcoporum concilium, et cum iis similiter damnavit Jovinianum, ejusque impietatis consortes, idque indicavit Siricio per Epistolam 42 (cui in postrema editione præmissa est laudata Siricii) omnium episcoporum nomine scriptam. Nominantur in ea iidem novem; sed ibi pro Prontino legitur* Plotinus; *pro Martiali* Martianus. *Hæc gemina damnatio jam peracta erat, antequam scripsit* S. Hieronymus, *Baronius utramque refert ad annum 390, sed sine certa probatione. Nequit tamen longe a vero abesse Baronius. Recitat etiam legem Honorii imperatoris, qua deinde Jovinianus ejusque complices exsilio fuerunt relegati; observatque eam referri ad annum 412. At verisimiliter corruptæ sunt notæ chronologicæ, cum Jovinianus tam diu non vixerit. Ex lege tamen illa habemus, Jovinianum etiam post damnationem suam non destitisse conventus* F *agere extra Romam.*

Hieronymus vero, acceptis hæresiarchæ scriptis.

510 *Hæc autem hæresiarchæ audacia videtur induxisse Romanos illos, qui eum curaverunt damnandum, ut scripta ejus ad* S. Hieronymum *refutanda mitterent. Ea certe hunc in finem accepit Sanctus anno 392 aut 393, quandoquidem primum librum sic ordiatur :* Pauci admodum dies sunt, quod sancti ex urbe Roma fratres cujusdam mihi Joviniani Commentariolos transmiserunt, rogantes, ut eorum ineptiis responderem, et Epicurum Christianorum evangelico atque Apostolico vigore contererem. Quos quum legissem et omnino non intelligerem, cœpi revolvere crebrius, et non verba modo atque sententias, sed singulas pene syllabas discutere, volens prius scire, quid diceret; et sic vel probare vel redarguere, quod dixisset. Verum scriptorum tanta barbaries est, et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut nec quid loquatur; nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere. Totus enim tumet, totus jacet : attollit se per singula, et quasi debilitatus coluber, in ipso conatu

AUCTORE :. S.

conatu frangitur. Non est contentus nostro, id est, humano more loqui, altius quiddam aggreditur. *Addit plura, quibus miram sermonis obscuritatem irridet, additis etiam aliquot poetarum dictis. Dicta vero sua confirmat adductis Joviniani verbis. Tum errores ejus revocat ad quatuor propositiones, num. 505 datas. Primam propositionem, qua virgines, viduæ et maritatæ, ejusdem meriti statuebantur, refutat prolixe toto libro primo.*

errores ejus

511 *Initio libri secundi proponit secundum errorem, quo volebat Jovinianus, eos, qui baptismi gratiam acceperant, non posse amplius tentari aut vinci a diabolo. Hujus causa propositionis, quam satis quidem, minus tamen prolixe, refutat* Hieronymus, *Jovinianus fuit ex præcursoribus Pelagianorum. Ad tertiam Joviniani propositionem, qua jejunii et abstinentiæ a carnibus aliisque cibis meritum impugnatur, transit num. 5 : eamque propositionem sensibus blandientem multiplici eruditione ac multo prolixius refutat. Num. 18 quartam hæresiarchæ propositionem, qua et improbi pures dicebantur, paresque similiter justi, primum exponit, et mox prolixe iterum confutat. Demum* B *num. 35 epilogum texit, disputataque in utroque libro breviter recenset his verbis :* Diximus de nuptis, viduis, virginibus. Viduitati virginitatem, viduitatem prætulimus matrimonio. Exposita est περικοπή Apostoli, de hujusmodi quæstionibus disputantis : singulis oppositionibus responsum est. Sæcularis quoque litteratura venit in medium, quæ virgines fuerint, quæ univiræ; et e contrario quas interdum habeat molestias vinculum conjugale.

refutavit.

512 Transivimus ad secundam partitionem, in qua negat, eos, qui tota fide baptisma consequuti sunt, deinde posse peccare. Et docuimus, quod, excepto Deo, omnis creatura sub vitio sit, non quod universi peccaverint, sed quod peccare possint, et similium ruina, stantium metus sit. Tertio venimus ad jejunia : et quia adversarii duplex propositio fuerat, vel ad philosophos *, vel ad divinarum Scripturarum provocantis exempla, nos quoque ad utramque respondimus. Quarta, id est, extrema divisio oves et hœdos, dexteram et sinistram, justos et peccatores, in duos ordines distribuerat, volens ostendere, nullam inter justum et justum, peccatorem et peccatorem esse distantiam. Et, ut hoc C probaret, infinita de Scripturis exempla congesserat, quasi suo sensui congruentia. Cui nos quæstiuni et argumentis et exemplis respondimus Scripturarum, veteremque Zenonis sententiam, tam communi sensu, quam divina lectione contrivimus. *Ita* Hieronymus *de iis, quæ probaverat. Inter hæc autem non recenset virginitatem Mariæ Matris Domini, licet de ea disseruisset nonnulla lib. 1, num. 31 et 32, sed magis ut virginitatem viduitati præferret, quam ut illam Ecclesiæ traditionem contra Jovinianum defenderet. Itaque errorem Joviniani de virginitate Matris Dei in partu corrupta, quam forte solum ex Helvidio asserebat, aut in ejus scriptis non invenit* Hieronymus, *aut credidit, sufficere librum suum, quo virginitatem beatissimæ Mariæ olim contra Helvidium defenderat.*

* gl. philosophorum

513 *Turpissimos fuisse mores Joviniani, variis locis declarat* Hieronymus, *non modo Epicurum Christianorum initio vocans, sed etiam num. 40 servum vitiorum atque luxuriæ, canemque reversum ad vomitum suum, quod monachus fuisset, monachumque se profiteretur, atque interim in rictu et vestitu non paupertatem, sed quaslibet se-*

Erat Jovinianus moribus turpis.

queretur delicias. Et tamen, *inquit,* iste formosus D monachus, crassus, nitidus, dealbatus, et quasi sponsus semper incedens, aut uxorem ducat, ut æqualem virginitatem nuptiis probet ; aut, si non duxerit, frustra contra nos verbis agit, cum opere nobiscum sit. *Quales essent cum Joviniano discipuli, exponit lib. 2, num. 36, hæc scribens :* Nunc restat, ut Epicurum nostrum, subantem in hortulis suis inter adolescentulos et muliereulas, alloquamur. Favent tibi crassi, nitidi, dealbati. Adde, si vis, juxta Socraticam irrisionem, omnes sues et canes ; et, quia carnem amas, vultures quoque, aquilæ *, accipitres, et bubones *etc. Et non paucos fuisse, subjungit ; sed hanc addit rationem :* Quod multi acquiescant sententiæ tuæ, indicium voluptatis est : non enim tam te loquentem probant, quam tuis favent vitiis. *Ostendit etiam num. 37, quantopere pessima Joviniani dogmata homines carni addictos attraherent, ac tandem hortatur num. 38 Romanos, ut caveant a voluptate et luxuria.*

* al. aquilas

514 *De præclaro illo contra Jovinianum opere variis vicibus deinde in scriptis suis meminit Sanctus, lectoresque subinde ad ibi disputata remittit. In Epistola 154 (alias 10) ad Furiam, viduam nobilissimam et juvenem, cui secundas dissuadet nuptias, de eo num. 18 ita loquitur :* E Scio, me ante hoc ferme biennium edidisse libros contra Jovinianum, quibus venientes e contrario quæstiones, ubi Apostolus concedit secunda matrimonia, Scripturarum auctoritate contrivi. Et non est necesse eadem ex integro scribere, quum possis inde, quæ scripta sunt, mutuari. *In Epistola 56 (alias 148) ad Marcellam num. 2 ita habet :* Secunda quæstio fuit, in qua dicis, legisse te per transitum in Opusculis meis, quod agni, qui stant a dextris, et hœdi, qui stant a sinistris, Christiani sint atque gentiles. Non memini, me hoc aliquando dixisse, et, si dixissem, non essem in errore pertinax. Quantum autem dictanti subito occurrit, in secundo volumine contra Jovinianum super hoc capitulo disputasse me novi : et non solum super hoc, sed et de eo, quod in eamdem quæstionem cadit, ubi pisces mali a bonis piscibus separabuntur. Quod ergo ibi plene dictum est, nunc omittendum videtur. *In Epistola 123 (alias 11) ad Ageruchiam viduam num. 8 ait, se multa omittere exempla* F *viduarum, quæ noluerunt secundas nuptias, quæ,* inquit, potes de primo contra Jovinianum volumine ad ædificationem tuam sumere. *Rursum in Epistola (alias 13) ad S. Paulinum num. 6 dicit :* Habes adversus Jovinianum libros de contemptu ventris et gutturis plenius disserentes *Hæc manifestant, ita hæreticis respondisse* S. Hieronymum, *ut eadem opera mores Catholicorum informaret.*

Hi libri frequenter postmodum a Sancto laudati.

515 *In Præfatione Dialogi contra Pelagianos sic loquitur :* Jovinianus, cujus nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem, me absente, turbavit, tam elinguis, et sic sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam invidia. Illi quoque respondi, ut potui. *Ex vocibus,* me absente, *colligitur, natam esse hæresim Joviniani, postquam anno 385* Hieronymus *Roma discesserat, ideoque inter 385 et 390. Libros vero hosce figendos anno 393, jam monui, licet forsan inchoati fuerint, exeunte anno 392. Etenim secuti sunt post librum de Viris illustribus : hic enim laudatur lib. 1 contra Jovinianum num. 26; et in Præfatione ad Jonam Sanctus ordinem, quo hi libri sunt scripti, indicat his verbis :* Scripsi

scripti autem anno 393.

AUCTORE J. S.

ipsi enim librum de Illustribus Viris, et Adversum Jovinianum duo volumina, Apologeticum quoque, *etc. Itaque quod recenseantur in libro de Viris illustribus cap.* 135, *factum fuerit aut quia statim post illum inchoati sunt, aut potius erunt ab aliquo postea adjecti. Subduntur enim ibidem* ad Pammachium Apologeticum et Epitaphium, *quæ certo postmodum adjecta sunt; cum ipse* Hieronymus *anno* 392 *nesciret, se ea scripturum.*

multum placuerunt S. Augustino.

516 *Libri contra Jovinianum videntur multum placuisse S. Augustino, qui in Epistola inter Hieronymianas* 132 *de iis meminit num.* 4, Hieronymo *ita scribens :* Hoc autem de parilitate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani : quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem et defensandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis sanctis dilucidissime convicisti. In qua tua suavissima et præclarissima disputatione satis evidenter apparuit, non placuisse auctoribus nostris, vel ipsi potius, quæ per eos locuta est, Veritati, omnia esse paria peccata. *Laudat etiam idem* Hieronymi *Opus S. Augustinus lib.* 3 *de Peccatorum meritis et remissione cap.* 7, *allegato textu prolixo, in quo* S. Hieronymus *asserit peccatum originale. De Joviniano ita loquitur :* Ante annos paucos Romæ quidam exstitit Jovinianus, qui sanctimonialibus, etiam ætate jam provectioribus, nuptias persuasisse dicitur *etc.* Hujus sane scripta, nam et scribere ausus est, cum fratres ad Hieronymum refellenda misissent *etc. Observat, non negatum a Joviniano peccatum Originale, assertum vero ab* Hieronymo, *tamquam admissum ab omnibus. Quin et Pelagius libros illos perperam allegavit, ut liquet ex Augustino lib. de Natura et gratia contra Pelagium cap.* 65, *ubi exponit verba* Hieronymi *objecta : hic autem ibi vocatur* presbyter venerabilis.

§ XXXI. Libri contra Jovinianum male excepti Romæ : Sanctus pro iis scribit Apologiam et duas Epistolas.

Calumniæ contra libros Sancti sparsæ,

Quamquam nulla mihi est dubitandi ratio, quin sola invidia et maledicentia sine ulla S. Hieronymi *culpa effecerit, ut nonnulli Romæ libros ejus contra Jovinianum male exceperint, brevemque saltem procellam contra S.* Hieronymum *excitaverint, acsi in iis de nuptiis non recte fuisset locutus; video tamen, nonnullos ex neotericis hic etiam quasi justas prætexere causas, quibus tumultus ille, qui aut occultos Jovinianistas, aut æmulos sufficienti eruditione carentes habuit auctores, contra* Hieronymum *exsurrexerit. Tillemontius art.* 59 *ita occasiones illius scandali exponit, ut aliquando dubium fiat, utrum S.* Hieronymum *excusare velit, an imprudentiæ in loquendo accusare. Magis mihi placet opinio Baronii his verbis expressa :* Certe quidem nullo indigere videbantur Apologetico scripta priora; *quandoquidem statim lib.* 1, *num.* 3 *declarasset Sanctus, bonas esse nuptias, ut videbimus.*

etiamsi offensus non videatur fuisse Siricius,

518 *At nequeo assentiri viro eruditissimo, dum num.* 58 *numerum offensorum nimis auget, interque eos ponit ipsum Romanum Pontificem S. Siricium, idque ex loco S.* Hieronymi *male intellecto de Pammachio, cum verba contrarium prorsus significent.* Verum, *inquit Baronius,* non monachum unum illum, contemnendum potius, quam revincendum, scriptis a se Commentariis adversarium expertus est, sed plurimos, et quidem pios Catholicæque fidei assertores, nonnihil offensos, quod ab eodem S. Hieronymo visum esset matrimonium parvipensum atque despectum; iidemque in Pammachium concitati sunt, quem scirent omnes acerrimum semper fuisse ejusdem Hieronymi defensorem : quin et ipsum Ecclesiæ Romanæ Pontificem eadem ex causa fuisse commotum, ipse Hieronymus ita ad Pammachium scribit : « Audio totius in te Urbis studia concitata : audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium, quam mereri. » *Verum hæc verba minime significant, populum et Pontificem fuisse contrarium Pammachio, ut vult Baronius : sed potius declarant, in omnium amore et æstimatione adeo fuisse Pammachium, ut sacerdotio dignum crederent. Itaque nulla est ratio, cur dicamus, Siricium libris illis* S. Hieronymi *fuisse offensum aut ullos nominatim viros probitate ac eruditione præstantes.*

Pammachio Domnionique curam injecerunt.

519 *Verumtamen turbæ per homines, audaces magis quam eruditos, contra libros Sancti excitatæ sollicitudinem injecerunt viris etiam piis, qui* S. Hieronymum *per litteras monuerunt. Ex hisce, si qui forte et alii fuerunt, certe innotuerunt Pammachius et Domnion, ambo pietate illustres, ambo inter Sanctos culti, ambo præcipua deinde cum* S. Hieronymo *amicitia juncti. Pammachius* Hieronymi *fuerat condiscipulus, sed nullum inter illos eo usque fuerat litterarum commercium. Cum Domnione jam aliquid commercii habebat* Hieronymus : *nam in Epistola* 49 (*alias* 52) *eodem tempore scripta cum Apologia, ait, quædam se misisse* sancto patri Domnioni. *Quantum autem ex responso Sancti ad utrumque colligere possum, monuit Domnion, simulque indicavit, quis et qualis homo esset, qui laudatos libros impudenter traducebat. Præterea textus aliquot, qui nonnullis difficultatem habere videbantur, ex libris collegit, et* Hieronymo *transmisit. Hoc indicat ipse* Hieronymus *in Epistola* 50 (*alias* 51) *qua Domnioni respondit, num.* 3 *his verbis :* Imitatus saltem fuisset (*monachus, librorum illorum calumniator*) tuam verecundiam, qui ea loca, quæ scandalum quibusdam facere videbantur, excerpta de volumine per ordinem digessisti, poscens, ut vel emendarem vel exponerem.

Ex his Domnion monet Sanctum de levitate calumniatoris.

520 *Tota vero Epistola insinuat, multa Domnionem scripsisse de levitate illius monachi, qui libros* Hieronymi *non scriptis, sed verbis apud imperitam multitudinem traducebat. Sic enim orditur :* Litteræ tuæ et amorem pariter sonant et querelam : amorem tuum, quo sedulo monens, etiam quæ tuta sunt, in nobis pertimescis; querelam eorum, qui non amant, et quærentes occasionem in peccatis, garriunt adversus fratrem suum, et contra filium matris suæ ponunt scandalum. Scribis enim eos, immo nescio quem de trivio, de compitis, de plateis circumforaneum monachum, rumigerulum, rabulam, vafrum tantum ad detrahendum, qui per trabem oculi sui festucam alterius nitatur eruere, concionari adversum me; et libros, quos contra Jovinianum scripsi, canino dente rodere, lacerare, convellere. Hunc dialecticum Urbis vestræ, et Plautinæ familiæ columen, non legisse quidem κατηγορίας Aristotelis, non περὶ ἑρμηνείας, non ἀναλυτικά, non saltem Ciceronis τόπους : sed per imperitorum

AUCTORE J. S.

imperitorum circulos muliercularumque συμπόσια, syllogismos ἀσυλλογίστους texere, et quasi sophismata nostra callida argumentatione dissolvere. *Hæc omnia* Hieronymus *de inepto illo rabula, tamquam a Domnione sibi transcripta.*

quem ex ejus suggestione describit Sanctus.

521 *Deinde multa disserit Sanctus de moribus illius monachi, quem ut nimis libere cum mulieribus conversantem depingit, et subinde hominis audaciam ironice reprehendit, subinde etiam serio, ut dubitandum non sit, quin levissimi hominis mores didicerit ex litteris Domnionis. Suspicionem etiam ingerit, occultum fuisse Joviniani sectatorem, licet publice contra eum disputasset : eaque suspicio ex moribus hominis non est improbabilis, et vel maxime ex oppugnatione librorum* Hieronymi. *Quid vero monachus ille facere debuisset, exponit num.* 3 *hoc modo :* Utique si errare me arbitratus est, (in multis enim offendimus omnes, et, si quis in verbo non peccat, hic perfectus est vir) debuit vel arguere vel interrogare per litteras : quod vir eruditus et nobilis fecit
B Pammachius, cui ego ἀπελογισάμην, ut potui, et Epistola disserui longiore, quo unumquodque sensu dixerim. *Et num.* 4 : Parcat sibi, parcat mihi, parcat nomini Christiano. Monachum se esse non loquendo et discursando, sed tacendo et sedendo noverit. *Hæc procul dubio Sanctus, ut S. Domnion haberet, quibus hominem vanum compesceret.*

et ad scribendum provocat.

522 *Eadem intentione, opinor, hominem ad scribendum provocat num.* 5, *ita scribens :* Non est grande, mi Domnion, garrire per angulos et medicorum tabernas, ac de mundo ferre sententiam : Hic bene dixit, ille male : iste Scripturas novit, ille delirat : iste loquax, ille infantissimus est. Ut de omnibus judicet, cujus hoc judicio meruit? Contra quemlibet passim in triviis strepere, et congerere maledicta, non crimina, scurrarum est et paratorum semper ad lites. Moveat manum, figat stylum, commoveat se, et quidquid potest, scriptis ostendat. Det nobis occasionem respondendi disertitudini suæ. Possum remordere, si velim : possum genuinum læsus infigere. Et nos didicimus litteras; et nos sæpe manum ferulæ subtraximus. De nobis quoque dici potest. Fœnum habet in cornu, longe fuge. Sed magis volumus esse discipuli ejus, qui ait : « Dorsum meum posui ad flagella, et faciem meam
C » non averti a confusione sputorum : Qui quum » malediceretur, non remaledixit; » et post alapas, crucem, flagella, blasphemias, novissime pro crucifigentibus deprecatus est, dicens : « Pater, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt. » Et ego ignosco errori fratris : intelligo, quia diaboli arte deceptus est. *Et in fine* : Porro, si non vult scribere, et tantum maledictis agendum putat, audiat tot interjacentibus terris, fluctibus, populis, saltem echo clamoris mei. Non damno nuptias, non damno conjugium. Et, ut certius sententiam meam teneat, volo omnes, qui propter nocturnos forsitan metus soli cubitare non possunt, uxores ducere. *Ita Sanctus ad Domnionem.*

Pammachius, qui tunc prima vice ad Hieronymum scripsit,

523 *Quid vero Pammachius fecerit, partim liquet ex verbis supra datis, interrogasse eum per litteras; partim ex Epistola* 49 (*alias* 52) *quæ simul cum longiore Apologia ad ipsum data est : nam ibi etiam dicitur* exemplaria *subtraxisse. Noluisset hoc* Hieronymus, *opinor, si prius fuisset consultus : voluit tamen factum improbare, quod optima voluntate id fecisset Pammachius, qui videtur aliqua* Hieronymi *dicta habuisse suspecta. Epistolam* Hieronymus *sic inchoat :* Christiani interdum pudoris est etiam apud amicos tacere, D
et humilitatem suam magis silentio consolari, quam retractando veteres amicitias ambitionis crimen incurrere. Quamdiu tacuisti, tacui, nec expostulare umquam super hac re volui, ne non amicum quærere, sed potentiorem viderer expetere. Nunc autem provocatus officio litterarum, primas semper partes habere tentabo, et non tam rescribere, quam scribere; ut et verecunde huc usque tacuisse, et verecundius loqui cœpisse cognoscar. *In Apologiæ initio eamdem fere reddit rationem præcedentis sui silentii his verbis :* Quod ad te huc usque non scripsi, causa fuit silentium tuum. Verebar enim, ne, si tacenti scriberem, molestum me magis quam officiosum putares.

subtractis exemplaribus, Sanctus amice monuit

524 *At redeamus ad laudatas litteras, in quibus ita pergit :* De Opusculis meis contra Jovinianum, quod et prudenter et amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi. Sed nihil profuit ista diligentia, quum aliquanti ex Urbe venientes, mihi eadem lectitarent, quæ se Romæ excepisse referebant. In hac quoque provincia jam libri fuerant divulgati, et, ut ipse E
legisti, Nescit vox missa reverti. Non sum tantæ felicitatis, quantæ plerique hujus temporis tractatores, ut nugas meas, quando voluerim, emendare possim. Statim, ut aliquid scripsero, aut amatores mei, aut invidi, diverso quidem studio, sed pari certamine, in vulgus nostra disseminant : et vel in laude, vel in vituperatione nimii sunt, non meritum styli, sed suum stomachum sequentes. Itaque, quod solum facere potui, ἀπολογετικὸν ipsius Operis tibi προσεφώνησα : quem cum legeris, ipse pro nobis cæteris satisfacies. Aut, si tu quoque narem contraxeris, illam Apostoli περικοπὴν, in qua de virginitate et nuptiis disputat, aliter disserere compelleris. Nec hoc dico, quod te ad scribendum provocem, cujus in sacris Litteris studium mihi præfero; sed ut alios, qui nos lacerant, hoc facere compellas. Norunt litteras, videntur sibi scioli : possunt me non reprehendere, sed docere. Si quid scripserint, magis ex Operis eorum comparatione mea interpretatio negligetur. Lege, quæso te, et diligenter Apostoli verba considera : et tunc videbis, me propter calumniam declinandam multo plus, quam ille voluit, in maritos fuisse F
clementem. *Addit aliquot scriptores, qui locum Apostoli exposuerant.*

hic vero eidem mittit Apologiam.

525 *In Apologia ipsa, (quæ inter Epistolas est* 48, *alias* 50) *post initium, supra datum, exponit, quo modo velit ea uti Pammachium, ita prosequens :* Nunc autem provocatus dulcissimis litteris tuis, et hujuscemodi litteris, quæ me ad philosophiam nostri dogmatis provocarent, et condiscipulum quondam et sodalem et amicum obviis, ut aiunt, manibus excipio, defensoremque meorum Opusculorum paro : ita tamen, si ante te placatum judicem habuero; immo si oratorem meum super omnibus, quæ in me arguuntur, instruxero. Hoc enim et Tullius tuus, et ante illum in brevi et solo volumine scripsit Antonius, primam causam esse victoriæ, diligenter causam, pro qua dicturus es, discere. *Tum statum quæstionis explicat, simulque insinuat, quid in suis libris fuisset reprehensum, hisce verbis* : Reprehendunt me quidam, quod in libris, quos adversum Jovinianum scripsi, nimius fuerim vel in laude virginum, vel in sugillatione nuptarum[*] : et aiunt, condemnationem quodammodo

[*] al. nuptiarum

AUCTORE I. S.

A dummodo esse matrimonii, in tantum pudicitiam prædicare, ut nulla videatur inter uxorem et virginem comparatio derelinqui. Ego si bene problematis memini, inter Jovinianum et nos ista contentio est, quod ille exæquet virginitati nuptias, nos subjiciamus : ille vel parum vel nihil, nos multum interesse dicamus. *Hic revera erat status quæstionis; nec difficile erat* Hieronymo *sententiam suam Catholicam probare contra Jovinianum, cujus error jam erat damnatus. At calumniatores dixerant, non modo virginitatem fuisse prælatam nuptiis ab* Hieronymo, *sed nuptias etiam damnatas. Idcirco mox pergit Sanctus ad refellendam illam calumniam.*

In qua probat, se nuptias non damnasse

526 *Hoc autem facit proferendo ipsa Operis sui verba, sic disserens :* Nonne, quæso, statim in principio Operis mei ista præfatus sum? Neque enim nos Marcionis et Manichæi dogma sectantes, nuptiis detrahimus. Nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus : qui non solum nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. Scimus in domo magna non B solum vasa aurea et argentea esse, sed et lignea et fictilia; et super fundamentum Christi, quod Paulus architectus posuit, alios superædificare aurum, argentum, lapides pretiosos; alios e contrario fœnum, ligna, stipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias, et cubile immaculatum. Legimus primam Dei sententiam : « Crescite et multiplicamini, et replete terram. » Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus. Numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? etc. *Hæc aliaque sequentia, æque clara, profert Sanctus ex Opere suo, ut vix concipiam, qua calumniandi audacia dictum fuerit, nuptias ab eo damnatas. Non damnatas quoque a se secundas aut tertias nuptias probat num. 5 allatis hisce ex Opere suo verbis :* Non damno digamos, immo nec trigamos, et, si dici potest, octogamos. *Deinde, ubi fuse probaverat, nuptias a se minime damnatas, pergit ad explicanda nonnulla, quæ calumniantibus occasionem subministraverant.*

Post libros contra Jovinianum anno 393 scriptos,

527 *Nunc pauca de tempore, quo et libri contra Jovinianum et Apologia videntur scripta, restant examinanda. Quandoquidem S.* Hieronymus *anno 392 in quinque Prophetas minores scripsit, ac postea composuit librum de Viris illustribus, pro quo Opere plurima erant quærenda, legen-* C *daque et examinanda, ut brevi tempore absolvi non potuerit, hunc librum absolverit anno 392 ad finem decurrente. Præterea S.* Hieronymus *inter Explanationem quinque Prophetarum et Jonæ prophetæ interponit* triennium circiter. *Atqui suo loco certis argumentis ostendetur, Commentarios in Jonam editos non fuisse ante annum 396. Quapropter, etiamsi per* triennium circiter *intelligamus triennium et aliquot menses, ut necesse omnino est, et sex etiam vel septem menses triennio addamus, vel sic respiciendum est ad finem fere anni 392, quo editus fuerit liber de Viris illustribus. Quapropter editio librorum contra Jovinianum necessario figenda est anno 393, cum Opus sit magnæ molis, majorisque laboris, utpote plenum eruditione sacra et profana. Præterea novi hæresiarchæ errores prius laboriose ex tenebrosis ipsius scriptis erant investigandi ; antequam ad eos refellendos prosiliret sanctus. Quapropter libri illi Romam non pervenerint ante provectum an. 393, quantum conjicere possum.*

528 *Ubi vero Romam perlati erant laudati libri, rursum notabili opus erat tempore, antequam ad multorum pervenirent manus, invidorumque aut amicorum Joviniani censuræ et calumniæ id efficerent, ut viris etiam piis doctisque sollicitudinem injicerent. Itaque non existimo, litteras Pammachii et Domnionis ad S.* Hieronymum *missas esse ante annum 394, hiememque transactam. Nam quando Pammachii Epistola ad* Hieronymum *venit, jam* aliquanti ex Urbe venientes *eadem ipsi nuntiaverant, teste Epistola 49, ut apto ad proficiscendum tempore Pammachius scripserit, ejusque litteras verisimiliter* Hieronymus *non acceperit ante æstatem anni 394. Itaque anno 394 Apologiam figendam existimo, nisi fortasse plus temporis intercurrerit propter longissima itinera, et usque ad annum 395 amoveri debeat. Hæc sane epocha mihi improbabilis non videtur, quia nihil invenio, quo constet, Apologiam uno tantum anno posteriorem libris contra Jovinianum scriptis.*

Apologia videtur anno 394 aut 395 figenda,

cum videatur scripta post mortem uxoris Pammachii:

529 *Aliunde vero* Hieronymus *in Epistola 49, quæ simul cum Apologia fuit missa, utcumque insinuat, uxorem Pammachii jam tum fuisse defunctam, quando dicit :* Audio, totius in te Urbis studia concitata. Audio, Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est E tenere sacerdotium, quam mereri. *Hæc significant, dignum sacerdotio sive episcopatu judicatum fuisse Pammachium, tam a populo quam a Pontifice Romano. At ea de re nullus cogitasset, nisi mortua fuisset uxor Paulina, quantum apparet. Jam vero mortem Paulinæ non innotuisse S.* Hieronymo *ante annum 395, colligemus ex Epistola 66, qua post* biennium *de obitu Paulinæ Pammachium consolatus est sanctus anno 397, ut suo loco probabitur. Itaque incertum mihi saltem videtur, annone 394 an 395 Apologiam suam scripserit* S. Hieronymus.

et anno 395 scribi potuerit.

530 *Quæ vero triennio illo et aliquot mensibus inter Prophetas minores anno 392 expositos, et Jonam sub initium anni 396 explicatum, scripserit Sanctus, ita enumerat in Præfatione ad Jonam :* Triennium circiter fluxit, postquam quinque Prophetas interpretatus sum : . . . et alio Opere detentus, non potui implere, quod cœperam. Scripsi enim Librum de Viris illustribus *(exeunte anno 392 finitum)* et adversum Jovinianum duo volumina *(anno 393)* ; Apologeticum quoque *(anno 394 aut 395)* et de Optimo ge- F nere interpretandi ad Pammachium : et ad Nepotianum *(de vita clericorum et monachorum)* vel de Nepotiano *(Epitaphium)* libros duos, et alia, quæ enumerare longum est. *Hæc alia præter translationes ex Hebræo sunt Epistolæ inferius enumerandæ, aliaque minora Opuscula. Verum ex hisce nihil est, quod cogat Apologiam figere ante annum 395. Nam quæ certo post Apologiam scripta sunt, paucis mensibus componi potuerunt.*

Per eam omnis murmuratio cessavit

531 *Sive autem Apologia anno 394, sive sequenti exarata sit, bene excepta est Romæ, omnemque ibidem sedavit obmurmurationem. Testatur hoc ipse* Hieronymus *in Præfatione ad Commentarios in Jeremiam prophetam, ubi respondet Pelagio, libros contra Jovinianum rursus carpenti :* Legat ejusdem Operis Apologiam, quam ante annos plurimos adversus magistrum ejus gaudens Roma suscepit : et tunc animadvertet, alienis se vocibus blasphemare, et in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria ; sed inimicorum etiam olim sepultorum contra nos utatur rabie. *Rufinus ipse, qui Hieronymiana omnia, etiam bona, imperite non minus, quam immisericorditer carpere solet, non est ausus Apologiæ*

AUCTORE I S.

Apologiæ aliquid opponere; sed lib. 2, *num.* 38 *et rursum num.* 44 *conqueritur, quod Pammachius non eodem modo secum processit, exemplaria scriptorum, quibus Romani offendebantur,* de publico *subtrahendo. De Apologia vero sua* Hieronymum *ita loquentem inducit:* Apologeticum denuo descripsi, et quæ aliter intelligebantur, ad intelligentiam rectiorem, prout potui, revocavi.

Rufini de illis libris dicta

532 *Rufinus tamen, ut loqui non solet de iis, qua in S.* Hieronymum *reprehensa fuerant, sine exaggeratione multa, videtur etiam exaggerasse offensionem Romæ ex libris contra Jovinianum ortam, quando dicit nomine* Hieronymi, *Pammachium alloquentis, de illis libris:* Cum eos quidam aliter intelligerent, quam ego me dictasse meminerum, . . . et offenderentur pene omnes, cum quibus etiam tu ipse esse putabaris. *Certe non credidero, pene omnes fuisse offensos, aut vere offensum fuisse Pammachium, cum hic occasione*
B *illorum librorum veterum cum* Hieronymo *amicitiam renovaverit, unicaque Apologia, in qua nihil retractatur, sed omnia defenduntur fortiusque asseruntur, omnis offensio fuerit sublata. Cum iis quoque non congruunt, quæ ante idem Rufinus dixerat num.* 7 *carpens Epistolam ad Domnionem. Nam sic ibi scribit:* Cum libellus ejus, quos adversus Jovinianum scripsit, reprehendisset quidam, Domnioni beatæ memoriæ seni, qui sibi hoc ipsum indicaverat, iste rescribens excusat, et dicit: Nullo genere potuisse fieri se errasse, hominem, qui omnium haberet scientiam. *Unum hic profert accusatorem, prout unus tantum fuisse videtur, qui libros aperte accusarit nonnullosque forte in partes suas traxit, et pluribus solicitudinem et timorem injecit.*

examinantur

533 *Verum aliud agit allegatis verbis Rufinus mordaxque accusator* Hieronymum *vult arrogantiæ accusare. At non debuerat aperta in eum finem assumere mendacia. Nam neque* omnium scientiam *sibi attribuit in illa Epistola* Hieronymus, *nec dicit,* nullo genere potuisse fieri se errasse, *ut stylo pungenti asserit calumniator. Quin et plane oppositum insinuat num.* 3 *his verbis:* Utique si errare me arbitratus est (in multis enim offen-
C dimus omnes, et, si quis in verbo non peccat, hic perfectus est vir) debuit vel arguere vel interrogare per litteras. *Noverat itaque* Hieronymus, *hominem se esse, et errori obnoxium. Quæ vero de studiis et magistris suis in illa Epistola dicit* Hieronymus, *eo solum tendunt, ut hominem indoctum, quem partim verbis ironicis, partim solutaribus monitis, acriter reprehendit, salutari rubore perfundat, doceatque non loqui de rebus non satis sibi compertis.*

et refelluntur.

534 *Acris est illa Epistola, fateor, viderique posset nimis acerba, si justa defuisset ita scribendi ratio. Verum dubitare nequeo, quin S.* Hieronymus *petulantem monachum ita tractandum judicaverit, quod vel inani gloria excitatum crederet ad nomen sibi comparandum, vel quod ipsum haberet suspectum, ut occultum Joviniani sectatorem. Sive autem amore hæresis impelleretur, sive inanis gloriæ; ejus obtrectationes non poterant non esse Romanis noxiæ, erantque idoneo fundamento destitutæ: eaque saltem de causa hominem cito compescendum credidit; idque forsan magis effecit acri illa Epistola, quam Apologia prolixiore et moderatiore, qua Romanos instruxit. Ceterum non constat, quis fuerit juvenis ille monachus, quem refellit* Hieronymus. *At certo non erat Rufinus qui Romæ tunc non habitabat, sed in Palæstina, nec juvenis erat, sed ætatis satis provectæ. At illum* Hieronymus *vocat juvenem et monachum, quem aliquo indicio satis certo non reperio.*

§ XXXII. Alia Opuscula circa idem tempus scripta, et variæ Epistolæ.

Annotationes in duodecim Prophetas et libros Regum

Inter Opuscula, quæ non diu post librum de Viris illustribus scripta sunt, primo loco memorandæ veniunt Annotationes, quæ exciderunt. De illis in Epistola 49 *ad Pammachium num.* 4 *sanctus ita meminit:* Miseram quædam τῶν ὑπομνημάτων (*id est Annotationum*) in Prophetas duodecim sancto patri Domnioni, Samuelem quoque et Malachim, id est, quatuor Regum libros. Quæ si legere volueris, probabis, quantæ difficultatis sit divinam Scripturam, et maxime Prophetas intelligere: et interpretum vitio, quæ apud suos purissimo cursu orationis labuntur, apud nos scatere vitiis. *Ex hisce certum fit, Annotationes illas in Prophetas minores et in libros* E *Regum fuisse scriptas ante Apologiam, quæ missa est cum illa Epistola. Forte etiam aliquot annis præcesserunt. Verisimile enim est, Annotationes illas a sancto compositas, quando sacram Scripturam ex Hebræo in latinum transferebat sermonem, aut etiam ante Translationem, et sic illæ iam fuerint compositæ circa annum* 391. *Poterant certe ejusmodi Annotationes Translationem reddere expeditiorem et tutiorem. Poterat etiam sanctus Annotationes præmittere prolixis Commentariis.*

Epistola S. Epiphanii versa

536 *Anno* 394 *figenda est Epistola S. Epiphanii ad Joannem episcopum Hierosolymitanum, quam* S Hieronymus *ex Græca latinam fecit. Est ea inter Hieronymianas modo* 51 (*alias* 60) *multaque in ea S. Epiphanius disserit contra errores Origenis, de quibus S. Epiphanius suspectos habebat Joannem Hierosolymitanum, Rufinum, et Palladium Galatam. In cujus gratiam transtulerit Epistolam S. Epiphanii, declarat S.* Hieronymus *in Epistola* 57 (*alias* 101) *quæ translationis apologetica est, num.* 2 *his verbis:* Ante hoc ferme biennium miserat Joanni episcopo supradictus papa Epiphanius litteras, arguens eum in quibusdam dogmatibus, et postea clementer ad pœnitentiam provocans. Harum exemplaria certatim Palæstinæ rapiebantur, vel ob aucturis meritum, vel ob elegantiam scriptionis. F

in gratiam Eusebii Cremonensis.

537 Erat in monasterio nostro vir apud suos non ignobilis, Eusebius Cremonensis, qui, quum hæc Epistola per multorum ora volitaret, et mirarentur eam, pro doctrina et puritate sermonis, docti pariter et indocti, cœpit a me obnixe petere ut sibi eam in latinum verterem, et propter intelligendi facilitatem apertius explicarem: Græci enim eloquii penitus ignarus erat. Feci, quod voluit, accitoque notario, raptim celeriterque dictavi, ex latere in pagina breviter adnotans, quem intrinsecus sensum singula capitula continerent. Siquidem et hoc ut sibi soli facerem, oppido flagitarat. Postulavique ab eo mutuo, ut domi haberet exemplar: nec facile in vulgus proderet. Res ita anno et sex mensibus transiit, donec supradicta interpretatio de scriniis ejus novo præstigio Jerosolymam commigravit. *Hactenus* Hieronymus *de sua Translatione. Quo autem illa modo fuerit vulgata, accusata defensaque, nunc dicemus, etiamsi aliæ Epistolæ sancti sint ante hujus Apologiam scriptæ.*

538 *Post data verba* Hieronymus *ita prosequitur:*

AUCTORE J. S.

A quitur : Nam quidam pseudomonachus, vel accepta pecunia, ut perspicue intelligi datur, vel gratuita malitia, ut incassum corruptor nititur persuadere, compilatis chartis ejus et sumptibus, Judas factus est proditor : deditque adversariis latrandi contra me occasionem, ut inter imperitos concionentur, me falsarium, me verbum non expressisse de verbo, pro *honorabili* dixisse *carissimum*; et maligna interpretatione, quod nefas dictu sit, αἰδεσιμώτατον πάππαν noluisse transferre. Hæc et istiusmodi nugæ crimina mea sunt. *Accusabat* Hieronymum *ipse Joannes Hierosolymitanus, instigantibus Rufino et Melania, qui Hierosolymæ habitabant. Hoc de Joanne variis locis insinuatur, de Rufino et Melania num.* 12, *ubi* Hieronymus, *postquam ostenderat, quas objicerent ineptias, illa subjungit :* Hæc non est illius culpa, cujus sub persona alius agit tragœdiam; sed Rufini et Melanii, magistrorum ejus (*forte in lingua latina*) qui illum magna mercede nihil scire docuerunt. *Nesciebat Joannes, opinor, linguam latinam, aut recte non satis noverat ad judicandum de fidelitate Translationis. Noverant vero Rufinus et Melania, videruntque singulis* B *vocibus Græcis non esse latinos consonas, quod verbum de verbo non expressisset* Hieronymus; *cumque inter Joannem et S. Epiphanium gravis esset dissensio, de qua postmodum agetur, et* Hieronymus *Epiphanio adhæreret, Rufinus vero Joanni, interpretationem ut infidelem traducere nisi sunt.*

Cum hæc versio accusaretur,

scribit Epistolam ad Pammachium,

539 *Hac itaque de causa* S. Hieronymus *prolixam ad Pammachium scripsit Epistolam* de Optimo genere interpretandi, *quam alias* librum *vocat, et verbis num.* 530 *datis inter scripta ante Commentarium in Jonam recenset. Ostendit ibi late* Hieronymus, *non semper præferendum esse interpretationem de verbo ad verbum expressam, imo eam sæpe fieri ridiculam, cum lingua quælibet suas habeat proprietates, quas alia lingua verbis respondentibus nequit apte exprimere. Ex hac autem observatione, cum ubique sensum Epistolæ græcæ servasset, probat ignorantiam adversariorum suorum. Pammachii eruditionem initio Epistolæ laudans,* Unde, *inquit*, et ego beatum me in hoc dumtaxat negotio judico, quod apud eruditas aures imperitæ linguæ responsurus sum, quæ objicit mihi vel ignorantiam, vel mendacium, si aut nescivi alienas litteras vere interpretari aut nolui : C quorum alterum error, alterum crimen est. Ac ne forsitan accusator meus facilitate, qua cuncta loquitur; et impunitate, qua sibi licere omnia putat; me quoque apud vos (*Romanos*) argueret, ut papam Epiphanium criminatus est; hanc Epistolam misi, quæ te, et per te alios, qui nos amare dignantur, rei ordinem doceat.

sive librum de Optimo genere interpretandi.

540 *Quanta esset licentia accusatorum, in fine iterum declarat, quemadmodum per totum Epistolæ decursum luculenter probat, meras fuisse ineptias, quæ objiciebantur. Cum autem ibidem multa quoque disserat, quæ insinuant, Translationem sacræ Scripturæ ex Hebræo utilem et opportunam esse, id studiose Sanctus fecisse videtur, quod iidem obtrectatores illam quoque carperent, ut ea hac Epistola pro illius defensione deinde argumenta sumeret, quemadmodum facit in Præfatione ad libros Paralipomenon,* librum de Optimo genere interpretandi *laudans, et rursum in Præfatione ad Genesim, etiamsi de libro taceat. Eumdem* libellum, *ut ibi vocat, laudat in caput* 26 *Matthæi* ỳ 32, *et in Malachiæ caput tertium, ut probet, Apostolos testimonia sacræ Scripturæ non semper sumpsisse ex Translatione Septuaginta interpretum. Itaque dictam Epistolam composuit Sanctus, ut Translationes suas defenderet, licet occasionem sumpserit ex calumniis, quæ spargebantur contra Translationem Epistolæ S. Epiphanii. Quantæ vero essent obtrectationes, declarat in fine his verbis :* Excessi mensuram Epistolæ, sed non excessi doloris modum. Nam qui falsarius vocor, et inter muliercularum radios et textrina dilanior, contentus sum crimen abnuere, non referre. Unde arbitrio tuo cuncta permitto, ut legas ipsam Epistolam, tam Græcam quam Latinam : et illico intelliges accusatorum meorum nænias et probrosas quærelas. Porro mihi sufficit amicum instruxisse carissimum, et in cellula latitantem diem tantum exspectare judicii. Optoque, si fieri potest, et si adversarii siverint, Commentarios potius Scripturarum, quam Demosthenis et Tullii Philippicas tibi scribere.

541 *Quod modo spectat ad tempus, quo conscripta est præclara illa Epistola, de anno notabilis est dissensio inter eruditos. Difficultatem ingerunt ipsius Sancti verba, quibus num.* 5 *loquitur de translato Eusebii Chronico, eamque translationem figit* ante annos circiter viginti. *Cum enim Chronicon non videatur inchoatum ante annum* 379, *ut dictum est num.* 216, *viginti anni nos deducerent ad annum* 399. *Vallarsius in Præfatione ad Opera* S. Hieronymi, *ubi dat chronotaxim Epistolarum, ad Epist.* 57 *tollere nititur difficultatem, relatis primum variis sententiis, hoc modo :* E Tillemontius enim ac Martianæus ad annum 396 referunt, et conterraneus noster Cardinalis Norisius biennio post scriptam arbitratur. Sed Norisium quod spectat, eum, credo, in errorem illud induxit, quod ante 20 annos Eusebii Chronicon a Hieronymo latine versum, falsa lectione deceptus, legerit, cum ibi *quindecim* pro *viginti*, sive xv pro xx Romanis notis, quæ facile in scribendo permiscentur et fallunt, omnino legendum sit. Illud enim Operis in se suscepisse Hieronymum, cum Constantinopoli esset, anno 370 (*aut* 379) tot tamque certis testimoniis constat, ut nemo umquam in dubium revocaverit. *Laudatus editor in Annotatis ad locum allegatum rursum observat,* quindecim *legendum esse pro* viginti; *nullum tamen adducit codicem, cujus auctoritate conjectura illa fulciatur. Attamen expeditissima esset via illa ad auferendam difficultatem, cum nullum mihi sit dubium, quin Epistola, de qua agimus, anno* 395 *aut* 396 *fuerit scripta.* F

de cujus epocha disputatur,

542 *Fallitur nihilominus Vallarsius, dum sententiam de scripta circa annum* 380 *Chronico a nemine negari credit. Etenim Pagius ad annum* 395 *num.* 19 *totis septem annis citius figit, ita scribens :* Illud vero (*Chronicon*) Hieronymus in linguam latinam vertit anno 369. *Argumentum sumit ex Epistola. quam examinamus, et ex loco* de annis circiter viginti; *quod crederet Epistolam circa annum* 372 *scriptam. At neque anno* 392 *scripta est hæc Epistola, neque anno* 373 *Chronicon vertit* Hieronymus, *cum anno* 373 *profectus sit in Syriam, ac sequenti* 374 *ægrotaverit. Ratio tamen Pagii non improbabilis est pro inchoata versione Chronici in Eremo circa annum* 376. *Certe anni circiter viginti ad illud tempus nos remittunt. Aliunde vero non video, cur in eremo Opus illud inchoare non potuerit. Etenim ibidem scripsit vitam S. Pauli primi eremitæ, ut dictum est num.* 137. *In Epistola vero ad Paulum Concordiensem, cui dictam vitam mittebat, ait :* Si hoc

ob difficultatem ortam ex tempore scripti Chronici

AUCTORE J. S.

hoc munusculum placuerit, habemus etiam alia condita, quæ cum plurimis Orientalibus mercibus ad te, si Spiritus sanctus afflaverit, navigabunt. *Per merces Orientales designat, opinor, scripta græcarum latine reddenda; nec video, cur de Chronica Eusebii cogitare non potuerit, illiusque translationem inchoare. Nam omnia, quæ attulimus § 12 de scripto Constantinopoli Chronico, solum probant, ibi absolutum fuisse et editum. Si hæc conjectura, quam eruditorum judicio permitto potius, quam assero, vera est, viginti circiter anni non habebunt difficultatem, sive Epistola ad Pammachium anno 395 scripta sit, ut vult Vallarsius, sive anno 396, ut alii existimant.*

Epistola illa tamen figenda circa initium anni 396.

543 *Alterutro autem ex his annis scriptam esse, mihi certum videtur. Etenim certo scripta est illa Epistola ante Commentarios in Jonam, anno 396 exaratos, ut probabo. Rursum scripta est, quando* ferme biennium *effluxerat post scriptam S. Epiphanii Epistolam, quam anno 394 fere medio figendam videbimus, ubi agetur de dissensione, quæ inter Joannem Hierosolymitanum et S. Epiphanium orta, ad* S. Hieronymum *se extendit. Hoc* B *igitur* ferme biennium *ducit potius ad priores menses anni 396, quam ad medium anni 395, quo Epistolam figit Vallarsius, præsertim cum hic ipse consentiat, Epistolam S. Epiphanii anno 394 datam esse. Quod ait per* ferme biennium *intelligi annum et sex menses, ex ipsa* S. Hieronymi *Epistola refutatur. Nam num. 2 ait, Epistolam a se latinam factam, non statim, quando erat scripta, sed* quum... per multorum ora volitaret; *latuisse vero translationem suam* anno et sex mensibus. *Rursum prolata in publicum translatio latina, prius accusata est, traductaque ab æmulis* Hieronymi, *antequam hic Epistolam scriberet ad Pammachium, ut certe per* ferme biennium *plus intelligendum sit, quam annus et sex menses, et plane perveniatur ad initium fere anni 396. Argumentum, quod Vallarsius sumit ex vocula* dudum, *ut Epistolam figat circa medium anni 395, mihi prorsus inutile videtur. Neque enim umquam probabit,* dudum *ita apud* Hieronymum *de exiguo solum tempore dici, ut idem fere sit ac* nuper, *et ne ad annum quidem possit extendi. Verbis* Hieronymi *num. 251 a me datis vox* dudum *bis ad multos annos extenditur.*

Scribit ad Nepotianum

544 *Inter Opuscula, quæ præcesserunt Commentarios in Jonam, numeratur etiam verbis* Hie- C ronymi, *num. 530 recitatis, Epistola 52 (alias 2)* ad Nepotianum, *quæ inscribitur* de vita clericorum et monachorum, *et* liber *vocatur, ut merito dici potest ob prolixitatem et præclara documenta, quæ continet. Postposuit quidem eo loco* S. Hieronymus *hanc Epistolam Epistolæ ad Pammachium et Apologiæ pro libris contra Jovinianum; sed hoc solum fecisse videtur, ut illam conjungeret cum ejusdem Nepotiani Epitaphio, ut verba ipsa insinuant:* Et ad Nepotianum vel de Nepotiano libros duos. *Primus ad viventem scriptus est, alter biennio post de mortuo. Itaque ordo ille non impedit, quominus pro certo habeamus, Epistolam ad Nepotianum citius scriptam esse, et fortasse etiam ante Apologiam pro libris contra Jovinianum, figendamque omnino anno 394. Hanc enim epocham Epistola ipsa indicat num. 17, ubi* Hieronymus *ita scribit:* Coegisti me, Nepotiane carissime, lapidato jam virginitatis libello, quem sanctæ Eustochio Romæ scripseram, post annos decem rursum Bethleem ora reserare, et confodiendum me linguis omnium prodere. *Epistola sive libellus de Virginitate ad Eustochium certo scriptus est anno 384, ut probatum est* D *num. 259. Itaque hæc ad Nepotianum Epistola anno 394 figenda est, utpote decennio posterior.*

præcepta vivendi flagitantem.

545 *Quod vero dicit, omnium rursum ora reserando, hac de causa timuit, quia præcepta vivendi daturus clericis et monachis, non poterat non loqui de vitiis, quæ negligentium socordia in utrumque institutum solent irrepere. Quapropter ibi sic pergit:* At enim nihil scribendum fuit, ne hominum judicium subiremus, quod tu facere prohibuisti: aut scribentes nosse, cunctorum adversum nos maledicorum tela esse torquenda. Quos obsecro, ut quiescant, et desinant maledicere. non enim ut adversariis, sed ut amicis scripsimus: nec invecti sumus in eos, qui peccant; sed ne peccent, monuimus. Neque in illos tantum, sed in nosmetipsos severi judices fuimus: volentesque festucam de oculo alterius tollere, nostram prius trabem ejecimus. Nullum læsi, nullius nomen saltem descriptione signatum est. Neminem specialiter meus sermo pulsavit. Generalis de vitiis disputatio est. Qui mihi irasci voluerit, prius ipse de se, quod talis sit, confitebitur. *His verbis Epistolam clausit* Hieronymus, *optimis præceptis plenissimam, et eleganter compositam. Diu petitam fuisse, ipso initio declarat,* E *ita ordiens:* Petis a me, Nepotiane carissime, litteris transmarinis, et crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi, et qua ratione is, qui sæculi militia derelicta, vel monachus cœperit esse, vel clericus, rectum Christi tramitem teneat, ne ad diversa vitiorum diverticula rapiatur. *Hoc per totum Opusculum docet* S. Hieronymus.

qui ea accepta maximi fecit.

546 *Quam studiose illa documenta petierit, rursum testatur* Hieronymus *in Epitaphio Nepotiani num. 11, subjungens etiam in ejus laudem, quanti eadem accepta fecerit. Locum huc transferro.* Quoties ille transmarinis epistolis deprecatus est, ut aliquid ad se scriberem? quoties nocturnum de Evangelio portitorem et interpellatricem duri judicis mihi viduam exhibuit? Quumque ego silentio magis quam litteris denegarem, et pudore reticentis pudorem suffunderem postulantis, avunculum (*Heliodorum episcopum*) mihi opposuit precatorem, qui et liberius pro alio peteret, et pro reverentia sacerdotii facilius impetraret. Feci ergo, quod voluit, et brevi libello amicitias nostras æternæ memoriæ consecravi. Quo suscepto, Crœsi opes, et Darii divitias se vicisse jactabat. Illum F oculis, illum manibus, illum sinu, illum ore tenebat. Quumque in strato frequenter evolveret, sæpe supra pectus soporati dulcis pagina decidebat. Si vero peregrinorum, si amicorum quispiam venerat, lætabatur nostro super se testimonio. Et quidquid minus in Opusculo erat, distinctione moderata et pronuntiationis varietate pensabat, ut in recitando illo ipse vel placere quotidie, vel displicere videretur. *Hæc vertit in laudem Nepotiani, de cujus Epitaphio, ex quo hæc sumpta sunt, nunc dicendum, etiamsi alia quædam scripta præcesserint.*

Epitaphium Nepotiani figendum est

547 *Vallarsius Epitaphium Nepotiani, sive Epistolam 60 (alias 3) ad Heliodorum, recte figit anno 396, et sub initium anni. Ratio præcipua est, quia præcedit Commentarios in Jonam, in quorum Præfatione memoratur; hi enim Commentarii necessario sunt figendi prioribus mensibus anni 396. Hæc ratio est, inquam, cur nequeat serius poni Epitaphium. Cur vero citius non potuerit scribi, ratio petitur ex ipsa Epistola num. 16, ubi sic habet:* Ad privatas veniam dignitates, nec

nec de his loquar, qui biennium excedunt. Atque, ut cæteros prætermittam, sufficit nobis trium nuper consularium diversos exitus scribere. Abundantius egens Pityunte exsulat. Ruffini caput pilo Constantinopolim gestatum est, et abscissa manus dextera ad dedecus insatiabilis avaritiæ ostiatim stipem mendicavit. Timasius præcipitatus repente de altissimo dignitatis gradu, evasisse se putat, quod Assæ vivit inglorius. *Ex tribus hic memoratis Ruffinus anno 395, die 27 Novembris, occisus est secundum Tillemontium, qui diem probat tom. V Imperatorum Nota 4 in Arcadium ex Socrate. Consentit Pagius ad eumdem annum. Itaque mortem Ruffini verisimiliter* Hieronymus *in Palæstina non intellexit ante initium anni* 396.

sub initium anni 396:

548 *Præterea laudati scriptores ex antiquis rursum recte observant, occisum fuisse Ruffinum, quia barbaros vocaverat in imperium, nimirum Gothos in Græciam, Hunnos in Orientem, idque factum esse eodem anno* 395. Hieronymus *vero de Græcis urbibus, quas occupaverant barbari, loquitur num.* 16 : *et paulo post de Hunnis ita habet* : Immunis ab his malis videbatur Oriens, et tantum nunciis consternebatur. Ecce tibi anno præterito ex ultimis Caucasi rupibus immissi in nos, non jam Arabiæ, sed Septemtrionis lupi, tantas brevi provincias percurrerunt. *Certum est, hic agi de Hunnis, quos anno 395 in Asiam et Orientem vocaverat Ruffinus, ut Tillemontius in Arcadio narrat art. 4, et confirmat Nota 3. Itaque cum* S. Hieronymus *dicat* anno præterito, *nullum hic locus relinquit dubium, quin scripserit anno* 396.

Tillemontii. Hieronymum negligentiæ arguentis.

549 *Tillemontius, qui Epistolam* Hieronymi *perperam figit anno 397, non invenit hic, quid responderet, nisi solemne illud, quod frequenter repetiit,* S. Hieronymum non esse accuratum ea in re. *Verum, ut semel respondeam ad toties repetitam accusationem, qua* S. Hieronymus *negligentiæ in chronotaxi arguitur, non dubito dicere, frequenter dialecticam Tillemontii accuratam non esse, frequenter* Hieronymi *et aliorum dicta non recte ab eo exponi, indeque chronotaxim ipsius de gestis* Hieronymi *frequenter esse vitiosam. Quapropter accuratus in chronotaxi non est* Hieronymus *in sola imaginatione Tillemontii, quod hic vitiosæ chronotaxi vera* Hieronymi *asserta frequenter non invenerit congrua. Examinari multa jam asserta* Hieronymi *de chronotaxi : at nullam hactenus inveni, quod videatur falsum. Si vero illa* Hieronymi *accusatio ubique injusta est, quanto magis inepte dicitur, accuratum non esse in facto, cui et loco et tempore erat propinquus ?*

argumenta refeRuntur

550 *Argumenta vero Tillemontii, quibus Epistolam ad annum 397 differre nititur, sunt sequentia. Primum sumitur ex illis Epistolæ verbis :* Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. *Vultque designari initium belli Gothici, quod anno 377 ait erupisse. Inanis est observatio. Nam ex ipso Tillemontio tom. V Imperatorum variis locis liquet, et Gothos et alios nonnullos e barbaris, quos ibi recenset* Hieronymus, *multo citius in illam Romani imperii partem incurrere cœpisse. Secundo argumentatur ex verbis num. 347 datis de lapsu trium consularium, illaque* Hieronymi *verba*, nec de his loquar, qui biennium excedunt, *sic explicat, ut velit, insinuari* ultra annum *transiisse ab illorum lapsu. Verum, ut* biennium *diceret, satis erat, modo lapsus unius annum excederet. Itaque ex iis verbis colligitur, Abundantium, qui non frustra primus ex tribus nominatur, relegatum fuisse ab initio fere anni* 395.

... refutantur.

551 *Claudianus poeta similiter insinuat, Abundantium fuisse lapsum ante Ruffinum. Nam lib. I in Eutropium, qui favore Abundantii erat promotus in aula Theodosii imperatoris, primum quoque ab Eutropio Abundantium relegatum, ita canit :*

Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
Direptas possedit opes, nullumque priorem
Perculit exsilio, solumque hoc rite peregit
Auctorem damnare suum.

Hæc si jungamus verbis Hieronymi, *qui exsilium Abundantii memorat ante mortem Ruffini, facile credemus, Abundantium sub initium anni 395 relegatum fuisse, præsertim cum de tempore ejus exsilii veteres aperte non loquantur. Tertio ait Tillemontius,* Hieronymum *insinuare, nullum fuisse bellum in Oriente, dum scribebat. At contrarium potius insinuat num. 16, ut ibidem videri potest. Quare nihil obstat, quo minus Epitaphium Nepotiani figamus aliquo ex prioribus mensibus an. 396; eaque chronotaxis videatur certa, cum quod* anno præterito *Hunnos in Orientem venisse dicat* Hieronymus, *tum quod nequeant diutius differri Commentarii in Jonam, qui secuti sunt.*

Amor Nepotiani in Hieronymum

552 *Ceterum ex Epitaphio Nepotiani, quod eloquentissimum est, plura non affero, quam pauca, quæ testantur Nepotiani presbyteri amorem in S.* Hieronymum, *in ipsa morte luculenter declaratum.* Quis crederet, *inquit num. 13 de agonizante Nepotiano,* in tali illum tempore nostræ necessitudinis recordari, et luctante anima studiorum scire dulcedinem? Apprehensa avunculi (*Heliodori*) manu, Hanc, inquit, tunicam, qua utebar in ministerio Christi, mittite dilectissimo mihi, ætate patri, fratri collegio (Hieronymo,) et quidquid a te nepoti debetur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas. Atque in talia verba defecit, avunculi manum mei recordatione contrectans. *De illo Epitaphio in Epistola 77 (alias 30) ita meminit Sanctus* : Quartæ æstatis circulus volvitur, ex quod ad Heliodorum episcopum Nepotiani scribens Epitaphium, quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi.

§ XXXIII. Aliæ Epistolæ inter 393 et 396 figendæ : amicitia inter Hieronymum et Augustinum inchoata.

Epistolæ post annum 393 datæ

Pro *reliquis* S. Hieronymi *Epistolis, quæ ab anno 393 videatur scriptæ, sequar fere ordinem in editione Veronensi dispositum, licet certum non sit, omnes eo ordine scriptas. Prima ex illis ponitur Epistola 47 (alias 154) ad Desiderium. Tillemontius Nota 40 hanc Epistolam figit anno* 393, *quia scripta certo est post librum de Viris illustribus, creditque non diu post scriptam, quia* S Hieronymus *ad illum librum remisit Desiderium, ut cognoscere posset, quænam ex* Hieronymi *scriptis necdum haberet. Vallarsius maluit dicere* circa 393, *et sane rectius. Etenim omnia, quæ leguntur in illa Epistola poterat* Hieronymus *etiam aliquos annis*

nis serius scribere, neque dicit nuper *se scripsisse*
de Viris illustribus, ut poterat anno 593 *scribere.*
Cum autem ad Marcellam vel Domnioaem pro
scriptis suis remittat Desiderium; hic ex illis co-
gnoscere poterat posteriora Hieronymi *scripta, si*
minus ea noverat. Itaque non urget ratio pro an-
no 593 *allato, magisque credo, Epistolam aliquot*
annis serius esse scriptam, ut ne pro certo quidem
habeam ante annum 396 *datam esse.*

554 *Erat Desiderius vir pius et eloquens, qui*
Opera S. Hieronymi *per litteras petierat, San-*
ctumque laudaverat. Ad laudes suas Vir humilis
modeste respondet hoc modo : Lecto sermone
dignationis tuæ, quem mihi nec opinanti tua be-
nevolentia tribuit, gavisus quidem sum testimonio
honesti et eloquentis viri : sed in memet re-
versus, satis dolui, indignum tantis laudibus at-
que præconio opprimi me potius, quam levari.
Scis enim dogma nostrum humilitatis tenere
vexillum, et per ima gradientes ad summa nos
scandere. Quotus igitur ego vel quantus sum, ut
B eruditæ vocis merear testimonium, ut mihi ab
eo palma eloquentiæ deferatur, qui scribendo
disertissime deterruit, ne scriberem ? Veruntamen
audendum est, ut caritas, quæ non quærit, quæ
sua sunt, sed quæ proximi, reddat salutationis
officia, quoniam locum implere non valet præ-
ceptoris. *Deinde ipsum cum sorore Serenilla invi-*
tat in Palæstinam, nomine etiam S. Paulæ, ita
post laudes utriusque scribens : Itaque quod vene-
rabilis Paula me est deprecata ut facerem, spon-
te facio : hortorque vos et precor per Domini
caritatem, ut nobis vestros tribuatis aspectus,
et per occasionem sanctorum locorum tanto nos
ditetis munere. Certe si consortia nostra displi-
cuerint ; adorasse, ubi steterunt pedes Domini,
pars fidei est ; et quasi recentia nativitatis et cru-
cis ac passionis vidisse vestigia.

555 *De scriptis petitis ita respondet :* Opuscu-
lorum meorum, quia plurima evolaverunt de ni-
dulo suo, et temerario editionis honore vulgata
sunt, nihil misi, ne eadem forsitan mitterem,
quæ habebas. Quod si exemplaria libuerit mutua-
ri, vel a sancta Marcella, quæ manet in Aven-
tino, vel a Lot temporis nostri, Domnione,
viro sanctissimo, accipere poteris. Ego autem
operiens præsentiam tuam, aut totum tibi dabo,
quum affueris ; aut, si hoc aliquæ impedierint
difficultates, quæquumque præceperis, libens
mittam. *Ita Sanctus. Utrum Desiderius in Palæ-*
stinam revera profectus sit, non constat. Dubitant
etiam eruditi, an hic Desiderius idem sit cum De-
C *siderio presbytero Aquitano, qui cum Ripario* Hie-
ronymum *postea instruxit de erroribus Vigilantii.*
Ut breviter sententiam meam eloquar, dico vix
dubitare me, quin sit diversus. Cum enim mitta-
tur ad Marcellam et Domnionem, nequit dubi-
tari, quin Romæ degeret. Inde postea profectum
esse in Galliam, et præfuisse parœciæ alicui prope
confinia Hispaniæ, ut præfuit alter Desiderius,
nulla ratione mihi fit probabile. Quod ait in An-
notatis Vallarsius, Romæ videri peregrinum, quod
Marcellæ domus illi monstratur in Aventino; *non*
statim admisero. Nam etsi Romanus esset, pote-
rat facile in Urbe maxima ignorare, ubi habitaret
Marcella vidua mundo mortua. Et saltem Hiero-
nymus *non indicat, ubi S. Domnion habitaret.*
Itaque potius credidero, hunc esse Desiderium, qui
ab Hieronymo *petiit et impetravit Translationem*
Genesis, ut jam insinuavi num. 459.

556 *Propius innotescit tempus scriptæ Epi-*
stolæ 54 (*alias* 10) *ad Furiam de Viduitate ser-*
vanda. Nam circa finem ita habet Sanctus : Scio D
me ante hoc ferme biennium edidisse libros con-
tra Jovinianum. *Hi autem libri, ut probatum est,*
editi sunt anno 393. *Quapropter* ferme biennium
ducit nos ad initium aut fere medium anni 395.
Tillemontius Epistolam figit anno 394, *quod li-*
bros contra Jovinianum fixisset anno 392. *Vallar-*
sius vero sub finem anni 394 *hanc figit, quod cre-*
dat non esse integrum biennium. Mihi potius
figenda videtur anno 394, *ut maritus Furiæ, qui*
defunctus erat, inveniri valeat. Neque enim novi-
mus certo, an libri contra Jovinianum fuerint editi
ante æstatem anni 393. *Jam vero constat ex Epi-*
stola 123 (*alias* 11) *maritum Furiæ filium fuisse*
Probi consulis, cum ibi in fine dicatur Probi
quondam consulis nurus. *Tres autem fuisse filios*
Probi consulis, eosque fuisse omnes consules ordi-
narios, declarat Hieronymus *in Epistola* 130
(*alias* 8) *ad Demetriadem num.* 7, *ubi de Proba*
Probi vidua ait : Quam trium liberorum Probini,
Olybrii et Probi, non fatigarunt ordinarii consula-
tus. *Dicendum itaque videtur, unum ex hisce tri-*
bus fuisse maritum Furiæ, eumdemque ante mor- E
tem fuisse consulem.

557 *Tillemontius Nota* 41 *quærit maritum Fu-*
riæ, neque illum invenit, quia nullum ex tribus
accommodare potuit chronotaxi suæ. Hoc certum
est, Olybrium diu post vixissse, ideoque non fuisse
conjugem Furiæ. Probus ejus frater consul non
fuit ante annum 406, *ut neque hic possit esse mari-*
tus Furiæ. Restat igitur solus Probinus, qui anno
395 *cum fratres Olybrio consulatum gessit ordina-*
rium. At nescimus, quamdiu consulatum tenue-
rint. Nihil porro invenire potui, quo minus dictus
Probinus credatur Furiæ conjux, cum certam post
annum 395 *de eo mentionem apud historicos non*
repererim. Nam qui Calendis Januarii processit
consul, eodem aut proximo mense mori potuit, sive
in consulatu, sive eo prius deposito. Juvenis erat
Probinus consul, ut liquet ex Claudiano, qui de
eo consulatu carmen composuit, consules sic allo-
quens :

Cœpistis, qua finis erat ; primordia vestra
Vix pauci meruere senes : metasque tenetis
Ante genas dulces quam flos juvenilis inum-
bret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas. F

Juvenis similiter fuerit conjux Furiæ, cum illam
ut adolescentulam alloquatur Hieronymus. *Qua-*
propter existimo, Probini conjugem fuisse Furiam,
illumque priori aliquo mense anni 395 *defunctum :*
tum vero Furiam scripsisse statim ad Hierony-
mum, *ut sibi daret præcepta vivendi :* Hieronymum
vero in æstate anni 395 *respondisse per litteras,*
quarum epocham quærimus. Tillemontius objicit
chronotaxim suam, ex qua conjux Furiæ ab anno
394 *erat mortuus. Verum respondeo, æque ad an-*
num 395 *referri posse Epistolam ad Furiam,*
quam ad annum 394, *etiam sine observatione de*
Probino ; cum autem hic accedat, factis accommo-
dandam esse chronotaxim ; facta vero, aliunde sa-
tis probabilia, non neganda ex arbitraria chro-
notaxi : quod nimis frequenter facit ille scriptor.

558 *Furia porro ipsa ab* Hieronymo *instructio-*
nem petiit, ut liquet ex initio Epistolæ, quod ita
habet : Obsecras litteris et suppliciter deprecaris,
ut tibi scribam, immo rescribam, quomodo vivere
debeas, et viduitatis coronam illæso pudicitiæ
nomine conservare. *Tum propositum servandæ*
viduitatis laudat, illudque domesticis Furiæ exem-
plis confirmat. Non dissimulat tamen num. 2,
iram propinquorum Furiæ sibi timendam esse, quod
laudabile

Ad Desiderium.

Romæ habitantem

Figenda probabilius anno 395 Epistola ad Furiam.

quæ videtur vidua fuisse Probini consulis

vivendique præcepta a Sancto petierat.

AUCTORA L. S.

A laudabile propositum nobilissimæ juvenculæque viduæ laudibus prosequeretur, sed se ipsamque rationibus munit. Sciens et videns, ait, in flammam mitto manum : adducentur supercilia, extendetur brachium :

Iratusque Chremes tumido desæviet ore.

Consurgent proceres adversus Epistolam meam; turba patritia detonabit, me magum, me seductorem clamitans, et in terras ultimas deportandum. Addant, si volunt, et Samaritem, ut Domini mei titulum recognoscam. *Et mox :* Facessat invidia, quam nomini Christiano maledicorum semper genuinus infigit, ut, dum probra metuunt, ad virtutes non provocentur. Exceptis Epistolis, ignoramus alterutrum : solaque causa pietatis est, ubi carnis notitia nulla est. *Mox incipit dare præcepto vivendi, accommodata viduæ juveni, eaque omnia in fine concludit his verbis :* Cogitato quotidie, te esse morituram, et numquam de secundis nuptiis cogitabis.

Epistola prima ad S. Paulinum, quem ad studium Scripturarum,

559 *Primam* S. Hieronymi *ad S. Paulinum Epistolam Vallarsius figit anno* 394, *Tillemontius in* S. Hieronymo *art.* 72 *eam refert ad annum* 395, *licet in S. Paulino art.* 21 *videatur eamdem anno* 394 *memorare. Cum res deducenda sit ex* B *gestis S. Paulini, ab ulteriore inquisitione abstineo. S. Paulinus, ubi ad piam vitam erat conversus, et munuscula* S. Hieronymo *misit et litteras, ad quas* Hieronymus *respondet per Epistolam* 53 (*olius* 103). *Hanc ita orditur :* Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit et suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum fidem jam probatæ fidei et veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio; sed Dei timor et divinarum Scripturarum studia conciliant. *Tum plurima erudite disserit Sanctus, ut Paulinum nuper conversum ad studium sacrarum Scripturarum inducat, modesteque se magistrum offert, si in Bethleem venire voluerit.* Oro te, frater carissime, *inquit num.* 9, inter hæc (*studia Scripturarum*) vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere; nonne tibi videtur jam hic in terris regni cælestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate et quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem C facilius instruerent : et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans et hebes, ut hæc me nosse pollicear, et eorum fructus in terra capere, quorum radices in cælo fixæ sunt : sed velle fateor, sedenti me præfero, magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in cælo. Obviis te manibus excipiam, et, ut inepte aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam, quidquid quæsieris, tecum scire conabor.

et ad omnia relinquenda hortatur.

560 Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem etiam absque illo ipsa Epistola præferebat. *Deinde monet, ut nuntium sæculo plane remittat, ita pergens :* Festina, quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quam solve. Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere, quæ contempsit, ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa... Sic vivamus tamquam nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende : si non habes, projice. Tollenti tunicam et pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu semper recrastinans, et diem de die trahens, caute et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus, unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt. Vidua duo æra misit ad gazophylacium, et præfertur Crœsi divitiis. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. *Hactenus* S. Hieronymus, *cujus verba satis indicant, Epistolam hanc fuisse scriptam, antequam S. Paulinus divitias suas abdicaverat, ut verisimiliter citius figenda sit, quam anno* 394. *Ad hunc annum forte propius accedet secunda* S. Hieronymi *ad Paulinum Epistola, quam Vallarsius figit circa* 395, *Tillemontius anno* 396 *exeunte.*

Altera ad eumdem figenda sub finem anni 394,

561 *Vallarsii enim sententia mihi satis videtur certa, nec dubitare possum, quin Epistola illa, quæ est* 58 (*alias* 13) *ab* Hieronymo *scripta fuerit, exeunte anno* 394 *aut sub initium* 395. *Ratio præ-* E *cipua petitur ex Oratione panegyrica Theodosii imperatoris, quam Paulinus* Hieronymo *miserat. Hanc multum laudat* Hieronymus *in Epistola num.* 8. Librum tuum, *inquit*, quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compositum transmisisti, libenter *legi. Et inferius :* Felix Theodosius, qui a tali Christi oratore defenditur. *Nam hæc de Theodosio vivente proferuntur, cum etiam num.* 1 *laudetur os Paulini, quo religiosissimus princeps defenditur. Itaque vivebat Theodosius imperator, aut certe mortem ejus adhuc ignorabat* Hieronymus, *quando scribebat Epistolam. Obiit autem Theodosius anno* 395, *mensis Januarii die* 17, *ut certo* Hieronymus *non scripserit post Februarium, quo mors Theodosii in Palæstino non poterat esse ignota. Aliunde vero habemus, victoriam Theodosii de Eugenio tyranno, de qua etiam in Oratione sua meminit Paulinus, ut colligitur ex Gennadio cap.* 48, *relatam esse die* 6 *Septembris anni* 394. *Itaque Paulinus Orationem suam ad* Hieronymum *mittere non potuit ante Septembrem fere exeuntem aut ineuntem Octobrem : et sic non pervenerit in Palæstinam ante Novembrem anni* 394, *aut serius. Ex hisce igitur* F *habemus, scriptam videri Epistolam inter Novembrem anni* 394 *et Februarium anni* 395.

quando Vigilantius in Bethleem fuit :

562 *Cum autem Paulini Epistola per Vigilantium presbyterum fuerit lata, inquirendum etiam est, an ille sub finem anni* 394 *videatur in Palæstina fuisse.* S. Hieronymus *in libro contra Vigilantium num.* 12 *testatur, fuisse subitum terræ motum in Palæstina noctis medio, quando ibi erat Vigilantius. Atqui Marcellinus in Chronico ad annum* 394 *habet, aliquot Europæ regiones terræ motibus eo anno concussas fuisse a mense Septembri* in Novembriam. *Quapropter verisimillimum est, terræ motum illum, in quo parum decore se gessit Vigilantius, Novembri mense anni* 394 *accidisse. Vigilantius vero non diu mansit in Palæstina, ut scribit* Hieronymus *ad Paulinum num.* 11 *his verbis :* Sanctum Vigilantium presbyterum qua aviditate susceperim, melius est ut ipsius verbis, quam meis discas litteris. Qui cur tam cito a nobis profectus sit, et nos reliquerit, non possum dicere, ne lædere quempiam videar. Tamen quasi prætereuntem et festinantem paululum retinui, et gustum ei nostræ amicitiæ dedi, ut per eum discas,

discas, quid in nobis desideres. *Itaque verisimiliter ante finem anni 394 ab* Hieronymo *cum litteris ad Paulinum Vigilantius discessit. Tillemontius Nota 50 existimat, Vigilantium in Palæstina fuisse anno 396, quia anno 395 tulit Epistolam 5 Paulini (alias 1) ad Severum. At illam ferre potuit, postquam redierat e Palæstina. Quod autem credit Tillemontius. Vigilantium tunc non fuisse presbyterum, quia solum a Paulino vocatur* Vigilantius noster, *inane prorsus est : nam quo notior Severo erat Vigilantius, eo facilius* presbyteri *titulum omittere poterat Paulinus, ut frequenter aliorum titulos omittit. Ceterum quid inter* Hieronymum *et Vigilantium eo tempore intercesserit, dicetur postea, ubi agetur de Vigilantio.*

Actore I. S.

Hæc autem refutatis suis laudibus, Paulino

563 *Jam vero ex Epistola* Hieronymi, *qui egregia dat Paulino documenta, lubet nonnulla huc transferre. Primo ad laudes, quibus ipsum exornaverat S. Paulinus, humillime respondet Sanctus, ita ordiens :* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert ea, quæ bona sunt; et ex fructibus arbor cognoscitur. Metiris nos virtutibus tuis, et parvos magnus extollis : ultimamque partem convivii occupas, ut patris familias judicio proveharis. Quid enim in nobis, aut quantulum
B
est, ut doctæ vocis mereamur præconium, ut illo ore, quo religiosissimus princeps defenditur, humiles modicique laudemur? Noli igitur, frater carissime, annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam *etc.*

suadet, ne in urbe habitet, si monachus esse velit,

464 *Ubi refutaverat laudem, quam ex senectute tribuerat Paulinus; similiter refellit laudem ex commoratione in locis sanctis ab eodem illatam, ita concludens num. 4 :* Cur, inquies, hæc tam longo repetita principio! Videlicet ne quidquam fidei tuæ deesse putes, quia Jerosolymam non vidisti : nec nos idcirco meliores æstimes, quod hujus loci habitaculo fruimur : sed sive hic, sive alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum nostrum habere mercedem. Revera, ut simpliciter motus mentis meæ fatear, considerans et propositum tuum, et ardorem, quo sæculo renunciasti, differentias in locis arbitror, si urbibus, et frequentia urbium derelicta, in agello habites, et Christum quæras in solitudine, et ores solus in monte cum Jesu, sanctorumque tantum locorum vicinitatibus perfruaris, id est, ut et urbe careas,
C
et propositum monachi non amittas. *Hisce aliisque multis Paulino dissuadet, si vitam velit ducere monasticam, ne in urbe aliqua, et nominatim Hierosolymæ, ob nimiam populi frequentiam, habitare velit ; at diserte monet, urbem inhabitandam esse, si officium presbyteri exercere velit, aut episcopatum suscipere.*

eumque ad studium Scripturarum rursum

565 *Quare non dissuadet Paulino* Hieronymus *habitationem in locis Palæstinæ, sed in populosissima urbe Hierosolyma. Quin et occulte Paulinum ad se iterum invitat, ut invitaverat in prima Epistola. Nam laudata ejus Oratione de Theodosio, num. 8 hæc subjungit :* O si mihi liceret istiusmodi ingenium non per Aonios montes et Heliconis vertices, ut poetæ canunt; sed per Sion et Itabyrium et Sina excelsa ducere! Si contingeret docere, quæ didici; et quasi per manus mysteria tradere Prophetarum, nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet. *Et exposita difficultate Scripturas recte intelligendi, rursum subjungit :* Si haberes hoc fundamentum, immo si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque Latinius tuis haberemus volumi-
D
nibus. *Mox, enumeratis præcipuis scriptoribus latinis, qui præcesserant, ut Paulinum ad studium Scripturarum vehementius excitet, omnes ab eo superari posse insinuat, si totum se dedat Scripturis perscrutandis, amicissimeque Paulinum compellans* ac symmysten, sodalem, amicum, . . . antequam notum, *vocans, rogat,* ne assentationem *suspicetur, et his eum verbis alloquitur :* Magnum habes ingenium, et infinitam sermonis supellectilem: et facile loqueris et puro, facilitasque ipsa et puritas mixta prudentiæ est. Capite quippe sano, omnes sensus vigent.

hortatur, ut fecerat in prima Epistola.

566 Huic prudentiæ et eloquentiæ si accederet vel studium vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum; et ascendentem cum Joab tectum Sion, canere in domatibus, quod in cubilibus cognovisses. Accingere, quæso te, accingere. Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus. Nobilem te Ecclesia habeat, ut prius senatus habuit. Præpara tibi divitias, quas quotidie eroges. . . . Nihil in te mediocre esse contentus sum : totum summum, totum perfectum desidero. *Hactenus* S. Hieronymus. *Ex allatis autem verbis abunde liquet, non minus in hac Epistola desiderasse* Hieronymum,
E
ut Paulinum haberet comitem, quam in præcedenti. Quare non recte credidit Baronius ad annum 394 num. 105 præcedentem ad alium scriptam esse Paulinum, acsi Hieronymus *in una dissuasisset iter Hierosolymitanum, in altera suasisset. Aliter de prima ad Paulinum censuit Cassiodorus, qui eam laudat lib. Instit. cap. 6, et iterum cap. 21 de eadem sic habet :* Is Epistolam suam ad Paulinum ex senatore presbyterum mirificam destinavit, docens, quemadmodum Scripturas divinas, adhibita cautela, perlegeret, ubi breviter virtutem uniuscujusque libri Veteris et Novi Testamenti mirabiliter indicavit. Quam si ante reperissem, eloquentiæ ipsius cedens, contentus fortasse fueram de eadem parte nihil dicere. *Ceterum recurret commercium cum S. Paulino, qui consilia* S. Hieronymi *exacte secutus videtur eligendo talem vitam, qualem, monachus esse si vellet, suasit* Hieronymus. *Non venit in Palæstinam, quod* Hieronymus *necessarium non esse probaverat : et postea ad episcopatum promotus est, quem sanctus Doctor eidem non dissuasit, saltem aperte.*
F

Scribit ad Amandum verisimiliter Burdigalensem

567 *Circa idem tempus, quo ad S. Paulinum scripsit* S. Hieronymus, *data videtur Epistola 55 (alias 147) ad Amandum presbyterum. Etenim præter alias rationes placet mihi observatio Vallarsii in Annotatis.* Hic est, *inquit,* ille Amandus Burdigalæ presbyter, et postea episcopus, ad quem plures S. Paulinus Epistolas dedit. *De sancto illo Amando episcopo Burdigalensi apud nos actum est ad 18 Junii, ubi statuitur promotus ad episcopatum post annum 400. Cum enim S. Amandus fuerit S. Paulini amicus, verisimile est ejus exemplo ad* S. Hieronymum *recurrisse per litteras. Alia ratio, qua Epistola post annum 392 figenda videtur et ante 398, est hæc. Non memoratur in libro de Viris illustribus circa finem anni 392 edito : et rursum in Epistola non fit mentio de Commentariis in Matthæum anno 398 scriptis. Cum autem primam quæstionem ex Matthæo proposuisset Amandus, sanctus assignasset more suo Commentarios in Matthæum, si jam fuissent scripti. Aliam rationem, quam dat Tillemontius art. 77, quod Sanctus videatur in hac Epistola non satis recedere ab erroribus Origenis, nequaquam probo, sed suo loco ostendam, verba* S. Hieronymi *optime*

A *optime exponi posse. Hæc de tempore, quod non potest exactius designari : nunc pauca de Epistola.*

De variis quæstionibus.

568 *Proposuerat Amandus ex sacris Litteris tres quæstiones difficiles, primam ex Matthæi Euangelio, secundam et tertiam ex prima ad Corinthios Epistola. Ad singulas respondet Sanctus, prout ibidem videri potest. Epistolæ Amandi adjuncta fuerat chartula, in qua quærebatur,* Utrum mulier, relicto viro adultero et sodomita, et alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat. *Respondet* Hieronymus, *agendam mulieri pœnitentiam, et secundum virum relinquendum.* Omnes igitur causationes Apostolus amputans, *inquit*, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. *Multa tamen addit, ut ostendat, illud* per vim *non esse proprie intelligendum, insinuans, nolle se condemnare mulierem, quæ sine libero arbitrio vim esset passa. Tillemontius art. 77 suspicatur, mulierem illam fuisse Fabiolam, de qua suo loco plura dicentur. Verum Fabiola quidem accepit secundum maritum, relicto primo; sed illum non accepit* per vim, *ut satis liquet ex ejus Epitaphio sive Epistola* 77 S. Hieronymi, *ut postmodum* B *explicabitur. Præterea Fabiola Romæ erat, illa vero mulier verisimiliter fuit in Gallia : Fabiola publicam egit pœnitentiam ante tempus, quo scripta videtur Epistola ad Amandum, ut illa suspicio undique fiat improbabilis.*

de aliis ad Marcellam : per Alypium incipit nosse S. Augustinum.

569 *Epistolam* 59 (*alias* 148) *ad Marcellam ad annum* 395 *aut.*396 *revocat Vallarsius. Scripta certo est post libros contra Jovinianum, quorum secundus in illo num.* 2 *laudatur. Quare saltem non multo citius fuit conscripta. Non multo etiam serius scriptam esse, colligitur ex silentio de Commentariis in Matthæum, quos pro duabus quæstionibus assignare potuerat. Ratio scribendi erant quinque quæstiones a Marcella propositæ, ad quas respondet Sanctus, ita ordiens :* Magnis nos provocas quæstionibus, et torpens otio ingenium, dum interrogas, doces. *Reliqua videri possunt in ipsa Epistola, ex qua recitavi nonnulla* § 30, *num.* 514. *Jam vero cum plures non occurrant Epistolæ ante annum* 396 *datæ, breviter observo, amicitiam inter SS.* Hieronymum *et Augustinum ab anno* 393 *aut* 394 *inchoatam, sanctumque Alypium, qui paulo post factus est episcopus* C *Tagastensis, alterutro anno in Palæstinam venisse ad* Hieronymum, *qui antea Augustino per scripta sua innotescere cœperat, et sic eidem magis innotuit. Augustinus vero primum verisimiliter* Hieronymo *innotuit per Alypium. Hæc colliguntur ex prima Augustini ad* Hieronymum *Epistola, quæ anno* 394 *data figitur; sed ad* Hieronymum *perlata non est, nisi post annos. Scripsit deinde* Hieronymus *ad Augustinum, sed hæc prima ad eum Epistola excidit. Verum de initio et progressu litterarum inter* Hieronymum *et Augustinum accurate agam* § 50.

---

§ XXXIV. Commentarii in Jonam et Abdiam anno 396 scripti : anno 397 Opusculum de 10 Visionibus Isaiæ compositum : scripta Epistola ad Castrutium, altera ad Vitalem.

Anno 396 scribit in Jonam.

P*rogredior ad Commentarios Sancti in Jonam prophetam, jam aliquot vicibus memoratos, qui omnino figendi sunt priori parte anni* 396. *Nam Præfationem sic orditur :* Triennium circiter fluxit, postquam quinque Prophetas interpretatus sum. *At, ut probatum est num.* 489, *quinque Prophetas interpretatus est anno* 392 *ante librum de Viris illustribus. Itaque triennium ducit ad annum* 395, *sed vox* circiter *addita insinuat, posse aliquot menses triennio addi, ut perveniatur ad annum* 396, *si id aliunde videatur necessa-* E *rium. Prorsus autem cogimur id facere, quia inter Opera interim composita* Hieronymus *statim recenset epitaphium* de Nepotiano. *Nam hoc Epitaphium non esse scriptum ante inchoatum annum* 396, *argumentis omnino certis probatum est num.* 547 *et seq. Quapropter Commentarii in Jonam figendi omnino sunt anno* 396, *in quem triennium cum aliquot mensibus post explanatos quinque Prophetas potest excurrere. Tillemontius Nota* 56 *existimat, non legendum* triennium, *sed* quadriennium, *ut Commentarius in Jonam et Epitaphium Nepotiani ad annum* 397 *differantur. Verum in nullo codice legitur* quadriennium, *et non alia est necessitas quadriennii, quam ex chronotaxi Tillemontiana. Credidit Epitaphium Nepotiani nulla ratione figi posse ante annum* 397, *sed argumenta dedit jam refutata num.* 550. *Si vero plusculum attendisset ad verba* Hieronymi *de tempore irruptionis Hunnorum, in dicto Epitaphio num.* 16 *prolata;* Ecce tibi anno præterito *etc.; vidisset, Epitaphium certo scriptum esse anno* 396. *Cum enim agnoscat, Hunnos anno* 395 *in Orientem irrupisse, non debebat dubitare de Epitaphio scripto anno* 396.

S. Chromatio dicatos Commentarios.

571 *Porro Jonam fuisse explanatum ante Abdiam, de quo mox agemus, colligitur ex laudata Præfatione, in qua deinde Sanctus hæc scribit :* F Igitur tanto post tempore, quasi quodam postliminio a Jona interpretandi sumens principium etc. *Dedicavit hunc Commentarium S. Chromatio, quem compellat his verbis :* Chromati Papa venerabilis : *non vero S. Pammachio, cum de libris ad ipsum ante scriptis non dicat* ad te, *sed* ad Pammachium. *Itaque difficultatem ingerunt verba in Præfatione lib.* 3 *in Amos, ubi* Hieronymus *docet, quo ordine Prophetas minores explanaverit, et quibus singulas Explanationes dicaverit. Scribit autem ad Pammachium, verbaque huc spectantiam sic habent :* Tertio post longi temporis silentium, Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui. *De Abdia non est dubium, cum dicatus sit Pammachio. De Jona hic idem videtur dicere; intelligi tamen sic potest, ut Jonam non minus quam Abdiam exposuerit ad preces Pammachii, Chromatio tamen illum dicaverit, alterum Pammachio. De Commentario in Jonam meminit* Hieronymus *in Matthæi cap.* 12, ℣ 40 *his verbis :* De hoc

AUCTORE I. S.

hoc loco plenius in Commentariis Jonæ Prophetæ disputavimus : ad illum ergo locum lectoris diligentiam remittimus. *Eumdem Commentarium laudat in Epistola* 112 *ad Augustinum.*

multum laudatos a S. Augustino :

572 *Ipse Augustinus Commentarium in Jonam frequenter laudat, et nominatim lib.* 1 *contra Julianum cap.* 7, *num.* 34 *cum insigni elogio* S. Hieronymi *ita loquitur :* Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris : qui Græco et Latino, insuper et Hebræo, eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in Litteris sacris usque ad decrepitam vixit ætatem ; omnesque vel pene omnes, qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserant, legit : nec aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam. Qui cum exponeret Jonam prophetam, apertissime dixit, quod etiam parvuli peccato offendentis Adam tenerentur obnoxii. *Rursum lib.* 3 *de Peccatorum meritis et remissione cap.* 6 *pro peccato originali ita laudat dictum Commentarium :* Illud tamen scio, quod etiam sanctus Hieronymus, qui hodieque in litteris ecclesiasticis tam excellentis doctrinæ fama ac labore versatur, ad quasdam B solvendas in suis libris quæstiones, etiam hoc certissimum adhibet sine ulla disceptatione documentum. Nam in eo, quod in Jonam prophetam scripsit *etc. Et mox :* Hunc doctissimum Virum si facile interrogare possemus, quam multos utriusque linguæ divinarum Scripturarum tractatores et Christianarum disputationum scriptores commemoraret ? *etc.*

rum in Abdiam, triginta fere annis

573 *Commentarius in Abdiam, quem juvenis* Hieronymus *exponere conatus erat, eodem fere tempore editus est, ut liquet ex verbis num.* 571 *recitatis. In Præfatione Sanctus multa dicit de juvenili conatu suo, quem mira humilitate partim improbat, partim excusat ; sed ea jam recitata sunt* § 9, *ubi a num.* 160 *investigavi locum et tempus, quo primum illum conatum effudit Sanctus, probavique in eremo Chalcidis figendum esse circa annum* 375, *non anno* 366, *ad quem respexerunt aliqui, quod crederent annis triginta ante secundum, quem anno* 396 *figimus, fuisse compositum. Tillemontius art.* 82 *propter illos triginta annos, quos utrique Commentario interpositos credunt, ait, secundum fortasse differendum usque ad annum* C 403. *Verba* Hieronymi, *ex quibus in illam opinionem inducti sunt, huc transfero :* Et tunc, *inquit,* dedimus, quod habuimus : et nunc, si tamen aliquid profecimus, Domino suum reddimus. Gratia enim ejus sum, quod sum. Nec diffiteor, per hosce triginta annos in ejus opere me ac labore sudasse. *Hosce triginta annos credunt numerandos a tempore, qua in Abdiam juvenis scripserat. At ego existimo, ad illud* Hieronymum *tempus respicere, quo sacrarum Litterarum studium inchoaverat. Nam sic optime intelligi potest, cum toto illo tempore in opere ac labore Domini sudasset, tota illo tempore profecisset, etiam antequam conaretur Abdiam exponere.*

post inchoatum sacræ Scripturæ studium.

574 *Cum autem dicat, Abdiam a se expositum, quando et ipse et Heliodorus nitebantur* pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis; *omnino exponenda sunt verba* Hieronymi *de initio studii ejus sacri. Nam probavi num.* 161 *et* 162, *iis verbis designari annum* 375, *a quo nulla ratione inveniri poterunt anni triginta usque ad compositum Commentarium in Abdiam. Expositione vero superius data cessat omnis difficultas : nam circa annum* 366 *ad studium sacræ Scripturæ adjecit animum, etiamsi profanorum scriptorum lectionem non omnino prætermiserit ante annum* D 374. *Porro Commentarium in Abdiam ita concludit :* Hæc ad duas lucubratiunculas veterum auctoritatem sequutus, et maxime Expositionem Hebraicam, propero sermone dictavi, aperuique os meum ; sed nescio, an illud Christus impleverit. Unde sapiens lector sensuum magis debet consequentiam quærere, quam eloquii vetustatem. Neque enim ea lenitate et compositione verborum dictamus, ut scribimus. Aliud est, mi Pammachii, sæpe stylum vertere, et quæ memoria digna sunt scribere ; aliud, notariorum articulis præparatis, pudore reticendi dictare, quodquumque in buccam venerit. In hoc Propheta et adolescentuli lusimus, et senes præsumpsimus. Qui veriora et meliora dixerit, in illius sententiam transgredere. *Verum, ne quis illa perperam intelligat, brevitur observandum, Commentarium quidem ad duas* lucubratiunculas *dictatum, idque insinuari, ne offendatur eloquens Pammachius, si quid forte in stylo asperitatis repriat : sed ex eo inferendum non esse, eodem velocitate materiam dictandam ab* Hieronymo *præparatam. De Abdia olim exposito meminit Sanctus in Ezechielem lib.* 8, *ad cap.* 25, E ỳ 12 *et* 13.

Decem Isaiæ visiones exponit Sanctus.

575 *Ad idem fere tempus, sive uno anno serius, Vallarsius refert Interpretationem historicam decem Visionem Isaiæ, quæ postmodum Commentariis in Isaiam inserta est, ibique constituit totum librum quintum. De tempore agam inferius. Causa scribendi fuit Amabilis episcopus, aliunde fere ignotus. Id* Hieronymus *ipse declarat in Præfatione ad librum* 5 *in Isaiam, ubi S. Eustochium sic alloquitur :* Plures anni sunt, quod a sanctæ memoriæ viro Amabili episcopo rogatus, ut in decem Isaiæ scriberem visiones, pro angustia illius temporis, quid mihi videretur, in singulis brevi sermone perstrinxi, historiam tantum, quod petebat, edisserens. *Tum ibi adjungit Præfationem Opusculo adjunctam ad Amabilem, ex qua partem huc transfero :* Huc usque papa Amabilis, columen caritatis et nomen, ac mihi omnium, quos terra genuit, amantissime, per litteras flagitabas, ut tibi decem visiones, quæ in Isaia obscurissimæ sunt, historica expositione dissererem : et omissis nostrorum Commentariis, qui varias opiniones sequuti, multa volumina condiderunt, Hebraicam panderem veritatem ; meque retractantem, et molestissimum explanationis genus in tempus aliud differentem, sæpissime commonebas. Hoc autem anno misisti filium nostrum Heraclium diaconum, qui me manu conserta in jus vocaret, et promissum per momenta exigeret. *Impetravit igitur præsens Heraclius, quod iteratis litteris obtinere necdum potuerat Amabilis.* F

Amabili episcopo petente, et anno 397 :

576 *Jam vero ex Heraclio diacono colligitur, Amabilem fuisse episcopum in Pannonia aut Dalmatia. Nam* Heraclius diaconus *ad* Hieronymum *pertulit litteras Castrutii Pannonii, inferius memorandas. De tempore illius Opusculi ex allegatis verbis solum habemus, scriptum fuisse pluribus annis ante Commentarios in Isaiam, circa annum* 408 *figendos, ei aliquot saltem annis post Translationem Prophetarum ex Hebræo, anno* 391 *aut* 392 *absolutam, cum hæc debuerit Amabili innotescere, antequam illud Opusculum petiit; diuque petierit, antequam idem obtineret. Porro propius tempus scripti illius Opusculi innotescit ex Epistola Sancti* 71 (*alias* 28) *ad Lucinium, in qua num.* 7 *scribit :* Ego... misi... et codicem, hoc

hoc est, decem Visiones Isaiæ valde obscurissimas, quas nuper historica explanatione disserui. *Nam hanc ad Lucinium Epistolam Sanctus scripsit anno* 398, *ut certo argumento ad eam probabo. Meminit etiam de illo suo Opusculo in Epistola* 72 *ad Vitalem presbyterum num.* 4, *ubi ait :* Juxta Prophetiam Isaiæ, quam inter decem Visiones nuper interpretatus sum. *At hæc verba pro chronotaxi non juvant. Verum cum Epistola ad Lucinium scripta sit in Quadragesima anni* 398, *vix dubium est, quin Visiones Isaiæ, quas nuper expositas dixit, spectent ad annum* 397, *ut habet Vallarsius. Tillemontius art* 63 *dictum* Hieronymi *Opusculum cum Epistola ad Lucinium refert ad annum* 394, *sed sine ratione idonea, ut probabitur ad Epistolam. Ceterum in Præfatione ad historicam Visionum explanationem insinuat Amabili, mysticam interpretationem adjungendam esse; sed illam non adjunxit, nisi quando Isaiam totum exposuit.*

scribit ad Castrutium Pannonium cæcum,

577 *Dum autem Sanctus laudatum Opusculum Heraclio diacono ad Amabilem dedit perferendum, eidem commisit Epistolam* 68 (*alias* 33) *ad Castrutium in Pannonia habitantem. Erat Castrutius cæcus, et vel sic ad* Hieronymum *proficisci voluerat, veneratque ea intentione Cissam usque, ad mare Adriaticum haud dubie tunc situm, etiamsi modo non satis nota sit illa civitas. Omnia hæc eruuntur ex laudata Epistola, quam sic inchoat Sanctus:* Sanctus filius meus Heraclius diaconus mihi retulit, quod cupiditate nostri Cissam usque venisses; et homo Pannonius, id est, terrenum animal, non timueris Adriatici maris æstus, et Ægæi atque Ionii subire discrimina. Et nisi te pius fratrum retinuisset affectus, voluntatem opere complesses. Habeo itaque gratias, et in acceptum refero. In amicis enim non res quæritur, sed voluntas. Quia alterum ab amicis sæpe præbetur, alterum sola caritas tribuit. Simulque obsecro, ne imbecillitatem corporis, quam sustines, de peccato tibi existimes evenisse. *Hanc opinionem refellit, et præclara dat monita, ut cæcitatem patienter toleret. In fine addit :* Nos, licet hoc anno non veneris, tamen non desperamus adventum tuum. Quod si sanctus diaconus (*Heraclius*) portitor litterarum tuis rursum amplexibus fuerit irretitus, et, illo comitante, huc veneris, libenter suscipiam, dispensationis moram magnitudine fœnoris duplicari.

et ad Vitalem presbyterum,

578 *Ex ultimis hisce verbis Vallarsius et Tillemontius suspicantur, Heraclium diaconum sequenti anno rediisse ad S.* Hieronymum, *et tunc attulisse litteras Vitalis presbyteri, ad quas Sanctus respondit per Epistolam* 72 (*alias* 132) *ad Vitalem presbyterum, et hanc idcirco figunt uno anno serius. Res mihi videtur ambigua; nec video, cur* Hieronymus *non potuerit eodem anno Vitalem scribere. Certe verba illa :* Juxta Prophetiam Isaiæ, quam inter decem visiones nuper interpretatus sum : *non cogunt ad sequentem annum respicere. Nam prophetia, de qua ibi loquitur Hieronymus, erat secunda Visio inter decem, ut vox nuper optime congruat tempori, quo scribebat Epistolam, si hanc statim scripsit post expositas Visiones, et una cum illis in Pannoniam aut Dalmatiam misit. Quidquid autem sit de anno scriptæ Epistolæ, ratio scribendi erant quæstiones difficiles a Vitale presbytero proposita, videlicet:* Quare Salomon et Achaz undecim annorum filios genuisse dicantur; *ut chronologi ex subductione annorum, de quibus Scriptura variis locis agit, inferendum esse credebant. At in secundo responso* Hieronymus *ostendit, posse exponi eo modo Scripturam, ut majoris ætatis fuerint, dum generare cœperunt, nimirum si uterque ante mortem patris regnare cum patre cœperit.*

a quo munuscula acceperat, et cui sua vicissim miserat.

579 *Præterea Vitalis et Amabilis munuscula ad* Hieronymum *miserant et litteras, de quibus Sanctus ita exorditur:* Zenon nauclerus, per quem mihi dicis tuæ sanctitatis litteras esse transmissas, unam tantum, et brevem epistolam beati papæ Amabilis reddidit, solita munuscula continentem. Satisque miror, quid causæ fuerit, ut, quum in benedictionibus et tuis et illius perferendis fidelis extiterit, in reddenda epistola negligens comprobetur. Neque enim te falli arbitror discipulum veritatis, nisi forte Græco homini Latinus sermo inter chartulas oberravit. Itaque ad secundam rescribo epistolam, quam mihi sanctus filius meus Heraclius diaconus reddidit. *Deinde in fine:* Munuscula a te missa libenter suscepi, et impendio precor, ut in amore, quo nos appetere cœpisti, ad finem usque perdures. Non enim cœpisse, sed permansisse virtutis est. Nostra vicissim, per Desiderium missa, suscipe. *Editor de Desiderio in margine observat,* Puta Aquitanum presbyterum *At necdum inveni, Desiderium Aquitanum unquam in Palæstina fuisse. Cum autem Desiderius sit nomen multorum, non videtur divinandum, quis ille fuerit. Quisquis munuscula acceperit perferenda, videntur illa missa ante hanc Epistolam, quam probabilius anno* 397 *tulit Heraclius diaconus.*

§ XXXV. Ad Fabiolam, quam ante in Palæstina viderat, scribit de Veste Sacerdotali, ad Principiam de Psalmo 44, ad Pammachium de obitu Paulinæ.

Fabiola, pietati addicta, venit in Bethleem.

Non paucas eodem anno 397 ***Romam*** *Epistolas misisse videtur.* S. Hieronymus, *easque prolixas et eruditas. Ex his primam recenseo Epistolam* 64 (*alias* 128) *ad Fabiolam* de Veste sacerdotali. *Erat Fabiola nobilissima matrona, ut liquet ex ejus Epitaphio, sive* Hieronymi *Epistola* 77 (*alias* 30) *ad Oceanum; sed sortita fuerat maritum, multis vitiis depravatum, eoque relicto, secundum duxerat. Hoc factum non excusat, sed condemnat* Hieronymus; *licet nonnulla afferat ad eam ex ignorantia utcumque excusandam. Verum Fabiola ipsa post mortem secundi mariti nuptias istas damnavit, et publica pœnitentia, ut fuse enarrat* Hieronymus, *peccatum suum eluit. Postea vero se totam pietatis et misericordiæ operibus dedit.* Unde repente et contra opinionem omnium Jerosolymam navigavit, *inquit sanctus in laudata Epistola num.* 7, ubi multorum excepta concursu, nostro (*id est, monasterio S. Paulæ*) usa est hospitio. Cujus societatis recordans, videor mihi adhuc videre, quam vidi. Jesu bone, quo illa fervore, quo studio intenta erat divinis voluminibus, et veluti quamdam famen satiare desiderans, per Prophetas, Euangelia, Psalmosque currebat, quæstiones et proponens, et solutas recondens in scriniolo pectoris sui! Nec vero satiabatur audiendi cupidine: sed addens scientiam, addebat dolorem : et quasi

AUCTORE J. S.

quasi oleum flammæ adjiciens, majoris ardoris fomenta capiebat.

Hieronymum de sacris Litteris consulens.

581 Quodam die, quum in manibus Moysi Numeros teneremus, et me verecunde rogaret, quid sibi vellet nominum tanta congeries; cur singulæ tribus in aliis atque aliis locis jungerentur; quomodo Balaam ariolus sic futura Christi mysteria prophetarit, ut nullus propemodum Prophetarum tam aperte de eo vaticinatus sit; respondi, ut potui, et visus sum interrogationi ejus satisfacere. Revolvens ergo librum, pervenit ad eum locum, ubi catalogus describitur omnium mansionum, per quas de Ægypto egrediens populus pervenit usque ad fluenta Jordanis. Quumque causas quæreret et rationes singularum, in quibusdam hæsitavi, in aliis inoffenso cucurri pede, in plerisque simpliciter ignorantiam confessus sum. Tunc vero magis cœpit urgere; et quasi non mihi liceret nescire, quod nescio, expostulare, ac se indignam tantis mysteriis dicere. Quid plura? Extorsit mihi negandi verecundia, ut proprium ei Opus hujuscemodi disputatiunculæ pollicerer: quod usque in præsens tempus, ut nunc intelligo, Domini voluntate dilatum, reddetur memoriæ illius, ut sacerdotalibus, prioris ad se voluminis induta vestibus, per mundi hujus solitudinem gaudeat se ad terram promissionis aliquando venisse. *Hæc abunde insinuant, Fabiolam, quamdiu in Bethleem habitavit, sacris Litteris ab* Hieronymo *fuisse eruditam; et jam tum eidem promissam fuisse Epistolam de Mansionibus, de qua postmodum agetur, aliam vero de Veste sacerdotali prius missam esse.*

irruentibus vero in Syriam Hunnis, parato etiam ad fugam Hieronymo,

582 *Mox insinuat* Hieronymus, *non multo tempore in Bethleem habitasse Fabiolam; sed timore Hunnorum, qui anno 395 in Syriam irruperunt, Romam fuisse reversam.* Verum, *inquit*, quod cœpimus, prosequamur. Quærentibus nobis dignum tantæ feminæ habitaculum, quum illa ita solitudinem, cuperet, ut diversorio Mariæ (*id est, Bethleem*) carere nollet: ecce subito, discurrentibus nuntiis, Oriens totus intremuit *etc. Tanti timoris causa erat irruptio* Hunnorum, *de quorum progressu, velocitate et crudelitate plura disserit. Cum autem Hunni non potuerint in Syriam pervenire, nisi provecto anno 395, utpote quos eodem anno ex regionibus multum dissitis, advocavit proditor Ruffinus, verisimile sit, Fabiolam eodem anno 395 in Palæstinam venisse, satisque certum est, inde anno 395 discessisse.* Hieronymus *quoque et S. Paula ad fugam se præparabant ac verisimiliter ad civitatem aliquam maritimam se contulerant. Nam de his ita loquitur:* Tunc et nos compulsi sumus parare naves, esse in littore, adventum hostium præcavere, et sævientibus ventis, magis barbaros metuere, quam naufragium, non tam propriæ saluti, quam virginum castimoniæ providentes. *Non discesserunt tamen* Hieronymus *et Paula cum suis, quod Hunni non penetrarent in Palæstinam, habitationemque suam in Bethleem illi vehementer amarent; sed Fabiola ultimum discrimen non expectavit.*

discedit, Sanctumque per litteras convenit:

583 *Audiamus* Hieronymum, *qui ita habet:* Nos in Oriente tenuerunt jam fixæ sedes, et inveteratum sanctorum locorum desiderium. Illa, quæ tota in sarcinis erat, et in omni urbe peregrina, reversa est ad patriam, ut ibi pauper viveret, ubi dives fuerat; manens in alieno, quæ multos prius hospites habuit. . . Nos hoc tantum dolemus, quod pretiosissimum de sanctis locis monile perdidimus. Recepit Roma, quod amiserat *etc. Reditus ille Fabiolæ figendus est anno 395, ut jam monui; sed verisimiliter discessit sub finem anni, ut fortasse Romam non venerit ante annum sequentem. Deinde vero litteras ad* Hieronymum *misit, quibus petebat, ut sibi exponeret vestes sacerdotales. Nam in Epistola, de qua agimus, sanctus num. 8 ita habet:* Compulisti me, Fabiola, litteris tuis, ut de Aaron tibi sacerdotio scriberem et vestimentis. Ego plus obtuli, ut de cibis et primitiis sacerdotum, et de observatione pontificis præfatiunculam struerem. Egressa de Sodomis, et ad montana festinans, non vis habitare in parva urbe Segor. Transcendens proselytos, præteris Israelitas, dimittens Leviticum gradum, et præpete penna transvolans sacerdotes, ad pontificem venis. Sed dum vestes ejus et Rationale pectoris diligenter inquiris, nostra tibi displicuere consortia. Et tu quidem optato frueris otio, et juxta Babylonem Bethleemitica forsan rura suspiras. Nos in Ephrata, tandem pace reddita, vagientem de præsepe audimus Infantem, et querimonias ejus ac vocculas ad tuas aures cupimus pervenire. *Ultimis hisce verbis modeste invitat Fabiolam, ut redeat.*

ei vero mittit Hieronymus Epistolam de veste sacerdotali.

584 *Quod ait de pace reddita* Hieronymus, *duplici modo potest intelligi, nimirum de recessu Hunnorum ex Oriente, qui anno 396 aut 397 discesserunt; aut etiam de pace inter* Hieronymum *et Joannem Hierosolymitanum composita; nam inter hos erat dissensio, quando Fabiola erat in Palæstina. Si utramque pacem insinuare voluerit* Hieronymus, *quod minus est probabile; Epistola scripta est serius, si solam primam, potuit dari vergente ad finem anno 396 aut anno 397, quod probabilius apparet. Quidquid sit de anno, prolixam plenamque eruditione Epistolam sanctus concludit his verbis:* Hæc ad unam lucubratiunculam, quum jam funis solveretur a littore, et nautæ crebrius inclamarent, propero sermone dictavi, quæ memoria tenere poteram, et quæ diuturna in rationali pectoris mei lectione congesseram; satis intelligens, magis me loquendi impetu, quam judicio scribentis fluere, et more torrentis turbidum proferre sermonem. Fertur in indice Septimii Tertulliani liber de Aaron vestibus, qui interim usque ad hanc diem a me non est repertus. Si a vobis propter celebritatem Urbis fuerit inventus, quæso, ne meam stillam illius flumini comparetis. Non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus æstimandus. *Ita humiliter Sanctus. Quod vero ait de una lucubratiuncula, rursum de stylo solum intelligendum. Dictavit velociter, sed postquam diuturna lectione ad erudita dictandum se paraverat. Adeo non contempsit diu post hanc Epistolam, ut et librum vocaverit, et ad eum lectores remittat, scribens in Ezechielem lib. 13 in cap. 44, ℣ 17 et 18, ubi sic habet:* De sacerdotalibus vestibus in Exodo plenius scriptum est: et nos olim edidimus librum, ad cujus interpretationem diligens mittendus est lector. *De Fabiolæ Epitaphio, aliisque agetur suo loco.*

Principiæ virgini explicat Psalmum 44.

585 *Epistolam 65 (alias 140) ad Principiam virginem probabili admodum ratione Vallarsius refert ad annum 397, licet Tillemontius art. 85 respexerit ad initium anni sequentis. Continet Explanationem Psalmi 44, cujus initium est:* Eructavit cor meum verbum bonum. *Habitabat Principia virgo Romæ cum S. Marcella, quam* Hieronymus *maximi faciebat, ut per Marcellam virtutes ejus* Hieronymo *innotuisse videantur, ipsaque fiduciam acceperit sancti scripta petendi.*

Petiit

A *Petiit autem interpretationem Psalmi jam memorati, et totius Cantici canticorum. Primum interim accepit, secundum promisit* Hieronymus, *prolixam Epistolam ita concludens:* Quando et tu, o filia Principia, Sanctorum mixta choro inter virgines duceris ad Regem, et ex domibus eburneis delectibus Sponsum in honore tuo, tunc recordare et mei, qui hujus Psalmi tibi, Domino revelante, intelligentiam tribui, et dicito: Memor ero nominis tui; ut, quæ partem intellexisti carminis, si vita comes fuerit, et totum Canticum canticorum intelligas.

ejusque promittit Explanationem Cantici canticorum.

586 *Promissam hic Cantici canticorum interpretationem commemorat* S. Hieronymus *in Præfatione ad Matthæum, quem circa Pascha anni 398 exposuit, ita scribens Eusebio Cremonensi, in Occidentem proficiscenti:* Obsecro, ut . . . et des exemplaria, quum Romam veneris, virgini Christi Principiæ, quæ me rogavit, ut in Canticum canticorum scriberem, a quo opere exclusus ægrotatione diuturna, spem in futurum distuli; hac te lege constringens, ut, si tu ei ad te scripta subtraxeris, illa quoque armariolo sibi postea scribenda concludat. *Ex his certum fit, Epi-* B *stolam 65 ad Principiam saltem ante annum 398 fuisse scriptam, cum in ea de morbo suo non meminerit* Hieronymus, *morbusque ille circa initium anni 398, ut suo loco probabo, fuerit inchoatus. Cum autem prima dilatio Cantici non videatur orta ex morbo, sed ut alia interim perficeret* Hieronymus; *non æque clarum fit, qua parte anni 397 Epistola fuerit dictata. Orditur sanctus Epistolam a defensione sua, quod interdum scriberet ad mulieres.* Scio me, Principia in Christo filia, *inquit,* a plerisque reprehendi, quod interdum scribam ad mulieres, et fragiliorem sexum maribus præferam, et idcirco debeo primum obtrectatoribus meis respondere, et sic venire ad disputatiunculam, quam rogasti. *Hac occasione multas ex sacris Litteris colligit præclaras mulieres, et ex viventibus Romæ breviter laudat SS. Marcellam et Asellam.*

Pammachio de obitu Paulinæ scribit

587 *Ad eumdem annum 397 Vallarsius recte revocat Epistolam* 66 *(alias 26) ad Pammachium de Obitu Paulinæ conjugis, sed ad posteriorem illius anni partem. Tillemontius art.* 95 *et Nota* 60 *eam figit anno 399, aut sub finem anni 398, idque solum,* quia S. Hieronymus non adeo accuratus C est in chronotaxi, ut ubique stricte sit sequendus, *inquit. Verum qui sexcenties* Hieronymum *negligentiæ in chronotaxi perperam accusat, ut jam observavit Vallarsius, ipse frequenter a recta chronotaxi recedit. Ratio autem figendi hanc Epistolam sub finem anni 397, habetur ex Epistola 77, sive ex Epitaphio Fabiolæ, ubi sanctus initiō recenset Epistolas in laudem defunctorum eo usque scriptas, ita ordiens:* Plures anni sunt, quod super dormitione Blæsillæ Paulam venerabilem feminam, recenti adhuc vulnere, consolatus sum. Quartæ æstatis circulus volvitur, ex quo ad Heliodorum episcopum Nepotiani scribens Epitaphium quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi. Ante hoc ferme biennium Pammachio meo pro subita ægrotatione Paulinæ, brevem Epistolam dedi, erubescens ad disertissimum virum plura loqui, et ei sua ingerere, ne non tam consolari amicum viderer, quam stulta jactantia docere perfectum. *Ex hisce verbis primum figenda epocha hujus ipsius Epistolæ. Hoc paucis ita facio. Epitaphium Nepotiani certis argumentis fixum est sub initium anni 396, aut certe ante æstatem dicti anni. Ab eo igitur tempore* quartæ æstatis circulus *volvebatur anno 399: nam primæ æstas erat anni 396. Scriptum itaque est Epitaphium Fabiolæ in æstate anni 399.*

sub finem anni 397, quando Paulinianum

588 *Atqui Epistola ad Pammachium de Obitu Paulinæ præcessit* ferme biennium, *ut ex solo hoc loco figenda videatur ad finem æstatis vel in autumno anni 397, et commode differri nequeat usque ad initium anni 398, multo minus usque ad Pascha illius anni. Præterea, cum ab initio anni 398 diuturno morbo laboraverit* Hieronymus, *et de morbo suo in Epistola non meminerit, hoc etiam indicio colligitur, Epistolam sub finem anni 397, sive ante morbum fuisse datam. Habet tamen in fine Epistolæ aliquid, quod primo intuitu me dubium fecit, quodque objici potest. Verba infra uberius dabo.* Compulsi sumus, *inquit sanctus,* fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut semirutas villulas. . . venderet *etc. Jam vero lib. 3 contra Rufinum num. 24* Hieronymus *dicere videtur, Paulinianum una cum Eusebio Cremonensi profectum esse in Italiam anno uno, postquam eo profectus erat Rufinus. Cum autem iter illud non videatur suscepisse Rufinus, nisi circa ver anni 397; consequenter iter Paulinianı æque ac* E *Eusebii differendum videtur usque ad Pascha anni 398. Verba* Hieronymi, *quibus respondit Rufino conquerenti, quod æmulos post se in Occidentem misisset, hæc sunt:* Vincentius, Paulianus, Eusebius, Ruffinus presbyteri: quorum Vincentius multo tempore ante vos Romam venit: Paulinianus et Eusebius post annum vestræ navigationis profecti sunt: Ruffinus in causa Claudii post biennium missus. *Hæc verba, inquam, persuadere possunt minus attentis, Paulinianum simul cum Eusebio profectum esse anno 398.*

fratrem suum misit in patriam

589 *At considerandum est primo, in Epistola ad Pammachium de solius Pauliniani itinere loqui* Hieronymum, *non de Eusebio, quem simul nominasset, si una iter illud suscepisset: secundo, ad* patriam, *sive in Pannoniam missum fuisse Paulinianum; at Eusebium recto* Romam *navigasse, ut constat ex Præfatione in Matthæum. Quare certum est, duos illos nec simul profectos, nec idem iter suscepisse. Itaque ubi* Hieronymus *dicit,* Paulinianus et Eusebius post annum, *integer fere annus de Eusebio intelligendus est, de Pauliniano, qui ante finem anni 397 ex Palæstina discessit, aut annus incompletus, puta septem aut octo menses post iter* F *Rufini, intelligi potest, aut etiam annus completus, si* Hieronymus *respexerit ad tempus, quo, absolutis in Pannonia negotiis, in Italiam profectus est Paulinianus. Hoc sensu, quo ad querelam Rufini optime respondebat, verisimiliter usus est* Hieronymus. *Dicebat Rufinus: Accusatores post me Romam misisti. Respondet sanctus, id falsum esse, hasque allegat rationes. Vincentius antea profectus: Paulinianus et Eusebius, alter ex Pannonia, alter ex Palæstina* post annum; *Ruffinus, alius ab Aquileiensi,* post biennium. *Ita congrue loqui poterat* Hieronymus, *quia Rufinus non conquerebatur de itinere Pauliniani in Pannoniam; sed solum de amicis* Hieronymi, *qui Romam venerant. Hæc sufficiunt ad respondendum difficultati, etiamsi pro certo habere velimus, Rufinum non esse Romam profectum ante annum 397.*

In hac Epistola Paulinam paucis celebrat,

590 *Causa scribendi illam Epistolam erat obitus Paulinæ, conjugis S. Pammachii, quem super eo consolatur, sed biennio post, cum sub initium dicat, se* importune per biennium *tacuisse. Tacuerat, opinor,* Hieronymus, *quod nullus Epitaphium Paulinæ initio petiisset, ejusque cum Pammachio amicitia necdum altas egisset radices, utpote* recenti

recenti litterarum commercio nata, quando obiit Paulina. Deinde vero, crescente quotannis amicitia inter Hieronymum et Pammachium, Paulinam conjugem ejus defunctam, S. Paulæ filiam, S. Eustochii sororem, ita laudare voluit, ut multo plura proferat in laudem SS. Paulæ et Eustochii, et maxime S. Pammachii, qui monasticam piissimamque vitam erat amplexus. At non solum laudat Pammachium, sed multis etiam ad perfectiora hortatur, eidemque præclara vivendi suggerit documenta.

pluribus vero Pammachium ad pietatem hortatur.

591 *Post multa, quæ prætermitto, num. 13 virum nobilissimum ditissimumque exemplo Paulæ et Eustochii ad humilia ministeria excitat, hæc scribens:* Quod patritii generis primus inter primos monachus esse cœpisti, non sit tibi tumoris, sed humilitatis occasio, scienti Filium Dei factum filium hominis. Quantumcumque te dejeceris, humilior Christo non eris. Esto, incedas nudis pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, cæcorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum; ipse aquam portes, ligna concidas, focum exstruas: ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors? Et quum omnia, quæ dixi, feceris, ab Eustochio tua Paulaque vinceris, si, non opere, at certe sexu. *Tum harum humilia ministeria refert. Verba data sunt ad 28 Septembris in S. Eustochio num. 36. Hæc ostendunt, quanta libertate sanctus occasiones quaslibet captaret hortandi ad perfectiora.*

Ex venditione bonorum paternorum Sanctus

592 *Ceterum in eadem Epistola declarat, qua de causa Paulinianum fratrem misisset in patriam ita scribens:* Nos in ista provincia ædificato monasterio (*sumptibus S. Paulæ*), et diversorio propter exstructo (*ejusdem pecunia, quantum existimo*), ne forte et modo Joseph, cum Maria in Bethleem veniens, non inveniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur monachorum, ut nec cœptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus. Unde, quia pene nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante supputaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut semirutas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, et parentum communium census venderet, ne cœptum Sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis et æmulis præbeamus. *Hæc ædificia per S. Paulam exstructa fuisse primo triennio, quo cum S. Hieronymo habitavit in Bethleem, jam dictum est § 20. At verisimile est, crescente paulatim monachorum monacharumque numero, monasteria primum exstructa fuisse novis ædificiis augenda: certumque est, opes S. Paulæ, licet fuisset ditissima, quod partem maximam Romæ abdicasset, non suffecisse sumptibus, quos faciebat, tum pro monasteriis, tum in sublevanda pauperum inopia, tum in aliis piis operibus.*

succurrere nititur inopiæ monasteriorum suorum.

593 *Nam in Epitaphio Paulæ testatur* Hieronymus *num. 30, ne unum quidem nummum filiæ* (*Eustochio*) derelictum; sed . . . magnum æs alienum: et . . . Fratrum (*monachorum*) et Sororum (*monacharum*) immensam multitudinem, quos sustentare arduum, et abjicere impium est. *Ob hanc inopiam* S. Hieronymus *anno 397 Paulinianum misit in patriam, ut ex parentum suorum possessionibus venditis, quantum posset pecuniæ colligeret, eaque S. Paulam sublevaret. Non videtur ullam antea curam habuisse, quamdiu nimirum habitavit in Palæstina, ut quidquam lucraretur ex bonis paternis. Curam sustentandi monasteria susceperat S. Paula. Hujus opibus deficientibus, cum proximi consanguinei* S. Hieronymi *verisimiliter essent defuncti, sanctus venditione paternorum bonorum succurrere voluit, quantum potuit. Fallitur Tillemontius, qui art. 52* Hieronymo *attribuit alterius cujusdam monasterii et hospitalis ædificationem: neque enim ullum illius opinionis invenio indicium. Cum dicit nos, Paulum intelligit, seque adjungit, quia illam suo consilio semper direxerat.*

§ XXXVI. Sanctus anno 398 post morbum diuturnum scribit ad Lucinium, tum in Euangelium Matthæi, et aliquot Epistolas ad varios.

Sanctus Lucinio, missis notariis, omnia

594 *Primum sancti opus anno 398, quo diu ægrotavit, videtur fuisse translatio trium librorum Salomonis, de qua egi num. 457 et 458. Secuta est Epistola ad Lucinium, tum breves Commentarii in Evangelium S. Matthæi, quos Romam discessurus flagitavit S. Eusebius Cremonensis. De morbo commodius dicam post Opuscula, in quibus de eo fit mentio. Ratio scribendi ad Lucinium Hispanum erat, quod Licinius ipse ad* Hieronymum *prior scripsisset, missisque sex notariis ad exscribendum, omnia sancti Opera studiose postulasset. Refert illud* Hieronymus *in Epistola 75 (alias 29) ad Theodoram Lucinii viduam, post hujus mortem scripta, num. 4, hæc in ejus laudem scribens:* Quo ille desiderio Opuscula nostra flagitavit, et missis sex notariis, (quia in hac provincia Latini sermonis scriptorum penuria est) describi sibi fecit, quæcumque ab adolescentia usque in præsens tempus dictavimus! *Addit modeste:* Non nos honoravit, qui parvuli et minimi Christianorum omnium sumus, sed Christum, qui honoratur in servis suis.

ejus Opera, etiam translata, postulat

595 *Ex ipsa vero Epistola 71 (alias 28) ad Lucinium, de qua agimus, intelligimus, Lucinium petiisse etiam omnia Opuscula, quæ ex alio sermone* Hieronymus *in latinum transtulerat, falsoque deceptum rumore credidisse, aliqua a sancto translata, quæ is numquam transtulerat. Hac de causa* Hieronymus *num. 5 generatim recenset Opera a se translata, hæc scribens:* Porro Josephi libros, et sanctorum Papiæ et Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit a me esse translata, quia nec otii mei, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate. Origenis et Didymi pauca transtulimus, volentes nostris ex parte ostendere, quid Græca doctrina retineret. Canonem Hebraicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum *etc. Addit de emendatis Septuaginta interpretibus et Novo Testamento verba jam ante suis locis recitata.*

ea benigne concedit et pro munusculis

596 *De Opusculis suis per notarios Lucinii exscriptis hæc sanctus præmittit:* Opuscula mea, quæ non sui merito, sed bonitate tua desiderare te dicis, ad describendum hominibus tuis dedi, et descripta vidi in chartaceis codicibus: ac frequenter admonui, ut conferrent diligentius et emendarent. Ego enim tanta volumina præ frequentia commeantium et peregrinorum turbis relegere non potui, et, ut ipsi probavere præsentes, longo tentus incommodo, vix diebus Quadragesimæ

A mæ, quibus ipsi proficiscebantur, respirare cœpi. Unde si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quæ sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiæ notariorum librariorumque incuriæ, qui scribunt, non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.

Munuscula mittit,

597 *Miserat etiam Lucinius aliquot munuscula* Hieronymo, *cui Sanctus alia similiter mittit, de his num. 7 ita scribens :* Duo palliola et amphimallum de tuis usibus vel utenda, vel Sanctis danda suscepi. Ego insignia paupertatis, et quotidianæ symbola pœnitentiæ, tibi et sorori tuæ (*id est, Theodoræ conjugi, quam pro sorore cœperat habere, amisso conjugii usu*) misi, quatuor ciliciola, apta proposito et usibus vestris: et codicem, id est, decem Visiones Isaiæ valde obscurissimas, quas nuper historica explanatione disserui, ut quotiesquumque mea Opuscula videris, toties Amici dulcissimi recordatus, navigationem, quam parumper distuleras, pares. *Quæri hic potest, cur unum Opusculum Sanctus inter munuscula sua recenseat, non item alia* B *omnia. Non alia, opinor, est ratio, quam quod id ipse per suos librarios exscribendum curasset, alia vero omnia a notariis Lucinii exscripta essent.*

eumdemque ad se invitat

598 *Ex allegatis verbis ulterius liquet, voluisse Lucinium ad Hieronymum proficisci, idque etiam innotescit ex laudata ad Theodoram Epistola, ubi de Lucinio defuncto ait :* Quem in brevi tempore huc venturum credebam. *Hinc post allegata superius verba subjungit amicissime :* Et quia non est in homine via ejus, et a Domino gressus hominis diriguntur, si forte, (quod procul absit) aliquid fuerit impedimenti, quæso, ut quos caritas jungit, terrarum longitudo non separet : et absentem Lucinium nostrum, semper præsentem litterarum vicissitudine sentiamus. *Ab initio etiam et per totam Epistolam multum amoris erga Lucinium exhibet, moreque suo præclara miscet monita, atque ardenter hortatur, ut in bene cœptis constanter perseveret.*

Epistola anno 398 data in Quadragesima :

599 *De tempore, quo Epistola hæc scripta est, nullum mihi est dubium. Adeo omnia insinuant, anno 398 in Quadragesima scriptam esse. Nam ex Præfatione in Matthæum constat, Hieronymum ab initio anni 398 ægrotasse, et in Quadragesima* C *utcumque convaluisse, ut supra dicitur,* vix diebus Quadragesimæ, quibus ipsi proficiscebantur, respirare cœpi. *Itaque, cum non innotescat ullus Sancti morbus, quo annis præcedentibus laborasset, necessario respiciendum est ad Quadragesimam anni 398. Accedit, quod dicat, Translationem ex Hebræo absolutam,* excepto Octateucho, *id est, septem primis sacræ Scripturæ libris et Esther. At libri Paralipomenon certo translati non sunt ante annum 396 aut 397, ut probatum est num. 454. Tillemontius art. 63 Epistolam ad Lucinium sine ulla ratione referre vult ad annum 394.* Sine ulla ratione, *inquam : neque enim aliud affert, quam quod de Origene et Didymo male non loquatur, dum dicit,* Origenis et Dydimi pauca transtulimus *etc.; creditque, post ortas de Origenis erroribus controversias non ita de Origene et Didymo locuturum fuisse Hieronymum. Verum nulla plane est ea observatio : quod enim ibi de Origene et Didymo dicit* Hieronymus, *non timuisset similiter dicere post annos decem aut viginti.*

600 *Præterea quod habet in Præfatione ad decem Isaiæ Visiones, quarum Explanationem mittit Lucinio, satis probat, non multum Origeni addictum fuisse* Hieronymum, *dum illa scribebat. Sic enim loquitur :* Quid igitur faciam? Subeamne opus, in quo viri eruditissimi sudaverunt? Origenem loquor et Eusebium Pamphili, quorum alter liberis allegoriæ spatiis evagatur, et, interpretatis nominibus singulorum, ingenium suum facit Ecclesiæ sacramenta, alter historicam expositionem titulo, repromittens, interdum obliviscitur propositi, et in Origenis scita concedit. *Hoc loco et Origenem et Eusebium, notissimum Arianum, vocat eruditissimos; et simul utrumque carpit, præcipue vero Origenem. Epistola ad Tranquillinum, inferius memoranda, luculenter ostendit, nunquam omnia in Origene condemnasse* Hieronymum, *idque ibidem ulterius probabo. Idem liquebit ex verbis mox recitandis, quæ ipso anno 398 scripta sunt. Utrum vero* S. Hieronymus *unquam sic addictus fuerit Origeni, ut aliquot ejus errores probaret, investigabimus* § 41.

quod sine ulla ratione negatum est

Scribit eodem anno

601 *Transeamus interim ad Commentarios in Matthæum, eodem anno circa Pascha dictatos, rogante Eusebio Cremonensi, qui navigaturus erat in Italiam. In Præfatione, præmissis multis de* E *Evangeliis quatuor, Eusebium Sanctus ita alloquitur :* Satisque miror, Eusebi dilectissime, cur Romam subito navigaturus, hanc tibi a me quasi sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses responsionis meæ, nunquam in paucis diebus rem annorum peteres. Primum enim difficile est omnes legere, qui in Euangelia scripserunt. Deinde multo difficilius, adhibito judicio, quæ optima sunt, excerpere. Legisse me fateor ante annos plurimos in Matthæum Origenis viginti quinque Volumina, et totidem ejus Homilias, commaticumque interpretationis genus : et Theophili Antiochenæ urbis episcopi Commentarios : Hippolyti quoque martyris, et Theodori Heracleotæ, Apollinarisque Laodiceni, ac Didymi Alexandrini : et Latinorum Hilarii, Victorini, Fortunatiani Opuscula : e quibus etiamsi parva carperem, dignum aliquid memoria scriberetur. *Originem, quem anno 398 non poterat amplius sine reprehensione nominare, si credimus Tillemontio supra refutato, ex interpretibus Matthæi primum nominat.*

Commentarios in Matthæum, cito dictatos :

602 *Cum Hieronymo interim pergamus.* At tu, *inquit,* in duabus hebdomadibus, imminente F jam Pascha, et spirantibus ventis, dictare me cogis : ut, quando notarii excipiant, quando scribantur schedulæ, quando emendatur, quo spatio digerantur ac purum (*hic additur in duobus mss.* minime cogites, *ut dictio videtur exigere*) maxime quum scias, me ita tribus mensibus languisse, ut vix nunc ingredi incipiam; nec possim laboris magnitudinem brevitate temporis compensare. Igitur, omissa auctoritate veterum, quos nec legendi nec sequendi mihi facultas data est, historicam interpretationem, quam præcipue postulasti, digessi breviter; et interdum spiritualis intelligentiæ flores miscui, perfectum opus reservans in posterum. Si autem mihi vita longior fuerit, aut tu in redeundo tua promissa compleveris, tunc nitar implere, quod reliquum est : immo jactis fundamentis, et ex parte constructis parietibus, pulcherrimum culmen imponam, ut scias, quid intersit inter subitam dictandi audaciam, et elucubratam scribendi diligentiam. Certe nosti, et mendacii mei erubescerem testem vocare, quod præsens Opusculum tanta

AUCTORE I S. tanta celeritate dictaverim, ut aliena magis legere, quam mea condere me putares. Nec hoc de arrogantia et fiducia ingenii dictum putes, sed quod ostendere tibi cupiam, quantum apud me valeas, qui periclitari magis apud doctos voluerim, quam tibi sedule postulanti quidquam negare. Unde obsecro, ut, si incomptior sermo est, et non solito lapsu fertur oratio, festinationi hoc tribuas, non imperitiæ. *Hactenus* Hieronymus, *qui aliam Matthæi interpretationem verisimiliter numquam composuit, etsi id facere proponeret, quod cum aliis scribendis, tum vel maxime Prophetis interpretandis, postea semper fuerit occupatissimus.*

tunc ab initio anni tribus mensibus ægrotavit;

603 *Quod vero ait de celeritate dictati hujus Commentarii, non solum spectat ad ipsum dictandi actum, quem passim velociter promovebat Sanctus, sed etiam ad præparationem materiæ dictatæ. At considerandum est, ultra annos triginta* Hieronymum *studio Scripturarum fuisse occupatum, antequam dictaret in Matthæum, ideoque sensum litteralem, quem fere tantum explanat, Sancto fuisse perspectissimum. Varia Opuscula ante scripta in hoc Commentario assignat; ut suis locis est dictum. Quando sub finem vitæ in Jere-*
B *miam scripsit, in præfatione ad Eusebium de Commentariis in Matthæum ita meminit:* Ut Evangelicum virum Matthæo evangelistæ copules, quem ante annos plurimos strictis sensibus, te hortante, disserui. *In Epistola* 73 (*alias* 126) *ad Evangelum de Matthæo post morbum explanato in fine ita meminit:* Ego post longam ægrotationem vix in Quadragesimæ diebus febri carere potui, et quum alteri me Operi præpararem, paucos dies, qui supererant, in Matthæi expositione consumpsi, tantaque aviditate studia omissa repetivi, ut, quod exercitationi linguæ profuit, nocuerit corporis valetudini. *Hisce ulterius confirmantur dicta de morbo Sancti, qui cessarit in Quadragesima. Cum autem duraverit* tribus mensibus, *cœptus est morbus circa initium anni* 398. *Aliud opus, ad quod se præparabat Sanctus ante Explanationem Matthæi, erat Translatio Pentateuchi ex Hebræo : nam in Epistola ad Lucinium de Octateucho, qui restabat transferendus, ait :* Quem nunc in manibus habeo. *Hoc videtur satis certum.*

sed annua mus infirmitas ad aliud spectat tempus.

604 *Verum alia hic oritur dubitatio, nimirum an Sanctus in morbum fuerit relapsus, annuaque tunc laboraverit infirmitate, de qua sit mentio in*
C *Epistola* 74 (*alias* 131) *ad Ruffinum presbyterum, ab aliis distinctum. Ultra annum illa infirmitas continuata est : Epistola enim dictata est* in lectulo, et post duodecim menses, quibus jugi languore confectus *erat, antequam convaluerat. Vallarsius in Chronotaxi ad Epistolam* 74 *existimat, morbum istum a mense Decembri anni* 397 *usque ad Novembrem anni* 398 *continuatum, multaque disserit, ut hoc persuadeat. At ejus opinioni acquiescere nequeo, cum quod verba superius data,* Ut... nocuerit corporis valetudini, *non insinuent tantum valetudinis detrimentum, quantum fuisset morbus octo vel novem mensium, qui cum præcedente annuum fecisset morbum, tum quod alia habeamus* S. Hieronymi *scripta, eo ipso tempore figenda, quo diuturna illa ægrotatione laborasset, tum quod aliud simus inventuri tempus, quo tam diu ægrotasse nihilque scripsisse videtur Sanctus. Ad argumenta Vallarsii tunc commodius respondebo. Itaque pergo recensere Epistolas, quas ad annum* 398 *pertinere censeo.*

605 *Inter has autem prima videtur laudata jam Epistola* 73 *ad Evangelum. Nam verba superius data,* Ego post longam ægrotationem vix in Quadragresimæ diebus febri carere potui *etc., omnino insinuant, Epistolam eodem anno scriptam, et quidem non diu admodum post Commentarios in Matthæum. Ratio scribendi hæc erat. Miserat Evangelus ad* Hieronymum *scriptoris Anonymi Opusculum, qui probare nitebatur, Melchisedech, Gen.* 14 *aliisque locis memoratum, esse Spiritum sanctum ; ardenterque petierat, ut Sanctus sententiam suam de Melchisedech ediceret.* Fateor, *inquit Sanctus,* volui dissimulare sententiam. . . . Sed rursum quum Epistolam legerem, et invenissem in extrema pagella, miris me obtestationibus adjuratum, ne spernerem precatorem ; revolvi veterum libros, ut viderem, quid singuli dicerent, et tibi quasi de multorum consilio responderem. *Deinde varias profert sententias, Origenisque et Didymi errorem, quo Melchisedech dicebatur* angelus, *ac post eruditam disputationem, qua hominem certo fuisse probat, ita contra Anonymum concludit :* Habes, quæ audierim, quæ legerim de Melchisedech. Meum fuit citare testes : tuum sit de fide testium judicare. Quod si omnes repuleris, tuum certe spiritualem illum E
interpretem non recipies, qui imperitus sermone et scientia, tanto supercilio et auctoritate Melchisedech Spiritum sanctum pronuntiavit, ut illud verissimum comprobarit, quod apud Græcos canitur : « Imperitia confidentiam, eruditio » timorem creat. »

Scribit ad Evangelum de Melchisedech.

606 *Alia quæstio* Hieronymo *proposita est a Magno oratore Romano, sed Rufino instigante, ut certe* Hieronymus *existimavit. Respondit* Hieronymus *per Epistolam* 70 (*alias* 84,) *quæstionemque propositam num.* 2 *memorat, hæc scribens :* Quod autem quæris in calce Epistolæ tuæ, cur in Opusculis nostris sæcularium litterarum interdum ponamus exempla, et candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus polluamus ; breviter responsum habeto. Nunquam hoc quæreres, nisi te totum Tullius possideret ; si Scripturas sanctas legeres, si interpretes earum, omisso Volcatio, evolveres. *Brevi hoc responso insinuat Sanctus, quæstionem videri propositam a Magno, ut excitaret* Hieronymum *ad laudes profanæ eloquentiæ. Tum sobrium sæcularium litterarum usum et auctoritate sacrarum Litterarum et antiquorum Patrum ac scriptorum etiam Hebræorum exemplo defendit. Ubi vero aliquot recensuerat num.* 3 *ait :* F
Lege eos, et invenies nos comparatione eorum imperitissimos, et post tanti temporis otium (*a lectione profanorum*), vix quasi per somnium, quod pueri didicimus, recordari.

ad Magnum oratorem de scriptoribus

607 *Sub finem hæc addit :* Quamquam ego illud magis reor, quod dictanti venit in mentem, non te ignorare, quod semper a doctis viris usurpatum est : sed per te mihi proponi ab alio quæstionem, qui forte propter amorem Historiarum Sallustii, Calpurnius cognomento Lanarius sit. Cui, quæso, ut suadeas, ne vescentium dentibus edentulus invideat, et oculos caprearum talpa contemnat. *Per Calpurnium* Hieronymus *designat hominem perfidum, qui dolosa interrogatione utebatur ad nocendum. Cum autem postea Rufinus lib.* 2. *Invectivarum* Hieronymo *objecisset, quod uteretur verbis Horatii, Virgilii, Ciceronis, aliorumque Gentilium, idque verbis acerbissimis tamquam grande crimen exaggerasset;* Hieronymus *bruta illa Rufini fulmina risu magis excepit, quam ferio, ita respondens lib.* 1 *contra Rufinum num* 30 : Nimirum iste est Sallustianus Calpurnius

profanis aliquando citandis.

A Calpurnius, qui nobis per Magnum oratorem non magnam moverat quæstionem, cui libello brevi (*id est, hac ipsa, de qua agimus, Epistola*) satisfecimus. *Ex hoc loco colligitur, Epistolam ad Magnum anno* 398 *datam esse. Nam, ut postea dicetur, Rufinus Romam venit anno* 397, *indeque discessit anno* 398. *Non poterat autem suspicari* Hieronymus, *id Magno suggestum a Rufino, postquam Rufinus Roma discesserat, ut etiam observavit Vallarsius.*

Rogatus a Tranquillino, exponit,

608 *Eodem rursum anno* 398 *scriptam existimo Epistolam* 62 (*alias* 76) *ad Tranquillinum, qui aliam* Hieronymo *proposuerat quæstionem, nimirum de Origene, de cujus doctrina Romæ mota erat controversia. Vallarsius hanc maluit figere anno* 396 *aut* 397. *Verum ipsa quæstio proposita mihi persuadet, non esse scriptam ante* 398 : *nam hoc anno Romæ vulgari cœpit Opus Originis de Principiis, latine redditum a Rufino. Hujus autem Operis vulgatione hæresis Origeniana Romæ spargi cœpit : eique continuo multi se opposuerunt. Itaque anno* 398 *congruunt omnia, quæ leguntur in laudata Epistola, et hæc potius ad sequentem differenda esset, quam ante* 398 *figenda. Jam* B *vero prima Epistolæ verba solum indicant amicitiam* Hieronymi *et Tranquillini. At num.* 2 *quæstio insinuatur, ejusque occasio his verbis :* Quod dicis, Origenis multos errore deceptos, et sanctum filium meum Oceanum illorum insaniæ repugnare, et doleo simul et gaudeo; dum aut supplantati sunt simplices, aut ab erudito viro errantibus subvenitur.

quo modo legenda sunt Opera Origenis,

609 Et quia meæ Parvitatis quæris sententiam; utrum secundum fratrem Faustinum penitus respuendus sit, an secundum quosdam legendus ex parte; ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos ecclesiasticos scriptores Græcos pariter et Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem : « Omnia « probate, quod bonum est, tenete. » Cæterum qui vel in amorem ejus nimium vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico subjacere : « Væ his, « qui dicunt bonum malum, et malum bonum; « qui factunt amarum dulce, et dulce amarum. » Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum C pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. Quod si contentiosum inter se amatores ejus et obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec servent modum; sed totum aut probent aut improbent; libentius piam rusticitatem, quam doctam blasphemiam eligam. *Hæc magno cum judicio* Hieronymus *anno* 398, *aut fortasse sequenti, quo similia etiam scripsit S. Paulino, ut videbimus.*

Hieronymum sequitur Cassiodorus.

610 *Cassiodorus lib. Institutionis cap.* 1 *Epistolam* S. Hieronymi *laudat, et sententiam sequitur, ita scribens :* Sed quemadmodum legi debeat (*Origenes*) in Epistola, quam scripsit ad Tranquillum, S. Hieronymus probabiliter indicavit, ut nec studiosos ab ejus necessaria lectione removeat, nec iterum incautos præcipitet ad ruinam. Quem quidem non immerito more anethi habendum esse dixerunt; qui dum sacrarum condiat pulmentaria Litterarum, ipse tamen decoctus exsuccatusque projicitur. De quo conclusivo dictum est : Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus. Et ideo caute sapienterque legendus est, ut sic inde succos saluberrimos assumamus, ne pariter ejus venena perfidiæ, vitæ nostræ contraria, sorbeamus. *Hæc pluribus explicare pergit Cassiodorus, accurate sequens* S. Hieronymi *sententiam, quæ etiam hoc tempore non displicebit eruditis. Alias Epistolas, a Villarsio ad annum* 398 *relatas, aut jam memoravi, aut suis locis memorabo.*

§ XXXVII. Examinatur discordia, quæ fuit inter Joannem Hierosolymitanum et S. Hieronymum S. Epiphanio faventem contra Joannem.

Gravis discordia nata in Palæstina.

Ordo temporis nos eo perduxit, ut exponenda sit diuturna controversia, quæ inter S. Epiphanium et Joannem Hierosolymitanum antistitem exorta est, et quæ ad S. Hieronymum *pervenit quod S. Epiphanio contra Joannem Hierosolymitanum suffragaretur. Nam liber contra Joannem Hierosolymitanum, qui sub finem illius contentionis ab* Hieronymo *scriptus est, figendus est probabilius sub finem anni* 398, *et certe nequit probabiliter figi post annum* 399, *neque ante* 398, *ut inferius probabo. Hujus quoque dissensionis causa exstant duæ* S. Hieronymi *Epistolæ ad Theophilum Alexandrinum, de quibus necdum memini, quia hoc loco sunt commemorandæ. Ut res tota clarius examinetur, nonnulla prius veniunt observanda. Venerat* S. Hieronymus *in Palæstinam circa initium anni* 386, *et post peregrinationem ad sancta loca et in Ægyptum, in æstate ejusdem anni sedem cum S. Paula fixerat in Bethleem, quod oppidum erat diœcesis Hierosolymitanæ. Circa idem tempus episcopatum Hierosolymitanum adeptus est Joannes, cumque administravit multis annis post controversias, de quibus agimus. Dicitur in juventute ante episcopatum non abhorruisse ab Arianis et Macedonianis, quod non examino, utpote minime necessarium ad propositum nostrum. Idem postea, ut videbimus, suspectus fuit* F *de nimio amore aut certe indulgentia in Pelagium hæresiarcham, ut minus mirandum sit, quod medio inter illa tempore crederetur erroribus Origenis addictus.*

quod S. Epiphanius Joannem Hierosolymitanum

612 *S. Epiphanius Constantiensis erat in Cypro episcopus, ætate grandæva, morum sanctitate, magnaque eruditione venerabilis. Natus erat in Palæstina, ibique vitam monasticam duxerat in diœcesi Eleutheropolitana, quæ contigua erat Hierosolymitanæ, eaque occasione interdum veniebat ad monasterium suum, nosseque poterat, quid ageretur in vicina diœcesi Hierosolymitana. Noverat quoque eruditissimus senex pravos Origenis errores, zeloque fidei ardens, dolebat, multos ab iis non satis cavere. De iis erroribus nominatim suspectos habebat Joannem Hierosolymitanum, et Rufinum Aquileiensem, qui tunc presbyter erat, et Hierosolymæ degebat cum Melania seniore, de iisdem quoque erroribus suspecta.*

haberet suspectum de hæresi Origenis.

613 *Hanc suam suspicionem candide edixit S. Epiphanius in Epistola ad Joannem, quæ inter Hieronymianas est* 51 (*alias* 60) *num.* 6 *his verbis :* Te autem, frater, liberet Deus, et sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, et omnes fratres, qui tecum sunt, et maxime Rufinum presbyterum, ab hæresi Origenis, et ab aliis hæresibus,

AUCTORE J. S.

resibus, et perditione earum. *In eadem Epistola multa disserit contra errores Origenis S. Epiphanius. Non videtur male fundata fuisse suspicio S. Epiphanii, maxime de Rufino : ipsaque viri sanctitas et eruditio facit, ut prudenter credere non possimus, similia temere ab eo prolata in Epistola, quæ publica statim facta est, ut constat ex Epistola* Hieronymi *de Optimo genere interpretandi, qua versionem suam latinam defendit. Dubitari tamen potest, an Joannes non magis ex ignorantia ab aliquot erroribus Origenis minus videretur alienus, quam quod statuisset illis pertinaciter contra Ecclesiæ damnationem adhærere.*

Joannes vero S. Epiphanium accusaret,

614 *Interim, antequam S. Epiphanius dictam Epistolam anno 394 scribebat, Joannes conquerebatur de S. Epiphanio, quod Paulinianum* S. Hieronymi *fratrem, ordinasset presbyterum : Epistola enim scripta est ad eam ordinationem aut defendendam aut excusandam. Factum ipse S. Epiphanius in laudata Epistola num. 1 enarrat hoc modo :* In monasterio Fratrum, et Fratrum peregrinorum, (*id est*, S. Hieronymi *in Bethlem*) qui provinciæ nihil tuæ deberent; et propter nostram parvitatem, et litteras, quas ad eos crebro direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere discordiam, ne viderentur quadam

B duritia, et conscientia nostra antiquæ fidei ab ecclesia separari, ordinavimus diaconum; et postquam ministravit, rursum presbyterum : super quo debueras gratulari, intelligens, quod ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi; maxime cum nulla sit diversitas in sacerdotio Dei, et ubi utilitati Ecclesiæ providetur. Nam, si singuli ecclesiarum episcopi habent sub se ecclesias, quibus curam videntur impendere, et nemo super alienam mensuram extenditur, tamen præponitur omnibus caritas Christi, in qua nulla simulatio est : nec considerandum, quid factum sit, sed quo tempore, et quo modo, et in quibus, et quare factum sit.

quod ordinasset presbyterum Paulinianum:

615 Cum enim vidissem, quia multitudo sanctorum Fratrum in monasterio consisteret, et sancti presbyteri Hieronymus et Vincentius propter verecundiam et humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, et laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est; invenire autem et comprehendere servum Dei non posses, qui te, eo quod grave onus sacerdotii nollet suscipere, sæpe fugiebat : sed

C nec alius quis episcoporum eum facile reperiret. (Unde et satis miratus sum, quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum diaconis monasterii et cæteris Fratribus, ut mihi satisfaceret, quia nescio quid adversum eos habebam tristitiæ.) Cum igitur celebraretur collecta in ecclesia villæ, quæ est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum, et nullam penitus habentem suspicionem, per multos diaconos apprehendi jussimus, et teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi. Et primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, et compellentes, ut ministraret : valde enim obnitebatur, indignum se esse clamitans, et grave onus ultra vires suas esse contestans. Vix ergo compulimus eum, et persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, et propositione mandatorum Dei. Et cum ministrasset in sanctis Sacrificiis, rursum cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus presbyterum : et iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine presbyterorum.

616 Post hæc scripsimus ad sanctos presbyteros monasterii, et cæteros Fratres, et increpavimus eos, quare non scripsissent super eo, cum ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent, qui sibi Domini Sacramenta conficeret, et illum omnes suo poscerent testimonio, et grandem utilitatem in commune monasterii testarentur : quare tunc, reperta opportunitate, non scripsissent nobis, neque super ordinatione ejus aliquid poposcissent. Hæc ita acta sunt, ut loquutus sum, in caritate Christi, quam te erga parvitatem nostram habere credebam : quamquam in monasterio ordinaverim, et non in parœcia, quæ tibi subjecta sit. *Hactenus S. Epiphanius, partim factum suum jure defendens, quod monasterium, pro quo ordinatus erat Paulinianus, non subesset episcopo, utpote peregrinorum; locus vero, ubi ordinatio erat facta, certe in ejus diœcesi non esset. Magis tamen se defendit legibus caritatis et æquitatis, quarum causa crediderat, factum non ægre ferendum a Joanne. Et revera insinuat deinde pluribus S. Epiphanius, ordinationem illam fuisse prætextum, sed veram causam indignationis Joannis fuisse quod Epiphanius ipsum redarguisset ut Origenis defensorem. At hæc videri poterunt ad 12 Maii in S. Epiphanio* § 3. *Ex allegatis verbis ulterius observo, ordinationem Paulinianì fuisse factam, ignorante* Hieronymo, *quamvis* Hieronymus *postea S. Epiphanium defenderit.*

quam ordinationem defendit Epiphanius.

D E

et hujus Epistolam Hieronymus Latinam fecit.

317 *Epistola S. Epiphanii modo laudata anno 394, ut jam dixi, omnino figenda. Etenim scripta est* ferme biennium *ante Epistolam* Hieronymi *de Optimo genere interpretandi, quæ nequit serius esse scripta, quam sub finem anni 395 aut initium 396, ut aliis argumentis probatum est num. 543. Interpretatus est eam* Hieronymus, *sed ea versio latina* anno et sex mensibus *latuit apud Eusebium Cremonensem,* donec, *inquit Sanctus in laudata Epistola num.* 2, supradicta Interpretatio de scriniis ejus novo præstigio Jerosolymam commigravit. Nam quidam pseudomonachus, vel accepta pecunia, ut perspicue intelligi datur, vel gratuita malitia, ut incassum corruptor nititur persuadere, compilatis chartis ejus et sumptibus, Judas factus est proditor; deditque adversariis latrandi contra nos occasionem. *Hæc publicatio anno 395 facta est, cum* Hieronymus *in fine illius anni aut initio sequentis ad calumnias ea occasione sparsas responderit. Rufinum autem, qui totus erat cum Joanne Hierosolymitano, lib. 3 contra Rufinum num. 3 accusat* S. Hieronymus, *quod induxisset illum monachum ad subducendam Epistolam, ita scribens :* Hæc est Epistola, quam de cubiculo fratris Eusebii nummis aureis produxisti, ut calumniareris Interpretem, et me apertissimi teneres criminis reum, quare pro HONORABILI CARISSIMUM transtulissem. *Itaque jam anno 395 cœpta erat indignatio Joannis contra* Hieronymum, *ac Joanni contra eumdem, occultis saltem suggestionibus, adhærebat Rufinus.*

F

qui ab anno 395 controversiæ erat involutus.

618 *Aliunde etiam habemus, ab anno 395* S. Hieronymum *cum suo monasterio discordiæ, quæ inter S. Epiphanium et Joannem inchoata erat, fuisse involutum. Nam in Epitaphio Fabiolæ, quæ anno 395 in Palæstina fuit, indeque ante finem anni discessit, num. 8 ita habet sanctus Doctor :* Erat illo tempore quædam apud nos dissensio, et barbarorum (*Hunnorum*) pugnam domestica bella superabant. *Tentarunt Fabiolam et Oceanum ejus comitem adversarii* S. Hieronymi, *ut ipse insinuat lib. 3 contra Rufinum num. 4, loquens eodem loco de subducta S. Epiphanii Epistola, prout*

A *prout latina erat facta, et hæc scribens :* Quis Bethleem de cubiculo fratris Eusebii furatus est Epistolam laudatricem tuam? Cujus artificio, et a cujus ministris in sanctæ Fabiolæ hospitio, et viri Christiani et prudentis Oceani, inventus est codex, quem illi nunquam viderant? *Erat verisimiliter ille codex ibi positus ad Oceanum et Fabiolam ad Origenis defensionem pertrahendos, aut ad eosdem concitandos contra* Hieronymum *et S. Epiphanium. At irritus fuit conatus, qualiscumque fuerit intentio illorum, qui codicem obtruserant.*

Idem de hæresi Origenis in Palæstina

619 *Plus efficere potuerunt apud Vigilantium, hominem turbulentum et temerarium, qui anno 394 in Palæstinam venit cum litteris S. Paulini ad* Hieronymum, *ut dictum est num.* 561 *et* 562. *Nam unsus est homo imperitus, qui forte nihil antea de erroribus Origenis audierat,* Hieronymum *ut iis addictum, accusare. At fuerat prius Hierosolymæ apud Rufinum, a quo instrui potuerat, ut lib.* 3 *contra Rufinum num.* 19 *insinuat* Hieronymus, *ita scribens :* Ego in Vigilantio tibi respondi. Eadem enim accusabat, quæ tu postea et amicus laudas, et inimicus accusas. Scio, a B quo illius contra me rabies concitata sit, novi cuniculos tuos. Simplicitatem, quam omnes prædicant, non ignoro. Per illius stultitiam tua in me malitia debacchata est : quam ego si Epistola mea repuli, ne solus habere videaris baculum litterarum, non debes turpitudinem simulare verborum, quam nusquam omnino legisti ; sed intelligere et confiteri, per illius vecordiam tuis calumniis fuisse responsum. *Hæc ultima dicit* Hieronymus, *quia Rufinus accusabat Epistolam* 61 (*alias* 75) *ad Vigilantium, quem, post discessum ex Palæstina ad calumnias relapsum, in ea Sanctus acriter refutaverat. Scripta est illa Epistola anno* 395 *aut serius, sive uno saltem anno post discessum Vigilantii, nimirum postquam intellexerat* Hieronymus, *se ab eo in Occidente infamari, ut Origenis erroribus maculatum. Prius ex ea referam, quæ acta sunt in Bethleem, deinde reliqua ad propositum spectantia.*

accusatus erat a Vigilantio ibi præsente,

620 *Vidit* Hieronymus, *Vigilantium esse hominem moribus incompositum. Attamen, quia missus erat a S. Paulino, eum benigne excepit, ac ne in Epistola quidem sua ad Paulinum de illo est* C *conquestus, nisi obscure his verbis :* Qui cur tam cito a nobis profectus sit, et nos reliquerit, non possum dicere, ne lædere quempiam videar. *In Epistola ad Vigilantium num.* 3 *ita habet :* Me laceras ; sanctum fratrem Oceanum in culpam hæreseos vocas. Presbyterorum tibi Vincentii et Pauliniani et fratris Eusebii judicium displicet. Solus es Cato Romani generis disertissimus, qui testimonio tuo et prudentiæ velis credi. *Hæc in Bethleem partim facta sunt, partim postea ; sed abiens veniam petierat, ideoque subdit Sanctus :* Recordare, quæso, illius diei, quando me de resurrectione et veritate corporis prædicante, ex latere subsultabas, et plaudebas manu, et applodebas pedem, et orthodoxum conclamabas. *Hac forsan de causa, nisi homo callidus voluerit sensa sua dissimulare, a* S. Hieronymo, *ut in fine Epistolæ legitur,* veniam deprecatus est. *Verum, sive ante iter redierit ad Rufinum, sive solum dissimulaverit in recessu, iterum in Occidente* Hieronymum *calumniatus est ut hæreticum.*

ab eoque infamatus in Occidente :

621 *Nam post verba mox data* Hieronymus *ita pergit.* Postquam navigare cœpisti, et ad intimum cerebrum tuum sentinæ putredo pervenit, tunc nos hæreticos recordatus es. *De hisce* Hieronymus *etiam diu post, quando ad alios errores prolapsus erat Vigilantius, in Epistola* 109 (*alias* 53) *ad Riparium num.* 2 *ita meminit :* Ego ego vidi hoc aliquando portentum, et testimoniis Scripturarum, quasi vinculis Hippocratis, volui ligare furiosum : sed abiit, excessit, evasit, erupit : et inter Adriæ fluctus Cotiique regis Alpes in nos declamando clamavit. *Purgavitque itaque rursum se* Hieronymus *Vigilantio, Epistolam ita ordiens :* Justum quidem fuerat nequaquam litteris tibi satisfacere, qui tuis auribus non credidisti : neque enim schedulæ poteris acquiescere, qui vivo sermoni non accomodasti fidem. Sed quia Christus perfectæ nobis humilitatis exemplar in se tribuit, dans osculum proditori, et latronis pœnitentiam in patibulo suscipiens, eadem absenti significo, quæ præsenti quoque loquutus sum, me ita Origenem legisse vel legere, ut Apollinarium vel cæteros tractatores, quorum in quibusdam libros Ecclesia non recipit. Non quo omnia dicam esse damnanda, quæ in illorum voluminibus continentur : sed quod quædam reprehendenda confitear.... Unde satis miror, te voluisse Origenis mihi objicere dogmata, cujus in plerisque errorem usque ad hanc ætatem penitus ignoras. *Addit* E *non pauca de erroribus Origenis, et aliorum exemplo excusat, quod aliqua ejus scripta latine reddiderit. At hæc latius disputabantur postea.*

quem idcirco acri Epistola monuit.

622 *Deinde hominem vanum serio monet, ne sua se jactantia perdat, stylo quidem pungenti, sed qui prodesse poterat Vigilantio, si quid habebat verecundiæ, aut saltem alios continere, ne misceant se disputationibus, quas non intelligunt.* Non parum est, *inquit,* scire, quid nescias : prudentis hominis est nosse mensuram suam, nec zelo diaboli concitatum, imperitiæ suæ cunctum orbem testem facere. Scilicet et gloriari cupis, et in patria tua jactitas, me non potuisse respondere eloquentiæ tuæ, et acumen in te Chrysippi formidasse. Christiana verecundia teneor, et cellulæ meæ latebras nolo mordaci sermone reserare. Alioquin proferrem πᾶσαν τὴν ἀριστείαν σου καὶ τροπαιοφορίαν. Sed hæc aliis aut loquenda aut ridenda dimitto. Ego quasi Christianus cum Christiano loquens, obsecro te, frater, ne plus velis sapere, quam sapis ; ne vel innocentiam vel simplicitatem tuam, vel certe ea, quæ taceo, et, te non intelligente, cæteri intelligunt, stilo proferas, F et ineptiarum tuarum cunctis cachinnum præbeas. Aliud a parva ætate didicisti : aliis assuetus es disciplinis. Non est ejusdem hominis et aureos nummos, et Scripturas probare ; et degustare vina, et Prophetas vel Apostolos intelligere. *Hactenus hominem indoctum et vanum salutari monitione docuit, in fine impiam Vigilantii in Daniele interpretationem acrius reprehendit ; et hæc subjungit :* Meam injuriam patienter tuli : impietatem contra Deum ferre non potui. Unde et visus sum mordacius in extremo epistolæ scribere, quam promiseram. Quamquam post priorem pœnitentiam, qua a me veniam deprecatus es, iterum commisisse, unde agas pœnitentiam, stolidissimum sit. Tribuat tibi Christus, ut audias et taceas ; ut intelligas, et sic loquaris. *De Vigilantio plura deinde disserentur.*

Exsilii decretum contra Hieronymum a Joanne obtentum.

623 *Jam vidimus, ab anno* 395 *controversiæ, quæ inter S. Epiphanium et Joannem Hierosolymitanum cœpta erat, involutum fuisse* Hieronymum, *eodemque anno clanculum ablatam fuisse versionem ejus latinam Epistolæ S. Epiphanii. Itaque eodem etiam anno rescriptum de exsilio contra* S. Hieronymum, *quod effectu tamen caruit,* a

AUCTORE J. S.

a Joanne obtentum existimo. Favet huic opinioni Hieronymus *ipse, dum in libro contra Joannem num.* 42 *de Joanne sic loquitur :* Quis potentissimam illam feram, totius orbis cervicibus imminentem, contra nostras cervices specialiter incitavit? *Ex his enim habemus, contra Hieronymum, ejusque monachos, ex parte Joannis excitatum fuisse principem sæcularem, quem fuisse Ruffinum, Orientalis imperii administratorem sub Arcadio, multi probabiliter credunt, ut* Hieronymum *cum suis in exsilium expelleret. Obtentum fuisse a Joanne exsilii decretum, sed effectu caruisse, clarius edicit* Hieronymus *in Epistola* 82 *ad Theophilum num.* 10. Nuper, *inquit*, nobis postulavit ot impetravit exsilium : atque utinam implere potuisset, ut, sicut illi voluntas imputatur pro opere, ita et nos non solum voluntate, sed et effectu coronam haberemus exsilii. Fundendo sanguinem, et patiendo magis quam faciendo cuntumelias, Christi fundata est Ecclesia... Monachus, proh dolor! monachis et minatur et impetrat exsilium; et hoc monachus apostolicam cathedram habere se
B jactans.

quod effectu caruit, verisimiliter per mortem Ruffini præfecti.

624 *Hæc ad factum Joannis improbandum Sanctus. At nec se nec monachos istis multum fuisse territos, subjungit, ita pergens :* Non novit terrori natio ista succumbere, et impendenti gladio magis cervices, quam manus subjicit. Quis enim monachorum exsul patriæ, non exsul est mundi? Quid opus est auctoritate publica et rescripti impendiis, et toto orbe discursibus? Tangat saltem digitulo, et ultro exibimus. Domini est terra, et plenitudo ejus. Christus loco non tenetur inclusus. *Si revera Ruffinus fuit, a quo impetratum erat rescriptum, uti verisimillimum est, quia dicitur* totius urbis cervicibus *imminuisse, sive imperium affectasse, quod creditum est de Ruffino, datum fuerit rescriptum anno* 395 *ad finem vergente, effectuque caruerit, quod Ruffinus ante exsecutionem fuerit occisus : hoc autem contigit die* 27 *Novembris anno* 395, *ut exsilii decretum eodem mense dari potuerit. Ex eadem Epistola num.* 7 *liquet, a Joanne ejusve asseclis accusatum fuisse* Hierony-
C mum, *quod quædam Origenis scripta in* latinum *vertisset : ad quam accusationem breviter respondet, observans, id fieri, ut, cum non auderent Origenem* aperte defendere, *eum saltem tuerentur* multorum simili errare.

Scribit Joannes ad varios contra ordinationem Pauliniani,

625 *Præterea aut eodem anno aut fortasse sequenti ad Occidentales episcopos scripsit Joannes, accusans ordinationem Pauliniani, et consequenter omnes, qui eam defendebant. Duo contra ordinationem objiciebat, videlicet juventutem Pauliniani, et locum suæ diœcesios, in qua presbyterum* constitutum *dicebat. De ætate non erat magna difficultas, cum aut* triginta *annorum esset, dum ordinatus est, ut locus* Hieronymi *potest exponi ; aut ætati* triginta *annorum tam propinquus, ut eam haberet, dum scripta est hæc* Hieronymi *Epistola. Non patiebatur etiam ullam difficultatem locus, ubi erat ordinatus, cum hic non esset in diœcesi Hierosolymitana, sed Eleutheropolitana. At locus, pro quo eum ordinaverat bona fide S. Epiphanius, difficultatem ingerebat, cum Bethleem esset sub Hierosolymitano episcopo. Hac de causa videtur Paulinianus, ubi intellexerat Joannis indignationem, abstinuisse ab administratione Sacramentorum in monasterio, donec pax iniretur. Certe* Hieronymus *num.* 8 *hæc scribit :* Fratrem meum causam dicit esse discordiæ, hominem, qui quiescit (*id est, Sacramenta monachis non administrat, quantum opinor*) in monasterii cellula, et clericatum non honorem interpretatur, sed onus. D Cumque nos usque ad præsentem diem ficta pacis astensione lactaverit, Occidentalium sacerdotum commovit aures, dicens eum adolescentulum et pene puerum in parœcia sua Bethleem presbyterum constitutum. *Respondet ad hæc* Hieronymus, *non esse ordinatum in diœcesi Hierosolymitana, et plura de ætate, ut ibidem videri potest.*

qui abstinet ab administrandis in monasterio Sacramentis.

626 *Abstinuisse autem Paulinianum ab administratione Sacramentorum in Bethleem, quod solum juri Joannis videri poterat contrarium, ulterius liquet ex lib. contra Joannem, in quo num.* 41 *Joannem ita alloquitur Sanctus :* Sin autem de Pauliniano tibi sermo est; vides eum episcopo suo (*S. Epiphanio*) esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, a qua ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, et in exsilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus episcopis? Fac a te ordinatum : idem ab eo audies, quod a me misello homine sanctæ memoriæ episcopus Paulinus audivit : E Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterum tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui; ego habeo, quod semper habui : nullum dispendium in ordinatione passus es. *Ex his, inquam, claram, Paulinianum habitasse primum in monasterio ut monachum, fortasse quamdiu erat spes pacis cito ineundæ, deinde vero in Cypro degere cœpisse. Hac cautione omnis conquerendi prætextus eripiebatur Joanni, qui poterat facile permittere, ut in monasterio* S. Hieronymi *sacerdotali officio fungeretur Paulinianus, si pacem amabat.*

Joannes ingressum ecclesiæ tandem monachis prohibet.

627 *Verum eo tandem prorupit indignatio Joannis, ut ingressu ecclesiæ interdixerit omnibus, qui Paulinianum dicerent presbyterum. De facto constat ex libro contra Joannem num.* 42, *ubi Joannem* Hieronymus *ita alloquitur :* An non tu scindis Ecclesiam, qui mandas clericis tuis, ut, si quis Paulinianum, ab Epiphanio episcopo consecratum, presbyterum dixerit, ecclesiam prohibeatur intrare? Ex quo tempore usque in præsentem diem videbimus tantum specum Domini, et hæreticis intrantibus, procul positi suspiramus. F Nosce sumus, qui Ecclesiam scindimus; an ille, qui vivis habitaculum, mortuis sepulcrum negat?... Quis ossa Sanctorum et innoxios cineres huc usque verberari ab imbribus sinit? His nos blandimentis bonus pastor invitat ad pacem. *Hæc tamen facta non existimo ante annum* 397 *aut* 398, *quia de hisce* Hieronymus *non conqueritur in Epistola ad Theophilum, sub finem anni* 396 *data, ut probabo num.* 640. *Præterea Rufinus anno* 397 *Hierosolyma Romam discessit, pace cum* Hieronymo *inita in ecclesia Resurrectionis, ut necdum eo tempore ingressus ecclesiæ prohibitus videatur fuisse* Hieronymo. *Nam concordiam cum Joanne serius instauratam probabimus. Hactenus vidimus, quæ Joannes molitus sit contra* S. Hieronymum ; *examinemus modo, quid ex parte sua Sanctus egerit.*

S. Epiphanius, cum Joannes monitus, de fide sua non responderet.

628 *Jam ante ordinationem Pauliniani S. Epiphanius Joannem habebat suspectum, tamquam addictum erroribus Origenis, monebatque subinde, non tamen ab ejus communione recedebat. In hisce nullas habuit partes* Hieronymus. *Secuta est ordinatio Pauliniani, cujus occasione multas Joannes turbas excitavit, noluitque. ut in Bethleemitico monasterio Sacramenta administraret. Tacuit*

AUCTORE J. S.

A *cuit rursum* S. Hieronymus, *et Paulinianus aut ab administratione in monasterio omnino abstinuit, aut, si forte bona fide initio cœperat, quod nullibi invenio, saltem cessavit, intellecta episcopi prohibitione. S. Epiphanius, auditis Joannis de ordinatione Pauliniani querelis et comminationibus, eam defendit per Epistolam 51 ad Joannem, in eaque et Joannem et Rufinum arguit, ut fautores errorum Origenis; hanc vero unicam esse causam, cur dictam ordinationem tam ægre ferret Joannes, declarat num.* 3 *his verbis* : Video enim, quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerim vobis : « Arii patrem, et « aliarum hæreseon radicem et parentem laudare « non debetis. » *Rursus nihil in his egit Hieronymus, nisi quod Epistolam in gratiam Eusebii Cremonensis Latinam reddiderit, addita etiam conditione, ut occultam teneret.*

monet monachos, ne temere cum eo communicent:

629 *Epistola S. Epiphanii Joannem minime permovit, ad respondendum de fide sua, aut suspicionem hæresis justa defensione amovendam. Quare S. Epiphanius, ubi noluerat se purgare Joannes de hæresis suspicione, monuit monachos, ne ei temere communicarent, ut asserit laudatus* B Hieronymus *num.* 40 *his verbis :* Postquam vero a beato papa Epiphanio conventus, tam sermone quam litteris, respondere contempsit; cunctis monachis ab eodem Epiphanio scripta venerunt, ut absque satisfactione fidei nullus ei temere communicaret. *Harum igitur litterarum causa monachi utcumque recesserunt a communione Joannis, quod scirent, tali tergiversatione suspectum fieri.*

hi itaque utcumque ab ejus communione abstinent,

630 *Attamen* Hieronymus *numquam ita communionem ex parte sua rupit cum Joanne, sicut receditur a communione hæreticorum, ut illos, qui cum eo communicabant, etiam aversaretur; nec Joannem umquam dixit hæreticum. Utrumque habemus ex Epistola 82 ad Theophilum, in qua respondit ad litteras Joannis eidem Theophilo Alexandrino scriptas. Nam num.* 4 *ita habet:* Scribit in suis illis (*Joannes,*) quod numquam a me læsus sit, nec dictus hæreticus. *Hoc agnoscit* Hieronymus, *ita respondens :* Quonam igitur modo me ipse lædit, ægrotantem morbo pessimo, et rebellem Ecclesiæ ventilans? *Post pauca de controversia inter Epiphanium et Joannem cœpta ait* : Ego nec interfui, nec audivi. Unus e populo sum, immo ne unus quidem, quia, C multis clamantibus, tacui. *Rursum, ubi observaverat, non respondere Joannem aperte de fide, subdit :* Ego interim sileo : nunc et dispensationem meam vel imperitiam simulabo vel metum. Quid mihi accusanti facturus est, qui, ut ipse testatur, laudanti detrahit? *Deinde num.* XI *de communione sic habet :* Præterea, quod scribit, nos per te, et Romanam Ecclesiam communicare ei, a qua videmur communione separati : non necesse est ire tam longe : et hic in Palæstina eodem modo ei jungimur. Et ne hoc quod * procul sit, in viculo Bethleem presbyteris ejus, quantum in nobis est, communione sociamur. *Hæc etiam clare confirmantur in libro contra Joannem num.* 42, *ubi observat, Ecclesiam a se non scindi, cum omnis domus* Bethleem *ibidem in* ecclesia *communicaret, baptizandosque ibi offerret; sed scindi a Joanne, qui vetabat, ne baptizandi reciperentur, aliosque ingressu ecclesiæ prohibebat.*

* *forte* quoquo

donec de fide responderet,

621 *Quæramus ergo, quo sensu intelligendus sit* Hieronymus, *dum dicit in libro contra Joannem num.* 43 : Quod tibi non communicavimus, fidei est : responde (*de fide nimirum,*) et ordinationis erit. *Fautetur his verbis* Hieronymus, *se suosque non communicasse cum Joanne, causamque primam allegat fidem, secundam Pauliniani ordinationem. Fidem allegat causam, non quod Joannem diceret hæreticum ; sed quod hic de hæresi publicis litteris et privatis sermonibus accusatus a S. Epiphanio, numquam dare voluisset candidam fidei suæ confessionem, clarisque verbis indicare, ab erroribus Origenis liberum se esse. Hinc num.* 43 *Joanni dicit :* Quis scindit Ecclesiam? Nos, quorum omnis domus Bethleem in ecclesia communicat; an tu, qui aut bene credis, et superbe de fide taces : aut male, et vere scindis Ecclesiam? *Itaque non abstinuit* Hieronymus *a communione Joannis, ignorans, an esset culpabilis, ut ait Tillemontius, sed optime sciens, cum silentio illo fieri suspectum, culpabilemque, quod nollet claro responso suspicionem tollere, cum redargueretur a viro eruditione, sanctitate miraculisque venerabili, cujus gravissima erat per totam Palæstinam auctoritas. Altera causa erat ordinatio Pauliniani, quod illius occasione a monasterio majorem subjectionem exigeret Joannes, quam ei debitam credebat* Hieronymus.

E

communicantes interim cum Cæsariensi metropolitano.

632 *Communicabat interim* Hieronymus *cum episcopo Cæsariensi, qui erat* Palæstinæ, *ideoque et Hierosolymitani metropolitanus. Hoc indicat* Hieronymus *num.* 37, *dicens controversiam non fuisse deferendam ad Theophilum Alexandrinum, ad quem Joannes recurrerat; sed ad Cæsariensem Palæstinæ aut Antiochenum totius Orientis metropolitanum, et ad propositum nostrum hæc scribens :* Aut igitur ad Cæsariensem episcopum referre debueras, cui, spreta communione, tua communicare nos noveras. *Itaque videtur episcopus Cæsariensis aut presbyteros ordinasse pro monasterio* S. Hieronymi, *aut ex ante ordinatis unum alterumve eo misisse, qui Sacramenta monachis administrarent. Crevit certe in monasterio presbyterorum numerus tempore dissensionis. Nam, ubi* Hieronymus *num.* 42 *dixerat, a se suisque* quadraginta.... baptizandos *fuisse oblatos presbyteris Joannis, subjungit:* Et certe quinque presbyteri erant in monasterio, qui suo jure poterant baptizare : sed noluerunt quidquam contra stomachum tuum facere, ne et hæc tibi de fide reticendi daretur occasio. *Ad hæc observo, solos* Hieronymum *et Vincentium nominari presbyteros, dum ordinatus est Paulinianus, ut hunc tertium fuisse colligatur ex* F *verbis S. Epiphanii num.* 615 *datis. Secundo* quadraginta *illi, qui* diversæ ætatis et sexus *fuisse dicuntur, non alio titulo spectabant ad monasterium, quam quod ibidem fidei articulus essent imbuti; eaque ratio fuisse videtur, quod presbyteri illos non baptizaverint in monasterio. Dicit tamen Sanctus,* id jure suo *eos facere potuisse, forte ob exemptionem monasterii, sed facere noluisse, ne offenderent Joannem.*

---

§ XXXVIII.

Auctor. J. S.

§ XXXVIII. Quibus modis concordia inter Joannem et Hieronymum sæpius tentata sit, et quo tempore inita videatur: cœpta amicitia Sancti cum Theophilo.

Ad pacem inter Joannem et Hieronymum conciliandam

Ex libro S. Hieronymi *contra Joannem colligitur, discordiam illam per* triennium *aut diutius fuisse continuatam, cum sub initium dicat,* se post triennium *loqui. At hoc triennium non inchoat ab initio discordiæ, sed ab Apologia Joannis, ut probabo inferius. Variis tamen modis tentata fuit concordia; sed invenire nequeo, an ab anno* 395, *quo contra* Hieronymum *Joannes se declaravit, jam de ineunda pace serio fuerit tractatum. Magis credo, primum conatum spectare ad annum* 396, *quandoquidem circa Pascha de pace sit actum. De illo conatu* S. Hieronymus *in libro contra Joannem num.* 39 *sic habet:* Quando per virum disertissimum et Christianissimum Archelaum comitem, qui sequester pacis erat, conditus locus fœderis fuit; nonne hoc in primis postulatum est, ut futuræ concordiæ fides jaceret fundamenta? Pollicitus est esse se venturum. Instabat dies Paschæ: frequens monachorum turba convenerat: exspectabaris in loco: quid faceres, nesciebas. Repente mandasti, ægrotare nescio quam: illo die te non posse venire. *Observat hic Sanctus, non debuisse Joannem ob morbum unius mulierculæ a tractatu concordiæ abstinere. Tum subdit:* Noluimus occasionem dare: videbamus enim stropham; dilationis tuæ injuriam patientia vicimus. Rescribit Archelaus: monet altero et tertio die manere, si vellet venire. At ille occupatus, muliercula enim vomere non cessavit, dum nauseam evasisset, nostri penitus oblitus est. *Igitur tergiversatione Joannis, quem Rufinus instigabat, conatus ille evasit irritus.*

Irrito conatu laborat Archelaus comes.

634 *Archelaus ille comes, qui pacem inter Joannem et* Hieronymum *conciliare studuit, idem verisimiliter est cum Archelao, qui anno* 397 *Ægypti præfectus fuit, ut observat Tillemontius tom. V Imperatorum Nota* 14 *in Arcadium. Hinc etiam verisimile fit, mandato imperatoris aut ministrorum ejus ad pacem illam conciliandam laborasse Archelaum, postquam rescissum erat decretum exsilii, quod anno* 395 *contra* Hieronymum *obtinuerat Joannes, quodque effectu caruit, ut vidimus num.* 624. *Sive autem imperatoris mandato, sive proprio consilio id fecerit Archelaus, Joannes needum pacem voluisse videtur, sed magis* Hieronymum *accusare, ut conqueritur Sanctus in Epistola* 82 *ad Theophilum num.* 8 *dicens:* Quumque nos usque ad præsentem diem ficta pacis ostensione lactaverit, Occidentalium sacerdotum commovit aures etc. *In eadem Epistola num.* 2 *Theophilo, ad pacem hortanti, repetitis vicibus declarat, pacem vehementer se desiderare, sed Joannem ad eam non esse dispositum, libere hæc scribens:* Nihil enim grande est, pacem voce prætendere, et opere destruere: aliud niti, aliud demonstrare: verbis sonare concordiam, re exigere servitutem. Volumus et nos pacem; et non solum volumus, sed et rogamus: sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem, in qua non sit bellum involutum, pacem, quæ non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat. Quid dominationem pacem vocamus, et non reddimus unicuique rei vocabulum suum? Ubi odium est, appellentur inimicitiæ; ubi caritas, ibi tantummodo pax vocetur. *Hæc abunde declarant, nonnulla a Joanne petita fuisse, quæ eidem concedenda non censebant monachi.*

Re delata ad Theophilum Alexandrinum, Isidorus presbyter,

635 *Hunc in finem Joannes controversiam detulit ad Theophilum Alexandrinum, qui usque ad illud tempus sectatoribus Origenis se non opposuerat, et S. Epiphanio erat contrarius, ut facile sperare possent Joannes et Rufinus,* Hieronymo *similiter adversaturum; prout eidem initio utcumque adversatus videtur. At* Hieronymi *prudentia id tandem effecit, ut ad æquas pacis conditiones pervenerit, ac Theophilum sibi et S. Epiphanio fecerit amicum, hæresis vero Origenianæ persecutorem acerrimum. Quo primum modo concordiam reducere studuerit Theophilus non omnino innotuit. At constat, de misso per eum in Palæstinam Isidoro presbytero, quem eo tempore magni faciebat, etiamsi eumdem postea graviter sit persecutus. Isidorus autem ille vehementer favebat Joanni, multumque de præjudicio ejus conqueritur* S. Hieronymus, *quod id esset detectum per litteras ejus pravias, quæ Rufino erant scriptæ, ut clare dicit* Hieronymus *lib.* 3 *contra Rufinum num.* 16: *sed per errorem erant inscriptæ* Vincentio presbytero, *socio S.* Hieronymi, *cui et redditæ sunt tribus mensibus ante legationem Isidori.*

multum Joanni favens, ab eo in Palæstinam mittitur,

636 *De his num.* 37 Hieronymus *Joannem sic alloquitur:* Iste Isidorus, *inquit,* qui in cælum tuis laudibus tollitur, id ipsum infamatur Alexandriæ, quod tu Jerosolymæ (*nempe de hæresi Origeniana*): ex quo non legatus advenisse videtur, sed socius. Alioquin et litteræ manu ejus scriptæ, quæ ante tres menses legationis ad nos directæ erant, portantes errorem, Vincentio presbytero redditæ sunt: quæ usque hodie ab eo tenentur, quibus cohortatur ducem exercitus sui (*Rufinum*), ut super petram fidei stabili persistat gradu, nec nostris næniis terreatur. Pollicetur se, antequam legationis esset ulla suspicio, venturum Jerosolymam, et ad adventum suum illico adversariorum cuneos proterendos. *Tum ex ipsis litteris affert sequentia verba:* Quomodo fumus in aere dissolvitur, et cera ad viciniam ignis liquescit; ita dissipabuntur, qui semper ecclesiasticæ fidei resistentes, nunc per homines simplices eamdem fidem inquietare conantur. *Visis ejusmodi Isidori litteris ab* Hieronymo, *nemo mirari debet, quod de ejus in Joannem favore multum conqueratur, cum hoc loco, tum paulo ante, ubi ait Joanni:* Malnisti occupatis auribus (*Theophili et Isidori*) molestiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere.

et frustra pacem componere studet,

637 *Postea Isidorus venit, sed pacem minime conciliavit. Venit autem duobus mensibus post irritum Archelai conatum, ut infra dicetur, id est circa Junium anni* 396, *aut ipso mense Junio.* Tribus vicibus *accessit ad litigantes, opinor, simul congregatos, ut innuitur num.* 39, *ubi de eo conquerens* Hieronymus, *ita loquitur:* Hic, qui ad tres vices dicitur ad nos accessisse, ... qui Theophili episcopi mandatum nobis loquebatur, litteras ad nos ab eo missas noluit reddere. Quumque diceremus, si legatus es, redde legationis epistolas: si epistolas non habes, quomodo legatum te probabis? Respondit, se habere quidem litteras ad nos; adjuratum tamen ab

A ab Jerosolymorum episcopo, ne nobis eas redderet, *De retentione illarum litterarum lib. 3 contra Rufinum Sanctus ita scribit* : Cujus (*Theophili*) epistolas ad me semper datas etiam eo tempore non ignoras, quo mihi eas reddi prohibebas *Rufino attribuit hic, quod ante Joanni, quia Rufini instigatione Joannes agebat omnia, et idem uterque Isidoro consilium suggessit. Hac de re iterum loquitur Sanctus in Epistola* 82, *deinde ad Theophilum data, hæc scribens num.* 9 : Denique quam pacificas, et ad concordiam pertinentes, per Isidorum presbyterum litteras nobis miseris, hinc probamus, quod illas, qui pacem falso jactant, reddere noluerint. *Erat igitur et hæc justa conquerendi ratio.*

quod Joannes nollet de fide satisfacere,

638 *Jam vero nihil efficere potuisse Isidorum, quod monachi nollent ruptam communionem instaurare, nisi Joannes de fide satisfaceret, in libro contra Joannem num.* 39 *ita refert Sanctus* : Post duos ergo menses (*post Archelaum*) tandem exspectatus venit Isidorus, qui non, ut tu fingis (*ad Joannem loquitur*) pro te testimonium, sed causam postulatæ (*a monachis*) satisfactionis audivit. Quum enim objiceret nobis : B Quare ei communicastis, si hæreticus erat? audivit ab omnibus : Communicavimus, nihil de hæresi suspicantes. Postquam vero a beato papa Epiphanio conventus tam sermone quam litteris, respondere contempsit; cunctis monachis ab eodem Epiphanio scripta venerunt, ut absque satisfactione fidei nullus ei temere communicaret. Præsto sunt litteræ, nec super hac re dubitari potest. Hæc sunt, quæ Fratrum turba respondit : non, ut tu argumentaris, ex eo te non esse hæreticum, quia aliquando non dictus sis. *Ex hac monachorum constantia perceperunt Joannes et Isidorus, et procul dubio etiam Rufinus, necessariam esse Apologiam, qua suspicionem hæreseos, multorum animis alte impressam, posset abstergere. Noluit tamen se coram S. Epiphanio aut coram Hieronymo aliisque monachis purgare : sed maluit Apologiam scribere ad Theophilum, qua magis accusaret adversarios suos, quam se defenderet.*

Joannes Apologiam scribit ad Theophilum :

639 *Itaque ante discessum Isidori Apologiam scripsit, eo præsente et adjuvante, ut* S. Hieronymus *in libro contra Joannem num.* 38 *asserit his verbis* : Hæc ipsa Apologia, de qua nunc C sermo est, Isidoro præsente et multum collaborante, dictata est, ut idem esset et dictator et bajulus litterarum. *Hanc Apologiam num. 4 vocat* Epistolam, *quam Joannes scripsit* ad episcopum Theophilum. *Sperabat nimirum Joannes, Theophilum sibi favorabilem fore, nec ignorabat, eum instigandum, cum ab Isidoro, tum a Rufino. Certe Rufinum lib.* 3, *num.* 18 *ita* Hieronymus *de Theophilo tunc multum mutato alloquitur* : Et quotidie missis tabellariis (*ad Theophilum*), inimicum ejus (*forte S. Epiphanium*) amicum nostrum et familiarissimum jactitabas : et ea, quæ nunc impudenter scribis, mentiebaris, ut illius contra nos odia concitares, et injuriæ dolor, fidei fieret oppressio. Sed vir prudens, et Apostolicæ sapientiæ, tempore ac rebus probavit et nostrum in se animum, et vestras contra nos insidias. *Revera Theophilus, qui initio se favorabilem Joanni exhibuit, postea* Hieronymum *et Epiphanium magni facere cœpit. Insinuat autem* Hieronymus *in libro contra Joannem num.* 5, *statum controversiæ non fuisse penitus perspectum Theophilo, indeque factum esse, ut* Epistolam *sive Apologiam Joannis probaret, cum ille ex objectis sibi fidei articulis nonnullos tantum elegisset, ad quos facile poterat respondere.*

hic eam Hieronymo communicat, additis litteris

640 *Itaque Theophilus, accepta illa Joannis Epistola, qua et Joannem Catholicum credebat, et monachos de schismate et canonum violatione accusatos perspiciebat, ita causam Joannis suscepit, ut mallet ejus adversarios suavitate ac lenitate ad pacem reducere, quam nimia verborum austeritate magis exacerbare. Scripsit eodem anno* 396, *ut verisimillimum est, sive non diu post acceptam Joannis Epistolam, ad* Hieronymum *reliquosque monachos, ut eos ad se Joanni subjiciendum incitaret, iisdemque ipsam quoque Joannis Epistolam communicavit, ut liquet ex responso* S. Hieronymi, *qui illam summatim refellit. Est hæc jam sæpe laudata Epistola* 82 (*alias* 62), *qua Theophilo respondet* Hieronymus. *Cum autem procul dubio statim Theophilo responderit Sanctus, sicut Theophilus scripserat non diu post reditum Isidori et acceptam Joannis Apologiam, rerum ordo omnino innuit, Epistolam* 82 *figendam vergente ad finem anno* 396. *Nam Archelaus circa Pascha, quod anno* 396 *incidebat in* 13 *Aprilis, concordiam reducere tentaverat : post duos menses,* E *id est, mense Junio, venerat Isidorus. Hic aliquo tempore in Palæstina mansit, ut certe rediens non venerit Alexandriam ante Julium, aut potius Augustum. Deinde, omnibus intellectis, examinataque Joannis Epistola, scripserit suam Theophilus, ut ob magnum terrarum intervallum, quo Bethleem distat Alexandria, non nisi aliquo ex posterioribus anni* 396 *mensibus respondere potuerit* Hieronymus. *Vallarsius illam epistolam differt usque ad annum* 399, *non alia ratione, quam quod scriptam credat eodem fere tempore cum libro contra Joannem ; sed annos saltem duos utrique interponendos videbimus.*

suavibus et ad pacem incitantibus

641 *Qualis porro fuerit Epistola Theophili, colligitur ex responso* S. Hieronymi, *qui sic orditur* : Epistola tua hæreditatis Dominicæ indicans te possessorem, qui pergens ad Patrem Apostolis loquebatur : « Pacem meam do vobis, pacem » meam relinquo vobis, » illius quoque felicitatis compotem te esse testata est, in qua Beati pacifici nuncupantur. Blandiris ut pater, erudis ut magister, instituis ut pontifex. Venisti ad nos non in austeritate virgæ ; sed in spiritu benignitatis et lenitatis et mansuetudinis, ut humilitatem Christi F primo statim sermone resonares : qui mortalium genus non fulminans et tonans, sed in præsepi vagiens, et tacens salvavit in cruce... Unde et multa de sacris voluminibus super pacis laude perstringens, ac per varios Scripturarum campos more apum volans, quidquid dulce et aptum concordiæ fuit, artifici eloquio messuisti. Currentes igitur ad pacem incitati sumus : exposita ad navigandum vela crebrior exhortationis tuæ aura complevit, ut non tam retrectantibus et fastidiosis, quam avidis et plenis faucibus dulcia pacis fluenta biberemus. *Mansuetam fuisse Epistolam Theophili, rursum insinuat num.* 9 *his verbis* : Quid procul pacem quærunt, et volunt eam nobis ab aliis imperari? Sint pacifici, et illico pax sequetur. Cur nomine sanctitatis tuæ contra nos pro terrore abutuntur, quum Epistola tua pacem et mansuetudinem sonet; illorum verba duritiem comminentur? *Similiter aliquot locis repetit, pacem se velle, et maxime sub finem Epistolæ, quam ita concludit* : Tribuat autem orationibus tuis Christus Deus omnipotens, ut pacis

AUCTORE J. S.

pacis non ficto nomine, sed vero et fideli amore sociemur; ne mordentes invicem, consumamur ab invicem.

Hieronymus vero Theophilo respondet, Apologiam Joannis

642 *Explicat nihilominus* Hieronymus, *cur existimet, pacem non sincere quæri ab adversariis, multoque plura intelligenti breviter insinuat, quam claris verbis edicat. Nam primo innuit, non posse securos se esse de caritate Joannis, cum videretur solam monachorum subjectionem quærere. Secundo nec de fide Joannis securas se esse, cum ambigue responderit, his verbis declarat :* Sed fides pura et aperta confessio non quærit strophas et argumenta verborum. Quod simpliciter creditur, simpliciter confitendum est. Poteram quidem libere proclamare, et inter gladios quoque ignesque Babylonios dicere : Cur aliud responderur, quam quæritur? Cur non simplex est nec aperta confessio? Totum timet, totum temperat, totum relinquit ambiguum, et quasi super aristas graditur. *At hæc breviter solum insinuans, pergit ad respondendum ad nonnulla, quæ Joannes objecerat de quibusdam in monasterio ordinatis, de translatis ab* Hieronymo *Origenis aliquot Opusculis, ac nominatim de ordinatione Pauli-* B *niani num. 8, ubi subjungit :* Quod si non potest pacem habere cum fratre (*Pauliniano*), nisi cum subdito, et ordinationis suæ episcopum (*S. Epiphanium*) renuente, ostendit se non tam pacem cupere, quam sub pacis occasione vindictam : nec aliter quietis et pacis otio esse contentum, nisi integrum habeat, quod minatur. *Addit etiam querelas de Joanne, et nominatim quod obtinuisset rescriptum de exsilio monachorum, ut dictum est num.* 623.

breviter recellens, pacemque se cupere dicens.

643 *Inter querelas illa etiam est, quod aliorum voluntati, nimirum Rufini et ejus amicorum, ut clare edicit verbis num.* 538 *datis, serviret contra* Hieronymum *ejusque monachos. Pacem tamen vel sic desiderare se protestatur, ita scribens :* Quapropter, quod in principio Epistolæ dixi, etiam nunc repeto, nos velle pacem Christi, optare concordiam : et te rogare, ut illum moneas, pacem non extorquere, sed velle. Sit præteritarum nostrarum contumeliarum dolore contentus. Veterata vulnera saltem nova obliteret caritate. Sit talis, qualis ante fuit, quando nos suo arbitrio diligebat. Verba ei de alieno stomacho non fluant. Faciat, quod vult, et non, quod velle compellitur. C Aut quasi pontifex cunctis æqualiter imperet : aut quasi imitator Apostoli, universorum saluti ex æquo serviat. Si talem se præbuerit, ultro præbemus manus, extendimus brachia, amicos et parentes habeat : et sentiat in Christo, sicut omnibus Sanctis, ita et sibi nos esse subjectos.... Idcirco enim et nos patrias nostras dimisimus, ut quieti absque ullis simultatibus in agris et in solitudine viveremus, ut pontifices Christi (qui tamen rectam fidem prædicant) non dominorum metu, sed patrum honore veneremur; ut deferamus episcopis, ut episcopis, et non sub nomine alterius aliis, quibus nolumus, servire cogamur. Non sumus tam inflati cordis, ut ignoremus, quid debeatur sacerdotibus Christi... Sed contenti sint honore suo : patres se sciant esse, non dominos, maxime apud eos, qui spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti et otio præferunt. *Hæc omnia, uti et Epistola tota, luculenter insinuant, ita pacem voluisse* Hieronymum, *ut ea non officeret libertati monachorum suorum peregrinorum, et Joannes errores Origenis aperte damnaret. Quid Theophilus, accepta hac Epistola, fecerit, non invenio. At suspicor,* D *illum ulterius progressum non esse; concordiamque non esse secutam, nisi biennio aut triennio post.*

At pax necdum eo tempore, nec anno 397 composita.

644 *Tillemontius art.* 81 *existimat, Theophilum venisse in Palæstinam ad pacem inter* Hieronymum *cum suis et Joannem restituendam. At Epistola* 63, *inferius recitanda, ex qua id nonnemo colligere voluit, nequaquam significat, Theophilum venisse in Palæstinam, sed Theophilum aliquo tempore nullas ad* Hieronymum *dedisse litteras. Nam orationis series exigit, ut, ubi nonnulli legerunt,* quo nobiscum manebas, *legatur cum editione Veronensi,* quo nobiscum tacebas. *Vidit hoc et observavit ipse Tillemontius, ut mirer ab eo referri factum, quod ex lectione prorsus incongrua et falsa fuit unice assertum. Existimat tamen, pacem anno* 397 *initam esse, quia eo anno Rufinus, antequam discedebat Romam, cum* Hieronymo *amicitiam instauravit. Verum hoc est de Rufino, indeque mihi etiam suspicio fuit, pacem eodem tempore initam fuisse cum Joanne Hierosolymitano. At argumenta, quæ in contrariam partem se offerunt, tam gravia sunt, ut omnino existimem, Rufinum in speciem saltem cum* Hieronymo *in pacem rediisse, quod in Occidentem discederet, ubi* Hieronymus *potentes habebat ami-* E *cos, quos ille sibi nolebat inimicos : dissensionem vero inter Joannem et* Hieronymum *mansisse indecisam. Etenim discessit Rufinus anno* 397 *: liber vero contra Joannem secundum omnes, quas continet, notas chronologicas nequit esse scriptus ante annum* 398 *decurrentem ad finem. Præterea in libro contra Joannem nulla unquam verbo Rufinum lædit. At in Epistola de Optimo genere interpretandi* Rufinum *nominat, ut instigatorem Joannis. Hinc colligo, librum illum esse compositum, postquam in gratiam redierat cum Rufino : alioqui enim frequens erat illum nominandi occasio, ut liquet ex iis, quæ superius de Rufino sunt dicta.*

§ XXXIX. Tempus scripti libri contra Joannem Hierosolymitanum : controversia cum Joanne composita.

Hieronymus contra Joannem scribit, hortante Pammachio.

N*unc vero de tempore scripti libri contra Joannem, cum magna de eo inter eruditos sit discordia, pluribus est disserendum. Primo sub initium hujus libri, ad Pammachium scripti, rationes scribendi Sanctus ita allegat :* Nosti, Pammachi, F nosti me ad hoc Opus non inimicitiis, non gloriæ cupiditate descendere, sed provocatum litteris tuis ex ardore fidei; ac velle, si fieri posset, omnes id ipsum sapere, nec impatientiæ ac temeritas posse reprehendi, si post triennium loquor. Denique nisi ad Apologiam, de qua nunc scribere institui, multorum animos diceres perturbatos, et in utramque partem fluctuare sententiam, decreveram in incepto silentio permanere. *Ex his habemus, non scripsisse* Hieronymum, *nisi postquam Apologia Joannis, circa medium anni* 396 *composita, Romæ erat lecta, ibique multorum animos perturbaverat, atque id ipsum demum per litteras Pammachii S.* Hieronymo *innotuerat. Missa autem Romam non videtur ante annum* 397, *cum scripta esset ad Theophilum, ut is, ea perlecta, monachis pacem aut potius subjectionem imperaret, eaque de causa solum missa Romam videatur, postquam conatus Theo-*

phili

AUCTORE J. S.

A *phili evaserat irritus. Certe num. 5 legitur:* Sed dicis, Epistolam meam probavit Alexandrinus episcopus. *Hoc igitur Romæ notum erat. Itaque vix capio, qua ratione aliqui librum contra Joannem eodem fere tempore figant cum ante memorata* Hieronymi *ad Theophilum Epistola. Nam Apologia Joannis multo citius Alexandriam pervenire poterat, quo eamdem ferebat Isidorus, quam in Occidentem aut Romam; solusque Theophilus a Joanne electus erat quasi judex controversiæ, ut verisimile non fiat, Apologiam in Occidentem fuisse missam, nisi post irritum Theophili conatum.*

triennio post scriptam ejus Apologiam,

646 *Quapropter illa verba,* Si post triennium loquor, *referenda omnino videntur ad tempus, quo scripta est Joannis Apologia, sicut naturalis loci intelligentia exigit. Non siluerat* Hieronymus *per* triennium *de controversia sua cum Joanne; sed siluerat ad Apologiam ejus, quam refutandam suscipit* post triennium. *Jam circa initium anni 396 contra obtrectationes Joannis et Rufini defenderat Translationem Epistolæ S. Epiphanii. De controversia procul dubio locutus erat cum Archelao et Isidoro, qui concordiam conciliare studuerant, ac nominatim de ea ad Theophilum multa scripsit in Epistola 82 frequenter laudata. At in* B *hac Epistola noluit studiose probare, declarationem fidei, quam Joannes Apologiæ suæ inseruerat, non esse satis apertam nec sufficientem ad abstergendam suspicionem de hæresi Origeniana, de quo accusatus erat a S. Epiphanio. Innuit quidem ibi aliquid de ambigua fidei expositione verbis num. 642 recitatis: sed nihil clare edicit; nihil probandum assumit; subjungit vero:* Ego interim sileo: nunc et dispensationem meam vel imperitiam simulabo vel metum. *Itaque Apologiam Joannis* post triennium *suscepit refutandam, quia multos ea intelligebat perturbatos. Cum autem plerumque annos ita numeret* S. Hieronymus, *ut ultimus non sit completus, probabilius intelligemus* triennium *non completum, sive duos annos et aliquot menses. Itaque cum Apologia sit composita circa medium anni 396, nequit probabilius figi hic liber contra illam scriptus, quam sub finem anni 398 aut initium sequentis.*

sive sub finem anni 398 aut initium 399.

647 *Aliæ notæ chronologicæ, quas Opus illud continet, accurate congruunt epochæ jam datæ. Num. 17 ita loquitur Sanctus:* Non est istius temporis contra dogma Gentilium, et ex parte Platonicum scribere. C Ante annos ferme decem in Commentariis Ecclesiastæ, et in Explanatione Epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum. *Sanctum anno 389 scripsisse in Epistolam ad Ephesios, et in Ecclesiasten sub finem ejusdem anni, aut forte initium sequentis, probavi num. 367 et 368. Itaque* ferme decennium *post expositam Epistolam ad Ephesios, sive decennium inchoatum, erat sub finem anni 398. Cum autem Ecclesiastes aliquot mensibus serius sit explanatus, non æque certum est de illis Commentariis jam inchoatum decennium excurrisse, dum scribebat contra Joannem Hierosolymitanum; id ipsum tamen est probabilius. At sive etiam hi Commentarii annos decem præcesserint, sive soli Commentarii in Epistolam ad Ephesios, cum dicat* ante annos ferme decem, *ac de duobus Opusculis simul loquatur, accurata sunt Sancti verba, datæque chronotaxi plane conformia.*

ut aliis etiam notis

648 *Vallarsius ex eodem loco argumentatur, aitque Commentarios in Ecclesiasten* circa annum 390 *compositos, indeque librum contra Joannem remittit ad annum 399 aut 400. Verum laudatus editor alibi Commentarios illos cum Tillemontio figit anno 388, ut observavi num. 369. Mallem, eamdem ubique chronotaxim servasset. Scripti sunt illi Commentarii* ferme quinquennium, *postquam anno 385, et diu ante medium anni, Blæsillæ fuerant promissi; ut illud* ferme quinquennium *recte consisteret, etiamsi circa medium anni 389 essent scripti: at nec congruit cum anno 388, cui illos innectit Tillemontius, et probabilius non perducit usque ad annum 390; cum is sit loquendi modus* S. Hieronymi, *ut temporis intervallum potius augeat, quam minuat.*

chronologicis ejusdem Epistolæ

649 *Restat nota tertia ad idem nos tempus remittens. Joanni, volenti, ut monachi subjicerentur sibi, ita respondet* Hieronymus *num. 41:* Si de me et de presbytero Vincentio (*loqueris*) satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam, et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus; sed ut in agris et in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus. *Tillemontius Nota 42 fatetur,* annos tredecim *hic assertos non posse rectius inchoari, quam ab anno 386,* E *quo* S. Hieronymus *venit cum Vincentio in Palæstinam, et quo Joannes adeptus est episcopatum Hierosolymitanum. Omnis alia loci illius intelligentia tam est improbabilis, ut vix capiam, quomodo viri eruditi alio respicere potuerint. Neque enim Joannes subjectionem* Hieronymi *et Vincentii prætendere poterat, antequam illi erant in Palæstina; sed solum ab eo tempore, quo ibi habitationem fixerunt.*

clare probatur.

650 *Vidit hoc etiam Vallarsius, sed* Hieronymum *serius, quam oportebat, in Palæstinam perduxit, sui hic iterum immemor, nisi malimus credere, adjutorum ejus aliam fuisse chronotaxim, aliam ipsius Vallarsii, indeque factum, ut non omnia invicem consentiant. Quod vero hic ait,* ab exacto anno 386 *tredecim illos annos inchoandos esse, improbabile est. Nam circa initium anni 386* Hieronymus *in Palæstinam venit, ac post diuturnam ad loca sacra peregrinationem, iterque institutum in Ægyptum, domicilium in Bethleem fixit in æstate anni 386. Quare a medio fere anno 386 inchoandi sunt anni tredecim, atque hi optime perducunt ad finem anni 398 aut sequentis initium, ut annus postremus maneat incompletus, quemadmodum* Hieronymus *annos plerumque* F *numerat. Laudatus Tillemontius nobiscum asserit, dictos annos tredecim ducere ad annum 399, aut saltem ad 398. At hunc præferendum, nunc probabo.*

et aliunde etiam confirmatur

651 Hieronymus *num. 42 ait, quadraginta presbyteris Joannis oblatos esse baptizandos, tempusque ita designat:* Ante paucos menses circa dies Pentecostes, quum, obscurato sole, omnis mundus jamjamque venturum Judicem formidaret. *Incidebat anno 398 Pentecoste in mensem Junium. Itaque sit per* paucos menses *intelligamus quatuor, quinque, aut sex menses, deducimur ad Octobrem, Novembrem aut Decembrem. Tot menses intelligendos, ut perducant ad annum sequentem, minus est verisimile. Præterea finitam fuisse* Hieronymi *et Joannis controversiam ante æstatem anni 399, colligitur ex Epistola 77, sive ex Epitaphio Fabiolæ, quod illa ipsa æstate scriptum probabo num. 820. Nam in eo num. 8 dicitur:* Erat illo tempore (*anno 395 exeunte*) quædam apud nos dissensio etc. *Voce* erat *omnino innuit, finitam fuisse, antequam illud scribebat. Tertio certum est, scriptam esse Apologiam Joannis, antequam*

AUCTORE J. S.

quam Rufinus discessit in Occidentem, scriptamque duobus circiter mensibus post Pascha, ut nequeat serius figi, quam circa Junium anni 396. Plus ergo, quam triennium, post illum siluisset Hieronymus, si sub finem anni 399 aut anno 400 scripsisset contra Joannem.

Non est ille liber scriptus anno 392 aut 393,

652 Longius a vero aberrarunt, qui librum contra Joannem fixerunt anno 392 aut 393, quia crediderant, verbis mox allegatis obscurato sole etc. indicari solis eclipsim, talemque eclipsim illis annis inveniunt. At satis ex relatis liquet, controversiam illam serius cœptam, librumque multo serius scriptum. Vocibus vero illis obscurato sole non existima eclipsim significari. Cum enim obscuratio solis per eclipsim, sive per interpositionem lunæ, sit ordinaria, et ab astronomis præsciatur, non tantum illa induxisset metum, ut omnis mundus jamjamque venturum Judicem formidaret. Fuerit igitur extraordinaria solis obscuratio, quæ tantam incussit formidinem: et sic verba illa ad rem non pertinent.

nec exeunte 396.

653 Tillemontius Nota 42 et 52 librum contra Joannem figit anno 396 ad finem decurrente, quia credidit, concordiam stabilitam, antequam B anno 397 Romam discessit Rufinus. Verum contorta est tota ejus chronotaxis, contrariaque nutis omnibus chronologicis superius adductis. Repugnant dictæ epochæ decem fermc anni, qui excurrerant post Commentarios in Ecclesiasten, et, ut ipse fatetur, tredecim anni, quibus in Palæstina habitaverat Hieronymus. Opponit suum illud solemne, non esse Hieronymum accuratum in annis recensendis. At ego magis cogor credere, dialecticam Tillemontii accuratam non esse, quam Hieronymum pro undecim scripsisse tredecim, pro octo dixisse decem. Accedit triennium, quo ad Apologiam Joannis tacuit, inchoatum circa Junium anni 396, finitum sub finem anni 398. Triennium illud refert ille ad initium controversiæ, quam anno 394 orditur. At nec anno 394 Hieronymus controversiæ, quæ tunc inter Epiphanium et Joannem erat, immixtus fuisse videtur, nec dicit de illa se semper tacuisse, sed tacuisse ad Apologiam, quam tunc examinare aggrediebatur. Quare unicum pro sua opinione argumentum habet Tillemontius, quod crediderit Joannem et Rufinum eodem tempore conciliatos cum Hieronymo. Hoc tam certum credidit, ut non inveniam, ullibi id C probare conatum. Ego jam num. 644 rationes allegavi pro contrario: eæque confirmantur ex epocha libri contra Joannem scripti.

pro quo nulla est ratio notabilis.

654 Quod vero affert Nota 52, nihil pro altera parte probat. Dicit Hieronymus, S. Epiphanium a Joanne per archidiaconum tacere jussum. Tum subdit num. 14: Ille per totum exinde triennium suas injurias devorat, privataque simultate contempta, fidei tantum correctionem postulat. Non constat, quo tempore illud fuerit factum, ideoque nequit prodesse ad chronotaxim accurate concinnandam. At certe factum non est initio controversiæ, ut videtur inferre Tillemontius. Nam diu laboravit Epiphanius, ut Joannem avelleret ab erroribus, quibus adhærentem credebat. Post illud vero factum rupisse videtur communionem cum Joanne, ac postmodum siluisse. Certe post pauca Hieronymus ait, sibi suisque notum esse, quid cogitaverit Epiphanius de sermone Joannis: Ad quos, inquit, tuis vocibus perturbatus venit exanimis, temere se communicasse, dicens. Rogatusque ab omni monasterio, ut ad te de Bethleem reverteretur, tantorum preces non ferens, sic reversus est vespere, ut medio noctis aufugeret. Hæc satis indicant, eo tempore rupisse communionem S. Epiphanium, postquam neque litteris neque sermonibus Joannem impellere potuerat, ut contra Origenis errores sententiam suam declararet. Tunc etiam scripserit ad monachos, ne temere communicarent cum Joanne, a cujus communione illi ante non recesserunt. Tempus aliunde non innotescit. At cum supra dicat Sanctus: Totum exinde triennium, quo verisimiliter completum triennium insinuat, conjicimus illa contigisse sub finem anni 395, idque congruit cum verbis num. 618 relatis, quibus multum viguisse dicitur dissensio, quando Fabiola sub finem anni 395 ex Palæstina discedebat. D

Libro illo Sanctus refutavit Apologiam Joannis,

655 Restat, ut de libro ipso pauca dicamus, cum ex ipso plurima jam fuerint recitata. Librum hunc scribebat Hieronymus, hortante Pammachio, qui verisimiliter jam intellexerat, Apologiam Origenis a Rufino versam esse, ac fortasse etiam libros Origenis de Principiis, ideoque tanto magis hortari Hieronymum poterat, ut scriberet contra fautores Origenis. Refutandam autem illo libro suscepit Joannis Apologiam, qua hic nisus erat persuadere, Catholicum se esse, nec alia de causa ab Epiphanio, Hieronymo reliquisque monachis suspectam fuisse redditam fidem suam, quam quod improbasset factam ab Epiphanio Pauliniani ordinationem. E Inseruerat Joannes scripto suo multas de monachis querelas, hos magis impetens, quam S. Epiphanium, quem Hieronymus reliquique monachi sequebantur ducem. Respondet ad omnia S. Hieronymus: sed præcipue conatur probare, non dedisse Joannem in Apologia sua claram fidei confessionem, nec respondisse ad omnia hæreseos capita eidem a S. Epiphanio objecta, nullibi hæreseos Joannem accusans, damnans tamen tergiversationem ejus, quod rogatus in Palæstina nunquam S. Epiphanio respondere voluisset, recurrisset vero ad Theophilum Alexandrinum, atque huic, de statu controversiæ non satis instructo, alia pro aliis respondisset. Rufinum, quem S. Epiphanius nominatim accusaverat, in toto libro non nominat Hieronymus, semel tamen designat per ducem exercitus; cui Isidorus anno 396 scripsit litteras, ex errore ad Vincentium presbyterum perlatas. Nam ducem illum fuisse Rufinum, indicavit postea Hieronymus lib. 3 contra Rufinum num. 6. At id nemo scire poterat ex libro contra Joannem præter eos, qui viderant Epistolam; ut Rufino tunc F omnino pepercisse videatur Hieronymus ob amicitiam cum illo redintegratam.

ostenditque ejus fidei confessionem esse ambiguam

656 Pungit quidem Joannem frequenter Hieronymus ob tergiversationem, et ambigua ejus dicta ubique sic discutit, ut ostendat, eadem dici posse ab homine Origenis erroribus infecto. Quam tamen diligenter caveat, ne videatur de internis judicare, paucis ostendam. Ab initio declarat, periculosum esse de alterius animo judicare, et singulorum dictorum atque verborum investigare atque proferre rationem. Mox num. 2: Certe si hæreseos nulla suspicio est (ut cupio et credo) cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quod pure credat: pure ergo et loquatur. Similia multa objiciendo profert; sed nullibi hæreticum vocat, nullibi verba ejus hæreseos arguit. At solum exponit, quo sensu ab Origenistis dici possint. Hoc vero solum in libro isto agi, num. 22 rursum declarat, innuens simul, scripturum se aliquando contra Origenem, hisce verbis: Non est istius temporis contra Origenis dogmata conscribere: alteri

A alteri istud, si Christus vitam dederit, Operi dedicabimus. Nunc quæritur, an, qui arguitur, ad interrogata responderit, et simplex sit et aperta ejus responsio. *Opus contra Origenem, quale aliquando scribere cogitabat, nunquam videtur scripsisse. Fortiter tamen contra Origenem et Origenistas se declaravit in Epistola 84, et contra eosdem non raro disputavit in Commentariis suis in Prophetas, et in aliis etiam scriptis.*

videtur omnino perfectus.

657 *Ceterum aliqui existimant, librum non esse absolutum; suspicaturque Tillemontius, finitum non esse, quia opera Theophili pax fuit composita ante librum perfectum. Vallarsius non improbabile putat,* postremam ejus partem eamque perexiguam excidisse. *At ego nequaquam video, librum aut imperfectum esse aut mutilum. Nam responsa Joannis de fide examinat usque ad articulum 37 in editione Veronensi; ibique insinuat, progredi se ad ejus contra monachos objectiones, quas solum breviter refellit, multaque in fine paucis perstringit. Quid desit, non invenio. Abruptus videri utcumque potest finis: sed idem in aliquot aliis* Hieronymi *Opusculis invenio, ut inde nequeam certo concludere, aut librum imperfectum* B *esse aut mutilum. Vallarsius demum existimat, hunc librum non esse visum a Rufino, dum scripsit contra S.* Hieronymum. *Hoc facile credidero, quandoquidem Romam pervenerit, postquam inde recesserat Rufinus, qui librum illum non impugnat, etiamsi aliqua attingat eo etiam contenta: sed ea aliunde nosse poterat. Præcipua tamen ratio, cur Rufinum latuerit, fortasse erit, quod initio solis* Hieronymi *amicis fuerit communicatus.*

Concordia inter Joannem et Hieronymum.

658 *Quod vero spectat ad finem controversiæ, non satis liquet, cujus interventione tandem stabilita fuerit concordia. Plerique existimant, Theophili opera id factum esse, sed sine certo aliquo argumento. Vera quidem esse potest illa conjectura. Fortasse tamen Joannes ipse ad pacem ineundam animum adjecit; sive quod intelligeret, quanta esset Romanorum offensio ob libros Origenis de Principiis, quos Rufinus anno 398 Latinos Romæ fecit, sive quod perspiceret, fidem suam multis fieri suspectam, neque ablatam esse suspicionem priori ad Theophilum Apologia, sive quod errores Origenis tempore dissensionis melius didicisset, sive alia de causa nobis ignota. Rufinus ipse, quando videbat in Romanorum offensionem se incurrisse, Joanni* C *suadere potuit, ut amicitiam cum S.* Hieronymo *renovaret: nam* Hieronymi *exemplo Origenis scripta transferre se dicebat. Quidcumque fuerit causæ, circa annum 399 cessavit omnis dissensio, nec* Hieronymo *solum et monachis amicitiam suam restituit Joannes, sed etiam satisfecit S. Epiphanio, cum nulla inter illos superfuerit discordia. Si Theophilus concordiam conciliarit, fuerit verisimiliter stabilita, quando ipse Origenistas acriter cœpit persequi, sive circa annum 400. Nam Epistola 63 (alias 68)* Hieronymi *ad Theophilum non diu ante illam Origenistarum persecutionem data videtur, et necdum sublata erat omnis inter* Hieronymum *et Joannem dissensio, quando illa fuit data; aut certe Theophilus, dum ad* Hieronymum *scripsit, non noverat, concordiam fuisse initam, cum ipsum monuerit de canonibus servandis.*

de qua stabilienda circa 399 rursum scripsit

** al. mancas mendose*

659 *Qualis fuerit Epistola Theophili, utcumque colligitur ex Hieronymiana, quam totam subjungo:* Meminit beatitudo tua, quod eo tempore, quo nobiscum tacebas *, nunquam ab officiis meus sermo cessaverit: nec consideraverim, quid tu pro dispensatione tunc faceres, sed quid me facere conveniret. Et nunc sumptis dignationis tuæ epistolis, fructum aliquem cepisse me video Euangelicæ lectionis. Si enim duri judicis sententiam crebra mulieris inflexit petitio, quanto magis paterna viscera interpellatione sedula molliuntur? *Modesta hæc querela de silentio Theophili insinuat, ipsum post Epistolam unam, (aut fortasse plures) ad* Hieronymum, *qua studuerat Sanctum ad concordiam cum Joanne excitare, diu non respondisse ad litteras* Hieronymi, *hunc tamen officiosas Epistolas, quæ exciderunt, subinde misisse: tandem vero Theophilum, forte anno 399, rursum scripsisse ad* Hieronymum *Litteras, ad quas hic respondet, easque de concordia cum Joanne stabilienda: neque enim video, cur alias monuisset de canonibus. Itaque hæc Epistola ex diuturno Theophili silentio figenda est notabili tempore post 82 ad Theophilum, sub finem anni 396 datam, ac facile pertinere potest ad annum 399.*

Theophilus ut ex Hieronymi responso innotescit

660 Hieronymus *in ea sic pergit:* Quod de canonibus ecclesiasticis mones, gratias agimus. « Quem enim diligit Dominus, corripit; et flagellat omnem filium, quem recipit ». Sed tamen scito, nobis nihil esse antiquius, quam Christi jura servare, nec patrum transferre terminos, E semperque meminisse Romanam fidem, Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina ecclesia gloriatur. *Ex hisce et magis ex sequentibus suspicor, Theophilum in suis litteris declarasse suam de Origenistis sententiam, sed addidisse, patienter se eorum correctionem sperare. Nam ita prosequitur Sanctus:* Super nefaria hæresi quod multam patientiam geris: et putas Ecclesiæ visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis sanctis displicet: ne, dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, et factio robustior fiat. Vale in Christo. *Hæc non scripsisset* Hieronymus, *nisi in Epistola sua Theophilus mentem suam aperuisset. De illa autem Theophili Epistola, quæ excidit, videtur loqui* Hieronymus *in Epistola 86 (alias 70) ad Theophilum, tunc aperte contra Origenistas agentem, quam ita orditur:* Nuper tuæ beatitudinis percepi scripta, emendantia vetus silentium, et me ad solitum officium provocantia.

quando non diu post iterum scribebat Hieronymus,

661 Unde licet per sanctos fratres, Priscum et Eubulum, tuus ad nos sermo cessaverit: tamen quia vidimus illos zelo fidei concitatos, raptim Palæstinæ lustrasse regiones, et dispersos re- F gulos usque ad suas latebras persequutos, breviter scribimus, quod totus mundus exsultet, et in tuis victoriis glorietur: erectumque Alexandriæ vexillum crucis, et adversus hæresim trophæa fulgentia, gaudens populorum turba prospectet. Macte virtute, macte zelo fidei. Ostendisti, quod huc usque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus. Libere enim reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus, te nimium esse patientem, et ignorantes magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video, exaltasti manum diu, et suspendisti plagam, ut ferires fortius. *Ad scripta Theophili, emendantia vetus silentium respondit per Epistolam supra datam, qua modeste de illo silentio loquitur, quaque conqueritur de patientia Theophili* super nefaria hæresi. *Hanc querelam hic excusat et emendat. Itaque, cum dicat, nuper accepisse se illa Theophili scripta, clarum sit, Epistolam illam 63. qua ad illa respondit, non multis mensibus datam esse ante hanc, qua de illa accepta iterum meminit. Utraque spectare potest ad eumdem annum: malim tamen conjicere priorem anni 399, posteriorem sequentis esse.*

662

erat concilia-ta, fuitque tunc perfecta:

662 *Erat autem concordia inter* Hieronymum *et Joannem perfecta, dum posteriorem scripsit* Hieronymus, *quandoquidem subjungat sequentia verba :* Super susceptione cujusdam non debes contra urbis hujus (*Hierosolymitanæ*) dolere pontificem (*Joannem,*) quia nihil tuis litteris præcepisti : et temerarium fuit de eo, quod nesciebat, ferre sententiam. Tamen reor, illum nec audere nec velle te in aliquo lædere. *Hisce verbis Joannem apud Theophilum excusat : nec ullo deinde verbo de eo conquestus legitur. Constat præterea, Theophilum anno* 400 *Synodicam epistolam scripsisse episcopis Palæstinæ contra Origenistas, interque eos Joanni, atque hunc cum reliquis rescripsisse. Utraque Epistola inter Hieronymianas habetur in editione Veronensi, ubi prima est* 92, *altera* 93 : *et utraque ab* Hieronymo *in Latinum sermonem translata creditur. Alia perfectæ reconciliationis indicia sunt, quod* Hieronymus *in libris contra Rufinum ne vel minimam de Joanne insinuet querelam, licet eum subinde nominare cogatur : quodque Joannes morienti S. Paulæ anno* 404 *adfuit, teste* Hieronymo *in ejus Epitaphio num.* 28. *Quin et præfuisse* Hieronymum *parœciæ in Bethleem, videtur dicere Posthumianus, qui sub initium sæculi* 5 *ibidem cum* Hieronymo *fuit, apud Sulpicium Severum lib.* 1 *Dialogorum cap.* 8, *his verbis .* Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit : nam parochia est episcopi, qui Hierusolymam tenet. *Locum sic exposuit Tillemontius, ut ecclesiam non distinguat a parochia. Ego magis existimo, per ecclesiam intelligi monasterium, ut vox illa alias non raro sumitur : velleque Posthumianum, regi monasterium ab* Hieronymo; *a presbytero episcopi Hierosolymitani parochiam; ut antea certe factum esse,* Hieronymus *clare edicit in libro contra Joannem num.* 42.

res peracta circa annum 399.

663 *Ex dictis abunde liquet, restitutam fuisse amicitiam inter* Hieronymum *et Joannem circa annum* 399. *At malo ignorare, cujus opera res illa sit perfecta, quam aut Theophilo, aut alii cuilibet illam laudem incertis conjecturis attribuere. Tillemontius art.* 81 *observat, a Palladio in Historia Lausiaca cap.* 118 *gloriam illam tribui Rufino et Melaniæ : sed obscurum est, quod dicit Palladius,* Paulini schisma *vocans. Quod vero legendum sit* Pauliniani, *ut vult Tillemontius, non facile crediderο, ut res illa ad nos minime pertineat. Ceterum lubet breviter observare, ex dissensione cum Joanne ortam esse amicitiam* Hieronymi *cum Theophilo, quocum antea nihil videtur habuisse commercii : Theophilumque ab* Hieronymo *præcipue impulsum esse, ut Origenis errores exscinderet. Laudabilis sane fuit ille Theophili conatus : nam quod neoterici quidam, et nominatim multis locis Tillemontius, contenderunt, nullos fuisse errorum Origenis sectatores, tam mihi absurdum apparet, ut refutari non mereatur. Alia tamen esset quæstio, an Joannes Hierosolymitanus errores Origenis unquam fuerit sectatus, aut certe iis tam pertinaciter adhæserit, ut gravem culpam contraxerit. Neutrum dixit* Hieronymus; *nec ego dicam, aut dicere possum. Quid pro Theophilo postea egerit* Hieronymus, *examinabo per decursum.*

Paulum sacerdotio privatum tunc hospitio suscepit

664 *Hic vero paucis inquiram, quis ille fuerit, de cujus susceptione Theophilo Joannem excusat Sanctus. Dubitare vix possum, quin sit Paulus, qui aliquo tempore fuit in monasterio* S. Hieronymi, *quod damnatus esset a Theophilo, sedeque sua ejectus, nescimus qua de causa. Arguit ea de causa Rufinus* S. Hieronymum *in litteris nunquam editis, quas libro tertio contra Rufinum Sanctus refellit. De his num.* 17 *Rufinum alloquens ita habet :* Porro quod interrogas, quando Papæ Theophili sententiam sequi cœperim, eique fidei communione sociatus sim, et ipse tibi respondes : « Tunc, credo, quando Paulum, quem ille damnaverat, summo nisu et omnibus studiis defendebas, quando eum per imperiale rescriptum recipere sacerdotium, quod episcopali judicio amiserat, instigabas. » *Ad hanc Rufini objectionem prius conqueritur* Hieronymus, *quod insultet misero Paulo, qui saltem presbyter erat, et probabilius episcopus, ut insinuat vox* sacerdotium. *Non fuisse Paulum ex sectatoribus errorum Origenis, declarat* Hieronymus *his verbis :* Aut ego fallor, aut illud est verum, quod plurimi jactitant, te Origenistarum hostes in illo persequi, et sub occasione unius (*Pauli*) in utrumque (*Paulum nimirum et Theophilum*) sævire. *Mox etiam innuit, sibi non constitisse de justitia sententiæ contra Paulum latæ, hæc scribens :* Nec hoc dico, quod de episcoporum sententiis judicem, aut eorum cujusquam statuta rescindi : sed quod unusquisque suo periculo faciat, quod sibi videtur, et ipse noverit, quomodo de suo judicio judicandum sit.

Hieronymus, factumque contra Rufinum defendit.

665 Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus. Veremur enim, ne Maria cum Joseph locum non inveniat in diversorio, ne nobis Jesus dicat exclusus : « Hospes eram, et non suscepistis me,.. Solos hæreticos non recipimus, quos vos solos recipitis. Propositum quippe nobis est pedes lavare venientium, non merita discutere. Recordare, frater, confessionis ejus, et pectoris, quod flagella secuerunt. Memento carceris, tenebrarum, exsilii, metallorum, et non indignaberis hospitio transeuntem esse susceptum. An ideo tibi rebelles videmur, quia calicem aquæ frigidæ in nomine Christi sitientibus porrigimus? Vis scire, unde illum et nos plus amare, et tu odisse plus debeas? Hæreticorum factio, nuper fugata de Ægypto et Alexandria, se Jerosolymam contulit, et huic voluit copulari, ut quorum unus esset dolor, una fieret accusatio (*contra Theophilum*). Quos ille repulit, sprevit, abjecit, dicens se non esse inimicum fidei, nec contra Ecclesiam bella suscipere : quod prius tentavit, doloris fuisse, non perfidiæ nec alterius appetisse innocentiam, sed suam probare voluisse. Impium' putas, post sententiam sacerdotum, imperiale rescriptum? quod quale sit, noverit ille, qui meruit. *Hactenus de Paulo verisimiliter episcopo, qui sub Arianis aut sub Juliano pati pro fide potuit omnia illa, quæ recenset* Hieronymus. *Ejus susceptio non fregit amicitiam* Hieronymi *cum Theophilo, cum illa fuerit continuata usque ad annum* 405, *quando rupta videtur ob persecutionem S. Joannis Chrysostomi. Ipsa tamen susceptio et hæc responsio ostendit,* Hieronymum *non fuisse adeo tenacem amicitiæ Theophili, ut a bonis operibus vellet ejus causa abstinere*

§ XL.

AUCTORE J. S.

§ XL. Rufinus cum Melania Romam discedit, vertitque Apologiam pro Origene, ejusque libros de Principiis.

Rufinus, cui juvenis Hieronymus amicus fuit,

Eodem fere tempore, quo composita est dissensio inter Hieronymum et Joannem Hierosolymitanum, gravius contra Hieronymum erupit bellum a Rufino, qui antea Joannem antistitem contra Sanctum instigaverat; sed anno 397, quando ex Palæstina volebat Romam discedere, concordiam cum Hieronymo aut serio aut saltem in speciem redintegraverat. Si causas gravissimæ dissensionis diligenter investigare velimus, facile inveniemus, nullam in Hieronymo fuisse culpam, sed subdolo Rufini artificio necessitatem Sancto impositam agendi ea, quibus ille in tantas exarsit inimicitias totque in sanctum effudit calumnias, ut apud prudentes plus famæ suæ detraxerit, quam nocere potuerit S. Hieronymo. Ut res tota clarius elucescat, altius repetenda est. Vidimus § 6, inter Hieronymum et Rufinum, dum ambo erant juvenes, amicitiam fuisse, eosque simul aliquo tempore habitasse Aquileiæ. Deinde § 7 amicissimas produxi Hieronymi litteras, quibus Rufino, tunc degenti in Ægypto, declarat, quantum desideret ipsum videre in Syria: tam in his quam in aliis litteris ad Florentium amanti ac liberali calamo laudes Rufini celebrat.

non videtur ex æquo ejus amicitiæ respondisse:

667 Respondisse Rufinum tanto amori, quantum Epistolæ illæ declarant, numquam invenire potui, ut suspicio non infundata oriatur, Rufinum ne in juventute quidem sincere addictum fuisse Hieronymo. Nihilo magis reperio, fuisse postea ab anno 375 usque ad 386 ullum inter Hieronymum et Rufinum litterarum commercium. Attamen minime oblitus est Rufini sui Hieronymus, quando scripsit Chronicon circa 381, ubi de eo honorifice meminit. Ad Rufinum, cum Melania Hierosolymæ degentem, rursum procul dubio venit Hieronymus anno 386, quando Hierosolymam vidit, et postea domicilium fixit in Bethleem. Tillemontius art. 44 mire prædicat amicitiam, quam eo tempore inter Hieronymum et Rufinum fuisse existimat: sed rationes non allegat idoneas, quibus credere valeamus, sinceram fuisse amicitiam ex parte saltem Rufini. Etenim abunde liquet, Rufinum inter eos fuisse, qui labores Hieronymi carpebant, ac nominatim translationem Veteris Testamenti ex Hebraico, aliaque fecisse jam ante relata, quæ insidiatorem magis insinuant, quam amicum.

nec illorum amicitia videtur postea summa fuisse, aut certe ea nequit probari

668 Affert quidem Tillemontius locum ex Epistola S. Augustini, inter Hieronymianas 110 (alias 93), in qua multum revera celebratur amicitia, quæ inter Hieronymum et Rufinum viguerat. At dubitari potest, an S. Augustinus in Africa intellexerit, quæ inter Hieronymum et Rufinum gesta erant in Palæstina. Certe occultas Rufini molitiones contra Hieronymum non videtur perspectas habuisse Augustinus; sed legisse epistolas, quas juvenis Hieronymus ad Rufinum ac de Rufino ad Florentium scripserat, aliaque, quibus eorum amicitia narrabatur. Quod autem de amicitia eorum tantum dixerit S. Augustinus, quantum potuerat ex præcedentibus animo concipere, nequaquam miror, cum multum doleret de suborta discordia, conareturque litteris suis Hieronymum ad pacem resarciendam impellere. Nam de sinceritate Rufini non poterat nec debebat in Africa judicare Augustinus, præsertim cum de ejus molitionibus nihil fortasse nosset.

669 Ad probandam Hieronymi ac Rufini amicitiam in Palæstina affert Tillemontius ea, quæ Rufinus lib. 2, num. 8 inepte disserit ad Hieronymum de perjurio convincendum. Audiamus iracundi hominis acumen. Alioquin, ait, si inficias eat (se perjurum esse), etiam testes quam plurimos fratrum habere possum, qui in meis cellulis manentes, in monte Oliveti quamplurimos ei Ciceronis Dialogos descripserunt, quorum et ego quaterniones, cum scriberent, frequenter in manibus tenui et relegi: et quod mercedes multo largiores, quam pro aliis scripturis solent, ab isto eis darentur, agnovi. Mihi quoque ipsi aliquando, cum de Bethleem Jerosolymam venisset, et codicem secum detulisset, in quo erat unus Dialogus Ciceronis, et idem ipse Græcus Platonis, quod dederit ipsum codicem, et aliquamdiu fuerit apud me, nullo genere negari potest. Sed quid immoror tamdiu in re, quæ luce est clarior? cum ad hæc omnia, quæ supra diximus, etiam illud addatur, ubi cesset omne commentum, quod in monasterio positus in Bethleem, ante non multo adhuc tempore partes grammaticas executus sit, et Maronem suum, comicosque et lyricos, et historicos auctores, traditis sibi ad discendum Dei timorem puerulis exponebat, scilicet et ut præceptor fieret auctorum gentilium, quos si legisset tantummodo, Christum se negaturum juraverat, nempe in somnio.

ex verbis Rufini, qui vult pueros ab Hieronymo

670 Adduxi omnia verba inepti declamatoris, quia utcumque spectant ad gesta S. Hieronymi, si vera sunt. Hoc verum esse, facile credo, pueros in monasterio S. Hieronymi fuisse institutos, Dialogosque Ciceronis ad illorum usum a Rufini monachis fuisse excriptos. Non video etiam, cur Dialogum Ciceronis, eumdemque Græcum Platonis, sive ut exscriberetur, sive ubi exscriptus erat a monachis, secum ferre non potuerit Hieronymus, eumque Rufino in manus tradere. At non video, ex hisce inferri posse singularem amicitiam. Certe mercedes multo largiores, quas pro exscriptione solvebat pauper Hieronymus, non insinuant magnam amicitiam. Quod semel ad Rufinum venerit, Dialogumque exscribendum aut exscriptum ipsi tradiderit, non innuit multum familiaritatis. Alia sane invenisset contra Hieronymum Rufinus, si intima cum eodem necessitudine fuisset conjunctus, cum liqueat, ipsum ex quibuslibet virtutum floribus venena fugere conatum, et occulta prodere non timuisse.

Grammaticam doctos.

671 Quod modo spectat ad partes grammaticas, quas Hieronymum exsecutam vult Rufinus; ne probabile quidem est, sanctum quotidie, aut statis temporibus, illas obivisse pueros docendi partes, cum alia haberet agenda, conquereturque, sufficiens sibi otium non fuisse ad Scripturas meditandas. Utinam, ait lib. 1 contra Rufinum num. 31, celebritas loci, et Sanctorum de toto orbe conventus, sineret me divinas Scripturas legere. In tantum spatium non habeo externa meditandi. Fortasse tamen Rufinus totum non confinxerit; sed more suo rem supra verum exaggeraverit. Potuit sanctus, ut pueros puerorumque magistros animaret, subinde aliqua ex poetis aliisque scriptoribus profanis per se explicare; librosque legendos iis meliores præscribere. Agnoscit in Epistola 21 ad Damasum, in pueris necessitatis esse poetas legere.

AUCTORE J. S.

legere. At nequaquam necessitatis est omnia, etiam turpia, in poetis legere. Hac ne fieret, sapientissimus Magister cavere poterat.

Inter Rufinum Origeni nimis addictum et Hieronymum orta dissensio.

672 *Amicitia inter Rufinum et* Hieronymum, *si ex parte Rufini fuit sincera, multum detrimenti passa est, quod Rufinus nimium Origeni se addictum præberet. Hinc S. Epiphanius in Epistola sua num. 6 dicit Joanni Hierosolymitano:* Te autem, frater, liberet Deus, et sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, et omnes fratres, qui tecum sunt, et maxime Rufinum presbyterum ab hæresi Origenis. *Necdum ulla Origenis scripta in Latinum sermonem transtulerat Rufinus; quando iis verbis de eo mentem suam declaravit doctissimus hæreseon examinator Epiphanius. Contra* Hieronymus *multa Origenis fecerat Latina; nec tamen Epiphanius unquam* Hieronymum *de hæresi Origenis suspectum habuit, sed magna amicitia cum eo fuit conjunctus. Qui sic erant accusati ab Epiphanio, accusationem vertere voluerunt contra* S. Hieronymum, *occasionem præbente Translatione scriptorum Origenis. Impulerunt igitur Vigilantium, hominem imperitum et audacem, ut* Hieronymum *de hæresi Origeniana coram redargueret in Palæstina, calumniasque suas deinde in Gallia repeteret. Rursum in Apologia sua Joannes Hierosolymitanus, quem Rufinus consilio juvabat,* Hieronymum *accusavit, quod Origenis Opera in Latinum vertisset, ut liquet ex responso* Hieronymi *in Epistola 82 ad Theophilum. Itaque jam in Ægypto et Italia et in omnibus provinciis, ad quas pervenit Joannis Apologia; ac nominatim in Gallia per Vigilantium, ut Origenista traducebatur* S. Hieronymus.

sed pax composita ante discessum Rufini ex Palæstina.

673 *Interim Rufinus, postquam per Vigilantium et Joannem partes suas egerat, et* Hieronymum *de versis Origenis Operibus curaverat toto quasi orbe Romano accusandum, cogitavit Romam discedere, voluitque sibi prius* Hieronymum *conciliare. Pax certe fuit instaurata, et quidem difficulter, si credimus Rufino, qui lib. 2 contra* Hieronymum *num. 37 ait,* pacem illam summo vix sudore reparatam. *Consentit* S. Hieronymus *lib. 3 contra Rufinum num. 33, respondens Rufino, qui contendebat, concordiam ab illo ruptam.* Venio, *inquit,* ad gravissimum crimen, in quo post reconciliatas amicitias me infidelitatis accusas. Fateor, inter cuncta maledicta, quæ vel objicis, vel minaris, nihil a me ita repellendum est, quam fraus, dolus, infidelitas. Peccare enim hominis est, insidias tendere diaboli. Ergo ideo in Anastasi (*id est, in ecclesia Resurrectionis Hierosolymæ*) immolato Agno, dexteras junximus, ut *etc. Pax facta in ecclesia,* immolato Agno, *id est, oblato sacrosancto Missæ Sacrificio, manifeste insinuat, eo tempore concordiam illam conclusam, quo licebat* Hieronymo *ingredi ecclesias diœcesis Hierosolymitanæ. Itaque vel simul cum Joanne Hierosolymitano pax inita est, vel inita est ante illud tempus, quo ille ingressum ecclesiæ prohibuit cunctis, qui Paulinianum dicerent presbyterum. Secundum omnino dicendum est: Rufinus enim discessit diu ante pacem cum Joanne initam. Rursum num. 24 ita conqueritur Rufinus:* Vos nobis pacem proficiscentibus dedistis, et a tergo jacula venenis armata jecistis. *Respondet vero Sanctus:* Pacem dedimus, non hæresim suscepimus. Junximus dexteras: abeuntem prosequuti sumus, ut vos essetis Catholici, non ut nos essemus hæretici.

Rufinus, qui cum Melania seniore

674 *De anno, quo Rufinus ex Palæstina Romam profectus est, non convenit inter eruditos, aliis statuentibus annum 396, aliis iisque pluribus ejus iter ad annum 397 referentibus, et nonnullis improbabiliter ad 398 respicientibus. Postremam hanc opinionem dixi improbabilem, quia S. Siricius papa anno 398, die 26 Novembris obiit. Nam sic Rufinus non nisi paucis mensibus Romæ fuisset, vivente Siricio. At ex gestis referendis constat, longo ibidem tempore moratum, discessisse tamen ante mortem Siricii. Restat igitur solum inquirendum, annone 396 an 397 ex Palæstina discesserit, Romamque venerit. Altera dubitatio est, utrum Melania senior cum Rufino simul et ante in Ægyptum et Palæstinam profecta sit, et cum eodem redierit in Italiam. Tillemontius variis locis pro certo edicit, Melaniam ante Rufinum in Ægyptum profectam, ac post Rufinum rediisse in Italiam. Chronotaxim vero senioris Melaniæ ordinare conatur tom. X Nota 2 in Melaniam seniorem, ubi meo quidem judicio sententiam amplectitur omnino improbabilem, talemque, ut omnibus prorsus, quos laudat, antiquis repugnet. Vel sic tamen Tillemontii illa sententia sectatores habuit eruditos. At candide edico, nullam mihi esse dubium, quin Melania et Rufinus simul in Ægyptum navigaverint, indeque in Palæstinam venerint, ac simul anno 396 aut 397 redierint in Italiam.*

anno 374, in Ægypto erat.

675 *Fatetur Tillemontius, a* S. Hieronymo *in Chronico iter Melaniæ in Palæstinam figi an. 374. At contra hanc epocham prolixe disserit ex Palladii Historia Lausiaca, quam multo brevius examinabimus. Interim eodem tempore etiam Rufinum in Ægyptum venisse, liquet ex Epistola 3* Hieronymi, *quam Antiochia ad eum scripsit, ut dictum est num. 123. Scripsit enim Epistolam media æstate, eamdemque scripsit, ubi adventum Rufini certo intellexerat, ut Rufinus sub finem anni 373 aut prioribus mensibus anni 374 ex Italia navigaverit, et cum Melania in Ægyptum venerit. In Epistola 4, eodem tempore scripta credebat* Hieronymus, *Rufinum* cum sancta Melania ab Ægypto Jerosolymam venisse. *Hoc necdum erat verum. At quomodo simul venturos credere poterat* Hieronymus, *nisi novisset simul discessisse? Consentit S. Paulinus in Epistola 29 novissimæ editionis (alias 10) ad Severum, ubi num. 6 de reversa ex Oriente Melania ait:* Sanctam ipsam (*Melaniam*) ex Hierusalem post quinque lustra remeantem, excepimus. *Quinque lustra indicant annos fere viginti quinque. At necesse non est, ut quintum lustrum sit plenum, ut de annis viginti tribus aut viginti quatuor sic loqui potuerit Paulinus, uti de annis passim loquuntur antiqui, etiamsi ultimus solum sit inchoatus. Itaque non dubito, quin Melania discesserit cum Rufino sub finem anni 373, cum eoque redierit anno 397, quo Rufini reditum figimus. Nam etiam in Epistola 28 (alias 9) S. Paulinus* Ruffinum presbyterum *vocat* sanctæ Melani spiritali in via comitem. *Ceterum duæ hæ Epistolæ ab sphalmata Tillemontii, quæ secutus est editor, ab epocha justa avulsæ sunt.*

eo Roma cum eadem discesserat anno 373.

676 *Discessisse autem Melaniam cum Rufino, potius sub finem anni 373, quam anno 374, colligo ex* Hieronymi *Epistola 39 (alias 25) ad Paulam, in qua num. 4 laudat constantiam Melaniæ in morte conjugis et duorum filiorum, ac deinde subjungit:* Quinimo qua illos mente contempserit, in unico postea filio probat, cui omni, quam habebat, possessione concessa, ingruente jam hieme, Jerosolymam navigavit. *Si navigavit,* ingruente jam hieme, *necesse est, eam navigasse sub finem anni 373. Nam in media æstate anni 374 intellexerat certo* Hieronymus, *Antiochiæ*

A *chiæ ægrotus, Rufinum venisse in Ægyptum, credebatque, cum cum Melania jam fore in Palæstina. Etiam antea de Rufini in Ægyptum adventu rumores audierat. Quod hisce apposuit ex Palludio Tillemontius, nihil est, modo tollamus adjectam ab ipso ideam. Palladius generatim laudans hospitalitatem Melaniæ, ait :* Triginta enim et septem annos hospites excipiens, illis ea, quæ erant usui, suis præbuit sumptibus etc. *Dormiensne an vigilans somniaverit Tillemontius, triginta et septem annos, quibus hospitalitatem exercuit Melania, intelligendos esse de commoratione ejus in Ægypto et Palæstina, non edicam; sed nequaquam dubito dicere, merum id esse somnium; cum Melania post mortem conjugis Romæ non minus, quam in Ægypto et Palæstina, hospitalitatem exercere potuerit.*

transactisque in Palæstina multis annis, cum eadem redit.

677 *Quod vero de Melania et Rufino simul ante dicit Palladius :* Viginti autem et septem annis excipiebant eos, qui veniebant Jerosolyma voti causa : *nequit prodesse Tillemontio. Nam hic scriptor iter Rufini in Ægyptum figit anno 374, et sex annis Rufinum in Ægypto habitantem facit, ac denum ex Palæstina educit anno 397. Ab*
B *anno 374 usque ad 397 habemus annos viginti et tres, quomodo igitur annis viginti et septem Rufinus hospitalitatem exercuit Hierosolymæ, præsertim si sex annis mansevit in Ægypto? Hæc observo in gratiam eorum, qui cum Tillemontio Palladium, scriptorem minime accuratum, contra* Hieronymum *et Paulinum, multo exactiores, sequuntur. Tillemontius autem ex somnio suo de triginta et septem annis a Melania in Ægypto et Palæstina transactis, multa alia more suo deducit, nimirum eam circa* 366 *Roma discessisse, decem annis mansisse in Ægypto, venisse in Palæstinam anno* 376 ; *rediisse in Italiam anno* 402, *Romam anno* 403. *Addit multa de consanguineis Melaniæ, quæ certiora non videntur; sed illa non examino. Dicam tamen candide, omnia fere, quæ in sex annotationibus in Melaniam seniorem Tillemontius disserit, ex vitiosa chronotaxi deducta, vitiosaque videri. Si ducem minus accuratum, quem elegit, saltem accurate fuisset secutus, vidisset, eosdem annos* viginti septem *Melaniæ et Rufino in Palæstina attribui; et consequenter eorum discessum eodem tempore figendum, etiam ex Palladio. Verum, missis illis, tempus inquiramus, quo*
C *rediit Rufinus cum Melania.*

Romam venit Rufinus ante annum 398, ut liquet

678 *Jam monui, Rufinum discessisse sub finem anni* 373, *postquam* Hieronymus *eodem anno alia via discesserat in Syriam. Quinque igitur lustra ducere possunt ad annum* 398. *Verum ante mortem Siricii Papæ, anno* 398, 26 *Novembris defuncti, diutius Romæ fuit Rufinus, quam ut adventus ejus eodem anno figi possit. Hoc etiam certius probatur ex verbis Rufini in Præfatione ad librum* 3 *Origenis de Principiis, ubi ait,* diebus Quadragesimæ *duas priores libros de Principiis a se versos. Nam moles illius operis coget dicere, jam ante Quadragesimam cum Romæ fuisse, cumque et alia ante verterit, ut videbimus, eo ipsum venisse ab anno saltem* 397. *Rursum in eadem Præfatione ita prosequitur :* Sed quoniam illis diebus etiam tu, religiose frater Macari, et vicinus manebas * et amplius vacabas, etiam ego amplius operabar. Illos vero posteriores duos (*tertium et quartum*) tardius explicuimus, dum tu ad nos ab extrema et ultima Urbis parte rarior exactor accedis. *Ex his verbis conjicere possumus, duos aut tres menses posterioribus his libris impensos fuisse. Cum autem circa Pascha, quod anno* 398 *mense Aprili celebrabatur, inchoati fuerint, circa Junium aut Julium absolutos credimus, id est, quatuor aut quinque mensibus ante mortem Siricii Papæ. Verum etsi solum absoluti fuissent mense Septembri, poterat ante mortem Siricii Roma excedere Rufinus : nam jam Roma contra ipsum turbata erat ob priores libros, quando in ultimos hosce Præfationem scripsit, ut ibi fatetur. Itaque nullum est dubium, quin Versio librorum de Principiis figenda sit anno* 398, *eodemque anno Romam reliquerit Rufinus.*

* al. monebas

ex Operibus ibi scriptis, quæ ab anno 397 debuit inchoare,

679 *Jam vero ante versionem librorum de Principiis alia pro Origene Opuscula Romæ elaboravit Rufinus, eaque tantæ molis, ut Opera illa anno* 397 *inchoare saltem debuerit, si forte eadem ante annum* 398 *non absolverit, ut satis fit verisimile. Primum erat græca Origenis Apologia, quam S. Pamphilo attribuit, ac latinum fecit Rufinus, prout edita est apud Martianæum tom.* V *a col.* 219, *ubi ad Macarium, qui Opus istud petierat, Rufinus ita præfatur :* Cognoscendæ veritatis amore permotus, o vir desideriorum Macari, injungis mihi rem, quæ tibi agnitæ veritatis gratiam conferat : mihi tamen non dubito quin offensam
E maximam comparet eorum, qui se læsos putant ab eo, qui de Origene non aliquid male senserit. *Post versam Apologiam Rufinus suo etiam labore alteram pro Origene Apologiam texere aggressus est, editam ibidem a col.* 249, *in qua fatetur in scriptis Origenis* quædam *inveniri religionis contraria,* et ea, quæ veritatis regula non admittit : quæ nos quoque, *inquit,* nec recipimus, nec probamus. *Verum contendit, ea omnia per hæreticos Operibus Origenis infarta esse. De utraque Apologia meminit Rufinus in Præfatione libri primi de Principiis.*

ex iisdem etiam colligitur, ipsum non venisse

680 *Quandoquidem ex Operibus Rufini liqueat, ipsum ab anno* 397 *Romæ fuisse, ex iisdem æque probandum est, ante dictam annum Romam non venisse. Rufinus lib.* 1 *Invectivarum num.* 9 *occasionem transferendi Origenis Apologiam, aliaque deinde Opuscula sic enarrat, ut simul insinuet, non multo post adventum suum tempore primum fuisse inchoatum.* Vir, *inquit,* fide, eruditione, nobilitate, vita clarus, Macarius, cum Opuscula adversus fatum vel mathesim haberet in manibus, eaque utili et pernecessario sudore componeret, in aliquantis vero, quia erat perdifficilis materia, de divinæ providentiæ disserere dispen-
F sationibus hæsitaret, per soporem sibi a Domino tale aliquid dicebat ostensum, quod navis ei quædam demonstraretur eminus adventare per pelagus; quæ cum portum fuisset ingressa, nodos suæ hæsitationis absolveret. Exsurgens vero cum de visu sollicitus cogitaret, nos supervenisse aiebat in tempore. Quibus continuo et Opuscula sua et ambiguitatem indicavit et visum. Quid porro Origenes, quem opinatissimum apud Græcos audierat, sentiret de talibus, percunctatur, breviterque sibi ejus de singulis quibusque sententias orat exponi. Ego rem primo dicebam factu esse difficilem : sanctum tamen Pamphilum martyrem dixi quadam ex parte tale aliquid Operis conscripsisse in Apologetico suo. Continuo id sibi poscit in latinum verti. Nullum dicebam me usum hujuscemodi operis habuisse, et ad latinum sermonem tricennali jam pene incuria torpuisse. Perstitit tamen deprecans qualicumque sermone notitiam sibi tantum eorum, quæ cupiebat ostendi.

Romam ante annum 397 :

681 Cumque id, quo potui sermone, fecissem, majori desiderio accensus est ad illa ipsa plenius cognoscenda,

AUCTORE J. S.

cognoscenda, e quibus pauca illa, quæ transtule-
ram, videbantur assumpta. Excusantem me urgere
vehementius cœpit, et sub Dei timore convenire,
ne sibi ad opus bonum, quæ se auxilia juvaro
possent, denegarem. Cumque vehementer insiste-
ret, et desiderium ejus secundum Deum esse
perspicerem; acquievi tandem, et interpretatus
sum quidem. *Tota hæc Rufini relatio de causa*
interpretandi, sive vera sit et simpliciter relata,
sive quæsita fuerit ad invidiam interpretationis
declinandam aut mitigandam, abunde insinuat,
non diu Romæ moratum esse Rufinum, antequam
Apologiam transferre cœpit. Itaque cum opus illud
non sit tantæ molis, ut non potuerit paucis mensibus
absolvi, etiamsi verisimiliter Rufinus initio lente
processerit, nulla est ratio probabilis dicendi, ve-
nisse eum Romam ante annum 397. *Tempus illud*
confirmatur ex itinere Eusebii Cremonensis, qui
discessit circa Pascha anni 398 *Romam* post an-
num navigationis *Rufini, ut* Hieronymus *testatur*
lib. 3 *contra Rufinum num.* 24 : *item ex itinere*
alterius Rufini, qui post biennium *navigavit. De*
hujus enim Rufini itinere ad ipsum Rufinum
Aquileiensem scribit Hieronymus *in Epistola* 81
B *(alias* 66), *quando jam noverat Sanctus omnia, quæ*
Rufinus Romæ erat interpretatus, ut nequeamus
illam Epistolam figere ante annum 399. *Itaque*
belle omnia cohærent, si Rufini iter figatur
anno 397, *Eusebii anno sequenti circa Pascha, al-*
terius demum Rufini anno 399.

nec ulla habetur ratio pro anno 396.

682 *Unica ratio illorum, qui voluerunt, Ru-*
finum ab anno 396 *Romam venisse, et falsa est;*
et nihil probaret, licet esset vera. Crediderunt ni-
mirum, modo laudatam Epistolam, in qua disces-
sus alterius Rufini asseritur, scriptam esse, dum
prior Rufinus adhuc erat Romæ, indeque inferunt,
Rufinum biennio Romæ mansisse, nimirum ab
anno 396 *usque ad* 398. *Verum in illa ipsa Epi-*
stola insinuat Hieronymus, *sibi constitisse de*
Rufini discessu. Frater meus Paulinianus, *inquit,*
necdum de patria reversus est, et puto quod eum
Aquileiæ apud sanctum papam Chromatium vi-
deris. *Noverat igitur* Hieronymus, *Rufinum Roma*
Aquileiam profectum : neque enim alias ibi videre
potuerat Paulinianum. Ipsum Epistolæ initium,
ex quo contrarium collegerunt, id etiam satis in-
nuit, cum sic habeat : Diu te Romæ moratum,
sermo proprius indicavit. Nec dubito, spiritualium
C parentum ad patriam revocatum desiderio, quem
matris luctus ire prohibebat, ne magis coram
doleres, quod absens vix ferre poteras. *Hæc,*
inquam, indicant, Rufinum, postquam diu mo-
ratus erat Romæ, inde Aquileiam discessisse, ubi
erant parentes ejus spirituales. Fuerit igitur Romæ
forsan per annum, aut per annum et aliquot men-
ses. Si tamen Hieronymus, *quod non dicit, clare*
ediceret, biennio Rufinum Romæ moratum, ne-
cesse non esset, integrum intelligere biennium,
inchoatum vero inveniretur a Maio aut Junio
anni 397 *usque ad Octobrem aut Novembrem se-*
quentis.

§ XLI. Offensio Romæ contra Rufinum orta : Hieronymus ab amicis monitus de laudibus Rufini, quibus fiebat suspectus, amice Rufinum monet, et aliis litteris mentem suam contra Origenis errores declarat.

Rufinus prævidit, turbas ex versione sua orituras.

Q*uando Rufinus Apologiam Origenis vertendam suscepit, non ignorabat, multos ea translatione offendendos, cum id in ipsa Præfatione declaret. Magis id noverat, dum aggressus est libros de Principiis. Nam in prima ad hos Præfatione sic loquitur :* Hoc autem idcirco in Præfatione commonui, ne forte calumniatores iterum se criminandi putent invenisse materiam. Sed viderint, E quid perversi et contentiosi homines agant. Nobis interim tantus labor... idcirco susceptus est, non ut calumniosis os (quod fieri non potest, licet forte etiam hoc Deus faciet) clauderemus; sed ut proficere ad scientiam rerum volentibus materiam præberemus. *In Præfatione ad libros* 3 *et* 4 *experientiam allegat testem, ita scribens :* Verum, si meministi, quod in Præfatiuncula priore commonui, quia indignaturi essent quidam, si nos audissent non aliquid de Origene male loqui, continuo id, ut arbitror, prosecutum probasti. Quod si in illo Opere ita inflammati sunt hi, qui hominum linguas ad male loquendum excitant, dæmones, in quo nondum eorum secreta ad plenum nudaverat : quid in hoc futurum putas, in quo omnes eorum cæcas et occultas vias, quibus humanis cordibus irrepunt, et animas infirmas ac fragiles decipiunt, revelabit? Videbis illico perturbari omnia, seditiones moveri, clamores tota Urbe diffundi, ad damnationem vocari eum, qui euangelicæ lucernæ lumine diabolicæ ignorantiæ tenebras fugare conatus est. Verum F hæc parvipendat, qui cupit, salva fidei Catholicæ regula, in divinis eruditionibus exerceri. *Hæc probant, et Rufinum prævidisse, et in progressu expertum esse, quantas translatio illa Romæ turbas excitaret.*

in ea vero correxit errores contra SS. Trinitatem, non reliquos.

684 *Tum monet, se prætermisisse aut correxisse ea,* quæ reliquis ejus sententiis, et nostræ fidei contraria videbantur, *nimirum, ut ex prima Præfatione colligitur, quæ* de Trinitate *non recte erant dicta, aut Arianis faventia. Deinde vero ita progreditur :* De creaturis vero rationabilibus (*id est, hominibus et angelis*) si quid novi dixisse visus est, quia non in hoc est summa fidei, scientiæ gratia et exercitii, cum forte nobis adversus nonnullas hæreses tali ordine necessario respondendum est, neque in his libellis neque in superioribus prætermisi, nisi si qua forte in superioribus dicta repetere etiam in his posterioribus voluit, et brevitatis gratia aliqua ex his resecaro commodum duxi. Si quis tamen proficiendi, et non obtrectandi studio, hæc leget, rectius faciet, si exponi sibi hæc a peritioribus velit. *Hæc omnino insinuant, errores illos, quos in translatione sua reliquit Rufinus, nimirum de animabus, angelis, variisque ad homines angelosque bonos et*

malos

AUCTORE J. S.

A *malos spectantibus, ab eo relictos*, quia, *ut volebat*, non in hoc est summa fidei. *Itaque videtur errores Originis, qui in aliis hæreticis damnati non erant, non pro erroribus habuisse, sed pro novis sententiis, iisque aliquando necessariis* adversus nonnullas hæreses.

S. Marcella, videns errores Origenis multis placere,

685 *Inter primos, qui impietati se opposuerunt Romæ, fuit S. Marcella, quam ea de causa* Hieronymus *meritis celebrat laudibus in Epitaphio sive in Epistola* 127 (*alias* 16) *ad Principiam, ubi num.* 9 *sic habet* : Hæretica in his provinciis (*Palæstina et Ægypto*) exorta tempestas, cuncta turbavit : et in tantam rabiem concitata est, ut nec sibi, nec ulli bonorum parceret. Et quasi parum esset hic universa movisse, navem plenam blasphemiarum Romano intulit portui. (*Alludit ad somnium Macarii num.* 680 *relatum.*) Invenitque protinus patella operculum, et Romanæ fidei purissimum fontem lutosa cœno permiscuere vestigia.... Tunc librorum περὶ ἀρχῶν infamis interpretatio : tunc discipulus ὄλβιος (*Macarius*) vere nominis sui, si in talem magistrum non incidisset : tunc nostorum διάλυτος contradicto, et Pharisæorum turbata est schola. Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per B æmulationem facere quippiam videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque et nonnullos monachorum, maximeque sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet, Episcopi; qui de suo ingenio cæteros æstimabat; publice restitit, malens Deo placere quam hominibus.... Cernentes hæretici de parva scintilla maxima incendia concitari, et suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec posse latere, quod multos deceperat; petunt et impetrant ecclesiasticas epistolas, ut communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Non multum tempus in medio, succedit in pontificatum vir insignis Anastasius *etc.*

iis se opponit, eaque agente damnatur. Rufini Translatio,

686 *Quo autem modo S. Marcella sectatoribus Origenis publice restiterit, mox declarat his verbis* : Damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui prius, ab eis eruditi, et postea ab hæretico fuerant errore correpti * : dum ostendit multitudinem deceptorum : dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu scorpii * monstrabantur : dum C acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi, tantaque vis conscientiæ fuit, ut magis absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint. *Paucis hisce insinuat* Hieronymus, *interpretationem Rufini ab Anastasio papa, damnatum fuisse, agente contra eam præ ceteris S. Marcella, quæ hac de causa* Jezabel *vocatur a modestissimo Rufino. Ex superioribus similiter liquet, Rufinum Roma discessisse ante mortem Siricii Papæ, et litteras ab eo accepisse ecclesiasticas, quibus postea gloriatus est, acsi non potuisset damnari ab Anastasio, quia a Siricio ante cognitionem causæ damnatus non erat. Verum damnatio illa Rufini Translationis non statim secuta est, sed solum anno* 400 *aut* 401.

* *lege* correcti

* Rufini

Cum Rufinus Hieronymi, laudantis Origenem, auctoritate

687 *Cum ille prævidisset contra Translationem librorum* περὶ ἀρχῶν *sive de Principiis non levem tempestatem oriri posse, auctoritate* Hieronymi *voluit uti ad commendandum Origenem, et in Præfatione hæc scripsit* : Scio, quamplurimos fratrum, scientiæ Scripturarum desiderio provocatos, poposcisse ab aliquantis viris, et Græcarum litterarum peritis, ut Origenem Romanum facerent, et Latinis auribus eum donarent. Inter quos etiam frater et collega noster, ab Episcopo Damaso deprecatus, cum Homilias duas de Cantico canticorum in latinum transtulisset ex græco, ita in illo Opere ornate magnificeque præfatus est, ut cuivis legendi Origenem, et avidissime perquirendi desiderium commoveret, dicens illius animæ convenire, quod dictum est, quia « introduxit me Rex in cubiculum suum » : asserens eum, quod cum in cæteris libris omnes vincat, in Canticis canticorum etiam ipso se vicerit. Pollicetur sane in ipsa Præfatione, se et ipsos in Cantica canticorum libros; et alios quamplurimos Origenis Romanis auribus largiturum. Sed ille, ut video, in stylo proprio placens, rem majoris gloriæ sequitur, ut pater verbi sit potius, quam interpres. Nos ergo rem ab illo quidem cœptam sequimur et probatam, sed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornare possumus dicta. Unde vereor, ne vitio meo id accidat, ut is vir, quem ille alterum post Apostolos Ecclesiæ doctorem scientiæ ac sapientiæ merito comprobat, inopia sermonis nostri longe esse inferior videatur.

et exemplo sic usus esset, ut videri posset Origenista.

688 *Tum ait, Macarii desiderio se cedere ea lege, ut sequatur* regulam præcessorum, et ejus *præcipue Viri, cujus, inquit,* superius fecimus E mentionem : qui cum ultra septuaginta libellos Origenis, quos Homileticos appellavit, aliquantos etiam de Tomis in Apostolum scriptis transtulisset in latinum : in quibus cum aliquanta offendicula inveniantur in Græco, ita elimavit omnia interpretando atque purgavit, ut nihil in illis, quod a fide nostra discrepat, Latinus lector inveniat. *Quam nuta essent illa omnia de hæresi Origeniana* Hieronymum *reddere suspectum, quilibet facile perspiciet, modo consideraverit, dudum a Vigilantio accusatum fuisse in Palæstina, ac deinde in Gallia, ut erroribus Origenis addictum. Similiter Joannes Hierosolymitanus in Apologia sua translationem scriptorum Origenis* Hieronymo *objeceral, eaque Apologia quaquaversum erat missa, ut* Hieronymus *jam Origenista auditurus esset, nisi mentem suam coram mundo aperte et fortiter declararet.*

monitusque ea de re esset Sanctus ab amicis,

789 *Viderunt hoc amici Romani, Pammachius et Oceanus, ideoque per Epistolam inter Hieronymianas* 83 (*alias* 64) *Sanctum monuerunt de translato Opere, et simul de Præfatione, de* F *qua sic habent* : Sane subtiliter in Præfatione Operis sui mentionem tacito nomine tuæ Sanctitatis expressit, quod a te promissum Opus ipso compleverit, illud oblique agens, etiam te simili ratione sentire. Purga ergo suspiciones hominum, et convince criminantem, ne, si dissimulaveris, consentire videaris. *Miserunt illi cum suæ Epistola Translationem Rufini librorum de Principiis, insinuaruntque, suspicari se*, ad excusationem *Origenis*, multa de libris ejus esse subtracta, quæ apertam impietatem ejusdem monstrare potuissent : *eaque de causa rogarunt, ut aliam faceret Translationem, dictumque librum de Principiis verteret*, quemadmodum ab ipso auctore editus est.

in privata ad Rufinum Epistola

690 *Paruit Sanctus amicis recte monentibus, eo tamen modo, ut amicitiam cum Rufino conatus sit conservare, quantum licuit per necessitatem respondendi, ac fidem suam probandi. Transtulit libros Origenis* περὶ ἀρχῶν *scripsit ad Pammachium et Oceanum Epistolam* 84 (*alias* 65,) *in qua fidem suam declarat, fortiterque contra Origenistas generatim loquitur, sed Rufinum nullibi nominat. Præterea, cum litteras a Rufino etiam accepisset,*

AUCTORE J. S.

pisset, ad has eodem tempore respondit, Rufinum amice tractans, sed de ejus Præfatione conquerens. Est hæc jam laudata Epistola 84 (alias 66,) in qua sic habet : Quod quereris, stomacho suo unumquemque servire, et nostro non acquiescere judicio, conscientiæ nostræ testis est Dominus, post reconciliatas amicitias nullum intercessisse rancorem, quo quempiam læderemus : quin potius cum omni cautione providimus, ne saltem casus in malevolentiam verteretur. *Conquestus verisimiliter erat Rufinus de amicis* Hieronymi, *quos Romæ habuerat contrarios.*

amice de illa fraude queritur.

691 Hieronymus *deinde ita pergit* : Sed quid possumus facere, si unusquisque justo putat se facere, quod facit ; et videtur sibi remordere potius, quam mordere? Vera amicitia, quod sentit, dissimulare non debet. Præfatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν ad me missa est, quam ex stilo intellexi tuam esse : in qua oblique, immo aperte, ego petor. Qua mente sit scripta, tu videris : qua intelligatur, et stultis patet. Poteram et ego, qui sæpissime figuratas controversias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere, et tuo te more laudare. Sed absit a me, ut, quod B reprehendo in te, imiter. Quin potius ita sententiam temperavi, ut et objectum crimen effugerem, et amicum, quantum in me est, nec læsus læderem. Sed obsecro te, ut, si deinceps aliquem sequi volueris, tuo tantum judicio sis contentus. Aut enim bona sunt, quæ appetimus, aut mala. Si bona, non indigent alterius auxilio : si mala, peccantium multitudo non parit errori patrocinium. Hæc apud te amice potius expostulare volui, quam lacessitus publice desævire, ut animadvertas, me reconciliatas amicitias pure colere, et non juxta Plautinam sententiam, altera manu lapidem tenere, panem offerre altera.

Epistola illa anno 399 scripta, uti et 84.

692 *Scripta est hæc Epistola aut simul cum longiore 84, qua Sanctus se defendit, aut paulo post, ut liquet ex his verbis :* Ita sententiam temperavi, *nimirum in Epistola 84,* ut et objectum crimen effugerem *etc. Utraque vero scripta est post versos libros* περὶ ἀρχῶν *de quibus latine redditis fit mentio in 84 sub finem. Utraque figenda est anno 399, cum quia* Hieronymus *Translationem Rufini accipere non potuit, nisi sub finem anni 398 aut initium sequentis, et versio librorum Origenis* C *notabili egebat tempore : tum quia alter Rufinus, qui biennio post Aquileiensem discessit, sive an. 399, ab* Hieronymo *missus dicitur, ut verisimiliter ipse utramque Epistolam, librosque latine redditos Romam portaverit. Dicta epocha mihi prorsus certa videtur ; nec capio, cur Epistolas illas separaverit Vallarsius, nec probare possum, quod 84 rejecerit in annum 400. Nam quod in hac num. 3 dicit de Epistola 18 de Seraphim,* Habetur liber in manibus, ante annos viginti editus, *non multum urget. Cum enim rotundo numero utatur Sanctus, necesse non est viginti annos adeo stricte sumere. Itaque cum dictum Opusculum anno 380 aut 381 videatur scriptum, ut dictum est num. 223, poterat illi* Hieronymus *anno* 399 *annos viginti attribuere. Sic lib. 3 in Isaiam* annos circiter triginta *eidem Opusculo attribuit, etiamsi cum librum in Isaiam certo scripserit ante annum 410.*

qua amicitiam Rufini conservare studuit,

693 *Hisce de tempore breviter dictis, reliquam partem Epistolæ ad Rufinum subjicio, ut videat æquus lector, quantum studuerit Sanctus pacem cum eo conservare :* Frater meus Paulinianus, *inquit,* necdum de patria reversus est ; et puto, D quod eum Aquileiæ apud sanctum papam Chromatium videris. Sanctum quoque presbyterum Rufinum ob quamdam causam per Romam Mediolanum misimus, et oravimus, ut nostro animo et obsequio vos videret : cæterisque amicis eadem significavimus, ne mordentes invicem, consumamini * ab invicem. Jam tuæ moderationis est et tuorum, nullam occasionem impatientibus dare, ne non omnes similes mei invenias, qui possint figuratis laudibus delectari. *Hæc epistola, quæ Rufini furorem utcumque continere aut mitigare potuisset, eidem reddita non est per amicos* Hieronymi, *eaque de causa ille dixit, postea confictam esse.*

* *al.* consumamur

sed illa tunc Rufino non fuit tradita.

694 *Nam lib. 3 contra Rufinum num. 38 de ea Rufinum sic alloquitur :* Novum quoque me putas finxisse mendacium, ut Epistolam ad te meo nomine componerem, quasi olim scriptam, quo bonus esse videar et modestus, quam tu numquam omnino susceperis. Hæc res perfacile probari potest. Multi Romæ ejus exemplaria habent ante hoc circiter triennium, qui tibi eam mittere noluerunt, scientes, quæ de meo nomine jactitares, et quam indigna proposito Christiano ac nefanda confingeres. Ego scripsi ne- E sciens quasi ad amicum. Illi non reddiderunt ei, quem inimicum noverant, parcentes et meo errori, et tuæ conscientiæ. *Itaque dicta quidem Epistola ab* Hieronymo *missa est, ejusque moderationem probat, sed nullum habere potuit effectum, quia non est data Rufino.*

Alia vero Epistola Hieronymus generatim

695 *Altera vero ad Pammachium et Oceanum data, qua Sanctus Origenistas generatim impetit, sed maxime refellit suspicionem Origenismi, quam ex laudibus Rufini aspersam sibi videbat, Rufinum in furias egit.* Hieronymus *illam sic inchoat :* Schedulæ, quas misistis, (*nempe Rufini Præfatio*) honorifica me affecere contumelia, sic ingenium prædicantes, ut fidei tollerent veritatem. Et quia eadem et Alexandriæ et Romæ, et in toto pene orbe boni homines super nomine meo jactare consueverunt : et tantum me diligunt, ut sine me hæretici esse non possint ; omittam personas, rebus tantum et criminibus respondebo. Neque enim causæ prodest maledicentibus remaledicere, et adversarios talione mordere, cui præcipitur malum pro malo non reddere ; sed vincere in bono malum, saturari opprobriis, et alteram verberanti præbere ma- F xillam. *Tum prolixe disserit, ut probet, numquam sibi probatos fuisse Origenis errores, viri ingenium magnosque labores a se laudatos, non perversa dogmata, quæ recenset. Asserta Rufini de corruptis Origenis Operibus, et de Apologia S. Pamphili, sic refutat, ut Rufinum quidem non nominet, ejus tamen Præfationem aperte impugnet, ac versionem librorum de Principiis improbet, tamquam Operis perniciosi.*

contra Origenistas disserit, ut se purget.

696 *Necessitatem ita scribendi in decursu repetitis vicibus insinuat, et maxime sub finem his verbis :* Hæc, fratres amantissimi, ad Epistolam vestram celeri sermone dictavi, vincens propositum, ut contra eum scriberem, cujus ingenium ante laudaveram, malens existimatione periclitari, quam fide. Hoc mihi præstiterunt amici mei, ut, si tacuero, reus ; si respondero, inimicus judicer. Dura utraque conditio : sed e duobus eligam, quod levius est : simultas redintegrari potest, blasphemia veniam non meretur. *Hæc si recte considerasset Rufinus ; simulque observasset, sermonem* Hieronymi *semper dirigi contra multos, ac ne tacito quidem nomine se solum impeti ;*

A *peti; minus certe exarsisset contra Sanctum, cui ipse subdolis laudibus necessitatem se defendendi imposuerat. Hanc necessitatem perspicere poterat ipe Rufinus, cum minime ignoraret, quid Vigilantius in Palæstina ac in Occidente de* Hieronymo *jactasset, quid Joannes Hierosolymitanus de eodem in sua Apologia scripsisset, quid multi in variis mundi partibus sentirent. Posthumianus apud Severum Dialogo* 1, *cap.* 7 *de illa multorum opinione luculentissimus testis est, dum turbas Origenistarum causa excitatas enarrat, et de* Hieronymo *ita loquitur :* Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus, vir maxime Catholicus, et sacræ Legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipue, vel omnia illius scripta damnaret. *Itaque et necessitas se fidemque Catholicam defendendi excusabat* Hieronymum ; *ipsaque Epistola in Origenistas solum acris, in Rufinum vero moderata est.*

Vertit eodem tempore libros de Principiis, ut indicat

697 *Alterum, quod offendit Rufinum, fuit iterata versio librorum* περὶ ἀρχῶν, *de quo laudatus* Hieronymus *in fine ita habet :* Quid autem laboris in libris transferendis περὶ ἀρχῶν sustinue-
B rim, vestro judicio derelinquo : dum et mutare quippiam non est vertentis, sed evertentis ; et eadem ad verbum exprimere nequaquam ejus, qui servare velit eloquii vetustatem. *In Epistola* 85 (*alias* 153) *ad S. Paulinum, quæ eodem tempore in Occidentem missa est, necessitatem illius versionis, cujus causa Commentarios in Danielem distulit, magis exponit, hæc scribens :* Primæ (*quæstioni per Paulinum propositæ*) in libris περὶ ἀρχῶν, quos nuper, Pammachio nostro jubente, interpretatus sum, Origenes fortissime respondet : quo detentus Opere, implere non potui, quod promiseram tibi, et Danielem nostrum rursum comperendinavi. Et quidem quamvis mei amantissimi et egregii viri Pammachii, tamen unius, voluntatem in tempus aliud distulissem, nisi omnis pene fraternitas de Urbe eadem postulasset, asserens, multos periclitari, et perversis dogmatibus acquiescere. Unde necessitate compulsus sum transferre libros, in quibus mali plus quam boni est : et hanc servare mensuram, ut nec adderem quid nec demerem, Græcamque fidem Latina integritate servarem. Quorum exemplaria a supradicto fratre poteris mutuari ; licet tibi
C Græca sufficiant, et non debeas turbidos ingenioli nostri rivulos quærere, qui de ipsis fontibus bibis.

S. Paulino, mentem suam de scriptis Origenis explicans.

698 Præterea quia docto viro loquor, et tam divinis Scripturis quam sæculi litteris erudito, illud dignationem tuam admonitam volo, ne me putes in modum rustici balatronis cuncta Origenis reprobare, quæ scripsit ; quod in me eriminantur ἀκαιροσπουδασταὶ (*id est, fautores intempestivi*) ejus ; et quasi Dionysium philosophum arguant, subito mutasse sententiam ; sed tantum prava dogmata repudiare. Scio enim æquali maledicto eos subjacere, qui bona mala dicunt ; et illos, qui mala bona judicant ; qui faciunt amarum dulce, et dulce amarum. Aut quæ est tanta pertinacia, sic laudare alicujus doctrinam, ut sequare blasphemiam. *Ex his corrigendi sunt, qui teste Posthumiano mox laudato, asserebant,* Hieronymum *antea* Origenem secutum, *postea* omnia illius scripta *damnasse. Utrumque jactabatur ab Origenis amatoribus : utrumque etiamnum aliqui neoterici jactitarunt, aut certe de mutatione* Hieronymi *ita locuti sunt, acsi ab amore nimio ad extremum odium subito esset delapsus. At numquam omnia Origenis damnavit* Hieronymus, *ut clarum est ex allegatis verbis. Numquam etiam errores ejus* Hieronymo *placuisse, contra Rufinum ejusque fautores neotericos abunde me probaturum confido.*

et ad propositas ab eo quæstiones respondens.

699 *Ceterum in Epistola ad Paulinum Sanctus respondet ad duas quæstiones, ex sacra Scriptura propositas, aut potius pro prima ad Origenem remittit, pro secunda ad Tertullianum, cui pauca addit. Ad querelas Paulini de brevitate litterarum, laudata ejus eloquentia, hæc reponit :* Quod quereris, me parvas et incomptas litterulas mittere, non venit de incuria, sed timore tui, ne verbosius ad te loquens, plura reprehendenda transmittam. Et, ut sanctæ menti tuæ simpliciter fatear, uno ad Occidentem navigandi tempore tantæ a me simul epistolæ flagitantur, ut, si cuncta ad singulos velim rescribere, occurrere nequeam. *De accepto munusculo, in fine sic habet :* Pileolum textura breve, caritate latissimum, senili capiti confovendo libenter accepi, et munere et muneris auctore lætatus. *Ab hoc diverticulo ad Rufinum redibimus.*

§ XLII. Rufinus duos Invectivarum libros contra Hieronymum scribit : examinantur ejus objectiones de Origenismo. E

Rufinus, accepta Hieronymi Epistola 84, *duos libros*

Rufinus *Romæ non erat, quando ibi Pammachius accepit celebrem* Hieronymi *Epistolam cum nova versione librorum de Principiis. Cito tamen Epistolam illam obtinuit per Apronianum, quem non dubito eumdem esse cum Aproniano, cujus conversionem Melaniæ attribuit Palladius, etsi Tillemontius alium voluerit inducere Apronianum, quod Melaniom etiam tum in Palæstina habitare fecisset, Aproniannmque illum ideo serius conversum crederet. At ignoramus alterum Apronianum, quem ex vitiosa chronotaxi solum produxit Tillemontius. Quo Epistolam illam modo exceperit Rufinus, duobus Invectivarum contra* Hieronymum *libris, quos uni opposuit Epistolæ, luculenter ostendit ; idemque statim insinuat lib.* 1 *Invectivarum, ita ordiens :* Perlegi scripta tua, F Aproniane fili carissime, quæ ab Amico et fratre bono (*nimirum* Hieronymo) de Oriente ad virum nobilissimum Pammachium missa, transmisisti ad me : et recordatus sum sermonis Prophetici, qui ait : « Filii hominum dentes eorum arma et « sagittæ, et lingua eorum machæra acuta. » *Verum perperam id S.* Hieronymo *accommodare voluit, cum is Origenis errores et Origenistas generatim perstrinxerit, ne consors videretur, nec alio modo Rufinum attigerit, quam quod refutaverit ab eo in favorem Origenis prolata. Post adducta verba Rufinus pie se solatur exemplo Christi Domini : sed illa pietas non congruit reliquo Operi. Nam, si Christi exemplum imitari voluisset, aut etiam ipsius* Hieronymi ; *continuisset se intra limites justæ defensionis, nec prorupisset ad accusandum* Hieronymum, *nisi quantum defensionis necessitas vel utilitas exegisset.*

Invectivarum contra eum scribit,

701 *Aggreditur primo, quod* Hieronymus *dixit :* Omittam personas, rebus tantum et criminibus respondebo. *Non enim omissas personas contendit,* cum, *inquit,* interpretem librorum toto invectionis suæ textu indesinenter incuset et laceret.

AUCTORE I. S.

ret. *Tanta est hæc exaggeratio, ut parum absit ab aperto mendacio. Adeo cavit* Hieronymus *a personis tacite etiam designandis, ut vix ullus intelligeret, Rufinum refutari, nisi improbaretur versio librorum* περὶ ἀρχῶν, *ac omnia adeo generatim contra Origenistas disseruit, ut id nullus ægre ferre debuerit, nisi ex illorum grege se esse prius fateretur. Rursum* criminibus *non respondisse* Hieronymum *ait, cum nullus crimen objecerit. Hinc num.* 2 *dicit :* Non enim pro maledictis, sed pro benedictis et laudibus, convicia et maledicta restituit. *At laudes illæ, quibus* Hieronymus *fiebat suspectus de hæresi, erant instar maledictorum, cum iis Vigilantii aliorumque,* Hieronymum *jactantium Origenistam, maledicta roborarentur. Non solum laudes illas, sed simul aliorum calumnias refutavit* Hieronymus : *nemini tamen nominatim se opposuit, sed hæresi et generatim hæresis fautoribus. Et sane Rufinus ne conatus est quidem probare, laudes suas* Hieronymi *accusatrices non fuisse. Quin potius id ipsum luculenter confirmavit tota illa disputatione, qua partim ex laudibus Origeni datis, partim ex scriptis ejus, Origenistam facere voluit. Quapropter nullus, qui rem* B *recte consideraverit, dicere poterit, nimis vehementem fuisse* Hieronymi *Epistolam, aut ex ea nasci debuisse gravissimam illam discordiam, quam ejus occasione exorsus est Rufinus.*

post aliquot querelas, Origenistam facere contendens,

702 *Hic autem post Præfatione exponit fidem suam, defenditque versionem librorum* περὶ ἀρχῶν. *Tum num.* 16 *contendit, adulteratam fuisse versionem suam per illos,* qui ad insidiandum mihi, *inquit,* de Oriente transmissi sunt. *Gravissime num.* 17 *conqueritur de S. Eusebio Cremonensi,* qui de monasterio, *inquit,* Romam, quasi calumniandi peritissimus, missus est ; *et mox de S. Marcella, quam et* Jezabel *nominat, et acerrime perstringit. Horum gesta* Hieronymo *instiganti attribuit, eumque totius accusationis caput facit. Sanctum vero magis aperte aggreditur num.* 19, *ubi prolixam exorditur disputationem, ut Origenis errores Commentariis Sancti in Epistolam ad Ephesios aperte insertos doceat. Hanc igitur quæstionem hic examinandam suscipio. Ut vero lector perspiciat, quam improbabilis sit accusatio, pauca primum observabo. Cum* Hieronymus *de hæresi Origenis accusatus erat a Vigilantio, in Epistola* 61 *ad eumdem post alia, quibus se purgat,* C *num.* 2 *hæc scribit :* Lege ad Ephesios libros, lege cætera Opuscula mea, maxime in Ecclesiasten Commentarios : et liquido pervidebis, me ab adolescentia numquam alicujus auctoritate deterritum acquievisse hæreticæ pravitati. *Rursum in libro contra Joannem Hierosolymitanum num.* 17 *de errore quopiam Origenis ait :* Non est hujus temporis contra dogma gentilium et ex parte Platonicum scribere. Ante annos ferme decem in Commentariis Ecclesiastæ, et in Explanatione Epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum.

maxime ex ejus Commentariis ad Ephesios

703 *Tertio in illa ipsa Epistola* 84, *qua contra Origenem fortiter se declaravit, num.* 2 *ita loquitur :* Objiciunt mihi, quare Origenem aliquando laudaverim. *Et post aliqua, quibus se excusat, hæc subjicit :* Laudavi interpretem, non dogmatisten ; ingenium, non fidem ; philosophum, non apostolum. Quod si volunt super Origenem meum scire judicium : legant in Ecclesiasten Commentarios : replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, et intelligent, me semper ejus dogmatibus contraisse. Quæ enim stultitia est, sic ejus laudare doctrinam, ut sequaris et blasphemiam ? *Nunc ita ratiocinari liceat. Noverat* Hieronymus D *prava Origenis dogmata : noverat, quid in Commentariis ad Ephesios scripsisset : ad hos Commentarios ter mittit lectores, ut perspiciant, se pravis Origenis dogmatibus semper fuisse contrarium. Qua igitur ratione credemus, adoptata ibi ab* Hieronymo *fuisse perversa dogmata, quæ ibidem a se refutata, aut certe rejecta, ipse existimat? Hoc sane nec verisimile est nec credibile, nisi ipsis verbis manifeste probari possit. Verum neque Rufinus omnibus suis argutiolis, quæ sophismata sunt, non sane dialecticæ ratiocinia, id umquam probavit, etiamsi* Hieronymo *audacter non minus quam pueriliter ubique insultet.*

704 *Audiamus præviam velitationem, qua ex laudibus Origeni datis errores ejus adoptatos inferre nititur.* Et hæc, *inquit,* est tua tanti Magistri gravitas, ut eum, quem in aliis laudas, condemnes in aliis, et quem in Præfationibus tuis alterum post Apostolos ecclesiarum magistrum dixisti, nunc hæreticum dicas? Quis hæreticus ecclesiarum magister aliquando dici potuit? *Hæc tædioso sermone multisque ambagibus amplificat : sed eo tendit tota disputatiuncula, ut probet, Origenem, antea laudatum, non debuisse postea reprehendi, aut errorum argui ab* Hieronymo. *Hoc* E *vero falsissimum esse, unicuique est manifestum. Num, etsi eadem in Origene primum laudasset, ac postmodum, cognito errore suo, improbasset* Hieronymus ; *laudandus esset ob mutatam recte sententiam. At alia laudavit, nempe eruditionem, scientiam idiomatum sacræ Scripturæ, interpretationis acumen, multiplices labores, librorumque scriptorum multitudinem; alia vero reprehendit, videlicet dogmatum novitatem, perversitatem, erroresque multiplices. Itaque hac etiam ex parte concidit tota illa cavillatio Rufini, utpote sana dialectica non minus carens, quam sermonis elegantia. Hoc unum dici potest, nimium fuisse in laudando Origene* Hieronymum ; *sed nimia illa laus rursum venit excusanda, quod eo tempore multiplices Origenis errores necdum haberet perspectos. Hinc lib.* 2 *contra Rufinum num.* 9 *eum sic alloquitur :* Ignosce mihi, quod Origenis eruditionem et studium Scripturarum, antequam ejus hæresim plenius nossem, in juvenili ætate laudavi : et ego tibi dabo veniam, quod Apologiam librorum ejus cano scripseris capite. F

Objicit primo laudes ab Hieronymo datas Origeni.

705 *Nec incredibile cuipiam videri debet, errores Origenis doctissimo* Hieronymo *minus cito fuisse plene perspectos. Nam, teste eodem in Epistola* 84, *num.* 8, Mille et eo amplius Tractatus in ecclesia locutus est : edidit innumerabiles prætera Commentarios, quos ipse appellat τόμους. *Tot scripta Origenis non poterat exiguo tempore legere* Hieronymus, *præsertim cum passim occupatissimus esset aut scripturas legendo aut interpretando, cum græcas tum hebraicas, aut alia scribendo ac legendo; imo pleraque Origenis scripta ne habuisse quidem videtur, antequam anno* 386 *Alexandriæ fuit, cum num.* 3 *de acceptis ibidem Origenis Operibus dicat :* Et nostrum marsupium Alexandrinæ chartæ evacuarunt. *Itaque ante annum* 386 *pauca tantum Origenis scripta, eaque minus vitiosa legisse videtur, ac nominatim plures ipsius Homilias, ex quibus alias Constantinopoli, alias Romæ latinas reddiderat. Præterea disputationes de erroribus Origenis necdum erant exortæ, quando præcipuis eum laudibus ornavit Sanctus, ut verisimiliter de erroribus ipsius nihil intelligeret, nisi ex ipsis ejus Operibus. Hisce igitur de causis, nimirum quod ignoraret, Opera Origenis tot erroribus fœdata esse, quodque eloquentiam, eruditionem, ingentesque studiorum*

in quibus nimium se fuisse, dum errores ejus perfecte nos noverat.

AUCTORE J. S.

A *studiorum labores in Origene miraretur, profusior fuit in viri laudes, quam oportuisset, si omnia habuisset perspecta, quæ didicit postea. Nam in Præfatione ad Homilias in Canticum ait :* Origenes, quum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico canticorum ipse se vicit. *Et inferius:* Ut vel indo mihi videatur completum esse, quod dicitur : « Introduxit me Rex in cubiculum suum. »

fatetur Sanctus, licet, errores ejus non laudaverit aut defenderit.

706 *In Præfatione ad Homilias in Jeremiam et Ezechielem vocavit Origenem*, hominem, juxta Didymi videntis sententiam, alterum post Apostolum (*alias* Apostolos) ecclesiarum magistrum; *sed eo certe tempore, quo degens Constantinopoli hæc scripsit, non multa Origenis Opera legerat. Plura viderat, quando circa annum* 390 *in Præfatione ad librum de Nominibus Hebraicis de Origene dixit:* Quem post Apostolos ecclesiarum magistrum, nemo nisi imperitus negabit. *Hæc, etiamsi valeant excusari, et ad multitudinem utilium scriptorum Origenis referri, præsertim cum nullibi dogmata Origeni propria laudaverit, aut eum erroribus obnoxium fuisse negaverit, tamen dicta aut scripta noluisset* Hieronymus, *quantum existimo. Hac vero de causa tanto magis ægre po-* B *terat ferre Sanctus, quod iis abusus esset Rufinus ad Opera Origenis commendanda. At illis non modo antea erat abusus; sed hic etiam asserta* Hieronymi *in utramque partem supra verum exaggerat. Nam falsum est primo, quod ait*, in omnibus pene (*libris*) præconia ejus usque ad cælum fert. *Falsum est secundo, quod illum* Apostolis *exæquaverit. Falsum est tertio, quod eum* Apostolum *dixerit. Falsum est quarto, quod* ex his eisdem dictis *eumdem ante* Apostolum, *postea* hæreticum *dixerit. Illæ sunt Rufini exaggerationes, aut potius commenta et aperta mendacia, et maxime ultimum. Quis non miretur impudentiam hominis, sine ulla probatione aut veri specie tam aperte mentientis, ut asserat ex* eisdem dictis *Origenem et* Apostolum *vocatum et* hæreticum? *Præcedentia etiam falsa esse, perspiciet lector apud ipsum Rufinum lib.* 2, *ubi a num.* 13 *coacervavit dicta* Hieronymi *in laudem Origenis, sed nihil dedit, quod magni sit ponderis, præter recitata superius.*

Ubi Hieronymus Origenismum quasi fatetur.

707 *Deinde num.* 21 *ad alia* Hieronymi *dicta procedit Rufinus. Ipsa sancti verba recitabo ex Epistola* 84, *quam ille impugnat.* Hieronymus *num.* 3 *ita loquitur:* Si mihi creditis, Origenistes C numquam fui : si non creditis, nunc esse cessavi. Quod si nec sic adducimini ad fidem, compellitis me ad defensionem mei contra vestrum amasium * scribere; ut, si non creditis neganti, credatis saltem accusanti. *Rursum num.* 6: Sed fac, me errasse in adolescentia, et philosophorum, id est gentilium, studiis eruditum, in principio fidei dogmata ignorasse Christiana; et hoc putasse in Apostolis, quod in Pythagora et Platone et Empedocle legeram. Cur Parvuli in Christo atque Lactentis errorem sequimini? Cur ab eo impietatem discitis, qui necdum pietatem noverat? Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitamini et correctum. Erravimus juvenes, emendemur senes. Jungamus gemitus, lacrymas copulemus, ploremus et convertamur ad Dominum, qui fecit nos : non exspectemus diaboli pœnitentiam. Vana est illa præsumptio, et in gehennæ trahens profundum : hic aut quæritur vita, aut amittitur.

* Origenem

concessione utitur oratoria.

708 Si Origenem numquam secutus sum, frustra infamare me quæritis : si discipulus ejus fui, imitamini pœnitentem. Credidistis confitenti : credite et neganti. *Ita* Hieronymus, *concessione utens oratoria, qua abusus est Tillemontius art.* 65. *Multo magis iisdem abusus est Rufinus lib.* 1, *num* 21, *ubi* Hieronymum *inducit tamquam de hæresi fatentem et male pœnitentem. At crassa magis est calumnia, quam ut refutanda serio veniat.*

Prima Rufini ex Commentariis ad Ephesios

709 *Progreditur num.* 22 *Rufinus ad Commentarios* Hieronymi *in Epistolam ad Ephesios et in Ecclesiasten, ut sanctum de opinionibus Origenis convincat. Hos autem* Hieronymus *non assignaverat*, cæteris omnibus Opusculis suis condemnatis ac renunciatis *ut insultans mentitur Rufinus, sed quia in reliquis Operibus, nimirum antea scriptis, parum aut nihil de erroribus Origenis invenitur. Hac de causa nec Tillemontius art.* 48 *mirari debuit, Commentarios in Epistolam ad Ephesios fuisse ab* Hieronymo *assignatos. Quo enim judicio assignasset libros, in quibus non agitur de rebus, quæ in controversiam veniebant? Verum objectiones Rufini breviter examinemus. Prima sumitur ex verbis* Hieronymi *in caput* 5, ℣ 29 *ad Ephesios. Ipsa verba, cum brevia sint, huc traduco.* Foveamus igitur et viri uxores, et animæ nostra corpora, ut et uxores in viros, et corpora redigantur in animas : et nequaquam sit sexuum ulla diversitas : sed quomodo apud angelos non est vir E et mulier ; ita et nos, qui similes angelis futuri sumus, jam nunc incipiamus esse, quod nobis in cælestibus repromissum est.

objectio refutatur :

710 *Ex his verbis infert Rufinus*, Hieronymum, *dicere*, quod uxores in viros convertantur, et corpora redigantur in animas, *qui erant errores Origenistarum, non admittentium in resurrectione sexuum diversitatem aut carnis veritatem. Verum breviter dico. Stolidus fuit Rufinus, si id credidit velle* Hieronymum : *pessimæ fidei, si id se credere finxit. Nam manifestissimum est*, Hieronymum *loqui de præsenti vita, cum dicat*, jam nunc incipiamus esse *etc. Hortatur itaque, ut animæ sua corpora, viri uxores ad divinum servitium foveant, et sic corpus æque ac anima, uxor æque ac vir Deo serviat. Eodem sensu de baptizatis dicit Apostolus Gal.* 3, ℣ 28 : Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina : *non tollens conditionum aut sexuum diversitatem, sed fide et baptismo æqualiter Christianos factos docens. Prolixius ad insulsam objectionem respondit ipse* Hieronymus *lib.* 1, *num.* 28.

altera Rufini objectio, in qua aut nimis crassa utitur logica.

711 *Deinde Rufinus pergit ad geminam* Hieronymi *explanationem cap.* 1, ℣ 4, *et omnia more suo sophismatis involvit. Prima expositio, quæ ipsius* Hieronymi *est, nihil habet, quod ad errores Origenis accedit. Altera, quæ Origenis est, con-* F *tinet manifestum errorem, quod animæ exstiterint ante corpora, et ob peccata sint in corpora dejectæ, et alterum etiam, quod Deus* ex merito electorum unumquemque eligat. *At hanc expositionem recitat quidem* Hieronymus ; *sed improbat etiam etiam et refutat, ut rursum hic locus non potuerit objici a viro intelligente sine mala fide. Audiamus, quo modo illam proponat explicationem Sanctus.* Alius vero, *inquit*, qui Deum justum conatur ostendere, quod non ex præjudicio scientiæ suæ, sed ex merito electorum unumquemque eligat, (*sic præcurrens Pelagianis*) dicit *etc. Ex his verbis, quibus conatum illum modeste irridet* Hieronymus, *argumentum arripit Rufinus, sua dignum dialectica, sic inferens:* Unde manifeste ostendit, quod per illam priorem expositionem non ostendatur justitia Dei : quod utique impium est : sed per istum, quem dicit Alium, cujus assertionem sine dubio volens apud omnes induhitatam et catholicam demonstrare, dedit tale

tale testimonium, quod hac sua assertione justum esse Deum conetur ostendere. *Ex hoc ratiocinio, quod trium mensium dialectico indignum est, tamquam inimico prostrato, mox insultat* Hieronymo, *eidem totam expositionem hæreticam attribuens. Puderet me ejusmodi ineptias examinare, nisi viderem, aliquot neotericos, ac nominatim Tillemontium art. 46, 48, et aliis locis dubitare, an ad argumenta Rufini satis possit responderi.*

aut fide pessima :

712 *Videamus igitur, quo* Hieronymus *modo rejiciat utramque hæresim, illa expositione contentam, nimirum de animabus prius exsistentibus, et de electione ob merita. Pauca, quæ ad propositum sufficiunt, solum seligo* Hieronymi *verba.* Non enim ait Paulus : « Elegit nos ante constitutionem « mundi, QUUM essemus sancti et immaculati ; » sed, « Elegit nos, UT essemus sancti et immacu- « lati : » hoc est, qui sancti et immaculati ante non fuimus, ut essemus. Quod et de peccatoribus ad meliora conversis dici potest. *Itaque clarissime rejicit hæresim de electione ad gratiam ob merita prævia. Mox alium errorem luculenter rejicit his verbis :* Quod quidem ita intellectum, et adversum eum facit, qui, antequam mundus fieret, animas dicit electas esse propter sanctitatem, et nullum vitium peccatorum. Non enim, ut ante jam diximus, eliguntur Paulus, et qui ei similes sunt, quia erant sancti et immaculati : sed eliguntur et prædestinantur, ut in consequenti vita per opera atque virtutes sancti et immaculati fiant. *Hæc sanctus ad refutandam expositionem, quam ab eo adoptatam pessima fide Rufinus jactitat. Eamdem objectionem rursum fusius refutavit* Hieronymus *num.* 22.

tertio æque inepta aut malæ fidei

713 *Eadem fide* Hieronymo *ad* ℣ 5 *et* 6 *attribuit objectionem Origenis, rursum argumentantis pro animarum ante mundum exsistentia. Verba hæc sunt :* Invadunt itaque in hoc loco occasionem, qui ante conditionem mundi animas putant cum angelis, et cæteris virtutum numinibus, in cælesti Jerusalem fuisse versatas *etc. Ipsa verba ostendunt, alienam sententiam, eamque sibi minime probatam, recitari ab* Hieronymo, *qui id paulo post iterum indicat, dum alia Pauli verba quæ illi ad eamdem trahunt hæresim, producturus, sic loquitur :* Et illud, quod ad Romanos scriptum se quidam putant nosse, nec norunt.... ad eumdem sensum referunt. *Illud,* nec norunt *clare ostendit, errorem illum ab* Hieronymo *improbari. Solito candidior hic Rufinus ait :* Nec ego nego, quod de alio dicere videaris. *Mox tamen ad ingenium redit, vultque illam esse* Hieronymi *opinionem, quia eam non refutavit. Verum objectio in sequentibus versiculis continuata est, et omnino ab* Hieronymo *refutata. Objectio, a Pelagianis postmodum adoptata, ad* ℣ 6 *ita proponitur :* Quæ laus, *inquit,* gloriæ gratiæ Dei est, alios gratificare in Christo, alios æternis præparare suppliciis, . . . nisi causæ præcesserint, quæ justitiam Dei probent ? *Ad hoc mox incipit respondere hoc modo :* Omnis ergo gratia, quam consequimur in gloriam et laudem ejus, qui nos justificavit in Dilecto, hoc est, in Domino nostro et Salvatore completur *etc. Multa vero ad sequentes versiculos subjungit ad objectionem solvendam conducentia. Objectio quoque, quatenus ex iis inferebatur præexistentia animarum, satis erat soluta ad* ℣ 4.

Alium Hieronymi locum,

714 *Mox num.* 28 *prosequitur Rufinus ad disserta ab* Hieronymo *ad* ℣ 12, *multa callide involvens, quod facilius facere potuit, quin S.* Hieronymus *lectores remittit ad alium locum. At veritas etiam hic se evolvet, ac triumphos imaginarios hominis sibi perpetuo plaudentis dejiciet. Scribit Sanctus in illa Apostoli verba :* Ut simus in laudem gloriæ ejus, qui ante speravimus in Christo, *atque ita disserit :* SI SPERAVIMUS tantum dixisset, in Christo, et non præmisisset ante speravimus, quod græco dicitur προηλπικότες, esset manifestior sensus, eos, qui speraverunt in Christo, sorte vocatos esse et prædestinatos... Nunc vero præpositionis adjectio ad illam nos intelligentiam trahit, de qua superius disputavimus, exponentes hoc, quod scriptum est : « Qui « benedixit nos in omni benedictione spirituali in « cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso « ante constitutionem mundi, ut essemus sancti « et immaculati coram ipso : » quod scilicet, sicut jam nos benedixerit omni benedictione spirituali in cælestibus, et elegerit ante constitutionem mundi ; ita etiam nunc sperasse ante dicamur in Christo ex eo tempore, quo electi et prædestinati et benedicti sumus in cælestibus. *Sic ibi* Hieronymus.

opime catholicum,

715 *Remittit autem ad ea, quæ scripserat ad* ℣ 4 *et* 5, *ac maxime ad hæc verba :* Quod autem electos nos, ut essemus sancti et immaculati coram ipso, hoc est, Deo, ante fabricam mundi testatus est, ad præscientiam Dei pertinet, cui omnia futura jam facta sunt, et antequam fiant, universa sunt nota. Sicut et Paulus ipse prædestinatur in utero matris suæ, et Jeremias in vulva sanctificatur, eligitur, roboratur, et in typo Christi propheta gentibus mittitur. *Vult igitur* Hieronymus, *nos ante mundum jam in præscientia Dei sperasse, quemadmodum in eadem Dei præscientia benedictionem accepimus, antequam eramus. Locus forte aliter exponi potest, ut* ante speravimus, *idem sit ac priores ex hominibus* speravimus. *At certe* Hieronymi *expositio nihil habet commune cum erroribus Origenis.*

contortis sophismatis

716 *Verum Rufinus comminiscitur, assignari ab* Hieronymo *expositionem Origenis, quam post data verba subjungit, et deinde, ut num.* 712 *vidimus, refutat. Merum id esse commentum, res ipsa indicat, cum illam expositionem rejecisset ac refutasset sanctus. Idem manifestant verba illa,* sicut jam nos benedixerit omni benedictione *etc. : nam de benedictione Dei ne verbum quidem in tota Origenis expositione legitur ; at de ea leguntur multa in explanatione ipsius* Hieronymi. *Tanta tamen confidentia insurgit novus noster dialecticus, acsi* Hieronymum *ex sequentibus verbis undique teneret constrictum. Audiamus nonnulla insultantis* Hieronymo *verba, ut studiosus lector intelligat, quanta sit tantopere celebrata a Tillemontio Rufini modestia.* Qua hinc exitur Magister ? quo erumpitur ? qua rursum evaditur ? quocumque te converteris, hærebis. Non dico, nullus subtrahendi te aditus datur, sed ne respirandi quidem paululum fit copia. Sic tibi Alexandri tui Aristotelici Commentarii ? sic Porphyrii εἰσαγωγή ? sic te tot et tantorum philosophorum Græcæ et Latinæ, insuper et Judaicæ eruditionis excoluit disciplina, ut in istas angustias tam inextricabiles devenires, et tam miserabiliter coarctareris, ut nec ad Alpes posses esse defensus ? *Mitto multo plura, et in Sanctum acerbiora. Solum volui specimen dare stolidæ hominis jactantiæ, qui, si vel mediocriter novisset dialecticam, non potuisset non perspicere, nihilo magis sophismatis suis constrictum fuisse* Hieronymum, *quam in horto muris undique cincto capta sit avicula.*

impugnat A 717 *Sanctus post expositionem num. 714 datam, subjungit aliam, sic ordiens:* Alius vero, hoc dogma non sustinens, quod ante fuerimus et speraverimus in Christo, quam in isto corpore degeremus, illo intelligentiam transferet *, ut dicat *etc. His verbis captum* Hieronymum *credit Rufinus, dilemmate eum studens constringere hoc sensu. Quando* Hieronymus *dicit* alius, *aut alium designat aut seipsum. Respondeo pro* Hieronymo, *alium ea voce designari. Hoc autem admisso, inferre nititur, reprobari ab* Hieronymo *illum alium, qui* hoc dogma non sustinens, quod ante fuerimus et speraverimus in Christo, *quæsivit aliam expositionem, et consequenter* Hieronymi *esse dogma, quod ille alius non sustinet. Hoc totum Rufini ratiocinium, pluribus verbis implicatum, non nisi miserum sophisma est. Nam verisimiliter* Hieronymus *illa verba,* quod ante fuerimus et speraverimus in Christo, *protulit secundum expositionem præmissam, quod in præscientia Dei fuerimus etc.; et sic quam maxime catholica sunt.*

* al. transfert apud Rufinum

Rufinus, 718 *Si quis vero ea sensu Origeniano de animabus ante exsistentibus ab* Hieronymo *prolata* B *velit, ne vel sic quidem Rufinum juvabit. Nam dogma Origenianum idcirco non fiet dogma* Hieronymi, *etsi hic non admittat expositionem loci, quam alius ille produxit ad illud dogma refutandum. Itaque (nisi sensu catholico mox dato ea verba protulerit* Hieronymus) *solum insinuat, alteram expositionem, quam non adoptat, sed recitat, ab aliquo productam esse ad refutandum Origenem. Sic verbis num. 711 recitatis ait, expositionem Origenis, quam refellit, datam esse ad justitiam Dei ostendendam. Ex eo similiter somniabat Rufinus, eam adoptari ab* Hieronymo, *acsi non posset agnoscere, justum esse Deum, nisi admitteret omnes errores ad Dei justitiam probandam male excogitatos.*

variosque eidem errores 719 *Porro Rufinus, ubi verbosa prolixitate* Hieronymo *insultaverat, acsi remisisset ad Origenis expositionem, tandem num. 32 secundam aggreditur, cujus initium dedi, eamque* Hieronymo *non solum attribuere nititur, sed in ea alios etiam quærit errores, quos minime continet. Habet ea expositio, omnes tempore judicii Christo subjiciendos,* ante sperantes *vocari illos, qui antea fuerunt subjecti,* sperantes, *qui tunc necessi-* C *tate fiunt* credentes, *additurque,* sed non in laudem gloriæ ejus. *In fine dicitur:* Dummodo sciat et sperans et ante sperans, quod pro diversitate spei diversa sint præmia recepturi. *Ex hisce calumniatur Rufinus, ab* Hieronymo *omnibus* præmia *promitti,* etiam diabolo et angelis ejus, licet inferiora, et eum, *inquit,* de cujus sola pœnarum aliquando venia opinionem, non sententiam, alterius arguis, tu in regna Christi ad præmia secunda perducis. *Crassa hæc calumnia ostendit, omnia in* Hieronymum *sine ratione etiam verisimili ausum esse Rufinum. Nam neque expositio est* Hieronymi, *neque* præmia *in bonam solum partem sumuntur, sed etiam pro pœnis, qualem ibi sensum habent pro reprobis.*

suis ratiociniis 720 *Vidit ipse Rufinus imbecillitatem argumentorum, licet verborum jactantia contrarium lectori persuadere nitatur. Etenim num. 29 iterum probaturus,* Hieronymi *ipsius fuisse opinionem, quam illi suis sophismatis num. 26 tam certo attribuerat, ut diceret:* Neque enim jam tibi ultra ullum mansit effugium: *hoc, inquam, alio sophismate probaturus, ita loquitur:* Nunc ergo gratias ago Deo, quod me pondere gravissimæ suspicionis relevavit. Fortasse enim videbar aliquibus de alio isto contentiosius vel calumniosius agere, cum secundum rhetoricam figuram istum, quem dicit alium, ipsum perhiberem esse. *At hoc nequaquam timere poterat, si nullum* Hieronymo *remanserat effugium, si justo ratiocinio undique tenebat constrictum, ut gloriatur. Sed neque huic ipsi sophismati, de quo invento gratias Deo agit, adeo confidit Rufinus, ut noluerit* Hieronymum *num.* 31 de spelunca *educere,* usquequo, *inquit,* in illam incidat, de qua, etiamsi omnes conemur et cupiamus, exire non possit. *Si credimus Rufino, noluit conclusum in spelunca jugulare. Verum crudelis non minus est fictitia illa Rufini benignitas, quam vitiosa sunt ejus ratiocinia: nam ex prioris erroris spelunca eum non educit, nisi ut sine ulla probatione aliam eidem expositionem tribuat, ex eaque novum confingat errorem, ac tandem num. 33 concludat sola calumniandi libertate, utrumque ab* Hieronymo *assertum.* AUCTORE J. S.

721 *Mox tamen num. 34 ineptus sophista hæc subjungit:* Sed quoniam hæc rei novitas non dubito quod fidem difficile mereatur, ut quis credatur ea damnare, quæ astruit: scio, quid desideratis, ut, si possumus, talia ex eisdem libris proferamus argumenta, et tam evidentia, ut nullus omnino de his cuiquam dubitandi resideat locus, id est, ubi ne ille quidem ALIUS suus nominetur, et ita faciam. *Hæc verba satis insinuant, præcedentium sophismatum infirmitatem non fuisse ignotam Rufino, qui certiora promittit argumenta: nec tamen adducere potuit, quæ promisit. Nam locum quidem adducit, in quo vox* Alius *non indicat, opinionem alterius referri; sed idem aliis vocibus insinuatur. Verba* Hieronymi, *quæ allegat, habentur ad caput 2,* ℣ *7 ad Ephesios. De illo loco* Hieronymus *ipse lib. 1 contra Rufinum num. 24 mentem suam ita declarat:* Nos triplicem expositionem posuimus. In prima, quid nobis videretur; in secunda, quid Origenes opponeret: in tertia, quid Apollinarius simpliciter explanaret. *Pro sua expositione, quæ de more prima est, nullo indicio alium designat. Pro objectione Origenis, quæ dogma perversum continet, alium indicat his verbis:* Sed qui diligens lector est, statim requirit et dicit: Quid ergo *etc.* frustra conatur E

722 *Itaque alterius opinionem se recitare, omnino insinuavit* Hieronymus, *etiamsi id non fecerit voce* Alius, *et concidit cavillatio Rufini. Quod vero vocibus* diligens lector *ibidem indicaverit Origenem, partim excusat, partim defendit Sanctus lib. 1 contra Rufinum num. 24, ita scribens:* Ecce, inquies, sub diligentis lectoris persona Origenis sententias explicasti. Fateor errorem: non debui diligentem dicere, sed blasphemum: quod si fecissem, et aliquo scissem vaticinio, te istiusmodi nænias sectaturum, etiam calumniæ verba vitassem. Grande crimen, si Origenem diligentem dixi esse lectorem, cujus septuaginta libros interpretatus sum, quem in cœlum laudibus tuli, pro quo compulsus sum ante biennium brevi libello tuis contra me præconiis respondere. Ecclesiarum magistrum a me dictum esse Origenem, in tuis laudibus objicis: et putas, quod pertimescere debeam, si diligentem lectorem me illum dixisse inimicus accuses? Solemus et negotiatores parcissimos, et frugi servos, et molestos pædagogos, et argutissimos fures, diligentes vocare. Et in Euangelio villicus iniquitatis prudenter quædam fecisse dicitur *etc. Hæc Sanctus de vocibus. Nam ejus non esse locum objectum, certum est et indubitatum.* attribuere. F

723 *Pergit*

AUCTORE J. S.

Alius Hieronymi locus,

723 *Pergit Rufinus num.* 35 *ad alium* Hieronymi *locum, ex quo vult inferre, ipsum in altera etiam vita ascensiones et descensiones ponere, acsi post hanc vitam in cælo etiam merita et demerita agnosceret. De loco, qui habetur ad cap.* 1, ℣ 21, Hieronymus *ita loquitur lib.* 1 *contra Rufinum num.* 23*:* Secundum locum, quem mihi ab eo reprehensum frater ostendit, quia valde frivolus est, et apertam sui præfert calumniam, ponam breviter. *Possunt tamen verba* Hieronymi, *quæ Rufinus arripuit, gemino sensu exponi. Deteriorem more suo elegit Rufinus. Ubi asseruerat Sanctus, diversos esse gradus angelorum, utpote principatus, potestates, virtutes, dominationes, docet has diversitates postea etiam futuras his verbis:* Quæ distributiones officiorum non solum in præsentiarum, sed etiam in futuro sæculo erunt, ut per singulos profectus et honores, et ascensiones etiam et descensiones, vel crescat aliquis vel decrescat, et sub alia atque alia potestate, virtute, principatu et dominatione fiat. *Ita locum objecit Rufinus, acsi angeli et homines pergerent in beata vita meritis crescere aut decrescere secundum* Hieronymum. *At Sanctus ita ad objectionem* B *respondet, ut incrementa illa habeant quidem effectum suum in beata vita, sed acquisita fuerint in via, sive dum angeli et homines erant in statu merendi et peccandi.*

a Rufino impugnatus, exponitur.

724 Sin autem putat, idcirco me Origenem sequi, quia profectus et honores, ascensiones et descensiones, incrementa et imminutiones, in expositione mea posui: sciat, multum interesse de angelis et seraphim et cherubim dicere, dæmones et homines fieri, quod affirmat Origenes: et ipsos inter se angelos diversa officiorum genera esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat. Quomodo et inter homines ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est, quum episcopus et presbyter, et omnis ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum; et tamen omnes homines sunt: sic et inter angelos merita esse diversa, et tamen in angelica omnes persistere dignitate: nec de angelis homines fieri, nec rursum homines in angelos reformari. *Argumenta, quibus Sanctus in Commentario ipso dicta sua probat, etiam ad hanc expositionem conspirant, cum ex illis nihil inferri possit, nisi etiam in cælo diversos esse angelorum gradus, diversaque mini-* C *steria, alia aliis superiora. Hinc Vallarsius in Annotatis observat contra Huetium, non dicere* Hieronymum, *beatos angelos etiamnum bene agendo ad altiora ascendere, aut male agendo ad inferiora devolvi.*

Alius locus.

725 *Mox etiam laudatus Rufinus verba, quæ leguntur ad* ℣ 22 *et* 23, *ad ea Apostoli*, Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, *objicit. Sunt autem sequentia:* Non solum hominum, sed etiam angelorum cunctarumque virtutum, et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest. *Habet ea verba* Hieronymus, *sed quid mali in illis sit, nec Rufinus edicit, nec ego invenio, cum dicta sint de Ecclesia triumphante. Rectius objicere potuisset Rufinus verba* Hieronymi, *quæ leguntur paulo ante ad illa verba,* Et omnia subjecit sub pedibus ejus. *Quæstionem hinc ortam ita proponit:* Cur autem omnia, id est, angeli, throni, dominationes, potestates, et virtutes cæteræ, quæ numquam fuerunt contrariæ Deo, ejus (*Christi*) pedibus subjiciantur, videtur obscurum. *Tum subjungit:* Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat Creatoris adventum. Unde et crux D Salvatoris non solum ea, quæ in terra, sed etiam ea, quæ in cælis erant, purgasse perhibetur. *Hæc responsio difficultatem involvit, maxime cum verbum* purgasse *referatur ad illud,* Sidera ipsa non sunt munda coram Deo, *ut existimare quis possit, angelis etiam peccata attribui, quæ fuerint Christi meritis remissa. At nequi dici, bonos angelos umquam peccasse; pravos vero redemptos esse a Christo, plane Origenianum et hæreticum est. Theologi verba* Hieronymi *conantur sano sensu explicare: neque illorum conatum improbo, aut inutilem censeo. Dicam tamen breviter, quid mihi videatur probabilius.*

cujus dubia est intelligentia,

726 *Existimo, loqui* Hieronymum *ex mente Origenis, non ex propria sententia, licet minus clare, quam alias solet, insinuet, alienam se recitare sententiam. Primo enim triplicem dat expositionem: quod ubi facit, prima est ipsius, et secunda plerumque Origenis, tertia Apollinarii. Quæstio, quæ oritur ex verbis,* omnia subjecit, *jam soluta erat ab* Hieronymo, *quod alia voluntate, alia necessitate subjiciantur, et sic omnium caput sit Christus, sive totius Ecclesiæ,* quæ est E corpus ipsius. *Hoc exponit his verbis:* Quomodo enim caput plurima sibi habet membra subjecta, e quibus sunt nonnulla vitiosa et debilia; ita et Dominus noster Jesus Christus, quum sit caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes, qui in Ecclesia congregantur; tam Sanctos videlicet quam peccatores; sed Sanctos voluntate, peccatores vero sibi necessitate subjectos. Atque ita fit, ut etiam inimici subjecti sint pedibus ejus. *Hæc expositio, quæ directe pugnat cum Origene, poterat facile extendi ad Ecclesiam triumphantem et ad angelos, qui capiti suo Christo non minus, quam homines beati,* voluntate *sunt subjecti. Itaque, dum subdit:* Quapropter in ea, quod ait OMNIA, videtur facere quæstionem, *transit ad expositionem Origenis, ex parte saltem, referendam, quantum quidem existimo. Hac de causa in responso num.* 725 *recitato ait:* Potest itaque responderi; *et mox*, Purgasse perhibetur, *eo nimirum loquendi modo, quo solet uti, dum refert aliena.*

elucidatur.

727 *Opinionem illam confirmant sequentia, cum vocis* omnia *tertiam expositionem mox subjungat, incipiendo per vocem* Alius. *Nam ex triplici ejusdem vocis* omnia *explicatione colligitur, primam fuisse* Hieronymi *sententiam, secundam* F *Origenis, tertiam Apollinarii; ut jam insinuavi. Præterea agnovit quidem* Hieronymus, *crucem Christi etiam angelis profuisse, sed non ausus est alibi dicere, profuisse ad purgationem, aut sanctos angelos unquam fuisse peccato aliquo maculatos. Nam in cap.* 4, ℣ 10 *hæc scribit:* Neque enim scire possumus, quomodo et angelis, et his, qui in inferno erant, (*Sanctis*) sanguis Christi profuerit, et tamen quin profuerit, nescire non possumus. *Quomodo Sanctis profuerit, jam partim dixerat ad* ℣ 9, *ubi ait, ad infernum descendisse Christum,* ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos Victor abduceret. *Qua etiam ratione partim angelis profuerit, exponit ad cap.* 3, ℣ 10 *his verbis:* Crux itaque Christi non solum nobis, sed et angelis cunctisque in cælo virtutibus profuit, et aperuit sacramentum, quod antea nesciebant. *Plura ibidem videri possunt, quæ theologi hodierni etiam facile admittent. Itaque admittit quidem* Hieronymus, *crucem Christi etiam angelis profuisse; sed non existimavit, angelis peccatoribus profuisse ad redemptionem*

A *redemptionem, licet hanc Origenistarum sententiam obscure videatur insinuare.*

liæ Rufini

728 *Eamdem insinuat ad cap.* 2, ℣ 15 *his verbis :* Atque ita fieri (*dicit, nimirum Origenes*) ut crux Domini non solum terræ, sed et cælo profuerit : non solum hominibus, sed et angelis : et omnis creatura Domini sui cruore purgata sit. *At hanc totum locum ex mente Origenis relutum esse, observabo num.* 729. *Rursum num.* 36 *aliena* Hieronymo *imputat Rufinus. Nam ad cap.* 1, ℣ 17 *ad illa verba*, in agnitione ejus, *Origeniana quædam Sanctus refert ex aliorum persona, ita loquens :* Quod vero ait : In agnitione ejus,... quidam sic intelligunt... *et mox,* suspicantur,... et cætera his similia replicantes. *Ipsa verba tam manifeste indicant, aliena referri, ut sola loci lectio sufficiat Quod vero ait Rufinus, Hieronymiana esse, quia non subjungitur refutatio, frivolum est. Nam quædam retulisse, satis est refutasse, præsertim si antea jam fuerint refutata, ut ante refutata erat existentia animarum ante corpora, de qua ibi agitur.*

objectiones recitantur

729 *Nugas accumulat Rufinus num.* 37, *dum ex illis* Hieronymi *verbis*, quod sidera ipsa non B sint munda coram Deo, *quibus Jobum cap.* 15, ℣ 15 *exprimit,* Et cæli non sunt mundi in conspectu ejus, *inferre contendit,* Astra *ab ipsa* rationabilia *dici* et delicti capacia. *Secundo, dum carpit catholicum horum verborum expositionem;* Eramus natura filii iræ. *Tertio dum num.* 18 *nugaciter* S. Hieronymo *attribuit, quod primo dicat animam factam, deinde corpus. Consuli potest locus* Hieronymi *ad cap.* 2, ℣ 10 *: neque enim vel umbra ibi est illius calumniæ. Quarto procedit ad alienam rursum expositionem, eamque* Hieronymo *attribuens, vult,* unam naturam et animarum et angelorum *ab ea statutam. Locus* Hieronymi *habetur ad cap.* 2, ℣ 15. *Qui fecit utraque* unum, *quod* Hieronymus *recte exponit de Judæis et gentilibus. At deinde refert aliam expositionem, ita ordiens :* Cæterum qui illud Apostoli legit. *Alienam se recitare opinionem indicat, quia semper usque ad finem loquitur in tertia persona. Frustra igitur illius expositionis causa contra* Hieronymum *declamat Rufinus, acsi ipsissima esset* Hieronymi *sententia, cum prorsus sit aliena, et ab eo solum relata. Nihilo magis verum est,* unam naturam animarum et angelorum *in ea asseri.*

et refelluntur.

730 *Alium errorem num.* 40 Hieronymo *tri-* C *buere contendit, quo animæ dicuntur in corpora, tamquam in vincula, conjectæ ob prævia peccata. Hinc nonnulla accumulat, quibus* Hieronymus *dicere videtur vinctam corpore esse animam. Respondit ad hanc objectionem ipse* Hieronymus *lib.* 1, *contra Rufinum num.* 25, *relato primo loco, qui objicitur, ita subdens :* Et in hoc triplicem, ut supra, expositionem posui : in prima, quid mihi videretur ; in secunda (*hæc objicitur*) quid Origenes assereret ; in tertia, quid Apollinarius, contra illius vadens dogmata, sentiret. Lege Græcos Commentarios, et nisi ita repereris, crimen fatebor. Quod est in isto loco peccatum meum? Illud nimirum, pro quo supra respondi, quare non eos, a quibus dicta sunt, nominarim. Superfluum erat per singula Apostoli testimonia eorum nomina ponere, quorum me Opuscula translaturum in Præfatione signaveram. *Mox ipsum loquendi modum, quo anima dicitur corpore vincta, his verbis defendit :* Et tamen vinctam dici animam corpore, donec ad Christum redeat, et in resurrectionis gloria corruptivum et mortale corpus incorruptione et immortalitate commutet, nun absurdæ intelligentiæ est. Unde et Apostolus. « Miser ego, inquit, homo, quis me liberabit de « corpore mortis hujus ? *etc.* » *Hunc sane loquendi modum nullus improbabit, nisi eo dicatur sensu, quo animam ante corpus exstitisse volebant Origeniani. At perversum illud dogma semper rejecit* Hieronymus.

Ultima Rufini objectio,

731 *Restat ultima Rufini objectio, qua* Hieronymo *tribuere contendit errorem de resurrectione omnium ad vitam beatam. Duos eum in finem allegat textus, quorum primus habetur ad cap.* 4, ℣ 3 *et* 4, *ubi* Hieronymus *post suam loci expositionem, quæ nihil habet difficultatis, subjungit alienam hac transitione :* Aut certe illud subtilius indicatur *etc. Alter isque prolixus textus legitur ad cap.* 4, ℣ 16, *et hanc præcipuam esse Rufini objectionem, fatetur* Hieronymus *lib.* 1 *contra Rufinum num.* 26. Quintus locus, *inquit,* validissimus est, in quo exponentes illud Apostoli testimonium : « Ex quo totum corpus compactum » et conglutinatum per omnem juncturam sub- » ministrationis, secundum operationem in men- » suram uniuscujusque membri, augmentum cor- » poris facit in ædificationem sui in caritate » : latissimam Origenis expositionem, et eosdem sen- E sus per diversa verba volventem, brevi sermone constrinximus, nihil exemplis et assertionibus illius auferentes. *Hic autem procedendi modus difficultatem ingerit, quia non indicat ab initio Sanctus, aliena se dare. Hoc tamen per decursum insinuat, expositioni hæc inserens verba :* ita tamen, ut non juxta hæresim aliam omnes in una ætate sint positi etc.

ab ipso refutata Hieronymo,

732 *Nam, observatis hisce verbis, ait :* Ostendo (*allegatis nimirum verbis*) et ea, de quibus disputo, esse hæretica, et ab alia hæresi discrepare. Quænam sunt ergo duæ hæreses? Una, quæ dicit, omnes rationabiles creaturas in angelos reformari. Altera, quæ asserit, unumquodque in restitutione mundi id fore, quod conditum est : verbi gratia, quia ex angelis dæmones sunt, rursum dæmones angelos fieri : et animas hominum ita, ut sunt conditæ, non in angelos, sed in id, quod a Deo sunt conditæ, reformari, ut et justi et peccatores æquales fiant. Denique, ut scias, me non meam explicasset sententiam, sed inter se hæreses comparasse, quarum utramque in græco legeram, disputationem meam hoc fine complevi : Idcirco, ut supra diximus, hæc apud nos obscuriora sunt, quia μεταφορικῶς dicuntur in F græco *etc. Contra hanc declarationem* Hieronymi, *quam alioquin pro certa habere possumus, quia certo non dubitavit, quin supplicia reproborum sint æterna, ille tamen oriri potest scrupulus, quod Sanctus sic propriam expositionem ad* ℣ 16 *nullam dederit : nam contrarium passim facit, ut suum prius det, deinde alienam unam alteramve subjungat. Verum ad hanc, quam ipse formavi, objectionem respondeo,* Hieronymum *ad præcedentes versiculos declarasse, quid sit corpus Christi, quod alias hic explicandum erat, et quomodo crescat et proficiat in Christo capite suo.*

cujus explicatio confirmatur.

733 *Ad* ℣ 12 *ait :* Quia quum corpus Domini Ecclesia sit, et Ecclesia de vivis lapidibus construatur, hi, quos supra memoravimus in Ecclesia constitutos, id habent operis, ut secundum dispensationem et officia sibi credita, Ecclesiam Christi, id est, corpus ejus ædificent. *De hujus corporis incremento ac profectu ad* ℣ 13 *et sequentes,* Donec occurramus omnes in unitate fidei et agnitionis filii Dei in virum perfectum,

AUCTORE J. S.

ctum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi *etc.*, ea *plane disserit Sanctus, quæ simul elucidant Versiculum* 16, *ad quem demum Origenis explanationem subjicit. Quare catholicam suam expositionem non omisit, sed conjunxit ad præcedentes versiculos, quemadmodum totam Origenis expositionem, quæ simul ad præcedentes pertinet versiculos, commemoravit ad* ỷ 16. *Tota expositio* Hieronymi *spectat ad Ecclesiam, nec quidquam habet commune cum pravo dogmate Origeniano de reprobis hominibus et angelis in fine mundi in integrum restituendis. Hanc hæresim non modo multis aliis locis rejicit* S. Hieronymus, *sed in ipsis Commentariis, quos Rufinus adeo traduxit, æternitatem pœnarum clarissime asserit.*

præscriptum ex contraria sententia catholica.

734 *Etenim alium Origenistarum errorem ad cap.* 5, ỷ 6 *fortiter rejicit ad illa Apostoli verba,* Nemo vos decipiat inanibus verbis etc., *simulque* æterna supplicia *asserit, hæc scribens :* Verba, quæ decipiunt atque supplantant, inania sunt et vacua... Quia agitur sunt plerique, qui dicunt, non futura pro peccatis supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta ; sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, et in animo ignis accen- B ditur in similitudinem febris, quæ non torquet extrinsecus ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens, punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione, quod possidet. Has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas, verba inania appellavit et vacua, quæ videntur florem quemdam habere sermonum, et blandiri peccantibus : sed, dum fiduciam tribuunt, magis eus ferunt ad æterna supplicia.

in iisdem Commentariis asserta.

735 *Idem paulo ante ad* ỷ 5 *recenset gravia quædam peccata*, quibus qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi et Dei habere non possit, *et mox alia leviora, quæ* venialia *passim vocamus, et de uno ex his dicit :* Non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. *Hæc abunde ostendunt, non dubitasse* Hieronymum, *quin supplicia hominum et angelorum malorum sint perpetua. Mitto plura, quæ in eumdem finem ex iisdem Commentariis afferri possunt ; nec dubito fidenter asserere, nullam ex Rufini objectionibus legitimam esse, sive ex nulla recte inferri, ullum ex erroribus Origenis placuisse* Hieronymo, *quandoquidem omnia illa, quæ attulit errorum involu-* C *ventia, solum relata sint a Sancto, sed minime probata. Pauca vero, quæ recitavit, ipsius* Hieronymi *dicta nihil continent erroris, sed ab eo in pravum sensum detorta sunt.*

Datur ratio cur toties errores Origenis recitaverit.

736 *Poterit tamen studiosus lector quærere, qua de causa* Hieronymus *placita Origenis, quæ improbabat, toties in illis Commentariis recitaverit, et passim sine operosa refutatione. Ad primum ipse respondet lib.* 1 *contra Rufinum num.* 16 *ita scribens :* Ego enim in Commentariis ad Ephesios sic Origenem et Didymum et Apollinarium sequutus sum (qui certe contraria inter se habent dogmata) ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt ; quæ obscure scripta sunt, plano sermone manifestant ; multorum sententias replicant, et dicunt : Hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur : illi sensum suum et intelligentiam his testimoniis, et hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector, quum diversas explanationes legerit, et multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet, quid verius sit, et quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. *Alium dat rationem num.* 22 *his verbis :* Posui ergo omnia, . . . ut nihil D haberent discipuli ejus novi, quod Latinorum auribus ingererent. Facilius enim nota quam repentina contemnimus. *Hæc sufficere videntur ad excusandum* Hieronymum *de memoratis Origenis erroribus. Restat tamen scrupulus, cur eosdem non magis refutaverit ac nominaverit, quemadmodum postea fecit in Explanationibus Prophetarum, in quibus Origeni non pepercit.*

et non magis operose refutaverit,

737 *Rationem reddit scribens diu post in Jeremiam ad cap.* 22, ỷ 24 *et seqq. ubi sic habet :* Soleo in Commentariis et Explanationibus, quorum mos est diversas sententias ponere interpretum, hujusmodi miscere sermonem : « Quidam » hoc dicunt : Alii hoc autumant : Nonnulli sic » sentiunt. » Quod et ipse miserabilis Grunnius (*Rufinus*) et post multos annos discipuli Joviniani et illius calumniati sunt, et calumniantur, me sub alienis nominibus proprias sententias ponere : quod ego causa benevolentiæ facio, ne aliquem certo nomine videar lacerare etc. *Alteram rationem, qua errores Origenis acriter non exagitavit, dat in Epistola* 84 *num.* 7 *his verbis :* Nun enim consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. *Tertiam ibidem paulo ante ita commemorat :* Aiunt et medici, grandes morbos E non esse curandos, sed dimittendos naturæ, ne medela languorum exasperet. *Hæ rationes urgent magis ob quartam, quæ ibidem num.* 8 *sic exprimitur :* Erraverunt in fide alii tam Græci quam Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere. *Si enim nulli fere, aut pauci erant ex vetustioribus, qui non erant lapsi in aliquot errores, postea reprobatos ob Ecclesia, quid necesse erat* Hieronymo *ejus potissimum, qui multa etiam bona et utilia scripserat, errores acrius exagitare?*

in iis Commentariis S. Hieronymus.

738 *Itaque videtur sperasse* Hieronymus, *facilius deserendos Origenis errores, si loca sacræ Scripturæ, ex quibus hausti erant, ita exponeret, ut expositio nihil contineret, nisi sanam Ecclesiæ doctrinam ; ac deinde adjungeret, quid alii ex iisdem locis peregrinæ doctrinæ voluissent inferre, præsertim si quid subinde refutationis adderet, aut saltem tacite insinuaret, ejusmodi doctrinam sibi displicere. Hoc autem passim fecit. Nam, ubi prima vice ad cap.* 1, ỷ 4 *memoravit pravum dogma de animabus ante mundi constitutionem exsisten-* F *tibus, eique adjunctum alterum de earum electione ob merita, utrumque statim refutavit, idque fecit eo tempore, inquit lib.* 1 *contra Rufinum num.* 22, quo Origenis nomen florebat in mundo, *id est, quando non disputabatur de ejus erroribus. Utrumque errorem jam dictum sibi displicere, rursum ostendit ad* ỷ 5. *Deinde ad* ỷ 12 *remittit ad priorem expositionem eidem errori oppositam.*

præmittens tamen explanationem catholicam.

739 *Ut verbo dicam omnia, quantum legendo et relegendo Commentarios istos colligere potui, ubique expositionem catholicam præmittit, antequam recitat Origenis commenta. Verumtamen nolim diffiteri, caute legendos esse Commentarios istos, cum in illis magis, quam in ullis aliis, Origenis commenta retulerit, nec semper eos refutaverit Sanctus, imo aliquando vix ullo indicio ostendat, se ab iis abhorrere. Siquis tamen studiose voluerit observare,* Hieronymum *ad omnia S. Pauli verba dare expositionem suam, aut repugnantem erroribus Origenis, aut saltem nihil commune cum iis habentem, satis deprehendet, errores illos minime probatos fuisse a Sancto, verumque esse, quod in Epistola* 84 *dicit,* Origenistes numquam fui.

§ XLIII.

A

§ XLIII. Examinantur quædam observationes Tillemontii de imaginario Origenismo Hieronymi et aliæ quædam neotericorum objectiones.

Cum Hieronymus asserat, numquam se Origenistam fuisse,

Tillemontius objectiones Rufini non repetiit, sed maluit illas aliunde quæsitis augere, et frequenter sine probatione idonea asserit, non videri immunem fuisse S. Hieronymum ab aliquot erroribus Origeni attributis. Hæc crisis tanto magis mira mihi apparet, quanto sæpius insinuat plurimis locis, omnes illos, aut saltem plerosque, qui de erroribus Origenis ea tempora fuerunt suspecti, errorum sibi imputatorum defensores minime fuisse. De Hieronymo observat art. 91 ad illa ejus verba, Origenistes numquam fui, aliaque similia, multas fieri posse observationes, acsi modeste vellet insinuare, id falsum sibi videri. Verum Hieronymo ego credere malo, quam Tillemontii iniquas

B suspiciones adoptare. Hieronymus lib. 1 contra Rufinum num. 31 iterum sic loquitur : An quia Origenistæ non sumus, et in cælo nos peccasse nescimus, in terris arguimur peccatores? Et mox: Quamdiu non renuebam laudationem tuam, sequebaris me ut magistrum : fratrem et collegam vocabas, et Catholicum in omnibus fatebaris. Postquam non agnovi laudes tuas, et me indignum tanti viri præconio judicavi, illico vertis stilum, et omnia laudata prius vituperas, de eodem ore et dulce proferens et amarum. Hæc, quæ verissima sunt, satis probant, ex iracundia prosiliisse Rufinum ad accusandum de Origenismo Hieronymum. Vix igitur capio, qua crisi malint quidam iracundo Rufino credere, quam candide neganti Hieronymo, cum hic iterum lib. 2, num. 17 dicat: Non sum, quod arguis : si tu es, quod accusaris, ipse videris.

frivolis objectionibus

741 Verum argumenta Tillemontii, aut dicta potius, examinemus. Unam objectionem, qua ex concessione oratoria Hieronymum quasi fatentem inducit, jam refutavi num. 708. Sensa S. Hieronymi de Origene examinanda suscipit art. 46,

C ibique multa refert a nobis dicta, et nonnulla adjungit ad propositum nostrum. Loquens de Sancti in sacram Scripturam Commentariis, ait : Fatendum est, multos (errores Origenis) prioribus insertos esse. Addit rationes, quas dedit S. Hieronymus, errores illos referendi in suis Commentariis, eosque non improbasset, si ubique nominatus fuisset Origenes, erroresque refutati. Verum asserit, nonnullos etiam ab Hieronymo relatos esse nomine suo. Ad hoc ultimum satis respondi, nimirum Hieronymum ubique dedisse expositionem suam, ideoque studiosum lectorem advertere posse, quid Hieronymi sit, quid alterius. Quapropter si minus id perspexit Tillemontius, id factum fuerit, quia non satis diligenter Commentarios illos perscrutatus est. Certe Hieronymi verba, quæ assignat in Jeremiam cap. 22, non habent, quæ ex iis asserit. Ait Hieronymus de Rufino et aliis : Calumniantur me sub alienis nominibus proprias sententias ponere. Quis ex his verbis eruat, suo nomine relatas esse ab Hieronymo? Nam plane contrarium dicitur. Quod spectat ad errores multos, quos prioribus Commentariis inseruisset Hieronymus, id verum est de Commentariis in Epistolam ad Ephesios modo jam dicto; id Ecclesiasten rarius Origenis errores commemoravit, in aliis rarissime, et ubique alieno nomine, et præmissa expositione sua.

frustra contrarium

742 Observat præterea art. 48, mirum videri, provocasse Hieronymum ad Commentarios Epistolæ ad Ephesios, ut quilibet videret, ipsum Origeni fuisse contrarium. Nam, inquit, ne vel unicum illius libri allegat locum, ubi condemnat ullum ex erroribus, qui erant dogmatis Origeniani, præterquam quod loquens de aliqua opinione, dicat aliam esse hæresim etc. Attamen Hieronymus lib. 1 contra Rufinum num. 15 iis adversarium suum alloquitur verbis, quibus et Tillemontium posset alloqui. Quamquam non mereatur fidem inconstantia, et professæ inimicitiæ suspicionem habeant mendacii; tamen audacter conferam gradum, volens scire, quid hæreticum scripserim, ut aut cum illo agam pœnitentiam, et Origenis mala ignorasse me jurem, ac nunc primum a papa Theophilo didicisse impietates ejus : aut certe doceam, me quidem bene sensisse, sed illum more suo non intelligere. Neque enim fieri potest, ut in eisdem ad Ephesios E libris, quos, ut audio, criminatur, et bene et male dixerim, et de eodem fonte dulce amarumque processerit, ut, qui toto Opere damnaverim eos, qui credunt animas ex angelis conditas, subito mei oblitus, id defenderem, quod ante damnavi. Deinde num. 22 ipsa allegat verba, quibus dictum errorem refutavit primo loco. Toto autem libro errores Origenis refutavit, textus sacros, ex quibus illi erant deducti, reducendo ad sensum Catholicum.

743 Mox prosequitur Tillemontius ad Commentarios in Ecclesiasten, observatque ad cap. 4, nimirum ad illa verba, Et laudavi ego mortuos etc. rejici præexsistentiam animarum, quod sit his verbis : Hoc autem dicit, non quod qui necdum natus est, ante sit, quam nascatur, et felicior sit, quia necdum corpore prægravatus est; sed quod melius sit omnino non esse, nec sensum habere substantiæ, quam infeliciter vel esse vel vivere : quomodo et de Juda Dominus loquitur etc., Veruntamen, subjicit Tillemontius, mox et aliorum, qui eum errorem diserte asserebant, refert opinionem sine ulla refutatione. At errorem disertis verbis rejectum, et contraria loci expositione refutatum, non censuit ulterius refutandum F Hieronymus; et vel hinc discere potuit Hieronymi censor, sententias Sancti non fuisse, quas ita refert, etiamsi eas gravi censura aut operosa refutatione non rejiciat. Addit Tillemontius ad cap. 7, nempe ad illa verba, Et dies mortis super diem nativitatis, rursum referri dictum Origenis errorem sine refutatione. Sed jam mentem suam ibi declaraverat Hieronymus gemina expositione catholica. Ipsa etiam expositio tertia, etiamsi ex mente Origenis data videatur, posset catholice exponi, si necesse esset.

insinuare

nititur Tillemontius,

744 Idem objicit verba Hieronymi ad cap. 1, et ad illa verba : Perversus non poterit adornari (in Vulgata, Perversi difficile corriguntur) ubi post geminam expositionem hæc verba subjicit Sanctus pro tertia : Aliter : Omnibus per pœnitentiam in integrum restitutis, solus diabolus in suo permanebit errore etc. Si locus ita intelligatur, ut omnes in fine dicantur restituendi per pœnitentiam, is error de more refertur ab Hieronymo. Si vero solum voluerit, pœnitentiam in hac vita omnibus propositam esse, eaque omnes restitui in integrum posse, excepto diabolo, qui nequit pœnitere,

pœnitere, nihil habet locus erroris Origeniani, ipsaque diaboli exceptio facit, ut verisimile fiat, id eum voluisse. Certe error ille de pœnitentia post mortem agenda refutatur ab Hieronymo *ad cap.* 9 *et* ℣ 5 *in Vulgata, ubi ait locum sic exponendum :* Donec vivunt homines, posse eos justos fieri, post mortem vero nullam boni operis dari occasionem. Peccator enim vivens potest melior esse justo mortuo, si voluerit ad ejus transire virtutes... Quare? Quia viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare : mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita,... nec juste quidquam jam possunt agere, nec peccare; nec virtutes adjicere, nec vitia. *Huic expositioni, quæ de mente* S. Hieronymi *nullum relinquit dubium, rursum subjungit contrarium Origenianam, quam etiam assignare potuisset Tillemontius.*

cujus et alia datur objectio.

745 *Maluit ille objicere alia* Hieronymi *verba, quæ nihil habent erroris Origeniani, sed aliam continerent errorem, si recte essent objecta. Ad cap.* 11 *et hæc verba,* Et, si ceciderit lignum ad Austrum *etc. ait,* Hieronymum *dicere, unumquemque mansurum in statu, in quo eum mors deprehenderit. Innuit objectio, ibi temporales* B *negari post hanc vitam pœnas, sive ignem purgatorium, ut vocamus. Verba* Hieronymi *eum quidem habent sensum, sed minime excludunt temporales justorum pœnas, quas aliis locis clarissime* Hieronymus *agnoscit.* Ubicumque, *inquit,* tibi locum præparaveris, futuramque sedem, sive ad Austrum sive ad Boream, ibi, quum mortuus fueris, permanebis. *Et post varias expositiones, iterum illa habet :* Lignum igitur, quod in hac vita corruerit, et conditione mortalitatis fuerit incisum, aut peccavit ante, dum staret, et in Boreæ (*id est, damnatorum*) parte postea ponitur : aut si dignos Austro fructus attulerit, in plaga jacebit Australi. Nec est aliquod lignum, quin aut ad Aquilonem sit, aut ad Austrum. *His verbis Sanctus plures excludit errores Origenianos, quibus et merita et peccata futuræ etiam vitæ attribuuntur, aut omnium peccatorum restitutio asseritur, aut æternitas pœnarum negatur. Asserit igitur* Hieronymus *cum Ecclesiaste, hominem aut in Dei gratia mori, et sic æternis gaudiorum præmiis, aut in peccatis mortiferis, et sic æternis plectendum suppliciis. At neuter negat, justos, qui non omnino expurgati moriuntur, temporalibus* C *purgandos pœnis : sed hi etiam* ad Austrum *vadunt, ac perpetuo in eo statu, sive in gratia Dei, manebunt.*

et aliorum alia illi prorsus opposita

746 *Lubet hoc transferre locum, quem alii criminantur, ut æquus lector videat, quam prompti fuerint multi ad verba* S. Hieronymi *in perversum sensum trahenda, eique affingendos errores, a quibus abhorrebat. In Dialogo contra Pelagianos, diu post scripto, num.* 28 Hieronymus *ita loquitur :* Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui et diabolum et satellites ejus, omnesque impios et prævaricatores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas. *Nihil dici poterat catholicæ doctrinæ magis accommodatum, si locus recte intelligatur. Æternum perire dicit Sanctus* diabolum et satellites ejus omnesque impios (*id est, infideles, sive gentiles fuerint, sive hæretici, sive quocumque modo a fide catholica alieni*) et prævaricatores (*id est, graves peccatores*) *sine remedio pœnitentiæ in peccatis suis defunctos. Deinde* salvandos esse post pœnas (*purgatorii nimirum*) D *illos dicit* Christianos, *qui* in peccato præventi fuerint, *id est, qui aut levia tantum commiserunt peccata, aut in grave quidem aliquod sunt lapsi, sed illi non inhærentes, pœnitentia se corrigere studuerunt.*

utriusque vero solutio

747 *Ipse loquendi modus datam expositionem insinuat : nam* prævaricatores, *sive graves peccatores, opponuntur iis, qui* in peccato præventi fuerint. *Hisce autem verbis imitatur* Hieronymus *modum loquendi, quo usus est Apostolus ad Gal.* 6, ℣ 1 : Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis. *Ad hunc locum quærit* Hieronymus, *cur hos leniter, alios graviter, corrigi velit Apostolus, et sic respondet :* Verum ibi ad eos dicitur, qui post peccatum non sentientes errorem suum, nolebant majoribus suis subdi, et pœnitentia corrigi. Ubi vero peccator, intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis. *Hoc autem dicit de illis,* qui in aliquo peccato præventi fuerint, *ut præmittit. Et ante ait :* Et pulchre, præoccupatum in delicto hominem vocat (*Apostolus*), qui mori possit, ex ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens. *Itaque studiose iis verbis usus videtur* Hieronymus, E *quibus insinuaret, Christianos ex fragilitate lapsos, hosque pœnitentia correctos, quos dicit* salvandos post pœnas, *sive in hac vita, sive in purgatoria toleratas.*

ex Hieronymo datur.

748 *Utrasque pœnas, videlicet æternas pro mortiferis peccatis, temporales pro levioribus, luculenter asseruit* Hieronymus *in sæpe laudato Commentario ad Ephesios ad cap.* 5, ℣ 5, *ubi recenset tria peccata mortalia, fornicationem, immunditiam et avaritiam;* quibus, *inquit,* qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi et Dei habere non possit. *Tum tria enumerat leviora, quæ* venialia *vocamus, turpitudinem, stultiloquium et scurrilitatem, observatque hisce obnoxios non excludi perpetuo a regno Dei. De quibus ubi plura disseruerat, ita concludit :* Et quomodo stultiloquium et scurrilitas, sic et ista turpitudo non perdit, nec in perpetuum excludit a regno. *In Epistola* 119 (*alias* 152) *ad Minervium et Alexandrum sequentia item scribit :* Non sunt perpetua morte perituri, quia non in mortali crimine continentur, sed levi modicoque peccato. *Itaque agnovit et pœnas temporales post hanc vitam pro le-* F *vioribus peccatis, et æternas pro gravioribus. Frustra recurrunt adversarii ad alia* Hieronymi : *frustra comminiscuntur ac prorsus improbabiliter, Sanctum sententiam suam de æternis gravium peccatorum, etiam Catholicorum, suppliciis postea mutasse. Nam suppliciorum æternitatem tot locis in sacris Litteris assertam invenit, tot locis ipse asseruit, ut et sacrarum Scripturarum, et scriptorum suorum æque debuisset esse oblitus, si doctrinam adeo compertam postea negasset, et ad toties refutata deliria accessisset.*

et contra alias objectiones

749 *Objiciunt illi quidem ultima verba Commentarii in Isaiam, quæ vitiose videntur edita, et vel sic improbabilem adversariorum censuram confirmare nequeunt. Locus ita editus est :* Et sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo : NON EST DEUS, credimus æterna tormenta : sic peccatorum atque impiorum et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiæ sententiam Judicis. *Observat Vallarsius,* in vetustissimo Ambrosiano

AUCTORE J. S.

A Ambrosiano Ms. *ita legi*, sic peccatorum, etiam Christianorum, quorum *etc. Quocumque modo legatur locus, nullus ex eo legitima consecutione concludet, negari ab* Hieronymo *æterna fore supplicia Christianorum, qui in peccatis mortalibus defuncti sunt. Potest enim esse moderata mixtaque clementiæ Judicis sententia, etiamsi pœna protrahatur in æternum, attenta infinita delicti gravitate; quod infligatur pœna levior, quam peccatorum gravitas mereri videretur judici duro et immisericordi. Itaque vel ibi non negat æterna fore supplicia, vel, si locus legatur, ut habetur in Ms. Ambrosiano, loquitur de peccatoribus, qui pœnitentiam egerunt, et fortasse simul de aliis: et de omnibus dicit moderatam fore Judicis sententiam, sed non negat æternam illorum, qui in peccatis mortalibus defuncti sunt, pœnam. Nam dicit ea respondendo ad objectiones illorum,* qui volunt supplicia aliquando finiri. *Cum enim in locis sacræ Scripturæ, quos pro illo errore allegatos recitat, de misericordia Dei fiat mentio, Dei misericordiam et clementiam non negat, sed illegitimam consecutionem.*

pluribus Sancti locis

750 *Ut vero studiosus lector magis videat,* B *ineptum esse illorum ratiocinium, qui ex mixta clementiæ moderataque Judicis sententia, qualem in ipsos quoque dæmones latam non negamus, errorem de finiendis aliquando Christianorum malorum suppliciis* Hieronymo *attribuerunt; obsecro, sanctum scribere in hæc Isaiæ verba:* Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; *atque hisce æternitatem suppliciorum clare asseri. Ad confirmandam eam doctrinam recitat clarissima Christi Judicis verba Matth.* 25: Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus, *ubi* ℣ 46 *sequitur:* Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Ad hunc vero locum in Commentariis in Matthæum* Hieronymus *diu ante annotaverat sequentia:* Prudens lector, attende, quod et supplicia æterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum. *Hujus doctrinæ oblitum non fuisse* Hieronymum, *dum scribebat in Isaiam luculenter patet, non modo quia ait, locum a* plerisque *sic exponi,* ut non negent prævaricatorum et Dominum negantium æterna supplicia, *et ad ea probanda alleget memoratum Matthæi locum; sed vel maxime quia æterna supplicia* C *disertis verbis ipse asserit, ita scribens:* Et omnium Sanctorum oculis eorum supplicia monstrabuntur, qui pro auro et argento et lapide pretioso, ædificaverint super fundamentum Domini fœnum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni. *Christianos esse, qui ædificant* super fundamentum Domini, *nullus prudens negaverit. Nihilo rectius negari poterit, æternis addici suppliciis eos, qui* ædificaverint . . . ignis pabulum sempiterni.

confirmatur.

751 *Verba sequentia veritatem illam etiam illustrant. Nam subdit:* Porro qui volunt supplicia aliquando finiri, et licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta *etc. Nam si contrariæ opinionis patroni volebant*, supplicia aliquando finiri, *plerique, quos sequitur ipse* Hieronymus, *docebant, ea numquam finiri. Si necdum hæc sufficiant censoribus* S. Hieronymi, *audiant eumdem loquentem ad cap.* 65 *Isaiæ* ℣ 20 *de tempore judicii:* In illo igitur tempore, *inquit,* quando ætas fuerit una cunctorum, et Sanctus et peccator erunt simili resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore; sed alius ad præmia, alius ad supplicia pertrahetur; et in eo peccator maledictus erit, quod incorrupto corpore pœnas patietur æternas. *Plura non addo. Si enim hæc non suffecerint hominibus contentiosis, qui sibi fabricant ratiocinandi regulas, ab omni sana dialectica alienas, ut ex locis obscuris certa et indubitata evertant; contemnendi magis illi veniunt, quam ulterius refutandi.*

§ XLIV. Exponuntur ea, quæ Romæ contra Rufinum decreta sunt: aliæ Rufini contra Hieronymum objectiones et calumniæ examinantur et refelluntur.

Cum ab amicis S. Hieronymi accusata,

H*actenus examinavi objectiones, quibus Rufinus* Hieronymum *de erroribus Origenis suspectum facere voluit, aliasque nonnullas ne iisdem fere fidei articulis adjunctas ab aliquot scriptoribus neotericis. Verum non solum doctrinam* Hieronymi *infamare conatus est Rufinus, sed etiam vitam;* E *multasque effudit querelas, quibus culpam totius contentionis, inter eos ortæ, in* Hieronymum *transfundere, ipsumque violatæ amicitiæ reum agere contendit. Multas de gestis sancti objectiones jam discussi variis locis; reliquas hic examinabo, ubi querelas Rufini refutavero. Jam vidimus* § 40, *accusatum Romæ fuisse Rufinum ob versos Origenis libros de Principiis, et S. Marcellam contra ipsum egisse apud S. Anastasium Papam: Pammachium quoque et Oceanum cum Marcella contra eumdem stetisse. Hisce, qui cum* Hieronymo *conjunctissimi erant, ex ipso* Hieronymi *monasterio accesserunt nonnulli, in Occidentem profecti, ex quibus præcipui fuerunt Vincentius presbyter, qui ante Rufinum ex Oriente discesserat, et Eusebius Cremonensis, qui uno post Rufinum anno Romam venit, et ex præcipuis ejus accusatoribus fuit. Hac igitur occasione omnem culpam* Hieronymo *attribuere voluit Rufinus, quod ejus amici et discipuli essent, a quibus fuerat accusatus. Utrum illi accusatores culpam contraxerint, eaque recte imputata fuerit* S. Hieronymo, *inferius videbimus.* F *Prius dicamus, quid ex accusatione fit secutum.*

et ab Anastasio Papa damnata fuisset

753 *Damnatam fuisse ab Anastasio Papa Versionem Rufini librorum Origenis de Principiis, liquet ex Epistola Anastasii ad Joannem Hierosolymitanum, quæ in editione Veronensi habetur tom. II a col.* 577: *nam ea Translatio ibi multis verbis improbatur. Ipsum Rufinum fuisse damnatum, et communione privatum, alii asserunt, negant alii. Factum ipsius certe multum improbavit Anastasius, et de eo in laudata Epistola ita loquitur:* Ruffinus, de quo me consulere dignatus es, conscientiæ suæ divinam habet arbitram Majestatem, apud quam se integro devotionis officio, ipse viderit, qualiter debeat approbare. *Tum plura disserit contra Versionem, ut plane noxiam, subditque:* Qua re moti, qualem Epistolam ad fratrem et coepiscopum nostrum Venerium (*Mediolanensem*) diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, ex subditis poteris comprobare. Unde igitur habeat secum ille, qui transtulit, servetque sibi hanc conscientiam, non superflua laboro formidine, neque inani timore sollicitor. *Hæc verisimiliter dicit,*

...ICTORE ...S.

dicit, quod Joannes Rufini amicus ipsum bonæ conscientiæ testimonio excusasset. Et in fine: Itaque, frater carissime, omni suspicione (*de accusatoribus Rufini*) seposita, Ruffinum propria mente perpende, si Origenis dicta in Latinum transtulit ac probavit, nec dissimilis a reo est, qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamen tenere te cupio, ita haberi a nostris partibus alienum, ut, quid agat, ubi sit, nec scire cupiamus. Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.

Rufini versio librorum de Principiis,

754 *Ultimum verbum innuit damnationem, imò et excommunicationem Rufini. Huic tamen opinioni opponit se Vallarsius cum Constantio, sed in eorum dictis non invenio certas rationes. Nam* ab injectis suspicionibus absolvi, *ut illi interpretantur, non videtur mihi interpretatio satis probabilis. Nolim tamen certo asserere, excommunicatum ab Anastasio fuisse Rufinum, cum id neque hic, neque alibi, clare asseratur, multo minus tractatum fuisse ut hæreticum. At certo factum ipsius damnatur, Opusque translatum: innuit etiam Anastasius, peccato non caruisse tam perniciosi Operis translationem, ut fortasse de absolutione peccatorum dicat:* Ipse viderit, ubi possit absolvi. *Quidquid ibi dicere voluerit, insinuat, se ea de re* B *scripsisse ad Venerium Mediolanensem, et simul docet, Origenis lectionem lege etiam imperatoris fuisse prohibitam, ita scribens:* Illud quoque, quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum principum nostrorum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens ab Origenis lectione revocatur, damnatumque sententia principum, quem lectio reum prophana prodiderit. *Memorata Anastasii ad Venerium Epistola non exstat; sed exstat alia, quæ eadem de re scripta est Simpliciano, Venerii decessori. Defunctus autem est Simplicianus circa medium Augustum anni 400, ut non dubitem, quin Venerio aliam eadem de re Epistolam scripserit Anastasius.*

et errores aliquot Origenis contenti,

755 *In laudatis litteris ad Simplicianum significat Anastasius, ad se delata fuisse quædam capita doctrinæ Origenis, eademque a se damnata: Theophilum quoque Alexandrinum de periculo doctrinæ Origenis scripsisse memorat. Partem huc transfero.* Pari animo, *inquit*, vir sanctus et honorabilis Theophilus, frater et coepiscopus noster, circa salutis commoda non desinit vigilare, ne C Dei populus per diversas ecclesias Origenem legendo in magnas incurrat blasphemias. Conventus litteris memorati, convenio sanctitatem tuam. *Mox ait, se damnasse doctrinam Origenis, illudque repetit inferius his verbis:* Igitur hoc præceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostræ contrarium, ab Origene quondam scriptum, indicavimus a nobis esse alienum atque punitum. Hæc sanctitati tuæ scripsimus per Eusebium presbyterum (*Cremonensem*) qui calorem fidei gestans, et amorem circa Dominum habens, quædam capitula blasphemiæ obtulit, quæ nos non solum horruimus et judicavimus, verum et si qua alia sunt ab Origene exposita, cum suo auctore pariter a nobis scias esse damnata. *Hæc Anastasius.*

Anastasius, ad quem ante scripserat Theophilus Alexandrinus.

756 *Dubitavit quidem eruditus editor, an laudata Epistola mitti potuerit ad Simplicianum, quem post medium annum 400 existimat defunctum, quod nullam inveniat Theophili Alexandrini Epistolam ante istud tempus ad Anastasium datam. Nam synodica Theophili, ut in Annotatis ad Epistolam Anastasii probat Vallarsius, data videtur circa Septembrem anni 400; obiit vero S. Simplicianus, de quo apud nos actum est ad 16 Augusti, circa medium hujus mensis eodem anno, ut* D *de synodica Theophili nullo modo ad Simplicianum scribere potuerit Anastasius. Verum ipse dubitationem deposuit, censuitque de alia quapiam Theophili epistola loqui Anastasium, eaque sententia, mihi certa videtur. Etenim loquitur Anastasius de Epistola Theophili, quæ scripta est non diu post Epistolam* Hieronymi *ad Pammachium et Oceanum, ut colligitur ex Epistola* 88 (*alias* 71) Hieronymi *ad Theophilum. Sanctus enim laudans zelum Theophili contra Origenistas, sic eum alloquitur:* Vox beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, et cunctis Christi ecclesiis lætantibus, diaboli venena siluere. Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat; sed contortus et evisceratus, in cavernarum tenebris delitescens, solem clarum ferre non sustinet. Equidem super hac re, et antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eodem tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, et nostram, dum ignoras, sententiam roborares.

757 *Epistola* Hieronymi *data est anno* 399, *ut probatum est num.* 692: *itaque, si eodem tempore, id est, non diu post, scripserit Theophilus, de periculo ab Origenistis imminente Anastasium instruens, ejus Epistola data fuerit eodem an.* 399, *aut certe priori aliquo mense anni* 400, *ut vel exeunte anno* 399 *vel anno* 400 *facile ad Simplicianum de causa Origenistarum scribere potuerit Anastasius. At in hac Epistola Rufinus non nominatur, nec de translatione librorum de Principiis fit mentio. Veruntamen cum Pontifex* capitula blasphemiæ *sibi ab Eusebio oblata dicat, eaque desumpta essent ex versis per Rufinum libris de Principiis, et Rufinus ipse et Versio ejus tacito nomine percutitur. Ipsa quoque damnata* capitula blasphemiæ, *una cum dictis litteris ad Simplicianum missa fuisse, verisimile est.*

de re tota scribit ad Simplicianum Mediolanensem.

E

758 *Præterea constat, Rufinum fuisse Romam vocatum, ut se defenderet. Nam de Rufino ejusque sociis loquitur* Hieronymus *in Epitaphio S. Marcellæ, sive in Epistola* 127, *num.* 10, *hæc scribens:* Dum acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi: tantaque vis conscientiæ fuit, ut magis absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint. *Ex ipsa* F *Apologia Rufini, aliisque* Hieronymi *scriptis, hæc etiam confirmantur. At obscurum est, utrum Rufinus fuerit vocatus ante dictas Anastasii ad Simplicianum litteras, an postea. Forte et ante damnationem capitulorum vocatus fuerit, et iterum postea, ut rationem fidei suæ redderet, et causas translati Operis perniciosi indicaret.*

et Rufinum citat Romam.

759 *Maluit Rufinus Apologiam scribere ad Anastasium, quam Romam venire, et præsens fidei suæ ac versionis rationem reddere. Apologiam, datam in editione Veronensi tom. II, col.* 573, *orditur hoc modo:* Audio quosdam, cum apud Beatitudinem tuam controversias sive de fide, sive de aliis nescio quibus quæstionibus, commoverent, etiam mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem Sanctitas, velut ab ipsis incunabulis per ecclesiasticæ traditionis regulas instituta, de absente sibique bene et in fide et in caritate Dei cognito, calumniantibus non accommodavit auditum. Ad me tamen quoniam appetitæ existimationis meæ fama pervenit, æquum putavi, ut, quoniam ipse post triginta fere annos parentibus redditus sum, et durum satis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos, quos tam tardo

Hic vero per Apologiam, qua arroganter

A reviseram, simul et quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddidit ad iterandos labores, litteris meis satisfacerem Beatitudini tuæ, non ut sancta mente tua, quæ, velut quoddam Dei sacrarium, aliquid iniquum non recepit, maculam suspicionis abstergerem; sed ut æmulis, adversum me forte oblatrantibus, baculum quemdam tibi confessionis meæ, quo abigerentur, offerrem.

adversarios suos ut invidos, accusat.

760 *Arrogans plane est illud exordium, eique conformis est Apologia tota, cum adversariorum suorum invidiæ attribuat omnem commotionem, contra se exortam, dicatque Translationem* pro solo livore culpari. *Totam concludit his verbis :* Reddent autem in die judicii rationem hi, qui offendicula, et dissensiones et scandala fratribus propter invidiam solam generant et livorem. *Apologiam illam refutavit* Hieronymus *lib.* 2 *contra Rufinum, ut dicetur. Interim constat, non eam fuisse sententiam Anastasii Papæ de innocentia Rufini, quam hic sibi promittere videtur in Apologiæ exordio. Non credidit Anastasius, ex sola invidia Rufinum ejusque Versionem accusari. Nam in Epistola ad Simplicianum Eusebio, accusatori* B *præcipuo,* calorem fidei *attribuit, et* amorem circa Dominum, *non invidiam, non livorem, non alia peccata, quibus S. Eusebium Cremonensem infamare conatus est Rufinus.*

Anastasio satisfacere frustra laboravit.

761 *De SS. Marcella et Pammachio, qui inter primos Rufinum aggressi sunt, melius etiam procul dubio judicavit : nam Joannem Hierosolymitanum, ejusmodi de adversariis Rufini suspiciones ingerentem, rejecit his verbis :* Quod te vero vulgi de Ruffino querela sollicitat, ut quosdam vagis suspicionibus persequaris, hanc tuam opinionem constringam divinæ lectionis exemplo. sicut scriptum est : « Non sic homo, ut Deus : nam » Deus videt in corde, homo videt in facie. » *Quapropter certum est, non satisfecisse Rufinum Anastasio. Hic vero alteram contra ipsum scripsit Epistolam ad Venerium Mediolanensem, Simpliciani successorem; eamque transmisit ad Joannem Rufini patronum cum Epistola mox laudata. Hanc autem ad Venerium Epistolam verisimiliter dedit post lectam Rufini Apologiam, in eaque Rufino minus videtur pepercisse. Loquitur de eadem* Hieronymus *lib.* 3 *contra Rufinum num.* 20 *et seqq.,* C *refutans Rufinum, qui fictitiam dicebat. Ceterum, qualiscumque fuerit damnatio Rufini, transeo ad examinanda ea, quæ contra* Hieronymum *evomuit.*

Immerito conquestus est Rufinus de Epistola 84 Hieronymi,

762 *Prima accusatio, de qua jam num.* 701 *et* 702 *aliqua sunt dicta, est contra Epistolam* 84 Hieronymi, *qua se impetitum voluit Rufinus. At jam observavi, non potuisse* Hieronymum *non se purgare publica aliqua contra Origenistas declaratione, nisi de Origenismo suspectus esse vellet, idque tali eum præstitisse modo, ut nullibi Rufinum aut nominaret aut privatim aggrederetur. Frequenter id repetit* Hieronymus. *Unum dumtaxat affero locum. Ubi lib.* 1 *contra Rufinum probaverat, se figuratis Rufini laudibus revera accusatum fuisse, num.* 3 *Pammachium et Marcellam sic alloquitur :* Teneo epistolas vestras, quibus accusatum me scribitis esse, et hortamini, ut respondeam criminanti, ne, si tacuero, videar crimen agnoscere. Ad quas respondi, fateor, et quamvis læsus, sic amicitiæ jura servavi, ut me sine accusantis accusatione defenderem : et quod unus Romæ amicus (*Rufinus*) objecerat, a multis in toto orbe inimicis dicerem jactitatum, ut non viderer homini, sed criminibus respondere.

Poterat ita generatim Hieronymus *vere loqui, quia non solum credebatur Origeni favere, sed hoc etiam in variis orbis partibus ob laudes Origeni datas versaque aliquot ejus Opuscula jactitabatur.*

AUCTORE J. S.

763 *Contra hoc objicit Tillemontius art.* 91, *facilius consecuturum fuisse* Hieronymum, *ut nemo perspiceret, Rufinum fuisse impetitum,* si non tam clare designasset præfationem ejus in libros de Principiis, et de Apologia S. Pamphili non fuisset locutus. *At clare designatam Rufini præfationem in Epistola* Hieronymi, *nequeo ego invenire. Apologiam Pamphili pro Origene non jactabat solus Rufinus, sed procul dubio ad illam provocabant passim Origenistæ. Quapropter cum nihil dicat* Hieronymus *de illa latine reddita, ne iis quidem, quæ contra Apologiam illam disseruit, nominatim impetiit Rufinum. Ut paucis mentem edicam, non poterat magis Rufino parcere, nisi Origenistis etiam parcere voluisset, et defensionem suam relinquere inefficacem. Itaque falsum est, quod subjungit,* directe *Rufinum ab* Hieronymo *fuisse impetitum : verum tamen est, nonnulla Rufini asserta pro Origene ab* Hieronymo *fuisse refutata.* Hæreticum in *illa Epistola vocatum esse Rufinum, ut persuadere* E *vult Tillemontius, rursum est falsum, quia* Hieronymus *solum dicit :* Et tantum me diligunt, ut sine me hæretici esse non possint : *nec solum omittit nomen, sed ad nullum particulare factum verba illa refert; et loquitur de iis, quæ* in toto pene orbe boni homines *jactitabant.*

acsi nominatim fuisset impetitus.

764 *Poterat quidem Rufinus ipse perspicere, nonnulla sua asserta refutari factaque aliqua improbari in* Hieronymi *Epistola, quia noverat, quid scripsisset fecissetque; sed non debebat ideo omnia, generatim in hæreticos dicta, de se prolata credere. Recte ergo hominis iracundiam irridet* Hieronymus *lib.* 1, *num.* 11 *his verbis :* Tota illa Epistola, qua pro me satisfacio, contra hæreticos et accusatores meos dirigitur. Quid ad te, qui et orthodoxum et laudatorem meum te esse dicis, si asperior sum in hæreticos, et illorum in publicum strophas profero? Lætare invectione mea, ne, si dolueris, hæreticus esse videaris. Quando sine nomine contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est. Prudentis hominis fuerat, etiamsi dolebat, dissimulare conscientiam, et cordis nubilum frontis serenitate discutere. *Similia aliis* F *locis habet* Hieronymus, *et recte contra Rufinum, quem inutilibus observationibus frustra juvare conatur Tillemontius. Etsi enim* Hieronymus *multo apertius Rufinum refutasset, et in tantam se defendendi necessitatem non fuisset adductus, recte contra Rufinum, utpote versione librorum de Principiis periculum fidei Catholicæ inferentem, scripta sua composuisset.*

cum illa justis causis et generatim contra Origenistas sit scripta.

765 *Altera Rufini accusatio est, quod Vincentius, Eusebius, aliique presbyteri in Occidentem ab* Hieronymo *fuerint missi ad Rufinum ipsum accusandum; augetque hanc accusationem lib.* 1, *num.* 17 *contendendo, scripta sua a S. Eusebio Cremonensi et a S. Marcella fuisse corrupta, et sic accusata. Hanc accusationem deinde repetiit Rufinus, et ulterius inferre voluit, jura amicitiæ violata esse ab* Hieronymo. *Respondit Sanctus in tertio solum libro, ex quo pauca huc breviter transferam. De profectis in Occidentem presbyteris respondet num.* 24, *omnes notabili tempore ante vel post Rufinum eo profectos,* omnes, vel pro re familiari, vel pro periculo capitis alieni. *Addit rationem, cur mitti non potuerint ad accusandum Rufinum, videlicet quod* Hieronymus *non posset prævidere,*

Gesta ab amicis Hieronymi Rufinus perperam imputat Sancto.

prævidere, quid Rufinus Romæ esset acturus. Hinc ait : Novum calumniæ genus, ante accusatores misimus, quam tu accusanda committeres. Non fuit, non fuit, inquam, nostri consilii, sed Dei providentiæ, ut missi ad aliud. contra nascentem hæresim dimicarent. *Alias ad suspicionem illam Rufini refutandam rationes allegat num.* 33.

...tribuit, falsaque etiam de illis confinxit.

766 *Rursum num.* 34 *refellit Rufinum, qui* furto et insidiis *schedulas suas sibi ablatas a discipulis* Hieronymi, *aut etiam* emptas grandi pecunia, *jactitabat. De falsatis Rufini schedulis per Eusebium Cremonensem agit num.* 5, *illamque ejus criminationem prolixe coarguit. Cum perspectissima cuilibet esse debeat levitas Rufini in calumniando, pauca solum* Hieronymi *verba huc deduco :* Vide, *inquit,* ne magis illud verum sit a paucis illis amicis tuis et Eusebio et cæteris data exemplaria, quæ ita inter se congruunt atque consentiunt, ut ne puncto quidem alterum ab altero differat. *De accusatione Rufini per Eusebium ita sententiam suam edicit :* Et ante scripsi, et nunc eadem, Deo audiente, protestor, me non approbasse accusationem ejus, nec cujusquam Christiani in Christianum... Sed quia unusquisque vivit stomacho suo : et amicus non statim dominus est alterius voluntatis ; sicut accusationem etiam veram reprehendo, sic falsitatem schedularum in sancto viro non suspicio. *Non violasse Hieronymum amicitiæ jura, satis liquet ex ante dictis : multa tamen ipse adjungit, ex quibus unum profero num.* 24 : Pacem dedimus, *inquit Rufino,* non hæresim suscepimus. Junximus dexteras, abeuntes prosequuti sumus, ut vos essetis Catholici, non ut nos essemus hæretici. *Vel sola hæc sufficiunt ad excusandum* Hieronymum : *neque enim humana amicitia impedire debet, quo minus quis fidem defendat.*

Criminationes aliæ

767 *Rufinus, ubi reliquo libro primo doctrinam* Hieronymi *impugnaverat, secundo mores ejus impugnare cœpit. Scripserat* Hieronymus *in Epistola* 84 *num.* 3 : Quod autem (*Origenistæ*) perjuriorum atque mendacii inter se orgiis fœderentur, sextus Stromateon liber... planissime docet. *Verba ipsa Origenis, mendacio aliquando utendum prudentibus ex Platone docentis, deinde recitavit lib.* 1 *contra Rufinum num.* 18. *At superiora verba, in quibus proferendis de Rufino forte non cogitavit* Hieronymus, *ille tam ægre tulit, ut operosa disputatione* Hieronymum *de perjurio convincere contenderit. Verum ridiculum illam Rufini theologiam, qua ex somnio Sanctum accusare, adhibitaque logica prorsus inusitata de perjurio condemnare voluit, jam refutavi* § 6. *Multa quoque ea occasione deblaterat num.* 4 *contra præclaram Sancti Epistolam de Virginitate servanda ad Eustochium; sed hæc satis refutavi num.* 261 *et seqq., ipsaque Epistola se satis defendit. Quod rursum ea occasione asserit num.* 7, *linguam græcam juveni* Hieronymo *fuisse ignotam, refelli num.* 83. *Addit num.* 10 *novam accusationem Rufinus, sed plane ridiculam, quam necdum examinavi. Dixit* S. Hieronymus *in Epistola* 22 *ad Eustochium virginem, alloquens num.* 20 *matrem ejus S. Paulam :* Grande tibi beneficium præstitit : socrus Dei esse cœpisti. *Hoc dictum, si credimus Rufino, pejus est erroribus Origenis, ex quibus duos præcipuos nominat, superat* omnem gentilitatem, immo impietatem... Et quid tam impium vel profanum, *inquit,* a quoquam gentilium poetarum saltem dici potuit? *Hujus dicti causa,* dum non Paulum, sed Porphyrium introductorem *habet* Hieronymus, *ut vult Rufinus, in istud blasphemiæ baratrum decidit. Hæc tam serio, tam ardenter, tam prolixe agit Rufinus, acsi vera diceret. At studiosus lector ex ungue leonem cognoscet.*

Rufini contra Hieronymum.

768 *At magistros* Hieronymi *transiens num.* 12, *carpit Sanctum, quod Didymum suis magistris annumeret, de quo jam respondi num.* 338 *et* 339. *Acrius insurgit, quod* Hieronymus *pro lingua Hebraica usus sit Baranina Judæo magistro, logicamque didicerit ex Opere Porphyrii gentilis. At hasce Rufini ineptias castigavi num.* 347 *et* 348. *Tum multos adducit* Hieronymi *textus, quibus Origenem laudavit, et num.* 19 *contendit, æque sibi ac* Hieronymo *licitum fuisse laudare Origenem. Hac sola objectione uti debuisset Rufinus, prætermissis omnibus, quæ ex secundo libro hactenus recensui. Attamen et hic magna in variis adjunctis est differentia. Laudavit* Hieronymus *Origenem, partim in Epistolis aliisque Operibus immensos ejus pro Ecclesia labores referendo, partim in Præfationibus ad Opuscula ejus minus vitiosa, ingenium viri et doctrinam commendando. At Rufinus Origenem mutuatis ab* Hieronymo *laudibus extulit in Opere omnium vitiosissimo, quod errorum ejus continet compendium. Secunda* Hieronymus *Origenem laudavit eo tempore, quo necdum errores ejus satis habebat perspectos, quo de iis nullæ aut certe vix ullæ erant contentiones. At Rufinus Origenem extulit, quando multiplices ejus errores, quos reddebat latinos, ignorare non poterat, postquam contentiones earum causa inter S. Epiphanium Joannem Hierosolymitanum ortas, præsens aliquot annis audiverat, postquam dudum a S. Epiphanio monitus fuerat, ut ab eis caveret. Tertio numquam sic Origenem laudavit* Hieronymus, *ut assereret ab erroribus immunem esse. At Rufinus contendebat, ab hæreticis insertos esse errores, qui in Origene occurrebant.*

ex quibus una, ex fragmento Epistolæ perdita.

769 *Porro inter elogia Origeni ab* Hieronymo *data num.* 19 *recitat Rufinus fragmentum epistolæ, quam olim* Hieronymus *scripserat ad S. Paulam, et in qua elenchum Operum ejus texuerat. Habet revera fragmentum istud aliquid absoni, si fideliter datum est, non ad* Hieronymum *de erroribus Origenis convincendum, sed ad imprudentiam in scribenda eidem attribuendam. At ego facile quidem crediderо; dictata esse ab* Hieronymo, *quæ leguntur in illo fragmento : sed non æque admisero, aliunde non esse desumpta, quæ ibi leguntur deteriora. Certius, opinor, loqui possemus, si sex libros Apologiæ Origenis, quos Eusebius Cæsariensis composuit, juvante Pamphilo, etiamnum haberemus. Nam vix ullum mihi est dubium, quin ex illis hauserit* Hieronymus, *quidquid in illa Epistola pro Origene scripsit. Etenim Eusebius lib.* 6 *Historiæ cap.* 33 *ad illam Apologiam remittit lectores,* ut quæcumque necesse est de illo (*Origene*) cognoscere, *ibidem collecta inveniant. Ibi ergo invenerit* Hieronymus *catalogum scriptorum Origenis, quem S. Paulæ contexuit : ibi invenerit, quæ subjungit hoc modo :* Pro hoc labore quid accepit pretii? Damnatur a Demetrio episcopo (*Alexandrino*) exceptis Palæstinæ et Arabiæ et Phœnicis atque Achaiæ sacerdotibus : in damnationem ejus consentit urbs Roma : ipsa contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter hæresim, ut nunc adversum eum rabidi canes simulant ; sed quia gloriam eloquentiæ ejus et scientiæ ferre non poterant, et illo dicente, omnes muti putabantur.

770 *Verisimillimum est, hæc ipsa esse Eusebii verba,*

aliquid patitur difficultatis,

verba, quæ cum scriptorum catalogo ex Apologia transtulerit Hieronymus. *Nam fuit ea Eusebii sententia etiam lib.* 6 *Historiæ cap.* 8, *ubi invidiæ Demetrii attribuit persecutionem, quam movit contra Origenem, ut ne dubium quidem videatur, quin ex mente Eusebii locutus sit* Hieronymus. *At cum Rufinus Epistolam* Hieronymi, *quæ non exstat integra, in varias secuerit partes, non possumus æquali certitudine ostendere. omnia allegata verba ex Eusebio recitasse* Hieronymum, *licet, ut dixi, id sit verisimillimum. Ipsa Epistolæ conclusio, quæ ipsius* Hieronymi *est, conjecturam nostram insinuat. Nam sic habet:* Hæc quare scripserim, et ad pauperis lucernæ igniculum cito sermone, sed non cauto, dictaverim, potestis intelligere, si Epicuros et Aristippos cogitetis. *Illud* non cauto... sermone, *innuit, Hieronymiana non esse omnia. Neque enim imprudenter sua dictare voluisset, sed plusculum sibi licere in alienis referendis credere poterat, maxime si ipse monebat,* sermone non cauto *prolata esse. Propter* Epicuros et Aristippos, *id est, homines ventris aut gulæ amantiores, quam laborum, narrabat ex Eusebio ingentes Origenis labores: adjunctam observationem, etsi imprudenter scriptam, omittere noluit, sed imprudentiæ arguit. Hæc mea de illis conjectura.*

quod nesciamus, an ex propria sententia locutus sit Sanctus,

771 *Si quis tamen contendere voluerit, ex propria sententia locutum fuisse* Hieronymum, *ne vel sic quidem probabit,* dogmatum novitatem *et errores Origeni abjudicatos fuisse ab* Hieronymo. *Illud enim unice dicitur, rationes ad condemnandum Origenem repetitas non fuisse ex novitate dogmatum aut erroribus, sed aliunde, easque ortum habuisse ex invidia, quam Demetrius contra Origenem conceperat. Eusebius lib.* 6, *cap.* 8 *narrat mirum juvenis Origenis consilium, quo ipse se eunuchum fecit, male intellectis Christi in Evangelio verbis. Tum subdit, istud Origenis factum* postea *Demetrio innotuisse, initio tamen nihil ea de causa contra Origenem statuisse.* Sed non multo post tempore, *ait,* cum eum prosperis successibus in dies augeri, et magnum jam atque illustrem omnium sermonibus celebrari videret; humani quidpiam passus, litteris ad omnes ubique terrarum episcopos scriptis facinus illud Origenis proscindere, tamquam absurdissimum, cœpit. Quippe probatissimi et maxime insignes apud Palæstinam antistites, Cæsariensis scilicet et Hierosolymitanus, cum Origenem prærogativa et supremi honoris apice dignum judicassent, manus ei imponentes, presbyterum ordinaverant. Tunc igitur, cum Origenes ingenti gloria floreret, et apud cunctos ubique mortales virtutis ac sapientiæ causa maximum nomen esset consecutus; Demetrius, quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret, facinus illud, quod adolescens olim patraverat, gravissime criminatus est, illos etiam, qui eum ad presbyterii honorem evexerant, accusationibus suis conatus involvere. *Ita de damnatione Origenis per Demetrium loquebantur illius patroni, quos secutus est* Hieronymus, *si forte non ipsa Eusebii verba dedit. Nonnulli graviorem Origenis lapsum in persecutione causam fuisse damnationis dicunt, alii hæresim. De Demetrio Alexandrino agendum nobis erit ad* 9 *Octobris, ubi vera ratio examinari poterit.*

qui saltem novitatem doctrinæ aut errores Origenis non negavit,

772 *Interim observo, non negari allegatis supra verbis, Origenem novis dogmatibus addictum fuisse sed dici solum eam in illo judicio non fuisse causam, certe præcipuam, damnationis ipsius. Obiit Demetrius anno* 231, *quando Origenes multa scribere cœperat, ut satis potuisset videre, ab ejus ingenio Catholicæ fidei periculum imminere; hocque excitari periculo ad procurandam ejus damnationem. Ulterius observo, falsa esse, quæ ex allegata loco Rufinus* Hieronymo *exprobrat his verbis:* Hunc, quem negas juste a Demetrio in causa fidei esse damnatum, et hunc, quem negas pro dogmatum novitate accusatum, tu execrandum pro dogmatum novitate dices? *Ipsa accusatoris dicta invicem pugnant: si enim negabat,* pro dogmatum novitate accusatum, *qua ratione poterat negare,* juste in causa fidei damnatum esse? *Certe si accusatus non erat de novitate dogmatum, ut* Hieronymi *verba habent, nec damnatus erat* in causa fidei; *et sic justitia damnationis negari non poterat. Immo justitia damnationis* Hieronymi *verbis omnino non negatur; sed unice insinuatur, Origenem ob merita sua clementius tractari potuisse, idque ex mente Eusebii. At multa juste et legitime in judiciis fieri possunt, eademque clementer et laudabiliter etiam omitti. Quare concidunt omnia, quæ ex illo loco invidiose contra* Hieronymum *declamat Rufinus.*

referuntur et refutantur.

773 *Aliam criminationem orditur num.* 21, *quod contemptim scripserit de S. Ambrosio, cujus nuper defuncti magna erat fama. At hoc commentum, a neotericis quibusdam adoptatum, fuse examinavi et rejeci* § 23, *uti et* § 24 *alteram objectionem, quod male scripsisset de Ecclesia Romana. Addit num.* 25, S. Hieronymum *erasisse ex Chronico, quæ ibi scripserat in laudem Melaniæ senioris,* cum actus suos vidisset districtioris disciplinæ feminæ displicere. *Crimen esset nullum, si laudes Melaniæ, ubi Origenistis contra Catholicos favere cœperat, erasisset ex scriptis suis Sanctus. At vana fuit suspicio Rufini, quantum existimo; nam locus, quem erasum dicit, etiamnum de Melania in Chronico* S. Hieronymi *legitur. Mitto multa Rufini ratiocinia, quod in illis non agatur de factis* S. Hieronymi, *sed solum de quæstionibus inter ipsos disputatis. Inter has una tamen occurrit num.* 29, *quam jam examinavi num.* 350, *videlicet de Apologia Pamphili martyris nomine a Rufino versa et edita. Deinde num.* 31 *transit Rufinus ad criminandam Translationem Veteris Testamenti ex Hebraico; sed hanc quoque accusationem, acerbissimis verbis intentatam, abunde repuli* § 28. *Quare, cum nihil ulterius examinandum supersit de gestis* Hieronymi, *huic disquisitioni finem impono.*

§ XLV. Assignatur tempus, quo Rufinus contra Hieronymum scripsit, et quo Sanctus duobus libris illi respondit: quale sit responsum Hieronymi.

Rufinus libros suos contra Hieronymum

I*pso anno* 390, *quo* S. Hieronymus *Epistolam* 84 *ad Pammachium et Oceanum dedit, ut dictum est num.* 692, *Rufinum Invectivas suas contra* Hieronymum *scribere cœpisse, nequaquam dubito. Nam ex initio librorum Rufini omnino liquet, Epistolam* Hieronymi, *ubi Romam erat perlata, ab Aproniano missam esse ad Rufinum, qui Aquileiæ aut in vicina patria sua degebat; hunc vero non diu moratum esse, sed cito ad respondendum prosiliisse. Accedit alia ratio ex libro* 3 Hieronymi

AUCTORE I. S.

Hieronymi *contra Rufinum, ubi ait num.* 10: Libri enim tui, quos limasti per triennium disertiores sunt? *Istud* triennium *numerat* Hieronymus *usque ad tempus, quo ipse Rufinus libros suos ad Hieronymum misit: nam tamdiu eos limare poterat. Illos autem misit anno* 402, *et verisimiliter tempore verno, cum eodem anno Hieronymus responderit ad Epistolam cum libris missam, ut videbimus. Credidit igitur* Hieronymus. *Rufinum libros illos exorsum ante finem anni* 399, *ut inchoatum triennium reperiatur inter initium scribendi et missionem. Multum temporis libris illis impendere debuit Rufinus, cum multa* Hieronymi *scripta, ex quibus sophismata sua collegit, cum in finem perlegerit, librique ipsi sint scripti tanta cum cura diligentiaque in calumniando, quantam in nullis aliis me deprehendisse memini. Attamen verisimile est, ab anno* 400 *absolutos fuisse, et amicis a Rufino communicatos, quales tunc erant; sed postea nonnihil expolitos auctosque. Augmentum notabile habetur in fine libri* 2 *a num.* 45.

ab anno 399 scribere cœpit, scriptosque amicis dedit;

775 *Memoratos libros non publicavit Rufinus, simulatque conscripti erant; amicis vero ac discipulis suis legendos dedit, indeque factum, ut minus perfectam de iis notitiam haberet* S. Hieronymus, *quando primam suam scripsit Apologiam. Scriptos contra se intellexerat* ex multorum litteris, *ut initio lib.* 1 *contra Rufinum testatur. At publicatos non fuisse, mox conqueritur his verbis:* Scribuntur contra me libri, ingeruntur omnibus audiendi; et tamen non eduntur, ut et simplicium corda percutiant, et mihi facultatem pro me auferant respondendi. Novum malitiæ genus, accusare, quod prodi timeas: scribere, quod occultes. Si sunt vera, quæ scribit, cur publicum timuit? si falsa, cur scripsit? *Deinde, ubi multa dixerat de necessitate, qua laudes Rufini repulerat, ne videretur Origenista, ipsis verbis ostendit, accuratam de illis libris notitiam se non habuisse, hæc scribens num.* 3: Nunc quoque, quia renui laudatorem, et verso stilo docui me non esse, quod meus necessarius prædicavit, dicitur furere, et tres contra me libros venustate Attica texuisse, eadem accusans, quæ ante laudaverat.

sed non edidit publice. Duo erant, non tres,

776 *Ex his verbis nonnulli crediderunt, tres fuisse libros Rufini contra* Hieronymum. *At non consideraverunt, Sanctum de illis libris non bene fuisse instructum, dum illa scribebat, ideoque dubitanter loqui,* dicitur tres... libros *etc. Certe Gennadius in Catalogo cap.* 17 duobus voluminibus *Rufinum* Hieronymo *respondisse ait; ipsa libri secundi conclusio, ante quam omnia in Hieronymum utroque libro dicta in compendium contrahit, luculenter demonstrat, duos tantum fuisse Rufini libros, finemque Operi ibidem impositum. Hoc igitur pluribus probare necesse mihi non videtur. Si quis tamen plura argumenta desiderat, adire poterit Vallarsium, qui verbis Hieronymi in errorem fuerat inductus; eaque de causa in Præfatione ad tomum II operosius probavit, duos tantum fuisse Rufini libros. Attamen post primum Hieronymi responsum ad eum rescripsit Rufinus acerrimam Epistolam, quæ librum tertium facere potuisset, si vidisset lucem. At ea solum data ad* Hieronymum, *neque unquam videtur publicata, etiamsi fortasse a Rufino amicis quibusdam fuerit ostensa. Rursum num.* 4 Hieronymus *de libris Rufini dicit:* Sed adversus illos libros, qui per angulos garriunt, et furtiva accusatione me mordent, quum editi fuerint, et de tenebris ad lucem processerint, atque ad nos vel studio fratrum, vel temeritate æmulorum potuerint pervenire, respondere conabor. Neque enim magnopere formidandi sunt, quos metuit auctor suus prodere, et tantum confœderatis legendos esse decrevit. *Plura etiam de his Sanctus habet aliis locis.*

777 *Itaque multa quidem de libris a Rufino scriptis audiverat* Hieronymus, *quando duos ipse contra Rufinum scripsit, libros tamen ipsos non viderat, eaque de causa non potuit ad singula respondere, nec eo ordine, quo impugnaverat Rufinus. Ad illa tamen, quæ partim per fratrem suum Paulinianum, ex Occidente reversum, partim per litteras amicorum, sibi a Rufino objecta intellexerat, respondere statim voluit. Paulinianus ea præ cæteris invectigaverat, quæ ex Commentariis ad Ephesios objecerat Rufinus, ut* Hieronymus *testatur num.* 21, *hæc scribens:* Sed quia Paulinianus frater meus de Commentariis ad Ephesios quædam ab eo reprehensa narravit, et pauca ex his memoriæ tradidit, mihique ipsa demonstravit loca, non debeo subterfugere: quæsoque lectorem, ut, si paululo in proponendis et diluendis criminibus longior fuero, necessitati det veniam. Non enim alterum accuso, sed me nitor defendere, et objectam hæreseos calumniam refutare. *Refutatio satis prolixa est, sed admodum modesta. Solum explicat loca objecta, et ne omnia quidem; nullibi respondet ad Rufini sophismata, multiplicesque ejusdem invectiones. Ex hoc itaque respondendi modo confirmatur, libros Rufini non fuisse ab* Hieronymo *visos, dum respondebat, ut rursum dicit num.* 15 *his verbis:* Quid in libris proprie accuset, ignoro. Fama enim ad me criminum ejus, non scripta venerunt: et stultum est, juxta Apostolum, pugnis aerem verberare. Tamen in incertum respondebo, donec ad certa perveniam.

eosque non viderat Hieronymus, quando ad audita respondit.

778 *Toto primo libro* Hieronymus *causam suam defendit, non attingens Rufinum, nisi leviter subinde, ut se melius defenderet. Planum id fiet studioso lectori, si brevissimum demus compendium. Accusabatur Sanctus, quod Rufinum læsisset Epistola* 84, *qua generatim Origenistas impugnavit, ac Translatione sua librorum de Principiis. Utrumque fuisse necessarium probat; ac declarationem quidem suam contra Origenistas, quia simulatis Rufini laudibus de Origenismo fiebat suspectus; fidelem vero Translationem librorum de Principiis, quia Translatione Rufini periculum creabatur fidei Romanorum. In hac defensione inconstantiam arguit Rufini, qui in laudatione sua* Hieronymum *dixerat catholicum, deinde vero Origenistam: indeque concludit:* Sive bene credit laudator meus, confessione sua me assumit in socium; sive male, ostendit me ideo ante laudatum, quia participem sui putabat erroris. *Rationem Translationis suæ fuse reddit num.* 6. *Pauca solum verba recito:* Duplex in Opere meo utilitas fuit, dum et hæreticus auctor proditur, et non verus interpres arguitur. *Porro in hac sua defensione* Hieronymus *etiam num.* 8 *et seq. ostendit, Pamphili non fuisse Apologiam, quam verterat ejusque nomine ediderat Rufinus ad Origenis defensionem. Ex hac autem probatione pro se ejusmodi sumit argumentum:* Et miramur, si me homunculum parvi pretii, Origenis laudatorem velis, quum martyri calumniam feceris?

In responso Hieronymus

779 *Sic num.* 11 *utitur exemplo S. Methodii martyris, cui ob laudes Origeni ante datas Eusebius Cæsariensis objeceral:* Quomodo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere? *Observatque idem fieri de se a Rufino, his utens verbis:*

se fere tantum defendit.

A *verbis:* Nunc tetigisse sufficiat, hoc ab Ariano homine objici clarissimo et eloquentissimo martyri, quod tu et in me et amicus laudas, et offensus accusas. *Hoc exemplo defendit laudes olim Origeni datas, additque similiter, variis locis laudatum a se Eusebium, hominem Arianum, et nonnulla ejus Opuscula Latine reddita, ut probet, neque ex qualibet laudatione hæreticorum, neque ex quorumcumque Opusculorum translatione virum alias Catholicum in suspicionem hæresis incidere. Mox num.* 13 *se defendit, quod Baranina Judæo usus esset ad linguam Hebraicam discendam, ulteriusque progreditur ad Commentarios suos ad Ephesios, recitant interim num.* 18 *locum Origenis, ubi docebat, mendacium prudentibus esse licitum.*

Qua de causa fictis nominibus

780 *Finita defensione Commentariorum suorum, ad alias accusationes Rufini diluendas pergit. Lubet de prima accusatione, quæ multis etiam neotericis placuit, ipsa* Hieronymi *verba recitare:* E quibus prima est, *inquit,* me hominem maledicum, omnium detractorem, in præcessores meos genuinum semper infigere. Det unum, cujus in Opusculis meis nomen taxaverim, vel quem juxta artem illius figurata laude perstrinxerim. B Sin autem contra invidos loquor, et Luscium Lavinium vel Asinium Pollionem de genere Corneliorum stili mei mucro convulnerat, si histriculæ et lividæ mentis hominem a me submoveo, et ad unum stipitem cuncta jacula dirigo, quid vulnera sua partitur in multos, quid ex impatientia respondendi ostendit, se esse, qui petitur? *Hoc responsum* Hieronymi *omnino confirmat, ipsum fictis nominibus usum esse, ut obtrectatores et invidos occulta monitione officii sui memores redderet, eosque ex qualitatibus personarum, quarum nominibus utebatur, festive doceret, quid vitii aut peccati committerent.*

adversarios suos perstrinxerit.

781 *Novi quidem, nonnullis acres videri et acerbas ejusmodi* Hieronymi *sub fictis nominibus punctiones. At mihi videtur moderationi potius* Hieronymi *attribuendum, quod eo corrigendi æmulos et detractores modo uti voluerit. Falluntur enim, si qui existimant, easdem semper personas fictis id genus nominibus ab* Hieronymo *fuisse designatas, passimque notum fuisse, quos impeteret. Nam ex collatione diversorum locorum abunde probari potest, eodem ficto nomine non potuisse semper eamdem designari personam, et subinde* C *frustra quæri, quis fuerit designatus. Quapropter omnino mihi persuadeo, non aliud in finem ejusmodi nominibus usum esse* Hieronymum, *quam ut occultior esset reprehensio; eaque non innotesceret nisi illis solis, quibus nota erant peccata eorum, qui reprehendebantur. Sic eruditis modo innotescit, subinde Rufinum ficto nomine designari, quia ex gestis Rufini colligitur, qua de causa modo* Scorpii, *modo* Grunnii, *modo aliis nominibus ipsum perstrinxerit* Hieronymus. *Verum fallentur etiam illi, qui existimaverint, semper designari Rufinum, si modo invenerint nomen, quo semel insinuatum norunt.*

Quo se modo continuerit Sanctus.

782 *Deinde* Hieronymus *perjurii crimen, acerbissime objectum, festive diluit, nihil criminis in Rufinum toto libro regerens, sed unice se defendens. Declarat tamen num.* 31 *gravibus verbis, quo se freno continuerit, ne acerbissimum accusatorem gravius repercuteret, hæc scribens:* Hoc unum denuntio, et repetens iterum iterumque monebo. Cornutam bestiam petis: et nisi caverem illud Apostoli: « Maledici regnum Dei non possidebunt: » Et, « Mordentes invicem, consumpti estis ab invicem; » jam nunc sentires, de parvula subdolaque concordia magnam in mundo ortam esse discordiam. Quid tibi prodest apud notos pariter et ignotos in nos maledicta congerere? An quia Origenistæ non sumus: et in cælo nos peccasse nescimus, in terris arguimur peccatores? Et ideo in concordiam redivimus, ut mihi loqui contra hæreticos non liceret, ne, si illos descripsero, tu te appetitum putes? *etc. Ceterum in fine addit aliquid de objectione, quæ nota erat a Chrysogono Rufini amico, et postea examinabitur. Transeamus igitur ad librum secundum.*

Libro secundo Sanctus refutat Apologiam Rufini

783 *Hoc autem libro Sanctus examinat Apologiam Rufini ad Anastasium Papam, qua et fidem ille suam probare conatus erat, et Translationem librorum de Principiis defendere; hocque postremum ita fecerat, ut* Hieronymum *carperet tacito tamen nomine. Itaque librum suum* Hieronymus *sic exorditur:* Huc usque de criminibus. immo pro criminibus meis, quæ in me quondam subdolus laudator ingessit, et discipuli ejus constantius arguunt, non ut debui, sed ut potui, moderato dolore respondi. Propositum quippe mihi est, non tam alios accusare, quam me defendere. E Veniam ad Apologiam ejus, qua sancto Anastasio, Romanæ urbis Episcopo, satisfacere nititur, et in defensionem sui mihi rursum calumniam struit, tantumque me diligit, ut raptus turbine, et in profunda demersus, meum potissimum invadat pedem, ut mecum aut liberetur aut pereat. *Mox totam Rufini Apologiam percurrit, studioseque expendit, et plurima refellit, pleraque etiam ejus verba recitans. Fidei confessionem Rufini in eo præcipue capite improbat, quod recensuisset tres opiniones de origine animarum, interque eas hæreticam Origenis, omnesque reliquisset dubias, ne hæretica quidem rejecta. Multa etiam congerit ex præfationibus Rufini ad refutanda hæc ejus verba:* Origenis ego neque defensor sum, neque assertor.

hæc etiam in parte se amicosque suos defendens.

784 *Si quis totam illam* Hieronymi *disputationem legerit, facile existimabit, accusatoris eum potius partes obivisse, quam defensoris. Verum si ulterius scribendi causam expenderit, omnino intelliget, qualemcumque illam accusationem necessariam fuisse ad defensionem* Hieronymi *ejusque amicorum, et vel maxime ad tuendam integritatem fidei Catholicæ contra versutias Origenistarum.* F *Cum enim* Hieronymus *ejusque amici Translationem librorum de Principiis zelo fidei improbassent, necesse erat illam suam sententiam tueri, et frivolas excusationes repellere, ne calumniandi libidine magis, quam fidei defendendæ studio, moti fuisse viderentur. Nihilo magis oportebat sine examine relinquere ambiguas fidei confessiones, ne iis seducerentur Catholici. Itaque S.* Hieronymus *in hac etiam libri parte, etiamsi Rufinum videatur accusare, se amicosque suos et fidem Catholicam potius defendit. Præterea longe apertius se ipse tuetur, dum ostendit, quantum intersit inter libros Origenis, quos ipse fecit Latinos, et vitiosissimos de Principiis, quos vertit Rufinus. Reliqua deinde libri parte* Hieronymus *fuse defendit Translationem suam Veteris Testamenti ex Hebraico, quam Rufinus impugnavit. At de his jam abunde egi* § 28.

Libros priores Hieronymus anno 401,

785 *Restat, ut breviter inquiramus tempus, quo Sanctus duos illos libros, quos Pammachio et Marcellæ dicavit, in lucem emisit. Tempus utcumque colligitur ex libro* 1, *num.* 24, *ubi ait, Epistolam suam* 84 *scriptam esse* ante biennium. *Hæc enim*

Accture. 1. S.

enim cum scripta sit anno 399, ut dictum est num. 692, *biennium istud nos remittit ad annum* 401. *Eumdem annum utcumque insinuat lib.* 2, *num.* 24, *ubi ait,* ante annos ferme decem *scripsisse se librum de Viris illustribus, quem composuit sub finem anni* 392. *Nam eo loquendi modo novem annos non omnino completos videtur dicere. Vallarsius tamen duos hos* Hieronymi *libros refert ad annum* 402, *quia credidit, Epistolam* 84 Hieronymi, *qua Rufinus adeo exacerbatus est, spectare ad annum* 400, *eaque de causa* annos ferme decem *extendit ad annos decem fere completos; quod parum congruit cum modo loquendi ordinario* Hieronymi, *qui annorum numerum ita exprimere solet, ut ultimus sit incompletus.*

Tertium anno 402 conscriptum.

786 *Præterea cogitur Vallarsius in sua chronotaxi tertium* Hieronymi *librum contra Rufinum ad eumdem annum* 402 *referre, cui duos priores innexuit. At multo probabilius est, tertium ad sequentem annum spectare: nam ante hunc scriptum priores ex Palæstina Romam, indeque Aquileiam ad Rufinum, responsumque Rufini rursum in Palæstinam pervenerant ad* Hieronymum. *Si modo consideremus, non per tabellarios statutos, sed per viatores, qui ex una provincia in alteram proficiscebantur, aut hunc in finem aliquando mittebantur, omnia tempore* Hieronymi *perferenda* B *fuisse, difficulter credemus, eodem anno omnia peracta.* Hieronymus *ipse videtur tertium integro saltem anno prioribus posteriorem facere. Nam inter Epistolam suam* 84 *et priores contra Rufinum libros* biennium *interponit; at libros Rufini, quos ante tertium acceperat,* per triennium *limatos dicit lib.* 3, *num.* 10. *Quapropter, etiamsi credere velimus* biennium *istud magis completum fuisse, quam dictum* triennium, *oportebit vel sic annum circiter interponere, inter duos priores et tertium librum contra Rufinum; hic enim scribere cœpit aliquot saltem mensibus post* Hieronymi *Epistolam* 84, *qua ad scribendum excitatus est. Itaque hoc ordine illa peracta existimo. Anno* 399 *scripsit* Hieronymus *Epistolam suam* 84 *contra Origenistas, ex horum grege se non esse declarans. Sub finem ejusdem anni aut anno* 400 *Rufinus duos libros composuit contra* Hieronymum. *Hic vero anno* 401 *duobus reposuit duos priores. Hisce acceptis, Rufinus aut eodem anno* 401 *aut sequenti acrem minacemque ad* Hieronymum *scripsit Epistolam, quæ perdita est, si unquam vidit lucem* C *publicam. Ad hanc Epistolam libro tertio respondit* Hieronymus *anno* 402, *ut modo narrabimus.*

§ XLVI. Rufinus cum libris suis minacem Epistolam scribit ad Hieronymum : hic vero ad Epistolam respondet per librum tertium.

Acrem Rufinus scribit Epistolam.

Qualis fuerit *Epistola Rufini, quam anno* 401 *provecto, aut probabilius verno tempore anni* 402 *scriptam, sed perditam, jam monui, utcumque colligitur ex* Hieronymi *responso, sive libro* 3 *contra Rufinum. Plena fuit maledictis et comminationibus contra* Hieronymum, *cui et mortem in fine minabatur, nimirum per accusationem in tribunalibus machinandam. Nonnulla etiam continebat, quibus causam suam Rufinus conabatur defendere. Brevissimo tempore dictatam fuisse, dixerat Rufinus; sed hoc num.* 10 *refutat iis verbis* D Hieronymus, *ut nolit tamen contendere, longo tempore occupatum fuisse Rufinum. Solum negat,* biduo *scriptam esse Rufini Epistolam, quod revera probabile non est, si Rufinus id eodem sensu dixerit, quo refutavit* Hieronymus, *nimirum ut intra biduum* Hieronymi *libros legerit, et Epistolam suam dictaverit.*

post acceptos libros, ab ipso Hieronymo missos

788 *Ex eo autem loco colligitur, libros* Hieronymi *ex Oriente ad Rufinum perlatos esse per mercatorem, ut verisimile fiat, ab ipso* Hieronymo *ad Rufinum missos.* Et quis tibi credet homini veracissimo, *inquit Sanctus,* ut negotiator Orientalium mercium, qui et hinc deportata vendere necesse habebat, et ibi emere, quæ huc rursus adveheret, biduum tantum Aquileiæ fuerit, ut raptim et ex tempore contra nos dictare Epistolam cogereris? *Missos ad Rufinum ab* Hieronymo, *etiam colligo ex lib.* 1, *num.* 12, *ubi de Epistola anno* 399 *ad Rufinum scripta, quam amici Romani ad ipsum non miserant, Rufino sic loquitur:* Cujus exemplum huic volumini subdidi, ut scias, quantum dolorem quanta moderatione necessitudinis temperavi. *Itaque ad Rufinum ab* Hieronymo, *missos non dubito; sed ad alios* E *quoque, Romæ commorantes, Apologiam suam miserat* Hieronymus: *et verisimiliter multo citius Romam pervenerit, quam Aquileiam, ut fortasse Rufinus ipse exemplar per amicos Romanos jam haberet, quando accipiebat missum ab* Hieronymo.

ad illam Epistolam Hieronymus.

789 *Certe Rufinus noverat, vulgatam fuisse* Hieronymi *Apologiam. Nam de eo conquestus est, dixitque, sua se scripta solum misisse ad eos, qui* Hieronymi *Epistola* 84 *offensi erant, addens num.* 3 *hanc rationem,* quia, non ad ostentationem, sed ad ædificationem, Christianis loquendum est. *Utrumque refutat* Hieronymus *his verbis:* Et unde, oro te, librorum tuorum ad me fama pervenit? Quis eos Romæ, quis in Italia, quis per Dalmatiæ insulas disseminavit? Si in scriniis tuis et amicorum tuorum latebant, ad me quomodo mea crimina pervenerunt? Et audes dicere, te non ad ostentationem, sed ad ædificationem quasi Christianum loqui, qui de Sene senex tanta confingis, quanta non diceret de latrone homicida, de scorto meretrix, scurra de mimo? Qui parturis mihi montes criminum, et gladios, quos defigas in jugulum meum, tanto ante tempore exacuis?.... Hæc est tua illa sancta verecundia, hæc ædificatio Christiana; sic modestus es, sic pudens, ut catervatim de Occidente venientes, mihi tua maledicta narraverint, ita memoriter et consentanee, ut ego cogerer non scriptis tuis, quæ necdum legeram, sed scriptorum respondere opinionibus, et volantia toto orbe jacula clypeo veritatis excipere.

ne metu tacere diceretur.

790 *Graviter etiam expostulat* Hieronymus, *quod mortem minatus esset Rufinus, aitque hac de causa iterum se respondere, ne timore videretur tacuisse, ita scribens num.* 2 : Testem invoco Jesum conscientiæ meæ, qui et has litteras et tuam epistolam judicaturus est, me ad commonitionem sancti papæ Chromatii voluisse reticere, et finem facere simultatum, et vincere in bono malum. Sed quia minaris interitum, nisi tacuero, respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere, et lenitatem meam malæ conscientiæ signum interpreteris. *Ab objiciendis tamen criminibus constanter abstinere decrevit.* Habeto interim lucrum, *inquit num.* 1, quod amicus quondam tuus, nunc accusatus, turpia tibi non

A non vult objicere. Et hoc dico, non quod accusationis tuæ gladios pertimescam; sed quod magis accusari velim, quam accusare, et pati injuriam, quam facere. *De morum turpitudine loquitur, et criminibus occultis, quæ non vult objicere. Non abstinuit tamen ab objiciendo hæresis patrocinio, quia de eo ipso erat controversia. Sic et infantiam Rufini in scribendo et ratiocinando non raro irridet: hanc enim Rufinus ipse scribendo manifestam fecit omnibus, qui emendate scribendi et recte ratiocinandi artem norunt. Attingit subinde et alia parum honorifica Rufino, sed nota, miramque ejus in calumnianda libidinem acriter perstringit. At necessitas se defendendi illam libertatem omnino exigebat.*

quasi coactus respondit.

791 *Quam vero contra desiderium suum in ejusmodi certamine versaretur, iterum declarat num. 9 his verbis:* Testor mediatorem Jesum, invitum me et repugnantem ad hæc verba descendere, et, nisi tu provocares, semper taciturum fuisse. Denique noli accusare, et ego cessabo defendere. Quæ enim est audientium ædificatio, duos senes inter se propter hæreticos digladiari; præsertim quum ambo Catholicos se videri velint? Omittamus hæreticorum patrocinium, et
B nulla erit inter nos contentio. Eodem fervore, quo Origenem ante laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus. Jungamus dexteras, animos copulemus, et duos Orientis atque Occidentis προπαιοφόρους (*Theophilum dicit et Anastasium*) alacri sequamur incessu. Erravimus juvenes, emendemur senes. Si frater es, me gaude correctum. Si amicus sum, de conversione tua debeo gratulari. Quamdiu inter nos jurgium fuerit, videbimur rectam fidem necessitate ducere, non voluntate. Inimicitiæ nostræ invicem nobis tollunt testimonium veræ pœnitentiæ. Si num credimus, si idem et volumus et nolumus, (ex quo firmas nasci amicitias etiam Catilina testatur) si hæreticos pariter odimus, et veterem æque damnamus errorem, quid contra nos tendimus, quum eadem oppugnemus, eadem defendamus? Ignosce mihi, quod Origenis eruditionem et studium Scripturarum, antequam ejus hæresim plenius nossem, in juvenili ætate laudavi: et ego tibi dabo veniam, quod Apologiam librorum ejus cano scripseris capite. *Hæc satis ostendunt, non libenter in illa contentione*
C *versatum esse* Hieronymum, *sed respondendi necessitate coactum.*

pacem que cum Rufino desiderans.

792 *Alia quoque ratio ad respondendum impellebat* Hieronymum, *nimirum quod nollet sibi interdictum, ne libere contra Origenistas scriberet. Hinc ait Rufino num. 37:* Tu nimium suspiciosus et querulus, qui dicta in hæreticos ad tuam refers contumeliam. Quod si aliter amicus tuus esse non possum, nisi et hæreticorum amicus fuero, levius tuas inimicitias, quam illorum amicitias sustinebo. *Rursus num. 43:* Vis ergo me tacere? Ne accuses. Depone gladium, et ego scutum abjiciam. In uno tibi consentire non potero, ut parcam hæreticis, ut me Catholicum non probem. Si ista est causa discordiæ, mori possum, tacere non possum. *Librum denique concludit his verbis:* In extrema Epistola scribis manu tua: Opto te pacem diligere, Ad quod breviter respondeo. Si pacem desideras, arma depone. Blandiendi possum acquiescere, non timeo comminantem. Sit inter nos una fides, et illico pax sequetur.

793 *Pacis amore, quantum apparet, non respondit ulterius* Hieronymus *ad priores Rufini libros tunc acceptos, licet cogitaret de iis refutandis. Nam num. 3 sic loquitur:* Sequarque vestigia propositionis tuæ (*in ultima Epistola*) servans cætera illis eruditissimis libris, quos, antequam legeram, confutavi. *Meditabatur igitur Sanctus confutationem uberiorem, quam sit illa, quam duobus libris edidit, necdum visis libris, quos confutabat. At intercessio S. Chromatii et fortasse aliorum effecit, ut post hunc librum a refutando ulterius Rufino abstinuerit. Ex hac autem observatione liquet, ex silentio* Hieronymi *ad quædam a Rufino objecta in prioribus libris non haberi argumentum idoneum ad illa confirmanda, ut quidam crediderunt. Non valet, inquam, hoc argumentum:* Hieronymus *non respondit ad objectionem Rufini: verum igitur esse agnovit, quod Rufinus objecit, ut quidam argumentantur de iis, quæ in S. Ambrosium a Sancto acerbius dicta voluit Rufinus. Nulla est in duobus Rufini libris pagella, in quam prolixe non potuisset excurrere Sanctus, si tanta cura voluisset uti in refutando, quantam Rufinus in accusando adhibuit. At moderatio* Hieronymi *maluit odiosis disputationibus finem imponere, quam omnia Rufini objecta discutere.*

AUCTORE J. S. ad priores ejus libros ulterius non respondit.

Objectiones Rufini in illo libro

794 *Porro satis erit brevissime attingere reliqua Rufini, dicta, quæ Sanctus refutavit. Repetierat ille, quando libros suos ad* Hieronymum *mittebat, schedulas suas librorum de Principiis falsatas fuisse ab amicis* Hieronymi. *Sed objectionem a num. 4 examinat et optime refellit Sanctus.*
E *Jactantiam objicit num. 6* Hieronymo, *num. 7 queritur Rufinus, quod non fuerit solus monitus, sed ad alios scripserit* Hieronymus *Epistolam 84: num. 12 aliqua protulit ad vindicandam Apologiam nomine S. Pamphili etiam. Ad omnia illa abunde respondet* Hieronymus. *Exemplo* Hieronymi *translationem librorum de Principiis excusare nititur Rufinus num. 13, ac nominatim, quod aliqua abstulisset, aliqua addidisset. At respondet* Hieronymus, *non objici illud solum, sed magis, quod* translationem hæreticam præfationis *suæ testimonio roborasset. Sequuntur alia Rufini dicta de carnis resurrectione, de Theophilo Alexandrino, de Paula per* Hieronymum *suscepto, de quo egi num. 664, et de Vigilantia, cum subjunctis ad singula responsis. Contra Epistolam Anastasii papæ etiam ratiocinatus erat Rufinus, eique opposuerat testimonium Siricii. Dicta ejus num. 20 et 21* F
examinat Hieronymus, *ibique hæc pro chronotaxi profert verba:* Siricii jam in Domino dormientis profers Epistolam, et viventis Anastasii dicta contemnis. *Hæc verba ostendunt, datam esse Epistolam, antequam mors Anastasii in Palæstina innotuerat.*

Sanctus refutat.

795 *Cum Rufinus contra* Hieronymi *mores multa prætereundo insinuasset, nominatimque gesta Romæ, iterque exinde susceptum in Palæstinam fecisset suspecta, Sanctus totum iter num. 22 breviter enarrat, Rufinumque provocat ad loquendum his verbis:* Quid autem de me Romæ judicatum sit, et quid postea scriptum, nolo taceas, præsertim quum habeas testimonium scripturarum, et ego non verbis tuis, quæ simulare potes, et impunito jactare mendacio, sed scriptis ecclesiasticis arguendus sim. Vide, quantum te timeam. Si vel parvam schedulam contra me Romani Episcopi aut alterius ecclesiæ protuleris, omnia, quæ in te scripta sunt, mea crimina confitebor. Numquid et ego non possem profectionem tuam discutere? ... Sed absit, ut, quod in te reprehendo, faciam: et in ecclesiastica

AUCTORE I. S.

stica disputatinne anilium jurgiorum deliramenta compingam. *Deinde studiosns lector num.* 23 *inveniet, quam indigne de S. Epiphanio Rufinus in suis litteris loqueretur, tum num.* 24 *querelas Rufini de amicis* Hieronymi, *et mox alia nonnulla, ac nominatim num.* 27 *quo se modo Rufinus expedire conatus sit, quod eadem in* Hieronymo *prius laudasset, postea reprehendisset, ac num.* 28 *quod non rejecisset hæreticam Origenis opinionem de existentia animarum ante corpora. In hoc autem articulo constrictum tenet Rufinum, prolixe ostendens, non fuisse ibi ignorantiam simulandam : cumque* fumos *Sancto Rufinus objecisset,* Hiernnymus *ita respondit de illa ignorantia* : Hi sunt fumi, hæc caligines, quibus ex oculis hominum conaris lumen auferre.

cumque subinde acrius constringit.

796 *Sequuntur aliquot objectiones Rufini antea satis refutatæ, nimirum de perjurio, de violata amicitia, de falsatis schedulis, de versis post Rufinum libris de Principiis. Mox num.* 38 *mendacium* Hieronymo *objecit Rufinus, arsi Epistolam* 81, *de qua egi num.* 690, *postea confinxisset. Respondet Sanctus :* Multi Romæ ejus (*Epistolæ*) exemplaria habent ante hoc circiter triennium, qui tibi eam mittere noluerunt, scientes, quæ de meo nomine jactitares, et quam indigna proposito Christiano ac nefanda confingeres. Ego scripsi nesciens, quasi ad amicum. Illi non reddiderunt ei, quem inimicum noverant *etc. Alia rursum lis agitur num.* 39. *Dixerat Rufinus, ex aliis Origenis libris se desumpsisse, quæ correxerat in libris de Principiis. Cum autem advertisset* Hieronymus, *falsum id esse, quæsiverat, ex quibus Origenis Operibus ea accepisset. Rufinus vero, cum apte non posset respondere, voluit argumentum retorquere, petiitque Pythagoræ libros, quia Sanctus dixerat.* Quod in Pythagora et Platone et Empedocle legeram. *Verum recte respondet* Hieronymus, *locutum se fuisse, non de libris, sed de doctrina Pyhagaræ per alios scripta. Hac occasione petulantiam Rufini solito acrius castigat his verbis :* De tanta librorum silva unum fruticem ac surculum proferre non potes. Hi sunt veri fumi, hæc nebulæ, quas dum in me criminaris, in te extinctas dissipatasque per me cognoscis, nec fractam cervicem dejicis, sed majori impudentia, quam imperitia, dicis me negare, quæ in promptu sunt, ut quum montes aureos pollicitus fueris, ne scorteum quidem nummum de thesauris tuis proferas. Justa contra me odia recognosco, et vera in nos debaccharis insania : nisi enim ego, quod non est, audacter exigerem, tu videbaris habere, quod non habes. *Ita passim Rufinum acriter constringit.* Hieronymus, *ubi agitur causa Origenis.*

cum ob patrocinium Origenis contra S. Epiphanium,

797 *Eodem loco et alibi subinde repetit* sex millia Origenis libros, *quia Rufinus solita sua modestia dixerat de S. Epiphanio :* Hic est ille delirus senex, hic est Anthropomorphites, hic, qui sex millia Origenis libros, te præsente, cantavit, qui omnium gentium linguis prædicationem sibi contra Origenem injunctam putat, qui ideo eum legi prohibet, ne alii ejus furta cognoscant. *Similes Rufini de S. Epiphanio calumnias refutat* Hieronymus *lib.* 2, *num.* 22, *ubi et de libris ita respondet :* De sex millibus autem librorum, quos ab eo lectos esse confingis, quis credet, aut te verum dicere, aut illum potuisse mentiri ?.. Quod ille (*Origenes*) non scripsit, quomodo iste (*Epiphanius*) legere potuit? Numera indices librorum ejus, qui in tertio volumine Eusebii, in quo scripsit Vitam Pamphili, continentur, et, non dico sex millia, sed tertiam partem non repeties. Habemus Epistolam supradicti pontificis, in qua hinc calumniæ tuæ, dum adhuc esses in Oriente, respondet; et apertissimum mendacium libera veritatis fronte confutat. *Hæc attuli, ne quis* Hieronymi *verbis in errorem ducatur, præsertim cum aliquot neoterici, et cum iis Tillemontius tom. III in Origene art.* 27, *contendant, non esse incredibile, sex millia librorum ab Origene fuisse scripta, velintque hoc non satis refutari ex indicibus ab Eusebio confectis. At si consideremus, quod nec* tertiam partem, *id est, ne duo millia quidem librorum Origenis, inventurus esset lector in indicibus, quos Eusebius diligentissime confecit in Palæstina, ubi pleraque Origenes scripserat, et ubi S. Pamphilus omnia ejus scripta colligere conatus erat; non poterimus non mirari ridiculam crisim, quæ de numero scriptorum Origenis maluit credere mendaci famæ, quam diligentissimis collectoribus omnia recensentibus, cum hi et loco et tempore tam propinqui fuerunt, ut eorum diligentiam multa latere non possent.*

tum ob minas impudentes.

798 *Redeo ad responsum* Hieronymi, *qui num.* 41 *Rufinum sic alloquitur :* Veniam ad epilogus, id est, maledicta tua, in quibus me ad pœnitentiam cohortaris : et, nisi conversus fuero, id est, nisi, te accusante, siluero, mihi minaris interitum : et hoc scandalum redundaturum in caput meum denuntias, qui te hominem lenissimum et Mosaicæ mansuetudinis, responsione mea ad scriptionis insaniam provocaverim. Scire enim te jactas crimina, quæ tibi soli amicissimo sim confessus, et hæc in medium prolaturum ; meisque me coloribus esse pingendum : et debere meminisse, quod jacuerim ad pedes tuos, ne gladio oris tui amputares caput meum. Et post multa, in quibus furibundus exsultas, revocas te, et dicis optare pacem, cum denuntiatione dumtaxat, ut deinceps taceam, id est, ut non scribam contra hæreticos, nec audeam respondere accusationi tuæ. Si hoc fecero, frater ero et collega, et vir eloquentissimus et amicus et sodalis, et, quod his majus est, omnia, quæ de Origene transtuli, Catholica judicabis. Sin autem mutiero et me commovero, illico impurus ero et hæreticus, et tua indignus necessitudine. Hæc sunt præconia mea, sic me hortaris ad pacem, et ne gemitum quidem ac lacrymas dolori liberas esse concedis. Possem et ego tuis te coloribus pingere, et insanire contra insanientem ; et dicere, quidquid vel scio vel nescio : et eadem licentia, immo furore et amentia, vel falsa vel vera congerere, ut et me loqui, et te puderet audire : et objicere tibi, quæ aut accusantem damnarent aut accusatum, ut ex frontis duritia fidem lectori facerem, ut quod impudenter scriberem, vere scribere judicarer. Sed procul sit a moribus Christianis, ut, dum aliorum petunt sanguinem, suum offerant, et sine gladio voluntate homicidæ sint. Tuæ hoc bonitati, tuæque mansuetudini et simplicitati convenit, qui de uno pectoris sterquilinio et odorem rosarum, et fœtorem profers cadaverum ; et contra sententiam prophetalem, amarum dicis esse, quod quasi dulce laudaveras. *Addit plura contra minas mortis, per tribunalia intentata ; minarumque illarum turpitudinem ostendit.*

Cum S. Hieronymus responsum suum misisset

799 Hieronymus *in Epistola* 102 (*alias* 91) *ad S. Augustinum hæc scribit :* Misit mihi temeritate solita sua maledicta Calpurnius, cognomento Lanarius, quæ ad Africam quoque studio ejus didici pervenisse. Ad quæ breviter ex parte

AUCTORE J. S.

A parte respondi, et libelli ejus vobis misi exemplaria, latius Opus, quum opportunum fuerit, primo missurus tempore : in quod illud cavi, ne in quoquam existimationem læderem Christianam; sed tantum ut delirantis imperitique mendacium ac vecordiam confutarem. *Nomine Calpurnii Rufinum hic designari, et per* maledicta *ejusdem libros, nullum potest esse dubium. De prioribus autem loquitur* Hieronymus, *cum de illis solis intelligere potuisset, eos in Africam pervenisse. At dubitari potest, prioresne suos an posteriorem, aut omnes simul ad Augustinum miserit* Hieronymus. *Tillemontius art.* 104 *existimat, secundum responsum, sive solum librum tertium, ab* Hieronymo *missum; priores vero vocari* latius Opus, *quod postea mitteret. De libro tertio tunc misso vix dubito, cum veniat nomine* libelli, *prior vero responsio duos complecteretur libros. At non existimo, priores libros vocari* latius Opus; *sed Hieronymum etiam tunc cogitasse de latiori Opere contra Rufinum edendo, quo libros ejus, quos antea non viderat, accuratius refutaret. Certe libro illo tertio solum re.utavit Epistolam ultimam Rufini, dicitque num.* 3, *servaturum* se cætera eruditissimis illis (*Rufini*) libris, *ut accuratam horum refutationem meditaretur, quemadmodum jam ostendi num.* 793. *Verum accuratior illa Rufini refutatio pacis amore prætermissa est.* B

ad S. Augustinum, hic multum quidem de tanta discordia doluit,

800 *Quid vero senserit S. Augustinus de accepto* Hieronymi *responso, et de ejus cum Rufino controversia, colligitur ex ejus Epistola, inter Hieronymianas* 110 (*alias* 93) *ad* Hieronymum. *Nam in ea num.* 6 *ad* Hieronymi *verba sic respondet :* Nescio, quæ scripta maledica super tuo nomine ad Africam pervenerunt. Accepimus tamen, quod dignatus es mittere, illis respondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui, inter tam caras familiaresque personas, cunctis pene ecclesiis notissimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum malum exstitisse discordiæ. Et tu quidem quantum tibi modereris, quantumque teneas aculeos indignationis tuæ, ne reddas maledictum pro maledicto, satis in tuis litteris eminet. Verumtamen si eas ipsas cum legissem, contabui dolore et obrigui timore, quid de me illa facerent, quæ in te ille scripsit, si in manus meas forte venissent? Væ mundo ab scandalis. Ecce fit, ecce C prorsus impletur, quod Veritas ait : Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Quæ sibi enim jam fida pectora tuto refundantur? in cujus sinum tota se projiciat secura dilectio? quis denique amicus non formidetur, quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum et Ruffinum hoc, quod plangimus, exoriri? *Addit plurima, quibus deplorat inconstantiam humanæ amicitiæ.*

pacemque vehementer optavit; non tamen Hieronymo

801 *Quin et num.* 8 *declarat desiderium intelligendi mutuam ipsorum concordiam, et cum doloris affectu hæc scribit :* Heu mihi, qui vos simul alicubi invenire non possum : forte, ut moveor, ut doleo, ut timeo, prociderem ad pedes vestros, flerem, quantum valerem, rogarem, quantum amarem; nunc unumquemque vestrum pro se ipso, nunc utrumque pro altero, et pro aliis, ac maxime infirmis, pro quibus Christus mortuus est *etc. Plura subjungit Augustinus ad timorem suum declarandum. Deinde vero post varia ratiocinia, clare insinuat num.* 10, *nullum se deprehendere excessum in* Hieronymi *responso, hæc scribens :* Quapropter quis prudentium non videat, etiam tu quam tolerabiliter feras amicissimi quondam et familiarissimi incredibiles nunc inimicitias, consolante conscientia, et quemadmodum, vel quod jactitat, vel quod a quibusdam forsitan creditur, in sinistris armis deputes, quibus non minus quam dextris contra diabolum dimicatur. Verumtamen illum maluerim aliquo modo mitiorem, quam te isto modo armatiorem. Hoc magnum et triste miraculum est, ex amicitiis talibus ad has inimicitias pervenisse. Lætum erit, multo majus, ex inimicitiis talibus ad pristinam concordiam revertisse. *Si quis hæc attente expendat, perspiciet a S. Augustino laudari* Hieronymum, *ut moderatum in premendis aculeis indignationis suæ, et in abstinendo a maledictis, ut tolerantem in ferendis inimicitiis, ut prudentem imitatorem Apostoli, qui* 2 *Cor.* 6 ℣ 7 *pugnabat, aliosque pugnare volebat,* per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, *nimirum quod tot calumniis appetitus, nec fidei sive Dei causam contra Origenistas desereret, nec muliebri furore propriam causam per maledicta defenderet.*

culpam ullam attribuit, sed magnam Rufino.

802 *Itaque in Rufinum intorquentur acriora Augustini verba de rupta amicitia, de refrigescente caritate, de scandalis. Rufino primam maledicta attribuit Augustinus, ac deinde* incredibiles inimicitias, *imo et* hoc magnum et triste miraculum,... ex amicitiis talibus ad has inimicitias pervenisse. E *Quapropter non capio, qua ratione Tillemontius art.* 130 *quasi indifferentem exhibeat Augustinum, acsi nihilo plus culpæ invenisset in Rufino, quam in* Hieronymo. *Nam* incredibiles *contra aliquem* inimicitias *exercere non caret culpa,* incredibiles *alicujus* inimicitias *ferre* tolerabiliter *magnæ est laudis. In eadem igitur Epistola culpam Rufino, laudem adscribit* Hieronymo. *Cum tamen Augustinus num.* 8 *utrumque iisdem verbis allocutus fuisset, periculumque illius discordiæ graviter exposuisset,* Hieronymus *in Epistola* 115 (*alias* 96) *ad Augustinum hæc scripsit :* Sin autem amicus, qui me primus gladio petiit, stilo repulsus est, sit humanitatis tuæ atque justitiæ accusantem reprehendere, non respondentem. *Reposuit Augustinus in Epistola* 116 (*alias* 97). In ea quippe (*Epistola*) deploravi tantam inter vos exstitisse discordiam, de quorum tanta amicitia, quaquaversum eam fama diffuderat, caritas fraterna gaudebat. Quod F non feci reprehendendo in aliquo Germanitatem tuam, cujus in ea re aliquam culpam me cognovisse, nec ausus sum dicere, sed dolendo humanam miseriam, cujus in amicitiis mutua caritate retinendis, quantalibet illa sit, incerta permansio est.

Gelasius Papa cum concilio laudat zelum Hieronymi

803 *Gennadius in libro de Viris illustribus cap.* 17 *totus stat a Rufini partibus. Nam in fine elogii, quod magnificum Rufino contexuit, ita habet :* Sed et Obtrectatori Opusculorum suorum respondit duobus voluminibus, arguens et convincens, se Dei intuitu et Ecclesiæ utilitate, auxiliante Domino, ingenium agitasse; illum vero æmulationis stimulo incitatum ad obloquendum stilum vertisse. *Verum nequit magna in his esse auctoritas Gennadii, qui multos alios Ecclesiæ Patres, ac nominatim S. Augustinum, deprimit, et illorum adversarios immeritis laudibus attollit. Rectius de disputationibus inter* Hieronymum *et Rufinum censuerunt Patres concilii Romani cum S. Gelasio Papa, quorum apud Labbeum tom. IV, Conciliorum col.* 1263 *hæc de Rufino ejusque scriptis sunt verba :* Item Rufinus, vir religiosus, plurimos ecclesiastici Operis edidit libros, nonnullas etiam

auctore ...

etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus : et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos Vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit. *Subditur de Origene :* Item Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. *Hæc abunde ostendunt, quanta apud S. Gelasium et Patres illius concilii fuerit auctoritas* S. Hieronymi.

in refutando Rufino, qui Epistolam 84 iniquo animo tulisse videtur.

804 *Liquet ulterius, illorum fuisse sententiam,* zelo Dei et fidei religione *motum fuisse* Hieronymum, *ut Rufino se opponeret, quemadmodum semper se opposuit hæreticis, et eorum fautoribus. Hoc autem fecit ea moderatione, ut primum Rufino parcere voluerit, et generatim Origenistas sit aggressus in Epistola 84. Si eadem fuisset Rufini moderatio, et Origenistas æque aversatus fuisset,* ac Hieronymus, *potuisset omnia approbare ab eo contra Origenistas dicto, et vel totam* Hieronymi *Epistolam negligere, vel purgare versionem librorum de Principiis, ut factam animo non malo ad* B *preces amici, non ad errores Origenis defendendos; sed unice, ut Macarius contra fatum scripturas ex iis argumenta hauriret. Similia, inquam, dicere potuisset, si Origenis errores odisset, eaque mente deterrimos ejus libros vertisset, ut bona ex iis seligerentur, mala relinquerentur. Illud ipsum, quod* Hieronymi *auctoritate abusus erat ad commendandum Origenem, excusare poterat, et ad solam Origenis eruditionem referre, non ad dogmata, si animo simplici Origenem commendasset, ejusque prava dogmata fuisset aversatus. Verum Rufinus ipse in libris suis multo apertius ostendit, ab aliquot erroribus Origenis minus alienum se fuisse, quam id umquam de ipso dixit* Hieronymus. *Nam media saltem parte libri primi ita* Hieronymi *verba cum pluribus Origenis erroribus comparat, ut nullibi dicat, errores istos esse damnandos, aut opiniones esse hæreticas; ubique vero solum inferat, eadem, quæ damnavit in Origene, ipsum docuisse* Hieronymum.

quod nollet damnari aliquot ex erroribus Origenis.

805 *At non solo silentio suspectum se fecit Rufinus de nimio in Origenem amore; sed clare etiam edicit, damnandas non videri aliquot ejus opiniones, judicium vero de iis Deo permittendum.* C *Ubi num.* 23 *ridiculo sophismate errorem* Hieronymo *impegerat de tollenda sexuum diversitate in resurrectione, improbaveratque, quod ab aliis exigeret* de sexuum diversitate sententiam, *continuo subjungit :* Quanto rectius faceres, si nos, quos culpas, imitareris in talibus, et hæc soli Deo, ut se veritas habet, nosse permitteres. *Idem facit de alio Origenis errore de præexistentia animorum ante corpora in ipsa ad S. Anastasium Apologia. Recensitis enim tribus opinionibus, subdit :* Ego vero, cum hæc singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad præsens certi et definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire, quid sit in vero, et si cui ipse revelare dignabitur. *Ex hisce quidem non evincitur, errores istos Origenis adoptatos fuisse a Rufino pro sua sententia; sed solum, non fuisse ab eo damnatos.*

quos non quidem pro suis

806 *Hac de causa dixi, ipsum ab aliquot Origenis erroribus* minus alienum *fuisse, sive illos ab eo non fuisse improbatos. Hoc rursum liquet ex ejus verbis lib.* 2, *num.* 9, *ubi duos Origenis errores, nimirum de animarum præexistentia et de omnium damnatorum in integrum restitutione,* D Hieronymo *cum Origene communes esse calumniatur; nec multum in iis perversi se invenire declarat his verbis :* Hæc ergo quam vera dixeritis, Deus viderit : tamen impietatis non multum mihi continere videntur in Deum, nec gentilitatis aliquid, maxime si hac mente dicitis, quavis ratione Dei scilicet justitiam defendere cupientes. Pro his ergo noli te satis conturbare, neque te ipsum superfluo aut pœnitentiæ subjicias aut condemnationi. *Quis non videat, duas hæreses manifestas his verbis haberi pro opinionibus nec malis nec condemnandis?*

aperte adoptat.

807 *Præterea lib.* 1, *num.* 43 Hieronymo *dicit :* Origenes iste, cujus te et discipulum non negas, et proditorem fateris, *etc; videlicet quia* Hieronymus *in Epistola sua varios Origenis errores exhibuerat. Hoc Rufinum in furorem egerat, cum vellet, errores istos Origenis pro opinionibus minime damnatis haberi, idque clare insinuavit, in Præfatione ad librum* 3 *de Principiis, ubi ait, se non omisisse aut mutasse in istis libris,* de creaturis rationabilibus si quid novi dixisse visus est (*Origenes*) quia *inquit,* non in hoc est summa fidei, *et quia credebat,* forte nobis adversum nonnullas hæreses tali ordine (*id est, secundum illas* E *opiniones*) necessario respondendum. *Itaque dum* Hieronymum *conatus est facere Origenistam, noluit illum probare hæreticum, sed potius Origenem Catholicum, et defensorem errorum Origenis in libris adversus* Hieronymum *sic agit, ut nec errores illos pro suis adoptet, nec damnet aut aperte deserat. Hanc suam opinionem rursum declarat in conclusione libri secundi, sed simul asserit, secuturum se sententiam Ecclesiæ Catholicæ, si memoratæ opiniones damnentur.*

damnatos tamen

808 Cætera vero, *inquit,* quæ de creaturarum rationibus dicta sunt (*in libris de Principiis*), quod nihil ad fidem Deitatis pertineant, jam superius diximus. Sed si iste (*Hieronymus*) hæc modo ad calumniam vocat, quæ ante offendiculum non habebant, non prohibeo, si ei placeat, revocare sententiam meam illam, qua potuisset absolvi; et proferre suam, qua debebat alligari. Non ergo mea de eo sententia culpabilis putanda est, sed sua, quæ reprehendit in aliis, quod in semetipso probat. Novum autem hoc judicii genus est, ubi accusatorem meum ego ipse defendo : et ubi tum demum me ille superatum putat, si semetipsum F reum probaverit. Verumtamen ponamus, quod episcoporum synodus sequatur sententias tuas, et jubeat omnes libros, qui hæc talia continent, cum auctoribus suis, ut aiunt, debere damnari. Damnabuntur isti libri prius in Græcis : et quod in Græcis damnatur, sine dubio damnatum est in Latinis.

non fuisse contendit.

809 Veniatur ad tuos libros, invenientur eadem continere, secundum sententiam tuam necesse est, ut cum suo auctore damnentur. Et sicut nihil profuit Origeni, quod a te laudatus est; ita nec tibi proderit, quod a me excusatus es. Me enim sequi necesse est Ecclesiæ Catholicæ sententiam, sive adversus Origenis libros sive adversus tuos datam. *Hæc ultima declarant religiosam Rufini voluntatem sequendi sententiam Ecclesiæ Catholicæ. At non minus manifeste insinuant sententiam, in qua etiam tum erat, de erroribus Origenis, quos volebat* errores dici, *sed opiniones incertas, quæ ante offendiculum non habebant, ut ipse sibi persuaserat. Nam dum eas opiniones tribuit libris* Hieronymi, *huncque sententia sua absolvi posse dicit, apertissime asserit,* se

Consideratis adjunctis controversiæ,

se illorum errorum fuisse patronum, Hieronymum vero eodem tempore adversarium.

810 *Ex dictis igitur nullum mihi superest dubium, quin patronus errorum Origenis fuerit Rufinus quando scribebat contra* Hieronymum, *eumque sexcentis calumniis maculare conabatur. Hoc dudum perspexerat, et in publica Epistola asseruerat S. Epiphanius, et nequaquam ignorare poterat* S. Hieronymus. *Attamen tanta fuit hujus moderatio, ut in libris, quibus Rufinum refutat, nullibi ut hæreticum aut Origenistam tractet. Subinde quidem edicit, aliis de hæresi suspectum esse Rufinum, favorem hæresi ab eo præstari; variis locis insinuat, ejus confessionem fidei non carere omni suspicione fraudis probat; sed hæresim ipsi numquam aperte attribuit. Par est* Hieronymi *moderatio in refellendis criminibus falso sibi objectis. Neque enim ulla crimina ignota in eum regerit, aut mores accusatoris sui vicissim accusat. Aliquid tamen acrimoniæ stylo Hieronymiano contra Rufinum subinde adspersum esse, non negavero, sed illud ejusmodi est, ut, considerata necessitate refutandi fautorem Origenistarum, acerbissimumque simul accusatorem et calumniatorum, ex zelo* Dei et fidei religione *potius ortum videatur, ut observavit Gelasius papa, quam ex defectu modestiæ aut lenitatis.*

apparet moderatio Hieronymi in refellendo Rufino.

811 *Ridet* S. Hieronymus *passim Rufinum, crebraque ironia cæcos inferentem ictus repellit, stylum ejus quandoque reprehendit et dialecticam plane insulsam, alias magis serio levissimam calumniandi et quælibet comminiscendi libidinem. Subdolas ejus artes aliquot locis etiam breviter perstringit, ac intentatas mortis minas graviter reprehendit. Posteriora conducebant ad defensionem ipsius* Hieronymi, *quem subdolis laudibus primum aggressus erat Rufinus, deinde apertis calumniis, ac tandem gravissima comminatione : priora vero salutarem poterant adversario pudorem incutere. Itaque eo fere modo contra Rufinum se defendit* Hieronymus, *quo fortissimus simulque mitissimus bellator se defenderet, si irruentis in se gladiatoris ictus dextere averteret, hominemque solis jocis aut cutem leviter perstringendo abscedere cogeret. Verum hæc sufficiant de contentionibus inter Rufinum et* Hieronymum. *Si quid præterea examinandum videbitur de Rufino, ad annum 410, quo obiit, id breviter fiet.*

§ XLVII. Scribit Hieronymus ad Oceanum de Bigamis : ad Theodoram viduam, ad Abigaum presbyterum, ad Oceanum de morte Fabiolæ, ad Fabiolam de Mansionibus et ad Salvinam viduam.

Sanctus scribit ad Oceanum de Bigamus,

Quandoquidem *controversia inter* Hieronymum *et Rufinum ad aliquot annos protracta sit, eamque interrumpere noluerim per alia* S. Hieronymi *scripta, regredior modo ad annum 399, ut recenseam Epistolas eo anno et sequentibus a Sancto scriptas. Præmittenda tamen venit Epistola 69 (alias 83) ad Oceanum, quæ anni est incerti, sed certo scripta ante annum 401, quo de illa meminit Sanctus in fine libri secundi contra Rufinum, et post annum 395, quo Oceanus ex Palæstina Romam rediit cum Fabiola, ut dictum est num. 383. Quæsiverat Oceanus, an bigamus habendus esset, et episcopali dignitate excludendus, si quis uxorem duxerat ante baptismum, eaque mortua, alteram post baptismum, uti fecerat Carterius episcopus Hispanus, de quo orta erat controversia. De eadem quæstione* Hieronymus *olim Romæ disputaverat cum viro eloquentissimo, contra quem sustinuerat, talem pro bigamo non habendum, quod in baptismo novus fiat homo. Disputationem suam refert in ipsa Epistola, qua eadem rursum opinionem prolixe tuetur et inculcat. Plausibilia sane pro sua opinione affert argumenta, atque eamdem etiam asserueraat in Epistolam ad Titum in cap. 1, ℣ 6, ut nulla sit dubitatio, quin eam sententiam fortiter asseruerit, et pluribus annis tenuerit. Contraria tamen, quam Ambrosius, Augustinus, Innocentius et Leo, summi Pontifices, aliique tenuerant, prævaluit in ecclesia, ut observat Vallarsius ad laudatam Epistolam.*

AUCTORE I. S.

sententiamque propugnat non quidem a Siricio Papa,

813 *Tillemontius art. 96 in hisce* S. Hieronymum *conatur collidere cum S. Siricio papa, hæc scribens gallice :* Et quamvis Siricius Papa declarasset contrarium in celebri Epistola, dum S. Hieronymus adhuc erat Romæ, nihilominus opinionem suam summis viribus defendit, aliam que rejicit, ut omnino falsam et improbabilem, imo et hæresim eidem attribuit. *Minime obscurum est, quo tendant hæc verba, quibus auctor* S. Hieronymum *contendit opponere decreto Siricii papæ, ut gregales suos doceat decretis ejusmodi Romanorum Pontificum non esse necessario obtemperandum. Verum liceat pro defensione* S. Hieronymi *candide edicere, allegatis verbis duo asseri tam aperte falsa, ut non inveniam, quomodo bona fide proferri potuerint a viro erudito. Falsum est primo, quod Siricius papa quæstionem illam, quæ* Hieronymo *erat proposita, umquam decidisse legatur, et pessima fide additum est, id eum fecisse, dum* S. Hieronymus adhuc erat Romæ. *Belle interim luditur lector minus peritus, dum nullus, ubi id habetur, in margine assignatur locus. Interim nullum potest esse dubium, quin insinuetur Epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem : nam hæc sola ex Epistolis data est anno 385, antequam* Hieronymus *Roma discesserat : et in ea Siricius revera prohibet bigamos ordinari sacerdotes. Pervolvat modo studiosus lector totam Epistolam Siricii. Inveniet in ea cap. 8 fortiter prohibitum, ne quis digamus aut bigamus promoveatur ad sacerdotium ; at controversiam illam, quam tractavit* Hieronymus, *utrum ille, qui post uxorem ante baptismum ductam et mortuam, alteram baptizatus duxerit, bigamus sit habendus, ne unico quidem verbo attingi. Quare falsum est, eam fuisse decisam a Siricio, dum Romæ erat* Hieronymus, *aut etiam postea.*

sed a concilio Valentino I pro usu, deinde ab Innocentio I rejectam,

814 *Æque falsum est, quod* Hieronymus *hæresim inurat sententiæ, quam oppugnabat. Meminit quidem initio hæresis, quam Cainam vocat, subditque :* Dicit enim esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo etc. *At hoc minime dicebant, qui contrariam* Hieronymo *tuebantur sententiam : neque de controversia adhuc agebat, quando solum mentionem fecit de illa hæresi, ut ex ea deinceps argumenta mutuari posset. Fortiter sane et eloquenter variis argumentis opinionem suam asserit* Hieronymus. *At aperte iterum falsum est, contrariæ hæresim ab eo impingi. Illud quidem agnosco, usum ulteriorem sententiæ* S. Hieronymi *diu ante rejectum fuisse a Concilio Valentino I can. 1, quo vetatur, ne clericus ordinetur*

AUCTORE J. S.

ordinetur de digamis. *Additur vero :* Nec requirendum, utrumne initiati sacramentis divinis, anne gentiles, hac se infelicis sortis necessitate macularint. *Verum additum etiam est, ne antea sic ordinatis inferretur molestia his verbis :* Placuit etiam de eorum statu, qui prius ordinati sunt, nihil revolvi *etc. : et catenus favebat ille canon* Hieronymo. *Hujus vero sententiam postmodum omnino rejecit S. Innocentius papa in Epistola ad Rufum aliosque episcopos Macedones, quæ videri potest apud Labbeum tom. II Conciliorum col.* 1272, *et alios collectores.*

et paulo ante a S. Ambrosio, cui noluit Hieronymus se opponere.

815 *At citius* Hieronymi *sententiam impugnavit S. Ambrosius, aut certe contrariam asseruit lib.* 1 *de Officiis cap.* 50, *et in Epistola novissimæ editionis* 63 *ad ecclesiam Vercellensem episcopo orbatam.* Hieronymum *quoque ejus causa carpere ausus est Chrysogonus quidam, amicus et sectator Rufini. Hoc refert ipse* Hieronymus *lib.* 1 *contra Rufinum num.* 32, *scribens sequentia :* Audio præterea objici mihi a Chrysogono sectatore ejus, cur in baptismate dixerim universa peccata dimitti, et mortuo bimarito, novum virum

B in Christo resurgere : atque istiusmodi sacerdotes in Ecclesia esse nonnullos. Cui brevi sermone respondebo. Habent libellum, quem in crimen vocant. Ille respondeat : hunc sua disputatione subvertat, et scripta scriptis arguat... Audiat nos interum proclamantes, veterem Adam in lavacro totum mori, ei novum cum Christo in baptismate suscitari ; perire choicum, et nasci supercælestem. Hæc dicimus, non quod ipsi, propitio Christo, hæc quæstione teneamur : sed interrogati a fratribus, quid nobis videretur, respondimus, nulli præjudicantes sequi, quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes. *Cujus sit* decretum, *de quo loquitur Sanctus, certo nequit dici. At verisimile mihi apparet, insinuari Epistolam* 63, *S. Ambrosii ad Vercellenses, quod ea fuerit scripta non multo tempore ante Epistolam* S. Hieronymi. *Ceterum Baronius ad annum* 405 *num.* 60 *agnoscit, Epistolam sancti Doctoris nostri* irrefragabilibus propemodum rationibus *munitam esse, laudatque modestiam ejus, quod neminem velit invitum eidem adstipulari. Videri poterat admodum probabilis, quamdiu contraria praxis non erat præscripta ab*

C *Innocentio papa.*

Scribit ad Theodoram, viduam.

816 *Circa annum* 399 *figenda est Epistola* 75 (*alias* 29) *ad Theodoram, viduam Lucinii illius Hispani, cui Sanctus scripsit in Quadragesima anni* 398, *ut dictum est num.* 599. *Sperabat* Hieronymus, *Lucinium brevi in Palæstinam venturum, uti per litteras is insinuaverat. Hac de causa Epistolam exorditur his verbis :* Lugubri nuntio consternatus super sancti et venerabilis mihi dormitione Lucinii, vix brevem Epistolam dictare potui ; non quod ejus vicem doleam, quem scio ad meliora transisse,... sed quod torquear desiderio, non meruisse me ejus viri videre faciem, quem in brevi tempore huc venturum esse credebam. *Mox pergit Sanctus ad consolandam Theodoram, multasque Lucinio tribuit laudes, suum vero amorem in defunctum declarat num.* 3 *his verbis :* Itaque, carissima filia, hanc Epistolam amoris mei in illum habeto epitaphium : et quidquid posse me scieris in opere spirituali, audacter impera, ut sciant sæcula post futura, eum, qui dicit in Isaia : « Posuit me ut sagittam » electam, in pharetra sua abscondit me » duos viros, tantis maris atque terrarum inter se spatiis separatos, suo acumine vulnerasse, ut quum

D mutuo in carne se nesciant, amore spiritus copulentur.

ad Abigaum Hispanum.

817 *Eodem verisimiliter tempore, aut certe non diu post, data est Epistola* 76 (*alias* 32) *ad Abigaum, item Hispanum, qui in titulo Epistolæ vocatur* presbyter. *Ex ipsa Epistola clarum non est, utrum revera presbyter fuerit ; hoc tamen verisimile fit ex modo, quo mox laudatam Theodoram, ut ejus monitis instruendam, commendat, ita scribens :* Sanctam filiam meam Theodoram, sororem beatæ memoriæ Lucinii, per se commendatam, meo sermone commendo, ut in cœpto itinere non lassetur, ut ad terram sanctam multo per eremum labore perveniat ; ut non putet, perfectam esse virtutem exisse de Ægypto, sed per innumerabiles insidias ad montem Nabo, et ad Jordanem fluvium pervenire ; ut accipiat secundam in Galgala circumcisionem, ut illi Jericho corruat, sacerdotalium tubarum subversa clangoribus *etc. Hæc procul dubio scribebat Sanctus ad virum sacris Litteris eruditum, qui noverat, quo modo Israelitarum certamina et itinera nos doceant, quibus laboribus vitia excidenda, virtutes acquirendæ, et per viam angustam ad cælestem patriam* E
perrumpendum. Erat cæsus Abigaus, eumque consolans Hieronymus *monet, ne doleat, quod non habeat,* quod formiculæ et muscæ et serpentes habent, id est, carnis oculos ; *sed potius lætetur, illo se oculo donatum,* de quo in Cantico dicitur Canticorum : « Vulnerasti me, soror mea sponsa, » uno de oculis tuis. »

præteritum silentium humiliter excusans :

818 *Cum autem insinuasset Abigaus, se responso caruisse ad litteras suas, benignissimus* Hieronymus *sollicite cavet, ne credat, id factum fuisse ex superbia aut contemptu, ita humiliter de se ordiens :* Quamquam mihi multorum sim conscius peccatorum, et quotidie in oratione flexis genibus loquar : « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne » memineris : » tamen sciens, dictum esse ab Apostolo : « Ne inflatus superbia incidat in judi» cium diaboli » : et in alio loco scriptum : « Su» perbis Deus resistit, humilibus autem dat gra» tiam, » nihil ita a pueritia conatus sum vitare, quam tumentem animum et cervicem erectam, Dei contra se odia provocantem. Novi enim magistrum et Dominum et Deum meum in carnis humilitate dixisse : « Discite a me, quia mitis sum F
» et humilis corde » *etc. Plura videri possunt in Epistola, quæ non minus pia est, quam erudita. Hanc autem cum præcedente refero ad annum fere* 399 *cum Vallarsio, quia utraque scripta est non diu post mortem Lucinii, qui anno* 398 *vivebat. Tillemontius de utraque agit art.* 64 ; *sed, quia Epistolam ad Lucinium justo citius fixerat, has similiter a tempore suo avulsit.*

ad Oceanum Epitaphium Fabiolæ,

819 *Epistola* 77 (*alias* 30) *ad Oceanum de morte Fabiolæ, quam serius locavit Tillemontius, omnino figenda videtur in æstate anni* 399, *ut recte probavit Vallarsius. Cum autem ex hac Epistola pendeat chronotaxis aliquot præcedentium, solide probanda est hujus epocha.* Hieronymus *incipit hoc modo :* Plures anni sunt, quod super dormitione Blæsillæ Paulam venerabilem feminam, recenti adhuc vulnere, consolatus sum. Quartæ æstatis circulus volvitur, ex quo ad Heliodorum episcopum Nepotiani scribens Epitaphium, quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi. Ante hoc ferme biennium Pammachio meo pro subita peregrinatione Paulinæ brevem Epistolam dedi, erubescens ad disertissimum virum plura loqui *etc. Enumerat Sanctus omnes Epistolas celebriores, quas usque ad*

illud

A *illud tempus scripserat in laudem defunctorum, sive ad consolandum super eorum morte personas maxime propinquas. An omiserit mox memoratam Epistolam ad Theodoram, quia brevior est, non definio: certe ea de causa omiserit brevissimam* 23 *de Exitu Leæ, anno* 384 *Romæ scriptam. At laudata ad Theodoram non adeo brevis est, et fortasse post hanc fuerit scripta. Hoc tamen certius videtur de Epistola* 79 *ad Salvinam, quæ et prolixa est, et ex eodem genere, ut post præsentem omnino scripta videatur, quia commemorata non est, quemadmodum agnovit Tillemontius et observavit Nota* 67.

figendum anno 399.

820 *Ex allegatis modo verbis solum prodesse possunt, quæ dicuntur de Epitaphio Nepotiani,* Quartæ æstatis circulus volvitur, ex quo etc. *Nam epocha illius Epitaphii tam certa videtur, ut nequeat ulla ratione avelli a priore parte anni* 396. *Nam in eo commemorantur facta aliqua, quæ perducunt usque ad initium anni* 396, *ut ostensum est num.* 547 *et seq. Vel ex solo de Hunnis loco,* Ecce tibi anno præterito etc., *certum fit, scriptum esse anno* 396. *At ex eo loco non evincitur, ante æstatem fuisse scriptum. Hoc tamen* B *evincitur ex Epocha Commentariorum in Jonam, qui scripti sunt priore parte anni* 396, *ut probatum est num.* 570; *cum enim præcesserit Epitaphium Nepotiani, nequit hoc figi, nisi circa hiemem aut ver anni* 396. *Itaque eodem anno prima volvebatur æstas a scripto Epitaphio, et quarta anno* 399, *quando ad Oceanum exaravit Epistolam de morte Fabiolæ, sive Fabiolæ Epitaphium. Fuerat Fabiola anno* 395 *apud* Hieronymum *in Palæstina, ibique Scripturas viva voce explicantem audiens, petierat expositionem omnium Mansionum Israelitarum, qui ex Ægypto profecti sunt in terram promissam. Promisit Sanctus, Opusculum se de Mansionibus scripturum. Vero irruentibus in Orientem Hunnis, Fabiola eodem anno Romam discessit, ipso etiam* Hieronymo *cum suis ad fugam se præparante.*

ad Fabiolam ante defunctam de Mansionibus.

821 *Hoc igitur terrore prima Opusculo mora est injecta. Reversa vero Romam Fabiola, petiit per litteras explicationem vestium sacerdotalium, quam eidem scripsit* Hieronymus *anno, ut credimus,* 397. *Hæc altera prædicti de Mansionibus* C *Opusculi mora. Deinde nihil amplius de Fabiola invenimus, quæ obiit anno* 398 *aut sub initium* 399, *quando* Hieronymus *adhuc non scripserat Opusculum de Mansionibus. Veruntamen promissa viventi data voluit etiam defunctæ persolvere, ac* memoriæ illius *reddidit, quod distulerat viventi scribere, ut jam relatum est ipsis* Hieronymi *verbis* § 35 *num.* 581, *ubi plura de Fabiola videri possunt. Quare Epistola* 78 (*alias* 127) seu liber exegeticus ad Fabiolam *de* 42 *Mansionibus* Israelitarum in deserto, *scriptus est anno* 399, *missusque una cum ejus Epitaphio ad Oceanum, ut certe probabilius est. Dicit quidem in Epitaphio num.* 7 *de illo Opusculo:* Quod usque in præsens tempus, ut nunc intelligo, Domini voluntate dilatum, reddetur memoriæ illius; *acsi solum promitteret, se illud scripturum. Attamen, si consideremus, Opusculum satis prolixum sine alia Præfatione compositum esse, facile deprehendemus, Epitaphium, in quo scribendi illud occasio exponitur, eidem Præfationis loco fuisse additum, ideoque simul utrumque Opusculum videri editum.*

Ad Salvinam Gildonis filiam,

822 *Epistola* 79 (*alias* 9) *ad Salvinam, nobilissimam Nebridii viduam, circa annum* 400 *figitur apud Vallarsium. Tillemontius Nota* 67 *mallet eam referre ad annum* 401, *quia agnoscit posteriorem videri mox memorato Fabiolæ Epitaphio, quod anno* 401 *figendum credidit, aut certe non ante* 400. *Posterior hæc chronotaxis refutata est, et nequit prodesse ad Epistolam* 79 *post exeuntem annum* 399 *figendam. Verum Epistola ipsa nullam suggerit notam anni, quo scripta est. Notitia vero personarum, de quibus agitur, magis persuadet, prioribus annis sæculi* 5 *scriptam esse Epistolam, quam ante finem præcedentis. Erat Salvina Gildonis, principis Mauri, qui Africam aliquot annis pro Romanis administravit, filia. Pater ejus Gildo tandem contra imperium Romanum rebellavit, victusque est et propria manu occisus, quod anno* 398 *figit Tillemontius tom. V Imperatorum. Interim Salvina ejus filia fuerat nuptiis illigata cum Nebridio, qui num.* 5 *ab* Hieronymo *vocatur* contubernalis et condiscipulus Augustorum, *nimirum quia natus erat ex sorore imperatricis, et in aula Theodosii educatus cum Arcadio et Honorio. Deinde etiam cura ejusdem Theodosii cum Gildonis filia Salvina fuit matrimonio junctus, ut hoc vinculo Gildonem faceret fideliorem. De his* Hieronymus *num.* 2 *ita loquitur:* Alius forsitan laudet Nebridium, quod de sorore generatus Augustæ, et in materteræ nutritus sinu, invectissimo principi (*Theodosio*) ita carus fuit, ut ei conjugem nobilissimam quæreret, et bellis civilibus Africam dissidentem hac velut obside sibi fidam redderet. E

823 *Ex allegatis habemus, nuptias Nebridii et Salvinæ decretas esse, vivente Theodosio, sub initium anni* 395 *defuncto. At cum vocetur* condiscipulus Augustorum, *non videtur ætate multo major fuisse Arcadio, quem circa annum* 377 *natum statuit laudatus Tillemontius in Arcadio art.* 1. *Quare ætas Nebridii non patitur, ut matrimonium ejus cum Salvina multis annis ante mortem Theodosii figamus; et aliunde verisimile est, non nisi post victum anno* 394 *Eugenium tyrannum nuptias fuisse contractas, quandoquidem ea victoria Africam, quæ fuerat sub imperatoribus Occidentis, imperio suo primum cum reliquo Occidente adjunxerit Theodosius. Si res ita se habet, ut verisimillimum est, tum ab ætate Nebridii, quam ab initio imperantis suo nomine in Occidente Theodosii; venerit Salvina Constantinopolim anno verisimiliter* 395 *post mortem Theodosii, aut sub finem præcedentis. Cum enim Theodosius Eugenium vicerit anno* 394, *mense Septembri, non potuit contractus nuptiarum cum Gildone, qui in Africa erat, et neutri bellantium parti se adjunxerat, tam cito iniri, ut Salvina Constantinopolim attigerit ante postremos illius anni menses. Hinc multo verisimilius fit, eo missam esse anno* 395, *ut venerit post mortem Theodosii. Huic conjecturæ favet ipse loquendi modus* Hieronymi, *cum dicat, tam carum Theodosio fuisse Nebridium,* ut ei conjugem nobilissimam quæreret; *non dicit* daret, *quod ante adventum ejus verisimiliter obierit Theodosius. Anno* 396 *Nebridius aliquis fuit Asiæ proconsul, quam dignitatem Salvinæ maritus acceperit post nuptias anno* 395 *contractas.* F

et Nebridii viduam.

degentem Constantinopoli.

824 *Cum autem reliquerit Nebridius Salvinæ filium et filiam, de quibus sic loquitur* Hieronymus *num.* 6, *ut aliquot annorum tunc fuisse videantur, fuerunt saltem annis aliquot matrimonio juncti: nec statim post mortem Nebridii ad Salvinam scripsit* Hieronymus, *ut omnia insinuant, post annum* 400 *potius, quam ante, scriptam fuisse Epistolam. At certo scripta videtur ante annum* 404, *quo Constantinopoli ejectus est S. Joannes Chrysostomus, cum de turbis illius temporis nihil attingat.*

attingat. Fuit Salvina, quæ a Palladio in Dialogo de vita Chrysostomi pag. 90 Silvina vocatur, ex mulieribus piis, quibus valedixit Chrysostomus. Palladius de ea ibi sic loquitur : Ingressus autem baptisterium (*Chrysostomus*) Olympiadem vocat, quæ ab ecclesia non discedebat, simul et Pentadiam et Proclam diaconissas, et Silvinam beati Nebridii uxorem, quæ viduitatem suam honestate ac modestia decorabat. *Præterea, quando Hieronymus scribebat, erat cum Salvina mater ejus et amita, ut num. 9 indicat his verbis :* Certe quum tecum sancta sit mater, et lateri tuo amita hæreat virgo perpetua, non debes periculose externorum consortia quærere, de tuorum societate secura. *Hæc prosecutus magis sum, ut innotescat, qualis fuerit Salvina aut Silvina, quam, ut annus scriptæ circa initium sæculi 5 Epistolæ fiat certus.*

scribit præcepta vivendi pro viduis.

825 *Videamus modo, qua de causa ad personam tam illustrem, quam minime alias notam sibi fatetur, præcepta viduitatis scribenda susceperit, et quo id modo perfecerit. Cavet initio, ne quis existimet, velle* aulæ se insinuare regali, et sub occasione sermonis amicitias potentium quærere. *Deinde ait :* Cur ergo ad eam scribimus, B quam ignoramus? Triplex nimirum causa est. Prima, quia pro officio sacerdotii omnes Christianos filiorum loco diligimus, et profectus eorum nostra est gloria. Altera, quia pater defuncti intima mihi necessitudine copulatus fuit. Extrema, quæ et validior, quia filio meo Avito roganti negare nihil potui, qui crebris litteris interpellatricem duri judicis viduam superans, et multorum mihi, ad quos ante super eadem materia scripseram, exempla proponens, ita suffudit pudorem negantis, ut plus considerarem, quid ille cuperet, quam quid me facere conveniret. *Tum defunctum Nebridium meritis celebrat laudibus, egregia Salvinæ vivendi dat præcepta, diligenter monens, ut a secundis nuptiis abstineat. Nobilissimam viduam præceptis sancti Doctoris diligenter obtemperasse, verisimillimum fit ex verbis Palladii num. 824 datis. Hanc Epistolam cum aliis ut libellum, præcepta vivendi continentem, deinde assignavit* Hieronymus, *in Epistola 123 Ageruchiæ viduæ, ibique de Salvina dicit :* Quarum.... altera Gildonis, qui Affricam tenuit, filia est.

C § XLVIII. Epistolæ aliquot Theophili et Epiphanii ad Hieronymum, ab hoc latine redditæ, et hujus ad Theophilum Epistolæ de Origenistis : versæ item Theophili synodicæ et Paschales Epistolæ, sed nulla contra Chrysostomum.

Theophilus Origenis errores exscindere meditans,

Observavi num. 663, amicitiam inter Hieronymum *et Theophilum, ecclesiæ Alexandrinæ antistitem, ortam videri occasione dissensionis* Hieronymi *cum Joanne Hierosolymitano, excitatumque fuisse ab* Hieronymo *Theophilum ad excidendos errores Origenis. Verba conquerentis* Hieronymi *de nimia Theophili in Origenistas lenitate dedi num.* 660, *ac deinde laudantis Theophilum de certaminibus contra Origenis sectatores susceptis. Itaque postquam Theophilus errores illos studiose exscindere cogitaverat,* Hieronymi *quoque subsidium adhibere statuit, cumque scriptorum suorum interpretem desideravit, ut Ecclesia latina melius intelligeret, quæ in Ægypto fiebant, ibique græce scribebantur. Prima Theophili de hisce ad* Hieronymum *Epistola est 78 inter Hieronymianas (alias 69) cujus hæc est inscriptio :* Dilectissimo et amantissimo fratri Hieronymo presbytero Theophilus episcopus. *Epistola ipsa habet :* Sanctus episcopus Agatho cum dilectissimo diacono Athanasio in ecclesiastica directus est causa : quam quum didiceris, non ambigo, quin nostrum studium probes, et in Ecclesiæ victoria glorieris. Namque Origenis hæresim in monasteriis Nitriæ quidam nequam et furiosi homines serere et fundare cupientes, prophetica falce succisi sunt. Quia recordati sumus commonentis Apostoli : Argue eos severe.

Hieronymum contra eosdem incitat : hic ejus conatum laudans.

827 Festina igitur et tu, partem hujus præmii recepturus, deceptos quosque congruis Scripturarum emendare sermonibus. Optamus, si fieri potest, in diebus nostris Catholicam fidem et Ecclesiæ regulas cum subjectis nobis populis custodire, et omnes novas sopire doctrinas. *Agathonem* E *et Athanasium, qui Epistolam hanc in transitu ad* Hieronymum *tulerunt, Romam a Theophilo missos fuisse, ex responso* Hieronymi *admodum fit verisimile, imo hoc omnino certum videretur, si constaret, responsum ab* Hieronymo *dilatum, donec intellexisset eventum legationis, uti ipsum fecisse probabile est. Certe* Hieronymus, *qui non diu ante gratulatus erat Theophilo de gestis contra Origenistas, rescripsit Theophilo Epistolam 88 (alias 71), quam sic orditur :* Duplicem mihi gratiam beatitudinis tuæ litteræ præstiterunt; quod et sanctos et venerabiles Agathonem episcopum et diaconum Athanasium habuerint portitores, et adversum sceleratissimam hæresim zelum fidei demonstrarint. Vox beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, et cunctis Christi ecclesiis lætantibus, diaboli venena siluere... Equidem super hac re et antequam scriberes, ad Occidentem epistolas miseram, ex parte hæreticorum strophas meæ linguæ hominibus indicans, (*nominatim per Epistolam 84*). Ex dispensatione Dei factum puto, ut eodem tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, et nostram, dum ignoras, sententiam F roborares. *Cum non dubitem, quia* Hieronymus *loquatur de Epistola sua 84 (hac enim strophas Origenistarum maxime indicavit) eaque sit scripta anno 399, Theophili ad Anastasium Epistolam, de qua hic loquitur* Hieronymus, *figendam posteriore parte anni 399 aut priore anni 400, jam dixi num. 757. Fuerit illa, opinor, lata per Agathonem et Athanasium ad Anastasium Papam, qui illa Epistola magis incitatus est ad Origenis errores eliminandos.*

operam suam promittit.

828 *Post data verba* Hieronymus *ita pergit :* Verum a te nunc admoniti, magis studium accommodabimus, ut hic et procul simplices ab errore revocemus. Nec timeamus subire odia quorumdam : nec enim debemus hominibus placere, sed Deo : quamquam ardentius ab illis defendatur hæresis, quam a nobis oppugnetur. Simulque obsecro, ut, siqua synodica habes, ad me dirigas, quo possim tanti pontificis auctoritate firmatus, liberius et confidentius pro Christo ora reserare. Vincentius presbyter ante biduum, quam hanc Epistolam darem, de Urbe venit, et suppliciter

A pliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat, Romam et totam pene Italiam tuis post Christum Epistolis liberatam. Adnitere ergo, papa amantissime atque beatissime, et per omnem occasionem ad Occidentales episcopos scribe, ut mala germina acuta, ut ipse significas, succidere falce non cessent. *Hæc* Hieronymi *Epistola a Vallarsio recte figitur anno* 400.

Cum vero, aliis quoque Theophili litteris excitatus

829 *Eodem anno altera Theophili ad* Hieronymum *ponitur a Vallarsio, quæ inter Hieronymianas est* 89 (*alias* 72,) *sed hæc certa scripta est post superiorem, patestque etiam anno sequenti convenire. De alterutro anno nihil definio : sed Epistolam totam subjungo* : Didici, quod et sanctitas tua noverit Theodorum monachum, ejusque studium comprobavi; quia quum a nobis Romam navigaturus exiret, noluit ante proficisci, nisi te et sanctos fratres, qui tecum sunt in monasterio, quasi sua viscera amplexaretur et inviseret. Quem quum susceperis, pro Ecclesiæ tranquillitate lætare. Vidit enim cuncta Nitriæ monasteria, et referre potest continentiam et mansuetudinem monachorum : quomodo, extinctis et fugatis Origenis sectatoribus, pax Ecclesiæ reddita sit, et disci- B plina Domini conservetur. Atque utinam apud vos quoque deponerent hypocrisim, qui occulte dicuntur subruere veritatem de quibus non bene sentientes in iis regionibus fratres, hæc me scribere provocarunt.

contra Origenistas scribere vel let, debuit respondere Rufino :

830 Quamobrem cavete, et effugite hujuscemodi homines, juxta quod scriptum est : « Si » quis non affert ad vos ecclesiasticam fidem, » huic nec Ave dixeritis » Quamquam ex superfluo faciam, hæc tibi scribere, qui errantes potes ab errore revocare : tamen nihil nocet et prudentes et eruditos viros pro sollicitudine fidei commoneri. Omnes fratres, qui tecum sunt, nomine meo salutari volo. *Potuit hæc etiam anno* 401 *scribere Theophilus. At, quocumque anno Epistolam hanc, ab* Hieronymo *latine redditam, scripserit Theophilus, tum hac quam superiore non obscure invitat* Hieronymum *ad scribendum contra Origenistas. Voluit id revera facere Sanctus, sed retardatus fuit Rufini libris, ut declarat lib.* 2 *contra Rufinum in fine his verbis* : Excessi epistolæ modum, et qui contra nefariam hæresim jam stilum fixeram, pro me respondere compulsus sum.

plures tamen Theophili et aliorum de his

831 *Alias quoque Epistolas anno* 400 *et* 401 *ex græcis latinas fecit* Hieronymus. *De hisce lib.* 3 *contra Rufinum num.* 16 *Sanctus ita habet :* C Duas, synodicam et Paschalem, ejus (*Theophili*) Epistolas contra Origenem illiusque discipulos, et alias adversum Apollinarium et eumdem Origenem, per hoc ferme biennium interpretatus sum, et in ædificationem Ecclesiæ legendas nostræ linguæ hominibus dedi. *Synodica spectat ad annum* 400, *ideoque* Hieronymus, *scribens an.* 402 *biennium inchoatum ab ejus interpretatione numerat. Edita primum fuit a Vallarsio, poniturque inter Hieronymianas Epistola* 92. *Subjungitur ibi altera synodica, qua ad præcedentem respondent* Domno et honorabilissimo episcopo Theophilo Eulogius, Joannes, et cæteri episcopi, qui Jerosolymis in sancta encæniorum die reperti sunt, *ut habet inscriptio. De Epistolis, cum* S. Hieronymus *solum fuerit interpres, etiam secundæ, ut certe existimat Vallarsius, plura non addo, nisi prava Origenis dogmata in utraque damnari, sed in priore multa etiam referri per Theophilum gesta. Similiter ab* Hieronymo *versa videtur Epistola* 90 (*alias* 67, *quæ est Theophili ad Epiphanium de condemnatione monachorum*, *et quarumdam fuga, qui Constantinopolim se receperunt, et cum qua S. Epiphanio misit prædictam synodicam.*

Epistolas in linguam latinam transtulit,

832 *Sequitur Epistola* 91 (*alias* 73) *Epiphanii ad* Hieronymum, *cui mittit synodicam Theophili. Ex hac, per* Hieronymum *item versa, initium huc traduco :* Generalis Epistola, *inquit*, quæ ad omnes Catholicos scripta est, ad te proprie pertinet, qui zelum fidei adversus cunctas hæreses habens, Origenis proprie et Apollinarii discipulis adversaris. *Tum laudat zelum Theophili, et subjungit :* Et ne videar eadem rursus iterare, et prolixiorem Epistolam texere, ipsa ad vos scripta direxi, ut scire possitis, quæ nobis scripserit, et quantum boni ultimæ ætati meæ concesserit Dominus, ut, quod semper clamabam, tanti pontificis testimonio probaretur. Jam autem puto et te aliquid Operis edidisse, et juxta priorem Epistolam (*hactenus latentem*), qua te super hac re fueram cohortatus, elimasse librum, quem tuæ linguæ homines legant. Audio enim et ad Occidentem quorumdam hominum naufragia pervenisse, qui non contenti perditione sua, volunt plures mortis habere participes : (*Rufinum ejusque gregales videtur insinuare*) quasi E multitudo peccantium scelus minuat, et non numerositate lignorum major gehennæ flamma succrescat. Sanctos fratres, qui tecum sunt in monasterio Domino servientes, et tecum et per te plurimum salutamus. *Hæc eodem anno Epiphanius. Ejusdem etiam anni est Epistola* 94 *apud Vallarsium, alias inedita, qua victoriam de Origenistis Theophilo gratulatur Dionysius Liddensis, sive Diospolitanus episcopus, hortaturque, ut pergat errores noxios exscindere. Et hujus interpretem merito* Hieronymum *existimat Vallarsius.*

inter has est Paschalis anni 401, et secunda anni 402.

833 *Epistola prima Paschalis Theophili, quam similiter latinam reddidit* Hieronymus, *pertinet ad annum* 401, *quo illam græce edidit Theophilus, ad Pascha illius anni declarandum, quod incidebat in* 19 *mensis Pharmuthi, sive in* 14 *Aprilis. Ex designato Paschalis die, qui sub finem Epistolæ indicatur, manifeste colligitur, primam ex Paschalibus Theophili Epistoli esse illam, quæ antea secunda loco fuit impressa, et quam primo* F *loco recte restituit Vallarsius, posuitque inter Hieronymianas* 96. *Nonnulla initio disserit Theophilus contra Apollinarium, et mox plurima contra Origenem, ut in ipsa Epistola videri potest. Altera Theophili Paschalis, ab* Hieronymo *item versa, est Epistola* 98, *in qua contra Apollinarium multa, et plura contra Origenem disseruntur. Dies Paschæ, quæ sub finem designatur undecima mensis Pharmuti*, sive sexta Aprilis, rursum certo evincit, eam spectare ad annum* 402. *Hanc primo vere ejusdem anni* Hieronymus *Romam misit, tam græcum quam latinam, ad Pammachium et Marcellam, addita ad eosdem Epistola sua* 97 (*alias* 78,) *quam sic exorditur :* Rursum Orientalibus vos locupleto mercibus, et Alexandrinas opes primo Romam vere transmitto. *Laudat in Epistola studium et eloquentiam, et num.* 2 *invehitur in monachos, qui Constantinopolim se receperant, uti facit etiam Theophilus in Paschali num.* 22.

* ante Pharmuthi

quam Pammachio et Marcellæ mittit cum Epistola sua,

834 *Deinde num.* 3 *Pammachium et Marcellam ita compellat :* Vos Christiani senatus lumina, accipito et græcam et latinam etiam hoc anno Epistolam, ne rursum hæretici mentiantur, pleraque vel addita vel mutata : in qua laborasse me fateor, ut verborum elegantiam pari interpretationis venustate servarem, et intra definitas lineas currens

AUCTORE J. S.

currens, nec in quoquam excedens loco, eloquentiæ ejus fluenta non perderem, easdemque res eodem sermone transferrem. Quod utrum consequutus sim necne, vestro judicio relinquo. *Mox quatuor Epistolæ partes explicat, subditque :* Orate igitur Dominum, ut, quod in græco placet, in latino non displiceat, et quod totus Oriens miratur et prædicat, læto sinu Roma suscipiat : prædicationem quoque cathedræ Marci evangelistæ Cathedra Petri apostoli sua prædicatione confirmet. Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, latitantes in foveis suis hæreticos persequutum, ejusque litteræ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Cui multos imprecamur annos, ut hæreseos rediviva plantaria, per illius studium longo tempore arefacta, moriantur. *Obiit eodem fere tempore Anastasius, videlicet 27 Aprilis anni 402, sed id necdum innotuerat* Hieronymo, *dum paulo post scripsit librum 3 contra Rufinum.*

in qua arguit monachos Constantinopolim profugos.

835 *De prima Theophili in hac quoque meminit his verbis :* Si quid hic minus adversus Origenem dictum est, et in præteriti anni Epistola continetur, et hæc, quam modo vertimus, brevitati B studens, dicere plura non debuit. *Designat vero secundam verbis num.* 831 *datis ex lib. 3 contra Rufinum :* Et alias adversum Apollinarium et eumdem Origenem. *Ex Palladio autem in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi pag.* 61 *habemus, quod monachi, qui Constantinopolim fugerant,* paratos se esse *dicerent,* falsam omnem doctrinam anathematizare, *Theophilumque ibidem de tyrannide et aliis accusarent. Hinc intelligimus, quo tendant verba* Hieronymi, *adversum eos hæc scribentis :* Quumque eorum scripta teneantur, voce negant, quod litteris confitentur. Quid necesse est obsidere Propontidem, mutare loca, diversas lustrare regiones, et clarissimum pontificem Christi ejusque discipulos rabido ore discerpere ? Si vera loquimini, pristinum erroris ardorem ardore fidei commutate. Quid maledictorum pannos hinc inde consuitis et eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis ? Num idcirco vos non estis hæretici, si nos quidam assertione vestra crediderint peccatores ; et os impietate fœtidum non habebitis, si cicatricem potueritis in nostra aure monstrare? Quid juvat C vestram perfidiam, vel prodest pellis Æthiopica et pardi varietas, si in nostro corpore nævus apparuerit ? En papa Theophilus tota Origenem arguit libertate hæreticum esse; nec illi dicta defendunt, sed fingunt ab hæreticis immutata, multorumque dicunt libros similiter depravatos, ut illum non sua fide, sed aliorum tueantur erroribus *etc. Ultima hæc etiam Rufinum feriunt, eumdemque et præcedentia tangunt, quod loco suæ defensionis calumniaretur.*

Tertia Paschalis est anni 404, quam tardius vertit Sanctus :

836 *Scripserit procul dubio Theophilus rursum Epistolam Paschalem anno* 403. *At hæc aut perdita est, aut etiamnum latet, ut nesciamus, an illam quoque latinam fecerit* Hieronymus. *Verum exstat Epistola tertia Paschalis Theophili, illaque spectat ad annum 404, cum Pascha ibidem indicetur* vicesima et secunda die *mensis Pharmuthi, id est, die 17 Aprilis, qua anno 404 erat celebrandum. Misit eam Epistolam Theophilus ad* Hieronymum *in sermonem latinum transferendam. At non potuit ejus desiderio quamprimum satisfacere Sanctus, ut docet in Epistola* 99 (alias 31) *ad Theophilum, ita ordiens :* Ex eo tempore, D quo beatitudinis tuæ accepi epistolas, juncto Paschali libro, usque in præsentem diem ita et mœrore luctus, et sollicitudine, ac diversis super statu Ecclesiæ hinc inde rumoribus exagitatus sum, ut vix volumen tuum potuerim in Latinum sermonem vertere. Optime enim nosti juxta veterem sententiam, non esse tristem eloquentiam, maxime si ad ægritudinem animi accedat corporis ægritudo. Et hanc ipsam Epistolam febre æstuans, et quintum jam diem decumbens lectulo, nimia festinatione dictavi, breviter indicans beatitudini tuæ, magnum me laborem sustinuisse in translatione ejus, ut omnes sententias pari venustate transferrem, et Græcæ eloquentiæ Latinum aliqua ex parte responderet eloquium. *Inter alias tarditatis suæ causas allegat mortem S. Paulæ, quæ obiit anno 404, die 26 Januarii, his verbis :* Unde, obsecro te, ignoscas tarditati etiam meæ : ita enim sanctæ et venerabilis Paulæ confectus sum dormitione, ut absque translatione hujus libri usque in præsentiarum nihil aliud divini Operis scripserim.

in hac Theophilus unum jugulavit Origenem sine læsione viventium.

837 *Jam vero et alia ad laudatam Epistolam veniunt observanda. Anno 403 Theophilus, sumpta occasione ex monachis Constantinopolim profugis, cum aliis episcopis sibi adhærentibus in concilio Quercetano prope Chalcedonem damnaverat* E *S. Joannem Chrysostomum, ut expositum est apud nos ad 14 Septembris in S. Joanne Chrysostomo* § 58 *et seqq. Exsilio etiam relegatus fuerat Chrysostomus, sed postridie revocatus, et sic causa ipsius mansit indecisa, donec post Pascha anni 404 iterum expulsus est, et in exsilium actus. Ultimis tamen hisce contra Chrysostomum gestis non adfuit Theophilus, licet Chrysostomi adversariis consilio juverit. In Epistola igitur Paschali, quam sub initium anni scribebat, offerre se videbatur occasio declamandi contra Chrysostomum. At continuit se Theophilus, et nonnulla quidem contra Origenem disseruit, sed sine læsione ullius personæ. Hoc laudans* Hieronymus, *ait :* Optimus liber est, et in philosophis, et agens susceptam causam absque invidia personarum. *Quod vero antea dicit :* Et generaliter agens, dum omnes erudis, unum jugulas, *clarissime de Origene dicitur, cujus refutando errores docebat omnes Theophilus; ut frustra Tillemontius tom. XI in Theophilo art. 19 in illis verbis quæsierit Chrysostomum, cujus inimicum facit invitum* Hieronymum. F

non vere petiit libros Theophili contra Chrysostomum scriptos ;

838 *In fine Epistolæ suæ ad Theophilum ait Sanctus :* Libros, quos dudum scripsisse te nuntiasti, vel legendos nobis vel vertendos transmitte. *De quibus hic libris loquatur* Hieronymus, *plane ignotum est. Laudatus Tillemontius in Theophilo art. 20 voluit, designari librum Theophili contra Chrysostomum, de quo Facundus Hermianensis lib. 6, pag. 258 tam horrenda dicit, ut pudeat ea huc transferre. Nam idem pag. 160 ait,* Librum illum, non solum contumeliis, sed ipsa quoque sæpe repetita maledictorum recapitulatione nimis horribilem, ab Hieronymo presbytero translatum. *Opinionem illam, ut prorsus improbabilem, jam refutavi tom. IV Septembris ad 14 diem in S. Joanne Chrysostomo* § 86. *Quapropter eo remitto prudentes lectores, ut perspiciant, asserta Facundi non fuisse tam facile admittendæ a viris, qui alias severam profitentur crisim. Certe ego non capio, qua ratione, quave indulgentia Tillemontius rem maxime improbabilem a Facundo post centum et quinquaginta annos assertam, sine ullo examine adoptare potuerit. Tantam auctoritatem nequit habere ætas Facundi, errores alii ejusdem*

A *ejusdem generis, quos Operi suo scriptor schismaticus inseruit, defectum ætatis certe non supplent. Quæ igitur suo merito apud Tillemontium fidem obtinuit indubitatam de re ex omnibus adjunctis, omniumque scriptorum vetustorum silentio, prorsus incredibili? Verum rationes, ob quas fictitius ille liber nec auctori Theophilo attribuendus sit, nec interpreti* Hieronymo, *deductas inveniet lector loco allegato.*

sed potius magnam de perturbato Ecclesiæ statu curam indicat,

839 *Pauca tamen hic addo, ex moribus* Hieronymi *petita. In memorata ad Theophilum Epistola nullo verbo laudat zelum Theophili contra Origenistas, sed tantum dicit,* dum omnes erudis, unum jugulas, *et mox laudat*, quod agat susceptam causam sine invidia personarum. *At in omnibus præcedentibus Epistolis ad Theophilum, miris fervorem ejus contra Origenistas laudibus extollit, ac novis etiam stimulis exacuit; imo et in scriptis contra Rufinum, aliisque ante condemnationem Chrysostomi editis, quotiescumque fit mentio de gestis Theophili contra Origenistas, illum semper celebrat ut fidei Catholicæ defensorem. In hac vero Epistola, quæ post primam Chrysostomi damnationem scripta est, sed ante in-* B *tellectam summi Pontificis Innocentii sententiam, multum sollicitudinis indicat his jam allegatis verbis :* Ex eo tempore, quo beatitudinis tuæ accepi epistulas, juncto Paschali libro (*id est, a mense Januario aut Februario*) usque in præsentem diem, ita et mœrore luctus, et sollicitudine, ac diversis super statu Ecclesiæ hinc inde rumoribus exagitatus sum, ut vix volumen tuum potuerim in Latinum sermonem vertere. *Quis non videat, turbatum fuisse* Hieronymum *gestis contra Chrysostomum, et de justitia condemnationis hæsisse dubium, quod alii pro Chrysostomo starent, alii contra eumdem cum Theophilo?*

qua ejus adversus Chrysostomum gesta videtur improbare.

840 *Si male de Chrysostomo sentiebat, ut volunt, cur non laudat Theophilum? cur non hortatur, ut pergat? cur stimulos non addit trepidanti?* Ita, *ait*, diversis super statu Ecclesiæ hinc inde rumoribus exagitatus sum. *Quis Ecclesiam perturbabat, nisi Theophilus cum suis persequendo Chrysostomum? Quem allegata verba modeste feriunt, nisi Theophilum, qui persecutionis contra Chrysostomum excitatæ sibi erat conscius? Neque enim aut zelum aut intentionem Theophili se probare significat, nec minimo etiam verbo aut Chry-* C *sostomum improbat, aut gesto Theophili adversus eum commendat aut excusat. Certe si quis auctori turbarum de iis dolorem suum declarat, nec ullo verbo eumdem aut excuset aut laudet, non obscure illum carpit. Atqui auctor perturbati Ecclesiæ status erat Theophilus arma vertendo contra Chrysostomum. Non obscure igitur verbis allegatis insinuat, sibi nequaquam probari gesta ejus adversus Chrysostomum. Sic lib.* 3 *contra Rufinum num.* 17, *agens de Paulo sacerdote, per Theophilum similiter dejecto, manifeste insinuat, sibi minime constare de justitia sententiæ contra Paulum latæ.* Si papæ Theophili sententiis delectaris, *inquit Rufino*, et nefas putas pontificum decreta convelli, quid de cæteris dicis, quos ipse damnavit?... Nec hoc dico, quod de episcoporum sententiis judicem, aut eorum cupiam statuta rescindi; sed quod unusquisque suo periculo faciat, quod sibi videtur, et ipse noverit, quomodo de suo judicio judicandum sit.

841 *Præterea mores* Hieronymi *prorsus alieni erant ab accusatione, qualis, agente Theophilo, intentata fuit contra Chrysostomum. Ne factum quidem Eusebii Cremonensis, quem alias ut virum sanctum magni faciebat, contra querelas Rufini voluit defendere, ita eidem respondens lib.* 3, *num.* 5 : Et ante scripsi, et nunc eadem, Deo audiente, protestor, me non approbasse accusationem ejus, nec cujusquam Christiani in Christianum. *Et mox :* Sicut accusationem etiam veram reprehendo, sic falsitatem schedularum in sancto viro non suscipio. *Si eo affectus erat modo* Hieronymus *anno* 402, *quo hæc scripsit, qua ratione probare potuit anno* 403 *et* 404 *gravissimam accusationem viri sanctissimi antistitisque eruditissimi, quem ne acerbissimi quidem calumniatores de hæresi Origenis suspectum facere ausi sunt, cujus sanctitas, eruditio, eloquentia non poterat* Hieronymo *ignota esse, cum per totum Orientem celebris esset, et ex ipsis ejus scriptis, ex quibus verisimiliter non pauca legerat* Hieronymus, *abunde innotescat? Quæro in omnibus* Hieronymi *scriptis vel unicam vocem, ex qua liqueat, aut etiam utcumque colligatur,* Hieronymum *male sensisse de Chrysostomo, et nullam invenio. Quæro rursum vel minimum indicium, ex quo innotescat, gesta Theophili contra Chrysostomum ab* Hieronymo *fuisse probata. At frustra laboro : neque* E *enim ejusmodi indicium aut in Operibus* Hieronymi *reperitur, aut in ullo scriptore contemporaneo vel suppare, imo in nullo prorsus ante Facundum Hermianensem.*

Quod ex moribus Hieronymi sit verisimillimum,

et ex perpetuo deinde ejus silentio cum Theophilo et de Theophilo.

842 *Si quis modo desiderat signa saltem aliqua, quæ insinuant, gesta Theophili contra Chrysostomum vehementer* Hieronymo *displicuisse, inveniam facile nonnulla. Primum habetur ex allegatis verbis, et ex tota illa ad Theophilum Epistola. Alterum est, quod nullum post annum* 405 *inter* Hieronymum *et Theophilum reperiatur litterarum commercium, etiamsi Theophilus septem annis postea ecclesiam Alexandrinam rexerit, et multa diutius vixerit* Hieronymus, *ut verisimillimum fiat, nihil amplius negotii* Hieronymum *habere voluisse cum Theophilo, postquam causa Chrysostomi communione Romani Pontificis fuit privatus. Tertium est, quod in Operibus* S. Hieronymi, *scriptis post annum* 405, *altum de Theophilo sit silentium, iis etiam locis, ubi narrabat gesta contra Origenistas. In Epistola* 127 *ad Principiam celebrat gesta S. Marcellæ et S. Anastasii Papæ contra Origenistas ; at nullum verbum de Theophilo. Rursum in Epistola* 130 *ad Demetriadem num.* 16 *gesta S. Anastasii contra Origenistas narrat ; sed* F *nihil dicit de Theophilo, etiamsi locus id omnino videretur exigere, cum ibidem dicat :* Hæc scelerata doctrina olim in Ægypto et Orientis partibus versabatur etc. *Non invenio ullam rationem, qua tam constanter postea de Theophilo siluerit* Hieronymus, *quam quod gesta ejus contra Chrysostomum habuerit exosa.*

Fragmentum Epistolæ Theophili se excusantis insertum.

843 *Si genuinum est fragmentum Epistolæ Theophili, quod Vallorsius edidit inter Epistolas* Hieronymi *loco* 113, *ut initium Epistolæ* Theophili ad Hieronymum, *vix dubitem, quin Theophilus voluerit se excusare* Hieronymo, *ut verba ipsa indicant :* Paucis, *inquit*, in exordio placet judicium veritatis. Dicente autem Domino per Prophetam : « Et judicium meum quasi lux egre» ditur, » qui tenebrarum horrore circumdati sunt, nec naturam rerum clara mente perspiciunt, pudore operientur æterno, et cassos se habuisse conatus ipso fine cognoscunt. Unde et nos Joannem, qui dudum Constantinopolitanam rexit ecclesiam, Deo placere semper optavimus ; et causas perditionis ejus, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere voluimus, *etc. De hisce allegata*

AUCTORE ...

allegato loco in S. Joanne Chrysostomo jam disserui contra Martianæum, non posse haberi pro verbis S. Hieronymi, sed habenda esse pro verbis Theophili, si tamen fragmentum illud Epistolæ, quod in unico codice inventum est, annexumque Epistolæ cuidam S. Hieronymi ad Theophilum, non fuerit postea confictum. De sinceritate illius fragmenti, quod Valesius, Tillemontius, ac Vallarsius Theophilo attribuunt, certum ego judicium non fero. cum inscriptio, quæ eidem præfixa fuit, certo sit corrupta planeque ridicula, ut vel sola illa suspicionem ingerere possit de suppositione totius fragmenti, quod impostor aliquis Hieronymianæ Epistolæ potuit assuere.

At Hieronymi Epistola 114 videtur anni 405,

844 *Epistola vero 114, quæ in editione Veronensi sequitur, tam ex stylo, quam ex contentis, videtur esse* Hieronymi. *Vallarsius cum Tillemontio eam remittunt ad annum 405, quia impedimenta transferendi librum Theophili ita recenset Sanctus :* Quod tardius beatitudini tuæ latino sermone translatum librum tuum remitterem, multa in medio impedimenta fecerunt, Isaurorum repentina eruptio, Phœnicis Galilææque vastitas, terror Palæstinæ, præcipue Jerosolymæ, et nequaquam librorum, sed murorum exstructio. Ad hoc asperitas hiemis, fames intolerabilis, nobis præsertim, quibus multorum fratrum cura imposita est. Inter quas difficultates lucrativis, et, ut ita dicam, furtivis per noctem operis crescebat interpretatio, et jam in schedulis tenebatur. Quum diebus sanctæ Quadragesimæ scripta ad purum collatione tantum indigerem, gravissimo languore correptus, et mortis limen ingrediens, Domini misericordia, et tuis precibus reservatus sum, ad hoc forsitan, ut implerem præceptum tuum, et volumen disertissimum, quod Scripturarum floribus texuisti, eadem, qua a te scriptum est, gratia verterem, licet imbecillitas corporis et animi mœror ingenii quoque acumen obtuderit, et verba prono cursu labentia velut quibusdam obicibus retardarit. *Irruptio Isaurorum in Phœniciam et Galilæam, et hiemis asperitas congruunt anno 405, ut cum laudatis scriptoribus existimem, ad annum 405 Epistolam hanc spectare.*

missusque cum ea ad Theophilum est liber Paschalis latine redditus,

845 *De libro, quocum missa est, in varias abierunt sententias. Credit Tillemontius, fuisse librum Paschalem anni 405, ut insinuare videtur materia ipsa, de qua* Hieronymus *subjungit :* Mirati sumus in Opere tuo utilitatem omnium ecclesiarum, ut discant, qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, qua debeant veneratione Sancta suscipere, et altaris Christi ministerio deservire : sacrosque calices et sancta velamina, et cætera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent Passionis, non quasi inania et sensu carentia sanctimoniam non habere ; sed ex consortio Corporis et Sanguinis Domini eadem, qua Corpus ejus et Sanguis, majestate veneranda. *Vallarsius quoque fatetur, hisce verbis designatum videri alium plane librum, quam quem Facundus contra Chrysostomum a Theophilo scriptum et ab* Hieronymo *translatum asseruit. Nihilominus addit, se ea ratione non moveri :* Nam neque, *inquit,* ejus anni Paschalem Hieronymus interpretatus est, neque id veterum ullus asseruit. *Verum ea ratio non urget, cum veteres de translatione libri Paschalis facile potuerint tacere, prout de aliorum versione tacuerunt.*

isque modestus,

846 *Neque meliores sunt rationes, quas addit, ut evincat,* librum contra Chrysostomum *designari, eumque maledicum. Nam, si melius expendisset Vallarsius, quam exigua in ejusmodi assertis debeat esse auctoritas Facundi, ne juranti quidem credidisset, impiissimum et stultissimum scriptum, ex quo aliquot maledicta allegavit, Theophili scriptoris esse et interpretis* Hieronymi. *Librum vero, quem anno 405 interpretatus est* Hieronymus, *maledictis caruisse, omnino mihi persuadent verba* Hieronymi, *qui illum pro suo adoptat, in laudata Epistola sic pergens :* Suscipe igitur librum tuum, immo meum, et, ut verius loquar, nostrum : quumque mihi faveris, tuus fautor eris. Tibi enim meum sudavit ingenium, et facundiam Græcam Latinæ linguæ volui paupertate pensare. Neque vero, ut diserti interpretes faciunt, verbum verbo reddidi ; nec adnumeravi pecuniam, quam mihi per partes dederas, sed pariter appendi, ut nihil desit ex sensibus, quum aliquid desit ex verbis.

847 Epistolam autem tuam idcirco in Latinum verti, et huic volumini præposui, ut omnes, qui legerint, sciant, me non temeritate et jactantia, sed præceptis beatitudinis tuæ suscepisse onus ultra vires meas. Quod an consequutus sim, tuo judicio derelinquo. Certe, si imbecillitatem reprehenderis, voluntati veniam accommodabis. *Hactenus* Hieronymus, *cujus tota Epistola insinuat librum modestum, quem de more Paschalem fuisse, innuit etiam tempus, cum dicatur interpretatio* diebus sanctæ Quadragesimæ *sic fuisse perfecta, ut haberetur* in schedulis. *Communione Sedis Apostolicæ nondum privatus erat anno 405 Theophilus, sed ea deinde ob persecutionem Chrysostomi exclusus est ; et simul omni litterarum commercio cum* S. Hieronymo, *in cujus Operibus de Theophilo nullam postea mentionem reperio. Nolui pluribus examinare rationes Vallarsii, cum studiosus lector adire possit assignata superius Chrysostomi Acta.*

non vero liber contra Chrysostomum.

§ XLIX. Scribit Sanctus ad Sunniam et Fretelam de quæstionibus sacræ Scripturæ, ad Lætam de institutione filiæ, ad Eustochium S. Paulæ Epitaphium : vertit scripta S. Pachomii et aliorum.

Epistola ad Sunniam et Fretelam.

Inter eximias S. Hieronymi *Epistolas merito numeratur Epistola 106 (alias 98) ad Sunniam aut Suniam et Fretelam aut Fretellam, ut horum virorum nomina diversimode scribuntur. Illi aliunde non innotuerunt, etiamsi Moraviæ eos attribuat Joannes Georgius Stredowski, qui sæculo nostro sacram Moraviæ Historiam composuit, et episcopos faciat. Episcopos non fuisse, quando ad eos scribebat* S. Hieronymus, *ipsa Epistolæ inscriptio satis declarat, cum sic habeat :* Dilectissimis fratribus Sunniæ et Fretelæ, et cæteris, qui vobiscum Domino serviunt, Hieronymus. *Longe etiam dissitos fuisse in Germania, et ex gente non diu conversa, initium Epistolæ declarat.* Vere in vobis, *inquit Sanctus,* apostolicus et propheticus sermo completus est : « In omnem terram « exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba « eorum. » Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem ; et dormitantibus immo contendentibus Græcis, ipsa

AUCTORE J. S.

A ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur? *Ex fera item et bellicosa eos gente fuisse, colligitur ex verbis mox sequentibus :* Dudum callosa tenendo capulum manus, et digiti tractandis sagittis aptiores, ad stilum calamumque mollescunt, et bellicosa pectora vertuntur in mansuetudinem Christianam.

qui ex Hunnis vel Gothis fuisse creduntur.

849 *Vallarsius existimat, eos fuisse Hunnos, et de iis loqui S.* Hieronymum *in Epistola* 107 *ad Lætam num.* 2, *ubi dicit:* Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigura fervent calore fidei. *Quæstiones ex toto fere Psalterio ab iis propositæ fuerunt, ut hæc conjectura ex materia Epistolæ multum probabilitatis acquirat. Hinc ulterius infert, scriptam esse hanc ante sequentem ad Lætam. Non video etiam, dictæ conjecturæ contrarium esse, quod fuerint in Germania. Nam circa finem sæculi 4, sive circa tempus scriptæ hujus Epistolæ Hunni jam in parte Orientali Germaniæ magnæ sedes aliquot habuisse videntur trans Danubium. Dubitari tamen potest, quia etiam dicit :* Barbara Getarum lingua Hebraicam quærit veritatem. *De Getis enim in Epistola ad Lætam subjungit :* Getarum rutilus et flavus exercitus ecclesiarum B circumfert tentoria; et ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt. *Hæc Sanctus de Gothis, quos antiqui passim* Getas *vocant. Fuerunt igitur ex Hunnis, vel ex Getis sive Gothis, Sunnia et Fretela; neque necesse est ad institutum nostrum eorum nationem studiosius investigare.*

et multas ex Psalterio quæstiones proposuerant.

850 *Observaverant illi, multum diversitatis esse inter textum Græcum et Latinum Psalterii; notatisque locorum diversitatibus, rogabant, quo singula modo exprimerentur Hebraice. Hinc num.* 2 *eis dicit Sanctus :* Quæritis a me rem magni operis, et majoris invidiæ, in qua scribentis non ingenium, sed eruditio comprobetur; ut, dum ipse cupio de cæteris judicare, judicandum me omnibus præbeam : et in opere Psalterii juxta digestionem schedulæ vestræ, ubicumque inter Latinos Græcosque contentio est, quid magis Hebræis conveniat, significem. *Deinde aut de eadem re, aut de differentia, quæ erat inter editionem Vulgarem Septuaginta interpretum, aliamque in Hexaplis Origenis conservatam, quam reddiderat Latinam, ait :* Super qua re et sanctus filius C meus Avitus sæpe quæsierat. Et quia se occasio fratris nostri Firmi presbyteri dedit, qui mihi vestram epistolam reddidit; duobus scribens, in commune respondeo, et me magno amicitiæ libero fœnore, quod quanto magis solvimus, plus debemus. *Itaque in gratiam plurium eruditam hanc prolixissimamque Epistolam de plurimis quæstiónibus scripsit* Hieronymus.

Illa nec anno 403 potest certo figi,

851 *Vallarsius credidit, se invenisse argumenta satis firma, quibus hanc Epistolam referret ad annum* 403. *Verum illa mihi tam solida non videntur. Si verba illa ex Epistola ad Lætam,* Hunni discunt Psalterium, *designant Sunniam et Fretelam, ut ille existimavit, Epistola hæc potius figenda veniet circa annum* 400, *quam* 403. *Nam sequens ad Lætam certo figenda non est post annum* 401, *ut mox videbimus. Alterum argumentum, quod petitur ex silentio de hac Epistola in Apologiis contra Rufinum, inutile mihi videtur.* Illud, *inquit Vallarsius,* primum in confesso est, quod probe etiam notatum est Martianæo, numquam Hieronymum luculentissimam hanc Epistulam silentio fuisse præteriturum, si illam tum temporis elucubrasset, cum adversus Rufinum pro se scriberet Apologiam. Cum enim id maxime per calumniam objiceret presbyter Aquileiensis, in sugillationem Septuaginta interpretum susceptam ab Hieronymo Instrumenti Veteris translationem, vix credi potest Hieronymus, ut adversarii calumniam retunderet, hinc inde exempla emendicare voluisse, atque hanc unam Epistolam silentio premere, qua continuo Septuaginta interpretes bene audiunt, et qua omnium luculentissimum pro se testimonium adducere potuisset. *Ita ratiocinatur Vallarsius.*

nec anno 403, cum careat certa temporis nota.

852 *Verum non egebat* Hieronymus *illa Epistola ad defensionem suam. Ut retunderet Rufini calumniam, ipsas recitavit Præfationes, quas libris ex Hebraico translatis præfixerat, nec ulla ex aliis suis Operibus emendicavit exempla. Quare non video, cur ex illa potius Epistola, quam ex aliis suis Operibus, defendere se voluisset; imo ne invenire quidem possum, idonea argumenta pro se ex illa Epistola haurire potuisse* Hieronymum. *Itaque totum hoc argumentum, quod ex Martianæo mutavit Vallarsius, nihil prorsus evincit : neque eo juvatur opinio Martianæi, qui circa annum* 405 *Epistolam suspicatur scriptam, nec sententia Vallarsii, qui circa* 403. *Hic vero, quandoquidem credat scriptam ante Epistolam ad* E *Lætam, ab eo abstinuisset, opinor, si epocham Epistolæ ad Lætam certius habuisset perspectam. Si enim præcessit prolixa illa ad Sunniam et Fretelam, figenda hæc est circa annum* 399 *aut* 400. *Si vero Firmus presbyter, qui in hac memoratur Epistola, idem sit cum Firmo item presbytero, quem anno* 415, *ut suo loco videbimus, in Occidentem misit* Hieronymus, *potest Epistola illa multo serius esse scripta. Adeo verum est, quod plerique crediderunt, eam certa temporis nota carere.*

Scribit ad Lætam

853 *At Epistola* 107 (*alias* 7) *ad Lætam ad certum temporis intervallum reduci potest; ut jam vidit Tillemontius art.* 97, *non tamen ad annum. In ea Sanctus nonnulla memorat de progressu fidei Catholicæ et de ruina idololatriæ. De hac ait num.* 2: Marnas Gazæ luget inclusus, et eversionem templi jugiter pertimescit. *Itaque scripta est Epistola eo tempore, quo jam clausum erat edicto Arcadii imperatoris templum Marnæ; at necdum eversum. Clausum autem est anno* 398, *eversum penitus anno* 401. *Quapropter dicta* Hieronymi *Epistola certo scripta est inter annos* 398 *et* 401. *De clauso primum et deinde everso Gazæ templo* F *Marnæ idoli accurate agitur apud nos in Vita S. Porphyrii episcopi Gazensis ad* 26 *Februarii. Quæ ulterius afferri possunt ex eadem Epistola, tempus propius non indicunt. Verba illa:* Getarum rutilus et flavus exercitus ecclesiarum circumfert tentoria, et ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt. *Verba hæc, inquam, prolata non sunt ob pugnam, quæ anno* 403 *Pollentiæ fuit inter Romanos et Gothos, ut vult Vallarsius, cum Epistola certo ante illum annum fuerit scripta; sed de bello generatim inter Gothos et Romanos, quod diu duravit, et in quo Gothi non raro vicerunt Romanos, non raro item sunt victi. Nolim igitur divinare, de quo loquatur prælio.*

de educatione filiolæ, Deo promissæ.

854 *Læta mulier nobilissima, patrem habebat Albinum, non modo gentilem, sed etiam pontificem qui adhuc vivebat; matrem vero Christianam, qualis ipsa erat, et maritum Toxotium S. Paulæ filium, ex quo unicam pepererat filiam Paulam. Rogaverat autem S. Marcella, ipsaque etiam Læta, ut* Hieronymus *documenta scriberet ad filiolam Paulam recte educandum. Indicatur id num.*

num. 3 *his verbis:* Propositum enim mihi erat, sanctæ Marcellæ et tuis precibus invitato, ad matrem, id est, ad te sermonem dirigere, et docere, quomodo instituere Paulam nostram debeas, quæ prius Christo consecrata est, quam genita; quam ante vovisti, quam utero concepisti. *Tota igitur Epistola præclare docet, quo modo instituere, servare, regere et docere per se et alios debeat puellam Christo destinatam. In fine vero hortatur, ut eam mittat ad Paulam aviam et Eustochium amitam, inter virgines in monasterio erudiendam; seque præclare institutionis adjutorem offert his verbis:* Ipse, si Paulam miseris, et magistrum me et nutricium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi philosopho *, qui non regem Macedonum, Babylonio periturum veneno, sed ancillam et sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus offerendam. *Missa fuit Paula in Bethleem, sed post mortem S. Paulæ aviæ, de qua modo agemus.*

Aristotele

S. Paulæ, anno 404 defunctæ,

855 *Postquam S. Paula sub disciplina* S. Hieronymi *sanctissime vixerat, partim Romæ, partim in Bethleem, annis circiter viginti, ad meliorem vitam plena bonorum operum meritis transiit anno 404, die 26 Januarii, quo Acta ejus in Opere nostro data sunt. Perculit ejus mors* S. Hieronymum, *et, ut aliquot locis declarat, studia ejus ad tempus impedivit. De ea in Epistola 99 ad Theophilum ita loquitur, excusans tarditatem translatæ ejus Epistolæ Paschalis:* Unde, obsecro te, ignoscas tarditati etiam meæ: ita enim sanctæ et venerabilis Paulæ confectus sum dormitione, ut absque translatione hujus libri usque in præsentiarum nihil aliud divini operis scripserim. Perdidimus enim, ut ipse nosti, repente solatium, quod (ut conscientiæ nostræ testis est Dominus) non ad proprias ducimus necessitates, sed ad Sanctorum refrigeria, quibus illa sollicite serviebat. *Similia dabo alia occasione inferius.*

Epitaphium scribit ad Eustochium.

856 *Verumtamen prolixum S. Paulæ Epitaphium ad Eustochium ejus filiam non diu post ejus obitum dictavit. Epistola est* 108 (*alias* 27) *et omnium Epistolarum, opinor, prolixissima, ut vita S. Paulæ vocari possit, et pro vita apud nos sit edita.* Volumen *etiam vocat ipse* Hieronymus, *qui de ea lucubratione num.* 32 *Eustochium sic affatur:* Hunc tibi librum ad duas lucubratiunculas eodem, quem tu sustines, dolore dictavi. Nam quotiescumque stilum figere volui, et Opus exarare promissum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit. Unde et inculta oratio votum scribentis absque ulla elegantia et verborum lepore testatur. *Tum defunctæ se ita commendat:* Valo, o Paula, et Cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides et opera tua Christo te sociant. Præsens facilius, quod postulas, impetrabis. Exegi monumentum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas. Incidi elogium sepulcro tuo, quod huic volumini subdidi, ut, quoquumque noster sermo pervenerit, te laudatam, te in Bethleem conditam, lector agnoscat. *Versiculi, qui sepulcro incisi fuerunt, cum reliquis ibidem videri possunt.*

Regulam S. Pachomii aliaque ejusdem.

857 *Eodem anno 404 transtulit* S. Hieronymus *Epistolam Paschalem Theophili, ut jam dictum. Post diuturnum deinde silentium transtulit ex Græco Regulam S. Pachomii, ut illa uteretur S. Eustochium, quæ pro defuncta matre regimen monasterii sui susceperat. Varia sunt Opuscula post Regulam ab eodem translata, quæ tamen ad instructionem monachorum similiter referuntur. Plures deinde sequuntur ejusdem Pachomii Epistolæ, et una etiam S. Theodori ejus discipuli. Edita hæc sunt in editione Veronensi tom II, ubi col.* 53 S. Hieronymus *in Translationem suam præfari incipit hoc modo:* Quamvis acutus gladius et lævigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, et splendorem pristini decoris amittit: unde et ego mœrens super dormitione sanctæ et venerabilis Paulæ, non quo contra præceptum Apostoli facerem, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi libros, ab homine Dei Silvano mihi directos, quos ille Alexandria missos susceperat, ut etiam injungeret transferendos. Aiebat enim, quod in Thebaidis cœnobiis, et in monasterio Metanœæ, quod de Canobo in Pœnitentiam felici nominis conversione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo Pachomii et Theodori et Orsiesii præcepta conscripta sunt. Qui primi per Thebaidem et Ægyptum cœnobiorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei, et angeli, qui ad eos ob hanc ipsam institutionem missus venerit.

858 Itaque quia diu tacueram, et dolorem meum silentio devoraveram; urgebant autem missi ad me ob hanc ipsam causam Leontius presbyter, et cæteri cum eo fratres, accito notario, ut erant de Ægyptiaca in Græcam linguam versa, nostro sermone dictavi, ut et tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus, obedirem, et bono, ut aiunt, auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studiis, et sanctæ feminæ refrigerans animam, quæ monasteriorum semper amore flagravit, et, quod visura erat in cælo, hic in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo, filia ejus Eustochium, haberet, quod sororibus agendum tribueret, nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum exempla sequerentur: qui habent per singula monasteria patres, et dispensatores, et hebdomadarios, ac ministros, et singularum domorum præpositos, ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant præposito. *Tum pergit plura exponere de monachorum illorum instituto et modo vivendi.*

documenta, ex græco sermone in latinum vertit.

859 *De Epistolis vero aliquot symbolice scriptis in fine hæc addit:* Aiunt autem Thebæi, quod Pachomio Cornelioque et Syro, qui usque hodie ultra centum et decem annos vivere dicitur, angelus linguæ mysticæ scientiam dederit, ut scriberent sibi et loquerentur per Alphabetum speciale, signis quibusdam et symbolis absconditos sensus involvens: quas nos Epistolas ita, ut apud Ægyptios Græcosque leguntur, in nostram linguam vertimus, eadem, ut reperimus, elementa ponentes, et qua simplicitatem Ægyptii sermonis imitati sumus, interpretationis fides est, ne viros apostolicos et totos gratiæ spiritalis sermo rhetoricus immutaret. Cætera autem, quæ in eorum tractatibus continentur prælibare nolui, ut in suis discantur auctoribus, et de fontibus potius quam de rivulis bibant, quos sanctæ conversationis studia delectant. *Ex longo Sancti post mortem S. Paulæ silentio recte colligit Vallarsius, Opuscula illa ab Hieronymo translata esse sub finem anni 404 aut sub initium 405. Laborem vero hujus translationis suscepisse* Hieronymum, *non modo in gratiam monachorum Latinorum, qui habitabant in Ægypto, sed etiam, ut*

et aliquot Epistolas etiam symbolicas.

A *ut ex iis S. Eustochium pro suis monialibus præcepta seligeret, monachique ipsius Hieronymi illa præcepta ex parte saltem observarent, jam dixi ad 28 Septembris in S. Eustochio § 4.*

§ L. Amicitia S. Hieronymi et Augustini, quæ per controversiam, accedente casu infelici, in periculum adducta erat, utriusque moderatione conservata et aucta.

Cum S. Hieronymi notitiam accepisset S. Augustinus,

Ad en pervenimus tempora, quibus maxime viguit inter SS. Hieronymum *et Augustinum controversia de Petro per Paulum reprehenso: cœpta eo modo a S. Augustino, ut per casum inexspectatum amicitia eorum, quæ non diu admodum inchoata fuerat, in maximum inimicitiarum adducta sit discrimen. Quapropter initium et* B *finem istius controversiæ diligenter examinaba, breviterque primum observabo, qualis esset Augustinus, qualis* Hieronymus, *quando nata est ea controversia. Epistola S. Augustini, ex qua* Hieronymi *offensio ortum habuit, figitur anno 394, quando Augustinus erat presbyter, et annos ætatis numerabat circiter quadraginta, a conversione sua et suscepto baptismo annos septem aut octo. Scripserat jam S. Augustinus varia Opuscula; sed ea nec inter præcipua ejus Opera numerantur, nec visa erant ab* Hieronymo. *Nihil igitur anno 394 de eruditione et sanctitate. Augustini novisse videtur* Hieronymus, *nisi quæ ex præsenti Alypio anno 393 aut 394 intellexerat. Sequentibus vero annis non multo majorem de doctrina Augustini existimationem concipere potuerat* Hieronymus, *cum quod pauca aut fere nulla ejus Opuscula vidisset, tum quod provocatus esset aliquot Epistolis, quæ totum Augustinum ne nunc quidem nobis exhibent.*

adhuc presbyter primum humaniter ad eum scribit,

861 *Contra* Hieronymus, *uti annis plusquam viginti senior erat Augustino, sic sacris studiis annos fere triginta insumpserat, multaque in sacram Scripturam, plura ad mores informandos, et con-* C *tra hæreticos scripserat Opuscula, scientiam vero scripturarum hauserat summam, prout a juventute consecutus erat maximam profanarum litterarum peritiam, linguarumque diversarum notitiam, ut nullum sit dubium, quin eo tempore* Hieronymus *non solum ætate, sed etiam eruditione et fama, major esset Augustino. Innotuit autem Augustinus* Hieronymo *per Alypium, qui anno 393 aut sequentis initio in Palæstina fuit,* Hieronymus *Augustino partim per scripta sua, partim per Alypium memoratum. Eo in Africam reverso, Augustinus anno 394 primam ad* Hieronymum *scripsit, Epistolam, inter Hieronymianas 56 (alias 86) quam sic orditur:* Numquam æque quisquam tam facile cuilibet innotuit, quam mihi tuorum in Domino studiorum quieta lætitia, et vere exercitatio liberalis. Quamquam ergo percupiam omnino te nosse, tamen exiguam quiddam tui minus habeo, præsentiam videlicet corporis: quam ipsam etiam, posteaquam te beatissimus nunc episcopus, tunc vero jam episcopatu dignus, frater Alypius vidit, remeansque a me visus est, negare non possum, magna ex parte mihi esse relatu ejus impressam. Et ante reditum, quum te ille ibi videbat, et ego videbam, sed oculis ejus....

AUCTORE J. S.

petens, ut verteret scriptores Græcos,

862 Quia ergo me primitus communione spiritus, quo in unum nectimur: deinde illius ex ore jam diligis, nequaquam impudenter, quasi aliquis ignotus, commendo germanitati tuæ fratrem Profuturum, quem nostris conatibus, deinde adjutorio tuo vere profuturum speramus, nisi forte quod talis est, ut ipse tibi per eum fiam commendatior, quam ille per me. *Mox num. 2 sic habet:* Petimus ergo et nobiscum petit omnis Africanarum ecclesiarum studiosa societas, ut in interpretandis eorum libris, qui Græce Scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atque operam impendere ne graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus illos tales viros, et unum potissimum, quem tu libentius in tuis litteris sonas. *De Origene haud dubie loquitur. At* Hieronymus *eo tempore magis cognoscere cœperat errores Origeni; eaque de causa id facere noluit Sanctus, qui utilioribus etiam erat occupatus. Illa tamen petitio Virum sanctum offendere non poterat.*

sed improbans interpretationem Scripturæ ex Hebraico,

863 *Verum quæ sequuntur in Epistola Augustini, nata erant animum* Hieronymi *pungere. Nam primo num. 2 aliqua disserit Augustinus, ut dissuadeat* Hieronymo *interpretationem sacræ Scripturæ ex Hebraico, interque alias rationes hanc* E *affert:* Si enim obscura sunt, te quoque in illis falli potuisse, creditur; si autem manifesta, illos (*priores interpretes*) in eis falli potuisse, non creditur. *Nequit dubitari, quin optima intentione Augustinus illum* Hieronymo *laborem voluerit dissuadere. At* Hieronymus, *qui ingentem operis sui utilitatem probe habebat perspectam, primo intuitu intelligebat, infirmas esse Augustini rationes in contrarium; ideoque merito cogitare poterat, non ea ætate aut eruditione esse Augustinum, ut consilium ejus contra scientiam propriam esset sequendum. Cum vero et alii plures eidem Translationi adversarentur, videbat æmulorum suorum ratiunculas plus valere apud Augustinum, quam sua diu meditata, et ex diuturno sacrarum Scripturarum studio profecta consilia. Itaque ejusmodi consilium, sub initium amicitiæ datum, quando alter alterum non penitus noverat, natum erat sinistras suspiciones* Hieronymo *ingerere.*

et impugnans opinionem ejus de Petro reprehenso.

864 *At virum eruditissimum multo magis pungere debebant, quæ disseruit in eadem Epistola Augustinus num. 3 et 4 contra* Hieronymi *asserta in Commentariis Epistolæ ad Galatas de reprehensa* F *S. Petro. Locum Pauli Gal. 2, ℣ 11,* Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis (*græce* reprehensus) erat: *sic exposuit* Hieronymus, *ut crederes, simulatam potius, quam veram, fuisse Pauli reprehensionem quemadmodum et alii locum explanarunt, ac nominatim Chrysostomus. S. Augustinus dictæ expositioni vehementer se opposuit in libro de Mendacio, ex quo locus apud nos recitatus est ad 28 Augusti in S. Augustino num. 284, ubi similiter data sunt* Hieronymi *verba, quæ Augustino displicuerunt. Contendebat Augustinus, ex* Hieronymi *et aliorum opinione sequi, ut mentitus fuerit S. Paulus. Hinc in laudata Epistola ad* Hieronymum *ita loquitur:* Ibi patrocinium mendacii susceptum esse vel abs te tali viro, vel a quopiam, si alius illa scripsit, fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur (si forte refelli possunt) ea, quæ me movent. Mihi enim videtur exitiosissime credi, aliquod in sanctis libris haberi mendacium *etc. Hæc pluribus amplificat, acsi*

acsi revera credidisset, Hieronymum *mendacii patronum esse, et in sacris etiam Litteris mendacium admittere. In fine significat, aliqua se scripta sua mittere ad* Hieronymum, *quem humaniter rogat, ut illorum censorem agere velit. Ea enim erat intentio S. Augustini, ut invicem sincere indicarent, quid in alterius videretur scriptis corrigendum; ideoque ipse id facere in scriptis* Hieronymi *cœperat.*

Cum illa Epistola non esset missa, aliam scribit Augustinus.

865 *Epistola illa S. Augustini non fuit perlata ad* S. Hieronymum, *nisi post annos aliquot. Interim S. Augustinus alia occasione salutavit* S. Hieronymum; *hic vero brevem ad Augustinum scripsit Epistolam, quæ excidit. Hac accepta, Augustinus jam episcopus anno* 397 *ad* Hieronymum *dedit prolixam Epistolam inter Hieronymianas* 67 (*alias* 87), *cujus hoc est initium* : Habeo gratiam, quod pro subscripta salutatione plenam mihi Epistolam reddidisti, sed breviorem multo, quam ex te vellem suscipere, tali Viro, a quo, tempora quantalibet occupet, nullus sermo prolixus est. . . . Quare aggredere, quæso, istam nobiscum litterariam collocutionem, ne multum ad nos disjungendos liceat absentiæ corporali : quamquam simus in Domino spiritus B unitate conjuncti, etiamsi ab stilo quiescamus atque taceamus. Et libri quidem, quos de horreo Dominico elaborasti, pene totum nobis te exhibent. Si enim propterea te non novimus, quia faciem corporis tui non vidimus, hoc modo nec ipse te nosti : nam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es, nisi quia nosti animum tuum; et nos eum non mediocriter novimus in litteris tuis, in quibus benedicimus Domino, quod tibi et nobis, omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit. *Hisce sane aliisque in eadem Epistola ostendit Augustinus, quanti faceret* Hieronymum. *Quid ibidem interrogaret circa librum de Viris illustribus, quidque in illo desideraret, jam suo loco dictum est.*

In quoque Hieronymum ad palinodiam hortatur.

866 *At cum nosset Augustinus, priorem suam Epistolam non pervenisse ad* Hieronymum, *in hac rursum prolixe disserit contra ejus opinionem de Petro simulate tantum reprehenso. Inter disputandum num. 3 hæc inserit ad* Hieronymi *commendationem* : Nequaquam vero mihi arrogaverim, ut ingenium tuum, divino dono aureum, meis obolis ditare contendam : non est quisquam te magis idoneus, qui Opus illud emendet. *Ad pa-* C *linodiam hic tacite, sed aperte num. 7 invitat, hæc scribens* : Quare arripe, obsecro te, ingenuam et vere Christianam cum caritate severitatem ad illud Opus corrigendum atque emendandum, et παλινῳδίαν, ut dicitur, cane. Incomparabiliter enim pulcrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroës adversus Troiam, dimicaverunt. Neque hoc ideo dico, ut oculos cordis recipias, quos absit ut amiseris, sed ut advertas, quos quum habeas sanos et vigiles, nescio qua dissimulatione avertisti, ut non intenderes, quæ consequantur adversa, si semel creditum fuerit, posse honeste atque pie scriptorem divinorum librorum in aliqua sui Operis parte mentiri. *Hic locus præcipue punxit* Hieronymum, *qui longissime aberat ab impia illa opinione, qua divinis libris mendacium tribuitur, aut etiam a mendacio defendendo. Credidit autem, comparari se cum Stesichoro, qui secundum fabulas visum amisit, quod scripsisset contra Helenam, cantataque palinodia eumdem recepit.*

Hæc Epistola non ad Hieronymum, sed ad alios fuit portata :

867 *Subjungit ibi S. Augustinus de priori sua* D *Epistola* : Scripseram jam hinc ad te aliquando Epistolam, quæ non perlata est, quia nec is perrexit, cui perferendam tradideram. Ex qua illud mihi suggestum est, quum ista dictarem, quod in hac quoque prætermittere non debui, ut, si alia est sententia tua, eademque est melior, timori meo libenter ignoscas. Si enim aliter sentis, verumque tu sentis (nam nisi verum sit, melius esse non potest) ut non dicam nulla, certe non magna culpa, meus error veritati favet, si recte in quoquam veritas potest favere mendacio. *Hactenus Augustinus. Epistolam accepit* Hieronymus, *non per eum, cui data erat ad Sanctum perferenda; sed post annos aliquot, quando illa a multis visa erat et lecta, per Sisinnium diaconum.*

Interim illius ignarus Hieronymus, amice scribit Augustino.

868 *Interea ad Augustinum circa annum* 397 *dedisse videtur Epistolam* 105 (*alias* 98,) *quæ perbrevis est et amica. Illa sic incipit* : Anno præterito per fratrem nostrum Asterium hypodiaconum dignationi tuæ epistolam miseram, promptum reddens salutationis officium : quam tibi arbitror redditam. Nunc quoque per sanctum fratrem meum Præsidium diaconum obsecro pri- E mum, ut memineris mei : deinde ut bajulum litterarum habeas commendatum *etc. Ex Asterio hic memorato, qui aliam Hieronymi Epistolam tulit anno* 402, *existimat Vallarsius, hanc Epistolam spectare ad annum* 403. *At magis credo cum Tillemontio Nota* 72, *de Epistola anni* 402 *in hac non loqui* Hieronymum, *sed potius de illa, quam perditam supra dixi, quia nihil videtur scivisse de Epistola Augustini, qua impugnabatur. Quidquid sit, affligebatur* Hieronymus, *quando perbrevem hanc scripsit; cum ita habeat* : Nos in monasterio constituti variis hinc inde structibus quatimur, et peregrinationis molestias sustinemus. *Congruunt hæc anno* 397 *et* 398, *quibus Joannes Hierosolymitanus varias monasterio* S. Hieronymi *intulit molestias.*

Cum vero responsum post aliquot annos peteret Augustinus.

869 *Anno* 402, *antequam ullum ad objectionem suam acceperat responsum, Augustinus ad* Hieronymum *scripsit Epistolam* 101 (*alias* 90) *cujus hoc est initium* : Audivi pervenisse in manus tuas litteras meas, sed quod adhuc rescripta non merui, nequaquam imputaverim dilectione tuæ. Aliquid procul dubio impedimenti fuit. Unde agnosco, Dominum a me potius deprecandum, F ut tuæ voluntati det facultatem mittendi, quod rescripseris, nam rescribendi jam dedit, quia, quum volueris, facillime poteris. *Deinde negat, librum a se scriptum contra* Hieronymum, *ut eidem relatum audiverat, Romamque missum.* Hoc falsum esse noveris, *inquit* : Deum nostrum testor, hoc me non fecisse, sed si forte aliqua in aliquibus scriptis meis reperiuntur, in quibus aliter aliquid, quam tu, sensisse reperiar, non contra te dictum, sed quod mihi videbatur, a me scriptum esse, puto te debere cognoscere; aut, si cognosci non potest, credere. Ita sane hoc dixerim, ut ego non tantum paratissimus sim, si quid te in meis scriptis moverit, fraterne accipere, quid contra sentias, aut de correctione mea, aut de ipsa tua benevolentia gavisurus; verum etiam hoc a te postulem et flagitem. *Erat omnino hæc intentio Augustini; sed illius consilii difficultates statim expertus est* Hieronymus, *nec umquam impelli potuit, ut id facere.*

870 *Ad hanc Epistolam continuo respondit* Hieronymus, *sed ea libertate in improbandis aliquot S.*

et Epistolam non ab ipso, sed ejus exemplar aliunde accepisset Hieronymus,

A *S. Augustini aculeis, qua prior usus erat Augustinus in oppugnanda ejus sententia, et palinodia exigenda. Epistola est* 102 (*alias* 91) *qua Augustinum a censurandi licentia deterrere voluit* Hieronymus, *et ad mutuum amorem ultro currentem invitavit.* In ipso profectionis articulo, sancti filii nostri Asterii hypodiaconi, necessarii mei, beatitudinis tuæ litteræ ad me pervenerunt, quibus satisfacis, te contra parvitatem meam librum Romam non misisse. Hoc nec ego factum audieram, sed Epistolæ cujusdam, quasi ad me scriptæ, per fratrem nostrum Sisinnium diaconum huc exemplaria pervenerunt : in qua hortaris me, ut παλινωδίαν super quodam Apostoli capitulo canam, et imiter Stesichorum inter vituperationem et laudes Helenæ fluctuantem, ut, qui detrahendo oculos perdiderat, laudando receperit. Ego simpliciter fateor dignationi tuæ, licet stilus et ἐπιχειρήματα tua mihi viderentur ; tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi, ne forte, me respondente, læsus juste expostulares, quod probare ante debuissem, tuum esse sermonem, et sic rescribere. Accessit ad moram sanctæ et venerabilis Paulæ B longa infirmitas. Dum enim languenti multo tempore assideremus, pene Epistolæ tuæ, vel ejus, qui sub tuo nomine scripserat, obliti sumus, memores illius versiculi : « Musica in luctu, importuna narratio. » Itaque, si tua est Epistola, aperte scribe, vel mitte exemplaria veriora, ut absque ullo rancore stomachi in Scripturarum disputatione versemur, et vel nostrum emendemus errorem, vel alium frustra reprehendisse doceamus.

petit an illa ejus sit Epistola, aliqua libere reprehendens.

871 Absit autem a me, ut quidquam de libris tuæ beatitudinis attingere audeam. Sufficit enim mihi probare mea, et aliena non carpere. Cæterum optime novit prudentia tua, unumquemque in suo sensu abundare, et puerilis esse jactantiæ, quod olim adolescentuli facere consueverant ; accusando illustres viros suo nomini famam quærere. Nec tam stultus sum, ut diversitate explanationum tuarum me lædi putem : quia nec tu læderis, si nos contraria senserimus. Sed illa est vera inter amicos reprehensio, si nostram peram non videntes, aliorum juxta Persium manticam consideremus. Superest, ut diligas diligentem te, et in Scripturarum campo juvenis senem non provoces. C Nos nostra habuimus tempora, et cucurrimus, quantum potuimus. Nunc, te currente et longa spatia transmeante, nobis debetur otium : simulque (ut cum honore tuo et venia dixerim) ne solus mihi de poetis aliquid proposuisse videaris, memento Daretis et Entelli, et vulgaris proverbii ; quod bos lassus fortius figat pedem. Tristes hæc dictavimus : utinam mereremur complexus tuos ; et collatione mutua vel doceremus aliqua, vel disceremus. *Post aliqua de libris Rufini, ante jam data, Epistolam ita concludit :* Memento mei, sancte et venerabilis papa. Vide, quantum te diligam, ut ne provocatus quidem voluerim respondere : nec credam tuum esse, quod in altero forte reprehenderem. Frater communis (*Paulinianus, quem etiam salutaverat Augustinus*) suppliciter te salutat. *Tota Epistola eo tendit, ne cogatur cum Augustino in certamen descendere.*

Petente iterum responsum Augustino, Hieronymus.

872 *Si novisset citius S. Augustinus, quantum ab illo certamine abhorreret* Hieronymus, *forte minus institisset ad extorquendum responsum. Verum ante acceptas hasce litteras, per alias rursus responsum petiit, sed illæ exciderunt. Interim magis intellexit* Hieronymus, *quibus in locis visa fuisset Epistola Augustini, ad quam responsum petebatur. Cum igitur ægre ferret, ejusmodi Epistolam adeo vulgatam fuisse, et ad se casu solum fortuito perlatam, omninoque viderentur insinuare, provocari se ab Augustino ad certamen, a quo abhorrebat, gravius expostulavit, salva tamen amicitia, per Epistolam* 105 (*alias* 92), *quam quasi ultimam adhibuit machinam, ne contra Augustinum scribere cogeretur. Fere totam subjicio :* Crebras ad me Epistolas dirigis, et sæpe compellas, ut respondeam cuidam Epistolæ tuæ, cujus ad me, ut ante jam scripsi, per fratrem Sisinnium diaconum exemplaria pervenerunt absque subscriptione tua : et quam primum per fratrem Profuturum, secundo per quemdam alium te misisse significas ; et interim Profuturum retractum de itinero, et episcopum constitutum, veloci morte subtractum : illum, cujus nomen retices, maris timuisse discrimina, et navigationis mutasse consilium. *De duabus Epistolis locutus erat Augustinus, quarum prima Profuturo quidem fuerat commissa, sed Augustino reddita : secunda Paulo commissa, quæ pervenit in Italiam, multisque locis prius lecta, tandem per Sisinnium ad* Hieronymum *delata est.* E

amice et libere expostulat de Epistola per Italiam sparsa.

873 *De hac autem subjungit :* Quæ quum ita sint, satis mirari nequeo, quomodo ipsa Epistola et Romæ et in Italia haberi a plerisque dicatur, et ad me solum non pervenerit, cui soli missa est ; præsertim quum idem frater Sisinnius inter cæteros tractatus tuos dixerit eam se non in Africa, non apud te, sed in insula Adriæ, ante hoc ferme quinquennium (*id est, anno* 398 *aut* 399) reperisse. *Hæc sane suspicionibus locum præbere poterant, nec etiamnum novimus, cujus infortunio aut perfidia istud contigerit. Novimus tamen, culpa caruisse S. Augustinum ; sed id ipsum certo nosse non poterat* Hieronymus; *qui singularem sancti Antistitis sinceritatem necdum poterat habere perspectam. Quare factum tam singulare certo rupisset amicitiam viri minus moderati et constantis, quam erat* Hieronymus, *qui subjungit :* De amicitia omnis tollenda suspicio est, et sic cum amico, quasi cum altero se est loquendum. Nonnulli familiares mei et vasa Christi, quorum Jerosolymis et in sanctis locis permagna copia est, suggerebant, non simplici animo a te factum, sed laudem atque rumusculos et gloriolam populi re- F quirente, ut de nobis cresceres ; ut multi cognoscerent, te provocare, me timere ; te scribere ut doctum, me tacere ut imperitum ; et tandem reperisse, qui garrulitati meæ silentium modumque imponeret. Ego autem, ut simpliciter fatear dignationi tuæ, primum idcirco respondere nolui, quia tuam liquido Epistolam non credebam, nec (ut vulgi de quibusdam proverbium est) litum melle gladium. Deinde illud cavebam, ne episcopo communionis meæ viderer procaciter respondere, et aliqua in reprehendentis Epistola reprehendere, præsertim quum quædam in illa hæretica judicarem. Ad extremum, ne tu jure expostulares, *nimirum si non fuisset Augustini Epistola, ut subdit.*

deterretque Augustinum a contentione,

874 *Pergit continuo deterrere Augustinum a disceptatione, quam fugiebat :* Igitur, ut ante jam scripsi, aut mitte eamdem Epistolam, tua subscriptam manu, aut Senem latitantem in cellula lacessere desine. Sin autem tuam vis vel exercere vel ostentare doctrinam, quære juvenes et disertos et nobiles, quorum Romæ dicuntur esse quamplurimi, qui possint et audeant tecum congredi, et in disputatione

disputatione sanctarum Scripturarum jugum cum episcopo ducere. Ego quondam miles, nunc veteranus, et tuas et aliorum debeo laudare victorias, non ipso rursus effœto corpore dimicare, ne, si me frequenter ad rescribendum impuleris, illius recorder historiæ, quod Hannibalem juveniliter exsultantem Q. Maximus patientia sua fregerit.

Omnia fert ætas, animum quoque : sæpe ego longos
Cantando puerum memini me ducere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina : vox quoque Mœrin
Jam fugit.

Et, ut magis de Scripturis sanctis loquar, Berzellai ille Galaadites regis David beneficia, omnesque delicias juveni delegans filio, ostendit senectutem hæc nec appetere debere, nec oblata suscipere. *Omnia hæc sunt detrectantis certamen, et deterrentis Augustinum, ne urgere pergat.*

875 *Tum pergit ad Epistolam, ex qua Romæ orta erat fama de scripto contra* Hieronymum *libro.* Quod autem juras, te adversum me librum nec scripsisse, nec Romam misisse, quem non scripseris; sed si forte aliqua in tuis litteris reperiantur, quæ a meo sensu discrepent, non me a te læsum; sed a te scriptum, quod tibi rectum videbatur: quæso, ut me patienter audias. Non scripsisti librum, et quomodo mihi reprehensionis a te meæ per alios scripta delata sunt? Cur habet Italia, quod tu non scripsisti? Qua ratione poscis, ut rescribam ad ea, quæ scripsisse te denegas? Non tam hebes sum, ut, si diversa senseris, me a te læsum putem. Sed si mea cominus dicta reprehendas, et rationem scriptorum expetas, et quæ scripserim, emendare compellas, et ad παλινῳδίαν provoces, et oculos mihi reddas, in hoc læditur amicitia, in hoc necessitudinis jura violantur. Ne videamur certare pueriliter, et fautoribus invicem vel detractoribus nostris tribuere materiam contendendi. Hæc scribo, quia te puro et Christiane diligere cupio, nec quidquam in mea mente retinere, quod distet a labiis. Non enim convenit, ut ab adolescentia usque ad hanc ætatem in monasteriolo cum sanctis fratribus labore desudans, aliquid contra episcopum communionis meæ scribere audeam; et eum episcopum, quem ante cœpi amare, quam nosse, qui me prior ad amicitias provocavit, quem post me orientem in Scripturarum divinarum eruditione lætatus sum. Igitur aut tuum negato librum, si forte non tuus est, et desine flagitare rescriptum ad ea, quæ non scripsisti : aut, si tuus est, ingenue confitere; ut si in defensionem meam aliqua scripsero, in te culpa sit, qui provocasti, non in me, qui respondere compulsus sum. *Eodem hæc tendunt, quo præcedentia, nimirum ut Augustinus desinat ad objectiones suas responsum exigere.*

876 *Cum autem ex prima Augustini impugnatione merito timere posset, ne contentiones orirentur, si quid in scriptis Augustini improbare vellet, præsertim cum eximiam Augustini humilitatem caritatemque minus etiam tum nosse posset, ac forsan vereretur, ne alterum inveniret Rufinum; ad oblatam eorumdem censuram ita respondet :* Addis præterea, te paratum esse, ut, si quid me in tuis scriptis moverit, et corrigere voluero, fraterne accipias, et non solum mea in te benevolentia gavisurum . sed, ut hoc ipsum faciam, deprecaris. Rursum dico, quod sentio : provocas senem, tacentem stimulas; videris jactare doctrinam. Non est autem ætatis meæ putari malevolum erga eum, cui magis favorem debeo. Et, si in Evangeliis ac Prophetis perversi homines inveniunt, quod nitantur reprehendere, miraris, si in tuis libris, et maxime in Scripturarum expositione, quæ vel obscurissime sunt, quædam a recta linea discrepare videantur? Et hoc dico, non quod in Operibus tuis quædam reprehendenda jam censeam : neque enim lectioni eorum umquam operam dedi, nec horum exemplariorum apud nos copia est, præter Soliloquiorum tuorum libros, et quosdam Commentarios in Psalmos, quos si vellem discutere, non dicam a me, qui nihil sum, sed a veterum græcorum docerem interpretationibus discrepare. Vale, mi amice carissime, ætate fili, dignitate parens, et hoc a me rogatus observa, ut, quidquid mihi scripseris, ad me primum facias pervenire. *Ita* Hieronymus, *omni modo Augustinum abducere studens ab exigendo responso : nam eo unice diriguntur, si qua acriora videantur in hac Epistola.*

877 *Diversæ admodum hac in parte erant Augustini et* Hieronymi *sententiæ. Voluisset Augustinus libere* Hieronymum *corrigere, eademque libertate ab eo corrigi. At noverat* Hieronymus, *ejusmodi libertate passim multas oriri contentiones, occasionesque scandalorum generari, tempus, quod utilioribus impendi potest, sic minus sultem utiliter, ac subinde perniciose consumi. Itaque non dubito S.* Hieronymi *sententiæ subscribere, qui per sex aut septem annos certavit, ne serium certamen suscipere cogeretur, aut se defendere contra oppugnantem Augustinum, primum unice silendo, deinde incommoda istius disputationis explicando, ac demum partim amicis monitis, partim candidis reprehensionibus deterrendo, sic tamen, ut vel in ipsis verborum aculeis paternam benevolentiam erga juniorem, magnamque in eruditum episcopum observantiam exhibeat. Augustinus ipse, opinor, non ursisset* Hieronymum *ad respondendum, si res integra fuisset, postquam hanc et priorem* Hieronymi *Epistolam acceperat. Certe utcumque litteris illis perculsus est, maxime posterioribus, ut dicam inferius : viditque in Epistola* 110 *inter Hieronymianas num.* 9, *magis expedire, ut consulatur caritati, quam scientiæ cum caritatis periculo.*

878 *Verum ante perlatas* Hieronymi *litteras, jam dederat S. Augustinus Epistolam* 104 *(alias 88), qua iterum urgebat* Hieronymum *ad respondendum, et simul tres præcedentes suas Epistolas mittebat, ut responsum securius impetraret. Ex initio Epistolæ liquet, quantopere istud responsum desideraret.* Ex quo cœpi ad te scribere, *inquit,* ac tua scripta desiderare, numquam mihi melior occurrit occasio, quam ut per Dei servum et ministrum fidelissimum, mihique carissimum, mea tibi afferretur Epistola, qualis est filius noster Cyprianus diaconus. Per hunc certe ita spero litteras tuas, ut certius in hoc rerum genere quidquam sperare non possim. Nam nec studium in petendis rescriptis memorato filio nostro deerit, nec gratia in promerendis, nec diligentia in custodiendis, nec alacritas in perferendis, nec fides in reddendis. Tantum, si aliquo modo merear, adjuvet Dominus, et adsit cordi tuo, et desiderio meo, ut fraternam voluntatem nulla major voluntas impediat. Quia ergo duas jam Epistolas misi, nullam autem tuam postea recepi, easdem ipsas rursum mittere volui, credens eas non pervenisse. Quæ etsi pervenerunt, ac fortasse tuæ potius ad me minime pervenire potuerunt,

Hieronymi aculeos ejus candide improbans, certamenque cum eo, et examen scriptorum ejus detrectans.

ne cum episcopo catholico contendere cogeretur.

Cum vero Augustinus, necdum visis Hieronymi litteris et suas

A runt, ea ipsa scripta, quæ jam misisti, iterum mitte, si forte reservata sunt. Sin minus, rursus dicta, quod legam, dum tamen his respondere ne graveris, quod jam diu est ut exspecto. *Addit, se etiam mittere primas litteras, quas presbyter scripserat ad impugnandam Hieronymi sententiam de Petro reprehenso.*

præcedentes mitteret, et responsum rursum peteret.

879 *Itaque quatuor simul Augustini Epistolas ad* Hieronymum *ferebat Cyprianus, quibus ad objectiones prorsus cogebatur respondere. Primam ex his nunquam viderat* Hieronymus, *quia scripta quidem fuerat, ut dictum est num.* 861, *sed non missa. Secundam habuerat ab aliquot annis, sed eam Augustini esse certo credere noluerat, quod subscripta non esset ab ipso, utpote quæ in Italiam delata fuerat, et cujus tantum habebat exemplar. Hæ duæ acriter impugnabant* Hieronymi *sententiam. Tertia tantum erat scripta ad responsum obtinendum, et ad hanc responderat, uti et ad aliam, quæ perdita est, per duas Epistolas mox recitatas. Quarta iterum exigebat responsum, ac præterea disserebat contra Translationem sacræ Scripturæ ex Hebraico, uti et prima. At de his suo loco actum est. Id unum observo, laborem illum utilissimum* B *tunc Augustino displicuisse, sed mire postmodum placuisse.*

Hieronymus tandem per Epistolam longam

880 *Circa annum* 405 *illæ ad* Hieronymum *pervenerunt, et hic non diu post respondit. Certo post medium anni* 404 *conscripta est* Hieronymi *Epistola* 112 *(alias 89) qua ad tres S. Augustini Epistolas respondit: nam inter scriptores, quos pro sua opinione allegat, num.* 6 *Chrysostomum; circa medium anni* 404 *abductum in exsilium, ita laudat :* Quid dicam de Joanne, qui dudum in pontificali gradu Constantinopolitanam rexit ecclesiam, et propria super hoc capitulo latissimum exaravit librum, in quo Origenis et veterum sententiam est secutus. *Ita de eo loqui* Hieronymus *poterat post medium anni* 404, *et anno* 405, *aut etiam serius. At nulla est ratio Epistolam figendi post annum alterutrum. Videamus nunc, quo se modo gesserit* Hieronymus *in disputatione contra Augustinum, quam nec dissimulando silendoque per annos aliquot ad Epistolam contra se sparsam per Italiam, nec in duabus Epistolis certamen satis aperte detrectando, nec ullis rationibus, quas in illis Epistolis protulerat, potuerat evitare; quod S. Augustinus perrexisset semper enm urgere ad* C *respondendum, suasque Epistolas iterum misisset, priusquam litteras* Hieronymi, *certamen detrectantis, acceperat.*

ad tres Epistolas, quibus impugnabatur, sic respondit,

881 *Fortasse nesciebat Augustinus, Epistolam suam non fuisse perlatam ad* Hieronymum, *sed vulgatam in Italia. At certe ignorabat* Hieronymus, *an factum istud, de se insolens, sine Augustini culpa contigisset. Quare mirandum non esset, si acrius respondisset* Hieronymus, *invitus ad pugnam progressus, et quasi obtorto collo in arenam protractus. Epistolam suam sic orditur :* Tres simul Epistolas, immo libellos breves per diaconum Cyprianum tuæ dignationis accepi, diversas, ut tu nominas, quæstiones, ut ego sentio, reprehensiones Opusculorum meorum continentes. Ad quas si respondere voluero, libri magnitudine opus erit. Tamen conabor, quantum facere possum, modum non egredi longioris Epistolæ, et festinanti fratri moram non facere : qui ante triduum quam profecturus erat, a me Epistolas flagitavit, ut pene in procinctu hæc, qualiacumque sunt, effutire compellerer; et tumultuario respondere sermone *etc. Tantum tres memorat* Epistolas, *quia unam ex quatuor ante habuerat, et ad eam responderat.*

AUCTORE J. S.

ut amicitiæ studuerit consulere.

882 *Et mox num.* 2 *ait*, Nostra armatura Christus est, et apostoli Pauli institutio. *Tum vertens se ad Augustinum, quam bene de ipso sentiat, his verbis declarat :* Te quoque hoc ipsum orare non dubito, ut inter nos contendentes veritas superet. Non enim tuam quæris gloriam, sed Christi, Quumque tu viceris, et ego vincam, si meum errorem intellexero : et e contrario, me vincente, tu superas, quia non filii parentibus, sed parentes filiis thesaurizant. Et in Paralipomenon libru legimus, quod filii Israel ad pugnandum processerint mente pacifica, inter ipsos quoque gladios et effusiones sanguinis et cadavera prostratorum non suam, sed pacis victoriam cogitantes. Respondeamus igitur ad omnia, ac multiplices quæstiones, si Christus jusserit, brevi sermone solvamus. Prætermitto salutationis officia, quibus meum demulces caput : taceo de blanditiis, quibus reprehensionem mei niteris consolari. Ad ipsas causas veniam. *Post hæc, quæ sane benignissima sunt ac piissima, respondet ad ea, quæ interrogaverat Augustinus super libro de Viris illustribus.* E

objectiones ejus modeste refutare,

883 *Deinde num.* 4 *procedit ad controversiam de Petro reprehenso, referensque compendiose verba Augustini, quid sibi in iis præcipue displiceret, innuit hoc modo :* Et asseris,... me non debere docere mendacium, sed universa, quæ scripta sunt, ita sonare, ut scripta sunt. *Tum pergit ad sententiam suam defendendam, primum auctoritate veterum, tum rationibus theologicis, objectionemque de patrocinio mendacii modestissime num.* 11 *diluit his verbis :* Ego, immo alii ante me exposuerunt causam, quam putaverant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu scribis, sed ostendentes honestam dispensationem *etc. Deinde pergit ad impugnanda vicissim aliqua S. Augustini asserta, de quibus ait :* Hoc si verum est, in Cerinthi et Ebionis hæresim delabimur *etc., sed eam consecutionem solum ex assertis Augustini prolixa disputatione eruere nititur. Subjungit vero num.* 18 : Quæso igitur te, et iterum atque iterum obsecro, ut ignoscas disputatiunculæ meæ : et quod modum meum egressus sum, tibi imputes, qui coegisti, ut rescriberem, et mihi cum Stesichoro oculos abstulisti. Neque me putes magistrum esse mendacii, qui sequor Christum F dicentem : « Ego sum via, veritas et vita. » Nec potest fieri, ut veritatis cultor mendacio colla submittam.

cumque deinde a simili pugna deterrere.

884 Neque mihi imperitorum plebeculam concites, qui te venerantur ut episcopum, et in ecclesia declamantem sacerdotii honoro suspiciunt : me autem ætatis ultimæ et pene decrepitum ac monasterii et ruris secreta sectantem parvipendunt. Et quæras tibi, quos doceas, sive reprehendas. Ad nos enim, tantis maris atque terrarum spatiis a te divisos, vix vocis tuæ sonus pervenit. Et, si forsitan litteras scripseris, ante eas Italia ac Roma suscipient, quam ad me, cui mittendæ sunt, deferantur. *Post hæc num.* 19 *respondet* Hieronymus *ad ea, quæ disseruerat Augustinus contra consilium ipsius de Transferendo Veteri Testamento Hebraico, totamque Epistolam claudit his verbis :* Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem Senem olimque veteranum militare non cogas, et rursum de vita periclitari. Tu, qui juvenis es et in pontificali culmine constitutus, doceto populos et novis Africæ frugibus Romana tecta

tecta locupletato. Mihi sufficit cum auditore et lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare. *Ita semel ad objectiones Augustini modestissime, certe pro rerum personarumque adjunctis, respondit* Hieronymus, *nec ullis deinde machinis aut ad ulterius responsum, aut ad propositas ab Augustino quæstiones examinandum, induci potuit.*

Augustinus studet Hieronymum alia Epistola placare:

885 *Interim S. Augustinus, accepta* Hieronymi *Epistola* 102, *in qua aliquid offensionis adverterat, et ex qua didicerat, Epistolam suam oppugnantem aliunde ad* Hieronymum *pervenisse, multum curæ adhibuit ad eumdem placandum per Epistolam* 110 *inter Hieronymianas, olim* 93, *quæ eodem fere tempore, quo postrema* Hieronymi *data fuit, videtur conscripta. Multa sane illa commendat caritatem humilitatemqueS. Augustini, ad cujus vitam plura de illa sunt dicta. Paucis hic solum observo, Augustinum se offerre et subjicere correctioni* Hieronymi, *imo illam multis verbis flagitare. Fatetur quoque, suas fuisse litteras, quas improbabat* Hieronymus, *subditque:* Cur itaque conor contra fluminis tractum, ac non potius veniam peto? Obsecro ergo te per B mansuetudinem Christi, ut, si te læsi, dimittas mihi, nec me vicissim lædendo, malum pro malo reddas. Lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in scriptis vel in dictis meis. *Ita per totam Epistolam pergit mutuam censuram desiderare Augustinus. At ejusmodi licentiæ incommoda timebat* Hieronymus, *nec illam sumere umquam deinde voluit. Dictam Epistolam S. Augustinus videtur misisse ad Præsidium, ut ab eo videretur, et sic mitteretur ad* Hieronymum. *Hoc colligitur ex Epistola Augustini ad Præsidium inter Hieronymianas* 111 (*alias* 95), *nisi forte prolixior, de qua mox, ad Præsidium missa fuerit.*

Ille vero amicissime ad Augustinum scribit, nolens disputare.

886 *At nec opera Præsidii egebat S. Augustinus, ut amicum haberet* Hieronymum, *nec sexcentorum amicorum patrocinio impetrasset, opinor, ut censorem haberet scriptorum suorum; quod diu frustra desideravit. Sinceram* Hieronymi *voluntatem abunde testatur Epistola* 115 (*alias* 96), *quæ data videtur non diu post prædictam Augustini, forsan anno* 405, *et cujus præcipuam partem subjungo:* Quum a sancto fratre nostro Firmo sollicite quærerem, quid ageres, sospitem te lætus C audivi. Rursum, quum tuas litteras non dico sperarem, sed exigerem, nesciente te, ex Africa profectum se esse dixit. Itaque reddo tibi per eum salutationis officia, qui te unico amore complectitur, simulque obsecro, ut ignoscas pudori meo, quod diu, ut rescriberem, præcipienti negare non potui. Nec ego tibi, sed causa causæ respondit. Et, si culpa est respondisse, quæso, ut patienter audias, multo major est provocasse. Sed facessant istiusmodi querimoniæ: sit inter nos pura germanitas: et deinceps non quæstionum, sed caritatis ad nos scripta mittamus. *Post multas salutationes in fine addit:* In Scripturarum, si placet, campo sine nostro invicem dolore ludamus.

Augustinus prolixa Epistola Hieronymo

886 *Has* Hieronymi *litteras jam acceperat Augustinus, quando longissimam scripsit Epistolam, inter Hieronymianas* 116 (*alias* 97), *respondens ad tres ultimas* Hieronymi. *Satis mihi erit pauca observare de prolixa hac Epistola, quia magis spectat ad Augustinum, quam ad S.* Hieronymum, *qui ad eam numquam respondit. Primo ait, ultimam* Hieronymi *Epistolam ad se perlatam, ex eaque, utpote hilariori, sperare veniam sibi, quam petierat, ab* Hieronymo *concessam.* D *Secundo instat, ut* Hieronymus *velit serio secum de Scripturis agere ea libertate, ut alter in altero libere reprehenderet, quod displiceret. At hoc ipsum maxime nolebat* Hieronymus *propter incommoda inde oriri nata. Tertio num.* 4 *rursum incipit prolixe disputare contra sententiam* Hieronymi *de Petro reprehenso, et ad ejus Epistolam apologeticam respondere, subinde etiam immiscens quædam ex prima e tribus* Hieronymi *Epistola; defendensque etiam libertatem in amicorum erroribus reprehendendis. Quarto errorem Epistolæ, non ad* Hieronymum, *sed in Italiam, se invito, perlatæ a num.* 32 *excusat, culpamque omnem illius facti a se removet, addens hæc verba:* Quo autem modo id acciderit, et longum est enarrare, et, nisi fallor, superfluum; quum sufficiat, si quid mihi in hoc creditur, non eo factum animo, quo putatur: nec omnino meæ fuisse voluntatis, aut dispositionis, aut consensionis, aut saltem cogitationis, ut fieret.

partim satisfacere conatur, partim sententiam ejus impugnat.

887 *Quinto duriora in* Hieronymum *dicta num.* 33 *utcumque emollit, et excusat hoc modo:* Adversus te non arbitrabar, quod sinceritate amicitiæ, sive ad monendum, sive ad te vel me abs te corrigendum fecisse me noveram. Exceptis E autem familiaribus tuis, teipsum obsecro per gratiam, qua redempti sumus, ut, quæcumque tua bona, quæ Domini bonitate tibi concessa sunt, in litteris meis posui, non me existimes insidioso blandiloquio posuisse. Si quid autem in te peccavi, dimittas mihi. Nec illud, quod de nescio cujus poetæ facto, ineptius fortasse quam litteratius, a me commemoratum est, amplius, quam dixi, ad te trahas; quum continuo subjecerim, non hoc ideo me dixisse, ut oculos cordis reciperes, quos absit umquam ut amiseris; sed ut adverteres, quos sanos ac vigiles haberes. Propter solam ergo παλινῳδίαν... imitandam, non propter Stesichori cæcitatem, quam cordi tuo nec tribui nec timui, attingendum illud existimavi. Atque identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus, presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio. *Ita per totam Epistolam defendit Augustinus li-* F *bertatem in corrigendis amicis; nec ullibi insinuat, censuram sententiæ Hieronymianæ sibi displicere, sed illam potius totis viribus conatur defendere et confirmare.*

cupiens semper mutuam scriptorum censuram:

888 *Sexto ait, sibi jam persuasum de utilitate vertendi Scripturas ex Hebraico, aliaque de Translationibus* Hieronymi *disserit, jam ante memorata. Totam vero Epistolam concludit hoc modo:* Satis me, immo fortasse plus quam satis, tribus Epistolis tuis respondisse arbitror: quarum duas per Cyprianum accepi, unam per Firmum. Rescribe, quod visum fuerit ad nos vel alios instruendos. Dabo autem operam diligentiorem, quantum me adjuvat Dominus, ut litteræ, quas ad te scribo, prius ad te perveniant, quam ad quemquam, a quo latius dispergantur. Fateor enim, nec mihi hoc fieri velle de tuis ad me, quod de meis ad te factum justissime expostulas. Tamen placeat nobis invicem non tantum caritas, verum etiam libertas amicitiæ: nec apud me taceas, vel ego apud te, quod in nostris Litteris vicissim nos movet, eo scilicet animo, qui oculis Dei in fraterna dilectione non displicet. Quod

A Quod si inter nos fieri posse sine ipsius dilectionis perniciosa offensione non putas; non fiat. Illa enim caritas, quam tecum habere velim, profecto major est; sed melius hæc minor, quam nulla est. *Hæc mentem S. Augustini, uti et Epistola tota, abunde explicant. Volebat, ut alter alterius Opera libere reprehenderet, si alteruter in iis quid invenisset reprehensione dignum, prout cœperat opinionem* S. Hieronymi *acriter perstringendo.*

sed eam non probavit Hieronymus.

889 *Verum* S. Hieronymus *eatenus quidem sententiæ S. Augustini consentiebat, ut crederet et vellet, liberum sibi esse in dubiis ab aliorum, etiam Catholicorum, opinionibus recedere, et in tempore ac loco suas fidenter adstruere; sed non existimabat, amicorum esse singularia id genus certamina suscipere, cum propter opinionum diversitatem amicitia in ejusmodi pugnis difficulter servetur illæsa. Nam ubi alter advertit alterum suis rationibus non acquiescere, facile existimat, eum suæ opinionis justo tenaciorem esse. Præterea spectatores ejusmodi certaminum non eadem omnes ornati sunt caritate et moderatione, qua erant Augustinus et* Hieronymus. *Cum itaque in alterutram partem concedunt, contrariam maledictis* B *et calumniis non raro lacerant; alii utrumque pugilem, ut invidia odiove in arenam progressum, non dubitabant condemnare. Demum, quando agitur de rebus obscuris et dubiis, de quibus fere inter eruditos controversiæ oriuntur, multo plus in similibus disputationibus temporis consumitur, quam ex iis hauriatur utilitatis. Hæc fere incommoda S. Augustino in variis Epistolis objecit* Hieronymus; *sed suas mira caritate in hac Epistola rationes opposuit Augustinus, pulcherrimam quidem perfectæ caritatis ideam exhibentes, sed quam humanæ infirmitati minus accommodatam existimabat* Hieronymus.

qui nihil ulterius respondit.

890 *Quare* Hieronymus *nihil ulterius S. Augustino videtur respondisse, quamvis a sua sententia tunc saltem non recesserit. Maluit silendo, opinior, impetrare, ne progrederetur Augustinus, quam rationibus contra amicum ulterius insistere. Forsan et morbus, quo laborare cœpit anno 405, ut videbimus, et qui Sanctum diutissime decumbere coegit, impedimento fuit, quo minus amicas Augustino Epistolas miserit. Quidquid fuerit causæ, ad annos non paucos nulla invenitur* Hieronymi C *ad Augustinum Epistola, nec Augustini ad* Hieronymum. *Verumtamen ejusdem sententiæ adhuc erat* Hieronymus, *quando post aliquot annos scribebat in Isaiam. Nam sub finem lib. 14 clare brevibus verbis eorum impugnat sententiam,* qui dispensatoriam inter Petrum et Paulum contentionem, vere dicunt jurgium fuisse atque certamen. *Credidit postea Augustinus,* Hieronymum *a sua recessisse opinione, idque indicavit in Epistola* 180 (*alias* 260) *ad Oceanum, laudans pro se Dialogum contra Pelagianos ab* Hieronymo *scriptum. Dubito tamen, an id certum fieri possit.*

nec tamen videtur mutasse sententiam.

891 *Non adducit* Hieronymi *verba Augustinus; sed procul dubio respexit ad illa laudati Dialogi lib.* 1, *num.* 22 : Vult certe Deus tales esse episcopos sive presbyteros, quales Vas electionis docet. Primum quod dixit irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus est. Quis est enim, qui non quasi in pulcro corpore aut nævum aut verrucam habeat? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quod non recto pede incesserit in Euangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit, ut et Barnabas adductus sit in eamdem simulationem; quis indignabitur, id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit? *Ex hisce, inquam, verbis credidit S. Augustinus, mutatam ab* Hieronymo *sententiam. At* Hieronymus *diu ante eorum disputationes simile quid dixit in Epistolam ad Philemonem ad ℣ 8 et 9. Nam de S. Paulo ait:* Qui quondam Petrum increpaverat, non recto pede in Euangelii veritate gradientem. *Hoc certe tempore non mutaverat sententiam, cum paulo post scripserit in Epistolam ad Galatas, at ex priori loco nequeam inferre, sententiam ab* Hieronymo *mutatam: neque enim umquam negavit, reprehensibilem fuisse Petrum, ut priori loco additur, cum hoc dicatur a S. Paulo. Quapropter non video, ex allegatis verbis recte deduci, mutasse* S. Hieronymum *priorem suam sententiam. Quin imo lis tota etiam ad nostra usque tempora mansit indecisa, et plerique interpretes nec Augustinum presse sequuntur, nec* Hieronymum. *Verum de his satis.*

AUCTORE J. S.

§ LI. Epistola ad matrem et filiam, altera ad Julianum: morbus diuturnus Sancti, cujus tempore data Epistola ad Ruffinum, figenda anno 406. E

Epistola ad Matrem et Filiam, anno incerto,

Recensui Epistolas S. Hieronymi *usque ad annum 404 aut 405, exceptis tamen duabus, quæ circa illud tempus late sumptum datæ sunt, sed anno certo illigari nequeunt. Prima ex his est Epistola* 117 (*alias* 47) *ad Matrem et Filiam, commorantes in Gallia in eadem urbe, sed in ædibus diversis. Noluit* S. Hieronymus, *personas illas, ut earum honori parceret, quantum posset, lectoribus Epistolæ propius notas facere, imo et Epistolam ipsam voluit occultam servari. Attamen hæc deinde innotuit, fortasse quod pluribus prodesse posset, quæ ad correctionem duarum erat composita. Hinc, quod passim ignotum esset in Gallia, ad quas scripsisset Sanctus, dixerunt aliqui, personas esse fictitias, ut declarat* Hieronymus *lib. contra Vigilantium num.* 3 *ita scribens :* Sed jam tempus est, ut ipsius verba ponentes ad singula respondere nitamur. Fieri enim potest, ut rursum malignus interpres dicat, fictam a me materiam, cui rhetorica declamatione respondeam; F sicut illam, quam scripsi ad Gallias matris et filiæ inter se discordantium. *Hæc anno 406 ad finem vergente scripsit Sanctus; indeque colligit Vallarsius, Epistolam non diu ante datam esse, nimirum anno 404 aut 405. At hæc conjectura admodum est incerta: Epistola enim aliquot annis occulta servari potuit ab iis, in quarum gratiam erat scripta, ac deinde vulgari, ut prodesset omnibus. Quare unice dicendum videtur, non esse scriptam post annum 404 aut 405, sed fortasse aliquot annis citius, postquam fama* S. Hieronymi *inclaruerat in Gallia, ipseque multos composuerat libros, et certe dum habitabat in Bethleem.*

rogante illarum filio et fratre.

893 *Occasionem scribendi et argumentum totius Epistolæ exponit Sanctus in Præfatione, quam subjungo:* Retulit mihi quidam frater e Gallia, se habere sororem virginem, matremque viduam, quæ in eadem urbe divisis habitarent cellulis; et vel ob hospitii solitudinem, vel ob custodiendas facultatulas, præsules sibi quosdam clericos assumpsissent, ut majore dedecoro jungerentur alienis, quam a se fuerant separatæ.

Quumque

AUCTORE ? S.

Quumque ego ingemiscerem, et multo plura tacenda quam loquendo significarem: Quæsu te, inquit, corripias eas litteris tuis, et ad concordiam revoces, ut mater filiam, et filia matrem agnoscat. Cui ego, Optimam, inquam, mihi injungis provinciam, ut alienus conciliem, quas filius fraterque non potuit. Quasi vero episcopalem cathedram teneam, et non clausus cellula, ac procul a turbis remotus, vel præterita plangam vitia, vel vitare nitar præsentia. Sed et incongruum est latere corpore, et lingua per totum orbem vagari. Et ille, Nimium, ait, formidolosus est. Ubi illa quondam constantia, in qua multo sale orbem defricans, Lucillianum quippiam retulisti? Hoc est, aio, quod me fugat, et labra dividere non sinit. Postquam enim arguendo crimina factus sum criminosus, et juxta tritum vulgi sermone proverbium. Jurgantibus et negantibus cunctis, nec aures me credo habere nec tactum: ipsique parietes in me maledicta resonarunt; et in me psallebant, qui bibebant vinum *(de calumniis anno 385 Romæ sparsis videtur loqui)* coactus malo, tacere didici, rectius esse arbitrans, ponere custodiam ori meo, et ostium munitum B labiis meis, quam declinare cor meum in verba malitiæ; et, dum carpo vitia, in vitium detractionis incurrere.

ad eas conciliandas et amovenda scandala,

894 Quod quum dixissem; Non est, inquit, detrahere, verum dicere: nec privata correptio generalem facit doctrinam; quum aut rarus aut nullus sit, qui sub hujus culpæ reatum cadat. Quæso ergo te, ne me tanto itinere vexatum, frustra venire patiaris. Scit enim Dominus, quod post visionem sanctorum Locorum hanc vel maxime causam habui, ut cum tuis litteris sorori mederer ac matri. Et ego, Jamjam, inquam, quod vis, faciam: nam et Epistolæ transmarinæ sunt, et specialiter sermo dictatus raro potest invenire, quos mordeat. Te autem obsecro, ut clam sermonem hunc habeas. Quumque portaveris eum pro viatico, si auditus fuerit, lætemur pariter; si autem contemptus fuerit, quod et magis reor; ego verba perdiderim, tu itineris longitudinem. *Ita præfatus* Hieronymus, *mox sermonem ad matrem simul filiamque breviter dirigit, deinde filiam solam,* quæ annos nata viginti quinque, *ut dicitur num.* 10, *habitabat cum juveni clerico lectore, separata a matre et a fra-* C *tre, prolixo sermone alloquitur, ut eam inducat ad habitandum cum matre aut cum fratre, et a clerico illo se separandum, pericula scandalaque istius cohabitationis exponens: demum cum sola matre brevius agit, ut se non præbeat difficilem ad ignoscendum filiæ, et cum ea et cum filio habitandum.*

velociter a Sancto dictata.

895 *Qualis sit Epistola, exponit in fine his verbis:* Hæc ad brevem lucubratiunculam celeri sermone dictavi, volens desiderio postulantis satisfacere, et quasi ad scholasticam materiam me exercens. Eadem enim die mane pulsabat ostium, qui profecturus erat. Simulque ut ostenderem obtrectatoribus meis, quod et ego possim, quidquid venerit in buccam, dicere. Unde et de Scripturis pauca perstrinxi; nec orationem meam, ut in cæteris libris facere solitus sum, illarum floribus texui. Extemporalis est dictatio, et tanta ad lumen lucernulæ facilitate profusa, ut notariorum manus lingua præcurreret; et signa ac furta verborum volubilitas sermonum obrueret. Quod idcirco dixi, ut, qui non ignoscit ingenio, ignoscat vel tempori. *Hæc sufficiant de illa Epistola, quam ad sæculum* 5 *certa referre non ausim, cum aliquot annis ante finem quarti ita scribi potuerit.* D

Julianum, brevi tempore multa damna passum, consolatur,

896 *Epistola* 118 (*alias* 34) *ad Julianum anni etiam est incerti, quamvis ad annum* 406 *referatur a Vallarsio. Erat Julianus vir nobilis et dives,* Hieronymo *a multo tempore natus, videturque habitasse in Dalmatia, cum dicatur num.* 5 *multos sustentare monachos* per insulas Dalmatiæ. *Multa ille brevi tempore passus erat adversa, quæ num.* 2 Hieronymus *ita enumerat:* Audio te in brevi tempore duas virgunculas filias (*alteram sex, alteram octo annorum, intra viginti dies defunctas, ut dicitur num.* 6) junctis pene extulisse funeribus, et pudicissimam ac fidissimam conjugem tuam Faustinam, immo fidei calore germanam, in qua sola post amissos liberos requiescebas, subita tibi dormitione subtractam:... consequuta rei familiaris damna, vastationem totius barbaro hoste provinciæ, et in communi depopulatione privatas possessionum tuarum ruinas, abactos armentorum ac pecorum greges, vinctos occisosque servulos; et in unica filia, quam tibi tam crebræ orbitates fecerant cariorem, electum nobilissimum generum, ex quo, ut omnia E taceam, plus mœroris, quam gaudii, suscepisti. *Horum omnium causa Julianum consolatur* Hieronymus: *sed ita consolatur, ut multo pluribus eum hortetur ad contemptum mundi, et ad vitam monasticam amplectendam. Laudat Juliani in pauperes et in monachos liberalitatem, sed ad majora excitat,* quod, *inquit num.* 6, te nolim inter sæculares esse monachum, et inter monachos sæcularem: totumque a te expetam, cujus audio mentem divino cultui deditam.

eumque hortatur ad vitam monasticam.

897 *Inter alias rationes, quibus Julianum ad vitam monasticam inducere studet, eidem num.* 5 *proponit exemplum SS. Pammachii et Paulini, qui et nuptiis, ut ille, illigati fuerant, divitiisque et nobilitate ornati.* Nec est, *inquit,* quod excuses nobilitatem et divitiarum pondera. Respice sanctum virum Pammachium, et ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum divitias, sed se ipsos Domino obtulerunt: qui contra diaboli tergiversationem, nequaquam pellem pro pelle, sed carnes et ossa et animas suas Domino consecrarunt: qui te et exemplo et eloquio, id est, et opere et lingua, possunt ad majora perducere. Nobilis es, et illi, sed in Christo nobiliores: dives et honoratus; et illi, immo ex divitibus et honoratis pauperes et inglorii: et idcirco ditiores et magis inclyti, quia pro Christo pauperes et inhonorati. F *Ex hisce liquet, Epistolam esse scriptam, postquam innotuerat* S. Hieronymo, *vitam monasticam a Pammachio et Paulina fuisse electam. Certum igitur est, scriptam non esse ante annum* 398, *cum Epistola* 66, *qua* Hieronymus *Pammachium super obitu uxoris consolatur, et ad amplectendam vitam monasticam similiter hortatur, data sit sub finem anni* 397, *ut probatum est num.* 587 *et seq. Igitur vita monastica Pammachii non innotuit* Hieronymo *ante annum* 398, *et consequenter ante hunc annum Epistola non est data, sed verisimiliter aliquot annis serius, postquam celebris evaserat Pammachius pietate et vita monastica. S. Paulinus, qui* presbyter *vocatur, a plerisque ad episcopatum evectus creditur anno* 409. *Quapropter Epistola inter annum* 398 *et* 409 *figenda est anno aliquo incerto. Nam quod Vallarsius ob vastationem provinciæ credat, datum anno* 406, *omnino incertum mihi apparet, cum Gothi*

A *Gothi provincias Italiæ vicinas sæpius vastaverint iis temporibus, et non tantum Gothi, sed et alii barbari.*

Epistola celerrime dictata.

898 *Qua occasione, quantaque velocitate Epistolam hanc dictaverit* S. Hieronymus, *explicat initio, ita ordiens :* Filius meus, frater tuus, Ausonius in ipso jam profectionis articulo, quum mihi præsentiam sui tarde dedisset, et cito abstulisset ; atque in puncto temporis salve pariter valeque dixisset ; vacuum se redire arbitratus est, nisi mearum aliquid ad te nugarum tumultuario sermone portaret. Jam dimisso synthemate equus publicus sternebatur, et nobilem juvenem, punicea indutum tunica, baltheus ambiebat : et tamen ille apposito notario cogebat loqui, quæ velociter edita velox consequeretur manus, et linguæ celeritatem prætenderent signa verborum. Itaque non scribentis diligentia, sed dictantis temeritate, longum ad te silentium. rumpo, offerens tibi nudam officii voluntatem. Extemporalis est Epistola absque ordine sensuum, sine lenocinio et compositione verborum, ut totum in illa amicum, nihil de oratore reperias. *In fine rursum hæc habet :* Oblitus propositi et epistolaris B brevitatis, plura dicere cupiebam : ad materiæ quippe dignitatem, et ad meritum personæ tuæ, parum est omne, quod dicitur ; et ecce tibi noster Ausonius cœpit schedulas flagitare, urgere notarios, et hinnitu ferventis equi, ingenioli mei festinus arguere tarditatem. Memento igitur nostri, et cura, ut in Christo valeas, *etc. Ex hisce colligere licet, prolixæ huic epistolæ non integram fortasse horam impendisse* Hieronymum. *Elegans tamen est et erudita ; nec magis caret eloquentia oratoris, quam libertate amici, amicum ad optima instigantis.*

Epistola ad Riparium contra Vigilantium.

899 *Anno 404 ad finem decurrente, aut sub initium sequentis data est Epistola* 109 (*alias* 53) *ad Riparium presbyterum, qua prælusit* Hieronymus *libro contra Vigilantium scripto. Hic enim liber, ut suo loco ostendam, certo scriptus est sub finem anni 406; in eo autem num.* 10 *de Epistola sic meminit :* De vigiliis et pernoctationibus in basilicis martyrum sæpe celebrandis in altera Epistula, quam ante hoc ferme biennium sancto Ripario presbytero scripseram, respondi breviter. *Si per* ferme biennium *intelligat annum et sex, septem aut octo menses, ut satis verisimile est,* C *data est Epistola ad Riparium anno 405 circa initium veris; si vero biennium completum* aut fere completum ; *scripta illa fuerit sub finem anni 404. Plura de illa Epistola dabo* § 52, *ubi agam de libro contra Vigilantium, quem cum aliis dictavit Sanctus post gravem ac diuturnum morbum.*

Epistola ad Ruffinum, a synonymis distinguendum.

900 *Hujus morbi tempore, quantum ex collatione gestorum et scriptorum* S. Hieronymi *colligere potui, in lectulo dictavit Sanctus Epistolam* 74 (*alias* 131) *ad Ruffinum presbyterum, a Rufino Aquileiensi, et ab altero etiam, quem ex Palæstina anno* 399 *in Italiam profectum vidimus, omnino distinguendum. Ruffinus ille novus erat* S. Hieronymi *amicus, dum Sanctus ad eum scripsit, quia pro ratione etiam in lecto dictandi allegat, quod noluerit negare* in principio amicitiarum aliquid imperanti. *At nec Rufinus Aquileiensis erat novus amicus; nec alter ille Rufinus, quem ex Syria in Italiam misit* Hieronymus *diu ante scriptam ex nostra chronotaxi hanc Epistolam. Aliorum chronotaxis, qui Epistolam fixerant anno* 398, *nihilo magis prodesse posset ad credendum, Rufino Syro hanc fuisse scriptam : nam eo tempore Rufinus ille videtur cum* Hieronymo *fuisse. Fortasse Romanus erat presbyter, ad quem scribit* Hieronymus : *nam testatur Vallarsius, in pluribus Mss. titulum Epistolæ hanc esse :* Ruffino presbytero Romano de judiciu Salomunis, *in aliquibus vero addi,* in sectione parvuli. *Erat nimirum a Ruffino proposita* Hieronymo *explanatio celeberrimi judicii Salomonis de jurgio duarum meretricum.*

de judicis Salomonis scripta,

901 *Sive autem Romanus fuerit presbyter Ruffinus ille sive alterius civitatis, litteris suis* Hieronymum *ad amicitiam provocavit; scripsitque de Eusebii cujusdam presbyteri, qui verisimiliter est Cremonensis, in eum amore. Ab hisce* Hieronymus *modeste Epistolam suam orditur hoc modo :* Multum in utramque partem crebro fama mentitur, et tam de bonis mala, quam de malis bona, falso rumore concelebrat. Unde et ego gaudeo quidem super testimonio erga me sanctitatis tuæ, et amore sancti presbyteri Eusebii : nec dubito, quin me publice prædicetis, sed tacitum vestræ prudentiæ judicium pertimesco. Itaque obsecro, ut magis memineritis mei, et dignum vestra laude faciatis. Quod primus ad officium provocasti, et mihi secundæ in rescribendo partes datæ sunt, non venit de incuria in amicus, sed de ignorantia : si enim scissem, præoccupassem sermonem tuum. E *Tum satis prolixe respondet ad quæstionem propositam de judicio Salomonis. Placuit Cassiodoro responsio, cum lib. de Institutione cap.* 2 *eam laudet his verbis :* De quo loco sanctus quoque Hieronymus dulcissima, sicut solet, explanatione disseruit.

quando annuo morbo decumbebat Sanctus.

902 *In ultima parte* Hieronymus *de morbo suo loquitur, hæc scribens :* Quod sicubi pedem offendimus, et sapienti lecturi frivolum videatur esse. quod scripsimus, culpam in auctorem referat. Nos enim et hæc ipsa in lectulo decumbentes, longaque ægritudine confecti, vix notario celeriter scribenda dictavimus, non ut impleremus materiam, sed ne tibi, in principio amicitiarum aliquid imperanti, videmur negare. Ora nobis a Domino sospitatem, ut post duodecim menses, quibus jugi languore confectus sum, possim aliquid dignum vestræ scribere voluntati : et ignosce, si scatens oratio, cursu solito non fluat. Non enim eodem lepore dictamus, quo scribimus : quia in altero sæpe stilum vertimus, iterum, quæ legi digna sunt, scripturi ; in altero quidquid in buccam venerit, celeri sermone convolvimus. Caninium libenter vidi, qui narrare tibi poterit, F quam difficile et periculosum manus dexteræ usque in præsentem diem, quo ista dictavi, vulnus sustinuerim. *Caninius ille verisimiliter attulerat Ruffini litteras, et hasce erat relaturus. Ruffinum vero alium esse ab Aquileiensi et a Syro, non modo omnia illa, quæ de recenti amicitia recitavimus ; sed etiam lator Epistolarum Caninius, et tempus scriptæ Epistolæ, quod nunc investigabo.*

hic morbus ab aliquo refertur ad annum 398.

903 *Scripta illa certo est tempore morbi, qui duodecim menses exercuerat Sanctum, ut quærendus sit annus, quo nihil aut parum laboravit. Talis annus non reperitur ab anno* 386, *quo in Palæstina habitare cæpit* Hieronymus, *usque ad annum* 397 *fere finitum ; cum omnibus annis intermediis multa scripserit Sanctus, et posterioribus multa etiam ex Hebraico Veteri Testamento in Latinum sermonem transtulerit. Prima mentio morbi utcumque diuturni invenitur anno* 398, *atque hunc annum aut duodecim mensium fuisse, credidit Vallarsius, existimans cæptum esse mense Decembri anni* 397, *continuatumque primum tribus mensibus; deinde vere intermisisse aliquo tempore, quo*

AUCTORE J. S. *quo Sanctus scripsit in Matthæum, Epistolasque ad Lucinium et ad Evangelum; ac demum rediisse morbum, continuatumque usque ad Novembrem anni* 398, *ut mensis duadecimus esset inchoatus, quando scribebat ad Ruffinum. Hanc opinionem suam Vallarsius prolixe inculcat in Chronotaxi Epistolarum ad Epistolam hanc* 74, *in Præfatione tomi primi : neque negaverim probabilem videri, cum morbus post dictatos in Matthæum Commentarios rursum potuerit ingravescere, et sic protrahi ad menses duodecim, præsertim cum in Epistola ad Evangelum dicat, quod aviditas, quo dictans in Matthæum studia resumpserat,* nocuerit corporis valetudini.

sed probabilius est, morbum ortum anno 405.

904 *Verumtamen multo probabilius credo, illum Sancti morbum spectare ad annum* 405 *et* 406 *: nam pauca admodum* Hieronymi *scripta reperio anno* 405, *nulla prorsus prima et majori parte anni* 406, *ut facillime eo tempore duodecim menses, omni prorsus Sancti scripto carentes, imo et plures inveniri possent, si constaret, ægritudinem notabili adhuc tempore continuatam post scriptam Epistolam ad Ruffinum. Nam omnia Opera* S. Hieronymi, *quæ ad annum* 405 *referri possunt,* B *sunt Translatio Regulæ aliorumque scriptorum S. Pachomii, Translatio librorum aliquot sacræ Scripturæ, quæ tempore mortis S. Paulæ necdum erat absoluta, ut dictum est num* 461 *et seqq.; Epistola ad Riparium, et fortasse gemina Epistola ad Augustinum. Theophili librum Paschalem item anno* 405 *vertere potuit* Hieronymus, *eumque cum Epistola sua transmittere : quod si factum ab ipso, ut expositum est num.* 844 *et seqq.; eodem anno* diebus sanctæ Quadragesimæ *in gravissimum incidit languorem, ex quo tamen cito utcumque convaluit. Si modo consideremus, pleraque scripta enumerata, ac nominatim Translationes, ab anno* 404 *aut cæptas aut etiam absolutas videri, et nihil ex omnibus cum aliqua certitudine, aut cum magna probabilitate, figi posse post medium anni* 405*; inveniemus* Hieronymum *prorsus otiosum a medio anni* 405 *usque ad autumnum ferre anni* 406, *quo rursum multa scribere cœpit, ut statim videbimus.*

ex eoque convaluisse Sanctum anno 406.

905 *Quare omnino mihi persuadeo, diuturnum illum morbum, quo duodecim mensibus, aut forte etiam diutius, afflictus fuit Sanctus, inchoatum* C *esse anno* 405, *sequenti vere* 406 *finitum circa autumnum aut non diu ante. In Præfatione ad librum Josue ex Hebraico versum testatur Sanctus, velle se post* sanctæ Paulæ dormitionem, *mense Januario anni* 404 *defunctæ, et libros ex Hebraico etiam tum vertendos, quos poterat aliquot mensibus transferre,* Prophetarum explanationi incumbere, *rogante id etiam per litteras Pammachio. Hoc tamen opus distulit usque ad autumnum anni* 406, *etiamsi toto tempore intermedio nullam composuerit Opus, quod magni erat moliminis aut diuturni laboris. Tantæ igitur dilationis non aliam invenio causam, quam quod Sanctus, alias semper laboriosissimus, diuturno illo morbo cessare cogeretur. Non ita otiosum invenimus Sanctum anno* 398, *quo non modo Commentarios in Matthæum edidit, pluresque Epistolas prolixas, sed etiam verisimiliter prolixum librum contra Joannem Hierosolymitanum. Eodem anno et Genesim et alios quosdam Pentateuchi libros ex Hebraico vertere potuit. Præterea in nullo scripto, quod circa finem anni* 398 *aut anno sequenti compositum est, meminit de morbo suo; quemadmodum sub finem anni* 406 *morbum, ex quo recenter convaluerat, commemoravit; sicut mox videbimus num.* 909, *ut hæc etiam ratio, qua uti voluit Vallarsius, eidem* D *non faveat, sed repugnet. Progredior ad annum* 406.

§ LII. Expositi Zacharias, Malachias, Osee, Joël et Amos, Epistola ad Minervium et Alexandrum.

Parata fere ad dictandum materia in quinque Prophetas.

Ultimo jam autumni tempore *anni* 406 *ad* S. Hieronymum *venit Sisinnius monachus, missus a S. Exuperio episcopo Tolosano, ut larga perferret egestatis subsidia monachis Palæstinæ et Ægypti, quemadmodum ad* 28 *Septembris expositum est in S. Exuperio num.* 26 *et seqq. Afferebat ille non solum litteras S. Exuperii, sed etiam aliorum quorumdam, videlicet Minervii et Alexandri monachorum, multas quæstiones proponentium, et Riparii ac Desiderii presbyterorum, qui scripta Vigilantii transmittebant, ut ea refutaret Sanctus. Resumpserat, cessante morbo diuturno,* E *studia sua* Hieronymus *ante adventum Sisinnii per explanationem Minorum Prophetarum, qui restabant quinque exponendi, nimirum Zacharias, Malachias, Osee, Joël et Amos, quos eo recensui ordine, quo sunt explanati; nullus tamen ex his Commentariis ad calcem erat perductus; sed magna pars materiæ dictandæ videtur fuisse parata, ut fortasse sub initium autumni, aut etiam paulo ante autumnum studia sua resumpsisset Sanctus. Quod de adventu Sisinnii, et materia utcumque parata asserui, colligitur ex Præfatione in Zachariam, quam Sanctus ita exorditur :* Ultimo jam autumni tempore frater noster, filius tuus Sisinnius monachus, tuæ mihi dignationis Epistolam reddidit; qua lecta, gavisus sum, esse te sospitem et memorem mei *etc. Ita alloquitur Exuperium, cujus et laudes celebrat.*

dictat tres libros in Zachariam.

907 *Et inferius :* Cumque tibi cuperem ingenioli mei aliquod offerre munusculum, et cœpta in Duodecim prophetas Explanatio perveniret ad calcem, susceptum opus deserere nolui, sed quod et absque te dictaturus eram, tuo potissimum nomini consecravi. Et gaudeo, quod obscurissi- F mus liber Zachariæ prophetæ, et inter Duodecim longissimus, eo tempore disserendus est, quo ob festinationem ejus, qui reversurus est, nullam moram patitur interpretatio : sed velim nolim, saltem lucrativis per noctem horis atque furtivis dictare compellor, quod tibi dirigam. *Si* ad calcem. *ut ait, perveniret interpretatio, quandoquidem quatuor libri post hunc veniebant explanandi, id omnino intelligendum videtur de præparata ad dictandum materia, non de Commentariis dictatis. Nam ne hos quidem in Zachariam ante adventum Sisinnii dictatos fuisse, plane liquet ex Præfationibus trium librorum, quibus constant; in omnibus enim fit mentio de celeritate dictandi ob festinationem Sisinnii, sive, ut habet secunda Præfatio,* dum frater Sisinnius Ægyptum ire festinat. *Tertiam vero sic orditur :* Urget me frater Sisinnius incompta et impolita transmittere, ut, non dicam emendandi, sed ne relegendi quidem habeam facultatem. Ille festinat in opus suum : nos in nostro opere minus facimus, dum eruditio incassum vertitur; et quiquid sensu concepimus, composito non licet ornare sermone. *Plura dicit ad stylum excusandum. Addit in Præfatione prima ad propositum*

propositum nostrum: Si qui autem sunt, quibus interpretationem et horum et aliorum voluminum ante promisi, ignoscant incredibili in te amori meo, ot quidquid tibi scripsi, sibi scriptum arbitrentur.

unum in Malachiam, 908 *A Zacharia* Hieronymus *continuo processit ad Malachiam in gratiam Minervii et Alexandri, qui alias quæstiones proposuerant. Liber est unicus, in cujus Præfatione varia disserit ad Prophetam spectantia, illos vero de intentione sua sic alloquitur:* Hæc, mi Minervi et Alexander, non tam sanguine, quam religione, concordes, ne susceptum opus dimitterem Prophetarum, et extraordinario vobis labore sudarem, breviter in procemio sum locutus. *Hæc de explanato Malachia sufficiant. Cum autem et prolixam ad Minervium et Alexandrum scripserit Epistolam, et librum contra Vigilantium, quæ per eumdem Sisinnium deferenda erant in Galliam, dubitari potest, an hæc primum expediverit; an vero tres reliquos Prophetas, quorum Commentarios dicavit S. Pammachio, perrexerit explanare.*

pergensque ad priores, 909 *Si consideremus Præfationem libri tertii in Amos, qui omnium est postremus, existimabimus* B *quinque Prophetas continuato studio explanatos. Nam relata primum expositione septem aliorum, quæ diu præcessit, de illis quinque subdit sequentia:* Præsenti anno, qui sexti consulatus Arcadii augusti et Anicii Probi fastis nomen imposuit (*id est anno 406*), Exuperio Tolosanæ ecclesiæ pontifici Zachariam, et ejusdem urbis Minervio et Alexandro monachis Malachiam prophetam interpretatus sum. Statimque recurrens ad principium voluminis (*Duodecim Prophetarum*), Osee et Joël et Amos tibi (*Pammachio*) negare non potui. Et post gravissimam corporis ægrotationem, dictandi celeritate ostendi temeritatem meam, ut, quod alii stilum sæpe vertendo non audent scribere, ego committerem casui, qui semper dictantes sequitur, et de ingenio atque doctrina audaciæ periculum facit: quoniam, ut sæpe testatus sum, laborem propria scribendi manu ferre non valeo, et in explanatione sanctarum Scripturarum non verba composita, et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis. *Hæc ultima ostendunt, excusationem tantum esse de stylo, non de materia, quæ prius mature erat expensa. Ex allatis autem verbis liquet, eodem an. 406* C *quo ultimo jam autumni tempore dictavit in Zachariam et Malachiam, etiam dictasse eum in Osee, Joël et Amos; ei quidem consequenter, si stricte sumenda sint illa verba,* Statimque recurrens ad principium voluminis etc.

in Osee libros tres, 910 *Itaque pergam de explanatione Prophetarum prius disserere, etiamsi fieri potuerit, ut, dum his occupabatur, nimis discessum urserit Sisinnius, ideoque aliquot dies interposuerit ad expedienda reliqua, quæ Sisinnio portanda erant in Galliam. In Osee scripsit libros tres, quibus Præfationes præmisit ad Pammachium. In prima multum disserit de obscuritate illius prophetæ, numeratque annos circiter viginti duos a tempore, quo fuerat in Ægypto, et Alexandriæ viderat Didymum, quem vocat* virum sui temporis eruditissimum. *Hæc verba ostendunt, calumnias Rufini non id effecisse apud* Hieronymum, *ut non auderet amplius laudare eruditionem eorum, quorum fidem in omnibus non probabat. Erat enim Didymus ex præcipuis Origenis sectatoribus. Quod vero spectat ad annos viginti duas; cum in Ægypto fuisset an. 386, currebat adhuc annus vigesimus primus, dum hæc scribebat circa finem anni 406; sed voce circiter insinuat, tempus non adeo exacte enumeratum esse. Post enumeratos ibi vetustiores, qui in Osee scripserant, de modo, quo eos secutus est, hæc subjungit:* Hæc dico, ut noveris, quos in Prophetæ hujus campo habuerim præcursores: quos tamen, ut simpliciter, et non superbe, sicut quidam meorum amicorum (*verisimiliter Rufinus*) semper insibilat, tuæ prudentiæ fatear, non in omnibus sum sequutus, ut judex potius operis eorum quam interpres exsisterem, diceremque, quid mihi videretur in singulis, et quid ab Hebræorum magistris vix uno et altero acceperim.

contemnens æmulorum dicteria, 911 *In secundi libri Præfatione iterum prolixe disserit de obtrectatoribus, quibus numquam caruit. Pauca e pluribus huc transfero:* Qui sæpe navigat, aliquando patitur tempestatem: qui viam frequenter ingreditur, aut sustinet latronum impetus, aut certe metuit, in arte tam gloria quam obtrectatio secundis adversisque ventis oritur, dum aut amici plus merito laudant, aut inimici plus justo detrahunt: rarumque invenias, qui in utramque partem non favore aut odio, sed rerum æquitate ducatur. Quod mihi in Scripturarum explanatione sudanti accidere video. Alii enim quasi parva contemnunt, et quidquid diximus, contracta nare despiciunt: alii odio nominis nostri non res, sed personas considerant: E magisque aliorum silentium, quam nostrum studium probant. Sunt, qui audacter nos facere asserant, quod arripuimus opus, quod nullus ante nos Latinorum tentare ausus est. Quidam in eo se disertos arbitrantur et doctos, si alieno operi detrahant, et non, quid ipsi possint, sed quid nos non possimus, dijudicent. *Tum hortatur Pammachium, ut dicteria contemnat; aitque, se ejus quidem gaudere defensione, malle tamen eo esse loco, ut nemo prosit laudando, nemo vituperando noceat. Tum addit rationes:* Dum enim vivimus, et in vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmulorum opprobria: Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos, qui scribimus, quam eos, qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit; et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis, virens silva succreverit, tunc sine nominum dignitate sola judicantur ingenia: nec considerat qui lecturus est, cujus, sed quale sit, quod lecturus est, sive ille episcopus, sive sit laicus *etc. In tertia Præfatione de studio et amore Pammachii plura prosequitur.* F

in Joël unum, 912 *Ab Osee mox transiit ad Joël uno libro expositum. Tam in Præfatione quam sub initium Commentarii de Osee prius explanato meminit. Ad cap. 1, ℣ 4 etiam loquitur de Amos exponendo. In Præfatione breviter loquitur de æmulo verisimiliter Rufino, et de favore Pammachii, ad quem subjungit:* Quodque sanctæ ac venerabili Paulæ parenti tuæ polliciti sumus, pius hæres suscipe, et quidquid vel ingenio vel doctrina minus tua exspectatione possumus, amici favore sustenta: nec in nobis vires consideres, sed voluntatem. *Exposito Joël, mox similiter progressus est ad Amos, cujus sola Prophetia ex Duodecim Minoribus restabat explananda.*

et tres in Amos. 913 *Tres libros in Amos dictavit, eidem inscriptos Pammachio. Ad cap. 1, ℣ 1 ait,* Explanationem et hujus et Osee et Zachariæ prophetarum *promissam fuisse* et aliis quidem sanctis viris, et *nominatim* sanctæ et venerabilis memoriæ... Paulæ. *In Præfatione libri secundi enumerat commoda senectutis: cumque de suis maxime loqui videatur, nonnulla huc traduco:* Senectus, *inquit,*

AUCTORI I. 3

inquit, multa secum et bona affert et mala: bona, quia nos ab impudentissimis dominis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia... Quæ autem putantur senectutis mala, ista sunt: crebræ infirmitates, pituita molestissima,... caligantes oculi, acescentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingivis dentes et inter cibos cadentes. Ad hæc torminibus et aculeis stomachi, podagræque et chiragræ doloribus sæpe torquetur, ita ut ne stilum quidem aut calamum tenere queat, ut suis pedibus non possit incedere, magnaque parte vitæ videatur esse truncata, et multis membris præmortua. Quum hæc ita se habeant, in malorum comparatione tolerabilius sustinebo morbos, dummodo una et gravissima domina libidine caream etc. *Erat ex chronotaxi nostra annorum fere septuaginta et sex, dum hæc scribebat* Hieronymus. *In Præfatione ostendit ordinem, quo omnes minores Prophetas interpretatus est; at ea omnia suis locis dedimus.*

Omnes Prophetæ Minores ante quatuor Maiores expositi.

914 *De illorum expositione variis deinde locis ita meminit Sanctus, ut, si id incertum esset, ex iis etiam probari posset, Duodecim Minores ante omnes Majores esse expositos. Nam Præfatione in* B *Danielem, quem primum ex Majoribus explanavit, ait se non omnia fuse expositurum*, ut, *inquit*, in Duodecim prophetis fecimus. *In Isaiam præfari sic incipit:* Expletis longo vix tempore in Duodecim prophetas viginti Explanationum libris, et in Danielem Commentariis, cogis me, virgo Christi Eustochium, transire ad Isaiam. *Quod ait de longo tempore, verissimum est: nam ab anno 392 cœpit hos Commentarios, et circa finem anni 406 explevit, quia eorum continuationem ob alios labores bis saltem ad annos aliquot intermisit. In Præfatione libri 11 in Isaiam ait:* In Explanatione Duodecim Prophetarum longior quibusdam visus sum, quam oportuit. *In Prologo in Jeremiam, qui postremus expositus, de eodem suo Opere iterum mentionem facit. Ceterum breviter observo, ex verbis sancti in Amos cap. 5, ỳ 19 quosdam inferre voluisse, quod scripserit Commentarium in Job, sed unius vocis discimus, pro qua legerunt* diximus, *perversa lectione deceptos.* De cujus, *inquit*, (*Leviathan aut colubri*) natura et terrore multiplici plenius in ipso volumine C (*Job*) discimus. *Ex vocibus* ipso volumine, *quod certe non scripsit* Hieronymus, *abunde liquet, non esse legendum* diximus. *Non scripsisse* Hieronymum *Commentarios in Job, plenius probat Vallarsius tom. III, col.* 825.

Scribens ad Minervium et Alexandrum ob nimiam festinationem

915 *Dum illa dictabat Sanctus, simul considerabat difficillimam quæstionem sibi propositam a Minervio et Alexandro, aliasque ab aliis, quas omnes attulerat Sisinnius monachus, qui subito venit ad* Hieronymum, *ut responsum ad singulas haberet, quod citius vellet in Ægyptum discedere, quam ante promiserat. Quare fortasse Commentarios in Prophetas ad aliquot dies interrupit, ut properaret responsum ad quæstiones propositas, et cum aliis dictaret Epistolam* 119 (*alias* 152) *ad Minervium et Alexandrum, in qua disseritur prolixe de difficili loco Apostoli* 1, *Cor.* 15, ỳ 51 *ad verba illa diversimode lecta:* Omnes quidem resurgemus, *alias* dormiemus, *etc. Principium Epistolæ subjungo ad propositum nostrum:* In ipso jam profectionis articulo sancti fratris nostri Sisinnii, qui vestra mihi scripta detulerat, hæc, qualiacumque sunt, dictare compellor; nec possum vestram celare prudentiam: (sed D obsecro, ne hoc dictum referatis ad gloriam, quin potius ad plenam necessitudinem, dum ita vobis, quasi mihi loquor). Multas sanctorum fratrum ac sororum de vestra provincia ad me detulit quæstiones, ad quas usque ad diem Epiphaniorum largissimo spatio me responsurum putabam. Quumque furtivis noctium lucubratiunculis ad plerasque dictarem; et, expletis aliis, me ad vestram, quasi ad difficillimam, reservarem, subito supervenit, asserens se illico profecturum. *Ex allatis verbis habemus, excidisse aliquot* Hieronymi *Epistolas, quas ad propositas quæstiones dictaverat: hæc enim sola ex tunc dictatis ad nos pervenit.*

de locis Apostoli explicandis alienas solum colligit sententias,

916 *Sequentia vero docent*, Hieronymum *nimiæ festinationis causa ad quæstionem jam dictam, et ad alteram ex verbis Apostoli item de resurrectione* 1, *Thess.* 4, ỳ 14 *et seqq, alienas solum sententias collegisse, non vero exposuisse suam. Hoc enim pergit modo:* Quumque eum rogarem, ut differret iter, Libyæ mihi cœpit famem obtendere, monasteriorum Ægypti necessitates, Nili non plenas aquas, multorum inediam, ut prope offensa esset in Dominum, illum ultra velle retinere. Itaque subtegmen et stamina, liciaque E et telas, quæ mihi ad vestram tunicam paraveram, vobis inconfecta transmisi, ut, quidquid mihi deest, vestro texatur eloquio. *Rationem ita agendi allegat eorum prudentiam et eruditionem, metaphorasque datas explicat his verbis:* Itaque et ego tempore coarctatus, singulorum vobis, qui in sacram Scripturam Commentariolos reliquerunt, sententias protuli, et ad verbum pleraque (*ex Græco*) interpretatus sum, ut et me liberem quæstione, et vobis veterum tractatorum mittatur auctoritas, qui in legendis singulis ac probandis non meæ voluntati, sed vestro acquiescatis arbitrio.

factique sui rationem reddit,

917 *Cum autem omnes, quorum verba allegaverat, non recte in omnibus de fide sensissent, sub finem prolixæ Epistolæ rationes allegat, cur ejusmodi consulat scriptores, ad has num.* 11 *procedens:* Hæc celeri sermone dictavi, quid eruditi viri de utroque sentirent loco, et quibus argumentis suas vellent probare sententias, vestræ prudentiæ exponens. Neque enim tanta est meæ pusillitatis auctoritas, qui nihil sum, et invidorum tantum morsibus pateo, quanta eorum, qui nos in Domino præcesserunt. Nec juxta Pythagoræ discipulos, præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire: « Omnia probate, quod bonum est, tenete.... » Etenim si dialecticam scire voluero, aut philosophorum dogmata, et, ut ad nostra redeam, scientiam Scripturarum, nequaquam simplices Ecclesiæ viros interrogare debeo, quorum alia gratia est,... sed eos, qui artem didicere ab artifice, et in Lege Domini meditantur die ac nocte. *Hos pro interpretatione Scripturarum, etiamsi non recte de omnibus sentiant, potius consulendos esse, quam Catholicos simplices, pergit mox pluribus probare, refutans tacite Rufinum ejusque sectatores, qui id in* Hieronymo *improbabant, aut perperam explicabant.*

refutans Rufinum eiusque gregales

918 *Non existimo tamen, voluisse* Hieronymum *ut etiam simplices et indocti, quibus periculosa esset ea lectio, in hæreticis scriptoribus interpretationem sacrarum Scripturarum investigarent; sed ii solum, quibus et insignis erat eruditio, et* eas

AUCTORE J. S.

A *cas aliis explanandi necessitas. Contra Rufini item asseclas dicit* : Ego et in adolescentia, et in extrema ætate profiteor, et Origenem et Eusebium Cæsariensem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. *Rursum ista :* Cur me lacerant amici mei, et adversus silentem crassæ sues grunniunt? Quarum omne studium est, immo scientiæ supercilium aliena carpere, et sic veterum defendere perfidiam, ut perdant fidem suam. Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt, et a fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere. *In fine insinuat, non respondisse se ad omnes quæstiones propositas, hæc subdens :* Volens ad alias quæstiunculas respondere, et vel mea vel aliena dictare, extemplo a fratre Sisinnio admonitus sum, ut et ad vos et ad cæteros sanctos fratres, qui nos amare dignantur, litteras scriberem. Cohibebo igitur gradum, et, si vita comes fuerit, futuro me operi reservabo, ut et vobis per partes pareain, et fractum ac senile corpusculum onus possit ferre moderatum.

B

§ LIII. Epistola ad Riparium, et liber contra Vigilantium hæresiarcham scriptus.

Vigilantium, in Epistola ad Riparium partim refutatum.

Eodem *tempore velociter dictavit* S. Hieronymus *librum contra Vigilantium hæresiarcham, contra quem biennio fere citius dederat Epistolam ad Riparium presbyterum, ut breviter dixi num.* 899. *Jam vidimus num.* 619 *et seqq., Vigilantium fuisse in Palæstina apud* S. Hieronymum, *quem ausus est calumniari, ut sectatorem errorum Origenis; petitaque in discessu venia, deinde ad easdem calumnias in Occidente relapsum, eaque de causa a Sancto objurgatum acri sane Epistola, qua hominis vanissimi morbus sanari potuisset, si malo minus pertinaci laborasset. At homo indoctus, solaque fere audacia instructus, ad scribendum prosilire sustinuit, multosque imperito calamo effudit errores. De iis ad* Hieronymum *scripsit Riparius presbyter, sed libros Vigilantii tunc ad eum non misit : intellexit tamen, cultum reliquiarum sanctorum martyrum improbari a* C *Vigilantio, solemnesque Christianorum ad sepulcra martyrum vigilias. Hac de causa duo illa capita in Epistola ad Riparium defendit* Hieronymus, *addens in fine :* Plura dictare volueram, si non epistolaris brevitas pudorem nobis tacendi imponeret; et, si tu librorum ipsius ad nos voluisses mittere cantilenas, ut scire possemus, ad quæ rescribere deberemus. Nunc autem aerem verberavimus, et non tam illius infidelitatem, quæ omnibus patet, quam nostram fidem aperuimus. Cæterum, si volueris longiorem nos adversum eum librum scribere, mitte nænias illius et ineptias, ut Joannem Baptistam audiat prædicantem : « Jam securis ad radicem arborum posita » est, » *etc.*

acceptis ejus libris, brevi libro magis confutat Sanctus,

920 *Fecit Riparius una cum Desiderio presbytero, quod rogaverat* Hieronymus. *Num hic in libro contra Vigilantium num.* 3 *ita loquitur :* Auctores sunt hujus dictatiunculæ meæ sancti presbyteri Riparius et Desiderius, qui parœcias suas vicinia illius scribunt esse maculatas, miseruntque libros per fratrem Sisinnium, quos inter crapulam stertens evomuit. Et asserunt, repertos esse nonnullos, qui, faventes vitiis suis, illius blasphemiis acquiescant. Est quidem imperitus et verbis et scientia; et sermone inconditus, ne vera quidem potest defendere : sed propter homines sæculi, et mulierculas oneratas peccatis, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes, una lucubratiuncula illius næniis respondebo, ne sanctorum virorum, qui, ut hæc facerem, me deprecati sunt, videar litteras respuisse. *Velociter dictatum esse hoc Opusculum, declarat in fine his verbis :* Hæc, ut dixi, sanctorum presbyterorum rogatu, unius noctis lucubratione dictavi, festinante admodum fratre Sisinnio, et propter Sanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante : alioquin et ipsa materia apertam habuit blasphemiam, quæ indignationem magis scribentis, quam testimoniorum multitudinem flagitaret.

indocti nominis impietatem

921 *Quanta cum indignatione intellexerit* Hieronymus *errores Vigilantii, sive apertam ejus, ut vocat,* blasphemiam, *multis locis declarat. Epistolam ad Riparium sic orditur :* Acceptis primum litteris tuis, non respondere superbiæ est, respondere temeritatis. De iis enim rebus interrogas, quæ et proferre et audire sacrilegium est. Ais Vigilantium, qui κατ' ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine (nam Dormitantius rectius diceretur) E os fœtidum rursus aperire, et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias, et nos, qui eas suscipimus, appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, et omni lacrymarum fonte plangendum! qui hæc dicens, non se intelligit esse Samaritanum et Judæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent *etc. Eumdem deinde et* insanum cerebrum *vocat,* et vas inutile, *et post hæresim refutatam ait :* O præcidendam linguam a medicis, immo insanum curandum caput, ut, qui loqui nescit, discat aliquando reticere. *Post alia ante data, rationem indignationis suæ reddit num.* 3 *hæc scribens :* Tacita me forsitan cogitatione reprehendas, cur in absentem invehar. Fatebor tibi dolorem meum. Sacrilegium tantum patienter audire non possum. Legi enim seitomasten Phinees, austeritatem Eliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elymam magum, viis Domini resistentem, æterna cæcitate damnavit. Non est crudelitas, pro Deo F pietas. *Addit locum ex Deuteronomio cap.* 13, *ubi jubentur occidi, qui voluerint inducere ad idololatriam.*

stultamque temeritatem.

922 *Deinde, intellectis plenius hæresiarchæ erroribus, librum sic exorsus est :* Multa in orbe monstra generata sunt. Centauros et sirenas, ululas et onocrotalos in Isaia legimus. Job leviathan et behemoth mystico sermone describit. Cerberum et stymphalidas, aprumque Erimanthium et leonem Nemæum, chimæram atque hydram multorum capitum narrant fabulæ poetarum. Cacum describit Virgilius. Triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortibus et eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, et martyrum neget sepulcra veneranda : damnandas dicat esse vigilias : numquam nisi in Pascha Alleluia cantandum; continentiam, hæresim; pudicitiam, libidinis seminarium. Et quomodo Euphorbus in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Joviniani mens prava surrexit : ut et in

AUCTORE J. S.

in illo et in hoc diaboli respondere cogamur insidiis.... Iste Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus, inter phasidas aves et carnes suillas non tam emisit spiritum quam eructavit. Iste caupo Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino; et de artificio pristino suæ venena perfidiæ Catholicæ fidei sociare conatur; impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in convivio sæcularium contra Sanctorum jejunia proclamare; dum inter phialas philosophatur, et ad placentas liguriens, Psalmorum modulatione mulcetur; ut tantum inter epulas David, et Idithun, et Asaph et filiorum Core cantica audire dignetur. Hæc dolentis magis effudi animo quam ridentis, dum me cohibere non possum, et injuriam Apostolorum et martyrum surda nequeo aure transire.

acerrime perstringens.

923 *Hæc afferre volui, ut quilibet perspiciat, qualia eruditissimo* Hieronymo *visa sint nova Vigilantii dogmata, quæ et nonnulli medio ævo adoptarunt, et posterioribus sæculis resuscitarunt homines, commodorum suorum, quam præceptorum ac traditionum Ecclesiæ amantiores. Si tam absurda improbabiliaque et doctrinæ totius Ecclesiæ contraria sæculo 5 apparuerunt doctissimo* Hieronymo *commenta Vigilantii, ut eum cum monstris turpissimis, cum centauris, cum sirenibus, cum cerbero, cum chimæra, cum hydra multorum capitum, aliisque prodigiis memoratis, comparandum crediderit, quod tam turpia noxiaque effudisset; vir prudens facile intelligere poterit, ea nostro tempore nec meliora videri debere nec veriora aut tolerabiliora. Nam quæ ante secula tredecim aut quatuordecim tam erant absona et omni specie veri destituta, tam delira et sacris Scripturis opposita, ut illorum auctorem* Hieronymus *non modo primum Galliæ monstrum statuat, sed et num. 4* hominem moti capitis, atque Hippocratis vinculis alligandum *nominet, eumque et aliis id genus titulis exornet, vigilantemque dormire ac dormientem scribere num. 7, pronuntiet; quæ, inquam, sæculo 5 tam chimærica visa sunt Vigilantii somnia, quo demum modo vera aut tolerabilia nostro tempore videri poterunt viro prudenti ac veritatis amanti? Doctrina enim falsa, sacræque Scripturæ contraria, tractu temporis fieri non potest vera.*

quod impugnare auderet doctrinam Ecclesiæ

924 *Neque prudenter dici potest, errasse* Hieronymum, *cum quod annis fere quadraginta, dum hæc scribebat, diligentissime in studio sacrarum Scripturarum doctrinæque ecclesiasticæ versatus esset; tum vel maxime, quod assertæ per* Hieronymum *veritati nullus sanctorum Patrum, aut scriptorum ecclesiasticorum umquam se opposuerit. Nam ex horum omnium silentio planum fit, assertam ab* Hieronymo *adversus perversa Vigilantii dogmata doctrinam toti Ecclesiæ fuisse communem; idque ulterius ex sanctis Patribus facile posset confirmari, si id institutum nostrum atque hic locus exigeret. Jam vero breviter observo, vehementer* Hieronymi *stylum accusari a scriptoribus Lutheranis, Calvinianis, ac nominatim a Joanne Clerico, quem prolixe refutavit Josephus Swinger Societatis Jesu, doctor sacræ theologiæ, in Apologia* D. Hieronymi, *anno 1752 impressa. Mihi non lubet hic tam prolixe agere, ne nimium extendatur hic Commentarius. Pauca tamen pro* Hieronymo *contra Vigilantii amatores dicere liceat, ut hi ipsi ad saniora revertantur consilia, et non debacchentur in medicum putrida membra necessario secantem.*

Dantur rationes, cur illa Sancti acrimonia

925 *Primo itaque dico, lectum fuisse S.* Hieronymi *Opusculum ab antiquis, et haud dubie a nonnullis, qui Vigilantium noverant, nec tamen ab ullo reprehensum fuisse ut nimis acerbum. Secundo Gennadius, qui certe* Hieronymo *non nimium favebat, sed potius eidem utcumque erat contrarius, in Catalogo cap. 35 Vigilantii dat elogium, aitque, quod* seductus *fuerit* humana laude, et præsumens supra vires, *quod esset quidem* lingua politus, non sensu Scripturarum exercitatus. *Scripta eidem attribuit prava in Danielem,* et alia, *inquit,* loquutus est frivola, quæ in catalogo hæreticorum necessario ponuntur. Huic et B. Hieronymus presbyter respondit. *Si modo interrogare velimus Apostolum, quo modo refutare oporteat homines, qui captantes auram popularem, supra vires suas præsumunt alios docere, doctrinaque nova et aperte hæretica simplices seducunt; respondebit utique, quod scribebat de Cretensibus ad Titum cap. 1, ℣ 13 :* Increpa eos dure, ut sani sint in fide. *Itaque mandato Apostoli obedivit* Hieronymus : *neque enim video, minores fuisse rationes dure increpandi Vigilantium, cujus doctrina, utpote sensibus blandiens, nata erat multos seducere, et a sana Ecclesiæ doctrina avellere.*

non improbanda, sed potius laudanda sit.

926 *Sic Paulus ipse Act. 13, ℣ 10 dure increpuit Elymam magum, et cæcitate punivit, quia opponebat se progressui fidei; sic ipse Christus Dominus Pharisæos sæpius acriter perstrinxit. Mitto alia exempla, quæ afferri possunt plurima. Etenim si laudamus Judices, qui fures et latrones morte etiam puniunt, eo quod humano generi sint noxii; qua ratione condemnabimus doctores, quando hæresiarchas, furibus longe perniciosiores, gravibus verbis castigant, ut eos salutari pudore a male cœptis desistere cogant, aut saltem efficiant, ne perniciosa eorum dogmata progressum faciant. Tertio ipse eventus docuit, recte tantam ab* Hieronymo *in principio nascentis illius hæresis adhibitam fuisse acrimoniam, ne dulce venenum a multis hauriretur : nam sic monstrum illud in cunis suffocatum est. Itaque non debent Vigilantii sectatores acrimoniam* Hieronymi *magis accusare, quam accusamus medicos, qui contra aliquot morbos acria et acerba adhibent remedia, ut malum certius sanetur. Ex acrimonia illa potius discere possunt, gravi malo laborasse Vigilantium, periculosa fuisse vulnera, quæ Ecclesiæ moliebatur infligere; non fuisse controversias dubias, quas suscitabat, sed apertas hæreses; ideoque non modesta et subtili disputatione fuisse docendum; sed acri objurgatione repellendum. Ultimam hanc rationem dat ipse* Hieronymus *circa finem his verbis :* Et ipsa materia apertam habuit blasphemiam, quæ indignationem magis scribentis quam testimoniorum multitudinem flagitaret. *Hoc nullus eruditissimo* Hieronymi *sæculo negasse legitur.*

Præcipui errores Vigilantii,

927 *Quapropter recenseamus breviter præcipua errorum Vigilantii capita ab* Hieronymo *refutata. Primus error Vigilantii, ab* Hieronymo *refutatus, negat venerandas esse Sanctorum reliquias. Hanc hæresim refutat Sanctus num. 5, aliamque mox num. 6 et 7, quod Sancti nec nos audire possint, nec pro nobis orare : deinde num. 9 defendit usum quorumdam accendendi cereos supra martyrum sepulcra, rediensque ad cultum martyrum et reliquiarum, ad quem et reliqua jam dicta spectant, observat num. 9, Eunomium hæresiarcham, unumque ex præcipuis Arii sectatoribus, prius illam hæresim docuisse.* Rides, *inquit,* de reliquiis martyrum, et cum auctore hujus hæreseos Eunomio ecclesiis Christi calumniam struis :

A struis: nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. *Vicino errore Vigilantino impugnabat vigilias et pernoctationes in basilicis martyrum, quas defendit* Hieronymus *num.* 10. *Tum num.* 11 *signa et miracula,* quæ in basilicis martyrum fiunt: *ac non modo Vigilantium acriter perstringit, sed num.* 12 *factum etiam ejus turpissimum narrat, eaque occasione religiosum suum timorem num.* 13 *his verbis declarat:* Ego confiteor timorem meum, ne forsitan de superstitione descendat. Quando iratus fuero, et aliquid mali in meo animo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus et corpore et animo contremisco.

quos refutavit S. Hieronymus.

928 *Demum brevissime innuit plura alia Vigilantii commenta, nimirum quod disseruerit contra jejunia et virginitatem, contra consuetudinem mittendi eleemosynas Hierosolymam, et contra vitam monasticam, abdicationemque possessionum omnium. Duo posteriora capita satis prolixe defendit Sanctus num.* 14 *et seqq. Reliqua verisimiliter solum perstrinxit, quod de iis satis prolixe* B *disseruisset contra Jovinianum, et aliis etiam locis. Opusculum concludit his verbis:* Quod si Dormitantius in mea rursus maledicta vigilaverit, et eodem ore blasphemo, quo Apostolos et martyres lacerat, de me quoque putaverit detrahendum, nequaquam illi brevi lucubratiuncula, sed tota nocte vigilabo, et sociis illius, immo discipulis vel magistris, qui nisi tumentes uteros viderint seminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos.

de eo iterum deinde meminit.

929 *De Vigilantio ejusque discipulis loquitur* Hieronymus *in Isaiæ cap.* 65, ℣ 4 *et* 5, *ubi docet, a Judæis pro immundis haberi, si qui non simili cum ipsis ducatur errore, subditque:* Quemadmodum Samaritani et Judæi nobis faciunt, omnesque hæretici, quales nuper sub magistro cerebroso in Gallia pullularunt, qui basilicas martyrum declinantes, nos, qui ibi orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt. Hoc autem non tam illi faciunt, quam habitantes in eis dæmones, fortitudinem et flagella sancti cineris non ferentes. *Ceterum Calviniani, qui omnia ab* Hieronymo *refutata Vigilantii somnia longe accuratius adoptarunt, quam Christi aut Apostolorum doctrinam, habebunt, quod meditentur,* C *si investigare voluerint, quare* Hieronymus *Vigilantium multo acrius refutaverit, magisque contemptim tractaverit, quam ullos alios hæreticos; et quare eruditissimo sæculo nullus ex æmulis* Hieronymi, *qui erant plurimi, Vigilantium susceperit defendendum. Ego ad alia progredior.*

§ LIV. Commentarius in Danielem prophetam: Epistola ad Hedibiam, alia ad Algasiam, alia ad Rusticum, alia ad Avitum.

Sanctus exponit Danielem Prophetam.

Post *explanatos Prophetas duodecim minores, quos circa finem anni* 406 *absolutos vidimus,* Hieronymus *transivit ad Danielem, qui ex Majoribus primus ab eo fuit expositus. Transivit, inquam, ad Danielem, aut continuo post absolutos, Minores, aut post librum adversus Vigilantium, et aliquot Epistolas, quæ laboris non erant admodum diuturni, ut dubitare vix possim, quin Commentarius in Danielem scriptus sit anno* 407, *cum certo sit compositus ante Commentarios in Isaiam et post jam dictos in Duodecim Prophetas. Dedicavit illos Sanctus Pammachio et Marcellæ, ut liquet ex his Præfationis verbis:* Itaque obsecro vos, Pammachi φιλομαθέστατε, et Marcella, unicum Romanæ sanctitatis exemplar, junctus fide et sanguine, ut conatus meus vestris orationibus adjuvetis. *Brevius vero progredi statuit in hoc Commentario, quam ante fecerat in aliis.* Verum jam tempus est, *inquit*, ut ipsius Prophetæ verba texamus, non juxta consuetudinem nostram proponentes omnia, et omnia disserentes, ut in Duodecim Prophetis fecimus; sed breviter et per intervalla ea tantum, quæ obscura sunt, explanantes, ne librorum innumerabilium magnitudo lectori fastidium faciat. *Accessit et ea verisimiliter ratio, quod multa in Daniele historica et satis clara sunt.*

excusans se, quod hunc in finem historicos profanos legeret

931 *Ex hac etiam Præfatione liquet, Sanctum non facile discessisse a proposito non legendi scriptores profanos, quandoquidem utatur excusatione necessitatis.* Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, *inquit*, multiplex Græcorum historia E necessaria est, Sutorii videlicet Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis, et Andronici cognomento Alipii, quos et Porphyrius (*qui contra Danielem scripserat*) esse sequutum se dicit: Josephi quoque, et eorum, quos ponit Josephus, præcipueque nostri Livii, et Pompeii Trogi, atque Justini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam, et post Alexandrum usque ad Cæsarem Augustum Syriæ et Ægypti, id est, Seleuci et Antiochi, et Ptolemæorum bella describunt. Et, si quando cogimur litterarum sæcularium recordari, et aliqua ex his dicere, quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed, ut ita dicam, gravissimæ necessitatis, ut probemus ea, quæ a sanctis Prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tam Græcorum quam Latinorum, et aliarum gentium litteris contineri. *Hæc simul ostendunt, non exiguam fuisse præparationem* Hieronymi *ad Danielem recte exponendum. In hac eadem Præfatione rursum* Hieronymus *defendit Translationem suam ex Hebræo, quod Ecclesiæ Danielem legerent ex Translatione Theodotionis, non ex Septua-* F *ginta. Ex eo autem loco difficultatem sibi peperit Montfauconus, quod verba* Hieronymi *non recte intelligeret; sed locum bene exposuit Vallarsius in Annotatis.*

Hujus commentarii causa accusatus est Sanctus.

932 *Litem periculosam sibi fuisse intentatam causa hujus Commentarii, declarat* Hieronymus *in duabus Præfationibus in Isaiam. In Præfatione libri* 10 *hæc tantum de ea profert:* Audio præterea, scorpium, mutum animal et venenatum, super responsione quondam Commentarioli mei in Danielem prophetam, nescio quid mussitare, immo ferire conari in suo pure moriturum. Cujus næniæ et lugubres cantilenæ necdum mihi proditæ sunt, et idcirco dilata responsio. *Quid illud fuerit, verisimiliter indicat in Præfatione libri* 11, *ubi ista scribit:* Quod si in expositione statuæ pedumque ejus, et digitorum discrepantia, ferrum et testam super Romano imperio interpretatus sum, quod primum forte, deinde imbecille, Scriptura portendit, non mihi imputent, sed prophetæ. Neque enim sic adulandum est principibus, ut sanctarum Scripturarum veritas negligatur, nec generalis disputatio unius personæ

UCTORE

personæ injuria est. Quæ quum benigno meorum studio caveretur, Dei judicio repente sublata est, ut amicorum in me studia, et æmulorum insidiæ monstrarentur. *Ex dictis liquet, quis esset locus, qui unam personam, instigantibus procul dubio aliis, tantopere offendisset. Dixerat in Danielis cap. 2, ℣ 42 de Romani imperii imbecillitate*, Quod hoc tempore manifestissime comprobatur, ... quando et in bellis civilibus, et adversum diversas nationes, aliarum gentium barbararum indigemus auxilio. *Verissima sane hæc erunt; sed veritas odium peperit.*

verisimiliter quod Stilico se perstrictum putaret:

933 *Certo edicere non possumus, quis vera illa* Hieronymi *observatione tantopere fuerit offensus. Verisimillima tamen mihi apparet conjectura Tillemontii, qui art.* 120 *suspicatur, Stiliconem fuisse, de quo dicit*, Nec generalis disputatio unius personæ injuria est. *Certe adjuncta omnia huic favent conjecturæ. Nam Stilico, qui natione barbarus erat, potentiam habebat maximam in Romano imperio, variisque utebatur ducibus barbaris tam in bellis civilibus contra tyrannos ipsumque Arcadium imperatorem, quam contra alias nationes. Itaque, etiamsi* Hieronymus *de Stilicone forsan non* B *magis cogitasset, quam de aliis, potuerant adulatores hostesque* Hieronymi *illi persuadere, allegata verba contra ipsum fuisse prolata. Certe unus aliquis se impetitum suspicatus est, illeque videtur subita morte abreptus, ut colligitur ex illis verbis*, Dei judicio repente sublata est, *nimirum* unius personæ *existimata* injuria. *Hoc omnino congruit Stiliconi, qui anno 408, die 23 Augusti, occisus est jussu Honorii imperatoris. Tempus mortis optime congruit conjecturæ: nam Commentarius in Danielem in Occidentem perferri potuit aut ante finem anni 407, quo dictatus est, aut certe an. 408 notabili tempore ante mortem Stiliconis. Hujus vero mors* Hieronymo *innotescere debuit, quando scribebat in Isaiam, cujus expositioni impendit fere annos 408 et 409, sicut videbimus. Quapropter verisimillima est, ut dixi, conjectura Tillemontii de Stilicone.*

Aliqua item in eo æmulis displicuerunt,

934 *In eadem Præfatione narrat* Hieronymus, *et alia in illo Commentario obtrectatoribus displicuisse.* Difficile, immo impossibile est, *inquit*, placere omnibus; nec tanta vultuum, quanta sententiarum diversitas est. In explanatione Duodecim Prophetarum longior quibusdam visus C sum, quam oportuit: et ob hanc causam in Commentariolis Danielis brevitati studui, præter ultimam et penultimam visionem, in quibus me necesse fuit ob obscuritatis magnitudinem sermonem tendere, præcipueque in expositione septem, et sexaginta duarum, et unius hebdomadarum; in quibus disserendis quid Africanus temporum scriptor, quid Origenes, et Cæsariensis Eusebius, Clemens quoque Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, et Apollinaris Laodicenus, Hyppolytusque, et Hebræi, et Tertullianus senserint, breviter comprehendi, lectoris arbitrio derelinquens, quid de pluribus eligeret. Itaque, quod nos verecundia fecimus judicandi, et eorum honore, qui lecturi erant, quibusdam forte non placeat, qui non antiquorum opiniones, sed nostram sententiam scire desiderant. Quibus facilis responsio est, noluisse me sic unum recipere, ut viderer alios condemnare. Et certe, si tanti et tam eruditi viri fastidiosis lectoribus displicent, quid de me facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli invidorum morsibus pateo? *Ita* Hieronymus.

935 *Placuit ejus collectio de hebdomadis Auctori Operis de Promissionibus, edito cum Operibus S. Prosperi: nam dicit*, labore igenioque magno supputationes factas. *Etiam non displicuit* Hieronymi *modestia S. Augustino, qui de similibus interrogatus ab Hesychio Salonitano episcopo, in Epistola* 197 *(alias 78), ipsas* Hieronymi *expositiones ad eum dirigens, hæc scripsit:* De propheticis autem dictis sive prædictis, de quibus voluisti ut aliquid scriberem, melius mihi visum est sancti Hieronymi, hominis doctissimi, expositiones eorumdem verborum (ne illas forte non habeas) de Opusculis ejus excerptas, dirigere beatitudini tuæ. Si autem jam eas habebas, nec inquisitioni tuæ satisfaciebant, quid de his sentias, peto, mihi rescribere non graveris. *Respondit ad hæc Hesychius, varietate expositionis suspendi lectoris judicium.* Nam, *inquit*, si ipse doctissimus Vir compresbyter noster ait, periculosum esse de magistrorum ecclesiarum judicare sententiis, et alterum præferre alteri, quanto magis hoc lector facere non potest, quod Magister facere dubitavit? *Verum hoc quidem est: sed prudenti lectori satis erit, si intelligat, locum varie exponi posse. Dictum* Hieronymi *Commentarium iterum laudat S. Augustinus, ad eumque lectores remittit his verbis:* Legant presbyteri Hieronymi librum in Danielem, satis diligenter eruditeque conscriptum. *Videmus hic, librum nominari, ut verisimiliter illud Opus non habuerit Augustinus divisum in plures libros, quemadmodum etiamnum exstat sine divisione. Itaque saltem dubium est, an apud Cassiodorum lib. Inst. cap. 3 recte* tribus libris *Daniel ab* Hieronymo *legatur* explanatus.

sed placuit Augustino et aliis. D

E

Ad Hedibiam et Algasiam eodem tempore,

936 *Eodem fere tempore, quo Danielem exposuit* Hieronymus, *respondit ad multas quæstiones sacræ Scripturæ, per Apodemium quemdam allatas ex partibus Galliæ Oceano vicinis, propositasque a piis mulieribus Hedibia et Algasia. Epistola ad priorem est* 120 *(alias* 150) *ad posteriorem* 121 *(alias* 151). *Eodem tempore scriptas esse, colligitur ex Apodemio, qui in utraque dicitur quæstiones attulisse. Quod igitur in alterutra legitur ad tempus determinandum, valet pro utraque. In secunda autem ad quæstionem* 10 *respondens, ait col.* 876 : De quo in Propheta Amos plenius disseruimus. *Itaque, cum Amos sit expositus circa finem anni 406, nequeunt hæ Epistolæ figi ante annum 407. Hac de causa Tillemontius Nota 73, et Vallarsius in Chronotaxi, eas figunt anno 407, adjunctaque alia ratione non* F *æque certa, ad principium anni 407. Altera illa ratio, quam minime certam credo ad Epistolas figendas circa initium anni, petitur ab irruptione Wandalorum aliarumque nationum barbararum in Galliam, de qua in illis Epistolis silet* Hieronymus, *licet de eadem multa dicat in Epistolis post annum 407 datis, ut videbimus. Tillemontius tom. V Imperatorum Nota 22 in Honorium observat, ingressum Wandalorum in Chronico S. Prosperi fixum esse ultima die anni 406, ulteriusque probare conatur, figendum esse circa initium anni 407. Fatetur tamen, ab Orosio, qui tunc vivebat, figi duobus tantum annis ante captam Romam, et a Tirone Prospero post mortem Arcadii, anno 408 defuncti.*

probabilius anno 407, scribit Sanctus,

937 *Non excutiam curiosius dictam chronotaxim. Credamus accuratissimam esse, ultimaque die anni 406 Rhenum transivisse Wandalos. Saltem ex Tirone Prospero satis colligitur, tam rapidos non fuisse eorum progressus primis mensibus anni 407, ut multum terroris inferre potuerint remotissimis a Rheno Galliæ provinciis circa Oceanum ante æstatem ejusdem anni, et fortasse etiam ante annum*

A *annum 408. Poterat itaque Apodemius sub initium æstatis anni 407 Burdegala, aut ex alio illarum partium ad Oceanum portu in Palæstinam navigare, necdum multis auditis de progressu barbarorum in Galliæ portibus Rheno vicinis. Plura verisimiliter de iis aliunde non audiverat* Hieronymus, *dum Apodemius in Palæstinam appulit. Quare media æstate, immo toto anno 407, poterat facile* Hieronymus *de illa barbarorum in Galliam irruptione silere, quod nesciret toti Galliæ tam perniciosam fore. Ex illo igitur silentio, probabilius quidem mihi videtur, scriptas esse Epistolas anno 407 : magis enim mirandum esset, si de Wandalorum in Galliam irruptione nihil anno 408 dixisset* Hieronymus, *ad Gallos scribens. Cum tamen nesciamus, quanti anno 407 fuerint Wandalorum progressus, non omnino mihi fit certum, datas esse Epistolas ante annum 408. Advenit forsan Apodemius eo ipso tempore, quo Danielem explanabat* Hieronymus, *dictæque Epistolæ fuerint dictatæ, Commentario in Danielem necdum perfecto.*

ad multas quæstiones sacræ Scripturæ respondens Hedibiæ.

938 *Priorem ad Hedibiam ita orditur Sanctus:* Ignota vultu, fidei mihi ardore notissima es: et de extremis Galliæ finibus in Bethleemitico rure latitantem ad respondendum provocas de sanctarum quæstiunculis Scripturarum, per homi-
B nem Dei, filium meum Apodemium, commonitoriolum dirigens; quasi vero non habeas in tua provincia disertos viros et in lege Dei perfectos, nisi forte experimentum magis nostri, quam doctrinam flagitas, et vis scire, quid de his, quæ ab aliis audisti, nos quoque sentiamus. Majores tui Patera atque Delphidius, quorum alter, antequam ego nascerer, rhetoricam Romæ docuit; alter, me jam adolescentulo, omnes Gallias prosa versuque suo illustravit ingenio, jam dormientes et taciti, jure me reprehendunt, quod audeam ad stirpem generis sui quippiam mussitare; licet concedens eis eloquentiæ magnitudinem, et doctrinam sæcularium litterarum, merito subtraham scientiam legis Dei, quam nemo accipere potest, nisi ei data fuerit a Patre luminum. . Unde libere profiteor (nec dictum superbe pertimesco) me scribere tibi, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, quam Deus destructurus est, sed in verbis fidei, spiritualibus spiritualia comparantem... Ora igitur,
C ut verus Elisæus steriles in me et mortuas aquas vivificet.... Nec fulgore sæcularis eloquentiæ delecteris, quam vidit Jesus quasi fulgur cadentem de cælo *etc.*

et quomodo vivere debeat vidua liberis carens.

939 *Deinde incipit respondere ad quæstiones duodecim, quæ omnes erant ex Evangeliis et Epistolis S. Pauli propositæ, excepta tamen prima, quæ his verbis concepta est:* Quomodo perfectus quis esse possit, et quomodo Deo vivere debeat vidua, quæ sine liberis derelicta est. *Erat igitur Hedibia vidua sine liberis; neque* paucos *habebat* filios, *ut videbatur dici in responso ad primam quæstionem in priori editione, quæ vitiosa erat, correctaque est a Martianæo et Vallarsio.* Igitur et tu, quia paucos non habes filios, plurimos fac tibi amicos de iniquo mammona. *Suadet* Hieronymus, *ut plurimos pauperes opibus suis amicos faciat, pro filiis, quos non habebat, et tantum paucos habere potuisset. Post præcepta vivendi non admodum prolixe data, duas de eadem materia eidem assignat Epistolas, quas ulterius consulere poterat, ita responsum primam concludens:* Quomodo autem vidua vivere debeat, brevi sermone comprehendit Apostolus, dicens: « Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est »; et nos in duobus libellis, quos ad Furiam et Salvinam scripsimus, plenius dictum putamus. *Deinde ad alias undecim quæstiones accurate et prolixe respondet.*

AUCTORE J. S.

Algasiæ item exponit difficultates scripturisticas.

940 *Eodem cura, et prolixius etiam, respondit ad undecim quæstiones Algasiæ, ex Evangeliis similiter et Pauli Epistolis selectas, ut hæ duæ Epistolæ, sive materiam spectemus, sive molem, libris in sacram Scripturam editis annumerari valeant. Initium secundæ hoc est:* Filius meus Apodemius, qui interpretationem nominis sui, longa ad nos veniens navigatione, signavit, et de Oceani littore atque ultimis Galliarum finibus, Roma prætérita, quæsivit Bethleem, ut inveniret in ea cælestem panem,... detulit mihi in parva schedula maximas quæstiones, quas a te datas, mihique tradendas diceret. An quarum lectionem intellexi, studium reginæ Saba in te esse completum, quæ de finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis. Non quidem ego Salomon, qui et ante se et post se cunctis hominibus præfertur sapientia; sed in regina appellanda es Saba, in cujus mortali corpore non regnat peccatum, et quæ ad Dominum tota mente E
conversa, audies ab eo: « Convertere, convertere Sunamitis. » Etenim Saba in lingua nostra conversionem sonat. Simulque animadverti, quod quæstiunculæ tuæ, de Evangelio tantum et de Apostolo propositæ, indicant te veterem Scripturam aut non satis legere, aut non satis intelligere: quæ tantis obscuritatibus et futurorum typis obvoluta est, ut omnis interpretatione egeat...

eique pro similibus assignat Alethium presbyterum.

941 Præterea satis miratus sum, cur, purissimo fonte vicino relicto, nostri tam procul rivuli fluenta quæsieris, et omissis aquis Siloë, quæ vadunt cum silentio, desiderares aquas Sihor, quæ turbidis sæculi hujus vitiis sordidantur. Habes istic sanctum virum Alethium presbyterum, qui viva, ut aiunt, voce et prudenti disertoque sermone possit solvere, quæ requiris, nisi forte peregrinas merces desideras, et pro varietate gustus nostrorum quoque condimentorum te alliamenta delectant. Aliis dulcia placent, nonnullos subamara delectant: horum stomachum acida renovant, illorum falsa sustentant... Itaque nostram amaritudinem illius nectario melle curato *etc. Non quidem certo constat, quis sit Alethius presbyter, tantopere ab* Hieronymo *laudatus.* F
Verisimillima tamen est conjectura Tillemontii, qui art. 119 existimat, eumdem esse cum Alethio, ad quem exstat Epistola 33 S. Paulini, et qui deinde creatus est episcopus Caducensis, multum laudatus in alia S. Paulini Epistola, cujus fragmentum dedit Gregorius Turonensis lib. 2, cap. 13. Plura ad laudatas Epistolas non observabo. In neutra quidquam legitur de irruptione barbarorum in Galliam. At ex eo non evincitur, scriptas esse sub initium anni 407: nam de illa etiam tacere poterat Hieronymus, *circa finem ejusdem anni, quod barbari adhuc multum distarent a provinciis circa Oceanum sitis, in quibus habitabant Hedibia et Algasia, ut jam dixi; vel etiam quod necesse non esset in quæstionibus sacræ Scripturæ de ea meminisse.*

Probabilius eodem tempore scribit ad Rusticum.

942 *Fortasse et tertiam eodem tempore scripsit Sanctus, videlicet Epistolam 122 (alias 46) ad Rusticum, in qua de barbaris Galliam ingressis ita meminit, ut necdum videatur novisse omnia mala per eosdem Galliis illata. Illam Tillemontius art. 121 refert ad annum 408, qui etiam in margine notatus*

notatus est apud Vallarsium; sed hic in chronotaxi Epistolarum maluit annum 407 designare. Patuit scribi sub finem anni 407, aut anno sequenti. At mihi probabilius est, scriptam esse eadem tempore cum duabus præcedentibus, a quibus illam tantum sejunxerunt Tillemontius et Vallarsius, quod meminerit de barbaris in Gallia. Nam initium plane insinuat, eodem tempore, quo ad Hedibiam, ad Rusticum quoque scripsisse Hieronymum, *cum ejus precibus ad scribendum fuerit inductus.* Quod ignotus, *inquit*, ad ignotum audeo scribere, sanctæ ancillæ Christi Hedibiæ, et filiæ meæ, conjugis tuæ Artemiæ, immo sororis ex conjuge atque conservæ, fecit deprecatio. Quæ nequaquam propria salute contenta, tuam et ante quæsivit in patria, et nunc in sanctis locis quærit. *Vix dubitare possum, quin Hedibia iisdem litteris, quibus responsum flagitavit ad quæstiones suas,* Hieronymum *simul rogaverit, ut scriberet ad Rusticum de pœnitentia agenda. Uxor vero Rustici Artemia potuerat cum Apodemio navigare in Orientem: nam in Palæstinam pervenerat, quando hanc scribebat* Hieronymus. *Potuit quidem his ad* Hieronymum *scribere Hedibia, secundamque ad ipsum dare cum Artemia, si illa post Apodemium discessit in Palæstinam. At nihil est, quod cogat hoc dicere.*

quem hortatur ad pœnitentiam, quod fidem conjugi de continentia datum fregisset.

943 *Tota* Hieronymi *Epistola hortatur Rusticum ad pœnitentiam. Ratio exponitur num. 4 hoc modo:* Narravit mihi uxor quondam tua, nunc soror atque conserva, quod juxta præceptum Apostoli ex consensu abstinueritis vos ab opere nuptiarum, ut vacaretis orationi: tuaque rursum vestigia, quasi in salo posita fluctuasse, immo (ut aperte loquar) esse prolapsa. Illam autem audisse a Domino cum Moyse: « Tu vero » hic sta mecum »: et dixisse de Domino: « Sta- » tuit supra petram pedes meos. » Tuam domum, quæ fundamenta fidei solida non habebat, postea diaboli turbine concidisse: porro illius perstare in Domino, et suum tibi hospitium non negare, ut cui prius conjunctus fueras corpore, nunc spiritu copuleris.... Quumque vos rabies barbarorum, et imminens captivitas separaret, sub jurisjurandi testificatione pollicitum, ut ad sancta transeuntem loca vel statim vel postea sequereris et servares animam tuam, quam visus fueras negligentia perdidisse. Redde igitur, quod præsente Deo spopondisti. Incerta est vita mortalium: ne ante rapiaris, quam tuam impleas sponsionem, imitare eam, quam docere debueras...

944 Quod si te rei familiaris tenent reliquiæ, ut scilicet et mortes amicorum et civium videas, et ruinas urbium atque villarum, saltem inter captivitatis mala, et feroces hostium vultus et provinciæ tuæ infinita naufragia, teneto tabulam pœnitentiæ: et memento consorvæ tuæ, quæ tuam quotidie suspirat, nec desperat salutem. Tu vagaris in patria, immo non patria, quia patriam perdidisti: ista pro te in locis venerabilibus Resurrectionis et Crucis, et incunabulorum Domini Salvatoris, in quibus parvulus vagiit, tui nominis recordatur, teque ad se orationibus trahit, ut, si non tuo merito, saltem hujus salveris fide *etc. Ex datis liquet, provinciam, ex qua erat Rusticus, jam multą passam fuisse, eaque* Hieronymo *innotuisse, antequam hanc scribebat. At ex eo non possumus certo inferre, scriptam esse post duas memoratas, in quibus illa non leguntur, præsertim cum nesciamus, ex qua Galliarum provincia esset Rusticus: nam vicinæ Rheno provinciæ multum passæ sunt ab anno 407, non item vicinæ Oceano et Hispaniæ.*

Translationem librorum de Principiis Avito mittit.

945 *Epistola* 124 (*alias* 59) *figi potest circa annum 408, ut facit Tillemontius art.* 121. *Vallarsius in Chronotaxi eam credit referendam ad annum 409 aut 410. Principium Epistolæ pro epocha figenda et pro ipsa materia valebit.* Ante annos circiter decem, *inquit*, sanctus vir Pammachius ad me cujusdam schedulas misit, quæ Origenis περὶ ἀρχῶν interpretata volumina continerent, immo vitiata, hoc magnopere postulans, ut Græcam veritatem latina servaret translatio... Feci, ut voluit, misique ei libros, quos quum legisset, exhorruit, et reclusit scrinio; ne prolati in vulgus multorum animos vulnerarent. A quodam fratre, qui habebat zelum Dei, sed non secundum scientiam, rogatus, ut traderet ad legendum, quasi statim reddituro, propter angustiam temporis fraudem non potuit suspicari. Qui acceperat legendos, adhibitis notariis, Opus omne descripsit, et multo celerius, quam promiserat, codicem reddidit. Eademque temeritate, et (ut levius dicam) ineptia, quod male surripuerat, pejus aliis credidit. Et quia difficile grandes libri, de rebus mysticis disputantes, notarum possunt servare compendia, præsertim qui furtim celeriterque dictantur, ita in illis confusa sunt omnia, ut et ordine in plerisque et sensu careant. Quamobrem petis, Avite carissime, ut ipsum ad te exemplar dirigam, quod a me olim translatum, et nulli alii traditum, a supradicto fratre perverse editum est. Accipe igitur, quod petisti, sed ita, ut scias, detestanda tibi in eis esse quam plurima *etc.*

schedulæ decem, quibus fœdati sunt erroribus.

946 *Ad hæc modo nonnulla observemus. Libros* περὶ ἀρχῶν, *aut de Principiis, transtulit Rufinus anno* 398, *nec dubitandum videtur, quin illos eodem anno ad* Hieronymum *miserit Pammachius. Itaque anni* circiter decem *ducant ad annum* 408, *si fuerint fere pleni, aut si saltem sumantur navem cum media, cum absoluti non fuerint a Rufino, nisi circa medium anni* 398. *Si tamen solam modicum ultra novem annos designarit* Hieronymus, *scripta fuerit hæc Epistola sub finem anni* 407: *certe figenda non est anno* 409 *aut* 410. *Epistola est prolixa, qua exponit* Hieronymus *errores librorum Origenis de Principiis, quos rogatus mittebat, verisimiliter non missurus, nisi jam fuissent in manibus Aviti, sed plane mendosi. Nam saltem eos mittere noluit, nisi adjuncto antidoto, concludens Epistolam his verbis:* Quisquis igitur hos voluerit legere libros, et calceatis pedibus ad terram promissionis pergere; necubi a serpentibus mordeatur, et arcuato scorpii vulnere verberetur, legat prius hunc librum, et antequam ingrediatur viam, quæ sibi cavenda sint, noverit. *Existimat laudatus Tillemontius, Avitum illum, ad quem data est* Hieronymi *Epistola, Hispanum esse, unumque ex duobus, qui memorantur in Consultatione Orosii ad Augustinum de errore Priscillianistarum et Origenistarum, quæ videri potest tom. V Operum S. Augustini col.* 607 *et seqq.. Si res sic se habet, non immerito timuit* S. Hieronymus: *nam Avitus ille sic opposuisse se Priscillianistis dicitur, ut inciderit in aliquot errores Origenistarum.*

§ LV.

A

§ LV. Commentarii in Isaiam : Epistola ad Ageruchiam.

Isaiæ Prophetiam Sanctus exponere incipit,

Ordo temporum deduxit nos ad prolixissimum omnium Operum S. Hieronymi, *magnaque diligentia compositum, ad Commentarios, inquam, in Isaiam prophetam, quos libris octodecim distinxit. Tillemontius art.* 120 *existimat, anno* 408 *aut* 409 *inchoatum ab* Hieronymo *hunc Commentarium. Vallarsius in Præfatione tomi IV, qui hoc Opus exhibet, ab ea opinione recidit, vultque Commentarium non fuisse inchoatum ante annum* 410. *Verum hæc chronotaxis mihi prorsus est improbabilis, quia* Hieronymus *sic fere otiosus fuisset annis* 408 *et* 409, *quibus paucissimas scripsit Epistolas; Opus vero maximum, quo diutissime occupatum se fuisse variis locis insinuat, absolvisset anno non integro : nam perfectum fuisse Opus diu ante finem anni* 410, *certissimum est, et non diffitebitur ipse Vallarsius; imo et absolutum ante*

B *annum* 410, *infra probabo. Argumentum, cujus causa dissensit a Tillemontio, petitur ex verbis* Hieronymi *in cap.* 6, *ubi Sanctus hæc scribit :* De hac visione ante annos circiter triginta, quum essem Constantinopoli, et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis episcopum, sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque Tractatum :... Ad illum itaque libellum remitto lectorem, oroque, ut brevi hujus temporis expositione contentus sit.

non anno 410,

948 *Laudatum Opusculum Vallarsius figit medio anno* 381, *quia Nazianzenus episcopatum Constantinopolitanum paucis tantum mensibus habuit circa medium anni* 381. *Ab hoc tempore numerat annos viginti et novem, ut vere dictum sit* circiter triginta; *et sic initium Operis figit anno* 410. *Verum omnia hæc adeo fallere possunt, ut ne post annum quidem* 407 *initium Operis certo figere præsumam. Nam primo Tractatus ille de Seraphim, Constantinopoli scriptus, tam certi temporis non est, ut debeat necessario figi circa medium anni* 381, *sed possit etiam dictatus esse anno* 380, *immo et ab anno* 379, *ut observavi num.* 223.

C *Certe omni illo tempore* Hieronymus *videtur fuisse Constantinopoli, et Nazianzenus administrabat episcopatum ejusdem urbis, etiamsi paucis solum ultimis mensibus illum rexerit ut proprium. Secundo mire fallere potest illud* circiter triginta; *cum enim sit numerus rotundus et magnus; non ausim certo edicere, an non desint duo tresve anni ad implendum triginta. Tertio non protulit allegata verba* Hieronymus *initio Operis sui; sed quando jam quinque capita explanaverat, duosque dictaverat libros. Itaque, cum* Hieronymus *multo plus temporis consumeret præparando se ad majora Opera, quam iis dictandis; verisimiliter multis mensibus et fortasse anno integro Isaiam præ manibus habuerat, antequam ad eum locum dictando perveniret; et sic rursum fallit locus pro quærendo Operis initio.*

sed anno 408, *aut sub finem* 407 *:*

949 *Quapropter nullum mihi est dubium, quin chronotaxis Tillemontii sit veræ propinquior : malimque anno* 408 *initium figere, quam* 409; *imo non ausim dicere, inchoatum esse Commentarium post finem anni* 407, *cum nesciamus, an Sanctus totum illum annum Danieli et aliquot Epistolis impenderit. Etenim, absoluto Daniele, ad Isaiam progressus est, ut habet prima Præfatio ad S. Eustochium, quam sic orditur :* Expletis longo vix tempore (*circa finem anni* 406) in Duodecim Prophetas viginti Explanationum libris, et in Danielem (*verisimiliter anno* 407) Commentariis, cogis me, virgo Christi Eustochium, transire ad Isaiam : et quod sanctæ matri tuæ Paulæ, dum viveret, pollicitus sum, tibi reddere. Quod quidem et eruditissimo viro, fratri tuo, Pammachio, promisisse me memini : quum in affectu par sis, vincis præsentia. Itaque et tibi et illi per te reddo, quod debeo. *Mox, petitis Eustochii precibus, de modo exponendi hæc pronuntiat :* Nullusque putet, me voluminis illius argumentum brevi cupere sermone comprehendere; quum universa Domini sacramenta præsens Scriptura contineat. *Plura profert ad commendandam Isaiæ Prophetiam, quæ ibidem legi possunt, uti et reliqua. In Præfatione libri* 2 *rursum preces Eustochii flagitat, quemadmodum in tertia facit et in aliis plerisque facere solet.*

AUCTORE J. S.

liber quintus est Opusculum ante compositum.

950 *In libro* 3 *et in cap.* 7, ℣ 21 *et seqq. Sanctus loquitur de vastato per barbaros Romano imperio, hæc scribens :* At nunc magna pars Romani orbis quondam Judææ similis est : quod

E absque ira Dei factum non putamus, qui nequaquam contemptum sui per Assyrios ulciscitur et Chaldæos; sed per feras gentes, et quondam nobis incognitas, quarum et vultus et sermo terribilis est, et femineas incisasque facies præferentes, virorum et bene barbatorum fugientia terga confodiunt. *Pro* Romani orbis *ante editum fuerat* Romanæ urbis. *At mendum illud correctum est, ipsaque comparatio cum Judæa ostendit, non agi de Urbe, sed de imperio Romano, quod a sæculo præcedente in variis partibus vastabant Gothi aliique barbari. Ubi ad librum quintum et caput* 13, *pervenerat* Hieronymus, *nonnihil mutationis induxit propter Opusculum de Decem Isaiæ visionibus antea scriptum, et Amabili episcopo dicatum, ut dictum est num.* 575. *Nam totum illud Opusculum pro libro quinto dedit : cumque historicam dedisset solum explanationem in illo Opusculo, duos libros, sextum et septimum, subjunxit, in quibus illorum* 11 *capitum, quæ primum historice erant exposita, dedit explanationem moralem et allegoricam, alias historicæ statim adjungi solitam. Hæc se facturum ait in Præfatione quinta, in sexta et septimo facere, ac fecisse in*

F *octava, cujus hoc est principium :* Sextus et septimus superiores libri allegoriam quinti voluminis continent, quod olim historica explanatione dictavi. Præsens Opus, id est, octavus liber, ad cœptam interpretationem revertitur, ut et historiam et tropologiam juxta utramque editionem (*Septuaginta et Translationem ex Hebraico*) pariter disserat.

In eo Opere lentius progressus,

951 *In Præfatione libri noni indicat, minus cito se in hisce Commentariis procedere, ita exordiens :* Variis molestiis occupati, explanationes in Isaiam prophetam per intervalla dictamus. Unde, expleto octavo volumine, nunc post aliquantum temporis spatium transimus ad nonum, non absque morsu et obtrectationibus invidorum, qui ignorantes, quid audiant, quid loquantur, de eo audent judicare, quod nesciunt, et ante despiciunt, quam probent; eruditosque se æstimant et disertos, si de cunctis scriptoribus detrahant. Quorum livorem et mussitationem garrulam contemnentes, Dei poscamus auxilium, et Psalmistæ imprecatione dicamus : « Dissipa gentes, quæ bella volunt. » *etc. Jam aliquid verisimiliter audierat* Hieronymus

AUCTORE J. S.

mus *de calumnia contra se cusa ob dicta in Commentariis Danielis. At plusculum noverat, dum scribebat Præfationem libri 10, ut dictum est de illa calumnia num. 932; nec tamen totum tunc noverat, ideoque distulerat responsum. Pergebat interim, ut obediret Eustochio et* Pammachio,... qui, *inquit,* insatiabili studio me per litteras cogit, expleto Isaia, transire ad Ezechiel, quum ego et ætatis et corporis imbecillitate confectus, notariorumque penuria, qui me possent suis ministeriis adjuvare, in eodem adhuc luto hæsitem, et vix partem Isaiæ mediam in hoc volumine finiturum esse me credam. *Hæc rursum insinuant, lentius processisse in Isaia* Hieronymum. *Nam ex tempore, quo cœperat illum Commentarium, Pammachius Romæ conjiciebat, fere absolutum fore, quando solum erat in medio: neque enim alias ursisset, ut pergeret ad Ezechielem.*

circa Octobrem anni 408 videtur scripsisse librum 11:

952 *Verumtamen jam ante finem anni 408 decem priores libros ab* Hieronymo *perfectos existimo, quia in Præfatione libri* 11 *insinuat Sanctus, mortem Stiliconis sibi innotuisse, quam adhuc ignorabat, dum scribebat Præfationem libri* 10. *Certe verisimillimum est, ut probavi num.* 933, B *Stiliconis mortem ibi verbis obscuris indicari intelligentibus, quandoquidem* unius personæ injuria, *quam ab* Hieronymo *illatam calumniabantur æmuli, amici vero negabant,* Dei judicio repente sublata est, *id est, opinor, cæde Stiliconis; sive hic sibi injuriam verbis* Hieronymi *illatam contenderet, sive imperatori. Si autem, ut verisimillimum dixi, de Stiliconis interitu revera loquatur Sanctus, scripserit hæc circa Octobrem anni 408, cum die 23 Augusti occisus ille sit. Hæc notio optime congruit cum tempore, quo Commentarium hunc inchoatum credo. Si enim, absoluto Daniele, hunc statim inchoaverit parte posteriore anni 407 aut priore sequentis 408; potuit tardius solito procedens, et aliquot Epistolas, § 54 relatas, interponens, aut annum integrum, aut octo vel decem menses prioribus undecim libris impendere.*

dictans librum 13,

953 *Reliqua etiam ejusdem Operis pars lentius progressa est, cum ob senectutis aliaque jam memorata incommoda, tum ob summam curam, qua Isaiam explanavit, et demum ob morbum gravem infra memorandum. Interim in Operis progressu non carebat æmulis, ut breviter insinuat in Præfatione libri* 12, *amicorum suorum studio con-* C *tentum se esse, declarans his verbis:* Mihi sufficit paucorum testimonium, et amicorum laude contentus sum, qui in expetendis Opusculis meis amore nostri labuntur et studio Scripturarum. *Gravi morbo correptus est, dum dictabat librum* 13. *Quod ex ordine dato contingere debuit hiemali tempore circa initium anni* 409. *In ipso languore brevem dictavit Præfationem libro, qui postea perfectus est, præfixam. Totam subjungo:* Multi casus opprimunt navigantes. Si vehementior flaverit ventus, tempestas formidini est. Si aura moderatior summa jacentis elementi terga crispaverit, piratarum insidias pertimescunt. Atque ita fit, ut fragili animæ ligno creditæ, aut metuant periculum aut sustineant: quorum utrumque altero gravius est, vel mortem timere perpetuo, vel, quam timueris, sustinere.

gravi correptus est morbo,

954 Hoc mihi in Isaiæ pelago naviganti accidere video: dum enim inoffenso cursu vela tenduntur, et securis nautarum manibus sulcans æquoris campos carina delabitur; subitus languoris turbo consurgens tantis undarum molibus, et collisorum inter se fluctuum fragore resonante, pavida amicorum corda perterruit, ut dicere co- gerentur: « Magister, salvos nos fac, perimus. » D Quamobrem, Eustochium, in toto orbe terrarum unicum nobilitatis et virginitatis exemplum, non sileat pupilla oculi tui; clamaque in corde: « Abba « pater. » Et cum Psalmista loquere: « Exsurge, « ut quid dormis, Domine? » ut injunctum in Isaiam Opus, te orante, et Christo miserante, perficiam. Jam enim tertius decimus Explanationum liber cuditur, qui necdum pervenit ad calcem. Et interim, donec misericors et miserator Dominus, patiens et multarum miserationum, reddat pristinam sanitatem, hanc Præfatiunculam tumultuario sermone dictavi, ut, quæ habentur in schedulis describantur; et plena emendatio lectoris judicio reservetur. *Ita in morbo Sanctus de correctione; sed hanc verisimiliter ipse deinde adhibuit: neque enim morbus fuit diuturnus; vel sic tamen languore notabilis Operi mora fuerit injecta. Baronius ad annum 409 num. 14 credidit, agi de obsidione Urbis, quia pro* languoris turbo, *legit* clangoris turbo, *sed hanc opinionem etiam sequentia reddunt improbabilem.*

at deinde subito sanatus.

955 *De morbis et sanatione sua* Hieronymus *in Præfatione libri 14, quam etiam totam huc transfero, sic exorditur:* Dominus, qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, E et fumigabunt, qui loquitur in Deuteronomii cantico: « Ego occidam, et ego vivificabo; per- « cutiam, et ego sanabo; » frequentibus morbis meam quoque terram fecit contremiscere, cui dictum est: « Terra es, et in terram ibis. » Et oblitum conditionis humanæ crebro admonet, ut hominem et senem et jamjamque moriturum esse me noverim. De quo scribitur: « Quid glo- « riatur terra et cinis? » Unde qui me subito languore percusserat, incredibili velocitate sanavit; ut terreret potius, quam affligeret, et emendaret magis, quam verberaret. Itaque sciens, cujus sit omne, quod vivo, et quod idcirco forsitan mea dormitio differatur, ut cœptum in Prophetas Opus expleam, totum me huic trado studio, et quasi in quadam specula constitutus, mundi hujus turbines atque naufragia non absque gemitu et dolore contemplor, nequaquam præsentia cogitans, sed futura; nec hominum famam atque rumusculos, sed Dei judicium pertremiscens. Tuque, virgo Christi Eustochium, quæ ægrotantem tuis orationibus adjuvisti, sanato quoque imprecare gratiam Christi, ut eodem spiritu, quo Prophetæ futura cecinerunt, possim in F nubem eorum ingredi et caliginem, et Dei nosse sermonem, qui nequaquam carnis auribus, sed cordis auditur; et dicere cum Propheta: « Do- « minus dat mihi linguam disciplinæ, ut sciam, « quando oporteat me loqui. » Quod testimonium quarti et decimi in Isaiam libri, quem nunc disserere cupio, principium est. *Hæc attuli omnia, ut religiosa* Hieronymi *sensa lector perspiciat. Possent plurima hunc in finem ex ipsis recitari libris, sed nimium excresceret hic Commentarius.*

Quibus promissum et dedicatum hoc Opus.

956 *Itaque brevitatis gratia de reliquis Præfationibus paucissima seligam. In Præfatione* 16 *multum laudat eruditionem S. Eustochii, quod objectionem difficilem proposuisset ex Scripturis contra ipsius* Hieronymi *asserta; ad quam Sanctus ibi respondet. Objectionem latius exposui ad 28 Septembris in S. Eustochio num. 62. In Præfatione libri 18 et ultimi, initio iterum declarat, quibus prolixum hoc Opus dedicarit, ita ordiens:* Duodevicesimus in Isaiam, immo extremus liber, tuo, o filia Eustochium, et sanctæ matris tuæ

A tuæ Paulæ nomini dedicatur, ut, quas pari honore suspexi, æqua commemoratione nunc recolam; præsertim quum et illa, dum viveret, hoc Opus tecum crebrius postularit, et vir eruditissimus frater tuus Pammachius et tunc et postea frequentibus scriptis cogere non destiterit: mihique et præsentium amicorum et absentium, virorumque ac fœminarum in Christo dormientium eadem religio sit, id est, animorum caritas, non corporum.

et quare tam prolixum.

957 *Post multa maxime contra Millenarios, quos crebro in posterioribus libris refutat, disputata, totius Operis sui prolixitatem sic defendit:* Si cui autem Explanationum in Prophetas displicet longitudo; audiat libere, multo me pauciora dixisse, quam rei obscuritas flagitat; et posse unumquemquo de nostra latitudine breves sibi Commentariolos facere, qui tamen pleno intellectui non sufficient. Neque enim simplex a Prophetis historia, et gestorum ordo narratur; sed ænigmatum plena sunt omnia; aliudque in verbis sonat, aliud tenetur in sensibus; ut quæ, æstimaveris plana, et inoffensa currere lectione, sequentium rursum obscuritatibus involvantur. Verum tempus est, ut finem imponam volumini B prophetali, in cujus expositione si prolixior solito fuero, extremis partibus concedendum est, quas dividero nolui, ne librorum numerus augeretur. *Hactenus* Hieronymus *de illo Commentario, qui non modo prolixus est, sed multiplici etiam doctrina plenus, ut mirandum non sit, si eidem fere duos annos, videlicet 408 et 409 impenderit. At paucis modo inquiramus tempus, quo videtur absolutus.*

Circa tempus captæ Romæ, mortisque

958 *Hoc tempus cum nonnulla confusione designat* Hieronymus *in Præfatione ad Ezechielem, quam exorditur hoc modo:* Finitis in Isaiam decem et octo Explanationum voluminibus, ad Ezechiel, quod tibi et sanctæ memoriæ matri tuæ Paulæ, o virgo Christi Eustochium, sæpe pollicitus sum, transire cupiebam, et extremam, ut dicitur, manum Operi imponere Prophetali: et ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nuntiata est. Atque ita consternatus obstupui, ut nihil aliud diebus ac noctibus nisi de salute omnium cogitarem, meque in captivitate Sanctorum putarem esse captivum, nec possem prius ora reserare, nisi aliquid certius discerem; C dum inter spem et desperationem sollicitus pendeo, aliorumque malis me crucio. Postquam vero clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, immo Romani imperii truncatum caput *etc. Addit, etiam tum dilatam Ezechielis Explanationem.*

Pammachii et Marcellæ Opus absolutum.

959 *Verum ad allegata verba necesse est nonnulla observare. Primo nequeunt sic exponi, ut credantur omnia ordine suo relata: nam S. Marcella, cujus mors videtur poni ante obsidionem Urbis, adhuc vivebat, quando capta est Roma, ut clare testatur* Hieronymus *in ejus Epitaphio, sive Epistola* 127 (*alias* 16) *ad Principiam, narrans num.* 13, *quanta sit passa illo tempore, mortemque ejus figens* post aliquot dies *captæ Urbis. Dicendum igitur est,* Hieronymum *sine ordine temporis recensuisse omnia tristia, quorum causa Ezechielis Explanationem diu distulerat, mortemque Marcellæ junxisse cum morte Pammachii, tamquam præcipuorum amicorum, quorum obitum maxime lugebat, etiamsi Pammachius fortasse notabili tempore ante Marcellam sit defunctus. Actum est apud nos de S. Pammachio ad 30 Augusti, obitusque ejus dubitanter fixus anno 409 aut 410. Secundo de anno captæ Romæ non convenit inter eruditos; nam Baronius, Tillemontius aliique plures statuunt annum 410, illùmque multis rationibus propugnant. Pagius vero, quem et alii præcesserunt ac secuti sunt, multis argumentis evincere conatur, Romam fuisse captam anno 409, et die 24 Augusti. Hæc Pagii sententia, quam et Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum 409 secutus est, mihi multo probabilior apparet, quam opposita.*

cum autem Urbis probabilius capta sit anno 409, 24 Augusti.

960 *Tertio triplex fuit Romæ per Alaricum obsidio, prima sub finem anni 408, ut eruditi modo fere consentiunt, hac præsertim ratione, quod post solutam obsidionem, Ravennæ insignia consulatus sui octavi initio anni 409 sumpserit Honorius imperator. De hac obsidione, quæ multo Romanorum auro soluta est ab Alarico, loquentem audiamus* Hieronymum *in Epistola* 123 (*alias* 11) *ad Ageruchiam num.* 17: Quis hoc credet? quæ digno sermone Historiæ comprehendent, Romam in gremio suo, non pro gloria, sed pro salute pugnare; immo ne pugnare quidem, sed auro et cuncta supellectile vitam redimere? Quod non vitio principum, qui vel religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidit proditoris (*Stiliconis*), qui nostris contra nos opibus armavit inimicos. *Hæc anno 409* Hieronymus, *verisimiliter tempore æstatis, antequam secundam obsidionem noverat. Altera Romæ obsidio secuta est post aliquot menses, quod Honorius Ravennæ degens nollet consentire pactis inter Romanos et Alaricum. Hac autem obsidione Alaricus coegit Romanos, ut Attalum, quem urbis præfectum statuerat Honorius, imperatorem acciperent. Secuta demum est obsidio tertia et Urbis expugnatio, postquam Attalum rursus imperio dejecerat Alaricus, eaque a Pagio, Muratorio, aliisque, ut dixi, figitur 24 Augusti anni 409. Hac autem sententiam si sequamur, Commentarium suum in Isaiam certo finivit* Hieronymus *anno 409, sive in allegatis supra verbis loquatur de obsidione prima, sive de secunda aut de tertia, qua Urbs expugnata est.*

videtur circa autumnum absolutus Commentarius.

961 *Quarto observo, non omnia superius relata, quæ Sanctus sibi nuntiata dicit, quando cogitabat ad Ezechielem transire, necessario ponenda esse post finitum Isaiam: nam jam ante cogitabat, hoc finito, transire ad Ezechielem. Certe mortem Pammachii satis clare intimat in libro 17 in* F *cap. 60, ℣ 6 et 7 his verbis:* Denique sanctæ memoriæ mater tua Paula, fraterque Pammachius, per foramen acus, hoc est, per arctam et angustam viam, quæ ducit ad vitam, transierunt ad regna cælorum, latam viam cum sarcinis relinquentes, quæ ducit ad tartarum. *Defunctis etiam Pammachium non minus quam Paulam annumerat in Præfatione libri* 18, virorumque ac fœminarum in Christo dormientium *eamdem, ac viventium, sibi rationem esse dicens, cum illos solos cum Eustochio nominasset. Suspicor itaque, obiisse Pammachium sub initium aut circa medium anni 409. Hinc ulterius infero, necessarium non esse, ut dicamus absolutum fuisse* Hieronymi *Commentarium, quando audivit primam Romæ obsidionem. Ex omnibus demum concludo, prolixum hoc* Hieronymi *Opus absolutum videri anno 409, et certe aliquo tempore ante auditam ab eo Urbis expugnationem. Si autem consideremus, decem aut undecim libros, id est, ultra mediam partem, videri perfectam fuisse circa Octobrem aut Novembrem anni 408, ut dictum est num. 952, merito* conjiciemus,

ANN. DOM. 409. *conjiciemus, totum Opus fuisse perfectum, circa autumnum anni* 409.

Eodem anno Sanctus scripsit ad Ageruchiam.

962 *Epistola* 123 (*alias* 11) *ad Ageruchiam, quæ et* Geruntia *dicta, aliisque vicinis nominibus designata fuit, eodem anno* 409 *data est, probabilius ante finitam Explanationem Isaiæ. Nam prima Romæ obsidio, quæ contigit circa finem anni* 408, *in ea clare memoratur verbis num.* 960 *datis; non item secunda tertiaque et expugnatio, quæ ante finem anni* 409 Hieronymo *potuerunt innotescere. Memoratur in eadem clades omnium fere Galliarum, quæ anno* 407 *cœpta et ad culmen perducta est duobus sequentibus annis. At ingressos in Hispaniam barbaros necdum noverat* Hieronymus, *dum scribebat. Atqui secundum Tillemontium tom. V Imperatorum in Honorio art.* 39, *Alani, Wandali et Suevi in Hispaniam penetrarunt mense Septembri vel Octobri anni* 409, *ut eadem etiam de causa post annum* 409 *Epistola figi nequeat. Cladem Galliarum et metum Hispaniæ num.* 16 *his verbis exprimit Sanctus :* Mogontiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, et in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ,
B extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, Novemque Populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes, populata sunt cuncta : quas et ipsa foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret, sancti episcopi Exuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque periturae, quotidie contremiscunt *etc.*

cui secundas dissuadet nuptias, et vivendi dat præcepta.

963 *Non indicat* Hieronymus, *cujus rogatu ad Ageruchiam scribat, ab eane accepisset litteras, an alterius litteris ad scribendum fuerit inductus. Nihilo magis aperte declarat, in qua provincia habitaret Ageruchia. Verumtamen existimo, eam habitasse in Gallia, et in urbe aliqua necdum expugnata; cum quod tam multa dicat de cladibus Galliarum, ut secundas nuptias eidem dissuadeat, tum vel maxime quod num.* 18 *dicat :* Aut quibus deliciis affluas, quæ possessionum tuarum redditus perdidisti, quæ obsessam familiolam tuam morbo et fame cernis contabescere? *Nam illa verba omnino insinuant, ipsam habitasse in una ex urbibus Galliæ necdum captis, de quibus supra*
C *dicit :* Quas et ipsas foris gladius, intus vastat fames. *Ceterum tota Epistola, quæ prolixa est, eo dirigitur, ut Ageruchiæ, viduæ juveni, secundas dissuadeat nuptias, et nonnulla det vivendi præcepta. Pro his tamen præcedentia aliquot Opuscula ei assignat, Epistolam ita concludens :* Legito, quomodo tibi in viduitate servanda vivendum sit, librum ad Eustochium de Virginitate servanda, et alios ad Furiam atque Salvinam... Hic libellus de Monogamia sub nomine tuo titulum possidebit.

D

§ LVI. Commentarius in Ezechielem inchoatus, abruptusque post tres libros ob incursionem Arabum : Epistolæ aliquot recensentur.

Absoluta Isaia, Sanctus, nimio luctu ob cladem Urbis

Ab anno 408, *quo Isaiam exponebat, meditabatur* Hieronymus *post absolutum istud Opus continuo transire ad Ezechielem, ut postulabat S. Pammachius verbis num.* 951 *datis. Ubi vero Isaiam fere absolverat, ac deinde omnino ad calcem perduxerat, segnior factus est ad pergendum, audita morte Pammachii, obsidione Urbis Romæ, magnis calamitatibus imperii Occidentalis, ut rursum ipse docet verbis recitatis num.* 958. *Intellecta tandem expugnatione ac vastatione Urbis per Alaricum, anno* 409, *ut cum Pagio existimo, et mense Augusto figenda, simulque obitu S. Marcellæ, quæ paucis diebus captæ Urbi supervixit, studia sua omnia seposuit, diuque a* E
dictando prorsus abstinuit. Itaque reliqua saltem parte anni 409, *sub cujus finem debuit cladem illam intelligere, magnaque etiam parte anni* 410, *ut verisimiliter conjicere possumus, abstinuit a dictando in Ezechielem, etiamsi fortasse paulatim cœperit se præparare. De hisce in Epistola* 126, *quam inferius figemus anno* 411, *Sanctus ita loquitur :* Ezechielis volumen olim aggredi volui, et sponsionem celeberrimam studiosis lectoribus reddere : sed in ipso dictandi exordio ita animus meus Occidentalium provinciarum, et maxime Urbis Romæ vastatione confusus est, ut juxta vulgare proverbium, proprium quoque ignorarem vocabulum, diuque tacui, sciens tempus esse lacrymarum.

et Occidentalium provinciarum impeditus, non statim pergit ad Ezechielem

965 *Aliqui verba illa,* in ipso dictandi exordio, *sic intelligunt, ut existiment, dictare cœpisse* Hieronymum, *quando illa audivit. At malim credere, solum exordiri voluisse, ut clare edicit in Præfatione ad Ezechielem vocibus,* transire cupiebam,.. *nempe* ad Ezechiel. *ac deinde* ita consternatus obstupui, ut... nec possem prius ora reserare, nisi aliquid certius discerem. *Hoc vero ubi didicerat, magis silere perrexit, ut mox subdit:* Postquam vero clarissimum terrarum omnium lu- F
men extinctum est, immo Romani imperii truncatum caput, et, ut verius dicam, in una Urbe totus orbis interiit, « obmutui et humiliatus sum, » et silui a bonis, et dolor meus renovatus » est : concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis : » nec putavi illam sententiam negligendam : « Musica in luctu, » importuna narratio. » *Hæc æque ac verba superiora insinuant non modicam cessationem inter Isaiam et Ezechielem, quem tandem explanare cœpit anno verisimiliter* 410 *currente, et jam provecto.*

incipit tamen ante finem anni 410,

966 *Rationes inchoandi recenset hoc modo :* Verum quia et tu (*Eustochium*) indesinenter hoc flagitas, et magno vulneri cicatrix paulatim obducitur ; scorpiusque inter Enceladum et Porphyrionem Trinacriæ humo premitur, et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit : datumque tempus, quo non hæreticorum respondere insidiis, sed Scripturarum expositioni incumbere debeamus, aggrediar Ezechiel

A chiel prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio.... Quod Opus si per Domini misericordiam ad calcem usque perduxero, transibo ad Jeremiam *etc. Necesse est ad allegata verba aliquot jungere observationes. Primo magnum vulnus, cui cicatricem paulatim obduci ait* Hieronymus, *est procul dubio expugnatio Romæ. Cur vero dicat, huic vulneri cicatricem obduci, omnino non intelligerem; nisi audivisset mortem Alarici, qui post captam Romam agmen suum versus Siciliam duxit, eamque ingredi frustra conatus, in ejus vicinia subito occubuit aliquot mensibus post Romam expugnatam. Igitur hæc scripta videntur multis mensibus post intellectam Romæ cladem.*

intellecta morte Rufini, quem atris pingit coloribus.

967 *Secundo inquirendum est, quis sit ille* scorpius, *qui* inter Enceladum et Porphyrionem *in Trinacria sive Sicilia dicitur sepultus. Baronius Rufinum eo modo designatum credidit ad annum* 410 *num.* 60. *Hanc Baronii opinionem amplexi sunt Tillemontius, Vallarsius, aliique maximo consensu. De Rufino item hæc verba explicantur:* Et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit. *De eodem defuncto ejusque discipulis, ex quibus erat Pelagius, loqui-* B *tur in Præfatione libri* 6, *hæc scribens:* Putabam quod, media serpente confosso, non reviviscerent hydræ novella plantaria, et juxta fabulas poetarum, Scylla mortua, nequaquam in me scyllæi sævirent canes, qui latrare non cessant: et hæreticis Dei percussis manu, ne tentarentur, si fieri potest, etiam electi Dei, hæresis ipsa non moritur, hæreditariis contra nos odiorum suorum catulis derelictis, qui nostra simulantes, genitricis antiquæ et pellacis Ulyssis venena non deserunt: labiaque tantum melle circumlinunt: et juxta eloquia Scripturarum, mollierunt verba sua super oleum: ipsi autem sunt jacula, et jacula ignita, quæ scuto fidei repellenda simul et extinguenda sunt. *Hisce verbis Pelagianos insinuari hæreticos, tam Baronius quam alii existimant, atque huic opinioni tempus ipsum favet. Baronius consequenter autumat, Rufinum ab Hieronymo statui præcursorem Pelagianorum, atque esse Rufinum illum, qui primus Romæ negasse dicitur peccatum originale: quod tamen non existimat Tillemontius art.* 95, *volens probare, illum alium esse Rufinum.*

Quæritur, an Rufinus, qui peccatum Originale negasse dicitur.

968 *De Rufino aliquo Marius Mercator apud Garnerium pag.* 30 *ita habet:* Hanc ineptam, et non minus inimicam rectæ fidei quæstionem, sub sanctæ recordationis Anastasio Romanæ Ecclesiæ summo Pontifice, Rufinus quidam, na- C tione Syrus, Romam primus invexit, et, ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, et per se proferre non ausus. Pelagium, gente Britannum, monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque instituit impiam vanitatem. *Hæc Mercator de Rufino, qui peccatum Originale primus Romæ dicitur negasse. Primum vero auctorem illius hæreseos ante ponit Theodorum Mopsuestenum in Cilicia episcopum. De eodem Rufino loquitur Cælestius apud S. Augustinum lib. de Peccato Originali num.* 2, *quando interrogabatur in concilio, ita respondens:* Sanctus presbyter Rufinus Romæ, qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audivi illum dicentem, quod tradux peccati non sit. *Deinde iterum interrogatus, respondit:* Audivi et plures dicere. *At hos non nominavit. Hunc fuisse ipsum Rufinum* Hieronymi *adversarium, late probare nititur Norisius in Historia Pelagiana lib,* 1, *cap.* 2. *Verum, ut jam dixi, contraria est Tillemontii sententia, et Garnerius Rufinum illum Pelagii magistrum pluribus argumentis ab Aquileiensi distinguere contendit.*

AUCTORE J. S.

sit Rufinus Hieronymi discipulus.

969 *Fateor, controversiam esse ambiguam, quod Mercator nonnulla de Rufino dicat, quæ Aquileiensi non congruunt. At minime perspicio, cur in levibus adjunctis errare non potuerit Mercator, qui forte Rufinum numquam vidit, et juvenis fuisse videtur eo tempore, quo clanculum peracta sunt, quæ refert. Syrum* natione *dixit Rufinum, cum esset Italus. Syrum credere potuit ex diuturna habitatione, et quia errorem in Syria didicerat. Dicit sub Anastasio papa a Rufino errorem illum Romæ prolatum. Levissimus rursum est error, si Rufinus errorem illum Pelagio persuasit, quando sub decessore Anastasii Siricio transferebat libros Origenis de principiis, aliquot mensibus ante Pontificatum Anastasii. Tertio objicitur illud, qui* mansit cum sancto Pammachio: *neque enim credunt, apud Pammachium* Hieronymi *amicum Rufino Aquileiensi locum fuisse. At considerare oportet, ut amicum* Hieronymi *ex Palæstina discessisse Rufinum, et Romam venisse, ut non intelligam, cur non potuerit aliquo tempore apud Pammachium hospitari, Reliqua omnia, quæ objiciuntur, tam* E *levia sunt, ut ea brevitatis gratia censeam omittenda.*

qui anno 399 ab eo Mediolanum missus est.

970 *Excipio tamen libellum fidei, quem edidit Sirmondus et Garnerius pag.* 286 *recudit, cum hic certo sit hominis peccatum Originale negantis; sed frustra attribuetur Rufino cuipiam Syro, qui fuisset Pelagii magister. Nam, si credimus Mercatori Rufinus Pelagii magister, quiscumque fuerit,* noluit per se proferre *opinionem, sive hæresim, quæ negat peccatum Originale. Quo igitur ratione ipsi attribuetur libellus, in quo id negatur? Quapropter omnibus istis longe præponderat silentium omnium antiquorum de Rufino alio præter Aquileiensem, qui fuisset Pelagianorum amicus et doctor: nam Rufinus ille* S. Hieronymi *discipulus, qui anno* 399 *in Occidentem profectus est, improbabiliter mihi videtur proferri, cum quod nesciatur umquam aliquid scripsisse, tum quod non videatur Syrus natione fuisse, sed latinus. Missus enim est ab* Hieronymo *Mediolanum* Rufinus in causa Claudii, *sive, ut ait* Hieronymus *lib.* 3 *contra Rufinum num.* 24, pro periculo capitis alieni. *At non videtur Sanctus hominem Syrum, latinæ linguæ utique ignarum, pro tali* F *causa missurus fuisse Mediolanum.*

an potius Rufinus Hieronymi adversarius.

971 *Rufinum vero Aquileiensem fuisse in aliis saltem præcursorem Pelagianorum,* Hieronymus *ipse multis locis insinuat. Hæc vero ratio fuisse videtur, cur Sanctus de eo durius post mortem sit locutus, quam de vivente. In Epistola* 125 (*alias* 4) *ad Rusticum num.* 18 *monet, ut caveat a detractione, et hoc Rufini vitium ita reprehendit:* Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, et per intervalla quædam vix pauca verba carpebat, ut eum putares singultire, non proloqui. Et tamen, quum mensa posita, librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans. Tum nugas meras fundere, et adversum singulos declamare: criticum diceres esse Longinum, censoremque Romanæ facundiæ notare, quem vellet, et de senatu doctorum excludere. Hic bene nummatus plus placebat in prandiis. Nec mirum, si qui multos inescare solitus erat, facto cuneo circumstrepentium garrulorum procedebat in publicum, intus

intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, ut ex contrariis diversisque naturis unum monstrum novamque bestiam diceres esse compactam, juxta illud poeticum :

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Hic nihil quidem de pravis dogmatis dicitur, Rufinum tamen nigris depingit coloribus propter maledicentiam, quam nullus certius probabit, quam ipse probavit Rufinus in libris contra Hieronymum. Ut præcursorem quoque Pelagianorum Rufinum cum aliis recenset et Epistola 133 *ad Ctesiphontem, aliisque deinde locis pluribus, maxime tamen ob libros ab eo latine redditos, qui Pelagianis favebant. Verum hæc breviter insinuasse sufficiat.*

Absolvit tres libros in Ezechielem : tum ob subitam.

972 *Redeamus ad Ezechielem expositum. Duos priores libros videtur dictasse sine impedimentis aliunde injectis, aut certe memoratis, nisi impedimenta, quæ commemorat in Præfatione libri* 3, *jam inchoata fuerint ante absolutum secundum. Sic ibidem philosophatur :* Nihil longum est, quod finem habet, et omnis retro temporum series transacta non prodest; nisi forte bonorum operum sibi viaticum præparaverit, quæ semper ad
B futura, immo ad æterna respiciunt, et nullis terminis coarctantur. Vera sententia est : Omnia orta occidunt, et aucta senescunt. Et alibi : Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Quis crederet, ut totius orbis exstructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis et mater fieret et sepulcrum; ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis Urbis servorum et ancillarum numero complerentur : ut quotidie sancta Bethleem nobiles quondam utriusque sexus, atque omnibus divitiis affluentes, susciperet mendicantes? Quibus, quoniam opem ferre non possimus, condolemus, et lacrimas lacrymis jungimus, occupatique sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non patimur, Explanationes in Ezechiel, et pene omne studium omisimus, Scripturarumque cupimus verba in opera vertere, et non dicere sancta, sed facere. Unde rursus a te commoniti, o virgo Christi Eustochium, intermissum laborem repetimus, et tertium volumen aggressi tuo desiderio satisfacere desideramus etc. *Absolutis tribus libris, verisimiliter aliquo ex prioribus mensibus anni* 411, *coactus est Opus inter-*
C *rumpere, et ob subitam barbarorum irruptionem fugere.*

Arabum irruptionem fugere coactus.

973 *Hoc intervallo dictatas aliquot a Sancto Epistolas conjicio. De una certo constat, nimirum de Epistola* 126 (*alias* 82) *ad Marcellinum et Anapsychiam, quam hac de causa primam memoro.* Hoc autem anno, *inquit num.* 2, cum tres explicassem libros (*in Ezechielem, de quo agit*) subitus impetus barbarorum, de quibus tuus dicit Virgilius, « Lateque vagantes Barcæi; » et sancta Scriptura de Ismahel : Contra faciem omnium fratrum suorum habitabit, sic Ægypti limitem, Palæstinæ, Phœnicis, Syriæ percurrit, ad instar torrentis cuncta secum trahens, ut vix manus eorum misericordia Christi potuerimus evadere. Quod si juxta inclytum oratorem, silent inter arma leges; quanto magis studia Scripturarum, quæ et librorum multitudine, et silentio, ac librariorum sedulitate, quodque proprium est, sedulitate et otio dictantium indigent.

duos ex iis mittit Fabiolæ juniori :

974 Duos itaque libros misi sanctæ filiæ meæ Fabiolæ, quorum exempla si volueris, ab ipsa poteris mutuari. Pro angustia quippe temporis alius describere non potui : quos cum legeris, et vestibula videris, facilis conjectura erit, qualis ipsa sit futura domus. *Ex his abunde confirmantur, quæ dixi de Opere post tres libros interrupto. Barbari autem, quos fugere coactus est Sanctus, recipiens verisimiliter se cum suis ad aliquam urbem munitam, erant vagi Arabes sive Saraceni, quorum crebræ magis quam diuturnæ fuerunt incursiones. Fabiola vero, cui duos libros misit Hieronymus, fortasse fuerit filia Fabiolæ, cujus epitaphium scripsit Sanctus, ut dictum est num.* 819 : *unum et Oceanus, qui senioris Fabiolæ curam aliquam gessit, in hac Epistola commemoratur, multumque laudatur, ut ipse pro Hieronymo diceatur Marcellino respondere potuisse* super cunctis quæstionibus Scripturarum.

scribit ad Marcellinum, eumque remittit ad S. Augustinum.

975 *Quis vero fuerit Marcellinus ipse, ad quem hæc scripta est Epistola, breviter indicandum. Nam de S. Marcellino tribuno et notario jam actum est in Opere nostro ad* 6 *Aprilis, ibique ostensum, illum ipsum esse, ad quem hæc* Hieronymi *Epistola data est. Præfuit ille anno* 411 *famosæ collationi catholicorum cum Donatistis, habitæ Kalendis Juniis anni* 411 *Carthagine, ut verisimiliter Epistola fuerit scripta priore anni*
E *parte, cum de illa collatione nihil habeat. Scripserat jam alias* Hieronymus *ad Marcellinum Epistolas, quæ exciderunt. Sic enim orditur :* Tandem ex Africa vestræ litteras unanimitatis accepi : et non me pœnitet impudentiæ, qua tacentibus vobis Epistolas meas frequenter ingessi, ut rescriptum mererer, et vos esse sospites, non aliis nuntiantibus, sed vestro potissimum sermone cognoscerem. *Interrogaverat autem Marcellinus de origine animæ, quæ multum eo tempore agitata erat quæstio ob varios hæreticorum de ea errores, et catholicorum necdum fixam sententiam, aut certe necdum receptam ab omnibus. Remittit Sanctus ad Opuscula sua contra Rufinum, et ulterius ad S. Augustinum, cujus amicus erat Marcellinus, his verbis :* Certe habes ibi virum sanctum et eruditum Augustinum episcopum, qui viva, ut aiunt, voce docere te poterit, et suam, immo per se nostram explicare sententiam.

cui ille eamdem quæstionem jam proposuerat.

976 *Verum Marcellinus eamdem quæstionem jam ante S. Augustino proposuerat, et cunctantem invenerat, quod ignorabat* Hieronymus. *Hinc Augustinus in Epistola inter Hieronymianas* 131,
F *ad* Hieronymum *deinde scripta, num.* 8 *insinuat, ejus sententiam se didicisse ex Epistola ad Marcellinum, additque :* In qua Epistola etiam mei commemorationem benevolentissime facere dignatus es, quod hic me haberet in Africa, qui ei ipsam possem facilius explicare sententiam. Quod si potuissem, non ille hoc abs te tam longe posito inquireret, si tamen id tibi ex Africa scripsit. Nam quando scripserit, nescio. Tantum scio, quod de hoc bene cognoverit cunctationem meam : unde, me inconsulto, facere voluit. Quamquam etiam si consuleret, magis hortarer et gratias agerem, quod nobis omnibus conferre posset, nisi tu breviter rescribere, quam respondere maluisses. Credo, ne superfluo laborares, ubi ego essem, quem putabas id optime scire, quod ille quæsierat..., Misisti ad me discipulos, ut ea doceam, quæ nondum ipse didici. Doce ergo, quod doceam. Nam ut doceam, multi a me flagitant, eisque me, sicut alia multa, et hoc ignorare confiteor. *Rursum Augustinus in Epistola sua* 190 (*alias* 157) *ad Optatum num.* 20 *eadem brevius narrat, dicens Marcellinum de anima scripsisse* longe trans mare ad doctissimum Virum,

rum, *seque inde occasionem arripuisse consulendi* Hieronymum *per Epistolam suo loco referendam, ex qua superiora recitavi. Laudat eamdem* Hieronymi *Epistolam et aliis locis. Potuit certe ex illa perspicere sinceram* Hieronymi *erga se benevolentiam.*

Scribit ad Rusticum monachum.

977 *Forte eodem anno et illo tempore, quo studia in Ezechielem nonnihil intermiserat Sanctus, scripta fuerit Epistola* 125 (*alias* 4) *ad Rusticum monachum. Certe figenda videtur circa annum* 411, *quia ex verbis, num.* 971 *recitatis, de Rufino colligitur, mortem Rufini jam notam fuisse* Hieronymo, *dum hanc scribebat. Rufinus vero defunctus creditur aliquo tempore post captam* (*anno* 409) *Romam, ut ejus mors* Hieronymo *non innotuerit ante annum* 410, *quo hæc etiam scribi potuit. Quæ vero dicuntur paulo ante finem,* Cæterum juxta miserias hujus temporis, et ubique gladios sævientes, satis dives est, qui pane non indiget: nimium potens est, qui servire non cogitur. Sanctus Exuperius Tolosæ episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens, pascit alios, . . . omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. *Hæc, inquam, verba, aliaque plura, quæ in S. Exuperio ad* 28 *Septembris dedi, etiam insinuant, Epistolam esse scriptam post cladem Galliarum a barbaris, ac verisimiliter, quando jam progressi erant in Hispaniam, Galliis relictis. Nam gesta S. Exuperii tunc solum videntur innotuisse, cum Tolosa ante esset circumcincta a barbaris. Itaque cum barbari sub finem anni* 409 *ex Galliis progressi sint in Hispaniam, quod certe ante annum* 410 Hieronymus *non didicit, omnia insinuant, Epistolam circa annum* 411 *figendam, sed anno incerto.*

cui egregia suggerit monita.

978 *Præclara est Epistola et prolixa, scriptaque ad instituendum monachum juvenem et pro ætate doctum, cui religiosa supererat mater vidua. Utitur in ea S.* Hieronymus *libertate sibi consueta, qua generatim vitia perstringit, ut Rusticum doceat ab iis cavere, et pericula labendi vitare. Non indicat Sanctus, utrum ipse Rusticus documenta illa flagitasset, an mater aut alius quispiam pro ipso. At exorditur hoc modo:* Nihil Christiano felicius, cui promittitur regnum cælorum: nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur: nihil fortius, qui vincit diabolum: nihil imbecillius, qui a carne superatur etc. *Nihil præterea affero ex Epistola jam aliquoties laudata. De Rustico breviter significo, credi a multis eumdem cum S. Rustico Narbonensi episcopo, qui colitur* 26 *Octobris, ubi id a nobis magis examinari poterit. Gallum fuisse, ex tota Epistola manifestum est. At plura hic non investigo.*

Item ad Principiam Epitaphium S. Marcellæ.

979 *Ad annum* 411 *pertinet etiam Epistola* 127 (*alias* 16) *ad Principiam virginem, sive Epitaphium S. Marcellæ viduæ. Obiit illa* aliquot dies *post captam Romam, ut sub finem dicitur.* Hieronymus *vero circa initium fatetur,* biennium *forte non integrum, se silentio præterivisse. Hac de causa ex chronotaxi nostra de capta anno* 409 *Roma necessario figenda est, anno* 411, *aliis anno* 412, *quod credant Romam anno* 410 *occupatam. Ex prolixa hac Epistola, quæ ad* 31 *Januarii apud nos recusa est, utpote enarrans virtutes et gesta S. Marcellæ, nonnulla suis locis recitavi. Quare solum principium huc transfero:* Sæpe et multum flagitas, virgo Christi Principia, ut memoriam sanctæ feminæ Marcellæ litteris recolam, et bonum, quo diu fruiti sumus, etiam cæteris noscendum imitandumque describam. Satisque doleo, quod hortaris sponte currentem, et me arbitraris indigere precibus, qui ne tibi quidem in ejus dilectione concedam, multoque plus accipiam, quam tribuam, beneficii tantarum recordatione virtutum. Nam ut hucusque reticerem, et biennium præterirem silentio, non fuit dissimulationis, ut male existimas, sed tristitiæ incredibilis, quæ ita meum oppressit animum, ut melius judicarem tacere impræsentiarum quam nihil dignum illius laudibus dicere.

et ad Gaudentium de educatione Pacatulæ.

980 *Ad idem fere tempus referenda est Epistola* 128 (*alias* 12) *ad Gaudentium de Pacatulæ infantulæ educatione. Certe scripta est aliquo tempore post vastatam Romam, quando adhuc illius vulneris dolor durabat, ut satis colligitur ex iis, quibus num.* 4 Hieronymus *sensa sua sic indicat:* Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. Urbs inclyta, et Romani imperii caput uno hausta est incendio. Nulla est regio, quæ non exsules Romanos habeat. In cineres et favillas sacræ quondam ecclesiæ conciderunt, et tamen studemus avaritiæ. Vivimus quasi altera die morituri, et ædificamus quasi semper in hoc sæculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum; et nudus atque esuriens ante fores nostras Christus in paupere moritur. *Et inferius:* His Pacatula nostra nata est temporibus. *Ex his tamen verbis nequit Epistola certo figi anno* 413, *quo eam ponit Vallarsius; cum calamitates illæ sint captæ ante captam Romam, ut nesciamus, quo anno Pacatula fuerit nata, aut Epistola deinde pro ejus institutione scripta. Illam* Hieronymus *concludit hoc modo:* Hæc ut tumultuario sermone dictarem, et post neces amicorum luctumque perpetuum infanti Senex longo postliminio scriberem, tua, Gaudenti frater, impulit caritas: maluique parum, quam nihil omnino, poscenti dare, quia in altero voluntas oppressa luctu, in altero amicitiæ dissimulatio est.

§ LVII. Prosecutio Commentarii in Ezechielem, et post Epistolas interpositas, quæ recensentur, ejusdem finis.

Prosequitur Sanctus Ezechielem, sed lente ob multitudinem

E*odem anno* 411, *quo studia in Ezechielem abrupit* Hieronymus, *illa verisimiliter resumpsit per librum quartum, sed lente progrediens ob intervenientia impedimenta, de quibus jam aliqua sunt dicta, et mox plura dicentur. In Præfatione libri* 5 *satis declarat, notabilia temporis intervalla fuisse, quibus libri invicem sequebantur, dum sic orditur:* Ne librorum numerus confundatur, et per longa temporum spatia divisorum inter se voluminum ordo vitietur, Præfatiunculas singulis libris præposui, ut ex fronte tituli statim lector agnoscat, quotus sibi liber legendus, et quæ nobis prophetia explananda sit. *Calumniis hæreticorum, procul dubio Pelagianorum, rursum impetebatur* Hieronymus, *quando dictabat librum* 6, *anno* 412, *ut ex ordine colligitur. Verba pleraque Præfationis dedi num.* 967. *Post illa vero subjungit:* Hæc dixi, filia Eustochium, ut laborantem me in Opere prophetali, et hæreticis resistentem, orationibus juves. *Quibus impedimentis Opus suum retardaretur, explicuit in Præfatione libri* 7, *quam sic inchoat:* Olim pueri legimus: Nihil tam facile est, quin

difficile

[illegible] ℣. 8.

difficile fiat, quod invitus facias. Fateor me Explanationes in Ezechiel multo ante tempore promisisse, et occupatione de toto huc orbe venientium implere non posse; dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, et monasterii solitudinem hospitum frequentia commutamus, intantum ut aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda.

peregrinorum egentium qui in Bethleem confluebant,

982 Itaque lucrativis, immo furtivis, noctium horis, quæ, hyeme propinquante, longiores esse cœperunt, hæc ad lucernulam, qualiacumque sunt, dictare conamur, et æstuantis animi tædium meditatione digerere. *Ex hieme propinquante colligimus, hæc dictata circa Octobrem anni 412. Pergit Sanctus:* Nec jactamus, ut quidam forsitan suspicantur, fratrum susceptionem; sed morarum causas simpliciter confitemur; præsertim cum Occidentalium fuga, et sanctorum locorum constipatio, nuditate atque vulneribus indigentium, rabiem præferat barbarorum. Quod absque lacrymis et gemitu videre non possumus, illam quondam potentiam et ignorationem divitiarum ad tantam inopiam pervenisse, ut tecto B et cibo et vestimento indigeat. Et tamen nequaquam duri quorumdam atque crudeles animi molliuntur; dum pannulos eorum et sarcinulas discutiunt, aurum in captivitate quærentes. Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod, caligantibus oculis præ senectute, et aliquid sustinentibus beati Isaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere, quæ etiam ad solis dieique fulgorem litterarum nobis parvitate cæcantur. Sed et Græcorum Commentarios fratrum tantum voce cognoscimus: nullique dubium, quod alienis dentibus commoliti cibi vescentibus nauseam faciant. *Superabat tunc Sanctus annos octoginta, ut mirandum non sit, oculos perpetuo legentis paulatim defecisse.*

et quorum causa avaritiam quorumdam reprehendit.

983 *De miseriis sui temporis, et quorumdam avaritia et in pauperes immisericordia item conqueritur in Præfatione libri 8, ex qua partem huc transfero:* Quid aliis prosit in Prophetas nostra dictatio, Dei judicii est eorumque conscientiæ, qui (omissis declamationibus ac plausu et compositione verborum) cupiunt scire, quid eorum sermo vel narret præteritum, vel præsens arguat, vel prædicat esse venturum. Nobis interim C prodest: dum enim hoc facimus, et nihil aliud cogitamus, in modum furti Explanationes aggredimur, et dierum miserias noctium studio compensamus; pascitur animus, et obliviscitur sæculi calamitatum, quod in extremo fine jam positum congemiscit et parturit, donec qui tenet de medio fiat, et pedes statuæ quondam ferrei fragilitate digitorum fictilium conterantur. Cadit mundus, et cervix erecta non flectitur. Pereunt divitiæ, et nequaquam cessat avaritia. Congregare festinant, quæ rursum ab aliis occupentur. Aruerunt lacrymæ, pietas omnis ablata est. Multi, qui petant: pauci, qui tribuant. Nec erubescimus, paupertatem vili palliolo præferentes, Crœsi opibus incubare *etc*... Hæc, virgo Christi Eustochium, ex cordis abundantia os locutum sit; et paulo liberius, quam humilitati nostræ convenit, dixerimus. *Librum illum verisimiliter dictavit anno 413, ut ex sequenti colligitur.*

Librum 9 dictabat sub finem anni 413;

984 *Etenim lib. 9 in cap. 28, ℣ 10 meminit tyrannidis Heracliani, ita scribens:* Traditæ enim illis sunt ad regendum provinciæ quasi judicibus ab imperatore. Qui obliti, honorem suum ex alterius jussione pendere, qualis nuper Heraclianus in Africa fuit, erecti sunt mente tyrannica contra regem et dominum suum. D *Tyrannis autem Heracliani contigit anno 413, finitaque est morte ipsius circa Augustum ejusdem anni, ut refert Tillemontius tom. V Imperatorum art. 50. Quapropter illum librum non scripsit Hieronymus, nisi vergente ad finem anno 413; ut certe hoc anno Opus istud necdum absolverit, et fortasse ne sequenti quidem. Invalescebant interim Pelagiani, qui Hieronymum Rufini exemplo oderant, ejusque Translationem ex Hebraico calumniabantur. Hoc insinuat lib. 10 in cap. 32, ℣ 17 et seqq. ita scribens:* Non ignoro, fastidiosam fore delicato lectori tantam inter duas editiones (*Translationem ex Hebræo et Septuaginta*) discrepantiam. Sed quid faciam calumniatoribus meis, qui, si aliquid de Septuaginta interpretum translatione subtraxero, me sacrilegum et absque timore Domini vociferantur, maxime quum qui in fidei veritate discordent, et Manichæorum sequantur errores, in eo imperitorum animas commovent, si de veteri quippiam monstrare potuerint mutatum consuetudine, libentius errare cupientes, quam aliquid ab æmulo verum discere. *Eosdem iterum refutat in cap. 33, ℣ 23 et seqq., ubi eos* E *vocat* Grunnianæ factionis hæredes.

modeste de expositione sua sentit, omniaque difficultate.

985 *Præfationem libri 11, quem anno 414 dictatum existimo, Sanctus exorditur hoc modo:* Undecimus in Ezechielem Explanationum liber in extrema sui parte contra Gog et Magog vaticinium continebit, et usque ad exordium civitatis in monte positæ, et templi in ea siti veniet. Quam si, adjuvante Domino et sua mysteria disserente, potuero ad calcem usque perducere, diu mihi erit multumque dubitandum, utrum ad spirituale templum debeam mittere manus, an aperte ignorantiam confiteri *etc. In fine insinuat, sibi non probari sententiam S. Ambrosii de Gog, hæc modeste scribens:* In Prophetia difficillima illud breviter admoneo, quod vir nostræ ætatis haud ignobilis, ad imperatorem scribens, super hac natione dixerit: Gog iste, Gothus est; cui qua ratione possint omnia, quæ in ea scripta sunt, coaptari, non est meum, sed eorum, qui hoc putant, disserere. *Erat ea sententia ab Ambrosio asserta lib. 2 de Fide ad Gratianum cap. 16. Pari modestia, ubi exposuerat illius Prophetiæ partem, sive caput 38, in fine hæc addit:* Si quis F autem nostra reprehendit; aut meliora proferat, quæ sequamur; aut, si nihil voluerit dicere, perfectam Deo scientiam derelinquat: dum tamen sciat, nequaquam in nobis vires, sed animum judicandum.

explanatt templi Ezechielis Opus notabili tempore intermittit.

986 *In fine illius libri Sanctus ita habet:* Huc usque in Ezechiel prophetam, Deo, ut optamus et credimus, auxiliante et aperiente os nostrum, loquuti sumus; non aliorum, si qui scripserunt, vel deinceps si scripturi sunt, sententiam destruentes, sed asserentes, qualiacumque sunt, nostra. In ædificatione autem templi, et ordine sacerdotum, terræque sanctæ divisione, et flumine egrediente de templo, et de arboribus ex utraque ripa semper virentibus, et per singulos menses afferentibus fructum, et reliquis, quæ usque ad finem prophetico volumine continentur, aperte imperitiam confitemur, melius arbitrantes interim nihil, quam parum dicere. *Itaque ad caput 40 rursum Opus suum interrupit Sanctus, ut diuturno studio novem ultima capita consideraret, ac tandem difficillimam illam Prophetæ partem exponeret. Quanto tempore a*

dictando

A *dictando abstinuerit Sanctus, clare nullibi edicit, at notabile illud tempus fuisse, abunde innuit in Præfatione libri* 12, *quam sic inchoat :* Trepidationem meam in explanatione templi Ezechiel, immo tacendi perseverantiam, tuæ, filia Eustochium, preces et Domini promissa superarunt, dicentis : « Petite, et accipietis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. » Et qua nos excusatione usi sumus, ut in calce anterioris voluminis diceremus : Melius est nihil, quam parum, dicere : tu eam vertisti in contrarium, ut referre putes saltem parum, quam nihil, dicere...

urgente tamen Eustochio, expositionem resumit.

987 Obsequar igitur voluntati tuæ, et flante Spiritu sancto, vela suspendam... Fastidiosoque lectori, immo animo perduelli nostra lecturo, illud in explanatione templi tota libertate denuntio, ut, si veritatem desiderat, quærat eam ab aliis. Nos autem ea, quæ in Opere difficillimo possumus suspicari, simpliciter confitemur atque dictamus, gratias acturi Domino, si non in omnibus, quod impossibile est, sed in plerisque nobis aperuerit fores scientiæ. *Modestam illam*
B *trepidationem pergit subinde insinuare Sanctus usque ad finem Operis sui. In cap.* 40 ℣ 5 *et seqq. ita loquitur:* Simpliciter igitur est fatendum, me templum beati Ezechielis, quod sæcula cuncta tacuerunt, non temeritate velle disserere, sed fide et timore Dei conjecturam animi mei cupere legentibus demonstraro ; ut, si ego in tabernaculum Dei pelles caprarum pilosque obtulero, unde peccatorum spinæ et aculei protegantur, et arceantur pluviæ et tempestates ; alius, qui dives est, pro qualitate meritorum, vel ferrum, vel æs, vel argentum aurumque et pretiosissimos lapides offerat, et non nostra, quia sunt minora, contemnat ; sed propriis gaudeat opibus. Nisi enim ima fuerint, summa esse non poterunt : et ut majora laudentur, minorum comparatione succrescunt.

et perficit anno 414 aut sub initium sequentis.

988 *Rursum in* ℣ 35 *et seqq. addit in fine:* Ignosce, lector, difficultati locorum, aut, si melius quid invenire potes, doce : libenter discimus, quod nescimus. *Mitto plura similia modestissimi Viri dicta, breviterque solum moneo, in ultima Præfatione libri* 14 *eadem fere recurrere, ibique de futuro Opere addi :* Quem (*librum*) si ad finem usque perduxero, et Dominus vitæ
C hujus concesserit spatium, transibo ad Jeremiam, qui unus nobis remanet Prophetarum : cujus interpretatio mei quidem laboris, et tuarum orationum, sed proprie Christi erit clementiæ. *Quo anno prolixum ac difficillimum Opus absolverit* S. Hieronymus, *certo edicere nequeo. Neque tamen dubito, quin libros posteriores maxime composuerit anno* 414, *cum jam provectus esset annus* 413, *quando dictabat librum* 9, *ut dictum est num.* 984; *sed nescio, an anno* 414 *Opus suum ad finem perducere potuerit, imo spectata librorum posteriorum difficultate, magis conjicio, absolutum esse Opus anno* 415, *probabilius tamen sub initium anni, cum ante medium ejusdem anni et Hieremiam explicare cœperit, et Pelagianos aggredi, ut videbimus.*

Ante finitum Ezechielem, anno 414 scribit

989 *Antequam vero Opus perfecisset, prolixissimam dictavit Epistolam* 130 (*alias* 8) *ad Demetriadem de servanda Virginitate, ut ipse in hac declarat num.* 2 *his verbis :* Quantum sit apud me meritum, immo miraculum virginis nostræ, hinc potest æstimari, quod occupatus in explanatione templi Ezechielis, quod opus in omnibus Scripturis sanctis vel difficillimum est ; et in ea parte delubri, in qua Sancta sanctorum et thymiamatis altare describitur, malui parumper uti hoc diverticulo, ut de altari transitem ad altare, et hostiam vivam, placentem Deo, ac sine ulla macula, æternæ pudicitiæ consecrarem. *De Sanctis sanctorum et altari thymiamatis disseruit* S. Hieronymus *sub finem libri* 12, *ut verisimiliter Epistola sit scripta ante librum* 13. *Figitur autem anno* 414, *quæ epocha mihi videtur certa. Restabant tum* Hieronymo *dictandi duo in Ezechielem libri.*

AUCTORE J. S.

ad Demetriadem virginem nobilissimam.

990 *Erat Demetrias virgo nobilissima ex illustri genere Aniciorum, filia Olybrii consulis defuncti, et Julianæ etiam tum viventis, neptis Probæ, quæ tres filios habuerat consules et similiter supererat. Illæ, dum capta ab Alarico fuit Roma, in Africam fugerant, ibique Demetrias nuptiis erat destinata, quando subito, projecto ornatu pretioso, induta vili tunica, viliori tecta pallio, ut num.* 5 Hieronymus *refert, aviæ Probæ et matri Julianæ se offert, quibus ita propositum suum declarabat, easque non modo obstupescentes, sed etiam continuo consentientes invenit.*
E *Generosum illud Demetriadis propositum attribuitur exhortationibus SS. Augustini et Alypii, figiturque anno* 413, *ut dictum est ad* 28 *Augusti in S. Augustino, qui de ejus conversione mire lætatus est, quemadmodum ibi expositum est* § 45. *Attamen* S. Hieronymus *potissimum rogatus est, ut præcepta vivendi ad Demetriadem scriberet, suadente forsan ipso Augustino.*

rogatus a Proba avia ejus Juliana matre,

991 *Certe ipso Epistolæ exordio declarat, Probæ ac Julianæ precibus hanc se scribere Epistolam, cum ita incipiat :* Inter omnes materias, quas ab adulescentia usque ad hanc ætatem vel mea vel notariorum scripsi manu, nihil præsenti opere difficilius. Scripturus enim ad Demetriadem virginem Christi, quæ et nobilitate et divitiis prima est in orbe Romano, si cuncta virtutibus ejus congrua dixero, adulari putabor : si quædam subtraxero, ne incredibilia videantur, damnum laudibus ejus mea faciet verecundia. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo : tanta est aviæ ejus et matris, insignium feminarum, in jubendo auctoritas, in petendo fides, in extorquendo perseverantia. Neque enim ut novum et præcipuum quiddam a me flagitant, cujus ingenium in hujuscemodi materiis sæpe
F detritum est.

interque vivendi præcepta eam monet, ut caveat ab hæreticis,

992 *Mox, ubi adjunxerat nonnulla, paucis laudat nobilissimam familiam, deinde pluribus Demetriadis propositum, natumque ex eo non modo in Africa, sed Romæ etiam et in Italia ingens gaudium, ac tandem num.* 7 *incipit præclara vivendi præcepta Demetriadi præscribere, idque prolixe facit ea libertate, qua semper usus est in similibus. Reliqua ibidem legi possunt. Unum, quia facit ad præsens tempus, huc transfero.* Pene præterii, *inquit num.* 16, quod vel præcipuum est. Dum esses parvula, et sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis et Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, et sibilantia hydræ ora compescuit. Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere et pullulare venenata plantaria, illud te pio caritatis affectu præmonendam puto, ut sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ et supradicti viri successor et filius est, teneas fidem : nec peregrinam

peregrinam, quamvis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Soleat enim hujuscemodi per angulos mussitare, et quasi justitiam Dei quærere. *Tum exponis Origenistarum aliquos captiones, et subjungit:* Hæc impia et scelerata doctrina olim in Ægypto et Orientis partibus versabatur, et nunc abscondite, quasi in foveis viperarum apud plerosque versatur, illarumque partium polluit puritatem, et quasi hæreditario malo serpit in paucis, ut perveniat ad plurimos.

993 *Ad allegata verba observo, non hortari Hieronymum, ut Demetrias teneat fidem S. Augustini, cujus præcipue monitis conversa erat, sed S. Innocentii Romani Pontificis, ut occupantis Cathedram S. Petri; non quod S. Augustinum maximi non faceret, sed quod Romanam Ecclesiam doctissimis et sanctissimis episcopis in hac parte præferendam censeret, ut satis liquet ex dictis* § 24. *Secundo Origenistarum esse cavillationes de præexistentia animarum, a quibus ut caveat, monet Demetriadem; non Pelagianorum. Hinc verisimile fit, errores Pelagianorum necdum perfecte cognitos ea tempore fuisse* S. Hieronymo, *cum verisimiliter monere voluerit, ut ab iis caveret. Epistolam ad S. Eustochium olim scriptam commendat Demetriadi his verbis:* Ante annos circiter triginta de Virginitate servanda edidi librum, in quo necesse fuit mihi ire contra vitia, et propter instructionem virginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere. Qui sermo offendit plurimos, dum unusquisque in se intelligens, quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audivit, sed quasi criminatorem sui operis aversatus est. Verumtamen quid profuit armasse exercitum reclamantium, et vulnus conscientiæ dolore monstrasse? Liber manet, homines præterierunt. Scripti ad plerasque virgines ac viduas σπουδασμάτια *, et quidquid dici poterat, in illis Opusculis defloratum est, ut aut superfluo eadem a nobis repetantur, aut nunc prætermissa plurimum noceant. *Hæc procul dubio Sanctus, ut Demetrias illa Opuscula sibi compararet, et ad hunc Epistolam adjungeret.*

Et fidem sequatur Romani Pontificis.

B

* al. σπουδάσματα

994 *Ad eumdem annum 414 refertur Epistola 129 ad Dardanum, eaque certe citius scripta non est: scribi tamen etiam potuit sub initium anni 415 post absolutum Ezechielem, aut etiam inchoato jam Jeremia. De eo meminit* Hieronymus *lib. 1 in Jeremiam in cap. 3, ℣ 18 paucis his verbis:* Edidi nuper libellum parvum de Terra repromissionis. *Illud* nuper *referri potest ad priorem partem ejusdem anni 415, quo illa scribebat* Hieronymus, *et probabilius etiam ad annum præcedentem 414. Citius vero scriptam non esse, jam data verba utcumque insinuant, idque confirmat Vallarsius ex duplici præfectura, qua perfunctus erat Dardanus, annis, ut notat, 409 et 413. Quæsiverat autem Dardanus expositionem terræ, quæ promissa fuerat Israelitis ex Ægypto profectis, ut initio insinuat* Hieronymus, *ita ordiens:* Quæris, Dardane Christianorum nobilissime et nobilium Christianissime, quæ sit terra repromissionis, quam Judæi redeuntes ex Ægypto possederunt. *Ad hanc quæstionem ita respondit* Hieronymus, *ut non dederit geographicam descriptionem terræ Hebræis promissæ, sed magis probet, quid allegorice et anagogice per terram repromissionis sit intelligendum.*

Dardano, interroganti de terra Hebræis promissa,

C

995 *Cavet tamen, ne quis credat, intelligentiam historicam a se negari, num. 6 ita monens:* Nec hoc dico in sugillationem terræ Judææ, ut hæreticus sycophanta mentitur, aut quo auferam historiæ veritatem, quæ fundamentum est intelligentiæ spiritalis, sed ut decutiam supercilium Judæorum, qui synagogæ angustias Ecclesiæ latitudini præferunt. *Tum ostendit prædictam in sacris Litteris vocationem gentium: subditque:* Ex quo perspicue demonstratur, omnia illius populi in umbra et typo et imagine præcessisse, scripta autem esse pro nobis, in quos fines sæculorum decurrerunt. *Epistolam claudit his verbis:* Hæc tibi, vir eloquentissime, in duplicis præfecturæ honore transacto, nunc in Christo honoratior, tumultuaria et brevi lucubratione dictavi, ne viderer omnino reticere. Eodem enim tempore, immo eodem mihi die et litteræ tuæ redditæ sunt, et meæ expetitæ, ut aut tacendum fuerit, aut incompto eloquio respondendum: quorum alterum puduris, alterum caritatis est.

mysticam de Ecclesia dat expositionem, ut historicam non neget,

D

§ LVIII. Cœptus Commentarius in Jeremiam : Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos scripta : prosecutio Commentarii : Dialogus contra Pelagianos : Commentarii non absoluti finis.

E

Prima parte anni 415, ac fortasse sub ipsum anni initium, cœpit S. Hieronymus in Jeremiam scribere, ut clare colligitur ex dictis de Ezechiele, qui vix absolutus esse potuit ante finem anni 414, et ex dicendis de Epistola ad Ctesiphontem, scripta post librum primum in Jeremiam, et tamen ante medium ejusdem anni. De proposito suo in Præfatione ad S. Eusebium Cremonensem, cui hic dedicatus est Commentarius,* Hieronymus *ita loquitur:* Post Explanationes Duodecim Prophetarum, Isaiæ, Danielis (*qui Isaiam præcessit*) et Ezechielis, ad extremum in Jeremiam manum mittimus, tibi, frater Eusebi, ejusdem Commentariolus dedicantes, ut Evangelicum virum Matthæo Evangelistæ (*eidem dicata*) copules, quem ante annos plurimos strictis sensibus, te hortante, disserui. Et, quia volumen longissimum est in plerisque manifesta historia texitur, illud prudentiam tuam admoneo, ne quæras in hoc latam explanationem.... *Mox ait, se Baruch, quia non erat in Hebræo, omissurum, ac restiturum Jeremiæ ordinem, librariorum errore confusum, multaque... ex Hebræis fontibus completurum. At aliis occupationibus impeditus, morboque et morte præventus, non potuit omnia perficere, aut Commentarium hunc ad calcem perducere.*

Incipit Hieronymus explanare Jeremiam.

F

997 *Mox pergit ad refutandum Pelagium, qui exemplo Rufini Commentarios in Epistolam ad Ephesios oppugnaverat.* Ut nuper, *inquit,* inductus calumniator erupit, qui Commentarios meos in Epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat. *Repetiit Pelagius Rufini calumnias, ut ex his liquet verbis:* Quod non videns magister ejus Grunnius, olim nisus est carpere. *Aggressus est idem Pelagius libros Sancti contra Jovinianum, repetens dicteria monachi necdum noti, ut liquet ex his verbis:* Ut præteream contra Jovinianum volumina, in quibus dolet virginitatem nuptiis, et nuptias digamiæ, digamiam polygamiæ esse prælatam. Nec recordatur stolidissimus, et Scoto-

defendens libros suos contra oppugnationem Pelagii.

AUCTORE J. S.

A torum pultibus prægravatus, nos in ipso dixisse Opere : « Non damno digamos, immo nec trigamos » *etc. Cum ex aliis, tum ex* Scotorum pultibus, *colligitur, contra Pelagium omnia disseri. Pelagium autem non modo Rufini fuisse discipulum, sed illius etiam monachi, qui libros contra Jovinianum primus oppugnavit, ex sequentibus colligitur :* Legat ejusdem Operis (*contra Jovinianum*) Apologiam, quam ante annos plurimos adversus magistrum ejus gaudens Roma suscepit : et tunc animadvertet, alienis se vocibus blasphemare ; et in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria; sed inimicorum, etiam olim sepultorum, contra nos utatur rabie. *Per derursum illius libri variis vicibus aliquot hæresis Pelagianæ capita refutat Sanctus.*

contra cujus hæresim deinde scribit

998 *Verum prolixius Pelagianos aggressus est in Epistola* 133 *ad Ctesiphontem, de qua scripta meminit in Præfatione libri 2, ita scribens :* Secundum, frater Eusebi, in Jeremiam librum celeri sermone dictamus, avertentes parumper aures, ne audiamus judicium sanguinis, et interfectorum animas deploremus, qui opinione virtutum quotidie corruunt in superbiam, et Deo B se similes arbitrantur, ut æqualitatem, quam impia Arianorum hæresis in Filio negat, cunctis hominibus tribuant, et ponant in cælum os suum, et nihil futuræ Sanctorum beatitudini amplius derelinquant. Quorum furori respondimus, ut potuimus; et, si Dominus vitam dederit, plenius responsuri sumus. *Dici hæc de primo contra Pelagianos Opusculo, colligitur ex Præfatione libri 4, in qua meminit de secundo contra eosdem Opere, sive de Dialogo, quem postremus verbis hic promittit, prout etiam promisit in Epistola ad Ctesiphontem. Orosius in Apologia, quam frustra de suppositione suspectam facere conati sunt quidam, de illo S.* Hieronymi *Opusculo in Hierosolymitana synodo ita se locutum asserit :* Hoc et beatus Hieronymus, cujus eloquium universus Occidens, sicut ros in vellus expectat, (multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis, ipso oppugnante, supplosi sunt) et in Epistola sua, quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit : similiter et in libro, quem nunc scribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat.

Epistolam ad Ctesiphontem, prima parte anni 415 figendam.

999 *Synodus Hierosolymitana, in qua hæc dixit Orosius, habita anno 415 sub finem Julii; ut consentiunt chronologi, et ex eadem probant Apologia. Jam vero illud* nuper *se tantum extendere* C *potest ad aliquot menses, et nequaquam ad annum præcedentem, cum inter Dialogum, quem tunc scribebat* Hieronymus, *et Epistolam ad Ctesiphontem, quam nuper scripserat, nihil videatur composuisse Sanctus, nisi duos in Jeremiam libros, videlicet secundum et tertium. Nam in Præfatione quarti de Dialogo scripto meminit, ut videbimus. Quapropter scripta est Epistola ad Ctesiphontem inter principium et medium anni 415, verisimiliter verno tempore. Pagius in Critica ad annum 411, num. 11 recte quidem refutat eos, qui ab anno 411 aut 412 Epistolam illam credebant scriptam; sed ipse etiam aberrat, dum eam figit sub finem anni 413 aut initium 414. Tota series rerum gestarum S.* Hieronymi *clare insinuat, certamina S.* Hieronymi *contra errores Pelagianorum cœpta esse anno 415 per dictam Epistolam ; quamvis eorum contra se calumnias multo citius refellere cœperit, ut suis locis diximus.*

1000 *Libet modo nonnulla ex laudata Epistola huc transferre. Initio ostendit, ad quæstionem a Ctesiphonte propositam in hac Epistola se respondere, sic ordiens :* Non audacter, ut falso putas, sed amanter studioseque fecisti, ut novam mihi ex vetere mitteres quæstionem, quæ ante litteras tuas plerosque in Oriente decepit, ut per simulatam humilitatem, superbiam discerent, et dicerent cum diabolo : « In cœlum ascendam » *etc. Mox docet, unde Pelagiani hausissent perversum dogma, quo contendebant, hominem, si velit, omni perturbatione, omnique peccato liberum esse posse, nimirum a Stoicis philosophis, statimque dogma ipsam incipit refutare. Pergit num.* 3 *alios recensere, qui similia docuerant, iisque annumerat Manichæum et Priscillianum, hæresiarchas turpissimos. Tum Evagrium Ponticum et Melaniam, tamquam eidem dogmati addictos, acriter perstringit, ac Rufinum, qui libros Evagrii latinos fecerat.*

In hac Epistola recenset Pelagii præcursores, ac nominatim

Rufinum graviter perstringit

1001 *Mox Rufinum gravius etiam arguit his verbis :* Illam autem temeritatem, immo insaniam ejus, quis digno possit explicare sermone, quod librum Xysti Pythagorei, hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris et Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit : in quo juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse E substantia, multa de perfectione dicuntur, ut, qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis... Unde et vos plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia. *Hunc Rufini errorem pluribus locis exagitavit* S. Hieronymus. *Quam vero fuerit aliquo tempore noxius, liquet ex verbis S. Augustini lib.* 2 *Retractationum cap.* 42, *ubi agit de libro suo* de Natura et Gratia, *subditque :* In quo verba quædam, quæ velut Xysti Romani Episcopi et martyris Pelagius posuit, ita defendi, tamquam revera ejusdem Xysti essent : id enim putaveram. Sed postea legi (*verisimiliter in hac* S. Hieronymi *Epistola*) Sexti philosophi esse, non Xysti Christiani. *Porro* Hieronymus *inter præcursores Pelagii numerat etiam Origenem, et Jovinianum in uno errore. Deinde progreditur ad prolixiorem refutationem dicti dogmatis.*

ac Pelagium, suppresso tamen nomine, provocat.

1002 *In fine num.* 11 *et* 12 *hæc subjungit :* Nullius in hoc Opusculo nomen proprie tangitur. Adversus magistrum perversi dogmatis loquuti sumus. Qui si iratus fuerit, atque rescripserit, suo quasi mus prodetur in stercore, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus. Multi anni F sunt, quob ab adolescentia usque ad hanc ætatem diversa scripsi Opuscula, semperque habui studio audientibus loqui, quod publice in Ecclesia didiceram : nec philosophorum argumenta sectari, sed Apostolorum simplicitati acquiescere.... Quum hæc ita se habeant, provoco adversarios, ut omnes retro chartulas ex integro discutiant, et, si quid in meo ingeniolo vitii repererint, proferant in medium. Aut enim bona erunt, et contradicam eorum calumniæ ; aut reprehensibilia, et confitebor errorem, malens emendare, quam perseverare in pravitate sententiæ. Et tu ergo, doctor egregie, aut defende, quod loquutus es, et sententiarum tuarum acumina adstrue eloquio subsequenti, ne, quando tibi placuerit, neges, quod loquutus es : aut si certe errasti, quasi homo, libere confitere, et discordantium inter se redde concordiam. In mentem tibi veniat, tunicam Salvatoris nec a militibus fuisse conscissam. Fratrum inter se cernis jurgia, et rides atque lætaris, quod alii tuo nomine, alii Christi appellentur. *Alia addit ad hominem permovendam, ac similiter in fine Christianos*

AUCTORE I. S.

Prosequitur Opus in Jeremiam, conquerens de Pelagianis,

stianos hortatur, ne hæresim suscipiant, promittens iterato Opus prolixius.

1003 *Attamen aliquo tempore exspectavit, verisimiliter ut perspiceret, quem effectum prolixa hæc et studiosa Epistola haberet in Palæstina, ubi erat Pelagius, et Joannem Hierosolymitanum episcopum sibi habebat addictum. Interea rediit ad Explanationem Jeremiæ Prophetæ, et circa medium anni 415 librum secundum dictavit et tertium. In hujus Præfatione de calumniis Pelagianorum conqueritur prolixe, quod non sinerent se quietum explanandis sacris Litteris insistere. Omissis prioribus brevitatis gratia, hæc transfero ea, quæ de Joanne Hierosolymitano et de Pelagio exponenda mihi videntur :* Sed id agit diebus et noctibus, et aperte et per insidias veris falsa miscendo, immo universa mendacia subdolo melle circumlinens, ut, qui audit verborum dulcedinem, venena pectoris non formidet. Pacem pollicetur, ut graviora bella exerceat : ridet, ut mordeat : manum offert, ut ex improviso simplicem interficiat Abner. Nimirum hoc illud est, quod et Apostolus loquebatur : « Non enim ejus » ignoramus astutias. » Hic tacet, alibi criminatur : mittit in universum orbem Epistolas bibli-
B nas, prius auriferas, nunc maledicas, et patientiam nostram, de Christi humilitate venientem, malæ conscientiæ signum arbitratur. *Hæc omnia videntur dici de Joanne Hierosolymitano, qui et Pelagio erat addictus, et* Hieronymo *iterum contrarius, et solus tam potens, ut illa omnia efficere posset. Addictum Pelagio fuisse Joannem, ipse luculenter ostendit eodem anno in synodo Hierosolymitana : cumque ad illam synodum, ubi solus cum presbyteris erat episcopus, non vocaverit* S. Hieronymum, *vel hoc ipso monstravit se eidem contrarium. Tamen idem magis patebit ex referendis ad sequentem annum.*

absolutoque libro tertio, scribit Dialogum contra Pelagium.

1004 *Sequentia* Hieronymi *verba etiam designant Joannem Hierosolymæ tacentem, ibique Pelagium loquentem.* Ipseque mutus, *inquit,* latrat per Albinum canem, grandem et corpulentum, et qui calcibus magis possit sævire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia : qui juxta fabulas poetarum instar Cerberi spirituali percutiendus est clava, ut æterno cum suo magistro Plutone silentio
C conticescat. Verum hoc alias, *in ipso nimirum Opere, quod post librum tertium in Jeremiam mense Julio et sequentibus anni 415 scriptum existimo. Etenim in Præfatione libri 4 ait, diu se siluisse, sed tandem respondere compulsum* crebra fratrum expostulatione.... Nec tamen, *inquit,* huc usque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari. *Auctorum nomina siluit in Epistola ad Ctesiphontem et in Dialogo. At Epistolam non scripsit* crebra fratrum expostulatione, *aut certe id nullibi dicit, sed ad interrogata solius Ctesiphontis. Contra Dialogum ita se scripsisse, ipso initio testatur.* Scripta jam, *inquit,* ad Ctesiphontem Epistola, in qua ad interrogata respondi, crebra fratrum expostulatio fuit, cur promissum Opus ultra differrem, in quo pollicitus sum, me ad cunctas eorum, qui ἀπάθειαν prædicant, quæstiunculas responsurum. *Hæc invicem collata non relinquunt dubium. Æque certum est ex verbis Orosii num. 998 datis, Sanctum hoc Opere occupatum fuisse, quando sub finem Julii habebatur conventus Hierosolymitanus.*

1005 *Post data verba, aliaque plura de præcursoribus Pelagianorum, et de methodo, qua secundum hoc contra Pelagianos Opus scripturus sit,* D *subjungit sequentia :* Et quamquam superiori Epistola, quam ad Ctesiphontem scripsi, contra errores eorum pro angustia temporis pauca perstrinxerim, hic liber, quem nunc cudere nitimur, Socraticorum consuetudinem servabit, ut ex utraque parte (*per dialogum*), quid dici possit, exponat, et magis perspicua veritas fiat, quum posuerit unusquisque, quod senserit. *Deinde num. 2 obtrectatores suos ita refellit :* Adversum eos autem, qui me dicunt hoc Opus inflammatum invidiæ facibus scribere, breviter respondebo, umquam me hæreticis pepercisse, et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent. Helvidius scripsit contra sanctæ Mariæ virginitatem perpetuam : numquid, ut ei responderem, ductus invidia sum, quem omnino in carne non vidi; Jovinianus, cujus nunc hæresis suscitatur, Romanam fidem, me absente, turbavit, tam elinguis et sic sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam invidia. Illi quoque respondi, ut potui. Rufinus non uni urbi, sed orbi blasphemias Origenis et περὶ ἀρχῶν libros, quantum in se fuit, intulit, ita ut Eusebius quoque primum librum de- E fensionis Origenis sub nomine Pamphili martyris ederet : et quasi ille parum dixisset, novum pro eo volumen evomeret. Num invidemus ei, quia respondimus, et tanta in eo eloquentiæ fuere flumina, ut me a scribendi atque dictandi studio deterrerent?

In Præfatione docet, quæ usurus sit methodo et refutat

1006 Palladius servilis nequitiæ, eamdem hæresim instaurare conatus est, et novam Translationis Hebraicæ mihi calumniam struere. Num et illius ingenio nobilitatique invidemus? Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur, et garrit unusquisque, quod sentit. Ego solus sum, qui cunctorum gloria mordear; et tam miser, ut his quoque invideam, qui non merentur invidiam? Unde, ut omnibus probarem, me non odisse homines, sed errores; nec aliquorum infamiam quærere, magisque dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientia supplantantur, Attici et Critobuli nomina posui, per quos et nostra pars et adversariorum quid sentiret, expromerem. Quin potius omnes, qui Catholicam sectamur fidem, optamus et cupimus damnari hæresim, homines emendari : aut certe, si in errore voluerint per- F manere, non nostram culpam esse, qui scripsimus; sed eorum, qui mendacium prætulerunt veritati. *Ad allegata verba observo, recensitos esse hoc loco præcipuos hæreticos aut hæreticorum fautores, contra quos scripsit Sanctus, exceptis tamen Luciferianis schismaticis, et Vigilantio hæresiarcha : secundo, non satis notum esse, quis sit* Palladius *hic memoratus, nec ullum exstare Opusculum* Hieronymi, *quod contra Palladium aliquem videtur scriptum. At certe non videri Palladium episcopum Helenopolitanum, de quo tanto cum contemptu non fuisset locutus* Hieronymus, *ut jam observavi ad 14 Septembris in S. Joanne Chrysostomo § 1; ibidemque alios recensui num. 19 Palladios, ex quibus unus videtur hic perstrictus.*

calumniam, qua dicebatur invidia ad scribendum impelli.

1007 *Laudatum* Hieronymi *Opus modeste scriptum est, prolixumque est ac in tres libros divisum. In fine libri 3 enumerat aliquot Augustini Opuscula adversum Pelagianos edita, et honorificam de ipso mentionem facit his verbis :* Scripsit dudum vir sanctus, et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum,... duos libros de Infantibus baptizandis contra hæresim vestram *etc....* Alios

In illo Opere pro baptismo parvulorum remittit ad Opus S. Au-

A Alius quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: « In Silvam ne ligna. » Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut, si nova volnerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora.

Non modo ex invidia illud Opus ab Hieronymo scriptum,

1008 *Porro calumniam Pelagianorum, jactantium Hieronymum ex invidia contra Pelagium scribere, noverat etiam S. Augustinus, qui lib. 2, contra Julianum cap. 10, ubi plures Patres cum Hieronymo contra Pelagianos laudaverat, hæc subjicit:* Ex quibus,.... presbyterum Hieronymum retrahere fortasse tentabis,.... quia in Oriente contra Pelagium Catholicam fidem pia intentione defendit.... De illo autem sancto presbytero, qui secundum gratiam, quæ data est ei, sic in Ecclesia laboravit, ut eruditionem catholicam multum in latina lingua multis et necessariis litteris adjuvaret, non solet Pelagius jactitare, nisi quod ei tamquam æmulo inviderit. Sed nolo, ex hoc tibi videatur de istorum numero judicum retrahendus. Non enim ejus sententiam posui, quam tempore inimicitiarum con-
B tra vestrum tenuit et defendit errorem; sed quam posuit in scriptis suis liber ab omni studio partium, antequam vestra damnabilia dogmata pullularent. *Hæc Augustinus, non quod veram crederet calumniam de invidia, sed ut os obstrueret Juliano.*

Pelagiani jactabant, sed alia quoque in eodem

1009 *Dialogum* Hieronymi *diu etiam post calumniatus est Julianus Pelagianus apud Augustinum in Opere imperfecto contra Julianum lib. 4, cap. 88, acsi* Hieronymus *ibidem* quinti Evangelii (*Nazareorum*) testimonio nitatur ostendere, Christum non solum naturale, verum etiam voluntarium habuisse peccatum, propter quod se cognoverit Joannis baptismate diluendum. *Verba* Hieronymi, *ex quibus calumniandi occasionem arripuit Julianus, habentur lib. 3, cap. 1, num. 2, ut jam observatum est ab editoribus. Verum* S. Hieronymus *illud Evangelium ita citavit, ut mox S. Ignatium, non* ad auctoritatem *Evangelii eidem attribuendam, sed solum* ad antiquitatem, *et ad indicandum,* quid omnes ecclesiastici viri senserint. *Præterea blasphemia de Christi peccato nequit probari ex allegatis Evangelii apocryphi verbis. At verba ipsa non posuerat Julianus; ideoque Augu-*
C *stinus respondere sic incipit:* Si posuisses verba Hieronymi, fortassis ostenderem, quomodo accipienda essent sine blasphemia, quam tu illi importare conaris. *Alium quoque* Hieronymi *locum; minime eum designans, calumniabatur ibidem Julianus et rursum cap. 121, acsi* flagitium *Christo tribuisset* falsitatis. *Respondit iterum cap. 121 Augustinus, sibi non assignari ipsa* Hieronymi *verba At verba assignat probabiliter Vallarsius lib. 2, num. 17, et explicat.*

carpebant: sed Augustino aliisque multum placuit.

1010 *Rursum allegato loco Julianus dicit Augustino:* De quo Opere (*Dialogo*) tu in illa Epistola, quam Alexandriam destinasti, ita gloriaris, ut dicas Pelagium Scripturarum ab eo oppressum molibus, arbitrium liberum (*sensit Pelagiano expositum*) vindicare non posse. Verum illi Operi a Catholico viro, qui pulsatus fuerat, obviatum est. *Quamvis laudata hic Epistola Augustini exciderit; saltem novimus, Opus illud* Hieronymi *multum placuisse S. Augustino. Laudat idem Opus in Epistola sua* 180 (*alias* 260) *verbis alia occasione allegatis. Desideravit etiam Augustinus, ut dicta Opuscula sua contra Annianum defenderet: quod cur non fecerit, per decursum exponetur. Ceterum Opuscula bina* Hieronymi *contra Pelagianos in magna apud antiquos æstimatione fuisse, satis colligitur ex Chronico Idacii. Nam ad annum* 21 *Honorii ita habet:* Hieronymus, qui supra, præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna nocturnaque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera. Ad ultimum Pelagianorum sectam, cum ejusdem auctore, adamantino veritatis malleo contrivit. Adversum hos et adversum alios hæreticos exstant ejus probatissima monimenta.

Scribit librorum 4 in Jeremiam, Pelagianos provocans

1011 *Absoluto Dialogo contra Pelagianos, ad Jeremiam exponendum rediit Sanctus, verisimiliter circa autumnum anni 415. In Præfatione libri 4 ad Eusebium hæc habet:* Multis de toto huc orbe confluentium turbis, et sanctorum fratrum monasteriique curis occupatus, Commentarios in Jeremiam per intervalla dictabam, ut, quod deerat otio, superesset industriæ: quum subito hæresis Pythagoræ et Zenonis, ἀπαθείας et ἀναμαρτησίας, id est; impassibilitatis et impeccantiæ, quæ olim in Origene, et dudum in discipulis ejus Grunnio Evagrioque Pontico et Joviniano jugulata est, cœpit reviviscere, et non solum in Occidentis, sed et in Orientis partibus sibilare, et in quibusdam insulis, præcipueque Sicilia et Rhodi, maculare plerosque, et crescere per dies singulos, dum secreto docent, et publice negant. Cui respondere diu tacens, et dolorem silentio devorans, crebra fratrum expostulatione compulsus sum: nec tamen hoc usque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari. Neque enim hominum, sed erroris inimicus sum. Qui mihi ut vicem talionis, et genuinum sui doloris illiderent, veteres magistrorum suorum calumnias concinnantes, intantum elingues et miseri demonstrati sunt, ut ne maledicere quidem suis verbis potuerint...

ad apertam confessionem et Opus tertium contra eos scribere cogitans,

1012 Quibus loquar compendio. Aut bona sunt, quæ docetis, aut mala. Si bona, defendite libere: si mala, quid occulte miseros jugulatis errore, rectæque fidei ad decipiendos simplices quosque jactatis expositionem? Quæ si vera est, cur absconditur: si falsa, cur scribitur?.... Quumque generaliter adversum vitia quid et hæreticos diximus, se peti queruntur, malumque conscientiæ dissimulata diu indignatione pronuntiant. Quod si cavendum nobis est, ne veterem lædere videamur necessitudinem, si superbissimam hæresim spirituali mucrone truncemus, ergo sustinendæ erunt nobis cruces proditæ fidei... Quin potius audiant illud Apostolicum: « Obedire Deo magis oportet, quam hominibus. » Et iterum: « Si hominibus placerem, Christi servus non essem »: Verum hæc in proprio, nisi tacuerint, Opere plenius exequemur. *His ultimis verbis tertium Opus minatur, nisi tacuerint. et tale quidem, ut nomina auctorum esset positurus. Nam duo, ut probavi, Opuscula jam scripserat.*

non obstante veteri amicitia cum Joanne, ut videtur, Hierosolymitano.

1013 *Quod vero ait,* ne veterem lædere videamur necessitudinem, *non videtur de alio intelligendum, quam de Joanne Hierosolymitano, quo cum S.* Hieronymus *multis annis amice vixerat, postquam primum advenit in Palæstinam, ac post discordiam aliquot annorum circa annum* 399 *amicitiam cum eodem redintegraverat. Nam de Pelagio ipso id minime dicendum videtur, cum quod non videatur ulla umquam inter* Hieronymum

auctore F. S.

mum *et Pelagium fuisse amicitia, tum quod Pelagio nequaquam parcat in Præfatione libri tertii; imo nec in aliis pluribus, eum satis clare designans, etiamsi nomen supprimat.*

Scribit libros quintum et sextum

1014 *In Præfatione libri* 5 Hieronymus *Pelagianorum contra se rabiem, quæ non diu post erupit, ut videbimus, per historiam ipsam, quam erat expositurus, declarat, ita scribens:* Quintus Commentariorum in Jeremiam liber, a duobus, frater Eusebi, calathis habebit exordium: quorum alter rectæ fidei dulcedinem, alter hæreticorum perfidiæ amaritudinem demonstrabit. Quamvis Ananias filius Azur repugnet Jeremiæ, et Semeias Nehelamites Prophetam mitti cupiat in carcerem, et Sophonias sacerdos in pseudoprophetarum verba conjuret: tamen veritas claudi et ligari potest, vinci non potest; quæ et suorum paucitate contenta est, et multitudine hostium non terretur. *Post librum* 5 *mox etiam ad sextum progressus videtur* Hieronymus: *at in ejus Præfatione Pelagianos non tangit, sed eos subinde breviter refutat per libri decursum, uti fecit per totum Jeremiæ Commentarium, quem reliquit imperfectum, expositis solum triginta duobus capitibus per libros sex, omissis vero ultimis viginti et Threnis.*

nec plures deinde videtur dictasse.

1015 *Cassiodorus quidem lib. de Institutione cap. 3 ait:* Quem (*Jeremiam*) etiam sanctus Hieronymus viginti libris commentatus esse monstratur: ex quibus sex tantum nos potuimus invenire: residuos vero adhuc, Domino adjuvante, perquirimus. *At verisimile est, Cassiodorum falso rumore fuisse deceptum. Cum enim multo plus quam mediam partem sex libris explanaverit Sanctus; non facile credemus, alios quatuordecim libros in minorem partem ab eodem conscriptos, præsertim cum illos nec Cassiodorus viderit, nec alius, quod sciam, memoraverit. Rationem probabilem, qua videatur ab interpretatione deinceps cessasse* Hieronymus. *etiamsi aliquot annis superfuerit, inveniemus inferius. De tribus libris in Threnos Jeremiæ, qui olim* S. Hieronymi *nomine fuerunt vulgati, nihil dicam, nisi recte dudum Sancto abjudicatos fuisse.*

§ LIX. Sanctus ab Augustino per Orosium et duos libros consultus, eidem respondet: Pelagianorum furore monasteria Sancti eversa.

S. Augustinus Orosium instruendum mittit ad Hieronymum,

Cum Orosius presbyter Hispanus in Africam venisset ad S. Augustinum, ut ab eo instrueretur ad refellendas hæreses in Hispania vigentes, S. Augustinus, ubi eum aliquo tempore docuerat, anno 415 *Orosium ulterius misit ad* S. Hieronymum, *ut reliqua ab hoc disceret, et ipse quoque de aliquot dubiis suis hac occasione* Hieronymum *consuleret. Ut vero utilior redderetur consultatio, S. Augustinus duas scripsit prolixas Epistolas, sive libros, ut ipse vocavit, alterum* de Origine animæ hominis, *alterum de aliquo loco Jacobi apostoli, inter Epistolas Hieronymianas editos, ut Epistolam* 131 *et* 132. *Quanti* Hieronymum *ejusque doctrinam faceret, in iis luculenter declarat Augustinus, maxime in priori, cujus initium subjungo:* Deum nostrum, qui nos vocavit in suum regnum et gloriam, et rogavi et rogo, ut hoc, quod ad te scribo, sancte frater Hieronyme, consulens te de his, quæ nescio, fructuosum esse nobis velit. Quamquam enim te multo, quam ego sum, ætate majorem, tamen ipse etiam jam senex consulo. Sed ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest: quia etsi senes magis decet docere, quam discere; magis tamen discere, quam quid doceant ignorare. Nihil equidem molestius fero in omnibus angustiis meis, quas patior in difficillimis quæstionibus, quam in tam longinquo tuæ caritatis absentiam, ut vix possim meas dare, vel recipere litteras tuas, per intervalla, non dierum, non mensium, sed aliquot annorum: cum, si fieri posset, quotidie præsentem te habere vellem, cum quo loquerer, quidquid vellem. Nec ideo tamen non debui facere, quod potui; si non potui totum, quod volui.

eidemque scribit duos libros consultationis,

1017 Ecce venit ad me religiosus juvenis Catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter noster Orosius, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio, utile vas in domo Domini esse desiderans, ad refellendas falsas perniciosasque doctrinas, quæ animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt. Nam inde ad nos usque ab Oceani littore properavit, fama excitus, quod a me posset de his, quæ scire vellet, quidquid vellet, audire. Neque nullum cepit adventus sui fructum: primo ne de me multum famæ crederet: deinde docui hominem, quod potui: quod autem non potui, unde discere posset, admonui: atque ut ad te iret, hortatus sum. Qua in re consilium vel præceptum meum cum libenter et obedienter acciperet; rogavi eum, ut abs te veniens, per nos ad propria remearet. Quam ejus pollicitationem tenens, occasionem mihi credidi a Domino esse concessam, qua tibi scriberem de his, quæ per te scire cupio. Quærebam enim, quem ad te mitterem, nec mihi facile occurrebat idoneus et fide agendi, et alacritate obediendi, et exercitatione peregrinandi. Ubi ergo istum juvenem expertus sum, eum ipsum esse, qualem a Domino petebam, dubitare non potui. *Discessit verisimiliter Orosius Hippone in Palæstinam primo vere anni* 415*: certe fuit in Palæstina aliquo tempore ante conventum Hierosolymitanum, sub finem Julii habitum, cum ibidem præsens fuerit, allegaveritque Epistolam* S. Hieronymi *ad Ctesiphontem, quam procul dubio in Bethleem ab ipso* Hieronymo *accepit: nam et Dialogo eum tunc occupari noverat.*

nimirum de anima hominis.

1018 *Quod vero Augustinus ab* Hieronymo *exponi cupiebat, summatim deinde sic edicit:* Accipe igitur, quæ mihi peto aperire ac disserere non graveris. Quæstio de anima multos movit, in quibus et me esse confiteor. Nam quid de anima firmissime teneam, non tacebo. Deinde subjungam, quid mihi adhuc expediri velim. *Deinde prolixe exponit, quænam de anima sibi videantur certa, quæ vero dubia, additis rationibus et argumentis non paucis in utramque partem deductis. Eamdem quæstionem initio secundæ Epistolæ his verbis exponit:* Quod ad te scripsi, honorande mihi in Christo frater Hieronyme, quærens de anima humana, si nascentibus singulis novæ singulæ nunc usque fiunt, ubi peccati vinculum contrahant, quod per Sacramentum gratiæ Christi etiam in infantibus recenter natis solvendum esse non dubitamus, cum in non parvum volumen

A men procederet, nolui ulla alia onerare quæstione. *Præcipuam de anima dubitationem suam allegatis verbis edixit Augustinus.*

et de loco Jacobi, utriusque dubii solutionem petens.

1019 *Tum vero progreditur ad secundam, hæc subjiciens* : Quod vero urget acrius, multo minus est negligendum. Proinde quæso et per Deum obsecro, ut exponas mihi, quod multis existimo profuturum : aut, si jam vel abs te, vel ab alio aliquo expositum habes, dirigas nobis, quomodo accipiendum sit, quod in Epistola apostoli Jacobi scriptum est : « Quicumque enim » totam Legem servaverit, offendat autem in » uno, factus est omnium reus. » Quæ res talis ac tanta est, ut quod hinc tibi non jam olim scripsi, multum me pœniteat. *Multa deinde differit Augustinus de loco allegato, multa de virtutibus, multa de vitiis, Epistolam vero vir humillimus concludit hoc modo* : Multa dixi, quibus tibi tædium fortassis inferrem, qui hæc tamen, quæ approbas, non exspectas discere, quod ea docere consuevisti. Si quid autem est in eis, quantum ad rem ipsam pertinet : (nam quali eloquio explicata sint, non nimis curo) si quid ergo in eis est, quod eruditionem offendat tuam; quæso, B ut rescribendo admoneas, et me corrigere non graveris. Infelix est enim, qui non tantos et tam sanctos tuorum studiorum labores et digne honorat, et de his Domino Deo nostro, cujus munere talis es, gratias agit. Unde cum libentius debeam a quolibet discere, quod inutiliter ignoro, quam promptius quoslibet docere, quod scio; quanto justius abs te hoc caritatis debitum flagito, cujus doctrina in nomine et adjutorio Domini tantum in Latina lingua ecclesiasticæ litteræ adjutæ sunt, quantum numquam antea potuerunt? *Finit repetendo preces, ut exponat allegatam Jacobi sententiam.*

Rescribit per Orosium, quem optime excepit, Hieronymus

1020 *Orosium optime excepit more suo* S. Hieronymus, *eidemque procul dubio multum profuit sua doctrina, licet nihil particulare de eo scriptum habeamus. Rediit in Africam anno* 416, *ad quem Marcellinus in Chronico de eo hæc scripsit* : Missus ab Augustino episcopo idem Orosius pro discenda animæ ratione ad Hieronymum presbyterum, reliquias beati Stephani, tunc nuper inventas, rediens primus intulit Occidenti. *Verisimiliter sub initium veris redierit, ac rediit certe, antequam eodem anno* S. Hieronymus *ea a Pela-* C *gianis passus est, quæ videbimus. Tulit Orosius ad Augustinum* Hieronymi *Epistolam* 134 (*alios* 94) *ut ipse testatus est Augustinus in Epistola ad Optatum, inter Hieronymianas editionis Veronensis* 144, *ubi illius pars recitatur. Dictam* Hieronymi *Epistolam per partes huc transfero* : Virum honorabilem, fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium presbyterum, et sui merito, et te jubente, suscepi. Sed incidit tempus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit, quam loqui; ita ut nostra studia cessarent, et juxta Appium canina exerceretur facundia. *Per caninam facundiam Sanctus indicat licentiam calumniandi ac maledicendi, qua utbantur Pelagiani. Hac quidem illi jam persequebantur* Hieronymum, *quando advenit Orosius, non ita tamen, ut ejus studia cessarent. Molim igitur credere,* Hieronymum *loqui de ultimo tempore, quo in Palæstina mansit Orosius, quando magis etiam crevisse videtur Pelagianorum contra* Hieronymum *furor.*

brevissime, sed idoneis rationibus responsum ad quæstiones omittit,

1021 *Hic ita prosequitur* : Itaque duobus libellis tuis, quos meo nomini dedicasti, eruditissimis et omni eloquentiæ splendore fulgentibus, ad tempus respondere non potui. Non quo quidquam in illis reprehendendum putem : sed quia juxta Apostolum : « Unusquisque in suo sensu » abundet : alius quidem sic, alius autem sic. » Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. Sed quæso reverentiam tuam, parumper patiaris, me tuum laudare ingenium. Nos enim inter nos eruditionis causa disserimus. Cæterum æmuli, et maxime hæretici, si diversas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certe et in Dialogo, quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat recordatus sum (*verba dota num.* 1007) magisque demus operam, ut perniciosissima hæresis de ecclesiis auferatur : quæ semper simulat pœnitentiam, ut docendi in ecclesiis habeat facultatem, ne, si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur. *Sunt hæc scripta post synodum Diospolitanam, in quo, damnata hæresi Pelagiana, absolutus est ipse Pelagius, indeque illa verba,* semper simulat pœnitentiam. *Redeo ad Epistolam.* E

et Augustinum salutat nomine Eustochii et Paulæ junioris.

1022 Sanctæ ac venerabiles filiæ tuæ, Eustochium et Paula, et genere suo, et exhortatione tua digne gradiuntur, specialiterque salutant beatitudinem tuam : omnis quoque fraternitas, quæ nobiscum Domino Salvatori servire conatur. Sanctum presbyterum Firmum anno præterito ob rem earum (*Eustochii et Paulæ*) Ravennam, et inde Africam, Siciliamque direximus; quem putamus jam in Africæ partibus commorari. Sanctos tuo adhærentes lateri ut meo obsequio salutes, precor. Litteras quoque meas ad sanctum presbyterum Firmum direxi, quæ si ad te venerint, ei dirigere non graveris. Incolumem te et mei memorem Christus Dominus custodiat, domine vere sancte ac beatissime papa. *Paula hic primum in Operibus* S. Hieronymi, *tamquam degens in Bethleem memorata, erat procul dubio neptis S. Paulæ, sive filia Toxotii, fratris Eustochii, et Lætæ, ad quam de ejus educatione scripsit* Hieronymus *Epistolam, ut dictum est num.* 853. *Poterat illa tunc rix annos habere viginti. Firmus autem missus erat, quantum ex verbis apparet, ad colligendos reditus ex bonis Eustochii et Paulæ provenientes, quibus maxime sustentabantur monasteria in Bethleem, ac pauperes verisimi-* F *liter alebantur. Addidit in fine* Hieronymus, *sive post scriptam Epistolam* : Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam, et ideo præceptis tuis parere non possumus, maxime in editione Septuaginta, quæ asteriscis verubusque distincta est. Pleraque enim prioris laboris fraude cujusdam amisimus. *Illam Septuaginta Translationem jam a multis annis petierat Augustinus, ac forsan in alia Epistola petitionem iteraverat.*

Cum Pelagiani monasteria S. Hieronymi cæde et incendio

1023 *Eodem anno* 416, *sub cujus initium videtur scripta jam data Epistola, gravissimam vexationem odio Pelagianorum passus est* S. Hieronymus *cum utroque monasterio, de quo curam gerebat. Facinus exsecrandum narrat S. Augustinus in libro de Gestis Pelagii, quem anno* 417 *conscripsit, et in quo exposuit gesta Pelagii in Palæstina, conciliaque ibidem contra ipsum habita. Expositis vero gestis in synodo Diospolitana, in fine libri hæc subjungit* : De his autem, quæ post hoc judicium ibi a nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur, ut

Dei

Dei servi et ancillæ, ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde affligerentur, diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu et incursu impiorum in Dei misericordia turris munitior tueretur; tacendum nobis potius video, et exspectandum, quid illic fratres nostri episcopi de his tantis malis agendum existiment, a quibus eos dissimulare posse quis credat? Impia quippe dogmata hujuscemodi hominum a quibuslibet Catholicis, etiam qui ab illis terris longe absunt, redarguenda sunt, ne ubicumque nocere possint, quo pervenire potuerint: impia vero facta, quorum coercitio ad episcopalem pertinet disciplinam, ubi committuntur, ibi potissimum a præsentibus, vel in proximo constitutis, diligentia pastorali, et pia severitate plectenda sunt.

affluxissent, modeste Hieronymus cum suis rem defert ad Innocentium Papam,

1024 Nos itaque tam longe positi optare debemus his causis talem illic finem dari, de quo non sit necesse ubilibet ulterius judicare: sed quæ nobis potius prædicare conveniat; ut animi omnium, qui illorum scelerum fama usquequaque volitante graviter vulnerati sunt, Dei misericordia consequente sanentur. *Quod optabat S. Augustinus, factum oportuerat a Joanne Hierosolymitano: sed ille addictior fuisse dicitur Pelagio, quam ut scelestos illos severe cohibendos statim crediderit. Hac de causa, et maxime quod graviora etiam timerent, tum* S. Hieronymus, *quam Eustochium et Paula, querelas curarunt deferendas ad Innocentium, summum Pontificem, sed tanta cum modestia, ut neminem nominatim accusarerint. Videtur autem rem exposuisse Aurelio Carthaginensi episcopo, eique misisse litteras ad Innocentium scriptas. Certe Innocentius litteras, quas* S. Hieronymo *rescripsit, misit ad Aurelium, eique etiam brevem addidit Epistolam, inter Hieronymianas modo* 135, *quam subjungo:* Dilectissimo fratri Aurelio Innocentius. Piissimam etiam ad nos perveniendi tuam affectionem bene compresbyter noster credidit Hieronymus. Compatimur gregis nostri membro, et quod faciendum duximus, vel facere potuimus, sumus velociter exsecuti. Germanitas tua, frater carissime, citius litteras memorato reddere festinet.

qui Hieronymum per litteras consolatur,

1025 *Epistola* 136 *est Innocentii ad* Hieronymum, *sed pluribus mendis, quæ in eam transcribentium vitio inducta sunt, utcumque obscura. Primo aliqua dicit, quibus innuere videtur, non recte in Palæstina processum fuisse contra Pelagianos. Secundo consolatur breviter* Hieronymum, *jubetque bene memorem esse eorum, quæ prædicaverat de iis, qui pro veritate injuriam patiuntur aut periculum. Tum subdit sequentia, quæ minus corrupta sunt:* Itaque exercitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem Sedis Apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinavimus: sed, in quem insurgeremus; nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut judices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime. Tamen episcopo fratri meo Joanni scripsi, ut circumspectius agat, ne quid circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale providere et propellere, ne accideret, vel re accidat, ipsi etiam sit et postea molestissimum. *Ex his habemus, neminem ut sceleris auctorem nominatum fuisse ab* Hieronymo, *idemque manifestius fit ex Epistola* 137, *quæ est Innocentii ad Joannem. At de hac Hieronymi et Eustochii modestia, uti et de illis, quæ nominatim Eustochium et Paula sunt passæ, satis egi ad* 28 *Septembris in S. Eustochio num.* 68 *et seqq. Itaque generatim solum dico, direptum incensumque fuisse utrumque monasterium, in utroque etiam cædes patratas, ut manifestum fit ex litteris Innocentiis ad Joannem, datisque supra Augustini verbis*

et Joannem Hierosolymitanum increpat,

1026 *Non obscure nimiam Joannis in Pelagium indulgentiam, ejusdemque in dicto facinore negligentiam reprehendit Innocentius, innuens etiam, præcipuum admissi flagitii auctorem non esse ignotum.* Quod (*flagitium*) etsi ambiguum non sit, a quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, et gregi illius sollicitius providere, ne quid hujusmodi oriretur *etc. Rursum:* Nihil movet pietatem illam sacerdotii tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa? In te, inquam: prorsum enim sacerdotis gravitatem condemnat, tantum nefas in Ecclesia fuisse completum. Ubi provisiones tuæ? ubi certe, si casus evenerant, auxilia vel consolationes, cum plus se adhuc metuere dicant, quam conquerantur esse perpessas? Altius censerem, si essent aliquid de hac re mecum apertius collocutæ. Vide, frater, antiqui hostis insidias, et spiritu boni rectoris pervigila, ut hæc, quæ ad nos opinione magis, quam accusatione manifesta, delata sunt, vel corrigantur vel retundantur: ne jus ecclesiasticum de labefactatis causas eum, qui non defenderit, præstare compellat. *Hæc Innocentii Epistola, quæ scribi non potuit, nisi versus finem anni* 416 *aut sub initium sequentis, fortasse Joannem non invenit viventem. nam circa idem tempus Joannes obiit, successoremque anno* 417 *habuit Praylium, qui similiter initio Pelagio erat addictus.*

utpote Pelagio faventem qui paulo post defunctus:

1027 *Utrum vero Joannes Pelagianæ etiam hæresi faverit, hic non inquiro. At Pelagio ipsi nimis addictum fuisse, non habemus ex solo* Hieronymo, *qui in his nomen ejus semper silentio pressit: sed clarissime ex S. Augustino, qui in Epistola* 179 (*alias* 252) *ad ipsum Joannem anno* 416 *data, inter alia dicit:* Pelagium vero, fratrem nostrum, filium tuum, quem audio quod multum diligis, hanc illi suggero exhibeas dilectionem, ut homines, qui eum noverunt et diligenter audierunt, non eum tuam sanctitatem existiment falli. *Rursum num.* 5: Si diligitis Pelagium: diligat vos etiam ipse, immo magis se ipsum, et non vos fallat. *Jam vero Praylium Joannis successorem etiam pro Pelagio ad summum Pontificem scripsisse constat. At verisimiliter id factum fuerit ante perlatas in Palæstinam Innocentii litteras.*

Pelagius damnatur ex Palæstina pulsus.

1028 *Verum postea in concilio Orientalium damnatum Pelagium, pulsumque ex Palæstina, non solum ænigmatice indicat* Hieronymus, *sed claris etiam verbis Marius Mercator in Commonitorio cap.* 5: *ubi enim dixerat, episcopos Palæstinæ primum a Pelagio delusos, continuo subjungit:* Sed postmodum evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, a posteriore synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, a sanctis quoque et venerabilibus Hierosolymorum locus est deturbatus. Quod ejusdem sancti Theodoti ad reverendissimum virum verbis Romæ episcopum, et sanctæ recordationis Praylii Hierosolymitani episcopi missa scripta testantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus. *Contigerunt illa anno*

A *annos 417 aut 418: nam tempus non exprimitur.*

§ LX. Hieronymus, ubi secesserat ad alium locum, scribit ad Riparium, reversusque, ad Apronium: Epistola ad Cyprianum: una aut gemina ad Augustinum: tres aliæ incerti temporis.

Hieronymus scribit ad Riparium de pulso Pelagio,

Hieronymum, *ubi Pelagianorum scelere eversa erant monasteria, ex Bethleem cum omnibus suis ad alium locum secessisse, docet Epistola* 138, (*alias* 55) *ad Riparium. Hæc autem cum scripta sit post pulsum Pelagium, videtur figenda circa* 418, *quamvis forte ante finem anni* 417 *possit esse scripta. Riparius, cui hæc scripta, idem* B *verisimiliter est cum Ripario presbytero, ad quem scripsit sanctus de Vigilantio, ut dictum est num.* 899. *Epistolam huc transfero:* Christi te adversum hostes Catholicæ fidei bella bellare, et tuis litteris, et multorum relatione cognovi; ventosque esse perditionis, qui defensores sæculi esse deberent. *Utrum Riparius etiam tum bellaret contra Vigilantianos, an vero contra Pelagianos, non liquet. At verba insinuant, potestates sæculares ejus conatibus fuisse contrarias. Tum sanctus de rebus Palæstinæ subjungit:* Tamen scias, in hac provincia nullis humanis auxiliis, sed proprie Christi sententia pulsum esse non solum de urbe (*Hierosolyma*), sed de Palæstinæ quoque finibus Catilinam (*Pelagium conspirationis ducem*): nosque dolere plurimum, quod cum Lentulo multi conjurationis socii remanserunt, qui in Joppe commorantur. *Quis sit ille* Lentulus, *non liquet. Fuerit certo aliquis ex Pelagianis præcipuis; sed nequit esse Joannes Hierosolymitanus, qui erat defunctus, nec Praylius, qui Pelagium expulit.*

postquam ipse cum suis ex monasteriis vastatis excesserat

1030 *Mox de relicto monasterio ita scribit:* Nobis autem melius visum est locum mutare, quam fidei veritatem; ædificiorumque et mansionis amœnitatem amittere, quam eorum com- C munione maculari, quibus impræsentiarum aut cedendum erat, aut certe quotidie, non lingua, sed gladiis dimicandum. Quanta autem passi simus, et quomodo excelsa manus Christi pro nobis in hostem sævierit, puto te celebri nuntio omnium cognovisse. *Obscurum rursus est, quo modo Deus* in hostem sævierit, *nisi innuatur mors Joannis Hierosolymitani. Clarum vero est, noluisse* Hieronymum *cum Pelagio communicare, eaque de causa, absoluto eo a judicibus deceptis in synodo Diospolitana, tantopere in* Hieronymum, *ejusque monachos et monachas sæviisse Pelagianos. Non minus clare edicit, se cum suis e monasteriis recessisse, ne quotidie pugnandum esset; indeque verisimile fit, eumdem recessisse ex tota diœcesi Hierosolymitana: necdum reversus fuisse videtur, dum scribebat hanc Epistolam, in qua mox Riparium ad certamen hortatur, et meminit de Alentio diacono, qui fuerat in Palæstina, et hanc verisimiliter ad Riparium erat perlaturus.*

deinde ad Apronium, ubi ad monasterium erat, reversus;

1031 *Epistola* 139 (*alias* 56) *ad Apronium verisimiliter scripta est anno* 418, *postquam* S. Hieronymus *pristinam cum suis habitationem in monasteriis resumpserat: nam in iis postea defunctos esse* Hieronymum *ac Eustochium, certo constat. Apronius, cui scripta est, aliunde nobis non innotuit; sed laudatur, ut fervens zelo fidei. Obscurum autem est initium Epistolæ, cum aliquid frustra pro fide dicatur tentasse Apronius; de quo subjungit Sanctus:* Hoc meum gaudium est, quando audio pro Christo filios meos dimicare: et istum zelum in nos ipse confirmet, cui credimus, ut pro fide ejus sanguinem voluntarie fundamus. *Tum dolet, eversam nobilem domum, quæ hæreticos foverat. Et pergit hoc modo:* Optimum autem facies, si cunctis rebus omissis, Orientem et præcipue sancta loca petas: hic enim quieta sunt omnia. Et licet venena pectoris non amiserint: tamen os impietatis non audent aperire, sed sunt sicut aspides surdæ, et obturantes aures suas... Nostra autem domus secundum carnales opes hæreticorum persecutionibus penitus eversa, Christo propitio, spiritualibus divitiis plena est. Melius est enim panem manducare, quam fidem perdere. *Cum omnia essent quieta in Palæstina, dubitare nequeo, quin monasterium suum iterum incoleret* Hieronymus, *ut etiam innuunt illa verba:* Nostra domus... penitus E eversa *etc.*

direptio monasterii forte causa est non perfecti Commentarii in Jeremiam.

1032 *Addo hic aliam observationem, videlicet bibliothecam* S. Hieronymi *direptione et incendio monasterii verisimiliter dissipatam fuisse, ut illa videatur causa, qua Commentarium in Jeremiam ad finem non perduxerit. Etenim sex libros in Jeremiam, quos habemus, verisimiliter absolverat ante istam cladem: postea vero aliquos annis vixit, ut videatur Commentarium perficere potuisse, si ad manum habuisset omnes libros ad eum perficiendum necessarios. Horum igitur defectu Commentarium non perfectum suspicor. Si tamen libri omnes forte fuerint conservati, necessitas alio transmigrandi et extrema inopia effecerint, ut notarios, quos alere non poterat, dimiserit; et sic defectu notariorum prosequi non potuerit. Certe rogatus postea ab Augustino, ut responderet Anniano Pelagiano, respondit, id se facturum, sed addit:* Si... notariorum habuerimus copiam. *Quare existimo, et notariorum, ac verisimiliter etiam librorum defectu, Sanctum pergere non potuisse. Nullum enim magnæ molis Opus post istud tempus scripsit.*

Epistola ad Cyprianum in Psalmum 89, vigente hæresi

1033 *Hac etiam de causa dubito, an Epistola* 140 (*alias* 139) *ad Cyprianum presbyterum, recte a Vallarsio sit fixa circa annum* 418. *Prolixa enim hæc est et studiosa; at paucæ aliæ, quas* F *post eversionem monasterii scripsit Sanctus, solum familiares sunt et perbreves. Accedit altera ratio, videlicet quod nulla in ea fiat mentio de malis, quæ passus erat Sanctus. Hoc tamen certum est, scriptam esse, vigente hæresi Pelagiana, cum Sanctus Pelagianos pluribus locis redarguat. Continet Explanationem Psalmi* 89, *quam Cyprianus præsens in Palæstina postulaverat, ut sub initium dicitur. Hæc autem præsentia Cypriani tempus scriptæ Epistolæ magis reddit ambiguum, tum quod nesciamus, quo anno apud* S. Hieronymum *fuerit, tum quod infirmet utcumque rationes jam datas ad Epistolam citius figendam, cum notarios procurare potuerit Cyprianus, et huic fortasse loqui noluerit sanctus de malis, quæ probe noverat.*

Pelagiana, sed anno incerto est data.

1034 *Quidquid sit de anno, Opusculum illud est senis* Hieronymi, *spectatque ad tempora Pelagianorum. Initium dumtaxat huc transfero:* Prius te, *inquit*, Cypriano presbyterorum studiosissime,

AUCTORE I. S.

studiosissimo, . . . tantum litteris noveram, . . . Nunc autem, quia exterioris quoque hominis nobis invicem facta est cognitio, et post salutationem dulcesque complexus, quibus sibi amicitia copulatur, ut probes verum esse, quod audieras, statim a me postulas, ut difficillimum Psalmum, qui apud Græcos et Latinos octingesimus nonus inscribitur, tibi edisseram, non composita verborum oratione plausuque populari, qui solet imperitorum aures decipere atque palpare; sed oratione simplici, et ecclesiastici eloquii veritate *etc.*

Gratulatur Augustino victoriam de Pelagianis,

1035 *Restant* (*præter nonnullas incerti temporis*) *commemorandæ tres* Hieronymi *Epistolæ ad S. Augustinum, aut forte solum duæ, si priores non nisi unam constituant, quod secunda post subscriptionem sit solum addita, ut probabiliter existimant postremi editores. Sunt illæ Epistolæ* 141 *et* 142, *circa annum* 418 *scriptæ, aut certe post damnationem Pelagianorum per summum Pontificem. Cum vero damnati fuerint Pelagius et Cælestius primum ab Innocentio Papa, deinde etiam a Zosimo, urgentibus multum episcopis Africanis, inter quos eruditione præcipuus erat Augustinus,* B *huic sancto Doctori victoriam de Pelagianis relatam præcipue attribuit, gratulabundus ad eum ita scribens:* Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus sum, et habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem: sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus, et plene complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti. Maluisti, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Scit, quid dicam, prudentia tua. Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt: et, quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur: et me pari persequuntur odio, ut, quos gladiis nequeunt, voto interficiant. Incolumem et mei memorem te Christi Domini clementia tueatur, domine venerande et beatissime papa.

eorumque pertinaciam eidem insinuat.

1036 *Si sequens Epistola* 142 *præcedentis revera pars fuerit, utraque data fuerit post damnatum in Oriente pulsumque Pelagium, ut dictum num.* 1028. *Scribit autem sequentia:* Multi C utroque claudicant pede, et ne fractis quidem cervicibus inclinantur, habentes affectum erroris pristini, quum prædicandi eamdem non habeant libertatem. Sancti fratres, qui cum nostra sunt parvitate, suppliciter te salutant. Fratres tuos, dominum meum Alypium, et dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam. Capta Jerusalem tenetur a Nabuchodonosor, nec Jeremiæ vult audire consilia: quin potius Ægyptum desiderat, ut moriatur in Taphnes, et ibi servitute pereat sempiterna. *Ultima hæc sunt ænigmatica, sed facile intelligi poterant ab Augustino, qui noverat personas. Priora verba designant Pelagianos, de quibus similia scripsit ad Apronium, data num.* 1031. *Utrum vero* Jerusalem *significet clericos et laicos complures, quos in ea urbe Pelagius, voce* Nabuchodonosor *indicatus, perverterat; an personam aliquem particularem, non definio. Certe non indicatur Joannes Hierosolymitanus, ante expulsum Pelagium defunctus; nec videtur Praylius ejus successor innui, cum credatur Pelagium expulisse: nisi forte hoc fecisset solum, quod reliquis episcopis non auderet se opponere. Jeremias recte* D *monebat: at hoc etiam de variis exponi potest.*

Sanctus incerto tempore scribit ad Exuperantium,

1037 *Priusquam progrediar ad postremam Epistolam S. Hieronymi, ac beatum ejusdem obitum, lubet hic agere de tribus Epistolis, quas omnium postremas posuit Vallarsius in editione Veronensi, quod certis temporis notis omnino careant. Prima ex his est Epistola* 145 (*alias* 35) *ad Exuperantium, qui militiam sequebatur, sed pietate præstans,* sub paludamento et habitu militari *agebat* opera prophetarum, et exteriorem hominem aliud promittentem *vincebat* interiori homine, qui formatus est ad imaginem Creatoris. *Habebat Exuperantius fratrem Quintilianum, per quem illius notitiam* Hieronymus *acceperat. Hortatur autem Exuperantium, ut, relictis omnibus, cum* sancto fratre Quintiliano *in Bethleem veniat ad perfecte Deo serviendum. Vallarsius in Annotatis existimat, indicari illum Exuperantium, de quo scribit Palladius in Historia Lausiaca cap.* 80 *nomine* Oxyperentii. *Laudat ibidem Palladius Posidonium quemdam solitarium, cui et miraculum ejecti dæmonis attribuit.*

qui improbabiliter creditur Oxyperentius Palladii,

1038 *De* Hieronymo *autem prophetantem inducit, ita scribens*: Hujus sancti (*Posidonii*) novi hanc quoque prophetiam. Hieronymus enim quidam presbyter habitabat in illis locis, qui in sermone Romano magna erat virtute ornatus, E et præclaro ingenio: sed tanta fuit ejus invidia, ut ab ea obrueretur virtus doctrinæ. Cum ergo multis diebus cum eo versatus esset sanctus Posidonius, dicit mihi in aurem: Ingenua quidem Paola, quæ ejus curam gerit, præmorietur, liberata ab ejus invidia. Ut autem arbitror, propter hunc Virum non habitabit vir sanctus in his locis, sed ejus pervadet invidia usque ad proprium fratrem. Resque ita accidit. Etenim beatum Oxyperentium Italum is hinc expulit: et Petrum alium quemdam Ægyptium: et Simeonem, viros admirabiles, quos ego adnotavi. *Tota hæc relatio Palladii videtur plus calumniæ habere, quam solidi fundamenti. Nam Posidonius, quem celebrat, aliunde mihi ignotus est. Dicta vero Posidonii, quæ venditat ut prophetica, nec ex modo loquendi, cum addiderit,* ut arbitror: *nec ab eventu videntur pro talibus habenda esse. De invidia* Hieronymi *contra proprium fratrem Paulinianum nihil uspiam innotuit. Trium vero monachorum ex monasterio discessus, etiamsi certissimus* F *crederetur, nequaquam probat, non potuisse virum sanctum cum* Hieronymo *commorari.*

Hieronymum perperam, ut probatur, calumniantis.

1039 *Contrarium plane dicit Posthumianus apud Severum in Dialogo cap.* 9. *Nam Posthumianus, qui sex mensibus cum* Hieronymo *fuit, ait quidem:* Cui jugis adversum malos pugna perpetuumque certamen concivit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. *At mox adjungit:* Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt.... Quod nisi mihi fuisset fixum animo, et promissum Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum a tanto Viro discedere noluissem. *Hæc directe pugnant cum improbabilibus Palladii assertis. Ceterum neque Exuperantium, qui forsan monasticam vitam minime est amplexus, cum Oxyperentio confundendum censeo, cum et nominis differentia sit notabilis, et nulla afferatur ratio ad eos confundendum.*

1040 *Epistola* 146 (*alias* 85) *ad Evangelium nota temporis similiter caret. Egi num.* 605 *de Epistola*

AUCTORE J. S.

Epistola ad Evangelum de dignitate presbyterorum supra diaconos :

A pistola 73 ad *Evangelum presbyterum*, *data anno* 398. *Potest idem hic esse Evangelus, etiamsi titulus* presbyteri *in titulo sit omissus. Nam, teste Vallarsio*, in duobus Mss. Veronensibus inscribitur *Epistola* : Ad Evangelum presbyterum de ordine sacerdotii. *Annianus item Pelagianus*, *memorandus* § 61, *Homilias aliquot Chrysostomi latine redditas dicavit Evangelo. Verum, quiscumque fuerit ille Evangelus, Epistola adversus illos conscripta est, qui diaconos æquabant aut præferebant presbyteris. Hac de causa* Hieronymus, *ut fastum diaconorum dejiciat, extollit dignitatem presbyterorum, ostenditque presbyteros episcopis fere æquales esse; et in fine tribus gradibus differentiam hac comparatione assignat :* Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron, et filii ejus, atque Levitæ, in templo fuerunt : hoc sibi episcopi, et presbyteri, et diaconi, vendicent in Ecclesia ; *videlicet episcopus comparatur cum Aarone summo pontifice, presbyter cum sacerdote, diaconus cum levita.*

in hac non facit Sanctus presbyteros episcopis æquales,

1041 *Vel solus hic locus sufficit ad refutandos eos, qui voluerunt, pares* Hieronymo *fuisse presbyteros et episcopos. Nam inter Aaronem pontificem et filios ejus sacerdotes magna erat differentia, etiam a prima eorumdem per Deum institutione. Eamdem itaque inter episcopum et presbyterum ponit* S. Hieronymus, *et quidem a prima institutione, differentiam. Nam insinuat, sacerdotii in Ecclesia diversitatem* de Veteri Testamento *habere originem et formam. Quapropter sicut Aaronem prima institutione novimus filiis suis sacerdotibus majorem dignitate fuisse, ita et episcopos, de quibus in eadem Epistola dicit,* Omnes Apostolorum successores sunt, *ipsa institutionis origine majores facit presbyteris. Ubi vero et in hac Epistola et aliis locis dicit, eosdem esse presbyteros et episcopos, docet, nomine distinctos non fuisse, sed* presbyterorum *nomen et episcopis datum esse, et similiter* episcoporum *nomine indicatos fuisse presbyteros. Docet præterea, pleraque officia episcoporum presbyteris fuisse communia; non tamen omnia. Et hac ratione probat, presbyteros,* ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur, *dignitate non esse multo inferiores episcopis. Perfectam vero æqualitatem illis non arrogat, ut hæc verba rursum evincunt :* Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?

ut contendunt aliqui, sed clare episcopis tribuit eminentiam.

1042 *Placet in gratiam prudentis lectoris ex brevi hac epistola, quam Calviniani, ut suo errori de æqualitate presbyterorum cum episcopis faventem, objecerunt, colligere breviter omnia illa indicia, quibus* Hieronymus *sententiam veram de præstantia episcoporum supra presbyteros insinuat. Prius tamen observo, disputare* Hieronymum *de eminentia presbyterorum supra diaconos, cumque in finem presbyterorum dignitatem extulisse, quantum potuit. Primo, ubi maxime videtur probare eamdem episcoporum et presbyterorum olim fuisse dignitatem, et ubi revera probat, nomen idem utrisque fuisse, hæc admiscet verba :* Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat *etc. Si existimabat* Hieronymus, *ut ipsum existimasse verba indicant*, in una ecclesia *non fuisse* plures episcopos *tempore Apostolorum, de quo ibi agit, credebat igitur, non omnes presbyteros esse episcopos; cum certum sit, in aliquot ecclesiis plures fuisse presbyteros. Secundo observat.* Alexandriæ a Marco evangelista, *qui Apostolorum tempore fuit, et Apostolus ipse fuit, saltem secundarius*, semper unum ex *presbyteriis* electum, in excelsiori gradu collocatum, *quem* episcopum nominabant. *Agnoscit igitur, tempore Apostolorum excelsiorem fuisse gradum episcopi, quam presbyterorum. Tertio verbis supra datis ordinationes soli attribuit episcopo, non presbyteris. Quarto episcopos* omnes *dicit* Apostolorum successores, *non item presbyteros. Quinto, ut probet presbyteros diaconis majores, ait :* Qui provehitur de minori ad majus provehitur. *Atqui non minus e presbyteris ordinantur episcopi, quam presbyteri ex diaconis. Sexto demum episcopos comparat cum Aarone, presbyteros cum filiis ejus sacerdotibus, ut jam dictum. Hæc mihi sufficere videntur, ut constet de mente* S. Hieronymi *ex hac Epistola. Alia ejus Opera non attingam, ne in re a multis examinata justo fiam prolixior.*

Epistola ad Sabinianum diaconum,

1043 *Epistola* 147 (*alias* 48 *ad Sabinianum diaconum lapsum æque incerti est temporis, ut fatetur Tillemontius Nota* 77, *etiamsi illam retulerit ad annum fere* 409 *aut* 410, *quod num.* 11 *dicatur Sabinianus peccasse cum uxore* barbari mariti, *et mox de fuga ipsius additur :* Romam occultus ingrederis, latitas inter Samnitas latrones, et ad primum mariti nuncium, quod novus tibi ex Alpibus Hannibal descendisset, navigio te credis intuto. Venis utquumque in Syriam, inde te velle Jerosolymam transcendere, et serviturum Deo polliceris. Quis non susciperet eum, qui se monachum promittebat, præsertim ignorans tragœdias tuas, et episcopi tui commendatitias ad cæteros sacerdotes Epistolas legens? At tu infelix tranfigurabas te in angelum lucis, et minister satanæ ministrum justitiæ simulabas. Sub vestitu ovium latebas lupus, et post adulterium hominis adulter Christi esse cupiebas. *Hæc omnia posui, ut breviter explicarem, qualis fuerit Sabiniani vita, et quomodo* S. Hieronymum *deceperit. Interim ait Tillemontius, Alaricum Gothorum regem Alpes transivisse anno* 408, *ut Epistola scribi potuerit anno* 409 *aut* 410, *si novus ille Hannibal sit Alaricus ipse, aut aliquis ex ducibus barbaris cum Alarico militantibus. Verum, cum multi duces barbari sub Romanis quoque militarent; fatetur rem esse incertam.*

quem ob flagitia breviter exposita

1044 *Quidquid vero sit de tempore, Sabinianus erat diaconus ordinatus ab episcopo quodam sancto, sed hunc nullibi nominat* Hieronymus. *In Italia ordinatum fuisse, insinuant jam data verba et magis illa num.* 10 : Noverat te omnis Italia. Universi te stare ante altare Christi ingemiscebant. *Etenim stupra et adulteria multa commisisse dicitur num.* 4; *sed fugere tandem compulsus est ob libidinem commissam cum uxore ducis barbari, quæ comprehensa dicitur num.* 11, *et sic venit in Syriam, et ad monasterium* S. Hieronymi, *habens adhuc commendatitias episcopi sui litteras. Cum autem ignotus esset, et monasticam vitam profiteri se velle diceret, receptus est ab* Hieronymo, *et Evangelium quoque ut diaconus legit in ecclesia.* Exanguis, *inquit num.* 6, marcidus, pallidus, ut suspicione omni careres, Euangelium Christi quasi diaconus lectitabas. Nos pallorem jejunii putabamus, et exangue os contra institutum ac morem tuum, quasi confectum vigiliis, mirabamur. *At vigilabat hypocrita, ut virginem monasterii S. Paulæ, quam noctu per fenestram alloquebatur, seduceret, et ad secum fugiendum impelleret. Jam consentientem habebat, quando crimen* S. Hieronymo *innotuit, ut dicit num.* 6 *his verbis :* Jam tibi et scalæ, per quas deponeres miseram, parabantur; jam iter dispositum

AUCTORE J. S.

situm, decreta navigia condicta dies, fuga animo pertractata; et ecce angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini custos, et infantis Christi gerulus, coram quo tanta faciebas, ipse te prodidit. *Mox ait, Epistolas ejus, quibus eam ad scelus induxerat, sibi ad manum esse, sed eas proferre non posse, nimirum quia crimen erat morte puniendum.*

ad pœnitentiam hortatur Sanctus.

1046 *Itaque cum deprehensus veniam flagitaret.* Ignovi fateor, *inquit Sanctus num.* 8, quid enim aliud possum tibi facere, Christianus? Hortatus sum, ut ageres pœnitentiam, et in cilicio et cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in monasterio, ut Dei misericordiam jugibus lacrymis implorares. At tu bonæ spei columen, excetræ stimulis inflammatus, factus es mihi in arcum perversum, et contra me conviciorum sagittas jacis. Inimicus tibi factus sum, vera dicens. Non dolebo de maledictis... Hoc plango, quod te ipse non plangis. *Addit multa de vita molli et libidinosa, quam ducebat. Tum ad pœnitentiam sic hortatur:* Convertere, miser, ad Dominum, ut ad te Dominus convertatur. Age pœnitentiam, ut et ille agat pœnitentiam super omnibus, quæ loquutus est, malis, ut faceret tibi. Quid, neglecto vulnere proprio, alios niteris infamare? Quid me bene tibi et sedulo consulentem, quasi phreneticus, morsu laceras? Esto ego flagitiosus sim, ut vulgo jactitas, saltem meeum age pœnitentiam: criminosus, ut simulas, imitare lacrymas criminosi. *Alia multa, quibus Sabinianum ad pœnitentiam fervida caritate hortatur, ibidem videri possunt. An vero aliquem Epistola effectum habuerit, incompertum est.*

§ LXI. Epistola ultima ad SS. Augustinum et Alypium: beatus S. Hieronymi obitus anno 419 probabilius contigit.

Augustinus, adhuc exspectans Hieronymi ad suas quæstiones responsum,

P*ergo ad postremam ex iis, quæ exstant,* S. Hieronymi *Epistolam, quæ ostendit, non defuisse eidem voluntatem optimam pugnandi contra hæreticos usque ad extremum spiritum, sed opportunitatem tandem defuisse, et vires decrepiti Senis defecisse. Pauca tamen observanda sunt, antequam agamus de illa Epistola. Miserat S. Augustinus anno* 415 *geminam ad* S. Hieronymum *quæstionem, videlicet de anima et de sententia Jacobi apostoli, ut dictum est num.* 1016. *Rescripserat quidem* S. Hieronymus, *et idoneas dederat rationes non respondendi ad illas quæstiones; nec tamen clare edixerat, se numquam responsurum. Pergebat itaque S. Augustinus exspectare aut dubie sperare responsum, ut cum ex aliis ejus Epistolis liquet, tum maxime ex Epistola ad Optatum, quæ circa finem vitæ* S. Hieronymi *scripta est, et inter hujus Epistolas est* 144. *Scribit Optato Augustinus, se ad consultationem suam necdum responsum ab* Hieronymo *accepisse, aitque:* Quinque ferme anni ecce evoluti sunt *a tempore missi consultationis libri, nec tamen censebat desperandum responsum. Rescriptam quoque ab* Hieronymo *Epistolam recitat, eumque num.* 3 *vocat,* honorandum pro suis ingentibus meritis dilectissimum Amicum; *vetatque suum consultationis librum publicari, quamdiu responsum* Hieronymi *poterat sperari.*

eidem cum Alypio scribit. Iis amicissime rescribit Sanctus

1047 *Interim simul Augustinus et Alypius* Hieronymo *scripserunt, eumque rogarunt, an jam respondisset ad Opusculum Anniani, qui impugnaverat ejus Opuscula contra Pelagianos. Ad hanc eorum Epistolam respondit* Hieronymus *per Epistolam* 143, *quam totam per partes huc traduco:* Sanctus Innocentius presbyter, qui hujus sermonis est portitor, anno præterito, quasi nequaquam in Africam reversurus, mea ad dignationem vestram scripta non sumpsit. Tamen Deo gratias agimus, quod ita evenit, ut nostrum silentium vestris Epistolis vinceretis. Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ reverentiæ, testem invocans Deum, quod, si fieri posset, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer; semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maxime, quia cooperatoribus et auctoribus vobis, hæresis Cælestiana jugulata est, quæ ita infecit corda multorum, ut quum superatos damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant; et quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se libertatem docendæ hæreseos perdidisse.

de morte Eustochii, et de libro Anniani Pelagiani.

1048 Quod autem quæritis, utrum rescripserim contra libros Anniani, pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienæ blasphemiæ verba frivola subministret, sciatis me ipsos libros in schedulis missos a sancto fratre nostro Eusebio presbytero suscepisse non ante multum temporis: et exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione sanctæ et venerabilis filiæ vestræ Eustochii, ita doluisse, ut propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto hæsitat, et, exceptis verbis tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus, ut, dum Epistolæ meæ (*ad Ctesiphontem*) respondere conatur, apertius se prodoret, et blasphemias suas omnibus patefaceret. Quidquid enim in illa miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc Opere confitetur. Nec grande est ineptissimis næniis respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, et notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus, non ut convincamus hæresim emortuam, sed ut imperitiam atque blasphemiam ejus nostris sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret sanctitas vestra, ne compellamur contra hæreticum nostra laudare. *Ex morte S. Eustochii, cujus nomine in aliis litteris posterioribus salutavit Augustinum* Hieronymus, *clarum fit, hanc ultimam esse ad Augustinum. Opus vero Anniani, de quo hic agitur, numquam refutavit* S. Hieronymus, *aut eodem anno, quo datæ hæ litteræ, aut sequenti defunctus. De ipso Opere agam inferius, uti et de auctore.*

Epistola ex Bethleem scripta,

1049 *Interim reliquum Epistolæ recito.* Sancti filii communes, Albina, Pinianus et Melania, plurimum vos salutant. Has litteras de sancta Bethleem sancto presbytero Innocentio dedi perferendas. Neptis vestra Paula (*nimirum neptis ob juventutem, sicut filia erat Eustochium*) miserabiliter deprecatur, ut memores ejus sitis, et multum vos salutat. Incolumes vos et memores mei, Domini nostri Jesu Christi tueatur clementia, domini vere sancti atque omnium affectione venerabiles patres. *Ex his liquet primo,* S. Hieronymum *rediisse in Bethleem ad monasterium suum, quod fuerat a Pelagianis destructum. Albina,*

AUCTORE I. S.

bina, Pinianus et Melania junior, quæ filia erat Albinæ, conjux Piniani, et neptis Melaniæ senioris, septem annis, postquam Romam reliquerant, in Africa habitavisse dicuntur: indeque navigasse in Ægyptum et ulterius in Palæstinam. Ex hoc autem loco habemus, personas illas, non minus pietate quam nobilitate præstantes, etiamsi cum seniore Melania, quæ Rufino et Origenistis contra S. Hieronymum favit, olim fuissent conjunctissimæ, amicitiam contraxisse cum Hieronymo, sicut dudum contraxerant cum Augustino. Quo anno in Palæstinam venerint, accuratius examinari poterit ad 31 Decembris, quo colitur S. Melania junior. Id tamen hic observo, Albinam, Pinianum et Melaniam egisse cum Pelagio, ut, quæcumque adversus eum dicerentur, scripto damnaret; idque perscripsisse S. Augustino, verisimiliter anno 418. Verum, cum fraudulenter respondisset more suo Pelagius, S. Augustinus de iis per litteras edoctus, circa medium anni 418 ad Albinam, Pinianum et Melaniam scripsit libros de Gratia Christi et de Peccato Originali, quibus Pelagii et Cælestii fraudes detegit.

anno 419 mense Augusto aut Septembri.

1050 Examinemus modo tempus postremæ hujus Epistolæ. Innocentius presbyter, qui eam perferre debuit, etiam anno præcedenti in Palæstina fuerat. Missus autem est Innocentius presbyter anno 419 Alexandriam, ut a S. Cyrillo, qui Alexandrinam ecclesiam tunc regebat, rogaret canones authenticos concilii Nicæni, reversusque est eodem anno ad concilium Africanum ante 6 Kalendas Decembris: nam tunc iidem canones Romam directi sunt. Ex hoc itinere Innocentii presbyteri in Ægyptum plerique colligunt, eodem anno 419 memoratam S. Hieronymi Epistolam fuisse datam. Huic chronotaxi non obstat, quod etiam anno præcedenti in Palæstina fuisset Innocentius; id certe nequit prodesse ad Epistolam anno 420 figendam. Etenim anno 419 non poterat Innocentius omittere Epistolam Hieronymi, quod, ut credebat, non esset in Africam reversurus, ut dicitur fecisse anno ante hanc datam: missus enim erat ab episcopis Africanis, ut canones Nicænos in Africam perferret. Illud solum mirari possumus, qua ratione in Palæstinam venerit anno 419, cum Alexandriam missus esset pro negotio magni momenti, ac Bethleem notabili intervallo Alexandria sit dissita. Verum fecerit hoc Augustini, Alypii, ac forsan etiam aliorum episcoporum Africanorum cum Hieronymo amicitia. Rogaverint illi, ut eo tempore, quo Alexandriæ canones quærerentur, et in sermonem latinum verterentur, litteras ad Hieronymum perferret, et ab eo responsum acciperet, aut certe ut ante vel post in Palæstinam trajiceret. Cum autem Innocentius ex Africa videatur Alexandriam discessisse circa finem mensis Maii, reduxque fuerit mense Novembri, verisimile est, litteras Hieronymi fuisse scriptas mense Augusto aut Septembri. Certe non est verisimile, datas esse post Septembrem.

Conjectura de Opere Anniani hic memorato.

1051 Quod modo spectat ad libros Anniani pseudodiaconi Celedensis, illos certe numquam refutavit S. Hieronymus, qui nihil, post hanc Epistolam, quod exstat, scripsit. Cum autem desiderare se Hieronymus insinuaret, ut libros illas refutaret S. Augustinus; mirandum sane esset, si hic sanctus doctor, qui in refutando Pelagio ejusque discipulis primas habuit partes, intactos reliquisset libros, quos noverat, et refutatos volebat. Quare, cum Pelagius libros suos de Libero arbitrio scripserit anno, ut videtur, 417, id est, eo tempore, ut Augustinus anno 419 rogare Hieronymum posset, an ad illos respondisset; satis apparet verisimilis quorumdam suspicio, illos ipsos esse libras, de quibus interrogavit S. Augustinus. Certe illi exstabant, quando anno 419 ad Hieronymum scribebat Augustinus, et huic respondebat Hieronymus: nec ulli alii innotuerunt, quibus verba S. Augustini aut Hieronymi congruere possunt. Quod vero dicit S. Hieronymus de Pelagio, Quidquid in illa miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in hoc Opere confitetur; omnino videtur confirmare datam conjecturam. Illa enim verba Pelagium videntur Operis auctorem facere, certe præcipuum. Hac de causa existimant aliqui, Pelagium cogitata subministrasse, Annianum vero stylo suo argumenta Pelagii expressisse, atque eam ob rem de Anniano Hieronymum dicere, Qui copiosissime pascitur, ut alienæ blasphemiæ verba frivola subministret. Si vera est hæc opinio, ut mihi apparet verisimillima, S. Augustinus Pelagianos illos libros abunde refutavit in libro de Gratia Christi. Verum plura de his non examino, cum minus spectent ad S. Hieronymum, ad cujus obitum paulatim progredior.

Sanctus, ubi magno senii languore laboraverat.

1052 Non aberat multum a nonagesimo ætatis anno S. Hieronymus, quando videtur nihil deinde Operis edidisse. Si credimus auctori primæ vitæ, incidit Senex in languorem maximum. Tanta denique, inquit, lassitudine fatigatus est, ut etiam in stratu suo jacens, funiculo trabe suspenso, supinisque manibus apprehenso, erigeretur, ut scilicet officium monasterii, prout poterat, exhiberet, transeuntes in squalore corporis, vocisque tenuitate dies plurimi. Dictio est imperfecta aut mendosa; sed intelliget lector, quid voluerit auctor. At languor ab ipso memoratus non videtur tantus fuisse, ut nihil amplius in eo dictare potuisset Hieronymus; sed potius fuisse effectus senectutis decrepitæ.

in Vitis obiisse dicitur anno 419:

1053 In fine ejusdem vitæ de morte Sancti hæc leguntur: Dormivit autem beatus Hieronymus anno imperii Theodosii Junioris 12. Et mox de die: Dormivit in Domino pridie Kalendas Octobris. Ætas sic exprimitur: Omne vitæ suæ tempus implevit annis 88 et mensibus sex. Hæc omnia possunt esse vera; sed non æque sunt certa. De asserta hic obitus die omnes consentiunt, non item de anno, qui morti assignatur: nam duodecimus Theodosii Junioris concurrit cum anno 419 æræ Christianæ. In altera vita, quam dedit Martianæus tom. V ut secundam, leguntur sequentia: Igitur beatus Hieronymus, postquam exuberanti scriptorum suorum copia inexpugnabilem Ecclesiæ Christi turrim contra jacula hæreticorum coerexit, nonagesimo ætatis suæ anno, imperii autem Theodosii duodecimo, in senectute bona migravit ad Dominum, videlicet ultima Septembris, et ejusdem diei hora ultima, cum sol occideret. Hæc ultima dicuntur more Italorum, apud quos ultima sive vigesima quarta diei hora est, quando sol occidit. Anno 12 Theodosii item attribuitur mors S. Hieronymi in tertia apud Martianæum vita col. 516, sed ibi dicitur obiisse nonagesimo octavo ætatis suæ anno, quod certo falsum est.

at plerique cum S. Prospero ejus obitum figunt anno 420;

1054 Verum apud recentiores chronographos passim prævaluit auctoritas S. Prosperi, qui in Chronico ad consulatum 9 Theodosii et Constantii 3, id est, ad annum 420 ita habet: Hieronymus presbyter moritur anno ætatis suæ 91, pridie Kal. Octobris. Hanc epocham mortis S. Hieronymi tamquam, indubitatam tradiderunt Baronius, Pagius, Tillemontius, aliique neoterici

maximo

AUCTORE J. S.

maximo consensu, ut nollem communem sententiam in dubium revocare, nisi fixum nobis certumque esset antiqua potius monumenta, quam auctoritatem neotericorum sequi. Hac igitur intentione lubet examinare auctoritates et rationes, quæ pro alterutro anno allegari possunt. De anno mortis S. Hieronymi in Chronicis Idacii et Marcellini nihil invenio, ut sola Prosperi auctoritas pro ea opinione contra Vitarum consensum militet.

qui sola S. Prosperi auctoritate non fit certus.

1055 At non video, illam auctoritatem pro irrefragabili habendam esse, cum quod S. Prosper certo sibi contradicat, prout editus est: nam anno 331 natum dicit, anno 420 defunctum; atque interim annos eidem attribuit nonaginta et unum, licet intra annos assertos non currant pleni nonaginta. Præterea Prosper eodem anno figit initium imperii Constantii, quem Honorius sibi collegam adoptavit. Prosperum secutus est Baronius. At Pagius, Tillemontius, aliique plurimi figunt principium imperii Constantii anno 421. Attamen multo facilius S. Prosper aberrare poterat in anno mortis S. Hieronymi, a quo longissimo aberat locorum intervallo, quam in anno, quo imperator in Occidente creatus est Constantius. Quapropter B non magis videtur sufficere auctoritas S. Prosperi, ut certum faciat annum obitus S. Hieronymi, quam ad natales ejus certo anno illigandos, et ad alia multa stabilienda, in quibus ab eo recedunt chronographi. Vitas quidem pro anno 419 laudatas similiter non esse magnæ auctoritatis ultro agnosco. Suspicio tamen esse potest, epocham mortis, cujus etiam hora designatur, ex Epitaphio fluxisse. Hac de causa examinabo, utri anno rationum verisimilitudine potius affigenda videatur mors Sancti.

Ex gestis vero Hieronymi et scriptis S. Augustini

1056 Ordo rerum gestarum S. Hieronymi anno 419 potius favere videtur, quam sequenti 420. Etenim postrema Epistola ad S. Augustinum eo anni 419 mense data est, ut Sanctus eodem anno, die 30 Septembris vitam mortalem cum immortali potuerit commutasse. Itaque, si superfuerit usque ad illum diem anni 420, plusquam anni integro nullum reliquit scriptum, ac ne exiguum quidem Epistolam, quæ ad nostra pervenerit tempora. Hoc vero mirandum maxime esset, præsertim cum S. Eustochium, quam non minoris fecit, quam ejusdem matrem S. Paulam, anno 419 mortem obierit, ut hujus Epitaphium non videatur omissurus fuisse Hieronymus, si anno integro et aliquot mensibus post ejus mortem C supervixisset. Accedit S. Augustini ad S. Hieronymum toto illo tempore silentium, nec modo ad Hieronymum, quem faciebat maximi, sed etiam de Hieronymo ut vivente. At majoris ponderis videtur, quod S. Augustinus de S. Hieronymo defuncto scripsit lib. 1 contra Julianum cap. 7 in hunc modum: Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui.... in locis sanctis atque in Litteris sacris usque ad decrepitam vixit ætatem *etc. Omnia verba dedi num.* 572.

probabilius videtur, obiisse Hieronymum anno 419:

1057 Hæc S. Augustinus videtur scripsisse sub finem anni 420 aut initium 421, ut colligitur ex libro 2 Retractationum cap. 61 et 62. Etenim quatuor libri ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum, quos Augustinus memorat cap. 61, passim figuntur scripti anno 420. Tum cap. 2 libros contra Julianum ita memorat: Interea libri quatuor Juliani Pelagiani, quos supra (cap. 53) commemuravi, venerunt etiam in manus nostras. . . Scripsi ergo sex libros adversus illos quatuor *etc. Hæc verba plane indicant, libros sex contra Julianum continuo fuisse inchoatos post dictos* D *quatuor ad Bonifacium absolutos. Hos autem quatuor, cum non sint admodum prolixi, verisimiliter Augustinus absolvit ante finem anni 420. Itaque probabilius videtur, libros sex contra Julianum eodem anno 420 ad finem vergente inchoatos fuisse. Tillemontius et editor Benedictinus non credunt, inchoatos ante annum 421, sed nullam allegant rationem, nisi quod dicant* Hieronymum, *die 30 Septembris anni 420 obiisse. At hoc ipsum est, quod ego hic quæro, ut ex eo nullum sumi possit argumentum. Verum, sive sub finem anni 420 sive sub initium sequentis allegata de* Hieronymo *scripserit Augustinus, cum non insinuet, mortem ejus recenter intellectam, semper ex iis probabilius erit, obiisse* Hieronymum *anno 419, quam sequenti 420.*

nam Epistola Augustini, in qua fit ultima mentio de vivente,

1058 Video tamen contra annum 419 objici posse Epistolam Augustini jam laudatam, inter Hieronymianas 144 ad Optatum, maxime si illa recte sit fixa anno 420: nam in ea S. Augustinus loquitur de Hieronymo tamquam vivente. Verum, et si certum crederem, sub anni 420 initium, ut existimat Vallarsius, figendam esse, nihilo minus existimarem, mortem Hieronymi ad quatuor aut quinque menses potuisse ignotam esse S. Au- E gustino, aut etiam diutius, considerata immensa locorum distantia, incommodoque hiemis appropinquantis. Neque enim aut litteræ tunc commeabant more hodierno; nec statim aliquis tantum iter suscipere cupiebat, nec navim continuo invenisset paratam ad longissimam navigationem, appropinquante hieme, inchoandam. Quapropter mirandum non esset, si S. Augustinus mortem S. Hieronymi ignorasset usque ad ver aut æstatem anni sequentis, præsertim cum nuncius, si quem de eo continuo missum in Occidentem credere velimus, potius in Italiam mitti debuerit, quam in Africam. Hæc observare volui, ut perspiciat prudens lector, et laudatam Epistolam ad Optatum non obesse verisimilitudini opinionis nostræ, etiamsi sub initium anni 420 credatur scripta; et mortem S. Hieronymi probabilius futuram fuisse ignotam Augustino, quando sub finem anni 420 aut initium 421 scribebat primum librum contra Julianum, si ille vixisset usque ad 30 Septembris anni 420. Nolim quidem negare, notitiam illius ante finem anni, quo Sanctus obiit, Hipponem Regium, ubi degebat Augustinus, perferri prospera F navigatione potuisse; sed considerandum non est, quid fieri potuerit; sed quid in similibus adjunctis passim fiat.

videtur anno 419 scripta.

1059 Quod modo spectat ad laudatam Augustini Epistolam; magis crediderim, scriptam esse anno 419, quam sub initium sequentis. Verba, ex quibus chronotaxis figitur, hæc sunt: Quinque ferme anni ecce evoluti sunt, ex quo in Orientem misi librum non præsumptionis meæ, et adhuc rescripta non merui, quibus mihi enodaretur hæc quæstio (*de anima*), in qua me cupis ad te certam ferre sententiam. *Loquitur Augustinus de libro per Orosium ad* S. Hieronymum *misso, ut dictum est num. 1016. Cum autem Orosius discesserit anno 415 sub initium veris, jam in æstate anni 419, et magis in autumno, evoluti erant* quinque anni *incompleti. Annos autem quinque incompletos numerari, colligitur ex addita voce* ferme. *Quare existimo, illam Epistolam scriptam fuisse circa autumnum, aut certe ante finem anni 419; imo etiam antequam ultimam* Hieronymi *Epistolam acceperat Augustinus. Nam hic etiam tum exspectabat* Hieronymi *ad quæstionem de anima responsum, credebatque* Hieronymum *occupari*

A *occupari scriptis contra Pelagianos, ut hæc ejus indicant verba :* Magis enim scio, quod aliis occupatur, quæ nomine differenda sunt, plurisque pendenda. *Hæc non scripsisset Augustinus post acceptam ultimam* Hieronymi *Epistolam ; in qua hic refutandi Anniani Pelagiani curam maluit Augustino relinquere his verbis :* Meliusque hoc faceret sanctitas vestra, ne compellamur contra hæreticum nostra laudare. *Nam, accepto tali responso, saltem dubitare poterat, an aliis occuparetur.*

nec ullum postea invenimus viventis Hieronymi indicium. 1060 *Ex dictis colligitur, Epistolam illam ad Optatum anno* 419 *datam esse. Exstat et alia Augustini ad eumdem Optatum Epistola* 190 (*alias* 157), *quæ data est anno* 418, *agitque similiter de quæstione de anima ad interrogationem Optati. In ea num.* 20 *jam dicit Optato, eam quæstionem se proposuisse* S. Hieronymo, *ejusque se responsum exspectare, antequam quæstionem decidat. Hac de causa iterum scripsisse Optatus anno* 419, *quod crederet,* Hieronymi *responsum jam fore perlatum : hoc enim sibi una transmitti petebat, ut testatur Augustinus. De illa sua* Hieronymi *per duas libros consultatione jam ipso anno* 415 *scripsit Augustinus ad Evodium in Epistola* 169 (*alias* 102) B *circa finem. De eadem consultatione post mortem* Hieronymi *meminit lib.* 2 *Retractationum cap.* 45, *dicitque se noluisse duos illos libros edere,* quousque (*S. Hieronymus*) esset in corpore,... ne forte responderet aliquando, et cum ipsa responsione ejus potius ederentur : *sed utramque edidisse post mortem* Hieronymi. *Itaque editio librorum verisimiliter facta fuerit anno* 420 *post intellectam* Hieronymi *mortem, quam ego anno* 419 *probabilius illigandam existimo, cum ob mentionem de defuncto in libris adversus Julianum iterato factam ab Augustino, tum vel maxime quod post Septembrem anni* 419 *nullum habeamus* Hieronymi *scriptum, ne minimam quidem Epistolam, ac nullum prorsus viventis indicium.*

§ LXII. Sepultura Sancti in Bethleem, ubi in honore est sepulcrum, etiam post corpus translatum; uti et alia quædam loca ob Sancti memoriam.

C

Sanctus in Bethleem sepultus. De *anno, quo* S. Hieronymus *obiit, nihil dixit Marcellinus in Chronica, sed locum mortis et sepulturæ non tacuit, ita ad annum* 392 *de eo scribens :* Usque hunc 14 Theodosii imperii annum beatus Hieronymus post Ascensionem Domini nostri Jesu Christi, a Petro apostolo incipiens, et de se ipsum desinens, 135 virorum illustrium ecclesiastica volumina descripsit, apud Bethleem oppidum degens, ubi et monasterium sibi condit, et alia multa ecclesiastica literis quoque Hebraicis edoctus scripsit, finemque vitæ suæ admodum senex fecit, ibique sepultus est, Catholicis quidem inexpugnabilis Ecclesiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hostis, tam proposito vitæ suæ, quam librorum a se editorum assertionibus depugnans. *Hic clare et mortuus et sepultus in Bethleem dicitur. Consentit Vita prima, cum hæc habeat verba, ex aliquo forsan epitaphio desumpta.* Bethleem eum alma tenet, iterum venturo Domino offerendum. *Vita altera apud Martianæum col.* 24, *relata S. Hieronymi morte, subdit sequentia :* Sanctæ autem venerabiles fœminæ, Paula scilicet et Eustochium, exemplo et commonitione ejus sæculi contemptrices, e crucis Christi bajulæ, ante ejus obitum, vocante Sponso, emigrarant. Porro beatus Hieronymus, dum adhuc viveret, scalpendo saxum in ingressu speluncæ Dominici præsepis sepulcrum sibi fecerat non longe a sepulcro prædictarum Sanctarum : ubi, sæculi perversitate devicta, sepultus est pridie Calend. Octobris. *Hisce de sepultura Sancti in Bethleem consentiunt omnes passim recentiores, nec ullum ea de re est dubium.*

1062 *De sepulcro Sancti in Bethleem plurimi deinde mentionem fecerunt. Ex aliquibus eorum evinci videtur, Sancti corpus ibidem mansisse usque ad sæculum* 13. *Certe Jacobus de Vitriaco, episcopus Acconensis, et postea S. R. E. Cardinalis, lib.* 3 *Historiæ Orientalis, edito apud Martenium et Durandum tom. III Anecdotorum. col.* 278 *asserit, corpus suo tempore fuisse in Bethleem his verbis :* Bethleem, in qua Panis cælestis natus est, in qua duce stella Christo magi munera obtulerunt, ubi latinus interpres Hieronymus requiescit. *Hæc ille sæculo* 13, *et eodem sæculo Brocardus in Descriptione Terræ sanctæ de Bethleem sic locutus est :* Vidi etiam ibi cellam S. Hieronymi, lectum ejus et sepulchrum et claustrum monachorum. *Hic revera non dicit, an corpus etiam tum esset in Bethleem ; at saltem non asserit, inde fuisse translatum, aut vacuum fuisse sepulcrum. Sic Jacobus de Voragine, qui post medium ejusdem sæculi vitas Sanctorum scripsit, sepultum in Bethleem* S. Hieronymum, *in ejus vita ad* 30 *Septembris asserit, translationem vero nullam memorat. Imo et Marinus Sanutus, qui scripsit sæculo* 14 *lib.* 3, *cap.* 11 *ait :* Non longe a præsepio sepultus fuit Jeronymus : *de translatione silens. Et inferius :* Et in crypta quadam ostenditur cella, in qua beatus Jeronymus pœnitentia se afflixit, et in translatione ac expositione sacræ Scripturæ plurimum laboravit : lectulus quoque eius ostenditur, et officinæ claustri, cui præfuit. *Nihil ille de translatione. Attamen translatum fuisse corpus suo loco videbimus.*

ubi corpus ejus erat sæculo 13.

E

1063 *De sepulcro* S. Hieronymi, *quale fuit posterioribus sæculis, mentio apud nos facta est ad* 27 *Januarii in S. Paula, ad* 5 *Martii in S. Eusebio Cremonensi, et ad* 28 *Septembris in S. Eustochio virgine. Mansit enim semper in veneratione, etiam post corporis translationem. Joannes Cotovicus, patria Ultrajectinus et eques Hierosolymitanus, in Itinerario Hierosolymitano, quod anno* 1619 *impressum est Antverpiæ, cap.* 8 *loca sacra in Bethleem visa describit, ibique pag.* 235 *de sepulcro* S. Hieronymi *sic loquitur :* Hinc (*ex antro Innocentium*) ad lævam transitur per antrum oblongum et angustum altari marmoreo decoratum, ubi humatum ferunt beati Eusebii Hieronymi discipuli corpus : cui Occidentem versus adjungitur aliud antrum quadratæ formæ, binis ornatum aris ; quod ad lævam intrantibus occurrit, beatarum Paulæ viduæ et matris nec non Eustochii filiæ et virginis monumentum perhibetur : quod ex adverso conspicitur, divi Hieronymi ossa quondam continuisse dicitur : quibus, ut et Eusebii, multorum opinione Romam delatis, vacuum monumentum hic remansit. *Tum de SS. Paula et Eustochio aliqua narrat, et mox ad aliam* S. Hieronymi *memoriam pergit.*

Sepulcrum in veneratione mansit etiam post translationem corporis, F

1064 Ex Paulæ, *inquit,* et Hieronymi monumento

ubi et ejusdem museum,

mento ad aliud ejusdem Hieronymi itur diverticulum, seu musæum, ut volunt, in quo æstivis temporibus studiis vacasse, et Biblia ex Hebræa in latinam linguam traduxisse ferunt. Id ex arcuato constat opere, atque ara marmorea ornatum, cæteris omnibus subterraneis locis et sublimius et lucidius est : qua parte enim Septemtrionem spectat, fenestellam habet, qua lux infunditur, cum cæteri omni prorsus luce careant. Ad Occidentale ejusdem sacelli latus scala est lapidea, per quam olim ad superius delubrum adscendebatur; ostio tamen a Minoritis postea obstructo, ab aliquot abhinc annis nullius usus esse cœpit. Dum ad hunc * itur, ibidemque gradus sistitur, Minoritæ hymnum concinunt : Isto confessor Domini sacratus etc. : dein recitant Antiph. : O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, B. Hieronyme, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. Vers. Ora pro nobis, B. Hieronyme. Resp. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Mox hanc subdit orationem Guardianus : Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Hieronymi doctrinam et merita Ecclesiam tuam multipliciter illustrasti, tribue nobis, quæsumus, ut qui commemorationem ejus devota mente persolvimus, ejus
B meritis et precibus ad gaudia æterna pervenire feliciter valeamus. Per Christum Dominum nostrum etc.

* *forte* hanc

alias oratorium dictum,

1065 *De eodem loco agit Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ lib.* 6, *cap.* 17, *vocatque* Oratorium S. Hieronymi, *et ponit locum decimum secundæ peregrinationis. Cum autem dictis nonnulla addat, verba ejus huc transfero:* Ex sacello sanctorum Innocentium se vertit processio ad lævam partem, ingrediturque cavernosum locum : et a dextera primo relicto mausoleo S. Eusebii abbatis Cremonensis, et postea a læva aliis duobus, altero S. Hieronymi et altero S. Paulæ et Eustochii filiæ suæ,... iterum se vertit ad dexteram, et ingreditur sacellum ad instar cubiculi : in cujus plaga Orientali altare erectum est, appellaturque Oratorium S. Hieronymi, eximii Ecclesiæ doctoris, et est sub schola eius,... et ejus memoria hic recolitur. Ratio nominis est, quia, ut tradit communis traditio, et scriptum reliquit F. Bonifacius lib. 2 de Perenni cultu Terræ sanctæ, S. Hieronymus æstivis temporibus in eo studiis vacabat *etc. Si hæc vera nominis ratio,* Museum, *ut habet Cotovicus, rectius vocatur. At si*
C Oratorium *fuit dictum propter altare ibi erectum; de schola, quæ est supra hunc locum, mox agam cum Quaresmio. Interim observo, scalas illas, de quibus loquitur Cotovicus, ascensum præbuisse ad scholam; sed ostium verisimiliter obturatum, postquam schola in usum profanum conversa est, ut videbimus.*

quod non longe abest a sepulcro e terra elevato.

1066 *Tum ad sepulcrum, quod ait undecimo loco secundæ peregrinationis honorari, cap.* 18 *sic progreditur Quaresmius :* Ex oratorio S. Hieronymi recedentes, revertimur ad venerandum eius sacrum sepulchrum. Est sepulchrum hoc e solo elevatum in formam altaris, opertum tabula marmorea (huic similia sunt duo alia, de quibus statim) estque in plaga Occidentali. In eo venerabile corpus honorifice fuit tumulatum, ut docet vetus traditio, cum primum sanctus Doctor (*in*) Bethleem ad præsepe Domini ad æternam gloriam, relicto corporis ergastulo, evolavit. Postea Romam in basilicam S. Mariæ ad Præsepe translatum est. *Tum agit de sepulcris SS. Paulæ et Eustochii ac S. Eusebii Cremonensis, et de omnibus cap.* 20 *subjungit :* Super hoc sepulchro, D et aliis sanctorum Hieronymi, Paulæ et Eustochii, Missa celebratur, et Officium ad eadem solemniter decantatur in diebus solemnibus horum Sanctorum, confluentibus etiam ad festivitates Fratribus ex Jerosolymis. *Hæc simul indicant cultum Sancti in illis locis; similiaque habent alii, qui peregrinationes suas per Terram sanctam litteris mandarunt. Additur etiam in vita S. Eusebii Cremonensis tom. I Martii pag.* 384 *ante singula sepulcra vitream ardere lampadem.*

Schola Sancti, a Turcis ad usum profanum conversa.

1067 *De schola* S. Hieronymi, *quæ est supra mox memoratum ejusdem oratorium, Quaresmius lib.* 6, *cap.* 1 *agit in primo secundæ peregrinationis loco.* Schola S. Hieronymi, *inquit,* est locus quidam longitudine et latitudine spatiosus. Longitudo est quadraginta duorum gressuum, latitudo sexdecim. Est affabre elaboratus, structura ex dolatis quadratisque lapidibus constructa : et eius camera columnis marmoreis sustentatur. Appellatur autem hic locus studiorum S. Hieronymi; quoniam sanctus hic Doctor, qui majorem partem vitæ suæ sancte et laudabiliter apud Bethleem consumpsit, vel in eo habebat bibliothecam, vel excipiebat illos, qui ad eum visendum et di- E scendi causa ibant; sive etiam utrique operi deserviebat. Ita habet communis harum partium traditio. Pertinet quidem hic locus ex justitia ad fratres Franciscanos; verum a Turcis et Mauris in jumentorum stabulum versus est. Cum enim isti hac transeunt, et ad Fratres divertunt, in ea sua jumenta reponunt. Nihilominus illum etiam fideles visitant ob sancti Doctoris memoriam. *Mox cap.* 2 *agit de monasterio Franciscanorum, aitque, ab aliis credi, fuisse olim* peregrinorum hospitium, *quod ibi condidit* S. Hieronymus, *ut ante dictum est; ab aliis, unum ex monasteriis a S. Paula ibi exstructis,* et illud probabilius, quod pro viris, in quo S. Hieronymus cum aliis monachis habitavit. Etenim, *inquit,* usque in hodiernum diem ostenditur in ejus plaga Aquilonari magnus locus sub dio, ubi magnum erat pro religiosis refectorium : et, ut olim, ita et nunc Refectorium sancti Hieronymi appellatur.

at alia loca, excepto sepulcro, nonnihil forte mutata,

1068 *Sanutus lib.* 3, *cap.* 6 *asserit,* monasterium Bethlehemitanum *destructum fuisse a Saracenis anno* 1263, *mense Aprili. At non admodum verisimile est, monasterium* S. Hieronymi, F *sicut ipse illud inhabitaverat, immutatum stetisse usque ad ea tempora. Hinc facile videbit studiosus lector, pleraque modo relata loca, quæ ob memoriam* S. Hieronymi *in veneratione a fidelibus habentur, verisimiliter non parum tractu temporis fuisse mutata, nec omnino certum esse, omnia fuisse eodem prorsus loco, eademque amplitudine, qua nunc ostenduntur, excepto tamen sepulcro, quod numquam mutatum existimamus, nisi quod ex pietate fidelium plura accesserint ornamenta. Ceterum ex tot locis, ob memoriam illa olim inhabitantis* Hieronymi *venerandis, plane perspicimus, quanta sit fidelium in sanctum Doctorem pietas, nec illa multum detrimenti pateretur, etiamsi aut Museum ejus, aut schola aut triclinium, locis fuissent modice diversis: nam saltem constat, Sanctum in illis locis diu vixisse ei vitam finivisse.*

§ LXIII.

AUCTORE J. S.

§ LXIII. Elogia a viris illustribus S. Hieronymo data: observationes aliquot ad errores quibusdam insertos.

Sanctus pluribus elogiis celebratus a S. Augustino,

Inter *viros illustres, qui* S. Hieronymum *laudibus celebrarunt, primo loco numerandus venit S. Augustinus, quo nullus eum laudavit frequentius et sincerius. Verum, ut non repetam laudes viventi* Hieronymo *a plurimis datas et ante jam relatas, sic nec recitata per decursum hujus Commentarii Augustini verba, quæ suis locis videri poterunt. Hinc pauca solum ex S. Augustino restant memoranda. S. Augustinus in Epistola* 148 (*alias* 111) *ad Fortunatianum, recitans aliqua* S. Hieronymi *tum viventis verba de visione Dei, eum num.* 7 Virum doctissimum, *ut alias frequenter, tum num.* 8 Hominem Dei, *et num.* 14 Virum in Scripturis doctissimum, *nominat. Sic in Epistola* 198 (*alias* 79) *ad Hesychium rursus viventem vocat* Virum sanctum *et mox* Virum doctissimum. *Mitto plura similia. Illustria magis magisque prolixa elogia vide num.* 572, *num.* 1007 *aliisque locis pluribus.*

ab Idacio, S. Prospero, S. Cassiano,

1070 *Idacius episcopus in Chronico repetitis vicibus ait,* S. Hieronymum *a se puero visum. In Præfatione autem ab eo dicitur:* syngrapheus perfectus universis factorum dictorumque monimentis Hieronymus presbyter. *Deinde ad annum* 12 *Arcadii et Honorii, ubi laudaverat præcipuos Orientis episcopos, de* S. Hieronymo *addit:* Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleem Judæ vicinia consistens, præcipuus habetur in cunctis. *Plura ejusdem Idacii de* Hieronymo *verba dedi num.* 1010. *Non minus illustre est elogium, quod ex Marcellini Chronico datum est num.* 1061. *S. Prosper in Carmine de Ingratis a versu* 55 S. Hieronymum *ita celebrat ob scripta contra Pelagianos:*

Tunc etiam Bethlei * præclari nominis hospes,
Hebræo simul et Graio Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus, libris valde excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

* i. e. Bethleem

S. Joannes Cassianus lib. 7 *de Incarnatione laudat* S. Hieronymum *contra Nestorium, eaque occasione Sanctus ab eo his ornatur titulis:* Hieronymus Catholicorum magister, cujus scripta per universum mundum, quasi divinæ lampades rutilant. *Et paulo post:* Hieronymus vir sicut maximæ scientiæ, ita probatissimæ puræque doctrinæ. *In Præfatione ad librum de Cœnobiorum institutis SS. Basilius simul et* Hieronymus *ab eodem Cassiano laudantur, ut* viri et vita nobiles, et sermone scientiaque præclari.

Cassiodoro,

1071 *Cassiodorus in Chronico ad consulatum Arcadii et Bautonis, sive ad annum* 385 *ait:* Hieronymus presbyter in Bethleem positus, toto mundo mirabilis habetur. *Idem lib. de Institutione divinarum Litterarum cap.* 21 *ita* Hieronymum *celebrat:* Beatus etiam Hieronymus Latinæ linguæ dictator eximius, qui nobis in translatione divinæ Scripturæ tantum præstitit, ut ad Hebræum fontem pene non egeamus accedere, quando nos facundiæ suæ multa cognoscitur ubertate satiasse, plurimos libros, copiosas epistolas fecit. Beati, quibus scribere, Domino præstante, dignatus est. Planus, doctus, dulcis, parata copia sermonum ad quamcumque partem convertit ingenium. Modo humilibus suaviter blanditur, modo superborum colla confringit, modo derogatoribus suis vicem necessaria mordacitate restituens, modo virginitatem prædicans, modo matrimonia casta defendens, modo virtutum certamina gloriosa collaudans, modo lapsus in clericis atque monachis pravitatis accusans. Sed tamen ubicumque se locus attulit, Gentilium exempla dulcissima varietate permiscuit; totum explicans, totum exornans, et per diversa disputationum genera disertus semper et æqualis incedens. Nam cum aliquos libros magna ubertate protendat; tamen pro dulcedine dictorum suorum finis ejus semper gratus est. Quem in Bethleem habitasse otiosum non arbitror, nisi ut in terra illa miraculorum ad instar solis ejus quoque ab Oriente nobis lamparet (*id est, splenderet*) eloquium. *Multa alia per decursum ex Cassiodoro allata sunt, et alia etiamnum afferentur, ubi agetur de perditis aut supposititiis Sancti scriptis.*

in Catalogo Gennadii,

1072 *In Catalogo Scriptorum sive Illustrium virorum Gennadii, prout editus est apud Martianæum tom.* V *Operum* S. Hieronymi, *cap.* 1 *col.* 25 *tale reperitur elogium:* Hieronymus noster, litteris Græcis ac Latinis Romæ adprime eruditus, presbyter quoque ibidem ordinatus est. Porro ad Bethleem oppidum juvenis advenit; ubi prudens animal ad præsepe Domini sese obtulit permansurum. Inter cætera operum suorum Opuscula, usque ad Theodosii 14 imperii annum, a beato Petro sumens exordium, usque in semetipsum de Viris illustribus scripsit. Innumeris præterea libris, Apostolorum Prophetarumque constructionibus editis, immobilem Catholicæ turrem Ecclesiæ contra perfidorum jacula consummavit. Litteris quoque Hebraicis atque Chaldaicis ita edoctus, ut omnes Veteris Testamenti libros ex Hebræorum scilicet codicibus verteret in Latinum. Danielem quoque prophetam, Chaldaico stylo locutum, et Job justum Arabico, in Romanam linguam utrumque auctorem perfecta interpretatione mutaverit. Matthæi nihilominus Euangelium ex Hebræco fecit esse Romanum. Namque mentis corporisque virginitatem et delictorum pœnitentiam prædicans atque custodiens, solus omnium Romanorum omnes 16 prophetarum commentatus est libros. In cunctis præterea librorum suorum prologis ita se luculentissimum interpretem, et in immensis Epistolarum suarum voluminibus nervosum Catholicis exhibet lectoribus, ut nec perfidis quandoque pepercisse, nec invidis cessisse videatur. Nonagenarius ferme, ut perhibent, postea in Domino requievit. Quem Stridon oppidum genuit, Roma inclyta erudivit, Bethleem alma tenet: spiritum aula cælestis suscepit. Claruit maxime sub Theodosio principe et filiis ejus Arcadio et Honorio.

quod incerti auctoris elogium in nonnullis corrigendum

1073 *Ad hoc elogium, quod accuratum non est, aliqua necessario annotanda sunt. Jam num.* 19 *probavi, istud non videri attribuendum Gennadio, in cujus plerisque Catalogis Mss. non legitur. Cum tamen editum sit ex codice, cui* annos plus mille *tribuit Martianæus, vetustum certe est ideoque hic recusum, etiamsi auctoris sit incerti et ignoti. Errores tamen aliquot in eo corrigendi. Fallitur primo auctor elogii, dum* Hieronymum *Romæ ordinatum*

[...]ctore [...] S.

ordinatum dicit presbyterum: nam Antiochiæ a Paulino ordinatum, ostendi num. 194 *et* 195. *Fallitur iterum, dum asserit,* Hieronymum *juvenem venisse in Bethleem: annos enim ex chronotaxi nostra fere numerabat quinquaginta et quinque, quando stabilem in Bethleem fixit habitationem. Quod attingitur de virginitate, illam revera multum laudavit et prædicavit* S. Hieronymus, *sed illæsam prorsus a se servatam minime asseruit et contrarium potius fassus est, ut dictum est num* 79.

etiam a Facundo, S. Ennodio, S. Gelasio Papa.

1074 *Facundus Hermianensis in Opere de Tribus capitulis lib.* 4, *cap.* 2 *ita de* S. Hieronymo *loquitur:* Hieronymus quoque noster, vir admodum doctus, qui etiam tantæ fuerat lectionis, ut omnes, aut pene omnes, sive in Græco sive in Latino eloquio divinarum Scripturarum tractatores legeret *etc. Baronius in Annotatis ad Martyrologium ex Epistola S. Ennodii ad Faustum illa producit verba:* Hieronymus noster, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo melior censeretur; sed illi applicanda sunt bona nominatim, a quo sumpsisse videntur originem. *At non tanto tempore S. Gregorium Nazianzenum* Hieronymus *magistrum habuit, ut illo major et doctior evadere postea non potuerit. S. Gelasius Papa cum concilio septuaginta episcoporum tom. IV Conciliorum Labbei col.* 1263 *non modo* Opuscula B. Hieronymi presbyteri *inter præcipua Patrum recenset: sed etiam declarat, quanti ejus faciat auctoritatem, dum inferius de Rufino sic statuit:* Item Rufinus, vir religiosus, plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus; et non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos Vir sæpius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit. *Sic paulo ante* cum omni honore *suscipiuntur Vitæ* omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus. *Et inferius:* Item Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliquia autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda. *Pontifex ex Rufini et Origenis Operibus ea admittit, quæ admissa, sive non repudiata aut reprehensa sunt in Scriptis* S. Hieronymi.

Mansueto Mediolanensi, Claudiano Mamerto, Servato Lupo, S. Isidoro.

1075 *In Epistola Mansueti archiepiscopi Mediolanensis et concilii ejusdem civitatis ad Constantinum Pogonatum imperatorem, quæ inserta est Actis concilii VI generalis apud Labbeum tom. VI, laudantur col.* 602 *præcipui Patres, videlicet S. Leo Papa, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Athanasius, S. Joannes Chrysostomus, S. Hilarius, S. Augustinus, S. Ambrosius, ac demum verbis magnificentissimis præ ceteris* eruditissimus et omni luce conspicuus Hieronymus presbyter. *Item* S. Hieronymus *a Claudiano Mamerto lib.* 2 *de Statu animæ cap.* 9 *dicitur* Potissimus tractatorum. *Sic apud Servatum Lupum lib. de Tribus quæstionibus pag.* 267 alterum lumen tractatorum Hieronymus, *nempe* alterum *propter S. Augustinum ibi præmissum. In eodem Opusculo pag.* 222 : Hieronymus divina et sæculari doctrina præcipuus. *Rursum pag.* 273, duo clarissima lumina doctorum *dicuntur Augustinus et* Hieronymus. *Iidem quoque ibidem pag.* 6 *in Epistola Einardi ad Lupum statuuntur* illustrissimi sacrarum divinarum Litterarum expositores. *S. Isidorus lib.* 6 *Etymologiarum cap.* 4 *interpretationem sacræ Scripturæ ex Hebræo commendat his verbis:* Presbyter quoque Hieronymus, trium linguarum peritus, ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas convertit, eloquenterque transfudit. Cujus interpretatio merito cæteris antefertur. Nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiæ clarior, atque, utpote Christiana, interpretatione verior.

S. Althelmo

1076 *S Althelmus episcopus rudi quidem carmine laudes* S. Hieronymi *cecinit, liberaliter tamen, ita de eo ordiens tom. XIII Bibliothecæ Patrum Lugdunensis pag.* 14:

Ecce Sacerdotis pandam præconia lauti,
Mentio dum Sancti pulsat penetralia cordis,
Cujus quadratum crebrescit fama per orbem
Atque per extremas fulget prudentia metas;
Qui fuit interpres, et custos virgo pudoris,
Hebrea Romanis vertens oracula verbis.
Nam rudis et priscæ Legis patefecit abyssum
Septuaginta duos recludens pagina biblos,
Quos nunc sacratis describit littera chartis.
Insuper elicuit tractatus; jure stupendos,
Atque Prophetarum commentis clancula certis
Dicta retexebat, pandens mysteria rerum.
Inclytus hic constat scedis per sæcla Magister,
Quæ nunc per mundum scribuntur rite quadratum.
Et licet illustris lectorum turba per orbem,
Eusebio genitore satus seu prodidit idem
Enumerans veterum vulgata volumina Patrum:
Ex quo Salvator nostræ cunabula carnis
Sumpserat in terris, emundans crimina sæcli.
Quando crucis gabulum sacrato corpore scandit,
Et genus humanum pollutum fraude maligni,
Vulnera perpessus, purgarat sanguine rubro,
Quis tanto studio geminarum famina Legum
Aut tam solerter rimari nititur umquam,
Ceu meditatus erat sacros Didasculus idem,
Ut Psalmista canit, noctesque diesque libellos
Æmulum * idcirco pollutus peste livoris
Rictibus horrendis Vatem laceraratt eumdem,
Faucibus invidiæ sic gloria carpitur atris,
Et laus almorum mulcatur fraude malorum:
Namque canes crebro stipant latratibus aprum,
Undique Vallantes densa cingente corona,
At ille infestos dispergit dente molossos,
Et voti compos saltu regnavit in alto.

* Æmulus

in uno etiam corrigendo.

1077 *Laudatus Althelmus deinde ad laudes* Hieronymi *recurrit occasione virginum, quas Sanctus instruxit. Nam agens pag.* 17 *de S. Eustochio, ita rursum canit:*

Cum sacer Interpres conscripsit opuscula plura,
Qui rudis et veteris digessit famina Legis,
Hebrea Romulidis vertens oracula linguis,
Nec non Argolicas Italo sermone loquelas,
Idem Translator, biblis opulentus opacis,
Transtulit in Latium peregrina volumina pandens,
Thesaurosque simul librorum forte Pelasgos
Edidit in lucem, quos pagina texerat umbra.
Clavibus Ausonia verbis clustella resolvens.
Tomum præterea comptum sermone polito
Ad famulam Christi scripsit didascalus idem,
In quo pinguntur castæ præconia vitæ,
Qualibus integritas ornetur candida sertis,
Immunes artus servans sine sordo petulca.

Addit demum, a matre Demetriadis rogatum fuisse Magistrum, *videlicet* Hieronymum, *ut scriberet Demetriadi leges vivendi. Celerum ad carmina illa observo,* S. Hieronymum *in illis ut virginem*

AUCTORE J. S.

A ginem perperam laudari. *At rectissime laudatur translatio sacræ Scripturæ ex Hebræo : et vere, opinor, dicitur, a tempore nati et passi Christi Domini nominem fuisse, qui tantum studii et laboris impendit ad sacras Scripturas penitus scrutandas, recteque intelligendas et exponendas. Per* æmulum, *qui ex invidia* S. Hieronymum *impetiit, verisimiliter designatur Rufinus, qui certe præcipuus fuit, licet nec alii defuerint.*

B. Alcuino, Jona Aurelianensi, Nicolao Papa I etc.

1078 *Cum dederim carmina, addo alia breviara, quæ edita sunt inter carmina Alcuini, ubi septuagesimum secundum de SS. Gregorio et* Hieronymo *sic habet :*

Gregorius præsul, doctorque Hieronymus almus,
Ecclesiæ ille pater, iste magister erat.

Et mox in Carmine 113 *dicitur :*

Totius Hieronymus doctor mirabilis orbis.

Jonas Aurelianensis in Opere de cultu imaginum lib. 3 *ejus auctoritatem adductus, ait :* Hieronymus sacræ Legis interpres, et (ut ita dicam) bibliotheca matris Ecclesiæ. *Mitto alios complures, qui Hieronymum breviter laudarunt, sed ob similitudinem dicti, huc transfero verba Nicolai Papæ I in Epi-*

B *stola ad Lotharium regem, ubi* S. Hieronymus *vocatur* Cælestis bibliothecæ cultor. *Singulare est dictum de* SS. Hieronymo *et Augustino, quod refert Monachus Sangallensis in Historicis Franciæ apud Bouquet tom. V, pag.* 110. *Nam, teste Monacho laudato, cum Carolus Magnus imperator diceret :* O utinam haberem duodecim clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos ut fuerunt Hieronymus et Augustinus! *reposuit præsens Alcuinus :* Creator cæli et terræ similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim? *Prætermitto reliquos omnes medii ævi, exceptis tamen martyrologis, quorum verba inferius recitabuntur. Præterea viros doctissimos posteriorum seculorum multa plures, quia sententia recentiorum de scriptis et virtutibus* S. Hieronymi *passim nota est.*

§ LXIV. Natalis S. Hieronymi in omnibus passim Fastis sacris ad 30 septembris annuntiatus : observationes aliquot de ætate Sancti in quibusdam multum aucta : translatio corporis ad 9 maii. Sanctus item memo- a Græcis et Moscis.

C

Memoria Sancti in vetustissimis Martyrologiis celebrata,

In *Martyrologiis vetustissimis, quæ* Hieronymiana *dicimus, quod illius Martyrologii aut auctor est* S. Hieronymus, *aut potius auctor diu fuit existimatus (qua de re suo loco plura dicentur) memoria sancti Doctoris ad* 30 *Septembris celebratur. Apud Florentinium in textu, quem ex codicibus suis dedit, ita legitur :* In territorio Jerosolymitano depositio S. Jeronimi presbyteri. *In codice Epternacensi vetustissimo, quem laudat in Annotatis :* Bethleem castello Hieronymi presbyteri. *Ibidem in Corbeiensi :* Bethlehem civitate depositio S. Hieronymi presbyteri. *Ejusdem* S. Hieronymi presbyteri *meminit vetustum Kalendarium, quod editum post Martyrologium. Accedunt Martyrologia Hieronymiana, quæ apud nos edita sunt tom. VII Junii, editaque apud Acherium in Spicilegio, et vestusta, quæ dedit Martenius tom. III Anecdotorum et tom. VI Collectionis Amplissimæ. In omnibus hisce, inquam, quæ integra sunt, memoria* S. Hieronymi *ad* 30 *Septembris recolitur. Quod spectat ad locum, eadem est varietas, quæ ex jam datis verbis observari potest. Nam in aliis memoratur in* Bethleem, *in aliis in Jerusalem aut in territorio Hierosolymitano, aut etiam* Hierosolymis, *non recte. Erat Bethleem tempore* S. Hieronymi *in diœcesi Hierosolymitana, eaque de causa, qui mortuus erat in Bethleem, in territorio Hierosolymitano fuerit annuntiatus, aut ad oppidum Bethleem, ubi in plerisque recte ponitur, additum fuerit, illud esse territorii Hierosolymitani. Certe in Morbacensi apud Martenium sic legitur :* In territurio Hierosolymitano in leem (*lege* in Bethleem) Hieronymi presbyteri. *Ex territorio autem Hierosolymitano factum fuerit, ut alii brevitatis gratia scripserint* Hierosolymis, *sicut legitur in Gellonensi, et in primo apud Martenium. Hæc de Hieronymianis sufficiant. Elogia singularia dabo inferius.* E

Septembris Tomus VIII.

item apud Bedam, Rabanum, Wandelbertum.

1080 *Beda in Martyrologio, prout editum est ante tomum II Martii, sic habet :* In Bethleem Juda depositio S. Hieronymi presbyteri, qui obiit anno nonagesimo primo. *In tribus codicibus post vocem* presbyteri *hæc interponuntur :* Qui sanctæ Ecclesiæ suo labore multa contulit : huic enim mundus crucifixus fuit et ille mundo. *Quæ a Floro addita credidit Papebrochius. In Martyrologio metrico, quod edidit Acherius tom. X Spicilegii, Beda ad eumdem diem ita canit :*

Atque bonus pridie (*Kal. Octob.*) micat interpres Hieronymus.

Rabanus, alias Bedam sequi solitus, hic eum pro ætate Hieronymi *non est secutus, et ejusmodi texuit elogium :* In Bethleem Judæ, depositio Hieronymi presbyteri, cujus vita et doctrina ubique in ecclesiis Christi laudabilis exstat; quomodo divinos libros ex lingua Hebræa in Latinam transtulit, Propheticosque libros sensu allegorico exposuit. Cum autem octoginta et octo annorum dies explevit, vitam præsentem deserens, ad æternam requiem emigravit. *Wandelbertus* Hieronymum *ejusmodi celebravit versibus :* F

Interpres Legis veterisque novæque probatus,
Instructor doctrinæ, hæresis damnator iniquæ,
Hieronymus pridie Septembrem claudit ovantem.

Hisce propter magnificentiam elogii addo verba Martyrologii vetusti, quod Bedæ nomine insignitum invenit Martenius, deditque tom. VI Collect. Amp., ubi ad 30 *Septembris hæc leguntur :* Natale S. Hieronymi presbyteri, quo nemo post Apostolos alter fuit præstantior.

in Romano parvo, apud Adonem, et alios,

1081 *Martyrologium Romanum vetus seu parvum, quod edidit Rosweydus, brevissime* Hieronymum *memorat his verbis :* Bethleem, Hieronymi presbyteri. *Ado vero prolixum texuit elogium, in quo multa de gestis* S. Hieronymi, *multa de scriptis asserit. At nec omnia recto ordine relata sunt, nec accurata sunt omnia. Ordo restitui poterit ex commentario nostro ; quod vero ait Ado,* Romanæ Ecclesiæ presbyter postmodum ordinatur :

AUCTORE J. S.

tur; *refutatum est num.* 197 *et seqq. Elogium concludit his verbis :* Tandem post perfectam placitamque Deo conversationem, nonagesimo octavo ætatis anno apud Bethleem oppidum in pace quievit pridie Kalendas Octobris, duodecimo Honorii imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta et sex annos confecit. *Quod de ætate asseritur, et de annis, quos libris scribendis impendit, legitur etiam in Martyrologio Autissiodorensi apud Marteuium. Eamdem ætatem* S. Hieronymo *tribuit Usuardus, cum breviter sic annuntians :* Eodem die apud Bethleem Judæ, depositio B. Hieronymi presbyteri, qui obiit anno ætatis suæ nonagesimo octavo, mense sexto. *Verum hæc ætas nimia est, cum Sanctus aut octogesimo nono aut nonagesimo ætatis anno videatur defunctus. Sic non impendit annos quinquaginta et sex libris scribendis, licet hoc etiam legatur in vita prima; sed multo pauciores. Quod Ado defunctum ait anno* 12 *Honorii, qui cum anno* 406 *concurrit, clare mendosum est, voluitque, opinor, cum vita prima dicere, anno duodecimo Theodosii Junioris, qui est annus* 419. *Dicti errores de ætate et anno obitus* S. Hieronymi *reperiuntur etiam* B *in Martyrologio Notkeri, qui multa ex Adone contraxit.*

cum elogiis aliquot singularibus hd 30 Septembris,

1082 *In duobus auctariis Martyrologii Usuardini apud Sollerium nostrum Sanctus obiisse dicitur anno ætatis nonagesimo anno, et similiter in duobus anno æræ Christiano* 1523. *Utrumque videtur adoptatum ex Joanne Andrea, qui part.* 2 *vitæ* S. Hieronymi *fol.* 23 *et* 24 *fuse inquirit annum mortis* S. Hieronymi, *eoque disserendo pervenit, ut fol.* 25 *dicat :* Ex his sic collectis concludo (licet quasi tremulus) propter contrarietates Chronicarum, quas vidi, Hieronymum mortuum anno Domini quadringentesimo vigesimo secundo vel vigesimo tertio, in ætatis suæ anno nonagesimo nono. *Hæc solum indico, ut videat lector, unde illi errores profluxerint : nam de anno obitus disputatum est* § 61. *Quod singulare legitur in elogio codicis Bruxellensis, huc transfero :* De quo (Hieronymo) quidam in visione nocturna quemdam quasi in codice legentem hos versus audivit :

Græcia miratrix nullo plus gaudet alumpno,
Si numerabit avos repetens ab origine prima :
Plus, quam laudatur, est, quod laudetur in illo.

C *In alio ex pluribus codicibus refertur* depositio sancti Hieronymi presbyteri, viri sanctissimi et in Scriptura sacra eruditissimi. Hic omnium studia litterarum adeptus, probatissimorum quoque monachorum imitator factus *etc. Mitto reliqua.*

uti et in Romano hodierno. In hoc etiam ap 9 Maii corporis translatio,

1983 *Baronius ita in Martyrologio Romano laudavit* S. Hieronymum, *ut simul memoraverit corporis translationem. Verba subjungo :* In Bethleem Judæ depositio S. Hieronymi presbyteri, et Ecclesiæ doctoris, qui omnium studia litterarum adeptus, ac probatorum monachorum imitator factus, multa hæresum monstra gladio suæ doctrinæ confodit : demum cum ad decrepitam usque vixisset ætatem, in pace quievit, sepultusque est ad presæpe Domini : cujus corpus postea Romam delatum, in basilica sanctæ Mariæ Majoris digno honore servatur. *Idem de corporis translatione ad 9 Maii rursum hæc scribit :* Romæ item translatio sancti Hieronymi presbyteri et Ecclesiæ doctoris ex Bethlehem Judæ ad basilicam sanctæ Mariæ ad præsepe. *Laudat Baronius in Annotatis Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum, quem ille scripsit circa annum* 1370.

Legitur illa brevius annuntiata in codice Usuardino Ultrajectino apud Sollerium his verbis : D Item translatio gloriosi Hieronymi, doctoris eximii. *Fuit ille codex Clericorum S Hieronymi in Trajecto, ut mirandum non sit, si illi forsan inter primos translationem Patroni sui sacris Fastis adscripserint. At Sollerius in Præfatione pag.* 59 *observat de illo codice :* Nusquam occurrunt certa ætatis indicia. *Neque ego ex charactere definiam, situe scriptus sæculo* 14 *an ineunte sequente, ut forte codex ille sit posterior Petro de Natalibus. Eadem translatio breviter memoratur ex matricula Cartusiæ Ultrajectinæ, cujus ætas æque incerta.*

uti et aliis recentioribus annuntiata.

1084 *Auctor Florarii Ms. Sanctorum, qui lucubrationem suam absolvit anno* 1486, *ad* 9 *Maii sic habet :* Translatio beati Iheronymi, presbyteri et doctoris eximii. *Apud laudatum Sollerium editio Lubeco-Coloniensis, utraque anni* 1490, *ita translationem memorat :* Bethleem Judæ, translatio beati Hieronymi presbyteri et doctoris Ecclesiæ, ad Romanam urbem. *Eadem fere verba habet Grevenus. Maurolycus in Martyrologio suo ad* 9 *Maii translationem his verbis annuntiavit :* Item (*translatio, ut præcedit*) S. Hieronymi ex Bethleem Romam in ædem sanctæ Mariæ Majoris. E *Galesinius eodem die .* Romæ præterea, translatio sancti Hieronymi presbyteri et doctoris : quæ illuc ab oppido Bethleem ad sanctæ Mariæ Majoris basilicam facta est. *Accedunt alii recentiores martyrologi, quorum catalogum texere non est necesse. Hoc ad propositum nostrum observo, a laudatis martyrologis non indicari tempus, quo facta est translatio, et nullum ex allegatis vetustiorem esse sæculo certe* 15. *Hactenus de Fastis Latinis.*

Memoria Sancti ad 15 Junii apud Græcos et Moscos.

1085 *Restant aliqua dicenda de memoria* S. Hieronymi *apud Græcos et Moscos. Henschenius noster in Prætermissis ad* 15 *Junii ad propositum nostrum observavit sequentia :* « S. Hieronymus » in pace quiescens, *refertur in mss. Menæis Divionensibus et in adjunctis versibus appellatur* » Hieronymus magnus, cui a morte magna debetur corona, *ut videatur innuere sanctum* » Hieronymum *doctorem Ecclesiæ, referendum* » *Septembris : et hoc clarius agnoscitur ex Synaxario Moscovitico, ubi natus dicitur* in urbe » Dalmatica Stridone. « *Hactenus Henschenius. Synaxarium autem Moscoviticum, quod laudat, est illud ipsum, quod alias apud nos vocatur* Slavo-Russicum, *quodque ex sermone slavonico latinum verbotenus reddidit illustrissimus dominus* F *Joannes Gabriel, baro de Sparwenfeld, et cum multis codicibus contulit. In illo post allegata verba solum hæc adduntur de Sancti ætate :* Vixit anno 388. *Accedit aliud brevius Russorum Synaxarium, quod latine redditum anno* 1688 *huc misit P. Georgius David, Societatis Jesu tunc Moscuæ missionarius : in eo enim ad eumdem diem legitur :* Venerabilis Hieronymi. *Ex his liquet, memoriam* S. Hieronymi *non omnino a græcis fuisse neglectam et prætermissam, ut credidit scriptor quidam neotericus.*

§ LXV.

A

§ LXV. Corpus sancti ex Palæstina Romam translatum, depositumque in basilica S. Mariæ Majoris.

Corpus S. Hieronymi Romam translatum,

Jam *vidimus in variis Fastis assertam* S. Hieronymi *translationem, sed tempus translationis prætermissum. Primus ex scriptoribus, quorum Opera habemus impressa, erit, opinor, Joannes Andreas, qui translationem illam asseruit. Nam part.* 2 *Vitæ* S. Hieronymi, *sive, ut vocat, Hieronymiani sui, fol.* 35 *asserit translationem ad basilicam S. Mariæ Majoris, sed mox delabitur ad fictitia miracula, quæ facta essent in Palæstina, et asseruntur in supposititiis Epistolis, de quibus egi. Verum deinde ad Romanam enarrandam translationem accedit, laudans Legendam Romanam, et ita scribens :* Continuando autem in quadem Legenda de Roma repperi, quod lapso post mortem Hieronymi gloriosi magno curriculo temporis, B Hierusalem destructa fuit et a barbaris occupata. Et cum fere omnium Sanctorum esset orbata reliquiis, solo corpore beati Hieronymi in partibus illis relicto; idem gloriosus Doctor apparuit uni monacho ibi degenti, mandans corpsus suum Romam deferri, et in ecclesia Dei Genitricis ad præsepe Domini reponi. Qui per trinam visionem admonitus, surrexit, et beati Hieronymi sacras reliquias accepit : Romamque cum duobus comitibus venit : et in prædicta basilica loco humili, sicut ipse mandaverat, ante præsepe Domini, assistentibus canonicis ipsius basilicæ, devote reposuit. Et sic Vir sanctus, in cœlo triumphans, illius basilicam voluit honorare, quam in terris militans magnis præconiis et devotissime laudavit. *Hæc Joannes Andreæ de translatione Romana; sed mox redit ad fictitias Epistolas, ut referat miracula fabulosa.*

eaque translatio a Joanne Andrea breviter narrata,

1087 *Illustrissimus ac reverendissimus dominus Petrus Philippus Strozzi, canonicus basilicæ S. Mariæ Majoris, anno* 1753 *humanissime nobis Romæ communicavit Dissertationem Ms. de corpore* S. Hieronymi, *quam composuit ob inventam* C *in dicta basilica capsam argenteam cum sacris reliquiis, quas* S. Hieronymi *esse existimat, et pro iis habendas probare conatur. Similem Dissertationem concinnarit eruditissimus dominus Josephus Bianchini, Romani Oratorii presbyter, qui cum illustrissime Strozzio dictæ reliquiarum inventioni adfuit, idemque cum ea probare intendit : et pari quoque humanitate Summarium Dissertationis suæ nobis dedit. Cum autem eruditi hi viri non solum disserant de absconditis olim et postea inventis, ut certe probare conantur,* S. Hieronymi *reliquiis, sed etiam ipsam translationem Romanam asserere, eiusque tempus investigare studeant, frequenter mihi venient laudandi. Blanchinius autem in Summario testatur, tres haberi relationes Mss. Romæ, et unam ex illis in codice Vallicellensi* A. 13, *quam ait*, ad verbum *exscriptam a Joanne Andrea. At, si non legantur plura in codice, quam in Hieronymiano Joannis Andreæ, facilius credam, relationem Joannis Andreæ postea in codice exscriptam : nam stylo Joannis Andreæ relatio conformis est, nec talis videtur relatio, qualis a primo scriptore composita est, sed sicut a Joanne Andrea ex prima lucubratione fuit contracta. Quod autem ejusmodi relationes de Sanctis non raro ex majoribus Operibus excerptæ, et in codices manuscriptos translatæ sint, frequenter expertus sum : nimirum inter apographa, pro Vitis Sanctorum huc missa, alias, invenimus fragmentum aliquod de Sancto ex S. Gregorio Turonensi, alias prolixum elogium ex Adone, alias relationem ex Vincentio Bellovacensi, alias ex aliis. Sic ergo contracta relatio Joannis Andreæ transfundi potuit in codicem Vallicellensem, sicut et miracula Troiæ facta, et ex Joanne Andrea inferius danda.*

prolixius a Petro de Natalibus.

1088 *Petrus de Natalibus lib. 4, cap.* 145 *duplicem statuit* S. Hieronymi *translationem, sed prima ex supposititiis litteris hausta est, et plane nulla* Secunda (*imo prima*) translatio est, *inquit,* quæ in Romanis Chronicis reperitur, qua corpus ejus de Bethleem Romam translatum est, et in ecclesia S. Mariæ Majoris reconditum. Post multa enim annorum curricula ab obitu Hieronymi gloriosi Hierusalem destructa, et a Saracenis occupata cum pene omnium Sanctorum esset orbata reliquiis, solo beati Hieronymi corpore in partibus illis relicto, apparuit ipse Doctor uni monacho, ibi degenti, mandans eidem, ut corpus suum Romam deferret, et in ecclesia E Dei Genitricis juxta præsepe Domini tumularet. Qui cum hoc facere formidaret, a sancto Doctore secunda vice admonetur : et jussa adimplere recusans, tertio de negligentia durius increpatur. Tunc S. Hieronymi reliquias latenter surripuit, et cum duobus fidelibus comitibus, prosperis succedentibus, Romam venit. Quem Sanctus iterum juxta Urbem per visionem admonuit, ut, solis canonicis ecclesiæ convocatis, corpus de nocte quasi clandestine reconderet, ne ex supervenientibus turbis diminutionem aliquam in reliquiis sustineret. Itaque, prout Sanctus mandaverat, jussa perfecit ; præmissa solis ipsius ecclesiæ canonicis nunciavit, et ipsis præsentibus in loco humili, videlicet in terra, ante præsepo Domini, corpus noctu devote reposuit : ubi a quibusdam voces angelice concinentes auditæ ; luxque immensa, uti solis radius meridianus, ibidem effulsit, miraque odoris fragrantia unumquemque aspersit. Celebratur autem hæc festivitas die, quo corpus almi Doctoris ibi depositum est, videlicet 7 Idus Maii. *Hæc laudatus de Natalibus, qui minus contraxit prima Acta, quam Joannes Andreas.* F

uterque, ut videtur, sua hausit ex Historia Romæ scripta.

1089 *Paulus de Angelis in Basilica S. Mariæ Majoris lib.* 6, *cap.* 4 *edidit Translationem* S. Hieronymi *ad memoratam basilicam,* prout legitur in libro antiquissimo, *inquit,* archivii S. Mariæ Majoris manuscripto, *et* in alio libro *archivii S. Petri apud Vaticanum. Ejusdem apographum nos habemus ex Lectionario Bibliothecæ Medicææ Florentinæ, quod contuli cum editione impressa, a qua non raro differt aliquot vocum minutiis, sed de re ipsa plane consentit. Primam hanc esse translationis Historiam, prorsus mihi persuadeo, quia auctor non laudat vetustioru scripta, sed asserit, se scripturum,* sicut a sanctis et honestis episcopis, et ab antiquioribus presbyteris (*in Ms.* Patribus) et sacerdotibus Dominum timentibus assertione veridica *perceperat. Si vetustior Romæ exstitisset translationis Historia, eam procul dubio auctor allegasset, sicut aliquam allegavit Joannes Andreas, quam esse hac ipsam prorsus existimo. Nam omnia, quæ retulit Joannes Andreas, in hac Historia leguntur : reliqua vero ille omisit. Accipe igitur, lector studiose, ex editione Pauli de Angelis totam relationem, bona verisimiliter fide, non tamen*

Auctore J. S. — *quæ hic integra recitatur.*

tamen maximo cum delectu scriptam. Ut singula facilius expendantur, eam per partes subjungo.

1090 Qualiter corpus beati Hieronymi, egregii doctoris, delatum est Romam, et in basilica beatæ Virginis Mariæ ante præsepium devotissime fuit collocatum. *Hæc pro titulo habenda, et in nostro Ms. omissa.* Inter laudabiles prærogativas, quas reverendæ et almæ Urbi divina clementia contulit abunde, corpora præcipuorum Apostolorum, scilicet Petri et Pauli, Philippi et Jacobi, Bartholomæi atque Matthiæ, nec non pretiosorum martyrum, confessorum, virginum, ad tuitionem firmissimam et gloriam perpetuam possidendam * sibi præbuit exultanter, quorum potentissimis suffragiis temporaliter magnificata eniteat, et ab æterna jucunditate in cælestibus perenniter gloriosa resplendeat. Inter quos B. Hieronymus doctor egregius locum magnificum in prælibata Urbe apud basilicam perpetuæ Virginis Mariæ, quæ ponitur ad præsepium, meruit obtinere, ut in ipsius regali domo decentius quiesceret, quam in vita magnificis et devotissimis laudibus studuit excellentius commendare fideliter. Qualiter itaque corpus ejusdem mirabilis Doctoris a * Bethleem, ubi sepultum fuerat, ad præfatam gloriosæ Virginis aulam, Romam * delatum fuerit, sicut a sanctis et honestis episcopis, et ab antiquioribus presbyteris * et sacerdotibus Deum timentibus, assertione veridica percepimus, ad laudem ipsius beatissimi Hieronymi, brevi quidem sermone cum dilectione legentibus reseramus. *Hæc ex editio et Ms. textu, invicem collato, danda censui, eligens ex utroque, quæ emendatiora videntur, et variantes voces ad marginem notans, ubi non sunt menda satis clara. In impresso præterea pro his verbis* ad laudem ipsius beatissimi Hieronymi, *legitur,* ad laudem ipsius Beatissimæ, *quod ad Virginem refertur. Reliqua similiter subjungamus.*

* f. possidenda — *al. in — *al. Romæ — *in Ms. patribus

Monachus, terna Sancti apparitione monitus, corpus transfert.

1091 Igitur postquam civitas illa sancta Hierusalem propter peccata mortalium sanctissimis, imo cunctis *, mansit, orbata reliquiis, solum venerandi Doctoris corpus in Sancta Maria de Bethleem secretius tunc et absque decenti honore manebat. Vocus ergo ad magnificam Urbem, ubi prius Cardinalis fuerat et recesserat, suum corpus sanctissimum reportari [et in prædicta domo Genitricis Altissimi venerabiliter collocari *] opparuit cuidam sanctissimo monacho in partibus ultramarinis manenti, cui placido ac dulci oraculo inquit : Frater amande et in cælesti gloria mecum locande, scias me cum auxilio Reginæ cælestis a Domino impetrasse, ut corpus meum tuis laboribus et expensis debeas extumulare, et Romam quam * citius et devote portare, et ante januam illius beatissime cryptæ quæ præsepe Domini dicitur *, in tumulo humili sagatas collocare, ut corpus meum in sancta illa basilica dulcissimæ Reginæ adhæreat, quam vivens ab infantia mea dilexi, in juventute quæsive, et in senectute totis viribus, licet insufficiens, prædicavi, et usque ad fidem meum piis et sanctis Scripturarum testimoniis collaudavi. Cumque ille homo sanctus talia a sancto Hieronymo in visione terna * visitatione audisset, surrexit propere, et ad locum accessit, et caute, duobus sociis comitantibus, beatissimum corpus sustulit, mira odoris fragrantia ibidem exuberante, et occulte ad propria rediit : et ne scandalum in locis illis excresceret, secretum tenuit, donec ad Urbem, sicut poposcerat Sanctus, veniret devotius *. *Breviter hic moneo, in impresso nonnihil variationis esse in dictione, ubi asseritur, solum S. Hieronymi corpus superfuisse in Bethleem, sed idem plane asseri.*

*Imp. sanctissimis cunctis — * Hæc non sunt in Ms. — *Imp. quanto — *al. appellatur — * al. trina — * al. devotus

Romam, et cum sociis et canonicis in basilica S. Mariæ Majoris recondit:

1092 Et quoniam jam dictus * monachus Christi fidelissimus a sancto Hieronymo intellexerat, ut in talibus obsequiis populares vitaret auras, ne in * curia minorationem suarum reliquiarum aliquam pateretur, ad basilicam sæpe dictam cum duobus illis sociis clanculo de nocte veniens, solis canonicis ipsius aulæ assistentibus, et tam corde quam mente, submissa voce laudes Deo et beatæ Virgini devotissimas referentibus, inter columnas basilicæ et januam præsepis plena mentis vigilantia sepelevit. In quo quidem sepulturæ officio nominati quidem canonici cum monacho et sociis suis duobus inenarrabilem odoris suavitatem senserunt, et claritatem immensam, quam in basilica * numquam viderant, beati oculi * conspexerunt. Aderat namque sepulturæ doctissimi sui Laudatoris et devotissimi sui Hieronymi luna lucidior et sole splendidior, omnibus odoramentis suavior, rosis et convallium mysticis vallata pretiosis liliis, splendidissima Virgo Maria, quæ cuncta præmissa ad honorem sui fidelissimi, et ad possidendam ineffabilem, quam ipse meruerat, gloriam sempiternam, dulcissima Domina monstravit, ipsa per Salomonem de semet ipsa suave testimonium perhibente : Quid elucidant me, vitam æternam possidebunt. *Per hæc verba, quæ de Sapientia æterna proprie dicuntur, in apographo nostro concluditur relatio.*

*al devotus — *al. n — *al. in eadem basilica — *al. oculis

relationis conclusio.

1093 *At apud laudatum de Angelis adduntur sequentia :* Gaude itaque, Doctor beate; gaude et exulta, Jesu Christi Amice in charitate vera fundate, quod illa dulcissima cæli et mundi Regina, quam vivens in sæculo immensis laudibus et pretiosis prædicationibus elucidasti, te in tuo adventu mirabiliter honoravit, coram Judice nostro superno æquanimiter magnificavit, et in cælesti palatio cum angelis et archangelis perenniter coronavit, atque in hac sua regali et aula speciosa locum idoneum tandem tibi honorabiliter præparavit. Poscimus etiam te consequenter, venerande et beatissime Christi Sacerdos, nos tantæ et gloriosæ Virginis, et tuæ sanctitatis, licet indigne, tamen assidue et devotissime laudatores, quatenus sic nos tuum sanctissimum corpus assiduis laudibus magnificamus in terris, sic tuis piissimis et assiduis precibus Salvatori nostro nos peccatores efficaciter recommenda in cælis : ipso concedente, qui est super omnia Deus bonus in sæcula sæculorum. Amen. *Hactenus Translatio per Anonymum scripta, quam contraxit Joannes Andreas, ut facile videbit lector studiosus, si breve eius compendium cum hac relatione diligenter contulerit. Eamdem sequi voluit Petrus de Natalibus, sed morte suo, id est, nonnulla liberius immutando.*

Translatio illa confirmatur testimoniis Romanorum Pontificum.

1094 *Jam vero de illa Translationis historia quæri potest, an ex ea satis certa videatur, et quo tempore peracta sit translatio. Respondeo, ipsam translationem satis videri certam, non æque certa videri singula translationis adjuncta. Etenim illa sacri corporis translatio plurimis confirmari potest testimoniis, ex quibus aliqua adduxit laudatus de Angelis. Recitat primo bullam Pii papæ II, datam* Romæ apud sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1458, duodecimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri, *inquit,* anno primo. *Ex anno autem primo pontificatus Pii II liquet, bullam esse datam anno 1459, at modo inchoamus annum a Kalendis Januarii. sed*

AUCTORE J. S.

sed exprimi annum 1458, *quod ille curreret usque ad* 25 *Martii diem. In Bulla Pontifex indulgentias largitur die* 9 *Maii in festo translationis* S. Hieronymi, *et de corpore ejus sic loquitur:* Cupientes autem summopere divi Hieronymi, universalis Ecclesiæ doctoris præcipui, aram, ubi corpus ejus gloriosissimum in beatæ Mariæ Majoris urbis Romæ basilica, divino æstivæ nivis miraculo ædificata, requiescit, congruis honoribus frequentari *etc. Subdit idem alias ejusdem Pontificis Litteras, datas anno* 1464, *Kalendis Junii, quibus dicta translationis festivitas ad alium diem transfertur his verbis:* Qua nos etiam occasione permoti solemnitatem translationis beatissimi Hieronymi sacerdotis doctorisque præcipui, quæ olim septimo Idus Maii servabatur, in vigiliam Ascensionis Dominicæ, qua major populorum frequentia ad Sanctorum sacraria ex finitimis Urbis locis confluere dignoscitur, agendam (et) celebrandam Apostolica auctoritate statuimus: atque ut ipsius gloriosi Doctoris ara in beatæ Mariæ Majoris urbis Romæ basilica constituta, apud quam, ut sacræ dormitionis hora, eadem, qua floruit, carne quiescit, illa die fructuosius et devotius honoretur, plenariam remissionem, pridem a nobis concessam, ad eamdem vigiliam transferentes *etc.*

multorum martyrologorum, et scriptorum

1095 *Accedunt ibidem Litteræ Sixti IV, in quibus de præmissis fit mentio, et indulgentiæ confirmantur. In iisdem similiter memoratur ara* S. Hieronymi, *et additur:* Apud quam ejus sacrum corpus noscitur esse reconditum indubitanter. *His ibidem adduntur Martyrologium et Breviarium Romanum, addendaque sunt ulterius Martyrologia superius a num.* 1083 *memorata, laudatique Petrus de Natalibus et vetustior Joannes Andreas. Petrus Calo, Ordinis Prædicatorum, qui a Petro de Natalibus in Prologo laudatur, ut no*vissimus omnium *scriptor de Sanctis, in fine Miraculorum* S. Hieronymi, *quorum habemus apographum, ait:* Corpus S. Hieronymi Romam portatum est,...; sed non reperi, a quo, vel quando. *Hæc ille sub initium sæculi* 14, *verisimiliter ante Joannem Andream, et forte etiam ante scriptam translationis historiam. Baronius ad* 23 *Julii in Annotatis ad Martyrologium producit inscriptionem basilicæ sanctæ Mariæ Majoris,* musivo opere in apside *positam, et his verbis conceptam:* In hac sacra basilica corpora sanctorum Matthiæ apostoli, Hieronymi doctoris, Romulæ et Redemptæ virginum reconduntur. *Strozzius in dicta Dissertatione Ms.* § 14 *existimat, elenchum illum indulgentiarum et reliquiarum, cujus partem modo dedimus, musivo opere compositum fuisse non diu post mortem Nicolai IV Papæ, anno* 1292 *defuncti, et in basilica S. Mariæ Majoris sepulti. Hoc neque confirmare valeo nec infirmare, cum opus ipsum non consideraverim.*

aliquot sæculi 14

1096 *At certe laudatus quoque a Strozzio Franciscus Pipinus, Ordinis Prædicatorum, cujus Chronicon edidit Muratorius tom. IX Scriptorum Italiæ, cap.* 23, *agens de Nicolao IV, omnino insinuat, corpus* S. Hieronymi *ante mortem illius Pontificis requievisse in basilica S. Mariæ Majoris, cum hæc scribat:* Moritur idem Nicolaus Romæ, et sepultus est in ecclesia S. Mariæ Majoris juxta sepulcrum beati Hieronymi. *Floruit Pipinus sub initium sæculi* 14, *et anno* 1320 *profectus est in Palæstinam, Chronicon vero suum perduxit ad annum saltem* 1314, *sive usque ad mortem Clementis papæ V. Adjungit laudatis Strozzius Lupum de Olmeto, institutorem ordinis Hieronymiani in Italia, qui Vitam* S. Hieronymi *scripsit sæculo* 15, *sub pontificatu Martini V. Illa cum nobis ad manum non sit, verba a Strozzio descripta huc transfero, prætermissis tamen brevitatis causa prioribus, quibus enumerantur corpora, quæ Romæ servantur, præcipuorum aliquot Sanctorum.* Inter quos, *ait auctor* B. Hieronymus doctor egregius locum magnificum in prælibata Urbe apud basilicam perpetuæ Virginis Mariæ, quæ ponitur ad Præsepe, meruit obtinere, ut in ipsius regali domo decentius quiesceret, quam in vita magnificis et devotissimis laudibus studuit excellentius commendare fideliter. *Mitto scriptores recentiores vitæ* S. Hieronymi, *aliosque plures, qui de translatione ejus ad basilicam S. Mariæ Majoris consentiunt. Nam allegata testimonia omnino sufficiunt, præsertim cum non invenerim ullum scriptorem, qui asseruit post sæculum* 13 *sancti corpus mansisse in Bethleem, aut ad alium locum fuisse translatum. Alia tamen translationis testimonia recitabuntur inferius.*

At ipsa Translationis Historia minus videtur accurata.

1097 *Quod vero spectat ad singula asserta scriptoris de modo, quo corpus translatum, et in basilica beatissimæ Virginis depositum fuit, lubens fateor, non omnia æque videri certa. Quippe scriptor profitetur, se rem enarraturum, sicut ex* episcopis et ab antiquioribus presbyteris *perceperat: sed nullum eorum nominat, nec affirmat, ullum ex illis rei gestæ adfuisse, quod silendum non erat, si rem ex testibus oculatis intellexerat. Illo igitur loquendi modo utcumque insinuat, scripsisse se notabili tempore post translationem, ac verisimile facit, nullum superfuisse ex canonicis aliisque, qui translationi adfuerant. Cum itaque auctor videatur scripsisse annis forte quadraginta aut quinquaginta post rem peractam, nullaque alleget scripta vetustiora; multa ejusdem dicta minus certa videri poterunt. Tale est primo, quod ait, ex primo sepulcro sive ex Bethleem corpus Romam fuisse translatum. Nam forte jam diu ante Sancti corpus ex Bethleem ad aliam Terræ sanctæ civitatem, quæ Christianis parebat, fuerat portatum, indeque postea Romam translatum. Tale secundo est, quod additur, corpus a monacho per revelationem admonito fuisse sublatum. Certe non capio, quomodo monachus illud clanculum ex Bethleem, dominantibus ibi Saracenis, auferre potuisset. Tale mihi tertio videtur, quod asseritur, de ablatis prius ex urbe Hierusalem omnibus reliquiis, et de relicto in Bethleem solo corpore* S. Hieronymi. *Talia sunt reliqua fere omnia adjuncta, se non accurate fuisse instructum de personis, quæ ad translationem concurrerunt, ac de modo et tempore, quo illa fuit peracta.*

§ LXVI. Inquiritur tempus, quo Sancti corpus Romam delatum.

Corpus S. Hieronymi certo Romam translatum non est ante sæculum 13.

Laudatus *ante Blanchinius in Dissertatione Ms. de corpore* S. Hieronymi, *cujus Summarium nobis communicavit, prolixe et studiose investigat tempus, quo corpus Romam fuit translatum. Optime autem probat, sacrum istud corpus a Palæstina non fuisse amotum nec Romam translatum ante sæculum* 13, *et ulterius probare intendit,*

AUCTORE J. S.

intendit, translatum non esse nisi post annum 1283. *Primum omnino videtur certum. Etenim laudatus num.* 1062 *Jacobus de Vitriaco, qui et episcopus Acconensis et legatus Apostolicus fuit in Terra sancta sæculo* 13, *disertis verbis affirmat,* S. Hieronymum *suo tempore in Bethleem requievisse. Ad hoc testimonium, quod omni exceptione majus est, accedit silentium omnium scriptorum, qui aut ante sæculum* 13 *floruerunt, aut eo ipso etiam sæculo scripserunt, saltem usque ad annum* 1283 *aut sæculum fere finitum, cum nullus illorum de translatione* S. Hieronymi *in Europam meminerit, etiamsi de eo aut ejus sepulcro fecerint mentionem. Hinc sponte concidunt opiniones eorum, qui ex conjecturis male fundatis translationem fecerunt multis sæculis vetustiorem, ac nominatim sententia illustrissimi Francisci Blanchinii, qui in Annotatis ad Anastasium Bibliothecarium tom. III a pag.* 110 *prolixe disseruit, ut probaret corpus* S. Hieronymi *una cum præsepi Domini sæculo* 7 *ex Palæstina Romam fuisse delatum.*

nec probabile est, quod aliquis de vetustiore translatione censuit.

1099 *Neque enim ad probandam tam vetustam translationem prodesse possunt verba Adamnani, quæ producit. Scripsit S. Adamnanus sub finem sæculi* 7 *aut initium sequentis Opusculum de Terra sancta, sicut Arculfus episcopus, qui* B *loca sancta visitaverat, postquam inde in Angliam perlatus erat, singula Adamnano explicabat. Hæc igitur Adamnani verba producit laudatus Franciscus Blanchinius:* De sepulcro quoque sancti Hieronymi simili sollicitudine nobis inquirentibus, Arculfus sic ait: Sepulcrum sancti Hieronymi, de quo inquiritis, ego conspexi, quod in alia habetur ecclesia, quæ extra eamdem civitatulam (*Bethleem*) in valle est fabricata, quæ in Meridiano latere sita supra memorati dorso monticelli est contermina Bethleemitici. Quod videlicet Hieronymi sepulcrum simili opere, ut Davidicum monumentum, compositum, nullum ornatum habet. *Recitatis hisce verbis, ex defectu ornatus inferre nititur Blanchinius, vacuum fuisse* S. Hieronymi *sepulcrum. At ea ratio vim non habet: nam sepulcrum ornatu carere poterat propter Saracenos in Palæstina dominantes, et forte etiam usque ad illud tempus omni caruit ornatu, perrexitque eo carere usque ad ingressum Latinorum in Terram sanctam. Nam latini non videntur diu mansisse in monasterio Bethleemitico post mortem* S. Hieronymi, *et Græci, qui* S. Hieronymi *cultum fere neglexerunt, de ornando ejus se-* C *pulcro non videntur fuisse solliciti. At saltem non dixit Arculfus aut Adamnanus, vacuum fuisse Sancti sepulcrum, aut corpus fuisse Romam translatum, sicut nec ullus alius id asseruisse legitur ante senescens sæculum* 13.

Nullum quoque est testimonium, quo ante senescens sæculum 13

1100 *Josephus Blanchinius, qui memoratam illustrissimi patrui sui opinionem studiose refellit, aliud argumentum petit ex Opere Joannis diaconi de Ecclesia Lateranensi, quod edidit Mabillonius tom. II Musei Italici. Scriptum autem est circa annum* 1260 *ad Alexandrum IV, non ad Alexandrum III, ut in indice contentorum in tomo legitur, errore forsan typothetæ. Hinc sic ratiocinatur. Joannes diaconus cap.* 15, *pag.* 573 *recenset reliquias S. Mariæ Majoris. Atqui non meminit de corpore* S. Hieronymi. *Ergo illud anno* 1260 *non erat in basilica S. Mariæ Majoris aut Romam translatum. Posset quidem responderi, non omnia Sanctorum corpora, quæ in basilica S. Mariæ Majoris tunc servabantur, ibidem enumerari a Joanne diacono, ut colligitur ex catalogis reliquiarum hujus ecclesiæ. Attamen argumentum non carebit* D *sua probabilitate, cum saltem præcipuas recenseat reliquias, loquaturque de corpore S. Matthiæ, et nullum omittat corpus sancti tam famosi, quam sit* S. Hieronymus. *Aliunde quoque vim majorem eidem argumento addit ex silentio Jacobi de Voragine de translatione. Certe memoratus auctor de sepultura* S. Hieronymi *in Bethleem loquitur, de translatione tacet; nec hanc videtur prætermissurus fuisse, si eamdem intellexisset peractam. At Jacobus de Voragine, qui archiepiscopus Genuensis anno* 1298 *obiit, potius aliquot annis post* 1260 *scripsisse vitas Sanctorum censendus est, quam ante, et fortasse circa* 1280 *aut* 1290 *iis magis occupatus fuit, quam circa* 1260: *de tempore enim, quo libros suos composuit, nihil novimus, nisi aliquos esse scriptos ante episcopatum, anno* 1292 *inchoatum, alios in episcopatu.*

1101 *Addit Blanchinius Brochardum, qui anno* 1283 *fuit in Terra sancta. Verba ex editione Canisii jam dedi num.* 1062: *sed ex illis nihil evinci potest pro translato ante illud tempus aut ibi remanente tunc corpore; cum breviter solum dicat, se vidisse cellam, lectum et sepulcrum* S. Hieronymi, *nec magis innuat, corpus fuisse in sepulcro, quam in cella aut lecto. Quin imo* E *magis crediderim, anno* 1283 *non amplius in Bethleem fuisse, sed aut Romæ jam tum fuisse, aut in civitate aliqua ex illis, quæ etiam tunc Christianis supererant in Palæstina. Lubens quidem fatebor, non reperiri certum testimonium de corpore sancti ante istud tempus ex Bethleem translato. At aliunde non apparet verisimile, tam diu relictum fuisse in Bethleem, ubi dominabantur Saraceni, qui illud injuria afficere poterant, præsertim quod non defuerint occasiones variæ ad illud ex eorum potestate eripiendum. Ut has occasiones perspiciat studiosus lector, incipiam ab anno* 1220, *circa quod tempus Vitriacus testatus est, sancti corpus fuisse in Bethleem. Anno* 1221 *inter Joannem Hiersolymitanum et Meledinum regem Saracenorum, qui cum Ægypto possidebat partem regni Hierosolymitani ipsamque Hierosolymam, factæ sunt octo annorum induciæ. Harum induciarum tempore Saraceni non gravate permisissent, ut corpus* S. Hieronymi *transferretur ad ditionem Christianorum.*

translatum probari possit. Nec tamen ex illo silentio

1102 *Rursum anno* 1229 *Fredericus II imperator cum eodem Meledino inducias decem annorum pepigit, merito quidem improbatas a Christianis, tales tamen, ut Hierosolymam et Bethleem re-* F *ciperet, eaque occasione Christiani omnem haberent libertatem transferendi sacrum* S. Hieronymi *corpus ad locum tutiorem, antequam bellum cum Saracenis renovaretur. Tam favorabilis erat ea occasio ad transferendum ex locis non munitis omnes reliquias, ut vix existimare possim, corpus* S. Hieronymi *mansisse in Bethleem usque ad finitas inducias, præsertim cum ecclesiastici, qui Frederici res gestas in Palæstina improbabant, timere deberent, ne Bethleem et Hierosolyma iterum in manus Saracenorum inciderent, ut revera factum est. Et sane, sicut nullum habemus testimonium de ablato tunc corpore ex Bethleem, ita nullo argumento probare possumus, illud ibidem usque ad annum* 1240 *permansisse, ut mihi admodum fiat verisimile, iis temporibus clam fuisse per ecclesiasticos ex Bethleem ablatum. Non tamen et aliæ occasiones postea defuerunt sacrum* Hieronymi *corpus e manibus Saracenorum extrahendi, si necdum fuisset peractum, cum et aliæ postea fuerint induciæ, quas mitto brevitatis gratia. Degit quoque S. Ludovicus Galliarum rex in Palæstina ab anno*

certum videtur, translationem non fuisse factam

A anno 1250 usque ad 1254, et facile invenisset modum accipiendi corpus S. Hieronymi, si illud eo tempore fuisset et Bethleem. Denum anno 1263, teste Sanuto lib. 3, part. 12, cap. 6, monasterium Bethleemiticum a Saracenis destructum est, ut saltem non diu post monasterii destructionem relictæ ibidem videantur reliquiæ, si omnino usque ad illud tempus ibi mansisset corpus S. Hieronymi, quod sine teste non credam.

ante annum 1283. nec certum fit factam non esse post 1286.

1103 Tempus, quo translatum est Romam, late designari potest inter medium et finem sæculi 13. Blanchinius in Summario ms. nititur translationem figere anno 1284 aut 1285. At non invenio rationes satis validas ad tempus tam prope determinandum. Ille sic ratiocinatur. Brocardus, cujus verba dedi num. 1062, anno 1283 fuit in Terra sancta, et de translatione non meminit. Facta ergo est post illum annum. At eodem jure alius dicet: Brocardus non meminit de servato ibidem corpore. Ergo non supererat in Bethleem. Translatum fuisse corpus non post annum 1286, ex eo inferre vult Blanchinius, quod Guilielmus Durandus in Rationali divinorum Officiorum lib. 7, cap. 1 inter festa semiduplicia numerat festum B S. Hieronymi, acsi id recens tunc fuisset statutum. At verisimiliter non minus diu celebrata fuerat ea ritu festivitas S. Hieronymi, quam SS. Ambrosii, Augustini et Gregorii, quibuscum ibi ponitur, uti et cum aliquot Apostolis et Evangelistis, nec ea festivitas instituta est propter corporis translationem. Attamen omnino existimo, ante annum 1290 corpus S. Hieronymi in ecclesia S. Mariæ Majoris fuisse, idque ob alia argumenta a laudato Blanchinio allata.

Videtur tamen corpus Sancti in basilica S. Mariæ Majoris fuisse ante 1290:

1104 Paulus de Angelis in Basilica S. Mariæ Majoris lib. 6, cap. 1 affirmat, a Nicolao IV datam esse bullam anno 1200, die 1 Martii, eaque concedi indulgentias varias visitantibus basilicam S. Mariæ Majoris diebus ibi enumeratis. Ex illa autem bulla probabiliter colligitur, jam tum ibi fuisse S. Hieronymi reliquias: hujus enim festivitas particularibus indulgentiis honoratur, quod non fit de festivitate ullius alterius confessoris. Nimirum concedit Nicolaus duos annos et totidem quadragenas visitantibus ecclesiam a prima die Quadragesimæ, quæ sancti Martini dicitur, usque ad festum Purificationis: et a Dominica Septuagesimæ usque ad festum Pentecostes diebus sin- C gulis, et in singulis sanctorum Apostolorum, Michaelis archangeli, Laurentii et Hieronymi festivitatibus. Hic eædem in S. Hieronymi et Apostolorum festivitatibus dantur indulgentiæ, nec ullus alius confessor aut doctor ibidem particularibus honoratur indulgentiis. Hoc autem factum esse propter corpus ibi depositum, colligitur ex indulgentiis in festo S. Matthiæ ibi sequentibus. Nam in festivitate S. Matthiæ, cujus corpus in basilica illa servabatur, conceduntur quatuor anni et totidem quadragenæ, sicut in Nativitate Domini aliisque festivitatibus præcipuis. Itaque sicut solus ex Apostolis Matthias habet annos quatuor, haud dubie propter corpus; sic solus Hieronymus ex doctoribus et confessoribus cum Apostolis habet annos duos, utique ob corporis præsentiam. Hinc ergo recte inferemus, ante annum 1290 Romæ corpus Sancti fuisse, præsertim cum id rursum aliis argumentis ibi reperiamus anno 1292 et anno 1293 ac deinde: at sic necdum novimus, quo tempore eo sit delatum. Quæ apud laudatum de Angelis ibidem de indulgentiis leguntur ex Panvinio, idem probant, si æque sint accurata.

et certo translatio facta est sæculo 13 inter 1220 et 1290,

1105 Verba Pipini data num. 1096, quibus Nicolaus IV anno 1292 dicitur sepultus juxta sepulcrum beati Hieronymi, rursum probant, corpus S. Hieronymi ibidem saltem fuisse ante annum 1292. At simul videntur insinuare, translationem citius esse factam, quam existimat Blanchinius. Cum enim eo tempore vixerit Pipinus, de nupera translatione videtur aliquid insinuaturus fuisse, si solum septem aut octo annis translatio præcessisset mortem Nicolai IV. Addit Blanchinius opus musivum, cujus verba de corpore S. Hieronymi recitata sunt num. 1095, quod asserit anno 1295 concinnatum jussu Cardinalis Jacobi Columnæ. Plura recitabuntur, et aliqua non multo posteriora documenta, ubi agetur de loco, in quo corpus depositum. Interim ex hactenus allatis colligo, corpus Romam delatum esse sæculo 13, saltem post annum 1220 et ante 1290. Nam id omnino evincitur ex Vitriaco, collato cum monumentis anno 1290 et paulo serius scriptis. Secundo ex silentio eorum, quos circa 1260 scripsisse diximus, saltem probabilius fit, post annum 1260 contigisse translationem ad basilicam S. Mariæ Majoris. Hoc autem probabilius dico, non certum: quod translatio clanculum facta asseratur, ideoque aliquot annis occulta manere potuerit, et sic E latere scriptores illos, ex quorum silentio ratio illa petitur.

probabilius etiam inter 1260 et 1280.

1106 Petrus Calo, cujus obitum Ecchardus in Bibliotheca Prædicatorum tom. 1, pag. 511 figit circa annum 1310 aut paulo serius, ut verisimiliter jam ante 1300 ingentia sua volumina de Vitis Sanctorum scribere cœperit, noverat quidem corpus S. Hieronymi Romam portatum, sed nesciebat, a quo vel quando id factum esset. Non invenio aliam causam, qua ille auctorem et tempus translationis ignorare potuit, quam quod occulte peracta sit, et fortasse annis non paucis celata. Translatio enim celari poterat ob rationes varias, iisque post annos aliquot cessantibus, possessio corporis in ecclesia S. Mariæ Majoris sic vulgari, ut nec auctor nec tempus translationis innotesceret; idque revera factum existimo. Quare frustra nunc propius investigabimus translationis tempus, imo et præcipuum auctorem. Nullus aut tempus propius edixit, aut auctorem indicavit, dum recens erat factum. Anonymus pro tempore hæc dixit: Postquam... Hierusalem... sanctissimis, imo cunctis, mansit orbata reliquiis: et quando solum F S. Hieronymi corpus in Bethleem erat relictum. Nec propius tempus designant Joannes Andreas et Petrus de Natalibus, nisi quod dicant occupatam fuisse a barbaris Hierosolymam. Nullus addit, corpus ibi mansisse usque ad integram amissionem Terræ sanctæ, quæ certo nequit figi ante annum 1291; et revera jam probavi, corpus translatum fuisse ante istum annum. Itaque nequit illius translationis tempus intra paucos annos coarctari, uniceque dicendum videtur, eam certo contigisse inter 1220 et 1290, et probabilius etiam inter 1260 et 1280.

AUCTORE J. S.

§ LXVII. Corpus Sancti depositum propre ædiculam Præsepis, conditum deinde ibidem altare, sub quo positum, ubi mansit usque ad pontificatum Sixti V, quando dicitur clanculum ablatum et absconditum.

Corpus Sancti positum ante ædiculam Præsepis Domini,

De *loco basilicæ S. Mariæ Majoris, in quo depositum fuit sacrum corpus* S. Hieronymi, *sic loquitur Anonymus translationis scriptor, qui locum procul dubio optime noverat :* Inter columnas basilicæ et januam præsepis... sepelivit. *Joannes Andreas, qui post annum* 1336 *ex illa Translationis relatione compendium dedit, laudatus num.* 1086, *de loco sic habet :* In prædicta B basilica loco humili... ante Præsepe Domini... devote reposuit. *Quod de loco humili dicitur, ex Anonymo etiam sumptum est, a quo* S. Hieronymus *hæc de sepultura sua monacho in visione mandasse dicitur :* Ante januam illius beatissimæ cryptæ, quæ Præsepe Domini dicitur, in tumulo humili satagas collocare. *Petrus de Natalibus, qui etiam scripsit sæculo* 14 *ante altare ibidem* S. Hieronymo *erectum, sic de illo loco mentem suam exponit :* In loco humili, videlicet in terra, ante præsepe Domini, corpus noctu devote reposuit. *Hæc omnia in idem recidunt, simulque insinuant, Sancti corpus sine apparatu in terra depositum fuisse prope ædiculam Præsepis, quæ in veteri basilica Liberiana multo minor erat, quam modo sit magnificum Præsepis sacellum, a Sixto V conditum, cui altare* S. Hieronymi *est inclusum. Si autem Sancti corpus ante ipsam ædiculæ Præsepis januam fuit positum, non jacuit eodem plane loco, ubi conditum est altare, quod ingredientibus in sacellum Præsepis ad sinistram est, et ad latus sacelli prope angulum : quo fere loco etiam notatur in delineatione Veteris basilicæ apud Paulum de Angelis.*

ubi saltem mansit usque ad annum 1398,

1108 *Testatur Strozzius et Blanchinius, in sacello præsepis aliud fuisse monumentum, videlicet opus musivum, quod erat supra sepulcrum Cardi-* C *nalis Gunsalvi, anno* 1299 *defuncti. Opere illo musivo, inquit Strozzius, repræsentatur Cardinalis genibus nixius ad pedes beatissimæ Virginis sedentis, et Filium suum brachio tenentis. Ad hujus latera stant S. Matthias apostolus et* S. Hieronymus, *qui manibus singuli tenent inscriptionem; hanc S. Matthias :* Me tenet ara prior ; *at* S. Hieronymus *sequentem :* Recubo Præsepis ad antrum. *Uterque observat, humilem fuisse locum, in quo erat ædicula Præsepis, ideoque putant antrum vocari. Utrum ea de causa sic locutus sit auctor inscriptionis, an per allusionem ad stabulum vel antrum, in quo natus est Dominus, non inquiram. Satis mihi erit observare, illa inscriptione rursum confirmari, quod corpus* S. Hieronymi *depositum fuerit prope ædiculam præsepis. Monumentum istud postea translatum est ad aliud ecclesiæ sacellum. Strozzius et Blanchinius rursum laudant testamentum Stephani de Guascis, canonici S. Mariæ Majoris, factum anno* 1398, *ex eoque Strozzius recitat hæc verba :* Cum dominus Stephanus venerabile corpus doctoris eximii B. Hieronymi, quod in capella prædictæ ec- D clesiæ S. Mariæ Majoribus sub grata (*id est, crate*) ferrea ante præsepe Domini requiescit, majori ac singulari devotione etc. *Ex his verbis habemus, Sancti corpus in eodem situ mansisse usque ad annum* 1398, *id est, sæculo integro, et quod excurrit.*

inscriptio, quæ supra sepulcrum fuisse dicitur

1109 *Laudati Strozzius et Blanchinius existimant, supra istud sepulcrum* S. Hieronymi *in basilica S. Mariæ Majoris pro epitaphio positos fuisse versiculos, quos Joannes Andreas recitat fol.* 53, *hæc præmittens verba :* In sepulchro autem Hieronymi, de quo supra, sculpti habentur hi versus :

Hic dux doctorum jacet, et flos presbyterorum,
Sanctus Hieronymus, sed ei locus est nimis imus.
Hic tu discrete Catholice, sive facete,
Dic veniens Ave, desuper ire cave.

Dedi versus male tornatos, prout impressi sunt. Eos modo nonnihil diverso recitavit Strozzius, nimirum ex codice ms. : secundus apud eum sic le- E *gitur :*

Hieronymus sanctus, cui locus est nimis imus.

Forte scriptum fuerit :

Sanctus Hieronymus, cui locus est minimus.

Vel sic aptus non erit versiculus. At sæculis 13 *et* 15 *minus scrupulosi erant in dimensione syllabarum, maxime in ejusmodi inscriptionibus. Si revera supra sepulcrum sculpti fuerint tales versiculi, ablati fuerint, dum corpus translatum est sub altare.*

Circa initium sæculi 15 altare Sancto structum

1110 *Etenim memoratus canonicus de Guascis altare* S. Hieronymo *erigendum curavit, et corpus sub eo deponendum circa initium sæculi* 15. *Constructio altaris verisimiliter cœpta est post conditum testamentum. Paulus de Angelis lib.* 5, *cap.* 2 *de eo ait :* Stephanus Pauli Octaviani de Vaschis sacellum extruxit et dotavit, sancto Hieronymo dicatum. *Tum hæc alio charactere :* Stephanus Pauli Octaviani de Vaschis fundavit et dotavit cappellam in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, sub invocatione sancti Hieronymi, de anno circiter 1400, hujus valoris scutorum centum viginti pro dote. *Porro corpus Sancti non diu post sub illo depositum fuisse, colligitur ex codicillis, quos testamento suo adjecit memoratus canonicus,* F *testibus Strozzio et Blanchinio. Nam in uno illorum anni* 1409 *de situ corporis* S. Hieronymi *diverso modo loquitur, et ex eo Strozzius hæc ejus recitat verba :* Teneatur (*capellanus*) ad omnia onera sive obligationes, ut plenius in dicto testamento habetur, et in eo scripta et specificata apparent, excepto vero, quod non obstringatur nec teneatur, nisi ad tres Missas tantum celebrandas perpetuo in qualibet hebdomada in dicta cappella S. Hieronymi supra corpus dicti eximii Doctoris. *Si Missæ erant celebrandæ* supra corpus, *jam anno* 1409 *corpus erat sub altari, in quo Missæ illæ erant celebrandæ. De anno tamen ipso, quo facta est illa translatio, nulla in tabulario S. Mariæ Majoris habetur notitia, ut fatetur Strozzius. Ne tamen id cuipiam mirum videatur, observat, et alias excidisse notitias, easque etiam majoris momenti, quam hæc sit.*

sub eoque corpus depositum,

1111 *Ne quis tamen ob defectum illius notitiæ de facto dubitare velit, producit alia quædam documenta ad confirmationem. Primum allegat verba Nicolai Signorili, qui Descriptionem Romæ composuit, et Martino V papæ dicavit. Ille autem, dum*

A *dum de reliquiis agit, teste Strozzio, uti et Blanchinio, hæc habet :* Item in alio altari, sito prope præsepium, requiescit corpus B. Hieronymi doctoris. *Hæc illi e Ms. Vaticano. Adjungunt verba Cardinalis Veneti Petri Morosini, qui similiter sub Martino V vixit, et defunctus est anno* 1428. *Legaverat ille summam pecuniæ, ut corpus* S. Hieronymi *quod erat sub altari, elevaretur et honorificentius poneretur. Verum cum summa legata non sufficeret ad omnia exsecutioni mandanda; canonici S. Mariæ Majoris rem exposuerunt summo Pontifici, et ab eo obtinuerunt, ut sibi illa pecunia uti liceret alio modo. Strozzius ex tabulario S. Mariæ Majoris recitat partem instrumenti, quo Antonius Casinus S. R. E. Cardinalis exponit rationes Martino V propositas ad impetrandam mutationem legati.*

quod sub illo altari mansit

1112 *Ex eo ad propositum nostrum nonnulla huc traduco :* Notum facimus,... quod dudum B. M. dominus Petrus, tituli S. Mariæ in Dompnica S. R. E. diaconus Cardinalis, in suo testamento et alias donavit et legavit... ecclesiæ prædictæ pro erigendo in altum corpus B. Hieronymi presbyteri confessoris, sanctæ Dei Ecclesiæ B excellentissimi doctoris, in eadem ecclesia jacentis ante capellam gloriosæ Virginis Mariæ, dictam ad Præsepe, sub quodam altari, sub ipsius sancti Hieronymi nomine erecto, centum florenos, et quod in capsa argentea aut alias honorabiliter elevaretur supra dictum altare, et ibi honorificentius veneraretur : quodque dicti centum floreni sic legati nec multo plures sufficere possent ad erectionem præmissorum, et ipsa capsa in retectatione et alias indigebat multis reparationibus satis prope dictam summam, *etc. Hæc sane non relinquunt dubium, quin corpus esset sæculo* 15 *sub altari, quod Sancto est dicatum. At multum dubito, an sancti Doctoris corpus non manserit in loco, in quo prope Præsepe ab initio fuit positum. Nam supra illud sepulcrum forte constructum est altare, idque revera mihi videtur probabilius, et sic mirum non erit, quod nullum reperiatur instrumentum translationis ad altare, cum minime fuerit transferendum. Nec huic meæ conjecturæ obstat, quod a variis dicitur positum* ante Præsepe Domini : *nam id strictius sumendum non est, quam* C *sumenda sint ex verbis modo datis ista :* Ante capellam gloriosæ Virginis Mariæ. *Nimirum ipsum altare* S. Hieronymi *erat ante vetustum præsepis sacellum, sed non directe januæ oppositum, idemque verisimiliter fuerit de sepulcro.*

usque ad pontificatum Sixti V.

1113 *Prætermitto documenta, quæ accumulavit Blanchinius de S. Hieronymi corpore ibidem deposito usque ad pontificatum Sixti V. Unum mihi sufficiet, quod etiam allegat Strozzius. Volebat ante pontificatum, dum dicebatur* Felix Perettus Cardinalis de Monte Alto, *magnificum* S. Hieronymo *construere sacellum in basilica S. Mariæ Majoris, ut ad illud transportaretur Sancti corpus. Hinc Canonici S. Mariæ Majoris Cardinali Peretto concesserunt duo basilicæ sacella, videlicet alterum SS. Philippi et Jacobi, alterum S. Barbaræ,* ad fabricandum, ibique corpus divi Hieronymi transportandum, et capellam ibidem conficiendum et construendum. *Verba sunt instrumenti, cum in finem a Canonicis dati anno* 1581, *die* 13 *Februarii, inquit Strozzius. Hoc deinde alio confirmatum est die* 20 *Februarii ejusdem anni, inquit Blanchinius, ex eo recitans aliqua verba de facultate Cardinali data. At non potuit Cardinalis Perettus omnia perficere, priusquam promoveretur ad summum pontificatum. Postea vero, ubi absolutum erat sacellum, destructum fuit altare* S. Hieronymi, *sed corpus ejus minime inventum. Unde id contigerit, modo inquirendum est cum Strozzio et Blanchinio.*

AUCTORE J. S.

§ LXVIII. Corpus Sancti clanculum ablatum et absconditum dicitur, ne transferretur alio a Sixto V : deinde frequenter frustra quæsitum.

Dicuntur Canonici corpus abscondisse, ne alio transferretur.

M*abillonius in Itinere Italico pag.* 65 *occasione sacelli Præsepis, a Sixto V constructi forma hodierna, scribit sequentia :* De hoc sacello a viro fide digno id accepimus. Cum Sixtus ante pontificatum id aggredi voluisset, restitisse Canonicos, ne scilicet in medio cœpto præ angustia E rei familiaris deficeret : Felicem (nam id nominis Cardinali erat) rem tulisse indignanter; sed a magno Etruriæ duce petiisse, ut se vadem Canonicis exhiberet : conditione impetrata, Felicem manum admovisse operi, quod Pontifex absolvit : tunc recurrisse in mentem Sixto, quod Felici acciderat, ac meditari cœpisse, quo pacto Canonicos Sancti Hieronymi corpore, quod in ea capella asservatur, spoliaret : ideo sub sancti Doctoris patrocinio ecclesiam, quæ Sixto titulus Cardinalitius fuerat, ad ripam Tiberis a fundamentis instaurasse, ut in eam sacras reliquias transferret : sed Canonicos fraudem subodoratos, eas in locum secretum abdidisse, sicque dolum dolo fuisse delusum. *Hæc Mabillonius, prout Romæ audivit. Verum dubitari potest, an ille, qui rem ita narravit, non miscuerit veris falsa aliqua, cum narraret factum integro fere sæculo præteritum. In alia relatione mox danda, quæ oritur a teste rei totius conscio, nihil legitur de indignatione Sixti contra Canonicos, nihil de causa indignationis hic asserta. Itaque de his judicium meum non interpono.*

Relatio hac de re scripta a Joanne Baptista Confalonerio,

1115 *Aliam relationem scriptam anno* 1636 *a Joanne Baptista Confalonerio, ex codice Ms. recitat in Dissertatione sua Strozzius* § 36. *Scripta est italice, sed latine subjunguntur hæc verba :* Hæc ad perpetuam rei memoriam. Laus Deo, B. V. Mariæ et S. Hieronymo. Desumpta est hæc narratio ex codice Mss. Miscellaneo Joannis Baptistæ Confalonerii Romani, custodis archivii arcis S. Angeli, pag. 246. Servatur ibidem codex apud illustrissimum dominum Justum Fontaninum, sanctissimi Domini nostri cubicularium honorarium, cui dono datus fuit a claræ memoriæ Cardinali Nuptio. *Hæc in fine de codice. Initio etiam verba quædam latina præmittuntur hoc modo :* Romæ translatio S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris, ex Bethlehem Judæ ad basilicam sanctæ Mariæ ad Præsepe. Ex Martyrologio Romano, septimo Idus Maii, id est, 9 Maii. *Tum sequitur relatio italica, quam fideliter in sermonem latinum transfero et subjungo.*

qui testatur, inventum non esse corpus S. Hieronymi.

1116 Occasione hujus festi, quod celebratur in dicta basilica, et quod anno currente 1636 incidit in feriam sextam post Octavam Ascensionis, ivimus ad eamdem basilicam illustrissimus dominus Hugo Ubaldinus, Canonicus S. Petri, qui erat frater

AUCTORE J. S.

frater Cardinalis ejusdem cognominis, mortui die 22 Aprilis anni 1635, et una cum illo Canonico concorditer ibi fuimus dominus Flaminius Cerasola, nobilis Bergomas, et ego Joannes Baptista Confalonieri Romanus, omnes tres sacerdotes. Ubi autem satisfeceramus devotioni nostræ, doluimus, nunquam inventum fuisse locum, in quo esset corpus memorati Sancti, postquam ablatum est ejus altare, quod stabat in latere navis post ciborium, in quo conservantur sacræ reliquiæ; quodque modo est e regione ad columnas sacelli Sixti V, quod Præsepis dicitur. Postquam istud Sixti V sacellum fuit constructum, jussit hic Pontifex amoveri dictum altare S. Hieronymi, quia impediebat conspectum sacelli memorati. Cumque quæreretur ibi corpus Sancti, ut transferretur ad aliquem locum decentem, numquam fuit inventum, etiamsi foderetur ad profunditatem viginti circiter palmorum, et forsan ultra, per omnem circuitum.

dum eius altare dirutum est jussu Sixti V :

1117 Ego Joannes Baptista Confalonieri optime recordor, fossionem illam pluribus vicibus a me visam esse magno cum dolore, qualis erat sensus totius Urbis Romæ et omnium hominum piorum. Quod corpus esset sub altari, unusquisque habebat pro certissimo : et etiamnum B perspicitur, multos episcopos et prælatos, qui prope memoratum altare sepeliendos se curabant, cum lapide sepulcrali collocatos esse capite versus portam dictæ navis, quæ respicit pyramidem, pedibus versus idem altare. Præterea ex parte posteriori erat quasi modica confessio (*id est, crypta*) ubi lampas perpetuo erat accensa, erantque ibidem modicæ candelæ, quæ similiter accendebantur ad quosdam cancellos cum circulis ferreis, si recte memini. Dum ita disserebamus, et ego tam particularia rei adjuncta proferebam, non poterat se continere supra memoratus dominus Flaminius Cerasola, quo minus narraret domino Canonico Ubaldino et mihi istud ipsum, quod intellexerat ex patruo suo, similiter de familia Cerasola, qui Canonicus fuit ejusdem ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris : ejus memoria habetur supra columnam aquæ lustralis prope sacellum Pauli V.

atque, intellexisse se ex Flaminio Cerasola, corpus clam fuisse ablatum;

1118 Virum illum nobilem affirmabat ejus ex fratre nepos familiarissimum fuisse Sixto V, dum erat Cardinalis, et habitasse in ejus vinea vel horto, qui situs est ad radices collis memoratæ basilicæ, tantamque inter eos fuisse necessitudinem, ut dicat, quod eidem dederit proprium lectum propriasque culcitas, quando ibat ad conclave, in quo electus fuit Papa. Cum autem non continuaret illam amicitiam in pontificatu, nec exhiberet Canonico Cerasolæ tantum grati animi affectum, quantum ille speraverat : cumque hic perspiceret, quod ille Pontifex, simulac Sedem Apostolicam obtinuerat, continuo jussisset instaurari ecclesiam S. Hieronymi in Ripetta, quæ ejus fuerat titulus, dum erat Cardinalis, quæque fuit constructa primo ejus anno ea forma, qua hodie conspicitur; timuit bonus Canonicus Cerasola, ne Pontifex iste forsan cogitaret de auferendo corpore S. Hieronymi a memorata basilica, transferendoque ad novam ecclesiam in Ripetta. Hac de causa decrevit Canonicus, aut solus aut comitatus, nocte quadam secretissime sub altari suo corpus tollere et privatim portare ad planum chori, videlicet inter columnas e marmore porphyretico altaris principis et monumentum Nicolaï IV, a Sixto V constructum, nimirum sub lapidem porphyreticum, qui si diligenter lustretur, cernitur, amotum fuisse et ruptum ab una parte, quæ tunc male fuit con- D cinnata : nam duo vel tria fragmenta marmoris porphyretici aut alia cernuntur non recte loco suo aptata. Itaque creditur, quod possit esse in aliqua theca.

illique absconsioni probabilitatem addit.

1119 *Ad hanc relationem in apographo nostro in margine scripta erant sequentia :* Rogavit nos dominus Flaminius, ut nihil aliis diceremus : si enim inveniretur dictum corpus sanctum, detrimento afficeretur basilica Sanctæ Mariæ Majoris. *Illa hoc loco inserenda existimo, nisi in codice etiam in margine solum legantur. Confalonerius vero sic prosequitur :* Ad probabilitatem, quod possit esse sub dicta lamina rotunda, ego adjeci, forsan memorato Canonico occurrisse rationem ponendi corpus sub dicta lamina e porphyrete, ut magis honoraretur Sanctus, quia deponebatur inter altare princeps, sub quo positum est corpus S. Matthiæ apostoli, et illud monumentum, quod hodie cernimus Nicolai IV, ubi eo tempore conservabatur sanctissimum Sacramentum in angulo, ubi ardebat lampas, ubi erat ferrum transversum in quo pro devotione accendebantur candelæ, ubi erat fenestella in pariete, in quo stabat pixis sanctissimi Sacramenti : et in diebus festivis ibidem E ponebantur duo vela prægrandia auro intertexta eo modo, quo tunc temporis reperiebantur tapetes. Eodem modo conservabatur sanctissimum Sacramentum in basilica S. Joannis Lateranensis usque ad tempora Gregorii XIII in angulo prægrandis columnæ tribunæ versus portam, supra quam constitutum est organum. *Hactenus relatio Confalonerii italica, post quam sequuntur verba latina ante data :* Hæc ad perpetuam rei memoriam etc. *Relatio hæc anno 1659 laudata est nomine Confalonerii et occasionem dedit quærendi corpus, ut infra dicetur.*

Illud factum testimonio talium personarum

1120 *Strozzius autem, data relatione, pluribus inquirit, quid de ea sit censendum, sicut multa præmittit ad commendandam auctoritatem illorum, a quibus processit. Primo laudat Joannem Baptistam Confalonerium, ut testem omni exceptione majorem, adducitque de eo verba Severani, qui Confalonerio contemporaneus fuit, et ad ejus scripta remittit in Monumentis sacris de Septem ecclesiis Romæ pag. 45, ubi eum non modo laudat ut* theologum et archivistam Apostolicum, *sed etiam ut* personam magnæ pietatis et doctrinæ. *De* F *hujus igitur in scribendo fide dubitari non potest. De Flaminio Cerasola, qui factum narravit, hæc recitat Jani Nicii Erythræi verba in Pinacotheca :* Flaminii Cerasolæ si patriam quæris, Bergamum; si genus, nobile; nam ejus civitatis patritius fuit; si litterarum studia, jus civile et sacrarum doctrinarum scientiam; si mores, optimos; si ingenium, non hebes ac tardum, sed austerum fuisse invenies. *Hæc sufficiunt, ut neque Flaminius de mendacio debeat esse suspectus. Hic Ludovico patruo suo, qui facti auctor dicitur, epitaphium posuit, quod Strozzius sic exscripsit :* Ludovico Cerasolæ Bergomati, hujus basilicæ Canonico, deque ea optime merito, eximiæ probitatis ac dexteritatis viro, Flaminius Cerasola, protonotarius Apostolicus, et Bergomatis ecclesiæ canonicus, patruo carissimo posuit. Vixit an. 63, mens. 5. Obiit pridie Idus decemb. an. Dom. 1591.

assertum est, ut de eo non videatur dubitandum.

1121 *Hunc quidem non adeo laudat Erythræus, linguam promptiorem fuisse dicens, et facilem ad aliis detrahendum. Verumtamen nihil de eo dicit, ex quo conjicere possimus, fabularum fuisse amantem. Et sane non facile capimus, qua ratione fabulosum factum, idque sibi periculosum, referre voluisset fratris sui filio, ut hic illud silentio*

fere

A *fere perpetuo premeret. Quare dubitandum non videtur, quin revera corpus.* S. Hieronymi *clanculum ablatum fuerit e loco, ubi sub altari quiescebat. Si enim consideremus testimonio plurima, partim ante data, partim brevitatis gratia prætermissa, et communem omnium, opinionem, qua credebatur sub altari quiescere, non poterimus merito dubitare, quin ibi aliquando fuerit. Rursum, si expendamus, quanta adhibita fuerit jussu Sixti V diligentia in fodiendo et quærendo, certius etiam intelligemus, corpus ibidem eo tempore non fuisse. Quare restat, ut credamus, ablatum fuisse clanculum, sive tempore Sixti V, sive antea. At antea amotum fuisse, nullus unquam cogitavit aut dixit: auctorem vero illius facinoris ipse se declaravit Ludovicus Cerasola, ut testatus est fratris ejus filius, presbyter provectæ ætatis, et probis moribus ornatus, et ex ejus relatione Joannes Baptista Confalonerius, provectæ similiter ætatis presbyter, piusque et doctus theologus. Testimonium utriusque datum est anno* 1636 *de facto, quod contigerat sub Sixto V, id est, ante annos fere*
B *quinquaginta, sive circa* 1586. *Res illa ex parte saltem personarum non videtur falsitatis suspicioni obnoxia; præsertim cum sic innotescat, cur Sixtus V non potuerit invenire corpus in loco, in quo unusquisque illud requiescere credebat.*

Respondetur ad difficultates aliquot, 1122 *Attamen Strozzius producit rationes, quæ contra factum ipsum, mirandum revera magis quam imitandum, objici possunt. Hæ rationes multum urgerent, si Cerasola ab alio de facto illo fuisset accusatus, illudque ipse negasset. At prima quæ esset præcipua, minus fit efficax, si id ipse nepoti suo narravit. Nam prima difficultas est, inquit Strozzius, qua ratione homo prudens, qualis erat Canonicus Cerasola, arbitrio suo aggressus sit facinus, quod totum capitulum debebat committere cum Sixto V. At non minus difficulter capiemus, quo modo vir prudens potuerit dicere se tale facinus aggressum, si non fecerit, et figmentum illud suum numquam revocare. Quanta fuerit illius Canonici prudentia, mihi non liquet. Si vera sunt, quæ de eo asseruit Janus Nicius Erythreus,* lingua *promptus erat etc., ut non videatur caruisse affectionibus. Qui tales sunt, facile apparenti aliqua utilitate, aut cupidate aut metu, abripiuntur ad aliquid aggrediendum, quod non*
C *facerent, si animo sedato expenderent omnia incommoda et mala, quæ ex ejusmodi facto timenda sunt. At vir vel mediocriter prudens numquam finget, se fecisse ea, ex quibus gravia sibi mala timere debet, si innotescant; aut si eo insaniæ aliquando processerit coram uno aliquo, hunc cito dedocebit errorem, cum ex figmento nihil utilitatis sperare possit; sed multum mali timere debeat. Ad objectam difficultatem respondet Strozzius, forte ablationem corporis Cerasolæ commissam fuisse decreto capitulari: etsi enim in relatione de ejusmodi decreto nulla fiat mentio, non tamen negatur, consilio capituli rem a Cerasola peractam. Addit, alia eo tempore decreta fuisse a capitulo contra expressam Sixti V voluntatem, ideoque minus mirandam fore hoc capituli decretum, contra quod non erat expressa prohibitio. Ita ille pluribus verbis.*

quæ contra factum adeo mirandum 1123 *Altera difficultas est, inquit Strozzius, quo modo sit credibile, ex sola instauratione ecclesiæ.* S. Hieronymi *in Ripetta tantum perdendi corporis timorem concepisse capitulum, ut ad tale decretum prosiliret. Respondet, forte non inanem fuisse timorem, quandoquidem Sixtus V sub mensa altaris principis ecclesiæ in Ripetta thecam præparaverat ex marmore, ut eidem includeret corpus* S. Hieronymi, sicut habebat traditio illius ecclesiæ, *inquit. Ad confirmationem traditionis istius addit, Josephum Blanchinium eam intellexisse ex primario ejusdem ecclesiæ clerico. Timorem ipsum confirmat his verbis:* Et reipsa memorata theca inventa est vacua, carensque omnibus aliis reliquiis. *Hoc probat ex instrumento, quod conscriptum est anno* 1749 *die* 5 *Februarii, occasione demolitionis altaris. Si autem theca usque ad annum* 1749 *semper mansit vacua, recte suspicatur Strozzius, id contigisse, quod post mortem Sixti V timor ille perseveraret, quodque nepotes Sixti aut alii Cardinales ab eo promoti sperarent reperiendum aliquando* S. Hieronymi *corpus, et in thecam illam transferendum. Certe Flaminius Cerasola, dum anno* 1636 *narrabat occultationem corporis, etiam tum timebat, ne basilica S. Mariæ Majoris illud amitteret, si inveniretur.*

1124 *Tertia difficultas est, inquit, solum Canonicum Cerasolam non potuisse corpus tollere et occultare eo modo, quo factum dicitur. Verum nec solus fuisse dicitur in relatione, nec id credibile est. Dicitur statuisse* aut solus comitatus *corpus occultare. Agi hic existimo de proposito rem exsequendi, quod utrum solus, an cum aliis conceptisset, ignorasse videtur Flaminius. At pro exsecutione rei certe solus non fuit, sed aut alios quoque canonicos, aut saltem idoneos adhibuit operarios. Strozzius conjicit, adfuisse æditum ecclesiæ, sine quo non poterat noctu intrare. Conjicit præterea, adfuisse Carolum Pini, ejusdem ecclesiæ camerarium, quia die* 29 *Januarii illius filiæ Canonici dederunt* pietatis intuitu *dotem quinquaginta scutorum. Verisimilia hæc sunt ob rationes, quas addit Strozzius, incerta tamen. At nequit merito dubitari, quin Cerasolæ, elevationem et occultationem corporis aggredienti, adfuerint operarii idonei et sufficientes ad opus cito perficiendum: nam hi facile pretio obtinentur.* objici possunt, E

1125 *Quarta difficultas est, ait Strozzius, quod nullum a Canonicis compositum sit instrumentum illius occultationis; sed facilis est responsio, sive occultatio sit facta communi consilio Canonicorum, sive solius Cerasolæ, sive paucorum cum eo conspirantium. Nam per Acta occultationis, ubi semel innotuisset, secretum fuisset proditum, auctores innotuissent, et corpus ipsum inveniri haud difficulter potuisset. Itaque aut nihil de illa occultatione auctores scripto tradiderunt, aut, si quid breviter annotaverunt, scriptum istud non minus absconderunt, quam ipsum corpus, ut hoc etiam tempore latere possit. Testatur Strozzius, in tabulario S. Mariæ Majoris nullum reperiri decretum capituli, quod factum sit tempore Sixti V, illumque defectum arctari existimat ex eo, quod nallent Canonici decreta sua Pontifici innotescere, quodque timerent, ne rigorosa inquisitione fuissent inventa in tabulario, ut ea tunc aut scriptis non traderent aut occultarent. Ex dictis liquet, nihil occurrere rationis, quo minus credere possimus, corpus* S. Hieronymi *tempore Sixti V revera e loco suo ablatum et occultatum fuisse, sicut narratur in scripto Joannis Baptistæ Confalonerii: sed ex illo scripto non constat, fueritne res peracta communi Canonicorum illius ecclesiæ consilio, an paucorum aut etiam solius Cerasolæ.* licet ea sine levissimæ. F

1126 *Porro tempus, quo clanculum ablatum est corpus et occultatum, sic probat Strozzius. Sixtus V sacellum Sixtinum absolvit ante finitum annum pontificatus sui tertium, absolutoque sacello, altare* S. Hieronymi *jussit destrui et corpus quæri. Itaque* Illa corporis ablatio circa annum 1586 aut 1587 figenda:

AUCTORE J. S.

quæ occultatio illa facta est ante 23 Aprilis anni 1588, quo annus tertius Sixti V complebatur; et forsan anno uno alterove ante ablatum fuerat corpus : quod factum figendum circa annum 1586 aut 1587. Magnus fuit dolor Romanorum, dum frustra sub loco altaris ablati quæsitum est corpus et numquam inventum, ut Confalonerius insinuat verbis num. 1117 *recitatis. An in aliis quoque partibus basilicæ S. Mariæ Majoris sub Sixto V quæsitum fuerit corpus* S. Hieronymi, *non reperio. Verum Strozzius satis insinuat, eo usque processisse Romanorum aliquos ex dolore non inventi suo loco corporis, ut dicerent, corpus numquam in basilica S. Mariæ Majoris fuisse. At, ut recte observat, id factum est, quod perspecta non haberent documenta, quibus Sancti corpus memoratæ ecclesiæ asseritur. Blanchinius etiam asserit, Officium translationis intermissum fuisse in ecclesia S. Mariæ Majoris usque ad annum 1627, quo ait solemni decreto resumptum. Existimat id factum a Canonicis, ut Sixto V ejusque nepotibus persuaderent, corpus ibidem non amplius haberi, sed incerta est ea conjectura : nam talem Officii omit-*
B *tendi rationem illi certe non vulgassent. Interim laudatus Blanchinius ait, legisse se Acta capitularia S. Mariæ Majoris a tempore Sixti V, in iis autem numquam Canonicos præsentiam corporis* S. Hieronymi *in dubium revocasse.*

corpus deinde sæpius frustra a quæsitum.

1127 *Ubi innotuerat relatio Confalonerii de occultato corpore, anno* 1659 *aliqui Canonici S. Mariæ Majoris, videlicet Ascanius Riraldi,* Hieronymus *Muti, et Dominicus Salvetti, consensum præstante Alexandro Papa VII, tempore nocturno cœperunt quærere sacrum corpus* S. Hieronymi *eo loco, ubi ex relatione Confalonerii illud jacere suspicabantur. In circuitu fodiendum curarunt, omniaque inter fodiendum inventa diligenter annotarunt, ut refertur in Actis tunc confectis, quæ in Appendice sua recitat Strozzius, sed post horas sex continuati laboris de inveniendo ibidem corpore spem abjecerunt, et sic cessarunt. Relatio hujus inquisitionis non ex tabulario S. Mariæ Majoris, sed ex bibliotheca Chisia fuit accepta, verisimiliter quia data fuerat Pontifici, qui erat ex domo Chisia. Hinc factum credit Strozzius, ut Cononici tempore Clementis XI illam perscrutationem ignoraverint, et eodem rursum loco sacrum corpus quæsiverint, sed æque irrito labore. Nam*
C *Justus Fontaninus, scriptis suis notissimus, acceperat Relationem Confalonerii de abscondito corpore, et tam ipse quam alii ignorabant, corpus sub Alexandro VII fuisse quæsitum in illo ipso loco, ubi illud rursum quæsiverunt. Demum subjungit Strozzius, corpus* S. Hieronymi *alias etiam quæsitum fuisse per totum fere basilicam S. Mariæ Majoris, et certe in iis omnibus locis, in quibus affulgere poterat spes aliqua illud reperiendi, sed semper incassum. Hinc infert, nullam superesse spem inveniendi sacrum* S. Hieronymi *corpus in basilica S. Mariæ Majoris, nisi reliquiæ, de quarum inventione modo agimus, illud ipsum sint corpus.*

§ LXIX. An reliquiæ, sub altari principe S. Mariæ Majoris inventæ, videantur illæ ipsæ, quæ ut corpus S. Hieronymi ad illam basilicam fuerunt translatæ.

Anno 1747, die 14 Novembris, in concessione seu crypta subterranea altaris principis basilicæ S. Mariæ Majoris inventa fuit theca argentea, sacris reliquiis plena, sed sine ullo nomine vel inscriptione, ex qua valeat constare, cujus Sancti illæ sint reliquiæ. At Strozzius frequenter jam laudatus, qui eas invenit cum sociis infra memorandis, has ipsas existimat esse corpus S. Hieronymi, *sive illas corporis partes, quæ ad basilicam S. Mariæ Majoris fuerunt translatæ. Hoc ut probet, composuit Dissertationem, quam præ manibus habemus et allegamus. Occasio inventionis* E
fuit, quod Benedictus XIV gloriosæ memoriæ instaurare vellet altare primarium basilicæ S. Mariæ Majoris, eumque in finem altare vetus fuisset dejectum. Hac occasione, inquam, illustrissimi domini Petrus Philippus Strozzi et Antonius Sartoni, Canonici et Sacristæ majores S. Mariæ Majoris, cum aliquot sociis sibi adjunctis, adhibitisque operariis necessariis, diligenter investigarunt, quæ reliquiæ in dejecto altari aut in ejus confessione essent reconditæ. Quid reliquiarum inventum fuerit sub secunda altaris mensa, diligenter exponit Strozzius : sed illæ ad nos non spectant. Quid vero in confessione invenerit, ex ejus relatione italica huc transferam compendio latino.

Cum anno 1747 dejectum esset altare majus S. Mariæ Majoris,

1129 *Die 14 Novembris, inquit, nempe anni 1747, vesperi ingressi sumus confessionem, cujus pavimentum constabat ex integro lapide porphyretico. Amovendum erat istud pavimentum porphyreticum, eoque cum aliis amoto, post alia huc minus spectantia invenerunt thecam argenteam, et mox suspicati sunt, in ea servari reliquias.* Post brevem orationem, *inquit Strozzius,* sacra me indui stola, præsente illustrissimo domino Antonio Sartoni cum variis basilicæ ministris F
ecclesiasticis, fabricæ artificibus et notario ad acta conscribenda rogato. Cepi cum omni reverentia thecam istam, eamque portavi super modicam mensam, non longo inde intervallo positam. Constructa erat opere antiquo et rudi, forma ovata, longa uncias septem, larga uncias quatuor, alta uncias tres cum dimidia. Supra operculum erat quasi sigillum ex cera, quod comminutum est in manu circumstantibus, ut nulla in eo posset agnosci imago. Intus conspecta est plena ossium fragmentis, quæ mihi contrectanti videbantur similia massæ coctæ et molli : adeo erant humida.

die 14 Novembris in confessione inventa est theca argentea,

1130 Tam in prima illa recognitione, quæ noctu facta est ad lumen funalis, quam in secunda, quæ secuta est die 25 Novembris anni 1749, factaque est claro die, evacuavimus dicta fragmenta in vas argenteum : et minutatim examinata fuerunt, investigatumque, an inter ea non esset lamella quædam cum nomine Sancti. Pari cum diligentia intus et foris inspecta est arcula, ut scrutaremur,

reliquiis plena, quæ bis fuerunt recognitæ.

AUCTORE J. S.

A scrutaremur, an nullum haberet indicium. Diligentia illa nostra pro reliquis fuit frustranea : « Et solum *fuit* observatum (verba sunt instru- » menti, facti die supradicto 25 Novembris) » quam exiguum et male concinnatum esset clau- » strum operculi : unde cogitatum est, hanc ar- » culam aliis temporibus forte inclusam fuisse » thecæ majori, in qua facile fuerit proprium » Sancti nomen. Deinde pari cum diligentia con- » siderata fuerunt memorata ossium fragmenta, » et hæc inter cognita fuerunt ossa variorum mem- » brorum corporis humani, et optime distingue- » bantur aliquot dentes personæ adultæ, et di- » versa fragmenta cranii. » *Hæc ex instrumento recognitionis anni* 1749, *quod integrum recitat in Appendice. Addit, aliquos mox existimasse, illas esse reliquias S. Matthiæ apostoli : sed illam opinionem a se refutatam ex inventis cranii fragmentis, quæ nequeunt conciliari cum capite sancti Apostoli*, quod, *inquit*, habemus prorsus integrum, et quasi totum pelle propria coopertum. *Itaque ossa sine ulteriori conjectura de Sancto, cujus essent, thecæ suæ reddita fuerunt, et illata in armarium sacrarii Canonicorum, ibique ope duarum clavium sollicite interim conservata.*

B

Aliquot de illis reliquiis observationes,

1131 *Facta hac relatione, cui alias observationes non paucas præmisit Strozzius, ratiocinari incipit, et recte infert sequentia, primo ossa illa saltem esse Sancti adulti ; secundo Sancti adulti ex maxime illustribus eorum, quorum corpora habentur in basilica S. Mariæ Majoris, cum quod inventa sint in loco præ ceteris conspicuo, nempe in confessione ; tum quod sint in theca argentea, qui honor, ut affirmat, numquam habitus est ulli alteri Sancto in basilica S. Mariæ Majoris : tertio ossa inventa ex usitato loquendi modo* corpus *vocari posse, quandoquidem sint ossa variorum membrorum corporis humani. Modica quidem pro corpore humano videtur theca memorata : sed ea tam erat plena, sicut testatur Strozzius, ut difficulter omnia ossa in eam reponere potuerit ; nec ille contendit, omnia ossa corporis aut etiam pleraque ea theca contineri, sed pro more loquendi de reliquiis* corpus *recte dici. Hæc pars non patietur difficultatem, modo certum fieri possit, ossa illa esse* S. Hieronymi, *cujus ossa multis locis divisa habentur. Quarto observat, sub marmore porphyretico inventas esse dictas reliquias, sicut sub porphyretico lapide reliquias* S. Hieronymi *abscondisse dicitur Canonicus Cerasola. Hæc quasi prælusio est ad argumenta properantis.*

C

ex quibus insinuatur, eas esse S. Hieronymi.

1132 *Tum ex modo, quo corpus ibi depositum erat, inferre nititur, furtiva potius occultatione in eo loco positum fuisse, quam translatione honorifica. Nam primo corporis eo translati nulla habetur notitia. At, inquit, verisimile non fit, translatum fuisse a senioribus Canonicis corpus illustris cujuspiam Sancti tanta cum negligentia. Magna sane incuria est, quod appositum non fuerit nomen Sancti, quod thecam posuerint in loco male fabricato, quem ne scopis quidem prius emundarunt, ut colligit ex nummis et minutiis aliis ibidem inventis. Hæc omnia, inquam, supinæ damnanda viderentur negligentiæ, si corpus solemni translatione ad eum locum fuisset deportatum. At Strozzius conjicit, potius indicia esse furtivæ translationis aut occultationis. Nomen omitti potuit, ne agnosceretur et auferretur, si quandocumque inventum fuisset. Locus male concinnatus est, quod noctu et festinanter laborandum esset. Nummi inventi non sunt deferenda laminis abundantis, ut apud Strozzium conjicit nonnemo ex ejus amicis, qui furtivam et nocturnam translationem ex iis arguit.*

Aliud argumentum ad reliquias illas S. Hieronymo

1133 *Mox ad aliud argumentum pergit Strozzius Art. 5, niliturque probare, ossa illa inventa non posse credi ullius ex aliis Sanctis, quorum corpora haberi dicuntur in basilica S. Mariæ Majoris. Hunc in finem ex Catalogo Ms. reliquiarum istius ecclesiæ enumerat corpora Sanctorum, quæ in ea servari dicuntur, exordiens ab altari majori, sub quo inventæ sunt dictæ reliquiæ. In Catalogo autem sub majori altari quiescere dicuntur corpora S. Matthiæ apostoli, S. Epaphræ, discipuli S. Pauli, et sanctarum virginum Romulæ et Redemptæ. Non inquiram, quam certa sit illa traditio, quod corpora quatuor illorum Sanctorum sub dicto altari quiescant, cum id necesse non sit ad propositum nostrum. Solum recitabo argumentum Strozzii, qui contendit, corpora illa Sanctorum, quæ in confessione sive sub altari deposita fuerunt a Paschali I, numquam loco suo amota fuisse : thecam vero, quam ipse anno 1747 in confessione invenit, ibi positam fuisse circa annum* 1600. *Rationes, quibus numquam a loco suo amota credit corpora, quæ Paschalis I sub altari posuit, his verbis exprimit :* Nemo ea inde tollere potuit, quia istud altare numquam fuerat perlustratum, ut dixi. Itaque iidem Sancti ibidem perpetuo quiescunt, ut vult memoratus Catalogus, et habet traditio nostra : et consequenter nulli illorum Sanctorum tribui potest corpus anonymum. E

vindicandas : quod tamen non caret

1134 *Alterum, sive quod theca illa argentea, ibi posita fuerit circa annum* 1600, *hoc argumento probare intendit. Quando inventa est theca, cæmentarii, variis moti observationibus loculibus, censuerunt, loculum illum ex rudi muro constructum, in quo theca erat posita, eodem tempore constructum cum prospectu confessionis, quem anno* 1600 *instauravit Cardinalis Pinellus. Ita ratiocinatur illustrissimus vir, ut verum investiget, non ut lectores vel invitos ad suam pertrahat sententiam, si oppositam aliquam censuerint probabiliorem, aut omnia nimis incerta. Quare juvabit ad istud argumentum nonnulla annotare, ne eruditi credant, illud pro certo a me adoptari, aut minus critici existiment, isto argumento certum fieri, inventas reliquias non esse ullius e Sanctis, qui requieverunt in confessione sive in crypta altaris majoris. Itaque unice ad instructionem lectoris quæro primum, quam certum videri debeat illud judicium cæmentariorum, qui crediderunt, loculum eodem tempore constructum cum prospectu confessionis. Non videntur illud judicare potuisse ex ipso* F *opere loculi, de cujus ruditate conqueritur Strozzius. Quare forsan aberraverint ad tempus notabile. Secundo, si reliquiæ ibi fuerunt positæ anno* 1600, *certe ibi locatæ non sunt per canonicum Cerasolum, sed verisimiliter per Cardinalem Pinellum.*

variis difficultatibus,

1135 *Tertio, si Cardinalis Pinellus thecam argenteam ibi anno* 1600 *deposuit, reliquias illa alicubi invenire debuit. Præterea aut noverat, cujus essent reliquiæ, aut id prorsus ignorabat. Si noverat, reliquias esse* S. Hieronymi, *viri prudentis et pii erat illam notitiam iis communicare, qui illam poterant continuare et ad alios transmittere, donec thesaurus ille absconditus aliquando secure posset in apertum erumpere. Si ignorabat, cujus essent reliquiæ, illas non occultasset, nec tempore nocturno rudem loculum iis componendum curasset ; sed potius lustrandas curasset reliquias, et publica translatione, additaque facti notitia, ad locum bene paratum et exornatum curasset deportandas. Quapropter magis existimarerim, thecam illam ibi fuisse, antequam Cardinalis Pinellus anno* 1587

AUCTORE J. S.

factus est archipresbyter basilicæ S. Mariæ Majoris, aut, si reliquias S. Hieronymi *contineat, circa illud ipsum tempus, quo Pinellus factus est archipresbyter, ibi depositum fuisse. Res tota peragi potuisset anno* 1587 *ante diem* 15 *Octobris, quo dignitatem archipresbyteratus accepit Pinellus : nam si Cerasola* S. Hieronymi *reliquias revera occultavit, circa id tempus res contingere debuit. At probabile mihi non fit, Cardinalem Pinellum, qui a Sixto V promotus est, conscium fuisse illius facti, quod Sixto V summopere debebat displicere.*

et cui opponi possunt aliæ conjecturæ.

1136 *Præterea offerre se potest alia conjectura de inventis sine nomine reliquiis. Constat, Romam, cum et ante post tempora Paschalis, tum nominatim anno* 1527 *captam fuisse, et insolentia militari diu misereque direptam. Constat, in ea Urbis deprædatione reliquias multas suis ornamentis spoliatas, contemptimque abjectas fuisse ab hæreticis ; multasque similiter a Catholicis ablatas. Quis modo dicet, confessionem sive cryptam altaris S. Mariæ Majoris liberam fuisse ab illa direptione? Quid ergo impedimenti fuit, quo minus Sanctorum corpora, quæ sub altari deposita fuerant, tunc auferri potuerint, aut suis ornamentis spoliari et sic relinqui, imo et e thecis effundi et commisceri. Sacri-* B *lega sunt et horrenda, quæ dicimus. At similia facta minime dubitamus. Si quis igitur conjiceret, anonymas reliquias, quas in argentea theca invenit Strozzius, post deprædationem illic esse inventas, et in unam thecam collectas, eo quod non innotesceret, quorum ex Sanctis ibi servatis essent illæ reliquiæ; quo modo probari posset, conjecturam illam sua destitui probabilitate? Conjecturam tamen illam ut satis probabilem nolim obtrudere : neque enim mihi liquet, quantum mali in basilica S. Mariæ Majoris, et nominatim in illa ejus parte, aut furor hæreticorum aut avaritia Catholicorum militum patraverit. Illud unum dico, mihi non videri probatum certis argumentis, quod reliquiæ illæ nequeant esse ex illis, quæ a multis sæculis sub dicto altari requieverunt.*

Secunda pars ejusdem argumenti certa ;

1137 *Certius ostendit Strozzius, memoratas frequenter reliquias non esse ullum ex aliis corporibus Sanctorum basilicæ attributis. In Catalogo recensentur corpora SS. Simplicii, Faustini et Beatricis martyrum, quæ simul, inquit, requiescunt in capsa plumbea, in cujus operculo notata habentur nomina charactere antiquo. Eidem eccle-* C *sia tribuuntur in Catalogo duo corpora Sanctorum Innocentium. Hæc, inquit Strozzius, requiescunt in arcula marmorea sub mensa altaris S. Luciæ. Corpus S. Pii V eidem basilicæ asseritur in Catalogo. Ad illud, inquit, habetur in theca omnibus nota, quæ singulis annis videri potest in festivitate. Restat corpus S. Innocentii martyris, ad basilicam allatum post scriptum Catalogum. At illud quiescit et videri potest sub altari S. Catharinæ. Sic recensita sunt omnia corpora, quæ tribuuntur basilicæ S. Mariæ Majoris, præter corpus* S. Hieronymi, *quod a se inventum illa aliorum enumeratione contendit Strozzius. Verum, ut jam vidimus, probatio illa utcumque deficit pro corporibus, quæ olim deposita dicuntur sub altari majori, id est, in ipso loco, ubi reliquiæ sunt inventæ.*

et ad primæ partis difficultates utcumque respondetur.

1138 *Attamen ex qualicumque defectu unius argumenti nolim concludere, inventas reliquias non esse* S. Hieronymi, *si aliis argumentis id certum fieri potest aut saltem probabile. Ne hoc quidem dicam, illo argumento nihil probabilitatis accedere ad inventas reliquias* S. Hieronymo *vindicandas. Etsi enim non fiat plane certum, inventas reliquias nullius esse ex Sanctis, quos Paschalis I sub altari deposuisse dicitur : saltem probabilius* D *est, ea corpora numquam amota fuisse a loco, in quo erant a Paschali deposita : nam nullum reperitur monumentum de iis post tempora Paschalis umquam elevatis, lustratis aut translatis, ut eorumdem elevatio aut translatio, etiam de loco ad locum vicinum, aut in aliam thecam, nequeat probabiliter asseri. Et rursum probabile non est, corpora aut reliquias, quas Paschalis sub altari deposuit, locatas fuisse eo situ, quo anonymæ sunt inventæ, aut in theca argentea tam modica, quam sit ea, quæ reperta est. Cum enim cæmentarii judicaverint, loculum, in quo theca erat posita, constructum fuisse circa* 1600 ; *probabile non est, eos adeo aberrasse, ut opus constructum sæculo* 9, *quo floruit Paschalis, retulerint ad annum* 1600. *Itaque probabile non est, reliquias eo situ locatas a Paschali ; aut in theca argentea tam modica, et sine ulla notitia adjuncta, ut res ipsa loquitur. Quod vero spectat ad Urbis direptionem, quæ facta est anno* 1527, *nullum habemus documentum, quo probemus, aliquid in ea passam esse Confessionem S. Mariæ Majoris. Si quid vero passa esset, quod ulterius non inquiro; si et dispersæ ibidem fuissent Sanctorum reliquiæ, et in thecam illam argenteam* E *deinde relatæ; illius facti notitia videtur addenda fuisse memoratis reliquiis. Quare nec illa suspicio, quæ elucidationis gratia num.* 1136 *est proposita, satis videtur probabilis.*

§ LXX. Admodum verisimile et probabile est, reliquias sine nomine inventas esse S. Hieronymi.

Variis rationibus.

E*x datis hactenus inferre possumus primo, anonymas reliquias non esse certo ullius ex Sanctis aliis, qui requiescunt in basilica S. Mariæ Majoris, exceptis quatuor illis, quos Paschalis Papa posuisse dicitur sub altari principe. Secundo legitime inferemus, sine examine ullo illius opinionis, qua corpora SS. Matthiæ, Epaphræ, Romulæ et Redemptæ creduntur sub altare deposita per Paschalem, non esse probabile, anonymas reliquias esse ullum ex dictis corporibus. Quippe, sive illa* F *corpora fuerint aliquando in basilica S. Mariæ Majoris, sive numquam alias SS. Matthiæ et Epaphræ reliquias habuerit illa basilica, quam quas a corporibus separatas ciborio reliquiarum assignat Catalogus; saltem nulla habetur notitia de eorum corporibus inventis, aut elevatis aut ad alium locum translatis. Quare non est probabile, ullum ex quatuor dictis corporibus eo situ positum fuisse sæculo* 16 *aut* 17. *Atqui tamen ex judicio cæmentariorum quasi certum fit, alterutro sæculo ibi positas Anonymas reliquias; cum loculum censuerint compositum circa annum* 1600, *nec verisimile sit, eos ad integrum sæculum aberrasse. Restat modo examinandum, an corpus* S. Hieronymi, *quod unicum superest ex iis, quæ tribuuntur basilicæ S. Mariæ Majoris, ad illum locum transferri potuerit, et an probabile sit, eo translatum fuisse.*

quæ referuntur,

1140 *De corpore* S. Hieronymi *habemus, non inventum fuisse a Sixto V in loco, ubi quieverat, sive sub altari suo. Habemus ex relatione Confalonerii, clanculum fuisse delatum ad aliam ejusdem basilicæ locum et occultatum. Vel solæ hæ notitiæ*

A *notitiæ evincunt, poni potuisse eo loco, ubi inventæ sunt anonymæ reliquiæ. Videamus modo, an etiam fieri possit verisimile, eo revera transportatum fuisse. Strozzius in Dissertatione art. 3 refert, non modo bis quæsitum fuisse corpus* S. Hieronymi *in loco, in quo ex relatione Confalonerii a Cerasola depositum credebatur, sed quæsitum fuisse per totam quasi basilicam suis temporibus, dum Benedictus XIV basilicam S. Mariæ Majoris magnifice instauravit.* Hac occasione, *inquit*, perlustrata est omnis basilicæ structura, quæ exsistit a tempore Sixti V, exceptis unice structuris interioribus duorum sacellorum, nimirum Cæsiorum et Sfortiarum, quæ constructa erant paucis annis ante dictum pontificatum. Sed aliunde credibile non est, in his absconditum fuisse corpus ; præsertim cum novum tunc haberent pavimentum, in quo dolus nimis fuisset visibilis. *Affirmat, omnem structuram fuisse* de palmo ad palmum *perlustratam*, quia *inquit*, omnia basilicæ altaria Sixto V vetustiora fuerunt permutata. *Addit, omnia similiter per circuitum murorum et alibi visitata*, et demum omne solum pro-
B funde fuisse evisceratum. *Ex hac quasi totius basilicæ diligenti perlustratione concludit, nullam superesse spem inveniendi corpus* S. Hieronymi *in basilica S. Mariæ Majoris, si inventum non est.*

admodum probabile fit,

1141 *Ex his licet ita ratiocinari. Constat, corpus* S. Hieronymi *fuisse in basilica S. Mariæ Majoris : nec ullus umquam dixit, inde fuisse ablatum, nec id probabile est; cum et relatio Confalonerii de occultatione tali suspicioni contradicat, et hactenus nullus possessionem corporis* S. Hieronymi *ulteri loco vindicaverit. Itaque cum in dicta ecclesia inventum sit corpus, quod nequit probabiliter credi ullius alterius e Sanctis in basilica quiescentibus; cumque nullo alio basilicæ loco videatur latere posse corpus* S. Hieronymi; *duplici ratione cogimur existimare, inventas reliquias esse* S. Hieronymi; *primo, quod nequeant probabiliter alteri attribui; altera, quod verisimile non sit, corpus* S. Hieronymi *esse in tota basilica, nisi sit illud ipsum. Si quis primam rationem negaverit, fateri debebit, fuisse in basilica illa tam notabiles reliquias, ut* corpus *vocari possint, easque argentea theca reclusas, de quibus nec in Catalogo nec in ullo documento fit mentio : quod*
C *prorsus improbabile est, præsertim cum non a multis sæculis jacuerint eo situ, quo fuerunt inventæ, sed sæculo* 16 *aut* 17 *sic fuerint positæ. Si vero quis contendere voluerit, posse etiamnum corpus* S. Hieronymi *in quopiam basilicæ loco latere absconditum; numquam saltem locum illum monstrabit, et sic probabilia non dicet : et saltem idonea ratione numquam ostendet, cujus sint inventæ reliquiæ, et qua de causa sine nomine, et sine omni translationis aut depositionis notitia in confessione fuerint locatæ. At istud mysterium haud difficulter capimus, si reliquiæ sint* S. Hieronymi.

inventas reliquias.

1142 *Verum, inquiet aliquis, secundum relationem Confalonerii corpus* S. Hieronymi *a Cerasola non fuit positum in confessione; quo igitur modo ad confessionem pervenit, ibique inventum est? Hæc sane præcipua est ratio, quæ objici potest, sed non insuperabilis. Scripsit revera Confalonerius, corpus absconditum fuisse inter columnas porphyreticas et monumentum Nicolai IV, non in confessione, et sic narrasse Flaminium Cerasolam: addidit tamen, depositum fuisse* sub marmore porphyretico. *Varia probabiliter ad hanc objectionem responderi possunt, nihil certo. Primo Flaminius Cerasola, qui juvenis erat, quando ex patruo suo intellexit factum, quod post annos fere quinquaginta narravit, errare potuit in loco occultati corporis, quod patruus locum eidem minus distincte indicasset. Si forte patruus solum dixerit, sub lapide porphyretico corpus absconditum; quod juveni totam secretum nollet confidere; hic addere potuit conjecturam fallacem, et de alio lapide porphyretico rem sibi explicare, et post annos quinquaginta aliis narrare.*

esse S. Hieronymi,

1143 *Secundo, si corpus prima vice omnino fuit absconditum in loco designato, ut scripsit Confalonerius, nihil obstat, quo minus inde amoveri postea potuerit et ad confessionem deferri. Paulus de Angelis lib.* 5 *cap.* 9 *de illis sic breviter scribit :* Confessionem etiam sub ara maxima existentem Cardinalis Pinellus nostra memoria instauravit, egregie exornans, dum ibidem sibi sepulcrum pararet. *Hinc Strozzius et Blanchinius existimant, Cardinali Pinello secretum occultati corporis post mortem Sixti V communicatum fuisse,* E *eumque fuisse auctorem, ut corpus ad confessionem clanculum transferretur. Non caret sua verisimilitudine illa conjectura. Etenim si enim Cardinalis Pinellus verisimiliter noluisset, vivente Sixto V, cui dignitatem suam referebat acceptam, consentire in occultationem corporis, quæ Sixto vehementer displicitura erat; non æque videri debet improbabile, eum deinde curasse, ut idem corpus honorifico magis loco poneretur, et basilicæ, cujus erat archipresbyter, conservaretur. Forte etiam ab uno aut pluribus e canonicis secretum intellexerit sub ea conditione, ut ei integrum non esset istud mysterium revelare, et sic nihil facere ad Sancti gloriam utilius potuerit, quam curare, ut honorifico poneretur loco.*

et certè nulli Sancto tam probabiliter tribui possunt.

1144 *Hæc igitur conjectura præ ceteris apparere potest verisimilis, maxime si Cardinalis Pinellus pavimentum porphyreticum, sub quo reliquiæ sunt inventæ, in confessione construxit. Si vero jam antea porphyreticum erat confessionis pavimentum, de quo nihil certi invenio, potuerunt, reliquiæ ab aliquo e Canonicis, qui secreti erant conscii, e priore loco clanculum auferri et ad confessionem deportari, ne a Pinello inter fodiendum detegerentur; imo id forte factum fuerit ab ipso Canonico Cerasola ob rationes nobis ignotas, sive ante sive post mortem Sixti V, cui ultra annum supervixit. Verum, quocunque modo illæ reliquiæ* F *ad confessionem pervenerint, nulli Sancto æquæ probabiliter tribui poterunt, quam* S. Hieronymo. *Nam hujus reliquias novimus occultatas fuisse : ex occultatione autem intelligitur causa, cur nomen non sit appositum, et cur translationis notitia non sit de more adjecta. Qui enim consilio mirando magis quam laudando reliquias* S. Hieronymi *occultaverunt, ne basilica S. Mariæ Majoris iis privaretur, non solum earum inventionem valuerunt difficilem reddere, ut conjicere possumus, sed simul operam dederunt, ut, si quando diligenti investigatione fuissent inventæ, agnosci non possent. Ejusmodi conjecturæ ultro se offerunt de corpore* S. Hieronymi *ob occultationem : non vero de ullis aliis reliquiis, cum timor alias perdendi reliquias nullus fuerit. Quapropter si aliæ quæcumque fuissent inventæ, etiamsi et nomine caruissent et omni notitia; in depositione saltem inventionis et depositionis notitia fuisset adjecta.*

Multum probabilitatis illi sententiæ addit.

1145 *Ad verisimiles conjecturas, quas recensuimus, Strozzius et Blanchinius adjunxerunt traditionem, juratis testimoniis confirmatam, de modo, quo in basilica S. Mariæ Majoris quiescebat corpus* S. Hieronymi. *Ea autem traditio adeo consentanea*

AUCTORE J. S.

sentanea est inventis reliquiis anonymis, ut ea omnem tolli dubitationem existiment. Testimonium, prout a tredecim personis datum est, et italice scriptum, in Appendice recitat Strozzius; unde latine redditum huc transfero : Nos infra scripti fidem facimus plenam et indubitatam, etiam interposito juramento nostro, quod plurimis vicibus audiverimus personas, cum addictas sacrosanctæ basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris tum ab ea extraneas, quæ dicebant : « Corpus sancti Hieronymi, » doctoris Ecclesiæ, fuisse sepultum in supra » dicta sacrosancta basilica in theca argentea. » Totum hoc nos testes affirmamus, quia id sæpe dici audivimus, ut supra. In fidem horum fecimus præsens scriptum, manu nostra subscriptum in causa scientiæ. Hoc die 19 Novembris 1747.

traditio, testium juramento confirmata,

1146 Ego Alexander Pratesi, sacerdos, et beneficiatus Toletanus dictæ basilicæ, affirmo ut supra.

Ego Andreas Fidanza, clericus beneficiatus et sacrista dictæ basilicæ, affirmo ut supra.

Alexander Rossi, clericus dictæ basilicæ, affirmo ut supra.

B Franciscus Antonius Giovenali, sacerdos, affirmo ut supra manu propria.

Ego Cajetanus Longhi affirmo ut supra.

Ego Antonius Barbarossa, sacerdos, clericus beneficiatus, et sacrista secundarius dictæ basilicæ, confirmo, quantum est supra, manu propria.

Ego *Giacchino* Ferrarese, capellanus et confessarius, attestor, ut infra.

Ego Antonius Faccini, sacerdos, attestor ut infra.

Ego Horatius Berdini affirmo ut supra.

Ego Bernardinus Amici affirmo ut supra.

Ego Ausonius Olivieri confirmo ut supra.

Ego Philippus Onofrii confirmo, quantum est supra, quia id frequenter audivi, præsertim pluribus vicibus a D. Thoma Bianchini, olim beneficiato et sacrista dictæ basilicæ, qui obiit anno 1743, ætate annorum sexaginta et trium.

quòd S. Hieronymi corpus quiesceret

1147 Franciscus Berdini, sacerdos, capellanus supra dictæ sacrosanctæ basilicæ, attestor, quantum inferius est expressum, et ulterius, istud me audivisse a domino bonæ memoriæ C D. Dominico Corsi, beneficiato dictæ basilicæ, defuncto ætate annorum nonaginta unius anno 1730, uti etiam a bonæ memoriæ domino D. Thoma Bianchini, similiter beneficiato et sacrista dictæ basilicæ, anno 1743 defuncto ætate annorum sexaginta trium; et nominatim intellexisse me ex supra expressis sacerdotibus, quod dicta theca argentea, continens corpus S. Hieronymi, debeat esse collocata sub lapide quodam porthyretico; et præterea se scire, quod diversis temporibus factæ sint investigationes dicti corporis sub ejusmodi lapidibus porphyreticis : et quia id totum est verum, hoc pluribus verbis expressi. *Hactenus tredecim proborum virorum testimonium.*

in theca argentea, sicut inventæ sunt reliquiæ,

1148 *Jam vero quod spectat ad traditionem illam, quæ dicebat, corpus* S. Hieronymi *jacere sub lapide porphyretico, quæque a tribus tantum testibus ex tredecim illis confirmata est, facile illa oriri potuit ex relatione Confalonerii, ideoque ad argumenta jam data parum aut nihil momenti adderet, si non haberetur altera traditio de corpore theca argentea recluso. At hæc reliquis argumentis multum addit roboris ad reliquias theca argentea reclusas* S. Hieronymo *tribuendas. Sive enim hanc traditionem occultatione corporis vetustiorem credamus, sive recentiorem; difficulter intelligemus, aliunde oriri potuisse, quam ex ipsa rei veritate. Neque enim præterito seculo divinare quis poterat, nostris temporibus reperiendam thecam argenteam cum reliquiis, quas* S. Hieronymo *vellent attributas, ut hac de causa fingeret,* Hieronymi *corpus theca argentea contineri. Quapropter illa traditio exorta videtur, aut quia ante occultationem notum erat, Sancti corpus in theca argentea conservari, quod tunc facile sciri poterat; aut quia ii, qui post occultationem corporis thecam viderunt (ut vidit Canonicus Cerasola cum aliis nonnullis, et illi, qui postea thecam in confessione posuerunt, nisi forte ab ipso Cerasola ibidem fuit posita), aliis quibusdam indicaverunt, eam esse argenteam. Poterat ea notitia paucis secreto indicari, ut, si notitia loci, in quo corpus erat positum, per mortem eorum, qui noverant, aliquando excideret, eo saltem modo ad corporis cognitionem utcumque perveniretur. Quapropter illa traditio de theca argentea omnino insinuat, inventas reliquias esse* S. Hieronymi, *eaque vires accipit altero, qua dicebatur corpus esse sub lapide porphyretico.* D

maximè cùm in illa ecclesia aliæ reliquiæ careant thecis argenteis.

1149 *Strozzius, exponens hoc argumentum,* E *§ 72 observat, nullum ex corporibus Sanctorum, quæ requiescunt in basilica S. Mariæ Majoris, umquam requievisse in theca argentea, excepto corpore* S. Hieronymi. *Itaque tanto minor est apparentia, traditionem de corpore* S. Hieronymi *quiescente in theca argentea fuisse confictam. Nemo enim gratis finxisset, quod nullo probari poterat exemplo, quod contra consuetudinem erat illius ecclesiæ, quod nulla probabili conjectura verum existimare poterat. Porro fatetur Strozzius, aliqua sibi objecta fuisse contra illam traditionem, nimirum quod non videatur immemorabilis, nec ullibi habeatur scripta. At saltem juramento proborum virorum firmata est, eaque juramento constat, eam diu viguisse ante inventam thecam, de qua in ecclesia S. Mariæ Majoris servata nullus cogitabat, nullus quidquam noverat, nisi ex illa traditione. Saltem traditio dicebat, thecam argenteam cum reliquiis* S. Hieronymi *positam esse sub lapide porphyretico, prout inventa est. Non possumus dicere, audacem fabulatorem illa fingendo divinasse, nisi ipsi divinare velimus et fingere.*

Sententiæ de reliquiis S. Hieronymi inventis non obstat

1150 *Laudatus Strozzius § 65 affirmat, paucitatem ossium, quæ multum absunt ab integritate corporis humani, obstare apud multos, quo minus audeant reliquias istas* S. Hieronymo *tribuere, sed oppositæ prorsus se esse sententiæ, et meo quidem judicio rectissime. Ad hoc propositum solerter observat, corpus* S. Hieronymi *mansisse in Terra sancta omni eo tempore, quo ad illam confluebant ex tota fere Europa principes plurimi, et cum iis episcopi, abbates, aliique ecclesiastici primæ notæ, ut minime dubitandum sit, quin reliquias sancti Doctoris, cujus nomen ubique erat celeberrimum, et plurimi desideraverint et multi obtinuerint. Itaque, etiamsi gratis existimare velimus, corpus* S. Hieronymi *indivisum mansisse usque ad annum 1099, quo a Christianis capta est Hierosolyma, illiusque rex creatus Godefridus Bullionius: non poterimus merito dubitare, quin ab eo tempore Sancti reliquiæ cœperint multis communicari, pluraque ossa per annos centum et quinquaginta, quibus, ut minimum, deinde in Terra sancta manserunt, in Europam delata sint, et nonnulla aliis quoque ecclesiis Orientalibus donata.*

1151 *Recitat revera Strozzius in Appendice donationem reliquiarum, quæ a Godefrido Bullionio*

AUCTORE J. S.

A *tionio ante fuerant acceptæ, et non paucas recenset aliis locis conservatas. Hisce alias plures adjungam, in variis provinciis* S. Hieronymo *attributas. Tanta erit hæc enumeratio, quæ dabitur* § 72, *ut necesse sit dicere, majorem partem corporis* S. Hieronymi *per varias ecclesias, urbes et provicias divisam esse. Igitur quod reliquiæ anonymæ solum minorem corporis partem constituere valeant id ipsum favet opinioni Strozzii, qui inventas reliquias credit eam esse corporis* S. Hieronymi *partem, quæ simul mansit, et corporis nomen retinuit; ut contigit de multis aliis Sanctis.*

paucitas ossium inventorum, sed potius favet.

§ LXXI. Respondetur ad objectionem ex reliquiis Nepesinis : reliquiæ, quæ verisimiliter sunt S. Hieronymi sub mensa principis altaris depositæ.

B

Contradictam opinionem objicitur, caput Sancti.

Refert *illustrissimus Strozzius* § 67, *se una cum illustrissimo collega suo, D. Antonio Sartoni, die* 25 *Novembris anni* 1747 *admissum fuisse ad summum Pontificem Benedictum XIV, ut eidem de inventis reliquiis rationem redderet, et inter alia Pontifici ab eo tempore suam insinuasse opinionem, quod crederet, eas esse* S. Hieronymi, *et aliquas addidisse rationes.* At sanctissimus Dominus, *inquit,* pro summa prudentia sua, suspendens qualecumque judicium, per modum discursus objecit, ecclesiam cathedralem Nepesinam sibi attribuere caput sancti Doctoris : illiusque dedit relationem Ms., non ita pridem sibi missam ab illustrissimo domino Vivani, memoratæ civitatis episcopo. *Hæc fortasse fuit præcipua ratio, ob quam Benedictus XIV, gloriosæ memoriæ Pontifex, lecta Blanchinii Dissertatione, non satis probatum credidit, reliquias illas esse* S. Hieronymi. *In ea certe opinione erat anno* 1753, *ut ex ore ejus audivimus, quando nobiscum ea de re generatim egit, sed particulares rationes non produxit. Utrum Strozzii Dissertationem, circa* C *id tempus nobis communicatam, similiter legerit et expenderit laudatus Pontifex, non intelleximus. At certe numquam declaravit, inventas reliquias pro corpore* S. Hieronymi *habendas.*

in civitate Nepesina servari.

1153 *Quod modo spectat ad notitias Nepesinas, illas multis rationibus suspectas facit illustrissimus Strozzius, et mihi quoque non videntur bene cohærere, aut saltem nequaquam obstare, quominus reliquias inventas credamus* S. Hieronymi. *Italice habent apud Strozzium, prout totas latine reddo :* Ex vetusta traditione habetur, quod post deprædationem Romæ, factam anno 1727 a Carolo Borbonio, duce exercitus Caroli V, cum ob mortem ducis istius prædictus exercitus esset dissipatus, et milites cum spoliis reverterentur, conjunxerint se Arminius, Antonius et Pancratius Greca, fratres germani Nepesini, constiterintque apud pontem Passarella in hoc territorio (*Nepesino,*) per quod tunc transibat via Romana, ut militibus insidiarentur : idque eos consecutos, ut multos spoliarent et privarent præda, quam secum portabant : inter alia autem, quæ invenerunt, fuisse sacrum caput S. Hieronymi; et hoc postea a supra dictis fratribus greca donatum fuisse ecclesiæ cathedrali, factumque fuisse donationis instrumentum in communitate. Hæc traditio etiam nunc confirmatur a posteris dictæ familiæ, quod illam a Majoribus suis audiverint; et inter illos a D. Josepho Vallerani, qui descendit ex femina dictæ familiæ cognomine greca. *Sic omnia ex traditione.*

At traditio Nepesinorum vacillat,

1154 *At in illa traditione non pauci sunt errores, qui tamen parum ad rem faciunt, ideoque breviter tantum memorandi. Roma non fuit direpta per ipsum Carolum Borbonium, cum in ejus oppugnatione sit occisus; nec ob ejus mortem exercitus dissipatus est, cum diu in Urbe manserit; nec omnino videtur dissipatus fuisse, licet multum pestilentia diminutus, demum Urbe exiverit. Fieri tamen potuit, quod asseritur, ut memorati fratres, postquam exercitus territorium Nepesinum transiverat, ex sequentibus et palantibus aliquos interceperint, spoliis suis exuerint, et caput alicujus Sancti eisdem eripuerint. Verum, si id tantipser verum et certum credere velimus, unde noverant Nepesini, istud caput esse* S. Hieronymi? *Si aderant idonea indicia aut testimonia, cur ea non sunt annotata, aut modo non proferuntur?* E *Si donatio, facta ecclesiæ cathedrali, publico instrumento fuit roborata, cur ipsum instrumentum non profertur, et ad solam traditionem recurritur? Qualis porro est illa traditio? Non laudantur pro ea Canonici cathedrales, non ecclesiastici seniores; sed unica familia nobilis, quæ narrat majorum suorum gloriosa facinora, et nihil proferre potest præter famam ex progenitoribus intellectam. Quam hæc sint infirma ad fidem faciendam, quilibet vel mediocriter in crisi versatus facile videbit.*

et maxime, si de integro capite intelligenda est :

1155 *Si modo ad Urbem respiciamus, magis fiet incredibile, istud caput esse* S. Hieronymi, *præsertim si integrum sit, ut videtur existimare Strozzius. Nulla enim habentur documenta, ex quibus constat, caput* S. Hieronymi *seorsum a corpore servatum fuisse aut in basilica S. Mariæ Majoris aut in ulla alia Urbis. De corpore meminerunt multi scriptores sæculi* 14 *et* 15, *interque eos Romani aliquot Pontifices, de capite seorsum posito altum ubique silentium. Præterea in recensione reliquiarum, quæ in variis servantur orbis provinciis, multas inveniemus capitis partes, et nonnullas tam notabiles, ut nequeant consistere cum integro capite alibi servata. At integrum esse* F *caput, quod Nepesini pro capite* S. Hieronymi *honorant, in ipsorum relatione non invenio.* Caput *revera nominant, sed ex eo non colligitur, integrum esse caput, aut etiam totum cranium. Nam et paucas capitis reliquias, quæ Cluniaci habentur, videbimus, ibidem vocari* Caput S. Hieronymi Cardinalis: *et talis loquendi modus tam usitatus est, ut ex eo nihil colligi valeat pro integritate corporis aut membri, quod nominatur. Quare ex relatione episcopi Nepesini, quam recitat Strozzius, colligere nequeo, integrum ibi caput haberi. si autem integrum non sit, nequit obesse, quominus Anonymæ reliquiæ censeantur esse* S. Hieronymi.

nam probabiles aliunde habent rationes

1156 *Quod ad confirmationem sequitur in notitiis Nepesinis, valet ad nonnullas* S. Hieronymi *reliquias dictæ ecclesiæ probabiliter attribuendas, non item pro integro capite, aut maiori capitis parte, neque ad roborandam traditionem modo examinatam. Nam producunt Nepesini litteras jussu Gregorii XIII scriptas ad Alexium Stradella, episcopum Nepesinum, ad petendas ex ecclesia Nepe-*

AUCTORE J. S.

pesina S. Hieronymi *reliquias pro consecratione sacelli Gregoriani. Epistola italice scripta est ab æditno Pontificio, datque 28 Aprilis anni* 1580. *Totam latine redditam recitabo. Post inscriptiones ordinarias foris et intus, ita habet Epistola:* Sanctissimus Dominus noster desiderat, ut consecratio altaris sacelli sui Gregoriani fiat cum reliquiis quatuor Doctorum, qui in eo expressi sunt opere musivo. Cum autem unus ex illis sit S. Hieronymus, cujus reliquiæ (ut credebatur) non sunt ullæ inventæ in basilica S. Mariæ Majoris extra locum, in quo sanctum illud corpus quiescit, dominus cubiculo pontificio præfectus jussu Sanctissimi Domini mihi præcepit, ut scribam ad reverendissimam dominationem vestram, ut mihi ex particularibus istis reliquiis, quas habet in ecclesia sua Nepesina, tantam mittat partem, quantam novit sufficere et congruam esse ad usum supra dictum: et quanto id fiet citius, tanto melius. Ego illam offeram nomine reverendissimæ dominationis vestræ, quam oro sua mihi mandata scribat, et cui omnia fausta precor. Romæ die 28 Aprilis 1580. Dominationis vestræ reverendissimæ servus. Frater Augustinus ædituus Domini nostri.

B

ad aliquas S. Hieronymi reliquias sibi vindicandas.

1157 *Post hanc Epistolam addunt notitiæ, consequenter die* 1 *Maii ejusdem anni ab illustrissimo episcopo, præsente capitulo, in ecclesia cathedrali* apertum fuisse caput argenteum, quo reclusæ sunt sacræ illæ reliquiæ. Et ex quo, *inquiunt*, extracta fuit particula ossis menti partis dexteræ in postremo. *Addit, hanc particulam debitis testimoniis fuisse munitum, ut Romam mitteretur ad reverendissimum Pontificis æditunm, et horum omnia Acta scripta ab Ænea Sansoni, notario Nepesino, eademque una cum recitata Epistola etiamnum servari in tabulario Nepesino. Hactenus laudatæ notitiæ. Per has autem mihi abunde probatum videtur, nonnullas* S. Hieronymi *reliquias servari in ecclesia Nepesina. Neque enim eas petiisset Gregorius XIII, nisi legitimis testimoniis firmatas et veras credidisset. At ex illis perspicere nequeo, integrum ibi caput haberi. Nam per Epistolam petitur aliquid* ex particularibus istis reliquiis, *sine mentione integri capitis, quod verisimiter ejusmodi verbis non fuisset designatum. Rursum in extractione siletur de capite integro,*

C

sed capite argenteo reclusæ dicuntur sacræ illæ reliquiæ, *quod dici vere poterat, etsi decima tantum aut vigesima capitis pars fuisset in capite argentea. Ipsa extractio sic refertur, ut nulla fiat divisionis mentio, et particulæ potius conjunctu jacuisse videantur, quam per integritatem capitis connexæ fuisse. Quapropter difficulter credere potero, integrum caput esse apud Nepesinos, nisi legitima fiat inspectio reliquiarum, quæ argenteo capite continentur, et post inspectionem de capitis integritate debitis constet testimoniis.*

Reliquiæ Nepesinæ nequeunt obstare, quominus Romanæ sint Hieronymi.

1158 *At quocumque demum modo illas reliquias consideremus, non video, cur magnopere nos impedire possint aut debeant, quominus existimemus, inventas in theca argentea reliquias probabilius esse* S. Hieronymi. *Nam, quanto magis ad integritatem capitis accedent reliquiæ Nepesinæ, tanto minus fiet probabile, eas esse* S. Hieronymi; *et sic illæ potius habendæ erunt pro capite alterius Sancti, quam reliquiæ Romanæ, pro quibus* Hieronymo *tribuendis gravissimæ militant rationes. Si vero apud Nepesinos salum aliquot sint partes capitis, etiamsi certissime constaret, eas esse* S. Hieronymi *Ecclesiæ doctoris, illæ ne vel minimum obstare poterunt veritati reliquiarum Romanarum, inter quas solum tres aut quatuor partes cranii, eæque minutæ dicuntur inventæ. Alias objectiones contra memoratas reliquias non invenio, quas relatu dignas censeo; nec ullam novimus ecclesiam, quæ contra basilicam S. Mariæ Majoris possessionem corporis* S. Hieronymi *vindicare sibi voluit. Attamen nihil certi statuere de memoratis reliquiis nostrum esse credo, cum eas* Hieronymi *esse non declaraverit Benedictus XIV, sub cujus pontificatu inventæ sunt. Solum breviter allegavi rationes, quas pro iis* S. Hieronymo *vindicandis uberius deduxit illustrissimus Strozzius. Hujus eximiæ eruditioni relim studiosus lector adscribat, quidquid argumentorum pro iis reliquiis* S. Hieronymo *vindicandis produxi. Nihil fere ex his meum est præter ordinem, quem brevitatis studio subinde mutavi, et electionem rationum, quas ex pluribus selegi, et meis verbis proposui.*

D

Recognitæ iterum anno 1749 illæ reliquiæ,

1159 *Nunc breviter addam ex eadem Dissertatione, quo translatæ fuerint memoratæ reliquiæ. Anno 1749, die 25 Novembris, iterum recognitæ sunt, additaque scheda membranea, ut habetur ex instrumento Bernardini Monti notarii tunc scripto, in quo verba schedæ inscripta sic exprimuntur:* Hæ sacræ reliquiæ fuerunt recognitæ die 25 Novembris 1749 per illustrissimum et reverendissimum dominum Giampe, episcopum Philippopolitanum, et illustrissimos et reverendissimos dominos Petrum Philippum Strozzi, Antonium Sartoni, et Franciscum Ascevolinum, canonicos sacrosanctæ basilicæ sanctæ Mariæ Majoris, ut ex instrumento hujusmodi in Actis Monti notarii *etc. Subscripserunt omnes hoc modo:*

E

Bernardinus Monti notarius in fidem,
Joannes Baptista Giampe, Philippopolitanus episcopus, recognovi.
Petrus Philippus Strozzi recognovi.
Antonius Sartoni recognovi.
Franciscus Ascevolini recognovi.

Facta hac recognitione, illustrissimi Canonici similiter recognoverunt alias reliquias in diruto altari et ejus confessione antea inventas, non aperta tamen theca, in qua erant corpora SS. Simplicii, Faustini et Beatricis martyrum, sicut uberius refertur in eodem instrumento. At nec de his martyribus, nec de aliis reliquiis modo agimus.

et depositæ sub mensa majoris altaris, recenter instaurati,

1160 *Perfecta omnium recognitione, sacræ reliquiæ ad novum altare, a Benedicto XIV magnifice exstructum, portatæ fuerunt humeris trium laudatorum Canonicorum, quibus accessit quartus frequenter jam laudatus Blanchinius, Romani Oratorii presbyter, quem et reliquiarum recognitioni adesse voluerunt. Illustrissimus vero episcopus habitu pontificali sequebatur processionem, orationesque dicebat, et cæremonias in similibus usitatas peragebat. De loco, ubi theca argentea deposita est, ita breviter Strozzius* § 80 : Die 25 Novembris anni 1749 translata est memorata theca argentea, continens corpus anonymum, quod idem est, acsi diceretur, corpus sancti Doctoris, sub mensa novi altaris principis, magnis sumptibus exstructi, in elegantissimam urnam porphyraticam, in qua huc usque requievit fundator basilicæ nostræ una cum consorte sua. *Addit, corpora sanctorum martyrum Simplicii, Faustini et Beatricis in eadem urna fuisse condita, nempe, ut legitur in Actis, harum theca plumbea in media urna fuit posita, et supra thecam plumbeam argentea cum reliquiis anonymis; et altera cum aliis. Demum, omnibus ibi depositis, lapicidæ, cum in finem parati, ipsam ol-*

AUCTORE J. S.

A altaris mensam coram Canonicis suo loco inseruerunt, eaque urnam porphyreticam clauserunt.

quod sequenti anno consecravit Benedictus XIV in festo S. Hieronymi

1161 *Sequenti anno* 1750 *Benedictus XIV novum istud altare in ipsa festivitate* S. Hieronymi *consecravit, et in brevi diplomate, quo ea de causa indulgentias populo concessit in die consecrationis et ejus anniversario, meminit de reliquiis in eodem altari depositis. Partem diplomatis, sicut illud in Appendice recitavit Strozzius, huc transfero :* Die 30 Septembris, festo S. Hieronymi confessoris et Ecclesiæ doctoris, anno jubilæi 750, ego Benedictus XIV, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, Liberiana hac basilica, quam a Sixto III dedicatam temporis injuria deturpaverat, nova porticu ac fronte, pavimento emblematis vermiculato, picturis selectisque marmoribus et anaglyphis auro illitis, in augustiorem formam redacta, altare Papale, a S. Paschali erectum et consecratum, ac successive a Clemente III, novo superapposito lapide, pariter consecratum, penitus dirutum, et magnificentius erectum, apposita porphyretica urna, in B qua condita sunt corpora sanctorum martyrum Simplicii, Faustini et Beatricis, una cum argentea capsula cum ossibus unius humani corporis, sed sine nomine, prout reperta ibidem fuerat, solemni ritu in honorem beatæ Virginis Mariæ consecravi, habita prius homilia coram Cardinalibus, episcopis, basilicæ clero, magnaque populi multitudine, et in eo reliquias sanctorum Stephani protomartyris et Laurentii martyris inclusi etc. *Addit indulgentias, quas pro illo die concessit, et pro anniversario consecrationis die. Illud unum ad allegatum diploma observo, noluisse quidem Benedictum declarare, anonymas reliquias esse* S. Hieronymi, *elegisse tamen pro consecratione altaris festivitatem illius sancti Doctoris, et sic utcumque suspicionem suam de illis reliquiis insinuasse.*

§ LXXII. Reliquiæ Sancti in pluribus civitatibus Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Belgii, et aliis provinciis.

Alias quoque S. Hieronymi reliquias habet Roma,

Quandoquidem *jam diu disputavimus de reliquiis, quæ probabilius* S. Hieronymi *sunt ; sed quæ minorem dumtaxat corporis partem constituere possunt, lubet hoc loco et alias investigare particulas : in qua quidem perquisitione adjutorem rursum habebo illustrissimum Strozzium, qui non paucas nobis assignat. Exordiar ab Urbe, in qua versamur. Piazza in Ephemeridibus Vaticanis ad* 30 *Septembris assignat in basilica Vaticana altari beatissimæ Virginis* partem menti S. Hieronymi, *quam ibi positam asserit a Gregorio XIII. De particula illa menti ad Gregorium missa ab episcopo Nepesino actum est num.* 1157. *Idem Piazza in Ephemeridibus Urbis ad* 30 *Septembris plures addit particulas. Verba Italica reddo Latina :* Ejus reliquiæ sunt, *inquit* in ecclesia S. Cæciliæ pars tibiæ ejusdem Sancti ; in ecclesia S. Marci de cingulo ejus. In ecclesia Jesu dicata exponitur ejus brachium. *Aliquid etiam reliquiarum tribuit magnifico altari* S. Hieronymi *in basilica Vaticana. Rursum basilicæ S. Mariæ Majoris, una cum catalogo reliquiarum ejusdem ecclesiæ, adscribit* planetam, stolam, et manipulum, quibuscum S. Hieronymus celebrabat in sacello sancti præsepis in Bethleem. *Sic ecclesiæ S. Anastasiæ tribuit calicem, quo usus dicitur* S. Hieronymus. *Ad eumdem diem in Menologio aliquid reliquiarum* S. Hieronymi *etiam adscribit ecclesiæ S. Sabinæ. Plurimas ecclesias, in quibus Sancti festivitas cum indulgentiis et singulari solemnitate celebratur, ibidem inveniet studiosus lector.*

Florentia admodum notabiles,

1163. *Transimus Florentiam cum Strozzio, qui servatas in patria sua* S. Hieronymi *reliquias diligentissime perquisivit. Cosmus Minorbetti, archidiaconus Florentinus et episcopus Cortonensis, præterito sæculo italice scripsit Relationem de reliquiis ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ, quod Opusculum anno* 1685 *Bononiæ impressum cura Francisci Cionacci, qui et plurimas addidit observationes. De reliquiis autem* S. Hieronymi *pag.* 30 *hæc italice leguntur, quæ reddo latine :* In maxima reliquiarum theca ex argento habentur maxilla et brachium integrum S. Hieronymi. *Testatur Strozzius* § 66, *has reliquias sibi Florentiæ ostensas fuisse non diu ante, quam scriberet Dissertationem suam. Thecam ait revera esse maximam, tantoque argenti pondere constantem, ut sibi vires non essent sufficientes ad eam elevandum ab altari, cui imposita fuerat, ut eam commode lustraret. Composita est anno* 1487 *pia munificentia Jacobi Mantinelli, Canonici Florentini, ut innotescit ex verbis thecæ insculptis. Prima inscriptio hæc est :* Brachium ac maxilla D. Hieronymi presbit. *Sequitur inferius illa :* Jacobus Mantinellus canon. Floren. aurea ossa hoc argento excepit 1487. *Subdit Strozzius :* In parte superiori thecæ habetur brachium, sive os brachii integrum : in parte inferiori cernitur mentum prorsus integrum, conjunctum cum suis maxillis similiter integris, in quarum una habentur duo postremi dentes. E

obtentæ et Frederico Claromontensi.

1164 *Exponit etiam Strozzius ex instrumento Florentiæ conservato, quo modo ecclesia Florentina reliquias illas acceperit.* Has, *inquit,* sancti Doctoris reliquias una cum aliis multis dictæ ecclesiæ metropolitanæ donavit dominus Federicus Claromontensis abbas de Berreto (*forte* de Berceto *prope Parmam*) Ordinis S. Benedicti, qui anno 1439 Florentiæ erat in concilio œcumenico, et ad donandas illas motus fuit inspiratione divina, *ut ex instrumento habetur,* et insigni fama ecclesiæ Florentinæ. *Addit solemni stipulatione peractum fuisse donationem in hospitio Eugenii IV, et Pontificem in eamdem consensisse,* post probatam, *inquit,* veritatem reliquiarum per documenta authentica, *quæ etiamnum Florentiæ conservata, et a se visa testatur. Quin et in Appendice ex illis recitat litteras trium Cardinalium, qui illas reliquias anno* 1220 *dederunt Federico Claromontensi, uni ex progenitoribus dicti abbatis. Litteræ illæ, aut instrumentum notarii, ut forte rectius vocabuntur, etiam habentur apud Ughellum tom I Italiæ sacræ in episcopis Tusculanis col.* 232 *editionis Venetæ. Subdit Ughellus et alias Litteras, datas anno* 1412, *ex quibus intelligitur, plurimos reliquias, quæ in priori documento enumerantur, mansisse usque ad illud tempus in nobili familia Claromontensi, eoque anno datas fuisse Federico Claromontensi, cum consensu Gregorii Papæ XII, ut* ipse D. Federicus valeat retinere, tradere, ponere et assignare, uti vult, et ubi vult, de licentia præfati sanctissimi D. Papæ. *In his autem Litteris vocatur* Federicus de Claromonte,... abbas monasterii S. Annæ de Josaphat, Thessalonicensis diœcesis, Ordinis S. Benedicti. *Memorat Ughellus et* F

alias

AUCTORE J. S.

alias litteras pro dictarum reliquiarum corroboratione, datas anno 1417 in concilio Constantiensi.

et olim donatas a rege Hierosolymitano,

1165 Verumtamen ex priori instrumento anni 1220 oritur difficultas propter nominum corruptionem. Nam in eo hæc sunt verba: Quas (reliquias) nos recepimus a bona memoria magnifico principe et domino, D. Goofredo Baldduy rege Ihrlm, ut apparet per privilegia dicti domini regis magna ac autentica, que cum oculis vestris vidistis et legistis. Ait Strozzius, recitasse se hoc instrumentum, quia menda non pauca in Ughelli editionem irrupserunt. Quæri primum potest, quis sit ille rex Hierosolymitanus, a quo datæ dicuntur reliquiæ. Godefridum Bullonium explicat Strozzius, sed simul exhibet varietatem lectionis. Nam pro Baldduy Minorbettus legit Balduino, Ughellus
B Balandinii, ipse Strozzius Baladini. Omnia hæc multum differunt a Bullonio aut Bouillon, aut etiam ab omnibus modis, quibus Godefridi cognomen illis temporibus scriptum inveni: nec inveni, ipsum Godefridum Bullouii cognomen umquam nomini suo adscripsisse, idque minus fecisset, postquam Bullonii ducatum vendiderat. Præterea difficultatem etiam habent hæc verba, quas nos recepimus a Godefrido rege. Nam ab annis centum et viginti mortuus erat Godefridus Bullonius, quando sic loquebantur Cardinales. Verumtamen hæc difficultas facile tollitur, si dicamus cum Minorbetto et Strozzio, dictas reliquias fuisse donatas Romanæ Ecclesiæ, aut ecclesiis illorum Cardinalium.

cujus nomen utcumque corruptum est.

1166 Quod vero spectat ad textum, ille certo corruptus est; ideoque ambiguum est, quomodo in litteris Hierosolymitanis fuerit scriptum, et utrum Godefridus primus ex Latinis Hierosolymorum rex, an frater ejus Balduinus, an alius ex regibus, qui quinque fuerunt Balduini, reliquiarum istarum fuerit donator. Cardinales, qui noverant Godefridum regem, ob ducatum Bullonii a variis Bullonium vocari, id nomen forte suggesserunt notario, et hic pro sua imperitia (ut non raro contingit in notariis) nomen luxaverit, aut id fecerint, qui instrumentum postea transcripserunt. Si vero Balduinus primus reliquias istas dederit, fuerit scriptum Godefridi fratre (aut successore)
C Balduiuo, vel quid simile. Verum non refert, Godefridusne an Balduinus reliquias istas primum ad Romanos miserit, quandoquidem posterioribus testimoniis eorum veritas satis confirmata videatur ob iis, qui priora viderant. Ceterum pro aliis quoque reliquiis Florentiæ servatis Strozzius laudat Diarium sacrum Zamboni, quod mihi ad manum non est, et in quo ait aliquid illarum tribui ecclesiis S. Georgii, S. Mariæ Novellæ, et Congregationis S. Nicolai.

Aliquæ in variis Italiæ civitatibus.

1167 Masinus in Bononia perlustrata ad 30 Septembris tribus illius urbis ecclesiis reliquiarum aliquid S. Hieronymi attribuit, videlicet ecclesiæ S. Burbotiani eremitarum S. Hieronymi, S. Stephani et S. Joannis in Monte. Carisius in Diario sacro Mediolanensis ecclesiæ ad 30 Septembris assignat reliquias Sancti duabus ecclesiis ejusdem nomini dicatis. Prima est in urbe versus portam Vercellinam, eratque eius tempore monachorum Jesuatorum: quibus deinde exstinctis, modo est Societatis Jesu. Paulus Morigi in Sanctuario Mediolanensi de reliquiis illius S. Hieronymi ecclesiæ agit cap. 4, pag. 120, eique tribuit medium crus et digitum S. Hieronymi. Altera est monachorum Hieronymianorum prope Mediolanum extra portam Ticinensem in Castellazzo: et huic Carisius
D adscribit pollicem S. Hieronymi. Consentit Morigius pag. 213 de pollice Sancti ibidem servato, subjungens tamen: De quo (pollice) nonnihil ex ungue abstulit felicis memoriæ Papa Gregorius XIV Sfondratus, quando erat episcopus Cremonensis. Redeo ad Strozzium: Bergomi, inquit, in veneratione est tibia sancti Doctoris, quæ eo translata fuit ex regno Cypri. Hoc sacrum pignus ab aliquo scriptore per synecdochen vocatur, Corpus S. Hieronymi. In ecclesia Tiburtina Societatis Jesu honoratur insigne frustum ossis ejusdem Sancti, quod accepit ab ecclesia cathedrali illius civitatis. Inter reliquias ecclesiæ metropolitanæ Cusentinæ, que recensentur apud Ughellum tom. IX Italiæ facræ col. 232, numeratur tibia B. Hieronymi.

Non sunt Aurelianis.

1168 Ex Italia transeo in vicinam Galliam, quæ etiam nonnullas S. Hieronymi reliquias venerntur. At primum non satis capio, quid sibi velit, quod scribit Franciscus Le Maire in Historia Aurelianensi cap. 40, pag. 201 de theca S. Hieronymi. Enumerat ibi multas reliquiarum thecos, quæ Aurelianis olim circumferebantur in supplicatione, interque illas thecam S. Hieronymi, quam a duobus portatam fuisse ait. Ex en autem E facile suspicori quis poterit, partem corporis S. Hieronymi, out notabiles ejus reliquias olim Aurelianis fuisse aut in ejus civitotis diœcesi. Verumtamen de reliquiis apud Aurelianenses nihil dicit laudatus Le Maire. Carolus Sausseyus in Annolibus ecclesiæ Aurelianensis recenset Corpora Sanctorum in ecclesia Aurelianensi, et per diœcesis varia loco olim conservata: sed tocet S. Hieronymum. Quare non existimo, corpus aut notabiles S. Hieronymi doctoris reliquias fuisse Aurelianis. An forte corpus aut aliæ reliquiæ S. Hieronymi Nivernensis episcopi od supplicationem Aurelianensem deferrentur, exominari poterit ad 5 Octobris, quo ille colitur.

sed Cluniaci insignes sunt

1169 De reliquiis sancti Doctoris in Gallia honoratis Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad hunc diem sic habet: Cluniaci veneratio sacratissimi capitis sancti Hieronymi, doctoris Ecclesiæ maximi. Cujus et nonnullæ exuviæ pretiosæ Tolosæ summa in veneratione habentur, tam in collegio Fuxensi, quod beatissimum Confessorem agnoscit tutelarem, quam in cella sancti Ludovici, Ordinis sancti Benedicti. De capite F S. Hieronymi cum aliis reliquiis Cluniaci viso meminit Papebrochius noster in Itinerario, sive in Reditu Roma in Belgium pag. 237. Strozzius an. 1751 diligenter investigandum curavit, quantæ sint reliquiæ illæ Cluniacenses, et in Appendice sua recitat litteras ea de re acceptas cum gemino instrumento. Primum est Inventarium reliquiorum Cluniacensium, quod scriptum est anno Domini millesimo trecentesimo quarto; et in eo cum aliis reliquiis numeratur Caput sancti Iheronimi in vase eburneo. Erat ergo ibidem ab anno 1304 sacrum illud pignus; sed in litteris dicitur, non constare de tempore aut modo, quo Cluniacum pervenit. Potuerunt illæ reliquiæ ex Palæstina sæculo 12 aut 13 in Galliam et Cluniacum deferri; sed id certo scire non possumus. Inscriptionem hanc habent: Caput sancti Hieronymi Cardinalis. Titulus Cardinalis, qui medio ævo datus est S. Hieronymo, satis ostendit, reliquias fuisse creditas S. Hieronymi ecclesiæ doctoris, ut recurrendum non videatur ad S. Hieronymum Nivernensem supra memoratum, cui illum titulum nullus umquam dederit.

1170 Alterum instrumentum Strozzio missum, est

AUCTORE J. S.

A *est testimonium medici et chirurgi abbatiæ Cluniacensis, qui sacra illa capitis ossa lustrarunt anno* 1751, *die* 11 *Decembris. Testantur illi, sub titulo nimis generico* capitis *tantum tria haberi ossa cranii, videlicet* coronam *sive* os coronale, *ut loquuntur anatomici, os frontis indicantes, et* duo ossa parietalia, *suturis suis* naturalibus conjuncta. *Ipsa verba ex gallicis latina facio :* Hoc assertum caput, *inquiunt*, titulo nimis extenso capitis S. Hieronymi memoratum, nobis non obtulit, nisi tria cranii ossa, coronale et duo parietalia, unita et connexa futuris suis naturalibus, coronali et sagittali. Primum ex his ossibus est omnino integrum. Parietale dexterum in parte sua posteriore, ubi connectitur cum occipitali, securi abscissum est. Hujus operationis violentia parietale sinistrum modice contractum est in eadem parte, qua abscissum est dexterum. Angulus anterior ejusdem parietalis (*dexteri*) in parte inferiori laceratus est, idem vero integer conspicitur in parietali sinistro. Aliunde tria hæc ossa absolute sana, et nulla carie sunt infestata. *Addunt, hanc ossium a carie immunitatem tanto majori consideratione dignam, quod multa ossa* B *sacra cariei non restiterint. Ex dictis habemus, mediam fere cranii partem haberi apud Cluniacenses, nimirum totum os frontis, alterum os laterale cranii totum, alterum nonnihil mutilatum ; non haberi vero occiput, nec tempora, reliquasque partes, quæ integrum cranium constituunt.*

cranii partes,

aliæ particulæ in Gallia.

1171 *Porro ex relata sectione unius cranii partis conjiciunt Cluniacenses, reliquias Tolosæ conservatas forsan a majoribus suis dictæ urbi fuisse communicatas. Verum id esse potest, sed incertum est, quandoquidem Tolosani suas quoque ex Terra sancta facile potuerint accipere. Lutetiæ Parisiorum exponuntur reliquiæ* S. Hieronymi *in ecclesia Religiosorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis,* quas unum ex Sancti pollicibus esse affirmant, *ait Bailletus in* S. Hieronymo. *Apud nos tom. III Februarii in Actis S. Angilberti, abbatis Centulensis, pag.* 102 *et seq. habetur ampla relatio de reliquiis in abbatia Centulensi servatis et a S. Angilberto collectis, et inter Confessores, quorum ibi reliquiæ habebantur, numeratur* S. Hieronymus. *Quare in abbatia Centulensi videntur Sancti reliquiæ fuisse ante corporis translationem in Occidentem : neque id mirandum, cum Carolus* C *Magnus cum S. Angilberto laboraverit ad colligendas multas reliquias, et ibidem num.* 12. *S. Angilbertus asserat,* de Constantinopoli vel Hierosolymis per legatos illuc *a Carolo Magno* directos, *aliquas quoque impetratas et ad monasterium suum* delatas. *Hæc sufficiant de servatis in Gallia.*

Insignes aliquot particulæ in Belgio,

1172 *Habet et Belgium nostrum ex reliquiis* S. Hieronymi *partes notabiles, quæ eo verisimiliter venerunt ex Palæstina per redeuntes ab expeditionibus crucesignatorum. Eas tantum enumerabo, quas recensuit Rayssius in Hierogazophylocio Belgico variis locis. Mechliniensibus pag.* 367 *tribuit* brachium S. Hieronymi, Ecclesiæ doctoris præstantissimi : *Tornacensibus in ecclesia cathedrali S. Mariæ pag.* 314, sancti Hieronymi, eximii Ecclesiæ doctoris, duo ossa, magnum et parvum : *Duacensibus in abbatia Bellopratensi, Ordinis Cisterciensis, pag.* 95, Os etiam magnum S. Hieronymi presbyteri et Ecclesiæ doctoris. *In thesauro reliquiarum, quem possident* Bronchurgenses velatæ virgines nobiles Ordinis S. Benedicti (*in extrema parte Flandriæ ad Occidentem est oppidum, vulgo* Borborg *dictum*) *pag* 128 *numerat* ,De reliquiis S. Hieronymi, magni Ecclesiæ doctoris ; et de ejus sepulcro. *Thesauro Cartusiæ Rutilensis pag.* 472 *accenset* os magnum S. Hieronymi, doctoris Ecclesiæ præstantissimi. *Particulam* S. Hieronymi *pag.* 470 *adscribit Cameracensi abbatiæ sancti Sepulcri, Ordinis S. Benedicti; et pag.* 463 *ecclesiæ collegiatæ S Salvatoris Brugis* de sancto Jeronymo *ex litteris episcopi Brugensis. Erunt fortasse et plures in aliis Belgii ecclesiis, cum omnium sacra deposita non recensuerit Rayssius; sed id nobis quoque non est propositum.*

aliæ in Germania.

1173 *Non paucæ* S. Hieronymi *reliquiæ venerationi sunt in variis Germaniæ ecclesiis, Pessina in Phosphoro Pragensi ad* 30 *Septembris inter reliquias Pragenses de* S. Hieronymo *dat sequentia :* S. Hieronymi, Ecclesiæ doctoris, digitus et pars de vestimento, per quem allata? non constat, Item aliud insigne frustum. *Plures Coloniæ Agrippinæ attribuit Gelenius in Opere suo, sed plerasque minus notabiles. Ecclesiæ S. Panthaleonis, abbatiæ Ordinis Benedictini, pag.* 372 *tribuit aliquid* de spina dorsi S. Hieronymi ; *et Cartusiæ Coloniensi pag.* 456 de costa S. Hieronymi presbyteri. *Nonnihil vero generatim* S. Hieronymi *reliquiarum recenset pag.* 264 *in Collegiata S. Gereonis, ubi pag.* 266 *addit aliquid* de sepulchro B. Hieronymi; *pag.* 276 *in Collegiata S. Severini ; pag.* 289 *in Collegiata S. Cuniberti ; pag.* 292 *in Collegiata S. Andreæ ; pag.* 310 *in Collegiata B. Mariæ Virginis ad Gradus; et p.* 586 *in monasterio B. Mariæ Virginis in Bethlehem, virginum tertiæ Regulæ S. Francisci. Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod post Menologium dedit, ad* 30 *Septembris aliqua de* S. Hieronymo *præmittit, et de ejus apud Benedictinos reliquis subjungit :* Servantur in diversis cœnobiis aliquot partes, maxime in Monte S. Georgii, (*Tirolis cœnobio,*) et Andechs (*Bavariæ.*) *Addit, caput Cluniaci et os magnum Belloprati servari, ut jam dictum. Apud Browerum et Masenium in Annalibus Trevirensibus ad annum* 853 *num.* 114 *recitantur litteræ Lotharii imperatoris de reliquiis Prumiensi cœnobio, Ordinis S. Benedicti in diœcesi Trevirensi, datis, quibus annumerat imperator* pedem S. Hieronymi presbyteri. *Hæc de Germania.* E

Caput S. Hieronymi, quod habetur in Hispania,

1174 *In Hispania habentur etiam reliquiæ* S. Hieronymi, *an hodierni Doctoris, non æque certum. At forte non admittent Itali sacrum ibidem haberi caput, et quidem integrum. Recitabo* F *tamen, quod de eo capite in scriptis ante me habeo. Nam Pinius noster, dum erat in Hispania, anno* 1722, *mense Februario, ex Lipsanologio Ms. regalis monasterii S. Laurentii Escorialensis exscripsit spectantia ad illas reliquias, quæ cum aliis multis anno* 1593 *acceptæ sunt Coloniæ, et in Hispaniam transportatæ. In illo fol.* 83 *hispanice leguntur, quæ reddo latine :* Caput integrum beati Hieronymi D. (*doctoris, volunt, opinor*) opertum serico villoso coloris aurei, *aliisque decoratum ornamentis, quæ mitto. Adest et titulus aureis litteris in membrana scriptus. Exscripsit Pinius et integrum testimonium, quo Magistra et moniales monasterii B. Mariæ Magdalenæ, vulgo* ad Albas Dominas dicti, *Ordinis S. Augustini, testantur,* se unanimi consensu ac deliberata voluntate, reverendo in Christo patri, F. Baltasaro Delgado, Philippi II invictissimi potentissimique Hispaniarum Indiarumque etc. regis Catholici commissario, dono dedisse, (prævio tamen episcopi ordinarii loci indulto) duo sacra capita nominata, videlicet S. Hieronymi, et S. Margaretæ

AUCTORE J. S.

garetæ ducissæ ; item undecim capita ex sodalitio S. Ursulæ, quorum nomina ignorantur.

acceptum est Coloniæ cum tali testimonio,

1175 *Mox indicant, a quo quidem illos reliquias olim acceperint, nimirum ab archiepiscopo Coloniensi,* Henrico Molenach, *qui moniales illas, ut ante ex monumentis suis referunt, in illud monasterium induxerat.* Henricus De Molenark *vocatur a Dionysio Sammarthano tom. III Galliæ Christianæ col.* 690, *ejusque archiepiscopatus ibidem extenditur ab anno* 1225 *usque ad* 1237, *ut reliquias illas accipere debuerint moniales intra annos jam dictos, quibus* S. Hieronymi *doctoris corpus probabilius erat in Palæstina. Redeo ad testimonium :* Quæ quidem capita a præfato episcopo inter alias reliquias accepimus : et priora duo in summo altari, reliqua in certis ecclesiæ nostræ locis (ex quibus dictus reverendus pater eadem ipsemet extraxit) pia hactenus religione asservavimus et veneratæ sumus. *Prima ratio donationis dicitur pietas illius, qui petierat. Altera sic exponitur :* Habita non minima etiam ratione horum patriæ nostræ motuum, quibus pretiosissimo huic ecclesiæ thesauro, a profligatæ pietatis hominibus, (*discipulis nimirum Lutheri et*
B *Calvini*) metuendum est, et in plerisque nostræ patriæ locis præstantissimas illas opes nefando quodam furore et sacrilegis manibus a male seriatis et plusquam diabolicis hominibus direptas et turpiter abjectas (heu dolor !) conspeximus. Confidimus igitur sacra hæc capita hac via a nefariorum hominum manibus et petulantia non modo magis fore tuta, et quodammodo etiam vindicata ; verum etiam reverendæ ejus paternitatis pio fervori, aliisque compluribus piis mentibus non mediocrem pietatis accessionem factura.

ut non liqueat, an sit hodierni Doctoris,

1176 *Subscriptæ leguntur ex monialibus, quæ et initio nominantur,* Maria Van Haizfelt *Magistra, et aliæ quinque.* Tum Guilielmus Comans ab Horst, canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Gereonis Coloniensis. F. Guilielmus Tielanus Dominicanus Coloniensis. Georgius Braun ad Gradus B. Mariæ Coloniensis decanus, commissarius Apostolicus. De mandato reverendissimi Cyrenensis episcopi ad majorem fidem F. Guilielmus Badding secretarius. De mandato reverendissimi domini Braunii commissarii Apostolici Rolandus Weierstras not. pub. *Testimonium* datum in dicto monasterio anno Domini 1593,
C 5 Septembris. *Itaque de his reliquiis in Hispaniam transportatis, nullum est dubium. At non æque certum est, caput illud esse* S. Hieronymi *Ecclesiæ doctoris. Nam in Testimonio monialium, quæ sacrum istud caput possederunt, unice dicitur* S. Hieronymi *sine titulo* presbyteri *aut* Ecclesiæ doctoris, *aut aliis adjunctis, ex quibus colligi valeat, magnum* Hieronymum *indicari. Magis urget hæc ratio, quia S. Margaritam titulo* ducissæ *ab aliis distinguere voluerunt moniales, et ad* S. Hieronymum, *cujus facillima erat distinctio, suis titulis indicandum nihil addiderunt. Interim video,* Hieronymum *aliquem apud Crombachium annumerari martyribus S. Ursulæ sociis. An hujus forte caput in Hispaniam translatum fuerit, ad 21 Octobris examinari poterit.*

quodæque dubium de aliis reliquiis in ditione Coloniensi acceptis,

1177 *Ceterum laudatus pater Balthasar Delgado sequente die 6 Septembris alias quoque Coloniæ accepit reliquias ex abbatia monialium diœcesis Coloniensis, quæ sita erat inter Coloniam et Marcodurum, et vulgo dicebatur* Koninxdorff: *sed moniales metu hæreticorum ad urbem fugerant. Visus illius nominis etiamnum invenitur in*
tabulis geographicis in ditione Coloniensi prope D
confinia Juliacensis ditionis, sed sine indicio abbatiæ, ut hanc aut destructam aut alio translatam suspicer. Anno 1583, *quo datæ reliquiæ, erant* Anna de Berg, cognominata Trips, abbatissa, Margaretha ab Hocchtstede priorissa. *Inter reliquias autem donatas, quæ in Hispaniam delatæ sunt, numeratur os* S. Hieronymi, *sed nullo titulo distincti, licet omnes alii Sancti, quorum reliquiæ tunc donatæ, distincte admodum titulis suis a synonymis distinguantur. In amplissimo indice reliquiarum, quæ Ulyssiponem delatæ fuerunt, prout apud nos datus est tom. II Januarii pag.* 612, *reperiuntur etiam reliquiæ* S. Hieronymi.

Aliæ Sancti aliis locis reliquiæ.

1178 *Bedrcuvichius in Vita* S. Hieronymi *cap. 27 ita scribit :* Habetur quoque ejusdem sancti Doctoris authenticis Romanis scripturis comprobata reliquiarum particula in nostro Stridone, ejusdem sancti Viri patria, in ecclesia eidem dicata, curæque Patrum Ordinis sancti Pauli (*primi Eremitæ*) per piæ memoriæ Leopoldum I imperatorem perpetua stabilitate concredita : quæ tamen non nisi ossea est. *Osseam dicit particulam, quia quærit, an corpus manserit incorruptum. At ea quæstio minime est necessaria. De loco* E
autem consuli possunt dicta a nobis § 3. *Demum Bollandus noster de reliquiis* S. Hieronymi *schedam nobis reliquit manu sua scriptam, quam recitabo, etiamsi assertum istud aliunde nequeam confirmare :* In insula Samo, *inquit*, adhuc visitur lingua S. Hieronymi incorrupta. Testatur D. Emmanuel Pimentel, comes Feriæ, se ibi vidisse, et laborasse marchionem de Santarem, ut sibi daretur. *Hæc de Sancti reliquiis æquo lectori sufficiant.*

§ LXXIII. Cultus S. Hieronymi : festivitates eius et Officia.

Festivitas Sancti a sæculo saltem 10 indicata,

Nomen S. Hieronymi *in omnibus Fastis Latinis celebrari, dictum est* § 64, *ubi et plerorumque martyrologorum vetustorum verba recitavi. Ex illis liquet, festivitatem Sancti ab antiquis temporibus peractam fuisse in aliquibus saltem ecclesiis. In primis Sacramentorum codicibus, prout impressi sunt, necdum habetur festivitas* S. Hieronymi *ad 30 Septembris. Attamen Hugo Menar-* F
dus in Annotatis ad librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 181 *de secundo Kalendas Octobris, in sua editione vacuo, post festum S. Michaelis ita scribit :* Porro in excusis, et in codice Ratoldi sequitur : II KAL OCTOB. NATALE S. HIERONYMI ; sed diversæ sunt orationes, quæ in codice Ratoldi sunt ejusmodi. « Sancti tui Hieronymi » nos, Domine, quæsumus, interventio gloriosa » commendet. » Super oblata : « Suscipe, Domine, propitius orationem nostram » etc. Præfatio : « Et tuam misericordiam deprecari, ut » mentibus nostris B. Hieronymi, presbyteri » repetita solemnitate spiritualis lætitiæ tribuat » jugiter suavitatem etc. » Ubi hæc verba, REPETITA SOLEMNITATE, subindicant, olim in Ecclesia fuisse duplicem S. Hieronymi solemnitatem ; etsi in hoc Ratoldi codice sit unica dumtaxat. Ad complendum : « Votiva, Domine, B. Hieronymi dona percepimus » etc.

et olim nomen alicubi in canone Missæ.

1180. *Allegata verba omnino evincunt, admodum vetustam esse in Romana Ecclesia* S. Hieronymi *festivitatem, et a sæculo* 10, *quo codex*

Ratoldi

Ratoldi scriptus est, saltem celebrari solitam. At ex verbis repetita solemnitate non ausim inferre, geminam fuisse quotannis festivitatem S. Hieronymi, *cum intelligi possint de annua repetitione. In canone Missæ, prout editus est a Menardo pag.* 2, *post Apostolos et martyres recensentur etiam aliquot confessores, interque eos* S. Hieronymus *hoc modo*: Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ *etc.* Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, et omnium Sanctorum *etc.' In Annotatis pag.* 15 *recitat confessores in codice Remensi additos, ibique recensitis accedit* Remigius. *At in Ratoldi codice nec Augustinus reperitur nec* Hieronymus, *et in hodierno canone Romano nullus omnino confessor.*

Sanctus, ut plerique Apostoli, olim cultus Officio semiduplici,

1181 *Guilielmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib.* 7, *cap.* 1 *agit de festivitatibus eorumque diversitate. Ubi autem enumeraverat festa duplicia majora et minora, accedit ad semiduplicia, quæ sic recensere incipit:* Et sunt hæc semiduplicia fes ta Sanctorum, Andreæ, Nicolai, Luciæ, Thomæ apostoli, Innocentium, ... Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Philippi et Jacobi *etc. Mitto reliqua brevitatis causa, solumque moneo, in eodem ordine tunc fuisse omnes Apostolos, exceptis Petro, Paulo et Joanne, ut eodem ritu celebraretur* S. Hieronymi *et illorum solemnitas. At ignoramus, a quo tempore id fuerit inchoatum. Deinde Bonifacius VIII Festa Apostolorum, Evangelistarum et quatuor Ecclesiæ Doctorum elevavit ad ritum duplicem per bullam, quæ pro majori parte inserta est Sexto Decretalium lib.* 3, *tit.* 22, *cap.* 1. *De doctoribus autem ita loquitur:* Egregios quoque ipsius doctores Ecclesiæ, beatos Gregorium, qui meritis inclytus Sedis Apostolicæ curam gessit, Augustinum et Ambrosium, venerandos antistites; ac Hieronymum sacerdotii præditum titulo, eximios confessores, summis attollere vocibus, laudibus personare præcipuis, et specialibus (*Deus*) disponit honoribus venerari. Horum quippe doctorum perlucida et salutaria documenta prædictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, et moribus informarunt. Per ipsos præterea quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in domo Domini positas (errorum tenebris profugatis) totius corpus Ecclesiæ tanquam sydus irradiat matutinum. Eorum etiam fœcunda facundia, cælestis irrigui gratia influente, Scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat. Profundis quoque ac decoris illorum sermonibus ampla ipsius Ecclesiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, et verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat.....

deinde cum iisdem et aliis doctoribus ritu duplici.

1182 Nos itaque piis ducti consiliis, dignisque studiis excitati, nonnullos prædecessores nostros Romanorum Pontificum (qui specialis devotionis prosequentes affectum, aliquorum festa Sanctorum sub duplici ordinaverunt Officio celebranda, imitari sollicite intendentes, eorumdem Apostolorum, Evangelistarum, et Confessorum (*doctorum ante dictorum*) festivitates præcipuas (de fratrum nostrorum consilio et assensu) sub Officio duplici per universas orbis ecclesias volumus, statuimus et præcipimus annis singulis perpetuis futuris temporibus solenniter celebrari. *Tota bulla videri potest apud Odoricum Raynaldum ad annum* 1295 *num.* 55, *ubi data legitur* Anagniæ 12 Kal. Octob., pontificatus *Bonifacii* anno 1, *id est, anno æræ Christianæ* 1295. *Manserunt hactenus festa quatuor Doctorum sub eodem ritu, sed festa Apostolorum et Evangelistarum ad ritum ultiorem elevata sunt. In Litaniis majoribus cum aliis tribus doctoribus* S. Hieronymus *similiter invocatur. Non lubet commemorare diversa Officia, quæ in honorem Sancti composita sunt, et nominatim prætermitto unum, quod diverso admodum carminum genere concinnatum in Mss. habeo; sed nescio, an umquam in usum fuerit inductum.*

Lectiones hodierni Officii, cum nonnulla ordinis perturbatione,

1183. *Officium, quo nunc utitur Ecclesia Romana, Sancti gestu præcipua complectitur, sed ordine nonnihil perturbato. In oratione* S. Hieronymum *merito vocat.* In exponendis sacris Scripturis doctorem maximum. *Lectio quarta sic habet :* Hieronymus, Eusebii filius, Stridone in Dalmatia Constantio imperatore natus, Romæ adolescens est baptizatus, et in liberalibus disciplinis a Donato et aliis viris doctissimis eruditus. Tum discendi studio Galliam peragravit; ubi pios aliquot et in divinis Litteris eruditos viros coluit, multosque sacros libros sua manu descripsit. Mox se in Græciam conferens, philosophia et eloquentia instructus, summopere theologorum consuetudine floruit : in primis vero Gregorio Nazianzeno Constantinopoli operam dedit : quo doctore se sacras Litteras didicisse profitetur. Tum religionis causa visit Christi Domini incunabula, totamque lustravit Palæstinam : quam peregrinationem, adhibitis Hebræorum eruditissimis, ad sacræ Scripturæ intelligentiam sibi multum profuisse testatur. *Nonnulla hic dicuntur, quæ serius contigerunt: nec philosophia eloquentia instructus est in Græcia, ut allegata verba intelligi possunt, sed Romæ. Serius autem audivit Nazianzenum, nimirum post vitam solitariam in Syria, et multo etiam serius Palæstinam peragravit, videlicet postquam aliquot annis sub Damaso Papa Romæ habitaverat.*

Sancti gesta exponentes.

1184 *Quinta lectio ita pergit :* Deinde secessit in vastam Syriæ solitudinem : ubi quadriennium in lectionem divinorum librorum, cælestisque beatitudinis contemplatione consumpsit, assidua se abstinentia, via lacrymarum, et corporis afflictatione discrucians. Presbyter a Paulino episcopo Antiochiæ factus, Romam de controversiis quorumdam episcoporum cum Paulino et Epiphanio ad Damasum Pontificem profectus, ejus ecclesiasticis epistolis scribendis adjutor fuit. Verum cum pristinæ solitudinis desiderio teneretur, in Palæstinam reversus (*aut potius primam profectus*) Bethlehem ad Christi Domini præsepe in monasterio, quod a Paula Romana exstructum erat, cælestem quamdam vitæ rationem instituit : et quamquam varie morbis doloribusque tentaretur, tamen corporis incommodata piis laboribus, et perpetua lectione ac scriptione superabat. *Lectio sexta :* Tamquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum divinæ Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur. Illum Damasus Pontifex (*dum erat Romæ*) illum sanctus Augustinus de locis Scripturæ difficillimis sæpe consuluit, propter ejus singularem doctrinam, et linguæ non solum latinæ et græcæ, sed hebraicæ etiam et chaldaicæ intelligentiam : et quod omnes pæne scriptores, ejusdem Augustini testimonio legerat. Hæreticos acerrimis scriptis exagitavit : piorum et Catholicorum patrocinium semper suscepit. Vetus Testamentum ex Hebræo convertit : Novum jussu Damasi græcæ fidei reddidit ; magna etiam ex parte explicavit. Multa præterea latine reddidit scri-

AUCTORE J. S.

scripta doctorum virorum : et ipse aliis proprii ingenii monumentis Christianam disciplinam illustravit. Qui ad summam senectutem perveniens, sanctitate et doctrina illustris, Honorio imperatore migravit in cælum. Cujus corpus ad Bethlehem sepultum, postea Romam in basilicam sanctæ Mariæ ad Præsepe translatum est.

Lectio olim usitata,

1185 *Aliæ lectiones de* S. Hieronymo *usitatæ fuerunt sæculo* 15, *ut intelligo ex Breviario Romano, quod impressum est Venetiis anno* 1479. *Aliæ rursum erant anno* 1518, *sed fere tantum ex prioribus contractæ. In iis recitantur sex lectiones de Vita* S. Hieronymi, *cujus verba frequenter allegantur. In Breviario, quod novum sub Paulo III composuit Cardinalis Franciscus Quignonius, licet Officium sit duplex, unica tantum de gestis Sancti reperitur lectio, sed ea prolixior et optimo ordine disposita. Lubet totam erudito lectori communicare :* Hieronymus Constantino imperatore, anno ab orbe redempto 331, in oppido Stridone (quod est in Pannoniæ Dalmatiæque confinio) Christianis parentibus ortus, puer admodum Romam missus est, liberalibus studiis erudiendus. Ubi Donato in grammaticis

B præceptore, et (ut quidam volunt) Victorino in rhetoricis usus, græcas ac latinas litteras felicissime didicit. Cum autem ætate processisset, Aristotelicam, Platonicam, Stoicam, ac cæterorum omnium philosophiam attigit. Galliam deinde discendi gratia perlustravit. Unde Romam reversus est, atque inde in Syriam profectus. Qua itidem magna ex parte discendi studio peragrata, in vastam eremum, quæ Syros ab Agarenis disterminat, secessit. *Hæc omnia videntur certa, exceptis pauculis. Nam incertum, an ex Gallia Romam redierit, quod verum tamen esse potest. At certe non Roma, sed Aquileia discessit in Syriam. Redeamus ad eremum Sancti.*

quæ recto ordine passim procedit,

1186 Ubi quatuor annos, ab hominum frequentia semotus, cum solo Deo librisque suis commercium habens, adolescentiæ lapsus lacrymarum imbre diluebat ; et contractas per ætatis incogitantiam sordes laborum asperitate detergebat. Inedia denique ac vigiliis, et incredibili austeritate, rebellantem carnem et subinde repullulantem ætatis lasciviam coercens, corpus spiritui servire docebat. Visebatur tamen in ea solitudine nonnumquam ab amicis, et vicinos monachos ipse invisebat. Hebraici sermonis difficultatem indefesso labore pervicit : cujus non solum

C intelligentiam, sed et peculiarem sonum ac vernaculum stridorem est assequutus : usus ad eam rem doctissimis Hebræorum, quos ingenti mercede conducebat, marsupium exhauriens, ut pectus eruditione locupletaret. Nec his contentus, Chaldaicam item linguam est agressus, quam tamen hactenus modo sequutus est, ut intelligere posset verius, quam sonare. Gregorium Nazianzenum præceptorem suum ipse appellat, et hoc interpretante se sacras didicisse Litteras testatur. Verum ubinam audierit hominem, aut quanto tempore, non satis constat. Cum igitur ingenti jam doctrina et sanctitate clarus haberetur, Romam revocatus, presbyter factus est. *Hic modicum perturbationis. Neque enim Romæ presbyter factus est, sed Antiochiæ post habitationem in eremo. Antiochia vero profectus est Constantinopolim, ibique audivit Nazianzenum biennio aut fere triennio. Tum Romam profectus est.*

1187 Ubi cum probatissimæ vitæ exemplo mores hominum castigaret, in primisque clericorum crimina constanter argueret, non ferens ipsorum invidiam, ex Urbe iterum profectus, Syriam repetiit : et Bethlehem juxta præsepe, quod infantem Christum exceperat, venturæ senectuti sedem delegit. Ubi cum piis doctisque viris in monasterio, quod Paula matrona sancta condiderat, sanctissimam vitam multis egit annis. Libros complures scripsit. Vetus Testamentum ex Hebræo, Novum ex Græco in latinum sermonem convertit. Multa præterea Græcorum Opera latinitate donavit. Tandem vitæ cursu sanctissime peracto, multis miraculis clarus in eodem oppido Bethlehem migravit ad Dominum pridie Calend. Octobris, anni Christi nati 422, suæ vero ætatis nonagesimo primo. *Signatus hic mortis annus ex Joanne Andrea forte erit desumptus : sed Baronius, aliique passim ipsum secuti, substituerunt annum* 420. *Ego magis credo, anno* 419 *defunctum esse Sanctum. Hæ lectiones habentur in Breviariis anni* 1536, 1542 *et* 1557, *quæ habemus impressa, et haud dubie in reliquis editionibus, usque ad reformatum ex decreto concilii Tridentini a S. Pio V Breviarium. In hoc eadem fere sunt lectiones, ac in hodierno.* D

id paucis tamen corrigendo est.

Festum translationis, olim 9 Maii celebratum,

1188 *Quamquam translatio* S. Hieronymi *in Martyrologio Romano annuntietur ad* 9 *Maii, hujusce tamen translationis festivitas non videtur umquam celebrata fuisse a tota Ecclesia. At certe* E *illo ipsa die olim peracta fuit in basilica sanctæ Mariæ Majoris, et ibidem modo celebratur in Vigilia Ascensionis Domini. Nam in Officiis propriis basilicæ S. Mariæ Majoris, anno* 1636 *impressis, inter festa Maii sic legitur :* In Vigilia Ascensionis. Translatio sancti Hieronymi, presbyteri confessoris, et Ecclesiæ doctoris duplex (eis corpus in hac basilica requiescit). Omnia ut in die in Breviario Romano. *Certum tamen est, Translationem prius peractam fuisse die* 9 *Maii, qua et indulgentias accedentibus ad aram* S. Hieronymi *in basilica S. Mariæ Majoris concessit Pius Papa II per bullam, apud Paulum de Angelis impressam.*

nunc peragitur in vigilia Ascensionis Domini.

1189 *Idem Pius alia bulla, ibidem lib.* 6, *cap.* 4 *impressa, festivitatem transtulit ad diem etiam nunc usitatum, ita ordiens :* Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Multas Sanctorum celebritates extra natalitios dies sancta Romana Ecclesia colendas instituit, ut eorum memoriam, vel tempore opportuniore, veneratione ampliore recoleret. Qua nos etiam occasione permoti solemnitatem translationis beatissimi Hieronymi sacerdotis doctorisque præcipui, quæ olim septimo Idus Maii servabatur, in F Vigiliam Ascensionis Dominicæ, qua major populi frequentia ad Sanctorum sacraria ex finitimis Urbis locis confluere dignoscitur, agendam [et] celebrandam, Apostolica auctoritate statuimus. *Addit indulgentias ibidem eo die lucrandus.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1464, Kalendis Junii, pontificatus nostri anno sexto. *Hæc sufficiant de festivitatibus et Officiis : neque enim necesse est recensere ecclesias, in quibus aut propter reliquias, aut ob patrocinium, solemnitate quadam singulari festivitas Sancti peragitur.*

---

§ LXXIV.

§ LXXIV. Ecclesiæ aliquot Sancto in Italia sæculo XIV dicatæ: miracula patrata Troiæ in Apulia.

Ecclesia vetusta Sancti in diœcesi Tergestina.

J*oannes Andreas Hieronymianum suum edidit posterioribus vitæ suæ annis, sive inter* 1342 *et* 1348, *quo obiit : de Superantio enim episcopo Cerviensi, cujus obitus ab Ughello figitur anno* 1342, *tamquam de defuncto meminit verbis inferius dandis, multisque aliis locis insinuat, non scripsisse se juvenem, nec sub initium sæculi* 14. *Laudatus autem Joannes Andreas miræ in* S. Hieronymum *ferebatur pietatis affectu, cumque suo exemplo conatus est aliis instillare. Hinc statim initio Operis sui conqueritur, Italiam defecisse in cultu Sancti, aitque, se* ultra quinque lustra *in ecclesias* S. Hieronymo *dicatas inquisivisse, et non alias invenisse in Italia, nisi unam Troiæ in Apulia, et duas in Tuscia. Meminit tamen ibidem etiam de ecclesia alia, quam in patria Sancti structam fuisse existimat. De hac fol.* 20 *ita loquitur :* Et propter principium Legendæ præmitto. quod locus, quo sepulti sunt parentes Hieronymi, hodie vocatur Snregna (*alias* Sdringa) in diocesi Triestrina (*id est Tergestina,*) et ibi est ecclesia B. Hieronymi, tamen pauperrima : et dicitur, quod olim vocabatur Strido. Communius id dicitur de Triestro, quod quia ter destructum fuit et extinctum, mutato Stridonis nomine, dictum Triestrum. *At hæc de Tergesto olim dicta Stridone frivola sunt. Vel sic tamen ostendunt, traditionem illam de* Sdringa *olim Stridone, ut volunt, non fuisse receptam ab omnibus sæculo* 14. *Videri possunt, quæ de patria Sancti disputari* § 3. *Verba huc solum transtuli, ut ostenderem, vetustam ibidem fuisse* S. Hieronymi *ecclesiam.*

alia Troiæ in Apulia, ob revelationem iteratam Sancti

1191 *De ecclesia, quæ sæculo 14 dicata est* S. Hieronymo *Troiæ in Apulia, prolixius agit Joannes Andreas fol.* 17 *et* 18. Nunc declarando, *inquit,* quod supra dixi de Troia; est sciendum, quod moderno tempore in Apulia, in provincia Capitanatæ *, prope archiepiscopatum Sipontinum, in civitate, quæ dicitur Troia (cujus episcopus exemptus est, et dicitur ex Apostolico privilegio palliatus) erant quidam devotissimi heremitæ, inter quos unus frater Bellatus * vocabatur : (nec prætermittam ejusdem fuisse nominis proavum mihi maternum.) Ille frater Belotus * (*ita hic nomen impressum*) vir erat magnæ pœnitentiæ, animi puritate et bona simplicitate repletus : qui retulit, sibi in somnis apparuisse Hieronymum, asserentem, quod in certo et expresso loco civitatis illius volebat sub suo vocabulo ecclesiam ædificari, cui per fratres Ordinis Prædicatorum in divinis laudibus serviretur : et simili modo apparuit pluribus aliis Dei viris, et nominatim magistro Nicolao Bardano de Troia adhuc viventi, qui ad mei requisitionem ista deposuit. Qui duo attoniti id non revelabant, cum locus expressus videretur ineptus, quia civitatis immunditiæ projiciebantur in illo. Post tempus apparuit Hieronymus iterato, illos de taciturnitate tanti temporis increpando.

* *Ms.* Campaniæ
* *in Ms.* Bellotus et Bellocus
* *al.* Bellocus

constructa, et miraculis honorata.

1192 Qua de causa quamplures Dei devotos congregavit * in unum, illis referendo, quæ dixi. Qui deliberato et inspirato consilio firmaverunt fodere fundandi causa locum illum. Cum autem prædicti fodere incepissent, invenerunt fundamenta ædificandæ ecclesiæ, magnis lapidibus præconstructa. An vero alicujus ædificii antiquissimi fuerint, an miraculose et noviter divina formata virtute, ignotum extitit. Vocatis ergo quibusdam fratribus Ordinis prælibati *, super illa fundamenta fabricare ceperunt. Divina vero providentia, quæ gloriatur in Sanctis suis, ad ampliorem progressum fabricæ providit hunc casum *. Prælatus quidam propter sui commodum vel corporis passionem incedens in curru cum magna equitum comitiva, cum fuit in fabricæ loco, quæsivit, qua de re fiebat illa ecclesia : et audito responso, motus in risum, dixit, quod fratres novum Sanctum invenientes id faciebant ad quæstum. Hoc gloriosissimus Hieronymus, inter antiquiores famosissimus, ægre tulit : quod patuit per effectum. Nam subito boves proruperunt in fugam et in vicinum vallonem, quod est præcipitium valde grande. Quod ille perpendens, et verbi pœnitens, vovit currum cum bobus et omnibus, quæ ferebat, ad fabricam illam offerre, si beatus Hieronymus eum de prædicto periculo liberaret : quod et fecit. Post votum enim boves illico arrestarunt (*id est, constiterunt*) : propter id autem viatores et terrigenæ ad contributionem fabricæ fuerunt amplius animati, ita quod ad ipsius Doctoris gloriam in anno Domini 1315 ipsius fabrica est completa.

* *in Ms.* congregaverunt
* *al.* predicti
* *in nostro Ms.* hunc locum casu

Hæc autem idoneis testimoniis confirmata sunt.

1193 Ubi Doctoris clarent moderna miracula, quæ cum * Troia una cum narratione præmissa sub testimonio publico ecclesiastici et sæcularis judicis illius loci, cum triginta septem litteratorum testium subscriptione recepi : inter quos fuerunt decanus, cantor et octo canonici ecclesiæ cathedralis : item duo sacerdotes, judices et notarii decem numero, et alii probi viri et notabiliter fide digni. *Tot testibus Joannes Andreas firmat miracula, quæ narrat deinde part.* 2. *Relationem autem modo datam habemus etiam ex codice Ms. bibliothecæ Mediolanensis S. Ambrosii, uti et Miracula mox danda, nonnullis tamen omissis, suppressis testimoniis hic allegatis, tacitoque auctoris nomine. Simplex ille codicis collector, qui ex Joannis Andreæ Opere in codicem retulit, quantum voluit, illa sua negligentia effecisset, ut miracula, quæ a contemporaneo scriptore et allegatis testimoniis auctoritatem nanciscuntur, pro fabulis a multis fuissent habita. Illa recitat Andreas fol.* 46, *ita ordiens :* Moderna sunt scribenda miracula, quæ coruscarunt in Troia post inchoatam constructionem ecclesiæ, de qua ante finem primæ partis dictum est supra, et ultra ibi descriptum. Octo mihi certiora præmittam.

* *Ms.* de

claudus sanatus.

1194 Quidam Joannes Penatus, habitator Troiæ, habebat crura desiccata, ita quod ambulare non poterat : sed galuca vel catino vel scamellis * incedebat, manus juxta talium morem ducendo per terram. Accedens cum devotione et spe salutis ad locum, quo beati Hieronymi construebatur ecclesia, fuit perfectissime liberatus, ita quod postmodum, quamdiu vixit, solidissime ambulavit.

* *Ms.* Scabellis

innocens morte liberatus.

1195 Secundo magister Jacobus Scutellarius commendabilis vitæ, accedens de Troia, ubi habitabat, ad terram Aquæ Putidæ *, applicuit ad quosdam iniquos homines, stratarum prædones et homicidas, cum illis itinerans, quos ignorabat tales. Præses provinciæ illos iniquos persequens, cepit illos et magistrum Jacobum una cum illis : quos omnes tormentis exposuit. Quæ magister

* *Ms.* Putridæ

AUCTORE J. S.

gister Jacobus sustinere non valens, confessus fuit, se illorum fuisse socium in multis maleficiis, per illos primitus confessatis. Propter quæ præses damnavit illos ad furcas : et dum ad locum justitiæ ducerentur, juxta morem patriæ manibus a tergo ligatis, et funibus ad collum appensis ; et idem magister Jacobus in suffragium innocentiæ suæ beatum Hieronymum jugiter et suppliciter invocaret : beatus Hieronymus præsidi, in camera existenti, visibiliter apparuit, mandans, quod magistrum Jacobum, quem innocentem damnaverat, liberaret. Præses perterritus illum statim coram se reduci mandavit : a quo reverso quæsivit, si alicujus Sancti suffragium invocaret. Qui dum de beato Hieronymo respondisset ; præses jussit illum indilate dimitti. Qui, nec cibo sumpto nec potu, cum laqueo ad collum et cum ligatis manibus ad ecclesiam accessit, beato Hieronymo tanti beneficii gratias redditurus, et ad ipsius imaginem in ecclesia ipsa pictam laqueus ille pendet. Et prædictus magister Jacobus adhuc vivit. Præses etiam ille, veniam petiturus, et propter devotionem miraculi, visitavit ecclesiam, et ipsius fabricæ pecuniarium subsidium obtulit.

mortuus ad vitam revocatus.

B 1196 Tertio magister Barbatus Sancti Georgii, habitator Troiæ, dum habitaret in terra Sanctæ Mariæ, olim dictæ Luceriæ, decessit, vel saltem omnium cum videntium opinione mortuus videbatur. Propter quod clerici civitatis, ut funus sepeliendum deferrent, hora Vesperarum illius domum adiverunt. Sed quia hora tarda et incongrua visa fuit, sine funere redierunt, sepultura in diem alterum prorogata. Cumque mariti uxor mortem deplorans, suppliciter et alta voce beatum Hieronymum precaretur, quod virum suum restitueret filiis, statim mortuus ore sputum ejecit, et oculos aperiens, sanatus est. Propter quod transtulit se habitare Troiæ, et ibi habitans adhuc vivit.

cæcus. * *Ms.* Marscialk

1197 Quarto Nicolaus Joannes Marscalci *, qui propter infirmitatem visum perdiderat, et diu non viderat, nec visurus in antea sperabatur, cum se beato Hieronymo devovisset, subito sibi restitutus est visus.

manus usu carens.

1198 Quinto Maria de terra Casalis Novi, habens a nativitate manum tortam, de qua se juvare non poterat, se beato Hieronymo humiliter devovens, statim extitit liberata, de manu C illa libere, sicut de reliqua, operando.

et claudus sanati. * *Ms.* Pultamna aut Pultamna

1199 Sexto quidam juvenis de terra Pulcarini * a nativitate sua pedes tortos portabat, cum quibus male poterat ambulare. Hic ad ecclesiam beati Hieronymi cum suis parentibus veniens devotissime, et se eidem ecclesiæ vovens, statim extitit liberatus, et perfecte ambulans cum pedibus reformatis, prædictam imaginem beati Hieronymi humiliter adoravit.

Puer in fornacem lapsus

1200 Septimo cum Joannes infans cum sorore eo majore ad fornacem, ubi calx coquebatur, accessit : et intus, dum ignes vigeret, inspiceret, in illam cecidit supra ignem. Sorore autem pro fratris salute beatum Hieronymum invocante, puer eductus fuit illæsus.

et lapsus ex alto, servantur illæsi.

1201 Octavo quidam frater Prædicator, in prædicta manens ecclesia, cum pro cooperiendo tecto altitudinis sex cannarum cum aliis opificibus ecclesiam ascendisset, casu præcipitavit in terram : et cum præcipitando beatum Hieronymum invocasset, evasit illæsus. *Hactenus de miraculis, quæ ecclesiastico et sæculari judicio probata dixit verbis num.* 1193 *datis, ut hic rursum innuit, ita pergens :* Supradictam * recepi D sub testimonio illo solemni, quod supra in fine primæ partis expressi ; in quo continebatur, quod multa alia miracula fuerant ibi facta, quæ non facile possint uno instrumento describi *. *Ex illis verisimiliter erunt, quæ continuo subjungit, de modo, quo posteriora accepit, hæc præmittens :* Recepi autem ab episcopo religioso, non tamen Troiano, sed partium vicinarum, et a fratribus fide dignis, qui conventuales illius fuerunt loci in Troia, miracula multa, de quibus aliqua describam prosequendo numerum inchoatum.

* *Ms.* supra dicta
* *Ms.* recipi

Item tres contracti sanati.

1202 Nono conjungam tres contractos ipsius virtute sanatos. Primus Petrus Gisualdo, qui ad inductionem cujusdam peregrinæ vovit de sero, quod ad honorem beati Hieronymi in ipsius ecclesia illici faceret Missas viginti, si ejus virtute ante diem proximum sanaretur. Qui curatus ante diem, ipso die falce recepta cum aliis messuit hordeum (quod tunc temporis metebatur) : et damum votum implevit. Item pauper quidam de Arriano *, habens filiam contractam, pro illa vovit beato Hieronymo, et statim sanata est. Alter, longo tempore contractus, post votum statim sanatus, in sesto beati Hieronymi baculum, quo qualitercumque sustentabatur, ante ipsius F imaginem obtulit, et votum implevit.

* *Ms.* de Dirianno

captivus carcere liberatus,

1203 Decimo, cum exercitus domini regis Roberti civitatem Trapam (*in Ms.* Trapeni, *id est, Drepanum, civitatem Siciliæ satis notam ad mare, quam civitatem Robertus rex Neapolitanus capere frustra tentavit anno* 1314, *ut habet in Annalibus Italiæ Muratorius*) et adversus illam pugnando non profecisset ; commoto exercitu remanserunt aliqui juvenes, cum balistis pugnantes contra homines civitatis. Qui cives civitatem egressi, ceperunt multos ex illis ; inter quos captus fuit quidam Gualterucius de Manfredonia, et in carcere cum compedibus ferreis positus. Qui devotus cum lacrymis beato Hieronymo votum vovit, quod, si liberaret eumdem, octo diebus per sacerdotem, suis expensis ducendum, Missam in ipsius ecclesia faceret celebrari. Qui dormiens, et se de mane extra muros civitatis inveniens, beato Hieronymo gratias agens, votum implevit.

alter profundo fluminis,

1204 Undecimo Samnus (*in Ms.* Sabinus) de Salpis, transiens per fluvium, involutus fuit ab aquis, et in profundum immersus. Per quem F facto voto beato Hieronymo corde, quod ore non poterat ; statim aquæ elevaverunt eumdem.

cæcus, surdus et mutus sanati :

1205 Duodecimo tres conjungam, cæcum scilicet, surdum, et mutum, circa quos claruerunt miracula. Dominicus de Salpis, habitator Casalis Sancti Clerici, ex infirmitate gravi et defectu medici, visum in totum amisit. Qui ad inductionem cujusdam dominæ pro sua sanitate beato Hieronymo votum fecit de sero, et mane fuit plene sanatus, et votum implevit. Item quædam domina de Petra duos filios habebat ; quorum alter mutus erat, et alter surdus. Per quam facto voto beato Hieronymo cum multa devotione, primus loquelæ, secundus auditus beneficium receperunt.

puella mortua resuscitata. * *Ms.* in Arriano.

1206 Decimotertio Marriana * mulier quædam peperit filiam mortuam : et facto per patrem beato Hieronymo voto cum multa devotione et lacrymarum abundantia, puella revixit.

energumena liberata, * *Ms.* Cascilucio

1207 Decimoquarto quædam puella de Castelliucio * dæmoniaca, et per parentes et amicos ducta ad ecclesiam beati Hieronymi in Dominica, cum fratres Matutinum cantarent, dæmon per

A per os puellæ eum clamoribus et ululatibus illam exivit, projectis capillis per os puellæ super altare. Puella vero sanata octo diebus stetit in Troia, mane et sero visitans ecclesiam, ibi Officium audiendo.

Falco inventus, equus sanatus, puer in periculo illæsus.

1208 Quintumdecimum volatilia quadrupedesque cunnecti. Nobilis enim quidam falconem perdiderat; quem eum diligenter quæsitum invenire non posset : pro ipso rehabendo beato Hieronymo votum fecit : post quod, cum portam Truianæ civitatis intrasset, falco venit ad manus ipsius. Alter miles Gallicus, familiaris domini principis de Tarento *, equum pulcherrimum et magni valoris habebat, quem tam acriter dolores invaserunt, quod jacebat immobilis. Vovit miles, de ipsius equi vita desperans, quod, si sanaretur, ad fabricam ecclesiæ sancti Hieronymi unum florenum afferret. Qui sanus indilate surrexit, et miles votum implevit. Item Petrus, frater domini Matthæi de Salerno *, existens in bono albergo *, equum, quem domabat, puero nutricis suæ filio tradidit tenendum paulisper. Equus autem ad unius gallinæ motum expavit, et per casum inauditum de camo freni equi factus est laqueus, quo B laqueatus est puer, et tractus per equum amplius miliare. Petrus autem, mortem pueri timens, pro ipsius salute beato Hieronymo fecit votum : et statim equus anterioribus pedibus stetit fixus, donec fuit captus. Et tunc apparuit puer illæsus, qui per eum in ecclesia beati Hieronymi fuit præsentatus.

* Ms. Tarento
* Ms. de Samelo
* i. e. hospitio

Hæc miracula primum conscripta a Joanne Andrea.

1209 *Hic secundæ parti Operis sui, et miraculis* S. Hieronymi, *fidelissime, ut videtur, scriptis, finem imponi Joannes Andreas, et pro conclusione addit versiculos sequentes.*

Hieronymi sancti, nondum vulgata, Latinis
Hæc suus Andreades descripsit mira Joannes.

Ex is versibus liquet, primum hujusce relationis scriptorem esse Joannem Andream : illa vero, quæ in codicibus mss. expressa iisdem verbis reperiuntur, ipsius Operis esse fragmenta, qualia sunt, quæ habemus ex codice jam memorato bibliothecæ Ambrosianæ, ex quo etiam habemus, quæ de alia ecclesia ex Joanne Andrea mox dabo. Valuit unice id apographum ad restituendas subinde aliquot voces, et præsertim nomina propria, ubi mendose erant impressa. Hunc in finem præterea usus sum codice ms. sæculi 14, *quem in bibliotheca nostra* C *habemus. Itaque partim ex hoc ms. Joannis Andreæ Opere, partim ex fragmentis codicis Ambrosiani, sunt lectiones variantes, superius datæ aut etiamnum dandæ.*

Alia vetusta Sancti ecclesia;

1210 *Laudatus Joannes Andreas part.* 1, *postquam egerat de ecclesia Troiana, ita fol.* 18 *prosequitur* : De duabus ecclesiis novissime mihi notis, quod est brevius et caret miraculo, præmittendo, percepi, quod in diocesi Aretina et districtu Castri Angliaris, et plebatu Beatæ Mariæ de Micciano, quædam ruralis ecclesia sui nominis est : cujus patroni dicuntur comites Montis Dagli *. *Hæc ecclesia jam tum vetusta fuisse videtur, ita ut procul dubio sit condita, priusquam corpus* S. Hieronymi *ex Palæstina in Italiam fuerit translatum. Attamen altera erit multo vetustior, si Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom. I, pag.* 502 *non nimium aberravit a vera ætate S. Bevignatis, monachi Perusini, quem existimavit floruisse circa finem sæculi* 5 *et initium sexti. Hoc adoptavit Henschenius noster ad* 14 *Maji, ubi de S. Bevignate egit unice ex Jacobillo et Ferrario, quod alia non haberet documenta.*

* Ms. Dogli

1211 *Interim audiamus Joannem Andream* : De secunda, cui inest miraculum, *inquit*, est sciendum, quod solennis informatio, quam habui de Perusio super ecclesia beati Hieronymi, quæ est infra ambitum monasterii sancti Bennegnate (*nunc Bevignatis*), collecta ex diversis scriptis et dictis prælatorum religiosorum et sæcularium, hoc habet : quod prædictus sanctus Bennegnate, dum vivebat, retulit, sibi sanctum Hieronymum apparuisse, eique commendasse *. quod foderet in certo nominato prædio, quud totum erat cultivum; cum sub illo esset ecclesia ad ipsius nomen dedicata; et illam discooperiret ecclesiam : quod * Sanctus ille et agri cultor prima vice non ponderavit. Apparuit ad idem secundo Hieronymus, et increpavit eundem : qui tunc requisivit militem quendam illius prædii dominum (qui dominus Consolus * vocabatur) ut sibi daret licentiam fodiendi, narrans visiones prædictas. Qui miles derisit eundem. Sed dum importune instaret, concessit, quod expectaret messionem frumenti, quo tunc illud prædium erat plenum, et postea foderet. Sanctus * ipse, quod conceperat omnino visioni parere, dubitare cœpit, quo * deberet incipere. Apparuit tertio beatus Hieronymus, dicens, quod foderet, ubi frumentum metibile reperiret. Qui mane illuc vadens 14 Maii (cum tamen messionis tempus non esset) invenit frumentum plenum, siccum et metibile in certa particula prædii : et ibi, facta prius messione, cepit fodere, et invenit ecclesiam cum parva campana totam subterraneam : quam totam discooperuit.

Auctore J. S. alia, quæ ex revelatione creditur inventa,
* Ms. mandasse
* Ms. quæ verba
* Ms. Consolatus
* Ms. Conatus
* al. quomodo
E

et fere subterranea est.

1212 Quæ modo ad parvam altitudinem supra terram dicitur apparere : destructa enim volta * lapidea, quæ tunc erat, et quæ partim vetustate corruerat, elevati sunt parietes, et super illos ædificio ligneo et tegulis cooperta est ecclesia. In illam autem descenditur per sex gradus lapideos. Et habeo, quod satis despecte ecclesia ipsa tenetur, non sine illorum nota, ad quos id pertinet reformare. Nec celebratur in illa, nisi in festo beati Hieronymi, quod est ultimo Septembris : qua die satis ibi solenniter celebratur, et cum grandi concursu civium festivatur. *Hactenus auctor, cujus relatio hæc non æque certa est, quam sit superior de ecclesia Troiana. Nam prior ab oculatis et auritis testibus accepta est : posterior vero ex traditionibus popularibus videtur orta, cum dicatur* collecta ex diversis scriptis et dictis prælatorum. F *Etenim pauca admodum de S. Bevignate narrantur, eaque ipsa nequaquam certa videri potuerunt lectori erudito et critico. Jacobillus, qui mortem S. Bevignatis fixit circa annum* 500, *ne vel verbo quidem inventionem ecclesiæ istius* S. Hieronymi *attigit, aut gestis S. Bevignatis annumeravit. Itaque exstitisse in territorio Perusino ecclesiam aliquam* S. Hieronymi *sæculo* 14 *omnino credo; sed omnia, quæ de inventione illius ecclesiæ narravit Joannes Andreas, pro incertis habeo. Quæ de miraculis* S. Hieronymi *præterea narravit ex scriptis supposititiis, quæ SS. Cyrilli, Augustini et Eusebii Cremonensis nominibus circumlata fuerunt, ne attingenda quidem credidi.*

* Ms. valva

Cultus promotus per Joannem Andream.

1213 *At meretur viri in jure doctissimi, et egregii cultoris* S. Hieronymi *eximia pietas, ut huc transferamus, quæ a se in Sancti honorem præstita narrat. Conqueritur fol.* 15, *nullam Bononiæ, ubi docebat, dicatam olim fuisse* S. Hieronymo *ecclesiam, sicut alius non raro dolet, non tantam fuisse Italorum in* Hieronymum *pietatem, quantam ipse desiderabat.* Inchoavi igitur, *ait fol.* 16. gloriosum venerari Doctorem ipsius colendo vigiliam

giliam et festum modis variis festivando: in meis actibus, principiis, consiliis, sententiis et scripturis ipsius implorando suffragium. Imponi feci nomen ipsius certis pueris in catechismo, et mutuari monachis in ingressu... In publico domus propriæ plene ipsius historiam feci depingi. In Bononiensi ecclesia cathedrali capellam et sacerdotale beneficium dotavi ad ipsius vocabulum et honorem: et ultra Bononiam juxta stratam publicam et vulgatam, qua itur Florentiam, una cum nuru * mea nunc defuncta pulchram parochialem ecclesiam cum officiis et dote fundavi. Monasterium Cartusiensis * Ordinis nuperrime prope Bononiam infra milliare versus Occidentem, alienis et meis sumptibus inchoatum, ac etiam parochialem ecclesiam, infra idem spatium versus Septentrionem, intitulari ad ipsius nomen obtinui.

* Ms. uxore
* Ms. Carthusiensis

et ecclesiæ constructæ.

1214 In diversis ecclesiis ad ipsius honorem altaria erigi procuravi, singulis præscriptis ecclesiis assignando Doctoris ipsius Officium speciale, ad mei preces eleganter compositum et notatum. Curiosus consequi, quæ sequuntur, diversas provincias ultramarinas per litteras et nuncios visitavi: laboravi aliquid habere de suis reliquiis: ad quod pervenisse me puto. Quoddam notabile ultra ista concepi, quod nunc silentio non sepelire, sed cooperire disposui. Hæc scribo, ut similia legentes alliciam: ad quod tamen sufficerent prius dicta et infra scribenda. *Tum excusat, quod sua narrat: et sic pergit:* Imitantibus autem beatitudinem opto: quæ, sepositis malis omnibus, bonorum est tumulata * complexio: quam ut facile consequantur, concedat eis Deus id agere, quod egisse, id omittere, quod omisisse, mortis tempore voluissent. Hanc autem consecutum spero recolendæ memoriæ dominum patrem Superantium de Cingulo, decretorum doctorem et episcopum Cerviensem, qui me doctorem suum dignatus imitari, in prædicto origenis suæ loco (*nempe Cinguli*) pulchram ad ipsius Doctoris honorem de suis patrimonialibus fundavit et dotavit ecclesiam. *Fundatio hæc facta est anno 1336, ut habet inscriptio apud Ughellum tom. II in episcopis Cerviensibus. Subdit:* Reliqui autem præsules juste agent, si dioceses suas ecclesiis beati Hieronymi carere non sinant. *Ita pius scriptor. Plurimæ sane exstructæ postea sunt per Europam* S. Hieronymi *ecclesiæ: sed has mitto.*

* Ms. Cumulata

§ LXXV. De tabulis S. Hieronymum repræsentantibus: eaque occasione referuntur et refutantur aliquot fabellæ.

Sanctus cura Joannis Andreæ cum pileo Cardinalitio et leone pictus.

Joannes Andreas inter ea, quæ se fecisse dicit ad honorem S. Hieronymi, *non modo recenset orationes, quas de ipso composuit, hymnos et carmina, quæ per alios quoque componenda curavit; nec sine adjectis fabulis, et stylo sæculi* 14; *sed etiam pictas tabulas, de quibus ita loquitur:* Dictavi formam, qua nunc in cathedra sedens pingitur cum capello (*id est, pileo,*) quo nunc Cardinales utuntur, deposito, et leone mansueto; sic in locis diversis ipsius multiplicando picturas. *Hæc verba insinuant, Joannem Andream fuisse auctorem, ut picturis* S. Hieronymi *adderentur pileum Cardinalitium, et leo mansuetus. Nimirum scriptor iste revera existimavit,* S. Hieronymum *fuisse Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, idque indicat part.* 2 *fol.* 20 *his verbis:* Dum autem esset annorum 38, per Liberium Papam Cardinalis presbyter ordinatus est ad titulum sanctæ Anastasiæ, ut continet una Legenda. *Idem aliis locis insinuavit, et hymnis carminibusque inserendum curavit. Error ille paulatim crevit per vitæ scriptores, quos recensui* § 2. *In vita prima* S. Hieronymus *solum vocatur* Romanæ Ecclesiæ presbyter, *sed non additur, a quo fuerit ordinatus. Minus ille aberravit, dum pro presbytero Antiocheno Romanum fecit, et saltem plura non addidit.*

postquam sententia de ejus dignitate Cardinalitia

1216 *Secunda vita graviorem de his continet errorem. Nam sub initium insinuat, presbyterum ordinatum, dum juvenis Romæ studiis dabat operam.* Qui dum dudum inter pueritiam adolescentiamque incederet medius, instinctu tactus cælesti, affinibus cunctis censuque paterno relictis, ut perfectus Euangelii imitator quivisset existere, ingressus navem, aura flante secunda, ad limina sublimium Apostolorum Petri et Pauli, divina dispensante clementia, Romanam urbem adiit. In qua videlicet litteris Græcis et Latinis diligenter apprime eruditus, et Christi vestem suscipiens, presbyter quoque Cardinalis ibidem est ordinatus. *Aperte errat auctor, dum eo tempore bona paterna ab* Hieronymo *relicta ait: nam Romam mittebatur ad studia litterarum, in iisque sustentatus est bonis paternis, uti et postmodum in itineribus. Errat rursum, si voluerit, in prima illa commoratione Romana ordinatum presbyterum, ut verba insinuant: nam multo serius ordinatus est. Quin et Romæ a Damaso ordinatum inferius sic dicit, ut rursus insinuet, id factum in prima commoratione Romana. Itaque errat tertio, dum* S. Hieronymum *Romæ detinet usque ad Damasi pontificatum, et sic duas Sancti in Urbe commorationes confundit. Certe secundus id primo biographo addidit, ut a Damaso ordinatum dixerit* S. Hieronymum.

per biographos paulatim invaluerat.

1217 *Tertius jam dictos errores auxit, et Sanctum non modo in prima commoratione Romana presbyterum facit Cardinalem, a Liberio tamen ordinatum; sed mox eumdem cum S. Paula inducit contra Arianos et ipsum Liberium, quem novo errore Arianum facit, egregie decertantem.* Qui per congruos ecclesiasticos gradus, *inquit,* ad Cardinalatus dignitatem conscendit. Nam factus annorum triginta novem, a Liberio Sedis Apostolicæ Præsule presbyter Ecclesiæ Romanæ tituli sanctæ Anastasiæ ordinatur. *At nec Liberius vixit usque ad annum* 39 *ætatis* S. Hieronymi, *nec* Hieronymus *usque ad eam ætatem mansit Romæ. Interim hic prioribus addidit, presbyterum fuisse* tituli S. Anastasiæ. *Mox vero magis etiam crassos adjungit errores, ita pergens:* Sed cum idem Apostolicus (*Liberius*), post annos fere quatuor in apostaticum versus, Ariano dogmati consensisset, multique se ob metum persecutionis, quæ a Constantio excitabatur, absconderent: iste juxta sermonem propheticum, opposuit se murum pro domo Israel, ut staret in prælio in die Domini... Immo secundum datam sibi sapientiam eloquii sui sagittas emittens, dissipavit eos, et divinarum sententiarum fulgura multiplicans conturbabat illos. *Magnifica enimvero verba, sed errores turpissimi.*

at ea opinio crassis implexa est erroribus.

1218 *Nam Constantium imperatorem et Liberium Pontificem mox etiam clarius conjungit, ut persecutores Catholicorum,* Hieronymo *vero contra Arianos pugnanti adjungit S. Paulam. At nec Liberius*

Liberius

A *berius umquam fuit Arianus, nec umquam persecutus est Catholicos. Constantius vero defunctus est anno* 361, *dum* Hieronymus *liberalibus disciplinis imbuebatur, nec attigerat studium sacrarum Litterarum, quomodo ergo sub Constantio scribebat contra Arianos? Paula, utpote nata anno* 347, *decem aut duodecim annorum erat puella, dum Catholicos persequebatur Constantinus, quo modo igitur tunc temporis* auxilium cœpit ei impendere, et de suis facultatibus ministrare, *ut ille asserit? Ex his intelliget studiosus lector, quantis erroribus sint implexa, quæ de Cardinalitia* S. Hieronymi *dignitate in Vitis asseruntur, ex Vitis vero ad alios transierunt. Omnes enim Vitæ Cardinalem faciunt, antequam Vitam solitariam duxit in Syria. At constat, presbyterum Antiochiæ creatum, postquam eo ex solitudine redierat. Si vero omnino presbyteris Romanis fuisset adlectus, id factum esset eo tempore, quo post vitam solitariam Romæ degebat sub Damaso, cui erat carissimus. Verum eam sententiam non esse probabilem, ostendi abunde* § 11.

Ex errore similiter creditum fuit,

1219 *Quod autem* cum leone mansueto *pingi* S. Hieronymum *curavit Joannes Andreas, ex errore, quem pro vera habuit historia, similiter factum est. Nihil ea de re habet Vita prima. At* B *auctor Vitæ secundæ apud Martianæum tom. V a pag.* 513 *longam contexuit relationem, quæ certe de* S. Hieronymo *falsa est.* Quodam namque die advesperascente, *inquit,* cum B. Hieronymus una cum fratribus, ut monachis mos est, ad sacram lectionem audiendam sedisset,... subito tribus claudicans, quarto suspensus pede, ingens leo cœnobii claustra ingressus est. Quod utique viso fratres perterriti, nonnulli in fugam versi sunt... Sanctus vero Hieronymus, velut adventanti hospiti, intrepidus leonis adventui obviavit. Qui videlicet dum sibi pariter propinquassent,... læsi, quem habebat, pedis obtulit plantam. Vocatis tunc fratribus præcepit, ut diligenter læsum abluerent pedem, inquirentes, cur ita leo claudicans iret. Quod dum factum studiose fuissent intuiti, vulneratam a sentibus invenerunt plantam leonis. Ei igitur cum alimento diligenter adhibita cura, de læsionis ictu illico convaluit.

mansuetum S. Hieronymo servivisse leonem,

1220 Omni igitur belluinæ feritatis deposita rabie, cœpit inter eos ultro citroque quasi domesticum et tranquillum animal pariter commorari. *Tum fratres rogat* Hieronymus, *quid* C *operis leoni committerent. Illisque suadentibus, ut asinum illi custodiendum committerent,* ita et factum est, nam injuncta leoni cura asini, *cum leo tutabatur. At, dormiente aliquando leone,* negotiatores, *qui tendebant* Ægyptum, ... videntes asinum pascentem, dum neminem vidissent adesse custodem,... rapientes secum duxerunt. *Leo deinde asinum quærit,* sed cum jam omnis reperiendi asini spes fuisset ablata, ad monasterii januam veniens perstitit: conscius enim culpæ, non ausus est ingredi, quod prius cum asello solebat. Quem beatus Hieronymus una cum fratribus absque asino videns ad cellæ fores morari; et quia non solita hora fuerat reversus, instigante famis necessitate compulsum, putaverunt eum occidisse animal suum: nolentesque ei tribuere annonam consuetam, dicebant: Vade, et reliquum aselli, quod tibi remansit, mande, tuamque ingluviem reple. *Nullo tamen invento indicio occisi asini in loco,* quod jam præfatum animal deducere leo solitus erat,... redeuntes studuerunt hoc beato Hieronymo nunciare. Quo audito, ait fratribus: Obsecro vos, fratres, quamquam sustineatis asini damnum, hunc tamen ne exasperetis neque abjiciatis leonem: sed eum, ut dudum, gubernantes, præbentesque alimenta nutrite: incidentesque in nemore ligna, ut ea vice asini nobis huc trahens deferre valeat, moderate nectentes ligate. Ita factum est.

itque aliquam fabellis vestitus,

1221 *Damnatus itaque leo ad onera asini portanda, frequenter asinum quæsivisse dicitur. Cum autem negotiatores, qui asinum abduxerant, ex Ægypto redirent cum camelis, asino illo præcedente, et* appropinquassent leoni; ille, cognito asino, sævum rugiens, cum ingenti strepitu irruit in eos, neminem nempe lædens eorum. Qui, omnibus statim relictis,... in fugam conversi sunt. Quibus videlicet fugientibus, terribiliter rugiens leo percutiebat cauda fortiter terram, perterritosque camelos, sicut erant onusti, ante se ad cellam ire coegit. Insolitam ergo rem fratres videntes, quod præcedens asinus sarcinatique in medio cameli, et subsequens eorum terga leo pariter veniret, mox exeuntes modeste, curaverunt beato nunciare Hieronymo. Quo audito, foras egrediens, januas monasterii patefieri jussit benigne, summumque silentium imperavit, dicens: Hospitibus nostris, id est, camelis et asino, auferentes sarcinas, eas leviate, pedesque abluite, E escas præbete, exspectantes, quid in hoc facto suis voluerit Dominus servis demonstrare. Omnibus peractis,... cœpit leo, ut dudum, huc atque illuc gratulabundus per claustra monasterii ire, singulorum se fratrum vestigiis sternens.... Quo viso, fratres pœnitentiam agentes, quod ei crudelitatis intulissent crimen, dicebant: Ecce pastorem nostrum, quem paulo ante ut voratorem crudeliter damnabamus *etc. At jam satis fabularum: camelos negotiatoribus, benigne exceptis, et admonitis, ne amplius furarentur,* S. Hieronymus *restituisse dicitur. Tota hæc fabella, quantumvis ridiculis adjunctis vestita, etiam locum habet in Vita* S. Hieronymi *tertia, sed paulo brevius et minus inconcinne ibidem relata. Totam quoque ex Vita secunda adoptavit Joannes Andreas, eam referens fol.* 22.

et a multis adoptatus fuit: at tale quid contigit S. Gerasimo non Hieronymo.

1222 *Tanti autem insulsam illam fabellam fecit magnus ille legum doctor, ut eamdem voluerit locum habere in paucis versibus, quibus historiam* S. Hieronymi *in domo sua pingendam curavit. Recitat versus illos duodecim fol.* 54, *in quibus duo de Leone sic habent :* F

Tunc leo mitescit : jussis obtemperat almis :
Ligna tulit : raptumque gemit (*asinum*) lætusque reducit.

Rursus in hymno, qui ibidem sequitur, leo ille sic memoratur :

Ligna qui gessit, domuit leonem
Legifer Abbas.

Quare non est quærenda alia ratio, cur Joannes Andreas S. Hieronymum *cum leone mansueto pingendum curaverit, quam quod fabellam pro vera habuerit historia. Aliis porro de causis pictura illa deinde potuit continuari, postquam innotuit, falsum esse, quod de leone* S. Hieronymi *medio ævo invaluit. Existimamus tamen, simile quid contigisse, non* S. Hieronymo, *de quo nec apud ipsum nec apud scriptores contemporaneos aut suppares tale prodigium legitur, sed S. Gerasimo abbati, qui medio sæculo post* S. Hieronymum *in Palæstina floruit vita solitaria, et de quo apud nos actum est ad 5 Martii. Factum ibi narratur ex Prato spirituali, cujus auctor ait, se istud intellexisse ex senibus monasterii S. Gerasimi. Mirabile quidem istud est, etiam prout ibidem refertur : attamen modo magis probabili omnia asseruntur, quam ab auctore*

tore Vitæ S. Hieronymi, *qui ex nominis quadam similitudine creditur in errorem inductus, illudque, quod S. Gerasimo contigerat, transtulisse ad* S. Hieronymum. *Undecumque in errorem fuerit pertractus; certe erravit, et factum S. Gerasimo attributum transtulit ad* S. Hieronymum *cum exaggeratione improbabili.*

Sanctus B. Columbæ cum leone apparuit, et quare

1223 *In Vita B. Columbæ Reatinæ, scripta a Sebastiano Perusino, Ordinis Prædicatorum, Beatæ confessario, et data ad 20 Maii, num. 11 mira narratur Virgini oblata apparitio. Nam cum Christo Domino Virgini apparuisse dicuntur SS. Petrus et Paulus et S. Dominicus,* nec non cum leone S. Hieronymus... Leo autem, qui apud S. Hieronymum fuerat, cum ea tota illa nocte remansit, mirabilisque odoris fragrantia in camera illa diutius fuit. *Apparitio vigilanti et oranti facta dicitur, imo et virginitatem in eo vovisse legitur Beata, quæ ingentes pugnas ea de causa sustinere debuit. Hinc Papebrochius noster in Annotatis observat de leone, ab aliquibus scriptoribus intelligi S. Leonem, a se vero* animal illud, quod solet cum S. Hieronymo semper pingi, ipsumque cessante visione ideo relictum, apud B. Columbam nocte reliqua, tamquam custodem B voti, quod fecerat, et pignus fortitudinis, divinitus ipsi dandæ, ad sui propositi defensionem contra mox insurrecturas tentationes. *Addit, ea de causa non confirmari assertum ex errore* sancti Hieronymi *leonem. Rursum ad 25 Maii in Maria Magdalena de Pazzis pag. 247 num. 8 de illo leone disserit, et aliam profert rationem, cur cum leone apparere potuerit* S. Hieronymus, licet hic acceptus sit a S. Gerasimo propter aliquam nominis affinitatem. Adeo enim, *inquit*, invaluit vulgaris iste error, ut jam non aliter pingi consueverit Sanctus, opusque habeat eidem se aptare, si velit absque alio sui indicio ex habitu comitatuque cognosci. *Plura ibidem. Nunc vero cum Baronio et aliis* dicimus, S. Hieronymo leonem appingi, quia tanquam leo contra hæreticos rugiat in scriptis suis.

Alia fabella relata,

1224 *Alia putidissima fabella, quam suo loco attingere nolui, nata est medio ævo, et paulatim vires cepit. De ea nihil invenio nec in Vita prima nec in secunda. Auctor Vitæ tertiæ aliquid insinuat, illudque alii deinde perfecerunt. De* S. Hieronymo *degente in Urbe et gravem calumniam passo abunde egi* § 17. *Hanc vero memoratus C biographus sic exornat :* Denique isti (*invidi*) vestem muliebrem prope lectum, qua se indueret surrecturus ad Matutinas, imposuerunt. *Joannes Andreas fol. 21 ex aliis fabulam perficit.* Sed dum quorumdam clericorum et monachorum lasciviam increparet (*Sanctus*); illi nimium indignati, ei insidias paraverunt, et per vestem muliebrem (ut ait Joannes Bereth et Vincentius) ab eis turpiter est derisus. Nam cum Hieronymus ad Matutinum solito more surgeret; vestem mulieris, quam æmuli juxta lectum posuerant, repperit, suamque esse credens, induit, et in ecclesiam sic processit. *Non opus est magna crisi, ut quis videat, fabulam male consutam narrari.*

et refutata.

1225 *Nihil de tali fraude umquam insinuavit* S. Hieronymus, *nihil de tanta Sancti negligentia eidem umquam exprobravit acerbissimus Rufinus, nihil de facto tam insolenti et incredibili ullus umquam commemoravit scriptor antiquus. Quod* S. Hieronymus *Romæ soleret quotidie ad aliquam procedere ecclesiam, ut preces recitaret Matutinas, non est verisimile, nec ex ullo gestorum ejus indicio colligi potest : neque enim novimus,* D *ulli adscriptum ibidem fuisse congregationi aut ecclesiæ particulari, in qua id fecisset. Præterea nec cæcus erat, ut non posset cernere vestem, quam induebat; nec mente captus, ut in tenebris quoque inter vestem muliebrem et suam non valeret distinguere. Verum sufficiant hæc de insulsa fabella, quæ non minus a veri specie quam ab ipsa veritate procul distat.*

Nec multitudo scriptarum recentiorum

1226 *Nolim tamen miretur studiosus lector, me uberius disputasse de fabellis modo dictis, quæ tam seria refutatione videntur indignæ. Nam Bedekovichius, jam frequenter laudatus, sicut fictitias nominibus SS. Cyrilli, Augustini et Eusebii Cremonensis Epistolas suscepit defendendas, ut monui num. 26, ita et relatas fabellas, non modo Operi suo inserere, sed ut vera facta defendere etiam voluit. Vir ille pius, et non indoctus, sed crisi historica minus instructus, pro cardinalitia* S. Hieronymi *dignitate multa prolixe disputata recudit Operis sui part. 2, cap. 10 et 11, et demum in fine totum Ciacconii Tractatum; relicta tamen lectori de re tota judicandi libertate. At part. 2 cap. 14* bona pace reverentialique æstimatione Baronii *et aliorum leonem* S. Hieronymo *tribu-* E *endum credidit*, pluribus, *inquit*, citatis scriptoribus fultus.

pro leone S. Hieronymi vindicando sufficit,

1227 *Scriptores autem illi plures ab eo ante allegantur hoc modo :* Ut scribit Jacobus de Voragine in Legenda Sanctorum, et P. Henricus Engelgrave sermone pro festo S. Martini ex Fulgoso : quibus accedit Bonifacius Bagatta in admirandis orbis Christiani tom. 1, lib. 7, cap. 1, num. 11, citans in testem Marcum Marulum lib. 4, cap. 5 *Verum ejusmodi scriptores quorum primus est sæculi 13, numerum facere possunt, non auctoritatem. Multo plures facile adducere possem, et nonnullos iis vetustiores jam adduxi, ex quibus fabula illa a posterioribus adoptata est, et aliquot etiam Breviariis inserta. Hinc vires etiam non habet, quod Bedekovichius ex Breviario sui Ordinis olim usitato sic recitat :*

Leo servit cum asello
Comes datus pecudi :
Et observat secum vadens
Custodia vigili.
Quo amisso, munus obit,
Terga præbens oneri *etc.*

Ex secunda S. Hieronymi *Vita illud ad alios defluxit, ut solent fabulæ, quando semel artæ sunt,* F *a multis adoptari.*

nec exempla aliorum Sanctorum, quibus

1228 *Ulterius pro leone* S. Hieronymi *laudatus scripta ita disserit :* Si etenim id uni, cur non alteri accidere potuit Sancto? Siquidem legamus, diversissimos Sanctos, in diversissimis regionibus habitantes, æqualibus ab Altissimo honoratos fuisse gratiis, æqualia quoque patrasse miracula, atque id ipsum, quod S. Hieronymo circa leonem accidisse beato Sabbæ abbati scribat Surius in Vita ejusdem. *Ita ille. Verum est, eosdem fere favores diversis Sanctis a Deo collatos, ipsosque leones, de quibus agitur, pluribus Sanctis mites se et morigeros præbuisse. Quod nominatim de sancta Saba abbate objicitur, certum mihi est et indubitatum, non quia reperitur apud Surium, sed quia legitur in Vita S. Sabæ, per Cyrillum Scytopolitanum fidelissime scripta, et edita apud Cotelerium, quæ num. 49 sic habet :* Seni huic sancto, e Ruba in Calamonem Jordanis venienti, occurrit leo prægrandi magnitudine, claudicans, qui accidendo pedem ei ostendebat, nutuque adhortabatur, ut curaretur. Pater autem noster

A noster Sabas, intellecto feræ dolore, sedit, pedem ejus apprehendit, infixum spiculum eduxit. Tum leo, dolore liberatus surrexit atque abiit: et ab eo tempore per dies Quadragesimales senem sequebatur, benevolam servitutem impendendo. Habebat tum sacer senex discipulum quemdam Syrum, Phlaim nomine, qui inferius in Ruba asinum habebat ad ministerium: eumque mitteret eum ad responsum seu negotium aliquut, committebat leoni asini custodiam. Itaque leo mane asini capistrum ore capiens abibat, totoque die pascebat, ad vesperam vero potabat, atque sic cum eo revertebatur. Ceterum interlapsis aliquot diebus, leone ministerium hoc adimplente, . . . Phlais . . . incidit in fornicationem; atque eodem die leo contritum asinum sibi pabulum fecit. *Lapsus ille discipulus a S. Saba ad pœnitentiam inductus est, sed leo verisimiliter abiit.*

leones ad servitium.

1229 *Idem Cyrillus in vita S. Cyriaci, ad diem præcedentem data, mitem commemorat leonem, quem ipse vidit. Ibat cum abbate Joanne ad S. Cyriacum, cui leo ille serviebat.* Cum igitur loco appropinquaremus, *ait num.* 15, occurrit nobis leo maximus et terribilissimus. Dixit autem B mihi perturbatu abbas Joannes: Ne timeas. Cumque leo videret nos ire ad senem, viam præbuit. *Deinde Cyriacus ait Cyrillo:* Ne formides, fili: ille namque leo hic apud me semper manet, custodiens exigua olera a rupicapris. *Et inferius de eodem:* Comedentibus autem nobis, venit leo et stetit ante nos: exsurgensque senex porrexit illi frustum panis, et dimisit illum custodire olera. Et asseruit mihi senex, *inquit Cyrillus*, quod non solum olera custodiret, sed et prædones et barbaros inde arceret. *Et mox de discessu:* Itaque digressi vidimus leonem in via sedentem, edentemque rupicapram: qui videns subsistere nos et non audere progredi, relinquens feram recessit, donec illac pertransissemus.

aut ad defensionem revera concessit Deus,

1230 *Idem rursum Cyrillus in vita S. Joannis Silentiarii leonem memorat, Sancto ad defensionem contra Saracenos datum. Data est vita ad* 13 *Maii, et num.* 13 *habet, S. Joannem noluisse e laura sua recedere ob Saracenos, et mox subdit:* Deus autem, qui semper curam gerit suorum famulorum, angelis quidem suis mandavit, (ut dicit Scriptura) ut Sanctum suum con-C servarent: volens autem eum securum reddere, ut qui paululum esset territus, misit sensilem custodem, leonem maximum et terribilissimum, qui eum diu et noctu custodiret ab immanium barbarorum insidiis. Ac prima quidem nocte, cum leonem aspexisset prope dormientem, nonnihil extimuit, ut ipse mihi narravit: cum autem vidisset diu noctuque sequentem ab eo non avelli, ac propulsare barbaros; emisit cantica, quibus ageret gratias Deo, qui non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum.

efficerint,

1231 *Videbit studiosus lector, quam agam liberaliter cum Bedekovichio: pro uno leone, quem ex Surio objecit, tres in eadem Palæstina, ubi habitavit* S. Hieronymus, *produxi, testesque pro iis laudavi omni exceptione majorem, qui unum ex illis ipse vidit; alterum ab eo, qui viderat, accepit; tertii mansuetudinem per testes idoneos intellexit. Hisce jungere possemus plures leones alios, qui aut non nocuerunt hominibus, Deo sic disponente, aut iis etiam profuerunt; si vel minimum superesset dubium, an Deus ejusmodi beneficia pluribus sanctis præstare, non dicam potuerit, sed etiam voluerit. Cur ergo suum* S. Hieronymo *negamus leonem? Dicam paucis in gratiam eorum, qui crisim historicam minus habent perspectam, et bona venia illorum, qui hac disputatione non indigent.*

AUCTORI I. S.

1232 Hieronymi *leonem negamus, quia caret testibus idoneis: neque enim pro re tanta idonei testes sunt, qui aliquot sæculis post* Hieronymum *vixerunt, præsertim si sine selectione et judicio qualibet alicubi inventa in chartam conjecerint.* Hieronymi *leonem negamus, quia* Hieronymi *gesta tot scriptis ipsius sancti et aliorum, qui contemporanei fuerunt aut suppares, ad posteritatem transmissa sunt, ut prodigium tam insolens non potuisset aliquot sæculorum silentio premi, si revera factum esset. Demum* S. Hieronymi *leonem omnino repudiamus, quia leo ille modo prorsus improbabili est confictus: nam* Hieronymus *habitabat in Bethleem, ubi regebat duo monasteria, alterum virorum, alterum mulierum. Quare leo ille, qui multis annis cum* Hieronymo *mansisse, et foris libere vagasse fingitur, tam habitantibus in utroque monasterio, quam incolis et peregrinis in Bethleem commorantibus, ingentes frequenter attulisset terrores, et non paucas contra sanctum excitasset querelas. Hinc, qui vel mediocriter perspectum habent, quam multæ medio ævo natæ et propagatæ sint fabulæ, sine ulla difficultate perspiciunt, leonem illum* Hieronymi *iis indubitanter annumerandum. Hæc simul sufficiant ad vestem muliebrem, quacum* S. Hieronymum *rursum in ecclesiam perducit Bedekovichius cap.* 12 *una in perpetuum detrahendam.* E

ut probabile sit, leonem servivisse S. Hieronymo.

§ LXXVI. Utrum S. Hieronymus videatur auctor Martyrologii, quod ejus nomine passim laudatur?

Martyrologium alii Hieronymo ut interpreti, alii ut collectori tribuunt.

I*nter dubia* S. Hieronymi *scripta primum facile locum meretur Martyrologium vetustissimum, quod nomine ejus passim laudari solet, etiamsi, ut observavit Bollandus noster in ipsa Operis Præfatione generali* § 4, *certis argumentis probari nequeat, illud a* S. Hieronymo *fuisse compositum. Tam multa a viris eruditis jam de hac* F *quæstione sunt scripta, et in utramque partem disputata sine ulla ambiguæ quæstionis decisione, ut sperare non præsumam, dubitationem de illo Martyrologio a me tollendam. Quapropter breviter solum examinabo argumenta præcipua, quæ prolata sunt aut proferri possunt ad Martyrologium aliquod* S. Hieronymo, *aut ut interpreti aut ut collectori, attribuendum. Nam alii voluerunt, Eusebium esse Martyrologii collectorem, et* Hieronymum *interpretem; alii maluerunt, ipsum* Hieronymum *vetusti Martyrologii auctorem dicere. Præcipuus Martyrologii* Hieronymo *attribuendi auctor ex recentioribus est Florentinius, qui istud ipsum, quod credit* Hieronymi, *typis Lucensibus anno* 1668 *edidit, et copiose illustravit.*

Ejus ille auctor est, si veræ sint Epistolæ eidem præfixæ:

1234 *Primum autem argumentum Florentinius petit ex gemina Epistola Martyrologio præfixa. Si hæ Epistolæ non sunt suppositæ, certum fit, collectorem Martyrologii esse* S. Hieronymum. *Nam prima habet hunc titulum:* Incipit Epistula Chromatii et Heliodori episcoporum ad Hieronymum presbyterum. *Petunt autem Chromatius et Heliodorus, quos ut amicos* Hieronymi *ante frequenter*

AUCTORE I. S.

quenter memoravimus, ut de arcivis sancti Eusebii Cæsariæ Palæstinæque sacerdotis inquirens martyrum, ad nos, *inquiunt*, dirigas festa, ut possit hoe officium per tuam sanctam industriam melius perfectiusque Domini martyribus exhiberi. *Petunt itaque, ut ex collectione Eusebii Martyrologium conficiat. Alterius Epistolæ hic titulus est apud Florentinium:* Rescriptum Hieronymi presbyteri. *Narrat primo, quid præstiterit Eusebius, opem ferente Constantino, deinde quid ipse fecerit:* Hac de causa (singulorum mensium, *ut additur apud Baronium*) singulorumque dierum festa conscripsimus, ut jubere dignamini etc. *Mitto reliqua: nam hæc sufficiunt, ut auctorem Martyrologii habeamus, si veræ sunt Epistolæ.*

at Epistolæ certo sunt supposititiæ:

1235 *At Baronius in Præfatione ad Martyrologium Romanum, ubi cap. 5 Epistolas dedit, illas multis argumentis valide oppugnat, et pro supposititiis habet. Respondere quidem conatus est Florentinius in Annotatis ad Epistolas a pag.* 17 *ad argumenta historica Baronii, sed ad stylum Epistolæ* Hieronymo *tributæ fatetur se succumbere, nec eamdem* Hieronymo *audet tribuere. Veramtamen minime fatetur, falsa esse, quæ in dictis* B *Epistolis asseruntur. Mavult credere, vera esse, quæ leguntur in Epistolis, easque* ab aliquo pio viro compositas, ... sive ille, *inquit*, ex antiqua traditione, sive ex vetustiori aliquo libro in his contenta retulerit. *At, si Epistolæ non sint, altera Chromatii et Heliodori, altera* Hieronymi, *ut certum indubitatumque est post Baronium omnibus eruditis, apud quos ullam de illis Epistolis mentionem inveni, quomodo ex illis Epistolis argumentum habebimus ad Martyrologium* S. Hieronymo *adjudicandum? Nam nec in Operibus ipsius* Hieronymi, *nec in ullis scriptis contemporaneorum ullum invenitur verbum, ex quo aut verisimile aut probabile fiat, compositum fuisse a* S. Hieronymo *aliquod Martyrologium.*

verba Cassiodori non prosunt

1236 *Primus, qui in auxilium advocatur ad Martyrologium* S. Hieronymo *vindicandum, est Cassiodorus, qui lib. de Institutione cap.* 32 *habet hæc verba:* Et ideo futuræ beatitudinis memores, Vitas patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter (quas inter alia in Epistola sancti Hieronymi, ad Chromatium et Heliodorum destinata, procul dubio reperi- C tis) qui per totum orbem terrarum floruere, ut sancta imitatio vos provocans ad cælestia regna perducat. *Laudatus Bollandus hæc verba adduxit, sed ex iis nihil certi colligere voluit. Nam dubitavit, an jam tum exstarent commentitiæ illæ Epistolæ, ut merito dubitari potest. Fatetur, jam tempore Cassiodori repertas esse id genus merces adulterinas.* Sed, *inquit*, qui potuit vir doctissimus stylum ab Hieronymi elegantia remotissimum non agnoscere? *Tum aliam conjecturam de verbis Cassiodori suggerit Bollandus, ita pergens:* An erat tunc in hominum manibus vera Hieronymi epistola, et deinde intercidit; ac post alia est a quopiam imperite et fraudulenter conficta? Walafridus legitimam (*illam nempe, quæ exstat*) videtur agnovisse. Mihi nemo persuaserit. *Sic merito dubitat, utrum de supposititia* S. Hieronymi *Epistola locutus sit Cassiodorus, an de alia quapiam, quæ exciderit.*

ad Martyrologium S. Hieronymo vindicandum.

1237 *Mihi ulterius dubium videtur, an verba Cassiodori*, Qui per totum orbem terrarum floruerunt, *sint referenda ad unicam aliquam* S. Hieronymi *Epistolam, et non potius ad illa omnia*, Vitas patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum, . . . qui per totum *etc. Si au-* D *tem verba hoc sensu intelliguntur, non locutus fuerit Cassiodorus de aliqua* Hieronymi *Epistola omnes complexa Sanctos, sive de Martyrologio aliquo, aut brevi Sanctorum indiculo; sed de Epistola, quæ unius aut plurium Sanctorum præclara contineret gesta: qualis est Epistola ad Heliodorum, qua* S. Hieronymus *exaravit epitaphium Nepotiani presbyteri. De illa Epistola, quæ præter virtutes Nepotiani et alia continet incitamenta virtutum, loqui Cassiodorum omnino crederem, si Chromatio simul et Heliodoro legeretur inscripta. Nam Cassiodorus suis commendat, ut legant Acta Sanctorum hunc in finem,* ut sancta imitatio, *inquit*, vos provocans ad cælestia regna perducat. *At nulla fere Sanctorum et locorum nomina, quæ leguntur in vetusto illo Martyrologio, minus eum in finem videntur idonea, ut vix existimare possim, de eo locutum Cassiodorum. Quare necesse non erit dicere, suppositas Epistolas iam exstitisse Cassiodori tempore, aut aliam* Hieronymi, *ex qua illæ demum fuerint confictæ.*

S. Gregorius istud quidem Martyrologium memorat,

1238 *Verba S. Gregorii Magni in Epistola ad S. Eulogium Alexandrinum (lib. 8, Epist. 29), quæ deinde asseruntur, multum quidem valent ad vetustatem Martyrologii Hieronymiani probandam; sed prodesse nequeunt ad auctorem* Hieronymum E *inveniendum. Petebat S. Eulogius, ut sibi transmitterentur* cunctorum martyrum gesta, quæ piæ memoriæ Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt. *Respondet S. Gregorius, collecta ab Eusebio sibi ignota esse. Deinde vero subjungit*: Nos autem pene omnium martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus, indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus. *Tam aperte hæc omnia congruunt Martyrologio Hieronymiano, ut eruditi modo plane consentiant, de illo locutum esse S. Gregorium. At hic nullo verbo indicat, auctorem illius Martyrologii esse* S. Hieronymum *aut Eusebium.* F

sed nec vidit Epistolas illi deinde præfixas.

1239 *Valesius in Annotationibus ad Eusebium pag.* 316 *gratis hic errorem S. Gregorio affingit.* Cum enim, *inquit*, eius Martyrologii auctor Eusebius Cæsariensis, Hieronymus interpres duntaxat crederetur, ut scribit etiam Beda in Retractationibus in Acta Apostolorum, ideirco Gregorius Magnus hoc Martyrologium, de quo loquitur, penes Eulogium Alexandrinum Græce exstare existimabat. Omitto, quod ait de quotidianis Missis in honorem martyrum celebratis: in quo alludit procul dubio ad Epistolam illam Hieronymi Martyrologio præfixam. *Dixi*, gratis *errorem S. Gregorio affingi. Cum enim ageretur de Operibus Eusebii, responderetque ea non servari in tabulario Romano: deinde vero de Martyrologio loquatur, tamquam de alio Opere, qua ratione censendus est credidisse, illius Martyrologii collectorem fuisse Eusebium? Profecto non debebat aliis uti verbis, quam usus est, ut Eulogio persuaderet, illud Opus Eusebii non esse, sed ulterius. Tota Epistola clamat, auctorem illius Martyrologii Gregorio visum non esse Eusebium. De collectis enim ab Eusebio martyrum gestis respondet.*

Sed

A Sed hæc nequo si colleeta sint, neque si non sint, ante vestræ beatitudinis scripta cognovi. *Qua igitur ratione fingit Valesius, supposititiam Epistolam Martyrologio præfixam fuisse Gregorii tempore, et ab eo creditam esse* Hieronymi? *Nam hæc Epistola de illa Eusebii collectione sic loquitur, ut ignorare non posset Gregorius, collecta ab Eusebio fuisse martyrum Acta, si Epistolam legisset, et pro vera habuisset.*

nec auctorem credidit Eusebium aut Hieronymum.

1240 *Præterea, cum collecta ab Eusebio peteret Eulogius, si Gregorius credidisset, Martyrologium quoque ab Eusebio collectum, id saltem scripsisset, sed nec Eusebii nec* Hieronymi *illud esse dicit: Martyrologium vero distinguens a collectis ab Eusebio, quæ erant petita, hæc subjungit:* Ea vero, quæ transmitti voluistis, quærentes quidem non invenimus, sed adhuc non invenientes quærimus: et, si potuerint inveniri, transmittimus. *Ex allegatis colligi videtur, supposititias illas Epistolas necdum Martyrologio præfixas fuisse Gregorii tempore, sive sub finem sæculi 6, quando scripta est Epistola. Cum enim quotidianus esset Martyrologii usus, procul dubio Epistolas illas legisset S. Gregorius, et vel maxime, quando* B *quærebat petita ab Eulogio, si positæ fuissent ante Martyrologium. Secundo tam ex hac ratione, quam ex silentio Gregorii de S.* Hieronymo, *verisimillimum fit, opinionem illam de* Hieronymo *Martyrologii auctore ortam esse post S. Gregorii tempora: nam S. Gregorius verisimiliter non tacuisset Martyrologii auctorem, si illum credidisset celeberrimum* Hieronymum. *Tertio ex illis verbis Gregorii,* sed hæc habere vos beatissimos credimus, *optime colligitur, non novum fuisse Gregorii tempore Martyrologium, sed vetustum et multis locis usitatum: neque enim aliter credidisset Gregorius, non deesse Alexandriæ.*

Nata videtur illa opinio sæculo 7, et Bedæ suspecta fuit:

1241 *Porro non diu post tempora S. Gregorii, sive sæculo 7, sub cujus initium ille obiit, nata videtur opinio de Martyrologio per Eusebium aut* Hieronymum *composito, forte quod aliquis supposititias Epistolas tunc eidem in aliquot codicibus præfixerit. Certe sub initium sæculi 8, quando florebat venerabilis Beda, jam vulgata erat ea opinio. Attamen Beda suspectam habuit, ut ex ejus verbis colligitur. Hoc solerter observavit Bollandus, qui verba Bedæ ex Retractatione in Actus Apostolorum cap. 1 hæc recitat:* Quibus adstipulatur C et liber Martyrologii, qui B. Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur: quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, sed interpres, Eusebius autem auctor extitisse narretur. *Hisce recte subdit Bollandus:* Non asserit tamen Beda, vel Eusebium auctorem exstitisse, vel Hieronymum interpretem, sed Hieronymi nomine et præfatione attitulari, Eusebium vero auctorem extitisse narrari. *Tum observat, ab eodem Beda lib. 2 in Marcum cap. 26 citari* Martyrologium Eusebii et Hieronymi vocabulis insignitum. *Non sic locutus fuisset S. Beda, si* Hieronymi *credidisset Epistolam, quam vocat* præfationem. *Itaque ex verbis Bedæ habemus, Epistolam supposititiam ejus tempore præfixam fuisse Martyrologio, nomenque* Hieronymi *Martyrologio sic datum, ut alii tamen Eusebium maluerint auctorem facere, et* Hieronymum *interpretem; sed omnia illa Bedæ fuisse suspecta.*

alii vero sæculo 9 auctorem Martyrologii dixerunt Hieronymum.

1242 *Walafridus Strabo, qui floruit 9 sæculo, insignitam* Hieronymi *nomine Epistolam pro vera habuit, eidemque Martyrologium indubitanter adscripsit. Ita enim Walafridi verba recitat Florentinius:* Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsariensem, per anni circulum conscripsit, ea occasione ab episcopo Chromatio et Heliodoro illud Opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus imperator in concilio episcoporum laudavit Gregorium Corduhensem episcopum, quod omni die Missas explicans, eorum martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret. *Hæc clarissime desumpta sunt ex supposititiis Epistolis Martyrologio præfixis, quas Beda habuit suspectas, et quas Walafridus pro veris admisit. Admissa autem veritate utriusque Epistolæ, non poterat non Martyrologii auctorem facere* Hieronymum. *Usuardus ejusdem fuit opinionis cum Walafrido de composito per S.* Hieronymum *Martyrologio, cum ad Carolum regem in Prologo sic loquatur:* Præterea et venerabilium Hieronymi scilicet ac Bedæ presbyterorum piis, quamvis succinctis, super hoc (*scribendo Martyrologio*) provocabar descriptis, quorum prior brevitati studens, alter vero quamplures dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis præteriisse necessaria. *His certe verbis insinuat Usuardus, Martyrologium aliquod a S.* Hieronymo *fuisse scriptum,* E *idque omnes anni dies complexum, sed nimis breve, ob omissa nempe diversa martyrum certamina, quale omnino est, quod* Hieronymianum *vocamus. Rabanus quoque in libro de Computo, quem edidit Baluzius tom. I Miscellaneorum, pag. 60 laudat Martyrologium tamquam* S. Hieronymi.

At ea sententia, verisimiliter ex conjecturis orta.

1243 *Ita opinio illa, quæ probabilius nata est sæculo 7, et forte ex conjecturis, quas nonnemo fictitius Martyrologio adjectis Epistolis firmare voluerit, consilio sane nequaquam laudando, sic, inquam, opinio illa, quæ paulatim invalescere potuit sæculo 8, prorsus recepta fuit sæculo 9. Dixi* probabilius *natam sæculo 7 opinionem illam, quod S. Gregorius de illa nihil videatur novisse. Nolim tamen vel latum unguem a Bollando hic recedere, nec verba Cassiodori omnino abjicere, sed potius cum Bollando (adjecta tamen conjectura superius data de varia intelligentia verborum Cassiodori) dicam:* Si vere Hieronymi erat ea Epistola, quam citat Cassiodorus (*eaque intelligenda est, sicut hactenus fuerat intellecta*) fatendum erit, indiculum aliquem, seu Fastos ab eo concinnatos, descriptis fortasse nominibus eorum, F quorum in Eusebii collectione Acta exstabant, et aliis additis. Sin jam ante erat supposita (*quod creditu difficile ob S. Gregorium;*) tamen ea inveteravit opinio, Martyrologium esse ab eo compositum aliquod. *Ita Bollandus, ubique insinuans, non videri auctorem Martyrologii* Hieronymum; *non male tamen* Hieronymianum *vocari, cum eo nomine innotescat, illudque ex inveterata opinione sit ortum. Potuit etiam multa Sanctorum nomina colligere* S. Hieronymus, *eorumque dies et certaminis loca annotare, non solum ex collectis ab Eusebio, sed vel maxime Romæ, quando ibi erat tempore Damasi; et sic utcumque concurrere ad compositionem Martyrologii.*

minus probabilis videtur.

1244 *Omnibus tandem consideratis, plane mihi persuadeo, vetustum istud Martyrologium fuisse quidem compositum circa S. Hieronymi tempora, sive sæculo 4 aut 5; non tamen S. Hieronymi opera sic fuisse concinnatum, sicut ab initio editum est, et in usum pro festis Sanctorum inductum. Ratio prima est, quod illa opinio unice nata videatur ex Epistolis supposititiis, et nihil inveniatur in scriptis* S. Hieronymi, *ex quo confirmari valeat. Certe Martyrologium colligere debuisset,*

Auctore J. C.

debuisset aut ante annum 392, quo in libro de Viris illustribus scripta sua usque ad illud tempus enumeravit; aut post dictum annum. Si ante compositum fuisset, reliquis Opusculis suis annumerasset Martyrologium: si quis maluerit postea concinnatum credere; resistent alias S. Hieronymi *Opera, quibus singuli anni tam pleni sunt, ut nequeat probabili ratione inveniri tempus tantum, quantum necessarium fuisset ad componendum Opus tam laboriosum. Altera ratio est, quod ipsius quoque Martyrologii stylus* Hieronymo *nequaquam congruat: neque is styli defectus ex solis librariorum mendis ortus videtur: nam ea quoque, quæ non possumus corrupta dicere, non congruunt Hieronymianæ elegantiæ.*

licet circa ætatem Hieronymi, aut non diu post videatur compositum,

1245 *Non fuisse autem compositum post sæculum quintum, admittunt passim eruditi, quia non complectitur martyres Africanos, qui sæculo* 5 *sub Genserico et aliis Wandalorum regibus Arianis magno numero passi sunt. Leguntur quidem in hodiernis apagraphis aliquot Sancti post sæculum* 5 *defuncti; sed hos postmodum adjectos fuisse, communis est omnium sententia. Quare nec de vetustate nec de auctoritate illius Martyrologii merito* B *dubitari potest; quandoquidem usitatum fuerit in Ecclesia Romana tempore S. Gregorii Papæ. Solum dubitamus de auctore, qui non videtur* Hieronymus, *minus etiam Eusebius. Verisimile quoque non est, tot martyrum gesta scripsisse Eusebium, quot eorum nomina memorato Martyrologio fuerunt adscripta; ut nequeam credere, ex Eusebii præcipue scriptis concinnatum fuisse Martyrologium. Magis mihi verisimile fit, considerata martyrum multitudine, consulta fuisse tabularia illarum civitatum, in quibus martyres sunt passi, ex iisque collecta fuisse nomina martyrum et locorum, quibus singuli erant passi. Hi catalogi, jubente pio imperatore, per notarios aut ecclesiasticos fideliter componi poterant per omnes anni dies, et deinde ad virum prudentem mitti, qui omnes in unum corpus coagmentaret, et aliunde addenda adderet. Id Romæ aut alibi facere potuit ecclesiasticus aliquis prudens et accuratus.*

§ LXXVII. Alia scripta, partim dubia, partim falso attributa S. Hieronymo.

C

Non videtur Sanctus scripsisse Opusculum de Hæresibus.

S*anctus Ausgustinus sub finem libri de Hæresibus ad Quodvultdeum hæc scribit:* Audivi scripsisse de Hæresibus sanctum Hieronymum, sed ipsum eius Opusculum nec in nostra bibliotheca invenire potuimus, nec, unde possit accipi, scimus. Quod si tu scieris, perveni ad illud, et forte habebis melius aliquid, quam hoc nostrum: quamvis nec ipsum, licet Hominem doctissimum, omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. *Hæc ingerunt suspicionem de scripto per* S. Hieronymum *Opusculo de Hæresibus. Attamen parum probabilitatis habebit talis suspicio, quandoquidem ex Operibus* S. Hieronymi *nihil innotescat, unde conjectura illa posset confirmari. Præterea editor Benedictinus in Annotatis observat sequentia:* Hoc loco plerique Mss. ista interponunt, (*nempe ante verba Augustini,* Quod si tu scieris.) *Audiamus verba interpolatoris:* Certissimus homo, studiosus librorum ejus cognitor, de hoc interrogatus, ait, nescio quem, qui hanc famam disseminavit, nescisse, quid dixerit. Nam de Hæresibus, D inquit, nullum Opusculum sanctus Hieronymus condidit. *Vera, opinor, dixit ille: sed satis fuisset, si illa observatio ad marginem fuisset relicta. Laudatus editor deinde subjungit:* Exstat hæresum indiculus Hieronymi nomine, per Claudium Menardum post Augustini Opus imperfectum vulgatus, sed eruditorum sententia ipsi abjudicatur. *Trithemius quoque in catalogo Scriptorum* Hieronymi *recenset librum unum* de octoginta quatuor hæresibus. *At ille scriptis* Hieronymi *multa adauxcet supposititia. Hæc de illis sufficiant.*

præter Commentarios in Matthæum, alii eidem tributi

1247 *Cassiodorus, qui in libro de Institutione pleraque* S. Hieronymi *Opera memoravit, nonnulla etiam attigit necdum nota, et forte numquam ab* Hieronymo *scripta. Nam cap.* 7 *sic habet:* Septimus igitur codex Scripturæ divinæ, qui est Novi Testamenti primus,... quatuor Euangelistarum superna luce resplendet. Quorum omnium propria discutiens sanctus Hieronymus diligenti cura disseruit: quæ in uno volumine comprehendi, ne legentis intentio divisis codicibus tardaretur. Matthæum beatus Hieronymus iterum bis binis libris exposuit. *De Commentario in Matthæum, diviso in libros quatuor, nullum* E *est dubium, et de illo egi num.* 602. *Quod vero quatuor Evangelia exposuerit, neque ex scriptis* S. Hieronymi *probare valeo, neque ex ullis scriptoribus contemporaneis. Trithemius tamen in libro de Ecclesiasticis scriptoribus inter Opera Sancti numerat non modo quatuor istos libros* in Euangelium Matthæi, *sed etiam* in Euangelium Marci librum unum, in Euangelium Lucæ librum unum, in Euangelium Joannis librum unum. *Et* in quatuor Euangelia anagogice libros quatuor. *De anagogica hac expositione forte non loquitur Cassiodorus; videtur tamen designare Commentarios in singula Evangelia seorsum scripta, præsertim cum in Præfatione ad Psalterium cap.* 1 *laudet* S. Hieronymi *Commentarium in Marcum his verbis:* Unde et sanctus Hieronymus, exponens Euangelistam Marcum in loco, ubi ait de Joanne. « Vidit apertos cælos et Spiritum tamquam columbam descendentem, et manentem in ipso »: ita evidenti ratione tractavit, ut nemo contra ipsius sententiam venire præsumat.

fuerunt a Cassiodoro in quatuor Evangelia,

1248 *Hæc verba omnino insinuant, Cassiodora fuisse Commentarium in Marcum, cujus auctorem credebat* S. Hieronymum. *At necesse non* F *est, ut dicamus, Cassiodorum credidisse, bis in Marcum scripsisse* Hieronymum. *Nam verbis ante allegatis dixit, omnia quatuor Evangelia ab* Hieronymo *exposita, sive in singula scriptos Commentarios, ex quibus allegavit Commentarium in Marcum. Ex ejus autem verbis aliquot oriuntur dubia. Primum est, utrum revera* S. Hieronymus *scripserit in Marcum, in Lucam, in Joannem, et bis in Matthæum, ut existimavit Cassiodorus. Quominus id certo credamus, obstat perpetuum* S. Hieronymi *de illis scriptis silentium, quodque hacteuus nulli in quatuor Evangelia Commentarii (præter notissimos in Matthæum) sint inventi, qui prudenter* S. Hieronymo *tribui possunt. Impressi quidem sunt apud Martianæum tom. V, a col.* 847 *Commentarii in quatuor Evangelia consequenter scripti sub hoc titulo:* Incipit Expositio quatuor Euangeliorum, de brevi proverbio edita, Hieronymi presbyteri. *At hos falso adscriptos* S. Hieronymo, *et ipse editor notavit, et unusquisque facile videbit, si vel mediocriter stylum* S. Hieronymi, *noverit. Sequuntur ibidem col.* 887 *alii Commentarii in Marcum, nomine* S. Hieronymi *similiter*

A *liter editi, sed quos* Hieronymi *non esse, editor rursum observat, uliique erudili merito confirmant, cum stylo Hieronymiano non congruant, sive Præfationem consideremus, sive ipsos Commentarios. Rursum ibidem col.* 923 *sequitur* Præfatio,... in Euangelium secundum Lucam ; *sed et hanc falso adscriptam* S. Hieronymo, *judicat editor, et merito ob stylum* Hieronymo *minime congruam.*

At ii necdum noti sunt, eaque sententia minus est probabilis.

1249 *Itaque cum nec* S. Hieronymus *de illis Commentariis uspiam meminerit, nec illi hue usque inventi fuerint, dubium fit, an sola Cassiodori auctoritas tanti sit facienda, ut credere debeamus, compositos fuisse ab* Hieronymo. *Quod vero spectat ad Trithemium, haud difficulter crediderо, breves illos Commentarios in quatuor Evangelia, quos edidit Martianæus, ub eo vocari* quatuor libros, *scriptos* in quatuor Euangelia anagogice. *Nam et libri quatuor sunt, et expositio fere tota mystica est sive anagogica. Sic verisimiliter* S. Hieronymo *attribuerit Trithemius editum a Martianæo Commentarium in Marcum, illumque in Lucum, cujus ibidem data est præfatio sola. Verum altera dubitatio est, an et Cassiodorus fictitiis inscriptionibus fuerit deceptus, et* S. Hieronymi *crediderit Com-*
B *mentarios, qui* Hieronymi *non sunt. Hoc saltem factum non est de brevibus Commentariis in quatuor Evangelia : nam quæ profert ex Commentario in Marcum, ibidem non habentur. Id non æque certum est de Commentario in Marcum : nam in dato apud Martianæum saltem explicantur verba Marci, quæ per* Hieronymum *exposita dicit Cassiodorus supra num.* 1247. *Quapropter forsan illum Commentarium, qui* Hieronymi *non videtur,* Hieronymi *Commentarium crediderit Cassiodorus, et sic alios in Matthæum, in Lucam et in Joannem. Manet ergo dubium, an* S. Hieronymus *in quatuor Evangelia alios scripserit Commentarios, quam quos habemus in Matthæum, idque semper dubium et minus probabile manebit, nisi quis invenerit Commentarios in Evangelia* S. Hieronymi *stylo et ingenio congruos.*

Non videtur exposuisse omnes Pauli Epistolas aut Apocalypsim.

1250 *Quemadmodum alienos in Evangelia Commentarios forte* S. Hieronymo *tribuit Cassiodorus, licet eos vidisset ; sic magis verisimile fit, eumdem errasse in iis, quos non viderat. Nam præter quatuor Epistolas S. Pauli, quas ab* Hieronymo *expositas vidimus, multas alias ab eodem credidit explicatas, imo et Annotationes breves ab* Hiero-
C nymo *scriptas in Epistolas S. Pauli. Verum de hisce videri possunt dicta num.* 371 *et* 372. *Laudatus Cassiodorus cap.* 9 *Apocalypsim quoque ab* Hieronymo *expositam credidit, ita scribens :* Apocalypsis vero, quæ studiose legentium animos ad supernam contemplationem deducit, et facit mente cernere, quod angeli videndo beati sunt, sancti Hieronymi expositione conspicua est. *Accedit auctor vitæ primæ, memorans* Joannis Revelationem *inter libros ab* Hieronymo *expositos. At vix credere possum, ejusmodi Commentario Apocalypsim expositam ab* Hieronymo. *Certe scriptus non fuerit ante annum* 392, *sive ante librum de Viris illustribus, in quo illum non recenset* Hieronymus, *non prætermissurus Commentarium, qui prolixus esse debebat, si fuisset compositus. Mihi verisimile etiam non fit, post annum* 392 *Apocalypsim ab* Hieronymo *expositam, cum quod de ea expositione numquam meminerit, tum quod tempora ejus aliis scriptis et occupationibus tam divisa et plena reperiumus, ut intelligi nequeat, quo tempore laboriosum adeo Commentarium scripsisset, tum demum quod ille nullibi reperiatur. Itaque timendum est, ne alterius cujuspiam Opus pro Opere* S. Hieronymi *sumpserit Cassiodorus, aut auctor vitæ primæ : nam verisimiliter alteruter id ex altero sumpsit.*

Auctore I. S.

Opuscula supposita. Epistola Sancti perdita.

1251 *Nonnulla Opuscula in Vetus Testamentum, quæ olim falso attributa fuerunt* S. Hieronymo, *designavi num.* 381 , *et aliud in Actus Apostolorum. Hisce addi possunt alia quædam Opuscula, impressa apud Martianæum tom. V, quales sunt Commentarii in Proverbia, in Job et in Lamentationes Jeremiæ, de quibus necesse non est plura dicere. Præterea Cassiodorus tres Veteris Testamenti quæstiones ab* Hieronymo *in quadam Epistola expositus refert, ita scribens :* Nam et beatus Hieronymus ad Abundantium scribens, obscurissimas tres alias exposuit quæstiones. Quarum prima est, cur David, qui ad expugnandum Saül cum Achis Allophylorum rege ultroneus veniebat, hominem, qui ejusdem Saulis mortem postea nuntiavit, occiderit. Secunda est, cur David moriens præcepit filio suo Salamoni magistrum militiæ suæ Joab interficere. Tertia vero quæstio est de Semei, qui fugienti David intolerabiles maledictionum injurias, missis etiam lapidibus, irrogavit. *Hæc Epistola ad* Abundantium, *in alia editione* Antium *dictum, hactenus non innotuit,* E
nec ullibi ab ipso Hieronymo *commemorata est. Verisimile tamen est, compositam fuisse ab* Hieronymo, *ad quem id genus quæstiunes frequenter mittebantur. Neque enim ullam habemus de illis quæstionibus Epistolam alterius, qua decipi potuisset Cassiodorus. Trithemius, qui ex suppositis* Hieronymo *Opusculis multa memoravit, de illa Epistola siluit, ut probabile sit, eam ab aliquot sæculis fuisse perditam.*

Multa supposititia Opuscula.

1252 *Quin et plura in sacram Scripturam Opuscula* Hieronymo *tribuit Trithemius, quam Cassiodorus.* Nam de Quæstionibus Regum *in catalogo suo ponit* libros tres, de quæstionibus Paralipomenon libros duos : in Canticum Delbore (*lege* Debboræ) librum unum. In Proverbia Salomonis, libros quinque : in Cantica canticorum, libros tres. *Deinde vero* in Epistolam Pauli ad Romanos libros quinque : in duas ad Corinthios Epistolas, libros duos... in Epistolam ad Philippenses, librum unum : in Epistolam ad Collossenses, librum unum : in Epistolam (*forte utramque voluit dicere*) ad Thessalonicenses, libros quatuor : in duas ad Timotheum, libros tres :... in Epistolam ad Hebræos, librum unum : in Actus F
Apostolorum, librum unum : in Apocalipsim, libros septem : in Epistolas Canonicas, libros septem. *Liceat breviter dicere, hæc omnia falso videri* S. Hieronymo *adscripta. Pleraque edita sunt inter supposititia. Quæ vero in Epistolas S. Pauli et Canonicos, uti et in Actus Apostolorum et Apocalypsim, scripta recenset Trithemius, non videtur ipse vidisse, cum illorum principiu non recenseat, ut passim facit.*

In sacram Scripturam.

1253 *Subjungit Trithemius :* In quosdam Psalmos, libros sex ; *quos similiter inter scripta Hieronymiana nullibi invenio : neque ex gestis* S. Hieronymi *verisimile fit, eum sex libros in Psalmos scripsisse. Initium, quod ponit Trithemius,* Omne Psalterium sagaci, *reperitur in Explanatione in Psalmum* 41 *apud Martianæum tom. V, col.* 188. *Præterea ex gestis* S. Hieronymi *recte Martianæus* S. Hieronymo *abjudicavit aliud Opus in omnes Psalmos, quod edidit in Appendice tomi secundi a col.* 121, *præsertim cum et aliis pluribus argumentis probaverit , istud Opus , quod dicitur* Breviarium S. Hieronymi in Psalterium, *sancti Doctoris non videri. Hinc et alia pauca in Psalmos*

AUCTORE J. S.

mos scripta ibidem subdidit, et Hieronymo *abjudicavit Martianæus. Ad sacram quoque Scripturam spectat liber unus, quem perperam* Hieronymo *adscripsit Trithemius, titulum ita referens :* De decem tentationibus in deserto. *Breve est Opusculum et primum in Appendice tomi secundi apud Martianæum, qui de vero ejus auctore disserit.*

alia etiam plura a Trithemio

1254 *Præter modo dicta in sacram scripturam, Trithemius alia non pauca supposititia veris* S. Hieronymi *scriptis immiscet, et eorum pars magna apud Martianæum tom. V edita est. Indicabo pleraque : sed subinde tituli modice videntur mutati. Elenchum suum Trithemius ita inchoat :* De fide ad Damasum lib. 1. *Hac editum, ut* Explanatio fidei ad Damasum *col.* 122. *Pergit Trithemius :* De fide Nicæni concilii lib. 1. *Sequitur ibidem col.* 124, *quantum videtur, hoc titulo :* Explanatio fidei ad Cyrillum. *Certe materia congruit et principium. Rursum Trithemius :* De essentia Trinitatis lib. 1. *Præcedit ibidem col.* 117. *Post multa Opuscula* Hieronymi *apud Trithemium sequitur supposititium,* De vera Circumcisione lib. 1., *editus apud Martianæum col.* 150. *Post pauca ponit*
B *Trithemius,* De anna et Joachim librum unum, *qui apud Martianæum col.* 445 *inter falso adscriptos* Hieronymo *habetur sub titulo,* de Nativitate sanctæ Mariæ, *ut liquet ex initio. Rursum post alia sequitur apud Trithemium :* De vinculis beati Petri lib. 1. *Habetur tom. V, col.* 201 *hoc titulo :* Ad Eustochium de Vinculis beati Petri. *Tum,* De præcipuis scriptoribus, lib. 1, *apud Martianæum col.* 417 *editus, ut* Scriptorum ecclesiasticorum catalogus ad Desiderium. *Et mox :* De viro perfecto lib. 1, *apud Martianæum col.* 52 *hoc titulo editus :* Ad amicum ægrotum, de Viro perfecto, *ubi editor addit :* Est sancti Maximi. *Tum apud Trithemium :* De Obedientia et juramento lib. 1. *Epistola est, ut pleræque præcedentes, apud Martianæum data col.* 71 *sub hoc titulo :* Instituit amicum in scientia divinæ
C legis.

perperam S. Hieronymo

1255 *Pergit Trithemius :* De tribus virtutibus lib. 1, *eodem titulo impressus col.* 78. *Deinde :* De parentibus honorandis lib. 1, *qui impressus col.* 97. *Mox :* De eadem re (*vitam clericorum*) ad Oceanum lib. 1. *Et hic falso adscriptus* Hieronymo, *et impressus col.* 412. *Sequitur :* Ad Rusticum de vita episcopi lib. 1, *editus apud Martianæum col.* 99 *hoc titulo :* De septem Ordinibus Ecclesiæ. *Mox :* Regula monialium ad Eustochium, lib. 1 ; *apud Martianæum hæc Regula cum procemio data col.* 421. *Tum post verum* Hieronymi *Opus de Virginitate ad Eustochium, sequitur rursum supposititium :* Item de Virginitate lib. 1, *datus col.* 108. *Post aliquot* Hieronymi *scripta sequitur iterum alienum ;* De Cereo Paschali lib. 1, *cui dat hoc initium ;* Hieronymus Præsidio fratri. *At hæc est Epistolæ inscriptio. Quare non dubito, quin sit Epistola edita col.* 146 *hoc titulo ;* Ad Præsidium de Cereo Paschali, *licet aliud habeat principium. Mox ;* Consolatio ægrotantis amici lib. 1, *apud Martianæum col.* 43. *Deinde :* Ad Susannam lapsam lib. 1, *apud Martianæum col.* 176, *ubi idem titulus, sed aliquot verba præcedunt ante principium a Trithemio assignatum. Tum,* de duobus filiis lib. 1, *apud Martianæum col.* 214. *Mox sequuntur duo tituli apud Trithemium, videlicet* de Octoginta quatuor hæresibus, *jam memoratus, et* contra hæreticos lib. 1 : *de quibus apud Martianæum nihil editum invenio.*

adscripta, et nonnulla dubia :

D 1256 *Deinde post aliquot vera* S. Hieronymi *Opuscula sequitur* de Assumptione sanctæ Mariæ lib. 1. *Sermo est prolixus a Martianæo editus col.* 82 *hoc titulo :* Ad Paulam et Eustochium de Assumptione beatæ Mariæ Virginis sermo. *Hunc Sermonem prolixiore ratiocinio, quam passim uti solet,* S. Hieronymo *abjudicat Martianæus. Tum sequitur :* De Testamento Gerontii lib. 1. *Epistola est, col.* 33 *hoc titulo edita :* Ad Geruntii filias de contemnenda hæreditate. *Post Opuscula Sancti vera sequitur apud Trithemium;* Vita sanctorum Patrum lib. 1 : *de quo nihil reperio apud Martianæum. At auctor vitæ primæ ait ;* Plerasque eremitarum patrum vitas insignium veracissimo eloquio texuit historiæ. *Exaggeratio est, cum paucas solum, suis locis memoratas, scripserit* Hieronymus : *sed forsan aliæ eidem suppositæ. Post alia sequuntur rursum tituli dubii, nimirum :* De fide et conversatione Christianorum : De Alphabeto Hebraico, *de quo ad Paulam scribit* Hieronymus, *sed aliud initium recitat Trithemius, ut res fiat dubia. Demum post multa in sacram Scripturam enumerata, quorum partem* Hieronymi *non esse monui, in fine subdit Trithemius :* Sermones plures lib. 1. *At non habemus ullos Sermo-* E *nes ab* Hieronymo *pro concione dictos. Verum aliquot Sermones* S. Hieronymo *suppositos dedit Martianæus tom. V, uti et alia plura Opuscula, quæ non recensebo, cum singulis sua adjecta sit censura.*

versiones ex Græco ab eodem auctæ. Guigo, Cartusiæ Prior

1257 *De iis, quæ* S. Hieronymus *ex græcis latina reddidit, ita loquitur laudatus Trithemius :* Multa quoque volumina græcorum latina fecit : videlicet Origenis (*non omnia, sed aliqua suis locis relata*) Josephi Judæi (*id falso fuit assertum, sed numquam est factum*) Eusebii Cæsariensis (*Chronicon et alia quædam*) Didymi Alexandrini (*pauca*), Victorini martyris et aliorum. *Nullum, opinor, Victorini martyris scriptum integrum latinitate donavit* Hieronymus. *sed ejus verba græca subinde latine suis Opusculis inseruit. Jam vero, ne quis miretur, tot aliena Opera scriptis* S. Hieronymi *adnumerata fuisse a Trithemio, cogitare debet, scripsisse Trithemium, priusquam Erasmus vera* S. Hieronymi *Opera a falsis secernere cœperat. Attamen jam sæculo* 12 *Guigo, quintus Cartusiæ majoris prior, vir doctus, et amicus S. Bernardi, perspexerat,* F *Epistolis* S. Hieronymi *admixtas esse aliquot adulterinas, easque segregare cœpit. Exstat ejus ea de re Epistolas fratres Durbonenses, edita a Mabillonio tom. I Analectorum a pag.* 331, *quam totam huc traduco.*

colligens Epistolas S. Hieronymi nonnullas

158 Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, Lazaro Durbonensi Priori, et ceteris in eadem eremo Deo famulantibus, Cartusiæ Prior vocatus Guigo æternam a Domino salutem. Inter cetera Catholicorum virorum, quæ ad eruditionem fidelium elaboraverunt, Opera, quæ nostra quoque parvitas congregare studuit vel emendare, etiam Epistolas beati Hieronymi, quotquot potuimus, undecumque quæsitas, et pro concessa a Deo facultate mendaciis expurgatas, in unum grande volumen redegimus. Abscidimus autem ab eis quasdam, quas vel ex aliorum doctorum scriptis, vel ex styli sententiarumque distantia, titulo tanti Viri comperimus indignas. Ex quibus illa est, cujus est titulus ad Demetriadem, hoc habens initium : « Si summo » ingenio patrique fretus scientia : » (*habetur apud Martianæum tom. V, col.* 12, *alia exstat* Hieronymi *ad Demetriadem suo loco commemorata*).

Hanc

AUCTORE J. S.

Hanc quippe beatus Augustinus in Opere contra Pelagium de Gratia Christi et de Peccato Originali, eiusdem Pelagii esse dicit, quædam ipsius frusta tractatui suo inserens atque redarguens. Huic adduntur et istæ : Ad Titatium (*apud Martianæum, ubi edita est col.* 405, ad Tyrasium) de morte filiæ, cujus initium tale est : « Caritatis tuæ scripta percepi. » Ad Oceanum consolatoria, tale habens initium : « Diversorum opprobria tribulationes multiplices » (*ibidem edita col.* 408). Ad viduam, quæ sic incipit : « Magnam humilitati nostræ fiduciam scribendi. » (*ibidem col.* 37).

tamquam certo suppositas,

1259 Ad Virginem, sive ad filiam Mauricii (dupliciter quippe intitulata reperitur) exordium istud accipiens : « Quantam in cælestibus beatitudinem ». Item de lapsu virginis, sive de pœnitentia ad Susannam : uterque enim titulus in diversis codicibus invenitur. Quæ tam diversis titulatur auctoribus, ut eorum nullius sit decoranda vocabulo, cujus hoc est in quibusdam libris initium : « Puto leve esse crimen ». In aliis istud : « Quid agis anima ? quid cogitationibus æstuas? » *Hæc jam assignata est, uti et sequens :* Ad Desiderium de 12 lectoribus, a nescio quo in irrisionem doctorum composita. Ad Celantiam, sic incipiens : « Veteris Scripturæ celebrata sententia est. » Hæc stylo quidem nobiliore est scripta : sed nec sic beato Hieronymo digna. *De hac ad Celantiam Epistula dubitari potest, an forte non sit ipsius* Hieronymi. *Martianæus eam edidit tom IV, col.* 810 *hoc titulo :* Ad Celantiam matronam de ratione pie vivendi. *Et hanc addit censuram, nulla tamen prolatu ratione :* Est Paulini Nolani episcopi, non Hieronymi Epistola. *Tillemontius in* Hieronymo *art.* 144 *censet, dignam esse* S. Hieronymo *Epistolam, nec tamen ejus esse, nec S. Paulini; et pro ratione affert gravitatem styli semper æquabilis et serii. Eruditi editores Veronenses in Annotatis ad Epistolam., tom. I, col.* 1089 *datam, certius edicunt, nec* Hieronymi, *eam esse nec Paulini ob æquabilem styli gravitatem, malunique suspicari, lucubrationem esse Sulpitii Severi. Mihi quoque non videtur stylus Hieronymianus.*

secernendas censuit.

1260 Postrema est de Origine animæ disputatio (*apud Martianæum tom. V, col.* 384 *edita*) quasi inter beatos Hieronymum et Augustinum : ubi licet multa ex eorum scriptis ponantur, falsa tamen est : tum quia præfati doctores numquam inter se præsentialiter sunt locuti ; tum quia eadem quæstio nec apud eos nec apud ceteros fidei Catholicæ sectatores adhuc usque potuit liquido definiri. Hujus Disputationis tale reperitur principium : « Cum apud vos cælestis eloquentia purissimi fontis ». Ne autem prædicti Doctoris Epistolæ sine rationabili causa apud imperitos suo videantur numero diminutæ, has nostræ parvitatis litteras in principio collocate. Valete. Orate pro nobis. *Hactenus Guigo, ex cujus crisi manifestum fit, a multis jam seculis perspectam fuisse viris eruditis necessitatem segregandi genuina* S. Hieronymi *Opera a suppositiis. Restant alia nonnulla de scriptis* S. Hieronymo *attributis dicenda. In Vita prima sub finem dicitur :* Juris quoque consultus singularem tonantemque edidit librum. *Nescimus, utrum his verbis verum aliquod* Hieronymi *Opus indicetur, an aliquod supposititium eidem tribuatur. Paulo ante eadem Vita videtur* S. Hieronymo *tribuere Opus aliquod* contra Celsum, Porphyrium et Julianum augustum. *At istud Opus est Catalogus scriptorum ecclesiasticorum, quem ille auctor præmisit, et quem aliis verbis sic repetit, acsi aliud esset Opus.*

Præfatio in librum, qui Comes dicitur, non est Hieronymi.

1261 *Apud Martenium tom I Collectionis amplissimæ in Epistola Beraunis abbatis Augiensis ad Aribonem Moguntinum archiepiscopum, col.* 384 *citatur* S. Hieronymi *Lectionarium*, quem librum Comitis appellavit. *Apud Acherium tom. XIII Spicilegii pag.* 253 *datur præfatio in dictum librum sub hoc titulo :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis; incipit Epistola sanctæ Hieronymi, missa ad Constantium. Præfatio libri sequentis, qui Comes appellatur. *Laudatus Acherius in Præfatione ad lectorem num.* 4 *de illa præfatione sic loquitur :* Notanda in his est Præfatio S. Hieronymi ad librum, qui Comes appellatur, omnibus, quas vidi, editionibus haud præfixa. Hunc autem librum Hieronymi venum esse fétum, contendunt Pamelius in Prolegomenis tom. II Liturgicon, ac novissime Cardinalis Johannes Bona felicissimæ memoriæ, in egregio Opere de rebus Liturgicis lib. 2, cap. 6 ante medium. Non heic repeto, quæ viri eruditissimi hac de re scripsere. An vero illius, quam edidi, præfationis sit auctor Hieronymus, lectori judicandum relinquo. *At ego post alios non dubitabo edicere, præfationem illam nihil habere styli Hieronymiani, nec posse prudenter attribui* S. Hieronymo.

nec ipse Comes, etiamsi ab aliquibus medio ævo

1262 *Quod vero spectat ad ipsum Lectionarium,* Comitem *dictum, et sine illa præfatione editum a Pamelio tom. II Missalis SS. Patrum Latinorum pag.* 1, *illud quoque Opus esse* S. Hieronymi *non existimant eruditi hodierni, nec sine justa causa. Primo enim nec in scriptis* S. Hieronymi, *ex quibus omnia fere ejusdem gesta discimus; nec in ullis scriptoribus synchronis, aut etiam in aliis ullis, qui aliquot sæculis sunt posteriores, idoneum reperimus testimonium, quo Opus istud* S. Hieronymo *tribuamus. Laudatus Cardinalis Bona lib.* 2, *cap.* 6 *enumerat aliquod scriptores, qui Comitem* S. Hieronymo *tribuunt, ita scribens :* Citant hunc librum nomine Lectionarii omnes antiqui sacrorum Rituum scriptores, quidam sine nomine auctoris, alii expresso nomine S. Hieronymi et titulo Comitis. Ita Micrologus cap. 25 : « Liber etiam Comitis sive Lectionarius, quem S. Hieronymus compaginavit. » Et Berno Augiensis cap. 1 : Beatum Hieronymum credimus ordinatorem Lecitonarii, ut ipsius testatur Prologus, appositus in capite ejusdem Comitis... Hugo item a S. Victore lib. 2 de Offic. Eccl. cap. 2 : Hieronymus presbyter Lectionarium, ut hodie habet Ecclesia, collegit : sed Damasus Papa, ut nunc moris est, legi instituit. *Habemus hic tres scriptores, qui aperte* S. Hieronymum *Comitis auctorem faciunt. At illi omnes floruerunt multis sæculis post* Hieronymum. *Berno, qui aliis antiquior est, floruit sæculo* 12, *aperteque edicit, ex Præfatione, quam* S. Hieronymo *suppositam diximus, in eam opinionem se inductum. Quum parum igitur ejus auctoritati tribuere possumus?*

sit Hieronymo tributus, Sancto adjudicandus videtur.

1263 *Apud Florentinium mox uberius laudandum pag.* 16 *his auctoribus accedit* Honorius (*Augustodunensis*) in Gemma animæ lib. 1, cap. 88. *At hic similiter Bernone junior est. Addit Pamelius Badulphum Tungrensem et Joannem Beleth, quibus et Joannem Andream adjungere possum; sed omnes illi præmissis juniores sunt. Insinuat præterea Pamelius, Lectionarium illum librum laudari ab Alcuino et Amalario, sed sine nomine, ut hi, reliquis saltem vetustiores, magis obesse debeant, quam prodesse ad illum* S. Hieronymo *vindicandum*

dicandum

AUCTORE J. S.

dicandum. Præterea laudati scriptores, qui volunt Hieronymo *Comitem illum vindicare, conjiciunt a Sancto compositum, ordinante Damaso. At ea conjectura fit improbabilis tum ex Præfatione, quam ex ipso Opere: ex præfatione, quia hæc non dirigitur ad Damasum, sed ad Constantium quemdam nobis ignotum. Certius ex ipso Opere conjectura illa refellitur: nam Vetus Testamentum ibidem legitur secundum versionem* S. Hieronymi *ex Hebraico. Atqui versio illa ab* Hieronymo *inchoata est annis aliquot post mortem Damasi. Quo igitur modo Sanctus potuit, mandante Damaso, lectiones omnes sic ordinare? Hoc solum argumentum sufficit ad opinionem illam, veterum auctoritate destitutam, prorsus refutandam. Quare abstineo ab aliis, quæ ad manum sunt.*

Aliquot Epistolæ Operibus præfixæ similiter supposititiæ.

1264 *Florentinius in Admonitionibus præviis ad Martyrologium pag.* 16 *nonnulla quoque scribit de libro, Comite dicto, quem vidit in* Lucensium canonicorum bibliotheca *eum præfixo prologo, qui nomen* S. Hieronymi *præfert. Tum subjicit pag.* 17: Ita vidi in eadem canonicorum Lucensium bibliotheca Pontificalem Historiam, ante octingentos annos scriptam, et Anastasii B Bibliothecarii laboribus deinde auctam, in fronte præferre Epistolas B. Hieronymi ad Damasum Pontificem, et Damasi ad Hieronymum, in quibus non obscure Operis illius, quod inscribitur Episcopale, B. Hieronymus ipse auctor constituatur; quasi omnes ecclesiasticas collectiones sub Damaso Hieronymus vel composuerit vel refecerit. *Sic vetustissimo Pontificum Catalogo, quem edidit Henschenius noster ante tomum I Aprilis, invenit præfixas Epistolas nomine* Hieronymi *et Damasi scriptas, qui certo illorum non sunt, et aperta suppositionis præferunt indicia, ut viri eruditi dudum observarunt. Sic alias duas ibidem pag* 4 *recitavit. Henschenius, eorumdem Sanctorum nomini suppositas, et æque adulterinas. Priores quoque recudit Martianæus tom. V, col. 5, in quibus tamen auctor illius Catalogi Pontificum non dicitur* S. Hieronymus, *ut in Epistolis a Florentinio visis, sed ad* Hieronymum *Catalogus a Damaso missus dicitur. Ex dictis liquet, alias Litteras fuisse confictas, ut vetustum Martyrologium tribueretur* S. Hieronymo; *alias, ut crederetur auctor vetusti libri Lectionarii sive Comitis; alias rursum, ut et Catalogum Pontificum concinnasse, alias, ut* C *eumdem a Damaso accepisse existimaretur.*

Alia quædam falso attributa S. Hieronymo

1265 *Aliud rursum Opus adscribitur* S. Hieronymo *apud Martenium tom. I Thesauri Anecdotorum col.* 1188 *in Epistola Gerardi de Arvernia, ubi habentur ista:* Nam legitur in Patrum sanctorum Collationibus; quas transtulit Hieronymus, quod Joannes Evangelista Christi discipulus perdicem tractabat manibus, divinis studiis fatigatus. *Factum S. Joannis, quod refert Cassianus dictum a populo, hic non examino. Solum observo, Collationes Cassiani latine scriptas fuisse, et quidem post mortem* S. Hieronymi: *et vel sic* Hieronymus *eas transtulisse dicitur. Sic apud Acherium tom. X Spicilegii pag.* 130 *editum est antiquum Kalendarium, cui talis præfixus est titulus:* Incipit ordo solaris anni cum litteris, a S. Hieronymo superpositis, ad explorandam septimanæ diem, et lunæ ætatem investigandam in unoquoque die per novemdecim annos. *Sic Florentinius in Admonitionibus præviis pag.* 16 *testatur, quod in codice Lucensi, qui* Comes *dicitur,* antiquæ modulationis ecclesiasticæ characteres minutissimis quibusdam punctis designati conspiciuntur. *Verum nihil habemus in gestis* S. Hieronymi, *ex quo credere possimus, aut notas cantus ecclesiastici ab eo compositas, aut litteras Dominicales, ut vocant, et numerum aureum ab ipso præfixum Kalendario.* D

a variis scriptoribus.

1266 *Agobardus Lugdunensis in libro adversus Felicem Urgellensem cap.* 29 *prolixum affert locum ex Opere, quod* S. Hieronymo *attribuit his verbis:* Ait itaque beatus Hieronymus in suo brevi et elegantissimo tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos. *Non existimo,* Hieronymi *esse tractatum, qui laudatur, cum nullibi inter Opera* Hieronymi *compareat, ipsaque verba, quæ allegantur ab Agobardo, non videantur* Hieronymo *digna, aut stylo ejus consona. Sic Agobardus cap.* 20 *non pauca verba ex Opere Supposititio* de Viro perfecto *attribuit* S. Hieronymo, *ut ipse Baluzius in Annotatis observavit. Sic apud Martenium tom V Anecdotorum col.* 1175 *Petrus Abaelardus aliud supposititium* de Tribus virtutibus *pro Opere* S. Hieronymi *allegavit; et plurima Joannes Andreas ex ante memoratis. Demum Sigebertus in Chronico ad annum* 382 *insinuat, novum Psalterium ab* Hieronymo *fuisse compositum, additque:* Hoc Psalterium Damasus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis E ecclesiis cantari instituit, et propter hoc Gallicanum vocatur. *Psalterium revera bis correxit* S. Hieronymus, *primum Romæ, deinde in Bethleem. At secunda correctio post mortem Damasi facta. Quare non potuit Damasus secundam correctionem, quam* novum Psalterium *vocat Sigibertus, ecclesiis Gallicanis præscribere. De utraque correctione Psalterii, et de versione ejusdem ex Hebraico suis locis egimus. Ex Psalterio aliqui dixerunt et Officium canonicum ab* Hieronymo *compositum: sed satis sit de supposititiis: nam scripta alia supposititia, quæ ut talia edita sunt apud Martianæum, ulterius recensenda non existimo. Addiderunt Epistolam* 149 de Solemnitatibus Paschæ *editores Veronenses.*

§ LXXVIII. Refutatur error multorum, quo S. Hieronymus sacram Scripturam in linguam Dalmaticam vel Slavonicam transtulisse asseritur. F

Sanctus perperam asseritur sacram Scripturam

Volebam hinc mox ad alia transire, quando vel invitus detineor, et ad similem præcedentibus disputationem transire cogor. Hanc eruditis primæ notæ non credimus necessariam, sed aliis quoque scribimus, et error a sæculis ortus, et nostris quoque temporibus defensus, saltem repelli debet, si forte nequeat penitus eradicari. Joannes Dubravius, episcopus Olomucensis, in Historia Boiemica lib. 1. *pag.* 4 *post dicta aliqua de populo Slavonico aut Slavinorum, subjungit:* Ex hac gente divus Hieronymus prognatus, suis popularibus vetus novumque Testamentum sermone vernaculo interpretatus est, Gratiano et Theodosio imperium administrantibus; itaque interpretatione in hunc usque diem Illyrii, tum in hymnis divinis, tum in Sacrificiis utuntur, ut mirer extare, qui prodant, Slavenos sub Mauritio demum cæsare Illyriam invasisse occupasseque. *Ita Dubravius, antequam studium historicum et chronologicum ad hodiernam perfectionem fuerat perductum,*

AUCTORE J. S.

A ctum, quod ad ejus excusationem observandum censui. Nam alias crassus est error, quod Hieronymum faciat gente Slavum, cum Slavi diu post sedes in Dalmatia fixerint. Nonnulla similia jam ante asserueral Philippus Bergomas in Chronico ad annum 429, ubi de S. Hieronymo hæc aliis admiscet: Hic itaque, ut fide integer et vita purissimus erat, cum primum juventutis annos exegisset, Dalmatis, nationi suæ propinquis, quasdam litteras, a latinis Græcisque diversas, in primis adinvenit et composuit. Quæ quidem postea Sclavoniæ sunt appellatæ, eo quod Sclavonibus quibusdam Germaniæ populis dederit. Et non solum eas litteras composuit, sed et Officium, quo nos utimur, ex Græco in id ipsum idiomate traduxit, et eius * contulit. Quod etiam novissimis temporibus Eugenius quartus Pontifex maximus eisdem confirmavit.

* eis, opinor

in linguam vertisse Slavonicam in litteras Slavonicas invenisse:

1268 Bedecovichius, jam variis vicibus laudatus, asserta illa virorum, qui gesta S. Hieronymi minus habebant perspecta, aut certe ea cum notitiis historicis et chronologicis temporis, quo floruit S. Hieronymus, minus potuerunt conferre, nostris temporibus defendenda suscepit; additque B præcedentibus Orbinum in Hist. Rega. Slavor. pag. 73: Antonium Uramecz in Postilla Sanctor. Serm. de S. Hieron., et alios quatuor. At omnes illi sunt recentiores, ut numerum faciant, et nihil præterea, nisi idoneæ afferantur rationes. Plerique etiam solum laudantur pro inventione litterarum Slavonicarum, non pro translatione sacræ Scripturæ in idioma Slavonicum, quam forte solus asseruit Dubravius, Hieronymum ipsum ex Slavis oriundum faciens. Fatetur deinde Bedecovichius, contrariam de litteris Slavonicis sententiam asseri a presbytero Diocleate et Marco Marulo, quorum Opuscula edidit Joannes Lucius in Regno Dalmatiæ et Croatiæ, et demum ab ipso Lucio in Annotatis, quibus illorum Opuscula illustravit. Presbyter Diocleas apud Lucium pag. 288 omnia plane de Constantino philosopho narrat, quæ Dubravius simul et Bergomas improbabiliter S. Hieronymo attribuunt. Relata enim conversione multarum gentium per Constantinum, quem ea de causa Stephanus Papa videre voluit, incipit narrare facta, quæ per immanem anachronismum aliqui ad S. Hieronymum transtulerunt.

nam inventio litterarum facta est per S. Cyrillum,

1269 Itaque Constantinus, inquit, vir sanctissimus, ordinavit presbyteros, et litteram lingua Slavonica componens, commutavit (id est transtulit) C Evangelium Christi atque Psalterium, et omnes divinos libros veteris et novi Testamenti de Græca littera in Sclavonicam: et Missam ordinans more Græcorum, confirmavit eos in fide Christi etc. Eadem de translato per Constantinum, quem Constantinum vocat, vetere et novo Testamento refert Marulus apud Lucium pag. 305, et utrique assentitur Lucius in Annotatis. Erravit tamen Lucius, scriptoresque, invicem aptime consentientes, quasi dissentientes induxit, quod non attenderit ad geminum Constantini nomen: nam Constantinus, mutato sub finem vitæ nomine, Cyrillus quoque fuit dictus, et sic ab aliis Constantinus philosophus, ab aliis, maxime post mortem, S. Cyrillus vocatus est, et posteriore hoc nomine modo innotescit. Acta S. Cyrilli et S. Methodii fratris ejus data apud nos sunt ad 9 Martii, ubi de mutatione nominis in prima vita num. 10 hæc leguntur: Cum autem Philosophus (sic vulgo vocabatur ob egregiam eruditionem) qui et Constantinus, diem transitus sui imminere sibi sensisset, ex concessione summi Pontificis imposuit sibi nomen Cyrillum, dicens hoc revelatum sibi fuisse etc. Consentit altera Vita num. 1 de mutato ante obitum nomine cum licentia summi Pontificis, et res ulterius probatur in Commentario prævio num. 28. Poterat mutationem illam nominis Lucius quoque discere ex presbytero suo Diocleate, qui pag. 289 de ea sic habet: Tunc vir Dei Constantinus, cui nomen postea Kyrillus a Papa Stephano impositum est etc. At Lucius, nescio quo præjudicio abreptus, in Annotatis ad illa verba ait: Hic cæcutire videtur Diocleas etc. Verum ipse potius noluit intelligere: nam ea observatione, quæ certa est, omnia conciliantur.

uti et translatio Scripturæ in linguam Slavonicam

1270 Quod magis spectat ad propositum nostrum, inventio litterarum Slavonicarum, et translatio sacræ Scripturæ, ibidem quoque Constantino sive Cyrillo tribuuntur, ut eo lectorem remittere, et ab hac disputatione abstinere possem, præsertim cum certum sit, nec Slavos fuisse in Dalmatia aut Illyrico, dum vivebat S. Hieronymus, sed ibidem sedes fixisse aliquot seculis serius, nec linguam Slavonicam ibi tunc fuisse usitatam. Audiamus tamen Bedecovichium, quia omnibus debitores sumus. Lucio, inquit, utpote viro eruditissimo, et E Illyricarum seu Slavonicarum rerum investigatori accuratissimo, lubens, quantum attinet sacræ Scripturæ versionem, subscriberem, nisi me tantorum supracitatorum gravissimorum virorum authoritas contrarium sentire suaderet. Hinc Dubravii aliorumque sententiæ adhæreo, nixus plurimum authoritate Sixti Senensis, qui Bibliothecæ sanctæ lib. 4, pag. 453 (apud nos 243) expresse declaret, S. Hieronymum omnino sacram Scripturam in idioma suum transtulisse his verbis: Transtulit quoque Hieronymus, ut ipsemet in Epistola ad Sophronium testatur, universum totius divinæ Scripturæ corpus in Dalmaticam linguam ad utilitatem nationis suæ gentium: quæ usque in hanc diem hujus translationis lectione summa cum veneratione utuntur. Habet revera Sixtus Senensis allegata verba, idque vehementer miror, cum hallucinatio sit clara et manifesta.

Verbis Hieronymi decepti sunt, qui ex errore crediderunt,

1271 Epistola ad Sophronium, quam allegat Sixtus Senensis, est Præfatio in Psalterium ex hebraico latine redditum, ubi in editione Veronensi tom. XI, col. 1155 hæc leguntur: Nec hoc dico, quo præcessores meos [mordeam, nec quidquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissime emendatam olim meæ linguæ hominibus dederim etc. Illud, meæ linguæ F hominibus decepit Senensem et Bedecovichium. Hic enim, allatis et aliis Hieronymi litteris, de quibus statim, sic ratiocinatur: Per ly « Meæ linguæ hominibus dedi » apparet, S. Hieronymum suæ Slavo-Dalmaticæ seu Dalmato-Slavonicæ nationi sacram Scripturam in Dalmatico seu Slavonico idiomate porrexisse. At multi accumulantur errores. Nam primo S. Hieronymus per suam linguam intelligit linguam latinam, quæ usitata erat in imperio Romano, aut certe in multis imperii Romani provinciis, quæ diu fuerant sub Romanis, et ubi Græca non prævalebat. Sic eo tempore lingua latina in Italia, Gallia, Hispania, Africa, Dalmatia, viciniisque provinciis prævalebat, ut facile probari potest ex libris lingua latina scriptis, et populis latine pro concione institutis. Supererant quidem aliqua antiquæ linguæ vestigia in aliquot provinciis, ut de lingua Punica in Africa alicubi testatur Augustinus: adeo tamen prævalebat lingua latina apud homines honesto loco

loco natos, ut S. Hieronymus *tuto possel suam vocare linguam. Et latinam revera suam aut suorum linguam vocasse, multis exemplis ostendi potest, et aliqua mox adducam. Quod autem latinum textum Veteris Testamenti correxerit* S. Hieronymus, *suppleverit, aut etiam transtulerit, et quo modo id fecerit, exposui* § 26. *De ea correctione et translatione loquitur, non de toto Scripturæ corpore, quamvis revera totum correxerit. Nom respondet illis, qui dicebant illum male sentire de Septuaginta interpretibus.*

eius linguam fuisse Slavonicam cum ea esset Latina.

1272 *Verum optimo Bedecovichio satisfaciamus, et ostendamus aliquot exemplis* Hieronymum per *linguæ suæ homines designare latinos. Objicit præter verba Senensis ex Apologia contra Rufinum hæc verba :* Mihi non licebit post Septuaginta editionem, quam diligentissime emendatum meæ linguæ hominibus dedi, ad confundendos Judæos, etiam ipsa exemplaria (*Hebraica*) vertere, quæ ipsi verissima confitentur? *Ipsa hæc verba ostendunt, qui de translatione in latinam linguam. Nam Rufinus accusabat* Hieronymum, *quod Scripturum ex Hebræa linguo in latinam transtulisset, volebatque id eum fecisse in contemptum Septuaginta interpretum. Respondet autem, se prius*

B *interpretationem Septuaginta latine emendatam dedisse, postea vero ad confundendos Judæos Scripturam Hebraicam fecisse latinam. Hæc ex tertio libro contra Rufinum. In libro secundo idem agit, et sic loquitur :* Egone contra Septuaginta interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero *etc. Tum explicat, quos suæ linguæ studiosos dicat, post pauca subjungens :* Unde putabam me bene mereri de latinis meis,... inde in culpam vocor. *Pro sexcentis exemplis, quibus ostendere possum,* Hieronymum *per* suam linguam *intelligere latinam, unum adjungo. In Præfatione ad tres libros Salomonis ponit nomen Hebraicum Cantici Canticorum,* Sir assirim, *et subdit,* quod in nostra lingua vertitur CANTICUM CANTICORUM. *Tam probabile est,* S. Hieronymum *Sacram Scripturam vertisse in linguam Slavonicam, quam sit probabile, voces* Canticum Canticorum *esse Slavonicas. Ignoscant eruditi, si de his plura dixi, quam opinio tam improbabilis et nullo nixa fundamendo mereri videbatur.*

C

§ LXXIX. Chronotaxis gestorum et scriptorum omnium S. Hieronymi, ex disputatis brevissime proposita.

Natales studia Romana, peregrinationes :

Ut studiosus lector omnium gestorum et scriptorum S. Hieronymi *ordinem uno intuitu conspicere valeat, ex prolixe disputatis breviter præcipua gesta et scripta omnia recensebo.*

Anno 331 *natus est* S. Hieronymus, *aut certe circa illum annum.*

Circa medium sæculi 4 *diu Romæ studiis vacavit politioribus, ibique perrexit linguam latinam græcamque discere, rhetoricamque et philosophiam cum artibus aliis, usque ad annum saltem* 363, *collecta ibidem etiam bibliotheca.*

Post studia Romana, exeunte anno 363 *aut serius, in Galliam profectus est* Hieronymus, *in eaque descripsit manu propria aliquot Opuscula S. Hilarii et notabili tempore moratus est. Forte et* D *Athenas tunc fuerait profectus, et in alias regiones, ut multa videret et disceret.*

Circa annum 370 *Sanctus Aquileiæ exorsus est vitam quasi monasticam, ibique habitavit cum Rufino. Aquileiæ scribit primum Opusculum, sive Epistolam* de Muliere septies percussa.

habitatio Aquileæ, iter in Syriam :

1274 *Anno* 373 *Aquileia ob subitam persecutionem discedit cum Innocentio et Evagrio presbytero Antiocheno, navigansque primum in Thraciam, deinde terrestri itinere par Bithyniam, Gallatiam, Cappadociam et Ciliciam, ubi vidit monasterium S. Theodosii abbatis, venit in Syriam, volens Hierosolymam proficisci, sed Antiochiæ diuturno morbo laborare incipit, ibique moritur Innocentius Sancti socius, deinde Hylas Melaniæ servus eodem aut sequenti anno.*

commoratio Antiochena, unde abit in solitudinem

1275 *Anno* 374, *dum pergebat ægrotare Antiochiæ* Hieronymus, *amicus ejus Heliodorus, quocum cogitabat vitam ducere in eremo, alia via Hierosolymam profectus, inde Antiochiam venit ad* Hieronymum. *At ille, mutato vitæ solitariæ proposito, rursum discedit in Occidentem. Eodem anno Antiochiæ, non in eremo, famosum habuit somnium, in quo coram judicis tribunali vapulat,* E *et a lectione poetarum gentilium, aliorumque scriptorum profanorum sic deterretur, ut ab iis legendis postea abstinuerit. Eodem rursum anno Sanctus scribit Epistolam 2 ad Theodosium abbatem et monachos Ciliciæ, declarans desiderium suum amplectendi vitam monasticam : deinde ad Florentium Hierosolymæ habitantem Epistolam 4, et una tertiam ad Rufinum, quem venisse in Ægyptum audierat, magna cum caritate. Hæ tres scriptæ Antiochiæ, ubi tunc docentem audivit Apollinarium, necdum pro hæresiarcha agnitum. Probabilius eodem anno circa autumnum inhabitare cœpit desertum Chalcidis in Syria.*

vita solitaria in eremo Syriæ :

1276 *Anno* 375, *degens in solitudine, plures scripsit Epistolas, videlicet alteram ad Florentium, quæ est quinta, petens libros aliquot, et propositum non exeundi eremo declarans; et sextam* F *ad Julianum diaconum, septimam ad Chromatium, Jovinum et Eusebium, clericos Aquileienses, in utraque sororis suæ curam commendans. Eodem probabilius anno, certe in deserto, scripsit Vitam S. Pauli, primi eremitæ; uti et Epistolam 10 ad Paulum Concordiensem; octavam ad Niceam hypodiaconum Aquileiensem, nonam ad Chrysogonum ibidem monachum, et decimam quartam ad Heliodorum, quem prolixe et eloquenter hortatur ad vitam monasticam. Tres aliæ Epistolæ, quæ et ante sic Aquileiæ scribi potuerunt, forte eodem anno in deserto scriptæ sunt, nimirum undecima ad Virgines Æmonenses, duodecima ad Antonium monachum, et decima tercia ad Castorinam materteram, quam ad concordiam revocare Sanctus studet. Ab anno 374 usque ad inchoatum 379, sive probabilius ultra quadriennium, in deserto habitavit Sanctus, durissima pœnitentia se excrucians, multis quoque afflictus tentationibus, et subinde cœlestibus recreatus consolationibus. Incipit ibidem magno labore discere linguam Hebraicam sub magistro ex Judæis converso, et verisimiliter exscripsit Hebraicum Matthæi Evangelium, quo utebantur Nazaræi. In eremo verisimiliter scripsit primum in Abdiam Commentarium, qui excidit, Ibidem scripsit ad Damasum Epistolam 15, eum consulens, quocum ex tribus, qui se dicebant Antiochenos episcopos, communicare deberet, et utrum unum aut tres diceret hypostases; ac deinde decimam sextam, de communione rursum interrogans :*

Auctore J. S.

A *regnus: item decimam septimam ad Marcum presbyterum, conquerens de vexatione, quam patiebatur a monachis, quod non diceret tres hypostases. Hæ Epistolæ videntur scriptæ sub finem commorationis Sancti in deserto, præsertim duæ posteriores.*

iterum Antiochiæ commoratur, deinde Constantinopoli.

1277 *Anno probabilius 379, tempore hiemis aut veris, Sanctus eremum relinquit, et venit Antiochiam, ubi presbyter ordinatur a Paulino. Probabilius Antiochiæ anno 379 scribit Dialogum contra Luciferianos. Eodem anno ad finem decurrente aut anno sequenti* Hieronymus *Constantinopolim proficiscitur.*

Anno 380 et 381 docentem Constantinopoli S. Gregorium Nazianzenum audit Hieronymus. *Ibidem vertit Græcum Eusebii Chronicon, forte jam in deserto inchoatum, illudque additis quibusdam supplet, et continuat. Ibidem rursum quatuordecim Homilias Origenis in Hieremiam, et totidem ejusdem in Ezechielem ex Græcis facit latinas: laborat gravi tunc oculorum dolore. Constantinopoli etiam dictavit tractatum de* Seraphim et calculo, *qui editus est, ut Epistola 18 ad Damasum Papam, licet nec Epistola sit, nec ad Damasum* B *scripta, sed eidem postea solum videatur communicata. Anno 381 aut 382 Constantinopoli discedit* Hieronymus.

habitatio, gesta et scripta

1278 *Anno 382 ad finem vergente, Sanctus Romam venit una cum S. Epiphanio Salaminensi et Paulino Antiocheno, ibique in concilio Romæ congregato operam navavit S. Damaso in scribendis ecclesiasticis litteris.*

Anno 383 aut sequenti, Sanctus Romæ scripsit ad Damasum dissertationem sive Epistolam 20 de significatione vocis Osanna, item *Epistolam 21 de duobus Filiis, sive expositionem parabolæ de Filio prodigo.*

Probabilius anno 384 per Epistolam 36 respondet ad quæstiones aliquot ex Scripturis a Damaso propositas, exscribens eo tempore aliqua ex Hebraicis Bibliis: item duas Origenis Homilias in Cantica pro Damaso transfert in linguam latinam. Eodem jubente Pontifice, textum latinum Novi Testamenti ex Græco corrigit, uti et Psalterii ex textu Septuaginta interpretum.

Anno 384, scribit librum adversus Helvidium de perpetua virginitate B. Mariæ; item prolixam Epistolam 22 ad Eustochium de servanda Virgini- C *tate, egregia recte vivendi præcepta continentem. Eo tempore sacræ Scripturæ intelligentia imbuere cœpit S. Marcellam, S. Paulam, ejusque filias Eustochium et Blæsillam, aliasque mulieres nobiles. Sub finem anni 384 scribit Epistolam 24 de exitu Leæ, et vigesimam quartam de laudibus Asellæ, utramque ad S. Marcellam.*

Romana

1279 *Anno 384 aut 385 Sanctus plures ad S. Marcellam scribit Epistolas, videlicet vigesimam quintam* de decem Nominibus Dei; *vigesimam sextam* de quibusdam Hebræis nominibus; *vigesimam septimam, qua correctionem Novi Testamenti defendit; vigesimam octavam,* de Diapsalmate; *vigesimam nonam,* de Ephod et Theraphim; *trigesimam quartam* de aliquot locis Psalmi 126. *Hæ omnes expositiones locorum difficilium sacræ Scripturæ ad Marcellam exaratæ sunt. Ad eamdem dedit Romæ trigesimam septimam* de Commentariis Rheticii in Canticum Canticorum, *quos improbat: quadragesimam* de Onaso, *quem obtrectatorem refutat et irridet; quadragesimam primam, qua explicat et refellit prava Montani dogmata; quadragesimam secundam de peccato in Spiritum sanctum* contra Novatianos hæreticos.

Anno 385 ad eamdem scribit trigesimam octavam de ægrotatione Blæsillæ, *cujus conversionem a vita mundana ad piam et modestam mira libertate defendit; item trigesimam ad Paulam de* Alphabeto Hebraico Psalmi 118, *quod exponitur. trigesimam primam ad Eustochium* de Munusculis, *ab ea acceptis; trigesimam secundam ad Marcellam, cui mittit duas jam dictas. Conferebat eo tempore* S. Hieronymus *textum Hebraicum Veteris Testamenti cum editione Aquilæ, jam tunc cogitans Scripturam ex lingua hebraica in latinam transferre. Probabilius etiam Romæ scripsit quadragesimam quartam* de Muneribus, *a Marcella missis, et quadragesimam tertiam ad eamdem Marcellam, qua vitam solitariam commendat et urbanæ præfert; sive quod jam statuisset Roma discedere et nosset secuturam S. Paulam, sive quod ipsam Marcellam ad idem propositum tentaret inducere. Hæc ultima videtur ex iis, quas Romæ scripsit ad Marcellam, et forte scripta est post memoratam ad Paulam. Odia Romanorum potentium contra* S. Hieronymum, *cœpta per Epistolam Sancti ad Eustochium, libertatem obloquendi nacta per mortem S. Damasi, aucta per conversionem secutamque ægrotationem Blæsillæ, circa Ju-* F *lium anni 385 ad culmen ascenderunt per mortem Blæsillæ et propositum S. Paulæ Romam relinquendi, ut atrox calumnia de SS.* Hieronymo *et Paula fuerit sparsa. Cum autem S. Paula de immaturo obitu filiæ suæ nimium doleret, eam per Epistolam 39 ad Paulam* super obitu Blæsillæ filiæ *consolatus sic est* S. Hieronymus, *ut nimium ejus luctum graviter reprehendat, et Blæsillæ virtutes eloquenter prædicet. Mense Augusto, dum navem erat ascensurus ad discedendum, scribit ad S. Asellam Epistolam 45, qua calumnias de se et S. Paula confictas refert et refutat.*

itinera habitationi in Bethleem prævia.

1280 *Anno 385, mense Augusto, navim ascendit cum Pauliniano fratre suo, Vincentio presbytero, et aliis non nominatis, sequente non diu post S. Paula cum S. Eustochio filia, et cum aliis pluribus, Sanctus in Cyprum vectus, recipitur a S. Epiphanio; deinde Antiochiam perlatus, a Paulino episcopo. Inde verisimiliter cum S. Paula, quæ eadem via Antiochiam venit, terrestri itinere venit in Palæstinam.*

Sub initium anni 386 S. Hieronymus *cum S. Paula, comitantibus viris eruditis, invisit sacra Palæstinæ loca. Eodem anno cum sancta Paula* F *profectus est in Ægyptum, et invisit monasteria Nitriæ, ubi aliquot Origenistas inter monachos invenit. Eo tempore Didymum Alexandriæ vidit, et de dubiis sibi sacræ Scripturæ locis consuluit, exiguo tamen tempore ibidem subsistens. In æstate ejusdem anni cum S. Paula revertitur in Palæstinam, et habitationem suam figit in Bethleem, degens in angusto hospitiolo.*

habitatio in Bethleem: priora ibidem scripta.

1281 *Forte sub finem ejusdem anni, aut anno sequenti scribit ad S. Marcellam nomine Paulæ et Eustochii Epistolam 46* de Sanctis Locis.

In Bethleem autem circa annum 387 conducit magistrum Judæum, nomine Baraninam, ejusque ope perfectam acquirere nititur linguæ Hebraicæ intelligentiam, et cum eo Scripturam Hebraicam pervolvit. Circa idem tempus cum SS. Paula et Eustochio perlegit totam Scripturam, quam illis explicat.

Anno 389 Sanctus edit Commentarios in Epistolas S. Pauli ad Philemonem, ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum: item, aut ante finem illius anni aut sub initium sequentis, in Ecclesiasten.

Probabilius anno 390, Sanctus componit *librum*

AUCTORE l. 6

brum Quæstionum Hebraicarum in Genesim; item librum Eusebii de Locis Hebraicis transfert in linguam latinam, corrigitque et auget; item ex Philone et Origene concinnat librum de Nominibus Hebraicis, quem et auget interpretatione nominum Novi Testamenti. Circa idem tempus, Hieronymus librum Didymi de Spiritu sancto, quod Romæ cœperat, latinum facit; ut et triginta novem Origenis Homilias in Lucam. Circa id tempus, sanctus composuit septem tractatus in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum, nisi fuerint solum e græce translati.

Anno 390 aut 391, scribit Vitam S. Malchi monachi, cogitans et ecclesiasticam scribere historiam, quod non fecit; et deinde Vitam S. Hilarionis. Circa idem tempus, omnes libros Veteris Testamenti, qui erant in canone Judæorum, ex Græcis Latinos facit secundum editionem Septuaginta Interpretum, sic tamen, ut secundum Hexapla Origenis, sibi ante comparata, addat textui Septuaginta ea, quæ erant in textu hebraico, prout illa interpretatus fuerat Theodotion, præpositis tamen ad distinctionem asteriscis sive stellulis; præfixisque similiter obelis ante ea, quæ apud solos
B erant Septuaginta.

ea pla interpretatio Scripturæ ex Hebraico.

1282 Anno 390 aut 391, post correctionem sive translationem Veteris Testamenti ex Græco jam memoratam, cœpit Sanctus Opus magni laboris et paris utilitatis, nimirum translationem Veteris Testamenti ex fonte Hebraico; quo Opere ad annos facile viginti quinque sic occupatus fuit, ut multa interposuerit alia, prout singula, quantum fieri potuit, ad sua tempora revocavi. Exordium cœpit a quatuor libris Regum, deinde transtulit omnes Prophetas, probabilius ne Daniele quidem excepto, licet de tempore hujus translati non æque certi simus: Psalterium quoque ante annum 392 translatum. Itaque maxime anno 391 transtulit libros Regum, Prophetas et Psalterium: sic tamen, ut forte ante finem anni 390 inceperit et sub initium anni 392 postrema ex illis transtulerit. Circa idem tempus, certe ante 395, composuit Annotationes in Prophetas minores, quæ exciderunt.

Anno 392, Sanctus edit Commentarios in aliquot ex minoribus prophetis, scilicet in Nahum, in Michæam, in Sophoniam, in Aggæum, et in Habacuc: scribit librum de Viris illustribus.

Anno 393, Sanctus vulgat duos libros contra Jo-
C vinianum hæresiarcham.

Anno 393 aut 394, librum Job ex idiomate Orientali reddit latinum.

et sic continua ita per intervalla, ut solerim

1283 Anno 394 Sanctus ad Nepotianum scribit Epistolam 52, de Vita clericorum et monachorum, præclara vivendi præcepta continentem. Eodem anno, Epistolam græcam S. Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum reddit latinam: qua translatione Rufinum, Joannem Hierosolymitanum, aliosque offendit. Circa idem tempus, aut forte paulo serius, scribit Epistolam 47 ad Desiderium. At probabilius ipso anno 394 libros Esdræ ex Hebraicis facit Latinos. Postquam S. Hieronymus ad S. Paulinum scripserat Epistolam 53 de Studio Scripturarum, cujus epocham non designamus; missus a Paulino Vigilantius, in Palæstina cum S. Hieronymo fuit sub finem anni 394, eique redeunti alteram ad Paulinum dedit Epistolam 58. Circa eumdem annum aut paulo serius Sanctus per Epistolam 55 respondet ad tres quæstiones, ab Amando presbytero Burdigalensi propositas: item per Epistolam 59 ad quinque quæstiones, quas miserat S. Marcella. Cum S. Augustinus Hieronymum nosse cœpisset, eidemque innoluisset per Alypium in Palæstinam profectum, D
scribit ad eum Epistolam 56 inter Hieronymianas, qua ejus de S. Petro opinionem oppugnat. At ea, non ad Hieronymum, sed ad alios casu fortuito perlata, offensioni occasionem præbuit.

1284 Anno 394 aut 395, postquam Hieronymus ex litteris Pammachii et Domnionis intellexerat, libros suos contra Jovinianum calumniis et maledictis adversariorum impeti, componit librum Apologeticum (alias Epistolam 48) quem mittit ad Pammachium, addita ad eumdem Epistola 49: de iisdem ad Domnionem scribit Epistolam 50. Hisce autem sublatæ sunt turbæ, contra prædictos libros excitatæ. Anno 395, Fabiola in Palæstina sacras Litteras discit, Hieronymo explicante: sed ob Hunnos irruentes sub finem anni discedit, ut Hieronymus fugere cogitabat.

alia multo egerit et scripserit

Anno 395, Sanctus ad Furiam, Probini consulis, ut videtur, viduam scripsit Epistolam 54 de Viduitate servanda. Ab hoc anno Sanctus multa pati incipit a Joanne Hierosolymitano.

Sub finem anni 395 aut initium sequentis, Hieronymus componit librum de optimo genere interpretandi, sive Epistolam 57 ad Pammachium. Eodem fere tempore, cum Sanctus informaretur a E
Vigilantio in Occidentem reverso, ad eum scribit Epistolam 61, qua ejus calumnias acriter refutat.

Anno 396, Sanctus componit Epitaphium Nepotiani, sive Epistolam 60 ad Heliodorum: item Commentarios in Jonam, et in Abdiam. Transfert libros Paralipomenon ex Hebraico ad latinum sermonem. Cum autem inter Joannem Hierosolymitanum et Hieronymum lis esset; et Joannes de ea scripsisset ad Theophilum Alexandrinum, sub finem anni 396 de eadem lite Hieronymus ad Theophilum scribit Epistolam 82.

1285 Anno 397, Hieronymus in gratiam Amabilis episcopi Commentario exponit decem visiones Isaiæ, postmodum integris in Isaiam Commentariis inserto. Eodem tempore scribit ad Castrucium Pannonium cæcum. Eodem probabilius anno per Epistolam 72 respondet ad quæstiones e Scriptura propositas de Salomone et Achaz: scribit ad Fabiolam librum, sive Epistolam 64 de Veste sacerdotali: et Epistolam 65 ad Principiam virginem, qua explicat Psalmum 44. Sub finem ejusdem anni Pammachium consolatur super obitu Paulinæ uxoris per Epistolam 66; et fratrem suum A
Paulinianum in patriam mittit ad vendenda parentum bona hæreditaria, ut, quantum posset, inopiæ monasteriorum succurret, et S. Paulam sublevaret. Fervebat eo tempore discordia inter Joannem Hierosolymitanum et Hieronymum ejusque monasteria, ut hoc aut sequentis anno etiam ingressus ecclesiæ Hieronymo ejusque monachis per Joannem fuerit prohibitus. Rufinus tamen, dum eodem anno discessit in Occidentem, visus erat pacem vero aut ficto animo inire cum S. Hieronymo. Hoc aut sequente anno Epistolam 103 ad S. Augustinum scripsit Sanctus.

Sanctus.

1286 Anno 398 diuturno morbo laboravit Hieronymus, videlicet ab initio fere anni usque in Quadragesimam, non annua infirmitate. Post receptam in Quadragesima sanitatem, Sanctus in Quadragesima ex Hebræo in latinum sermonem transfert tres libros Salomonis, videlicet Proverbia, Ecclesiasten et Canticum canticorum; parans se ad transferendum etiam Pentateuchum. In Quadragesima deinde scribit ad Lucinium Hispanum Epistolam 71, eique pro acceptis munusculis nonnulla remittit. Jusserat autem Lucinius omnia Hieronymi Opuscula exscribi per sex notarios in Palestinam

morbo etiam diuturno laboraverit.

A *læstinam missos. Ante Pascha dictat Commentarios in Matthæum in gratiam Eusebii Cremonensis, qui post Pascha profectus est in Italiam. Eodem anno scripsit ad Evangelum Epistolam* 73 de Melchisedec: *item septuagesimam ad Magnum oratorem, qua defendit sobrium usum scriptorum profanorum. Eodem anno aut sequenti, ad Tranquillinum dedit Epistolam* 62, *prudenter respondens ad quæstionem ab eo propositam de modo, quo legenda sunt scripta Origenis. Sub finem ejusdem anni aut initium sequentis,* Hieronymus *composuit librum contra Joannem Hierosolymitanum, quo exponit diu agitatam cum eo controversiam, ejusque Apologiam refellit. Eodem anno* 398 *aut sequenti inchoavit Pentateuchi ex Hebræo translationem, et forsan absolvit Genesim. At totius Pentateuchi translatio aliis frequenter interrupta fuit, et non diu ante annum* 404 *absoluta. Interim turbata erat Roma, quod Rufinus libros Origenis de Principiis in linguam latinam transtulisset. Hæc translatio anno* 398 *facta, Romanos* S. Hieronymi *amicos excitavit, quod Rufinus in Præfatione allegasset* S. Hieronymum *tamquam Origeni multum*
B *faventem.*

ei acrem habuerit litem cum Joanne Hierosolymitano, tandem composita,

1287 *Anno* 399, *ubi Sanctus per amicos Romanos, Pammachium et Oceanum, monitus erat de laudibus sibi a Rufino subdole datis, tamquam laudatori Operum Origenis, et de translatis per illum infideliter libris Origenis de Principiis, rogatusque per eosdem, ut et libros de Principiis fideliter transferret, suamque sententiam contra Origenem aperte declararet, vertit libros de Principiis, ad Pammachium et Oceanum scribit Epistolam* 84, *qua repellit figuratas Rufini laudes, tamquam amico Origenis datas, probatque ita Origenem a se laudatum, ut prava ejus dogmata numquam probaverit; ad eosdem simul mittit libros de Principiis, quos latinos fideliter reddiderat. Eodem tempore Sanctus ad Rufinum scripsit Epistolam* 81, *qua modeste de ejus facto conqueritur: sed per amicos Romanos Rufino non est tradita. Eodem anno ad S. Paulinum scribit Epistolam* 85, *in qua suam quoque de Origene mentem declarat. Plures anno* 399 *Epistolas aut Opuscula composuit* Hieronymus; *nimirum Epitaphium Fabiolæ, sive Epistolam* 77 *de morte Fabiolæ ad Oceanum; et librum exegeticum ad Fabiolam* de 42 Mansionibus Israelitarum in deserto, *quod Opus viventi*
C *promiserat, et in memoriam defunctæ composuit, et ad Oceanum misit. Ad eumdem Oceanum anno incerto, sed post* 395 *et ante* 401, *Sanctus scripsit Epistolam* 69, *respondens ad quæstionem ab eo propositam, utrum bigamus sit habendus in ordine ad sacerdotium, si quis uxorem duxerit ante baptismum, et alteram post baptismum. Anno* 399, *aut non diu post, Sanctus item scripsit ad Theodoram, Lucinii Hispani viduam, Epistolam* 75; *et ad Abigaum, etiam Hispanum, Epistolam* 76: *item Epistolam* 63 *ad Theophilum Alexandrinum, quando controversia* Hieronymi *cum Joanne Hierosolymitano non erat omnino composita. Ea tamen discordia eodem anno plane sublata fuit.*

gravibus quoque Rufini inimicitiis sit impetitus,

1288 *Post pacem cum Joanne stabilitam,* Hieronymus *sub finem anni* 399 *aut anno sequente, scribit ad Theophilum Epistolam* 86, *qua ejus zelum contra Origenistas extollit. Ab eo tempore multum amicitiæ inter* Hieronymum *et Theophilum intercessit, et utriusque amicus fuit S. Epiphanius: Rufinus vero, visa* Hieronymi *contra Origenistas Epistola, in apertas erupit inimicitias, et Invectivas suas scribere incepit contra* Hieronymum, *easque ab anno* 400 *amicis suis occulte communicavit, nec tamen tam cito edidit. Circa hoc tempus, certe inter annos* 398 *et* 401 *Sanctus scribit Epistolam* 107 *ad Lætam de educatione filiæ. Forte circa idem tempus scripta Epistola* 106 *ad Sunniam et Fretelam: sed ea caret certa temporis nota.*

Anno 400, Hieronymus *ad Theophilum scribit Epistolam* 88, *respondens ad litteras ab eo acceptas, quas et latinas fecisse creditur. Eodem anno transtulit Synodicam Epistolam Theophili ad episcopos Palæstinos et Cyprios de Origenistis; et Epistolam Hierosolymitanæ synodi ad Theophilum, item Dionysii Lyddensis episcopi ad eumdem: item Epistolam Theophili ad S. Epiphanium; uti et aliam S. Epiphanii ad ipsum* Hieronymum, *omnes inter Hieronymianas in editione Veronensi a* 90 *usque ad* 94, *omnes in causa Origenistarum scriptas, quod ad abolendam illam hæresim cum Theophilo et Epiphanio concurreret* Hieronymus. *Accedit Epistola* 89 *Theophili ad* Hieronymum, *sed hæc forte anno sequenti est scripta. Circa idem tempus, certe ante annum* 404, S. Hieronymus *scripsit Epistolam* 79 *ad Salvinam, nobilissimam viduam, de morte Nebridii conjugis,* 1.
qua eidem præclara suggerit recte vivendi documenta.

et illius calumnias refutaverit

1289 *Anno* 401, *Sanctus Epistolam Paschalem Theophili, in qua prolixe contra Origenistas disserit, ex græca facit latinam. Eodem anno, cum intellexisset ex multis, acriter se scriptis Rufini oppugnatum, multaque de ejus argumentis intellexisset ex amicis, licet libros ejus necdum accipere potuisset, duobus libris Rufinum refutat, sive ad ejusdem argumenta partim respondet, partim ejus Apologiam ad Anastasium Papam refellit.*

Anno 402, *alteram Theophili Epistolam Paschalem transfert* Hieronymus, *eamque Romam mittit ad SS. Pammachium et Marcellam, quibus ea occasione scribit Epistolam* 97. *Eodem anno scribit librum tertium contra Rufinum, respondens ad ejus Epistolam numquam editam. Eodem anno, acceptis Augustini litteris, ad eumdem scribit Epistolam* 102, *rogans, an ejus sit Epistola, quam acceperat, multumque detrectans cum Augustino in certamen descendere.*

absoluta demum translatio ex Hebraico.

1290 *Circa annum* 403 Hieronymus *absolvit translationem Pentateuchi ex Hebraico, ab aliquot annis cœptam, et frequenter aliis interruptam.* F
Anno 403, *Sanctus, acceptis iterum Augustini litteris, ad eum scribit Epistolam* 105, *qua conqueritur de Epistola S. Augustini per Italiam circumlata, eumque pluribus deterrere conatur ab urgendo ad illam responso. Sub finem hujus anni vel initium sequentis* Hieronymus *ex Hebraico transfert librum Esther.*

Anno 404 *obiit S. Paula. Ejus prolixum Epitaphium, sive Epistolam* 108 *ad Eustochium, composuit* S. Hieronymus. *Epistolam Paschalem Theophili, pro anno* 404 *compositam, transfert, et ad Theophilum scribit Epistolam* 99, *qua excusat tarditatem translationis suæ, asseritque se aliquot diebus ægrotasse. Eodem anno Sanctus libros Josue, Judicum et Ruth ex Hebraicis facit latinos. Transtulit item* Hieronymus *ex Chaldaico libros Tobiæ et Judith, sed tempore incerto.*

Dissensio cum Augustino finita: moribus annuur:

1291 *Sub finem anni* 404 *aut initium* 405, Hieronymus *ex lingua græca in latinam transtulit Regulam S. Pachomii, aliaque ejusdem et aliorum Ordinis Tabennensis documenta ascetica, et litteras. Sub finem anni* 404 *aut anno* 405, S. Hieronymus *S. Augustino scribit Epistolam* 112, *qua*

AUCTORE I. S.

qua ad plures eius Epistolas respondet, suamque de Petro reprehenso sententiam tuetur: item Epistolam 109 ad Riparium.

Anno 405, ut videtur, S. Hieronymus *ad Augustinum scribit Epistolam* 115, *amice excusans defensionem suam.*

Non post annum 405, sed forte multis annis citius, Sanctus dictavit Epistolam 117 ad Matrem et filiam in Gallia commorantes. *Inter annos 398 et 409 dedit Epistolam* 118 *ad Julianum, quem consolatur et ad vitam monasticam hortatur.*

Ab anno 405, aut medio aut ad Autumnum progressu, usque ad Autumnum fere anni 406 S. Hieronymus *ægrotasse videtur et nihil fere scripsisse.*

Multa simul scripta, et exempla explicatio

1292 *Anno 406, etiam tum ob morbum decumbens, videtur* Hieronymus *dictasse Epistolam 74 ad Ruffinum presbyterum, ab ante memoratis Rufinus alium,* de Jurgio duarum meretricum et judicio Salomonis. *Sanatus e morbo, circa finem æstatis aut initium autumni, cœpit præparare materiam ad explanandum Prophetas necdum expositos. Sub finem vero autumni advenit Sisinnius monachus, a S. Exuperio Tolosano in Palæstinam missus ad ferenda inopiæ subsidia, et aliorum quoque ad* Hieronymum *afferens litteras. Post illius adventum Sanctus dictavit Commentarios in Zachariam, in Malachiam, in Osee, in Joël et in Amos: item scripsit Epistolam admodum prolixam* 119 *ad Minervium et Alexandrinum de loco Apostoli:* Omnes quidem dormiemus *etc.; ac demum librum adversus errores Vigilantii, acri conscriptum stylo, ut vecordem imperiti hominis impietatem cohiberet.*

B

Anno 407, scribit Commentarios in Danielem prophetam. Eodem probabilius anno componit Epistolam 120 *ad Hedibiam, qua prolixe respondet ad duodecim quæstiones, ab ea ex Gallia missas: item Epistolam* 121 *ad Algasiam, quæ alias quæstiones undecim eodem tempore proposuerat. Aut eodem tempore aut anno 408, dictavit Epistolam* 122 *ad Rusticum, quem hortatur ad pœnitentiam.*

Anno 407 ad finem decurrente aut anno 408, mittit Hieronymus *ad Avitum libros Origenis de Principiis, prout eos fecerat latinos, accurate exscriptos, quod eos mendosos haberet Avitus, quem per Epistolam* 124 *sollicite monet, ut caveat a veneno in iis latente.*

C

Prophetarum, quibus ultimos vitæ annos

1293 *Sub finem anni 407 aut initium 408, exorsus est* Hieronymus *Opus maximum in Isaiam, in quo minus cito progreditur, et circa initium anni 409 morbo etiam retardatur. Prolixi hi in Isaiam Commentarii, quibus Sanctus forsan duos fere annos impendit, absoluti videntur circa autumnum anni 409.*

Anno 409, probabilius ante finitos in Isaiam Commentarios, scripsit Hieronymus *Epistolam* 123 de Monogamia *ad Ageruchiam viduam, cui et secundas dissuadet nuptias, et præclara dat recte vivendi documenta. Audita circa finem ejusdem anni expugnatione Urbis Romæ per Gothos, et morte multorum amicorum, consilium explicandi Ezechielem ad aliud tempus tantisper remittit.*

Anno 410, incipit Hieronymus *explanare Ezechielem, sed post absolutos libros duos, aliquo tempore Opus intermittit ob multitudinem Romanorum, qui ex Urbe in Palæstinam egentes adveniebant. Duos illos libros misit ad Fabiolam.*

1294 *Anno 411, absoluto tertio in Ezechielem libro, Sanctus fugere cogitur ad civitatem munitam ob irrumpentes subito in Palæstinam Arabes.* D *Eo tempore scripsit Epistolam* 126 *ad Marcellinum et Anapsychium de Origine animæ, mittens pro ulteriore expositione ad S. Augustinum. Forte eodem tempore, certe circa 411, Sanctus scribit Epistolam* 125 *ad Rusticum monachum, egregia proponens vivendi præcepta. Anno 411,* Hieronymus *componit Epitaphium S. Marcellæ, sive Epistolam* 127 *ad Principiam. Circa eumdem quoque annum, dedit Epistolam* 128 *ad Gaudentium* de Pacatulæ infantulæ educatione. *Eodem verisimiliter anno 411 abruptam Ezechielis Explanationem resumpsit, tarde tamen procedens ob occurrentia impedimenta et oculos caligantes, ut illi explanationi etiam inhæserit tribus sequentibus annis, eam rursum notabili tempore interrumpens ad caput 40 ob summam difficultatem exponendi templi Ezechielis.*

sic impedit, ut tamen et alia

Anno 414, necdum perfecta Ezechielis Explanatione, Sanctus scripsit Epistolam 130 *ad nobilissimam virginem Demetriadem, cui tradidit præclara vivendi monita, prout eum rogaverant Juliana Demetriadis mater et Proba avia.*

Sub finem anni 414 aut initium 415, absolvit Hieronymus *prolixos in Ezechielem Commentarios.* E

Anno 414 aut 415, scripsit ad Dardanum Epistolam 129 de Terra Promissionis.

1295 *Sub initium, aut certe ante medium anni 415, cœpit* Hieronymus *Commentarios scribere in Hieremiam, ub initio se defendens contra Pelagium, qui vetustas inimicorum* Hieronymi *calumnias repetebat. Ante medium ejusdem anni componit Epistolam* 133 *ad Ctesiphontem, qua refutare cœpit dogmata Pelagiana, docuitque Opus Sixti Pythagorici philosophi pro Opere S. Sixti Papæ obtrusum fuisse a Rufino. Post hanc Epistolam redit ad Commentarios in Hieremiam. Absoluto autem libro tertio, cœpit componere Dialogum, in tres libros divisum, quo Pelagium uberius refellit. Eodem anno resumit Commentarios in Hieremiam. Eodem rursus anno 415, Orosius presbyter Hispanus, qui ad Augustinum instruendus venerat, et ab eo ulterius erudiendus ad* Hieronymum *missus erat, venit in Palæstinam ad Sanctum; eique attulit duos Augustini libros, quibus* Hieronymus *consulebatur de Origine animæ, et de sententia aliqua Jacobi apostoli.*

non pauca interponeret.

F

Gravia patitur Sanctus a Pelagianis

1296 *Anno 416, redeunte in Africam Orosio,* S. Hieronymus *ad Augustinum scribit Epistolam 134, qua Augustino amicissime respondet, detrectat tamen suum edicere judicium de libris aut Epistolis ab eo missis. Eodem anno Pelagianorum furor cæde et incendio desævit in monasteria SS.* Hieronymi *et Eustochii, ut* Hieronymus *ipse vix evaderet. Hinc* S. Hieronymus, *graviora etiam timens, de re tota instruit S. Innocentium Papam, et cum suis ex combustis monasteriis interim ad locum nobis ignotum recedit. Hæc monasteriorum combustio videtur causa fuisse, ob quam, sex libris in Hieremiam ante absolutis, deinde pergere non potuerit Sanctus, et Commentarios in Hieremiam perficere, sive quod ejus bibliotheca esset combusta, sive quod extrema paupertas non sineret notarios alere.*

Anno 417 aut 418, necdum ad monasterium suum reversus Hieronymus, *scribit Epistolam* 138 *ad Riparium.*

Verisimiliter anno 418, ubi Hieronymus *cum suis ad monasteria in Bethleem erat reversus, scripsit Epistolam* 139 *ad Apronium. Scripsit item Sanctus ad Cyprianum presbyterum Epistolam* 140, *sed*

A *sed anno magis incerto, tempore tamen Pelagianorum, ut prolixa hæc Epistola, qua exponitur Psalmus octogesimus nonus, figi saltem possit inter annos 415 et 419.*

Circa annum 418 Hieronymus *ad S. Augustinum scripsit Epistolas* 141 *et* 142, *forte simul datas, eique altera amicissime gratulatus est victoriam de Pelagianis relatam, altera eorumdem insinuavit pertinaciam.*

et decrepitus in Bethleem moritur.

1297 *Anno 419 circa mensem Augustum, dedit* Hieronymus *Epistolam* 143 *ad SS. Alypium et Augustinum, eaque videtur omnium, quæ innotuerunt, postrema. Probabilius eodem anno 419, die 30 Septembris Sanctus beata morte vitam finivit.*

Præter scripta modo suis temporibus illigata, tres apud Vallarsium in fine adduntur Epistolæ. Ex his prima est Epistola 145 ad Exuperantium, quem hortatur Sanctus, ut, relicta militia sæculari, vitam amplectatur monasticam. Videtur in Bethleem scripta, quia optat, ut Deus Exuperantium expeditum cum sancto fratre Quintiliano ad nos, *inquit, (id est, opinor, in Bethleem) cito faciat* navigare. *Altera est Epistola 146 ad Evangelum,* B *qua refellitur error eorum, qui diaconum æquabant presbytero. Tertia est Epistola* 147 *ad Sabinianum lapsum. Hæc certo in Bethleem scripta est, quando monasterio* S. Hieronymi *ibidem, aliquo saltem tempore, recte fuerant constituta.*

§ LXXX. Examinantur ea, quæ contra mores aut scripta Sancti ab aliquot neotericis objecta sunt, et needum discussa.

Aliqua perperam de S. Hieronymo asserta :

Q*uandoquidem* S. Hieronymi *gesta et scripta brevi compendio recensuimus, lubet etiam breviter recensere ea, quæ contra Sanctum a variis objecta inveniam, aut male de eodem asserta, nimirum si needum suis locis relata sunt et examinata. Tam multa a variis neotericis contra* S. Hieronymum *aut temere, aut certe sine idonea ratione, fuerunt objecta, ut singula suo ordine exa-* C *minare non expediverit, ne gesta vera frequenter interrumperentur, sed commodius fuerit multa ad hunc locum rejicere. David Czuittingerus in Specimine Hungariæ litteratæ pag. 168 prolixum contexuit* S. Hieronymi *elogium: sed scriptor ille heterodoxus et suo nomine Virum maximum temere reprehendit, et aliorum censuras non paucas allegat, nec caret aliquot erroribus jam refutatis. Etenim et natione Slavum facit, et versionem sacræ Scripturæ in linguam Slavonicam* Hieronymo *tribuit; quæ asserta sunt non modo improbabilia; sed etiam prorsus ridicula. Magistris* Hieronymi *perperam annumerat Victorinum Rhetorem et Paulinum Antiochenum : hujus tamen posterioris amicus fuit* Hieronymus, *et ab eodem presbyter ordinatus est, sed numquam Paulinum magistris suis annumeravit, uti nec Victorinum. Hæc ex Caveo adoptavit Czuittingerus, præcedentia ex aliis.*

heterodoxi, qui nimis vehementem jactant Hieronymum,

1299 *Cavei quoque est censura, quam ille repetit, his verbis concepta :* Cæterum, quod sanctissimi viri pace dictum sit, præservidi erat et impotentis animi, qui affectibus suis nimis indulgebat : semel lacessitus, adversarios asperrime tractavit, et ab invectiva, ac satyrica scribendi vena vix ac ne vix temperavit. Testes sunt nobis satis luculenti inimicitiæ, quas cum Rufino olim sibi necessario, Joanne Hierosolymitano, Joviniano, Vigilantio, aliisque habuit. In hos, arrepta levi quavis occasione, et remota omni pene gravitate, tota convitiorum plaustra evomit; nulla personæ, dignitatis, eruditionis ratione habita. *Hæc accusatio pag. 174 repetitur ex Scaligero his verbis :* Nimis vehemens fuit, præsertim adversus Jovinianum et Vigilantium, quamvis immerito, ut ipse Erasmus id agnoscit. *Provocat accusator ad Erasmum, et Caveus similiter Erasmum pro aliis allegavit et ejus judicium magni fecit. Itaque audiamus Erasmum in Vita, prout apud nos est manuscripta. Ibidem fol. 166 observat, quod* quidam e suis moribus (*S. Hieronymum*) æstimantes, tetricum quempiam et incivilem fuisse somniant; cum eo nihil unquam fuerit nec humanius nec urbanius.

contrarium habent Erasmum, qui omnia ad Hieronymum spectantia

1300 *Rursum fol. 179 ita loquitur Erasmus :* Ad hæc sunt, quos nonnihil offendit sermonis acerbitas, quod in scriptis suis acrius nonnumquam videatur incandescere, quam pro Christiana mansuetudine, planeque veteris comœdiæ quiddam referre, multos mordicus arripiens. In hac sententia fuit olim Augustinus, et nostra memoria, si Superis placet, Franciscus Philelphus, vir ille quidem eruditus, sed nonnumquam plus satis φιλαυτός. At hi mihi parum expendere videntur negotii circumstantias, patriam, ingenium, sui fiduciam, æmulorum improbitatem, contumeliæ genus nulli ferendum : postremo nec illud Terentianum : « Tu si hic, aliter sentias. » Nullam * suam contumeliam ferunt impotentius, quam qui in aliena sunt lentissimi. Acriter invectus est in Ruffinum, sed ille commeruerat acriora. Hic hæreseos crimen fortiter depellit; ille carnificem minitatur, et fictis flagitiis famam incessit. Et nemo sævit gravius, quam cui non licuit esse mansueto. Atqui si quis attentius ac propius inspiciat eos libros, in quibus velis equisque (quod aiunt) invehitur in adversarios, totaque libertati vela laxat, mira deprehendet humanissimi mitissimique ingenii vestigia. Ludit sæpenumero, et festivis salibus agit magis quam virulentis. Nonnulla dedit suo sæculo et amicorum affectibus; et ita crimen a se depellit, ut si fieri possit, cupiat hosti parcere. Multa sciens F ac prudens supprimit, pudori Christiano malens obsequi, quam animo lacessito: velut in Epistola adversus Joannem Hierosolymitanum, quantum tribuit suæ verecundiæ, quantum episcopi titulo, ut se reprimit? Et, si quid incidit odiosius, sæpe nomen supprimit, nonnumquam fictis abutitur vocabulis, velut in argumento de matre et filia reconciliandis, in diaconum impudicum, in Susannam lapsam. *At ultima epistola non amplius censetur* Hieronymi.

* Nulli

m..terius expendit, S. Augustinum omnesque antiquos

1301 *Pergit Erasmus :* Quin etiam in Ruffinum et hujus socios Grunnii, Luscii Lacinii, Calphurnii Lanarii, Scorpii, Canis Alpini, et id genus aliis fictis nominibus stomachatur. *Hactenus Erasmus, qui certe* Hieronymi *Opera magis legerat, eaque legendo justiorem de moribus* Hieronymi *æstimationem concipere potuerat, quam censores supra memorati, ad quorum expendenda verba propius accedo. Temere asserit Caveus,* impotentis animi *fuisse* Hieronymum, *eademque temeritate addit,* eum affectibus suis nimis *indulsisse. Si vera esset accusatio, non recte* Hieronymum *vocaret* Sanctissimum : *nam affectibus suis nimis indulgere non est Sanctorum. At veritatem istius*

AUCTOR. I. 8.

istius censuræ nullus umquam probabit. Contra facile probari potest, Hieronymum numquam ex animi impotentia processisse ad refutandos adversarios, numquam magis acrem aut acerbum in iis refutandis fuisse, quam aut necessitas aut justa ratio exigebat. Quis umquam antiquorum, præter hostes Hieronymi, illosque, quorum vitia redarguebat, eum nimis acerbum dixit aut impatientis animi? Hoc sane non dixit S. Augustinus, ut perperam existimare videtur Erasmus. Nam moderationem Hieronymi laudavit, quod teneret aculeos indignationis suæ, ne redderet maledictum pro maledicto, quodque tolerabiliter ferret incredibiles Rufini inimicitias, ut latius dictum num. 800 et seqq. Gelasius Papa cum Romano concilio laudavit Hieronymum in eo ipso, quod objicitur, insinuatque zelo Dei et fidei religione motum fuisse, non animi impotentia aut affectibus inordinatis. Verba Prosperi, qui Hieronymum dicit morum Exemplar, recitat ipse Caveus. At homo impotentis animi, et affectibus suis nimis indulgens, nequit esse morum exemplar. Nec tamen ignorabat Prosper, hæreticos acriter ab Hieronymo refutatos: id ipsum enim indicat his verbis, B Dissecuit hostem. Mitto plures antiquos, qui unanimi consensu Hieronymum prædicarunt.

Lenitas, patientia, et caritas Hieronymi factis probata.

1302 Consideremus modo, quam excellenter animum vincere noverit Hieronymus, iracundiamque cohibere, et illatas sibi molestias et injurias patienti silentio tolerare. In juventute persecutionem passus est, cujus causa Aquileia profugit et in Syriam profectus est. Numquam tamen indicavit, quis illius persecutionis fuerit auctor. In deserto Syriæ multum vexatus est a monachis, eaque de causa coactus est solitudinem relinquere; numquam tamen auctorem nominavit. Romæ accusatus est, tantisque impetitus calumniis, ut discesserit. Semper nominibus persecutorum pepercit. In Bethleem vidit monasteria, quorum gerebat curam, cæde flammaque vastata; nomina auctorum sceleris numquam edixit. Hæc sane nec impotentis animi sunt, nec affectibus suis nimium indulgentis: sed viri fortis et patientis, qui noverat iracundiæ motus frænare, et malebat pati quam inferre C injurias.

et nominatim modo ejus agendi cum S. Augustino.

1303 Si modo expendamus Hieronymi cum S. Augustino controversiam, clare videbimus, quam aperte falsa sint illa Cavei verba: Semel lacessitus adversarios asperrime tractavit. Etenim vidit sententiam suam gravibus verbis improbatam ab Augustino, quando nec eruditionem nec sanctitatem lacessentis bene habebat cognitam, ut expositum est § 50: intellexit, Epistolam, qua oppugnabatur, ad multorum manus pervenisse, priusquam ipse eam viderat; vel sic tamen silere voluit, et non nisi pluribus Augustini litteris impelli potuit, ut responderet, ne scriberet contra episcopum Catholicum. Respondit tandem coactus, non aspere, sed amice, et vel sic responsum suum sequente Epistola excusavit, semperque deinceps Augustinum amavit et laudavit. Tillemontius, qui certe nemini suspectus esse debet de nimio in S. Hieronymum favore, in ejus modo agendi cum S. Augustino agnoscit virtutem consummatam, utique perfectam lenitatem, patientiam, caritatem, virtutes plane oppositas illis vitiis, de quibus Hieronymum falso accusat Caveus.

Rufino justam conquerendi causam non dedit,

1304 Si modo gesta Hieronymi cum Rufino et Joanne Hierosolymitano accuratius velimus expendere, in iis ipsis inveniemus miram Hieronymi lenitatem, sicut recte observavit Erasmus. Rufinum amavit Hieronymus, et de eo primum conquestus est in Epistola 57 ad Pammachium, quod instigaret Joannem Hierasolymitanum. Attamen D primo hæc discordia fuit composita, antequam Rufinus anno 397 discedebat in Occidentem. Quam sincere redintegratam amicitiam colere voluerit Hieronymus, colligitur ex libro ejus contra Joannem Hierosolymitanum, in quo Rufinum numquam nominat, etiamsi multa de eo dicere potuisset. Deinde Rufinus transferendo libros Origenis de Principiis, et in Præfatione Hieronymum laudando, laudesque, quas Origeni olim dederat, recensendo, absolutam Hieronymo necessitatem imposuit declarandi sententiam suam de erroribus Origenis. Nisi enim Origenis erroribus contrarium se declarasset, Origenista audisset, præsertim cum dudum ut Origenista traductus esset a Vigilantio. Itaque silentio suo ob insignem famam eruditionis, qua florebat, auctoritatem damnandis erroribus conciliasset. Hac ergo necessitate coactus per Epistolam 84 errores Origenis aperuit et improbavit, et laudes olim Origeni datas explicuit, ac se Catholicum probavit. Tanta autem moderatione id fecit, ut Rufinum ne nominaverit quidem. Si eadem moderatione fuisset Rufinus, si æque causam Origenis deserere et errores ejus improbare voluisset, E potuisset se cum Hieronymo jungere, et versionem librorum de Principiis modeste excusare.

eidemque et Joanni multum pepercit

1305 At Rufinus minus fuit sollicitus ad se defendendum, quam ad accusandum Hieronymum, in quem duos statim scripsit Invectivarum libros, ut vel invitum faceret Origenistam, multisque criminibus obnoxium. Non poterat non se defendere Hieronymus, tot calumniis impetitus. Quo autem id fecit modo? Summa cum moderatione, si res attente consideretur. Ludit sæpenumero, et festivis salibus agit magis, quam virulentis, ait recte Erasmus, idque jam ante satis probatum est. Voluit hominem salutari pudore perfundere, et sic a licentia calumniandi abstrahere, et magis etiam a defensione Origenis. Obtento hoc postremo, mox ad concordiam rediisset. Quod spectat ad Joannem Hierosolymitanum, summa rursum necessitas erat Hieronymo respondendi ad ejus Apologiam, postquam triennium siluerat, ut probatum est num. 645. Id autem sic fecit, ut multum tribuerit suæ verecundiæ, multum episcopi titulo, multa sciens prudensque omiserit, ut Joanni parceret, sicut recte advertit Erasmus. F Multa contra Joannem arma habebat, si omnibus uti voluisset; plura etiam contra Rufinum: at iis fere tantum usus est, quæ ad se defendendum apta censuit, aut ad adversarios emendandum, malens hostibus parcere, ubi id fieri poterat, quam sine necessitate defensionis suæ graviter ferire aut lædere.

Justa ratione Jovinianum et Vigilantium acrius refutavit Sanctus.

1306 Restant Jovinianus et Vigilantius, quos durius exceptos non diffitebor. Imo nec miror, Lutheranis et Calvinianis scriptoribus non placere Hieronymum in libris contra Jovinianum et Vigilantium. Magis miror, doctrinam Joviniani et Vigilantii, quam acri stylo refutavit Hieronymus, umquam adoptari potuisse a viris, qui sacræ Scripturæ scientiam sibi vindicare conantur, qui sanctorum Patrum auctoritatem in pretio se habere verbis saltem profitentur. Verum, ut redeam ad propositum, examinemus breviter, cur mitissimus Hieronymus, tam mordaciter refutaverit Jovinianum, ut Epicurum Christianorum, et Vigilantium, ut primum Galliæ monstrum. De Vigilantio id jam edixi num. 925, de Joviniano eadem fere est ratio, omniaque, quæ ibidem dicta sunt ad tuendam Hieronymi in Vigilantium vehementiam

A *hementiam, atque valent pro Joviniano, licet hunc minus acerbe refutaverit, quam Vigilantium. Si cui forte non sufficiant ubi dicta ad probandam* Hieronymi *acrimoniam in duos istos hæresiarchas, homines temerarios et imperitos, addat istud sapientissimi Salomonis Prov.* 26, ✝ 5 : Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. *Id sane dictum non est gratis, ut numquam locum habere possit. Obedivit igitur monenti Salomoni* Hieronymus, *et nascentia monstra statim suffocavit, tota antiquitate factum ejus probante.*

nec duram in S. Paulum exercet censuram.

1307 *Caveus aliam addit objectionem, ita pergens :* Et quid mirum? *inquit,* cum in ipsum D. Paulum apostolum duram nimis et plane insolentem censuram exercere solet. Quoties ipsum ad criticas grammaticorum regulas anxie expendit, solœcismos, et vitiosam elocutionem, et quod sermone utatur triviali, objicit. *Ridicula est objectio, cujus solutio est in illis ipsis verbis, quarum initium subdit Caveus. Ego totum locum huc transferam ex Commentariis et Epistolam ad Ephesios lib.* 2 *in cap.* 3, ✝ 1. Nos, *inquit,* quotiescumque solœcismos, aut tale quid annotavimus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli B criminatur, sed magis Apostoli assertores sumus, quod Hebræus ex Hebræis absque rhetorici nitore sermonis, et verborum compositione, et eloquii venustate, numquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi euangelizasset eum, non in sapientia verbi, sed in virtute Dei. Nam et ipse ad Corinthios ait (1 *Cor.* 2, ✝ 1 :) Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in eminentia verbi * aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Dei. Et rursum (✝ 4 et 5 :) « Et verbum meum * et prædicatio mea, non in suasoriis sapientiæ * verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. » Hic igitur, qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sententiamque concludere, audacter sibi vendicat sapientiam etc. *Ita rationem reddit observationis, quam præmiserat his verbis :* Puto autem quod et vitiosa in hoc loco elocutio sit. *Et mox :* Si vero quis potest etiam juxta sermonis et eloquii contextum docere, Apostolum fuisse perfectum, C et in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. *Ita* Hieronymus, *etiamsi nosset, veram Apostolorum gloriam non repetendam ex scientia artis grammaticæ aut rhetoricæ.*

* *Vulg.* non in sublimitate sermonis
* *ib.* sermo meus
* *ib.* non in persuasibilibus humanæ sapientiæ etc.

ut ridicule calumniatur Caveus.

1308 *Quapropter recte malevolos vocat, qui ejusmodi observationes de legibus grammaticis, quas necessitas explicandi verba afferebat, tamquam minus Apostolo honorificas carpebant. Passim omnes Patres agnoscunt, Apostolos litteratos non fuisse, et nominatim Chrysostomus eos frequenter idiotas vocat* et illitteratos. *In Homilia* 3 *in Epistolam* 1 *ad Corinthios prolixe ea de re disserit, ridetque eos, qui volunt humana sapientia excelluisse Apostolos, allegans illa Pauli verba* 1 *Cor.* 1, ✝ 17 : Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi : *et deinde subjungens :* Hæc enim causa fuit, cur Apostoli non sapientes, sive philosophi fuerint, non ex charismatis imbecillitate, sed ut ne prædicatio læderetur. *Et inferius :* Tu vero illud mihi ostende, an Petrus et Paulus eruditi essent; sed non poteris : erant enim idiotæ et illitterati.... Hæc autem dixi, *inquit,* quia Christianum quempiam aliquando audivi contra Græcum ridicule disputantem. Ambo namque in disputatione rem suam confutabant et pessumdabant. Nam quæ Christianum dicere oportuisset, illa dicebat Græcus : et quæ Græcum dicere par erat, hæc Christianus opponebat. Nam cum de Paulo et Platone quæstio esset, Græcus ille ostendere conabatur, Paulum indoctum et rudem fuisse. Christianus vero ex simplicitate probare contendebat, Platone doctiorem et disertiorem fuisse Paulum. *Mitto multa brevitatis causa : nam ex his studiosus lector facile perspiciet, materialis* Hieronymi *censoribus* ridicule *se adjunxisse Caveum, dum carpit Sanctum, quod leges grammaticales non semper invenerit in verbis Apostoli, idque necessitate interpretationis candide edicat.* Talis enim accusatio encomium est, *teste Chrysostomo, qui id pluribus verbis edicit et probat.*

Non recte accusatur Sanctus ob dicta de secundis nuptiis.

1309 *Repetit et aliam calumniam Caveus, ab ipso* Hieronymo *protritam, dum ait,* quod, dum virginitatem immodicis prorsus laudibus efferat, de nuptiis minus honeste ac verecunde sentire videatur. Certe, *inquit,* digamos tanquam scortis solummodo meliores facit, cum immundis arcæ Noæ animalibus et serpentibus confert, mulieremque secundas nuptias repetentem cani ad vomitum, suique lotæ ad volutabrum rever- E teoti, comparare non erubescit. *Vetus est, ut jam dixi, calumnia. pro qua Caveus assignat libros contra Jovinianum, et Epistolam ad Gerontiam, sive ad Ageruchiam, quæ est* 123. *Quod spectat ad libros contra Jovinianum, abunde se probavit ipse* Hieronymus *in Apologia pro iis scripta, qua tunc obturata sunt calumniantium ora. Laudata vero ad Ageruchiam Epistola numquam in calumniam tracta fuit ab antiquis, et se ipsa quoque defendit. Dissuadet Ageruchiæ secundas nuptias, docetque tam viros quam mulieres, qui primis nuptiis contenti sunt, præferri bigamis : quod post primas nuptias viri sacerdotibus, mulieres viduis adlegi valeant. Attamen observat, secundas quoque nuptias concedi ab Apostolo, imo et suaderi incontinentibus, sed hac ratione :* Melius est enim nubere, quam uri. *Hæc et alia Apostoli verba exponit* Hieronymus, *quando dicit :* Propter has igitur, quæ fornicatæ sunt in injuriam viri sui Christi,... vult Apostolus alterum matrimonium, præferens digamiam fornicationi. *Et inferius iterum indicat, cur adolescentulas nubere velit Apostolus :* Quia multo tolerabilius est digamum F esse, quam scortum, et secundum habere virum, quam plures adulteros. *Quid mali lateat in istis comparationibus, ego sane non perspicio. Nam num.* 9 *mentem suam ita declarat :* Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime : sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? Absit. Sed monogamos ad continentiam provocamus. In arca Noe non solum munda, sed et immunda fuerunt animalia. Habuit homines, habuit et serpentes. *Ita loquitur* Hieronymus, *ut ostendat, in Ecclesia, cujus arca Noe typum gessit, diversorum esse meritorum homines, nec digamos esse extra Ecclesiam, etiamsi postponantur virginibus et viduis. Hinc lib.* 2 *contra Jovinianum num.* 22 *ait :* Cur in typo Ecclesiæ, in arca Noe diversa animalia, et pro qualitate meritorum diversæ sunt mansiones? *At id non est digamos cum immundis animalibus et serpentibus comparare.*

cum illa in contextu facile intelliguntur.

1310 *Quod ultimo dicitur de comparatione digamorum cum cane ad vomitum reverso, et de sue lota ad volutabrum, invenire vix potui. Puto tamen indicari verba* Hieronymi *in Epistola* 54 *ad*

ad Furiam num. 4, ubi hæc leguntur : Quid angustiarum habeant nuptiæ, didicisti in ipsis nuptiis : et quasi coturnicum carnibus usque ad nauseam saturata es : amarissimam choleram tuæ sensere fauces. Egessisti acescentes et morbidos cibos : revelasti æstuantem stomachum. Quid vis rursum ingerere, quod tibi noxium fuit? « Canis » revertens ad vomitum, et sus luta ad volutabrum » luti » Bruta quoque animalia et vagæ aves in easdem pedicas retiaque non incidunt. *Non magis hæc tangunt secundas nuptias, quam primas. Scripserat ipsa Furia ad* Hieronymum, *et propositam viduitatis servandæ declaraverat, ut liquet ex initio Epistolæ : simul declaraverat, quam sibi* noxium *fuisset nupsisse, ut intelligitur ex allegatis verbis. Itaque hortatur, ne redeat ad id, quod angustiis et amaritudine plenum sibique noxium erat experta. Huc pertinet comparatio canis ad vomitum redeuntis et suis ad volutabrum, sicut et animalium et avium, quæ cavent ne in eadem retia iterum incidant. Quare comparationes illæ non feriunt omnes digamos, sed illos solum, qui experti sunt, se redire ad manifesta peccandi pericula, si repetant nuptias. Si quis plura desiderat, legere poterit Apologiam* Hieronymi *pro libris contra Jovinianum, de qua ait Erasmus :* Utinam hanc Epistolam diligenter legant isti, qui maligne paucula verba decerpunt ex alienis libris, quæ calumnientur, haud perpendentes, a quo, cui, qua occasione dicantur; quid præcesserit, quid consequatur. Tantum circa duo verba muliebriter cavillantes, arguti sibi videntur. *Hæc optime congruunt Caveo.*

Aliæ nullius momenti objectiones.

1341 *Plura adversus* S. Hieronymum *objecta ex variis accumulavit Czuittingerus, sed alia suis locis expensa et refutata sunt ; alia ejusmodi sunt, ut examine non indigeant, et communi fere omnium consensu satis refutentur. Talia sunt, quæ de minori doctrina, minori peritia linguæ Hebraicæ, minori scientia theologica, minus recta interpretatione prophetarum, ibidem accumulata sunt, aliaque similia. Satis erit illis omnibus, cum jam ab aliis refutata sint, opponere verba Erasmi, ibidem quoque relata ex Epist. 15, lib. 9 :* Hieronymum unum habet ecclesiasticus orbis utraque doctrina, sacra et gentili, ut vocant, juxta absolutum. *Addo pauca ejusdem verba ex ipsa* Hieronymi *Vita :* Quis umquam, *inquit,* sacras Litteras sic ex ipsis hausit fontibus? quis altius imbibit! quis simili cura edidicit? quis sic in promptu et in procinctu (quod aiunt) habuit? quis citavit aut densius aut appositius? quis edisseruit doctius? quis tractavit sanctius aut felicius? quis eruditissimos illos interpretes evolvit diligentius? quis hæreticorum dogmata refellit efficacius? Quis Christi philosophiam penitius cognitam habuit? Quis eam vividius aut litteris expressit aut vita? *Hæc Erasmus, et alia multo plura de doctrina* Hieronymi. *Non attingam Joannem Clericum, qui pro Vigilantio pugnavit contra* Hieronymum; *sed Clericum Apologia satis prolixa refutavit Josephus Swinger, Societatis nostræ theologus ante laudatus. Dallæus etiam aliqua ex libris* Hieronymi *objecit; sed illa præsertim ante refutata sunt, et ad omnia respondit Natalis Alexander. Quapropter ad alia transibimus.*

Alia objectio, acsi Sanctus carpsisset iniquius Origenem.

1342 *Pagius in critica ad annum* 229 *num.* 7, *postquam observaverat, quid Origenes editioni suæ* 70 *Interpretum cum asteriscis inseruisset ex Theodotione, subjungit :* Quam ob causam Hieronymus in Epistola ad Augustinum, et in Præfatione in libros Paralipomenon ait, libros 70 Interpretum ab Origene esse corruptos. In quo certe iniquior videtur Hieronymus adversus Origenem : qui, quod bono ac pio consilio fecerat Origenes, tam acerbe reprehendit. *At in hisce desideramus diligentiam Pagii, qui verba Henrici Valesii in Annotatis ad Eusebium pag.* 314 *sine ullo examine exscripsit, licet falsa sit accusatio, ut videre potuisset, si curasset consulere ipsum* Hieronymum. *Etenim* Hieronymus *Epistola* 112 *ad Augustinum non reprehendit Origenis factum, sed ad hominem, ut aiunt, argumentatur. Primum ait sine ulla reprehensione :* Ubi autem asterisci.... ex Theodotionis editione ab Origene additum est. *Deinde respondere incipit ad ea, quæ Augustinus objecerat contra versionem* S. Hieronymi *ex Hebræo, et nominatim ad argumentum, quod Augustinus in Epistola* 104 *multum urgebat, ab auctoritate Septuaginta interpretum. Hinc ita* Hieronymus *loquitur :* Et miror, quomodo Septuaginta Interpretum libros legas, non puros, ut ab eis editi sunt, sed et ab Origene emendatos, sive corruptos per obelos et asteriscos ; et Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris, præsertim cum ea, quæ addita sunt, ex hominis Judæi atque blasphemi post passionem Christi editione transtulerit. Vis amator esse verus Septuaginta Interpretum? Non legas ea, quæ sub asteriscis sunt, immo rade de voluminibus, ut veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes ecclesiarum bibliothecas damnare cogeris. Vix enim unus aut alter invenietur liber, qui ista non habeat. *Ratiocinatur hoc modo* Hieronymus. *Si soli Septuaginta Interpretes admittendi sunt, cur eorum editionem non legis puram, sed auctam ex Theodotione, ideoque in sententia tua corruptam? Si autem hominis Judæi interpretationem non spernas, cur meam contemnendam censes? Hunc esse verum* Hieronymi *sensum, ostendit sequens concessio ironica, qua suadet, ut omnia Theodotionis additamenta deleat, et sic omnes bibliothecas condemnet. Hoc meo quidem judicio non est Origenem carpere, sed Augustinum refutare.*

1343 *Similiter in Præfatione ad libros Paralipomenon non intendit accusare aut carpere Origenem, sed translationem suam ex Hebraico ejus et aliorum exemplis defendere. Hunc in finem observat primo,* quod germana illa antiquaque (*Septuaginta*) translatio corrupta sit. *At minime dicit, corruptam ab Origene. Corruptam vero probat, quod alia exemplaria legerentur Alexandriæ, alia Antiochiæ et Constantinopoli, alia in Palæstina. Credebat quidem* Hieronymus *puriora exemplaria haberi in Hexaplis Origenis, qui ea emendarat, ideoque ea subinde vocat* emendata, *incorrupta et* immaculata. *Poterat tamen ob dissensum aliorum codicum dubitari, an emendatio Origenis ubique fuisset accurata. Hæc ergo solum observat, ut demonstret versionis novæ ex Hebraico utilitatem. Tum aliud argumentum pro se sumit ex factis Origenis, qui quatuor interpretationes in Hexaplis edidit : neque hoc tantum fecit :* sed, quod majoris audaciæ est, *inquit,* in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minus ante fuerant, et virgulis, quæ ex superfluo videbantur apposita. *Factum Origenis improbare non poterat* Hieronymus, *cum plane similem dedisset editionem latinam : dicit tamen,* majoris *fuisse* audaciæ : *quod eo facto quasi definiret, quid deesset in translatione Septuaginta, quid redundare videretur. Tum pro se ita argumentatur :* Si igitur aliis (*Hesychio nimirum, Luciano, et maxime Origeni*) licuit non tenere. quod

A quod semel susceperant : et post Septuaginta cellulas, quæ vulgo sine auctore jactantur, singulas cellulas aperuere (*dando suam singuli editionem*) hocque in ecclesiis legitur (*ex Theodotione*), quod Septuaginta nescierunt ; cur me non suscipiant Latini mei, qui, inviolata editione veteri, ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, et, quod majus est, Apostolis auctoribus probem? *Omnia hæc tendunt ad defendendum* Hieronymum *non ad Origenem accusandum, ut falso asserunt Valesius et Pagius.*

§ LXXXI. Quæ in Historia Samuelis Basnagii objecta sunt contra S. Hieronymum, refutantur.

Objectiones Samuelis Basnagii

Samuel *Basnagius in Annalibus Politico-ecclesiasticis tom. III luculenter ostendit, multum se doluisse, somnia Joviniani et Vigilantii refutata* B *fuisse ab* Hieronymo. *Hinc passim omnia arripit, quæ ab aliis neotericis contra* Hieronymum *objecta fuerunt. Hinc non solum pro Vigilantio et Calvino pugnat contra S.* Hieronymum, *sed nec Jovinianum prorsus indefensum relinquere voluit, quod et ille Luthero Calvinoque in aliquibus prælnserit. Imo et pronuntiat,* deteriora *scripsisse* Hieronymum *contra Jovinianum, quam ipse scripserat* Jovinianus. *Modeste tamen videtur procedere Basnagius, et passim præmittit,* pace Hieronymi *se ista observare.* Pace Hieronymi, *inquit ad annum* 383, aspere nimis in Jovinianum invectum esse putamus, quem Epicurum vocat, cum exploratum sit, istum Epicureum a nuptiis temperasse, ut monuit Augustinus, *imo et ipse* Hieronymus. *At qua dialectica probasset Basnagius, non fuisse* Epicurum, *quia a nuptiis temperavit? Ut autem probet,* Hieronymum *male de nuptiis locutum, affert primum ex lib. 1 contra Jovinianum cap. 4, sive num. 7 hæc verba* : Quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod Corpus Christi accipi (*forte* accipere) non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo continentis. *Loquitur ibi* Hieronymus *de actu conjugali, quem* C *non negat bonum esse, cum alleget verba Apostoli, debitum reddere jubentis ; sed, ut ante insinuat, tale non est illud bonum,* quod prælatione alterius non obumbratur. *Poterit istud assertum forsan displicere sectatoribus Joviniani, sed non displicebit Apostolo.*

1314 *Mox et locum objicit ex Epistola jam laudata ad Ageruchiam, ubi* Hieronymus *narrat, mulierem, quæ viginti duos habuerat viros, ab ultimo, qui item viginti habuerat uxores, sepultam fuisse ; subditque :* Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud, quod Dominus Samaritanæ : Viginti duos habuisti maritos, et iste, a quo nunc sepeliris, non est tuus. *Utrumque locum rursum objicit ad annum 420, ibique ex priore contra* Hieronymum *sic ratiocinatur :* Sequitur, Abrahamum, Esaiam, Zachariam continentiæ experies fuisse. *Miserum sophisma! Si dixero, quamdiu dormiebat S. Paulus, non implebat officium Apostoli ; non negavero, S. Paulum etiam dormientem fuisse Apostolum. Sic non negavit* Hieronymus, *multos maritos esse continentes, sed* continentis *officium ab eis non impleri, quamdiu exercent opus conjugale, etiamsi continentes sint et maneant, modo bona intentione et cum timore Dei Officium conjugale impleant. Ex sequentibus* Hieronymi *verbis sic infert Basnagius :* Ex quibus intelligitur, matrimonium ejusmodi puram putamque scortationem fuisse Hieronymo. *Inepta rursum consecutio, quæ ridiculam prorsus opinionem* Hieronymo *affingit : neque enim tam stolidus erat, ut ultra viginti maritos legitime mulieri junctos credidisset, et vigesimum secundum tandem exciperet. Cur ergo* Hieronymus *dicit,* Non est tuus? *Hoc vario admodum sensu dicere potuit, quo autem sensu dixerit, explicat lib. 1 adversus Jovinianum num. 14 his verbis :* Ubi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit.

Auctor l. s.

1315 *Objicit ibidem Basnagius et tertium* Hieronymi *locum ex lib. 1 contra Jovinianum num. 7, ubi Sanctus exponis illa Apostoli verba 1 Cor. 7, ℣ 2 :* Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. *Sic autem habet :* Non dixit, propter fornicationem unusquisque ducat uxorem, alioquin hac excusatione libidini frena laxasset, ut quotiescumque uxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur. *Hæc ferenda non putat Basnagius, cum tamen sit genuina expositio verborum Apostoli, qui ibidem agit de junctis matrimonio, ideoque voces illæ,* Unusquisque suam uxorem habeat, *nequeunt significare,* Unusquisque uxorem ducat. *Nihilo magis illis verbis imperare potest, ut nullus ducat vitam cælibem : nam sic Christo Domino virginitatem suadenti contradiceret : et ipse paulo post* non nuptis et viduis *dicit,* bonum esse illis, si sic permaneant. *Quid ergo in allegatis* Hieronymi *verbis displicuit Basnagio? Illud nimirum :* Alioquin hac excusatione libidini frena laxasset. *Objicit enim illa Apostoli verba 1 Timoth. 5, ℣ 14 :* Volo ergo juniores (*viduas scilicet*) nubere, *et ait :* Frena igitur libidini laxasset Apostolus. *At aliud plane est omnibus nuptias suadere, aliud personis aliquot particularibus, idque* fornicationis metu, *ut frequenter explicat* Hieronymus, *easdem permittere. Hoc non est libidini frena laxare, cum permittatur res bona, et quæ bene fieri potest, cumque metu majoris periculi aut permittatur aut etiam suadeatur. At omnes ad nuptias hortari esset multis frena libidinis laxare, quandoquidem non omnes ad nuptias procedant, sicut juniorem Tobiam ad sponsam accedere docuit angelus Raphael Tob. 6, ℣ 22, nimirum* cum timore Domini, *et* amore filiorum magis quam libidine *ductum ; sed aliqui* conjugium ita *suscipiant,* ut Deum a se et sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus ; *quemadmodum ibidem quoque legitur.*

pro Joviniano,

E

F

Rufino

1316 *Ibidem nonnulla etiam objicit Basnagius, acsi* Hieronymus *non admisisset æterna peccatorum Christianorum supplicia ; sed objectiones illas examinavimus et refutavimus § 43. Multa quoque pro Origene contra* Hieronymum *disserit locis variis, et vel invitum vult Origenistam facere : sed de iis fuse disputatum est, ut abunde jam refutatæ sint observationes Basnagii, sicut et ejusdem pro Rufino contra* Hieronymum *asserta Tillemontianis similia. Unum forte addi hic potest de Rufino : nam ad annum 411 num. 7 graviter conqueritur Basnagius, quod etiam defunctum impetierit* Hieronymus, *ita scribens :* Hieronymus mentis impotentia inverecunde satis in hominis et olim amici et presbyteri cineres invehitur, quem non suo nomine, sed scorpii appellatione afficit. Convicia quidem

auctore l. s.

quidem hæc Hieronymi laudare non possumus etc. *Verba Hieronymi, quæ objicit, dedi num.* 966, *addidique et alia Hieronymi de Rufino mortuo asserta num.* 967 *et* 971. *Rationem vero, ob quam ita processit* Hieronymus, *cum videri dixi, quod Rufinus præcursor esset Pelagianorum, quorum hæresis paulatim incrementa capiebat. At modestissimus Basnagius, qui totis viribus Rufinum excusare nisus est, et vel sic hominem purgare non potuit, non veretur S. Hieronymum sexcentis modis accusare, ut inverecundum, ut illiberalem, ut inconstantem, ut impotentem animi, aliisque modis, quos prætereo, cum omnia ante sint refutata.*

et Vigilantio

1317 *Liceat solum paucis edicere, vera etiamnum esse verba Postumiani, qui sex mensibus apud* Hieronymum *fuerat, apud Sulpicium Severum Dial.* 1 : Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit : oderunt clerici (*nimirum irreligiosi*), quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum boni omnes admirantur et diligunt : nam, qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. *Pergit* Hieronymus *Vigilantium et Calvinum in scriptis suis impugnare : hinc illæ lacrymæ, hinc odia plusquam Vatiniana, hinc accusationes aliæ frivolæ, aliæ prorsus falsæ, omnes*
B
ante refutatæ, præter paucas ad Vigilantium spectantes. Primum carpit Hieronymum, *quod amorem, quo excepit Vigilantium, quasi inconstans mutaverit, sicut item objecit de Origene et de Rufino. Mirabilis sane erit morum doctrina, quam illis accusationibus insinuat Basnagius, si illos, quos necdum bene cognitos aliquando laudavimus aut amavimus, semper oporteat eodem studio prosequi, sive bonos deprehendamus et laude dignos, sive improbos et reprehensione potius corrigendos. Non ita sapiebat S.* Hieronymus. *Nam laudavit Origenem ob insignem doctrinam et ingentes studiorum labores, quæ antea magis habebat perspecta, quam multiplices ejusdem errores quos postea sic reprehendit, ut eo etiam tempore multa in Origene laudaret et prædicaret. Amavit multo tempore et laudavit Rufinum, nimirum quamdiu hic studio excusandi et propugnandi aliquot errores Origenis ad inimicitias non prosilivit. Ubi vero deprehenderat, Originis errorum patronum factum, suæque detrahentem famæ, accusantem repulit, partimque amice monendo, partim*
C
objurgando a patrocinio Origenis avellere studuit.

contra Hieronymum

1318 *Quod vero spectat ad Vigilantium, hujus mores minime amabiles citius habuit perspectos. Missus erat cum litteris ad* Hieronymum *a S. Paulino Nolano.* Hieronymus *autem, ut par erat, nuntium S. Paulini, eumque presbyterum, benigne et amanter excepit. Tamen brevi illo tempore, quo Vigilantius mansit in Palæstina, temeritatem hominis vidit* Hieronymus, *sed eum ad sanam mentem reducere studuit, et ad tempus saltem compescuit, ut dictum est num.* 619. *Hic est ille amor* Hieronymi *in Vigilantium, laudabilis sane; de quo mutato queritur Basnagius. At frustra queritur : nam, ut vere annuebat* Hieronymus *hominem temerarium, quem rationum pondere ad breve duntaxat tempus compescere potuerat, incusso per acrem Epistolam pudore ad meliora consilia tentabat retrahere. Ubi vero factus erat hæresiarcha, minus eidem parcere debuit, utpote fidei Catholicæ vindex. Audiamus modo, quæ in illo libro carpat Basnagius tamquam* Hieronymo *indigna.* Si Agnus ubique, ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. *De his verbis exclamat :* Hæccine magno digna sunt Hieronymo? *Non audet tamen edicere, quid mali contineant illa verba : num revera nihil absoni habent. Refutat errorem Vigilantii. Apostolos et Martyres concludentis loco, et hæc præmittit:* Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo? De quibus scriptum est : « Sequuntur » Agnum, quocumque vadit. » *Tum sequuntur objecta verba, quæ significant, Christum et Sanctos adesse in omni loco, cum volunt, non vero instar Dei ad omnem extendi locum, ut Daleus voluit. Negat* Hieronymus, *Sanctos uno teneri loco, ut etiam sequentia luculenter manifestant. Si hoc nec Vigilantio placuit nec Calvino; at placuit* Hieronymi *tempore toti Ecclesiæ.*

1319 De cereis martyrum in honorem accensis dignane hæc Hieronymo? *subdit Basnagius, hæc ejus recitans verba :* Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est : hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est. *Tum sic argumentatur :* Qua conclusione sequitur, divinos martyribus honores impendi : tales enim erant, quibus accensis interdiu cereis idola afficiebantur. *Ubi, quæso, ejusmodi dialecticam didicit Basnagius? Negat id ipsum* Hieronymus, *quod ipse infert. Admittit, eodem modo cereos accendi, sed negat accendi eadem*
E
intentione, sive accendi tamquam diis. Accenduntur enim in honorem Servorum Dei, isque honor ad Deum ipsum refertur : quod pie et recte fieri pluribus probat Hieronymus. *Tertio objicit Basnagius hæc* Hieronymi *verba :* Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris : *subditque, tamquam mendacii* Hieronymum *convicturus,* Cum certo certius esset, ante tumulos martyrum cereos accensos fuisse, quod sui immemor Hieronymus fatetur a mulieribus fieri. *Verum, si attendamus ad verba Vigilantii, quæ refutat* Hieronymus, *facile videbimus, quo referenda sint ejus verba. Dixerat hæresiarcha :* Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in ecclesiis, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi... Magnum honorem præbent hujuscemodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos etc. *Hoc sensu accendi cereos a ministris Ecclesiæ negat* Hieronymus, *sive accendi, ut illustrentur Sancti, quemadmodum observavit Baronius ad annum* 50 *num.* 73. *Nam luminaria ab ipsis etiam Ecclesiæ ministris* clara luce *accendi*
F
testatur inferius, hæc scribens : Nam et absque martyrum reliquiis per totas Orientis ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed signum lætitiæ demonstrandum; *idque sapienter fieri ostendit. Itaque negat,* moles cereorum *supra martyrum sepulcra accendi ad illustrandos martyres.*

exponuntur,

examinantur

1320 *Deinde factum ipsum defendit :* Quod si aliqui *inquit*, per imperitiam et simplicitatem sæcularium hominum vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere : « Confiteor, zelum Dei habent, sed non se» cundum scientiam, » hoc pro honore martyrum faciant, quod inde perdis! Caussabantur quondam et Apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum : et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habebunt mercedem, dicente Apostolo : « Unusquisque in suo sensu abundet. » Idololatras appellas hujusmodi homines? Non diffiteor,

A teor, omnes nos, qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est. *Addit plura ad probandum, recte etiam per diem accendi luminaria.*

et refelluntur.

1321 *Eo autem tendit tota disputatio, ut ostendat, pium istud Opus non videri abrogandum, cum ab omnibus pie et sapienter fieri possit, etiamsi nimiæ quorumdam simplicitati aliquid innocui erroris obreperet; sicut paulo post num. 10 vigilias nocturnas in ædibus martyrum defendit, etiamsi non neget, subinde abusus irrepere, quia paucorum culpa non præjudicat religioni, qui et absque vigiliis possunt errare vel in suis vel in alienis domibus. Basnagius, attendens ad illud, quod de simplicitate mulierum dixit* Hieronymus, *ita pro Vigilantio disserit:* Quid peccavit Vigilantius, si muliebrem, quam non negat Hieronymus, insipientiam ejectam religione voluerit, quæ castissima semper sapientissimaque esse debet? *Re-* B *spondeo, in his peccasse Vigilantium, quod homo imperitus laudabilem multorum pietatem ausus sit impugnare, et cum idololatria comparare. Imitatus est factum Judæ Joan. 12, Mariam Lazari sororem carpentis, et alios ex Apostolis in suas partes trahentis, quod pretiosum unguentum in pedes Jesu effudisset. At Jesus ipse pium Mariæ opus defendit et laudavit Math. 26:* Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. *Sic pium hominum sæcularium et mulierum liberalitatem defendit* Hieronymus, *temereque obloquentem Vigilantium compescuit. Nam, si qui bona opera ex ignorantia non bene peragant, illi instruendi sunt, non ipsa bona opera abroganda. Male demum habet Basnagium, quod* Hieronymus *frequenter* blasphemiæ *arguat Vigilantium. Qui id mirantur cum Basnagio, diligenter investigare conentur, cur nulli frequentius, quam Vigilantio, blasphemiam, furoremque et insipientiam objiciat eruditissimus et in bonos mitissimus* Hieronymus, *et rationes per Dei gratiam facile invenient. Ego ad alia progredior.*

C § LXXXII. De Ordinibus religiosis sub patrocinio et nomine S. Hieronymi institutis : Sanctus in apparitione instruit S. Franciscam Romanam.

Monachus aut asceta fuit Sanctus: sed de Regula ejus nihil habemus compertum.

N*ullum est dubium, quin* S. Hieronymus *professus sit vitam monasticam, aut certe asceticam, si quis ea nomine uti maluerit; et usque ad beatum obitum in monasterio vixerit cum monachis, quos regebat. Attamen non videtur certas vivendi leges, sive Regulam aliquam perpetuo observandum sibi aut suis præscripsisse. Reddidit anno 404 Regulam S. Pachomii latinam, aliaque ejusdem documenta ascetica, ut dictum est num. 857: et prorsus verisimile est, id eum non solum fecisse pro monachis Ægyptiis, sed pro suis etiam, ut inde sibi documenta et vivendi præcepta haurirent. At non existimo, istam Regulam monachis S.* Hieronymi *pro certa lege præscriptam fuisse. Nihilo magis invenire possum, an monachi et monachæ, qui sub disciplina* S. Hieronymi *Deo in Bethleem serviebant, perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ voto se Deo et præpositis suis umquam obligaverint. Itaque de hisce plura non dicam. Æque obscurum est, quamdiu successores latini permanserint in monasterio* S. Hieronymi. *Unicum, quod de his invenimus, est sepulcrum S. Eusebii Cremonensis, quem ex sepulcro novimus ibidem obiisse, et consequenter suspicari possumus post* Hieronymum *in monasterio vixisse, atque eidem præfuisse. Eadem suspicio esse potest de Pauliniano* Hieronymi *fratre. Certe uterque post* Hieronymum *superfuisse videtur, cum de eorum morte nullibi meminerit Sanctus. Sic in monasterio feminarum post S. Eustochium superfuit Paula junior, sive neptis S. Paulæ. Verum prorsus ignoramus, quanto tempore tres illi post* Hieronymum *vixerint, imo etiam, an Paulinianus et Paula in Bethleem usque ad obitum manserint, ac demum, an latini longo tempore in monasteriis Bethleemiticis habitare perrexerint. Præterea non novimus, ulla alia monasteria sub disciplina* S. Hieronymi *fuisse, quam Bethleemitica, alterum virorum, alterum mulierum; neque id verisimile ex gestis* S. Hieronymi *aut probabile existimamus.* 1.

Nova prorsus sunt, quæ de dilatatione Ordinis S. Hieronymi.

1323 *Verumtamen Joannes Petrus de Crescentiis in Opere Italico, cui titulus* Præsidium Romanum, *mirabilia plane scribit de Ordine* S. Hieronymi *et de ejus dilatatione. Nam, vivente etiam* S. Hieronymo, *fere ubique terrarum invenit monachos Hieronymianos, videlicet Romæ, et non modo in Bethleem, ubi revera fuerunt, sed in aliis etiam Palæstinæ et Syriæ partibus, in celebri insula Lerinensi, aliisque locis pluribus. Si vel solum operis indicem quis consulere voluerit, videbit, ibidem assignari monachos Hieronymianos Constantinopoli, in Græcia, in Africa, in Gallia, in Britannia, Anglia, Scotia, Hibernia, ac demum per universum mundum. Aliquid me profecisse in notitia gestorum* S. Hieronymi *existimabam, cum diligenti Operum ejus lectione, tum investigatione Vitarum, quæ prodierunt usque ad sæculum 14, multarumque etiam recentiorum. Attamen omnia illa asserta tam nova mihi tamque inaudita apparent, ut videar translatus ad terram peregrinam, de qua nihil aut visu aut auditu percepi.*

de regula per eum scripta.

1324 *Assignat Crescentius et Regulam* S. Hieronymi, *quasi scriptam ad S. Eustochium pro monialibus. Hæc autem edita est apud Martianæum tom. V Operum* S. Hieronymi *inter supposititia a col. 421, ubi laudatus editor suum de illa judicium declarat his verbis:* Quid opus est in hoc argumentis uti, Regulam hanc non esse Hieronymi, cum id totus sermonis insulsissimi character adeo palam præ se ferat, ut vel ab indoctissimis sentiri queat? Ipse non possum satis admirari tam insignem hominis impudentiam. Quanta cum auctoritate loquitur? Putes Apostolum aliquem esse. Et hic impostor ipso Paulo felicior, in corpore constitutus, fruitus est visione divina, totos, opinor, menses inter Seraphim versatus. Deinde corpori redditus, cum antea dixisset in corpore cerni, redibat nobis præscius futurorum. Nam hujusmodi portenta de se scribit supposititius hic Hieronymus: qui si prodigiosam balbutiem suam, et ineptissimam loquacitatem mutare potuisset, plane Hieronymus erat. Nunc auriculæ prominentes produnt asinum; et totus sermo clamitat, indignum fuisse, qui in divi Hieronymi culina ministri locum teneret. Sed audi

AUCTORE J. S.

audi jam, lector, bellam præfationem, quæ non Hieronymum exprimit jam senem, quemadmodum conatur, sed ebrium aliquem, vino simul et ætate delirantem. *Si cui nimis vehemens et acuta videatur hæc censura, non negavero, eadem mitius dici potuisse. At credidit Martianæus, non parcendum hominibus, qui pessimo consilio præsumunt sanctis Patribus ejusmodi merces supponere.*

aut certe per posteros eius, asserta fuerunt,

1325 *Frustra allegat Crescentius scriptores aliquot neotericos, qui illam Regulam nomine* S. Hieronymi *allegarunt : neque enim illorum auctoritas efficere potest, ut Opus, quod manifestis rationibus probatur suppositum, ab eruditis criticis* S. Hieronymo *deinceps sit attribuendum. Neque vero pugnaciter certat Crescentius ad Regulam certo attribuendam* S. Hieronymo : *nam postquam ad aliqua argumenta responderat, fatetur et alia esse, quibus* S. Hieronymo *abjudicanda videtur Regula. Manifestum est hoc, quod centenarius dicatur fuisse* Hieronymus, *dum eam scripsit. Nam id ipse scribere fingitur manifesto mendacio, cum ad eam ætatem numquam pervenerit. Vult tamen Crescentius, habendam esse pro* antiquissima. *At non facile,* B *opinor, probabitur, antiquiorem esse sæculo 14 aut 15. Certe Joannes Andreas, qui scripsit sæculo 14, eam prorsus ignorasse videtur. Si enim novisset, non repudiasset, prout nulla ex suppositiis rejecit, illudque, quod centenarius ibi dicitur* Hieronymus, *pro ætate ejus asserenda procul dubio arripuisset.*

Quinque Ordines Hieronymianorum nempe Jesuati,

1326 *At qua de causa Crescentius monachos Hieronymianos adeo per totum mundum dilatavit? Quare iisdem attribuere conatus est Regulam aut ab* Hieronymo *scriptam, aut certe antiquissimam? Nimirum ut iis rationibus persuaderet, monachos Hieronymianos continuata serie in Ecclesia mansisse, et eorum successores esse Hieronymianos illos, qui etiamnum in Hispania et Italia florent. Non tamen pro omnibus id contendit : nam quinque diversi Ordines, ex quibus duo præcedente sæculo extincti sunt, patronum habuerunt* S. Hieronymum. *Omnes sæculo 14 vel 15, quantum ex certis documentis colligitur, ortum habuerunt. Primus tempore institutionis fuit Ordo Jesuatorum* S. Hieronymi, *quorum fundator est B. Joannes Columbinus. At hi ab initio institutionis* S. Hieronymi *cognomen non habuerunt, sed postea acceperunt* C *ex* decreto Alexandri VI, *nimirum* quia dictum Sanctum unanimi consensu sibi patronum delegerunt *ut apud nos legitur in B Joanne Columbino tom. VII Julii pag. 345 ; et ibidem additur :* At anno 1668 Clemens IX constitutione *Romanus Pontifex* justis de causis illos suppressit et abolevit *Reliqua ad memoratum Ordinem spectantia ibidem videri possunt : sed illi numquam contenderunt, ex successoribus* S. Hieronymi *se ortum ducere.*

Fesulana Hieronymianorum congregatio,

1327 *Alter ordo, ab initio* S. Hieronymi *dictus, fundatorem habuit Carolum Granellum, quem multi* Beatum *vocarunt, ut observavi in Prætermissis ad 7 Septembris. Polydorus Vergilius de Inventione rerum lib. 7, cap. 3 de illo Ordine ita scribit :* Sunt et Hieronymiani Eremitani, de quibus proximo capite meminimus, *(at ibi de Hispanis potius meminit)* quorum Ordinis quidam Carolus, cognomento Granellus, homo Florentinus, auctor fuisse dicitur, qui eremitarum sua sponte induisset vestitum, sedemque sibi optasset in Fesulanis montibus. Alii tradunt, non Carolum, sed Redonem quemdam, Montisgranelli comitem, primum ens eremitas sub ritu D D. Augustini ad Fesulas, Gregorio XII probante, instituisse. Imo sunt, qui commententur, hanc primum familiam a Hieronymo in eremo institutam, et eam auctam ab Eusebio Cremonensi, ac plerisque aliis præcipuæ sanctitatis viris, qui cum eo vixerant, et sic accidisse, ut postea meliores vitæ exemplo plures unam æmulati rem, modicis, ut fit, principiis ortam sæpius instaurarint, atque eo pacto alios ex uno ordine Benedictinos, alios Augustinianos esse secutos, alios in suo permansisse instituto. *Hæc ille circa finem sæculi 15, universim ad Hieronymianos respiciens, opinor, ut jam orta esset ea quorumdam opinio, quod hodierni quidam Hieronymiani ortum habeant a* S. Hieronymo. *Hæc autem opinio controversiam peperit, quæ nostris temporibus rursum agitata fuit, ut disco ex Historicis Monumentis* Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis, *quorum editionis secundæ tomum I anno* 1758 *vulgavit Joannes Baptista Saianellus, ejusdem Ordinis lector et provincialis emeritus. Attamen, qui prædictam antiquitatem et originem a* S. Hieronymo *tribuere sibi nituntur hoc tempore, non sunt congregationis Fesulanæ, sed Ordinis Hieronymiani, qui multum floret in Hispania, et* E *ex qua per Lupum de Olmeto alius quoque natus est in Italia.*

ambo instituti sæculo 14 et deinde exstincti

1328 *Cum memoratam controversiam operose examinare nolim, sed malim imitari Josephum Seguntinum, dicti Ordinis in Hispania historicum, qui a tanta vetustate Ordini suo vindicanda abstinuit, sed ejus principium sæculo 14, et sub Gregorio XI posuit, fere tantum recitabo, quæ de singulis* S. Hieronymi *Ordinibus narrat laudatus Saianellus. Hinc etiam non inquiram, quo anno Carolus Granellus per secessum ad eremum quasi prima illius Ordinis posuit fundamenta. Hoc certo factum est sæculo 14, et forte eodem fere tempore, quo in Hispania per vitam eremeticam Ordini nasciture datum est initium. Itaque de confirmatione per summum Pontificem Innocentium VII loquitur Saianellus pag. 35, dum hæc scribit :* B. Carolus, comes Montisgranelli, cum aliquot sociis (discipulis B. Thomasuccii, ut placet quibusdam) originem dedit Fesulanæ Congregationi circa annum 1405. Hieronymiani fuerunt nomine ab ipso exordio, ut ex Bulla Gregorii XII, apud Bullarium Romanum ad annum 1415. Postea vero F Regulam S. Augustini professi sunt ex indulto Eugenii IV anno 1441, ut in eodem Bullario. Habitum vero grisei coloris, seu tertii Ordinis S. Francisci deferebant. Aliqui tamen, illo mutato in fulvum seu leonatum, ut se reliquis Hieronymianis assimilarent, schisma fecerunt. Quare opus fuit, ut Paulus II per Bullam, datam anno 1465, duodecimo Kal. Julii, eos invicem sejungeret, et gestantibus habitum tertii Ordinis separata Patavii et Vicentiæ monasteria assignaret, ita tamen, ut omnes eidem rectori generali subessent, et S. Hieronymi dicerentur. *Pro his laudat suum Bullarium et Waddingum, subditque modeste dubitationem suam his verbis :* An vero essent Hieronymiani origine, quis definiat? *At mihi origo videtur satis assignata per Carolum Granellum fundatorem. Ceterum ille Ordo exstinctus est una cum Jesuatis* S. Hieronymi, *et eadem Clementis IX Bulla.*

Eremitæ Hieronymiani in Hispania.

1329 *Polydorus Vergilius lib. 7, cap. 3 de* S. Hieronymo *post alia sic loquitur :* Postremo locum circa Bethlehem sibi construxit, ubi reliquum vitæ Apostolico ritu egit. Hinc factum est, ut permulti deinde Hieronymiani ipsius instituti imitatores

imitatores extiterint, ortaque sit nova quædam familia, quæ a Hieronymi nomine, quem sui instituti, quamvis longe diversi ab eo, quo ille vixerat, utcumque auctorem faciunt, Hieronymiani sunt appellati: qui nativo amiciuntur colore, pallioque super tunicam rugato, atque superiore parte a summo ad imum scisso, scortea zona tunicam succingunt, soleis ligneis pedes muniunt. *Saianellus hæc verba citat pag.* 13, *et in Annotatis per* nativum *colorem explicat* fulvum, *eaque de causa aliquid in verbis requirit. At nativus color mihi videtur color ipsius lanæ nativus, et nulla tinctura mutatus. Hæc Virgilius dicit de Hieronymianis, quales sunt in Hispania, et qui omnium primi nomen* Hieronymianorum *obtinuerunt, videlicet a Gregorio Papa XI, qui illis dedit Regulam S. Augustini, simulque concessit, ut possent appellari* fratres seu heremitæ S. Hieronymi. *Hic Ordo etiamnum floret et notissimus est in Hispania et Lusitania nomine* Eremitarum S. Hieronymi, *atque hi potissimum Hieronymiani originem suam dicuntur repetere a* S. Hieronymo, *licet id non faciat Ordinis historiographus Josephus de Siguenca sive Seguntinus.*

Monachi S. Hieronymi in Italia,

1330 *Ex hisce per Lupum de Olmedo vel Olmeto, quem Vergilius Lupum* Hispalensem *a patria nominat, surrexit sæculo* 15 *alius Hieronymianorum Ordo, qui unice floret in Italia, etiamsi in Hispania fuerit inchoatus, diciturque* Ordo monachorum S. Hieronymi. *Occasio novi hujus Ordinis erigendi fuit, quod Lupus, qui generalis erat præpositus Eremitarum* S. Hieronymi, *in Ordine suo aliquid immutatum vellet, et in eam mutationem plerique Eremitæ consentire nollent. Hinc, probante Martino V. pro iis, qui consentire volebant aut novo Ordini aliunde aggregari, mutationes illas exsecutioni mandavit, et ab Ordine Eremitarum segregatus est. Laudatus Vergilius cap.* 2 *ob titulum* monachorum, *opinor, illos quasi Benedictinis aggregat, dicens,* Eremitanos divi Hieronymi postremo per Martinum quintum in familiam divi Benedicti ascitos. Quem Ordinem, *inquit,* a patrum norma jam collapsum Lupus Hispalensis, eius familiæ præpositus, novis institutis instauravit, de cujus exordio in capite insequenti prodetur. *Verba illa jam data sunt num.* 1329. *Porro Lupus de Olmeto primum aliquo tempore retinuit Regulam S. Augustini, deinde novam composuit ex scriptis* S. Hieronymi, *ejusque approbationem impetravit a Martino V. Edita est hæc Regula apud Martianæum tom. V a pag.* 343, *ibique præmissa est Martini Papæ approbatio, ad preces Lupi de Oliveto, ut nomen ibi legitur, data.*

diversi sunt ab Eremitis Hispaniæ,

1331 *In illa Regulam* ex diversis Epistolis et tractatibus *colligendi et substituendi pro Regula S. Augustini, hæc ratio datur:* Nuper siquidem, *inquit Pontifex,* pro parte dilecti filii Lupi de Oliveto, Ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi generalis præpositi, nobis exposito, quod dudum ipse et plerique alii professores Ordinis ejusdem sancti Hieronymi, sub Regula S. Augustini tunc viventes, zelo devotionis accensi, ob frugem melioris vitæ arctius et perfectius, quam Regula dictaret hujusmodi, et in vero statu monachali, quem ipse sanctus Hieronymus cum suis monachis et fratribus professus fuisse, et in communi observasse perhibetur, vivere; et, ut nomen gerebat ejusdem Sancti, sic ejus vitam, regulam et opera desiderabat imitari. *Sequitur approbatio memoratæ Regulæ, et absolutio ab observantia Regulæ S. Augustini. Itaque hæc Regula in usum inducta est, et observata saltem usque ad obitum venerabilis Lupi, qui Romæ anno* 1433 *defunctus est in monasterio S. Alexii, ubi, teste Hippolyto Heliot in Historia Ordinum tom. III, pag.* 454 *tale ejus legitur epitaphium:* Hic jacet R. in Christo P. F. Lupus de Olmedo, natione Hispanus, resuscitator ac reformator, ac primus generalis præpositus Ordinis monachorum sancti Hieronymi, Priorque hujus monasterii, qui obiit die 13 Aprilis, anno 1633, pontificatus domini Eugenii Papæ IV anno 3. *Si credimus Helyoto, monachi Hieronymiani post mortem Lupi resumpserunt Regulam S. Augustini.*

et novum instituerunt Ordinem.

1332 *Seguntinus in Historia Ordinis Hieronymiani lib.* 3, *cap.* 5 *urget, Ordinem a Lupo reformatum, et non sine ratione, quantum mihi videtur: neque enim disciplinam collapsam restituit, aut statuta Regulæ, quæ fuerant abrogata, in usum reduxit; sed induxit disciplinam magis austeram, quam in Ordine Eremitarum Hispaniæ ab initio fuerat usitata, et deinde etiam Regulam novam, ut potius dicendus sit novum Ordinem instituisse, quam ante institutum reformasse. Ceterum monasteria, quæ pro novo suo Ordine Lupus in Hispania fundaverat, deinde aggregata sunt Eremitis Hieronymianis, qui sunt in Hispania et Lusitania. Ex dictis liquet, corrigenda esse verba Polydori Vergilii, data num.* 1330, *quibus asserit,* Ordinem *Hieronymianorum* a patrum norma jam *tum* collapsum *fuisse, et a Lupo instauratum. Utrum demum ad modum vivendi* S. Hieronymi *monachorumque ejus in Bethleem magis accedant Hieronymiani Hispani, an Itali, aliis inquirendum relinquo.*

Ordo S. Hieronymi B. Petri Pisani.

1333 *Laudatus Vergilius cap.* 4 *alium rursus memorat Ordinem* S. Hieronymi, *ita scribens:* Orta est in terra Italia eodem tempore Urbini (*sive in Monte-bello prope Urbinum*) est Umbriæ antiquissima Urbs ac percelebris, nova Eremitanorum congregatio, nihil fere amictu differens (*eo scilicet tempore*) a D. Hieronymi familia, de qua supra memoravimus. Illis enim ex scapulari amictu tenuis tantum pendet lacinia in humeros rejecta: at calceamentum, ut usus fert, commune, et cætera, quæ reliquis Hieronymianis. Petrus quidam, homo Etruscus, ac Pisis notus, (*videlicet B. Petrus Gambacurta*) novi hujusce instituti auctor fuit, qui civium opibus adjutus, cœnobium inibi e regione ædium nostrarum exstruxit, quod hodie tam Eremitanorum numero, atque vitæ sanctimonia, quam populi in eos pietate, princeps omnium aliorum habetur, quæ viginti numero esse perhibentur in Italia duntaxat, quippe institutum, ut recens, alio terrarum nondum pervasit. *Ita Polydorus Virgilius, qui minime prodigus est in laudes Religiosarum familiarum, illam saltem, quam, cum Urbinas esset, propius cognoverat, non prorsus illaudatam præteriit. Crevit postea Ordo ille Hieronymianus, et in vicinam Germaniam, aliasque regiones propinquas extendere se cœpit, ut videri potest in Historicis monumentis jam laudatis, quorum primum tomum hactenus tantum habemus. De eodem Ordine apud nos actum est in B. Petro Gambacurta fundatore tom. III Junii a pag.* 531, *ubi antiquo nomine vocatur* Ordo pauperum Eremitarum S. Hieronymi, *at modo* Ordo S. Hieronymi, *aut* Congregatio B. Petri de Pisis *a fundatore.*

1334 *Porro, dum perspicio tot Ordines Eremiticos et monasticos sæculo* 14 *et* 15 *assumpsisse nomen*

nomen et patrocinium S. Hieronymi; *vehementer suspicor, per vitam S. Hieronymi, quam sæculo 14 scripsit Joannes Andreas, devotionem erga sanctum Doctorem magna cepisse incrementa. Nam ille Italis suis exprobrat, quod tepescerent in devotione erga* S. Hieronymum, *declarat non nisi paucissimas Sancti ecclesias diuturna inquisitione a se repertas, de nullo uspiam Ordine* S. Hieronymi *vel verba meminit; sicut nec ulla alia vita ante sæculum 14 scripta.* Quid igitur defuit, *inquit fol.* 16, huic gloriosissimo Confessori, quod devotionem possit inducere, vel inductam agere (*lege* augere?) Respondeant Italici senes nostri. Et quia non possunt, curvo capite negligentiam fateantur. Nec allegent illius ignorantiam, cujus dictis ipsorum aures quotidie replebantur. Sed licet propter id turber contra ipsos Italicos, tritavorum nostrorum tritaveros (*forte* tritavos) et descendentes ab eis, penes quos, tanta tribuens, gloria carere non debuit; nec ipsorum linguam tamdiu adhærere palato; hoc tamen gratulationis admixtum est, quod apud nos mihi hujus venerationis principium reservavit divina providentia, me trahens ad zelum devotionis per cordulam rationis. *Sic ille non solum verbis, sed magis etiam exemplis ad venerandum* S. Hieronymum *trahens. Et revera post scriptam illam vitam eodem sæculo 14 non solum plures ecclesiæ in Italia* S. Hieronymo *dicatæ, sed etiam Ordines Religiosi jam memorati ejusdem patrocinio et nomine insigniri cœperunt. Saianellus velatis pag. 35 adjungit alium Ordinem, tamquam ab initio Hieronymianum, videlicet Congregationem Laurentii de Hispania Venetiis cœptam, et postea Congregationi B. Petri de Pisis insertam. At de ea nihil præterea dicam, quod nesciam, an ab initio fuerit Hieronymiana, et nunc Ordini Hieronymiano ante dicto sit adjuncta.*

Or. haec ... S. ... cui adjuncta fuit alia congregatio forsan Hieronymiana.

Cur hæc congregatio S. Hieronymi nomen habeat,

1335 *Porro laudatus Saianellus pag. 32 quærit, quare B. Petrus Pisanus nomen* S. Hieronymi *imposuerit Ordini suo, easque candide rationes profert, quas meo quidem judicio omnes Hieronymiani proferre possunt, objectaque omni contentione, laudabiliter proferent:* Duodecim sociis, *inquit,* quos sibi adjunxit B. Petrus, imitandam proposuit vitam S. Hieronymi, in quem incredibilem affectum et devotionem habebat.. Pauca quidem hæc verba habet Compendii author, sed quæ copiosam præbent differendi materiam. Conabor tamen brevitati studere, ne fastidium sim legentibus. Audivi non semel seculares viros ac mulieres sciscitari a nostris, unde nobis et Congregationi nostræ advenerit titulus Ordinis S. Hieronymi. Quid vobis, aiebant multi, cum S. Hieronymo? Hic monachus vixit in Bethleem quatuordecim abhinc seculis: vos eremitæ in Italia nondum quintum seculum ab origine numeratis. Facile fuisset respondere, alias multas exstitisse olim in Italia, ut Laurentii de Hispania, Beltrami de Ferraria, seu Petri Malherbæ (*has duas memorare nolui, quod Ordini Hieronymiano B. Petri Pisani sint adjunctæ, et sic modo certe Hieronymianæ sint, etsi ante tales non fuissent*) Jesuatorum et Fesulanorum; alias vigere adhuc Congregationes, ut B. Lupi de Olmeto, et nostram Pisanam, omnes sub titulo S. Hieronymi, cum tamen nulla ex his seculum quartum decimum antecedat. Id autem erat nodum implicare non solvere.

... rationes obscuræ

1336 Placebat magis illorum responsio, qui Congregationem nostram Ordinis S. Hieronymi appellatam dicebant,... tum ob incredibilem beati fundatoris devotionem erga hunc Sanctum (sicut etiam de aliis Hieronymianis sentit Franciscus Suarez de Virtute Religionis tom. IV. lib. 2, cap. 5) tum ex eo, quod B. Petrus fundator hunc sanctissimum Doctorem eremiticæ vitæ magistrum et cultorem ad imitandum sibi suisque proposuit, ac patronum elegit. Quare eremitæ Ordinis S. Hieronymi non modo nostri passim dicebantur in publicis instrumentis sæculo 15, sed etiam Apostolica Sedes eodem seculo semel, a Clemente vero septimo usque in præsens hunc titulum perpetuo adhibuit. Ita sane, prudenter æque ac vere. Neque enim ad hoc ut societas aliqua, vel cœnobium, vel asceterium dicatur Ordinis S. Augustini vel S. Benedicti, necesse est, ut illi eremitæ vel monachi vel moniales ostendant, se per continuam ac nunquam interruptam successionem ab illo fundatore derivare: sed satis est, quod illa societas vel monasterium, sive ab initio sive deinceps, Regulam sibi eligat ad hoc, ut illius Ordinis evadat. Id autem erat frequens ante seculum tertium decimum. Unum profert exemplum Joannes Petrus Crescentius in Præsidio Romano lib. 1 Narrat. 8 ex Walafrido Strabone scriptore sæculi 9, qui in Actis S. Galli, E discipuli S. Columbani, narrat, quod vitæ eremiticæ S. Galli S. Othmarus addidit ritus et Regulam S. Benedicti. Igitur S. Columbanus ejusque discipulus Gallus non habebant Regulam S. Benedicti: a successore vero S. Othmaro monachi S. Galli Ordinis S. Benedicti facti sunt, quia illius Regulam acceperunt, licet a S. Benedicto originem non haberent. *Ad hæc breviter observo, id exemplum non esse efficax pro Hieronymianis: nam multi quidem monachi, qui erant Ordinis S. Columbani aut aliorum fundatorum, facti sunt Benedictini, quia Regulam S. Benedicti receperunt. At nulli Regulam* S. Hieronymi *receperunt, cum hic Sanctus Regulam non scripserit: neque enim pro Regula* S. Hieronymi *habenda est illa, quam venerabilis Lupus de Olmeto ex ejus scriptis collegit.*

1337 *Quare meliora sunt, quæ subdit Saianellus, ita pergens:* Ego sane, diligenter inspectis scriptoribus multis, qui de Ordinis S. Hieronymi origine et propagatione tractarunt, evolutis etiam archivorum nostrorum schedis, pensatis denique verbis authoris Compendii, id colligo. B. Petrum et socios eorumque successores F fuisse et esse Ordinis S. Hieronymi tum nomine, tum habitu, tum devotione et imitatione: origine tamen tales fuisse non audeo dicere, cum nec Ordo Hieronymianus de Hispania, nec aliæ Congregationes de Italia, originem a S. Hieronymo per continuam successionem probare facile possint. *Hæc vere et candide laudatus scriptor. Deinde vero, relata controversia de origine aliorum Hieronymianorum, pag. 36 per instrumenta plurima probat, Ordinem suum Hieronymianum fuisse dictum saltem ab anno 1437, suumque edicit pag. 37, B. Petrum fundatorem* devotione *Hieronymianum fuisse* et imitatione, *et* prima *illius Ordinis* oratoria *fuisse* S. Hieronymo *dicata. Ut autem confirmet, Ordinem suum solo nomine et patrocinio* S. Hieronymi, *sive studio ejus virtutes imitandi, fuisse Hieronymianum, laudat etiam alios scriptores, recitatque multa verba Thomæ Francisci Rotarii. Utinam eodem candore uterentur omnes scriptores. Non tot inutiles nascerentur controversiæ.*

allegantur.

1338 *Verumtamen Saianellus aliis plusculum concedit, quam vellem. Nam pag. 32 recte ait,*

S. Hieronymum

Monachis, qui sub S. Hieronymo vivebant non videtur singularis fuisse Regula.

S. Hieronymum *in Bethleem vixisse cum monachis, sed non tam bene adjungit :* Quibus aut Regulam S. Antonii, vel Basilii, aut propriam constituit. *Itaque, si Regulam S. Antonii adoptarit* S. Hieronymus, *cur ejus monachi non potius dicendi sunt* Ordinis S. Antonii, *quam* S. Hieronymi? *Idem est de Regula S. Basilii, si ea fuisset in monasterio* S. Hieronymi *observata. Si propriam eis Regulam dedisset* Hieronymus, *illa procul dubio sollicite fuisset conservata, aut certe in copiosis Sancti scriptis alicubi de ea fieret mentio. Si quam Regulam fixam, omnibusque perpetuo servandam, monachis* S. Hieronymi *propositam fuisse crederem, id potius existimarem de Regula S. Pachomii, quam de ulla alia, cum illam saltem latinam fecerit* Hieronymus. *At translationem illam potius suscepisse videtur* Hieronymus, *ut pia quædam documenta ex ea seligerent præpositi, et subditis suis proponerent, quam ut suos constringeret ad totam Pachomii Regulam observandam. Si quis tamen contendere voluerit, Regulam illam monachis* S. Hieronymi *stricte fuisse præscriptam, monasterium illud aggregabit Ordini S. Pachomii. Quantum ego ex lectione Operum et gestorum* S. Hieronymi *colligere potui, sacram Scripturam pro regula vivendi monachis* S. Hieronymi *fuisse conjicio, et mandata præpositorum, qui pro sua prudentia eosdem dirigebant, sic tamen, ut ordinem haberent domesticum, sive statos orandi aliaque peragendi horas. Hinc* S. Hieronymus *passim non accensetur iis, qui Regulam monasticam scripserunt, aut Ordinem Religiosum instituerunt.*

nec illorum institutum alio propagatum videtur :

1139 *Secundo nimium dare videtur, dum asserit, Ordinem monasticum* Hieronymi *per ejus discipulos propagatum esse* per Græciam, Italiam, totamque Europam, immo et Aphricam. *Nulla hujus propagationis indicia uspiam invenio, ac ne vel minima quidem vestigia. Aut vivente* Hieronymo *facta esset ea Ordinis propagatio, et sic alicubi in Epistolis aut aliis Sancti scriptis de monasteriis eidem subjectis facta esset mentio : aut facta esset post mortem* Hieronymi, *eaque propagatio monachorum Hieronymianorum ex scriptoribus sæculi quinti aut sexti innotesceret. At de ea propagatione nec in scriptis* Hieronymi *vel verbum reperitur, nec in ullis scriptoribus usque ad sæculum 14. Tot sanctos monachos in Opere nostro illustravimus : nullum tamen sæculo 14 vetustiorem, quem Hieronymianum dicere possumus, præter eos, qui cum Sancto vixerunt in Bethleem. Tertio liberalis in alios Saianellus subjungit :* In Hungaria totoque Illyrico vigebant adhuc Hieronymiani sæculo quartodecimo, tempore B. Petri fundatoris, cientes authorem religionis suæ D. Hieronymum, teste Joanne Dubravio in Historia Boëmica lib. 22, ubi asserit, Carolum IV imperatorem hoc institutum Praga invexisse.

certe non vigebat in Illyrico sæculo 14.

1340 *Consului Dubravium, quia, si id haberet, alios rursum haberemus Hieronymianos, de quibus alibi nihil invenio. At mihi non videtur loqui de Hieronymianis monachis, sed de Slavis, qui dicebant Carolo IV, se ad fidem Christianam conversos per* S. Hieronymum. *Agit Dubravius lib. 22, pag. 210 de Nova Praga, per Carolum IV constructa (pars est hodiernæ Pragæ, in civitatem Veterem, Novam, et Parvam divisæ) et de incolis in eam indictis, et sic habet :* Legit item seorsim contubernales, qui se Sclavos cognominabant, authorem religionis suæ divum Hieronymum cientes, quem hoc nomine Carolus peculiariter veneratus est, quod in Illyria natus fuerit, unde Boiemi originem trahunt. *Ad hæc verba editor Basileensis in margine posuit* Hieronymiani, *acsi de monachis ageretur, et sic aliis occasionem errandi præbuit. At auctor asserit, gentem Slavicam, quæ Bohemiam cum aliis gentibus incolit, et utitur sermone suo Slavico, quem plerique Germani non intelligunt, separatos ab aliis ad habitandum vicos accepisse in Nova Praga. Hoc etiam tempore Pragenses, qui Slavi sunt origine, pergunt uti idiomate suo, et linguam Germanicam plerique non intelligunt, sicut plerique Germani ibidem habitantes ignorant Slavicum. Credebant illi errore genti facile condonando, sed jam refutato § 78,* S. Hieronymum, *quia natus est in Illyrico, cujus magnam partem postea occuparunt Slavi, origine Slavum fuisse, et progenitores suos ejus opera ad fidem conversos. Hinc eum* religionis suæ, *sive fidei Christianæ, dicebant* authorem. *Hoc totum verborum illorum, ex quibus Hungariæ totique Illyrico Hieronymiani monachi sæculo 14 asseruntur, idque non grande mysterium.*

nec Romæ S. Pamachii tempore nec Altini,

1341 *Frustra allegatur S. Pammachius, tamquam propagator Ordinis Hieronymiani in Urbe, quia ibidem construxit ecclesiam* SS. Joannis et Pauli in Monte Celio. *De ecclesia illa constructa a Byzantio senatore et Pammachio ejus filio, et per plures frequenter instaurata agit Martinellus in Roma sacra pag. 128, sed nihil de monachis olim in illa ecclesia degentibus. Sæculo 15 demum illa ecclesia monachis data est, ut subjungit, ita scribens :* Postremo, cum (*templum*) esset incultum, et præ incuria fere ignotum, Latinus Cardinalis Ursinus (*promotus a Nicolao V*) illustravit celebreque reddidit, et ad incolendum viros modestissimos, Christiana simplicitate et sanctimonia præditos, quos Jesuatos appellant, elegit, sub quorum cura adhuc exstat, S. R. E. Cardinali titulare. *Novissimus scriptor Romæ antiquæ et novæ tom. 1, pag. 437 plura de illa ecclesia scribit, et constructionem soli Pammachio tribuit. Jesuatis concessum esse a Nicolao V, consentit ille, et docet, quibus post extinctionem Jesuatorum sit data. At nullus quidquam de monachis a Pammachio ibi positis. Subdit Saianellus :* In Venetis æstuariis Altinum antiquissima urbs (ab Hunnis eversa) aliæque finitimæ Hieronymianos habebant, antequam insignis ordo S. Benedicti ortum duceret, institutos et propagatos ab Altinate episcopo S. Heliodoro, Hieronymiano discipulo.

nec in Hispania aut Italia fuisse probatur

1342 *Mox conjicit, Ordinem Hieronymianum in Hispaniam ab Orosio translatum, vel ex Italia a S. Paulino. At omnia illa dicuntur ex conjecturis, iisque parum fundatis. Interim brevitatis gratia ponamus, omnia esse vera, et Pammachium Romæ construxisse monasterium, alterum Altini ab Heliodoro erectum idem, fecisse Orosium in Hispania, et S. Paulinum Nolæ in Campania. Fingamus, inquam, vera esse, quæ probari nequeunt, dicendumne continuo erit, omnes illos Italiæ et Hispaniæ monachos fuisse Hieronymianos? Id mihi sane non videtur. Neque enim Regulam vivendi illis dedit* Hieronymus, *neque illos direxit tamquam illorum præpositus, nec monasteria eorum fundavit. Unde ergo erunt Hieronymiani? Quin potius, sicut* Hieronymianos *merito dicimus illos, quos in Bethleem congregavit et direxit* Hieronymus; *sic singulis monasteriis, quæ nec leges vivendi aliunde acceperunt, nec aliis fuerunt subdita, aut fundatorum suorum, aut locorum, in quibus erant, nomina rectius relinquemus; nisi ipsæ*

Congregationes,

[illegible]

Congregationes, sicut de sua Congregatione testatur Saionellus, nomen alicujus Sancti, sub cujus patrocinio vivere desiderant, sibi expetiverint et obtinuerint. Verum hic sistamus, et Religiosis Hieronymianis liberum relinquamus, ut de origine et antiquitate sua censeant, prout, expensis omnibus, de ea censendum judicaverint. Novam illam seu potius antiquam controversiam penitus examinandam non suscipio.

Non ab Hieronymo propagati, sed ab alia causa

1343 *Solum in gratiam clarissimi Saianelli, qui etiamnum exspectat ex Opere edendo, qualis fuerit in Illyrico* Hieronymiani Instituti origo, dilatatio et extinctio, *pauca recitemus ex scriptore nuperrimo, qui de S. Hieronymo in Illyrico scripsit, et de Ordine Hieronymiano sollicite inquisivit, et toto cap. 30 disputavit. Multos ille laudat scriptores, memoratque Religiosos Hieronymianos in Italia et Hispania: sed nullos invenit antiquiores in Hungaria aut Illyrico. Movet dubium, an Ordo Hieronymianus sit ab ipso* Hieronymo *fundatus, laudatque pro resolutione Thomam Franciscum Rotarium, italice* Rovero, Theologiæ moralis cap. 4 de Religionibus in particulari earumque origine num. 22 *sic disserentem :* Anno 1370 circiter cœpit in Hispania Ordo monasticus Eremitarum S. Hieronymi. Nomen hoc a divo Hieronymo desumpsisse aliqui censent, quia Ordo a divo Hieronymo prope Bethlehem fundatus, qui pro aliquo tempore post ejus mortem duravit, eo demum extincto, a piis hominibus in monasterio S. Bartholomæi de Lupiana revocatus fuit ad vitam. Verum licet constet, divum Hieronymum ædificasse monasterium, non constat tamen, fundatorem fuisse particularis Religionis, cui et proprium habitum, et regulas, et vivendi formam tradiderit, unde communiter inter Religionum fundatores divus Hieronymus non collocatur.

nomen habere videntur Hieronymiani.

1344 Alii dixerunt, divum Hieronymum apparuisse primis hujus Ordinis eremitis cum habitu monachali, ad cujus similitudinem desumpserunt proprium, quem gestant : Hieronymiani propterea appellati sunt. Sed, ut notat Suarez, non satis probatur ex historia fide digna hujusmodi apparitio. Potius ergo, quia primi hujus Ordinis monachi eum elegerunt in patronum, multo affectu et studio curantes imitari ejus exempla, et sequi ejus doctrinam, Hieronymiani ab electo sibi Duce, Patrono et Doctore dicti sunt. *Hæc produxit scriptor Illyricanus de Hieronymianis Hispaniæ et Italiæ, altum silens de Hieronymianis, qui in Hungaria totoque Illyrico superfuissent ab ætate* Hieronymi *usque in sæculum 14. Addit alios scriptores, institutionem particularis alicujus Ordinis* S. Hieronymo *abjudicantes, et ipse demum illis assentitur. Verum jam plura dixi, quam necesse erat, ut studiosus lector meam de illis sententiam intelligere valeat. Neque lubet examinare aut refutare prolixa volumina, quibus originem suam a* S. Hieronymo *aliqui repetere conati sunt.*

Apparitio S. Hieronymi.

1345 *Nihilo magis examinabo, an ob apparitionem sit factum, ut* S. Hieronymus *aliquot Religiosorum Ordinum patronus eligeretur. At in fine Commentarii adjungam breviter apparitionem Sancti memoratam in vita S. Franciscæ Romanæ, quæ data est ad 9 Martii, et scripta a Confessario Sanctæ. Visio trigesima S. Franciscæ ibidem sic habet :* Quadam alia vice, recepto sanctissimo Corporis Christi Sacramento per istam ancillam Dei in capella sæpe dicta, ipsa essente in extasi immobili, quædam clarissima et divina lux duxit suum felicem spiritum in aliam splendidiorem lucem, in qua sibi apparuit gloriosus doctor Hieronymus, sibi dicens : O nobilis anima, veni superius ad fruendum tuo Creatore, qui mihi dedit licentiam, ut ipsum tibi ostendam. Tunc illa devota anima vidit excelsum thronum, in quo residebat Verbum inhumanatum. Ipsa præ nimio throni et in ipso Sedentis claritate, nil aliud videre poterat, nisi quamdam formam humanam. Fuit autem posita per supradictum Doctorem in loco semoto a locis, in quibus residebant spiritus gloriosi, tamquam quædam advena et peregrina paupercula, quæ per spatium unius horæ in tanto gaudio exsistens *, volens Dominus ei licentiam dare (*sive eam dimittere*) fecit sibi dici per supradictum Doctorem : Anima, quæ consuesti tale iter pangere, semperque vis uti tuo velle proprio, semper es præsto et firma ad standum in tali visione ; recepisti in tuo usu respicere illud speculum et delectationem, quæ est in summæ Majestatis contemplatione : credis nimis videre, et tu nihil vides : ita magna est abyssus in contemplatione summi Omnipotentis. Nos, qui semper ei assistimus, non possumus videre totum : quid debes facere tu, quæ adhuc es in ipso portu? Pulcherrima divisa est color albus et rubeus. [Fac] ut habeas cor purum et manus innocentes, et caritatem ardentem continue ad tuam mentem ; et si istas res simul habes in mente, ascendere potes. Ex quo læta es effecta de tali visione, recipe confortamen, et descende inferius.

* cum exsisteret

1346 Ex extasi vero immobili reducta ad extasim mobilem, loquebatur disputando cum prædicto Doctore, sua tuendo jura, et allegando causas, per quas non debebat recedere, audiente suo patre spirituali, et prædicta Rita. Sanctus vero Hieronymus eam reprehendendo, sibi dixit : Anima, non verecundaris de tanta præsumptione, nec perdis audaciam ad standum hic superius : nescis, ubi existis : ita est magna hæc abyssus. Confirma te in Dei amore, et hinc recede cum ipso. Anima, tu non intelligis, sed es effecta rudis. Tu credis, et tibi persuades, quod sis vera obediens. In istis rebus ostenditur, si sis ei consentiens, quando tibi per nos dicitur, quod debeas recedere. Si enim nobis sic placet, tu debes obedire. Quæ enim est vera sui ipsius negatio, nisi rerum placabilium renuntiatio? Cur a te non removes res, quæ tibi placent? Tu non vis dimittere tuum gaudium, quod te facit animosam : velles stare semper absorpta in tuo velle.

in qua instruerit

1347 Verum tunc bene anima experitur, et eius bona voluntas tunc melius exprimitur, quando sic ejicitur a suæ mentis jubilo, et numquam habet perfectum bonum, nec efficitur quieta, quousque non abjicitur a sua pace læta. Tunc bene probatur et videtur, talem animam subire examen, quando invenitur contenta in sic et non. Si tibi persuades, quod es vera obediens, in hoc bene cognosces, si in similibus rebus es bene contenta et patiens. *Sequuntur plura ad hoc propositum, quæ ibidem videri poterunt. In fine additur :* Postquam illa devota anima fuit amota a visione divina, remansit in visione illius gloriosissimi Doctoris. *Recurrit* S. Hieronymus *aliquot vicibus in Visionibus S. Franciscæ. Aliis quoque apparuisse legitur, ac nominatim S. Francisco Xaverio ægrotanti : sed finem prolixo Commentario tandem statuamus, et illas aliasque id genus visiones suis locis legendas dimittamus.*

S. Franciscam Romanam.

DE

AUCTORE C. S.

DE S. VICTURNIANO ANACHORETA CONFESSORE

APUD LEMOVICES IN GALLIA.

SYLLOGE

De cultu et gestis.

FORTE SEC. VI VEL VII *Propre Vigennam fluvium in sui nominis vico*

Galliæ Aquitanicæ provincia Lemovicensis, indigenis le Limosin *dicta, a Septemtrione habet Marchiam, ab Ortu Alverniam, a Meridie Cadurcos, ab Occasu denique provincias Petrocoriensem et Ingulismensem. Illius caput est Lemovicum, alias* Augustoritum Lemovicum, *nunc vernacule* Limoges, *in dextera Vigennæ fluvii ripa condita civitas, episcopalis sub metropoli Biturricensi. Inde Occidentem versus in eadem Vigennæ ripa* S. Victurnianus, *natione Scotus, anachoreticam vitam duxisse creditur eo ipso in loco, ubi nunc vicus,* Saint Viturnien *ab illo nuncupatus, visitur, et in cujus ecclesia sacrum ejusdem corpus quiescit. In Tabulis Bluevianis et in Topographia Meriani locus hic quatuor leucis gallicis infra prædictam urbem Lemovicum notatur; in compendio autem Vitæ sive Elogio dando dicitur* octavo ab (*eadem*) urbe milliaro *abesse. Discrepantia componi poterit, si vocem milliarium liceat per mille passus geometricos exponere, atque in prædictis Tabulis leucas gallicas minores, sive singulas pro bis mille passibus geometricis accipere.*

hoc die, quo obiit, annuntiatur

2 *E martyrologis, quos ego quidem consului, perpauci, neque vetusti, de illo meminerunt. Horum primus Philippus Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, illum hoc die 30 Septembris ex Kalendario ecclesiæ Lemovicensis et monumentis ecclesiæ propriæ, ut ibidem annotavit, his verbis recensuit:* In territorio Lemovicensi, S. Victurniani eremitæ. *Eodem die illum Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani hoc elogio celebravit:* Lemovicis, S. Victurniani eremitæ: qui Scotus patria, illustri genere editus, Deo ut sine impedimento seviret, relicta, ut alter Abraham, patria, in Galliam Aquitanicam transmeavit, atque ad Vigennam flumen in agro Lemovicensi tuguriolo constructo, summa in vitæ innocentia consedit, cœlestibus speculationibus et divinis obsequiis totus intentus. Quo in loco post beatam mortem sepultus, magnis prodigiis resplenduit; ob quæ ecclesia ibi ædificata est sub ejus patrocinio, in qua abhinc sacris honoribus celebratur.

in paucis aliquot Martyrologiis, sed per diœcesim Lemovicensem

3 *Accessit Claudius Castellanus, in suo Martyrologio Universali sic inquiens:* In provincia Lemovicensi, S. Victurnianus anachoreta. *Gallice nomen Sancti* Vertunien *exposuit, sed latine in margine, ut edidi, scripsit* Victurianus. *Denique Martyrologium Parisiense anno 1727 vulgatum ipsum eodem die sic annuntiat:* In Lemovicinis, natalis sancti Victurniani anachoretæ. *In pluribus Martyrologiis nomen hujus* S. Victurniani *inscriptum non reperi; ne in Scoticis quidem ac Hibernicis Kalendariis, licet illum in Scotia vel Hibernia natum esse, ex dicendis statuendum sit. Porro hunc diem Sancto natalem in cælis, sive emortualem in terris fuisse, Parisiensi Martyrologio consentiunt Breviarium Lemovicense et elogium inferius recitanda; verumtamen in eadem diœcesi Lemovicensi non nisi postridie, sive Kalendis Octobris (saltem ab anno 1625) colitur Officio ritus semiduplicis; haud dubie, quod ultima Septembris dies impedita esset festo duplici S. Hieronymi doctoris Ecclesiæ.*

colitur 1 Octobris Officio semiduplici,

4 *Ita discimus ex Breviario proprio dictæ diœcesis, quod anno 1625 auctoritate illustrissimi domini Raymundi de la Martonie episcopi editum in Museo nostro habemus. Præscribuntur autem omnia ex communi confessoris non pontificis præter Orationem et Lectionem primam secundi Nocturni, quæ propriæ sunt, quales hic subdo.* Omnipotens æterne Deus, qui Sanctorum tuorum collegio B. Victurnianum confessorem tuum sociasti, præsta, quæsumus, ut, ipsius intervenientibus sanctissimis precibus, gratiam tuæ protectionis ubique sentiamus. *Lectio autem sic habet:* Victurnianus in Scotia nobili genere natus, a puero pietatis rudimenta ponens, futuræ sanctitatis dedit indicia. Adolescens, virtutis cum ætate incrementum suscipiens, totum se Deo dedit: cui ut liberius inserviret, relictis patria et parentibus, trajiciens in Aquitaniam, in loco densis nemoribus obsito, illius nomine postea insignito, ad Vigennæ ripam substitit.

in ecclesia autem sua ejusdem inventio 15 Octobris.

5 Ubi percrebrescente sanctimoniæ fama, quosvis infirmos ad se confluentes, cæcos etiam, surdos et insanos mirabiliter sanavit. Ad extremum emenso pissimæ vitæ curriculo, pridie Calendas Octobris deposuit corpus, frequentibus miraculis clarum. *Hæc de cultu illius per diœcesim Lemovicensem, qui an ante annum 1625 aliter se habuerit, an postea mutatus sit, aliunde non comperi. Dubitari tamen prudenter nequit, quin in sui nominis vico ecclesiaque, in qua ejusdem corpus asservatur, solemniori Officio atque ipso fortasse obitus sui die quotannis honoretur. Ad eamdem ecclesiam referendum existimo, aliud ejusdem Sancti festum annuum, inventionis scilicet, quod auctor elogii recudendi sic memorat:* Decimoquinto Octobris celebratur hujus inventio, quo die sanctissimum ipsius corpus repertum fuit; quod ibi summa colitur reverentia, quamplurimis clarum miraculis.

Datur Sancti Elogium ex apographo illustrissimi Bosqueti

6 *Acta S. Victurniani nulla habemus præter brevem Vitam, seu potius elogium, quod Philippus Labbeus ex apographo illustrissimi domini Francisci*

AUCTORE C. S.

cisci Bosqueti, Montispessulani antistitis, acceptum tom. II Bibliothecæ librorum Miss, pag. 695 vulgavit, et ego inde huc transtuli. Victurnianus natione Scotus, honesto loco nobili genere natus, pietatis rudimenta statim a tenera ætate posuisse dicitur. Ubi autem adolevisset, virtuti ætate incrementum afferente, jam cœlestem sanctam Jerusalem meditans, totum se Domino Deo addixit atque devovit. Neque vero egregia forma, qua æquales anteibat, aut paternæ opes, quæ abunde suppetebant, aut reliquæ illecebræ, quibus adolescentum mentes plerumque capi et a virtutis via abduci solent, ullum vel transversum unguem ab instituto revocare potuerunt. Quin spretis his omnibus malorum irritamentis, relictisque patria et parentibus, conscensa nave, in Aquitaniam clam trajicit, locum ab hominum conspectu remotum quærit, ubi vitam quietam et a curis hujus sæculi vacuam degens, liberius Deo inservire possit.

*a Labbeo in Bibliotheca Mss. editum, * adde non*

7 Est locus in Lemovico agro, octavo ab urbe milliario, ad Vigenæ fluminis ripam; VICTURNIANI FANUM èx eo dixere incolæ, antéa VALLEM TENEBROSAM appellabant, quod densis nemoribus obsitus esset, ac præ vepribus * nisi feris pervius. B Eo cum Victurnianus venisset; ratus, se nactum sedem suo instituto aptissimam, ibi substitit. Sed qui homines fugiebat, sua eum prodente sanctimonia, mox multos ad se mortales confluere vidit; præsertim vero, quicumque morbi aliquo genere conflictabantur, cum adibant. Cæcos, surdos, maxime, qui suæ mentis compotes non essent, mirifice curabat et pristinæ sanitati reddebat. Infirmos in fide salutaribus præceptis erigebat ac roborabat. Hoc igitur modo ætate ibi transacta, tandem pridie Kalendas Octobris ab hac vita migravit. Decimoquinto Octobris celebratur hujus inventio, quo die sanctissimum ipsius corpus repertum fuit, quod ibi summa colitur reverentia quamplurimis clarum miraculis. Inde quotidie mentis sanitatem exhauriunt furiosi, non sine admiratione. Hujus nos precibus auxiliari mereamur per Christum. Explicit.

incertæ auctoritatis, quod expenditur.

8 *Omnino incertum mihi est, unde ista descripserit acceperitve illustrissimus Bosquetus; sed tam conformia sunt Lectioni ex Breviario Lemovicensi datæ, ut vel hæc ex illis contracta, vel ista ex* C *eadem similive lectione amplificata, vel denique utraque ex communi fonte manasse, non dubitem. Eadem vel simillima etiam habuere Saussayus et Ferrarius supra laudati; ut non alia, quæ diversa ab hisce contineant, ejusdem Acta exstare videantur. Hæc autem quam antiqua sint, quis divinet? At certe antiquitatem minime spirant, qualia nunc habemus. Lucem quoque accipere hic non possumus ab aliorum Sanctorum biographis aliisque scriptoribus vetustis, apud quos altum est de hoc S.* Victurniano *silentium, si duos excipias, quorum unus sæculo 12 scripsit, alter sequenti et 14 floruit; verum hi ambo de sacro illius corpore apud Vigennam quiescente meminerunt, sed nihil addunt de gestis vel tempore, quo Sanctus floruit.*

Verisimillime Sanctus e Scotia vel Hibernia illuc advenit,

9 *In hac monumentorum scriptorumque veterum penuria datum elogium paulum expendamus. In primis certum est, nihil in illo legi, quod a verisimilitudine quoquo modo abhorreat, ac pro fide dictis facienda solam desiderari primi scriptoris auctoritatem.* S. Victurnianum *natione Scotum fuisse, consentiunt Breviarum Lemovicense, Ferrarius in Annotatis suis, et Saussayus sive tabulæ, quibus hi usi fuere. Hoc tanto credibilius est, quanto minus solet amor patriæ Sanctos suos ex indigenis exteros facere, quantoque communius Scotis olim fuit, deserta pro Christo terra natali, in Gallias commigrare. Dixi* Scotis; *quo nomine etiam Hibernos complector, quorum insula multis æræ Christianæ sæculis* Scotia *a scriptoribus dicta fuit. Hinc dubium esse potest, an* Victurnianus *ex eadem insula, an ex hodierna Scotia, quæ Magnæ Britanniæ pars est, ortum duxerit. Interim, (quod mireris) hic adeo Scotis æque ac Hibernis hagiophilis ignotus est, ut illum in neutrius gentis Martyrologiis, ceterisque Calendariis et Catalogis Sanctorum memoratum repererim.* D

forte sæculo sexto vel septimo,

10 *In elogiis, quæ recensui, nihil plane occurrit, quod sancti Anachoretæ sæculum, quo vixit, vel leviter indicet, aut ad illud indagandum aliquam rationem suggerat. Oportet, Castellanum quoque nihil hac super re comperisse, dum Martyrologium suum Universale composuit; nam cum alias soleat Sanctorum emortuale tempus vel sæculum in margine adscribere, eam in* S. Victurniano *vacuam reliquit. Illum sæculo 12 posteriorum non esse, liquet ex Gaufredo, cœnobita S. Martialis Lemovicensis ut Priore Vosiensi, qui in Chronico, quod eodem sæculo ad finem vergente conscripsit,* E *apud Labbeum tom. II Bibliothecæ Miss., pag. 287 inter Sanctorum corpora in diœcesi Lemovicensi quiescentia de ejusdem corpore paucis ait:* Super Vigennam sanctus Victurnianus confessor. *Sed quanto tempore, quotve sæculis ante Sanctus obierit, æque manet obscurum. Solus auctor Martyrologii Parisiensis ad annuntiationem num. 3 datam sæ*culum 6 vel 7 *apposuit; quod nescio, an ex aliquo antiquo documento didicerit, an ex probabili tantum ratione conjecerit.*

ut habet Martyrologium Parisiense, incerta etiam sunt eius nobilitas,

11 *Et favet quidem huic opinioni, quod id temporis plures Scoti vel Hiberni in Galliam et Germaniam pietatis ergo mare trajecerint; sed hæc ratio sola in uno alteroque seculo maturando fallere potest. Quam ob rem sine certiori argumento nihil statuere; quia tamen nihil in contrariam partem occurrit, et Parisiensis Martyrologii auctor fortasse aliquid certius comperit,* sæculum *6 et 7 supra in margine ex eodem adscripsi, addita dubitantis particula* Forte. *Quod ad nobile Sancti genus, opesque paternas attinet, non carent hæc exemplo in aliis hujusmodi Sanctis advenis; sed ut pro certis tuto haberi possint, majori, quam ignoti temporis notæque scriptoris, auctoritate egent.* F *Etenim, quod in aliis Sanctis sæpe contingit, ut sanguinis nobilitas et opulenta patrimonia ad excellentioris virtutis argumentum nimis liberaliter iis attribuanter, id ne hic quoque factum sit, merito potest timeri; præsertim quia parum verisimile est, sanctum Anachoretam, mundanarum rerum gloriæque fugitantem, hæc de semetipso vulgasse; nec profertur occasio, qua Lemovicenses eadem ex Scotia Hiberniave didicerint.*

opes, forma etc: sed certus ejus cultus antiquus:

12 *Idem esto judicium de ejusdem in tenera ætate et adolescentia studio virtutum, deque egregia corporis* forma, qua æquales anteibat; *quæ certe non nisi a synchrono primum tradi potuerunt, ac forte solis conjecturis, partim etiam non fundatis, nituntur. Certiora sunt reliqua, quæ de Sancti cultu dicuntur, sed quoad tempus et adjuncta quædam mihi admodum obscura. Sacrum corpus ejus certe jam a sæculo 12 in Vigennæ ripa quievisse, ostendi supra num. 10 ex Gaufredo Priore Vosiensi. De sæculo 13 vel sequenti paulo clarius loquitur Bernardus Guidonis, ex Ordine Prædicatorum sacræ fidei inquisitor, et episcopus, primum*

mum Tudensis deinde Lutavensis, in Tractatu de Sanctis, qui ornant Lemovicensem diœcesim, a Labbeo in laudata Bibliotheca mss., tom. I a pag. 629 *excuso. Verba ejus ex pag.* 633 *accipe.* S. Victurnianus in vico sui nominis, ubi et eremiticam vitam duxit, in ecclesia protomartyris Stephani requiescit, devotos sibi et clamantes ad se potenter eripit de faucibus luporum et rapacium bestiarum, et multa beneficia incolis præstat. *Floruit autem hic Bernardus Guidonis sæculis* 13 *et* 14, *teste Jacobo Echardo tom. I Scriptorum Ordinis Prædicatorum, ubi mortem ejus anno* 1331 *illigavit.*

quamvis etiam obscurum sit tempus conditæ ecclesiæ,

13 *Porro ex his verbis oritur dubium de prædicta ecclesia, cui scilicet ea primitus fuerit atque etiam nunc sit dicata. Philippus Ferrarius in Annotatis ad annuntiationem* S. Victurniani, *ecclesiam illam hujus nomine insignitam esse, scribit hic verbis:* Ex Kalendario Lemovicensis ecclesiæ et monumentis propriæ ecclesiæ, in quibus, illum... in loco, qui Vallis-tenebrosa dicebatur, nunc vero Ecclesia S. Victurniani, ad Vigennam fluvium consedisse, ibique miraculis clarum maxime coli, legitur. *Consonat Saussayus in Martyrologio Gallicano,* Quo in loco, *inquiens*, post beatam mortem sepultus, magnis prodigiis resplenduit: ob quæ ecclesia ibi ædificata est sub ejus patrocinio, in qua abhinc sacris honoribus celebratur. *Secundum hosce igitur ecclesia illa ipsi* S. Victurniano *jam inde ab ortu suo dicata fuit, ejusdemque condendæ causa fuit illius sepultura miraculis clara.*

in qua jacet, et an hæc a principio,

14 *Eorumdem dictis plurimum favet verisimilitudo. Cui enim potius ecclesiam in loco illo nemoroso erectam dicatamque verisimilius est, quam* S. Victurniano, *qui eumdem vivus virtutibus ac miraculis illustraverat, mortuusque illustrare perseverabat, et cujus gratia locus ipse ex horrido, ac non nisi feris pervio, in vicum ejusdem Sancti vocabulo insignitum evasisse dicitur? His non obstantibus prælaudatus Bernardus Guidonis, quem in ipsa diœcesi Lemovicensi natam et in Lemovicensi Ordinis Prædicatorum conventu biennio prioratum gessisse, Echardus loco mox citato scribit, accurate memorans et vicum et ecclesiam, ait hanc* S. Stephani, *illum* S. Victurniani *appellari;* S. Victurnianus in vico sui nominis, ubi et eremiticam vitam duxit, in ecclesia protomartyris Stephani requiescit. *Hoc Bernardi testimonium non finit, quin saltem ante medium sæculum* 14 *ecclesiam, in qua* S. Victurniani *corpus tum quiescebat, sancto protomartyri Stephano consecratam fuisse credam, etsi hoc mirum videatur in adjunctis, quæ retuli.*

AUCTORE C. S.

an tantum postea eidem fuerit dicata.

15 *An forte ipse* S. Victurnianus, *dum viveret, aliquod oratorium eidem sancto martyri sacrum ibidem habuit, in quo et ipse orare et confluentes ad se ad pietatem exhortari solebat; idque oratorium sepultura illius illustratum deinde in ecclesiam excrevit, primi patroni nomine retento? An post Bernardi Guidonis tempora eadem illa ecclesia propter* S. Victurniani *corporis præsentiam ac miracula ab hoc communius appellari cœpit: an veteri nova substituta* Victurniano *soli, vel saltem ut primario patrono, dicata fuit, et alterutro modo explicanda sunt Ferrarii et Saussayi asserta? Videant hæc Lemovicenses, quibus res patrias propius inspicere et examinare in promptu est. Ego pro neutra parte quidquam alibi comperi: et Gaufredus Vosiensis in Chronico sacri corporis locum* super Vigenam *tantummodo assignat; Breviarium vero Lemovicense, et apographum illustrissimi Bosqueti docent quidem locum seu vicum, in quo vixit et quiescit, ab eodem appellari, sed de ecclesia prorsus silent.*

obscura item corporis inventio: miraculorum gloria minime dubia.

16 *Magis etiam ignota mihi sunt tempus, occasio modusque inventionis corporis illius, quæ die* 15 *Octobris contigisse et quotannis celebrari, sine aliis adjunctis legitur in mox laudati episcopi apographo.* Victurnianum *miraculis claruisse, cultus ejus abunde probat; cum soleant fideles ejusmodi beneficiis, quæ naturæ vires exsuperant, ad exhibendam debitam Sanctis venerationem accendi. Inter cetera autem amentium curatio ex supra dictis illi adscribitur, quam suo tempore frequentem fuisse, sæpe dicti elogii auctor vel descriptor docet, sic inquiens:* Inde quotidie mentis sanitatem exhauriunt furiosi, non sine admiratione. *Sæculo quoque* 13 *vel sequenti eumdem multa incolis beneficia præstitisse et adversus luporum rabiem feliciter invocari solitum, tradit ejus temporis scriptor Bernardus Guidonis, cujus verba dedi num.* 12. *Porro cum de hoc sancto Anachoreta plura ad me non pervenerint, cogor hic finem facere, enixe obsecrans, ut, si qui alia aut certiora de eodem habeant, ea ad Dei ejusdemque Sancti gloriam nobiscum communicare ne graventur, usui futura in Operis nostri Supplemento.*

DE

AUCTORE G. S.

DE S. LAURO, PRESB. ABBATE

IN DIOECESI MACLOVIENSI APUD ARMORICOS.

SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Memoria in paucis Martyrologiis : ecclesia ejus nomini dicata : cultus in Armorica et Turonibus : Vitæ ab aliis laudatæ, et ex his aliquot illius gesta recensentur.

Seculo VII Annuntiatur hodie in diœcesi Macloviensi,

Perobscura sunt hujus sancti Confessoris gesta, paucisque martyrologis nota memoria. Ut ab his de more ordiamur, Usuardini Martyrologii aucti editio Lubeco-Coloniensis, anno 1490 vulgata, apud Sollerium inter auctaria ad diem 30 Septembris, illum episcopali dignitate perperam ornans, sic annuntiat : Eodem die S. Lauri episcopi et confessoris. *Grevenus, rectius omisso* episcopi *titulo, additoque presbyterii gradu, ibidem inquit :* Lauri presbyteri et confessoris *In nostro quoque Ms. Florario Sanctorum hoc etiam die, sed corrupto Sancti nomine, legitur :* Item sancti Tauri presbyteri et confessoris ; *ubi dubium non est, quin pro* Tauri *legendum sit* Lauri, *et hodiernus Sanctus indicetur. Clarius loquitur Castellanus in Supplemento sui Martyrologii universalis pag. 1008, in quo illum gallice* Lery, *latine* Laurum *appellans, locum quoque cultus ejus adscripsit, addiditque, quæ ibidem sit de ejusdem, dum viveret, conditione traditio. Verba illius ex Gallicis Latina accipe.*

ubi ecclesiam habet, coliturque in abbatiis S. Mevenni ibidem,

2 Prope S. Mevenni de Gaëlo (*gallice habet :* Pres de Saint-Mein de Gails) in diœcesi Macloviensi, S. Laurus presbyter, cujus nomine una ex istius tractus ecclesiis insignita est, et ibidem dicitur fuisse sacellanus S. Judicaëlis. *In his solis Martyrologiis* S. Laurum *annuntiatum reperi : nam (quod magis miror) ne in Gallicano quidem Saussayi locum habet : cultus tamen ipsius ex dicendis certe antiquus est. Ex prædictorum quoque martyrologorum in diem 30 Septembris consensu verisimillimum fit,* S. Laurum *eo die in suo dedicata nomine ecclesia velut patronum coli, aut certe olim cultum fuisse. Eodem die, sed cum monite de Officio duodecim Lectionum propter S. Hieronymi festum transferendo, inscriptus est ms. Kalendario sæculi 15 abbatiæ S. Mevenni apud Lobineau in calce Operis sui de Sanctis aliisque eminentis pietatis (ut eas vocat) personis Britanniæ Armoricæ pag. 1. Sic ibi legitur:* Prid. Kal. Octob. S. Hieronimi. Ipso die, Lauri abbatis, transfertur, 12 Lect.

et in Turonensi S. Juliani, quo corpus ejus translatum fuit,

3 *Rursus alium cultus locum et diem assignat Mabillonius in Actis Sanctorum sui ordinis sæculo 5, pag. 145 sic scribens :* Festum ejus apud Julianum nuper agebatur die prima Octobris : modo in sequentem remissum est ob festum duplex S. Remigii. *Loquitur hic de celebri vetustaque S. Juliani apud urbem Turonensem ordinis S. Benedicti abbatia, ad quam* S. Lauri *corpus translatum oc saltem usque ad Huguenottorum tempora religiose asservatum fuisse, dicemus. Sacrum hoc pignus, ibidem anno, ut credimus, 1458, die 22 Januarii a Joanne Bernordi archiepiscopo Turonensi in novam thecam solemnissime transpositum fuit, et ab eodem archipræsule decretum injunctumque dicti monasterii* Religiosis suisque successoribus.... ut de cetero annis singulis hunc translationis diem festive celebrent, ac divinis servitiis debitis et oportunis solemnizent. *Habuit ergo* S. Laurus *etiam hunc translationis annuum festivum diem, cum aliis Sanctis, quorum corpora tunc simul elevata fuere, communem. Verum de his infra prolixius agendum erit, postquam pauca, quæ de Sancti gestis et ætate novimus, exposuero.*

Vita ab anonymo seculi undecimi laudatæ

4 *Vitam ejus olim scriptam fuisse, docet anonymus in ms. Chronico prælaudati monasterii Turonensis, de quo meminit Mabillonius sæculo 5 Benedictino, pag. 134 hæc inquiens :* Legi ejus loci Chronici, ante annos quingentos scripti, fragmentum, quod Chronicon divisum erat in duos libellos, quorum in primo ABBATIÆ PRIMA INSTITUTIO, INSTITUTIONIS IMPIA DESTRUCTIO, DESTRUCTIONIS PIA RESTAURATIO continebatur; in secundo ejusdem status ab instauratione. *Ejusdem Chronici mentionem denuo facit tom. I Annalium Benedictinorum, ad annum Christi 595, num. 64, ubi ejusdem auctorem sæculo 11 floruisse affirmat. Porro anonymus ille occasione corporis* S. Lauri, *quod in isto monasterio tunc servabatur, post brevissimum ejusdem Sancti elogium, teste Mabillonio, subjecit :* Et quoniam vitam ejus docet liber Vitæ ejus, sufficiat commendasse summam saltem suæ vitæ, *Verum hanc laudatam de anonymo vitam, quæ verisimiliter cum Sancti corpore Turones allata fuit, excidisse, Mabillonius utroque loco arbitratus est, neque illa ad manus nostras pervenit.*

excidisse videtur ; aliam, quantum apparet,

5 *Eamdem etiam minime reperit Albertus le Grand ; qui cum de Sanctis Britanniæ Armoricæ ex professo scripserit ac satis spissum volumen in quarto vulgaverit, de* Lauro *tamen sic siluit, ut etiam is illi ignotus fuisse videatur. Sed dubitari potest, hancne, an aliam, habuerit Lobineau, qui in tomo : Historiæ Britanniæ Armoricæ sæpe citat* Acta S. Lauri; *quam ob rem, cum aliud ejusdem Opus, quod de Sanctis Armoricæ ab illo editum dixi, non exstaret in Museo nostro, illud per amicum Parisiis comparavi. In hoc pag. 157 et duabus sequentibus gesta* S. Lauri *recensens, tribus monumentis mss. ad ea scribenda usum se fuisse*

A *fuisse asseverat. Præcipuum, ex quo alia duo facta esse existimat, est Vita Latina mutila, quam unde acceperit, non indicat, sed de ejusdem auctore tria observat. Primum est, illum habitasse in parœcia, sive in vico, cujus ecclesiam ejus nomini sacram esse dixi. Secundum, scripsisse ante Normannorum in eam Galliarum partem irruptiones. Tertium denique, vixisse sæculo 9.*

habuit Lobineau ex qua et duobus aliis Mss.

6 *Pro domicilio Vitam ipsam laudat: alterum probat ex eo, quod auctor dicat, corpus* S. Lauri *in sua illa ecclesia, dum scriberet, quiescere, ex qua illud ante Armoricæ per Normannos infestationes ablatum fuisse negat. Postremum statuit, quod in eadem Vita auctor narret, sese interfuisse exsequiis seu sepulturæ cujusdam presbyteri in eadem ecclesia factæ ritu Romano, sive,* ut Ordo Romanus docet. *Observat enim Lobineautius, Ordinem Romanum a Carolo Magno in Galliam primum introductum fuisse, ac biographum verbo ista haud dubie studiose adjecisse, quia tunc recens ibi erat ejusdem Ordinis usus. Placet mihi ista Lobineautii observatio; nam etsi sub Pipino Caroli Magni patre ritus Romanus in Gallia usurpari jam cœperit, sub Carolo tamen magis stabilitus fuit.*
B *De conditione biographi id præterea habemus, quod ipsemet, teste Lobineautio dicat, se* clericos et discipulos numero fere triginta tres *habuisse, fuisseque cognatum presbytero, qui ecclesiæ* S. Lauri *tunc præerat. Præter hanc vitam habuit Lobineautius Breviarium ms., quod ecclesiæ* S. Lauri *olim fuisse existimat, acceptque ex abbatia Monfortiensi in Britannia Armorica; et vitam alteram ms. in Lectiones divisam, quam comes de Plelo-Brehant, toparcha* S. Lauri *cum illo communicaverat. Addit, has dictasque Breviarii Lectiones mutuo supplemento subservire, omnesque ex priori illa vita depromptas esse.*

Acta Sancti gallice edidit.

7 *Utinam Lobineautius vitam illam mutilam et ad hujus lacunas supplendas saltem alterutras Lectiones juris publici fecisset, ut de ejusdem valore aliquid certius statuere possem. Etenim cum ille in Præfatione ad laudatum Opus lectorem moneat, se ab Actis Sanctorum, quibus in scribendo usus est, edendis abstinuisse, ne cum veris fabulas vulgare cogeretur, atque ita licentioribus criticis occasionem daret etiam, quæ in eis vera sunt, criminandi, cum, inquam, hæc moneat Lobineautius, incertus hæreo, an non hæc quoque* S. Lauri
C *vita fabulis laboret, quæ eamdem non modo apud licentioris, sed etiam apud sanæ critices amantes suspectam facere merito queant. Næ ille melius fecisset, si, contemptis asperioribus ingeniis, Acta, qualibus usus est, in suo primævo idiomate ad calcem Operis adjecisset, ut suum cuique pretium statui posset, et quæ sincera sunt, sine omni suspicionis fuligine pulchrius se proderent. Non fuisse porro auctorem vitæ, de qua agimus, in admittendis traditiunculis severum, argumento est, quod Lobineautius ex eadem refert de S. Lauri tumba saxea, quam ipse dum viveret, a duobus tauris indomitis ex Brouerech ad se advehi curavit: qua de re sermo infra redibit.*

Recitantur pauca, quæ anonymus Turonensis

8 *Cum igitur certiora non habeam, primo loco recensebo pauca illa, quæ supra laudatus anonymus Turonensis sæculo* 11 *ex vita ignoti mihi temporis et auctoris delibavit, et ex eo Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti descripsit; deinde etiam Lobineautii e suis, quæ dixi, mss. narrationem compendiose exhibebo. Ne autem lector Mabillonii verba cum anonymi Turonensis dictis confundat, hæc adjectis virgulis ab illius sermone distinguam. Sic igitur habet:* Subdit fragmenti scriptor, Laurum ex Britannia ortum, patriam parentesque deseruisse; sed pro ipsis invenisse « Judicaelem, Brittonum ducem optimum » qui ejus in omnibus adjutor exstiterit. « Cujus adjutorio facto monasterio, in omni sanctitate cum subjectis floruit, et tam verbo, quam exemplo, multum multis profuit. Cujus nobilis vita in conspectu hominum religiosissima, et in conspectu Domini exstitit pretiosa. »

AUCTORE C. S.

de illo anonymo; uti et ea, quæ Lobineau

9 « Cujus etiam alta sanctitatis præconia cumulare non desinit miraculorum gloria: nam per ejus sanctitatem tam in vita, quam post mortem, reformatur debilitas et sanatur infirmitas; maxime loco illo, quo exiit e sæculo, ubi per signa, quæ fiunt, cineres ejus vivunt. Et quoniam vitam ejus docet liber Vitæ ejus, sufficiat commendasse summam saltem suæ vitæ. » *Hæc, nec plura laudatus anonymus de* S. Lauri *gestis apud Mabillonium: nunc Lobineautium e monumentis suis mss. eadem referentem audiamus. Verba ex Gallicis Latina accipe.* Acta ejus, quæ non habemus integra, quæquo sæculo 9 composita videntur, non docent, in qua regione Vir ille sanctus natus sit: est tamen, cur E illum ex Brouërech, id est, ex tractu Venetensi (*du pays de Vannes*) ortum esse suspicemur. Vixit SÆCULI DIGNITATE CLARUS (*verba hæc Latini biographi sunt*) eratque origine nobilis, sed majorem a virtutibus suis, quam ab insigni majorum suorum stemmate splendorem trahebat.

e supra laudatis Mss. suis

10 Fuit cælestibus donis ditatus; patientia in adversis, profunda humilitate, cui perpetua morum suavitas comitabatur; charitateque inexplebili, quæ illum in aliorum necessitates intentum continue detinebat; nec quantæcumque difficultates morari eum poterant, ubi de Dei gloria et animarum salute agebatur. Vitæ, quam sibi præstituerat, rationi constanter adhærens, exactæ disciplinæ institutum sectabatur, ad obediendum semper propensior, quam ad imperandum. Talis erat S. Laurus, cum peculiari gratiæ, qua ad perfectius vitæ genus vocabatur, obsecuturus, patriam, opes et parentes deseruit, ut commigraret in regionem, in qua esset ignotus. Transivit ergo in Pagum trans-sylvam (*Armorice* Poutre-coet) ubi benigne exceptus fuit a S. Judicaele, Britonum Dumnoniæ rege vel principe, qui in Gaëlo aut in hujus vicinia residere solebat. F

paulo prolixius

11 Forte tunc quidam alter insignis sanctimoniæ vir, nomine Elocau, suadente Bili, Moronæ, Judicaelis regiæ conjugis, sacellano, deseruerat solitariam cellam, quam in Domæ fluvii ripa exstruxerat, alioque migrans, supellectile anachoretæ conveniente instructam reliquerat. Hunc locum, et quæcumque huc pertinebant, Judicael S. Lauro donavit, isque reliquum vitæ suæ in eodem exigere statuit. Ædificavit ibidem cellam seu parvum monasterium, quod deinceps ejus nomen gessit, quodque sive communi omnibus vetustis ædificiis vitio, sive a Normannis postea subversum, hodiedum dumtaxat mediocris parœcia est, nomen et tumulum S. Lauri servans. Hic Sanctus vitæ plane cælestis exercitationis continuavit, omnibusque circum acculis verbis et exemplis, necnon miraculis, quibus Deus ad ipsum confugientium preces fidemque muneratus est, plurimum profuit. In eodem loco post sat diuturnam vitam morbo correptus in ætate admodum provecta obiit.

12 Simul atque mors ejus vulgata fuerat, concursum undique ad ejus exsequias est, æque honorifice

AUCTORE C. B.

in ejusdem Vita Gallice recensuit.

honorifice celebratæ fuerunt. Corpus ejus impositum tumbæ saxeæ est, quam ipsemet paraverat, feceratque sibi ex Bronerech in plaustro a duobus indomitis tauris advehi. Hoc a senioribus sibi traditum Actorum scriptor affirmat. Adjunctum de tauris indifferens est, sed non reliqua, cum ex iis discamus, hunc sanctum Virum potissimam Christianæ philosophiæ partem in continua mortis meditatione reposuisse. Idem Actorum scriptor ait, S. Lauri corpus ad sua usque tempora in eodem loco permansisse esseque, dum scriberet, et a Deo frequentibus miraculis illustrari; ex quo liquet, illum scripsisse ante vastationes Normannorum, quod constet, corpus S. Lauri post inde ad urbem Turonensem translatum et in abbatia S. Juliani positum fuisse; cui translationi nil nisi horum barbarorum persecutio occasionem potuit dedisse. *Hactenus Lobineautius, cujus narrationem nunc paulisper perpendamus.*

In Britannia Majori vel Minori natus, patriam deserens,

13 *Ordiamur a patria. Venetiæ, alias Dariorigum, Venetorum in Gallia Celtica olim caput, nunc Britanniæ inferioris urbs episcopalis sub archiepiscopo Turonensi, vernacule* Vannes *dicta,* B *duabus circiter leucis Gallicis ab Oceano Aquitanico distat in Septemtrionem, prope æstuarium* le Morbihan *condita, et si recte se habeat Tabula geographica Blaeviana, vix quindecim milliaribus gallicis dissita a vico* Saint Lery, *sive a loco, ubi* S. Laurus *anachoreticam vitam duxit, obiitque. Verum si sanctus ex Venetico pago in eum locum secesserit, dici quidem potest parentes domumque natalem reliquisse, sed minus recte patriam; et si nobilitate generis opibusque polluerit, vix potuit in loco tam vicino ignotus fuisse, aut diu ignotus habitasse. Mabillonius supra relatus ex anonymo Turonensi tantum habet, illum ex* Britannia *ortum esse; ubi an Britannia minor, sive Armorica an major, sive Anglia, designetur, incompertum mihi est; sed si posteriori modo interpretari liceret, utraque difficultas evanesceret.*

a S. Judicaele Britonum in Armorica rege

14 *Assertam ei a Lobineautio natalium nobilitatem nequeo aliunde confirmare, nisi forte ad hanc referenda sint ista anonymi Turonensis verba:* Cujus nobilis vita in conspectu hominum religiosissima, et in conspectu Domini exstitit pretiosa. *Tempus, quo Sanctus floruit, discimus ex regno vel principatu S. Judicaelis, a quo illum be-* C *nigne acceptum ac munifice adjutum fuisse, ambo consentiunt. Porro S. Judicael Armoricorum Britonum regnum vel ducatum tenuit, regnante in Francia Dagoberto I, cujus anno 14 ille se suosque eidem subjecit, teste Fredegario in Chronico cap. 78 editionis Ruinartii, in qua* Judacaile *appellatur, diciturque fuisse* religiosus et timens Deum valde. *Is ipse vitam monasticam postea amplexus, sancte obiit, coliturque die 16 Decembris, quo die aliquot Martyrologiis inscriptus est. Vixit ergo et sanctitate in Armorica floruit* S. Laurus *sæculo 7, sed an post, an ante medium mortuus sit, incertum est. De Bilio et Elocao nihil præterea reperi.*

cella vel monasteriolo donatur, cujus situs inquiritur,

15 *De loco, in quo solitariam vitam exegit, præmiserat ibidem Lobineautius, fuisse olim vastum nemus, quod a confinibus episcopatus Redonensis usque ad Corisopitensem procurrens, Septemtrionalem Britanniæ Armoricæ regionem a Meridionali separabat; ac propterea Septemtrionalem partem latine* Pagum trans-sylvam *appellari solitam, Armorice* Pou-tre-coet, *quæ vox deinde in* Porhuet *mutata est, quamvis hujus temporis* Porhoet *minus late protendatur, quam antiquitus* Pou-tre-coet, *sive* Pagus trans-sylvam. *Hanc vero* D *plagam a multis sanctis viris, inter quos S. Laurus unus fuit, inhabitatam fuisse scribit. Cellam ejus vel monasteriolum ad fluvium, quem latine* Domam, *vernacule* Doneff *appellat, supra num. 11 situm dixit. In Blaeviana Tabula geographica ducatus Britanniæ vicus* S. Lery *reipsa positus est ad quemdam rivum, quem fluvius* Men *ibidem receptum infra Redones in Vicinoniam flumen, vulgo* la Vilaine, *secum vehit.*

et designatur hic Sanctus cum aliquot discipulis vixit,

16 *Haud procul a* saint Lery *in Septemtrionem versus notatur* Gaël, *ac mox* S. Main, *sive* S. Mevenni monasterium, *ut dubitare nequeam, quin hic locus sit, quem* S. Laurus *inhabitavit, et ubi illam annuntiavit Castellanus in Martyrologio Universali, verbis num. 2 datis. Hinc mihi non satis verisimilis apparet suspicio Mabillonii, tam in Actis Sanctorum sæc. 5, pag. 134, quam tom. I Annalium ad annum Christi 595, num. 64 dubitantis, an* S. Lauri *monasterium non fuerit* S. Joannes de Gaëlo, *ac deinde* S. Mevenni *appellatum. Certe diversa loca esse* S. Lery *et* S. Main, *ex utrinsque situ certum est. Dubitat etiam Lobineautius, qua ratione abbatis titulus* S. Lauro *adscribatur.* In vetusto Chronico (*inquit* E *verbis gallicis*) quod de hac translatione (*infra memoranda*) meminit, et in antiquo Kalendario abbatiæ S. Mevenni S. Laurus ABBAS vocatur; sive quod monachis revera præfuerit, uti ejusdem Acta, dum ipsum DOCTOREM dicunt, insinuare videntur; sive quod is titulus eidem tantummodo additus fuerit more scriptorum Orientalis ecclesiæ a quibus omnes veteres alicujus numinis monachi ABBATES nuncupantur.

obiitque, propterea abbas appellatus: monasterii status hodiernus.

17 *Ego vero non video, cur ad Orientalium morem hic recurrendum sit; cum etiam anonymus Turonensis e Vita, quam habuit, de sancto expresse scripserit:* Cujus (*Judicaelis*) adjutorio facto monasterio, in omni sanctitate cum subjectis floruit. *Suspicor igitur,* S. Laurum *in accepta a S. Judicaele cella primo quidem solitariam vitam orsum esse, sed post divulgatam suæ sanctitatis famam non potuisse, quin saltem paucos discipulos admitteret, iisdemque instituendis (expensas libenter faciente sancto rege vel principe Judicaele) exiguum aliquod monasterium exstrueret. Cum hisce stare etiam potest traditio, quæ, Castellano num. 2 laudato teste, in ejusdem sancti parœcia habetur, fuisse illum S. Judicaelis sacellanum: cum enim* Laurus *presbyter esset, nec procul a Gaelo monasterium haberet, facile potuit hic illi aliquando a sacris fuisse. Forte tamen (nec diu post* S. Lauri *mortem) istud qualecumque cœnobium transiit in jus monasterii S. Mevenni, ad cujus abbatem saltem usque in sæculum 17 pertinuit, ac fortasse etiam nunc pertinet præsentatio ad curam ecclesiæ* S. Lauri, *quæ hodieque parochialis est, ut habemus ex Codice beneficiorum (sive, ut gallice loquuntur,* le Pouillié des benefices) *archiepiscopatus Turonensis, anno 1648 Parisiis edito, in quo inter beneficia episcopatus Macloviensis recensetur* ecclesia parochialis S. Lauri (*gallice* eglise parochiale de saint Liri) *additurque:* Abbas S. Mevenni præsentat, episcopus confert.

§ II.

A

§ II Sancti sepulcrum in Armorica : ejusdem corporis translatio ad Turonense S. Juliani monasterium : ejusdem ibidem in terram infossio et bina elevatio.

Sæculo 9 corpus ejus etiam honorabatur in sua ecclesia.

Demortuo Sancto a discipulis suis vicinisque popularibus, qui viventem venerati fuerant, pro meritis parentatum fuisse, nullus dubito; ejusdemque sacrum corpus in tumba saxea, quam scriptor Actorum, quæ Lobineautius laudat, vidisse potuit, depositum fuisse credo. Nec inficiari possum, sanctum Abbatem, eam tumbam, dum viveret, sibi comparasse, ut jugem mortis memoriam ex hujus quoque conspectu pia mente versaret. Sed eamdem a duobus indomitis tauris plaustro junctis sibi adduci curasse, non ita assentiar biographo illi, licet seniorum dicta laudanti. B *Quorsum enim tauros indomitos ad eam rem adhibitos credamus, dum nulla datur, aut apparet hujus consilii ratio? Mihi quidem hæc una ex illis traditiunculis esse videtur, quæ incerto auctore natæ, quia mirabilia afferunt, apud vulgus finem facile inveniunt. Certiora sunt, quæ de Sancti corpore tam ex eodem biographo, verisimiliter sæculi 9, ut dictum est, scriptore, quam ex anonymo Turonensi, et instramento Joannis archiepiscopi Turonensis habemus.*

de cujus presbyteri cæde pauca annotantur.

19 *Primus, teste Lobineautio, asserit,* S. Lauri *corpus, dum scribebat, in sua ecclesia ibidem etiam quievisse, ejusdemque monasteriolo tunc præfuisse presbyterum, nomine Wiegrial, cognatum suum, virum Christiana eloquentia vitæque integritate conspicuum, de cujus per duos e discipulis suis indigna cæde, quæque hanc secuta fuere, paulo prolixius ibidem loquitur : ego pauca tantum, quæ ad* S. Laurum *pertinent, memorabo. Scribit igitur, occisi cognatos inter exsequias,* ut Ordo Romanus ducet, *factas, quibus auctor interfuit, corum* S. Lauri *tumba prostratos ab illo postulasse, ut impiæ cædis auctores proderet; easdemque pre-* C *ces, tam ab illis, quam a reliquo populo, qui aderat, post sepulturam repetitas, ut Deus, patrocinante* S. Lauro, *nefarios illos aliquo indicio indicaret. Subdit, dum omnes domum regrederentur, ab uno ex iis deprehensas esse in parricidarum vestibus guttas sanguinis nondum ablutas, hocque indicio factum, ut comprehensi crimen suum faterentur. Fassi autem,* amputatis prius manibus (*verba vitæ latine sunt*) suspensi sunt in duas * stipites, posito subter se laqueario, ut moris est, pati latrones.

** imo duos*

Eo(dem) sæculo translatum est ad Turonense S. Juliani monasterium

20 *Hæc de S. Lauri corpore sæculo 9 in sua illa ecclesia etiam quiescente cultoque annotanda censui. Inde aliquando translatum fuisse ad celebre S. Juliani monasterium, olim extra, nunc intra urbis Turonensis muros situm, certum ex dicendis est. Mabillonius tom. I Annalium ad annum Christi 595, num. 62 ad propositum nostrum hæc habet :* Hoc monasterium (*Turonense S. Juliani*) tum a Sarracenis Caroli Tuditis, seu Martelli, principatu, tum sequenti sæculo a Nortmannis eversum legitur. Tunc Sanctorum, quæ illic asservabantur, reliquiæ humo reconditæ, demum instaurato per Theotolonem antistitem monasterio, refossæ et inventæ leguntur in veteribus membranis; quæ si non laceræ, sed integræ essent, majorem istius monasterii notitiam haberemus. Undecim quippe sæculi auctor (*anonymus Turonensis, cujus in præcedenti § jam memini*) res ibi gestas, tametsi rudi stilo, comprehenderat duobus libris... *Auctore C. S.*

et ibidem ex metu barbarorum humi defossum,

21 Ex primo libro quarumdam tantum reliquiarum, quæ ibi detectæ sunt, commemurationem exprimere licuit : nempe corporum SS. Blevilegueti episcopi Venetensis, Lauri abbatis, et Antonii monachi, de quibus nonnulla ex majorum traditione refert : ad hæc S. Albini, cujus altari ollam ejus reliquiis plenam ait contineri. *Hoc Turonense S. Juliani monasterium sæculo 9 et Normannis Danisve eversum fuisse, etiam tradunt auctor Chronici Turonensis et alter scriptor brevis Historiæ ejusdem monasterii, ab Edmundo Martenio et Ursino Durando tom. V Scriptorum editi, uti et Maanius et Metropolitana ecclesia Turonensi. Quam ob rem, cum ex supra dictis certum videatur,* S. Lauri *corpus sæculo 9 etiam in Armorica fuisse, statuendum est, istud eodem sæculo (verisimillime ex eorumdem barbarorum metu) Turones asyli causa delatum, et hic quoque imminente ab iisdem pernicie, cum ceteris Sanctorum pignoribus humo tempestive creditum fuisse.*

ac sæculo 10 rursus e terra elevatum; ac denuo sæculo 15

22 *Laudati scriptores consentiunt, monasterium S. Juliani a Theotolone Turonense antistite restauratum dotatumque fuisse; quod ille præstitit circa medium sæculum 10, evocavitque veterem amicum suum S. Odonem, celebrem abbatem Cluniacensem, qui in Floriacensi monasterio tunc versabatur, ut, quam ibi restituerat, disciplinam in Turonensi quoque monasterio stabiliret. Elevatum ergo Turonibus e terræ latebris fuit* S. Lauri *corpus circa, sive ante mediam sæculum 10, nec est, cur suspectum habemus testimonium anonymi Mabilloniani, cui et tempora et occasio apprime consentiant. Altera sæculo 15 ibidem facta est ejusdem simul ac aliorum Sanctorum pignorum festiva elevatio, seu in novas lipsanothecas a Joanne archiepiscopo Turonensi transpositio, solemnitatem sua præsentia honorante serenissima regina Francorum Maria cum filia sua Magdalena, viris principibus, aliisque regni proceribus. Joannis litteras hac super re datas ex recensione Mabillonii in Sæculo 5 Benedictino pag. 143 et sequenti huc transfero.* F

idem illud aliorumque Sanctorum corpora et reliquiæ

23 Joannes miseratione divina Turonensis archiepiscopus universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Quicquid laudis vel honoris impendimus Sanctis Dei, id eidem exhibemus, teste Propheta, jubente Deum in Sanctis ejus collaudari. Perpendente itaque bonæ memoriæ defuncto fratre Guillelmo, quondam abbate monasterii sancti Juliani Turonensis, Ordinis sancti Benedicti, quod, quamvis ecclesia dicti monasterii pluriimorum corporibus Sanctorum, reliquiis et præsentia decorata exsisteret, quorum atque aliorum gloriosorum Sanctorum, qui in hac nostra civitate requiescunt, suffragiis et precibus, nedum monasterium ipsum, verum etiam tota civitas prosperis vigeat successibus, ipsa tamen corpora et reliquiæ minus reverenter erant recondita, et eis debitus honor non exhibebatur. Devota igitur motus affectione abbas prælibatus fecit, dum vivebat, fabricare quinque capsas ligneas, argento et auro a parte interiori decoratas, sperans hujusmodi reliquias et corpora in easdem facere collocari. Morte tamen, sicut Domino placuit, præventus

AUCTORE C. S.

a Joanne archiepiscopo Turonensi, præsente Maria Francorum regina

præventus nequivit por se ipsum propositum negotium peragere.

24 Desideriis autem ejus adhærentes venorabiles et religiosi fratres, Robertus modernus abbas, totusque conventus dicti monasterii, illaque perficere peroptantes, nobis devote supplicarunt, quatenus reliquias et corpora præparata in locis ad id, ut prædicitur, constructis reponere dignaremur. Notum igitur facimus, quod nos pia vita quondam fratris Guillelmi abbatis memorati, dictorum venerabilium abbatis et conventus modernorum, ad gloriam et magnificentiam omnipotentis Dei, summis affectibus amplectentes, die datæ præsentium, in conspectu Christianissimæ dominæ, dominæ Mariæ Francorum reginæ illustrissimæ, et dominæ Magdalenæ, filiæ ejus inclitæ, ac generosorum principum dominorum, Johannis ducis Borbonii, et Jacobi comitis Marchiæ, aliorumque plurimorum baronum, militum et nobilium personarum, necnon venerabilium et circumspectorum virorum infrascriptorum, ipsa corpora et reliquias et veteribus sarcophagis in novas capsas, per nos prius secundum ritum Ecclesiæ sanctificatas et benedictas, propriis manibus B transtulimus et recondimus secundum ordinem sequentem.

cum filia multisque proceribus

25 Videlicet in prima capsa versus dormitorium sæpedicti monasterii corpus sancti Pauli episcopi Leonensis; in secunda capsa corpus sancti Antonii abbatis dicti monasterii sancti Juliani Turonensis; in tertia autem et media et majori capsa partes corporum sancti Pantaleonis et sanctæ Columbæ, una cum pluribus aliis reliquiis, quorum nomina apud nos incognita exsistunt. In quarta capsa corpus sancti Odonis, primo abbatis Cluniacensis, et deinde dicti monasterii sancti Juliani. In quinta et ultima capsa corpus sancti Lauri abbatis. Quibus translationibus sic factis, capsas ipsas eum ostiis seu clausuris argenteis et auratis a foris clausimus, et nostra benedictione de divina misericordia confisi munivimus, statuentes et dictis Religiosis suisque successoribus injungentes, prout per præsentes statuimus et injungimus, ut de cetero annis singulis hunc translationis diem festive celebrent ac divinis servitiis debitis et oportunis solemnizent. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum binas nostras litteras exinde fieri et per notarios infrascriptos signari, nostrique sigilli C fecimus appensione communiri; quarum unam in majore capsa prædicta inclusimus, et aliam præfatis abbati et conventui in thesauro ecclesiæ reponendam concessimus.

novis thecis imposita ac solemniter elevata sunt:

26 Datum in monasterio prædicto die vicesima secunda Januarii, anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, præsentibus et nobis assistentibus venerabilibus patribus, fratribus Guidone Majoris-monasterii prope Turones, Roberto sancti Juliani prædicti, et Petro de Cormeriaco, nostræ diœcesis dicti Ordinis abbatibus; ac circumspectis viris dominis, Johanne Campidenario decretorum doctore, præceptore generali sancti Antonii de Thuin in Almania et oratore illustrissimi principis, domini Ducis Austriæ; Guillermo le Picart thesaurario, Johanne Preselli archidiacono Transligerensi, Johanne Nuloti archidiacono Turonensi, Nicolao Perturelli Officiali, Victore Hugneti, Guillermo Joubert canonico ecclesiæ nostræ Turonensis, necnon Jacobo de Cormeray Priore claustrali et infirmario, Johanne Præpositi eleemosynario, Philippo Præpositi camerario, Johanne Cbarretier sacrista, Guillermo Du Vieu bostellarico, D Johanne Guibert cantore, Guidone Auger succentore, Guillermo Boutet de Bovo, et Michaele Belloneau de Guerchia, Jacobo Auderon de Castro Reginaldi, Petro Audebert sancti Antonii, Johanne Selion do Bucil, Roberto Helonis do Ambillo, Prioribus; Guillermo de Linaye, Johanno Fafeu, Petro Joulain diacono, Petro Sourdeau, Johanne Lenfant, Aimerico de Mondanier, Johanne de Fonte, Johanne Budet, Andrea do Francia et Johanno de Turre, Religiosis dicti monasterii sancti Juliani, cum pluribus aliis. Sic signatum Thouar et Magistri.

non tamen anno 1407, ut apographum præfert.

27 *Hactenus e suo exemplari Mabillonius, in quo tamen annum Christi (quem Lobineautius illum laudans etiam retinuit) vitiose adscriptum esse, evincunt præcipuæ personæ in eodem memoratæ. Ut a capite incipiamus, eo anno* 1407 *archiepiscopalem cathedram Turonensem tenebat Amelius, quem Sammarthani fratres in Gallia Christiana cognominant* de Maillé, *Joannes autem Maanius in Metropolitana ecclesia Turonensi pag.* 156 de Brolio. *Secundum eorumdem Catalogos nullus post Amelium Joannes in eadem sedit* E *ante Joannem* Bernardi *seu* Bernard, *cujus archiepiscopatum laudatus Maanius ab anno* 1442 *usque ad* 1466 *perducit, Sammarthanis fere consentientibus. Eodem anno* 1407 *regnabat in Gallia Carolus VI, cujus unica uxor fuit Isabella Bavarica, nec inter horum liberos* Magdalenam *reperio. At vero horum filius Carolus VII, qui anno* 1422 *in regnum patri successit, conjugem habuit* Mariam *Andegavensem, Ludovici Siciliæ regis filiam, ex eaque post numerosum prolem etiam* Magdalenam *suscepit, Ladislao Austriaco, Bohemiæ et Hungariæ regi postea desponsatam; quæ procul omni dubio illa ipsa* Magdalena *est, quam cum matre sua regina* Maria *prædictæ elevationi adfuisse, Joannes archiepiscopus Turonensis in datis litteris testatus est.*

sed 1457, ut nunc loquimur, 1458,

28 *Certum itaque est, hanc solemnitatem multis annis post Christi* 1407 *contigisse; sed cui anno illiganda sit, restat inquirendum. Quod attinet ad duos nominatos S. Juliani abbates, nimirum Guillelmum et Robertum, quorum primus quinque lipsanothecas sacris reliquiis parasse, alter earumdem elevationem obtinuisse dicitur; habent quidem Sammarthani tom. IV Galliæ Christianæ pag.* 546, *in eorumdem abbatum serie* F *istorum nominum proximos successores, quorum posterior anno* 1407 *præfuisse notatur; sed et postea aliud simile par recensent, videlicet* Guillelmum de la Saugere, *anno* 1440, *et hujus proximum successorem* Robertum III, *anno* 1457, *eamdem abbatiam tenentes. Ibidem pag.* 592 *in Catalogo abbatum Majoris-monasterii prope Turones* Guido Vigier *ejus loci abbas fuisse legitur ab anno* 1453 *usque ad* 1458, *quo nepoti suo cessisse dicitur. Rursum pag.* 304 Petrus Berthelot *inter abbates Cormeriacenses in diœcesi Turonensi reponitur ab anno* 1434 *usque ad* 1476, *quo obiit. Etiam horum igitur prælaturæ tempora cum Joannis Bernardi archiepiscopatu concurrerunt, ut sæpe dictæ elevationi assistere potuerint.*

quo tempore omnes personæ in instrumento memoratæ

29 *Apud laudatum Maanium in Appendice pag.* 258 *in Catalogo Thesaurariorum ecclesiæ Turonensis* Guillelmus le Picart *ab anno* 1442 *nominatur, nec de ejusdem successore ante annum* 1496 *fit mentio. Pag.* 260 Joannes Preselli *ab anno* 1448 *usque ad* 1466 *inter archidiaconos, non quidem Trans-Ligerenses, sed Trans-Vigennenses relatus*

A *relatus est, Denique* Joannem Nuloti *inter archidiaconas Turonenses ibidem non reperio ; sed pag.* 260 *inter archipresbyteros majores* Joannes Mulot *ab anno* 1451 *usque ad* 1466 *recensetur; qui duo ultimi an iidem sint cum nominatis in laudato instrumento, non ausim dicere; sed eosdem quoque ad annum* 1407 *in prædictis catalogis frustra quæras. Ex allegatis autem mihi verisimillimum apparet, vocem* quinquagesimu *apud Mabillonium, vel in apographo, quo usus est, excidisse; et pro anno Christi* 1407 *legendum esse* 1457, *quo omnes prælaudatæ personæ huic solemnitati adesse potuerunt. Deinde cum ejus temporis Galli annos suos a Paschate passim inchoare solerent, dies* 22 *Januarii anni* 1457 *pro more nunc recepto ad annum* 1458 *pertinet.*

dictæ solemnitati adesse potuerunt.

30 *His positis, simul etiam occurrit pro eodem anno* 1458 *peculiaris ratio; occasio scilicet, qua præmemoratæ illustres personæ hanc elevationem præsentia sua honorasse videntur. Ladislaus Austriacus Hungariæ et Bohemiæ rex juvenis mense Octobri* 1457 *legatos suos magna cum pompa et comitatu e regia urbe Praga in Galliam miserat, ut prælaudatam Magdalenam sponsam suam sibi* B *adducerent; uti pluribus legi potest apud Boguslaum Balbinum in Epitome rerum Bohemicarum lib.* 5, *cap.* 3. *Porro hos legatos Carolus VII Francorum rex, Magdalenæ pater, regia cum magnificentia excepit detinuitque in urbe Turonensi, donec omnia ad sponsam regiam pro dignitate deducendam pararentur. Verum dum hæc Turonibus agentur, Ladislaus ejusdem anni mense Novembri præmatura sane morte Pragæ obiit, ejusque rei inopinatus nuncius in Galliam allatus est, antequam Magdalena iter esset aggressa. Versabatur igitur Caroli VII aula sub finem anni* 1457 *Turonibus, ibique partim facile mansisse potuit usque in diem* 22 *Januarii anni proximè subsecuti, utque hac occasione potuit regina Maria cum filia Magdalena memoratisque principibus ac illustribus viris sæpe dictam sacrorum corporum elevationem præsens spectasse.*

Observantur quædam.

31 *Hactenus de tempore celebris translationis* S. Lauri : *at vero ne quis hanc suspectam habeat ex eo, quod* corpus S. Pauli episcopi Leonensis *simul cum corpore* S. Lauri *elevatum tunc fuisse in iisdem litteris legatur, cum tamen ejusdem S. Pauli corpus saltem jam a sæculo* 10 *ex Armo-* C *rica Floriacum delatum fuerit, ibidemque usque ad Hugonottorum tempora permanserit, uti in Opere nostro ad diem* 12 *Martii, quo ille colitur, dictum est; ne quis, inquam, hinc etiam de* S. Lauri *corpore Turonibus olim servato dubium moveat, juverit pauca observasse. Non eadem est de utroque ratio : nam primo quidem anonymus sæculi* 11 *scriptor, quantum Mabillonius in ejusdem libello legere potuit, inter Sanctorum reliquias in ecclesia S. Juliani apud Turones humi defossas et sub medium sæculum* 10 *elevatas* corpus S. Lauri abbatis *expresse recensuit, huncque nostrum Armoricum esse, probat summa Vitæ, quam breviter adjecit : contra vero de S. Pauli Leonensis corpore, reliquiis, aut etiam nomine, nullo verbo meminit, non secus ac hic illi plane ignotus fuisset.*

32 *Secundo corpus S. Pauli fuisse sæculo* 10 *ex Armorica ad Floriacense monasterium translatum, restatur Aimoinus, ejusdem cœnobii monachus lib.* 3 *de Miraculis S. Benedicti; nec quisquam (quod sciam) ejusdem possessionem usque ad Calvinisticam tempestatem Floriacensibus disputavit; ut adeo suspecta esse debeant, quæ de ejusdem sancti episcopi corpore, in Turonensi S. Juliani ecclesia sæculo* 15 *asservato, in laudatis archiepiscopi litteris dicuntur. Contrarium prorsus in* S. Lauro *accidit; hujus enim corpus nemo præter Turonenses monachos jam inde a sæculo* 11 *sibi asseruit. Ostendant quidem, ut dictum est, Armorici ac venerantur sepulcrum illius in sui nominis ecclesia in diœcesi Macloviensi, sed illud vacuum corpore esse, fatentur. Hoc autem recte convenit cum dictis anonymi Turonensis, qui cum corpus* S. Lauri *monasterio suo adscribat, sepulcrum tamen ejusdem in Armorica, ubi ipsum vixisse præmiserat, suo etiam tempore, sive sæculo* 11 *celebre fuisse insinuat, dum eumdem tum quoque miraculis a Deo illustrari ait,* maxime loco illo, quo exiit e sæculo, ubi per signa, quæ fiunt, cineres ejus vivunt.

Auctores C. S. pro antiqua possessione corporis S. Lauri.

33 *Itaque quidquid de S. Pauli Leonensis episcopi corpore sit, frustra hinc in dubium revocarentur, quæ de* S. Lauri *corporis ad Turonense S. Juliani monasterium antiqua translatione, geminaque elevatione ibidem sæculo* 10 *et* 15 *sancta retulimus. Ad S. Paulum quod attinet, stat, fateor, pro Floriacensibus auctoritas. Quam ob rem ambiguus hæreo, an Turonenses aliquam sacri corporis partem a Floriacensibus aliquando acceperint, quæ deinde usu satis communi* corpus *cœperit appellari; an vero idem Turonenses monachi alterius Sancti corpus ex humano errore S. Pauli Leonensis esse crediderint. Primum sane a verisimilitudine non abhorret, præsertim cum inter utrumque monasterium arcta quædam necessitudo verisimiliter intercesserit, quod, ut supra dictum est, ambo S. Odonem Cluniacensem instauratorem disciplinæ suæ sæculo* 10 *habuerint. Secundum, quod incertius est, utcumque suspicari me facit, quod in prædicta postrema elevatione nulla mentio fiat de S. Blevilegueto episcopo Venetensi, cujus tamen corpus una cum SS.* Lauri *et* Antonii *corporibus sæculo* 10 *ex humo relevatum fuisse, Mabillonius ex crebro laudato anonymo affirmavit.*

asseruntur Turonensi abbatiæ S. Lauri. E

34 *Porro ut ad* S. Laurum *redeamus, an ejusdem corpus, vel hujus pars aliqua, in S. Juliani abbatia Turonensi alibive hodieque supersit, an, quod magis verendum est, in communi illa sacrarum rerum per Hugonottos sæculo* 16 *flebili strage exustum dissipatumve sit, non satis habemus exploratum. Jacobus Longuevallius Societatis nostræ presbyter tom. III Historiæ ecclesiæ Gallicanæ pag.* 509 *tamen indicat, saltem aliquas illius reliquias eo in loco ad nostra usque tempora servari, gallice sic scribens :* S. Laurus cultus in Britannia Armorica et in Turonensi S. Juliani monasterio, ubi illius reliquiæ quiescunt, vitam monasticam duxit in ditione ac tempore regis Judicaëlis, in parœcia, quæ ejusdem nomen retinet. *Verum utut sit, ex dictis num.* 3 *constat, perrexisse Turonenses S. Juliani monachos etiam post illam calamitatem eumdem Sanctum annuo ecclesiastico Officio celebrare.*

ubi forte supersunt aliquot ejusdem reliquiæ. F

AUCTORE C. S.

DE S. HONORIO ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

IN ANGLIA

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Memoria illius in variis Martyrologiis : antiquus cultus ex translatione corporis probatus : gesta præsertim ex Beda tradenda.

Anno 653. Annuntiatur in aliquot Auctariis Usuardinis Mss.

Hunc quintum a S. Augustino, Anglorum in insula Britannia apostolo, Dorovernensis, sive, ut nunc loquimur, Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopum ac Britanniæ primatem in nullis vetustis Martyrologiis B classicis inscriptum legi, ne in Bedæ quidem, licet hic eumdem variis in locis Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum magna cum laude memoret. Inter Usuardina auctaria a Sollerio nostro edita primus illum signat codex Rosweydianus ipsi dictus, quem in Præfatione ibidem cap. 3, art. 4, § 3 post Godefridum Henschenium agnorit sæculi 12 esse, descriptumque ex aliquo Martyrologio Anglicano, ac fuisse olim ecclesiæ B. Mariæ Ultrajecti in Belgio. Porro hic codex illum ad hunc diem 30 *Septembris sic annuntiat :* Ipso die depositio sancti Honorii archiepiscopi. Qui quintus a beato Augustino genti Anglorum verbum Dei prædicavit.* *Præmiserat ibidem Sollerius codicem alterum Anglicanum, Bedæ nomine a recentiori manu prætitulatum, quem a nostra domo professa, ad quam spectabat,* Antverpiensem majorem *oppellavit, nec sæculo 13 antiquiorem contra Henschenii sententiam censuit.*

et editis, præsertim in Anglicanis.

2 *In hoc ad eumdem diem legitur :* In ipso die, civitate Dorobernia, sancti Honorii archiepiscopi et confessoris. *Accedit nostrum Ms. Floriarum* C *Sanctorum, anno* 1486 *exaratum, in quo etiam annus Sancti emortualis recte additur his verbis :* In Anglia sancti Honorii Cantuariensis archiepiscopi anno Salutis 653. *Consonant Grevenus et Molanus, in suis auctariis Usuardinis eodem die dicentes :* In Anglia, sancti Honorii archiepiscopi Cantuariensis, post beatum Augustinum quinti. *Illum pariter memorat Richardus Withford in Martyrologio Anglicano ad usum ecclesiæ Salisburiensis anno* 1526 *Londini edito, cujus annuntiationem Anglicam hic latine subjicio.* Festum S. Honorii. archiepiscopi Cantuariensis, qui fuit discipulus S. Gregorii, vir magnæ eruditionis, singularis sanctitatis magnorumque miraculorum. *Hunc uliosve secutus Joannes Wilsonius in suo Martyrologio Anglicano, editionis anni* 1640, *ad præcitutum diem cum sequenti elogio, sed lingua vernacula, eumdem consignavit.*

in Romanis quoque et in Benedictinis,

3 Cantuariæ, depositio S. Honorii, confessoris et archiepiscopi ejusdem sedis, qui cum S. Augustino apostolo nostro Roma in Angliam venit, eidemque postea successit, quintus archiepiscopus Cantuariensis creatus. Quam sedem postquam ultra viginti annos laudabiliter rexerat, in magna vitæ sanctitate ac venerabili senecta feliciter requievit in Domino anno Christi 653, et cum E decessoribus suis sepultus est in sua ecclesia cathedrali Cantuariæ, ubi illius corpus ad nostra usque tempora cum debita veneratione servatum fuit propter multa miracula, quæ ibidem facta annotantur. *In Martyrologio quoque Romano locum ei dedere Petrus Galesinius et Cardinalis Baronius, apud quos, uti et in hodierno Romano hoc die legitur :* Cantuariæ in Anglia, S. Honorii, episcopi et confessoris. *Hisce addo martyrologos Benedictinos, qui eumdem sanctum archiepiscopum* Honorium *suo Ordini adscripserunt, Wionium, Menardum et Bucelinum, quorum primus in Ligno vitæ lib.* 3, *et secundus in Martyrologio sic habent :* In Anglia, S. Honorii episcopi Cantuariensis et confessoris, admirandæ sanctitatis et doctrinæ viri.

e quibus Bucelinianum insigni elogio

4 *Tertius, nempe Gabriel Bucelinus in Menologio eumdem pluribus celebrat verbis, quæ subdo.* Cantuariæ in Anglia, S. Honorii episcopi et confessoris. Honorius e sanctissimo monacho S. Andreæ in Urbe sanctissimus atque absolutissimus episcopius, vir vere apostolicus, quintus a S. Augustino nostro, præcipuo Anglorum apostolo, Dorovernensem archiepiscopatum utilissime administravit, F et ingenti fructu ac merito fidem Christi longe lateque propagavit. Assiduis siquidem laboribus strenue desudans, pessimas quasque regni consuetudines scitissime sustulit, animosque mortalium lucratus, iisdem solidum virtutum amorem commendans, multo nomine amplissimum regnum demeruit, et profligata barbarie, humanitatis studia induxit ac stabilivit. Fuit diligentissimus in electione ministrorum, ut singulis ecclesiis lectissimos quosque pastores destinaret. Neque enim solum episcopos (inquit Vitæ ejus scriptor) tamquam superiores turrium custodes, Ecclesiæ superimposuit; sed etiam provinciam suam (raro et perinsigni cum merito) primus in parochias dividens, inferiores ministros ordinavit; quos ipse fæpius instruxit, adhortatusque est, ut plebem Dei comiter et patienter, non doctrina solum, sed etiam vitæ suæ probitate, erudirent : his enim incredulos et a fide alienos citius capi, quam severis objurgationibus et austeritate morum etc.

illum celebrat. Cultus ejus

5 Postquam autem Honorius implesset omnia sanctissimi præsulis munia, ad Deum transiit pridie Calendas Octobris, anno Christi 653. *Hæc Bucelinus,*

AUCTORE C. S.

A *Bucelinus, quorum aliqua certa sunt ex S. Beda, alia dubia vel ex verisimilibus conjecturis tantum dicta. Cum insigni elogio* S. Honorium *etiam celebrat Maihewus in Trophæis Benedictinis Angliæ tom. II. At Mabillonius sæculo 2 Benedictino ipsum inter Prætermissos tantummodo reposuit sine asterisco, qui, ut ibidem præmisit,* designat eos, qui germani Benedictini esse videntur. *Utcumque sit, antiquam* S. Honorii *Cantuariensis cultum probat Historia translationis S. Augustini Anglorum apostoli et aliquot successorum ejus, quam Gocelinus, scriptor synchronus, et ejusdem loci, ubi facta est, monachus, septennio postquam contigerat, conscripsit, sanctoque Anselmo Cantuariensi item archiepiscopo dicavit. Historiam illam a Mabillonio acceptam Papebrochius noster excudit tom. VI Maii in S. Augustino a pag.* 411; *ubi cum legi possit, suffecerit hic prolixam narrationem brevi compendio exposuisse, præter ea, quæ ad* S. Honorium *specialius pertinent.*

probatur ex solemnitate facta anno 1091.

6 *Anno* 1091 *cum novæ ecclesiæ cathedralis Cantuariensis fabrica multum producta esset, et vetus, quæ ruinam minabatur, esset diruenda, Wido abbas monasterii S. Augustini ibidem, epi-* B *scopali sede tunc vacante, ac consentiente rege Willielmo Rufo, obstantem fabricæ turrim subvertit.* At vero ipsis primoribus (*verba Gocelini sunt*) videlicet Augustino, Laurentio, Mellito, Justo, Honorio, Deusdedit (*ipsius S. Augustini in Cantuariensi archiepiscopatu successoribus*) in prædicta obrutione relictis, divina protectione quasi manum submittente, saxa et signa * pepercere, quibus durior humana obstinatio non pepercit. Nam ubi tantæ moles lapidum, trabium, tectorumque plumbatorum, quæ sacrosancta corpora obruerant, sunt ablatæ, omnes illæ illorum sepulcrales ædiculæ, cum essent fractiles et lateritiæ; sed et sculpturæ et imagines angelicæ cum Dominica Majestate super tumbam magnifici Augustini mirifice formatæ, cunctis miracula Dei acclamantibus, illæsa apparuere.

* *forte ligna*

quando illius aliorumque sanctorum

7 *Pergit deinde alterius parietis, qui SS. Augustini ac Deusdedit sepulcris etiam mirabilius pepercit, demolitionem referre: aitque, horum omnium sex sanctorum præsulum tumbas hebdomadis novem sub dio, non tamen sine monachorum vigiliis prodigiisque cælestibus, jacuisse, donec tandem die 6 Septembris ejusdem anni, præsente* C *Gundulfo episcopo Roffensi, eorumdem translationi initium datum est. Præcitato die 6 corpus S. Augustini miro fragrans odore repertum atque ad altare sanctorum Apostolorum in novam ecclesiam illatum fuit; de cujus solemnitate et miraculis hac occasione factis consule, si lubet, laudatum Gocelinum. Die 10 Septembris corpora SS. Laurentii ac Melliti simili modo reperta translataque fuerunt. Inventum quoque tunc est alicujus ignoti Sancti corpus, quem propterea illis placuit* Deo notum *appellare, ac postridie in novam ecclesiam transferre.*

archiepiscoporum Cantuariensium corpora,

8 *Denique, ut ad* S. Honorium *properemus,* His ita in quinta feria compositis (*inquit idem Translationis auctor*) sextam feriam (*quæ erat dies 12 Septembris*) nanciscuntur reliquis Sanctis, Justo, Honorio ac Deusdedit afferendis. Sed nimirum divina dispensatio Sabbatum intendit, quæ dies translationis Augustini jam erat octava; quatenus istorum Sanctorum amplius innovaretur gratia, et omnibus per suos dies translatis conservaretur festiva, omnesque conjungeret ac solemnizaret pariter hæc una dies, ut caritas una. Ipsa ergo sexta feria itum est ad prænominatos Sanctos, quasi facillime ac celerrime adducendos. Acceditur ad sacratissimum Deusdedit, qui (ut prænotatum est) Australem parietem post Augustinum possedit. Incredibile, sed verum, dicemus. Totum illum diem, totam sequentem noctem, in frangendo vel reserando ipsius mausoleo, attritis viribus, consumpserunt: mane tandem Sabbati anhelo sudore cryptulam ejus perruperunt.

cælesti odore fragrantia, reperta

9 Deinde cryptæ B. Justi usque ad horam primam attentius insudarunt, et vix eam tandem reserarunt. Postremo S. Honorii, qui horum medius accubabat, pertusa in latere crypta Sancto egressum dabat. Hic ergo interroga vitam almiflui Deusdedit: mira odoramentorum suavium gratia de ejus erumpens tumba enarrabit. Sciscitare, quis sit Justus; exponet tibi cælestium aromatum domus. Honorii quoque virtutes et merita uberrima loquitur apothecæ suæ fragrantia. Omnium ergo horum patriarcharum unica paterni affectus viscera et pectora una proclamat divinarum nardorum prærogativa. Translata sunt itaque hæc tria coram summa Trinitate radiantia candelabra in hac die Augustini octava; quod ad hoc (ut credimus) superna distulit ac retardavit benevolentia, quatenus (uti prætulimus) amplius conservetur et solennizetur in tot Hierarchis hæc eadem dies octava, totaque septimana festorum exacta, octava reddatur prima... E

et in novam ecclesiam translata fuere;

10 Ducebat hos duces suos, ut priores, solennissima processio et canora laudatio; ipsisque coram altari præsidis Augustini depositis, donec suis sedibus inthronizarentur, Missa festiva celebratur. *Ordinem, quo veneranda illa Sanctorum pignora in nova ecclesia tunc reposita fuere, tradit ibidem pag.* 419, *num.* 24, *isthæc præmittens:* Nunc autem hi Senatores nostri et Patres conscripti, pariter ut primitus compositi requiescunt; sicut unus spiritus, una fides, una caritas, una religio et gratia erat in eis. *Cetera vide ibidem, uti et tabulam, quam æri incisam ac prelo editam exhibet Papebrochius pag.* 431: *ordinem vero, quo eadem corpora in veteri ecclesia jacuerunt, habes in eadem Translatione pag.* 416, *num.* 17. *Ex eodem Gocelino discimus, horum omnium translationem anno festo simul celebrari soluisse. Libri* 1, *caput* 1 *sic orsus est:* Post antiqua Euangelici protoparentis Anglorum Augustini solennia, cæln triumphata, quæ nuper egimus, laude festiva nova nobis oritur gloria, F nova lætitia, solennitas nova. Ipsa est sua sanctorumque Collegarum suorum translatio nova, quæ post centum fere lustra in nova ejus facta jam lucet ecclesia.

quæ translatio quotannis culta et Martyrologiis inserta legitur.

11 *Rursum cap.* 3, *num.* 24. Hunc ergo diem, *ait*, tot Sanctorum consepultorum et translatorum, splendoribus irradiatum ipsis pariter susceptis et compositis, hodie perfectum, agamus omni nitore et celebritate quotannis cum indelebili repetitione festivum. Unius horum ultimi non sufficeremus digne celebrare solennium; quanto minus omnium? Sed et quotidiana celebritas harum Octavarum inferior esset dignitate tantorum Principum. *Supra laudatum Wilsonii Martyrologium Anglicanum de eadem translatione meminit die 6 Septembris, qui fuit dies primus octavæ, quo S. Augustini corpus translatum esse diximus. Sed codex Altempsianus, quem Sollerius inter auctaria Usuardina memorans, Wintoniensis in Anglia ecclesiæ quondam fuisse observavit, eamdem ad 13 Septembris, qua solemnis illa translatio completa fuit, annuntiat his verbis:* Ipso

AUCTORE C. S.

Ipso die translatio beati Augustini Anglorum apostoli, et sanctorum archipræsulum confessorum, Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit, Theodori, et sancti Adriani abbatis, ac Deo dilectæ virginis Mildredæ. *Ex his tres posteriores non fuere quidem eodem octiduo translati, sed ceteris seu tunc seu postea appositi.*

De his Sanctis, qui omnes coluntur, dictum Bedæ

12 *Coluntur autem hi omnes diebus variis; nimirum S. Augustinus 26 Maii, Laurentius 2 Februarii, Mellitus 24 Aprilis, Deusdedit 15 Julii, Theodorus 19 Septembris, Adrianus 9 Januarii, Mildreda 13 Julii, ad quos dies de iisdem in Opere nostro actum est; de Justo vero agendum erit die 10 Novembris, qua Romano Martyrologio inscriptus legitur. Coronidis loco hic addo breve venerabilis Bedæ de septem illis primis archiepiscopis Cantuariensibus elogium lib. 5, cap. 8, ubi de obitu veterique sepultura septimi, nempe S. Theodori agens, hæc inquit:* Sepultusque est in ecclesia S. Petri, in qua omnium episcoporum Dorovernensium corpora sunt deposita, de quo una cum consortibus ejusdem sui gradus recte ac veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivet in generationes et generationes.

B

et versus anonymi.

13 *Addo et alterius anonymi versiculos, quos Nicolaus Harpsfeldius in Historiæ ecclesiasticæ Anglicanæ sæculo 7, cap. 8 recitat, sic præfatus:* Extat etiam usque ad hodiernum diem apud me antiquissimum quoddam Opus incerti authoris, in pergameno scriptum de corporibus Sanctorum apud monasterium divi Augustini sepultis, in quo verbatim reperio de septem primis ecclesiæ Anglicanæ columnis, sive Cantuariæ archiepiscopis ab Augustino usque ad Theodorum, hoc dignum et memorabile tetrasticon.

Septem primates sunt Anglis et protopatres,
Septem rectores, septemque per æthra triones:
Septem sunt stellæ, nitet his hæc area cellæ,
Septem cisternæ vitæ, septemque lucernæ.

Hæc de cultu S. Honorii *certe antiquo sufficiant; qui tamen a quo tempore cœperit, edicere nequeo: videtur tamen Beda, qui anno 735 obiit, recentior esse, cum Honorii nomen in illius Martyrologio ante tomum II Martii Operis nostri edito, ac in ejusdem metrico, nusquam reperiam.*

De illo agit Beda in Historia desideramus Vitam,

C

14 *De Sancti gestis pauca quidem, sed quæ illum multum commendant, ac plenioris gestorum illius notitiæ desiderium acuunt, venerabilis Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum posteritati tradidit. Maihewus in Trophæis Benedictinis Angliæ ad hunc diem biographum illius assignat Gocelinum, seu Goscelinum, ut vocat, eumdem, a quo SS. Augustini sociorumque Translationem scriptam esse, mox diximus. Sic autem habet:* Ejus deinde (*post S. Bedam*) Vitam scripsit Goscelinus, ut constat ex illis, quæ die 6 hujus mensis de translatione S. Augustini Sociorumque ipsius attulimus. *Ibi vero laudavit Guilielmum Malmesburiensem, qui in Gestis regum Anglorum lib. 4, cap. 1 de eodem Gocelino hæc ait:* Is multo episcopatus et abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientiæ multis in locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ post Bedam secundus... Denique innumeras Sanctorum recentium Vitas stylo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. *Verum etsi ex hisce Malmesburiensis verbis merito suspicari quis possit, etiam* S. Honorii *Vitam a Gocelino aliquando conscriptam fuisse; id tamen inde nequit evinci.*

D

quæ a Gocelino scripta dicitur: exstat elogium apud Capgravium.

15 *Clarius loquitur Guilielmus Cave in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum ad sæculum 11 in* Gotselino *diserte asserens,* S. Honorii *Cantuariensis archiepiscopi Vitam inter alias ab illo compositus exstare Ms. in vetusto admodum et eleganti codice Cottoniano sub* Vespasiano B. 20. *Hæc si diversa sit a brevi elogio, quod in præfata Translatione lib. 1, cap. 4 legitur sub hoc titulo* Encomium SS. Justi, Honorii, Deusdedit, *ea a nobis desideratur. Vidimus etiam supra num. 4, aliquem ejusdem Sancti biographum sine expresso nomine laudari a Bucclino. Is non alius esse videtur, quam Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ, in cujus folio 181 verso et sequenti brevem* S. Honorii *Vitam, ex Beda præcipue prædictaque translationis Historia concinnatam exhibet. Simile elogium Laurentius Surius ex Beda excerptum suæ collectioni de Actis Sanctorum hoc die inseruit, et Adrianus Bailletus eumdem sanctum historicum pro* Honorii *gestis secutus est. Ego quoque Bedæ Historia in hoc commentario præcipue utar, et quam Capgravius exhibet, quia aliam non habeo, deinde subjiciam. Alios vero scriptores, qui de illo pariter meminerunt, ubi res poposcerit, laudabo.*

E

§ II. Sancti monachatus Romanus; missio in Britanniam et vita apostolica sub S. Augustino: successio in archiepiscopatum Cantuariensem, in cujus tempus inquiritur.

Sanctus fuit monachus

Venerabilis Beda lib. 5 *Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum cap. 5 clare docet,* Honorium *S. Gregorii Magni Papæ discipulum fuisse, sic scribens:* Ibi (*in Cantia*) gradum archiepiscopi Honorius, unus ex discipulis beati Papæ Gregorii, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter institutus, servabat. *Id ipsum etiam indicat Honorius I Papa in epistola ad eumdem sanctum Archiepiscopum data, in qua illum alloquens laudat* in prædicatione Euangelii elaborantem ac fructificantem, sectantemque magistri et capitis vestri (*ut inquit*) S. Gregorii regulam. F *Hinc Gocelinus in Translatione sæpe laudata, lib. 1, cap. 4, num. 26,* Bedam, *ait,* consule, ut intelligas etiam ex hujus sancti Papæ favore, hunc B. Honorium Gregorianæ institutionis discipulum, hoc fuisse apostolicæ vitæ et perfectionis dignum alumnum. *Idem Gocelinus in Vita S. Augustini ad diem 26 Maii in Opere nostro edita, cap. 5, num. 53 observat, tam* Honorium, *quam quatuor ejusdem in Cantuariensi sede decessores, seu natalibus seu institutione, fuisse Romanos. Verba ejus accipe.*

et discipulus S. Gregorii Papæ.

17 Gratanter est animadvertendum, quam generosa pignora universalis mater Roma ediderit, quæ ipsi Britannico oceano patres et institutores existerent.... Horum præcellentissimus Augustinus Laurentium.... sibi successorem... creavit, ... quos utrosque... tertius Mellitus, quartus Justus successor excepit. His Honorius, et ipse Romanæ informationis honor decorosus, annexus est quintus. Sextus Deusdedit ordine, sed primus flos gentis Anglicæ, in Romanorum patrum transiit conscriptionem; cujus primitiis ex

A ex Anglia nihil gratius habuere Dorobernicæ Romana principia. *Ex hisce ergo duo certa habemus: primum fuisse* S. Honorium *non Anglum, sed Romanum, si minus nativitate, certe educatione et domicilio: secundum, eumdem professione monachum fuisse sub regula, quam S. Gregorius secutus est, sive S. Equitii, ut censuit Cardinalis Baronius, sive S. Benedicti, ut alii credunt; qua de re consuli potest Commentarius prævius ad ejusdem sancti Pontificis vitam* § 3 *in Opere nostro ad diem* 12 *Martii datam, et alter Commentarius ad Acta S. Augustini Cantuariensis die* 26 *Maii, num.* 2

ab eoque in Britanniam missus

18 *Pro Benedictinis stat inter reliquos Joannes Trithemius in Viris illustribus ejusdem Ordinis, quibus* Honorium *lib.* 3, *cap.* 62, *et lib.* 4, *cap.* 54 *annumerans, posteriori loco sic inquit:* Honorius, monachus cœnobii B. Gregorii Papæ in Urbe Romana, vir doctus et sanctus, et prædicator excellens, missus in Angliam, post multos labores, defuncto Justo archiepiscopo, in ejus locum quintus archiepiscopus Dorovernensis a B. Paulino Eboracensi ordinatus *etc. Ut ut sit, fuit* S. Honorius *unus e monachis Romanis monasterii S. Gre-* B *gorii I Papæ, quos ille S. Augustino ad Anglorum in Britannia gentem ab idolis ad Christum adducendam, felici sane successu, adjutores dedit. Porro geminam apostolicorum virorum manum ad hanc sacram expeditionem, quam ante aditum Pontificatum ipsemet aggredi concupierat, in Britanniam misit.*

anno 596 vel anno 601,

19 *Primo scilicet illuc destinavit anno* 596 servum Dei Augustinum, et alios plures cum eo monachos, timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum; *ut loquitur Beda lib.* 1, *cap.* 23, *addens, S. Augustinum iisdem* abbatem *ab illo tunc præpositum fuisse, ordinandum episcopum, si ab Anglis reciperetur. Postquam Augustinus Ædilberctum Cantuariorum regem cum multis illius subditis jam converterat, alios in tam uberi messe operarios a laudato Pontifice petiit, isque anno* 601 *ad illum transmisit* plures cooperatores ac verbi ministros, *eodem Beda testante lib.* 1, *cap.* 29. *Dubium non est, quin ex alterutra classe fuerit* Honorius; *sed neutram possum determinare, silente Beda. Sive tamen cum prioribus, anno* 596, *sive cum posterioribus anno* 601 *in Angliam trajecerit, oportet, illum tunc etiam satis* C *juvenem fuisse, vel provectæ ætatis, quando anno* 653 *obiit, uti infra dicemus.*

sub disciplina S. Augustini vixit,

20 *De gestis illius ante episcopatum, quæ a nullo tradita legi, conjicere licet ex iis, quæ laudatus sanctus historicus Anglorum cap.* 26 *de S. Augustino et Sociis, in Britanniam appulsis et ab Ædilbercto rege humaniter acceptis scripsit.* At ubi (*inquit*) datam sibi mansionem intraverunt, cœperunt apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitari: orationibus videlicet assiduis, vigiliis ac jejuniis serviendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta hujus mundi, velut aliena, spernendo, ea tantum, quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo, secundum quæ docebant, ipsi per omnia vivendo, et paratum ad patiendum adversa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea, quam prædicabant, veritate animum habendo. Quid mora? crediderunt nonnulli et baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cælestis... At ubi ipse etiam (*Ædilberctus rex*) inter alios delectatus vita mundissima Sanctorum, et promissis eorum suavissimis, quæ vera esse, miraculorum quoque multorum ostensione firmaverant, credens baptizatus est; cœpere plures ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare.

AUCTORE C. B.

et Evangelium Anglis annuntiavit.

21 *Hæc si non omnia, magna, tamen ex parte etiam ad* S. Honorium *pertinent, præsertim si hic cum primo manipulo in Britanniam advenerit. Certe de illo quoque eadem interpretatus est Gocelinus lib.* 1 *supra laudatæ Historiæ translationis cap.* 4, *ubi SS. Justi,* Honorii *et Deusdedit elogium texens, ita disserit:* Sane, quia Beda venerabilis in multiplici historia sua minus horum declaravit miracula, non ideo a fide nostra oblitterari debent tantorum merita. An non sufficere tarditati duritiæ nostræ potuit, quod Augustinum cum ipsis suis apostolicam vitam et virtutes, cum innumerabilibus signis imitari, atque pro ipsa, quam prædicabant, fide mori paratos descripsit? *Qui plura volet, legat laudatum Bedam, Actaque S. Augustini, cujus ut* Honorium *in prædicatione adjutorem fuisse constat, ita et pro tempore, quo ad Anglos appulit, laborum fructuumque participem fuisse, non est dubitandum.* E

Eidem post tres medios successit in archiepiscopatum Cantuariensem.

22 *Ex supra memoratis S. Augustini sociis eidem in Cantuariensi metropolitana totius Britanniæ sede primus successit S. Laurentius, secundus S. Mellitus, tertius S. Justus ac quartus denique* S. Honorius, *omnes S. Gregorii I Papæ discipuli. Justi obitum et* Honorii *successionem Beda lib.* 2, *cap.* 18 *verbis postea dandis diserte signavit; sed quia neutri annum adscripsit, et utriusque sedis durationem prætermisit, recentiores in varias de his sententias abiere. Juverit Henricum Whartou in Anglia sacra hac super re disserentem audivisse. Parte* 1 *in Dissertatione de vera successione archiepiscoporum Cantuariensium, quam Indiculo anonymi canonici Lichfeldensis adjecit, ad ista Indiculi verba,* Justus. Sedit annos 11, obiit 4 Id. Novembr. anno 633; *Whartonus ita prosequitur.* Diem obitus solummodo Beda notavit lib. 2, cap. 18. Hinc aliis facilis errandi ansa. Malmesburiensis, Gervasius, Radulphus de Diceto, Stephanus Birchyngtonus et Catalogus ms. Usserianus, Justum sedi Cantuariensi non nisi tres annos præfuisse narrant. Et alii quidem satis sibi consoni; cum Honorium annos 26 sedisse ponant. F

anno incerto, de quo ob silentium Bedæ

23 Pessime autem Gervasius chronologiam perturbavit, tribus tantummodo annis assignatis Justo, et novemdecim Honorio, quem anno 653 obiisse constat; adeo ut sedes ex illius sententia 7 annis vacaverit, quod tamen nullus prodidit; quin potius Beda invicte refutat, dicens, Paulinum a Justo consecratum fuisse anno 625 (in Epitome). Paulo melius Chronici anonymi Lambethani author, qui Justi mortem in annum 634 retulit: cui quidem calculo satis conveniret Gervasii supputatio de Pontificatus Honorii annis, modo ipse in cæteris sibi conveniret. Sed neque anonymum verum attigisse arbitror. Refert enim Beda lib. 2, cap. 18, Honorium Justi successorem ordinatum fuisse a Paulino archiepiscopo Eboracensi, occurrente sibi in Lindocolino, antequam ab Eboraco iste fugaretur. Fugatus autem in Cantiam rediit anno 633, teste eodem in Epitome, et Simeone Dunelmensi in Epist. ad Hugonem pag. 77.

et dubium S. Justi tempus mortuale

24 Ante annum igitur 633 et Justus obiit, et Honorius successit. Quod si tamen Paulinus eodem anno et Honorium sacraverit et fugam inierit, haud ita multum a veritate recedet anonymus

AUCTORE G. S.

aymus noster, quem in reliquis satis accuratum comperimus. Nescio, an non Westmonasteriensis rem propius attigerit, cui Justus anno 630 (Rodulpho de Diceto anno 629) defunctus est. Perpensis tamen utrinque rationibus, in eam magis accedo sententiam, Justum sedisse annis dumtaxat tribus, et obiisse anno 627, quod maxima pars historicorum tradit. Certe Honorius a Paulino anno 633 ordinari non potuit. Justum enim sub exitu ejusdem * anni obiisse, Beda fidem facit lib. 2, cap. 18 : Paulinum autem baptizasse Edwinum regem anno 627 prid. Id. April. die Paschæ, lib. 2, cap. 14, et exinde sedisse Eboraci annis sex, ibidem : demum occiso Edwino anno 633, die 2 Octobr., fugam citato iniisse, lib. 2, cap. 20. Neque enim ausus fuerat Paulinus Cedwallæ victoris, hostis Christianorum Romanorum capitalis, adventum præstolari; multo minus a Lindocolino Eboracum, eo imperante, remeare.

* nempe 627

variæ scriptorum opiniones

25 Porro Honorium anno 653 obiisse, constat. Idem autem Fœlicem episcopum Orientalibus Anglis præfecit, et illi defuncto Thomam, Thomæ Bonifacium, successores dedit; teste B Beda lib. 2, cap. 15, lib. 3, cap. 2. Fœlix autem sedit annis 17, Thomas annis 5 ex ejusdem calculo : adeo ut anno saltem 631 Honorius archiepiscopatum obtinuerit. *Post hæc sequitur ibidem in laudato Indiculo anonymi canonici :* Honorius. Sedit annos 20. Obiit 2 Cal. Octobris, anno 653. Vacavit sedes annum et sex menses : *quæ denuo ita excipit Whartonus :* Annum atque diem obitus, quin et tempus succedentis vacationis Beda dedit lib. 3, cap. 20. Quo anno pontificatum susceperit, tot sunt sententiæ, quot de obitu Justi decessoris; de quo superius dictum est. Annis pontificatus 26 a se atque aliis Honorio adsignatis Radulphus de Diceto dies 55 apposuit lib. de Præsul. Angl., cap. 1. *Hactenus ille.*

recensentur S. Justus ordinavit S. Paulinum anno 625;

26 *Nicolaus Harpsfeldius in Historia ecclesiastica Angliæ S. Justi mortem anno 634, Pagius in Critica Baronii ad annum 633, num. 22, anno 632, Michael Alfordus in Annalibus anno 628 affixerunt : denique Bailletus* S. Honorii *consecrationem circa annum 633 reponendam censuit. Omnium longissime aberravit Catalogus archiepiscoporum Cantuariensium, quem a Mariano Vi-* C *ctorio ex tabulario Cantuariensi olim collectum Gerardus Vossius Notis illustratum anno* 1604 *Romanis typis evulgavit : nam in hoc dicitur S. Justus anno 640 obiisse. Sed missis aliorum sententiis, verum episcopatus* Honorii *epocham ex ipsa Beda cum Warthono inquiramus. Hic sanctus historicus lib. 2, cap. 9 de S. Paulini Eboracensis archiepiscopi consecratione sic scribit :* Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Justo archiepiscopo sub die duodecima Kalendarum Augustarum anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quinto. *Hoc ipsum repetit lib. 5, cap. 25, in Recapitulatione inquiens :* Anno 625 Paulinus a Justo archiepiscopo ordinatur gentis Nordhanhymbrorum antistes. *Itaque nec mors Justi, nec* Honorii *ordinatio ante hunc annum figi potest.*

et vixit saltem usque in annum 626;

27 *Alterum argumentum, quo probatur, Justum saltem usque in annum 626 fuisse in vivis, suggerit idem Beda lib. 2, cap. 20, ubi scribit, Romanum, Roffensis ecclesiæ præsulem, qui* ad Honorium Papam a Justo archiepiscopo legatarius missus *fuerat, in mari periisse. Honorius ex sententia Baronii Pontifex consecratus est die 13 Maii anni 626; ex *sententia Papebrochii eodem anno,* D *sed die 28 Septembris; secundum Pagium vero in Critica die 27 Octobris anni 625. Quæcumque autem ex his præplaceat opinio, Justi obitus ante annum 626 non potuit contigisse : cum inter diem 27 Octobris et 10 Novembris, quo Justus secundum Bedam mortuus est, dumtaxat tredecim dies intercesserint, ac quindecim dierum spatio debuisset Honorius Pontifex consecratus fuisse, hujus rei nuntius Romæ Cantuariam allatus, Justus Romam ad novum Pontificem destinasse ac vita sanctus esse; quod nullo modo verisimile est.*

28 *Sed neque ultra annum 631 differri posse* S. Honorii *ordinationem, ex aliis ejusdem Bedæ calculis statuendum est. Lib. 2, cap. 15 de S. Felice per* Honorium *ad Orientales Anglos misso hæc ait :* Cum venisset (*S. Felix episcopus e Burgundia*) ad Honorium archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum.., Et cum septemdecim annos (*Felix*) eidem provinciæ pontificali regimine præfuisset, ibidem in pace vitam finivit. *Deinde lib. 3, cap. 20 rursum scribit :* Interea defuncto Felice, Orientalium Anglorum episcopo, post decem et septem annos accepti episcopatus, Honorius loco ejus ordinavit Thomam, diaconum ejus, de provincia Gyrviorum : et post quinque annos sui episcopatus de hac vita subtracto, Beretgilsum, cognomine Bonifacium, de provincia Cantuariorum, loco ejus substituit. Et ipse quoque Honorius, postquam metas sui cursus implevit, migravit ex hac luce anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kalendarum Octobrium. E

sed certe non ultra annum 631.

29 *Habemus ergo annos septemdecim sedis S. Felicis et quinque Thomæ, id est, universim viginti duos, quibus a* S. Honorii *anno emortuali subductis, prodibit annus Christi* 631, *quo propterea ille jam inde debuit S. Justo suffectus fuisse. At quanto tempore eamdem cathedram ante missionem Felicis acceperit, quantove post ordinationem Beretgilsi tenuerit, incertum manet. Quamvis autem inficiari nequeam,* (quod, *teste Whartono,* maxima pars historicorum tradit) *S. Justum anno* 627 *obiisse; et cum hac sententia viginti sex anni episcopatus* Honorii *apprime cohæreant, ut tamen hunc uno alterove anno serius ordinatum fuisse credam, suadet mihi Bedæ narratio de rebus a S. Paulino gestis ante conditam ecclesiam Lindocolini, in qua* Honorius *ab illo consecratus est. Lib. 2, cap. 9 tradit, laudatum Paulinum anno 625 a S. Justo episcopum consecratum et cum Edelberga, Eadbaldi Cantuariorum regis sorore, missum esse ad Eduinum regem Nordanhymbrorum, tunc paganum, qui illam sibi conjugem expetierat, obtinueratque ea lege, ut tam hæc, quam qui in ejusdem obsequiis erant, Christianis legibus sacrisque uterentur.* F

Forte obiit anno 627.

30 *Tum subdit venerabilis scriptor :* Cumque in provinciam (*Nordanhymbrorum*) venisset (*Paulinus*) laboravit multum, ut eos, qui secum venerant, ne a fide discederent, Domino adjuvante, contineret, et aliquos (si forte posset) de paganis ad fidei gratiam prædicando converteret. Sed, sicut apostolus ait, quamvis multo tempore illo laborante in verbo, deus sæculi hujus excæcavit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio gloriæ Christi. *Paulo lætior eidem episcopo fuit annus 626, quo rex Eduinus permisit filiam suam ex Edelberga sibi recens natam cum duodecim e familia sua baptizari, spopunditque, se quoque sacro*

sed Honorium paulo serius

A *cro fonte abluendum, si a bello, quod aggressurus erat, victor rediisset. Promissis tandem stetit anno* 627, *quanda, ut legitur cap.* 14, cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima... baptizatus est... Eboraci die sancto Paschæ, pridie Iduum Aprilis in ecclesia S. Petri apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cum catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit.

ordinatum fuisse,

31 *Denique in ejusdem libri cap.* 16 *rursum ait:* Prædicabat autem Paulinus verbum etiam provinciæ Lindissi, quæ est prima ad Meridianam Humbræ fluminis ripam, pertingens usque ad mare; præfectumque Lindocolinæ civitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua convertit ad Dominum. In qua videlicet civitate et ecclesiam operis egregii de lapide fecit... In qua ecclesia Paulinus, transeunte ad Christum Justo, Honorium pro eo consecravit episcopum, ut in sequentibus suo loco dicemus. *Secundum hæc itaque regis Eduini baptismus, qui die* 12 *Aprilis anni* 627 *primum contigit, præcessit prædicationem Paulini in provincia Lindissi, et erectio-* B *nem ecclesiæ Lindocolinæ,* operis egregii de lapide *factæ, in qua* Honorius *a Paulino episcopus consecratus fuit. Qui autem hæc omnia, nimirum prædicationem Paulini in provincia Lindissi, conversionem præfecti Lindocolinæ civitatis, erectionem ecclesiæ lapideæ egregii operis, ac demum* S. Honorii *in eadem ordinationem eadem anno* 627 *a die* 12 *Aprilis peracta statuit, is nimium properare videtur ac rem mihi parum credibilem narrat.*

colligitur ex gestis S. Paulini.

32 *Verisimile etiam non est, hæc eadem præpostero ordine a Beda hic referri: nam provincia Lindissi vel aliqua ratione suberat Eduino, vel, cum in Mercia esset, soli Pendæ Merciorum regi parebat. Si primum, verisimile non est, Paulinum istu ibi fecisse eo tempore, quo nec Eduini regia conjux ecclesiam habebat, in qua maritus posset pro dignitate sua baptizari, ut colligitur ex num.* 30. *Si secundum, difficile intellectu est, quo pacto Penda rex paganus et idolis deditus ista permiserit, nisi credamus, Paulinum commendatione Eduini regis jam tum baptizati suffultum fuisse, Pendamque connivisse in gratiam Eduini, quem offendere periculosum erat; quippe qui, teste Beba lib.* 2, *cap.* 3, majore potentia cunctis, C qui Brittanniam incolunt, Anglorum pariter et Brittonum populis præfuit, præter Cantuariis tantum.

qui eumdem ordinavit.

33 *Nec fuisse Eduinum a tali commendatione facienda alienum, liquet ex ejusdem servare fidei, de qua Beda tum alibi, tum lib.* 2, *cap.* 15 *hæc ait:* Tantam autem (ut fertur) devotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum Carpualdo, filio Redualdi, persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et sacramenta Christi cum sua provincia suscipere, *etc. Tum sequitur caput* 16: Prædicabat autem Paulinus verbum etiam provincia Lindissi *etc., quæ dedi num* 31. *Quam ob rem præplacet mihi Matthæi Westmonasteriensis assertio, qui in Floribus historiarum Paulini prædicationem in provincia Lindissi, vel forte ipsam ecclesiæ Lindocolinæ exstructionem ad sequentem annum consignavit his verbis:* Anno gratiæ 628 Paulinus archiepiscopus provinciam Lindissæ regionis, quæ est ad Meridianam plagam Humbri fluminis, ad fidem Christi convertit, atque prius Bleccam illius civitatis præfectum cum omni domo sua baptizavit. In qua civitate ecclesiam fabricavit, et in ea Honorium episcopum consecravit.

§ III. Refutantur opiniones prædictis oppositæ: Sancti per S. Paulinam ordinatio, et hujus tempus et locus: pallium et facultas eidem ab Honorio I papa concessa: ejusdem ecclesiæ primatus ab eodem Pontifice ipsi confimatus.

Argumentum Pagii

Priusquam *ad ipsum* S. Honorii *per Paulinum ordinationem narrandam progrediamur, respondendum est ad ea, quæ adversus hacteuus dicta objici possunt. Antonius Pagius in Critica Baronii ad annum* 633, *num.* 22 *statuit, Justum,* S. Honorii *proximum decessorem, non alio, quam anno* 632 *mortem obiisse. Ut id probet, observat ex Beda primo, Justum die* 10 *Novembris e vivis* E *excessisse; Eduinum vero Nordanhymbrorum regem die* 12 *Octobris anni* 633 *in prælio cæsum esse. Observat secundo, ex litteris Honorii I Papæ anno* 634 *datis, eumdem regem Eduinum a laudate summo Pontifice pallium pro* S. Honorio *Cantuariensi petiisse; unde sic concludit:* Nullum dubium esse potest, quin Justus mense Novembris anni superioris (*sive* 632) vivere desierit.. *Sed fallitur vir eruditus: sicut enim ex ista observatione evincitur, S. Justi mortem post annum* 632 *non posse reponi (nam alioquin Eduinus, qui mense Octobri anni* 633 *occisus est, non potuisset pro Justi defuncti successore pallium petere) ita minime sequitur, illam non ante eumdem annum* 632 *accidisse.*

ex ipso Pagio refellitur.

35 *Ratio est, quod plane incertum sit, quamdiu post S. Justi obitum scripserit Eduinus; quem non statim post illum, nec ante* Honorii *ordinationem id fecisse, potius statuendum est ex prædictis Honorii Papæ litteris, tam ad regem, quam ad* Honorium *Cantuariensem missis; cum in neutra de hujus ordinatione facienda meminerit, sed in* F *utraque* Honorium *æque episcopum metropolitanum dicat, quam Paulinum, quem jam inde ab anno* 625 *episcopum consecratum fuisse, ex Beda supra ostendi. Necesse non est hæc pluribus probare, quandoquidem Pagius ipsemet, forte dictorum suorum oblitus, id faciat ad annum* 627, *num.* 25. *ubi diserte asserit, S. Felicem ab* Honorio *Cantuariensi archiepiscopo ad Orientales Anglos missum esse anno* 1129 aut tardius anno 630. *Consequenter ad hæc simul et ad annos septemdecim, quos Beda Felici in episcopatu Anglorum tribuit, idem Pagius ibidem ad annum* 646 *num.* 5 *statuit, Felicem in Britanniam venisse anno* 630, *annoque* 646 *mortuum esse, in calce subjiciens:* Vide, quæ de initio ejus episcopatus anno 627 diximus. *Ipso igitur judice Pagio,* Honorius *jam inde ab anno* 629 *vel* 630 *Cantuariensi ecclesiæ episcopus præfuit, atque adeo jam tum obierat Justus, cui non nisi mortua ille successit.*

Equo serius initium episcopatus S. Honorii.

36 *Dissonant etiam a me calculi, quos Majores mei tum ad diem* 8 *Martii in eodem S. Felice, tum ad* 26 *Maji in S. Augustino Cantuariensi adhibuerant. Posteriori loco tom. VII Maji, pag.*

AUCTORE C. S.

pag. 420 inter Annotata ad Translationem S. Augustini et sociorum lib. b *hæc legere est;* Justo successit Honorius anno 634, ad quem sequens Honorii Papæ epistola refertur ab eodem Beda lib. 2, cap. 18. *Errori occasionem dedit laudata epistola inferius danda, quæ cum anno 634 signata sit, sine ulteriori examine visus est* S. Honorius *eodem anno Justo successisse. Hunc locum etiam Pagius in Critica ad annum* 633, *num.* 22 *redarguit, sic inquiens:* In Notis Justus perperam dicitur mortuus anno insequenti, *nempe* 634; *at bona illius venia id ibi non dicitur; nisi quis velit, non posse, nisi intra eumdem Christi annum defuncto episcopo alterum succedere. Major discrepantia est in Opere nostro in Commentario de S. Felice propter tempora, quibus initium prædicationis ejus et mors ibidem illigantur; ex quibus cum tota* Honorii *chronotaxis plurimum turbetur, oportet ea hic paulo latius expendere.*

et prædicationem mortemque S. Felicis

37 *Beda lib.* 2 *postquam cap.* 14 *narraverat, Eduinum regem anno* 627 *pridie Iduum Aprilium baptizatum fuisse, mox caput* 15 *orsus his verbis est.* Tantum autem (ut fertur) devotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum Carpualdo, filio Redualdi, persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem et Sacramenta Christi cum sua provincia suscipere.... Verum Carpualdus non multo, postquam fidem acceperat, tempore occisus est a viro gentili, nomine Richberto; et exinde tribus annis provincia in errore versata est, donec accepit regnum frater ejusdem Carpualdi Sigbertus, vir per omnia doctissimus atque Christianissimus, qui vivente adhuc fratre, cum exularet in Gallia, fidei Sacramentis imbutus est: quorum participem, mox ubi regnare cœpit, totam suam provinciam facere curavit. Cujus studiis gloriosissime favit Felix episcopus, qui de Burgundionum partibus, ubi ortus et ordinatus est, cum venisset ad Honorium archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum.

fixerunt Majores nostri.

38 Nec vota ipsius in cassum ceciderc... Accepitque sedem episcopatus in civitate Dumnoc: et cum septemdecim annos eidem provinciæ pontificali regimine præfuisset, ibidem in pace vitam finivit. *Ita laudatus sanctus historicus. Quod ad tempus attinet, chronologia Anglo-Saxonica, opera et studio Abrahami Wheloci Cantabrigiæ edita, regis Carpualdi (quem* Eorpwaldum *appellat) baptisma anno Christi* 632 *signavit, et de prædicatione Felicis primum meminit ad annum* 636 *hoc modo:* Felix episcopus Anglis Orientalibus Christi fidem prædicabat. *Consentit Florentius Wigorniensis, qui Bedæ narrationem contractam de Carpualdi baptismo ac cæde ad annum* 632, *de Sigberto autem et Felice ad* 636 *reposuit. Consonat etiam Matthæus Westmonasteriensis, præterquam quod Carpualdum, sive Eorpenwaldum (ut ipsi quoque ac Wigorniensi dicitur) cum omni gente sua a S. Felice ad Christum conversum esse, affirmet. Hinc, qui e majoribus meis laudatum Commentarium scripsit, mortem S. Felicis anno Christi* 654 *innexuit; non tamen omnino affirmate, uti liquet ex ejusdem verbis, quæ ex num.* 6 *hic subjicio.*

seculi calculos aliquorum.

39 Sedes episcopalis ab illo erecta fuit in urbe maritima provinciæ Suffolciæ, quam Beda more Saxonico Dumnac, alii passim Dumwich appellant, in qua, inquit Malmesburiensis, « decursa vitæ meta post septemdecim annos episcopatus sepultus est. » At Beda decem et octo anno statuit; qui si numerentur ab anno 636, dicendus est vixisse usque ad annum 654. *Hæc ibi; quæ si vera essent, corruerent potissima chronotaxis* Honorii *capita, quæ ex eodem Beda petiimus. Etenim vel* Honorius *multo serius, quam anno* 653 *obiisse dicendus esset, vel non ordinasse duos ejusdem S. Felicis in episcopatu successores Thomam et Berctgilsum; cum tamen Beda clarissime asserat, et* Honorium *eo anno mortuum esse, et ab eodem in locum Felicis,* post decem et septem annos accepti episcopatus *defuncti, ordinatum Thomam fuisse; et huic quoque* post quinque annos sui episcopatus de hac vita subtracto Berctgilsum, cognomine Bonifacium, *ab* Honorio *rursum substitutum esse.*

quos vitiosos esse, probatur ex Beda.

40 *Deserendi ergo hic sunt chronologus Anglo-Saxonicus, Wigorniensis ac Westmonasteriensis. qui, ut cetera mittam, ætate quoque multum Bedæ cedunt; quippe quorum primus certe post medium sæculum* 11, *secundus sæculo* 12, *tertius sæculo* 14 *scripsere; Beda autem sæculo* 8. *Neque vero Bedæ narratio num.* 37 *relata annos octo vel novem inter Eduini baptismum missionemque Felicis fluxisse insinuat, nec tot annos intermedios requirit, quin in sententia nostra facile explicari queat. Eduinus eodem anno* 627, *cujus mense Aprili die* 12 *baptizatus fuerat, ad fidem Christi adduxerit Carpualdum, et hic* non multo tempore *post, puta anno* 628 *inchoato, a gentili homine, id iniquo animo ferente, occisus sit; hinc usque in annum* 631 *facile supererit triennium, post quod Sigbertus in regnum Carpualdi fratris sui succedere, sanctusque Felix ab* Honorio *mitti ac prædicationem suam ordiri potuerit. Eumdem Bedæ textum etiam arctius interpretatus est Pagius in Critica Baronii ad annum* 627, *num.* 25, *ubi sic conclusit.*

S. Honorius S. Justo successit

41 Carpualdus anno 627, quo baptizatus est, necatus; Sigbertus post triennium incompletum, anno nempe 629, aut tardius anno 630, in regnum successit, et Felix prædicationi Anglorum Orientalium statim incumbere cœpit. *Favet ipsi quædam epistola Petri Blesensis, quam ad annum* 646, *num.* 5 *laudans, sequentia de ejusdem S. Felicis obitu in eadem legi affirmat:* Migravit ad Dominum anno Domini 646, Indictione 4, cyclo decennovali per 1 incipiente, Penda pagano adhuc super Mercios regnante. *Sic est; ut omnes hi characteres cum anno Christi* 646 *recte conveniunt, ita anni septemdecim, quos ejusdem episcopatui Beda attribuit, ab eodem anno subducti remittent ad annum* 629 *vel* 630. *Sit ita; non refragabor, præsertim pro* 630; *nam pro priori ex temporis brevitate manet major difficultas, quam Petri Blesensis, qui post medium sæculum* 12 *floruit, auctoritas non potest sola tollere. Ceterum pro annis* decem et octo *episcopatus Felicis, quos e Ms. suo legit supra dicti Commentarii auctor, legendum esse* decem et septem, *suadent editiones Anglo-Saxonico-Latina Cantabrigiensis, et Latina Parisiensis Chiffletii.*

inter annum 627 et 631. et accepto Romani Pontificis consensu,

42 *Hactenus satis prolixe disputata faciunt, ut* S. Honorium *inter annos Christi* 627 *et* 631 *Cantuariensium archiepiscopum ordinatum fuisse credam, sed nullum certo possim determinare. Ut igitur ejusdem historiam prosequamur; S. Justo circa annum* 627 *defuncto, successor electus est* S. Honorius, *acceptaque ab Honorio I Romana Pontifice confirmatione, a sæpe dicto S. Paulino Eboracensi episcopo consecratus fuit. Petitum fuisse ad*

eam

AUCTORE C. S.

A *eam rem Honorii Papæ consensum, colligo ex ejusdem Pontificis litteris infra recitandis, in quibus anno 634 utrique Angliæ metropolitano,* Honorio *scilicet et Paulino, concessit, ut altero moriente, alter, qui superesset, posset alium in defuncti locum, sine alia a Romano Pontifice petita venia consecrare. Causam vero eam addidit:* Ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos et vos obsistunt, ad hæc condescendere coegerunt; ut nulla possit ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquo modo provenire etc.; *nimirum, dum per tam longa periculosaque itinera consensus Apostolicæ Sedis petitur et exspectatur.*

ordinatus est a S. Paulino episcopus

43 *Porro facultatem hanc frustra petissent laudati duo sancti antistites, si metropolitani Britanniæ sine Romani Pontificis petito consensu, vel generali licentia prius obtenta, ordinari soluissent; neque in consecratione* Honorii *prætermissum fuisse credendum est, quod de jure erat faciendum. De ipsa* S. Honorii *ordinatione Beda lib. 2, cap. 18 sic loquitur:* Hæc inter Justus archiepiscopus ad cælestia regna sublatus est quarto Iduum B Novembrium die; et Honorius pro illo est in præsulatum electus: qui ordinandus venit ad Paulinum; et occurrente sibi illo, in Londocolino quintus ab Augustino Dorovernensis ecclesiæ consecratus est antistes. *S. Paulinus, de quo sæpe facta est mentio, et cujus gesta illustrabuntur ad diem* 10 *Octobris, qua Romano Martyrologio inscriptus est, sedem suam fixerat Eboraci in Northumbria, cui civitati S. Gregorius Magnus Papa sacram metropoliticam dignitatem, subjectam tamen Cantuariensi olim jam destinaverat, quando ad Christum convertenda esset.*

in civitate Lindocolina.

44 Londocolinum, *sive* Lindocolinum (*ut habet lib. 2, cap. 16, et utroque loco editio Cantabrigiensis) Ptolomæus et Antoninus, teste Camdeno in Descriptione Britanniæ,* Lindum *appellarunt, Angli postea* Lincolne, *Latine* Lincolneam, *quæ præcipua civitas est comitatus Lincolneæ, vulgo* Lincolne-shire *dicti. Ibi post baptizatum Eduinum regem præfectumque Bleccam egregii operis ecclesiam a S. Paulino exstructam fuisse diximus; de qua istud quoque memorabile tradit Beda, loco ultimo citato:* Cujus tecto, vel longa incuria, vel hostili manu dejecto, parietes hactenus C stare videntur, et omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad utilitatem eorum, qui fideliter quærunt, ostendi. *Hoc in loco episcopus ordinatus* S. Honorius, *quique illum ordinaverat, S. Paulinus (incertum est, quanto tempore post) ad Honorium I summum Pontificem litteras dedere, quibus suas etiam addiderunt duo Christiani Anglorum reges, Eadbaldus Cantuariorum et Eduinus Nordanhymbrorum, duo pallia petentes ac facultatem alterum ordinandi, cum alteruter metropolitanorum moriturus esset.*

Honorius I Papa per litteras laudat Eduinum regem,

45 *Regum episcoporumque litteras nusquam reperi, sed duas Honorii Papæ, ex quibus ista didicimus, Beda lib. 2, cap. 17 et 18 recensuit. Prima est ad Eduinum regem, quæ sic habet.*

Domino excellentissimo, atque præcellentissimo filio Eduino regi Anglorum Honorius Episcopus, servus servorum Dei salutem. Ita Christianitatis vestræ integritas circa Conditoris sui cultum fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, et in omni mundo adnunciata, vestri operis multipliciter referat fructum. *Mitto cetera, quia ad præsens argumentum non spectant, præter sequentia:* Ea vero, quæ pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo adtribuere illis sine ulla dilatione prævidimus, et duo pallia utrorumque metropolitanorum, id est, Honorio et Paulino direximus, ut, dum quis eorum de hoc sæculo ad Auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alter episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem tam pro vestræ caritatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatiis, quæ inter nos et vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum et juxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. *Hactenus epistola ad regem Eduinum, omni temporis nota carens.*

sanctumque Honorium, et huic ac Paulino

46 *Alteram ad* S. Honorium *eadem de causa missam subjecit capite sequenti, sive 18, hæc præmittens:* Cui (*S. Honorio*) etiam præfatus Papa Honorius misit pallium et litteras, in quibus decrevit hoc ipsum, quod in epistola ad Eduinum regem missa decreverat, scilicet ut, cum E Dorovernensis vel Eboracensis antistes de hac vita transierit, is, qui superest consortis ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi in loco ejus, qui transierit, sacerdotem; ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa terrarum et maris spatia pro ordinando archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum litterarum in nostra hac Historia ponere, commodum duximus.

Dilectissimo fratri Honorio Honorius.

Inter plurima, quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer conlata suæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affatus unianimam dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat.

singula pallia misit.

47 Pro quibus Majestati ejus gratias indesinenter exsolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione Evangelii elaborantem ac fructificantem, sectantemque magistri et capitis vestri sancti Gregorii regulam, perpeti stabilitate confirmet, et ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per vos suscitet incrementa, ut fide et opere in timore Dei et F caritate vestra adquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordia pullulat, convalescendo amplius extendatur: ut ipsa vos Dominici eloquii promissa in futuro respiciant, vosque vox ista ad æternam festivitatem evocet: « Venite ad me omnes, qui laboratis et » onerati estis, et ego reficiam vos. « Et iterum: « Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca « fuisti fidelis, super multa te constituam: intra « in gaudium Domini tui. » Et nos equidem, Fratres carissimi, hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impertire.

cum potestate alium metropolitam ordinandi, quando alteruter obiisset.

48 Et jam * juxta vestram petitionem, quam filiorum nostrorum regum, vobis per præsentem nostram præceptionem vice beati Petri, Apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut, quando unum ex vobis divina ad se jusserit gratia evocari, is, qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ

* *l.* tam

AUCTORE C. S.

nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere; quia, ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt, ut nulla possit ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquo modo provenire; sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime Frater. Data die tertio Iduum Juniarum, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis, Heraclio anno vicesimo quarto, post consulatum ejusdem anno vicesimo tertio; atque Constantino filio ipsius anno vicesimo tertio et consulatus ejus anno tertio *; sed et Heraclio felicissimo Cæsare item filio ejus anno tertio, Indictione septima, id est, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo quarto.

* *forte* substituendum anno 17.

Hæ litteræ scriptæ fuerunt an. 634, jam mortuo Eduino.

49 *Hanc subscriptionem, quæ in aliis Bedæ exemplaribus editis et Mss. vitiose legebatur, Petrus Franciscus Chiffletius ex magnæ vetustatis optimæque notæ codice S. Maximini Trevirensis feliciter sic restituit, approbante etiam Pagio in Critica Cardinalis Baronii ad annum Christi* 633, *num.* 22 *et seqq., ubi varias quoque aliorum*
B *mendosas lectiones recensuit. In exemplari, quo usus Baronius est, legebatur annus Christi* 633 *cum Indictione septima; quæ cum invicem non cohærere adverteret, Indictionem* VI *in margine adscripsit, annumque* 633 *retinuit. Verum post laudatam Chiffletii editionem dubium amplius non est, quin Indictio* VII *et annus* 634 *retinenda sint, quibus ceteræ omnes notæ chronologicæ apte conveniunt. Hinc etiam discimus tempus supra dictæ epistolæ Honorii Papæ ad Regem Eduinum, quæ notis chronicis destituta est: utramque enim conferenti satis liquet, ambas eodem tempore scriptas et in Britanniam missas esse. Porro tum temporis jam excesserat e vivis rex Eduinus, anno præcedenti die* XII *Octobris cæsus in prælio; quam ob rem recte monet Pagius, ejusdem mortem nondum nuntiatam Romæ fuisse anno* 634 *die* 11 *Junii, quando Honorius Papa litteras ad* S. Honorium *nostrum mittendas signavit; sed quod ex iisdem litteris statuit, S. Justum non ante annum* 632 *obiisse, jam refutavi* § *præcedenti.*

Idem Pontifex S. Honorium solatus est

50 *Guilielmus Malmesburiensis lib.* 1 *de Gestis pontificum Anglorum aliam ejusdem Honorii Papæ epistolam ad* Honorium *Cantuariensem scriptam recitat, quam a Lanfranco archiepiscopo*
C *item Cantuariensi inter alia argumenta pro suæ sedis primatu productam fuisse, scribit. Est autem illa hujusmodi.* Dilectissimo fratri Honorio Honorius Episcopus servus servorum Dei. Susceptis vestræ dilectionis literis, in iis reperimus vestri laboris sollicitudinem circa vobis commissum gregem multa fatigatione occupatam, multo labore et angustia, crebrescentibus malis et mundanis usibus, mentis vestræ, difficultates * sæpius sustinere gravitatem. Nos vero hortamur vestram dilectionem, ut opus Evangelii, quod cepistis, teneatis, quod in eo laborandum tibi atque perseverandum magis, quam omittendum est. Memento Evangelici præcepti, quo dicitur: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides » tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » Et iterum in Apostolo. « Stabiles » estote et immobiles, scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino. »

* *al.* difficultatis

51 Ideo suppliciter vestram dilectionem admonemus, ut fide et opere in timore Dei et charitate vestra adquisitio, prædecessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordia pullulat, convalescendo amplius extendatur, ut, ipsa promissio Dominici eloquii vos ad æternam festivitatem evocet, quæ dicit: « Venite ad me » omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego » vos reficiam. » Et iterum: « Euge serve bone » et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, su- D
» per multa te constituam. » Interea tuæ sedis authoritatem nostræ authoritatis privilegio firmari postulasti. Nos vero absque ulla dilatione gratuito animo annuentes, quod rectum est, ut, quod semel statutum atque dispositum a prædecessoribus nostris cognovimus, hoc ipsum et nos confirmemus, eorumque vestigia sequentes juxta ritum priscæ consuetudinis, quæ a tempore sanctæ recordationis Augustini prædecessoris vestri nunc usque ecclesia tua detinuit ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis primatum omnium ecclesiarum Britanniæ tibi Honorio tuisque successoribus in perpetuum obtinere concedimus.

ananarilque aut adversa,

et ejusdem ecclesiæ primatum confirmavit.

52 Tuæ ergo jurisdictioni subjici præcipimus omnes Angliæ ecclesias et regiones, et in civitate Dorobernia metropolitanus locus et honor archiepiscopatus et caput omnium ecclesiarum E
Angliæ semper in posterum servetur, et a nulla persona per aliquam malam suasionem in alium locum mutetur. Aliter autem si quis fecerit typho superbiæ instinctus et nostræ præceptioni inobediens, et prænominatæ ecclesiæ concessis suæ dignitatis * contenderit reniti, sciat se separatum a participatione Corporis et Sanguinis Redemptoris nostri Jesu Christi. Deus custodiat te incolumem, reverende * frater. *Michael Alfordus tom. II Annalium ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad annum Christi* 634 *eamdem epistolam ex Malmesburiensi pariter recitavit, sed simul monuit, eam suspectam videri posse propter bis positum* Angliæ *nomen, quod ea ætate nondum obtinuerat, nec apud Bedam quidem, qui uno sæculo post scripsit libros quinque de Historia* gentis Anglorum, *usquam occurrit.*

* *al. addit.* rationibus

* *al.* dilectissime

Non est, quod hanc epistolam

53 *Fateor, hanc vocem tunc temporis nondum usurpari pro* Britannia *solitam fuisse, nec tamen propterea totam illam epistolam quisquam merito velut commentitiam repudiabit. Vitam B. Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis a Milone Crispino sæcula* 12, (*Lanfrancus autem obierat anno* 1089) *conscriptam apud nos editam habes ad diem* 28 *Maii. In hujus cap.* 5 *exstat ejusdem B. Lanfranci* F
epistola ad Alexandrum II Papam, cui rationem reddens de causa primatus ecclesiæ suæ, quam adversus Thomam archiepiscopum Eboracensem in synodo Angliæ evicerat, inter alia argumenta, quibus fuerat usus, etiam aliquod Honorii summi Pontificis Romani scriptum laudavit. Verba illius ibidem num. 39 *talia sunt.* Ultimum quasi robur totiusque causæ firmamentum, prolata sunt antecessorum vestrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, item Gregorii, item ultimi Leonis privilegia atque scripta, quæ Dorobernensis ecclesiæ præsulibus, Anglorumque regibus, aliis atque aliis temporibus variis de causis sunt data et transmissa.

propter insertam Angliæ vocem,

54 *Exstabat ergo tunc aliquod Honorii Papæ rescriptum, quo Cantuariensis ecclesiæ in Britannia primatus confirmatus fuerat, et quidem tale, ut B. Lanfrancus non dubitaverit illud inter cetera Pontificia scripta pro causæ suæ firmamento in synodo producere; nec Thomas potuerit infirmare, quemadmodum ibidem deinde legere est. Honorium autem illum non posse alium esse, quam ejus*

ejus nominis primum, manifestum ex tempore est; num B. Lanfrancus obiit anno 1089, Honorius vero II sæculo 12 adulto primum Pontifex creatus est. Ad hæc Honorius I, sive is anno 625 sive 626 in Apostolica cathedra cœperit sedere, mortuus est anno 638, atque ita scriptum ejus a B. Lanfranco laudatum, oportet missum fuisse vel ad Justum, qui sub ejusdem Honorii Pontificatu non diu vixit, vel ad S. Honorium *nostrum, qui eidem superstes fuit. Cur igitur Epistolam a Malmesburiensi suspectam habeamus propter unam vocalam, quæ etsi tunc in usu non fuerit, facile tamen potuit ab Honorio Papa hac occasione adhiberi.*

commentitiam esse suspicemur.

55 *Nimirum scribebat ille quidem ad totius Britanniæ primatem (qualem* S. Honorium *num.* 51 *agnoscit) sed cum hic sedem suam haberet in ea Britanniæ parte, quam gens etiam tunc* Angli *dicta incolebat; ac fortasse de hujus gentis episcopatuum primatu jam tum orta esset vel oritura timeretur dissensio; quid tantopere mirandum, si ille* Angliæ *vocabulo, quod postea tanto latius extensum fuit, pro Anglorum provinciis usus fuisset? David Wilkins in Conciliis Magnæ Britanniæ et Hiberniæ, anno 1737 Londini editis, tom. I, pag.* 35 *et sequenti eamdem illam epistolam e ms. codice bibliothecæ Cottonianæ vulgavit; qui præter aliquas voces minoris momenti cetera consonans, priori loco cum Malmesburiensis editione etiam legit* Angliæ; *sed in posteriori, ubi apud Malmesburiensem legitur,* Caput omnium ecclesiarum Angliæ; *iste ait:* Caput omnium ecclesiarum Anglorum populorum. *Si utroque loco sic legeretur, cessaret omnis difficultas, quæ tamen, etsi quis suspicari mallet, voculam* Angliæ *pro* Britanniæ *a recentiori manu insertam esse, obesse nequit, quin eadem epistola ab Honorio papa scripta fuisse credatur, uti etiam agnovit Alfordus. De tempore et occasione, quibus data esse videtur, aptius agemus § sequenti.*

§ IV. Sancti domesticæ vitæ ratio : cura fidei propagandæ : episcopi ab eo ordinati, aliaque gesta : mors et sepultura.

Laudatus est ab Honorio Papa.

Summus *Pontifex Honorius in epistola ad* S. Honorium *data supra num. 47 gemino ex capite illum laudavit, videlicet* in prædicatione Evangelii elaborantem ac fructificantem, sectanteraque magistri et capitis *(sui)* S. Gregorii regulam. *Secundam hujus laudis partem de vita ejus domestica, quam etiam antea monasticam duxerat, communique cum suo clero convictu ac bonorum usu accipiendam arbitror, secundum ea, quæ S. Gregorius Papa ad S. Augustinum Anglis recens ordinatum episcopum rescripserat in epistola apud Bedam relata lib. 1, cap. 27, ex qua excerpsi sequentia.* Mos autem Sedis Apostolicæ est, ordinatis episcopis præcepta tradere, ut in omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones: una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem atque susceptionem: alia clero; tertia pauperibus; quarta ecclesiis reparandis.

57 Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum fieri non debet a clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper adhuc ad fidem adducta est; hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat; sed erant eis omnia communia. Si qui vero sunt clerici extra sacros Ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere. Quia et de iisdem patribus, de quibus præfati sumus, novimus scriptum, quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat, de eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica disciplina sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus inlicitis cor et linguam et corpus, Deo auctore, conservent.

AUCTORE C. S. observatam in episcopatu regulam S. Gregorii,

quæ qualis fuerit, exponitur.

58 Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate et adimplenda misericordia nobis quid loquendum? Cum omne, quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est, Domino omnium magistro docente: Quod superest, date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis. *Hæc est regula, quam S. Gregorius papa S. Augustino in episcopatu servandam præscripsit, et ob quam pariter servatam etiam* S. Honorium *monasterii regulis similiter eruditum, sanctique Augustini olim discipulum ac tunc post tres medios in archiepiscopatu successorem, ab Honorio papa verbis datis laudari non dubito. Ad labores apostolicos et episcopale munus spectat ultera laudis pars, in qua Pontifex* Honorium in prædicatione Evangelii elaborantem ac fructificantem *commendavit. Juverit hic Christianæ religionis inter Anglos ac præsertim in Cantia subjectisque hujus regi provinciis tunc temporis statum ex Bedæ lib. 1, cap. 26, lib. 2, cap. 5 et 6, et lib. 3, cap. 8 paucis exposuisse, ut pateat, non defuisse* Honorio *paganos, quos ad Christum adduceret, nec Christianos, quos confirmaret.*

Exponitur varius ecclesiæ Anglicanæ in Britannia status

59 *Qui primus e regibus Anglis per S. Augustinum et socios ab idolis ad Dei cultum conversus fuit Ædilberctus rex Cantiæ, is subditorum suorum* fidei et conversioni ita congratulatus esse... perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum; sed tantummodo credentes arctiori dilectione, quasi concives sibi regni cælestis, amplecteretur. Didicerat enim a doctoribus auctoribusque suæ salutis, servitium Christi voluntarium, non coactitium debere esse. *Hoc pio rege anno Christi* 617 post viginti et unum annos acceptæ fidei *defuncto,* cum filius ejus Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi Ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum Christi fidem recipere noluerat, sed et fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes Apostolus testatur, ita ut uxorem patris haberet. Quo utroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum revertendi iis, qui sub imperio sui parentis vel favore vel timore regio fidei et castimoniæ jura susceperant.

in quo Sanctus ante et post acceptum episcopatum

60 *Eodem fere tempore orta est apud Orientales Saxones, qui cum rege suo etiam suberant Eadbaldo, Ecclesiæ persecutio; nam mortuo Saberto rege Christiano, S. Mellitus eorumdem episcopus a tribus ejusdem filiis paganis e sede sua expulsus, cum S. Justo tunc Roffensi in Cantia antistite in Galliam fugit. Porro S. Laurentius archiepiscopus Cantuariensis ambos jamjam secuturus, a S. Petro apostolo reprehensus castigatusque,*

Eadbaldum

auctore c. s. *Eadbaldum regem adiit, effecitque, ut rex, abdicato impio connubio, baptismum susciperet, et exsulantes episcopos revocaret. Perstitit in fide deinde Eadbaldus usque ad annum* 640, *quo Christiane obiit, sed nihil adversus idololatras sanxisse videtur. Tandem hujus filius ac successor Earconberctus* primus regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui, simul et jejunium Quadraginta dierum observari, principali auctoritate præcepit. Quæ ne facile a quopiam posset contemni, in transgressores dignas et competentes punitiones proposuit.

strenue laboravit. 61 *Hic fuit Christianæ religionis in regno Cantuariorum varius status, quo tempore* S. Honorius *apud eos, partim ante, partim post aditum præsulatum, versatus est; quando ipsi non potuit deesse quotidiana occasio apostolicum zelum suum exercendi, cum in paganis convertendis, tum in confirmandis Christianis, quos vel pristinus error detinebat, vel prava regum exempla et sua vitia ad idololatriam revocabant. Forte illius consiliis monitisque etiam debetur lex illa ab Earconbercto rege lata de idolis per totum regnum suum confringendis; quorum usus si justis de causis a duobus præcedentibus regibus antea toleratus fue-* B *rit, certe justioribus tunc fuit interdictus, ac propositis pœnis efficaciter proscriptus. Veruntamen cum tempus latæ legis non addiderit Beda, et Earconberctus annis quidem circiter tredecim post adeptum regnum convixerit* Honorio *episcopo, sed etiam supervixerit septemdecim, omnino dubium manet, an ille isti ferendæ laudato regi auctor exstiterit.*

Incertum est, an, et quid contra Pelagianos, 62 *In Elogio, quod ex Legenda Joannis Capgravii ad calcem hujus Commentarii recudam, dicitur non modo* innumerabiles paganorum *convertisse, sed etiam* errores multos, hæreticorum evacuasse; *qui tamen ibidem non nominantur. Adrianus Bailletus in Vita illius Gallica hoc die, Pelagianos indicat his verbis:* Floridum statum, in quo Anglicanam ecclesiam servabat, turbarunt Pelagianismi conatus, ut renasceretur in regione, ubi eumdem ducentis inde annis tam feliciter exstirpaverat S. Germanus Autissiodorensis episcopus. Ille progressum zelo suo ac vigilantia impedivit. *Cœpisse tunc temporis repullulare impium Pelagii dogma, non quidem inter Anglos, sed inter Scotos, reipsa docet Beda lib.* 2, *cap.* 19, C *ubi etiam recitat epistolam, quam, Sede Apostolica per Severini obitum vacante, Joannes electus, sed nondum ordinatus, Pontifex cum aliis e Romano clero hac super re ad Scotos dedit.*

et dissidentes in celebratione Paschatis Scotos egerit. 63 *In eadem epistola reprehendunt confutantque quosdam eorumdem* contra orthodoxam fidem, novam e veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et quarta decima luna cum Hebræis celebrare nitentes. *Verum quid in hac utraque vel alterutra causa præstiterit* S. Honorius, *nescio, nisi verisimile esse, illum sedulam operam dedisse, ne virus istud e tam propinqua provincia in suas serperet. Denique omnino incompertum mihi est, qui sint reliqui isti hæreticorum errores, quos ab* Honorio *sublatos esse. Capgravius liberaliter asserit, conjecturis forte potius, quam antiquis testimoniis innexus. Præter hæc, quæ de episcopali sancti Archipræsulis cura generaliter diximus, sunt etiam specialia, quæ modo prosequemur.*

64 *Inter primos episcopatus illius annos reponenda est S. Felicis ad Orientales Anglos per eumdem missio, erectaque episcopalis sedes Domuici, vulgo* Dunwich, *quæ maritima civitas est provin-* D *ciæ Suffolciæ, Bedæ,* Dumnoc *appellata in editione Chiffletiana, quam sequor. De hac missione sat multa dixi, ut sufficiat hic de felici ejusdem successu verba Bedæ ex lib.* 2, *cap.* 15 *addidisse.* Nec vota ejus (*inquit*) in cassum cecidere; quin potius fructum in ea (*provincia*) multiplicem credentium populorum pius agri spiritalis cultor (*Felix*) invenit. Siquidem totam illam provinciam, juxta sui nominis sacramentum, a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem et opera justitiæ ac perpetuæ felicitatis dona perduxit; accepitque sedem in civitate Dumnoc: et cum septemdecim annos eidem provinciæ pontificali regimine præfuisset, idem in pace vitam finivit. *Huic deinde Thomam, Thomæque Berctgildum a* S. Honorio *suffectos fuisse, ostendi supra. Qui autem volunt, laudatum S. Felicem etiam ab eodem sancto metropolitano episcopum ordinatum esse, nisi de sola missione loqui censendi sint, advertantur Bedæ, quo teste,* Felix episcopus... de Burgundionum partibus, ubi ortus et ordinatus est, *venit ad* Honorium. *Orientales Anglos per S. Felicem convertit, et eis episcoposordinavit.*

65 *Dum res tam prospere apud Anglos fluerent,* S. Honorio *in Cantia sub Christiano rege* *Cæso in pugna Eduino rege,* E *Eadbaldo, S. Paulino in Northumbria sub rege Eduino, quem cum gente sua nuper baptizaverat, sanctoque Felice inter Orientales Anglos apud religiosissimum regem Sigberctum, partes suas strenue explentibus, Anglicana ecclesia rursus magnam in Eduini regis nece passa jacturam est, resque in ea admodum perturbatæ fuerunt. Tristem historiam narrat Beda lib.* 2, *cap.* 20 *sic scribens.* At vero Eduinus, cum decem et septem annis genti Anglorum simul et Brittonum gloriosissime præesset, e quibus sex etiam ipse (ut diximus) Christi regno militavit; rebellavit adversus eum Ceduallа rex Brittonum, auxilium præbente illi Penda, viro strenuissimo de regio genere Merciorum, qui et ipse eo tempore gentis ejusdem regno annis viginti et duobus varia forte præfuit. Et conserto gravi prælio in campo, qui vocatur Hethfelth, occisus est Eduinus die quarta Iduum Octobris anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio, cum esset annorum quadraginta et octo; ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus *etc.*

66 Quo tempore maxima est facta strages in ecclesia vel gente Nordanhymbrorum; maxime quod unus ex ducibus, a quibus acta est, paganus; alter, quia barbarus erat, pagano sævior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus et Christiani erat nominis ignarus. At vero Ceduallа, quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut ne sexui quidem muliebri vel innocentiæ parvulorum parceret ætati, quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus erasurum se esse, deliberans. Sic nec religioni Christianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris.... Turbatis itaque rebus Nordanhymbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi præsidii, nisi in fuga esse videretur, Paulinus, assumpta secum Edelberge regina, quam pridem adduxerat, rediit in Cantiam navigio, atque ab Honorio archiepiscopo, et rege Eatbaldo (*Edelbergæ fratre*) honorifice susceptus est. *ortaque persecutione, S. Paulinus Cantuariam fugit.* F

57 *Annum tum infaustæ pugnæ, tum Paulini adventus ad* Honorium *Beda denuo signavit in Recapitulatione*

AUCTORE G. S.

S. Oswaldus, pulso tyranno, regnans,

A *Recapitulatione, ubi ait :* Anno 633. Eduino rege perempto, Paulinus Cantiam rediit. *Hinc paucis observa, quam male nonnulli* S. Honorii *episcopatus initium eidem anno postponant. Eduini regnum Northumbriæ, quod in bina olim divisum fuerat, duo sibi occuparunt; Ostricus scilicet regnum Deirorum, Berniciorum Eanfridus, ambo quidem apud Scotos sive Pictos baptismo initiati, sed simul ac regnare cœperant, ad idololatriam reversi. Ambos quoque præfatus Brittonum rex Ceduala paulo post occidit, et ipse solus per Nordanhymbrorum provincias tyrannidem exercuit, donec a S. Oswaldo cum suo exercitu cæsus ac peremptus est, ut narrat Beda lib. 3, cap. 1, qui inter Eduini et Cedualla cædes unum, aut paulo plus, annum intermedium reponit.*

S. Aidanum Scotum suis episcopum præficit.

68 *Porro S. Oswaldus regno Nordanhymbrorum potitus, a Scotis, apud quos exsulans baptizatus fuerat, doctorem petiit, accepitque S. Aidanum, cui episcopatum Lindisfarnensem erexit. Consule, si lubet, laudati sancti regis sanctique Aidani gesta, quorum prioris in Opere nostro illustrata habes ad diem 5 Augusti, posterioris ad 31 ejusdem mensis. Facile autem quilibet intelli-* B *get, quantum ista rerum mutatio* S. Honorio *curæ, quantum doloris afferre debuerit, dum maximam Anglicanæ ecclesiæ partem, cujus primas erat, primum toto anno a barbaris illis paganisque regibus tam crudeliter convelli vidit, ac deinde etiam Scotis tradi; qui licet Catholici essent, tamen dissidebant a Romanis, maxime in Paschate, quod luna decima quarta, si hæc in Dominicam incideret, cum Judæis celebrabant. Inter hæc S. Paulinus, amissa sede sua Eboracensi, degebat Cantuariæ, relicto Eboraci diacono, nomine Jacobo, qui tempore dictæ persecutionis operam suam perutiliter collocavit.*

Honorius Paulino episcopatum Roffensem dat,

69 *Paulino ut provideret* Honorius, *illum episcopatui ecclesiæ Roffensis tunc vacanti præfecit. Roffa, vernacule* Rochester *nunc dicta, quamque Beda* a primario quondam illius, qui dicebatur Rhof, Rhofescestre *cognominatam fuisse tradit, civitas Cantiæ est, Cantuariam inter et Londinum sita, cui S. Augustinus S. Justum, qui postea* S. Honorii *in metropolitana sede Cantuariensi proximus decessor fuit, olim primum dedit episcopum. Verum Bedam prosequentem audiamus.* Quo in tempore Rhofensis ecclesia pasto- C rem minime habebat, eo quod Romanus, præsul illius, ad Honorium Papam a Justo archiepiscopo legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris : ac per hoc curam illius præfatus Paulinus invitatione Honorii antistitis et Eadbaldi regis suscepit ac tenuit, usquedum et ipse suo tempore ad cælestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit. *De tempore mortis hujus Sancti ac successore eidem per* Honorium *dato loquitur idem sanctus historicus lib. 3, cap. 14, sic inquiens :* Ab Incarnatione Dominica anno sexcentesimo quadragesimo quarto reverentissimus pater Paulinus, quondam Eboracensis, sed tunc episcopus Rhofensis civitatis, transiit ad Dominum sexto Iduum Octobrium die *etc.*

eidemque mortuo S. Ithamarum subrogat : an etiam Edelbergam,

70 In cujus locum Honorius archiepiscopus ordinavit Ithamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione antecessoribus suis æquandum. *De S. Paulino agendum nobis erit prædicta die 10 Octobris, ad quam Romano Martyrologio inscriptus est; de sancto autem Ithamaro (nam et hic sacrum cultum obtinuit) pauca prelo paraverat Godefridus Henschenius noster, quæ post ejusdem obitum excusa sunt ad 10 Junii. S. Ithamar supervixit* S. Honorio, *cujus successorem sanctum Deusdedit iste ordinavit. Vide Bedam lib. 3, cap. 20, et Sollerium nostrum ad diem 15 Julii, ubi de S. Deusdedit breviter tractavit. Porro ut Paulinus numquam in sedem suam Eboracensem restitutus fuit, ita nec Edelberga, Eduini regis vidua, in regnum suum regressa est. Capgravius in Elogio* S. Honorii *edendo narrat, illam ab hoc sacro velamine dicatam Deo in villa* Limming, *a fratre suo rege Eadbaldo accepta, monasterium condidisse, in quo mater* plurimarum virginum et viduarum facta est.

ut quidam volunt, velavit? forte hoc tempore data epistola superius recitata.

71 *Huic scriptori forte prælucerunt Goscelinus in Vita S. Wereburgæ virginis, in Opere nostro data ad diem 3 Februarii, in cujus capite 1, num. 4, sine ulla tamen* S. Honorii *acceptique veli mentione, hæc legere est :* Æthelburga vero regina post proprii regis Nordanhumbrorum Æduini interfectionem reversa ad fratrem Æadbaldum, in villa Limminga monasterium ædificavit, in quo cum S. Æadburga requiescit. *Vide Annotata ibidem. Alfordus tom. II Annalium Angliæ ad annum Christi 634, num. 5, de condito ab illa monasterio admissoque velamine consentit, sed per* E *manus S. Paulini, non* Honorii, *factum ait : quorum quid verius sit, Beda aliisque antiquis silentibus, nequeo determinare. Ceterum mihi admodum verisimilis apparet ejusdem Alfordi opinio alibi censentis, epistolam Honorii I Papæ ad* S. Honorium *nostrum, quam num. 50 et seqq. recitavi, occasione sæpe dictæ persecutionis datam fuisse. Verisimillimum, inquam, est,* S. Honorium *tantis ecclesiæ Anglicanæ malis apud Pontificem per litteras indoluisse; neque ad aliud tempus aptius referri posse videtur laudata epistola, per quam Pontifex illum* circa commissum gregem multa fatigatione occupatum, multo labore et angustia, crebrescentibus malis, *desudantem, solari et ad constantiam excitare conatus est.*

Moritur Sanctus anno 653 et sepelitur apud decessores suos;

72 *Cum de ejusdem Sancti gestis plura non habeam, mortem ex Bedæ lib. 3, cap. 20 subjungo.* Et ipse quoque Honorius, postquam metas sui cursus implevit, migravit ex hac luce anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kalendarum Octobrium : et cessante episcopatu per annum et sex menses, electus est archiepiscopus cathedræ Dorovernen- F sis sextus Deusdedit, de gente Occidentalium Saxonum, quem ordinaturus venit illuc Ithamar, antistes ecclesiæ Rhofensis. *Clara hæc sunt, nec ulla egent illustratione. Ex iis vero, quæ de initio episcopatus* Honorii *disputavimus, de ejusdem etiam duratione statuendum est. Sepulturam illius Harpsfeldius in Historiæ ecclesiasticæ Anglicanæ sæculo 7 sic indicat :* Sepultus est in Aquilonari parte ecclesiæ beatorum Petri et Pauli cum hoc epitaphio :

Quintus honor memori versu memoraris, Honori,
Digna* sepultura, quam non teret ulla litura.
Ardet in obscuro tua lux vibramine puro.
Hæc scelus omne premit, fugat umbras, nubila demit.

* l. Digne

cum quibus translatus honorifice quievit usque ad Angliæ defectionem.

73 *De loco sepulturæ consentit Gocelinus in Historia translationis S. Augustini et successorum ejus lib. 1, cap. 2, num. 17, eorumdem in antiqua ecclesia situm pluribus exponens; ex quibus hæc pauca accipe.* Capiti sacro Laurentii (*qui S. Augustino primus successit*) Mellitus, ut proximus successor, in producta ecclesiæ area imminebat. Mellitus justifluum Justum secundum suam successionem

AUCTORE C. S.

successionem sibi accommodat ad caput : a Justi vero dextera B. Honorius, successor Justi : a dextra Honorii sanctus et a Deo datus Deusdedit successionis suæ ordine subjungebatur. . . . Sic tamen erant omnia illa anglorum Dei mausolea distincta, ut transitus haberetur inter singula. *Jacuit ibidem sic* S. Honorii *corpus usque in annum Christi* 1091, *quo cælesti odore fragrans repertum et cum reliquis in novam ecclesiam solemniter translatum fuisse, dixi* § 1. *Mansit ibidem usque ad Angliæ a Catholica fide defectionem, ex quo tempore quid de eodem ceterisque factum sit, non comperi ; sed dissipata fuisse, quæ tunc supererant, verisimillimum est, idque mercedis Sanctos illos tandem accepisse ab iis, quorum majores ab idolis ad Christum adduxerant.*

ELOGIUM

Ex Legenda Joannis Capgravii.

B

S. Justo successit S. Honorius: accepit pallium

a *b*

Beato archiepiscopo Justo *a* ad cælestia translato, S. Honorius pro illo est in præsulatum electus, qui erat unus ex discipulis beati Papæ Gregorii *b*, vir magnæ reverentiæ et in rebus ecclesiasticis sublimiter instructus. Quid ordinandus venit ad Paulinum, et occurrente sibi illo in Lindecolnio, Dorobernensis ecclesiæ consecratus est antistes *c*. Cui etiam Papa Honorius *d* misit pallium et litteras, in quibus decrevit, ut, cum Dorobernensis vel Eboracensis antistes de hac vita transierit, is, qui superest consors ejusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi loco ejus, qui transierat, sacerdotem; ne sit necesse ad Romanam usque civitatem per tam prolixa terrarum et maris spacia pro ordinando archiepiscopo semper fatigari.

c *d*

et litteras ab Honorio I Papa:

2 Inter plurima, inquit memoratus Papa, quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alterius aspectibus repræsentat; pro quibus Majestati ejus gratias indesinenter exolvimus, eumque votis supplicibus exoramus, ut vestram dilectionem in prædicatione Euangelii elaborantem et fructificantem sectantemque magistri et capitis sui sancti Gregorii regulam perpeti stabilitate confirmet et ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per suos suscitet incrementa, ut fide et opere in timore Dei et charitate vestra acquisitio, decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorii exordium pullulat, convalescendo amplius extendatur. Tali itaque hujus sancti Papæ favore ac testimonio liquide patet, hunc B. Honorium Gregorianæ institutionis discipulum, hoc est, Apostolicæ vitæ et perfectionis dignum fuisse æmulum.

C

Gesta illius in episcopatu,

3 Nec illud etiam parvæ gloriæ præconium est, quod per S. Felicem a se ordinatum Orientalium Anglorum præsulem illam quoque ad Christum convertit gentem *e*. Beato vero Felice mortuo, loco ejus ordinavit Thomam diaconum ejus, de provincia Girwiorum. Hiis temporibus, turbatis rebus Northanhumbrorum, perempto rege Edwino, B. Paulinus, assumpta secum Ethelburga regina, rediit Canciam navigio, atque a B. Honorio honorifice susceptus est *f*. Rex vero Edbaldus sorori suæ Ethelburgæ dedit villam Limming nominatam, in qua ipsa monasterium construxit, et a B. Honorio velamine consecrata, mater plurimarum virginum et viduarum facta est *g*. Quæ post vitæ suæ obitum sepulta est ibi Idibus Decembris. Paulinum vero episcopum Roffensem constituit, qui ibidem finem vitæ dedit. Sic igitur Dux strenuus ac pervigil Dominicæ miliciæ aliis, velut in acie divina cadentibus, alios subrogare certabat, ne scilicet suo hosti locus irrumpendi pateret, ne leo rugiens et quærens, quem devoret, gregem Domini sine defensore inventum vastaret.

e

D *f* *g*

vigilantia omniaque virtutes

4 Non solum altioribus, verum etiam inferioribus custodiis ecclesiarum fidelis et prudens Dispensator Domini prospiciebat, et omnia, ut omnium solicitus, procurabat : ordinabat parochias et cetera clericorum officia, docens omnes, ut in omnibus se exhiberent sicut Dei ministros, et plebem Dei tam suavitate et patientia erudirent, quam doctrina; tam piæ conversationis exemplo illustrarent, quam exhortatione; quatinus et Christiani adhuc rudes in fide et gentes adhuc incredulæ divini amoris attraherentur dulcedine, quam terroris austeritate. Sic enim Deus S. Honorium fide purissima, conversatione amabili, signis et virtutibus multis in terra ditavit, ut tamquam lucerna ardens et lucens huic regno effulserit, ut errores multos hæreticorum evacuaverit *h*, ut innumerabiles paganorum ad Deum converterit, miserias multorum hominum orando, consolando, relevaverit, et tota vita ejus quasi speculum cernere cupientibus resplenduerit.

h

sancto præsule digna, mors, sepultura, translatio.

5 Sibi parcus, et Christi pauperibus largus, servicus Domino in spiritu humilitatis et officio totius charitatis, certabat inter illos annumerari, quos beatificat sententia Christi : « Beati (inquit) « pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum « cælorum. » Studebat sibi et omnibus vigilare orando, psallendo, excitando; omnes secum in occursum Domini præparare : sicque de hujus mundi ergastulo ad patriam claritatis æternæ transivit pridie Kal. Octobris anno Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, et in monasterio apostolorum Petri et Pauli cum patribus suis sepelitur. Elapsis post hæc multis annis, cum ejus reliquiæ de terra elevarentur, hora, qua ejus cripta cum effodiente sarculo aperta est, tam ingens odoris suavissimi fragrancia illoco erupit, ut, quicunque tunc sancto illi officio præsentes aderant, odore illo respersi cum magna cordis devotione laudes Deo proclamarent *i*.

i

Sancti obtrectator redargutus.

6 Derogabat quidam æmulus huic Sancto, præferens illi quemdam secularis opulentiæ episcopum, qui ecclesiam Dei multis opibus et ornatibus extruxerat, cum istum *k* tale aliquid utilitatis in vita sua fecisse, nullum vestigium sit. Quod ubi ejus loci Prior nunciatum ægre ferret, nocte subsequuta cuidam seniori quidam venerabilis in visu astitit, ita præclare lucens, sicut sol, dicens : Quare ille talis hesterno die sanctum dominum Honorium abusiva lacerare voluit detractione in pontificis laudati prælatione ? Cur hiis relatis, Prior ex sacro Euangelio non respondit, quia omnibus largitionibus divitum copiosis plus duæ minutæ valuerunt Euangelicæ pauperculæ apud Judicem justum *l*. Hinc igitur datur intelligi, hujus paupertas quanto preciosior fuerit divitiis seculi apud Dominum, non auri probatorem, sed fidei. Hic transitoriam hujus

k

l

A jus mundi pompam respuens, et cælestis regni gloriam semper desiderans, nunc cum Domino regnans, Dominum nobis propitium in hoc esse seculo semper exorat.

ANNOTATA.

a *S. Justus quartus post S. Augustinum archiepiscopus colitur die 10 Novembris. De anno mortis illius et successionis* S. Honorii *vide disputata in Commentario* § 2 *et* 3.

b *Indicatur S. Gregorius I, qui S. Augustinum cum sociis ad Anglorum conversionem in Britanniam misit. Adi Commentarium* § 3.

c *De S. Paulino primum Eboracensi, deinde Roffensi episcopo, agendum erit ad diem* 10 *Octobris : interim de eodem vide dicta per Commentarium, in quo etiam de* S. Honorii *per illum ordinatione, et hujus tempore et loco satis prolixe dictum est.*

d *Fuit hic Honorius I. Consule Commentarium num.* 46 *et seqq.*

e *Hactenus fere præluxit Capgravio sæpe laudata Historia translationis S. Augustini, ut eam lib.* 1, *cap.* 4, *num.* 26 *legenti manifestum erit. De S. Felice plura jam dixi in Commentario.* AUCTORE C. S.

f *Pro hisce vide dicta in Commentario.*

g *Consule eumdem Commentarium num.* 70 *et seq.*

h *Qui fuerint hi errores, breviter inquisivi in Commentario num.* 62 *et seqq.*

i *Facta est hæc translatio anno* 1091. *Adi Commentarium num.* 6 *et seqq.*

k *Ita correxi; nam in edito vitiose legitur* justum.

l *Hæc ab initio hujus numeri descripsit ex Gocelino in prædicta Historia translationis lib.* 1, *cap.* 4, *num.* 26, *ubi præmittit, isthæc suo tempore, nimirum sæculo* 11 *contigisse; ait enim :* De cujus nuperrima revelatione parum quid, sed magnum fidei monumentum hic inseruimus. Derogabat quidam *etc.*

B

DE S. SIMONE COMITE ET MONACHO

ROMÆ.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in veterum Scriptis et Fastis sacris; titulus Sancti a pluribus ipsi adscriptus et hic retinendus.

ANNO MLXXX *Sex coævi Sanctum scriptis celebrarunt*

1 *Viri hujus, qui genere et potentia, qui rebus fortiter ac pie gestis illustrissimi, memoriam scriptis celebrarunt sex, quos novi, coævi vel suppares : anonymus biographus, infra pluribus designandus; Urbanus II Papa, natione Gallus, antea dictus* C *Odo et monachus Cluniacensis, qui octavo post* Simonis *obitum anno ad Romanam Cathedram evectus est, illiusque tumulum, versibus exornavit : Fulcoïus Meldensis ecclesiæ subdiaconus, qui paulo post* Simonis *obitum versus etiam aliquot sub epitaphii ipsius nomine conscripsit : Hariulfus abbas Aldenburgensis in Flandria, qui Actis S. Arnulfi, episcopi Suessionensis, ineunte sæculo* 12 *exaratis, insigne* Simonis *comitis elogium inseruit : Joannes monachus Bezuensis in ducatu Burgundiæ, qui in Chronico sui monasterii, sub idem tempus compilato, (mortuus quippe dicitur circa annum* 1120) *honorificum de illo testimonium perhibet : denique Guibertus abbas B. Mariæ de Novigento in Laudunensi diœcesi, qui lib.* 1 *de Vita sua (mortuus est anno* 1124) *Gesta* Simonis *in compendium contraxit. Solum istud compendium huc transfero, ut præcipuorum ejus Gestorum seriem in ipso limine tamquam in prospectu habeat studiosus lector, reliquorum verba ac testimonia producturus per decursum Commentarii; quando nempe apta judicavero, ad confirmandam et illustrandam Comitis nostri Historiam.*

2 *Itaque Guibertus abbas, per Acherium typis vulgatus, hæc habet citato lib. cap.* 10 : At vero qui Paulum ex Stephani oratione sibi creavit, idem multo felicius latiusque per potentiorem satis alterum propagavit. Simon enim quidam, Radulphi comitis filius, mirabili nostri temporis religionem inopinæ mutationis claritate ditavit. Qui quidem Radulphus quam celebris ubique Francorum potentiæ fuerit, quas urbes invaserit, quot oppida quæsita mira sagacitate tenuerit, multi superstites, qui ejus actuum meminere, sunt testes. Quantus etiam fuerit, ex eo uno conjici posset, quod Henrici regis uxorem, Philippi itidem regis matrem, in conjugio post mariti decessum habuerit. Juvenculus igitur Simon, cum mortem pater obiisset, obtento comitatum ejus honore, brevi tenuit. Nam causam adeo maturatæ conversionis hanc aliqui fuisse ferunt. In quodam oppido, quod sibi usurpatione potius, quam hæreditate provenerat, ejusdem patris reliquiæ conditæ fuerant. Quod Filius verens, ne animæ patris officeret, ad illud, quod sibi ex jure constiterat, deferre proposuit. Quo ante delationem detecto, et sub oculis Filii ad nudum revelato, cum potentissimi genitoris, quondamque ferocissimi tabidum attendisset corpus, ad contemplationem miseræ conditionis se contulit. Et exinde quicquid sublimitatis sibi arridebat et gloriæ, fastidire jam cœpit. Concepta itaque hac ipsa voluntate, fervente tandem desiderio, quod parturiebat, emisit, et patriæ

et unus quidem Guibertus abbas

F

AUCTORE C. S.

patriæ suorumque fugax, fines excedens Franciscos, Burgundiam ad Sanctum Eugendum in territorio Jurensi concessit.

insigni elogio

3 Audivi etiam, quod nobilissimi quamdam generis juvenculam sibi desponderat, quæ cum amantissimum Juvenem sibi et mundo repudium dedisse rescisset, ipsa inferior videri non tolerans, virginalibus Deo servientium turmis virgo perseveratura sese conseruit. Aliquanto post monachatus susceptionem tempore elapso, postliminium fecit in Franciam, et tot tantosque sermonum ejus puritas, et animi, quam in facie præferebat, humilitas, viros animavit et fœminas, ut infinita sexuum agmina ad viæ prosecutionem istius sub eo tempore conflarentur, et undecumque ad id propositi, exemplo ejus nominis, plurimi citarentur. Equestrium siquidem virorum studium Hominis multum sollicitavit examen. *Hic sistit Guibertus, nihil memorans de postremis Viri gestis ac pio obitu, cui tamen diu in vivis superstes fuit. Verum id non exigebat scopus, quem sibi præfixerat. Etenim, quantum ego intelligo, unice intendebat proponere mirabiles conversiones magnorum sui temporis virorum, quorum exempla alios stimulaverant, ut, et ipsi mundi* E *vanitatibus nuntium remitterent, sicque religioni ac statui monastico multum incrementi et splendoris attulerant: proponit autem exempla conversionum Ebrardi, comitis Britoliensis in Picardia,* Simonis *comitis, et Brunonis Cartusiensium fundatoris.*

forte etiam tunc viventem, a celebrioribus aliquot multo.

4 *Sed neque omnio certum est, an relata de* Simone *chartis non commiserit ante ipsius obitum. Sane Guibertus, mundo editus mense Aprili anno* 1053, *ut probat Mabillonius tom. IV Annalium Benedictin. pag.* 540, *ætatis annum numerabat vigesimum octavum, quando* Simon *vivere desiit anno* 1080, *uti nos ostendemus suo loco ex aliis scriptoribus et documentis, ex quibus etiam lucem accipient recitata Guiberti verba. Abstinet autem Guibertus a titulo* Sancti *vel* Beati *forte jam dicta de causa, quod* Simon *etiam tunc viveret; forte ea de causa, quæ verisimiliter alios quoque veteres retinuit, quominus alterutrum ipsi titulum adscriberent, nominatim Hariülfum et Joannem Bezuensem monachum, licet alioquin de* Simone, *ut supra innuebam, admodum honorifice loquantur: quia nimirum publicam Gallicani populi venerationem retardavit ejus, Romæ defun-* F *cti ac sepulti, sacrorum lipsanorum absentia: quæ demum veneratio excitata fuit, quando sacrum corpus vel saltem aliquot illius partes ex Italia in Gallias pervenerunt. Pervenisse autem in Gallias, quamquam de tempore non constet, eruemus ex sequentibus.*

ab aliis Sanctus

5 *Albericus tamen, Trium fontium Catalaunensis diœcesis in Campania sæculo* 13 *monachus, locis multis nec sine magna laude de Simone comite disserens, plerumque nomini ipsius titulum* Sancti *adjungit. Unum et alterum hunc locum profero ex ipsius Chronico, quod typis edidit Leibnitius. Ad annum* 1061 : Sciendum, *inquit,* quod comitissa Alaidis, soror SANCTI SIMONIS, comiti Campaniæ Theobaldo peperit duos filios etc. *Ad annum* 1093 : Obiit Rogerus tertius Catalaunensis episcopus; cui succedit Philippus, frater comitis Hugonis Campaniensis, natus de Alaide, sorore SANCTI SIMONIS etc. Sancti *quoque nomine venit in titulo præfixa mss. nostris vitæ apographis, duobus ex Claromarescano, et tertio ex Rubeæ-Vallis codice desumptis, ut sequitur :* Vita S. Simonis, Sanctus *appellatur plus semel in vitæ compendio, quod ex lectionibus, uti cre-* D *dimus, Officii ipsius Gallice translatum habemus.* Sanctum *vocant constanter sæpe laudandi Chiffletius et Bouchetus; Morlerius item in illustribus familiis Picardiæ, Bugnetus in vita Golfico S. Claudii episcopi Vesontionensis et Sammarthani fratres tom. IV Galliæ Christianæ in abbatibus Jurensis monasterii. Idem denique titulus ipsi adscribitur in variis sacris Fastis tam mss. quam impressis.*

titulo

6 *Ceteris præmitto bina Kalendaria Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quorum alterum transcriptum est ex ms. monasterii S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis Antverpiæ, alterum ex Ms. cœnobii S. Michaelis Ordinis Præmonstratensis item Antverpiæ. Ad diem* 30 *Septembris in priore legitur :* Sancti Symeonis, *in secundo* S. Simonis, *tum in utroque additur :* monachi, qui fuit filius Rodulphi comitis Veredennæ. *Ad eumdem diem annuntiatur in sequentibus. In ms. nostro Florario Sanctorum :* Eodem die sancti Symonis comitis et conf. Hic cum adhuc secularis esset et genere nobilis, vita imitabilis atque insignis extitit ac sanctissimo fine quievit. *In Martyrologio Germanico, quod editum est anno* 1599, *passimque Ca-* E *nisii nomine appellatur :* Item Romæ depositio S. Simeonis monachi et confessoris, qui erat filius comitis Veromandiæ. *In Supplemento ad Martyrologium Gallicanum Saussayi :* In Veromanduis sancti Simeonis comitis, qui ibi colitur in Vermandi abbatia Ordinis Præmonstrat. diœcesis Noviodunensis. *Denique in Philippi Ferrarii Catalogo Sanctorum generali :* In Veromanduis sancti Simonis comitis. *In aliis sed paucioribus* Beati *duntaxat nomine honoratur.*

ab aliis Beatus

7 *In Greveni Auctario Usuardino apud Sollerium :* Romæ depositio beati Symeonis, monachi et confessoris, filii comitis Verumandiæ. *In Menologio Benedictino Bucelini, ubi citatur Andreas Bambergensis tam. II Sanctorum Ordinis :* Eodem die depositio beati Simeonis sive Simonis, monachi et confessoris, filii Radolphi comitis Veromanduæ, qui ex consule et primipilo Francorum regis humillimus Christus servus effectus, quantum olim in purpura enituit, tantum postea cucullo exsplenduit. *Eadem Hispanice reddita transtulit Antonius de Heredia in tomum tertium de vitis Sanctorum et Beatorum Ord. S. Benedicti, per singulos anni menses ac dies distributis.* F *His favet utcumque auctor vitæ* Simonis *in Prologo, quem sic arditur :* Quoniam quorumdam virorum Dei et obsecratio instat, ut de BEATI viri SIMONIS actibus... loquamur : *atque hinc fortasse Acherius, qui vitam istam excudit post Opera Guiberti abbatis pag.* 671, hactenus, *uti testatur in Observationibus ad ejusdem Guiberti Opera pag.* 596, in monasterio Ursicampi prope Noviodunum Congregationis Cisterciens., Ordinis sancti Benedicti latentem, *non nisi* Beatum *dixit.*

appellatus fuit; nos cum pluribus

8 *Id ipsum fecit Mabillonius tam in Annalibus Benedictinis, quotiescumque* Simonis *comitis occurrit mentio, quam part.* 2, *Sæculi* 6 *Sanctorum Ordinis sui pag.* 370 *et seqq., ubi ex Acheriana editione, ad duos codices mss. collata, vitam illam excudit. Post Acherium autem et Mabillonium, nescio, an pro ipsorum auctoritate, vox* beati *Comiti nostro communius applicari cœpit; unum duntaxat reperi Mabillonio posteriorem Dionysium Sammarthanum seu hujus continuatorem, qui tom. IV Galliæ Christianæ recusæ col.* 247 Sancti *nuncupationem retinuerit. Dixi autem*

fortasse

AUCTORE J. F.

A fortasse *Acherium propter data biographi verba non alio, quum Beati nomine insignivisse, quia causam, cur id fecerit, nullam affert. At certe, meo judicio, si aliam non habuerit, ista sufficiens argumentum non præbet ad introducendam novam generalemque regulam. Nam sicut nuncupatio* Beati *vel* Beati viri *nonnumquam liberalius attributa fuit hominibus seu vivis seu mortuis, quibus* Beatorum, *uti nunc intelligimus, numquam posteu honos delatus fuit; ita non raro tituli* Beati *vel* Sancti *promiscue tribuuntur præcipuis cæli incolis; neque idcirco ad priorem semper usurpandum restringi se quis merito putabit, dum alter et antiquus sit et communior olim fuerit, quod hic contingit, ut patebit compuranti ætatem et numerum eorum, qui Comitem nostrum* Sanctum *dixerunt, cum iis, qui usque ad Acherianam vitæ editionem* Beatum *nuncuparunt.*

Sanctum appellamus.

9 *Accedit, et id quidem me non parum incitavit, ut vetustiori isti et communiori usui adhærerem, accedit, inquam, illustris familiæ et locorum in Galliis appellatio, quæ a* Simonis *nostri nomine desumpta creditur : Familiæ scilicet, quæ ex sorore ipsius sæculo* 12 *origenem sumpsit ac magno splen-*
B *doris incremento ad nostram usque ætatem propagata est titulo Dominorum de* Sancto Simone, *sicut alibi uberius ostendetur; locorum vero, quorum unus vicus est cum castello in Picardia, vulgo* Sanctus Simon *seu* San-Simonius, *qui, teste Jacobo Imhof in Genealogia excellentium familiarum Franciæ pag.* 199, *ubi agit de mox dicta* Sancti Simonis *familia,* a Simone, Rudolphi Crespiacensis filio, ob sanctimoniam celebrato, nomen accepit, *et sæculo proxime elapso insignitus fuit titulo ducatus cum dignitate Paris Franciæ. De hoc etiam loco postmodum sermo redibit, uti et de altero, qui Prioratus fuit Ordinis S. Benedicti in diœcesi* Bisontina, *a Comite nostro fundatus, et usque nunc dictus :* Prioratus S. Simonis de Muthua, *seu* Multua.

§ II. Cultus annuus cum Officio; reliquiæ.

Assertus ipsi cultus in Viromanduis

C Erant *in recitatis § præcedente martyrologorum annuntiationibus nonnulla, quæ elucidatione vel correctione indigerent : verum ista inobservata prætervimus, quia de iisdem per decursum Commentarii fusius disputandum veniet. Hic, ut ad Sancti cultum probandum viam aperiamus, observamus dicta Saussayi et Ferrarii,* Simonem *annuntiantium in* Veromanduis : *Saussayi, inquam, nullum testimonium producentis, et Ferrarii, allegantis in Annotationibus* Kalendarium Gallicum ac monumenta abbatiæ Veromanduorum, *nescio quæ. Certe intelligi ista non possunt, ut passim fit, de loco emortuali; quoniam constat, eum Romæ ad meliorem vitam emigrasse. An forte Roma istuc delatæ aliquando fuerunt sacræ ipsius reliquiæ, in Viromanduensi abbatia depositæ, eaque occasione ibidem cultum obtinuit? Sane id mirandum non foret, quandoquidem, ut post videbitur,* S. Simonis *soror et heres nupta fuerit Viromanduorum comiti, et per hanc vel filios aut nepotes curari potuerit dicta reliquiarum translatio et depositio. Sed meræ sunt hæ conjecturæ, quas nullo testimonio firmare concessum est. Accedit, quod cultus ipse in Viromanduensi abbatia, a Saussayo assertus, vocetur in dubium. Bollandus quippe* in ms. nostro vitæ apographo annotavit sequentia : Hunc (Simonem) scribit Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani coli in Veromandi abbatia Ord. Præmonstratensis. R. D. Mauritius du Pré ejusdem Ord. lib. 2 de Re Christiana Ambiani cap. 5; ubi ejus genealogiam et conversionem describit, dicit, ignorari id penitus a Religiosis dicti monasterii, neque ejus meminisse D. Vasseur in Antiquitat. Noviomensibus.

non probatur : an nunc desiit.

11 *At idem propositum spectat Mabillonii observatio prævia ad vitam part.* 2, *Sæc.* 6 *Sanctorum Benedictin. pag.* 374 : Saussayus in Martyrologio Gallicano et Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum Simonis nomen memorant cum Beati titulo : haud tamen liquet, an ullo umquam cultu publico honoratus fuerit. *Imo Sancti titulo honorari a Saussayo ac Ferrario, eademque a non paucis aliis antea honoratum fuisse, liquet ex dictis : ex dicendis vero patebit, merito dubitari non posse, quin et alicubi cultu publico honoratus fuerit, et honoretur etiam nunc. Alicubi inquam : nam cum Saussayum legerit Mabillonius, et nihilominus de cultu publico dubitet universim, facile crediderо, non deseruisse ipsum Saussayi opinionem, prinsquam consuluerat Religiosos Præ-* E *monstratenses Viromanduensis abbatiæ, idemque vel simile responsum acceperat, quod supra reddimus ex Opere R. D. Mauritii du Pré. Nec tamen inde certo ausim concludere, numquam illic* Simoni *exhibitum fuisse publicum cultum. Etenim ut videre est apud Ludovicum Carolum Hugo in Annalibus Præmonstratensibus tom. II, col.* 1123 *et* 1125, *Vermandensis seu Viromanduensis abbatiæ templum cum reliquis officinis anno* 1142 *flamma consumptum fuit, et sub annum* 1338 *Eduardus III Angliæ rex in Philippum VI Galliæ regem* arma aciemque direxit, instigante Artesiæ comite Roberto, et Picardiæ fines vastator ingressus, Viromanduensem abbatiam depopulatus est, prostravit ædificia, navim succendit ecclesiæ, necdum complete reparatam.

qui aliquando fuit?

12 *Alterutro casu, siquæ fuerint illic* Simonis *reliquiæ, siqua publici cultus monumenta, perire vel dissipari potuerunt, ideoque cessore cultus, ac lapsu temporis sic ejus deleri memoria, ut sæculo* 17 *nihil huc super re a Præmonstratensibus edoceri voluerint Mauritius du Pré et Jacobus le Vasseur. Quoniam vero haud raro contingit, ut* F *scripta documenta antiqua non exstent iis ipsis in locis, ad quæ spectant, serventur tamen in aliorum bibliothecis aut archivis seu autographa sive apographa, novum non esset, si ad Ferrarii manus aliunde pervenissent monumenta, quæ citat, aut si similia præluxissent Saussayo, qui ex antiquo cultu ibidem detecto, absque ulteriore fortasse indagine, collegit præsentem ac perseverantem. Idemne censebimus de Claudio Castellano, qui non indiligens alioqui hujusmodi rerum indagator, in Martyrologio Sanctorum universali et elucidat obscurius asserta in Fastis aliis, et cultum, de quo hic disputamus indubitanter affirmat? Audiatur ad diem* 29 *Septembris :* Romæ, beatus Simon, comes Crispeiensis in Vadensi pago *(en Valois)* dein monachus (*in cœnobio*) sancti Eugendi, nunc dicto sancti Claudii, fundator Silvæ Rubeæ in Campania et plurimum aliorum monasteriorum, sepulcro conditus apud sanctum Petrum in Vaticano, peculiariter honoratus a Præmonstratensibus Viromanduensibus in Picardia. *Sed esto, nec habeat, nec habuerit umquam in Viromanduensi*

AUCTORE J. P.

manduensi abbatia cultum publicum, id morari nos non debet; dum certiores simus, eam tali cultu alibi honorari.

In abbatia S. Claudii,

13 *Notitiam hanc acceptam referimus P. Petro Francisco Chiffletio, ex cujus, Lutetiæ Parisiorum in Claromontano Societatis Jesu collegio defuncti, scriniis obtinuimus ingens Opus ms, quod prelo paratum inscripserat* Sacrarium monasterii Jurensis Condatescensis *etc. Pluribus hoc Opus declaratum est et ex parte impressum apud nos tom. I mensis Junii a pag. 646 occasione S. Claudii, Vesontionensis seu Bisuntini episcopi et Jurensis abbatis. Quapropter sufficiet hic dedisse titulos quatuor partium, in quos divisum est.* PARS PRIMA. Chronicon abbatum monasterii S. Augendi Jurensis sive S. Claudii *etc.* PARS SECUNDA. De primis monasterii Condatescensis abbatibus, Romano, Lupicino et Augendo, auctore *etc.* PARS TERTIA. De S. Claudio, abbate Condatescensi *etc.* PARS QUARTA. De aliis nonnullis monasterii S. Augendi alumnis *etc. Parti secundæ subnectuntur* Illustrationes Jurenses; *tertiæ* Illustrationes Claudianæ; *quartæ* Observationes ad vitam S. Simonis ex comite monachi. *De postremis plura dicendi*
B *locum dabit sequens §. At quoniam monasterii, in quo* S. Simon *vitam religiosam professus est, frequens redibit sermo, idemque diversitate temporum diversimode appellatum fuerit, ad majus lectoris commodum huc transferro descriptionem ejus ex Commentario prævio ad Acta S. Claudii tomo cit. pag. 644.*

cujus notitia hic datur,

14 Apud antiquos Sequanos, in hodierno comitatu Burgundiæ, extat mons altus et late extensus, cui ab antiquo inditum nomen JURA hactenus permanet. In hujus parte versus Bressiam et Bengesiam vitam solitariam auspicatus est S. Romanus, cujus Acta illustravimus 28 Februarii. Romano accessit frater S. Lupicinus, cujus itidem Acta dedimus 21 Martii: ambo autem ibi monasterium Cordatescense * excitarunt, quod postmodum abbas rexit S. Eugendus, a nobis ad Kalendas Januarii relatus: et ab hoc illud postmodum dictum fuit monasterium S. EUGENDI, vulgo S. Oyan, usque ad sæculum Christi duodecimum, uti constat infra ex vita et miraculis S. Claudii, a quo denominatum sequentibus seculis monasterium, simul et adjunctum ei oppidum, non aliter ad nostra usque tempora, quam S. CLAUDII
C vulgo audit. *Ita Henschenius. Nunc ad Chiffletium.*

* al. Condatescense

inter aliorum Sanctorum reliquias

15 *Primum ad rem præsentem pertinens suppeditat in Chronico abbatum, ubi postquam retulisset, quod S. Claudii monasterium misere deflagraverit circa annum 1419, atque iterum anno 1519, ac tertio 1549 et quarto 1579; inde factum opinatur,* ut multæ hodie desiderentur antiquæ tabulæ etiam sub prima et secunda regum Francorum stirpe confectæ, quarum, *inquit,* subscriptiones cum temporum characteribus in veteri membrana ante annos abhinc quingentos adnotatas legimus. *Tum quibusdam interpositis, agens de Ferdinando de Rye, Bisontino archiepiscopo et abbate S. Claudii, addit:* Hujus tempore, anno scilicet 1626, 21 Martii et Maii 16, reverendus dominus Claudius de la Mar, Major Prior monasterii, cum collegis suis ossa seminustulata S. Romani et S. Lupicini, aliorumque domesticorum Sanctorum, quæ ex incendiis superfuerant, in duas de novo fabrefactas, auroque illitas lipsanothecas transtulit, ubi promiscue congesta sunt, paucis exceptis, quæ loculis et titulis adhuc
D discreta, majoribus illis capsis inclusa asservantur.

sacra ejus ossa recensentur,

16 In his duabus hierothecis, quæ nobilissimorum cœnobii rectorum humanitate mihi reseratæ sunt, distinxisse me reor fere octodecim corporum ossa, pro sacris reliquiis habita; nempe horum qua abbatum qua privatorum monachorum, qui in monasterii veteribus tabulis Sancti titulo prænotantur, quamvis non omnes certis diebus Martyrologio inscripti sint, nec propriis omnes colantur Officiis. Hi sunt præter sanctos Augendum et Claudium, sua quemque theca argentea primario altari impositos, S. Romanus abbas; S. Lupicinus abbas, S. Palladius, S. Sabinianus diaconus, S. Valentinus diaconus, S. Justus, S. Minausius abbas, S. Antidiolus abbas, S. Olympius abbas, S. Sapientius abbas, S. Talasius abbas, S. Dagamodus abbas, S. Audericus abbas, S. Injuriosus abbas, S. Rusticus abbas, S. Autfridus abbas, S. SIMON ex comite monachus. Nec tamen horum ossa omnia in duabus illis capsis includuntur. Nam S. Romani et S. Lupicini capita seorsim habentur in Prioratibus, qui de illorum nomine appellantur; et S. SIMONIS os brachii servatur in Prioratu de Muthua, E
cui ipse Vir sanctus initium dedit: * et S. Justi femur cum crure et pede dextro supersunt in Prioratu de Salesia seu de Salicibus Viennensis diœcesis.

et festum colitur cum Officio

17 *Eumdem materiam de S. Simone et aliquanto enucleatius pertractat part. 4 Operis sui in Observationibus ad vitam illius, et ita quidem, ut dubium non relinquat, quin Simon ibidem habeatur in eorum numero, qui in monasterii vetustis tabulis* Sancti *titulo prænotantur, sed et in eorum, quorum festivitas Martyrologio inscripta est et quotannis ecclesiastico Officio recolitur. Demus etiam hic Chiffletii verba:* De die obitus S. Simonis hoc obiter observandum est, illum assignari ab ejus vitæ auctore pridie Kalendas Octobris. At in Necrologio S. Eugendi, uno die citius ponitur: sic enim habet: « Tertio Kalendas » Octobris obiit Simon comes Campaniæ, mona- » chus nostræ Congregationis. » Unde opinamur, in ejus vita designari diem sepulturæ, quam depositionem plerique appellant: in Necrologio autem diem, quo felix ejus anima vinculis corporis soluta est. Ejusdem festivitas notatur in Martyrologio, et in monasterio S. Eugendi agitur tertia F
die Octobris, seu quinto Nonas, loci monachorum arbitrio propter aliorum Officiorum concursum. *De die obitus agemus suo loco, at diem festum confirmat, quod præ oculis habeo, ms. Gallicum.*

die 3 Octobris. Nescitur, quomodo

18 *Inscribitur id:* Compendium vitæ S. Simonis, monachi Benedictini abbatiæ S. Claudii, *et ad calcem ipsius leguntur ista:* Miraculis claruit in vita et post mortem. Festivitas ejus celebratur tertia Octobris. *Verisimile est, Compendium illud ipsas esse lectiones Officii, ex latinis Gallice redditas in gratiam sacrarum virginum S. Ursulæ Crispeii, Acta sancti olim Crispeiensis comitis novisse desiderantium. Etenim Chiffletius ne quid diligentiæ prætermitteret, ad obtinenda, undecumque posset, documenta illustrandis* S. Simonis *gestis idonea, ad Crispeiense etiam oppidum recurrit, ususque est opera Annæ Hervé, ibidem ad S. Ursulam virginis religiosæ. Hujus binas servamus epistolas ad ipsum isto super negotia rescriptas mensibus Martio et Aprili anno* 1670. *Prioris verba aliquot adjicio ex gallicis latina:* Exeidit indicare

A indicare tibi, quod alius hic non habeamus libros aut scripta de magno illo sancto Simone, præter id, quod transmisi ad te ex abbate Novigenti Guiberto, et aliud breve Compendium, quod subjunxeram Vitæ a dicto abbate compositæ, desumptum, ut credo ex Officio, quod venerabilis P. Prior Boni-loci miserat ad duas matres nostras defunctas, pias sorores suas, (et) quod cantari significabat in abbatia S. Claudii 3 Octobris, festa die ejusdem S. Simonis. *Compendium istud Gallicum et quæ ipsi præmittitur vita, adscripta Guiberto abbati, forte quia ejus scriptis immixta erat, sed quæ proprie est Vitæ a nobis edendæ interpretatio Gallica, nulli hic usui erunt, quoniam, quæ iis continentur, satis exponuntur in documentis latinis.*

Ossa ipsius, Romæ sepulti, illuc

19 *De sacris reliquiis sermonem quoque resumit Chiffletius in memoratis Observationibus et nonnulla addit de magnifico Sancto Romæ defuncto data sepulcra, quæ, de sepultura scilicet, quum vix postea denuo pertractanda veniret et antiquiorum testimoniis firmanda, claritatis ergo a reliquis separanda non esse censui.* Sepultura sacro ejus cadaveri data est inter Romanos Pontifices B in basilica Vaticana: cui mausuleum impositum, Mathildis Anglorum reginæ cura et sumptibus, opere magnifico variis et pretiosis marmoribus exstructum. Magni Viri tumulo quatuor dysticha inscripsit vir magnus Odo de Castellione ad Matronam, qui postmodum Urbanus Papa fuit hoc nomine secundus. Olim Romam peregrinantibus id monumentum spectaculo erat. Exinde Vaticana S. Petri basilica sæpe immutata, nullum hodie apparet; sive adhuc latet in cœmeterio Vaticano, sive eversum est, ut novis structuris locum daret. Auctor Romæ subterraneæ tomo 1 lib. 2, cap. 10, postquam Vaticanorum monumentorum, quæ adhuc supersunt, figuras complures descripsit: « Certe quidem », ait « his multo » plura et nobiliora forte adhuc extare credendum est in ampliori parte ejusdem cœmeterii, » quæ superest, et necdum a quopiam, præclusis cuniculis, perscrutando tentata est. » Tum post pauca: « Valde, inquit, dolendum est, quod » ob novæ basilicæ constructionem, cœmeterio » penitus diruto, ac sacris pariter, quæ ibidem » extabant, antiquæ Christianorum pietatis monimentis, intra oblivionis tenebras consepultis, C » ingens religio detrimentum perpessa sit. »

devenerint: eorum unum honoratur in Prioratu S. Simonis.

20 De translatis S. Simonis reliquiis nihil usquam legimus; cum tamen ejus os brachii servetur in Prioratu de Muthua, quem ille fundavit (quo in vinum instincto, eoque vino in populum diviso, juvari creduntur pii supplices) opinior, reliqua ejus ossa in magnis duabus hierothecis haberi, quæ viginti circiter Jurensis monasterii sanctorum virorum reliquias continent, confusas et indistinctas post monasterii incendia, cum antea loculius et epigraphis distinguerentur. *Ita Chiffletius, qui part. 2 Operis cap. 9 de* Prioratibus, ubivis terrarum constitutis, qui S. Claudii monasterium velut membra caput suum spectant, *inter constitutos in Bisontina diœcesi assignat* Prioratum S. Simonis de Multua, *eumdem procul dubio, ubi S. Simonis os brachii servari et honorari mox indicavit ac semel et iterum* Prioratum de Muthua *scripsit. Nam in toto catalogo nullus occurit* Prioratus de Muthua, *nec alius, cujus nomen ipsi adeo affine sit. Hæc habet Catalogus:* Prioratus S. Simonis de Multua fundatur anno 1078 a sancto Simone comite, paulo ante ad Sanctum Augendum monacho effecto, ut nimirum salutandi causa eo ad se advenientium frequentiam vitaret. Nunc regia et pontificia auctoritatibus, consensu, quarum intererat, partium, Societatis Jesu, collegio Dolano attributus est. *Verisimile est loco isti accessisse nomen* S. Simonis, *tum quia Prioratus primus institutor agnoscitur, tum quia reliquiæ magna illic habitæ sunt in veneratione.*

AUCTORE J. P.

§ III. Vita a coævo conscripta; Chiffletii in eam Observationes, illarumque usus.

Vita, quæ ab auctore coævo

Primorias vitæ editiones jam assignavimus § 1, *Acherianam scilicet ex ms. monasterii Ursicampi, et Mabillonianam ex prima illa editione ad duos codices collatam. Quatuor nobis sunt ejusdem mss. exemplaria, primum exstat in codice nostro membraneo, signato P 158, secundum ac tertium ex Claromarescano, quortum ex Beæ-vallis codice, desumpta sunt. Postremum hoc multis locis mutilum est: quare, ipso neglecto,* E *juxta alia et laudatas editiones vitam recudemus variantesque lectiones et hinc inde in ano aut altero præcipuas omissiones sive in margine sive in Annotatis declarabimus; restat, ut quid de auctore censendum sit, indagemus. Communior sententia est, ipsum Sancto fuisse synchronum seu æqualem; idque constare ait Mabillonius ex Prologo et fine. In Prologo ita fatur:* Ut de beati viri Simonis, actibus ad utilitatem audientium aliquid loquamur, gesta illius singula colligentes et certa agnoscentes, verbis explicare curavimus, et scriptis et verbis assignare. *Sic autem narrationem suam concludit:* Hæc et alia, quæ de Simone scripta sunt, hi qui de propria familia in seculo viri religiosissimi cum eo habitum spiritalem susceperunt, quæ oculis intuiti sunt, et auribus audierunt, ita esse testati sunt.

scripta est juxta aliquos

22 *Chiffletius, neglectis Prologi verbis, quæ sane non tam evidenter temporis æqualitatem probant, quam postremæ clausulæ verba, in hunc modum orditur Observationes mss. ad vitam:* Nomen ejus (*biographi*) nusquam reperi: de conditione conjectura est, monachum fuisse et quidem S. Eugendi Jurensis, cujus monasterii maxime intererat tam illustris sui Alumni memoriam posteris commendare. Ætatem porro suam ipse aperit, cum ad finem Operis affirmat, quæcumque de illo scripsit, recognita fuisse et probata illorum testimonio, qui de propria familia in sæculo cum eo habitum spiritalem susceperunt. Cum autem cap. 18 (*in nostra editione num. 29 et seq.*) meminerit Anselmi, ex abbate Beccensi jam tum archiepiscopi Cantuariensis et F Apostolici legati (quas ille dignitates sortitus est ex anno 1093) vel hinc suadetur, S. Simonis vitam hanc * procul anno millesimo nonagesimo quinto fuisse conscriptam, adeoque anno fere quintodecimo, ex quo S. Simon ad Superos emigrarat. *Quintodecimo, inquit, quia Simonis obitum annectit anno 1080, de quo post.*

* *forte haud*

circa annum 1095.

23 *Scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. VIII p. 427 haud multum abscedunt a sensu Chiffletii, sed quod hic ex conjectura, sane verisimillima, statuit, ipsi sine hæsitatione affirmant, biographum fuisse monachum S. Claudii, seu S. Eugendi Jurensis monasterii; at hoc equidem tamquam rem indubitatam ex nullo totius vitæ verbo possum

AUCTORE I. P.

possum elicere. Ad hæc vitam istam concinnatam esse asserunt ante finem sæculi 11, atque id aperte erui ex moda, quo scribit auctor de S. Anselmo, quem adducit tamquam nuper ad Cantuariensis archiepiscopatus dignitatem provectum; ad hunc autem evectus est anno 1093. Demum concludunt, omnino credibile esse, Opus fuisse absolutum ultero ex duobus annis proxime sequentibus. Lubens fatebor, auctoris loquendi modum talem esse, ut credi possit scripsisse de re non multo tempore transacta; verum si quis contendat, Opus ejus absolutum fuisse aliquot annis serius, quam velint laudati auctores, non video etiam, quid solide ex isto loquendi modo opponi queat.

juxta nos, ut allatis rationibus

24 *Exponit biographus loco citato* S. Simonis *aliquamdiu defuncti apparitionem factam Roberto socio suo monacho, in qua hic jussus est denunciare aliqua* Anselmo sanctæ Mariæ Becci abbati, prudenti et reverendissimo viro. *Tum lectores suos, quantum ego intelligo, plenius instructurus, quis designetur Anselmus, subdit:* Hic est vir ille religiosissimus Anselmus, qui ex abbate Cantuariæ archiepiscopus, et * legationis Apostolicæ in Anglia sortitus est dignitatem. *Obiit S. Anselmus anno 1109 die 21 Aprilis, qua Acta* B *ipsius apud nos illustrata sunt. Statuamus igitur tantisper, biographum, ne longius excurram, scripsisse tantum circa finem vitæ S. Anselmi, et cum ejus mentio incideret, voluisse lectori distinctius ipsum designare, debuitne aliis verbis uti, quam hic usus sit: Accedit, quod alio loco ad eum modum loquatur, ut non possit non esse suspicio, scripsisse ipsum post Anselmi obitum. Num. 20 narrat* Simonem *accessisse ad Philippum regem Francorum, rogante* bonæ memoriæ Hugone abbate Cluniacensi. *Titulus autem* bonæ memoriæ, *ut ipsimet fatentur in Annotatis suis scriptores Historiæ litterariæ,* si decretorius esset, *si, inquam, semper personam, cujus nomini affixus est, vita functam indicaret, certe Opus suum non absolvisset ante obitum S. Anselmi; cum huic octiduo circiter in vivis superstes fuerit S. Hugo Cluniacensis, vita functus eodem anno, nocte præcedente diem 29 Aprilis, quo die de ipso apud nos actum fuit.* Verum, *inquiunt,* titulum istum hoc seculo (*undecimo*) datum fuisse hominibus etiam viventibus, videbitur per decursum. *Sit ita. At neque negabunt, opinor, rara hujusmodi esse exem-* C *pla, passimque isto titulo denotari mortuos.*

* in Mss. melius deest et

25 *Quapropter sufficientem, saltem in biographi textu de S. Anselmo, rationem non invenio dicendi, quod, ubi S. Hugonem* bonæ memoriæ *appellavit, a communiori loquendi modo recesserit. Quæres, cur biographus Hugonem* bonæ memoriæ *dixerit, non item Anselmum, octiduo ante defunctum? Respondebitur, notam fuisse ipsi Hugonis mortem: non item Anselmi: ille in Gallia et in vicinia obiit; hic in Anglia. Sed et quæri contra poterit: si noverit biographus utrumque etiam tum vivere, cur uni titulum istum affixit; non item alteri? Est aliud, quod objici posset, ac primo intuitu aliquam præ se ferre difficultatem. Obiit Sanctus probabilius anno 1080 et vita ipsius approbata fuit ab iis, qui de familia ipsius fuerant in sæculo et cum ipso habitum spiritalem susceperant, itaque statuendum, quod hi ad annos circiter 30 ei superstites fuerint, si vita scripta sit post obitum Hugonis. Sed observa,* Simonem *a suscepto habitu vixisse tantum circiter triennium; mirumne, si aliqui familiares, ætate inferiores, supervixissent ad annos quadraginta et amplius?*

ost aditur, forte aliquanto serius,

26 *Porro licet credi possit biographus, pleraque et forte omnia saltem præclariora Sancti gesta* D *litteris mandasse, multum abest, ut perfectam nobis ipsius Historiam reliquerit. Nec patriam ejus signavit, nec annum natalem aut emortualem; parentum quidem nomina expressit, aliaque adjecit, unde conjicias, eos fuisse et genere illustrissimos, et opibus potentissimos; sed nec titulos, nec dignitates adjunxit, ex quibus specialem familiæ notitiam acquiras: subticuit, an fratres habuerit vel sorores, ut nescias, an proles parentum fuerit unica, an filius primogenitus, vel quo pacto salus, uti insinuat, eorum adeptus sit hereditatem. Nihil memoravit de ipsius infantia vel pueritia, mox a parentum nominibus transiliens ad vitam ejus militarem, ad mortem eorumdem parentum, ad bella adversus Philippum regem Francorum pro servanda hereditate, ad pacem, ad nuptias, bis qia industria evitatas, ad vitam monasticam etc. fere sine ulla nota temporis et absque iis rerum adjunctis, quæ lectoris desiderium expleant. Denique Opus tale conflavit, ut, si nostrum scribendi institutum spectes, pene ubique elucidatione egeat, et plane necessarium sit ipsi præmittere Commentarium satis amplum, quo pleraque discutiantur, et quantum fieri potest, ope aliorum scriptorum* E *ac monumentorum declarentur et perficiantur.*

multa explanatione eget.

27 *Multum huc subsidii afferet Chiffletii supra designatum Opus ms. in Observationibus ad dictam vitam et res gestas* S. Simonis: *at priusquam declarem, quomodo hæ concinnatæ sint et quali nobis usui futuræ, juvat præmittere septemdecim, in quot divisæ sunt, capitum titulos, prout dati sunt apud nos tom. I Junii pag. 647.*

Chiffletii in eam Observationum

Caput I De auctore, qui S. Simonis vitam conscripsit.

II De patre ejus Rodulfo, et tribus illius uxoribus, quarum tertiæ (nempe Annæ, regis Francorum Henrici relictæ) affinis erat in gradu tunc prohibito.

III De Waltherio, S. Simonis fratre, prope Remos interfecto; Vitriacum pluries occupatum a Philippo I rege.

IV De duabus sororibus S. Simonis, quarum ætate prior Herberto desponsata est Veromanduorum comiti, ejus nominis quarto; junior autem, nomine Adelais, primum Bartholomæi Brecarum domini, postea Theobaldi Blesensium et Carnotensium comitis conjux fuit.

V Sententia nostra de Adelaidis, Bartholomæi F relictæ, secundis cum Theobaldo Blesensi nuptiis, novo argumento stabilitur: ex eo nimirum, quod Bartholomæi et Adelaidis, eorumque filii Hugonis Bardulfi omnis hereditas ad Theobaldum ejusque filios aut nepotes devenerit.

VI An præter Adalam, comitissam Veromandensem, et Aalydem, sive Alaidem aut Adelheydem, primum Bartholomæi Brecarum domini, postmodum Theobaldi, Blesensis comitis conjugem, aliæ fuerint S. Simonis sorores duæ; Elisabeth, quæ vulgo Rosa, et Atwis ad Kalam sanctimoniales; quæ et Roseto puellarum parthenoni initium dederint.

28 VII Adversus præmissa nonnullæ moventur difficultates ex Alberici Chronico.

capita ac tituli recensentur

VIII Origo et series illustris, familiæ, quæ de S. Simonis nomine nuncupatur.

IX S. Simon corpus Rodulfi patris demortui transfert a Monte-desiderio, ubi per triennium jacuerat, illudque deponit in S. Arnulfi ecclesia Crespeiensi.

X Quis fuerit S. Arnulfus, Crespeiensis ecclesiæ, a S. Simone locupletatæ, patronus.

XI Simoni

A xi Simoni comiti uxor quæritur, Hildeberti Marchiæ Arvernicæ comitis filia. Hæc ejus hortatu sit monialis in Casa Dei; unde videtur Lareynum translata prope castrum Divionem.

xii Quænam fuerit Simonis comitis cum Mathilde Anglorum regina consanguinitas.

xiii Quo tempore S. Simon, et sub quo abbate factus sit ad S. Augendum monachus, et quos habuerit sancti sui propositi sectatores.

xiv Quo tempore S. Simon interfuerit translationi sacræ Sindonis Compendiensis in capsam auream, a Mathilde Anglorum regina oblatam.

xv Annus Roberti Guischardi, Sedi Apostolicæ per Simonem reconciliati. Hujus mansio Romana ad S. Theclam.

xvi De S. Simonis obitu in Kal. Oct. MLXXX, sepultura, mausoleo, epitaphio et reliquiarum translatione.

xvii Colliguntur, quæ S. Simonis Historiam spectant, capita Chronologica.

modusque, quo ex con-o.nnatæ, 29 *Inter jam enumerata Observationum capita, alia valde brevia sunt, quale est primum de Vitæ auctore, quod integrum descripsi num. 22; alia admodum prolixa, qualia sunt tertium et* B *quatuor sequentia; et in his quidem atque etiam aliis sæpe excurrit Chiffletius in res, ad Sanctum vix aut ne vix quidem pertinentes. Exemplo sit capat. 10, ubi inquirit in S. Arnulfum, Crispeiensis ecclesiæ patronum. Primum citat ac recitat Martyrologia, quæ ad* XX *Kalendas Augusti S. Arnulfum agnoscunt episcopum Turonensem et martyrem; dein adducit aliorum auctorum Opera, in quibus vel episcopus vel martyr non dicitur. Tum incipiens a patria S. Arnulfi, a nominibus parentum, a Baptismo eidem per S. Remigium collata, percurrit singula fere capita Vitæ ipsius usque ad beatum obitum; memorat reliquiarum translationem, miraturque demum S. Gregorii Turonensis de Arnulfo silentium: quæ omnia, etiamsi in Opere nostro ad diem* XVIII *Julii fuse tradita et operose discussa non fuissent, nemo huc transferri merito postularet.*

et hic adhibendæ sunt. exponuntur. 30 *Quemadmodum autem hæc et similia, ad præsens propositum non conducentia, Observationibus innexuit; ita plura non attigit, quæ pro instituto nostro examinare consuevimus. Exempla per decursum se sponte offerent; unum et alterum jam habes in ante disputatis de cultu, quem Si-* C *moni asserunt nonnulli in Viromanduensi abbatia, et de titulo Sancti ipsi potius tribuendo, quam Beati, de quibus verbum nullum fecit Chiffletius. Præterea probationes suas seu instrumenta et veterum testimonia non iis locis produxit, quibus de re disserebat, ad cujus confirmationem utilia vel necessaria erant, ut nos solemus in Commentariis nostris præviis; sed ea rejecit ad calcem Operis sui, omnia conjunctim exhibenda, et alia quidem Latino, alia gallico idiomate exarata. Hinc Lucubrationem ipsius vel integram, vel ea, qua ipse scripsit serie, excudendam non judicavi; ne scilicet ad singula pene capita Observationum novæ ac plerumque longiores observationes et elucidationes subjiciendæ essent. Nec tamen vel sic operam ac labores ejus infructuosos esse patiar. Instrumenta, nominatim ea, quæ apud alios excusa non sunt, producam, ubi locus exiget, tamquam ab ipso accepta; Observationes vero pro subjecta materia Commentario sub ipsius nomine, verbis propriis, alio charactere distinctis et sæpe copiosus, quam fieri solet, quando Opera, quibus utimur, alibi exstant impressa. Specimina jam dedi § præcedente num. 17 et 19; ubi quidquid habet Chiffletius Observationum cap. 16 de die obitus S. Simonis, de sepultura, mausoleo, epitaphio, cultu et reliquiis ad verbum descripsi, similiter in hoc § num. 22, ubi totum caput 1 retuli, nulla voce vel mutata vel omissa.* AUCTORI J. P.

§ IV. S. Simonis parentes, frater et sorores; patris illustre genus, potentia, majorum series, ditiones et dignitates.

Parentes ejus, De *parentibus Simonis ista notavit biographus:* Pater ejus Rodulfus, divitiis et viribus potentissimus, mater Adela vocabatur. *Guibertus abbas de Novigento, cujus verba superius recensui, solum patrem memorat* Radulphum comitem, *addens similiter nonnulla, quibus summam hujus potentiam et illustre genus commendat, nominatim Rodulfi conjugium cum relicta Henrici regis uxore, Philippi I regis matre. Albericus Trium Fontium monachus in Chronico ad annum* 1061 *utrumque parentem nominat et sororem unam:* E Reliquerat autem comes Rodulphus ex uxore sua, quæ dicta est Adela, filium bonæ indolis, nomine Simonem, et filiam nomine Alaidam. *Idem ad annum* 1066 *patrem vocat* comitem Rodulphum de Crespeio, vitricum regis Philippi. *Guillelmus Pictaviensis, auctor coævus in Gestis Guillelmi ducis Normannorum et regis Anglorum agens de comitiis Fiscamnensibus, similiter regis* vitricum *dixit, ejusque inter proceres Francos excellentiam non obscure insinuat:* Regis Francorum vitricus intererat huic curiæ Rodulphus præpotens comes, multaque nobilitas Franciæ. *Auctorem hunc hic pene ad verbum descripsit Ordericus Vitalis in Historia ecclesiastica lib. 4, comitia ista referens ad annum* 1067. *Mitto alios, qui Rodulfum Philippi regis consanguineum scripserunt, quoniam de iis infra recurret sermo.*

frater ac sororis ex vetustis chartis 32 *Plenius Simonis parentes atque horum prolem edocemur ex Chartis, quas Chiffletius Observationibus suis, ut dictorum suorum argumenta et testimonia, subjunxit. Eas inter ex autographo S. Remigii Remensis producit* Scriptum Rodulfi comitis de rebus, quas dedit sancto Remigio pro anima Walteri filii sui, *in quo sic loquitur:* Notum sit universis Catholicæ matris Ecclesiæ filiis F tam præsentis temporis quam futuri, quod ego Rodulfus comes de Crispeio filium habui Walterum nomine, quem maximo semper amore dilexi etc. *Dein relata dicti filii cæde, et sepultura in S. Remigii abbatia, bona ac privilegia recenset, quæ eidem abbatiæ attribuit pro ipsius animæ salute, additque:* Hoc autem totum, sicut supra dictum est, ita statuo et confirmo et laudare facio Symonem filium meum, duos quoque generos meos, quos de filiabus meis habeo; id est Heribertum comitem, et juvenem nobilissimum Bartholomeum. *Alteram chartam profert Chiffletius ex tabulario Molismensi, in qua* Simon *instituit anniversarium diem parentum suorum,* Rodulfi videlicet comitis et Walterii fratris sui et matris suæ Adelæ, nec non et ipsius domni Symonis postquam obitus ejus evenerit. *Uberiori usui nobis erunt laudatæ chartæ, dum ad tempus, quo scriptæ sunt, pervenerimus.*

denotantur. Patris illustre stemma 33 *Allata hactenus dubium non relinquunt, quin Simoni pater fuerit* Rodulfus (*aliis* Rodulphus *et* Radulfus) *comes Crispeiensis; mater* Adela,

AUCTORE A. P.

Adela, *frater* Walterus *seu* Walterius *et sorores saltem duæ, de quarum nominibus, conjugiis ac progenie Chiffletium, quantum hic sufficiet, disputantem postea audiemus. Ordo exigit, ut quæ de parentum stirpe tradidit præmittamus. Caput secundum Observationum, ita orditur :* Rodulfo, S. Simonis genitori, Vilcassino, Crespeiensi et Barrensi ad Albam comiti, pater fuit Rodulfus senior, avus Walterius eo nomine secundus, proavus Walterius I, abavus Gualerannus; abavia Heldegardis, quæ per matrem Adelam, avum Herbertum Viromandiæ, comitem, proavum alium Herbertum, abavum Bernardum Italiæ regem, atavum Pippinum Gibbosum Italiæ quoque regem et Karoli Magni filium, tritavum habuit ipsum Karolum magnum. Verum quo ordine quibusque causis tres illi comitatus Rodulfo obvenerint, accurate persecutus est nominatissimus genealogus dominus du Bouchet in Dissertatione historica de comitibus Vilcassinis, quam Gallice a se conscriptam, et ad me transmissam Probationibus illigavi. Ex ea intelliges, fuisse Vilcassinos comites regalis monasterii Dionysiani advocatos et Oriflammæ vexilliferos : at-
B que in eo munere, sicut et in comitatus Vilcassini possessione, ipsos reges Francorum habuisse successores.

ac series majorum genealogica exhibetur,

34 *Prolixa est laudata Boucheti Dissertatio, excurritque in comitum Vilcassinorum et aliorum principum gesta* (*connubia scilicet, dissidia, bella etc.*) *quæ diu ante Sanctum nostrum contigerunt ac tam parum cum ejus Actis connexa sunt, ut etiamsi latino idiomate exarata foret, operæ pretium non judicarem totam Commentario huic illigare. Quapropter ea tantum inde decerpam, ex quibus intelligantur, quæ promittit Chiffletius Præludium tale est :* Vilcassini comites, sancti Simonis decessores, eodem ex fonte videntur originem ducere, ex quo regia familia, per Childebrandum ducem, Caroli Martelli fratrem. *Deinde producitur dicti Childebrandi posteritas usque ad Waleramnum seu Gualeramnum comitem Vilcassinum, qui post medium sæculum decimum Ambianensem etiam comitatum consecutus est. Huic successit filius Walterius eo nomine primus, comes Vilcassinus, Ambianensis et Mellentinus, Oriflammæ Francorum vexillifer, qui ex Eva conjuge, comitis Drocensis filia, progenuit Walterium II,*
C *Guidonem episcopum Suessionensem, Godefridum ac Rodulfum; qui postremi duo absque liberis videntur obiisse.*

cum ditionibus ac dignitatibus.

35 *Walterius secundus, cognomento* Albus, *comes Vilcassinus, Ambianensis et Mellentinus, Vadensem seu Crispeiensem comitatum obtinuit per uxorem Adelam, filiam unicam Bernardi comitis Silvanectensis, sororem Heriberti sine prole mortui. Hic pauca, quæ de gestis Walterii Albi interserit Bouchetus, pro commodiori sequentium notitia latine verto :* Helgaudus in Vita Roberti regis notat, quod, regnante hoc monarcha, Walterius extrui jusserit castrum Crispeiense sub annum 1498. Aliquanto post idem ac uxor ipsius in novi istius castri ambitu erexerunt abbatiam in honorem S. Arnulfi martyris, archiepiscopi Turonensis. *Adilo et Helgaudi verba apud Chesnium tom. VI Scriptorum Hist. Franc. pag.* 74 : Castrum, Crispiacus dictum, a Waltero potenti nobiliter constructum Suessionico in territorio, abbatiam sancti Arnulfi a se factam nobilis nobilem et per sæcula reddidit illustrem. *Pergit alia eodem spectantia referre Bouchetus, sed quæ, ne eadem repetam, si verba ipsius latina facio, ex latino instrumento, unde ipse didicit,* D
desumo.

quæ præter Crispeiensem comitatum

36 *Exstat illud tom. X Galliæ Christianæ auctæ inter Instrumenta ecclesiæ Silvanectensis col.* 423, *estque publicum testimonium, quo Clarembaldus Silvanectensis episcopus cum multis subscriptis abbatibus, Prioribus, clericis ac laicis anno* 1117 *probat et laudat sententiam latam pro monachis S. Arnulfi adversus Ingelrannum militem, qui Burgum aliquod in suburbio Crispeiensi sui juris esse contendebat. Monachi itaque in dicto testimonio parti adversæ sic respondentes inducuntur :* Si parentes vestri aliquid in burgo illo tenuerunt, violentia fuit. Walterus namque comes Ambianensis simul et Crespeiensis, cum uxore sua Adela nobilissima, inter multa alia illud beato Arnulfo olim dederunt, et assensu regis Francorum Roberti idipsum confirmari fecerunt : hoc autem Arnulfus archiepiscopus Remensis, Robertus archiepiscopus Rotomagensis, Leotherius archiepiscopus Senonensis, et alii quamplures episcopi sub anathemate confirmarunt. Postmodum vero Johannes Papa (qui sedit ab anno 1024 ad 1033) auctoritate privilegii sui illud idem corroboravit; insuper et D. Papa Paschalis præteritis E
annis apud Latiniacum super Marnam privilegii sui præcepto sancivit. *Inde liquet, non tantum quod Walterius et Adela fundatum a se S. Arnulfi monasterium multis bonis auxerint; verum etiam, quod idem Walterius, cui, ut dictum est, Adela dotem attulerat Vadensem comitatum, reliquis titulis suis adjecerit titulum* Crispeiensis comitis. *Est autem* Crispeium, *al.* Crespeium, Crepiacum *et* Crispiacus, *vulgo* Crespi *seu* Crêpy en Valois, *oppidum Vadensis pagi caput. Vadensis vero pagus, al.* Valesium *aut* Valesius pagus, *incolis* le Valois, *tractus est in Insula Franciæ, prius comitatus dein ducatus titulo insignitus. Ejus vero comites, ut recte observat Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum,* nunc comites Vadenses a pago, nunc comites Crispiacenses vel Crispeienses a pagi capite appellati sunt. *Nunc seriem genealogicam resumamus.*

ad ipsum

37 *Walterius II cognomento* Albus, *referente Boucheto, filios reliquit Drogonem, Falconem, Guidonem, et Rodulfum; filias duas, Adelam, cui nubenti Mellentinus comitatus dos assignata est, et alteram, cujus nomen ignoratur. Drogoni hujus nominis primo, filio natu majori transmisit* F
Walterius comitatus Vilcassinum et Ambianensem; Fulco factus est Ambianensis episcopus, et post ipsum etiam Guido, quem tamen in Catalogis non reperio; Rodulfus vero maternam hereditatem obtinuit, puta comitatum Vadensem seu Crispeiensem, inde dictus Rodulfus I comes Crispeiensis. *Hic successorem habuit filium natu majorem Rodulfum II,* S. Simonis *patrem, ad quem Rodulfum II, mortuo sine liberis Walterio III, cognato suo, Drogonis I Vilcassini et Ambianensis comitis filio, devoluti deinde sunt comitatus Vilcassinus et Ambianensis cum dignitate Vexilliferi Oriflammæ Francorum. Quo pacto autem ad Barrensem comitatum pervenerit, videtur, dum de materna* S. Simonis *stirpe tractabimus.*

pervenerunt

38 *Adrianus de la Morliere, canonicus ecclesiæ cathedralis Ambianensis, sæculo proxime elapso gallice typis vulgavit Antiquitates Ambianenses, iisque pag.* 65 *et seq. editionis tertiæ anni* 1642 *inseruit tabulam genealogicam comitum Ambianensium, in qua similiter Waleranus comes Vilcassinus dicitur sæculo* 10 *Ambianensem comitatum obtinuisse et ad posteros suos transmisisse eodem*

A dem ordine usque ad Rodulphum II, quo in jam exposita Boucheliana genealogia. Differt tamen in paucis adjunctis; ac primo quidem in Adela uxore Walterii Albi, quæ apud Bouchetum supra num. 35 dicitur filia Bernardi comitis Silvanectensis, Heriberti sine prole mortui soror, et quam de la Morliere facit filiam Heriberti comitis Silvanectensis, geniti ex natu minore filio domus Viromanduensis (d'un puisné de Vermandois) herede comitatus Crispeiensis seu Vadensis. Differt secundo Morleriana tabula in liberis ejusdem Walterii Albi, cui tres dumtaxat filios attribuit, Drogonem, Rodulfum et Fulconem, atque unicam filiam anonymam, Mellentinam comitissam; Bouchetus vero filios quatuor enumerat, et filias duas, uti dictum est num. præcedente.

Additur quorumdam locorum

39 Uter rectius signaverit, nec vacat, nec operæ pretium est inquirere, cum utrobique eadem maneat recta linea stirpis paternæ S. Simonis. Gravius deinde discrimen occurret, idque suo loco in Morleriana tabula corrigendum. Juverit hic, sicut supra Crispeiensis seu Vadensis comitatus, ita aliorum locorum, quorum jam mentio facta est et fiet deinceps, brevem notitiam exhibere. Silvanectensis B comitatus (le comte de Senlis) sic describitur apud Baudrandum : Tractus Galliæ in provincia Insulæ Franciæ... inter Franciam propriam et Valesiam tractum, et fluvios Oesiam et Axonam, cujus urbes sunt Silvanectum et Compendium. Viromanduensis seu Veromanduensis ager (le Vermandois) ita : Tractus Galliæ in Picardia provincia, comitatus antiqui titulo insignitus, inter Teorasciam ad Ortum, Sanguitersam ad Occasum, Cameracensem tractum ad Septentrionem et provinciam Insulæ Franciæ ad meridiem. De Ambianensi agro ista tradit idem Baudrandus : Tractus est Galliæ in Picardia provincia, ubi alias Ambiani populi, inter Artesiam ad Boream, Sanguitersam tractum ad Ortum, Bellovacensem ad Austrum, et Ponticum comitatum ad Occasum, sic dicitur ab Ambiano ejus urbe primaria. Pagus autem Vilcassinus (le Vexin) aliis Vulcassinus et Vexinum in partes duas dividebatur Orientalem seu Gallicam et Occidentalem seu Normannicam. Gallica pars, sive Vexinum Gallicam (le Vexin François) de quo hic agitur, tractus est Galliæ in provincia Insulæ Franciæ inter Oesiam et Eptam fluvios, cujus caput est Pontisara : ut habet idem C geographus.

descriptio, et dignitatis, qua ornati fuerunt,

40 Sed notandum præterea, quod ad eumdem tractum Gallicum spectent oppida, comitatus titulo illustria, Mellentum (Meulan) et Calvus Mons seu Calvomontium (Chaumont) atque inde factum sit, ut majores S. Simonis nonnumquam vocati sint comites Vilcassini, Pontisaræ, Mellentini, Calvimontenses, seu Calvi-Montis. Dicti sunt etiam aliquando comites Medantæ (de Mante) cujus oppidi, in Insula Franciæ et in ipso Vilcassini comitatus limite siti, dominium habebant. Quod autem ait Chiffletius, fuisse Vilcassinos comites Auristammæ vexilliferos, non unus, ad quem remittimur, id docet Bouchetus, sed et Sammarthani fratres, Doubletus, Cangius, aliique passim omnes affirmant, qui de Auriflammæ usu ejusve vexilliferis meminerunt. Auriflamma, inquit Cangius in Glossario, vexillum fuit proprium monasterii sancti Dionysii in Francia, quod monachi in bellis, quæ pro bonorum aut privilegiorum tuitione suscipere cogebantur, suo deferendum advocato porrigebant, qui illud ex abbatis manibus, certis precibus ad id ab eo recitatis, ex Sancti monumento, cui appensum erat, acceptum, in præliis tamquam ecclesiæ et monasterii signifer præferebat. Hic enim primus fuit Auriflammæ usus

auctore J. P. gestandæ Francorum auriflammæ

41 Post hæc disserit de ejus materia, colore, forma et appellatione, atque ita prosequitur : Eo igitur nomine Vilcassini seu Pontesiæ comites, qui Sandionysiani monasterii protectores et advocati erant, forte quod plurima ex illius bonis intra eorum ditionem sita essent, Auriflammam, quæ præcipuum fuit ejusdem monasterii vexillum, detulere in expeditionibus bellicis, quas susciperent pro eorum tutatione : quæ est viri doctissimi Andreæ Duchesnii sententia in Hist. Bethuniensi lib. 1, cap. 3. Doubletus in Historia abbatiæ S. Dionysii pag. 301, Sammarthani fratres tom. I Historiæ Genealogicæ Domus Franciæ pag. 62 et alii existimant, jus et privilegium Auriflammæ gestandæ fuisse comitibus Vilcassinis, tamquam primariis S. Dionysii clientibus, quod etiam innuit instrumentum mox citandum. Porro usus sumendæ Auriflammæ in ecclesia S. Dionysii, ac deferendæ in exercitibus, primum restrictus, uti indicat Cangius, ad bella pro tuitione bonorum monasterii, postea extensus fuit ad prælia et majoris momenti expeditiones, quas Francorum reges suscipiebant adversus inimicos, ut liquet ex variis exemplis apud E Doubletum pag. 302, et apud Cangium Dissertatione 18 in Historiam S. Ludovici pag. 249, ubi de Auriflamma fuse disputat.

notitia.

42 Unum ea inter affertur anni 1124, quo Ludovicus VI Francorum rex, bellaturus contra Henricum V imperatorem, qua comes Vilcassinus, in ecclesia S. Dionysii Auriflammam accepit. Instrumentum hac super re confectum exstat apud Doubletum pag. 853 et seq., et omnino confirmat, quæ de jure ac privilegio Vilcassinorum comitum dicta sunt. In eo quippe laudatus Ludovicus rex, cujus pater Philippus I post obitum S. Simonis comitatum illum regno annexuerat, sic loquitur : Præsenti itaque venerabili abbate præfatæ ecclesiæ Suggerio, quem fidelem et familiarem in consiliis nostris habebamus, in præsentia optimatum nostrorum vexillum de altario beatorum (Dionysii et sociorum) ad quod comitatus Vilcassini, quem nos ab ipsis in feodum habemus, spectare dinoscitur, morem antiquum antecessorum nostrorum servantes et imitantes, signiferi jure, sicut comites Vilcassini soliti erant, suscepimus. Hæc paulo latius pertractanda censui, quia, cum S. Simon, defuncto patre Rodulfo, Vilcassinum et reliquos comitatus tenuerit, dubium esse nequit, quin et Auriflammæ gestandæ jus ac privilegium ad ipsum pertineret. Quanta autem hæc esset dignitas, quantoque in pretio habita, inde intelligas, quod, postquam Vilcassinus comitatus ad Francorum reges pervenit, munus istud non committeretur cuilibet de grege viro nobili, sed ei, qui meritis, virtute, fortitudine ac prudentia bellica ceteros præteriret, quodque sæculo 15 Arnoldus dominus de Andrehan Gallicorum castrorum summus præfectus, vulgo Franciæ Marescallus, et propter merita ac virtutem regi gratissimus, præfecturam suam dimiserit, ut Auriflammam gestaret. Plura de his vide apud memoratos auctores.

§ V.

AUCTORE J. P.

§ V. Præclara stirps matris S. Simonis; nuptiæ ipsius cum Rodulfo Crispeiensi comite; repudii a nonnullis asserti evidens refutatio.

Sancti mater, cujus majores

E*xpositis titulis ac dignitatibus generis paterni, ad qualemcumque maternæ stirpis notitiam genealogicam cum Chiffletio procedimus. Verbis num.* 33 *recitatis mox addit Chiffletius :* Rodulpho (Simonis *genitori*) tres fuere ex ordine uxores. Prima Adela, Nocheri Barrensis ad Albam comitis filia, Nocheri comitis Suessionum neptis, Achardi pronepti, quem genere Normannum et Firmitatis ad Albam conditurem facit Charta vetus ἀνεπίγραφα, quam ex contentis *Dominorum Firmitatis*, sive *Cellæ Firmitatis Advocatorum notitiam* inscribere licet. Ea Charta quatuor Adelæ seu sponsos, seu viros commemorat; Rainaldum de Sinemuro; Rainardum comitem de Jooniaco; B Rotgerium de Wangionis ripa, et Rodulfum, quem Calvimontis Vallis Cassini comitem appellat. Huic tantum postremo Adela liberos genuit, Walterium et *Simonem* filios, totidemque filias, Adalam Veromandensem comitissam, et Alaydem sive Adelaidem, Bartholomæo Brecarum domino matrimonio junctam, de quibus cap. 4 et 5 pluribus.

assignantur

44 *Nihil præter ista de matris familia, ejusdemve quatuor seu sponsis seu maritis, tradit Chiffletius; haud dubie, quia sicut pauca, quæ dederat de paterna* Simonis *stirpe plenius intellecta voluit ex Gallica Boucheti Dissertatione, ita quæ hic de materna perstrinxit, distincte satis coguoscenda putavit tum ex eodem Boucheto, tum ex ea, quam laudat, Charta, similiter ad probationes suas destinata. Et sane utrobique prolixius de iis agitur; at etiam hic repetitionis evitandæ causa, solam Chartam, quæ latine exarata est, et, ui fallor, Boucheto præluxit, transcribam. Titulus is illi præfixus est :* Genealogia materna S. Simonis comitis, *et adscripta hæc Chiffletii admonitio :* Ex Charta de Advocatis Cellæ Firmitatis ad Albam, seu Notitia ejus loci dominorum, quam descripsi- C mus ex veteri codice ms. S. Eugendi Jurensis. *Tum sequitur ipsa Charta seu Notitia :* Conditor Firmitatis vocatus est Achardus, et uxor ejus Achardia : fueruntque Normanni. Ex his Nocherius comes Suessionem egressus traditur : de quo alius Nocherius, Wido quoque clericus frater ejus sunt orti. Hic secundus Nocherius duas filias habuit, Comitissam scilicet (quæ et Adelhida) et Isabel. Sed Isabel Galterius de Clamice uxorem duxit et medietatem totius honoris possedit : habuitque ex ea filium, Rodulfum nomine, qui apud Firmitatem jam juvenis strangulatus fuisse traditur.

et conjugium cum Rodulfo

45 Comitissa vero, quæ major natu erat, quatuor viros habuit; Rainaldum de Sinemuro, qui mortuus nullos ex ea liberos tulit. Post hæc Rodulfus, comes Calvimontis Vallis Cassini, dum Romam pergeret, secus castellum Barri, quod tunc in monte situm erat, transitum faciens, dum, cujus esset castrum illud, sciscitaretur, dictum est ei, et hoc et alia quædam regionis ejusdem castella cujusdam puellæ esse, quæ utroque parente jam dudum orbata, virum etiam in adulescentia amisisset. Quod audiens comes, statim ad eam D divertit : quæ cum ei placuisset, fide data vel accepta, uxorem eam se ducere in reditu promisit. Quod cum primoribus terræ illius displicuisset; timentes videlicet potentiam et tyrannidem ipsius, consilio inito, Rainardo comiti de Jooniaco tradere eam decreverunt : sicque factum est. Quod cum Rudulphus comes Roma rediens, didicisset, armis ultum iri injuriam parat.

exponitur,

46 Nam cum valida pugnatorum manu a Francia veniens, Jouniacum castellum cepit et diruit; inventamque ibi puellam, sponsam videlicet suam, secum reduxit. Et cum eam interim in castello Firmitatis custodiendam dimisisset, volens scilicet cognoscere, utrum a Rainardo comite impræguata fuisset; iterum illi, qui prius, homines videlicet sui, Rotgerio de Wangionis ripa puellam tradiderunt. Quod cum comiti denuo nunciatum fuisset, reversus cum suis, terram illius omnino depopulatus est, incendio cuncta tradens, rapinisque et cædibus universa consumens, donec sua sibi puella redderetur. At tunc demum celebratis nuptiis, eam sibi in matrimonio copulavit : et ex ea duos filios Galterium et *Symonem*, et unam filiam, id est, Aaliz genuit, quam Bartolomeus, juvenis de Breias uxorem duxit, E et ex ea Hugonem Bardul genuit. *Pauca, quæ restant, non describo, quia nihil ad rem nostram continent.*

domina fuit et comitissa

47 *Ex ista Charta satis intelligimus, quomodo Barrensis comitatus, exstincta majorum suarum stirpe masculina, dominium adepta sit mater* Simonis *et post illius ac patris Rodulfi obitum ipsemet* Simon : *at quæri potest, qua de causa Nocherius seu Nocherus, Achardi filius et* Simonis *proavus, vocitetur ibidem* comes Suessionum, *non item Nocherius II, illius filius et heres, vel alius ex posteris. Rationem colligendam præbet Bouchetus in Dissertatione his verbis ex gallico latine redditis :* Nocherius I hujus nominis (*Achardi nempe filius*) comes Barensis ab Albam anno 992 uxorem duxit Alaidem (*Alix*) comitissam Suessionensem, filiam comitis Gilberti, viduam Guidonis Viromanduensem, et matrem Rainaudi comitis Suessionensis, anno 1057 defuncti.... Ex conjugio Nocherii et Alaidis nati sunt Nocherius II, comes Barensis, et Wido seu Guido clericus. *De comitibus Suessionensibus agunt Chesnius in Historia familiæ Castellionææ pag.* 150 *et seqq.; Sammarthani tom. I Historiæ genealogicæ domus Franciæ pag.* 376 *et fuse Claudius Dormay lib.* 5 *Historiæ* F *Suessionensis, statuuntque omnes Guidonem Suessionum comitem sub regibus Lothario et Hugone Capeto, id est, senescente sæculo* 10, *ac Guidoni filium et successorem assignant Rainaudum, anno* 1057 *vita functum : sed de uxore Guidonis et Rainaudi matre aut de hujus secundis nuptiis cum Nocherio Barensi, nil nos docent. An ea ex vetustis monumentis eruerit Bouchetus incompertum mihi est. Sed ex modo, quo rem disponit, omnino sequitur, non alia ex capite Nocherium I dictum fuisse Suessionum comitem, quam quia comitis Suessionensis viduam duxerat, et comitatum istum, forte quod privignus Rainaudus minorennis esset, aliquamdiu gubernarit : atque sic declaratur, cur Nocherii successores tantum Barrenses, non autem Suessionenses comites appellari potuerint.*

Bari ad Albam, nomine Adela,

48 *Barum autem, seu Barium triplex est in Galliæ provinciis; Barum Ducis* (Bar-le-Duc) *civitas præcipua Barensis ducatus in confinio Lotharingiæ et Campaniæ; Barum ad Sequanam* (Bar-sur-Seine) *oppidum et comitatus in Burgundiæ*

ducatu

ducatu; et Barum ad Albam (*Bar-sur-Aube*) *oppidum cum comitatu in Campania provincia*, sic dictum, *inquit Baudrandus*, quia ad Albulam, (*al.* Albam) fluvium sedet ad radices collis in tractu peramœno et in Bassiniaco tractu, *sed quod olim juxta mox allatum Chartam castrum erat in monte situm. Quarto inde circiter milliario distat Firmitas, etiam ut distinguatur a pluribus ejusdem appellationis seu oppidis seu castris,* ad Albam *cognominata* (*la Ferté sur Aube*) *oppidum ab Achardo constructum in Campania ad memoratum fluvium. Barensem itaque comitatum tertio loco nominatum, Rodulfo Crispeiensi, (qui cur in Charta* Calvimontis comes *vocetur, jam præmonuimus*) *dotem attulit Nocherii Barrensis filia, quam Charta eadem* Comitissam *appellat et* Adelhidam : Comitissam *verosimillime, quia, cum defectu prolis masculinæ ad ipsam devolvi deberet comitatus, ita a suis communius nominabatur, quamvis in Baptismo ei inditum esset nomen* Adelhidæ *seu* Adelæ, *quod idem est, quodque ea ætate in familiis præsertim illostrioribus erat frequentissimum, sed diversimode efferebatur ac scribebatur.*

quod diversimode effertur. Incertum, quo anno nupserit,

49 *Secundum Valesium in Notitia Galliarum ad vocem* Firmitas *unum idemque nomen sunt* Adela, Adala, Adelhaidis, Adelais. *In Dictionario Trevoltiano ad nomen* Adelaide, *adduntur* Adelheis *et* Adelis; *ad nomen autem* Alizon *ex scriptoribus Latino-barbaris* Aleydis, Alays, Aëlis, Aleta; *plura dat Simon de Peyronet in Notis ad Catalogum Sanctorum pag.* 454 *et seq., observatque, nomina ista Latina, quocumque modo scripta, gallice exprimi passim per vocem* Alix. *Ista annotavi, ne hæreat lector, sicubi Adelæ* S. Simonis *matris nomen aliter expressum reperiat, sicut mox contigit in Charta. Annum initi Adelam inter et Rodulfum matrimonii, a nemine quem novi hactenus definitum, nec facile, opinor, definiendum, late statuit Bouchetus in Dissertatione Gallica, inquiens :* Rodulfus II ejus nominis comes Crispeiensis, Vileassinus, Ambianensis, Bari ad Albam et Montis-Desiderii, S. Dionysii signifer, vir fuit inter regni potentia et opibus illustrissimus; ante annum 1040 uxorem duxit Adelam, Bari ad Albam comitissam. *Argumentum non profert. Serius tamen figi non posse conjugium, suadet ætas Hugonis Bardul seu Bardol, eorum ex filia nepotis, qui, teste Alberico, Rodolfi avi, juxta Bouchetum anno* 1074, *juxta Chiffletium biennio citius defuncti, bona aliquot invasit, cum injuria* Simonis *avunculi, heredis legitimi, ut suo loco referemus.*

et Simonem filium natu minorem, genuerit

50 *Pro anno natali* S. Simonis *figendo nihil similiter documentorum succurrit. Minorem natu fuisse fratre suo Waltero, certum nobis est ex recitandis instrumentis, in quibus amborum fit mentio. Illic enim sive nominentur sive subscribant, semper præit Walterus. De sororibus æque certum videtur, quandoquidem ambæ jam nuptui traditæ essent circa annum* 1065, *circa quem Walterus occisus est, et Rodulfus pater pro hujus sepultura et animæ requie bonis ac privilegiis auxit abbatiam S. Remigii Remensem. Verba instrumenti, unde id constet, dedi num.* 32. *Adde ex ante dictis, quod earum una, dum Rodulfus pater vivere desiit, filium haberet Hugonem Bardul, ad id ætatis provectum, ut si fides Alberico, moveret arma adversus* Simonem, *teste biographo, etiam tunc juvenem. Verba accipe :* Parentu vero utroque orbatum (Simonem) rex Francorum Philippus, malignitatis spiritu permotus, quæ jure successerat, hujus hereditatem surripere gestiens, utpote juvenem solum sine consilio, absque parentum adjutorio leviter expugnare existimans. *Guibertus de Novigento* Simonem *vocat* juvenculum, cum mortem pater obiisset.

[illegible]

in Crispeiensi forte castello. Mortua erat

51 *De loco natali ista notat Chiffletius :* Natus autem creditur S. Simon in comitum Crespeiensium castro veteri, cujus in fundo nostris temporibus domus exstructa est Ursulinis monialibus, uti certis illarum ad me datis litteris mihi compertum est. *Crispeium fuisse castrum, sede suorum comitum insigne, scribit etiam Valesius in Notitia Galliarum, ex quo unico fundamento, opinor, creditum est, ibidem natum esse* S. Simonem; *aliud equidem nusquam deprehendi. Porro secundum ea, quæ de tempore et ordine nativitatis ejus protulimus, quæque nunc explorata sunt de obitu matris, hanc amisit valde juvenis, verisimilius adhuc puer aut infans. Nam* vivere jam desierat Adela (*Chiffletium describo*) cum an. 1053 Rodulfus maritus ei superstes altare de Bonol ecclesiæ S. Arnulfi Crespeiacensis concessit, annuente Heddone episcopo Suessionensi, anno primo sui episcopatus : notaturque Adelæ obitus in Necrologio S. Eugendi Jurensis 4 Idus Septembris, sive 3, ut habet aliud exemplar, et sic etiam legitur in tabulis Molismensibus.

anno 1053, uti probatur,

52 *Asserta de obitu Adelæ probantur ex veteribus Chartis, quas allegat Acherius in Notis ad Opera Guiberti, et quarum Summarium exhibet, ut sequitur :* Rodulfus comes Crespeiacensis plurima quondam in beneficio tenebat altaria ab episcopo Suessionensi : sed post mortem Adelæ, uxoris suæ, ab Heddone Suessionensi episcopo obtinet, ut altare de Bonol (*Bonoeil*) quod in beneficio tenebat ad personam, perpetualiter et cum integritate teneat ecclesia S. Arnulphi *etc.*

Dein alio charactere, forte quia ipsemet sunt instrumenti verba, subjicitur : Actum Suessioni ann. Incarnat. 1053, Henrici regis 19 et primo Heddonis episcopi. *Verisimillime altare illud, per quod hic ecclesia memorati loci seu potius ecclesiæ obventiones aut reditus designantur, concesserit Rodulfus S. Arnulfi monasterio, ut monachi Deum exorarent pro animæ requie uxoris, in eadem S. Arnulfi ecclesia sepultæ.*

non fuisse ipsam, ut aliqui tradunt,

53 *His aliisque Chartis destituti Chesnius in Historia Familiæ Castellioneæ pag.* 657 *et seq., Sammarthani fratres tom. I Historiæ Domus Franciæ pag.* 456 *et Adrianus de la Morliere in laudatis Antiquitatibus Ambianensibus, in gravem errorem prolapsi sunt. Duas dumtaxat Rodulfo uxores attribuunt : primam* Alienor *appellant, ex eaque una liberos ipsum progenuisse, aiunt. Secundam statuunt Annam reginam, et hanc ut duceret, sicut disertis verbis addunt Chesnius ac Sammarthani, Rodulfus primam illam, puta* S. Simonis *matrem repudiavit. Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam* Simonis *eorum sententiam (excipe, quod dimissam Rodulfi conjugem* Adelam *vocet) adoptavit et amplius declaravit. Refert primum verba Guiberti de Novigento, ubi Rodulfi potentia commendatur potissimum a matrimonio cum regina, atque ista subjungit :* Ex his Guiberti verbis discimus, Radulfum, beati Simonis patrem, hunc esse Radulfum, alterius Radulfi filium, comitem Crespeiensem et Vadiensem seu Valesium, qui Adela comitis Barrensis filia, legitima uxore sua dimissa, Annam, Russiæ regis filiam, Henrici Francorum regis relictam, conjugio adulterino sibi copulavit.

a Rodulfo dimissam,

54 Quare Adela Romam petens, apud Alexandrum

AUCTORE I. C.

drum II summum Pontificem conquesta est, quod a viro omnibus spoliata, ac falso fornicationis crimine sibi impacto, expulsa fuisset : quam rem Gervasio Remorum archiepiscopo, atque Senonensi item archiepiscopo, eorumque suffraganeis discutiendam commisit Pontifex, scripta ea de re epistola, quæ est inter ejusdem Pontificis litteras vigesima-quarta apud Labbeum t. IX Concil. col. 1133. Quid vero ea de re judicaverint illi antistites, ex eorum epistolis non liquet. Gervasius tamen in epistola, quæ apud Chesnium Historiæ Francorum tomo IV imperfecta habetur pag. 207, Alexandro scribit, Franciæ regnum non mediocriter esse conturbatum, quod regina comiti Radulfo, qui Adelam propriam uxorem cum injuria dimiserat, nupserit. *Exstant memoratæ Alexandri Papæ et Gervasii archiepiscopi epistolæ assignatis locis, ex iisque dubium nullum relinquitur, quin Rodulfus, ut Annæ reginæ nuptiis potiretur, propriam uxorem,* crimine fornicationis fallaciter objecto, *sicut ipsa apud Pontificem Romæ conquesta est, dimiserit; sed ex iisdem epistolis nullo modo elicitur, quod nomen fuerit* B *dimissæ illi, quæ familia aut genus.*

sed alium, secundam ejus uxorem nomine Eleonoram.

55 *Non fuisse Adelam, Barensem comitissam, ac proin in hanc,* S. Simonis *matrem, cadere non debere suspicionem criminis seu vere seu falso impacti, inde liquet, quod Adela e vivis excessisset anno* 1053; *Henricus vero Francorum rex, eo nomine primus, obierit anno tantum* 1060, *ante quem certe moliri nuptias cum regina non potuit Rodulfus, et in hunc finem repudiare conjugem. Mitto, quod Alexander II ad S. Petri cathedram evectus anno* 1061, *in sua epistola de Rodulfi nuptiis cum regina non loquatur, ut jam tum contractis, sed tantum contrahendis. Bouchetus in Dissertatione Gallica Ms., affirmat, dimissam illam fuisse Eleonoram, filiam unicam et heredem Manassis, Montis-Desiderii comitis, quam duxerat Rodulfus anno* 1054, *proxime secuto obitum Adelæ Barensis. Eamdem adducit Chiffletius in Observationibus, sic scribens :* Secunda comitis Rodulfi uxor fuit Eleonora, sive Alienordis : sic enim nuncupant Duchesnius, Sammarthani et Hadrianus la Morliere, male licet illam cum Adela, prima Rodulfi conjuge confundentes. *His subjungit Eleonoræ repudiatæ historiam eodem pene modo, quo* C *supra Mabillonius et addit :* Fuit Eleonora filia hæres Manassis, comitis Montisdesiderii, cujus causa Radulfus, ei matrimonio junctus, comes de Monde-Desiderii nuncupatus legitur ab Orderico lib. 7 ad annum 1054 pag. 639 et rursus pag. 657, ut ex eruditi viri domini du Cange Commentario nondum edito de Comitibus Ambianensibus nobis prælibatum est.

Montis-Desiderii forte dominam.

56 *Ad manum non est laudatus Cangii Commentarius, ut discamus, an, quæ asseruntur hic de Eleonora Montis-Desiderii comitissa, secunda Rodulfi conjuge, documentis nitantur, an conjectura solum formata ex textibus Orderici Vitalis, Rodulfum Montis-Desiderii comitem nuncupantis. Montem-Desiderii,* indigenis Mondidier, *revera tenuit Rodulfus, sed, teste biographo nostro,* ejus possessori vi surreptum. *Verba accipe :* Patri (*Rodulfo Simon*) condolens jam defuncto (quippe quem, dum adhuc viveret,.... castellum quoddam, quod sibi sepulturæ locum præparaverat, ejus possessori vi surripuisse, et velut proprium detinuisse meminerat) Romanum Pontificem, quid super hoc acturus esset,... consuluit. Papa vero... ab eo, quem injuste abstulerat, loco penitus tollendum... mandare curavit. *Obtemperasse dicitur* Simon; *remotum inde fuisse corpus, translatumque ad Crispeiensem S. Arnulfi ecclesiam. Locum* D *autem primæ sepulturæ Rodulfi fuisse Montem-Desiderii, testatur* S. Simon *in Charta pro Crispeiensi ecclesia. Audiatur etiam ipsemet :* Ego Simon Dei Gratia comes.... Radulphum patrem meum de Montesiderio, jam per tres annos post sui dissolutionem corporis ibi jacentem, apportari feci, et ecclesiæ sancti Arnulphi, quæ.... in castello Crespeiaci... fundata est, in qua etiam ex aqua et Spiritu sancto renatus fuerat, reddidi; ibique... collocare feci. *Dubitare nefas sit, an idem* Simon, *cui debebat, Montem-Desiderii restituerit; sed an novercæ suæ, cui pater repudiatæ non reddiderat, ejusve heredibus, an alteri vero ejus domino, non satis probatum est.*

§ VI. Sancti educatio post obitum matris; Rodulfi patris cum secunda conjuge divortium : tertiæ nuptiæ cum regina vidua, affine sua; excommunicatio ejusdem, verisimiliter post aliquod tempus sublata.

E

Sanctus, matre mortua, educatur in aula ducis Normanniæ.

I*gnota nobis sunt* Simonis *gesta in pueritia et adolescentia; hoc unum scimus, quod educatus fuerit in aula Willelmi seu Guillelmi Conquestoris, tunc Normanniæ ducis, dein Angliæ regis. Id diserte affirmat biographus, non proprio quidem loco, sed ubi agit de oblata* Simoni *in conjugem ejusdem regis Willelmi filia, dicens :* Simoni... rex Angliæ potentissimus, Willelmus nomine, qui eum nutrierat, ad se veniendum sub velocitate mandavit. *Et paulo post regi offerenti filiam, dicenti-que,* fidem et dilectionem tuam ex longo expertus sum, et nutrimentum meum, *ita Simonem respondentem inducit :* Magnum et apertum est beneficium, quod pueritiæ meæ præstitisti *etc. Idem repetit auctor, ubi Simonis jam tum monachi in Normanniam excursum enarrat, ut sequitur :* Anglorum regem et reginam, qui eum nutrierant, visendi gratia Normanniam usque properavit. *Erat autem* Simonem *inter et reginam Mathildem, Balduini Insulensis comitis Flandriæ filiam, aliqua sanguinis conjunctio, postmodum latius explicanda, atque idcirco verisimillime hæc ipsius curam* F *suscepit, et ad aulam suam deduci voluit, simul ac puer matrem Adelam sub annum* 1053 *amiserat, vel pater Rodulfus anno sequenti ad secundas nuptias transierat.*

Rodulfus pater Annam Henrici regis

58 *Exploratum non est, quamdin* Simon *in dicta aula versatus sit, notabile tempus tamen insinuant verba Willelmi regis per biographum relata :* Fidem et dilectionem tuam ex longo expertus sum : *ut omnino verisimile sit, ipsum ibidem etiam tum degisse, quando Rodulfus pater repudiata, ut supra vidimus, secunda conjuge,* Simonis *noverca, tertiam duxit, de qua hæc colligit Chiffletius in Observationibus Mss. :* Fuit igitur tertia ejus conjux Anna, Jaroslai Russorum regis filia, Henrici I Francorum regis relicta : quam duxisse videtur anno 1061, expleto anno luctus reginæ viduæ. Propter has autem nuptias sacris interdictus est Rodulfus. Sic enim ait Clarius monachus in Chronico Senonensi

A nensi S. Potri Vivi : « Murtuo autem Hainrico « rege apud Vitriacum castrum in Brieria et « sepulto in basilica sancti Dionysii, Rodulfus « comes, consanguineus, ejusdem regis duxit uxo- « rem in conjugio contra jus et fas; unde fuit « excommunicatus. Balduinus vero comes Flan- « drensis regem parvulum Philippum aluit, et « Franciam gubernavit. » Duxerat videlicet Annam Rodulfus in gradu affinitatis lege ecclesiastica tunc prohibito. Nam, ut notum est, ante concilium Lateranense anno 1215 sub Innocentio III, vetita erant matrimonia intra septem gradus sive consanguinitatis, sive affinitatis : erat autem Rodulfus Henrici regis consanguineus in quinto gradu; adeoque Annæ reginæ in eodem gradu affinis, ut aparet in hoc schemate :

viduam, affinem suam,

59 Herbertus I Veromanduorum comes.

Beatrix, uxor Roberti I Francorum regis.	Adela, uxor Arnulfi comitis Flandrensis.
Hugo Magnus dux Francorum.	Edeltrudis comitissa Ambianensis, uxor Walterii I comitis Vilcassini.
Hugo Capetus rex Francorum.	Walterius II comes Vilcassinus.
Robertus II rex Francorum.	Rodulfus I comes Crespeiacensis.
Henricus I rex, cujus Anna uxor.	Rodulfus II comes Crespeiacensis, Annæ maritus.

B

Nihilominus Rodulfus comes anno 1067 interfuisse comitiis Fiscamnensibus legitur apud Guillelmum Pictavensem in Gestis ducis Normannorum et Anglorum regis Guillelmi. *Hic inserit verba Guillelmi Pictavensis et Orderici Vitalis, quibus Rodulfus vocatur* vitricus *Philippi regis, sed quæ dedimus supra num.* 31, *atque ita prosequitur :* Vixisse Rodulfum usque ad annum 1052, infra capite 9 ostendemus, sed de his nuptiis et de Anna regina nunc agendum pluribus.

dimissa secunda conjuge, uxorem ducit:

60 *Nos pluribus istis, utpote quæ cum Sancti nostri gestis minus connexa sunt, ac præterea hinc inde conjecturis tantum nixa, supersedebimus;* C *verumtamen ut aliqualem habeat lector historiæ seriem, pauca iis substituemus, quæ super ea materia notavit Bouchetus in Dissertatione Gallica aliquoties memorata.* Nescitur, *inquit,* quid de divortio Rodulfi ac conjugis ipsius decretum fuerit, vel quo ipsa devenerit; discimus tantum ex fragmento responsi, quod ad Pontificem misit archiepiscopus Remensis, quod injuste repudiata fuerit, quodque reginæ cum comite matrimonium maximas in regno turbas excitaret. Et vere Balduinus V, comes Flandriæ, regni administrator, metuens, ne, dum rex ætate minor erat, Rodulfus cogitaret de usurpanda auctoritate regia, arma capessivit, ipsique surripuit Vitriacum, quod ad ipsum pertinebat, et castrum erat insigne in confiniis Campaniæ.

hinc turbæ et excommunicatio ipsius:

61 *Fatendum est, nesciri absolute, quid de divortio statutum fuerit, præsertim, quia Clarius, non memorato divortio, videtur causam excommunicationis, in Rodulfum latæ, adscribere nuptiis contractis cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis. Non inficiabor etiam, Eleonoram injuste fuisse repudiatam; verum id equidem non disco ex epistola Gervasii archiepiscopi Remensis, cujus Fragmentum a Boncheto allegatum, hoc est :* Domino et Patri Alexandro sanctæ Apostolicæ Sedis Pontifici Gervasius, gratia Dei Remorum archiepiscopus, inter mundi hujus fluctus Ecclesiam Dei naviter gubernare, atque ad portum æternæ beatitudinis feliciter pervenire. Regnum nostrum non mediocriter conturbatum est. Regina enim nostra comiti Radulpho nupsit; quod factum rex noster quam maxime dolet, at custodes ipsius non æque graviter ferunt. Qua de causa me quoquo mœror non modicus affecit; quippe cum mihi hac vice complendi facultas non sit, quod ardenti desiderio proposueram. Proposueram enim Petri limina visitare, vestram diu exoptatam faciem videre, sermonem vestrum sanctum mellitumque ab ore præsentis accipere, utilitatibus sanctæ Sedis Apostolicæ aliquandiu pro viribus deservire. Quæ quidem si modo facere non licet (regni enim perturbatio, ut dixi, me retinet) ubi copia dabitur, tanto studiosius agam, quanto ea agere diutius desideravi. De uxore vero comitis Radulphi, quæ vestræ conquesta E est Paternitati, se a viro injuria esse dimissam, id vobis notum esse volumus... *Reliqua desunt tam in apographo nostro ms., quod inter probationes suas reposuerat Chiffletius, quam apud Chesnium tom. IV de Scriptoribus Historiæ Francorum pag.* 207.

Auctore J. S.

sed illa exstincta

62 *Ex allegato igitur epistolæ fragmento discimus quidem, Rodulfi uxorem conquestam esse Pontifici, se a viro injuria esse dimissam; non item querelas ejus veritate nixas fuisse et probatas : quidquid sit, non legitur usquam Rodulfus resumpsisse dimissam Eleonoram; contra auctor fragmenti Historiæ Francicæ, quod vulgavit Chesnius tom. IV Scriptorum, non obscure indicat, ipsum ad mortem usque adhæsisse Annæ reginæ, dicens pag.* 88 : Regina Anna Rodulfum comitem in conjugio accepit; quo mortuo, nativum repetiit solum. *Imo videntur, non ita dudum post Rodulfi cum Anna nuptias, res omnes satis pacifice fluxisse saltem in aula; quandoquidem Rodulfus deinde cum rege, proceres inter ac præsules honorifice comparuerit et actis subscripserit. Unum exemplum adduco anni* 1065, *quia inde simul edocemur, tunc saltem ex Normannia ad patrem reversum fuisse* Simonem *nostrum.*

et hæc, ut videtur.

63 *Instrumentum dat Mabillonius tom. IV Annalium Benedictinorum pag.* 755 *de comitiis* F *regni habitis Corbeiæ, desumptum ex archivo Corbeiensi atque ita habens :* Nomina episcoporum, regni primatum, virorumque nobilium, qui Corbeiæ adfuerunt, cum Philippus primus Francorum rex cœnobii Hasnoniensis antiquas immunitates et possessiones a Balduino, filio Balduini comitis Flandriæ, dicti loci reparatore, datas confirmavit, et jure fisci et caduci exemit, rogatu utriusque Balduini. *Subduntur mox subscriptiones eorum, qui interfuere, primum Gervasii, Remorum archiepiscopi et trium episcoporum Noviomensis, Ambianensis, Belvacensis, et abbatis Corbeiensis : tum triginta duorum regni primatum ac virorum nobilium, et proxime quidem subscriptionibus utriusque Balduini, subnectitur Rodulfi et amborum filiorum subscriptio hisce characteribus :* Sign. Radulfi comitis. Sign. Walteri filii ejus et Simonis fratris sui. *Denique subscribentium series*

AUCTORE J. P.

series clauditur hac nota temporis. Actum Corbeiæ in basilicâ beati Petri apostoli anno ab Incàrnatione Domini 1065, Indictione 3, epacta 11, regnante Philippo rege anno sexto, episcopante Lietberto Cameracensi anno 17.

brevi sublata est

64 *Subscriptiones eodem plane ordine ac numero, eademque cum clausula seu nota temporis dederat quoque Chesnius ex archivo abbatiæ S. Petri Hasnoniensis inter instrumenta ad Historiam domus Bethuniensis pag. 8 et seq.; at postmodum Dionysius Sammarthanus tom. III Galliæ Christianæ auctæ excudit integra comitiorum Acta: puta Chartas Balduini comitis Flandriæ, et Philippi regis de instauratione cœnobii Hasnoniensis ex ipsomet autographo. Utraque autem Charta subnexas habet cum clausula subscriptiones easdem, uti videre est laudato tomo inter instrumenta col. 84 et seq. Liceat interim hic observare, ex Actis istis comitiorum fundamentum exsurgere, meo judicio non contemnendum, ut arbitremur, non tantum turbas, quas in regno et aula ante excitaverant nuptiæ Rodulfi cum regina, fuisse compositas, vel sopitas, uti insinuabam, verum etiam id temporis Rodulfum absolutum fuisse ab excommunicatione, seu mors Eleonoræ, forte secuta non diu post delatas* B *ad Pontificem querelas, seu alia causa interveniens rem faciliorem fecerit. Mihi quidem satis persuadere nequeo, Gervasium archiepiscopum, cui judicium super divortio commissum fuerat a summo Pontifice, aliosque episcopos comitiis interesse voluisse et eorum actis subscribere cum viro etiam tum publice secluso a fidelium communione. Hinc multo minus assentiar illorum opinioni, qui, referente Mabillonio, Rudolfum in excommunicatione defunctum esse ferunt, donec producatur expressum et evidens veteris ac fide digni auctoris testimonium; quale hactenus non vidi. Oppositum suadent beneficia, quæ contulit monasteriis, ac pia opera, quæ pro animæ suæ suorumque heredum salute instituit, temporibus excommunicatione sua posterioribus: uti sequenti § ostendam.*

C

§ VII. Beneficia Rodulfi, facta monasteriis, probante S. Simone filio; obitus Walterii fratris.

Subscribit Sanctus patris litteris pro Dervensi abbatia;

B*eneficiis a Rodulfo* S. Simonis *patre, postquam ab excommunicatione, ut mox opinabar, absolutus fuerat, in varia monasteria collatis, annumeranda sunt ea verisimiliter, quæ continentur in Cartulario Dervensi, citato in Gallia Christiana veteri ac nova, ubi agitur de abbatibus Dervensibus. Illud integrum, sicut a Nicolao Camusato acceptum Probationibus suis mss. opposuit Chiffletius, huc transfero, quia ad Sanctum quoque nostrum pertinet:* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego comes Rodulphus, et abbas sancti Petri et sancti Bercharii nomine Wandelgerus, qui cognominatur Bruno, et cuncta congregatio ipsius loci, contentionem habebamus de quadam sylva, quæ sita est super villam nomine Losam: quam mitigare cupiens, ipsam partem, quam tenebam, dimisi et dedi prædicto loco: ego et mei heredes, scilicet filii mei Walterus et Simon, ea conventione, ut omnibus diebus D unaquaque septimana in feria secunda celebretur Missa pro mea salute et cæterorum heredum meorum, et unus pauper in eodem monasterio victum et præbendam habeat perpetualiter. Et ut hæc mea donatio firma permaneat omnibus temporibus, ego manu mea firmavi et filius meus Walterus, et Simon et cæteri mei heredes. S. Rodulphi comitis. S. Walteri filii ejus. S. Simonis filii ejus. S. Widonis. S. Ansculphi. S. Milonis. S. Rogeri. S. Drogonis. S. Walteri. *Nulla hæc Carta insignitur nota chronologica, quoniam tamen Simonem nusquam comparentem vel actis subscribentem reperi ante annum 1065, idcirco dixi, verisimiliter beneficia illa contenta posteriora esse excommunicatione Rodulfi. Idem videri debuit Mabillonio, qui tom. V Annalium ea refert ad annum 1072.*

aliis item, quibus pro Walterii filii.

66 *At certo posterior est donatio, quam fecit Rodulfus. monasterio S. Remigii Remis pro sepultura et animæ requie Walteri filii sui, recens interfecti. Litteras ex autographo S. Remigii Remensis reliquit nobis Chiffletius in Probationibus Mss., easdemque publici juris fecit Guillelmus Marlot tom. II Historiæ Metropolis Remensis pag. 131, varias allegans rationes, atque eas inter, quod* E Simonis prædicti Rodulfi inclytæ prolis, inter Sanctos relati, nomen et sigillum *præferant. Hac de causa, et quia donationem postea auxit* Simon, *litteræ hic etiam locum postulant.* Notum sit universis Catholicæ matris Ecclesiæ filiis, tam præsentis temporis quam futuri, quod ego Rodulfus comes do Crispeio filium habui, Walterum nomine, quem maximo semper amore dilexi, plus quam omnes liberos meos, quos mihi Deus donare dignatus est. Contigit autem, ut Dominus meus Francorum rex Philippus expeditionem equitatus sui duceret ad castrum Vitereium recipiendum: cui expeditioni ego et prædictus filius meus Walterus cum principibus regni interfuimus.

nuper occisi, sepultura et animæ requie

67 Verum idem filius meus Walterus, cum esset ingentis animi et totus semper militiæ deditus, in fidelitate et servitio domini sui regis Francorum Philippi non longe ab urbe Remorum tunc interfectus est. Ego vero considerans, quod beatus confessor Remigius populum nostrum (hoc est gentem Francorum) ad Deum converterit, et quod eam * in die judicii ante conspectum omnipotentis F Domini præsentabit: simulque cogitans, quod filius meus, dum viveret, res ejusdem Sancti aliquantulum inquietasset: et quod ego locum illum, ubi venerabile corpus præfati Sancti requiescit, semper amavi, et maximo honore veneratus sum, has omnes causas mecum reputans, exanime corpus filii mei ad sacratissimam * ejus ecclesiam deportari feci. De omnibus quoque, quibus filius meus contra eumdem Sanctum peccaverat, ego justitiam Deo et beato confessori Remigio præsentialiter feci: sicque animam et corpus filii mei sanctis ejus orationibus commendans, in cimiterio * ejus, hoc est, in claustro monachorum ipsius, eum sepeliri feci; quatinus pro anima illius intercedat, atque in die judicii ductor ei et advocatus ante Deum existat, quem ad solam ejus misericordiam attuli et in manu pietatis ejus dereliqui.

* *Marlot* eum

* *ibid.* sanctissimam

* *ibid.* cœmeterio

idem pater

68 Pro hac igitur re ego Rodulfus comes, accipiens de servis et ancillis meis, quos circa Buxitum castellum meum habebam, tradidi eos beatissimo Remigio, Francorum apostolo, cum omnibus

A omnibus terris ac domibus suis, cum filiis et filiabus, cumque omni substantia eorum : ita ut omnes consuetudines et totum servitium, quod mihi et castello meo, ministrisque meis debebant, totum omnino eis dimittam, quatinus soli beato Remigio ac monachis ejus deserviant. Nulla itaque persona, nullus omnino homo, clericus aut laicus, servus aut liber, in eis aut in terra eorum aliquam potestatem exerceat, aut aliquam consuetudinem sive magnam sive parvam ibi habeat aut requirat, nisi solus beatus Remigius et monachi ejus. Et sicut ego in libera mea potestate sine contradictione alicujus retinebam ipso, terrasque eorum, et omnia, quæ habebant, totum ita, quod in eis habebam, beato Remigio tradidi, ut sine contradictione alicujus in libera potestate sua totum habeat, teneat, possideat et nullus alius aliquid ibi clamat aut requirat.

69 Fur si ibi invenitur, minister sancti Remigii accipiat : si ibi confugerit, nullus eum inde extrahat, sed minister sancti Remigii eum accipiat, et constringat, nullusque alius nisi homo sancti Remigii hoc faciat. Si campus ibi contigerit, monachus aut minister Sancti, ubicumque B voluerit, eum deducat, si voluerit, ad curtem Auxorum, aut Remis ad sanctum Remigium, aut in eadem terra. Si vero ad Buxitum deduxerit eum, ministri de castello adjuvabunt eum per fidem ; sed ita, ut nec pretium unius denarii inde habeant. Hoc autem totum, sicut supra dictum est, ita statuo et confirmo, et laudare facio SYMONEM filium meum ; duos quoque generos meos, quos de filiabus meis habeo, id est, Heribertum comitem, et juvenem nobilissimum Bartholomeum : præterea milites meos de Buxito, hoc est, Odelricum, Widonem et Bosonem fratrem * ejus : alterum quoque Bosonem filium Widonis et Warinum cum filiis suis : ministros etiam meos, quos in illo castello habeo, id est, Andream et reliquos omnes tam liberos quam servos.

[abbatiæ S. Remigii] [* ibid fratremque]

70 Hoc itaque totum feci pro anima dilecti filii mei Walteri, atque pro remissione peccatorum meorum, ac pro animabus omnium parentum meorum : quod etiam volo esse firmum et stabile usque in sempiternum. Qui autem infregerit aut destruxerit *, iram Dei incurrat et a regno ejus alienus fiat. Facta est vero ista largitio in ecclesia beati Remigii ante corpus ipsius, C cum ibi adessent multi episcopi, et comites et alii nobiles viri, quos regis præsentia ibi contraxerat. Volui igitur atque rogavi, ut monachi in hac eadem Charta scriberent nomina servorum ancillarumque, quos donaveram, et ad quos usus ecclesiæ eos vellent convertere : quatinus ipsi certi essent, quid ego pro anima filii mei beato Remigio largitus fuissem, et ego cognoscerem, quid ipsi de eleemosyna mea facturi essent.

[Remis] [* ibid. destruxit]

71 Placuit donno abbati Herimaro et omnibus fratribus nostris, monachis beati Remigii, ut eleemosyna, quam comes pro anima filii Walteri beato Remigio obtulit, ex hoc nunc usque in æternum, ad servitium infirmorum fratrum pertineat, et solis usibus eorum deserviant, qui secundum præceptum sancti Benedicti pro reparatione in cella infirmorum commorantur. Hoc autem statutum est, ut nullus abbas, nullus præpositus, nulla omnino persona audeat aliquando infringere vel mutare : sed quidquid de præfata eleemosyna exierit, quantulumcumque subcreverit, sicut ordinatum est, ægrotis fratribus solummodo deserviat : et ad nullum aliud officium aliquid inde inflectatur ; sed integre ad cellam infirmorum pertineat, atque ibi remaneat. Qui aliter fecerit iram Dei incurrat.

[bona]

72 Et hæc sunt nomina servorum, ancillarumque : Artaldus, Tegisus, Martinus, Jordanus, Evrardus, Albricus, Flohardus, Mainardus, Ermoinus, Guntrannus, Harduinus, Henricus, Heribertus, Johannes, Wido, Odo ; item Ermoinus, quem miles quidam tenebat de comite, ita tamen, ut solum censum capitis de eo acciperet : comes vero reliqua omnia de eo habebat ; hoc est, tria placita de anno, domum ejus, terras ejus, filios et filias. Dedit ergo nobis comes de eo omnia, excepto solo censu capitis, et pro illo censu donavit Henricum, non illum, qui jam dictus est, sed alium, ut ipse nobis censum capitis sui persolveret, non tantum placita. Item donavit nobis de Anseyso totum alodium, domus, terras, et omnia, excepto solo censu capitis, quem prædictus miles tenebat. Et hæ sunt feminæ sine viris, quas nobis donavit : Usuina cum filiis suis, Gislendis, Gisla, Hildegardis. Omnes hos, ut dictum est, cum E terris et domibus et filiis et filiabus, omnique substantia eorum donavit. *Hactenus ex autographo in probationibus Chiffletii : apud Marlotum brevitatis gratia hinc inde aliqua prætermissa sunt, et voces occurrunt diversæ, quarum præcipuas notavi ad marginem. Ceterum velim in memoriam revocet lector id, quod observabam superius, judicetque, an verisimile sit, tali modo, quo hic in ecclesia coram episcopis locutus est Rodulfus, locuturum fuisse hominem, qui non tantum ipso tempore a fidelium cœtu segregatus erat, sed et usque adeo contumax ac salutis animæ suæ incurius, ut ad mortem usque eodem in statu perseveraverit.*

[et privilegio]

73 *Chartæ autem isti nulla quoque adjecta est temporis nota, sed posteriorem esse comitiis Borbeiæ celebratis anno* 1065, *non est, quod moneam, cum eorum Actis subscripserit Walterus. Hujus obitus diem signat in Chartæ apographo Chiffletius* : Nonis Septembris obiit Walterus *ex Necrologio et libro anniversariorum S. Remigii Remensis, sed addit* : Tamen ex Charta Molismensi ejus frater Simon comes indicit anniversarium fratris sui Walterii ad diem sequentem, nempe 8 F Idus Septembris. *Idem auctor in Observationibus toto cap.* 3, *inquirit in annum emortualem ejusdem Walteri, ac tandem figit annum* 1065, *eumdem nimirum, quo habita sunt comitia Corbeiensia, sed ex conjectura dumtaxat,* quam, *inquit,* prudentis lectoris censuræ libens subjicio. *Bouchetus in Ms. Dissertatione Gallica dissert Walteri obitum in annum* 1068 ; *verum cum nullam alleget auctoritatem, non dubito, quin et ipse conjecturarum subsidio usus sit. Parum interest instituti nostri, uter verius conjectarit, præsertim cum deinceps uno tantum loco occurrat mentio Sancti nostri usque ad mortem parentis ejus Rodulfi et eapropter missa facio ipsorum argumenta.*

[concessit,]

74 *Mentio ista occurrit in Charta Rodulfi pro ecclesia S. Mariæ Virginis et S. Firmini martyris Ambianis, quam laudans Morlerius in Antiquitatibus Ambianensibus pag.* 64 *et sub finem Operis pag.* 432, *conscriptam testatur anno* 1069, *ac recitat pag.* 73. *Eidem, utpote quædam superius asserta pulchre elucidanti et confirmanti, etiam hic locum damus* : Quoniam ego Radulphus, divina Clementia comes Ambianis, secularis dignitatis

[donationi, quoque factæ ecclesiæ Ambianensi.]

OCTOBR. I. P

gnitatis gloriam sectando, multa me memineram delictorum sarcina gravatum, disposui ecclesiæ S. Dei Genitricis Mariæ et beatiss. mart. Firmini, fratribusque ibi constitutis, quædam ex his, quæ mei juris erant, tradere, ut interventu illorum, peccatorum meorum indulgentiam valeam obtinere : sed quia ex multis, quæ possidebam, visum est episcopo Guidoni utilimum, potestatem, quam vicecomites in terris prædictorum fratrum exercebant, relaxare, ipsius deprecatione et gratia illis perpetuo jure habere concessi, quicquid hujuscemodi ad Contejense castellum pertinens ego et milites totius Contejensis honoris ubique terrarum seu villarum illorum obtinebamus. Et ut donationis hujus concessio firma, et insolubilis perseveraret, SIMON filius meus, et Gualterus, Gualteri Tirelli natus, ultroneum assensum huic scripto præbuerunt : atque memorati milites idem laudanda æquipolentia beneficia pro amissis, me tribuente, alias susceperunt. Hæc carta mea manu præscripta, B atque uxoris meæ Annæ *etc.*

præsente Anna conjuge Rodulfi; unde confirmantur

75 *Suppressit editor testium plurimorum subscriptiones : sed, quod nobis sufficit, postrema verba luculenter indicant, adfuisse donationi Annam reginam, quam sine ulla hæsitatione uxorem suam appellat Rodulfus. Hinc debilitatur aliquantum opinio Chiffletii, qui, dum verisimiliter Chartam istam non consuluerat, in Observationibus Mss. ex mera conjectura arbitratus est, Annam reginam, quod nuptiæ cum Rodulfo damnarentur, ab ejus se contubernio removisse anno 1065 vel 1066, et tunc animum adjecisse ad exstruendam ac dotandam S. Vincentii martyris ecclesiam Silvanectensem. Textus ex fragmento Historiæ Franciæ num. 62 relatus simul cum jam datis verbis ac silentio veterum scriptorum de secessu isto Annæ a Rodulfo, verisimilius mihi faciunt, simul ipsos permansisse ad mortem usque Rodulfi; sed et inventum fuisse modum, quo et turbæ per nuptias excitatæ sedarentur, et tolleretur excommunicatio.*

quædam ex ante dictis.

76 *Tunc, opinor, et Rodulfus variis ecclesiis bona et immunitates concessit, et regina animum adjecit ad exstruendam ac dotandam S. Vincentii abbatiam Silvanectensem. Annæ reginæ diploma super hac fundatione videsis, si lubet, in Gallia Christiana veteri tom. IV. pag. 949 et seq. ac nova* C *tom. X inter instrumenta col. 204. Deficiente nota temporis, utrobique ad marginem notatur annus 1059 sed male, ut recte observat Chiffletius, cum illi subscripserit Berta regina, Philippi regis conjux, qui anno 1059, septem vel octo duntaxat annorum puer erat.* Probabilius *itaque, uti addit idem auctor,* anno 1068 *vel* 1069 confectum *est,* quo ultimo anno addidit ecclesiæ jam constitutæ privilegium libertatis ad preces Annæ matris Philippus rex, anno regni sui nono. *Philippi regis diploma exstat similiter in Gallia Christiana veteri ac nova.*

D

§ VIII. Mors Rodulfi : bellum Simonis cum Philippo rege, et juxta aliquos cum Hugone Bardulfo, sororis filio.

Non *convenit inter auctores de anno, quo, moriens Rodulfus, possessiones suas sane amplas ac dignitatum titulos in* Simonem, *filium tunc unicum transmiserit. Audiendi non sunt Labbeus in Tabulis Genealogicis pag. 43 et Chesnius in Historia familiæ Castellioneæ pag. 658, Rodulfi obitum consignantes anno 1066; eorum quippe sententiam subvertunt inventa postmodum documenta. Restant duæ sententiæ præcipuæ, Chiffletii nimirum ad annum 1072 et Boucheti ad 1074 dictum obitum differentis. Suam paucis exponit Chiffletius in Observationibus cap. 9 Primum, quod hodiedum facile admittitur, contendit, non posse statui ante annum 1072, tum ita pergit :* Neque vero Rodulfum ultra anni 1072 Februarium (*tabulæ enim Malismenses signant 8 Kalendas Martias*) vitam produxisse, inde ostenditur, quod, eo mortuo, Simon ejus filius trium fere annorum bello a Philippo rege vexatus est, ex Vita S. Simonis auctore æquali, ac tandem pace inter eos firmata, Simon Vitriacum resque alias suas de Philippi regis manu recepit anno 1075, ad quem annum Vitriaci redditio in S. Petri Catalaunensis et in Alberici Chronicis adnotata est.

Mortem Rodulfi statuit Chiffletius anno 1072. E

78 *Verum est, ad dictum annum adnotatur in Chronicis istis* Redditio Vitriaci, *eidemque apud Albericum illigatur pax* Simonem *inter et Philippum regem; si hoc recte; omnino sequitur, Radulfum non vixisse ultra annum 1072; quoniam, teste biographo,* Simon fere triennio labore militari implicitus *fuerit. At prius audiendus est Bouchetus, sententiam suam paucis similiter proponens ac probans :* Certum est, decessisse tantum (*Rodulfum*) 22 Februarii anni 1074, ut testantur duæ Chartæ Simonis comitis, filii ejus et heredis; altera in gratiam Roberti abbatis Molismensis, ubi mors ejus notatur 7 Kalendas Martii, . . . altera pro abbatia S. Arnulfi Crispeiensis, data 11 Kalendas Aprilis seu 22 Martii anni 1072, quæ habet, quod jam annis tribus decessisset *Rodulfus, quando scilicet ejus corpus ex Monte-Desiderii Crispeium transferri jussit* Simon. *Chartæ hujus secundæ, quam cum priore post dabo integram, nemo hactenus, quem novi, auctoritatem infringere conatus est, adeo accurati agnoscuntur omnes ipsius characteres chronologici. Ex eadem Charta etiam Marlotus Rodulfi mortem annecti anno 1074 : Mabillonius vero Observationibus præviis, commendata Chartæ auctoritate a characteribus, anno 1077 apprime congruentibus, ulterius procedit dicens :* Immo ibi Simon patris sui corpus, nonnisi elapso post ejus obitum triennio, se transtulisse dicit, quod eidem anno 1077 convenit ; cum OMNES Radulfi mortem anno 1074 consignent. *Qui sunt illi* omnes, *veteresne an recentiores ? Si veteres, operæ pretium fuerat unum alterumve nominare : si recentiores, excipi saltem potuerant Chesnius et Labbeus, locis supra citatis.*

Bouchetus et alii 1074: F

79 *Verum, his missis, non possum non mirari, cur Chiffletius, qui Boucheti Dissertationem Gallicam*

nos consideratis cum Charta Simonis,

A *Gallicam ms. habuit et suis quidem Probationibus illigandum prelo destinavit una cum memorata Charta, per Bouchetum ex Tabulario Crispeiensi descripta, cur, inquam, Chiffletius in Observationibus nihil reposuerit ad Boucheti sententiam, suæ tam oppositam, et, ut opinabatur idem Bouchetus, certam. Citat Chartam Chiffletius cap.* 9, *ubi agit de Rodulfi corporis translatione, et confectam fuisse opinatur paucis diebus, antequam sæculo valediceret* Simon, *sed nullo verba attingit sententiam Bouchetianam. Quid causæ fuerit, nesciō; at mihi sententia ista non est tam certa, quam visa fuit Boucheto et aliis. Rationem affero. Auctor vitæ* Simonis *plane indicat, quod paternum corpus transferri curaverit* inter fiagella positus, bellorum negotiis impeditus: *Charta vero, in qua idem* Simon *translationem memorat, atque ea de causa S. Arnulfi monasterio benefacit, subscribitur a Philippo rege, quocum ipsi bellum fuit. Proindeque pronum est cogitare, alio tempore, nempe durante bello, translatum esse corpus, quod in Monte-Desiderii jam triennio jacuerat, alio, composita scilicet pace cum Philippo, factam esse donationis Chartam, cui durante bello non videtur subscripturus fuisse rex.*

B

qua patris corpus translatum dicit triennio

80 *Explicationem istam non renuit Charta ipsa, quam subnecto:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen. Omnis, qui semetipsum intelligit, hominem duabus naturis, anima videlicet rationali et corpore constare cognoscit. Qua in re saluberrimum esse videtur, parti utrique digne, quæ sua sunt, providere. Et quia justum est de resurrectione cogitare, valde necessarium est pro peccatis offerre: unde beatus Augustinus, animas, inquit, defunctorum posse relevari pietate suorum viventium. Quapropter ego Simon, Dei gratia comes, de salute animæ meæ, immo et patris mei, venerabilis comitis Radulphi, præcavens in futurum, præsentis vitæ dies nihil esse conspiciens, atque mentem pro posse in consideratione æternitatis figens, supradictum Radulphum patrem meum de Montedesiderio, jam per tres annos post sui dissolutionem corporis ibi jacentem, apportari * feci et ecclesiæ sancti Arnulphi, quæ ab eodem et ab antecessoribus suis in castello Crespeiaci honorifico schemate fundata est, in qua etiam ex aqua et Spiritu sancto renatus fuerat, reddidi: ibique more antiquorum,

** Mabil. asportare*

C juxta sepulchrum matris meæ, uxoris suæ, nec non et prædecessorum nostrorum cum psalmis et orationibus in spelunca duplici collocare feci.

post obitum, et monasterio

** ibid. Bonoculo*

81 Et ut melius apud Deum eumdem archiepiscopum et martyrem, videlicet beatum Arnulphum, habeamus pro animabus nostris intercessorem, eidem ecclesiæ per annulum aureum totam terram de Bonoculo *, quam hactenus in dominio habebam cum servis et omnibus appendiciis suis concedo. Tali vero tenore, quod in vita mea medietatem habeam ejusdem terræ, ecclesia autem similiter: post mortem vero meam tota pertineat ad ecclesiam. Dono etiam ecclesiæ eidem duo candelabra valde pretiosa, quatenus per merita sancti martyris animam patris mei lux æterna possideat. Hoc * autem dono et voluntarie concedo, et manu propria firmo, et, ut aliorum manibus hæc Chartula roboretur, postulo. Si quis vero (quod futurum esse non credo) de heredibus meis contra hanc donationem aliquid calumniaverit, ejus repetitio effectum non habeat; sed cum Simone Mago et Juda Iscariote, Dathan quoque et Abyron iram omnipotentis Dei incurrat: qui vero bene administraverit, particeps ejus eleemosynæ fiat.

** ibid. hæc*

S. Arnulfi Crispeiensis benefacit,

82 Actum hoc est in Crespeiaco castello 11 Kalendas Aprilis, anno Incarnati Verbi 1077, Indictione 15, Epacta 23, concurrente sexto, regni autem Philippi Francorum regis anno 18. Signum Philippi regis Francorum. *Sic habet apographum nostrum ms., cui convenit editio Mabilloniana in Observationibus præviis ad vitam* Simonis: *excipe tamen paucarum vocum diversitatem, in margine indicatam, et numerum annorum regni Philippi regis, qui apud Mabillonium omissus est. Sed animum nunc adverte, oro, ad utramque Chartæ partem: videbis in priori, quæ num. 80 inserta est, efferri omnia in præterito tempore, seu narrari ea, quæ facta fuerunt; in altera, quam numerus 81 complectitur, omnia in præsenti, id est, indicari ea, quæ modo fiunt. Videbis, inquam, integram Chartam aptari posse explicationi ante datæ, et proinde, licet Charta conscripta sit anno* 1077, *non inde certo sequi, Rodulfum non obiisse ante annum* 1074.

quam verbis biographi et Alberici.

83 *Dices;* Simon *tantum* ferre triennio *juxta biographum* labore militari impeditus *fuit: juxta Chartam corpus Rodulfi, quando translatum est,* jam tres annos *jacuerat in Monte-Desiderii, vel fallitur ergo biographus, dum translationem statuit durante bello, et hoc ad triennium dumtaxat extendit, vel exaggerat Charta dum* ad tres annos *ab obitu differt translationem. Respondeo, neutrum dici debere, nisi probetur, initium belli desumendum esse ab ipso Rodulfi obitu, quod objecta difficultas involvit; sed cujus oppositum colligimus ex biographo, dum ait:* Parente vero utroque orbatum (*Simonem*) rex Francorum Philippus, malignitatis spiritu permotus, quæ jure successerat, hujus hæreditatem surripere gestiens, utpote juvenem solum sine consilio, absque parentum adjutorio, leviter expugnare existimans: PRIMUM INSIDIIS MOLITUR APPETERE, dein in aperto bello * commovet tempestatem. *Vides, inter obitum Rodulfi et belli initium fluxisse aliquod tempus, quod Philippus insumpsit insidiis? Qualibus autem? Forte persuasionibus, speciosis prætextibus, pollicitationibus, precibus, blanditiis, quibus Juvenis animum induceret ad cedendam partem saltem aliquam hereditatis; donec tandem sic nihil efficiens, ad apertam vim et arma conversus est.*

** Mabillon. belli*

E

Chiffletio adhæremus.

F

84 *Itaque cum in sententia Boucheti, obitum Rodulfi statuentis anno* 1074 *deserenda sit auctoritas* 1 *Alberici, qui nixus alio vetustiore Chronico, pacem affixit anno* 1075, *cum tamen bellum duraverit per tres fere annos;* 2 *biographi nostri, qui durante bello translationem factam esse indicat, quod intelligi nequit in dicta sententia, hæc non modo non videtur mihi certa, sed minus probabilis quam Chiffletiana, in qua Albericus et biographus facile conciliari possunt cum Charta, modo, quo dixi, explicata. Statuamus obitum Rodulfi die* 22 *Februarii anno* 1072, *ducto anni initio vel a Nativitate vel a Circumcisione Domini; statuamus initium belli exspirante eodem anno, translationem corporis mense Martio anni* 1075, *pacem vero anno eodem exeunte. Verum erit, quod, durante bello, facta sit translatio, ut indicat biographus; verum, quod tum corpus in Monte-Desiderii jacuisset per tres annos, ut testatur Charta; verum, quod pax composita sit anno* 1075, *ut scribit Albericus; verum denique, quod* Simon *tunc fere triennio labore militari implicitus fuisset, ut asserit biographus. Quapropter*

secundum

secundum hanc dispositionem resumamus Simonis *gesta ab obitu Rodulfi patris.*

85 *Utroque parente orbatum rex Philippus primum insidiis, dein aperto bello appetiit;* Cœpit namque ipse rex, *verba sunt biographi proxime citatis subnexa,* igne, præda, gladio, villas destruere; prædia, municipia et quæ ejus videbantur, prout poterat, omni modo dissipare. Is vero (*Simon*) intrepide, confisus in Domino, erigens se contra se, ad hoc etiam, ut malum ageret, invitus trahebatur, præcingit se, et præparat fortiter resistere. Concitat namque gentem suam, et velut frendens leo, licet corde dolens, perturbat et devastat, quod in regis reperit potestate: et donec proprium possideat, asserit nullo modo retroire. *Albericus in Chronico ad annum* 1061 *post hæc verba:* Traditio Vitriaci. *quæ tamen in Chronico S. Petri Catalaunensis leguntur ad sequentem, et ista:* Abhinc anno decimo quinto invenitur (*in eodem S. Petri Chronico ad* 1075) annotatum: Redditio Vitriaci. *occasionem arripit memorandi primordia belli hujus, post annos aliquot secuti et ante redditionem finiti;* Hic dicendum est, *inquit,* quod Hugo vir nobilis, cognomento Bardol, fuit dominus Bretiarum, id est, de Brois, et erat ex una parte finitimus hæres comitis Veromandiæ. Rodulpho mortuo, dictus Hugo Bardol Vitriacum invasit et Barum super Albam, et hoc de assensu regis Philippi, qui cætera, quæ erant comitis Rodulphi, invadebat: reliquerat autem comes Rodulphus ex uxore sua, quæ dicta est Adela, filiam bonæ indolis, nomine Simonem et filiam nomine Alaidam. *Ita Albericus a Leibnitio editus; sed cujus allatus textus aperte mendosus est.*

86 *Ad calcem dictæ editionis dantur variæ lectiones et emendationes ex collatione cum codice membranaceo Alberici desumptæ, in quibus monemur, legendum esse:* hæres comitis Veromandiæ Rodulphi. Quo mortuo *etc. Idem monemur in Lectionibus emendatioribus Alberici, quas Menckenius, ex optimo codice bibliothecæ suæ excerptas, dedit tom. I Scriptorum rerum Germanicarum, discimusque præterea, ibidem novo errore legi:* Vitriacum invasit et Barum super Albam et INFIRMITATEM. *Ante editiones istas textum correctiorem attulerat Chiffletius in Observationibus ex variis mss. codicibus, ut sequitur:* Hugo, vir nobilis, cognomento Bardol, fuit dominus Brecarum, id est, de Broies, et erat ex una parte finitimus heres comitis Veromandiæ Rodulfi. Quo Rodulfo mortuo, dictus Hugo Bardol Vitriacum invasit et Barum super Albam et Firmitatem *etc. Nec tamen sine omni mendo in comitatu Veromandiæ,* quem, *observante etiam Chiffletio,* Rodulfo Simonis patri male adscribit (*Albericus seu potius imperitus librarius.*) Hunc enim certum est fuisse comitem Crispeiensem et Vilcassinum jure hereditario, ex dote porro conjugis Barensem ad Albam, forte et Vitriacensem; at non Veromandensem. Codex regius, ut monui, *loco* Veromandiæ habet Vendensis, nec absque mendo; scribi enim debet: Vadensis. *Hoc et ego plane existimo. Vadensis et Crispeiensis seu Valesius olim unus idemque comitatus erat, ut ante dictum fuit.*

87 *At quis erat Hugo ille Bardol, Brecarum dominus et ex quo capite vocatur finitimus heres Rodulfi Crispeiensis? Rodulfo huic præter filios Walterum ac* Simonem *duas filias fuisse, quarum, ipso vivente, altera maritum accepit* Heribertum comitem, *altera* juvenem nobilissimum Bartholomeum, *constat ex Charta S. Remigii Remensis § 7 ad longum recitata; at de earum nominibus altum illic silentium. De iis, deque earum conjugiis, posteris et successionibus Chiffletius in Observationibus mss. varias ac fusas disputationes instituit, ut conjici potest ex titulis cap,* 4, 5, 6 *et* 7. *Sed quas prætermitto, ne absque utilitate nos nimis longe a scopo nostro avertant, solisque veterum testimoniis utor, quæ propositam quæstionem elucident. Unam Rodulfi filiam adducit Albericus in Chronica, unam similiter auctor Chartæ seu Notitiæ ms. dominorum Cellæ Firmitatis ad Albam. Suam ille primo* Alaidam, *dein* Adalam *vocat; hic vero suam scribit* Aaliz, *ut si nomen spectes, dicas utrobique eamdem denotari: de diversis tamen sermonem esse, produnt adjuncta.*

88 *Albericus paulo post verba num.* 85 *recitata, dans qualemcumque Rodulfi genealogiam, ait:* Gautherus Albus genuit Rodulphum patrem Rodulphi, qui genuit Vermandensem comitissam, scilicet Adalam, ex qua nata est Alaiz, uxor comitis Hugonis. *Eadem, suppressis feminarum nominibus, habet Ivo episcopus Carnotensis epistola* 45 *et in editione Parisiensi anni* 1610*:* Supradictus Gualterius genuit Radulphum, patrem alterius Radulfi, qui genuit Vermandensem comitissam, ex qua nata est uxor comitis Hugonis. *Adjuncta autem ista certos nos faciunt, Adalam apud Albericum eam esse Rodulfi filiam, cujus ipsemet in Charta Remensi maritum nuncupat* Heribertum comitem, *comitem nimirum Viromanduensem. Id pulchre elucidant Chronici veteris Excerptum ab anno Christi* 986 *usque ad* 1109, *editum ex codice bibliothecæ Thuanæ apud Chesnium tom. IV Scriptorum pag.* 97 *et Fragmentum Historiæ ms. ex bibliotheca Petaviana ibidem pag.* 150. *Prioris verba sufficient:* Hugo vero (*regum Henrici filius et Philippi frater*) factus juvenis uxorem duxit filiam Herberti comitis Vermandensis, natam ex filia Rodulphi comitis, per quam obtinuit comitatus duos, Vermandensem et Vadensem.

89 *Consulamus modo textum auctoris Notitiæ Dominorum Cellæ Firmitatis ad Albam:* Ex ea (*Adela Barensi comitissa Rodulfus*) duos filios Galterium et Symonem, et unam filiam, id est, Aaliz genuit, quam Bartolomeus juvenis de Breias uxorem duxit et ex ea Hugonem Bardul genuit. *En Rodulfi filiam, quæ eodem tempore nupta erat* juveni nobilissimo Bartholomeo, *quo altera conjugem habebat* Heribertum comitem, *ut liquet ex Charta Remensi; unde corrigenda Notitia Dominorum Firmitatis; dum unam tantum filiam a Rodulfo genitam insinuat. Porro, quod alia occasione discutiemus, putat Chiffletius, conjugem Bartholomei, hic Aaliz dictam, eam esse, de qua Albericus ad annum* 1061 *hæc tradit:* Sed sciendum, quod comitissa Alaidis, soror sancti Simonis, comiti Campaniæ Theobaldo peperit duos filios, Philippum episcopum Catalaunensem et Hugonem Campaniæ comitem. *Putat, inquam, eamdem post Bartholomei obitum nupsisse Theobaldo, ac de ejus aliarumque nominibus hanc notam subjicit:* Hinc vero (inquies) sequetur aliquid absurdo simile, nempe quatuor fuisse aliis ex aliis unius familiæ Adelaydes: primam, uxorem comitis Rodulfi, S. Simonis matrem; alteram, horum filiam Veromandensem comitissam, tertiam, hujus sororem, Bartholomei Brecensis, et Theobaldi comitis successive conjugem; quartam Vermandensis comitissæ filiam, Hugonis Magni uxorem.

90 Ad quod respondeo: Si vere Albericus comitissam

un jure … p. — *sanctum armis impetit Philippus rex.* — *et post alioquos etiam Hugo* — *filius sororis non ejus, quæ* — *Viromanduensi comite.* — *sed alterius, quæ Brecarum domino nupta fuit.*

Observantur nonnulla ad utriusque

A mitissam Vermandensem, quæ S. Simonis erat soror, *Adalam* nuncupavit (solus enim ille ex antiquis, quod sciam, illam do nomine appellavit) quatuor has ejusdem familiæ principes feminas cognomines non respuerim : si tamen vere cognomines. Nam etsi hæ voces *Adela, Adala, Adelais, Aalys, Alaidis* et *Alais* synonymæ videntur, ex etymo nimirum et significatione eadem, quæ *nobilem* sonare dicitur, ex usu tamen vulgari nonnihil habent diversitatis. Siquidem mater S. Simonis *Adela* antiquis semper scribitur. Comitissa Vermandensis soli veterum Alberico *Adala* nuncupata est Hugonis Magni uxor, ut plurimum *Alais.* Uxor Bartholomei Brecensis primum *Aalys* in Notitia dominorum Firmitatis dicta legitur; deinde, ex quo Theobaldo comiti desponsata est, *Adelays,* fortasse aliquo vel ætatis vel amplioris dignitatis intuitu. Ita fuerint hæ regiæ feminæ et quodammodo cognomines et appellationis tamen aliqua ratione diversæ. *Nemini mirum videbitur, eodem nomine appellatas fuisse Rodulfi uxorem, filiam et ex hac filia neptem; quare si quid absurdo simile videri possit, in eo uno consistet, quod binis Rodulfi ex eadem conjuge* B *filiabus idem nomen absque ulla distinctione inditum fuisset.*

sororis nomen;

91 *Illud autem qualecumque absurdum ut tollatur, non apparet mihi sufficiens distinctio, quam quærit Chiffletius in vulgari usu varie inflectendi idem nomen; ac proin malim suspicari, vel apud Albericum vel in Notitia dominorum Firmitatis alterutrius filiæ nomen non fuisse recte expressum : suspicionem fovet Claudius Hemeræus in Augusta Viromanduorum illustrata pag.* 117 *et sequenti, ubi agens de Heriberto IV comite, dicit, ipsum uxorem habuisse filiam Rodulfi II comitis Crispeiensis, idque innotuisse* ex alienis monumentis, *nam* de nuptiis, *inquit,* Heriberti altum membranis nostris silentium. *Interpositis tamen nonnullis, subdit :* Porro Heribertum eum aliæ præclaræ virtutes, tum in primis commendavit eximia pietas in Divos : qui cum *Hildebranta* conjuge ecclesiam urbis Royæ in Viromanduis... fundavit titulo S. Georgii *etc. Hic laudat librum de sacra Politia, auctore Choppino, a quo conjugem Heriberti* Hildebrantem *appellari, etiam ante affirmarat. Si liber ille Choppini ad manum esset,* C *dispicere penitius possemus, an solide probet istam Heriberti conjugis appellationem, et an nihil obstet, quominus eadem credatur cum Veromanduorum comitissa, Rodulfi Crispeiensis filia. Redeo ad Hugonem Bardol, de quo instituta fuerat quæstio.*

et Hugonis

92 *Erat igitur is Rodulfi nepos, natus videlicet ex ea filiarum ipsius, quæ conjugem acceperat Bartholomæum Brecarum dominum, e vivis sublatum ante mortem Rodulfi soceri sui, uti discimus ex Charta anno* 1085 *exarata in favorem ecclesiæ S. Juliani de Sezania Trecensis diœcesis, et excusa a Nicolao Camuzat in ejusdem diœcesis Promptuario pag.* 373, *unde pauca describo :* Bartholomeus siquidem dominus Brecarum, miles famosissimus, qui et ipsam ecclesiam, quamvis injuste tenebat (nam nemo laicus juste tenet) cum ex hac vita casu migraret, supra dictus comes Stephanus Henricus (*Theobaldi comitis Campaniæ filius*) ad regendum suscepit honorem, quoadusque ipsius Bartholomei filius, qui orphanus et parvulus remanserat, ad virilem perveniret ætatem. Cumque ei reddi paternam hæreditatem placeret, exhortatione et obsecratione comitis, et multorum aliorum admonitione, et maxime pro ejus animæ redemptione et patris sui atque avi cognominis ejus, et ipso Bardulphus cognominatur, ipsam ecclesiam atque omnem donationem concessit et tradidit.... Quapropter monachi ibidem Deo servientes ipsi Hugoni et omnibus, qui cum eo erant, societatem dederunt tam in orationibus, quam in vigiliis atque eleemosynis... Fuit autem ista donatio facta ab Incarnatione Domini 1081 (*a Stephano Henrico Hugonis tutore*) sed millesimo octuagesimo quinto firmata *ab ipsomet nempe Hugone Bardulfo. Reliquerat Bartholomæus Hugonem* parvulum, *abierat igitur diu ante obitum Rodulfi, cujus haud dudum post bona invasit idem Hugo Bardulfus, et inde verisimillime Albericus hunc jam tum* Dominum Brecarum *appellat.*

AUCTORE J. P.

in Avunculum facinus

93 *Chiffletius ex hac Charta et tempore, quo interfectus est Walterus frater* Simonis, *conjectat, Bartholomæum e vita sublatum fuisse haud multo post, id est, sub annum* 1065, *Hugonem vero Bardulfum, dum, mortuo Rodulfo avo, Vitriacum, Barum et Firmitatem invasit, fuisse juvenem annorum sedecim vel septemdecim. At cur ista oppida invaserit, nec satis declarat Albericus, qui solus est in hac re auctor antiquus nobis notus;* E *nec operosius disquirit Chiffletius. Dubium non videtur, quin Rodulfus aliquid suarum ditionum filiabus suis assignaverit, quod maritis suis dotem afferrent; sed verisimile non est etiam mihi, Hugonem, vivente Simone avunculo, ex titulo dotis maternæ tria ista oppida occupasse tamquam sua et juste retinenda. Nam teste Guiberto abbate,* Juvenculus Simon, cum mortem pater obiisset, comitatuum ejus honorem obtinuit, *igitur et Barensis comitatus honorem, quo titulo deinde venit* Simon *in instrumentis. Adde, quod ipsemet Albericus ad annum* 1075, *ubi dicit, facta pace,* Simoni *redditam fuisse hereditatem, huic manifeste involvat Vitriacum.*

mitiore sensu

94 *Vacat autem Albericus Hugonem Rodulfi comitis* ex una parte finitimum heredem, *fortasse quia idem Rodulfus testamento sanciverat, ut si* Simon, *filius unicus et heres proximus, in juventute seu absque liberis e vita migraret, pars ditionum determinata transmitteretur ad Veromanduorum comitissam, pars altera ad uxorem Bartholomæi Brecensis earumve legitimos heredes. Et revera,* Simone *sæculo renuntiante, talis facta est* F *divisio, ut ad Hugonem ejusve matrem transmissus sit Barensis comitatus cum Firmitate ad Albam et Vitriaco. Hinc mitiore forsan sensu exponendum Hugonis Bardulfi facinus, quam primo intuitu præfert Alberici relatio et intellexit Chiffletius, in Collectione chronologica Historiæ* S. Simonis, *ita statuens :* 1072. Moritur Rodulfus comes 11 Kal. Martii, et in Montedesiderio sepelitur, quo ipso anno et duobus vel tribus sequentibus rex Philippus Simonis comitis hereditarios fundos populabundus pervadit. Hugo Bardulfus, Bartholomei Brecarum domini et Adelaidis Crespeiensis filius, partes secutus Philippi regis, adversus avunculum suum Simonem arma movet, quibus Barum cum Firmitate ad Albam et Vitriacum occupat. *Mitiore, inquam, sensu id potest intelligi, eo nimirum, ut Hugo Bardulfus videns Simonem avunculum a Philippo rege armis appetitum, veritus sit, ne Juvenis tantis viribus succumberet, et dum rex in potestatem redigebat partem unam ditionum, aliquis in alteram arma converteret. Hinc tria ista oppida, sibi post* Simonis *obitum destinata, invaserit Hugo, munieritque, defensurus ea, si necessitas cogeret, tamquam sua ;* quandoquidem

quandoquidem Avunculum suum illis defendendis imparem fore præsagiebat.

ACCIONE J. P. ...capitur.

95 *Neque obstat, quod dicit Albericus, factum esse* hoc de assensu regis *Philippi : nam vel Hugonis mentem is non perspexerit, vel assensum præbuerit, ne plures sibi asisceret adversarios, puta Theobaldum comitem Campaniæ, Hugonis vitricum; Theobaldi ex priore conjuge filium Stephanum Henricum, Hugonis tutorem, aliosque, quorum intererat ejusdem tueri jura. Ut ita conjectem, facit primo tam clare commendata in Sezaniensi superius laudato instrumento integritas dicti comitis Stephani Henrici, qui dum erat tutor Hugonis Bardulfi restituit bona, quæ defunctus ejus pater Bartholomæus injuste tenuerat, et Hugonem ipsum postmodo induxit, ut actum, ea super re confectum, confirmaret. Is enim, licet non judicaret, arma capessenda esse adversus regem pro defensione* Simonis, *certe non videtur permissurus fuisse, ut pupillus suus tantum facinus in Avunculum committeret. Secundo facit silentium biographi nostri, qui non est veritus acri calamo carpere Philippum regem, Hugonem vero ne nominat quidem.*

§ IX. Fabula de reperto serpente in ore cadaveris paterni; commentum aliud; iter Romanum Sancti et reditus; belli renovatio; recepta hereditas; pax.

Effodi et transferri curat

G*ravissima triennalis fere belli negotia non obfuerunt* Simoni, *quo minus interim principis Christiani partes impleret, et dum pro debitis sibi bonis temporalibus decertabat, cælestia etiam promereri satageret. Tunc quippe, teste biographo, jejuniis et eleemosynis vacabat, corpus macerabat aspero cilicio, et diurnis armorum laboribus defatigatus, nocturnis in ecclesia officiis assistebat. Tunc de defuncti patris animæ salute anxius, Gregorium VII Papam consuluit, et secundum hujus responsum paternum corpus ex Monte-Desiderii, loco, quem vivens injuste possederat, transtulit ad S. Arnulfi Crispeiense monasterium, prout ex eodem biographo et ipsiusmet* Simonis *Charta superius demonstravimus, sed hic repetimus, quia ea fuit causa sive occasio præcipua, cur deinde* Simon *mundanis rebus nuntium remiserit et monachum induerit. Rem ita narrat Guibertus de Novigento.* Quo (*Rodulfo*) ante delationem detecto, et sub oculis Filii ad nudum revelato, cum potentissimi genitoris quondamque ferocissimi tabidum attendisset corpus, ad contemplationem miseræ conditionis se contulit. Et exinde quicquid sublimitatis sibi arridebat et gloriæ, fastidire jam cœpit. Concepta itaque hac ipsa voluntate, fervente tandem desiderio, quod parturiebat, emisit *etc.*

patris corpus, historia

97 *Mabillonius in Observationibus præviis ad vitam* Simonis, *recitato Guiberti textui subdit :* Ejusdem rei testem luculentissimum habemus Theobaldum de Malliaco, cujus ea de re fragmentum versibus barbaris antiquo idiomate Francico expressum laudat Labbeus in Tabulis genealogicis, quod quidem huc referre nemini ingratum fore existimavimus. *His subnectit memoratum Gallicum fragmentum, quod cum tanti faceret scriptor latinus, simul existimare debuisset, rem multo gratiorem præstiturum se, si ejusdem adjecisset interpretationem latinam. Quid enim utilitatis aut jucunditatis afferant versus plerisque lectoribus; qui barbarum istud Gallicum idioma non norunt, et per consequens assequi non valent, an quid iis contineatur diversum a Guiberti testimonio? Nos similia monumenta, latine solum reddita, exhibere consuevimus. Verum hic, quoniam nostræ qualicumque barbari istius idiomatis notitiæ non satis fidimus, textum etiam Gallicum præmittimus, ut sicubi a vera vocum significatione deflexerimus, corrigant ipsimet linguæ peritiores.*

Ains vos vueil amentoivre * de Simon de Crepy (* ramentevoir)
Qui le comte Raoul son pere defouï * ; (* deterra)
Et trouva en sa bouche un froit * plus que demi, (* un serpent)
Qui li rongeoit la langue, dont jura et menti.
Li Cuens vit la merveille, moult en fut esbaï :
Est-ce donc men peres *, qui tant chatiaux broï ? (* mon pere)
Ja n'avoit il en France nuz prince si hardi,
Qui osast ver li fere ne guerre ne estri.
Quant qu'il avoit au siecle laissa et enhai,
Bien le laissa voir, que sa terre en guerpi
Dedans une forest en essil s'enfoui,
La devint charbonners *, i tel ordre choisi. (* moine noir)

98 *Octo priores versus ita interpretor :* (*serpentis*)

Sed in memoriam vobis volo reducere Simonem Crispeiensem,
Qui comitem Rodulfum patrem suum e tumulo eruit,
In cujusque ore deprehendit serpentem plus quam mediocrem,
Qui linguam ipsi, qua juravit et mentitus est, corrodebat.
Vidit prodigium Comes; multum obstupuit :
Isne igitur pater meus, qui tot castra contrivit?
Non erat olim princeps ullus tam intrepidus,
Qui vel bello vel jurgio adoriri ipsum auderet.

Quatuor postremorum versuum interpretatio minus facilis mihi est; sensum tamen esse, opinor, quod Simon *isto spectaculo motus,* deseruerit, quidquid possidebat in seculo, in silva sese absconderit et illic monasticum habitum et ordinem susceperit. *Eodem sensu, ut mox videbitur, quatuor istos versus accepit Chiffletius, qui et aliorum expositioni commodum attulit, dum in apographo suo ms. huc transmisso vocibus Gallicis obscurioribus magis intelligibiles eodem idiomate adjunxit, sicut notavimus in margine.*

in ore ipsius reperti,

99 *Qua ætate floruerit auctor, nec docet Claudius Fauchet, ex cujus libro de Antiquis poetis desumptum est Fragmentum, nec Chiffletius inquirit, nec Mabillonius, nec Labbeus, nec Castellanus in Martyrologio universali pag. 982, ubi idem Fragmentum producit, nec alius, quem norim, præter Adrianum de la Morliere in libro de Illustribus familiis Picardiæ pag. 232. Hic enim recensens personas illustres domus Malliacensis (de Mailly) producit Theobaldum de Malliaco, qui anno 1277 tamquam testis astitit cuidam connubiali contractui, conjectatque eumdem esse, qui Opus istud poeticum concinnavit. Si verum conjectet, dubium esse nequit, quin, ubi differt ab aliis Theobaldus, longe minoris sit auctoritatis, quam Guibertus et biographus, utpote sæculo uno et medio circiter ipsis junior. Præterea Opus ejus* ea

AUCTORE I. V.

ea inter ab omnibus reponitur, quæ Gallice Romans appellantur, et apud omnes latine sonant Historias fabulares, fabulosas narrationes; *at nesciam, quo jure ornetur titulo* testis luculentissimi: *sed loquatur Chiffletius cap. 9 Observationum:* Quod refert Claudius Fauchetus lib. 2 de Veteribus poetis Francis numero 8 ex Theobaldo de Mailly de serpente reperto in ore Rodulfi comitis, cum ejus cadaver effoderetur, aliisquo rei adjunctis, libertatem poeticam sapit: in eo præsertim, quod Simonem ejus filium, eo spectaculo motum, secessisse ait in silvam, ibique carbonarium esse factum: quæ verba secessum ejus in eremum et nigras monachi vestes aut inepte depingunt aut immodestius perstringunt.

vobis commentitia est:

100 Ejusmodi vermium ex humanis cadaveribus productio nihil quicquam habere videtur præter naturæ cursum, quamvis ut plurimum prodigiis vulgo imputata est. Ad eam autem allusit (ut censeo) auctor Vitæ S. Simonis, cum ait cap. 2: « Ecce Vir Dei hoc in facto perterritus » timore, si mundum antea contemptibilem, tunc » horribilem judicavit; si in aliquo dilexerat, » quasi anguem venenosum fugiendum perdocuit. » *Equidem, salvo meliori judicio, crediderim, Simonem ita affectum fuisse partim ex rescripto Gregorii Papæ, jubentis corpus e loco, ante injuste possesso, erui et in alium transferri, proque anima defuncti preces ac pia opera institui, quæ narrat biographus, parti ex conspecto tabido et a vermibus corroso cadavere, hominis olim potentissimi et honore, dignitatibus ac divitiis ornatissimi, ut ex Guiberti narratione intelligimus. Imo dum conjecturis uti fas est, putem; commentum, tale quippe mihi erit historia serpentis, donec meliore testimonio probetur, putem, inquam, commentum istud originem duxisse ex ipsismet biographi verbis, quibus ait, quod Sanctus docuerit, mundum fugiendum esse quasi anguem venenosum. Sed et valde suspicor, ex eodem commento natam esse opinionem de mortuo Rodulfo in excommunicatione, quam attingere visum non est Chiffletio; at quam, mihi versimilem non esse jam semel ac iterum significavi.*

commentum alterum.

101 *Chiffletius post verba proxime citata perstringit aliud de Sancto assertum, aiens:* Notandus est porro Fauchetus, quod Simonem hunc Crespiacensem interpretatur filium spurium Rodulfi I Veromanduorum comitis, Hugonis Magni filii, anno 1130 superstitis. Fuit enim hic certissime sanctus noster Simon, a quo effossum translatumque Rodulfi patris corpus, constat ex tabulis Crespeiensibus et ex ejus vita; ex qua etiam apparet, profuisse Simoni sivo illud humanæ miseriæ spectaculum, sive pietatem in defunctum parentem: ut ex eo maxime tempore sæculi vanitatem aversari cœperit, multa in ecclesias et in pauperes elargiri, aliisque piis operibus viam sibi sternere ad eam, quæ in ipso postmodum effloruit, sanctitatem. *Faucheti et aliorum, qui Simonem nostrum Rodulfi Veromanduorum comitis filium nothum fuisse arbitrati sunt, opinionem refellit quoque Lobbeus in Tabulis genealogicis pag. 147, Labbeoque accessit Mabillonius in Observationibus præviis ad* Simonis *nostri vitam; ego vero, ubi supra de ejusdem natalibus agerem, negligendam duxi, tam aperte nempe falsam, ut legentibus documenta nostra ne minimam quidem verisimilitudinis umbram afferre queat.*

Romam proficiscitur Simon:

102 *Terror, quem conspectus paterni cadaveris injecerat, verisimilius* Simonem *impulit, ut susciperet iter Romanum, quod, narrata translatione Rodulfi, describit biographus ita exordiens:* Interea dum regio regis et ipsius (Simonis) vastatione consumitur, homines a propriis sedibus effugantur, timorem de malefactis amplectitur: mox belli certamina ad tempus differens... Dominum Papam Gregorium, ut sibi pœnitentiam indiceret, adire proponit. Nec mora... Romam, ducente Domino, pervenit. *Idem iter memorat Albericus in Chronico ad annum 1074, verum si sæpe dicta translatione posterius sit, uti spectatis adjunctis et ordine per biographum servato, verisimilius est, juxta statutam superius chronotaxim nobis probabiliorem non contigit ante annum sequentem. Porro gesta Romæ, quæ fusius legemus in vita, in compendium contracta dat idem Albericus, ut sequitur:* Comes Simon Romam abiit, consilium et pœnitentiam requirit, dum regio por guerram inter ipsum et regem Philippum devastatur. Papa Gregorius jussit, ut arma redderet, et sic pœnitentiam indixit. De qua pœnitentia partem Papa super se retinuit, partem duobus religiosis distribuit et sic absolutum eum ad propria remisit, arma reddidit et terram gubernandam, donec cum rege pacem reformaret, commendavit: adhibens etiam ei custodiam Hugonem episcopum Diensem tunc in Francia Cardinalem, et Hugonem abbatem Cluniacensem.

redux arma resumit et victor

103 *Reditum in Galliam et quæ eum secuta sunt usque ad pacem cum rege, refert, idem Albericus ad annum 1073 paucis his verbis:* Comes Simon a Roma reversus regem Philippum aggreditur, nec a bello desistit, donec illum devicit. *Biographus similiter paucis istis:* Revertens igitur sancta jocunditate repletus, rursus regem aggrediens, certamen ut miles optimus, amplexatur et donec victor existeret, licet invitus, a belli negotio minime relaxatur. *Chiffletius in collectione chronologica Historiæ* S. Simonis *refert ista ad annum 1075, nihil de cetero observans; at Mabillonius tom. V Annalium pag. 92 eamdem materiam pertractans, inquit:* Haud scio, quorsum spectabat hæc pœnitentia. Nam reversus ad sua Simon, denuo bellum cum Philippo redintegrat, nec anto destitit, quam, parta victoria, regem ad conditiones pacis adduxit. *Ego ex biographi narratione rem ita concipio.* Simon *armis appetitus, pro defensione bonorum suorum* ad malum, *bellis ordinarie annexum,* invitus *pertractus fuerat.* Concitaverat gentem suam et velut frendens leo, licet corde dolens, perturbaverat et devastaverat, quod in regis repererat potestate.

hereditatem recipit - pax concluditur.

104 *In eo vel ipse forte juvenili et bellicoso ardore abreptus, modum excesserat, vel suos eumdem excedentes non satis compresserat. Omnibus dein maturius ac scrupulosius consideratis, malum omne sibi imputavit, timore correptus fuit, Romam abiit, petiturus pro præteritis noxis pœnitentiam, et pro agendis deinde rebus consilium. Utrumque impertivit Pontifex et revertenti* terram gubernandam, donec cum rege pacem reformaret, iterum commendavit, *ac præterea duos* boni testimonii et summæ auctoritatis *viros ipsi adjutores esse voluit,* Hugonem scilicet Diensem episcopum, qui tunc legationis in Gallia functus est officio, abbatemque Cluniacensem (*S. Hugonem*) quorum doctrinæ et obeditioni subjectus lege divina redderetur instructus, *et quorum opera ac interventu verisimillime pax regem inter et Simonem conciliata est eodem ipso anno, nempe* 1075. *Ad hunc eam refert Albericus; biographus autem sic breviter describit:* Ad ultimum vero regione depopulata, et utrisque laboris gravi pondere

AUCTORE J. S.

pondere depressis, consilium de pace concipitur; colloquium ab utroque mandatur. Quid plura? Fit conveotus nobilium; judicium fit a sapientibus: quæ jure contigerat hereditas, Simoni judicatur et redditur; pax et concordia confirmatur.

§ X. Sancti Comitis ditiones: beneficia facta ecclesiis et monasteriis: fundatio plurium Prioratuum.

Sanctus, recuperatis ditionibus suis.

Ex iis, quæ per decursum Commentarii disseruimus de Rodulfo ejusque ditionibus, facili conjectura assequetur lector, quanta fuerit Simonis, unici filii et heredis potentia; nec mirabitur, hunc a biographo et Alberico appellatum fuisse regis Francorum Primipilum, atque iisdem testibus, a Guillelmo Anglorum rege et Normanniæ duce desideratus fuisse ipsius cum filia nuptias. Aliquot Simonis ditiones, adductis testimoniis, enumerat B Chiffletius in Observationibus mss. dicens. Paternos comitatus possedit S. Simon usque ad seculi abdicationem. Hi erant Crespeiensis, Vilcassinus et Barrensis cum Vitriaco. Nam ut comes Crespeiensis S. Arnulfi ecclesiam donis auxit et Cluniacensi congregationi adjecit: ut Vilcassinus Medantum villam a rege Philippo vindicatam ac receptam cum rebus aliis concessit iisdem Cluniacensibus; ut Barrensis multa S. Eugendo contulit, quæ et a Theobaldo comite confirmari fecit. *Ambianensis comitatus titulum nusquam in Observationibus suis tribuit Chiffletius vel* Simoni *vel Rodulfo patri, nec ejus meminit, in ditionum* Simonis *sæculo renuntiantis divisione inter sorores ejus Viromanduensem comitissam, et conjugem Bartholomæi Brecarum domini; quasi is comitatus ad ipsos non pertinuerit.*

quibus Ambianensis comitatus

106 *Pertinuisse tamen suadebant plurima: primo Dissertatio Boucheti, quam habuit Chiffletius et in qua dilucide ostenditur, quo pacto ad Rodulfi majores et ad ipsum deinde comitatus iste pervenerit: secundo Tabula genealogica comitum Ambianensium apud Adrianum Morlerium, in* C *qua post majores suos recensetur Rodulfus et filius ejus* Simon; *tertio denique Charta ejusdem Rodulfi apud eumdem Morlerium, in qua hunc sibi titulum adscribit:* Ego Radulphus divina elementia comes Ambianis, *dicitque donationi, anno* 1069 *ecclesiæ Ambianensi factæ, assensum præstitum fuisse a* Simone, *tunc unico filio suo et herede,* ut firma et insolubilis perseveraret. *Adderem quarto tamquam testem indubitatum, Hariulfum abbatem Aldenburgensem, S. Arnulfi episcopi Suessionensis, anno* 1087 *defuncti, biographum synchronum apud nos tom. III Augusti ad diem* 15, *sed error latet in altero titulo, quem ipsi adjungit. Sic autem habet:* Fœcundabat Christus suam ecclesiam donis gratiarum, quibus accensi nobiles et inclyti perplures viri relinquebant vanam mundi prosperitatem... inter quos tamquam sydus aureum gloriosus Ambianensium et Veromandensium comes pulcherrimus Simon, filius Radulfi comitis, divino amore inflammatus, abjecit comitatus honorem vel potestatem, reliquit civitates et castella opulentissima *etc. Hic clarissime* Simoni *asseritur comitatus Ambianensis, sed, quod innuebam, error est in adjuncto* D *Viromanduensi, quem nec ipse nec pater Rodulfus umquam possedit.*

accensendus ostenditur.

107 *Eodem forte modo corrigi debet, quo similis error num.* 86 *hujus Commentarii correctus est in corrupto Alberici textu; ita quidem ut pro* Vadensium *per incuriam aut describentium ignorantiam positum fuerit* Veromandensium. *Si quis autem retinere voluerit* Veromandensium, *utatur is via, quam ingressus est Chiffletius ad exponendum Necrologium monasterii S. Eugendi, ubi legitur:* Tertio Kalendas Octobris obiit Simon, comes Campaniæ, monachus nostræ congregationis: *ad quæ Chiffletius:* Cur autem appelletur COMES CAMPANIÆ, qui erat Crespeiensis, Vilcassinus et Barensis ad Albam comes; ratio esse videtur, quia ejus tempore et per illum comitatus Barensis adjectus est Campaniæ, et pars ejus esse cœpit. Fortasse etiam, quia soror ejus Adelais, Theobaldo secundis nuptiis copulata, fuit et reipsa et appellatione Campaniæ comitissa, cum in Campaniæ comitum familiam enupsisset: pronum enim erat, ut fratris et sororis communes vulgo censerentur honorum tituli. *Utatur, inquam, hac via, cum par omnino videatur esse ratio. Nam eodem tempore et per eumdem* Simonem *Crispeiensis seu Vaden-* E *sis, Vilcassinus et Ambianensis comitatus transierunt ad Heribertum IV Viromanduensem comitem propter hujus conjugem, alteram* Simonis *sororem et reipsa et appellatione Viromanduensium comitissam. Præplacet tamen mihi prius assignata correctio, eamdemque applicare malim sacris Fastis, quorum auctores seculi Hariulfum vel Albericum seu potius alterutrius depravatum textum,* Simonem *dixerunt filium comitis Viromanduensis, verba dedi* § 1.

beneficii variis ecclesiis

108 *Quoniam jam mentio incidit instrumentorum, ex quibus varios* Simonis *comitatus probavit Chiffletius, priusquam cum biographo ad Sancti nuptias procedamus, quæ an diu ante ejus a sæculo secessum tentatæ fuerint, non satis liquet, dicta instrumenta aliaque huc transferemus. Inde edocebimur saltem ex parte piam ejus erga ecclesias earumque ministros munificentiam, et munificam erga defunctos pietatem, antequam sæculo valediceret. Dedimus* § 7 *hujus Commentarii ex Marloti Metropoli Remensi et ex Chiffletiano apographo ms. prolixas litteras Rodulfi comitis de donatione facta monasterio S. Remigii Remensis pro sepultura et animæ requie Walterii filii sui,* F *atque eam donationem non tantum a Simone confirmatam tum fuisse ostendimus, sed et monuimus, postea fuisse auctam.*

Remensi S. Remigii

109 *Litteras hac de re confectos et prioribus utrobique annexas, ad hunc locum reservavimus, utpote non dubitantes, quin donatione et obitu Rodulfi posteriores sint. Sic habent:* Iterum notum sit universis Matris Ecclesiæ filiis, quod Rudulfus de Wadenensi villa a Simone comite impetravit donari sancto Remigio quoddam hospitium, quod est in municipio Buxiti castri, in quo hospitarentur supervenientes monachi ejusdem Sancti. Quod idem Simon postquam annuit; per Anselmum monachum et per eundem R. * sancto Remigio fecit donationem; præsentibus Vuidone castellano cum uxore sua; Erigero villico Comitis, Constantio servo ejus, et Adelardo decano. Illa autem donatio sunt duo homines, Vuypertus, Laiberius, duæque feminæ Gisla et Odala cum liberis et domibus et terris * et facultatibus suis. Hæc omnis dedit idem Simon beato Remigio, tam libere possidenda, quam hereditate prius tenuerat. Post hæc donavit

* *Marlot. Rodulfum*

* *ibid. et terris deest*

A vit Constantium, filium Ermengardis, quæ in eleemosina sancti Remigii fuit defuncta. *Præter discrimina in margine signota desiderantur apud Marlotum propria nomina duorum virorum et duarum feminarum, quos S. Remigio dicitur dedisse sanctus Comes. Buxitus autem, teste eodem Morloto, locus est nunc dictus* Pompella, *tertioque lapide dissitus a Remensi civitate.*

Molismensi S. Mariæ,

110 *A Remensi S. Remigii transimus ad Molismense S. Mariæ Ordinis S. Benedicti in Lingonensi diœcesi monasterium, in quo sub ipsis primordiis, (conditum quippe traditur anno* 1075) *mire enituit Comitis nostri liberalitas, non aliis monumentis declaranda vel probanda, quam litteris ex dicti monasterii tabulario desumptis et aliquoties memoratis :* Notum fieri volumus omnibus tam futuris quam præsentibus, quatinus dumnus Symon, comes Barensium, dedit beatæ Mariæ semper Virgini Dei Genitrici, et domno Roberto abbati, fratribusque in loco Molismensi Deo servientibus, quicquid habebat in dominicatu apud villam, quæ dicitur Granciacus : Robertum scilicet et mulierem ejus Wilesendem cum omnibus infantibus suis : silvam, quæ dicitur Carmeacus et piscaturam cum gaura * : eo tenore, ut quotannis anniversarius dies parentum suo- B rum, Radulfi videlicet comitis et Walterii fratris sui et matris suæ Adelæ, nec non et ipsius domni Symonis, postquam obitus ejus evenerit, agatur a fratribus. Consuetudines autem, quas rustici debent, similiter dedit, quatinus in præfato loco Molismensi, quemcumque ipse Comes mittere ad monachatum voluerit, recipiatur et alatur. Signum Symonis comitis. S. Ansculphi Senescalqui. S. Eurardi vicecomitis. S. Widonis de Ulmiaco. S. Fulberti præpositi. S. Arnulfi vicecomitis. S. Drogonis. S. Odardi marescalqui, S. Milonis Orphani. S. Heliæ militis Thorotensis. Actum est hoc publice apud castrum, quod situm est super Albam fluvium, quod Firmitas nuncupatur, regnante Philippo rege. 8 Kalendas Martii obiit Radulfus comes. 8 Idus Septembris Walterius comes. 3 Idus Septembris obiit Adelina comitissa.

* *verisim. scapha*

et aliorum donationes

111 *Robertus abbas, in litteris nominatus, est S. Robertus primus Molismensis abbas et fundator Ordinis Cisterciensis, cujus Acta illustrarunt Majores nostri ad diem 29 aprilis, atque ea* C *occasione monasterii Molismensis, ab ipso conditi, uberiorem notitiam præbuerunt. Litteras istas sequuntur aliæ, in quibus enumerantur variorum donationes eidem monasterio factæ et per Comitem nostrum, a cujus dominio res datæ pendebant, laudatæ et approbatæ : quæ causa est, ut et illas huc transferam :* Sit notum cunctis præsentibus atque futuris, quod Hildierus de Vilenessa dedit Deo et sanctæ Mariæ et conventui Molismensi ecclesiam de Granciaco, et omnia omnino, quæ ad eam pertinent, excepta medietate decimationis. Non solum autem iste, sed et omnes hujus villæ domini dederunt ei sine parte sui molendinum et furnum et decimam, et tertiam proprii laboris eorum, et laboris propriæ familiæ illorum. Insuper etiam largiti sunt ei totam medietatem prædictæ potestatis in omnibus rebus et reddītibus et consuetudinibus sine denominatione ullius exceptionis.

huic factas confirmat :

112 Præfatus Hildierus dedit medietatem unius quadrantis : Wido de Buxo et Odo, frater ejus, medietatem alterius quadrantis : Rodulfus de Capsanno medietatem tertii; Walterius de Avallurra medietatem quarti quadrantis. Hujus autem donationis testes fuerunt Gosbertus de Barro, Hugo Rufus, Ingo, Bencelinus. Et quia præfati domini hæc beneficia a dominis aliis * ; scilicet a Rainaldo de Saxeofonte, et a Milone de Baira, et a Rainaldo conestabulo; et isti donationem factam laudaverunt, et manu propria dando, et testes invocando etiam confirmaverunt audientibus et testimonium perhibentibus Milone, Ailulfo, Eurardo, Widone, Gosberto, Oliverio, Constantino, Benscelino, SIMON autem optimus comes Barrensis, a quo tenebant et isti, donum libentissime annuit et laudavit : et ipse idem insuper prædictæ ecclesiæ dedit, quidquid in prædicta villa in dominicatu habebat : scilicet Robertum et Wilesendem uxorem ejus cum filiis et filiabus suis, et silvam, quæ dicitur Carmeacus, et piscaturum cum gaurea et omnes consuetudines, quas rustici prædictæ villæ ei debebant.

* *auctore J. P. suppl. tenebant*

Jurensi S. Claudii

113 *Plurimis procul dubio beneficiis ornavit Simon S. Eugendi, nunc S. Claudii abbatiam, in qua ipse dein monachum induit. Jacobus Vignerius in Chranico Lingonensi commemorat decem vel duodecim Prioratus sive minora monasteria, quæ* Simon *fundavit vel exstruxit atque curæ ejusdem abbatiæ commisit. Verum dum deficiunt documenta, quibus singula solide confirmemus, præmittimus ex Chiffletii collectaneis Mss. litteras, unde saltem generatim constet, ipsum in dictam abbatiam fuisse beneficum :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quia humanarum rerum actus procul dubio multipliciter vacillat, atque per quasdam innumeras varietates mundana forma defectum et interitum sui quodammodo prætendit, dignum est atque competens, ut rerum transitoriarum appetitus vitetur, et illarum, quæ permanent, omnibus modis exoptetur ac amplectatur facultas. Ut ergo earum mihi jocundissimam portionem præparare possem, tantique boni heres quandoque existerem, notum sit omnibus tam posteris quam modernis, quod ego Teubaldus comes petitioni donni SYMONIS comitis acquiescens, laudavi, ut quicquid in terra Barensi comes Notcherius et Rodulphus et SYMON comes omnesque suæ progeniei beato Eugendo Jurensi dedissent vel daturi essent, totum idem Sanctus in perpetuum absque calumnia men concessu obtineat, atque uxore mea, filiisque meis id ipsum volentibus ac laudantibus, pacifice in sempiternum possideat. Actum est hoc Surunculis ad Pontem Maternæ fluvii anno Incarnati Verbi millesimo septuagesimo sexto. Indictione XV, regni autem donni Philippi VIII X. F

et ei annectit multos

114 *Quo tempore dabantur litteræ istæ, verisimiliter jam Comes noster sæculi abdicationem meditabatur; atque idcirco bona et privilegia, quæ olim in abbatiam contulerant Notcherius, Barensis comes, ac Rodulfus Crispeiensis, quæque ipse adjecerat et adjecturus erat, laudari et rata haberi voluit a Theobaldo Companiæ comite, ab hujus uxore, sorore sua et ab eorum filiis, ad quos devolvi debebat Barensis comitatus. Notæ autem chronologicæ, quos, uti in apographo signantur, huc transtuli, conveniunt ambæ anno* 1076, *qui fuit Philippi* 18, *et quo currere cæpit mense Septembri Indictio* 15. *Audiatur modo Vignerius ad eumdem annum* 1076 . Hoc ipso anno palam facta est admirabilis conversio Simonis, illustrissimi potentissimique Bari super Albam, Crispeii seu Valesii ac Meduntæ comitis, fundatis ab eo illo ipso tempore decem aut 12 minoribus monasteriis, quos Prioratus vocant, sub cura S. Eugendi

gendi : ex quibus sex aut septem spectant ad hunc episcopatum. Primus in urbe ipsa Barrabulensi Petri nomine vocitatur, conjunctamque habet præcipuam oppidi parœciam. Secundus, S. Germanæ sacer, positus est in monte vicino, ubi restant præclara et ampla castrametationis Romanæ vestigia, quam alicubi descripsimus cum aliis notis antiquitatis. Tertius, ut et priores, sat bene dotatus in oppido Firmitatis ad Albam, jucundissimo aspectu. Quartus Sylvæ-rubræ seu Roboretræ in eadem valle secundum Albam fluvium; ut et quintus S. Leodegarii. Sextus vero apud Confinium in eodem tractu. De Motensi in insula est dubitandi locus. Sarmasiensis, qui ei quoque attribuitur, de facultatibus quidem ejus, sed Hugonis, comitis Campaniæ, nepotis, non ejus fundantis proprio fuit : nec est episcopatus nostri.

Prioratus, quorum aliquando

115 *Assignatos a Vigneria Prioratus recenset quoque Chiffletius in Ms. suo* De Prioratibus ubivis terrarum constitutis, qui S. Claudii monasterium velut membra caput suum spectant; *ac singulis adjicit annos documentorum, in quibus Prioratus occurrit mentio : at documentum nullum allegat, quod Sancto posterius non sit; atque hinc* B *conjicimus, nec ipsi ad manum fuisse testimonia, quibus Vignerii dicta stabiliret. Plerosque cum Vignerio collocat in diœcesi Lingonensi, ac de primo ita scribit :* Prioratus S. Petri de Barro super Albam, in quo debent esse duo monachi cum Priore, non incluso sacrista. Memoratur in Bullis annorum 1186 et 1245. *De secundo :* Prioratus S. Stephani et sanctæ Germanæ de Monte Barri super Albam, in quo debent esse duo monachi præter sacristam. Tabulæ annorum 1149, 1159, 1245 Hujus ecclesiam jam anno 1091 Robertus Lingonensis episcopus contulerat Hunaldo abbati et ejus monasterio. *Postrema verba paulo amplius declarat Chiffletius in Chronico S. Eugendi, per abbatum seriem deducto, dicens :* Hunaldo Robertus Lingonensis episcopus adjudicavit ecclesiam, quæ sanctæ Germanæ dicitur, in honore S. Stephani dedicatam, in veteri castro Bari super Albam fluvium; laudantibus et calumniam suam remittentibus abbate et monachis Molundensibus anno 1091.

notitia hic adjicitur.

116 *Idem Chiffletius ibidem paulo inferius agens de Humberto abbate, Hunaldi successore,* C *ait :* Humbertus, qui et Hubertus, privilegium accepit a Paschali Papa II anno Christi 1001. Sequenti vero 1110 eidem abbati Hugo Trecensis et Barensis comes dona, ecclesiis S. Stephani et S. Germanæ de Baro ad Albam ab Adela comitissa avia sua et avunculo suo SIMONE comite collata, firmavit, ipse alia de suo superaddens. *Atque ita nos docet quidem, bene meritum fuisse Simonem de dicto S. Germanæ Prioratu, non ita tamen, ut ipsius primus auctor seu fundator exstiterit; cum eidem Prioratui gratificata quoque sit Adela* Simonis *mater, ipso adhuc Puero, defuncta. De tertio apud Vignerium memorato Prioratu nihil habet Chiffletius in Ms. de Prioratibus præter ista :* Prioratus S. Eugendi de Firmitate super Albam, in quo debent esse duo monachi cum Priore. Tabulæ annorum 1049, 1186 et 1245. *De quarto autem etiam hæc tantum :* Prioratus SS. Felicis et Angoberti de Silvavoura sive de Suvenrosa, ut habent Bullæ annorum 1186 et 1245. *De Quinto.* Prioratus S. Leodegarii de Lastriceyo, *citatque easdem Bullas. De sexto :* Prioratus S. Mauricii de Confinio. Diplomata annorum 1149, 1186 et 1245. *De Motensi prioratu, qui Vignerio septimus et dubius est, silet Chiffletius, nisi forte is sit, quem* Crioratum S. Simonis de Muthua *seu* Multua *appellat in Bisontina diœcesi. Sarmasiensem vero ponit in Catalaunensi diœcesi, ce-* D *tera consentiens Vignerio :* Prioratus sanctæ Mariæ de Sarmasia. Tabulæ annorum 1186 et 1245. Fundatus fuit anno 1093 ab Hugone comite Campaniæ ejusque matre Alaide, et fratre Philippo Catalaunensi episcopo.

S. Arnulfi Crispeiense monasterium

117 *Hic servata qualicumque temporum serie agendum esset de bonis, quibus* Simon 11 *Kalendas Aprilis anni* 1077 *locupletavit Crispeiense S. Arnulfi monasterium pro sepultura et animæ requie parentum suorum, verum dum ad ea elucidanda nihil se offert præter narrationem biographi et Chartam datam num.* 80 *et seq ; ubi de anno emortuali Rodulfi patris disseruimus, eo remittimus lectorem et ad alia properamus. Relatu dignum est instrumentum, quod ex tabulario Cluniacensi descriptum a Boucheto accepit Chiffletius; epistola videlicet* Simonis *comitis ad S. Hugonem abbatem Cluniacensem, per quam ejusdem Congregationi subjicit mox laudatum S. Arnulfi cœnobium, olim a Walterio Albo, comite Vilcassino,* E *ac proavo suo paterno conditum. Tenor ipsius hic est :* Venerando abbati Hugoni et omni Congregationi Cluniacensis cœnobii SIMON comes vestræ sanctitatis servulus salutem. Notum sit vestræ celsitudini, beatissime pater, me vos plus quam omnes homines, in carne viventes, in Domino * diligere, atque proficuum et honorem vestrum, in quantum valeo, quærere. Concedo itaque vobis et omnibus successoribus vestris abbatiam sancti Arnulphi, quæ constructa est in castello ; quod * vocatur Crespy, ut omnino subjecta sit vobis et ut ibi abbatem de vestris monachis eligatis, qui secundum Deum, et secundum Regulam beati Benedicti illud monasterium regere possit.

* al. in Deum

* al. qui

subjicit Cluniacensi

118 Vulo ergo, ut sciatis, me fecisse cum consilio et cum voluntate meorum hominum, scilicet majorum : nec non et regem hanc meo deprecatu sic firmasse chartulam : Philippo videlicet astante, et concedente Silvanectensi pontifice Ivone. Testes Simon dapifer, Simon, Milo, Orfanes. Factum in domo sanctæ Mariæ Parisiensis die festivitas omnium Sanctorum. S. * Philippi regis. *Litteras hasce ex eodem Cluniacensi* F *tabulario typis vulgarunt Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam et scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom. X inter Instrumenta ecclesiæ Silvanectensis. Prioris editio vix differt a nostra, sed posteriorum præter signatas hic variantes lectiones testes ita exprimit :* Simon dapifer Simonis comitis, Milo, Orfanus. *Iidem scriptores ad marginem litterarum notarunt annum* 1076 : *sed eodem tom. col.* 1394 *colligentes gesta Ivonis Silvanectensis episcopi, illis subscripti, monuerunt, anno* 1076 *substituendum esse* 1078, *quoniam* certe hoc anno (*inquiunt*) interfuit Ivo concilio Suessionensi, donatamque Hugonii abbati Cluniacensi a Simone Crespei comite abbatiam sancti Arnulfi confirmavit. *Siquam connexionem habet confirmatio Ivonis cum Suessionensi concilio, quod nec putem, nec scriptores illi clare significant; non inde certa repeti potest litterarum epocha; cum scriptæ sint Parisiis.*

* al. + Sign.

congregationi quam etiam alias

119 *Scribi namque potuissent et Ivonis subscriptione seu approbatione firmarii Parisiis anno* 1077 *vel ante, ac dein Suessionibus in concilio confirmari anno* 1078. *Præterea non ita certum est, concilium*

A *cilium istud habitum fuisse anno* 1078. *Memoratur quidem in Cameracensi Chronico ad hunc annum, ut observat Marlotus tom. II Metropolis Remensis; ipse tamen innectit anno præcedenti. Dormayus vero in Historia Suessionum lib.* 5, *cap.* 14 *non uno argumento contendit, verisimilius habitum fuisse ante* 1078. *Quidquid demum sit de concilio, quominus litterarum scriptionem differamus ultra mensem Novembrem anni* 1077, *suadet Diploma regis Philippi, unde edocemur*, Simonem *ipso anno* 1078 *fuisse monachum. Diploma autem istud, cum nos instruat de aliis beneficiis a* Simone, *verisimillime nondum monacho, collatis in Cluniacenses, haud intempestive hic exhiberi potest :* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Ego Philippus, rex Francorum, omne donum, quod domnus *Simon* dudum comes, modo Dei gratia effectus monachus, dedit ecclesiæ Cluniacensi, quod malo consilio sibi abstuli, nunc reddo atque concedo sibi pro amore prædicti *Simonis* et pro fraternitate loci.

beneficiis exornat. 120 Videlicet Medantam villam atque omnia ad eam pertinentia, scilicet prata et culturas et villas et totam cultam terram, atque illud totum, B quod supradictus Vir de eadem villa possidebat. Ad hæc concedo atque reddo totam piscationem cujusdam villæ, quæ Etluton vocatur, et totam terram cum hospitibus, et triginta nummorum libras de teloneo Medantensis castri : et feodum Arnulphi, qui fuit armiger Walterii comitis : et quadrigas tribus vicibus in unoquoque anno de Bouenvilla. Adhuc etiam concedo quoddam torcular, quod Warinus tribuit meus præpositus. Hujus concessionis sunt isti testes : videlicet Albericus de Cuciaco ; Adam constabularius; Hugo de Pusiaco ; Guiffredus de Calvomonte ; Warnerus Silvanectensis ; Paganus, frater comitis de Curbulleo ; Albericus canonicus ; Humbertus et Willelmus de Roseto ; Hugo Metlindensis comes; Hugo Stavelus de Medanta. Hæc Charta Medantæ est a rege Philippo firmata videntibus supradictis testibus. ✝ Hoc signum regis Philippi regnantis sua manu scriptum anno ab Incarnatione Domini 1078. *Exstat hoc idem Diploma in Bibliotheca Cluniacensi col.* 527 : *sed mendose datum dicitur anno* 1076. *Chiffletius, cujus apographum ms. secutus sum, expresse monet, notari in autographo annum* 1078.

C

§ XI. Nuptiæ bis tentatæ ; bis feliciter a Sancto evitatæ : gradus consanguinitatis ejus cum Mathilde Anglorum regina.

Filiam Heldeberti Marchiæ comitis Quoniam *fixum est Chiffletii Observationes propriis ipsiusmet verbis describere, quotiescumque ordini nostro ac materiæ congruerent, hunc § exordior a capite ejus* 11. Simoni comiti Roma reverso, pace inter ipsum ac regem Philippum, virorum principum ac procerum arbitrio composita, quæsita est uxor Heldeberti Marchiæ comitis filia : quæ videlicet Marchia Arvernos a Lemovicibus disterminat ; unde et alterutri ex his duobus populis subinde adscribitur. In tabulis consecrationis Philippi I regis, anno Christi 1059 confectis, in serie comitum proxime post Willelmum Arvernensem censetur Heldebertus de illa Marchia, nempe Arvernensi, estque hic ipse Heldebertus, qui filiam suam, præstantis formæ et egregiæ indolis puellam, Simoni desponsaverat, inter Marchiæ comites eo nomine secundus. Postmodum Heldebertus IV comitatum suum Henrico II Anglorum regi vendidit anno 1177 in procinctu ad expeditionem Orientalem, in qua obiit Constantinopoli 24 Junii anni 1170 Auctor vitæ S. Simonis cap. 4 * de his ejus sponsalibus cum Heldeberti consulis filia luculentam habet narrationem, in qua eum cum S. Alexio componit, quamvis illi (ut videtur) eo præferendum, quod Alexius die nuptiarum e paterna domo elapsus, soli sibi consuluit, Simon vero etiam sponsæ suæ curam habuit : dum illi persuasit, ut omnibus sæculi a se abdicatis illecebris, Christi sponsa efficeretur. *AUCTORE J. P.* ** apud nos num. 8.*

sponsam suam inducit Sanctus. 122 Illam enim cum duobus « et conversione « et generis propinquitate collegis » ad Casam Dei destinavit, locum religione inclytum, ut ibi, mutata veste seculari, habitum induerentur monasticæ professionis : « quorum alter religiositate pollens, postea Bituricæ civitatis ordinatur » episcopus » Aldebertus, opinor, sive Hildebertus, ex abbate Dolensi archiepiscopus Bituricensis ordine sexagesimus : « qui sedit annis quatuor, mensibus octo et sexdecim diebus » ut refertur in Patriarchio Bituricum apud Labbeum in Nova Bibliotheca : nam id convenit cum temporum rationibus. *Pergit Chiffletius nonnulla observare ad professionem religiosam sponsæ* Simonis *in Casa Dei; nos tamen filum ejus tantisper interrumpimus, ut lectoribus fidem exsolvamus, demusque ea, quæ biographi narrationem confirmantia reperimus apud scriptores antiquos. Hariulfus in vita S. Arnulfi episcopi Suessionensis de Sancto nostro sic ait :* Reliquit sponsam decoratissimam : *Guibertus abbas lib.* 1, *cap.* 10 *de vita sua :* Audivi etiam, quod nobilissimi quamdam generis juvenculam sibi desponderat, quæ cum amantissimum Juvenem sibi et mundo repudium dedisse rescisset, ipsa inferior videri non tolerans, virginalibus Deo servientium turmis virgo perseveratura, sese conseruit. E

ut monialis fiat in Casa Dei, de quo 123 *Albericus in Chronico ad annum* 1076 : Comes Simon dum ad instantiam baronum filiam comitis Hildeberti de Alvernia sortiretur, ad primum colloquium ita convertit eam, quod illa de nocte, ignorante patre, fugit ad monasterium de Casa Dei, ubi facta est sanctimonialis et cum ea duo nobiles, quorum unus postea fuit archiepiscopus Bituricensis. *Est porro Casa Dei in Claromontensi Arverniæ diœcesi Ordinis S. Benedicti virorum monasterium, atque ea propter Observationem suam protrahens Chiffletius, quæstionem inducit :* Sed gravis, *inquit*, hinc existit difficultas de nobilissimæ virginis professione in Casa Dei, nullum enim apparet in hujus monasterii Annalibus vestigium parthenonis, in quo illa vel sola vel cum aliis monialibus vitam asceticam profiteri potuerit. Qua in quæstione sane difficillima hoc primum statuo, vere illam in Casa Dei factam esse sanctimonialem. Disertis verbis hoc affirmat auctor antiquus vitæ S. Simonis cap. 4, ex quo Albericus in Chronico ad annum 1076 : (*hic inserit verba Alberici data num. præcedenti*). Non est verisimile concessisse in eremum illustrem hanc heroinam absque puellarum comitatu ; aut si sola elapsa est e paterna domo, invenit haud dubio in Casa Dei jam constitutas alias ejusdem propositi virgines ; vicinis quidem F

AUCTORE J. P.

quidem Casæ Dei virorum monasterio cellulis, ut hæ ab illis et verbo Dei, et sacris ministeriis juvari possent, sed tamen a virorum contubernio discretis, propter famam et propter conscientiam.

et Elariacensi monasterio

124 Clare autem Guibertus abbas de Nogento in vita sua, nobilissimam hanc Simoni comiti desponsatam juvenculam, ejus hortatu virginalibus Deo servientium turmis sese inseruisse affirmat. Neque singulare id fuit in Casa Dei. Nam annis abhinc mille et ducentis S. Romanus in Monte Jura, et non multo post S. Leonianus Viennæ allobrogum moniales haud procul a monachis locarunt et (ut notat Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii pagina 70) Marchianense, Hasnoniense, Dononiense et alia nonnulla Belgii vetustiora cœnobia olim sexus utriusque fuerunt. *Ab hac quæstione procedit ad aliam : quid nempe istis Casæ Dei monialibus factum sit; conjectatque virgines illas, quas inter erat Simonis sponsa, a Jarentone, qui ex Priore Casæ Dei anno* 1077 *factus est abbas monasterii S. Benigni Divionensis, deductas fuisse Lareyum sive Elariacum, vicum ditionis S. Benigni in Benigniani monasterii prospectu positum : atque hinc originem repetit* B *Elariacensis parthenonis.*

quædam notantur.

125 *Conjecturam hanc typis communem fecit Chiffletius in Opusculis suis quatuor pag.* 181 *inter Excerpta de vita S. Bernardi, eamque non absimilem veri dixit Mabillonius tom. V Annalium pag.* 130. *Sed hic locum, quem supra quærebat Chiffletius, ubi nempe* Simonis *sponsa religiosam vitam primum professa sit et unde sacras Deo virgines Lareyum arcessivit Jarento, ex alia verisimile etiam conjectura assignaverat ibidem pag.* 9 *in hunc modum scribens :* Quædam etiam virginum cœnobia eidem abbatiæ (*Casæ Dei*) subjecta fuere, quorum unum sancti Andreæ de Cumis olim, postea de Valle Dei appellatum, vivente sancto Rotberto (*obiit anno* 1067) condi cœpit. Situm est in diœcesi olim Claromontensi, modo sancti Flori ad ripam Sinus-aurei fluvioli. *Paucis interjectis :* Hodie quoque subsistit (*iste parthenon*) Casæ Dei subjectus, in quo beati Simonis Crispiacensis sponsa monasticum habitum videtur induisse.

Nuptias cum filia Anglorum regis

126 *Vix Simoni, evitatis feliciter nuptiis, ad suos reverso, et verisimilius ad sponsæ exemplar sæculo nuntium remittere meditanti, novus isque* C *gravior sustinendus fuit impetus. Guillelmus rex Anglorum, et dux Normannorum, qui in aula sua Comitem nostrum enutriverat, et forte nuper in defensione hereditatis suæ armis adjuverat, sive ex tenerioris affectu amoris, quo in ipsum ferebatur, sive desiderio Principem, inter Francos usque adeo potentem, arctiore vinculo sibi obstringendi, ipsum ad matrimonium cum filia sua invitavit et ardenter sollicitavit. Rem fusius explicatam a biographo ita in compendium contraxit Albericus in Chronico ad annum* 1076 *apud Leibnitium :* Et ecce rex Anglorum Guillelmus Nothus, qui eum nutriverat, mandat Simoni, ut ad suum colloquium Normanniam festinus occurrat : qui cum venisset ad regem, ait illi : Nutrimentum meum, quod in te °, augmentare cupiens, neglectis nuntiis regis Hispaniarum Effunsi et Roberti principis Apuliæ, tibi filiam meam, quam quærebam *, tradere in uxorem præelegi. Ad hoc reverenter Simon respondit : Domina mea, ait, regina uxor tua et ego cognatione jungimur parentali et generis propinquitate : sed volo, si placet, Domini Apostolici super hoc consilium et auxilium flagitare. Rege præbente assen- D sum, cum Simon Romam pro prædicta causa debuit properare, se monachum devovens, sanctum Eugendum cum quibusdam viris nobilibus adivit. *Discutienda ac elucidanda essent nonnulla in his Alberici post biographum assertis, ac præ ceteris objecta Guillelmo regi a Simone cognatio sanguinis cum regina illius conjuge; at succurrit denuo Chiffletius Observationum suarum cap.* 12, *cui hunc titulum affixit :* Quænam fuerit Simonis comitis cum Mathilde Anglorum regina consanguinitatis : *quodque proin totum huc transfero.*

° *v. idde est*

* *forte quærebant*

declinat, causans suam cum regina

127 Ex Mathilde, Balduini V Flandriæ comitis, cognomento Insulani, filia, suscepit Guillelmus Conquestor, dux Normanniæ et Angliæ rex, quatuor filios, Robertum, Richardum, Guillelmum et Henricum : quinque autem filias, Agatham, Adelizam, Constantiam, Adalam et Cæciliam, ut referunt Anglicanarum rerum scriptores, ac nominatim Ordericus Vitalis Ecclesiasticæ Historiæ libris 3, 4, 5 et 7. E quinque filiabus, ad cujus maxime nuptias invitatus fuerit Simon comes, Adefonso Hispaniarum rege et Roberto Guischardo Apuliæ duce posthabitis, incertum mihi est. Hic tantum obiter moneo, regem illum Hispaniarum, qui in vita S. Simonis Anfurfus vel E Aufurfus (*in Acherii et Mabillonii editionibus* Aufursus) scribitur, Elfunsum (*in Leibnitiana* Effunsum) dici ab Alberico ; Anfonsum in tabulis Trenorciensibus, Adefonsum in Chronico Falconis a nobis edito ; sive hæc menda sunt a librariis sive a populorum idiotismis, Alfonsus certe est, ut vulgo nuncupatur, qui Constantiam uxorem duxit, Hugonis Cabilonensis comitis relictam, Roberti Burgundiæ ducis filiam, Roberti Pii Francorum regis neptem, de cujus insigni pietate consule Historiam nostram Trenorciensem.

consanguinitatem; hujus duplicem

128 Cæterum oblatas regiæ puellæ nuptias prudenter declinavit Simon comes obtentu suæ cum ejus matre Mathilde consanguinitatis : super ea consulendos admonens legum peritos, ipsumque (si necesse foret) Romanum Pontificem adeundum. Et erat certe cognatio eorum duplex intra septem gradus ævo illo prohibitos, prima sub capite Arnulfo Magno Flandrensi comite ; altera sub Herberto I comite Veromandensi, ut videre in tabulis sequentibus.

Tabula I

Arnulphus Magnus, Flandriæ comes.

I. *Balduinus III* Flandriæ comes.	I. *Eldegardis*, uxor Waleranni comitis Vilcassini.
II. *Arnulfus II* Flandriæ comes.	II. *Walterius I* comes Vilcassinus.
III. *Balduinus IV* Flandriæ comes Barbatus.	III. *Walterius II* comes Vilcassinus. Uxor Adelais Crespeiensis.
IV. *Balduinus V* Flandriæ comes, Insulanus, cujus uxor Adela, Roberti II Francorum regis, filia.	IV. *Rodulfus* I comes Crespeiensis.
V. *Mathildis* Anglorum regina.	V. *Rodulfus II* comes Crespeiensis, uxor Adela Barensis comitissa.
VI. N. filia Mathildis.	VI. *S. Simon*.

F

129 *Tabula II.*

A

tabulam damus ex Chifflctio.

Tabula II.

Herbertus I Veromandensis comes.

I. *Adela*, uxor Arnulfi I comitis Flandrensis.	I. *Beatrix*, uxor Roberti I Francorum regis.
II. *Edeltrudis*, uxor Walterii I comitis Vilcassini.	II. *Hugo Magnus*, dux Francorum.
III. *Walterius II* comes Vilcassinus.	III. *Hugo Capetus*, rex Francorum.
IV. *Rodulfus I* comes Crespeiensis.	IV. *Robertus II* rex Francorum.
V. *Rodulfus II* comes Crespeiensis.	V. *Adela*, uxor Balduini V comitis Flandriæ.
VI. *S. Simon*	VI. *Mathildis*, Anglorum regina.

Facile obtineri poterant in his gradibus dispensationes, præsertim inter regii sanguinis conjuges. Sed alias nuptias cogitabat Simon comes, Christi nimirum e Cruce pendentis castos amplexus. B *Huc usque Chiffletius, qui mox capite sequenti inquirit, quo tempore et sub quo abbate* Simon *comes factus sit monachus ad S. Eugendum, quam quæstionem etiam nos separato § agitandam judicamus.*

§ XII. Susceptio vitæ monasticæ, ejusque epocha; illustres propositi ipsius imitatores.

Sanctus Romam ire prætendens.

E*lapsus modo, quo narrat Albericus, ex aula Guillelmi regis* Simon, *non aliam videtur maram interposuisse, ut ad monasterium confugeret, quam quæ exigebatur, ut ad iter Romanum sese rite accingeret.* His dictis, pariter abscesserunt (*Guillelmus rex et* Simon *comes, inquit biographus*) deinde quæ parari videbantur, omnibus per ordinem dispositis ad ambulandum, C relicta domo, omissis deliciis, quarum ubertas tanta illi affluebat, ut pene post regem in tota regione nullus ditior, nec rebus opulentior videretur, cum Romam ire debuit, se monachum devovens, sanctum Eugendum adire disposuit. Quo postquam perventum est, junctis sibi de familia quibusdam viris nobilissimis, omnes pariter cum gaudio sanctæ Trinitatis religionis habitum susceperunt. *Veruntamen neque Alberici, neque biographi modus narrandi nos cogit moram istam ad tam breve temporis spatium restringere, ut nequiverit Sanctus interea donationes facere ecclesiis, saltem aliquibus ex supra recensitis, imo et supremam voluntatem de facultatibus coram fidis amicis ac idoneis testibus scripto mandare, postea sororibus suis earumque conjugibus ac liberis intimandam: ad præscindendos videlicet dissensiones, lites, pugnas, quæ ex tali secessu absque prævia dispositione et cautela erant probabilius secuturæ. Nec erat aliquid, quod ita urgeret ex parte Guillelmi Anglorum regis, cui, licet nuptias* Simonis *cum filia sua avide concupisceret, verisimiliter animus non fuit, invitum ad eas adigere, et mora paulo longior ipsi suspecta esse non debuit, utpote existimanti,* Simonem *vere Romanum iter cogitare, et velle pro sua ac regiæ sponsæ dignitate ad obtinendam dispensationem comparere coram Pontifice Maximo.*

mundo valedicit

131 *Non minus honorifice, quam biographus, loquitur de* Simonis *comitis secessu æqualis auctor vitæ S. Arnulfi Suessionensis episcopi Hariulfus apud nos tom. III Augusti, pag. 239, num. 46:* Fœcundabat Christus suam Ecclesiam donis gratiarum, quibus accensi nobiles et inclyti perplures viri relinquebant vanam mundi prosperitatem et seipsos mortificando acquirere contendebant divinam nobilitatem: inter quos tamquam sydus aureum gloriosus Ambianensium et Veromandensium comes pulcherrimus Simon, filius Radulfi comitis, divino amore inflammatus, abjecit comitatus honorem vel potestatem; reliquit civitates et castella opulentissima, reliquit sponsam decoratissimam, atque Christum sequi exardescens, de tantis opibus nudus evasit, et totam Francorum deserens gentem, in qua inter millia servorum dominabatur, in partes Italiæ se contulit, ob hoc præcipue, ut copiam inveniret visendi et adorandi sacratissimam gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli præsentiam: quorum E dum sacras memorias divinitus inspiratus, pia devotione frequentius adiret, innotuit tanti Viri devotio domino Papæ Gregorio VII. *Hactenus Hariulfus, qui, dum brevitati studeret (nam de* Simone *tantum locutus ibi est, quia ejus mors, Romæ obita, miraculose revelata fuit S. Arnulfo, tunc apud S. Medardi Suessionense monasterium recluso)* nonnulla *prætermisit et alia confudit. Neque enim* S. Simon *e Galliis recta in Italiam perrexit, uti Hariulfi verba præferunt, sed in S. Eugendi monasterium se recepit; nec Gregorio VII Papæ* Simonis *devotio innotuit; dum* Simon *frequenter sanctorum Apostolorum limina adibat; sed dum in eremo degebat, unde per litteras ad abbatem S. Eugendi missas a Pontifice Romam vocatus est. Reliquam Hariulfi narrationem dabimus, ubi de obitu* Simonis *agendum erit. Videamus nunc, quomodo de secessu ipsius loquantur alii scriptores veteres.*

et apud S. Eugendum fit monachus;

132 *Sæpe laudatus Guibertus abbas in vita sua,* Exinde, *inquit,* quicquid sublimitatis sibi arridebat et gloriæ, fastidire jam cœpit (*Simon*) Concepta itaque hac ipsa voluntate, fervente tandem desiderio, quod parturiebat, emisit, et F patriæ suorumque fugax, fines excedens Francicos, Burgundiam ad sanctum Eugendum in territorio Jurensi concessit. *Joannes monachus in Chronico Besuensi apud Acherium in Spicilegio tom. II editionis 2 pag. 434 Stephani juvenis nobilissimi, primum apud S. Eugendum monachi, deinde in Besuensi monasterio abbatis, gesta commemorans, plures asserit isto ævo principes, relicta sæculo vanitate, Christo se mancipasse, eorumque antesignanum statuit* Simonem *comitem his verbis:* Horum vero exstitit caput et dux quidam comes Francorum nobilissimus, Simon nomine, Rodulphi comitis *. Hic divina respectus misericordia, mundum fugientem fugit et Christum vocantem se sequutus est. Expetiit autem cœnobium sancti Eugendi Jurensis, ibi Christo se sacrificaturus. Præmiserat ante se duos illustrissimos viros, domnum Rodulfum et dom. Franconem; secum vero duxit domnum Rotbertum, dom. Arnolfum et dom. Warnerium. Hi omnes et secundum genus seculi clarissimi et secundum Deum nobilissimi, postea se holocaustum Deo obtulerunt.

* *adde* filius

AUCTORE I. P.

ad id ante fuerat monitus in somno;

133 *Recentiorum hac super re non addo testimonia, utpote non aliis vel certe non melioribus nixa, quam jam datis veterum scriptorum assertis. Causam autem, cur* Simon *præ ceteris monasteriis elegerit Jurense S. Eugendi, unus edocet biographus verbis sequentibus.* Cum olim (*Simon*) adhuc in sæculo positus, vi febrium teneretur, beatus Arnulfus et ipse sanctus Eugendus, aliusque, cujus nomen et faciem ignorabat, dormienti illi in viridario apparuerunt, admonentes, ut illuc abiret, ibique Deo militans, permaneret, permanens sub abbate monachus ordinaretur et esset. Qui statim a lectulo surgens, ab infirmitate convaluit, et voce magna clamavit, dicens: Sanus sum; et hi, qui aderant, tres domini, ubi sunt, et quo abierunt? Qui vero de familia præsentes affuerunt, ignorantes, quid diceret, se nescire, professi sunt. *Nec tempus visionis hujus assignat biographus, nec ullam notam chronologicam præbet, unde constet de anno, quo illi obtemperans* Simon, *illuc se contulit.*

secessus iste in monasterium

134 *Albericus id refert ad annum* 1076, *eumque secutus videtur Vignerius in Chronico Lingonensi, dum ad eumdem annum ita scripsit:* Hoc B ipso anno palam facta est admirabilis conversio Simonis, illustrissimi potentissimique Barri etc. comitis. *Chiffletius; neglecto Alberico, refellit alios, juxta quos id multo citius contigisset, ita exordiens Observationum cap.* 13, *ubi quærit,* quo tempore S. Simon, et sub quo abbate factus sit ad Sanctum Eugendum monachus; Anonymus auctor Chronici cujusdam Jurensis, ante annos abhinc quadringentos conscripti, Simonem Campaniæ comitem in S. Eugendi monasterio habitum monasticum induisse asserit sub Wlfredo abbate, ac deinde sub ejus successore Bertrando abbate, captato in eremum secessu, prioratum fundasse, quem de Muthua vulgus appellat. Hunc secuti recentiores, Claudius du Saix et Henricus Boguetius: sed procul a vero omnes. Certum est enim, S. Simonis ingressum in S. Eugendi cœnobium, quem anno 1077 vera chronologia assignat, omnemque ejus conversationem monasticam, quæ totos quatuor annos non explevit, in Odonis abbatis tempora incidisse.

contigit probabilius

135 *Falsitas sententiæ, quam refellit Chiffletius, colligi debet ex Jurensium abbatum Catalogis,* C *in quibus post sæculum 9 nullus occurrit nomine Wlfredus. Quod posterioribus verbis asseruit Chiffletius de tempore Odonis abbatis, propugnat dein adversus Chronicon Bezuense Joannis monachi, cujus textum, suæ sententiæ utcumque contrarium, perturbate scriptum esse, observat, et explicat. Verum hanc ejus animadversionem satis prolixam huc non adduco, quoniam per eam intendit tueri potius suam de abbatibus Jurensibus chronologiam, evincereque abbatiæ præfuisse Odonem, quando eo se* Simon *contulit, quam determinare aut stabilire annum, quo id contigit, quique aliunde ipsi visus est adeo certus, ut nude istic asseruerit;* Ingressus est monasterium S. Simon ineunte anno 1077, *ne allegatis quidem, quæ certe habuit, assertionis suæ argumentis vel documentis. Documenta autem præcipua sunt duæ Chartæ superius jam recitatæ, quarum altera ipsismet* Simonis *in gratiam cœnobii S. Arnulfi Crispeiensis confecta* in Crespeiaco castello 11 Kalendas Aprilis anno Incarnati Verbi 1077: *altera Philippi regis Francorum pro Cluniacensi monasterio conscripta anno ab Incarnatione Domini* 1078. *In priore quippe tam locus, quo scripta est, quam titulus, quem sibi dat:* Ego Simon D Dei gratia comes, *et reliquus contextus manifestant, ipsum etiam tunc sæcularem fuisse: ex secunda vero liquet, sequenti anno fuisse monachum, quoniam diserte dicit Philippus rex:* Domus Simon dudum comes, modo Dei gratia effectus monachus.

136 *Itaque stantibus hisce Chartis dubium esse nequit, quin alterutro anno factus sit monachus. Priori, nempe* 1077 *id consignant eruditi nunc passim, nominatim Chiffletius, Bouchetus, Mabillonius: rationem non edicunt: ipsorum tamen sententiæ lubens subscribo, vel ex isto capite, quod constet, anno sequenti etiam monachum fuisse Widonem Matisconensem comitem, uti ipsemet scribit in Charta apud Acherium in Spicilegio tom. VI editionis primæ pag.* 457: Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Wido aliquando comes Matisconensis... contuli me ad memoriam sanctorum apostolorum Petri et Pauli in monasterio Cluniacensi, ut de cætero ibidem regulari disciplinæ subditus, pœnitentiam agerem..... Actum anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo octavo. *Eodem similiter anno Cluniacum se recepit Hugo dux Burgundiæ, uti probat* E *Mabillonius tom. V Annalium pag.* 129. *Sed ambo isti viri principes pium istud consilium conceperunt aliquanto saltem tempore, postquam id exsecutioni mandaverat* Simon, *quandoquidem hujus exemplum ipsos incitaverit, teste Alberico et biographo nostro, cujus hæc verba sunt:* Igitur Flandriæ, Normanniæ, cæterisque Galliarum partibus usque ad fines Germaniæ, tanti Viri (*Simonis*) rumore suscepto, stupore repleti, mirabantur; quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo et tam carus omnibus erat, quatenus Hugo Burgundiæ dux, comesque Matisconensis et ejusdem ordinis quamplures, pietatis affectu et illius dulcedine inflammati, arma deponerent, seculum relinquentes. Quis enim illius exemplo conversionem morum penitus non appeteret, ac vitæ propositum in melius non mutaret? Nobiles pariter et ignobiles, audito ejus nomine, imitabantur.

anno 1077; Burgundiæ ducem et alios

137 *Hugonis ac Widonis elogia ex antiquis scriptoribus collegit Mabillonius in Observationibus præviis ad vitam* S. Simonis. *Chiffletius autem in suis mss. Observationibus elenchum exhibet eorum, quos idem* Simon *propositi sui socios vel sectatores habuit, at nominatim alios non exprimit,* F *quam qui jam nobis innotuerunt ex biographo et Joanne monacho, auctore Bezuensis Chronici. Plures numero fuisse abunde significat biographus, et inde insuper licet conjicere, quod unus Hugo dux Burgundiæ, socios habuerit triginta:* Seculo valedicens (*Hugo*) cum 30 sociis Cluniacum se recepit salutis anno 1078, seque in cella abdidit. *Ita Vignerius in Chronico Lingonensi.*

viros illustres habuit imitatores.

§ XIII.

A

§ XIII. Missio Sancti ad Philippum regem, ejus præsentia in translatione sacræ Sindonis Compendiensis, pax ab ipso composita inter Guillelmum regem Angliæ et Robertum filium. Iter Romanum, pax item composita inter summum Pontificem et Apuliæ ducem, horum disquisitio chronologica.

Mittitur ab abbate ad regem Philippum;

I*ntacta prætereuntes pleraque* Simonis *gesta in monachatu, puta virtutum exercitia, studium orationis, victus austeritatem, vigilias, corporis* B *afflictationes, beneficia divinitus obtenta ac similia, quæ a coævo biographo sat clare descripta nec aliunde confirmanda sunt, pauca seligimus, quæ majori discussione vel elucidatione egent, quam ut facile expediri id queat in Annotatis. Primum hujus generis occurrit num.* 20, *ubi, cum narrasset biographus, quod Sanctus, jam aliquamdiu monachus, de licentia abbatis secessisset in eremum cum paucis sociis, ut impensum sibi a monachis propter eminentes virtutes honorem declinaret, ita pergit :* Eodem vero tempore, bonæ memoriæ Hugone abbate Cluniacensium rogante, ut ipse beatus Vir in Galliam proficiscens, pro eo regem Francorum Philippum, qui sibi quædam auferebat, alloqueretur et corriperet, abbatis sui imperio in Galliam profectus est. Accidit autem, eo proficiscente, apud Compendium oppidum regis, ut sudarium Domini levari debuisset, et capsa aurea decentius deponi. Quod Vir Domini audiens, ab itinere, quod rectius videbatur, ut illuc abiret, aliquantulum divertit, ac in brevi, Domino ducente, pervenit. Qui beati Curnelii, quasi sub occulto templum ingressurus, *a populo agnitus est et ad regem perductus,* C *quod petiit, impetravit. Postrema in compendium contraxi, quia mox recurrent integra.*

interest translationi sacræ Sindonis Compendii.

139 *Adduxi num.* 119 *et seq. diploma anni* 1078, *in quo Philippus rex ait :* Omne donum, quod domnus Simon dudum comes, modo Dei gratia effectus, monachus, dedit ecclesiæ Cluniacensi, quod malo consilio, sibi abstuli, nunc reddo *etc. An illud diploma datum fuit ea occasione, qua de agit hic biographus? Equidem illam in opinionem multum propendeo. Sed latet difficultas in iis, quæ admiscet narrationi suæ idem biographus de præsentia* Simonis *in elevatione et translatione sacri Sudarii Domini nostri Jesu Christi, quod in ecclesia S. Cornelii Compendiensi olim depositum fuit a Carolo Calvo imperatore, et servatur ad nostra usque tempora. Verum cum difficultatem istam primus, quem novi, detexerit P. Petrus Franciscus Chiffletius, eamque exposuerit ac tollere conatus sit toto capite* 14 *Observationum suarum sub hoc titulo :* Quo tempore interfuerit S. Simon translationi sacræ Sindonis Compendiensis etc., *dictum caput, ut Opus ipsi proprium, distincto charactere lectoribus exhibeo.*

140 Joannes Jacobus Chiffletius, frater meus, in Crisi historica de Linteis sepulcralibus Christi Servatoris, cap. 26 de Sindone Compendiensi describit Tabulas episcopi Suessionensis, vel potius Antonii Raguet, presbyteri et publici notarii, datas 21 Octobris 1616 de visitatione Sindonis Compendiensis, quibus inclusum est diploma Philippi I Francorum regis, datum anno 1092, Indictione 15, quo testatur rex, « se fratrum Compendiensis ecclesiæ supplici » commonitione, et præcipue creberrima flagitatione Christianissimæ Mathildis, Anglorum » reginæ; » Sindonem Compendiensem transtulisse ex vase eburneo, in quo imperator Karolus eam deposuerat, « in aliud vas, quod præ» dicta Anglorum regina auro, gemmis et pre» tiosissimis lapidibus mirifice ornatum et deco» ratum ecclesiæ Compendiensi transmiserat. » Id factum esse « die Dominica Lætare Jerusa» lem, quæ est media Quadragesimæ : ibi congregata innumerabili et infinita Christianorum » multitudine. « Sequuntur in diplomate regiæ largitiones erga ecclesiam Compendiensem, et indictio sollemnitatis anniversariæ in eadem ecclesia his verbis. » Ad memoriam itaque tam » præclaræ tamque celeberrimæ solemnitatis statutum et decretum est a nobis et ab episcopis » nostris, quatenus prædicta Dominica mediæ » Quadragesimæ omni tempore sollemnis et authentica apud omnes fideles, qui ad eumdem » locum pro indulgentia suorum peccaminum, » per merita beatorum martyrum Cornelii et Cy» priani impetranda, omni annorum revolutione » redirent, haberetur et celebraretur. « Subdit Antonius Raguet notarius nomine Focaldi de Bonneval, Suessionensis episcopi, sacram Sindonem multorum oculis spectandam propositam fuisse, cum * quadringentis vigintique quatuor » annis « inclusa latuisset, oe cui dubium hæreret de subscriptis regiis tabulis anno illo Christi 1092, cum huic summæ adjecti anni 424 annum attingant 1616.

Auctore I. P. Sententia Chiffletii

E

141 Nunc vide ex temporum rationibus difficultatem. Affirmat Ordericus lib. 7 Hist. pag. 647, obiisse Mathildem Anglorum reginam tertio Nonas Novembris anno Christi 1083, Indictione 7. Quomodo igitur ejus creberrima flagitatione Philippus rex anno 1092 transtulit Sindonem in auream thecam ab ea oblatam, cum illa septem ante annos vivere desiisset? Refert auctor antiquus Vitæ S. Simonis cap. 11 *, illum abbatis sui imperio iter aggressum esse ad regem Philippum, ut quiddam ab eo repeteret, quod sibi ablatum Hugo abbas Cluniacensis querebatur : « Accidit autem (inquit) eo » proficiscente, apud Compendium oppidum » regis, ut Sudarium Domini levari debuisset, » et capsa aurea decentius deponi. Quod vir Do» mini audiens, ab itinere, quod rectius vide» batur, ut illuc abiret, aliquantulum divertit, » ac in brevi, Domino ducente, pervenit, qui » beati Cornelii quasi sub occulto templum » oraturus ingressus, a quibusdam, qui festivitati » intererant, statim agnoscitur : et mox, fama » pervolante, rumor in auribus vulgi suscipitur : vox populi et turbæ lætantis clamor » attollitur : Simon fere ab omnibus clamatur; » Simon certatim aspicitur; et sic ad palatium re» gis vix (turba premente) subtrahitur. Quem » rex, qui nuper advenerat, diligentissime intuens, honore perdebito suscepit, eumque » blande allocutus, si quid ab eo postularet, se » obsequi præparatum libentissime repromisit : ille vero

de tempore

F

* hic num. 20

AUCTORE J. P.

« vero petitionis suæ non immemor, quid sibi » quæreret, innotuit, et sicut petierat, impetra- » vit. »

dicta

142 Ad hæc objecta duo quædam reponi posse video. Primo, apographum esse diploma Philippi regis, tabulis, anno 1616 conscriptis, illigatum : in autographo adnotationes temporum, aut nullas fuisse aut vetustate obliteratas; ac notarium in iis ex conjectura supplendis aberrasse a vero, atque sic translationem illam anno, postquam facta erat, tertiodecimo adscripsisse; cum ignotum illi esset, Mathildem Anglorum reginam anno 1085, sanctum Simonem, ex comite monachum, ejus translationis inspectorem, anno 1080, e vivis abiisse. Fateor ego quidem, frequentes esse tabulariorum in describendis vetustiorum diplomatum apographis hallucinationes. Verum cur, amabo, hic notarius annum potius 1092 his tabulis subscripsit, quam alium quemlibet? Cur etiam anno 1092 Indictionem 15 junxit, cum illo optime convenientem?

translationis

143 Mihi ergo videtur verisimilius, translatam omnino fuisse sacram Sindonem e loculo eburneo in auream capsam, Mathildis Anglorum reginæ munus, anno Christi 1079, præsente S. Simone : regium porro diploma datum esse anno 1092; quod eo anno (postquam id sacrum pignus concursu populorum, ac per illud obtentis Deo multis beneficiis celebrius factum esset) Philippus rex consultis super ea re aliquot regni sui episcopus, Dominicam illam mediam Quadragesimæ in omnes annos consequentes anniversariæ Sindonis Compendiensis sollemnitati addictam fore sanxerit : multisque insuper donis ac privilegiis sanctorum Cornelii et Cypriani ecclesiam auxerit : in eo tamen diplomate præmitti Sindonis in thecam auream translatæ seriem, quod ea translatio, tredecim ante annis facta, his beneficiis occasionem præbuisset : tunc vero magno populo spectandam rursus fuisse exhibitam, et exinde mansisse intactam : ut sine mendacio scripserit publicus tabellio, illam, cum anno 1616 inspecta est, prius totis quadringentis et viginti quatuor annis inclusam latuisse. *Ita Chiffletius, cujus conatum, ut memoratam in diplomate sacræ Sindonis translationem conciliet cum ætate,* Simonis, *atque ita fidem et auctoritatem biographi sartam tectam conservet, laudo et amplector, maxime quia non video, quid tantopere biographi interfuisset adstruere* Simonis *in translatione præsentiam, quam non novisset ex testibus fide dignis.*

et nostra. Adit Sanctus regem Angliæ

144 *Non omnibus tamen Chiffletii adjunctis, quæstioni principali nihil immutationis afferentibus atque adhæreo. Ac primo quidem ob rationem supra indicatam, non absimile a vero mihi apparet, translationem uno anno, quam ipse statuit, citius factam esse, anno nempe 1078. Secundo Mathildis Anglorum reginæ vitam protrahere non ausim ad annum usque 1085, ceteris passim scriptoribus mortem ejus illigantibus anno 1083. Commemorat eam quidem Ordericus ad 1085, sed non asserit determinate tunc contigisse : imo notæ chronologicæ, quas Chiffletius ex Olderico desumpsit :* 3 Nonas Novembris, Indictione 7, spectant ad annum 1083, *eo quippe a mense Septembri inchoata erat Indictio 7. Nunc historiæ filum resumamus. Impetratis a Philippo rege, quæ pro Cluniacensi cœtu postulaverat,* Simon, *priusquam ad monasteriam reverteretur, teste biographo, Guillelmum regem ac Mathildem reginam in Normannia invisit, et, quæ forte præcipua eo tendendi causa fuit pacem composuit inter ipsum Guillelmum et Robertum filium ejus natu majorem.*

eumque cum filio conciliat,

145 *Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ, citans Matthæum Parisiensem, discordiæ ipsorum primordia refert ad annum 1078; at extinctam vel saltem sopitam fuisse supponit anno 1079, ubi ex eodem Parisiensi recitans sequentia;* Anno Domini millesimo septuagesimo nono rex Anglorum Willielmus in Walliam duxit exercitum copiosum et eam sibi subjugavit, et a regulis illius ditionis homagia et fidelitates accepit : *subjungit istu :* Opportune tunc venerat e Normannia Robertus, Guilielmi regis primogenitus, vir armorum exercito et bellica virtute nobilis. Is patris jussu Malcolmo opponitur *etc. Porro uberiores suscepti tunc per* Simonem *itineris fructus, a biographo silentio præteritos, litteris mandavit sæpe laudatus Guibertus abbas in Vita sua, sic scribens :* Aliquanto post monachatus susceptionem tempore elapso, postliminium fecit in Franciam; et tot tantosque sermonum ejus puritas, et animi, quam in facie præferebat, humilitas viros animavit et fœminas; ut infinita sexuum agmina ad viæ prosecutionem istius sub eo tempore conflarentur, et undecumque ad id propositi exemplo ejus nominis plurimi citarentur. Equestrium siquidem virorum studium Hominis multum sollicitavit examen.

Romam vocatur;

146 *Dum ad suos reversus* Simon, *interrupta tantisper vitæ solitariæ exercitia resumpserat in eremo sua, litteræ a Gregorio VII Papa ad monasterium S. Eugendi pervenerunt, quibus jubebatur abbas* Simonem *Romam dirigere : at cum mora interjiceretur;* secundo *Pontifex* per litteras edictum dedit, nisi quantocius in Simone transmittendo festinus existeret, abbas et cuncta congregatio a spiritali officio vacaret. *Missus est igitur in Urbem cum sociis aliquot, uti narrat biographus, nulla tamen adjecta temporis nota, unde annum determines. Hinc recentiores abstinuerunt passim a figenda missionis epocha; unum habemus Bouchetum, qui annum fixerit 1080. Verum cum juxta ipsiusmet Boucheti sententiam isto anno pridie Kalendas Octobris Sanctus Romæ obierit, ea, quæ, ipso in Italia versante, contigisse narrat biographus, videntur aliquanto longiorem ibi moram exigere. Nam postquam advenientem lætus excepisset Pontifex, ei* juxta beatæ Theclæ virginis ecclesiam domus ad habitandum congrua eligitur : qua sanctissime conversanti et orationi vacanti, omnis societas suorum famulorum præ infirmitate loci morte subtracta est, relictis solummodo duobus monachis, quorum alter ad monasterium regressus est, alter vero illi serviens usque ad finem vitæ, Urbis inæqualitatem cum eo sustinuit.

pacem componit Papam inter et ducem Apuliæ : variorum

147 *Post hæc dicit idem biographus,* Simonem *a Pontifice missum fuisse in Apuliam, ejusque principem Robertum Guiscardum cum Pontifice conciliasse atque in itinere pene sexaginta milites seu nobiles induxisse, ut vitam monasticam amplecterentur. Hæc, inquam, longiorem in Italia moram, ac proinde citiorem ex monasterio suo discessam videntur exigere; præsertim si, quod postremo loco tradit biographus de conciliata per* Simonem *pace inter Pontificem et Robertam Guiscardum, reliquis etiam tempore posterius sit. Pax enim ista firmata fuit ante mensem Julium dicti anni 1080, uti cum Baronio statuit Chiffletius cap. 13 Observationum suarum, inquiens :* De Roberto Guischardo Romanæ Ecclesiæ per S. Simonem

A nem reconciliato hæc habet Baronius anno Christi 1085 num. 35: « Tertio Kalendas Julii Robertus ille Guiscardus, quem hactenus audisti » hostem implacabilem Romanæ Ecclesiæ et invasorem bonorum ejus, ob idque sæpe ab » eodem Pontifice » (Gregorio VII) « in conciliis Romæ habitis excommunicatum, sponte » veniens se eidem Gregorio Papæ subjecit: et » ipsius et universæ Romanæ Ecclesiæ defensorem fidelissimum exhibens, præstitit eidem juramentum fidelitatis verbis istis secundum formulas consuetas: Ego Robertus etc., quæ refert ex Registro Gregorii VII lib. 8 post primam epistolam datam anno 1080, Pontificatus ejus septimo *, Indictione 3. Quis fuerit magni hujus piscis piscator, qui eum in verbo Domini rete suo concluserit, dixisset Baronius, si sanctum Simonem novisset, cujus res gestæ, longe post Baronii obitum ex nonnullarum ecclesiarum arcanis in lucem prodierunt.

* l. octavo

de tempore, quo hæc contigerunt,

148 *Baronii sententiam de firmatæ pacis epocha impugnavit Pagius in Critica ad annum 1077, cui illam innectendam contendit; sed Baronium deinde strenue propugnavit Muratorius in Anna-* B *libus Italiæ ad annum 1080, ubi præter alia argumenta Pagii Criticæ apposita laudat Breve Chronicum Normannicum, quod typis edidit tom. V Rerum Italicarum, quodque ab anno 1041 usque ad 1085 productum et ante annum 1127 conscriptum, ita habet pag. 278:* Anno 1080 Robertus dux intravit iterum Tarentum et Castanetum. Postea ivit cum exercitu suo Barim et fugavit Petronium et iterum comprehendit eam cum civitate Trani. Et amicatus est cum Gregorio Papa in mense Junio, et confirmata fuit ab illo omnis terra, quam habebat Robertus dux in Apulia, Calabria et Sicilia. *Ceterum Albericus in Chronico iter Simonis ad Robertum Guiscardum memorat dumtaxat ad annum 1081, sed alia præmittit Guiscardi gesta, quæ inita cum Gregorio VII pace posteriora sunt; quapropter credi potest, non omnia stricto ordine suis temporibus annexuisse. Verba tamen describo:* Simon igitur vir sanctus a Papa accersitus et ad eumdem Apuleiæ principem transmissus, ipsum ad dominum Papam adduxit, et in eodem itinere sexaginta milites a seculo ad Deum convertit, qui reversus gratanter C a Papa fuit receptus.

opiniones referuntur.

149 *Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam* Simonis *existimat servandos esse Alberici calculos; at stare eos non posse perspiciens cum testimoniis aliorum veterum, quorum nullus pacem Roberti cum Gregorio Papa differri permittit in annum 1081, tam biographi quam Alberici verba exponere conatus est non de prima illa ac celebri pacificatione, quam factam esse anno 1080 agnoscit; sed de sublatis postmodum* Simonis *opera aliquibus levioris momenti inter summum Pontificem ac principem Apuliæ dissidiis. Verum loquatur ipse:* Non tamen Alberico contrarius est (*biographus*) referendo Simonem a Gregorio Pontifice Romano accersitum fuisse ad componenda aliquot discidia, quæ inter ipsum et Robertum Apuliæ ducem exarserant, ne eorum discidiorum occasione civitati Romanæ aliquid adversi contingeret. Hæc quippe omnia ad annum 1081 et sequentem apte revocari possunt, modo ea discidia, quæ Simon inter Pontificem et Robertum ducem composuisse memoratur, non admodum gravia fuisse dicantur. Hæc enim jam ab anno 1080 omnino sopita fuerant: sed forte leviores quasdam dissensiones voluit indicare ille auctor, ob quas timebat Gregorius, ne auxilio Roberti destitutus, ab Henrico imperatore ipsi infensissimo penitus opprimeretur. Et quidem id Gregorium veritum fuisse, patet ex litteris ad Desiderium Cardinalem et abbatem Casinensem datis, apud Baron. ad annum 1081, in quibus asserit Pontifex, Henricum omnem lapidem movisse, promissa etiam ipsi Roberto in uxorem filia sua, ut eum in partes suas pertraheret. *Ad eum sensum verba biographi verisimiliter deduxit Mabillonius, ut Alberici chronotaxis inveniretur accuratior, ac proin auctoritas major in relata ad annum 1082 morte* Simonis, *quam sententiam adoptavit Mabillonius, quamque § sequenti examinabimus.*

AUCTORE J. P.

§ XIV. Annus ac dies emortualis, exsequiæ, sepultura, epitaphium, illustris familia ab ejus nomine appellata. E

Mortem Simonis, quam aliqui cum Alberico

In duas classes divisi sunt eruditi super anno Simonis *ultimo: Chiffletius et Bouchetus sæpe laudati, quibus accessit Castellanus in Martyrologio universali, mortem ejus figunt 1080; Mabillonius, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores et alii differunt in annum 1082. Priores sententiam quasi certam nude edicunt, nihilque argumentorum proferunt. Posteriores, nominatim Mabillonius, suam fulciunt auctoritate Alberici, qui revera, ut mox dicebam, de* Simonis *obitu tantum loquitur ad dictum annum 1082, dicens:* Cum Simon vir sanctus licentiam remeandi ad monasterium postularet, summus Pontifex ait: Non est in mea potestate, ut revertaris; sed vade in oratorium beati Petri, et quidquid de hoc in voluntate habea, in orationibus percunctare. Abiit et una nocte oravit, et exinde statim infirmitate detentus, ad lectum suum rediit. Summus Pontifex rediit *, a peccatis absolvit; benedixit, et ut inter Apostolicos sepeliretur præcepit, qui Sacramentis Dominicis roboratus pridie Kalendas Octobris spiritum Deo reddidit.

* al. affuit

signarunt anno 1082,

151 *Mirum denuo, cur Chiffletius, qui alibi testatur, sibi ad manum fuisse varia Albericiani Chronici Mss. apographa, nihil observaverit aut reposuerit ad locum hunc, suæ sententiæ contrarium. Fortasse levis ipsi visa est in re chronologica auctoritas Alberici, utpote gesta hinc inde loco non suo referentis; quod sane fecisse ipsum ad an. 1081 animadverti § præcedenti, ac denuo factitasse ad hunc annum 1082 suspicor ex iis, quæ verbis mox datis præmittit. Citans enim Sigebertum Gemblacensem, sequenta tamquam ex ipso accepta recitat:* Henricus imperator, expugnatis urbibus et castellis, quæ contra se pro Hildebrando erant, Romam Leoninam obsedit. Quo audito Guiscardus supradictus, pater Boëmundi, Romam tetendit, cujus fama territus Henricus cum falso electo suo in Papam Guiberto retrocessit. *Priora de Romæ Leoninæ per Henricum obsidione vere habet Sigebertus ad annum 1082; sed de Roberto Guiscardo ejusve Romam profectione verbum nullum: adjecit igitur isthæc Albericus ex scriptoribus aliis, et loco quidem non suo; cum spectens ad annum 1084, quando Robertus Gregorium VII, ab Henrico in arce Sancti Angeli obsessum, liberarit.* F

152 *Hujuscemodi minus accurate congesti calculi*

AUCTORE I. P. nos deducto argumento

culi verisimiliter, inquam, causa fuerunt, cur Alberici citatum locum neglexerit Chiffletius: nec sane mihi sufficiunt, ut Mabillonii ejusque sectatorum sententiæ subscribam; maxime dum argumentum occurrit ipsi omnio oppositum, sed a nemine, quem sciam, hactenus prolatum in medium. Deduco autem illud ex Vita S. Arnulfi episcopi Suessionensis, quam non videtur habuisse, et qua certe hic usus non est Chiffletius; sed cujus auctoritatem abunde agnovit Mabillonius tam in Annalibus tom. V, quam in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti part. 2. Sæculi 6, ubi eam ut ab Hariulfo abbate coævo conscriptam et a Lisiardo episcopo Suessionensi similiter coævo adoptatam impressit et illustravit: quod et nos fecimus tom. III Augusti ad diem 15. Juxta Vitæ hujus auctorem Arnulfus in cœnobio S. Medardi apud Suessiones monachus et reclusus primum fuit, deinde abbas factus est, demum, exortis turbis, sponte cessit dignitate sua et in pristinam se cellam reclusit, atque illic perstitit usque ad concilium Meldense, quod Mabillonius in Annalibus consignat anno 1080, Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ verisimilius 1081. Ad hoc concilium e cella sua vocatus Arnulfus, Suessionensis ecclesiæ electus est episcopus. Inde rediit ad suum S. Medardi cœnobium, tempus exspectaturus condictum ad suam consecrationem: perrexit denique ad Hugonem, Diensis ecclesiæ antistitem ac Sedis Apostolicæ legatum, et Dominica ante Natalem Domini, quæ accidit 14 Kalend. Januar. consecratus est episcopus, id est, anno 1081, ut cum Mabillonio nunc fatentur omnes; nec deinceps ad monasterium suum S. Medardi reversus legitur S. Arnulfus.

B

ex Vita S. Arnulfi.

153 His præmissis mox argumenti nostri vim perspiciet studiosus lector. Mors S. Simonis revelata est S. Arnulfo ipsa hora, qua contigit. Quo tempore? Dicat Mabillonius in Observationibus prævoiis ad Simonis Vitam: Legitur io Vita sancti Arnulfi episcopi Suessionensis, quam infra suo loco edituri sumus, eidem sancto antistiti, TUNC RECLUSO, Simonis mortem divinitus fuisse revelatam. Quid inde concludendum? Tunc recluso; ergo ante episcopalem S. Arnulfi consecrationem; ergo ante 14 Kalend. Januar., seu diem 19 Decembris anni 1081; ergo notabili tempore ante diem 30 Septembris anni 1082, quem Simoni ultimum statuit Mabillonius. Nescio, an postmodum hic aliquid difficultatis persenserit laudatus auctor: etenim in Annalibus phrasim mutavit, Arnulfum, quem ante tunc reclusum, dixerat, tunc episcopum vocans: Ejus (Simonis) obitum sanctus Arnulfus, Suessionum TUNC EPISCOPUS, ipsa hora cælitus didicisse traditur. Episcopum fuisse anno 1082, quo hæc memorat Mabillonius, nemo negabit; at episcopum fuisse, quando Simonis obitum didicit, dubito, an admissurus sit quisquam, seu ordinem spectet ab Hariulfo in Vita S. Arnulfi servatum, seu legat ejus verba, referentis revelationem S. Arnulfo factam.

tunc reclusi, postea episcopi,

154 Opus istud divisum est in libros tres, quorum primi postremis capitibus varia enarrat auctor, quæ contigerunt S. Arnulfo, post abdicatum abbatiæ regimen in cella recluso, atque ea inter visionem de morte Simonis comitis, et consilium, quod Bertæ Francorum reginæ, catenus sterili, per nuntios referri jussit ad impetrandam a Deo fœcunditatem. Libro secundo tandem agere incipit de morte Theobaldi Suessionensis episcopi, de electione Arnulfi in Meldensi concilio, deque nativitate Ludovici, Bertæ reginæ primogeniti, signato etiam expresse anno, ut sequitur: Anno vero Dominicæ Incarnationis millesimo 81 natus est futurus rex Lhudovicus, orationibus et meritis sancti hujus Arnulfi impetratus, qui utinam, ut bono fine potiatur, ejusdem Sancti suffragio sit adjutus. Habes servatum ab Hariulfo narrandi ordinem; lege nunc memoratam aliquoties elogium ejus de S. Simone, et judica, an revelatio, de ipsius obitu S. Arnulfo facta, referri queat ad hujus episcopatum. Priorem elogii partem recitavi num. 132, reliquam hic subnecto. Paucis denique annis Deo militans, (S. Simon) in simplicitate et humilitate cordis, et jugi contritione corporis, atque in sanctarum exercitio virtutum viriliter se extendens, propitiante Deo, consummatus est in brevi, et quoniam placita erat Deo anima illius, educta est de carcere mundi, ut fulgeret inter lapides vivos in diademate cæli.

D

155 Eadem vero hora, qua carne solutus, ad beatam requiem transire meruit, vir sanctus Arnulfus, IN CELLA SUA RECLUSUS, mentis excessu sublevatus est. Atque, donante Deo, vidit omnia, quæ circa honorandum virum Simonem olim comitem, modo monachum, gerebantur. Cumque post visum ad se fuisset reversus, festinavit evocare fratres, ut indicaret eis tantæ gratiam visionis. Veniunt fratres, quibus annuntiavit dicens: Ite, fratres, festinanter; nuntiate abbati ac fratribus, quia dominus Simon, olim comes Vermandensis, hodie de hac vita recessit; et jubeat abbas velociter celebrari Officium pro exitu tanti Viri.

scripta et probata

E

156 [Stupefacti monachi hæsitare cœperunt, nimium dubitantes de tali mandato: tamen] vadunt ad abbatem, nuntiant, quod audierant. Ille stupens, plus miratur, et consurgens properat ad Inclusum: requirit attentans, quid sibi mandaverat *. Tunc ait homo Dei: Si quid falsum aut incertum vobis olim protulissem, justum esset, ut nobis difficilius crederetis. At nunc quoniam adhuc in me falsitatem verborum non reperistis, cur tantæ duritiæ ad credendum estis, ut de rebus incertis me quasi dementari putetis? Notate diem, notate horam, et invenietis ita esse vel fuisse, ut mihi est manifestum *. Tunc festinus abbas et fratrum conventus intrant ecclesiam, pulsantur signa, canuntur psalmi, et suo ordine celebratur Officium defunctorum. Interea suspensæ erant mentes eorum, reputantes, quod delusi deriderentur; cum ecce, ante mensem dierum nuntius advolat, sub ea die et sub eadem hora domnum Simonem dicens obiisse, qua viro Dei Arnulfo de illo fuerat præostensum. Ita Hariulfus lib. 1, cap. 24 priscæ divisionis apud nos tom. III Augusti pag. 239 et seq. et apud Mabillonium part. 2, sæc. 6 Actor. Ord. S. Benedict. pag. 523: sed hic nonnulla diverso modo leguntur, ut notavi in margine et omissa sunt pauca, quæ uncis inclusi. Plura non observo: ex allatis argumentis statuat eruditus lector, utra auctoritas prævalere debeat, Alberici, auctoris sæculo uno et medio posterioris; an Hariulfi et Lisiardi, scriptorum coævorum: ego interim Simonis obitum signavi anno 1080.

a coævis, figimus anno 1080.

* Mabil. quis mandaverit.

* ibid. manifestatum

157 Est etiam aliqualis dissensio inter neotericos scriptores de die mortuali: a plerisque ponitur 30 Septembris et hi ducem habent biographum, expressis verbis dicentem: Pridie Kalendas Octobris spiritum Deo reddidit. Castellanus in Martyrologio universali ipsum refert ad 29, quæ et Chiffletii opinio est, cap. 17 Observationum suarum scribentis: Eodem anno (1080) tertio Kalendas

die 30 Septembris juxta biographum.

lendas

A lendas Octobris S. Simon pie sancteque moritur Romæ. *Rationem reddit cap. præcedenti; quia nempe in Necrologio S. Eugendi legitur :* Tertio Kalendas Octobris obiit Simon, comes Campaniæ, monachus nostræ Congregationis. *Addit demum Chiffletius :* Opinamur in ejus Vita designari diem sepulturæ, quam depositionem plerique appellant; in Necrologio autem diem, quo felix ejus anima vinculis corporis soluta est. *Non novi, fateor, modum aptiorem componendi duo antiqua monumenta in speciem invicem contraria; dum in utroque comperitur æqualitas valoris ac ponderis; at ea æqualitas mihi satis comperta non est. Nota est sufficienter ætas et auctoritas biographi, non item auctoris Necrologii; qui posterior, sicut improprie, quod non diffitebitur Chiffletius,* Simonem *vocavit* Campaniæ comitem, *ita forte obitum proprio die non annotavit; sive id factum sit ex inadvertentia sive ex ignorantia : cum juxta ante dicta in monasterio S. Eugendi annua festivitas* S. Simonis *non agatur in die obitus, sed tertia Octobris propter concursum aliorum Officiorum. Ad Castellanum quod spectat, credimus quidem non defuisse causam, cur diem* B *mutaverit; verum dum eam non edicit, dijudicare nequimus, an alia vel validior sit, quam Chiffletii; atque idcirco a biographo recedendum non censemus.*

exsequiæ, sepultura, epitaphium,

158 *Quæ* Simonis *mortem Romæ subsecuta sunt, totius videlicet Urbis consternatio, celebritas exsequiarum, quibus adstiterunt cum universo clero episcopi, abbates, religiosi et ingens populi multitudo; funeris per Romanos principes delatio ad locum sepulturæ, inter summos Pontifices a Gregorio VII ipsi designatum, magnificentia tumuli sumptibus Mathildis Anglorum reginæ erecti et similia per biographum descripta, nihil hic elucidationis exigunt. Epitaphium autem, quod omnibus Vitæ exemplaribus tam Mss. nostris quam editis subjunctum est, huc transfero : quia, licet verisimiliter a biographo posteris conservatum fuerit, alium tamen habuit auctorem, et hunc quidem tam doctrina quam dignitate illustrissimum, puta Odonem tunc S. R. Ecclesiæ Cardinalem, postea ejusdem universæ Ecclesiæ Pontificem, Urbanum II : ut liquet ex titulo :*

Epitaphium Simonis comitis,
Scriptum in pyramide ejusdem, a domno Papa
C *Urbano*, cognomento *Odone.*

Simon habens nomen, majorum sanguine claro,
Francorum procerum pars ego magna fui.
Paupertatis amans, patriam mundumque reliqui,
Christum divitiis omnibus anteferens.
Post ad Apostolicam cælestis Principis aulam
Eximius tanti me Patris egit amor.
Quo duce promerear tandem super astra levari
Hospitor hic sacras conditus ante fores.

carmina in ejus mortem,

159 *Sequuntur mox in plerisque exemplaribus sex versus hexametri, quos loco suo non avello, quia proprium esse puto fœtum biographi. Plures adjecit Mabillonius, quos paullo post beati Viri obitum sub epitaphii nomine scripsit Fulcoius Meldensis subdiaconus; lusit poeta in nomine præsertim* Simonis *ipsi cum Principe Apostolorum* Simone *Petro communi; cetera nec obscuritatem vitavit, nec ævi sui barbariem omnino exuit.*

Principis in caula, Simon in Simonis aula
Cum cruce, cum pera nunc inter ovilia vera,
Despicit incursum, cujus sapientia sursum
Tendit; quæque super terram sunt, temnere nuper
Constituit, laqueos fugiens et retia mundi,
Per cultus, per opes, per equos, per tela, per enses
Per genus et speciem, per rura, per opida Romam
Venit, et a Roma cæli super atria plaudit.
Sic Petrus petræ per ovilia mittit ovile,
Magno pastori pastor, quem credidit agnum,
Agnus in agno, custos in custode quiescit.
Petrus cum petra Simon cum Simone regnat,
Publica res eadem, Rex unus, grex sit ut idem.
Gallia, quem genuit, quem natum, quemque renatum
Nec sic obtinuit, cum ro, eum nobilitate
Spreta dolet genitrix; si non sit captus amore
Cælestis patriæ, qua mittit Roma fidelis;
Invidet hunc Romæ, tamen exsequialia parva,
Hunc ne despiciat, lacrymas et carmina mittit.

AUCTORE I. P.

quam obiit ætate non provecta :

160 *Quo ætatis anno defunctus sit Sanctus noster, non annotavit biographus nec alius e vetustis scriptoribus, nec inter recentiores quemquam hactenus offendi, qui id ex antiquis documentis* E *eruerit. Si tamen discussa in hoc Commentario recolligimus, facile apprehendemus non fuisse annis provectum. Unum seligo, unde id luculenter appareat. Dum post obitum Rodulfi Crispeiensis comitis Philippus Francorum rex filium ejus,* Simonem *nostrum, armis appetiit, erat hic, teste biographo,* Juvenis, *teste Guiberto abbate,* Juvenculus : *sed obiit Rodulfus juxta Chiffletii sententiam, quæ nobis probabilior visa est, quam Boucheti, statuentis* 1074, *obiit, inquam, anno* 1072, Simon *vero* 1080, *quando proin forte non superabat ætatis trigesimum, verisimiliter non attigerat quadragesimam. Ceterum dum* § 1 *rationes attuli, cur potius* Simoni *titulum* Sancti, *quam* Beati *tribuendum rebar, memoravi familiam in Galliis illustrissimam, quæ ex ipsius sorore originem duxit, et ad nostra usque tempora de* Sancti Simonis *nomine nuncupata est; atque hoc alibi uberius ostensum iri adpromisi; nunc exsequor.*

Origo familiæ

161 *Varii istam materiam pertractarunt scriptores Galli, duos tamen præ ceteris exhibeo, Adrianum de la Morliere in Illustribus familiis Picardiæ et Chiffletium nostrum in Mss. Observationibus :* F *illum, quia quæ de nomine et primordiis familiæ* Sancti Simonis *censet, apprime congruunt dictis nostris* § 1, *hunc vero, ne ea, quæ diligenter ex aliis collegit, inedita depereant. Morlerius sic orditur gallice pag.* 196 : Familia Sancti Simonis recta linea oritur ex antiquis comitibus Viromanduensibus : hinc, deficiente etiam alia ratione, locum a me exigeret inter viros nostros illustres; quandoquidem stirpis illius primores præ aliis omnibus possederint civitatem nostram titulo comitum Ambianensium, sicut ostendi libro primo, agens de origine nostrorum comitum. Nomen ducit (*familia* Sancti Simonis) a vico Hamum inter et Faram seu Feram (*oppida sunt Picardiæ, vulgo* Han *vel* Ham *et* la Fere) et suum ipse vicus, ut credo, a Simone, filio unico Rodulfi Crispeiensis, comitis Ambiani, Bari ad Albam et Medantæ, qui religiosam vitam amplexus est apud S. Claudium in Burgundia et post Sanctus evasit, relicta hereditate sua binis, quas habebat, sororibus, et quarum natu major Adela seu Aleydis (*Alix*) nupsit Herberto comiti Viromanduensi. *Ex his præter Adelam seu Aleydem*

AUCTORE J. P. *Aleydem, Hugonis Magni conjugem, natum dicit* Odonem, *qui fuit exheredatus, sed cujus filius, nomine* Farius, *ac nepos* Joannes *constituerunt familiam* Sancti Simonis, *teste, quem citat, domino du Tillet.*

dictæ de Sancto Simone. 162 *Chiffletius cap. 8 Observationum hæc tradit :* Vicus est cum castello in Veromanduis, SANCTUS SIMON vulgo dictus, haud procul Avenaco * inter Feram et Sanctum Quintinum æqualibus pene distans intervallis. Ex hoc castello familiæ nobili nomen inditum, quæ etiamnum in nepotibus perseverat. Joannes du Tillet in Ramo Veromandensi asserit, Alaydi Veromandensi, Hugonis Magni, fratris Philippi regis, conjugi fratrem fuisse Odonem, quem propter ingenii infirmitatem barones sive optimates provinciæ exheredem esse statuerunt : qui tamen Veromandensis cujusdam militis (*id est*, viri nobilis, *ut alii loquuntur*) filia matrimonio sibi conjuncta, filium ex ea suscepit, nomine Farium, qui pater fuit Joannis de Sancto Simone ejusdem nominis familiæ capitis. Attamen Sammarthani lib. 10 Regiæ genealogiæ in Herberto IV comite Veromandensi affirmant, exstare in archivo regio tabulas, Philippi Augusti tempore confectas, B in quibus refertur, Odoni, filio comitis Herberti, filium fuisse alterum, cognomento Farinum, qui Joannis a Sancto Simone genitor fuit.

* Avene

et magno splendore 163 Unde existit series hujus familiæ, quam ad me misit dominus du Bouchet, vir inter ævi nostri genealogos clarus in paucis, mihique amicissimus; cujus benevolentiæ alia quoque plurima debere me profiteor, præsertim quæ principum familiarum genealogicas historias spectant.

Schema familiæ nobilium de Sancto Simone.

Herbertus IV comes Veromandensis, cui fuit uxor N. Crespiacensis, S. Simonis soror.

Odo exheredatus, castri S. Simonis dominus.	*Alays*, uxor Hugonis Magni fratris Philippi I regis.

Sequuntur deinde Sancti Simonis *Domini, additis etiam fratrum nominibus, prout exstant in Dictionario Historico Moreri ad vocem* Saint-Simon, *hoc ordine :* Odo II, cognomento Farinus; Joannes I; Joannes II; Simon; Jacobus; Jacobus II, *qui* obiit celebs ante annum 1334, *cui* C *successit* Margarita heres, nuptui tradita Matthæo de Rouvroy, cognomento Cocliti, domino de Plessiaco S. Justi, 1334 : ea conditione, ut ex hoc conjugio nati liberi, et a SANCTO SIMONE appellarentur et ejusdem familiæ scuto gentilitio uterentur.

ad nostra usque tempora continuatæ. 164 Ex Matthæo et Margarita prodiere alii atque alii ad nostram usque ætatem : in quibus et claruit præ ceteris (*Claudius*) dominus de Sancto Simone, regii stabuli præfectus, ducis titulo honestatus a Christianissimo rege Ludovico XIII et anno 1633 ejusdem regis beneficio in sancti Spiritus equitum ordinem allectus. *Quod hic generatim dicit Chiffletius, explicatius videri potest in laudato Moreri Dictionario; ubi exstat ampla dominorum de* Sancto Simone, *qui elapsis sæculis et hoc etiam currenti claruerunt, series, a dictis Matthæo de Rouvroy et Margarita de* Sancto Simone *genealogice deducta, ac diversos in ramos distributa. Istic reperiet curiosus lector dominos de* Sancto Simone *plurium locorum dynastas : comites, marchiones, duces et Pares Franciæ; Ordinum regiorum equites; Hispaniæ magnates primæ classis, aliosque aulicis, bellicis et ecclesiasticis dignitatibus insignes.* D Ejus familiæ vetus tessera est (*verba sunt Chiffletii, quibus Commentarium nostrum claudimus*) in area nigra Crux argentea, quinis rubris conchyliis impressa. In qua Crux professionem monasticam; area nigra Benedictinam vestem; conchylia designare videntur piam aliquam peregrinationem cujuspiam ex ea gente : ac fortasse sancti ipsius Simonis binas Romanas profectiones, priorem adhuc Comitis in seculo degentis, alteram monachi, a Pontifice Romam evocati; unde et ad Superos evolavit.

VITA

Auctore coævo

Ex Mss. et editis.

PROLOGUS.

E

Scribendi causa. Quoniam quorumdam virorum Dei obsecratio et necessitas instat, ut de beati viri Simonis actibus ad utilitatem audientium aliquid loquamur, gesta illius singula colligentes et certa agnoscentes, verbis explicare curavimus et scriptis et verbis assignare. Dignum quippe est, quod opere gessit, litteris ostentari, cujus vita nulli hominum tempore isto potuit comparari. Merito Dominus, ut scriptum est, mirabilis prædicatur in Sanctis. Spiritus enim ipsius, ubi vult, spirat : quos perversos reperit, a perversitate divertens, opere simplices, animo innocentes, eloquio dulces, simulque sanctæ Dei Ecclesiæ socios reddit pariter et adjutores. Sed in quo magis quam in Simone Dominus mirabilis denunciatur? Lupum namque vidit, et agnum mansuetissimum reddidit; raptorem, et ovem innocentiæ destinavit, et quia in Simone denunciatur mirabilis, mirabilia ejus, quæ in Simone demonstrare dignatus est, necesse est silentio non reprimenda.

F

PARS I.

Sancti natales; juventus: gravis tentatio superata; Fuit igitur vir quidam Simon nomine, vita mirabilis, moribus egregius, et genere insignis. Consul primum et regis Francorum primipilus, deinde monachus probatissimus effectus est. Pater ejus Rodulfus, divitiis et viribus potentissimus, mater Adela vocabatur *a*. Qualiter ergo propositum fidei ad profectum perduxit actionis, narrationis ordo enucleatius exhibebit. Is itaque cum jam in primævo juventutis flore, arte militari multos excelleret, et in his, quæ mundi sunt, pene totus inhiaret; forte die quadam in agro ad spatiandum progressus, manu tenens accipitrem, ut avem capiendo deciperet, impegit; at ipso nihil accipiens, deceptus est. Quod factum (ut ipsemet referebat) talis et tam perversa cogitatio subsecuta est, ut omne, quod bonum est, proponeret non diligere, malum vero nullo modo odisse : sicut de beato Benedicto scriptum reperitur *b*; quia ave recedente suggе-

A gestionis immundæ dente acerrime mordetur *. Sed Spiritus sancti gratia tum subito perversitas illa disparuit, ut diabolicum illud, quod prius diligebat, omnino displiceret; ibique sanctæ conversationis initium sumens, bonum jugiter in voluntate habuit, licet sæcularibus admixtus, opere implere nequiret.

* al. morderetur

parentum obitus; bellum cum Philippo rege;

c

3 Parente vero utroque orbatum *c* rex Francorum Philippus malignitatis spiritu permotus, quæ jure successerat, hujus hæreditatem surripere gestiens, utpote Juvenem solum, sine consilio, absque parentum adjutorio, leviter expugnare existimans, primum insidiis molitur appetere, dein in aperto bello * commovet tempestatem. Cœpit namque ipse rex igne, præda, gladio villas destruere: prædia, municipia, et quæ ejus videbantur, prout poterat, omni modo dissipare. Is vero intrepide confisus in Domino, erigens se contra se (ad hoc enim *, ut malum ageret, invitus trahebatur) præcingit se et præparat fortiter resistere. Concitat namque gentem suam, et velut frendens leo, licet corde dolens, perturbat et devastat, quod in regis reperit potestate: et donec proprium possideat, asserit nullo modo retroire.

* al. belli

* al. etiam

B

translatio corporis paterni.

* al. eequis

4 Et quis * bonitatis Dei plenitudinem non admiretur in illo? Ecce inter tot flagella positus, bellorum negotiis impeditus, tamen patri condolens jam defuncto (quippe quem, dum adhuc viveret, nimis sæcularibus intentum, mundi cupiditatibus noverat graviter irretitum, castellum quoddam *d*, quod * sibi sepulturæ locum præparaverat, ejus possessori vi subripuisse, et velut proprium detinuisse meminerat) Romanum Pontificem, quid super hoc acturus esset, et quomodo patri sic defuncto subvenire potuisset, per nuncium consoluit *. Papa vero Gregorius, qui Hildebrandus dictus est, ab eo, quem injuste abstulerat, loco penitus tollendum, et pro anima Missarum sollemnia, eleemosynarumque largitatem Deo suppliciter offerenda, pie mandare curavit. Simon vero benigne mandatum suscipiens, in omnibus, quæ sibi proposuerat, obtemperavit: corpus scilicet removens, et ecclesiam, quæ beati Arnulfi dicitur, apud Crispiniacum castrum *e*, ubi translatum est, de facultate propria largissime *f* dotavit *; viduis, orphanis et omnibus indigentibus victus necessaria amplissime erogavit.

d

* al. quo

* al. consuluit.

e

f

* al. donavit

C

variæ Sancti virtutes,

5 Hæc fides vera, et hæc est dilectio firmissima, in qua non carnalis, sed vita perpetua cogitatur: non caro moritura, sed in æternum victura anima præponitur. Ecce * Vir Dei hoc in facto perterritus timore *g*, si mundum antea contemptibilem, tunc horribilem judicavit; et si in aliquo dilexerat, quasi anguem venenosum fugiendum perdocuit: et licet mundiali certamine et belli negotiis detineretur extrinsecus, militiæ Domini inserviens, arma Dominica gestabat intrinsecus. Nam cum fere triennio labore militari implicitus, caro illius requiem non haberet, nocte tamen armorum fatigatione minime detentus, solo tantum comite contentus, ecclesiarum limina subiens, Matutinis semper interesse gaudebat. Si monachum, clericum seu peregrinum quempiam religione famosum alicubi repperisset, vitæ corporalis necessaria præbens, se ejus orationibus commendabat. Jejuniis vero et eleemosynarum largitate pollebat: carnem namque, conditos cibos, pigmenta et cætera hujusmodi, quæ apponebantur in mensam *, aliis hunc saturari credentibus, esuriens, quibus nunquam caruit, pauperibus erogabat. Vestium quoque varietate desuper indutus, cilicio corpus aspero macerabat.

* al. erat

g

* al. mensa

A. COANVO.

iter Romanum et gesta cum summo Pontifice:

6 Interea dum regio regis et ipsius vastatione consumitur, homines a propriis sedibus effugantur, timorem de malefactis amplectitur. Mox belli certamina ad tempus differens, sanctorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli, habitacula invisere *, et dominum Papam Gregorium, ut sibi pœnitentiam indiceret, adire proponit. Nec mora, paratis omnibus, quæ viatori necessaria sunt, Romam, ducente Domino, pervenit, illicque sanctæ Sedis Apostolicæ Præsulem reperiens, quid quæreret, indicavit. At ille petitioni ejus non statim acquievit: nisi prius arma deponeret, inquiens, inanis fieret * absolutio renitentis. Tunc vir Domini Simon aliquantulum in dubio subsistens, memor tamen illius Euangelici præcepti. « Qui » non renunciat omnibus, quæ possidet, non » potest meus esse discipulus » se facturum, quidquid præciperet, illico promittit. Præcepta * igitur Præsul armorum redditione *, pœnitentiam indicit, et indictæ partem super se detinuit, duobusque religiosissimis viris, qui tunc præsentes aderant, partem distribuit: et sic absolutum reatibus ad propria remittens, his, quibus spoliaverat, arma reinduit, terramque gubernandam, donec cum rege pacem reformaret, iterum commendavit, adhibens etiam boni testimonii et summæ auctoritatis custodiam; Hugonem scilicet Diensem episcopum, qui tunc in Galliis legationis functus est officio, abbatemque Cluniacensium *h*, quorum doctrinæ et obeditioni subjectus, lege divina redderetur instructus.

* al. visere

* al. foret

* al. percepta

* al. depositione

E

h

reditus in Galliam. pax cum rege. tentat

i

7 Revertens igitur sancta jocunditate repletus, rursus regem aggrediens, certamen, ut miles optimus amplexatur, et donec victor existeret, licet invitus, a belli negotio minime relaxatur *i*. Ad ultimum vero regione depopulata, et utrisque laboris gravi pondere depressis, consilium de pace concipitur; colloquium ab utroque mandatur. Quid plura? Fit conventus nobilium, judicium fit a sapientibus, quæ jure contigerat hereditas, Simoni judicatur et redditur; pax et concordia confirmatur. Pace igitur restituta, et quæ belli longitudine inordinata videbantur, rebus omnibus collocatis, uxor ei eleganti forma, facie pulcherrima, genere nobilis, quæ nulli in tota regione Arvernica secunda videretur, eligitur. Ipse vero quasi talibus adgaudens, ut bonum, quod in * se latebat, penitus operiret, se eo iturum denuntiat, statimque iter arripiens, profectus est.

F

nuptiæ. pium colloquium cum sponsa et hujus

k

8 Quo, Deo disponente, parveniens, a sponsæ genitore, Heldeberto *k* videlicet consule, honorifice suscipitur, ibique aliquamdiu commoratus, post verba tali facto congrua, data fide et accepta, se eam accepturum, ni secus ageretur, affirmat, et sic, nuptiarum die constituto, cum gaudio regressus est in propria. Ecce statutus dies appropinquat, magnatum multitudo mandatur, ornatus diversitas appetitur, et ex ordine dispositus omnibus, regionem repetens Arvernicam, ut decebat, ad fœdera promissa revertitur: mox, illis appropinquantibus, clamor turbæ vociferantis excipitur, sponsa venienti Simoni oscula porrigens, amplexatur. Quis auditu non obstupescat? Quis tali dulcedine commotus non lugeat? Oscula dabantur sanctitate condita; amplexus implicabantur, luxuria semota: aliisque credentibus, eorum dicta lasciva

A COAEVO. civa jocunditate repleta, Vir Domini prædicationis verbum et dulcia vitæ colloquia, ut ambo sæculo, renuntiarent, cordi illius inserebat. Nec mora, ipsius monitus acquiescens, religionis habitum accipere et sanctimonialem se fieri devovit.

fuga ad virginum monasterium

9 Nocte igitur subsequenti Vir beatus, patre cæterisque ignorantibus, junctis illi conversione et generis propinquitate collegis duobus, monasterio, quod Casa Dei *l* nuncupatur, transmittens, illic habitare disposuit. Ibi illico, mutata veste sæculari, tres pariter sumunt habitum monasticæ professionis. Quorum alter religiositate pollens, postea Bituricæ civitatis ordinatur episcopus *m*; alter in humilitate subsistens, diu in monasterio perstitit, dans operam religioni. Domna vero Deo devota sanctissime degens, multis post annis superfuit. Ad hæc pater somno excitus, credens filiam, amore meretricio detentam, lenonum quempiam prosecutam, se delusum æstimabat. Tunc tristis et ejulans, Simonem accersiens, quasi commissi reus hujus, alloquitur : O dulcissime Juvenis, quid agam, quid faciam, funditus ignoro! Te prodidi, tibi fidei meæ commisso, longoque terrarum spatio nobis accito, insidias intuli, de pretio fraudatus sum, quod
B promisi; promissum namque sublatum est; sed nescivi : parce igitur, parce inscio delinquenti.

ac religiosæ vitæ professio.

10 At ille corde lætitiam retinens, dolorem extrinsecus quasi consolans, aiebat : Noli, domine mi, noli tristari : quem potius dilexerit, diligentius exsequitur : et si tibi charior factus sum, vilis forsitan illi. His dictis, accepta ab eo licentia, festinus in Galliam repedavit : quid filia ejus egerat, quemadmodum se monialem * devoverat, Hildeberto per nuntium mandare curavit. O Virum per omnia laude dignum! Cui melius similem quam sancto Alexio *n* dixerim? Ipse namque cum sponsa sua, cum jam thalamum subintrasset, ambo pariter quieturi, quemadmodum et Simon verbum prædicationis intulit, luxuriam declinandam, conservare præmonens castitatem. Illa vero dictis obtemperans ammonentis, se virginem devovens, carnis munditiam Domino consecravit *o*. Ita beatus homo manu sanctæ allocutionis ferale contagium detersit immundæ pravitatis: deinde ipse *, quarum magnitudo infinita videbatur, patris neglectis deliciis, sub ipsa noctis hora latentur abscessit. Sed ad ea, quæ de
C Simone dicenda sunt, redeamus.

* al. sanctimonialem

* al. ipsis

Oblatæ nuptiæ cum filia

11 Simoni vero in propria vix ad modicum quiescenti, ecce rex Anglorum potentissimus, Willelmus nomine, qui eum nutrierat, ad se veniendum sub velocitate mandavit, addens etiam, ut castello nec villa, nisi solius * noctis quietem assumeret : uxorem, sibi debitam nullo modo desponsaret, quoadusque ad sui colloquium Normanniam festinus occurreret. Tunc ille, regis metuens edictum, absque recrastinatione aliqua, ubi constituerat, abire disposuit. Videns ergo rex hunc ad se venientem, lætus efficitur, secreto vocans eum et dicens : Quoniam fidem et dilectionem tuam ex longo expertus sum, et nutrimentum meum, quod in te est, augmentare cupiens, qui pro filia mea rogaturi, diu mecum conversati sunt, regis Hispaniarum Aufursi *p* et Roberti *q* principis Apuliæ neglectis nunciis, tibi eam tradens in uxorem, te elegi, te hæredidtate mea * Filium adoptavi. Delitiæ meæ tibi reputabuntur, amici mei tui erunt, et inimici similiter.

* al. hæreditatis meæ elegi, te regis Angliæ

12 Ad hæc Vir beatus, hanc diaboli credens D prosperitatem, qui electorum corda multis circumdat insidiis, licet nihilum et inane corda reputans, gratias tamen voce humillima referens, aiebat : Magnum et apertum est * beneficium, quod pueritiæ meæ præstitisti; sed grates tibi refero, multo melius pollicenti. Dignitas tua, sicut scriptum est, in humilitate descendit, ut exaltetur; humilitas mea, nisi in gratiarum actione tibi jugiter subjiciatur, meretur, ut deterius corruat. Ad obstaculum nobis proponitur *, quod valde ambiguum est et grave, et scrupulum cogitationi meæ videtur inferre. Domina mea namque regina, uxor videlicet tua *r*, et ego (ut fertur) cognatione jungimur parentali et generis propinquitate. Quam ob rem a sapientibus inquirendum est, si quo modo fieri possit et qua ratione.

* al. esse

* al. opponitur

feliciter a Sancto eluditur.

13 Ad hæc rex : Si ab antiquis et senibus populi nostri cognatio vera comprobatur; episcopos, abbates et clericos, viros prudentes, scientes legem et alta sapientes, si eleemosynarum largitate, si monasteriorum ædificatione, seu alia aliqua re congrua id ordonari queat, adunare et scrutari necesse est. Simon autem spem suam semper ponens in Domino, ait : Adhuc superest aliud, tantum voluntas adsit tua, quod necessarium E est et salutare. Volo namque, si placet, Romam adiens, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et domni Apostolici super hoc consilium et adjutorium flagitare, ut accepta spirituali licentia, quidquid in his nobis agendum est, cum fiducia perpetretur. Cui rex assensum præbens, respondit : Quidquid super hac re bonum tibi videtur, favente Deo et mea voluntate, dispone : et his dictis pariter abscesserunt.

ANNOTATA.

a *De patris ac matris illustri genere disseruimus §§ 4 et 5 Commentarii, et quorum non meminit biographus, de Walterio seu Waltero fratre natu majore §§ 4 et 7, et eodem 4 § ac 8 de duabus sororibus. De his quoque agit Mabillonius in Observationibus prævijs ad Vitam; at minus correcte de earum nuptiis, dum ait :* Junioris filiæ Radulfi nomen ignoratur; at priorem Adelam vocatam fuisse tradunt, quæ post prioris mariti sui, Theobaldi scilicet Campaniæ comitis, obitum Heriberto IV..... Viromandensi comiti nupsit. *Etenim ex charta, quam ipsemet laudat Mabillo-* F *nius et nos § 7 Commentarii inseruimus, constat, alteram filiarum nuptam fuisse Heriberto comiti, alteram Bartholomæo Brecarum domino, quando obiit Walterius frater, id est, anno 1065 juxta Chiffletium, vel 1068 juxta Bouchetum. Theobaldus vero comes vivebat adhuc anno 1076, ut liquet ex ipsius Charta, quam dedimus num.* 113. *Itaque dicendum potius, quod Theobaldus alterutrius, Heriberti scilicet vel Bartholomæi viduam duxerit, imo Bartholomæi, ut statuit Bouchetus et multis probat Chiffletius, utque ex dictis in Commentario de Hugone Bardulso, Bartholomæi filio, satis erui potest. Idem Mabillonius tom. V Annalium pag.* 467 *opinioni jam relatæ alteram adjiciens, conjectat, unam ex Rodulfi filiabus,* S. Simonis *sororibus, eamdem esse cum Elisabetha, vulgo Rosa, primum sanctimoniali in Calensi monasterio agri Parisiensis, dein fundatrice Rosetensis parthenonis prope Curtiniacum, quæ, ut ipse asserit,* virgo sancta, plurimis miraculis editis, ad cælum migravit Idibus Decembris sub annum 1130. *Hanc quæstionem discussit ante Chiffletius cap.* 6 *Observationum*

A *Observationum suarum; sed verisimilius ipsi visum est, S. Elisabetham seu Rosam floruisse dumtaxat sæculo* 13. *Idem visum est Castellano in Martyrologio universali, ubi Sanctam annuntians ad diem* 13 *Decembris, signat in margine sæculum* 13. *Hæc plenius declarari potuerunt, quando ad diem istum perventum fuerit.*

b *Apud S. Gregorium lib.* 2 *Dialogorum cap.* 2.

c *Matrem amisit circa annum* 1053; *patrem probabilius* 1072; *et aliquanto post hereditatem suam tueri coactus fuit adversus Philippum regem Francorum. Singula probata sunt in Commentario prævio. primum num.* 51 *et seq.; secundum num.* 77 *et seqq.; tertium num.* 83 *et seqq.*

d *Castellum istud ipse Sanctus in Charta, recitata num.* 80 *Commentarii, vocat* Montem-Desiderium, *alias* Montem-Desiderii, *vulgo* Mon-Didier, situm, ut notat Mabillonius, in finibus diœcesis Ambianensis versus Noviomum, ubi celebris est Prioratus Ordinis Cluniacensis B. Mariæ sacer, quem patres ejusdem Ordinis observantiæ strictioris incolunt, sicut et S. Arnulfi Crespeienso monasterium.

e *Castri hujus et ibidem conditi monasterii pri-*
B *mordia, nominis varietatem ac situm dedimus in Commentario num.* 35 *et seqq.: de patrono monasterii S. Arnulfo aliqua prælibavimus num.* 29, *pro reliquis lectorem remisimus ad Opus nostrum die* 18 *Julii, ubi de S. Arnulfo martyre actum est: quomodo autem idem monasterium a S. Simone subditum fuerit Cluniacensi Congregationi ostensum est in dicto Commentario num.* 117 *et seq.*

f *Ista plenius declaravit Sanctus in Charta, laudata ad lit.* d: *porro de translatione corporis Rodulfi abunde egimus* § 9 *Commentarii; ubi etiam nonnulla, quæ absque sufficienti testimonio adstruunt scriptores quidam, memoriæ ipsius nimis injuriosa improbavimus.*

g *Timoris istius causam mihi verisimilem indicavi ibid. num.* 100.

h Hugonem *etiam dictum et sanctum, de quo vide Opus nostrum ad diem* 29 *Aprilis.*

i *Tam hæc quam alia, num. præcedente contenta, elucidata sunt in Commentario num.* 102 *et duobus seqq.*

k *Erat is Heldebertus II Marchiæ Arvernensis comes. De eo et aliis hic narratis consule Comment. num.* 121 *et seqq.*

C l *Casæ Dei notitiam quære ibid. num.* 123.

m *Chiffletius, laudatus in Commentario num.* 122, *putat illi nomen fuisse Aldeberto sive Hildeberto, qui Bituricensem cathedram occupavit ab anno* 1092 *vel* 1093 *usque ad* 1097, *ut scribit Dionysius Sammarthanus tom. II Galliæ Christianæ, ubi plura de ipso videri possunt.*

n *Acta S. Alexii illustrata sunt apud nos tom. IV Julii ad diem* 17.

o *Apud Mabillonium desunt reliqua usque ad sequentem numerum.*

p *Id est,* Alphonsi: *Chiffletii ad hujus vocis scriptionem monitum dedi in Commentario num.* 127.

q Guiscardi *scilicet, de quo iterum infra.*

r *Mathildis, filia Balduini Insulensis, comitis Flandriæ, de cujus cum Sancto consanguinitate ceterisque huc spectantibus plura diximus* § 11 *Commentarii.*

PARS II.

Deinde quæ parari videbantur, omnibus per ordinem dispositis ad ambulandum, relicta domo, omissis deliciis, quarum ubertas tanta illi affluebat, ut pene post regem in tota regione nullus ditior, nec rebus opulentior videretur, cum Romam ire debuit, se monachum devovens, sanctum Eugendum *a* adire disposuit. Quo postquam perventum est, junctis sibi de familia quibusdam viris nobilissimis, omnes pariter cum gaudio sanctæ Trinitatis religionis habitum susceperunt *b*. Nam cum olim adhuc in sæcula positus, vi febrium * teneretur, beatus Arnulfus et ipse sanctus Eugendus, aliusque, cujus nomen et faciem ignorabat, dormienti illi in viridario apparuerunt, admonentes, ut illuc abiret, ibique Deo militans *, permanens sub abbate monachus ordinaretur et esset. Qui statim a lectulo surgens, ab infirmitate convaluit, et voce magna clamavit, dicens: Sanus sum: et hi, qui hic aderant, tres domini ubi sunt, et quo abierunt? Qui vero de familia præsentes affuerant, ignorantes, quid diceret, se nescire professi sunt. Igitur Flandriæ, Normanniæ, cæterisque Galliarum partibus usque ad fines Germaniæ tanti Viri rumore suscepto, stupore repleti mirabantur: quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo et tam carus omnibus erat; quatenus Hugo Burgundiæ dux *c*, comesque Matisconensis, ejusdemque ordinis quamplures, pietatis affectu et illius amoris dulcedine inflammati, arma deponerent, sæculum relinquerent *. Quis enim illius exemplo conversionem morum penitus non appeteret, ac vitæ propositum in melius non mutaret? Nobiles pariter et ignobiles, audito ejus nomine, imitabantur *. Nunc ad ea, quæ monachus explevit, redeamus.

Fit monachus et plures habet imitatores.

a

b

* *al.* in febrim

* *al. addit* permaneret

E

c

* *al.* relinquentes

* *al.* mutabantur et incitabantur

15 Hic est Simon obediens, sed non ille primus. Hic ut nominis sui hæres existeret, nunquam inobedientia dicitur restitisse. Ubi vero monachale * sumpsit indumentum, stratum suum in secretario ecclesiæ ponens, nocte sub silenti lectulo surgens, solus in oratorio orationi vacabat. Jejuniis vero tam præpotens erat, ut tempore illo, cum præ egestate, quæ regionem illam vehementer affligebat, triticum, ut panis fieret, etiam ad opus illius defuisset, panem avenæ siccum lætus et * gratias agens in refectione perciperet. Cumque genuum inflexione, jejuniorum afflixione infirmitas, quæ vehemens irruerat, crura turgida reddidisset et quasi sopita, adeo ut ignis ardorem licet pati videretur, minime sentiret; abbas suus voce humillima precabatur, ut levigandi * gratia caligas abstraheret. At ille, ut erat mitis eloquio, humiliter abnegans, se ad modicum perpeti, respondit, et hoc leviter posse sustinere. Nocte vero subsequenti, Domino propitiante, illo cæterisque ignorantibus, abstractæ sunt caligæ. Cumque ex more, ut ad Matutinas pergens, mane surrexisset, crura sensisset, et caligas in cruribus minime reperisset, admirans, quod acciderat, coram se in lectulo plicatas invenit: quas iterum accipiens, sicut consueverat, reinduit.

studium orationis; vitæ asperitas,

* *al.* monasticum

F

* *al. deest* lætus et

* *al.* leviandi

16 Est et aliud memoria dignum, quod Dominus Servo suo monstrare dignatus est. Nocte etenim quadam, priusquam fratres ad debitæ servitutis officium processissent, ipse alios antecedens,

mirabilis visio; humilitas.

A. COAEVO.

dens, monasterium, ante altare Dominicum oraturus, ingreditur: cumque in oratione persisteret, sursum caput elevans, ecclesiæ fenestras luminis splendore coruscantes, tresque reverentissimi habitus viros monasterium subintrare speculatur, usque in presbyterium festinantes, quorum unus sacerdoti similis, alter diaconi, tertius vero subdiaconi speciem gerebat: ubi super sanctum altare, inspectante Viro Dei, quasi sollemnia Missæ devotissime celebraverunt. Extrema vero oratione finita, qui sacerdos videbatur, Simonem benedicens, una cum sociis ab ejus oculis evanuit: quod abbati suo, ut moris est, confessionem faciens, non celavit, exigens ab eo, ut quamdiu in hac vita subsisteret, nulli penitus hominum denudaret. Abbas autem videns, Dei Hominem ad profectum tendentem *, et paulatim, quæ Dei sunt, virtutes multas amplectentem, altiori, quam * quo ingressus est, capituli loco ascendere et sedere præcepit; quod ipse admodum triste ferens, veniarum multiplicatione misericordiam postulabat: et hoc tamdiu actum est, donec ad sedem pristinam revocari promeruit.

** al. profectum attendentem*
** al. deest quam*

B

secessus in eremum, et illic vivendi

17 Perpendens itaque honorem a fratribus sibi impensum, metuensque, ne jejuniorum suorum afflictio, seu alia quælibet animæ necessaria alicui in conventu tædio videretur incommoda, eremi solitudinem concupivit. Unde monasterii patrem adiens, ut illuc gradiendi licentia ei daretur, prece non minima deposcit, et adeptus est. Qua accepta, assumptis secum paucis de fratribus, quorum vita religiositate pollebat, cum humilitate recedit *d*. Quid ibi adveniens gessit in opere, quantaque pro Christi nomine perpessus est, ut exemplum fiat audientibus, propalare necesse est. Cœpit namque, ut de proprio manuum viveret, ubi novale fieret, scindere cum securi. Cibus erat tenuis, panis cum aqua, legumen et poma sylvestria cum labore gravi, et hoc semel in die, excepta Dominica et die solemni; et quæ domi contulerat, aquam collo deferens, ipse mala cum pulmento decoxit: et cum ad quid operandum foras egrederetur, si quis pauper accurrens, ibi * eleemosynam posceret *, dispensatori suo præceperat, ut nullo modo vacuus abiret.

** al. accurreret, sibi*
** al. poscens*
norma; beneficia

18 Accidit autem, ut quadam die viator esuriens illic agapen *e*. postularet; quæ sola remanserat, libram panis ei minister obtulit. Tunc Vir Dei cum fratribus silva regrediens *, si refici possent, inquirit. Cui servitor: Panis, inquit, deest, sed sunt poma sylvestria; qui sero superfuit, panem indigenti præbui. Mox lætus et Deo gratias agens, fratremque, qui illud egerat, benedicens, ecclesiam subiit, orationi incumbens. Necdum orationis verba finierat, et ecce vir quidam onustus panibus adveniens, hos dispensatori sub Simonis nomine tradidit. Qui Viro Dei cum sociis accersito, quid acciderit, et quemadmodum Dominus servorum suorum non est oblitus, indicavit. Illi autem sub tali facto stupefacti, hoc Viri Dei fidei deputantes, Deum pariter laudaverunt, cibum in refectiones sumentes.

** al. rediens*

dignitas accepta; induit amictum ferreum

19 Rursum in nemore, cui fere nullum tempus vacuum habebatur, ligna succidenti ferramentum, arbore excussum, vulnus pede incutiens, vehementer reddidit afflictum, adeo ut domi * regrediens, alienis sustentaretur humeris. Quo fratres oppido contristati, ut ad medicum mitti deberetur, insinuant. Quibus ille renuens, excepto Dei medicamine, nullatenus se velle curari *, respondit: et tamen, procurante Deo, mox pristinæ restitutus est sanitati. Sub idem vero tempus vir quidam religiosus, tanti Viri famam audiens, ferreo vestitus amictu super nudo, de longinquo visendi gratia venit ad eum: qui devote veniens, devotius ab eo susceptus est; quem postquam secretius alloquens, nescio, quo docente, sic indutum comperit, summopere deprecatur, pœnitentialo illud sibi dari. Quid precibus ejus annuens, licet invitus, dimisit et abscessit, Simon vero ab abbate vix adepta * licentia, corpus tenerum, abjecto cilicio, quo utebatur, durius illud induit, diebus multis cadaver afficiens semimortuum: quod ferrugine tinctum, clavorum tunsionibus attritum, tam lividum et dilaniatum reddidit, ut, qui vidit, assereret, etiam saxeum pectus pie in fletibus mollire * posse videretur.

** al. domum*
** al. sanari*

D

** al. accepta*
** al. molliri*

missus ad regem Franciæ adest translationi sacri sudarii:

20 Eodem vero tempore bonæ memoriæ Hugone abbate Cluniacensium rogante, ut ipse beatus Vir in Galliam proficiscens, pro eo regem Francorum Philippum, qui sibi quædam auferebat, alloqueretur et corriperet, abbatis sui imperio in Galliam profectus est. Accidit autem, eo proficiscente, apud Compendium, oppidum regis *f*, ut * sudarium Domini levari debuisset, et capsa aurea decentius deponi *g*. Quod Vir Domini audiens, ab itinere, quod rectius videbatur, ut illuc abiret, aliquantulum divertit, ac in brevi, Domino * ducente, pervenit. Qui beati Cornelii quasi sub occulto templum *h* oraturus ingressus, a quibusdam, qui festivitati intererant, statim agnoscitur, et mox, fama pervolante, rumor in auribus vulgi suscipitur. Vox populi et turbæ lætantis clamor attollitur, Simon fere ab omnibus clamatur, Simon certatim aspicitur, et sic usque ad palatium regis vix, turba premente, subtrahitur. Quem rex, qui nuper advenerat, diligentissime intuens, honore perdebito suscepit, eumque blande allocutus, si quid ab eo postularet, se obsequi præparatum * libentissime repromisit. Ille vero petitionis suæ non immemor, quid sibi quæreret, innotuit et sicut petierat, impetravit *i*.

** al. deest ut*

E

** al. Deo*

** al. paratum*

Regem et reginam Angliæ invisit; renuit munera:

21 In crastino itaque solemnitate peracta, et Domini perspectis reliquiis, Angelorum regem et reginam, qui eum nutrierant, visendi gratia, Normanniam usque properavit: illucque perveniens, contra filium, Robertum nomine, regem dimicantem invenit. Qui utrique compassus, pace reformata, pestilentiæ malum a regione fugavit *k*. Audita vero ejus fama, qui sui in sæculo dicebantur, aliique quam plures pene milites mille in adventum ejus læti obviam processerunt, et quisque de proprio aurum vel argentum, mulam seu palefridum ut acciperet, devotissime precabatur. Ille vero foris gratias agens, corde pro nihilo reputans, nullum penitus accipiens, hæc omnia ex adverso conspicatur. Ad ultimum vero regem secreto adiens et reginam, mœstos pietate pariter reddidit et gaudentes. Adeo ut regina, sicut bonarum moris est mulierum, loqui nequiret, verba intercidente ploratu. Post dulcia itaque illorum colloquia, reliquias, aurum, argentum et cetera, quæ hujusmodi sunt, munuscula illi offerunt, ut benigne susciperet, summopere deprecantes; ille autem præter reliquias hæc omnia vilipendens, nullum in accipiendo præbuit assensum. Ignorante tamen illo, qui cum eo socii fuerant, quædam optima sub absconso capientes munera, detulerunt. Itaque vale facto et accepto, ad monasterium regredi meditatur. O mira Dei dispensatio! Quis hominum tantum dilectionis domum, ab hominibus impensum *, temporibus istis promeruisse dicitur

F

** al. impertitum*

A dicitur? Noti pariter et ignoti Simonem diligebant, Simonem cernere lætabantur. Non hoc fortuitu, sed Dei dispensatione fieri credendum est.

illatæ injuriæ vindictam prohibet.

22 Ecce occurrit in memoria miræ ipsius patientiæ bonum, quod eodem itinere sustinuit, necessitate compulsus. Nam cum apud Firmitatem castellum *l*, quæ olim ipsius hæreditas dicta est, in propria demoraretur, amicum quemdam ad se de villa venientem, videndi desiderio accensum, unus ex his, qui raptores dicuntur, improvise prosiliens, captum rapuit, et abscessit. Quod ubi milites et viri nobiles adverterunt, triste admodum ferentes, quæsierunt, et repertus est. Eruere oculos seu aliter * justitiam facere minabantur. Vir autem domini innocentiam et illud, quod scriptum est, corde retinens: « Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus » fieri omnino prohibuit. Tunc unis ex sociis, accersito eo secreto, alloquitur, scire volens, qualiter et quo animo illam injuriam illatam sustineret: si dedecus illatum ab aliquo in propria sentiret; magis esse se lætum et gratias Deo exhibere respondit; quia B patientia salvabimus animas nostras.

l

* *al.* severiter

vocatur Romam a Gregorio VII Papa.

23 Peractis igitur in itinere, quæ perpetranda erant, eremum regrediens, quæ prius proposuerat, iterum inchoavit, ibique, quantum licuit, labori corporeo insistens, in humilitate conquievit. Sed ne civitas super montem posita et lumen lateret in tenebris, sanctæ Romanæ Sedis memoratus Antistes tanti Viri nomen audiens, abbati suo, ut ad eum mitteretur, litteris denuntiat. Ille vero tanti mali fama dolore commotus, ne alii turbarentur, sigillum abscondisse nec manifestasse dicitur; donec domnus Papa rursus aliud mitteret, quod duriora bajularet. Secundo namque per litteras edictum dedit; nisi quantocius in Simone transmittendo festinus existeret, abbas et cuncta congregatio a spiritali officio vacaret. Quid plura? Turbatur abbas, fratres pariter contristantur: quid aliud facerent? Ecclesiæ namque solamen amittitur. Disposito ergo itinere, in his, quæ parari videbantur, Simon una cum sociis ad Urbem dirigitur: quem postquam advenientem Domnus Apostolicus comperit, et appropinquantem oculis intuitus est, lætus efficitur, cum honore perdebito suscipiens eum. Cui, ubi blande allocutus, pacis osculum tradidit, juxta beatæ Theclæ virginis ecclesiam *m* domus ad habitandum C congrua eligitur. Qua sanctissime conversanti, et orationi vacanti, omnis societas suorum famulorum præ infirmitate loci morte subtracta est: relictis solummodo duobis monachis, quorum alter ad monasterium regressus est, alter vero illi serviens usque ad finem vitæ, Urbis inæqualitatem cum eo sustinuit.

m

et illi conciliat Robertum Apuliæ principem.

24 Accidit eodem tempore, quod Domnus Papa et Robertus quidam Apuliæ princeps ab invicem dissentiront. Unde Præsul metuens, ne civitas belli contentione in aliquo perturbaretur, Simonem accersivit, summopere deprecans; ut pacandi gratia illuc proficisceretur *n*. Cui statim obediens, et se profecturum promittens, adjuncto sibi viro religiosissimo, iter arripit * cum benedictione jubentis. Eo igitur adveniens, principem quærit et invenit, quem inventum * quasi epulis in visu suo refecit. Unde pacem reformans, quod voluit, opere perpetravit. Omnibus itaque illic pacificatis, revertitur, in itinere plures * alloquens, ut ad Deum converterentur, admonuit: cujus allocutioni assensum præbentes pene sexaginta milites, sæcularibus omissis, arma Dominica susceperunt, et sic Viri Dei prædicatione monialem * habitum per diversa provinciæ loca cum benedictione sumpserunt *. Ad Urbem itaque regressus, Pontificem adiit, et quidquid egerat de pace, narravit: ille autem et gratum habuit, quod accepit, et illud, quod fecerat, approbavit.

n

* *al.* accepit

* *al.* deest inventum

* *al.* plebes

* *al.* monachalem

* *al.* susceperunt

moritur Romæ.

25 Nec multo post habens in voluntate ad monasterium reverti licentiam ab eo cum humilitate deposcit. Qui nec primo, nec secundo ejus precibus aurem accomodans, tale fertur dedisse responsum: Sicut nec meis meritis, Charissime, nec mea sed domini Petri dominatione pastorali huc accersitus advenisti, ita nec in mea est potestate permissio reverteuti. Vade ergo et oratorium beati Petri ingredere, et quid in voluntate habeat, * perscrutare. Qui nocte subsequente, sicut ipse præceperat, templum precaturus ingreditur, totam pervigilem ducens, orationi intentus: et * priusquam inde procederet, qua sublatus est vitæ, mortis infirmitate corripitur. Mox inde progrediens ad habitaculum, et lecto decidens, ad confessionem suam Pontificem invitat, et ad se visitandum. Qui voluntati ejus obtemperans, et mundatum a vitiis absolvit, et pariter benedicens, abscessit. Nec multo E post pretiosi Corporis et Sanguinis Christi munimine roboratus, pridie Kalendas Octobris *o* spiritum Deo reddidit: et qualis in vita religione perstiterit, finis sanctissimus in assumptione monstravit.

* *al.* addit. orationibus

* *al.* in

o

et inter summos Pontifices honorifico

26 Ecce civitas omnis rumore concutitur, diversi sexus et ætatis gens in funere concitatur, et quod viventi minus tribuerat, funeri ejus obsequium ab his ministratur. Tunc præcipiente Episcopo, sepulturæ locus inter Apostolicos præparatur: et quia apostolicam vitam studuit imitari, merito hujus apicis adeptus est dignitatem. Præsul tamen non affuit, infirmitate detentus: sed clerum omnem convocans, dirigit illuc episcopos, abbates, clericos et moniales cum cereis et luminaribus, ita ut triginta quinque congregationum numerus cum populorum turbis funeri ejus obsequium ministrarent, et sic cum Missarum sollemniis et celebritate præcipua * a principibus Romæ corpus in foveam delatum deponitur.

* *al.* deest præcipua

tumulo reconditur.

27 Census vero denariorum non minimus, a F Præsule collatus, pauperibus erogatur. Ecce Dei Servus absque pecunia et cognatione aliqua, paulo ante pauper, in fine dives efficitur: sed adhuc ditior fit, dum in sede cælica collatur. Regina vero Anglorum, Mathildis nomine, dives et præpotentissima, qui eum nutrierat, et consanguinitate dicebatur proxima, ob Viri Dei memoriam ad sepulturam componendam Romæ *, auri quamplurimum et argenti, monacho deferente, transmisit. Quæ studiose quadris et politis lapidibus ex marmore diversi coloris intexta, adhuc peregrinantibus bonitatis exempla præbet in aperto posita.

* *al.* Romam

apparet socio

28 Monachus vero, qui cum Simone diu conversatus, incommoda corporis pro ejus amore multa sustinuerat, post ejus assumptionem postque sepulturæ suæ instructionem, relicta Roma, monasterium revisit: ubi multis diebus abstinentiæ et labori operam dans, summæ humilitatis omnibus exempla monstravit. Priusquam vero ad mortem, quæ est exitus vitæ, propinquasset, Simon beneficii et servitutis impensæ non immemor, nocte quadam apparuit ei cum cæteris quiescenti, vocans eum et dicens: Roberte

S. conscio — berte p, sic enim appellatus est. At ille inquit: Tu quis es? Tunc Simon respondens: Ego,
p — inquit, Simon sum. Et adjecit: Cur hoc in me olim facere voluisti? Nam cum apud Romam ad novum sepulturæ locum corpus meum transferres, nil pro anima mea pauperibus erogasti. Cui Robertus: Pauper inquit, eram et census mihi deerat. Ille contra: Certum est, te habuisse aliquid, quod impertiri debueras; et, ut ipse postmodum retulit, duos aureos habebat.

et quædam S. Anselmo — 29 Ad quem iterum Robertus: Dilectissime mi, quæ gloria, quæ requies tibi maneat, mihi, si placet, insinua. Requies, inquit, et gloria mea* magna est. Nam Dominus meus inter Apostolos requiem mihi dedit et sedem gloriosam. At ille: Et quod est gaudium, quis cantus ante Dominum? Rogo, si potes, edicas. Magnum est, inquit, gaudium et incomprehensibile, nec verbis narrari, nec sensu cogitari potest: tamen si pergamenum, pennam et incaustum in proximo habuisses, certum te scribendo in aliquo reddidissem. Et adjecit: Volo, ut Anselmo sanctæ Mariæ Becci q abbati, prudenti et reverentis-
q — simo viro, quatenus * modicum in Deo mihi con-
* al. quod — B tulit auxilium, ex parte nostras denunties: æstimabam quippe in eo erga animæ meæ salutem fidem et dilectionem non modicam. His dictis, confortans eum ad servitutem et obedientiam salutarem, disparuit.

postea Cantuariæ episcopo referri iubet. — 30 Frater vero quod audierat, beato viro, sicut præceptum est, enarravit. Cui abbas lacrymando respondit, dicens: Crede mihi, frater, vera intulit Servus Dei: nam peccatis meis exigentibus, illud, quod deberem, pigritia detinente, postposui. Si vero orando, eleemosynam faciendo, seu aliud, quid, quod Deo placeat, exhibeam operando, omnibus modis, ut in his participetur, exopto. Et his dictis, pariter abcesserunt. Hic est vir ille religiosissimus Anselmus, qui ex abbate Cantuariæ archiepiscopus, legationis Apostolicæ in Anglia sor-
r — titus est dignitatem r. Hæc et alia, quæ de Simone scripta sunt, hi, qui de propria familia in seculo, viri religiosissimi, cum eo habitatum spiritalem susceperent, quæ oculis intuiti sunt et auribus audierunt, quemadmodum scripsimus, ita
s — esse testati sunt s.

t — Olim facta Patris renovans dictamine fratris t,
* al. normam — Discipulus norma * scripsi sub paupere forma.
* al. nec sprevit — Sed quia non sprevit * Deus hæc nec paupe-
riura,
Ostendit Moyses operi capiendo minora.
Quare lectorem cupiens auxiliatorem,
Me legat absentem, posco, virtute carentem.

ANNOTATA.

a *Acta S. Eugendi data sunt die 1 Januarii; de monasterio autem, quod nunc passim a S. Claudii nomine appellatur, frequens sermo fuit in Commentario prævio, præsertim num. 14, ubi situm ipsius designavimus.*

b *Probabilius anno* 1077 *secunda dicta in Commentario prævio num.* 135 *et seq.*

c *De eo ac Widone comite Matisconensi aliisque ejusdem propositi imitatoribus disseruimus ibidem num.* 136 *et seq.*

d *Eremum, in quam secessit, non indigitat biographus; creditur tamen communius, sitam esse in Bisontina diœcesi eo loco, ubi Sanctus Prioratum fundavit, qui ad nostra usque tempora nomen retinuit* Prioratus S. Simonis *de* Muthua, seu Multua, *ut docet Chiffletius.* D

e Agape, *proprie* charitas, dilectio, *a Christianis frequenter pro* eleemosyna *usurpatur.*

f *Compendium (incolis Compiègne) civitas Galliæ in Insula Franciæ, hic* oppidum regis, *alibi* villa regia, palatium publicum *appellatur; quia Francorum regum sedes erat. Eam variis operibus exornavit Carolus Calvus imperator, unde et ab eo dicta fuit aliquando* Carolopulis.

g *De narrata hic sacræ Sindonis in novam capsam translatione plura attulimus in Comment. prævio num.* 139 *et seqq.*

h *Templum nempe monasterii, quod exstruxit mox nominatus imperator Carolus Calvus et* monasterium regium *appellari jussit. Dedicatum illud fuit sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ ac SS. Cornelio et Cypriano, quorum illuc corpora detulit idem imperator; sed sicut hic a biographo, ita nunc passim solius S. Cornelii nomine appellatur. De SS. Cornelio Papa et Cypriano episcopo martyribus actum est tom. IV Septembris ad diem* 14.

i *Pro S. Hugone abbate et Cluniacensi Congregatione, cui quam munificus ante fuerit* S. Simon, *decloravimus in Commentario num.* 117 *et seqq.* E

k *Etiam ista elucidata sunt ibidem num.* 145 *et seq.*

l *Loci notitiam habes ibid. num.* 48.

m *Chiffletius cap.* 15 *observationum agens de* S. Simonis *mansione Romana ita scribit:* S. Teclæ nullum præfuisse oratorium Romæ, quando primum jussu Clementis VIII anno 1600 erectum est in Burgo, regione 7, ait Octavius Pancirolus in Thesauro civitatis Romæ, anno 1625 italice edito: nec ullius meminit Schottus in Urbis Romæ admirandis cap. 5, ubi sacrarum ædium Urbis alphabeti ordine catalogum texit. At ecclesiam sanctæ Teclæ in vetere Roma quasi digito monstrat Willelmus Malmesburiensis lib. 4 de Gestis regum Angelorum cap. 2, etiam ejus regionem sic designans: « Duodecima porta et via Ostiensis dicitur. Modo porta » sancti Pauli vocatur; quia juxta eam requie- » scit in ecclesia sua. Ibidemque Timotheus mar- » tyr. Et non longe in ecclesia sanctæ Teclæ sunt » martyres Felix et Adauctus et Nemesius. » Juxta hanc igitur S. Teclæ sacram ædem domicilium habuit Romæ S. Simon, unde et ad Superos evolavit. *Memorati Felix et Adauctus passi et sepulti sunt in Via Ostiensi; ubi a fidelibus olim erecta est ecclesia juxta S. Paulum apostolum, quæ sicut tom. VI Augusti pag.* 546 *retulimus, hoc nostro sæculo detecta fuit. Hunc SS.* Felicis et Adaucti ecclesiam *appellant alii; diversam tamen non credimus ab ea, quam noster et Malmesburiensis S. Teclæ nuncupant, forte quod hoc communius nomine veniret sæculis* 11 *et* 12. F

n *Consule de his disputata num.* 147 *et seqq. Commentarii prævii.*

o *Probabilius anno* 1080. *Repete, si lubet, eumdem Commentarium num.* 150 *et seqq.*

p *Conjectari fas est, hunc Robertum esse eum ipsum, de quo Joannes monachus in Chronico Beseunsi referens* S. Simonis *secessum ad S. Eugendi cœnobium, ait:* Secum vero duxit domnum Robertum etc.: *imo unum ac præcipuum esse ex iis, ad quos appellat biographus tamquam narratorum suorum oculatos et auritos testes, Sancti scilicet in sæculo familiares, et in vita religiosa socios. Sane dubium mihi non videtur, quin per* eumdem

eumdem Robertum didicerit pleraque, quæ specialim narrat de S. Simonis *gestis in Italia, de obitu Romæ, de exsequiis ac tumulo : cum paulo ante satis insinuet, Robertum post Sancti mortem Roma reversum, longo tempore aliis præluxisse bono exemplo in S. Eugendi monasterio.*

q *Beccum sanctæ Mariæ celebris abbatia est ordinis S. Benedicti in Rotomagensi diœcesi in Normannia. Illi se monachus mancipavit S. Anselmus anno* 1060, *et abbas præfuit ab anno* 1078 *usque ad* 1093; *quando ad archiepiscopalem Cantuariæ cathedram promotus fuit. Acta ejus illustrata sunt tom. II Aprilis ad diem* 21.

r *Obiit S. Anselmus anno* 1109 : *ex hac autem periodo nonnulli, num.* 22 *et seq. citati in Commentario prævio, concludunt, vitam* S. Simonis *conscriptam fuisse circa annum* 1095 : *verum id nobis non ita manifestum esse declaravimus ibid. num.* 24 *et seq.*

s *Ad hæc quædam observata sunt tum ibid. num.* 21 *et seq., tum hic ad lit.* p. *Porro in plerisque vitæ exemplaribus sequebatur mox epitaphium Sancti, ab Urbano secundo Pontifice Maximo compositum; sed ob causam num.* 158 *allegatam insertum Commentario.*

t *Hic denuo incidit suspicio, fratrem, sub cujus dictamine auctor significat, se facta Patris renovasse, seu acta* S. Simonis *chartis commisisse, non alium esse a Roberto, de quo egimus ad lit.* p.

DE B. FELICE DE MEDA VIRGINE

ET

ABBATISSA ORDINIS S. CLARÆ,

PISAURI IN DUCATU URBINATE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Memoria in fastis sacris, elogia, Vita Italica, compendium latinum, eorumque usus.

AN. MCCCCXLIV. B. Felix, de qua nonnulla prælibata sunt 8 Septembris,

Ad diem Septembris 8 *in Commentario prævio ad acta B. Seraphinæ Feltriæ, seu ut alii scribunt, Seraphinæ Columnæ, viduæ abbatissæ ordinis S. Claræ Pisauri, multa proposita sunt et elucidata, quæ alioqui hic locum exigerent, nominatim ea pene omnia, quæ pertinebant ad gloriam posthumam* B. Felicis, *de qua nunc agendum venit. Etenim horum pleraque, sicut ibidem monuimus, utrique Beatæ ita erant communia, ut, cum de una scriberemus, simul de altera agere necessitate quadam compelleremur. Quapropter quæ illic collecta et fuse deducta sunt de immemorabili utriusque cultu, de publicis ac solemnibus sacrorum corporum expositionibus, de veneratione fidelium ad nostra usque tempora perseverante, deque beneficiis ad ambarum invocationem impetratis, memorabimus hic quidem sed succincte admodum in compendium contracta, postquam nonnulla* B. Felicem *seorsum attingentia præmiserimus.*

annuntiatur hodie in Fastis variis.

2 *Ejus memoriam celebrant iidem fere omnes tam martyrologi tum historici, quos ad illustranda B. Seraphinæ gesta adduximus tribus primis §§ dicti Commentarii prævii. Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem* 30 *Septembris his verbis :* Pisauri in Picœno beatæ Fœlicis a Meda, virginis abbatissæ, spiritu prophetico ac miraculorum gloria insignis. *Eadem repetens in Gynæceo suo, addit* Clarissæ, *nempe quia in hoc Opere non tantum ordinis S. Francisci, sed omnium ordinum ac status mulieres sanctimonia illustres exhibet. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt :* Pisauri depositio beatæ Felicis ord. Minorum, quæ cœnobium Corporis Christi fundavit. *Accedit Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensi, sed ob causam, postea indicandam, die* 29 *Septembris :* Pisauri natalis beatæ Felicis Medæ, civis Mediolanensis, quæ monasterium Clarissarum ibidem condidit, et adhuc incorrupto corpore veneranda a fidelibus colitur.

Ejus elogia dant scriptores alii.

3 *Prolixiore elogio ipsam exornant Fortunatus Hueberus in Menologio Franciscano, aliique passim Seraphici ordinis auctores, Franciscus Gonzaga part.* 2 *de Origine et Petrus Tossianus lib.* 1 *Historiæ Seraphicæ Religionis; Marcus Ulyssiponensis* 3 *part. Chronicorum lib.* 2, *cap.* 21 *et Valerius Venetus in opere de vita S. Claræ et ejus instituti beatarum monialium lib.* 2, *cap.* 15 : *Waddingus item in Annalibus, et in horum Epitome Haroldus : denique Arturus in Observationibus ad hunc diem in Martyrologio et Gynæceo, ubi dat elenchum plerorumque scriptorum, qui Beatæ gesta scriptis commendarunt. Inter jam nominatos auctores Marcus Ulyssiponensis, quem passim secutus videtur Valerius Venetus, fontes, unde sua hauserit, signat in margine* Legendam, Speculum *et* Marianum. *Tria sunt, ni fallor, opera numquam typis vulgata. Marianus Florentinus, qui hic designatur, et de quo post redibit sermo, Chronica ordinis Franciscani mss. reliquit; auctorem Speculi Minorum vocat Ulyssiponensis Jacobum Oddonem; sed quo tempore scripserit, nec ipse notat, nec Waddingus in Bibliotheca. Legenda*

ubi

auctoris l. p.

ubi nunc lateat, quo pacto conscripta sit, aut quomodo tam ea, quam aliis duobus Operibus usus sit Ulyssiponensis, edicere nequimus.

ex antiquis mss.:

4 *Antiqua esse, imo verisimiliter antiquissima omnium monumentorum, quæ exstant de gestis* B. Felicis, *colligere est ex ætate Mariani, qui tertio tantum loco citatur, quique obiisse legitur sub annum* 1323, *a Beatæ morte circiter octogesimo. Hinc Lucubrationi Ulyssiponensis, qui nec ipse antiquitate cedit ulli auctorum, qui de Beata aliquid prelo commiserunt, maxima, ceteris paribus, competit auctoritas. Ceteris, inquam, paribus, quia etiam Waddingus habuit Speculum Minorum, uti discimus ex indice manuscriptorum ejus, qui præfixus est tomo I Annalium; Marianum similiter citat, ubi agit de* B. Felice, *ac præterea Legendam ms., cujus auctor scribebat* anno trigesimo post mortem *ipsius, itaque* 1474. *Hanc autem Legendam citat dumtaxat ad probationem duorum beneficiorum, quæ intra obitum Beatæ et jam dictum annum impetrata sunt. Alibi nec Legendæ meminit, nec quid ex Mariano, quid ex Speculo, quidve ex aliis auctoribus specialim desumpserit, distinguit; nam inter auctores suos etiam* B *collocat Marcum Ulyssiponensem, Gonzagam et Gallucium, qui inter editos auctores unus superest hic memorandus.*

illis et Vita Italice scripta

5 *R. P. Augustinus Gallucius de Mondulfo, provinciæ Picentinæ Minorum observantium quondam commissarius generalis Apostolicus et provinciarum Bavariæ et Tyrolis visitator, Italico idiomate librum edidit anno* 1637 *in tres partes divisum, quarum prima continet gesta Beatæ nostræ, altera B. Seraphinæ ante nominatæ, tertia utriusque Beatæ gloriam posthumam. Pars prima hæc potissimum spectans complectitur non tantum ea Beatæ gesta, quæ habent Ulyssiponensis ceterique auctores ante Waddingum impressi; sed et alia, quæ apud istos desiderantur. Horum quoque nonnulla habet Waddingus et ad annum* 1478 *num.* 48 *dicit universim :* Augustinus Gallucius... utriusque (BB. Felicis *et Seraphinæ*) Vitas exacte scripsit : *unde, sicut monuimus etiam in B. Seraphina, colligere fas est, Gallucium, etiamsi non prodat, quibus documentis usus fuerit, eadem tamen habuisse, quæ postmodum adhibuit Waddingus, putat Legendam ms., Speculum et Mariani Chro-* C *nicum, atque ex his accepisse aliqua Beatæ gesta, omissa ab aliis, quorum intentum non fuit tam uberem et operose undique collectam Historiam componere.*

utemur in Commentario

6 *Dico* aliqua Beatæ gesta, *ne putes, persuasum mihi esse, quod omnia, quæ tradit Gallucius, nec habeant alii, ex dictis documentis deprompta sint. Absit. Plura sane is narrationi suæ immiscuit, quæ meros ingenii ipsius fœtus existimo et ad monialium instructionem ex asceticorum scriptorum Operibus excerpta adjumenta : qualia sunt prolixæ exhortationes, frequentia de virtutum natura et excellentia ac oppositorum vitiorum fœditate ratiocinia, philosophorum argumenta et opiniones, Patrum sententiæ, sacræ Scripturæ textus et exempla, aliaque id genus oratoria potius quam historica ornamenta. Talia quoque reperiebantur in vita Italica B. Seraphinæ, uti dixi in Commentario ibidem prævio, et vel idcirco operæ pretium non esse judicavi, ipsam latine redditam recudere. Idipsum etiam hic judico. Itaque tantum percurram quindecim priora capita vitæ* B. Felicis, *et, neglectis supervacaneis, quid singula de gestis ejus potissimum contineant, lectorem edocebo.*

7 *Eadem opera adjiciam eo spectantia aliorum auctorum asserta, Gonzagæ præsertim et Marci Ulyssiponensis, ita quidem, ut, si quis ea colligere voluerit, illorum relationes in hoc Commentario pene ad verbum integras reperiat. Ut tamen quarumcumque habeat cohærentem rerum gestarum seriem, eidem Commentario subjungam Latinum debitis Annotatis illustratum Vitæ Compendium, quod manuscriptum Pisaurensium Corporis Christi monialium abbatissa sæculo proxime elapso cum nostris Majoribus communicandum curavit, uti pluribus dixi tom. III Septembris in Commentario prævio ad simile Vitæ B. Seraphinæ Compendium. Postremum denique locum occupabunt miracula seu beneficia,* B. Felicis *obitum subsecuta, quæ ex Gallucii cap.* 16, *part.* 1 *latine interpretabor, ac necessariis similiter Annotatis elucidabo.* D

et huic Latinum Vitæ Compendium subnectemus.

§ II. Patria Beatæ juxta aliquos Mediolanum, juxta alios Meda, locus ejusdem territorii; neutra opinio certa. E

Beatam, quæ varie appellata fuit.

T*itulum* Beatæ *universim ipsi adscribunt citati hactenus auctores omnes : Waddingus, quem secutus est epitomes ipsius conditor Haroldus,* nomen ejus Felicem *vel* Felixinam *scribit, quo utroque modo a se repertum testatur in Registro ordinis; Guillielmus de Casali, ordinis Minorum et sanctæ Claræ generalis minister, epistolam, Beatæ missam, inscribit :* Christo Deo devotæ sorori Feliciæ : *ceteri, quos vidi,* Felicem *appellant : quod nomen, utpote communius, retinebimus etiam hic. Magis discrepant auctores in cognomine. Alii* Mediolanensem *agnominant seu* de Milano : *alii* de Meda : *atque inde orta quæstio de loco natali. Ferrarius nullum in annuntiatione sua agnomen adscribens, absolute tamen dicit :*Patria Mediolanensis erat. *Hanc sententiam Waddingus, quamquam agnoscat, Beatam fuisse agnominatam* de Meda, *tuetur in Annalibus ad annum* 1439, *eamdemque adoptarunt Haroldus in epitome, et Petrus Paulus Bosca in Martyrologio. Argumenta dabimus, postquam oppositam sententiam declaraverimus.*

alii Medæ natam contendunt.

9 *Auctor Compendii Vitæ Latini hunc illi titulum præfigit :* Vita B. Felicis a Meda communiter a Mediolano vocatæ ordinis S. Claræ F compendiose descripta, *utque ita orditur :* Medæ ex utroque parente nobilitate claro nata est B. Felix. *Eumdem titulum, exceptis postremis verbis, præfigit Gallucius Vitæ Italicæ et mox cap.* 1 *quæstionem aggreditur his pene verbis latine translatis :* Quidquid hactenus dixerint Chronica et extra Chronica illi, qui de beata sorore Felice scripserunt, natam fuisse Mediolani, nisi per Mediolanum intellectum voluerint ducatum Mediolanensem, aut loca ejus tunc jurisdictionis, in errorem delapsi sunt, non sua voluntate, sed per inadvertentiam ; quoniam adversatur veritas, et manifestum fit ex Obedientia (*epistola seu literis patentibus*) P. F. Guillielmi de Casali, id temporis ministri generalis totius Ordinis Franciscani. *Epistolam asserti sui testem producit mox integram, sed cujus robur omne continetur in inscriptione, quam huc transfero :* Christo Deo devotæ sorori Feliciæ de Meda, monasterii S. Ursulæ civitatis Mediolani, ordinis sanctæ Claræ moniali professæ. F. Guglielmus de Casali *etc.*

Idem

AUCTORE J. P.

Idem Gallucius cap. 2 arditur in hunc madum : Erat itaquu beata soror Felix ex Meda, loco status ac provinciæ Mediolanensis in jurisdictione et diœcesi Novariensi. *Medæ natam quoque tenet P. Benignus Fremaut in vitis Sanctorum ac Beatorum Ordinis S. Francisci, Flandrice concinnatis tom IX, pag. 70. Notandum autem, quod Fremavtius tam Waddingo usus sit quam Gallucio, proindeque hujus rationem solidiorem judicarit illius argumentis, quæ nunc undienda.*

alii Mediolani :

10 *Ad citatum annum num. 29 ita fatur Waddingus :* Adscita est (*Pisaurum*)... ex eodem monasterio sanctæ Ursulæ (*Mediolanensi*) beata Felix sive Felixina de Meda, ita utroque nomino signatur in Registro Ordinis, quod penes me est, ut disciplina regulari adventantes instrueret juveneulas. Patriam habuisse Medæ oppidum in diœcesi Novariensi asserit nuperrimus scriptor Augustinus Calluccius, atquo inde coguomen sortitam : sed reliqui vetustiores et potiores scriptores Mediolani ortam affirmant : neque a patria cognominari ita monialibus, uti monachis, tunc erat assuetum, ut exinde argumentum deduci possit soli natalitii. Et in Registro Ordinis sub præfectura Guillelmi generalis ministri, ubi Felicis translatio a monasterio Mediolanensi ad Pisauriense refertur, Felix de Meda de Mediolano inscribitur. Nobili itaque genere Mediolanensi orta, parentum in tenera ætate solatio destituta etc. *Waddingi vestigiis institit Haroldus, argumentumque ipsius sic contraxit :* Adscita est soror Felixina seu Felix a Meda, non patriæ sed gentis cognomine sic dicta; erat enim nobilibus parentibus Mediolani nata. *Horum autem duorum et Marci Ulyssiponensis suffragio fultus Petrus Paulus Boscu* Felicem *annuntiavit* civem Mediolanensem.

prima opinio non est tam certa, quam vult Gallucius ;

11 *Hubes, studiose lector, utriusque litigantium partis rationum momenta, sed si ea æqua lance ponderes, neutra, opinor, talia deprehendes, ut pro una sententia certum judicium feras adversus aliam. Medæ natam nude affirmat auctor Compendii latini, utque inde colligere fas est, ita quoque sensisse moniales S. Claræ Pisaurenses, quorum jussu vel rogatu circa annum 1661 ex antiquioribus scriptoribus excerpsit ac digessit præcipua Beatæ gesta, cum sigillo, attestatione ac subscriptione abbatissæ ad nos transmissa. Verum cum sub finem Lucubrationis suæ nullum monasterii alleget ms. instrumentum, et inter auctores, quos nominat, unus duntaxat Gallucius Medæ natam contendat, suspicari etiam licet, id tum ipsi quam monialibus persuasum fuisse ex Gallucio seu potius ex instrumenta, quod Gallucius profert in medium. Sed hoc solum (aliud quippe non indicat testimonium) mihi non videtur tam urgens, ut cum eodem Gallucio indubitanter asseverem, aberrasse omnes a vero, qui patria Mediolanensem dixere, nisi per Mediolanum intellexerint ducatum Mediolanensem sive aliquem ejus ditionis locum. Neque enim verba ista :* Sorori Feliciæ de Meda, monasterii sanctæ Ursulæ civitatis Mediolani... moniali professæ, *tam evidenter rem declarant, ut de Meda necessario referri debeat ad locum natalem, non possit ad familiam seu gentem : præsertim si antiqui scriptores* Mediolani ortam affirmant, *ut contendit Waddingus, cujus modo similiter pensemus argumenta.*

nec Waddingi

12 *Ex scriptoribus, Mediolani ortam affirmantibus, nullum nominatim exprimit laudatus auctor, verumtamen eos inter reputandi sunt haud dubie, quos paula altius locavit in margine, Marianus, Marcus, et Gonzaga. Prior, ni fallar, est Marianus Florentinus, cujus Chronica memorantur ante tomum I Annalium in indice codicum mss, quibus usus est Waddingus. De eadem agit etiam Waddingus in Scriptoribus Ordinis Minorum, dicens :* Marianus Florentinus, Reg. Observ. provinciæ Tusciæ, totus intentus colligendis, præsertim intra fines Italiæ, monumentis sui Ordinis, Historiam a Religionis exordiis ad sua usque tempora rudi quidem stylo, sed fida narratione deduxit. Operis titulus est : Fasciculus Chronicarum Ordinis Minorum. Libris quinque Opus distinxit. Autographum penes me est, magnoque fuit adjumento Annalibus scribendis. *Obiisse traditur Marianus anno 1523, ita ut sæculo non integro posterior sit* B. Felice, *anterior Gonzaga et Marco Ulyssiponensi sæculo circiter medio. Verum an quid habeat de patria* B. Felicis, *incompertum nobis est; imo si quid habet, suspicamur, magis convincens non esse, quam quod habent ceteri, cum id proferre operæ pretium non judicarit Waddingus. Franciscus Gonzaga ad eum modum scribit, ut conjicere quidem passis, credidisse ipsum, quod Beata patria fuerit Mediolanensis, nec tamen id certo ex ejus verbis concludere valeas :* Soror Felix, *inquit,* cum utroque charo nobilique parente Mediolani orbata remansisset,... Clarissarum habitum in sacro sanctæ Ursulæ monasterio Modiolani *induit. Reponet quippe cum suis sectatoribus Gallucius,* Felicem *Medæ natam, a parentibus dein deductam fuisse Mediolanum, ibidemque remansisse post eorum obitum.*

testimonia

13 *Simile responsum dabit ad Marcum Ulyssiponensem et quos ibi non nominat Waddingus, ad Tossinianum ac Valerium. Marcus ipsam vocat* beatam sororem Felicem de Milan, *Hispanice nimirum, qua lingua usus est in parte tertia; sanguinemque traxisse addit* e præcipuis nobilibus de Milan, *seu* Mediolanensibus. *Tossinianus elogio* B. Felicis *hoc dat initium :* Beata Felix Mediolanensis, nomine et reipsa Felix, Mediolani Deo servire disponens *etc. Istud Valerius :* Beata soror Felix Mediolanensis (*italice* da Milano) ex nobilia familia nata. *Fatebitur itaque Gallucius, ortam esse e* Mediolanensibus, *id est,* e Mediolanensis ducatus præcipuis nobilibus, *imo etiam, si lubet,* e civitatis Mediolanensis nobilibus, *sed qui, dum Beata in lucem edita est, vel Medæ habitabant, vel ad tempus animi recreandi causa ibi commorabantur, uti a Mediolanensibus frequenter fieri, postea videbimus.* Mediolanensibus *autem communius cognominatam fuisse dicet, vel ea ipsa de causa, vel quia Mediolani vitam religiosam amplexa et annis pluribus professa est. Audiatur, cap. 3, ubi refert Beatæ ad moniales S. Claræ Mediolanenses accessum :* Hic mihi in mentem venit, quod, licet B. Felici natale solum fuerit Meda, non idcirco negari debeat, fuisse etiam Mediolanensem; ubi per vitam religiosam Deo renata est, et vixit per annos 40 continuos. *Alios non reperi, qui Waddingo fortius adstipulentur, vel qui adeo clare, ut nequeat fieri exceptio, affirment, natam esse* Felicem *in ipso Mediolanensi civitate.*

et argumenta,

14 *Quod addit Waddingus, argumentum deduci non posse pro solo natalitio, ex adjecto Beatæ nomini* de Meda, *quia monialibus tunc ita assuetum non erat a patria cognominari, uti monachis, obest ipsi potius, quam prosit. Nam certe id*

AUCTORE J. P. *id usitatum fuisse in aliquibus Clarissarum monasteriis, et nominatim in Pisaurensi, ubi vitam finivit* B. Felix, *credere me jubet instrumentum, quod Gallucius subnexuit vitæ B. Seraphinæ, et quo ego usus sum ad probandos hujus illustres natales* § 4 *Commentarii vitæ prævii. Conscriptum illud fuit per publicum imperiali auctoritate notarium coram legitimis testibus et congregatis rite cum abbatissa monialibus anno* 1470, *id est, a* Felicis *obitu circiter* 26. *At quod hic præ reliquis notandum, inter omnia monialium nomina, quæ post abbatissam, vicariam et B. Seraphinam longa serie recensentur, aliqua quidem referri cum adjecto vel patris vel familiæ cognomine, quale est hoc vicariæ :* Soror Margarita Joannis de Mediolano, vicaria : *nullum tamen esse, quantum ego existimo, quin distinguatur urbis vel loci vocabulo, et multa, quæ sic tantum distinguantur. Ex his describo præcipua. Proxime post B. Seraphinam sequitur :* Soror Francisca de Fano; *deinde sparsim :* Soror Eugenia de Novaria; soror Joanna de Novaria; soror Victoria de Mediolano; soror Dorothea de Montesicardo comitatus Pisanrensis; soror Benedicta de Civitate Castelli; soror B Bethilia de Civitate Castelli; soror Matea de Perusio; soror Eufragia de Fano : soror Isabetta de Macerata.

quæ hic discutiuntur. 15 *Id nec inusitatum fuisse in aliis monialium S. Francisci cœnobiis, prodit ipse Waddingus, dum, quotiescumque monialium sermo incidit, non alio fere eas cognomine distinguit quam civitatis aut loci. Exempla procul quærenda non sunt : ad annum ipsum, quo hanc materiam pertractat,* 1459, *sicut mox laudatam* Franciscam de Fano *appellat* Franciscam Fanensem *num.* 34, *ita num.* 54 *tres memorans, quæ ex Mantuano monasterio evocatæ et ad novum Paduanum directæ sunt, secundam nominat* Isabellam Mutinensem; *tertiam,* Luciam Tridentinam. *Ad annum* 1440 *num.* 19 : Obiit, *inquit,* beata Margarita Fulginas,... Fulginenn venerat beata Angelina Corbariensis. *Num.* 23 *inter plures, quæ id temporis Fulginii floruerunt, sex tantum specialim recenset, earumque nomina sic exprimit :* Clara Fulginas; Agnes ex Pescharæ oppido; Gabriela Perusina; Lucida Romana; Maria de Massa; Joanna Fulginas. *Cur autem id ab ipso factitatum arbitrabi-* C *mur; nisi quia non aliter distinctas repererit apud alios scriptores, quibus usus est? Sane sex posteriorum religiosarum mulierum nomina apud Jacobillum, quem præter legendas mss. citat Waddingus, in Opere de Sanctis Fulginatibus non aliter efferuntur Italice :* Chiara da Foligno, Agnese dalla Pescara *etc. Quapropter dum tot exempla se sponte quasi offerunt, verisimilius mihi est, ea ætate perquam usitatum fuisse, ut etiam moniales a solo natalitio cognominarentur; nec spernendum censeo deductum inde argumentum Gallucii pro Beatæ patria, quando in litteris, a ministro generali Ordinis ad ipsam destinatis, non aliter distinctam legit.*

secundam certiorem ostendunt. 16 *Accedit, quod Waddingus, ut sententiam suam confirmet, ac refellat Gallucium, ad idem ipsum argumentum recurrat; dum ait :* In Registro Ordinis... Felix de Meda de Mediolano inscribitur. *Quid enim roboris continebit inscriptio, nisi velit per cognomen* de Medionalo *designari solum natalitium, per* de Meda *gentem seu familiam? Hoc tamen, meo judicio, validissimum erat argumentum adversus opinionem Gallucii. At multo validius foret; siqua notitia afferri posset nobilissimæ cujusdam familiæ, quæ isto sæculo Mediolani claruit et* de Meda *cognominata fuit : sic enim Gallucii fautoribus magnis præcluderetur ad evadendum via. Alioqui respondebunt illi,* Felicem *cognominatam fuisse* a Meda *patria, quamdiu Mediolani vixit in monasterio, ut colligitur ex epistola generalis ministri : ad dein adjici cœpisse* de Mediolano, *quia ex Mediolanensi monasterio, ubi Regulam S. Claræ professa erat, et annis quadraginta vixerat, Pisaurum translata fuit. Addent, hinc quoque in errorem deduci potuisse scriptores a Waddingo citatos, qui* Felicem *nuncuparunt* de Milan, da Milano *vel* Mediolanensem, *idque minus mirum fore, cum iidem scriptores omnes erraverint etiam, fatente Waddingo, in nomine et officio Superioris Ordinis S. Francisci, quo mandante,* Felix *Mediolano Pisaurum transiit.*

17 *Quidquid sit, neutram, ut supra innuebam, opinionem sat gravi pondere fultam deprehendo, ut pro alterutra pronuntiare ausim. Hoc certum, nec alterutri adversum, quod sive Mediolani nata sit sive Medæ, non inepte* Mediolanensis *appellari queat, cum in Mediolanensi ditione primam lucem aspexerit. Medæ aliqualem notitiam dedit supra Gallucius : ut vereor, ut satis accuratam, dum locum esse asserit Mediolanensis quidem ditionis, diœcesis tamen Novariensis. Nusquam sane illa in regione reperio, nec reperiri existimo, locum isto nomine diversum ab eo, qui medius fere est Mediolanum inter et Novocomum, et a quo S. Joannes de Medo, primarii Ordinis Humiliatorum fundator, cognomen sortitus est. Sed pagus is est seu vicus non tantum ditionis, verum etiam diœcesis Mediolanensis, uti affirmant tum auctores alii citati num.* 23 *Commentarii prævii ad Acta S. Joannis de Meda tom. VII Septembris ad diem* 26, *tum qui in eo errasse credendus non est Petrus Paulus Bosca Mediolanensis martyrologus, dicens :* In agro ac diœcesi Mediolanensi contentum esse (*Medæ pagum*) omnes sciunt : *proinde si Medæ nata sit,* B. Felix, *ut contendit Gallucius, etiam in diœcesi Mediolanensi nata est.* *Mediolanensis dici potest, etiamsi nata sit Medæ,* E

18 *Ceterum ut lucem accipiant ea, quæ dixi hic num.* 13 *de nobilibus familiis Medæ frequenter habitantibus vel ad tempus commorantibus, latiorem ejus descriptionem, ex Primo Aloysio Tatto datam in Commentario de S. Joanne de Meda, huc transfero.* Est igitur Meda locus celebris territorii Mediolanensis, amœnus situ, ex quo et collibus et planitie gaudet, ideo multis opulentis familiis habitatus. Aeris felicitas et Como Mediolanum tendentibus hospitandi commoditas olim multos nobiles ad domicilium ibidem sibi comparandum allexerunt. Nec soli Mediolanenses in isto suæ ditionis vico domos sibi posuere; verum etiam Comenses, qui et prædia ibi acquisiverunt et elegantes ædes exstruxere, sive secedendi aut animi nonnumquam recreandi causa, sive ut tempore messis proventus suos præsentes curarent. *qui Mediolanensis territorii locus est.* F

§ III.

A

§ III. Beatæ illustres natales; pia adolescentia; susceptio vitæ monasticæ; religiosæ virtutes, electio ad abbatissæ dignitatem, fructuosum regimen.

Nobili genere nata est circa annum 1378:

Parentes *genere illustres nactam esse* B. Felicem, *vidimus et præcedente ex verbis scriptorum tam veterum, quam recentiorum, quorum tamen nullus vel nomina expressit vel familiam designavit præter Waddingum et Haroldum, qui cognomen* de Meda *non a solo natali ipsi inditum, sed a stirpe sua transmissum putavere, sed sine ullo hujusce nominis stirpis vel familiæ tunc Mediolani existentis testimonio aut indicio. Nullus quoque signanter posuit annum natalitium: quamquam is facile deduci queat ex aliis ipsorum* B *calculis: obiisse nempe affirmant pene omnes anno* 1444, *ætatis suæ, quod addunt non pauci, sexagesimo sexto, ut natam esse oporteat circa* 1378. *De gestis autem ipsius in pueritia ac juventute usque ad obitum parentum nihil similiter nos docent antiquiores; pauca auctor Compendii Vitæ Latini; sed non aliunde accepta, opinor, quam ex Gallucio.*

pietate ac prudentia omnibus amabilis,

20 *Dicit itaque Gallucius, Beatam, Medæ nobilibus, divitibus ac piis parentibus prognatam, ab ipsa infantia comparatam fuisse ad virtutes omnes; sub parentum cura vixisse ea observantia, ut accrescente ætate prænosci in ipsa posset disciplinæ regularis magistra; comitate sua et modestia omnium sibi amorem et existimationem conciliasse; usque adeo profecisse in litteris humanis et divinis, ut ad ipsam, necdum ætate maturam, personæ graves hominesque litterati recurrerent, perceptari et de rebus cælestibus documenta et consilium in obviis negotiis. Hinc factum esse, addit idem Gallucius, ut parentes, Puellæ propensum ad pietatem animum et præsentem in ea divini luminis gratiam perspicientes, summopere gauderent, pie* C *pariter ac studiose votis ejus obsecundarent, facerent in omnibus, plenam non modo virtutibus exercendis licentiam facerent, verum etiam rei domesticæ gubernandæ curam prudentiæ ipsius relinquerent. Quod munus, quoad ipsi vixerunt, diligenter et feliciter explevit, et vita functis, tum juvenilem ætatem ingressa continuavit: quamquam germanum fratrem haberet ætate paululum inferiorem, ac sororem uterinam, seu diverso patre genitam, annis provectiorem. Ita fere, sed fusiore stylo, cap. 2 Vitæ Italicæ laudatus auctor, qui postremi asserti testem appellat Gonzagam. Hic tamen ætatis discrimen Beatam inter ac fratrem et sororem non ita clare proponit. Verba hæc sunt:* Soror Felix cum utroque charo nobilique parente Mediolani orbata remansisset, alteri ejus uterinæ sorori atque cuidam germano fratri, ut, bonis communibus piis locis pauperibusque erogatis, religionem ingredi vellent, suasit. *Ulyssiponensis et Valerius simpliciter dicunt, in tenera ætate orphanam relictam fuisse cum fratre et sorore.*

21 *Beatæ Gesta a parentum obitu ad vitam usque monasticam paucis complexi sunt Gonzaga et alii. Et Gonzaga quidem mox datis verbis tantum addit sequentia:* Effecto itaque illo (*fratre*) Franciscano, istæ (*Felix ejusque soror*) Clarissarum habitum in sacro sanctæ Ursulæ monasterio Mediolani induerunt. *Ullyssiponensis, relato parentum obitu,* Mox, *inquit,* in tenera ætate a Spiritu sancto in sponsam electa est: corde instructa erat adeo virili et animo tam prudenti, ut ad cælestia aspirans, terrena aspernari inciperet, ac divino se Sponso mancipare, atque ut id ipsum præstarent, induxit fratrem et sororem. Pariter autem incensi et in divino amore conspirantes, omni facultate sua pauperibus et monasterio collata, frater apud Minores Observantiæ factus est monachus, sorores vero moniales S. Claræ strictioris Observantiæ in monasterio S. Ursulæ Mediolani. *Ita pene ad verbum Hispanicæ laudatus auctor, et sine notabili discrimine Valerius Italice. At fusiore calamo ista dilatavit Gallucius cap. 3. Partes præcipuas obiter delibatas propona. Frater et soror Felicem præcipientem audiebant ac reverebantur ut matrem. Hæc autem navabat operam, ut quos mater mundo dederat, ipsa cælo pareret. Propositi sui fundamenta jecit paulatim in familiaribus colloquiis. Sermonem ingerebat de duobus Ordinibus S. Claræ et S. Francisci,* E *tunc per orbem Christianum florescentibus de laudibus utriusque, de hominum ad ipsos concursu, atque hinc profluente animarum fructu.*

Auctore J. P. post obitum parentum Mediolani cum fratre ac sorore

vitam monasticam amplectitur

22 *Sic, adjuvante Spiritu sancto, tantum effecit, ut instructi jam ambo de brevitate vitæ, deque mundi vanitate, molestiis ac periculis, propositum, quod ipsa sibi fixerat, amplecti, et quocumque duceret, sequi firmiter statuerint. Minime tamen festinandum rata est, differendam ad tempus exsecutionem, ne rei non sat mature consideratæ postmodum pœniteret. Itaque per menses aliquot piis institutionibus confirmavit in proposito, egit de bonorum dispositione, deliberavit de loco cujusque vocationi idoneo. Tandem sibi ac sorori elegit Clarissarum S. Ursulæ monasterium Mediolani; frater transiit ad Minores regularis Observantiæ. Bona in tres partes divisa sunt; pars una cessit pauperibus; altera conventui Franciscanorum, in quo frater feliciter perseveravit ac sancte obiit, tertia S. Ursulæ monasterio, quod, quia tunc magna penuria premebatur, Beata ceteris prætulerat, et in quo soror ipsius post quadriennium ad meliorem vitam transmigravit.* F

circa annum 1400: virtutes ejus religiosæ

23 *Waddingus* Felicis *cum fratre et sorore ad vitam religiosam accessum notat circa an.* 1400, *et recte quidem spectato reliquo, ex scriptoribus postmodum faciendo, gestorum computu, secundum quem addi potuisset, Beatam tunc numerasse ætatis circiter vigesimum secundum. Pergunt auctores nostri describere vitam Beatæ in Mediolanensi monasterio usque ad ejus transitum ad Pisaurense, sed alii aliis uberius et fusius. Brevissime Gonzaga:* In quo (*S. Ursulæ monasterio*) beata soror Felix 15 annis continuis simplicem monialem et 25 aliis abbatissam strenue egit. Ejus vero soror quatuor tantum annis supervixit. *Tossinianus:* In monasterio sanctæ Ursulæ asperam vitam duxit, assiduis jejuniis corpus suum macerabat, cilicium ad nudas carnes deferebat, multas quoque illusiones et tentationes passa est a diabolo, quem ipsa iis verbis depellebat: Deus in adjutorium meum intende. Vixit Præfecta illius monasterii annos quindecim cum maxima opinione sanctitatis. *Aliquanto enucleatius Marcus Ulyssiponensis et Valerius Venetus.* In vita religiosa (*sic primo loco nominatus Hispanice*) tanto fervore et erga Deum amore incumbebat

AUCTORE I. P.

bebat in exercitia et mortificationes corporis ac spiritus, ut ceteras moniales in stuporem et admirationem raperet. Nudis pedibus incedebat semper: continuum servabat jejunium, durissimis frequenter carnem affligebat verberibus; vigilabat multum, ferventibus orationibus erat assidua, et sub paupere ac vili habitu asperrimum indesinenter gestabat cilicium; vitam agebat in continuo spiritus martyrio.

et certamina cum dæmone

24 Superiorum jussa summa obedientia et animi demissione profundissima faciebat; sedulo admodum et alacriter obiens infima et humillima monasterii officia, semet tam abjecte et contemptim habebat, ut humanis oculis prorsus imperita et inepta videretur, quamquam prædita esset insigni prudentia ac sapientia. Quoniam vero plurium ac ferventium orationum ac lacrymarum gratia, fruebatur invidia confectus dæmon modis pluribus ipsam persequebatur; terribilibus aliquando visionibus, alias ferocium ac horribilium animalium clamoribus timorem ac terrorem concitans, ut ab oratione distraheret. Verum cum frustra hæc tentasset inimicus, nec perturbationem afferre potuisset, in constantem Christi B Sponsam magno impetu irruebat, cædebatque tam graviter, ut mane inveniretur sæpe a monialibus protrita et plagis tumida. Quadam vice ad clamantis Famulæ Christi vocem ac dicentis: Deus in adjutorium meum intende, accurrerunt moniales, fugaruntque lustrali aqua dæmonium, de quo numquam non triumphum retulit Christi Famula. Dum igitur tot virtutibus effulgeret, e vivis sublata abbatissa, ipsa in conventus abbatissam electa fuit, quod munus invita et superioribus obedientiæ præcepto coacta suscepit, atque ea humilitate, iisque religiosi instituti virtutumque exemplis administravit, ut fama ipsius difflueret per universas Italiæ provincias, ac felicem se reputaret, quisquis spiritualibus Christi Famulæ consiliis frui posset.

describuntur a diversis auctoribus;

25 *Gallucius more suo latissime, per quinque omnino capita, extendit ea, quæ ex laudatis scriptoribus hoc et præcedenti numero protulimus. Verum si frequentia Gallucii parerga, a reliquis discreveris, pauca supererunt, quæ secundum substantiam seu rem ipsam jam nunc sufficienter exhibita non fuerint. Pauca, inquam, et ea proin sola hic perstringo. Capite 4, quod ex quinque memoratis primum est, late discurrit in laudem obe-* C *dientiæ, ab eaque potissimum virtute commendat Virginem nostram, utpote quæ in paterna domo omnibus præesse et imperare solita, vix in monasterium ingressa, omnibus se profundissime subjecerit. Hinc ortum ipsi esse addit sævum cum dæmone certamen. Is quippe* Felici *ob oculos ponebat relicta sæculi commoda, et suscepti instituti molestias, aliquando abblandiebatur objecta propriæ virtutis opinione, alias alio se vertebat, ut a proposito averteret; sed inani conatu. Virgo contra virtutes amplectebatur, vitiis, ad quæ ipse pelliciebat, maxime oppositas. Præcipuas dein enumerat Gallucius, patientiam, mansuetudinem, spiritus alacritatem, patiendi voluntatem, fragilitatis nostræ ac naturæ vilitatis considerationem, corporis denum ac spiritus afflictationes, quas iisdem pene verbis declarat Gallucius, quibus supra Ulyssiponensi. Addit tamen ille, eam fuisse cilicii, quod gestabat* Felix, *asperitatem, ut permotæ commiserationis affectu sorores orarent, uti dimitteret subinde, aut saltem pro diversitate tempestatum permutaret: at ipsam, ore et vultu ad lætitiam composito, reposuisse, eo se sublevari, minime cruciari; æstate per idipsum temperari calorem, hieme* D *mitigari frigus, aliis anni partibus pro temporum ratione accedere subsidium: sicque dimittendo vel permutando noceret sibi magis, quam faveret. Beatæ responsum, tamquam ex antiquioribus desumptum, diverso charactere sic exprimit Waddingus:* Ignoscite, sorores, voluptuosa res est cilicium; in æstate refrigerat, in hyeme calefacit.

præficitur junioribus.

26 *Capite 5 multum versatur Gallucius in celebranda humilitate, vitæ perfectioris fundamento, et in extollendis bonis ac fructibus ipsam concomitantibus. Demum ad Beatam se convertens, ait, illam per ejusdem virtutis prærogativas evectam fuisse supra humanam quodammodo conditionem, nec mirandum, si nihil diligentiæ prætermiserit ad votorum observantiam, virtutum profectum et augmentum meritorum. Sexto capite Beatæ cum tentatore certamina commemorat; septimo ejusdem assiduitatem in orationibus et contemplationibus, atque inde divinitus acceptam rerum futurarum notitiam, de qua cum Gonzaga agemus inferius. Adhæc, quod apud alios non legi, dicit Gallucius, ipsam, quoniam a natura obtinuisset vocis claritudinem, et tam intelligentem rerum cælestium a Deo* E *pietatem, primo constitutam fuisse chori, mox etiam juniorum ac novitiarum magistram et eo exemplo ac regularis disciplinæ observantia officia illa implevisse, ut juniores et novitiæ speciem præ se ferrent angelorum, cantus in choro videretur esse harmonia angelica, ipsum monasterium cælestis habitatio.*

eligitur abbatissa anno 1425 communi consensu

27 *Capite octavo tractat Gallucius de Beatæ præfectura et in gubernando monasterio ac dirigendis sororibus industria ac præstantia. Unanimi monialium consensu et applausu electam fuisse, ait, abbatissam, et cum pro modestia et humilitate sua reluctaretur, ad munus suscipiendum obedientiæ præcepto compulsam fuisse, anno Domini 1425, ætatis 47, vitæ religiosæ 25: quam porro eo digna esset, colligi tum ex antedictis, tum ex testimonio ministri generalis in citata aliquoties ad ipsam epistola. Et sane ex ista epistola non modo colligitur, qualis fuerit, dum ad præfecturam evecta est, verum etiam liquido patet, qualem se exhibuerit toto quindecim annorum spatio, quo Mediolanensi monasterio præfuisse traditur. Quapropter partem epistolæ anno 1439 exaratæ, hic profero:* De tua vita laudabili, honestate, zelo, prudentia, vigi- F lantia, studiositate in monasterio gubernando, in spiritualibus exequendis infatigabilitate, efficacia in exhortationibus, in provisionibus diligentia, moderantia in correctionibus, temperamento in præceptis, præstabilitate in compatiendo, in silentio rigorositate, maturitate in sermone, discretione in consulendo, et in cunctis ad perfectum regimen opportunis, aliisque pluribus virtutibus quibus te multipliciter decoravit Altissimus, cum multorum fide dignorum testimoniis informatus existam, officii mei munere *etc.*

et magno omnium fructu.

28 *Plura ad præsens propositum non desiderentur. Sequenti* § , *ubi de transitu* B. Felicis *ex Mediolanensi ad Pisaurense monasterium sermo instituetur, denuo usui erit laudata epistola, eaque occasione monebitur lector de discrimine inter editionem ejus a Gallucio curatam, et alteram a Waddingo in Annalibus. Ceterum ad commendandam gubernandi rationem eadem epistolæ verba adducit Gallucius, sed et hæc subinde uberiore phrasi explanat. Sic ubi attingit beatæ Abbatissæ in consiliis prudentiam et in exhortationibus efficaciam, significat, non in isto dumtaxat monasterio fructum*

A *ctum inde perceptum fuisse, verum etiam in aliis religiosis cœtibus, in quos indies major ac major morum correctio inducta est, et in universa civitate Mediolanensi, in qua alii mirabili verborum ipsius vi quodammodo coacti sunt a peccatis abstinere et ad pœnitentiam converti, alii mundo valedicere et religiosam vitam amplecti. Demum, auctore Gallucio, eximiæ hujus Moderatricis tanta cum virtutis et meritorum laude per Italiam dispersus est rumor, ut multi per litteras cum ipsa agerent, multi ejus cognoscendæ desiderio illuc se transferrent; multi in suis oppidis vel civitatibus regularis disciplinæ Magistram exoptarent, nec pauci expeterent. His tamen omnibus prævaluit illustris domina Baptista Feltria, de qua mox.*

§ IV. Beatæ evocatio ad regimen novi monasterii Pisaurensis, iter et adventus.

Baptista Feltria, piissima Pisauri domina,

D*um modo jam exposito Mediolanensi monasterio præerat, novum S. Claræ monialibus Pisauri erigebat mulier illustrissima Baptisma Feltria, soror Guidi Antonii Montis-Feltrii seu Feretrani et Urbini comitis, de quo, utpote B. Seraphinæ Feltriæ genitore, plura diximus ad diem* B *8 Septembris. Illam alii Baptismam Malatestam appellarunt, quod videlicet conjugem haberet Galeatium Malatestam, Pisauri dominum, quem infra citandus Marcus Ulyssiponensis minus accurate* Galeatium Sfortiam *nuncupavit. Paruit quidem Pisauram Sfortiis eodem sæculo, sed postquam Galeatius Malatesta ejus dominium vendidit Francisco Sfortiæ, qui illud transtulit in Alexandrum Sfortiam, fratrem suum, dein B. Seraphinæ conjugem. Insigne Baptistæ elogium reliquit Jacobus Bergomensis in Opere suo de Claris Mulieribus cap. 152, quod et Waddingus Annalibus suis inseruit ad annum 1437, et Gallucius cap. 9 Vitæ* B. Felicis *magna ex parte italice exposuit. Laudatur autem Baptista tam ab iis corporis et animi dotibus, quibus ornatæ mulieres ceteris antecellunt, pulchritudine, ingenio, morum probitate et honestate, prudentia et erga omnes beneficentia, quam ab iis ipsis, quæ viros ad altiorem existimationis gradum evehunt, doctrina, eruditione,* C *eloquentia, justitia et clementia : sed potissimum a pietate, exemplo, humilitate et vitæ sanctitate, qua post mariti obitum, suscepto S. Claræ habitu, ac deinceps Hieronyma vocata, fulsit Fulginii in altero a se condito monasterio. Hueberus ipsam annuntiat in Menologio Franciscano et Arturus cum* Beatæ *titulo in Martyrologio ejusdem Ordinis ac Gynæceo sacro ad diem 12 Decembris, ad quem disquiri poterit, an similiter in nostro Opere locum exigat.*

novo monasterio abbatissam petit B. Felicem,

30 *Hæc itaque lectissima matrona* B. Felicem *novo Clarissarum Pisauri erecto monasterio Gubernatricem rogavit et impetravit. Audiamus denuo hac super re vetustiores Ordinis scriptores. Gonzaga § præcedente citatus ita prosequitur :* Cumque illustrissima Baptista Malatesta, ejusque filia Elisabeth S. Claræ monasterium (de quo impræsentiarum) Pisauri erigerent, illudque piis sororibus instructum exoptarent, beatam hanc Fœlicem a vicario Ordinis nostri generali impetrarunt. Cujus præcepto obsequutura pia Soror, Pisaurum se transtulit, hujusque loci primam Abbatissam per integrum quadriennium egit. *Paulo aliter Tossinianus :* Interim domina Baptista de Malatestis, obtenta a beato Bernardino Senensi vicario generali facultate construendi monasterium Corporis Christi Pisauri sub Regula sanctæ Claræ, scripsit ad Felicem, ut una cum septem aliis monialibus se Pisaurum reciperet, videlicet Margarita, Eugenia, Elizabetha, Ursolina, Bartholomæa, Jacobina et Carlina, cum quibus duæ aliæ ingressæ sunt monasterium constructum Francisca Fanensis et Magdalena Tizonia Pisaurensis. *Latine illi, Hispanice ita Ulyssiponensis :* A sancto Bernardino, qui tunc erat vicarius generalis Observantium Ultramontanorum, missa est cum septem monialibus ad condendum monasterium S. Claræ in Pisaurensi civitate, non sine multo mœrore et animi sensu monialium S. Ursulæ, quæ tam sancta Matre et Antistita orbæ remanebant. Magna voluptate Pisauri excepta fuit a domina Baptista Malatesta, uxore Galeatii Sfortiæ, civitatis domini, ab ejusque piissima filia domina Elizabetha, quibus cura erat ædificandi monasterii. In ipso autem ejus post meridiem adventu duæ virgines nobiles Francisca de Fano et Magdalena de Fizone noluerunt reverti ad ædes paternas; sed mox Sponsæ Christi in E perpetuum se discipulas ac socias adjunxerunt.

auctore ..., quæ a ministro generali Ordinis

31 *Nihil opus est referre plurium auctorum verba, quandoquidem hi vel a tribus istis sua mutuati sint, vel sicubi dissentiant, duces secuti sint Waddingum aut Gallucium. Haud immerito autem dissentit Gallucius Francisco Gonzaga, scribenti, quod Beata, præcepto vicarii generalis obsecutura, se Pisaurum transtulerit, et Waddingus insuper Marco Ulyssiponensi, similiter tradenti, quod missa fuerit Pisaurum* a sancto Bernardino, qui tunc erat vicarius generalis, *quasi alterius huic negotio præceptum non intervenisset Erat sane S. Bernardinus Senensis ea tempestate* omnium et singularum domorum et conventuum Italiæ.... sub sacro Observantium nomine constitutarum *vicarius generalis, ad istud munus electus a ministro generali totius Ordinis Guillelmo Casali, ac in eodem confirmatus ab Eugenio IV Summo Pontifice anno 1438, ut expositum est ad diem 20 Maii in Commentario prævio ad Vitam ipsius, constatque ex amborum litteris apud Waddingum ad dictum annum 1438. Hinc omnino verisimile est, Baptistam Pisaurensium dominam, ut novo monasterio suo* Felicem *obtineret Gubernatricem, usam opera, imo interposuisse auctoritatem S. Bernardini. Nec est a verisimilitudine* F *alienum, quod tradit Tossinianus, scripsisse Baptistam* ad Felicem, ut una cum septem monialibus se Pisaurum reciperet : *sed litteræ, quas producunt Gallucius et Waddingus, et quas forte non viderant alii, dubitare nos non sinunt, quin intervenerit auctoritas et præceptum ipsiusmet generalis totius Ordinis ministri.*

per litteras

32 *Non infrequens est, ut supra insinuavi, discrimen inter utramque litterarum editionem. Waddingus suas depromptas esse testatur ex autographico; Gallucius, unde acceperit, non significat; atque idcirco illius editionem præferimus ac sequemur. Quoniam tamen sæpe accidit, ut hujuscemodi discrimina non aliunde proficiscantur, quam ab incuria describentium, subinde aliqua omittentium, alias adjicientium vel immutantium, præcipuas Gallucii variantes lectiones signabimus in margine, excepta ea parte, quam ex eodem Gallucio recitavimus num. 27, et quam cum Waddingi litteris hic lectori conferendam relinquimus.* Christo Deo devotæ sorori Feliciæ de Meda monasterii

AUCTORE ... .

monasterii sanctæ Ursulæ civitatis Mediolani Ordinis sanctæ Claræ moniali professæ, Frater Guillelmus de Casali, sacræ theologiæ magister et Ordinis Minorum et Sanctæ Claræ generalis minister et servus, salutem et pacem in Sponso virginum Jesu Christo. Cum magnifica D. * Baptista de Malatestis de Pisauro * unum ædificaverit monasterium Ordinis sanctæ Claræ apud eamdem civitatem Pisauriensem provinciæ Marchiæ, super hoc auctoritate Apostolica sibi concessa, cupiatque ipsum monasterium fundare et sororibus ejusdem Ordinis regulariter et observanter viventibus providere * ; ejus devotioni desiderans ac precibus volens occurrere, prout ex debito * mihi injuncto teneor, ad augmentum ipsius Ordinis sanctæ Claræ mihi commissum *, quia inter cetera ipsius Ordinis monasteria, * laudatissimæ famæ et vitæ semper fuit monasterium sanctæ Ursulæ, apud Mediolanum constitutum, et ex illo constitui huic fundando monasterio apud Pisaurum religiosa ac præcipua honestate vitæ sorores deputare. *Postremæ voces desunt apud Gallucium, legiturque dumtaxat* apud Pisaurum providere.

* *apud Gallus. decst.* D
* *ibid.* Pisauri domina
* *ibid.* fore undare
* *ibid.* officio
* *ibid.* commissi
* *ibid. addit.* ex quo

laudum ejus præconio plenæ.

33 Idcirco de tua vita laudabili, honestate, zelo, prudentia, vigilantia, studiositate in monasterio, attentione in exhortatione, diligentia in B admonitione, moderantia in correptione, temperamento in præceptis, præstabilitate in compatiendo, in silentio discretione, in sermone maturitate et in cunctis ad perfectum regimen opportunis consultatione, aliisque plurimis, quibus te multipliciter decoravit Altissimus, cum sim multorum fide dignorum testimoniis informatus, auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, et nihilominus de quamplurimorum patrum et magistrorum aliorumque prælatorum nostri Ordinis fratrum concordi consilio pariter et assensu, dicti monasterii et sororum abbatissam et matrem instituo, et institutam denuncio per præsentes, plenam tibi administrationem ipsius monasterii et bonorum ejus tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo : mandans harum serie dilectis in Christo sororibus, familiaribus quoque et servitricibus * a conversis et servitoribus * ejusdem monasterii per obedientiam salutarem, et sub pœna inobedientiæ contumacis, quam, trina canonica admonitione C præmissa, contradicentes incurrant, quatenus veluti suæ legitimæ Abbatissæ et Matri spirituali in omnibus, quæ ad abbatissæ officium pertinebunt *, toto tui abbatissatus tempore firmiter et sine contradictione obedire teneantur.

* *ibid.* servitoribus
* *ibid.* servientibus
* *ibid.* spectantibus ad abbatissæ officium

jubetur Pisaurum proficisci.

34 Eia ergo, tibi onus impositum per eamdem obedientiam et sub eisdem pœnis devote suscipias, tuque diligenter in commisso tibi officio te * humiliter exhibeas et prudenter : * ita quod monasterium ipsum per manus tuas * reformationem capiat et quietem ; et cum tempus dabitur, cum accensa lampade ad cælestem patriam ante conspectum Domini nostri Jesu Christi præsentari merearis. Vale in eodem Jesu Christo et ora pro me. Datum Florentiæ die 24 Julii 1439. *Ex litteris istis conjicimus, eo perductum fuisse opus a domina Baptista, quando vocata est Pisaurum* B. Felix, *ut jam tum monasterii formam haberet. Ex aliis autem, quas laudat Waddingus, intelligimus, etiam ab aliquot saltem monialibus inhabitatum fuisse et alterum ipsi prius destinatum fuisse abbatissam. Verba Waddingi sic habent ad annum* 1439 *num.* 29 : Inchoato in urbe Pisauri insigni monasterio Clarissarum per nobilem mulierem Baptistam de Malatestis, Galeatii Sfortiæ (*imo* Malatestæ ; *vide initium hujus* § :) conjugem, evocata fuit hoc anno 26 Februarii N. abbatissa monasterii sanctæ Claræ Laudensis, cui adjuncta est venerabilis soror (ita habent patentes litteræ generalis ministri) Ambrosia, et altera anonyma ex monasterio sanctæ Ursulæ Mediolanensi, ut feliciter inchoarent. Deinde die 24 Julii adscita est, fortassis propter prædictæ abbatissæ mortem vel aliud impedimentum, ex eodem monasterio sanctæ Ursulæ beata Felix sive Felixina de Meda. D

* *ibid.* et
* *ibid. addit.* temetipsam
* *ibid. addit.* optatam

Gallucii ad eas litteras et Gonzagæ testimonium

35 *Gallucius cap.* 13 *Vitæ Italicæ, consideratis aliquot litterarum ad* B. Felicem *verbis simul cum testimonio Gonzagæ, ulterius conjectat. Sed audiendus primum Gonzaga :* Contingebant se olim mutuo intra Pisaurianæ civitatis mœnia duo Clarissarum monasteria, alterum quidem Dominico Corpori sacrum, alterum vero B. Claræ dicatum. Sed istud Conventualibus Franciscanis parebat, atqui illud ejusdem Ordinis Observantibus obsequebatur. Cumque utrarumque sororum mores inter sese maxime dissentirent, possentque omnes simul junctæ fælicius coalescere, a senatu illis hujusmodi optio data est, ut vel contigui monasterii monialibus Observantibus jungerentur, vel loco cedentes, proprios lares E repeterent. Eligentibus vero illis secundam conditionem, præfatus S. Claræ conventus ex Apostolica auctoritate a prædicto Pisauriensi senatu monasterio Corporis Domini annexus fuit, et quicquid in eo continebatur, atque ad ipsum sive stabile sive mobile attinebat, in alterius jus transiit ; simulque cum bonorum domusque accremento crevit et sororum religio atque sanctitas. *Conjectat itaque Gallucius,* B. Felicem *Pisaurum evocatam fuisse tantum, dum facta est duorum conventuum conjunctio : idque insinuatum videri ait hisce ministri generalis ad Beatam verbis :* Quod monasterium ipsum per manus tuas optatam reformationem capiat et quietem.

observatio expenditur.

36 *Conjectura est, primo intuitu admodum verisimilis : sane* reformationem et quietem capere *passim aliam vivendi normam ac prævias aliquas turbas denotat : verumtamen si verba Gonzagæ stricto sensu accipiantur, ex conventuum illorum conjunctione turbæ excitari non potuerunt inter moniales Corporis Christi, nec oriri reformationis necessitas. Etenim non obscure asserit Gonzaga, moniales alterius monasterii, antea Conventualibus* F *Franciscanis subditi, elegisse* secundam conditionem, *id est,* proprios lares repetivisse, *sive rediisse ad parentes suos vel consanguineos : ita ut ex ipsius verbis deduci nequeat, quod vel una se junxerit monialibus Corporis Christi, quæ erat altera conditio seu prima pars optionis illis datæ, et quæ, si acceptata fuisset, occasio esse potuisset turbarum inter mulieres antea diversis legibus et vivendi methodo assuetas. At, inquis, quo igitur respexit generalis minister, adhortans Beatam, ut in monasterium Corporis Christi Pisaurense* reformationem et quietem *induceret? Mihi quidem apparet, ipsum per* reformationem *nihil aliud significatum voluisse, quam ut Beata Pisaurenses moniales instrueret et regeret secundum regulas* Reformationis, *jam tum in alia Clarissarum monasteria introductæ, id est, secundum regulas strictioris Observantiæ, quam ipsa tam diu et tam laudabiliter professa fuerat in Mediolanensi monasterio. Cum autem adhortaretur minister generalis ad* quietem *Pisaurensi monasterio conciliandam, respexisse ipsum arbitror non ad turbas, quæ in monasterio*

AUCTORE I. P.

A rio inter moniales exortæ fuerant, sed ad eas, quæ adversus ipsum monasterium excitabantur ab externis hominibus, ejusdem progressui minime faventibus, quos inter, ut postea dicetur, fuit ipse Galeatius Pisauri dominus. Hortatus est, inquam, Felicem, ut sua prudentia conaretur ab his pacem et quietem obtinere monasterio et monialibus. Numerabat porro tunc Beata ætatis annum circiter 62, religiosæ 40, præfecturæ in Mediolanensi monasterio 15.

Idem Gallucius turbas civium Mediolanensium,

37 Merito dubitari nequit, quin Mediolanenses moniales, percepto nuntio de futuro discessu amantissimæ Matris, summopere perculsæ fuerint, et, quod exprese testatur Ulyssiponensis, in ipso discessu affectæ ingenti doloris sensu. At Gallucius hisce exponendis duo rursum capita impendit bene longa. Juxta ipsum nuntius iste motus concivit non solum in monasterio, sed et in civitate Mediolanensi tantos quidem, ut nisi adfuisset auctoritas summi Pontificis (nam putat Gallucius, ministrum generalem in hoc casu munitum fuisse speciali summi Pontificis mandato seu facultate, eumque in finem allegat istum textum litterarum: Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte) ut, inquam, B nisi adfuisset auctoritas Pontificis et Philippi Vicecomitis, ducis Mediolanensis, civitatis incolæ, nihilo reveriti Superiorum Ordinis præcepta, quovis pacto impedituri fuissent, ne amoveretur a se tantus Thesaurus. Sed rebus ita constitutis, nihil reliquum erat præter querelas, lamenta et lacrymas. Talia cum fierent ab exteris, quid a domesticis factum cogitabimus?

ac monialium luctum ob Beatæ discessum.

38 Scribente eodem Gallucio, querimoniis, lamentis et lacrymis sorores humi prostratæ addebant humiles preces, obsecrationes, et qualincumque extremi doloris signa; sed quæ totidem erant sagittæ transfodientes cor piæ Antistitis, usque adeo permotæ, ut vel elinguis consisteret, vel si proloqui vellet, nihil præter hanc vocem ingeminaret: Obedientia, obedientia. Sequenti capite, quod vitæ Italicæ undecimum est, refert auctor prolixam Beatæ orationem, qua sororibus congregatis valedixit, easque adhortata est tum ad constantiam et progressum in ceteris virtutibus, tum præsertim ad charitatem et pacem: denique positis humi genibus culparum ac defectuum non sine fletu veniam rogavit, precesque pro eorum remissione efflagitavit apud Dominum Deum. Capite 12 describit Felicis e monasterio excessum; omnis ætatis, sexus et C conditionis hominum eam videndi ac honorandi gratia accursum; operum, quam quisque navabat, ut propius ad ipsam penetraret, manus deoscularetur, vestem contingeret, precibus se ejus commendaret, vale ultimum impertiretur; Beatæ contra conatum, ut se prementi turba expediret, donec tandem supplex orans et per amorem Dei imperans, abeundi licentiam consecuta est.

ejusque iter et adventum Pisauri fuse describit.

39 Cum septem itaque sodalibus, quarum nomina dedit supra Tossinianus, Mediolano Pisaurum perrexit. Quamvis autem annos numeraret sexaginta duos et, sicut prosequitur Gallucius, curante domina Baptista, paratus ipsi esset currus cum omnibus ad viæ commodum necessariis, maluit ingredi longinquam profectionem pedes et sine alla rerum comparatione, atque unius confidere Dei providentiæ. Ita Lombardiam et Romandiolam peragravit, ubique locorum non sine ingenuo pudore hilariter et laute excepta. Nec caruit fructu istud lente incedendi consilium. Hinc occasio oblata juvandi et consolandi plures, plures Deo lucrandi. Nam præter alias, quæ vel ad peccatorum suorum pœnitentiam ejus exemplo et exhortatione conversæ sunt, vel ad religiosam vitam amplectendam permotæ, paulo post Violantam Manfredi Foroliviensem et Eustachium Andreæ Ariminensem sequaces ac discipulas habuit Pisauri in novo monasterio Corporis Christi. Ambæ istæ religiosæ mulieres in vivis superstites erant anno 1470, ab obitu B. Felicis 26, uti discimus ex litteris, quas num. 14 laudavimus et quibus ita subscribuntur: Soror Violantes domini Manfredi de Forlivio. Soror Eustachia magistri Andreæ de Arimino. Sed B. Felicis iter, et Gallucii caput 12 paucis absolvamus. Domina Baptista, accepto nuntio, per venisse Beatam ad locum, Catholica appellatum, decimo milliari a civitate Pisaurensi dissitum, plures civitatis matronas in accursum præmisit, ipsaque dein cum filia Elisabetha ac numeroso illustrium feminarum comitatu ad unum milliare extra urbem progressa, adventantem excepit honorifice ac perhumaniter. Quoniam vero Beatæ persuaderi non potuit ut rheda uteretur, etiam ipsa cum suo comitatu pedes incedens, in civitatem introduxit, occurrentibus ingenti multitudine incolis, et Felicis gracitatem, modestiam atque venerabilem vultus speciem demirantibus ac collaudantibus.

§ V. Turbæ adversus Beatam excitatæ Pisauri et miraculo sedatæ: beneficia eidem civitati ipsius precibus obtenta.

Turbas, quæ Pisauri adversus Beatam excitatæ sunt,

Pisauri non secus ac Mediolani plurium sibi animos devinxit B. Felix, et uti narrare incipit Gallucius cap. 13, etiam hic suis adhortationibus et increpationibus errantes in viam reduxit, peccatores ad pœnitentiam convertit, omnibus seu viris seu mulieribus absque discrimine status aut conditionis, consilium ipsius flagitantibus, consolationi et adjumento fuit. Verumtamen res ipsi non ita pacifice fluxerunt, quin sub ipsa initia turbæ, eæque graves intervenerint. Habebat quidem summopere faventes Pisauri dominam Baptistam ejusque filiam Elisabetham, sed ejusdem Baptistæ F conjugem Galeatium adversantem experta est, et, quod addit Waddingus, cives multos, si non palam, saltem clam monasterii constructioni seu progressui contradicentes. Hæc silens præteriit Gonzaga, subobscure insinuavit Tossinianus, sed de Galeatio aperte declaravit Ulyssiponensis, dicens: In ædificatione monasterii passa est Dei famula gravissimas molestias, quas sua malitia et astu suscitavit dæmon, adimens Galeatio voluntatem construendi (seu potius perficiendi) monasterii. Rationem, quæ movit Galeatii animum, unice arcersit Gallucius a sumptibus, ad quos, in causas pias videlicet faciendos, ipse non æque erat propensus, quam uxor et filia.

41 Verum dum taceant vetustiores, nec doceat Gallucius, rationem istam alio fundamento niti, quam propriis conjecturis, nihil prohibet, alteram ex verisimili etiam conjectura formatam lectori proponere. Fundamentum præbet Gonzaga § præcedente citatus, dum commemorat conjunctionem monasterii Pisaurensis S. Claræ, quod olim Conventualibus Franciscanis parebat, cum vicino Corporis Christi monasterio, quod ejusdem Ordinis Observantibus

AUCTORE J. P.

servantibus obsequebatur. Conjunctionem autem istam factam esse suspicatur Gallucius sub initia monasterii Corporis Christi, nec qui aliter sentiret, inveni quemquam, imo ne mentionem quidem veteris S. Claræ monasterii post annum 1439. Hac igitur stante sententia, modus, quo factum narrat conjunctionem Gonzaga, radix esse potuit multarum difficultatum et occasio plurium querelarum, quibus adductus sit Galeatius, ut minus faveret sive ut adversaretur progressui novi monasterii. Nam teste Gonzaga, optio data est monialibus prioris sive exstinguendi monasterii, ut vel ad monasterium Corporis Christi transirent, ac proin strictiorem Observantiam amplecterentur, vel loco cedentes, proprios lares repeterent. Secundam optionis partem elegerunt omnes; ad parentes ergo vel consanguineos reversæ sunt. Id profecto non putem contigisse, quin horum plurimi ægerrime ferrent, obmurmurarent, quererentur Galeatio, per talem reformationem, id est, introductionem strictioris Observantiæ, quam moniales istæ nec debebant nec volebant profiteri, novum onus accedere familiis, filias, neptes, sorores ad se remitti sine dote, (nam, eodem teste, omnia prioris monasterii bona
B secundo annexa fuerant) extrudi populares, adscisci peregrinas, et in has transferri quidquid olim monasterio contulerat Pisaurensium civium pietas et liberalitas.

nobis verisimiliorem

42 Hac vel hujusmodi argumenta satis speciosa erant, ut Galeatius ab opere tam feliciter inchoato et ad perfectionem pene adducto desistendum arbitraretur ac remittendam cum sociabus B. Felicem. Sane tentatam fuisse ac decretam a Superioribus Ordinis amotionem ejus Pisauro, diserte annotatum est in Registro Ordinis, cujus textum damus ex Waddingo: Soror Felixina de Meda de Mediolano ad instantiam et requisitionem magnifici domini Guidi-Antonii, comitis Urbini, remota atque absoluta est ab abbatissatu monasterii Pisauriensis et instituta est abbatissa monasterii sanctæ Claræ de Urbino, et concessa est facultas, ut ducat secum socias, quas ex Mediolano duxit, et super hoc minister provinciæ Marchiæ factus est commissarius, et moniales volentes secum vivere in regulari Observantia remaneant, quæ vero nolunt cum suis dotibus transferantur ad alia monasteria. Datum Senis 7 Novembris anno 1439. *Laudatus Waddingus, licet non inquirat, quæ causa*
C *moverit Galeatium, putat tamen ita decretum esse, quo tempore adversabatur monasterio Corporis Christi.*

hic proponimus.

43 *Omnino assentior Waddingo. Puto, inquam, decreti hujus ferendi causam non aliam fuisse, quam turbas adversus Beatam excitatas Pisauri. Nam inter diem 24 Julii anni 1439, quo Mediolani existens jussa est Pisaurum proficisci, et ejusdem anni 7 Novembris, quo remota dicitur et absoluta ab abbatissatu Pisaurensi, nimis arctum est temporis spatium, quam ut credam, ita perfecte hic formatam fuisse strictioris Observantiæ S. Claræ disciplinam, ut* Felix *inde amoveri posset, et Urbinum, ubi idipsum præstaret, destinari. Statue tamen, sic contigisse. Quid impulit Ordinis S. Francisci moderatores adjicere facultatem, ut secum duceret socias, quas Mediolano adduxerat, imo addere conditionem, ut moniales, quæ cum ipsa vivere seu comitari eam nollent Urbinum, cum suis dotibus transferrentur ad alia monasteria? Ego jam inceptæ et decreti tenore confirmatæ conjecturæ inhærens, ita totum hoc negotium concipio. Galeatius, victus precibus et querelis incolarum, eorum præsertim, ad quos ex veteri monasterio dotum redierant filiæ vel consanguineæ, omnia in* D *pristinum statum reduci voluit, atque eapropter egit cum moderatoribus Ordinis S. Francisci, aliisque, quorum intererat, ut Beata cum sodalibus Mediolanensibus, et reliquis, quæ aliunde accesserant, peregrinis ac strictiorem observantiam profitentibus, Pisauro amandaretur. Voluntati ipsius iidem moderatores, quamquam non sine dolore, parendum judicarunt.*

sedavit miraculum.

44 *Interea Guid Antonius, Urbini comes, a sorore sua domina Baptista, Galeatii conjuge, horum certior factus, simulque edoctus* B. Felicis *vitæ sanctimoniam, prudentiam ac sapientiam, a dictis moderatoribus ipsam suo Urbinati S. Claræ monasterio abbatissam, sociasque, quæ comitari vellent, moniales expetivit; placuit opportuna petitio: sicque conceptum est decretum, quo uno tam Galeatii voluntati, quam Guid-Antonii desiderio satis fieret; sed quod effectu caruit. Nam prius quam exsecutioni mandaretur, Elizabetha, Galeatii et Baptistæ filia, in lethalem morbum incidit, cui suis ad Deum precibus* B. Felix *sanitatem miraculose impetravit, atque ita patris animum sibi faventiorem reddidit. Miraculi meminerunt omnes eum veteres tum recentiores. Breviter Gonzaga:* E
Præfatæ illustrissimæ Elisabethæ sanitatem suis precibus semel ab Altissimo obtinuit. *Sic autem Tossinianus:* Galeatius Sfortia (*imo* Malateste) dominus Pisauri, viso miraculo de recuperatione sanitatis Elizabethæ filiæ per preces et merita sanctarum virginum (*Felicis et sociarum*) cœpit ardentiori eas amore prosequi et in maxima veneratione habere.

Beatæ precibus obtentum, dum jam decreta erat

45 *At Marcus Ulyssiponensis, postquam retulit, dæmonis astutia factum esse, ut Galeatius adversaretur* B. Felici, *sic prosequitur Hispanice:* Sed misericors Dominus favit et succurrit fideli Servæ, suæ; nam cum ad mortem infirma et a medicis derelicta esset Galeatii filia, precibus sanctæ sororis Felicis tanto miraculo integram valetudinem recuperavit, ut die postero, qui erat festus sancto patri Francisco, sana surrexerit et ad ecclesiam se contulerit. Quo miraculo in admirationem ac virtutis ejus existimationem rapti sunt omnes civitatis incolæ et præsertim Galeatius, qui mox suppeditavit, quæcumque ad monasterii ædificationem et monialium sustentationem erant necessaria. *Tantum profecto beneficium per* B. Felicis *apud Deum preces obtentum, et ut tale* F
agnitum a Galeatio, sufficiens erat incitamentum, ut ipsam ac socias ardentiori quam ante amore prosequeretur, quod tradit Tossinianus, vel ut ante adversarius tunc fieret amicus et benefactor, quod significat Ulyssiponensis. Verum dum hic et qui eum secuti sunt recentiores, miraculosam sanationem pluribus adjunctis exposuerunt, quam alii, nobis rerum gestarum seriem intellectu difficiliorem fecerunt.

ejus illinc dimissio:

46 *Etenim, ut jam insinuavi, omnino persuasum mihi est primo, memoratum de* B. Felice *cum sociabus Pisauro dimittenda decretum nunquam exsecutioni mandatum fuisse. Ratio est, qua scribente Gonzaga et fatentibus passim recentioribus,* Felix *per quadriennium Pisaurensi monasterio abbatissa præfuit, ibidemque, quod omnes asserunt, defuncta est, ut præter unum Tossinianum notarunt omnes, millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto. Secundo persuasum est, non alia quam miraculi causa omissam fuisse decreti exsecutionem, ita ut sub idem tempus contigerit miraculosa sanatio, quo vel latum est decretum, vel maxime urgebatur ejus exsecutio. Interim Ulyssiponensis miraculum*

A *lum contigisse ait, pridie festi sancti patris Francisci, seu nocte inter vigiliam et festum ipsum, id est, inter diem tertiam et quartam Octobris. Quo anno? Si dixerimus, millesimo quadringentesimo trigesimo nono, dicendum consequenter, quod latum sit decretum integro mense post miraculosam sanationem et conciliatum sacris virginibus Galeatii animum, quandoquidem signetur decretum* datum 8 Novembris anno 1439, *ac proinde quod Ordinis moderatores tamdiu ignorarint tantam Pisauri factam immutationem; idque creditu difficillimum est. Si anno millesimo quadringentesimo quadragesimo miraculum contigisse dicamus, sequetur, dilatam fuisse decreti exsecutionem undecim circiter mensibus, nec tantæ moræ causam facile assequemur. Hinc suspicor, vel miraculum contigisse anno 1439 post 8 Novembris, vel ante 4 Octobris latum esse decretum, erratumque fuisse vel ab eo, qui decretum Registro inseruit, vel ab Ulyssiponensi, qui dum legeret forte, quod Elizabetha pridie moribunda, postridie sana se contulerit ad ecclesiam S. Francisci, ubi festivitas aliqua colebatur, interpretatus sit ipsam solemnem S. Francisci festivitatem. His alterutro modo* B *compositis, reliqua facile concipiuntur.*

et inde major orta in ipsam veneratio.

47 *Certiores facti de miraculo et mutata voluntate Galeatii moderatores Ordinis, haud ægre decretum resciderint; nec difficilem se præbuerit Guid-Antonius, ut acquiesceret desiderio sororis ac leviri, utpote, qui Beatam et socias ad se Urbinum mitti tantum postulaverat, quando fixum erat, illas Pisauro dimittere. Denique vel Galeatius Pisaurensium quorumdam querelis alia via satisfecerit, vel ipsimet miraculi evidentia commoti, ab intento lite destiterint,* Felicem, *quam ante persecuti fuerant, ut amicam Dei venerari cœperint, et ut civitatis fautricem retinendam judicarint. Ac talem quidem etiam in vivis superstitem non semel experti sunt Pisaurenses.*

alia vivens adhuc beneficia

48 *Marcus Ulyssiponensis relato mox miraculo addit :* Multa alia mirabilia opera patravit Dominus noster per beatam famulam sororem Felicem, unumque fuit perquam illustre; quod antequam illuc veniret Christi Famula, quovis pene anno peste affligeretur civitas Pisaurensis, et postquam advenisset, meritis ipsius libera fuerit a lethifera ista lue per annos quatuordecim, quibus ibidem vixit; post obitum vero, redeunte pestilentia, C recurrentes ad merita beatæ Christi Sponsæ statim sanarentur. *Constat,* Felicem *anno tantum 1439 Mediolano vocatam fuisse Pisaurum atque hic vita functam esse 1444 : unde manifestum fit, in citato textu seu auctoris seu librarii vel typothetæ mendo positum fuisse* quatuordecim *pro* quatuor. *Idem beneficium narrat Gallucius cap. 13 Vitæ Italicæ, et nescio, an corrigere intendens Ulyssiponensem, an insistens vetustiorum testimoniis, asserit, civitatem a peste immunem fuisse, quanto tempore Pisauri vixit* B. Felix, *et post obitum ipsius per annos quatuordecim continuos.*

impetravit Pisauro,

49 *Præmiserat ibidem Gallucius alterum beneficium, quod iidem incolæ Beatæ precibus acceptum retulerunt, dicens :* Contigit sub id tempus, ut (*civitas*), cum ex improviso impugnata esset, ejusque arx occupata ab inimicis copiis, non aliis quam Beatæ, ad quam universa civitas recurrerat, armis defensa fuerit. Agnitum fuit miraculum, quando impugnatores, correpti subito metu proxime affuturi subsidii, sponte recesserunt non sine confusione ac terrore. *Indicat laudatus auctor, hoc, sicut et præcedens beneficium, impetratum fuisse non diu postquam Galeatius cum incolis favere cœpisset novo monasterio; sed annum non signat. Certum tamen est Pisaurum, vivente Beata, variis insidiis ac periculis expositum fuisse. Nam ut alios mittam, testem hic habemus Joannem Simonettam, Francisci Sfortiæ Mediolanensium ducis historicum et ab anno 1444 usque ad 1466 ejusdem in rebus præclare gestis comitem. Præ ceteris infensum sibi habuit Galeatius Sigismundum Malatestam Arimini dominum, qui se numquam quieturum dixerat,* nisi in suam redigeretur potestatem *Pisaurum; verba sunt laudati Simonettæ referentis gesta anni 1443 apud Muratorium tom. XXI Scriptorum Italiæ col. 343, ubi paulo post addit, ductum fuisse exercitum supra Pisaurum, ut inde tentaretur,* si forte cives nonnulli, qui Sigismundi rebus in urbe favere dicebantur, motus aliquos excitarent; *sed spe* per proditionem Pisauri potiundi *adempta, alio deductas esse copias.* Dominabatur per id temporis (*sic pergit idem col. 344*) Pisaurensibus Galeacius Malatesta, qui veritus Sigismundi insidias, Braccianas partes sequebatur.

quod postea transiit in Sfortiarum dominium.

50 *Eamdem materiam retractat ad annum 1444 col. 363, inquiens :* Post hæc cum possideret, ut demonstratum est, hereditario jure Galeacius Malatesta Pisaurum et Forosempronium, Sigi- E
smundus gentilis suus incredibili quadam Pisauri potiundi cupiditate dolis omnibus dies noctesque ei insidiabatur. Quare factum est, ut Galeacius ejusmodi perpetua solicitudine ac molestia cupidus aliquando liberari, quod verebatur, ne et ætate gravis et liberis carens maribus, a suismet populis proderetur, Frederici (*Feretroni seu Feltrii, Urbinatium tunc ducis*) hortatu Pisaurum tandem Francisco (*Sfortiæ*) vendidit, viginti aureum nummum millibus in pretium acceptis; ea quidem lege, ut ejus urbis imperium Alexandro (*Sfortiæ, Francisci fratri*) traderetur, cui nuper Frederici opera nupserat Constantia, Galeacii ipsius neptis, nata ex filia Elisabeth, quam Gentili Camerti in matrimonium dederat. Forosempronium vero emit Fredericus tredecim aureum nummum millibus... per hunc modum et Alexander Pisaurum, et Fredericus Forosempronium adeptus est, urbes certe et situ et vetustate nobiles, quas multos per annos Malatestarum familia possederat. *Integrum textum descripsi, ut ea occasione elucidentur ac probentur nonnulla, quæ* F *sparsim, omissis testimoniis, asserui, ea præsertim, quibus correxi Ulyssiponensem et alios, Galeatium non, uti debebant,* Malatestam, *sed* Sfortiam *agnominantes.*

§ VI. Supremus morbus; obitus; Sepultura; corporis illæsi inventio; ejusdem ac corporis B. Seraphinæ Feltriæ translationes et expositiones venerationi publicæ.

Quadriennio tantum vixit Pisauri,

Secundum litteras ministri generalis Ordinis S. Francisci aliquoties memoratas, B. Felix *mense Julio anni 1439 Mediolano accita est Pisaurum et hic secundum Gonzagam, Ulyssiponensem et recentiores omnes vita functa est mense Septembri anni 1444; unde liquet, perperam apud Ulyssiponensem, uti jam nunc observavimus, indicari,* *quod*

AUCTORE J. P.

quod vixerit Pisauri annis quatuordecim, standumque testimonio Gonzagæ dicentis, quod post adventum elapso quadriennio vivere desierit. Sed de gestis ipsius post pacem monasterio redditam pauca admodum, eaque dumtaxat generatim litteris mandarunt duo nominati auctores, nihil Tossinianus, quam quod obierit miraculis clara. Vitæ ipsius apud Gonzagam hæc postrema clausula est: Plurima adhuc ventura, quæ tamen certissime postea acciderunt, prophetico spiritu prædixit; quo tandem quadriennio elapso, anno Dominicæ Incarnationis 1444 animam cælo reddidit, plurimisque miraculis claruit. Ista autem apud Ulysiponensem Hispanice: Denique ædificato monasterio, et volente Domino inducere ipsam in gloriam suam, in morbum incidit et postquam munita esset Ecclesiæ Sacramentis, ingenti animi fervore sermonem habuit ad moniales, commendans instituti observantiam, adhortansque ad constantem in divinis officiis recitandis pietatem. Plura insuper dedit documenta, quibus præcaverent, munirentque sese adversus tentationes invisibilium inimicorum, ac valedicens filiabus, migravit ad Sponsum suum, Dominum nostrum Jesum
B Christum.

morbo correpta, mortem sororibus annuntiavit,

52 Gallucius cap. 13 Vitæ Italicæ de Beata Pisauri commorante generatim etiam dicit, tanta eam cura et diligentia impositum sibi munus implevisse, ut brevissimo tempore perfectum esset ædificium, monialibus repletum, factumque regularis observantiæ peculiare exemplar. Cap. 14, multa laude prosequitur ipsius gubernandi methodum, ac monialium sub ejus disciplina profectum, ita quidem ut harum singulæ aptæ essent, quæ aliis præficerentur magistræ. Verum, sicut idem tradit Gallucius, dum ita res constitutæ essent, placuit divinæ bonitati ipsam mundi hujus calamitatibus subtrahere et cælestium gaudiorum facere participem. Anno igitur Christi 1444, ætatis suæ 66, die 15 mensis Septembris, octava Nativitatis beatissimæ Mariæ Virginis, postquam cum reliquis sororibus sacro Epulo refecta esset, in morbum incidit. Hunc vero, quem noverat sibi postremum fore, magna alacritate et cordis voluptate suscepit, nullumque in gravissimis morbi molestiis edidit doloris indicium. Hinc nihil periculi præsentientes moniales, credebant, isto morbo, sicut aliis, quibus ante tum Mediolani quam Pisauri laboraverat,
C brevi liberandam. Sed nec ipsa, ut luctui et lacrymis parceret, quidquam indicavit usque ad tertium diem ante obitum, quo hunc ipsis prænuntiavit et convocatas omnes pio sermone adhortata est ad amorem et timorem erga Deum, ad mutuam charitatem, ad bonum exemplum erga proximum, ad frequentem orationem et Communionem, assiduitatem in divinis Officiis et monasticis exercitiis, denique ad preces pro sua morientis anima.

et spiritu prophetico alia,

53 Post hæc graphice describit Gallucius monialium luctum et lamenta, et quas consolationis ergo rationes Beata attulit, sat fuse exponit; demum cap. 15 ægritudinem dicit durasse diebus quindecim, sæpius interim confessam esse, bis cælesti Epulo recreatam, munitamque sacro Oleo ac meritis plenam transmigrasse ad æternam beatitudinem die 30 Septembris, ipso festo S. Hieronymi, Ecclesiæ doctoris, quem semper peculiariter coluerat. Vidimus supra ex testimonio Gonzagæ, præditam fuisse spiritu prophetiæ, ac multa prænuntiasse, quæ postmodum evenerunt: quod et Gallucius, citans eumdem auctorem, duplici loco commemorat, cap. 7, ubi præcipua Beatæ Mediolani habitantis gesta declarat, et cap. 13, ubi ejusdem Pisauri commorantis vitæ seriem prosequitur. Idem in ipsa cæleste donum commendant similiter recentiores alii; inter hos Waddingus unum, quod apud vetustiores non legi, peculiare ac notatu dignum exemplum adducit. Ad annum 1444 num. 59 his præmissis: Spiritu claruit prophetiæ et cordium penetrabat secreta, patefactis rebus multis, quas mente cogitaverant sorores: paulo post addit: Flentes et dolentes (sorores) propter tantæ Matris (Felicis morientis) jacturam, blande consolata est, dicens, superesse dignissimas præfectura, eas sigillatim suoque ordine compellans, quæ postea factæ sunt abbatissæ. Primam nominavit Eugeniam Mediolanensem, quæ proxime in officio successit. D

quæ vere acciderunt, prædixit.

54 Ea ipsa est Eugenia, quam inter socias Beatæ Mediolano Pisaurum proficiscentis secundo loco recensuit Tossinianus. De eadem Eugenia sermonem resumit Waddingus num. 61, et electionem ipsius prodigio non caruisse significat, dicens: Elapso post Felicis obitum mense uno, venit Pisaurum beatus Joannes Capistranus, et collatis monialium suffragiis, electa est in abatissam soror Eugenia,... quam sorores omnes die præcedenti triclinium ingredientem, radiis solaribus, a facie E prodeuntibus, effulgere conspexerant. Dein allegatis litteris dicti B. Joannis Capistrani, unde liqueat, quantis virtutibus ornata fuerit Eugenia, insigne elogium texit sororibus, primum Franciscæ de Fano, tum Magdalenæ de Tison, seu ut alias scribitur de Fisoa, quas juxta ante dicta B. Felix Pisaurum adveniens primas nacta est discipulas. Legi possunt illa elogia apud laudatum Waddingum: consuli etiam potest Arturus in Martyrologio Franciscano et Gynæceo sacro, ubi singulis Beatæ titulum adscribit, Franciscam annuntians 30 Januarii, Magdalenam 25 Junii, et Eugeniam 20 Decembris, quæ propter insignes virtutes, quibus magistram suam B. Felicem imitari contendebat, Eugenia-Felix denominata est, eodem Arturo teste.

Obiit anno 1444 die 30 Septembris

55 Vita functam esse B. Felicem anno 1444 communis est omnium assertio præterquam unius Tossiniani, qui, nisi forte mendum sit calami vel typi, sequenti anno obitum affixit. Gonzaga cum eodem Tossiniano diem ac mensem prætermisit, utrumque expressit Ulyssiponensis, ut sequitur: Anno Domini nostri millesimo quadriagentesimo quadragesimo quarto, postremo die mensis Se- F ptembris ex præsenti exsilio ad cælos transiit beata soror Felix de Milano, abbatissa monasterii Corporis Christi, Pisauri, civitate Marchiæ Anconitanæ. Waddingus obiisse ait, nocte præcedente sancti Hieronymi natalitia; Haroldus in festo dedicationis S. Michaelis, Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensi tertio Calendas Octobris sive die 29 Septembris. At ceteri omnes, quos vidi, tam historici quam martyrologi diem 30 notarunt, quibus et nos accedimus, maxime quia Waddingi verba, quæ pro arbitrio suo interpretati verisimiliter sunt, Haroldus et Bosca, eidem nostræ sententiæ accommodari queunt, dicendo, quod obierit B. Felix post mediam noctem, id est, ea noctis parte, quæ pertinebat ad diem 30 seu ad festum S. Hieronymi. Idem Waddingus cum Gallucio aliisque tradit, Beatam tunc numerasse ætatis annum sexagesimum sextum, juxta quorum testimonium nos ejus vitæ chronotaxim inchoavimus, natamque diximus sub annum 1378, atque inde deduximus, factam esse Monialem ætatis vigesimo secundo, nempe circa annum 1400, quia testibus Gonzaga, Gallucio et aliis, annis quadraginta

A *quadraginta, sive viginti quinque monialis subdita, et quindecim Abbatissa vixit Mediolani in monasterio S. Ursulæ; unde Pisaurum vocata est per sæpe memoratas litteras exeunte Julio anni* 1439, *quem inter et mensem Septembrem* 1444 *reperitur integrum quadriennium, vitæ reliquum.*

corpus honorifice sepultum.

56 *De prima Beatæ sepultura nihil observant Gonzaga et Tossinianus; Ulyssiponensis ait tantum, corpus solemni ritu tumulatum esse; Waddingus addit, postridie obitus, procurante Baptista Montefeltria, Pisauri domina, venisse universum clerum et religiosos Ordines, exsequias solemniter celebraturos, corpusque, loculo ligneo inclusum, humatum esse reverenter. Addit etiam alia Gallucius: dicit quippe, dominam Baptistam et filiam Elisabetham, remisso dolore, qui ipsas sicut et moniales et cives omnes primum incesserat ob Beatæ obitum, mandasse, ut suis sumptibus perquam honorifice celebrarentur exsequiæ, eo convenisse clerum omnem et religiosos Ordines cum frequentissima affluentia populi, non cessantis venerari sacrum corpus. Quoniam vero nondum constructus esset communi sepulturæ locus, biduo, quod impensum est faciendæ arcæ, ad conservationem pice indutæ, supra humum relictum esse corpus, nec ullum præbuisse nigredinis vel corruptionis indicium, contra candidius semper apparuisse et suavissimum odorem exhalasse.*

triennio post integrum repertum est,

57 *Jacuit porro per triennium dumtaxat in priori illo sarcophago:* Post tres annos inventum est, putrefacto loculo, ipsum incorruptum (*sic Hispanice Ulyssiponensis*) in aliamque arcam translatum, exstat in choro monialium tam integrum et illæsum, ut vivum potius appareat quam mortuum. Extrahunt ex arca moniales et in pedes erectum atque pariete tantum innixum ad crates exponunt; sicque conspectum a populo, videtur corpus animatum. *Primæ hujusce translationis, quam solam novit, vel saltem lectores suos edocuit Ulyssiponensis, meminit quoque Gonzaga his verbis:* Quapropter (*videlicet propter miracula, quibus clarebat B. Felix*) ex communi sarcophago exhumata, honestissima quadam in arca recondita fuit; in qua integra omnino stans atque incorrupta, pluribus diebus in sacristia perseveravit. *Paulo distinctius translationem exponit Gallucius, nec aliam ejus causam allegat, quam quod tunc absoluta esset constructio loci, communi omnium* C *monialium sepulturæ destinati. Tum quippe, monialibus* B. Felicem *eo loco recondere cupientibus, majore prodigio repertum fuisse, ait, primum loculum adeo corruptum, ut attactu pessum iret, sed ipso corpore integro, illæso, odorifero, quo modo perstat usque nunc.*

et alio loco depositum: idem dein et corpus B. Seraphinæ

58 *Hinc moniales, divinæ voluntati placitum esse, judicantes, ut id aliis quoque pateficret, servareturque in gratiam eorum, qui Beatam pie colebant, et quorum numerus jam tum valde accrescebat, mutarunt sententiam, altera capsa lignea incluserunt, ac deposuerunt in ecclesia, ubi in magna populi etiam veneratione perstitit, donec secundo translatum est una cum corpore B. Seraphinæ Feltriæ. Obierat hæc in eodem monasterio Pisaurensi anno* 1478 *et post aliquot annos pari modo invento integra ad eamdem ecclesiæ partem, in qua jacebat* B. Felix, *et quam Gonzaga* Sacristiam *vocat, delata fuerat, ac deinceps ejus sicut* B. Felicis *corpus, statis temporibus devoto populo per cancellos exhiberi consueverat. Secundam translationem, utrique Beatæ videlicet communem, ita commemorat Gonzaga in elogio B. Seraphinæ:* Ejus simul atque beatæ sororis Felicis corpus ex sacristia ad bina mausolea ex marmore in arcum, ad utrunque chori latus affabre ædificata, propriisque sumptibus absoluta, transferri curarunt illustrissimi Guidobaldus ejusque legitima uxor Victoria Farnesia, Urbini pientissimi duces.

ad chori latus marmoreis arcis imposita,

59 *Gallucius Operis sui Italici part.* 3, *quæ in communi Beatæ utriusque gloriam posthumam complectitur, eadem refert cap.* 5, *eaque occasione, uti dixi in Commentario prævio ad Acta B. Seraphinæ num.* 26, *tum dictos principes Guidobaldum ac Victoriam, tum Eminentissimum dominum Cardinalem Franciscum Mariam de Monte, atque integras hujus et illorum familias summopere laudat ob eximiam et constantem in Beatas venerationem ac pietatem, cujus specimina asserit esse donaria ac ornamenta varia, queis dicta mausolea decorarunt. Citat pro his Gallucius Chronicum, nescio quod, nec tamen annum determinat, quo mausolea ista constructa sint, iisve imposita Beatarum corpora. Verum in eodem Commentario ad Acta B. Seraphinæ num.* 27 *ex aliis scriptoribus verisimilius mihi visum est, contigisse non ante medium sæculum* 16. *Etenim memoratus Urbini dux Guidobaldus Roboreus circa annum* 1547 *uxorem duxit Victoriam Farnesiam, Pauli tertii* E *Pontificis neptem, ac fatis cessit anno* 1578, *teste Sansovino, auctore coævo in Opere de Originibus illustrium familiarum Italiæ fol.* 220 *verso. Ceterum marmorea ista mausolea ad eum modum disposita erant, ut sacra corpora inde extrahi possent et populo ostendi; morem autem istum servatum fuisse affirmat Gallucius ad ipsum fere usque tempus, quo scriberet. Fere inquit, quia per annos* 18 *intermissus fuerat, cum anno* 1628 *solemniore ritu resumptus fuit.*

populo, ut ante moris erat, ostensa sunt anno 1628

60 *Ostensionis dicto anno factæ, et prævii ad eam apparatus descriptionem dat italice memorato cap.* 5, *part.* 3, *eamdemque, utpote sub idem tempus exaratam, et ad probandum legitimum ac immemorabilem cultum valde idoneam, latine exhibui in Commentario prævio ad Acta B. Seraphinæ a num.* 6 *usque ad* 10: *ubi eam videat curiosus lector. Suffecerit hic breve ejus compendium dedisse. Anno igitur* 1628 *Maura Giordani monasterii abbatissa rogavit Marcum Atticum, patrum Franciscanorum in Marchia Anconitana ministrum, ut corporum* BB. Felicis *et Seraphinæ publica fieret expositio; annuit is sub conditione, ut stricte observaretur decretum Urbani VIII Papæ editum anno* 1625. *Rogatus similiter illustrissimus Malatesta Balleoneus, Pisaurensis episcopus, post maturum examen facultatem labens concessit, et* F *adstiturum se celebritati spopondit. Decretus est dies secundus Augusti, quo ad ecclesiam monasterii festive decoratam advenerunt laudatus illustrissimus cum multis canonicis ac presbyteris, civitatis moderatores, ingens nobilium numerus, et populi innumerabilis multitudo. Accessit et illustrissimus D. Laurentius Compegius, primum Cæsenas, dein Senagalliensis episcopus, quem, id temporis Urbini ejusque dominiorum gubernatorem, comitata est non exigua aulicorum ac civium suorum turba. Corpora utriusque Beatæ, vestibus bombycinis induta, radiisque ac diademate ornata in elevato pegmate inter ardentes cereos interque suavissimos cantus ad cancellos exposita, quisque pro sua pietate veneratus est, et Missam celebravit illustrissimus Pisaurensis.*

et 1630 solemni apparatu

61 *Biennio circiter post, anno scilicet* 1630, *secuta est altera non minus solemnis corporum expositio. Occasionem dedere variæ calamitates belli, pestis, famis ac terræ motuum, quibus premebantur*

AUCTORE J. P.

mebantur Italiæ civitates et provinciæ præcipuæ, ut refert Gallucius cap. 6, ubi postquam memorasset alia Pisaurensium ad placandum Deum pietatis exercitia, preces, supplicationesque publicas, reliqua huc spectantia distincte adeo et accurate describit, ut si ipse non interfuerit, censeri saltem possit ea didicisse ex alio, qui singulis adstiterit. De his etiam monui lectorem in Commentario ad Acta B. Seraphinæ § 2. *Quoniam vero ibidem laudati auctoris narrationem italicam latine interpretatus sum, hic denuo præcipua ejus capita obiter dumtaxat percurram. Urgentibus tot calamitatibus, Pisaurensis civitatis incolæ per cancellarium suum tum apud moniales et abbatissam, tum apud vicarium generalem episcopi (aberat hic) institerunt, ut publicæ venerationi exponerentur* BB. Felicis *ac Seraphinæ corpora. Voti compotes facti sunt.*

et assistentibus magistratu, clero ac religiosis Ordinibus;

62 *Jubentibus dicto vicario generali et civitatis magistratu, omnes totius diœcesis ac territorii Pisaurensis ecclesiarum moderatores moniti sunt, ut suos invitarent excitarentque ad solemnem expositionem, faciendam die festo SS. Petri ac Pauli et sequenti, qui erat Dominicus; unus quippe non suffecisset populorum affluentiæ, quam immensam fuisse indicat tota narrationis series.* B *Advenerunt præterea indictis diebus cum nobilitate moderatores civitatis, vicarius generalis et clerus universus, qui ritu supplicantium composito agmine, lugubri sono litanias et psalmos recitabat, et corpora eodem fere modo, quo factum fuerat anno* 1628, *elevata, et ornata supplices venerati sunt. Idem præstiterunt religiosi Ordines et nominatim dicuntur patres Dominicani utroque die post vesperas adfuisse cum cœtu sodalium sacri Rosarii, Franciscani vero cum congregatione tertii Ordinis.*

demum sic collocata, ut quovis tempore conspici queant.

63 *Denique tanta suavitate ac pietatis tonto sensu affecit universos sacrorum corporum conspectus, atque ea omnium approbatione res peracta est, ut civitatis moderatores et præfecti sanitatis modum excogitarint fruendi eodem conspectu facilius ac frequentius. Statutum est igitur, ad utrumque aræ principis latus fenestras construere clathris ferreis armatas, per quas, sublatis valvis ligneis, conspici possent corpora tam a monialibus in choro, quam a piis fidelibus in ecclesia: idque post varias theologorum consultationes, jubente episcopo institutas, exsecutioni mandatum est. Præfixæ sunt insuper lampades utrique lipsanothecæ,* C *quæ, quamdiu lues grassari pergeret, arderent communibus civitatis sumptibus. Hæc sed multo fusius apud Gallucium italice cap. 6 et duobus seqq., atque apud nos magna ex parte latine in Commentario B. Seraphinæ* § 2.

§ VII. Cultus immemorabilis BB. Felicis et Seraphinæ, et hujus speciatim nuper a Romana Sede approbatus ac Officii concessione auctus; miracula utrique communia.

Principum ac præsulum in Beatas veneratio.

G*allucius relatis iis, quæ præcedente* §, *quantum necesse videbatur, produximus, capite* 9 *prolixius disserit de veneratione ac pietate in* BB. Felicem *et Seraphinam illustrium præsertim personarum, quam materiam etiam nos pertractavimus in B. Seraphina* § 3, *ubi ipsiusmet Gallu-* D *cii verbis latine translatis, earum personarum aliquot recensuimus, et quæ speciatim hujusce venerationis ac pietatis exempla præbuerit, proposuimus. Eas inter fuisse diximus serenissimam Claudiam de Medicis, archiducem Austriæ, principem Urbini et Pisauri dominam; hujus germanum fratrem Cosmum II, magnum Etruriæ ducem; Eminentissimos S. R. E. Cardinales Sachettum et Colonnam; illustrissimos dominos Cencium et Mathei, illum tunc episcopum Æsinum, hunc autem vice legatum Eminentissimi Cardinalis Barberini. His addi potuisse alios dignitate eminentes testatur Gallucius, sed brevitatis gratia silentio præteritos. Tum in memoriam revocat ante nominatos Urbini duces Guidobaldum Roboreum et Victoriam Farnesiam, qui ex devotionis affectu in monasterio Corporis Christi sibi ac filiabus suis sepulturam elegerunt; demum concludit, eam esse Pisauri cujuscumque status aut conditionis hominum erga ipsas venerationem ac pietatem, ut antonomastica expressione* Pisaurenses Beatæ *appellari consueverit.*

Utriusque cultus immemorabilis

65 *Liceat nunc paucis in unum colligere ea, quæ sparsim tum hic, tum in Commentario prævio ad Acta B. Seraphinæ, produximus, ut idonea* E *ad demonstrandum cultum* B. Felicis *antiquum esse, non interruptum, et legitimum, talemque, qui continuari potuerit, illæso decreto Urbani VIII Pontificis Maximi. Inchoatum esse ab ipso obitu suadent miracula, seu beneficia, quæ ad ipsius adhuc viventis intercessionem et ad non diu mortuæ invocationem divinitus facta sunt : suadet corporis biduo supra humum relicti insolitus candor et odor suavissimus, ad venerationem attrahens frequentissimam populi multitudinem : ejusdem item corporis post triennium inventi cum simili odore integritas. Cultus perseverantiam probat corporis statis temporibus expositio ad populi venerationem, beneficiis postea memorandis confirmatam : ejusdem cum B. Seraphinæ corpore translatio in marmorea mausolea ad utrumque chori latus, et dictæ expositionis nec non beneficiorum, quæ dedimus in Commentario de B. Seraphina, ad communem utriusque invocationem acceptorum continuatio.*

colligitur ex dictis hic et in Commentario.

66 *Denique legitimum fuisse cultum, talemque, qui retineri posset post decretum Urbani, judicare nos jubent solemnis sacrorum corporum ostensio facta anno* 1628, *probantibus et assistentibus episcopis; altera similis ostensio anni* 1630 *et secuta constructio duarum fenestrarum ac lampadum ante lipsanothecas positio, quæ comprobata fuit per latam a vicario generali ac multis theologis pluries congregatis, sententiam et ex Gallucio a nobis latine relatam in Commentario de B. Seraphina num.* 18 *his verbis :* Resolverunt communi consensu, civitatis desiderio faciendum esse satis, dictasque cum lampadibus exstruendas fenestras, per quas veneranda ista corpora videri, honorari, coli atque earum intercessio implorari posset publice et privatim, hoc et omni alio casu venturis temporibus secundum antiquam præteritorum temporum consuetudinem, idque cum omni magnificentia luminum, apparatus et similium ornamentorum, qua deceret beata corpora, exceptis aris, Missa, Officio divino et ejusmodi aliis, quæ ipsis deferri non licet absque speciali sancta Sedis Apostolicæ licentia.

de B. Seraphina : hujus cultum.

67 *Non repetam hic, quæ in Commentario de B. Seraphina observavi ad illud Vicarii generalis et theologorum judicium, præsertim ad hæc verba :*

A *ba : secundum antiquam præteritorum temporum consuetudinem,... exceptis aris, Missa, Officio divino, quibus aperte adstruitur immemorabilis cultus, caveturque, ne absque speciali Sedis Apostolicæ licentia* BB. Felix *et Seraphina alio ritu colantur, quam quo catenus licite cultæ fuerant. Sed non possum non huc transferre decretum a sacra Rituum Congregatione in causa B. Seraphinæ datum anno* 1754, *utpote quod observationem nostram mire confirmat, ne dicam, certam facit. Fuit autem nobiscum communicatum ab A. R. P. Hermanno Janssens, Ord. FF. Minorum Recollect. sacræ theologiæ lectore jubilato et provinciæ Germaniæ Inferioris exprovinciali, atque ita sonat :*

nuper probavit Sedes Apostolica

68 Decretum Pisauren.
Canonizationis
B. Seraphinæ Sfortiæ, monialis professæ in monasterio Corporis Domini Pisauri Ordinis S. Claræ.

Cum a sac. Rituum Congregatione ordinaria sub die 15 Julii 1752 ad relationem Emi., et Rmi. D. Card. Columnæ de Sciarra Ponentis admissa fuerint commissio Introductionis Causæ beatæ B Seraphinæ Sfortiæ, et a SS. D. Nostro Benedicto XIV postmodum signata, juxta tenorem præfatæ Commissionis, ad instantiam postulatoris propositum fuit ab eodem Emo Ponente, atque indicta sacra Congregatione discussum infrascriptum dubium : An sententia lata per Rmum episcopum Pisauren. Super cultu publico ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, sive super casu excepto a decretis fa. me. Urbani Papæ VIII sit confirmanda in casu et ad effectum etc. Et sacra eadem Congregatio, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus, Fidei promotore, qui voce et scripto suam sententiam exposuit, rescribendum censuit : Affirmavit : si Sanctissimo D. Nostro visum fuerit. Die 13 Julii 1754.

Factaque deinde per me secretarium de prædictis eidem sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 17 ejusdem mensis et anni 1754.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ sigilli.

M. Marefuscus sac. Rit. Cong. secretarius.

et Officium de ea concessit Pisaurensi diœcesi,

69 *Hæc pro sola quidem Seraphina, quæ hic* Sfortia *agnominatur, nempe a marito olim suo Alexandro Sfortia, Pisauri domino, quæque a* C *nobis dicta est* Feltria *a stirpe paterna, ab aliis etiam* Columna *a materno genere. Hæc inquam, de sola Seraphina; sed quam apta sint ad stabiliendum pro instituto nostro immemorabilem cultum* B. Felicis, *nemo non videt. Porro tomus noster tertius Septembris, in quo actum est de B. Seraphina, editus jam erat ab anno* 1750, *proindeque decretum istud, quadriennio circiter posterius, sepositum fuit, ut vel referretur inter Appendices dicti mensis Septembris, vel exhiberetur data opportuna occasione, qua sane, meo judicio opportunior dari nequiit, quam dum ageretur de* B. Felice, *quacum tanto tempore communem habuit cultum. Hinc ipsi jungimus decretum alterum, quo ejusdem B. Seraphinæ cultui et gloriæ in terris novus splendor accessit anno proxime sequenti.*

In festo B. Seraphinæ Sfortiæ monialis professæ monasterii Corporis Domini Pisauri Ordinis S. Claræ.

Oratio. Deus, qui per B. Seraphinam etc. *Vide inferius num.* 71.

Pisauren.

auctore ...

Porrectis humiliter precibus sac. Rit. Congregationi a duce Philippo Sfortiæ Cæsarini, quatenus Officium et Missam de communi non virginum nec mart. cum supra dicta Oratione propria B. Seraphinæ Sfortiæ, monialis professæ monasterii Corporis Domini Pisauri, Ordinis S. Claræ, civitati et diœcesi Pisauri, nec non universo Ordini Minorum S. Francisci, ac insuper ecclesiis et oratoriis, quæ sunt de jure patronatus præfati ducis sub ritu duplicis minoris concedere dignaretur.

ac toti Ordini S. Francisci.

70 Sacra Congregatio ad relationem Emi et Rmi domini Cardinalis Colomna de Sciarra ponentis auditio prius R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, benigne rescripsit : Pro gratia, quoad civitatem tantum sub ritu duplicis minoris, quo vero ad diœcesim Pisaurensem nec non Ordinem Minorum et oratoria propria et ecclesias principaliores feudorum oratoris, sub ritu semiduplicis tantum ad primam diem non impeditam, ab ordinario locorum designandam, si sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 29 Novembris 1755.

Factaque deinde per me secretarium de prædictis eidem Smo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 10 Decembris 1755. E

D. F. Tamburinus Præfectus.

M. Marefuscus sac. Rit. Cong. secretarius.

Concordantiam de verbo ad verbum cum copia authentica attestor, hac 22 Jun. 1756. F. H. Janssens Ord. FF. Min. Recoll. not. Apost. juratus. *Anno demum* 1759 *sacræ Rituum Congregationi oblatæ sunt, et annuente sanctissimo Domino nostro Clemente XIII, qui universæ Christi Ecclesiæ feliciter præsidet, approbatæ, recitarique permissæ sunt lectiones secundi Nocturni propriæ. Impressum exemplar cum annexo Decreto, ab eodem A. R. P. Hermanno Janssens nobiscum communicatum, subjicimus :*

cum lectionibus

71 In Festo B. Seraphinæ Sfortiæ, monialis professæ monasterii Corporis Domini Pisauri Ordinis S. Claræ.

Oratio. Deus, qui per beatam Seraphinam eximium nobis patientiæ exemplum tribuisti : præsta supplicibus tuis, ut et ipsius instruamur exemplis et ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum *etc.* F

In II Nocturno. Lectio iv. Seraphina patre Guidone Antonio Urbinate ac Feretrano comite, matre Catharina Columna, summo genere Urbini nata, ab ineunte ætate non obscura futuræ sanctitatis argumenta dedit. Puella, amissis parentibus, in Columnensium domo pie ac liberaliter educata palam demonstravit, in ipso etiam familiæ splendore solida excellentis virtutis jaci posse fundamenta. Inanis enim gloriæ et fluxarum rerum contemptu, suavitate morum, illustri continentia, studio solitudinis, et assiduitate orandi aliis exemplo et admirationi fuit. Hortatu postmodum illorum, in quorum se fidem, curamque contulerat, nupta Alexandro Sfortiæ Pisauri dynastæ, magnoque regni Siciliæ comestabili, Matrisfamilias munus, dignitatemque gregie sustinuit ; subjectamque sibi regionem illam, absente viro, sic aliquandiu rexit, ut illius quique providentiam, æquitatem, justitiam celebrarent, innocentiam morum, integritatemque suspicerent.

72 Lectio v. Etsi tot animi dotibus clara, in

lectione I. F. Secundi Nocturni propriis.

in mariti tamen offensionem incurrit; gravibusque impetita injuriis, patientissime toleratis, viro tandem annuente, in Pisaurense Franciscanarum virginum Corporis Christi monasterium se contulit; ubi, quam inierat castigatissimæ vitæ institutionem ita est persecuta, ut pia et domestica illius consuetudine sorores ad pietatis studium incenderentur. Ex mariti voluntate per solemnia vota suam Deo obstrinxit fidem, ac in sancto proposito immota, omne coluit virtutum genus. Instituti Regulas, etiam quæ minimæ habebantur, servavit: adversa quæque constanter patienterque sustinuit, preces ad Deum continenter fudit, divinis semper adfuit Officiis; paupertatem coluit; abjecta quæque munera obivit; sibi denique nunquam pepercit, acsi summo in se ipsam odio arderet.

quæ hic recitantur

73 LECTIO 6. Omnium sororum suffragiis in Abbatissam electa, dici vix potest, qua prudentia, charitate, æquabilitate, quo ardore custodiendæ disciplinæ, quo demum omnium plausu dignitatem tenuerit, sibique crediti regiminis partes cumulate impleverit. Cum annis duodeviginti ita in sacro cœnobio vixisset, ut nihil ei ad consummatam virtutem deesse videretur, extremo morbo B correpta, et Sacramentis Ecclesiæ munita, sexto Idus Septembris anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo migravit ad cœlum. Idque divini dispositione consilii quodammodo contigisse visum est, ut, quæ in beatæ Virginis Mariæ clientelam totam se dederat, ejusdem Deiparæ natali die educta e corporis angustiis, cœlo auspicatissime oriretur. Corpus ipsum, quod triduo explendæ pietatis concurrentium civium causa insepultum manserat, singulari veneratione Pisauri colitur. Quem quidem cultum jam usque ab immemorabili tempore ad ætatem nostram productum Benedictus XIV Pontifex Maximus rite probavit.

cum annexo decreto.

74 DECRETUM PISAUREN. Concesso a Sac. Rituum Congregatione die 29 Novembris anno 1755 Officio et Missa cum oratione propria in honorem beatæ Seraphinæ Sfortiæ, ad novas modo supplices preces Sac. Congregationi porrectas a duce Philippo Sfortia Cæsarini Causæ postulatore pro approbatione lectionum propriarum secundi Nocturni; Sac. Congregatio ad relationem Eminentis. et Reverendis. domini Cardinalis C Columnæ de Sciarra ponentis, audita etiam scripto et voce R. P. D. Benedicto Veterani fidei promotore, suprascriptas lectiones accurate revisas benigne adprobavit, ac insuper concessit, ut singulis annis in memoriam ejusdem Beatæ ab iis, quibus ex indulto Apostolico concessum est ipsius Beatæ Officium de Communi, eædem lectiones recitari possint et valeant, si sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 26 Augusti 1758.

Factaque dein per me infrascriptum secretarium sanctis. Domino nostro Clementi Papæ XIII relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 2 Septembris 1758.

D. F. Card. Tamburinus præfectus.

Locus ✠ sigilli.

M. Marefuscus Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Recitatum Officium, teste laudato A. R. P. Hermanno Janssens, in Directorio Ordinis Minorum ponitur pro toto ordine ad 9 Septembris, ad quem diem in Directorio Romano Ordinis anni 1758 habetur etiam sequens Elogium in Martyrologio decantandum : Pisauri : beatæ Seraphinæ Viduæ, Ordinis sanctæ Claræ, sanguinis claritate, virtutibus, mira præsertim in adversis patientia, ac D miraculis illustris : quæ pridie hujus diei ad cælum evolavit, ejusque corpus incorruptum ibi in monasterio, quod sanctissime rexerat, pio cultu honoratur. *Quisquis gratiam a Sede Apostolica oratoribus in causa B. Seraphinæ concessam considerAverit, simulque contulerit ea, quæ tam hic, quam tom. III Septembris de BB. Felicis ac Seraphinæ gestis in vita, miraculis seu beneficiis communibus et peculiaribus, cultu ipsis exhibito ante dicta decreta, produximus, moneri non debebit, opertam esse viam ad similem gratiam petendam pro* B. Felice, *quam, sicut B. Seraphinam, per antonomasiam appellant Pisaurenses* Beatam suam, *et præterea moniales Corporis Domini primam Abbatissam, eoque sensu* Fundatricem suam *agnoscunt.*

Miracula utrique communia

75 *Miracula seu beneficia, de quibus mox sermo fuit, utrique Beatæ communia, id est, ad communem utriusque invocationem facta, multa esse asserit Gallucius cap. 1, part. 3, et sex speciatim declarat, quæ nos latine versa dedimus tom. III Septembris a pag. 323. Primum contigit intra annos 1516 et 1522; quando ambæ Beatæ cum S. Terentio martyre visæ sunt noctu obambulare* E *mœnia et civitatem Pisaurensem adversus hostes custodire. Secundum anno 1550, quo invocatæ a muliere, partus angustiis ad extremum pene deducto, apparuerunt, ac prolem et sanitatem ipsi promiserunt, uti paucis post diebus factum est. Tertium 1587, fuitque earumdem apparitio viro nobili, ante ipsis devoto, sed tunc ob infirmitatis nullo remedio sanabilis molestiam in desperationem acto : consolatæ autem sunt illum, revocaruntque ad fiduciam in Deum, et jusserunt intimari duabus monialibus imminentes ipsis tribulationes seu ærumnas. Convaluit vir nobilis, et moniales brevi post tribulationes divinitus prænuntiatas patienter tulerunt.*

compendio referuntur.

76 *Quartum et quintum 1598, quo vir unus, curru onusto oppressus, et omnium existimatione mortuus, implorata Beatarum ope, illæsus evasit : alter gravi laborans capitis dolore, subito sanatus est. Sextum sibimet factum testatur Gallucius. Anno 1615 febre correptus fuerat, eaque omnis circiter duobus tanta cum virium defectione afflictus, ut crederetur incidisse in phthisin; venit Pisaurum, commendavit se Beatarum intercessioni, et paulo post integram sanitatem consecutus* F *est. Sex modo in compendium contractis relationibus junximus in appendice ad Acta B. Seraphinæ duas, quas multo amplius dilataverat Gallucius. Prima, quæ totum caput secundum et tertium occupabat, continet nobilis Pisaurensis, patrocinantibus et apparentibus* BB. Felice *ac Seraphino, et captivitate apud Mauros fugam et liberationem; secunda, quam capiti suo sexto inseruerat Gallucius, mirabilem confessarii monialium graviter vulnerati sanationem. Hæc de communibus, sicut dixi; at particularia sive soli* B. Felici *adscripta miracula et beneficia ex Italicis latine translata subjiciam Vitæ Compendio.*

VITÆ

A

VITÆ

COMPENDIUM

Auctore anonymo

Ex monasterio corporis Christi Clarissarum Pisaurensium ad nos transmissum.

Beatæ natales; a b

Meda *a* ex utroque parente nobilitate claro nata est B. Felix *b*; vixque nata et adhuc balbutiens, non obscura dedit sanctitatis indicia. Teneris adhuc annis se nobilem ostendebat, non tam genere quam moribus. Hinc ut in ea parentes notabant pellucentem sanctitatem, sic iidem in admiratiunem vocabantur. Utroque orbata parente in ætate jam nubili, una cum fratre germano et sorore uterina, bonis omnibus voluntarie expoliata, utpote ad sublevationem pauperum erogatis, illo assumpto Franciscano habitu, Felix cum surure in monasterio S. Ursulæ Ordinis S. Claræ habitum Clarissarum induta est *c*. B

c *vita religiosa*

2 Quadriennio elapso, sorore ad Superos evocata, Felix arctiorem vivendi normam assumpsit, totamque se Deo dedicavit. Quantum in vitæ perfectione profecerit, asperitates, austeritates, abstinentiæ, jejunia, vigiliæ, quibus proprium corpus affligebat, aperte comprobarunt. Humilitate præfulsit, obedientia claruit; claruit et sanctitatis fama. Vilia monasterii exercitia lætissimo spiritu operabatur, quasi regalia exerceret. Tanto profectu illustris, variis agitata fuit tentationibus, diabolicis spectris ac illusionibus, quibus omnibus vel oratione, cui semper erat addicta, vel aqua benedicta, vel illis sacris verbis: « Deus in adjuturium meum intende, Domine « ad adjuvandum me festina, » semper se reddidit superiorem.

regimen Mediolanensis C d

3 Post annos 25 religionis sui monasterii abbatissa (licet reluctans) eligitur *d*: quo in munere ita resplenduit, ut ejus fulgores per totam Italiam se dilataverint. Mira prudentia ac exemplo in gubernio eluxit; idemque monasterium per 15 annos optimis legibus ac exemplis mirifice illustravit. His omnibus permotæ illustrissima Baptista Malatesta *e*, ejusque filia Elisabetha *f*, hanc Virginem a sanctissimo viro Bernardino Senensi *g*, tunc generali commissario cismontano, instantissime petiere, ut monasterio, quod in honorem Corporis Christi ædificabant, regulam daret et vivendi normam; imo et præesset. e f g

et Pisaurensis monasterii; obitus; h i

4 Præcepto obedientiæ *h* ubtemperans, peditando Pisaurum se transtulit, ibique quadriennio sanctissime præfuit monasterio, noviter extructo: quo in loco adhuc vivens, illustrissimæ Elisabethæ semel a Dominu sanitatem obtinuit *i*, et plurima adhuc ventura, quæ tamen certissime postea acciderunt, prophetico spiritu prædixit. Quadriennio completo, in morbum incidit, dieque 30 Septembris anni 1444, ætatisque suæ anno 46 migravit ad Sponsum, ab eodem in æternum coronanda.

A *miracula.* k.

5 Post mortem pluribus miraculis coruscavit; nam civitas Pisauri pluries a peste liberata est hujus sanctissimæ Virginis intercessione *k*. Juvenis quædam de Pisauro, nomine Paula, a physicis derelicta ob morbum quendam insanabilem in gutture, meritis B Felicis sanitatem recepit. Filius cujusdam physici habens manus et brachia attracta et quasi arida, ductus ad sepulcrum Virginis a patre, cui Virgo apparuit, derepente sanatus est. Plura alia sunt, quæ diffuse referuntur a P. Gallucio in Vita B. Felicis italice scripta cap. 16 *l*. Insuper hæc omnia tradidere *m* Marcus Ulyssiponensis 3 part. Chron. Min. lib. 2, cap. 21; Gonzaga 2 part. in præfato monasterio, quod est 13 provinciæ Marchiæ et alii apud Arturum in suo Martyrolog. die 30 Septembris. Corpus ejus exhumatum, ac in marmorea conditum arca, conditum fuit a sinistris altaris majoris, ibique incorruptum a fidelibus populis adoratur *n*. l m

ANNOTATA.

a *Medæ situm dedi* § 2 *Commentarii prævii; ubi retuli ac discussi rationes eorum; qui Medæ, aliorumque, qui Mediolani natam contendunt.* E

b *Circa annum* 1378, *ut dixi in Commentario num.* 19.

c *Sub annum* 1400, *ætatis* 22: *ibidem num.* 23.

d *Anno* 1425, *ætatis* 47: *ibid. num.* 27.

e *De clarissimæ hujus ac pissimæ mulieris laudibus multa diximus in Commentario num.* 37 *et seq.*

f *Hæc post obitum mariti, Petri Gentilis Varani, Camertum principis, maternum exemplum secuta, Clarissarum institutum amplexa est, et Urbini magna pietatis opinione decessit circa annum* 1477, *ut pluribus narrant Waddingus ad dictum annum, et Jacobillus de sanctis Fulginatibus ad diem* 22 *Julii.*

g *De S. Bernardino Senensi actum est apud nos ad diem* 20 *Maii: quo sensu autem accipienda sint, quæ hic de ipso adstruuntur, exposui in Commentario num.* 31.

h *Litteras R P. Guillelmi Casalis, ministri generalis Ordinis S. Francisci hac super re ad Beatam datas mense Julio anni* 1439, *habes in Commentario num.* 32 *et seqq.*

i *Vide Commentarium num.* 44 *et seq.* F

k *Vide infra in Miraculis num.* 1 *et* 2.

l *Mox sequentur omnia ex Gallucio latine reddita.*

m *Sensus non est, quod omnes tradiderint omnia, sed quod omnia desumpta sint partim ex Ulyssiponensi, partim ex aliis.*

n *Ad calcem manuscripti sigillum suum apposuit mater abbatissa et manu propria addidit sequens testimonium, quod ex Italico latinum reddo:* Ego soror Clelia Thieni in præsentia abbatissa monasterii Corporis Domini Pisaurensis affirmo, verum et solidum esse, quidquid hic de Beata nostra scriptum est.

MIRACULA

a GALLUCIO.

MIRACULA

Ex P. Augustini Gallucii libro Italico desumpta et Latine reddita.

Beatæ Meritis Pisaurum

Jam dictum est de B. Felice, quod in vivis superstes lethifero morbo per suas orationes liberaverit dominam Elisabetham *a*, ac civitatem Pisaurensem non tantum ab hostibus, sed et ab aeris corruptione per annos 14 *b*. Dicamus modo, quod post elapsum istud tempus Pisaurum, redeunte denuo contagione, ac de novo implorata intercessione B. Felicis, non una sed binis vicibus immunitatis gratiam obtinuerit. Imo vero superveniente tertia contagione universali et adeo pestifera (fortasse propter ipsorum delicta) ut spatio duorum dierum moreretur B maximus infectorum numerus; cum magistratus votum nuncuparet curandi, ut in die obitus ejus (B. Felicis) Missa decantaretur in ipsius ecclesia, jubendique, ut isto anno idem dies coleretur ut festus, adeo repente gratiam impetravit, ut perspici inde posset, quam accepta esset apud Deum et quam populo illi benevola: sed et populus et magistratus idem, quidquid promissum fuerat adimplentes, infinitas Domino ac Servatrici suæ retulerunt gratias de tam insigni favore.

contagiosa lue sæpius liberatur

2 Non multis post annis, redeunte simili aeris intemperie, ut plures nullis humanis medicaminibus sanabiles morerentur, ad cælestia recurrere statutum est. Dominus vexillifer *c* et reliquus magistratus se contulerunt ad monasterium Corporis Christi et dum ibi expositum erat sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, instituebanturque quadraginta horarum preces, dominum oraverunt, ut per merita B. Felicis incolumitatem sibi concedere dignaretur. Idem præstiterunt ceteri viri nobiles ac cives tam ecclesiastici quam C seculares cum omni plebe reliqua, et voti compotes facti sunt *d*.

monialis gravi dolore humeri

3 Monialis una ex iis, quas B. Felix Mediolano Pisaurum socias habuit, pluribus jam annis immodicum dolorem patiens in humero, nec ei mitigando nedum tollendo remedium reperiens, dum mane quodam Missæ sacrificio assisteret, ac plus quam ante unquam cruciaretur, cogitare cœpit, sanitatem sibi restauratum iri, si modo attigisset sacrum illud corpus. Id cum mox post Missæ sacrificium communicasset cum abbatissa, quæ similiter una erat ex iisdem sociabus, ab hac facultatem istam obtinuit et a Beata integram sanitatem; ita quidem, ut per annos 20, quibus supervixit, nullum unquam dolorem senserit: unde ambæ et omnes simul moniales infinitas gratias egerunt divinæ Majestati ac B. Felici.

et mulier lethali gutturis malo laborans,

4 Mulier juvenis Pisaurensis, nomine Paula, uxor magistri Jacobi Bencivieue, afflicta gutturis malo tam gravi, ut mortiferum judicarent medici, ex toto corde se Beatæ commendavit, promittensque fore, ut festo sanctissimi Corporis Christi, haud dudum post celebrando, ipsi afferret cereum caput et candelam, exaudiri meruit, votumque promptissime persolvit.

puer brachiis captus

5 Medicus S. Elpidii annua mercede conductus a civitate Pisaurensi, filiolum habebat per annos jam multos brachiis captum et quasi exsiccatum. Non reperiens dicto malo remedium, recurrit ad religiosas monasterii Corporis Christi, supplicans, ut dignarentur ipsi copiam facere videndi corpus B. Felicis: eam obtinuit: et accensus maxima erga ipsam pietate, meruit apparentem sibi conspicere ac plurimum afferentem consolationis cum promissione obtinendæ sanitatis filiolo. Sequenti die mane duxit puerum suum ad venerandum sacrum corpus; puer vero istic in genua provolutus, subito cœpit movere brachia, et infra paucos dies, continuato eodem pietatis actu, prorsus liber evasit *e*.

et monialis pede pessime affecto, sanantur;

6 Monialis ejusdem cœnobii pedem habens tam male affectum, ut amputandus esset, confugit ad intercessionem Beatæ hujus, et cum nonnihil pulveris ipsius plagæ apposuisset, omnino sanata est. Plures aliæ moniales, continuo capitis dolore vexatæ, per eamdem intercessionem liberatæ sunt, et in ejus semper devotione perstiterunt. E

alii aliis malis

7 Civis Pisaurensis, dictus Antonius magistri Bernardini *f*, pleuritide laborabat cum manifesto mortis periculo; pie se Beatæ commendans et ex voto promittens pictam sui effigiem, optatam sanitatem impetravit.

ad extrema

8 Pisauri Margarita, uxor Venturæ Vasaro *g*, fœtu gravida et ante pariendi tempus abortum patiens, in ejuscemodi symptoma incidit, ut a medicis pro mortua haberetur. Eapropter maritus confugit ad beatam Felicem, vovensque allaturum se, si ipsa sanaretur, cereum imaginem, quæ ejus altitudinem exæquaret, promeruit beneficium obtinere, ac votum implevit.

deducti

9 Frater Petrus de Mutina, Observantium Pisaurensium guardianus *h*, ita infirmabatur pleuritide, ut de vita ipsius desperarent medici *i*; quo audito, abbatissa mox jussit convenire moniales omnes, injunxitque illis, ut patris istius valetudinem commendarent beatæ Felici: quod cum illæ magna alacritate facerent, mane allatus est nuntius, usque adeo melius esse prædicto guardiano, ut extra periculum versaretur.

sanitatem recuperant.

10 Adolescentula Pisaurensis multo tempore animam agebat, ut nesciretur, utrum viveret, an F mortua esset. Avia adolescentulæ, erga Beatam pie affecta, mox misit sororibus binas candelas sacras, orans, ut eas accenderent ad sacrum corpus, quo tempore recitarent Officium matutinum, atque pro infirma preces funderent; quod dum ipsæ præstabant, loqui cœpit moribunda et mirantibus omnibus, brevi sanata est.

Mulier naufragio

11 Cum Agatha Pisana, Pisauri habitatrix, in mari navigaret, supervenit tam horribilis tempestas, ut, qui in navi erant, omnes se submergendos crederent. In tali statu mulier recordata est B. Felicis, ac magno animi affectu ipsius patrocinio se committens, vovit, oblaturam se ejus corpori facem ex cera alba, si Pisaurum reveheretur. Extemplo cælum fuit serenum, mare placidum, et evaserunt omnes, Deo ac Patronæ suæ gratias referentes.

et ex lapsu mortis periculo eripitur.

12 Alias mulier eadem cum tabulatum ascendisset altum sane, sed tam infirmum, ut sub illa deficeret, lapsu adeo vehementi in præceps ivit, ut ab omnibus mortua crederetur; verum eodem temporis momento ex corde invocans B. Felicem, mox surrexit incolumis ac sana: atque in grati animi testimonium depingi jussit effigiem Liberatricis suæ, quam monialibus obtulit, quæque

A que hodiedum etiam cernitur in ipsarum ecclesia *k*.

alia beneficia 13 Soror quædam monasterii arripiens ollam aqua bulliente repletam, casu totam manui suæ infudit : unde intolerabili cruciatu afflicta, corde invocans Beatam, ipsamque manu attingens, libera ac illæsa permansit.

eidem ad-scribunt 14 Anno Domini 1520, sororibus in ecclesia orantibus, fulmen ei cælo illapsum est in parietem tanto cum strepitu, ut omnes se morti addictas crederent. Attamen ferventissimo affectu Beatam invocabant, fulmen vero, perrupto pariete, foras abiit sine ullius rei detrimento.

Pisaurenses Clarissæ. 15 Æditua monasterii volens addiscere modum excutiendi novi ignis, cum adveniret Sabbathum sanctum, cœpit igniarium concutere supra pixidem, in qua multum erat pulveris nitrati; is autem tanta cum vehementia ignem concepit, ut moniales aliæ fragorem persentientes, et conspicientes fumum, putarent, comburi sacrarium : nec aliud quicquam subsecutum est : quandoquidem æditua corde invocans B. Felicem, ab igne, qui totam ejus faciem infuscaverat, libera remansit, et sacrarium ab omni nocumento immune *l*.

B

ANNOTATA

a *Filiam Galeatii Malatestæ, Pisauri domini, ejusque illustrissimæ conjugis Baptistæ Feltriæ, quorum jam frequens facta est mentio.*

b *Quadriennio tantum Pisauri vixit* B. Felix; *quapropter memorati hic anni quatuordecim accipiendi sunt eo sensu, quo ipsemet declararit Gallucius cap. 13 vitæ, dicens, immunem fuisse a peste civitatem, quanto tempore in ipsa vixit* B. Felix *et post obitum ipsius per annos quatuordecim continuos.*

c *Vexillifer, italice* il confaloniere *seu* gonfaloniere, *is vocatur, qui supremum in magistratu locum occupat.*

d *Quæ hactenus exposuimus beneficia, intercedente* B. Felice, *Pisaurensibus, contagiosa lue vexatis, concessa, dum auctoris narrandi modum specto, posteriora non judico sæculo decimo quinto, quo ipsa obiit : et primum quidem juxta ejusdem auctoris computum contigisse debuit circa annum* 1459, *qui fuit post dictum obitum decimus quintus.* C *Waddingus citans Legendam ms. auctoris coævi, duo ejusdem generis beneficia commemorat, quæ certe impetrata fuerunt ante* 1475 *ut ex verbis ipsius concludi debet :* Auctor Legendæ mss., quam penes me habeo, refert eo anno, quo ipse scribebat, trigesimo post mortem (B. Felicis) bis effugatam pestem instituta supplicatione, invocata ope Felicis, et emisso voto de veneranda illius sepultura atque ampliori cultu adhibendo. *Verisimillimum est, hæc duo diversa non esse ab uno et altero per Gallucium memoratis. At legendistæ hujus testimonium plane firmat dicta nostra de antiquo Beatæ cultu.*

e *Miracula seu beneficia pleraque hic a Gallucio producta, dantur latine etiam a Waddingo in Annalibus ad annum* 1444, *sed multo compendiosius, diverso ordine, et subinde cum ea differentia, quæ, licet exigui momenti sit, suspicari tamen me facit, aliunde descripta esse, quam ex Gallucio, quamquam etiam nihil adjiciatur, quod certum me reddat, accepta esse ex Legenda ms., quam mox citavi. Prima differentia notatu digna occurrit hoc numero. Beneficium in eo contentum ita exponit Waddingus :* Nicolaus de S. Elpidio chirurgus filium sexennem contractum detulit ad sepulcrum et pro incolumitate rogavit. Nocte sequenti apparuit beata Felix, et familiari præmisso colloquio, filio se fore propitiam spopondit. Rediit ille ad tumulum cum puerulo, statimque pro voto est exauditus. *Certe nomen patris et ætatem filii ex Gallucio non didicit Waddingus. Locus, unde erat dictus seu medicus seu chirurgus, a Gallucio vocatur italice* S. Lupidio, *estque procul dubio illud Piceni oppidum, quod Ferrarius in Lexico* Empulum *appellat, et ab Italis nominari ait* S. Lupedio *vel* S. Elpidio. *De eodem actum est in Opere nostro tom. I mensis Septembris occasione S. Elpidii abbatis, qui oppidi patronus est. Situm est in diœcesi Firmana inter Firmum et Ædem B. Mariæ Lauretanam, ac latine nunc passim dicitur* oppidum S. Elpidii. *A. GALLUCIO.*

f *Waddingus habet :* Antonius filius Orlandini, viri nobilis Pisaurensis.

g *Vocem istam latine dedit Waddingus hoc modo :* uxor Venturæ figuli : *et vere vox Itala* vasajo *talem opificem denotat. Sed cum apud Gallucium legatur* Vasaro *per litteram* r *et cum initiali majuscula* S, *nec sciam, an Waddingus usus sit* E *instrumento latino an italico, dubito, an non sit viri cognomen.*

h *Waddingus :* Guardianus conventus sancti Joannis Pisaurensis.

i *Idem addit :* Quippe quem nocte sequenti omnino moriturum judicabant.

k *Idem :* Hujus miraculi memoria in ecclesia cernitur depicta.

l *Quem in finem apud moniales servabatur tanta, quantam auctor indicat, pulveris nitrati copia? An ut per æstatem ejus, in minores partes divisi et accensi, fumo ac odore fugarentur culices aut ejusmodi infesta animalcula? Id sane inusitatum non est in Italia. Hanc autem de pulvere nitrato ac præcedentem de illapso in templum fulmine relationem silentio præteriit Waddingus : forte quia in illis non sat clare perspiceret miraculum. Neque nos profecto definimus, tale absolute admittendum esse tam in iis, quam in aliis quibusdam relationibus; damus tamen more nostro secundum auctoris fidem, si minus tamquam indubitata miracula, saltem ut beneficia* B. Felicis *patrocinio pie adscripta. Porro sicut Gallucius, qui hic sistit, ita quoque Waddingus plura, quam quæ* F *exposita sunt, miracula, interveniente* B. Felice, *patrata esse indicat, idque* testantur, *inquit,* plurimæ tabellæ, cerei et imagines in ecclesia appensa. *Sed et duo expositis inseruit, de quibus siluit Gallucius. Primum sic habet :* Luciam Novitiam Pisaurensem molestissime a septem spiribus immundis vexatam, coram arca reserata stridentem, miro modo liberavit. *Alterum sic :* Felicem Pisaurensem adolescentulam obsessam, post multas sine fructu conjurationum, exorcismorum et deprecationum medelas sanavit; quæ in gratiarum actionem se Deo obtulit sub illius monasterii disciplina. *De energumenis meminerunt etiam, sed generatim dumtaxat, Valerius Venetus et Marcus Ulyssiponensis, iste italice :* Cum accrevisset in populo isto (*Pisaurensi*) erga Beatam pietas, multi infirmi, ejus patrocinio se commendantes, sanitatem recuperaverunt, et varii energumeni liberati sunt. *Hic hispanice :* Crescente populi pietate erga Christi sponsam, sororem Felicem, multi per ejus merita ex suis morbis convaluerunt, et energumeni duo liberati sunt.

SUPPLEMENTUM

D

AD MENSEM SEPTEMBREM,

J. S.

NOT. I.

AD DIEM II SEPTEMBRIS.

Mentio Ægidii eremitæ.

In *Prætermissis pag.* 337 *adde sequentia.* S. Ægidii *abbatis seu potius eremitæ, qui cum* S. Arcano *colitur Burgi sancti Sepulcri in Umbria, ad hunc diem meminit Martyrologium Hispanicum Joannis Tamayi Salazar. De* SS. Arcano *et* Ægidio *apud nos disputatum est ad* 1 Septembris.

Justi et Amici.

SS. Justi et Amici episcoporum *memoria est apud Tamayum in Martyrologio Hispanico,* quorum primus, *inquit,* creditur Egarensis. alter sine sede notatur, *amboque annuntiantur* Lugoduni in Lusitania. *In Annotatis fatetur martyrologus, diem obitus eorum esse ignotum, et pro arbitrio solum hoc die commemoratos propter S. Justum Lugdunensem, de quo apud nos actum. Itaque nihil habuit cognitum, præsertim cum dicat sola eorum*
B nomina *innotuisse et* de oppido *etiam* Lugoduno altum esse silentium. *Verbo ut edicam omnia, fatetur, in solis* Luitprandi Adversariis *de illis fieri mentionem. Itaque, cum de Operis illius suppositione constet, nullum est dubium, quin* Justus *ille* et Amicus *sint commentitii.*

NOT. II.

Pag. 359 *in fine collectionis de* SS. Diomede, Juliano, Philippo *etc. adde sequentia : Unum ex his Martyribus* Philippum *Hispanico Martyrologio inscripsit Joannes Tamayus, eumque memoravit* Romæ, *quamvis alii de loco martyrii non meminerint, imo et verbis' Martyrologii Romani illud* Romæ, *quod ibi non legitur, apposuit. Cur autem* S. Philippum *commemoraverit, ostendunt sequentia, quæ de reliquiis ejus in Hispaniam translatis asserit his verbis :* Sacrum denique B. Philippi corpus Urbanus VIII Pontifex Maximus R. P. F. Joanni ab Annuntiatione, quondam ejus confessario, Ordinis Excalceatorum SS. Trinitatis donavit. Qui illud cum aliis Sanctorum lipsanis Roma Madridium emisit, ut illa R. P. Minister generalis Hispaniæ distribueret : qui Philippo IV regi Catholico exuvias hujus sancti Martyris Philippi in obsequii demonstrationem obtulit, et in E
regio Madridensis palatii oratorio collocatas illas veneratur devotio. *Ita laudatus martyrologus. At, cum exiguam passim fidem mereatur, et nullibi inveniam,* Philippum *illum cum Sociis Romæ passum; eruditis Hispanis examinandum relinquimus, sintne hodierni* Philippi *illæ reliquiæ, an alterius.*

De reliquiis S. Amici.

NOT. III.

AD DIEM III SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

Memoria Habundi, Marci et Sociorum,

Habundi, Marci et Sociorum *ita meminit Tamayus in Martyrologio Hispanico :* Item Cordubæ in Bætica Hispaniæ SS. Habundi, Marci et Sociorum martyrum, qui propter fidei professionem Catholicæ, et Mahumeticæ sectæ reprobationem comprehensi et cruciati, tandem mucroni jugula præbuere. *In Annotatis nititur probare,* Habundum *alium esse a S. Abundio martyre Cordubensi, de quo egit et apud nos etiam actum est ad* 11 *Julii. Eodem die in Prætermissis Sollerius noster commemoravit ex Ferra-*
C *rio* Marcum *et Socios, quos cum* Habundo *passos vult Tamayus, eosque remisit ad finem Septembris, ad* 29 *videlicet aut* 30 *Septembris diem, quod in mense Septembri, nimirum in S. Sandalio, de iis meminerit Martinus de Roa. At, consideratis illius scriptoris verbis, perspicere nequeo, cur ad finem Septembris potius spectent, quam ad initium : neque enim ullum iis assignat diem. Hinc satis erit hic expendere, quæ de illis examinanda veniunt.* Laudatus Martinus de Roa ad 3 Septembris *agit de* S. Sandalio, *hodie dato, sed parum noto, eaque occasione addit nonnulla de aliis Sanctis, quos fere ignotos fatetur* Ecclesia Cordubensis, *ait Hispanice,* recepit et facit multis annis festum de SS. Habundo, Marco et Sociis martyribus, quorum hodie nulla alia in Historiis et Martyrologiis invenitur memoria. *Agnoscit Roa, quasi ignotos esse Sanctos ; nec dicit, quo die olim Cordubæ culti fuerint, nec asserit Cordubæ passos, sed ibi aliquando honoratos, prætermisso etiam die, quo agebatur festivitas.*

qui forte iidem sunt cum aliis.

Tamayus noluit Habundum, Marcum *et Socios tam obscuros relinquere, sed statuit, passos esse in persecutione Maurorum. Quid vero ad probationem adducit? Nimirum carmen Cypriani, ut asserit, archipresbyteri Cordubensis, quod certo suppositilium, et recentiorum sæculorum figmentum* F
est, et nihil prælerea, nisi recitata verba ex Roa. Quapropter nihil de Habundo, Marco *et Sociis novimus præter antiquum cultum, postea abrogatum. Merito etiam dubitabimus, an simul sint passi; et consequenter, an* Habundus *idem non sit cum* S. Abundio *martyre Cordubensi, de quo actum ad* 11 *Julii, cum quasi idem sit nomen varie scriptum. Nihilo minus dubitare possumus, an* Marcus *et Socii non sint Martyres alibi notiores, qui ob reliquias vel alia de causa olim Cordubæ fuerint culti. Quidquid sit, plura certe de iis non novimus. Si quis tamen plura nos docuerit, et diem eis proprium assignaverit, illa suo loco libenter proferemus.*

NOT. IV.

AD DIEM IV SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

Memoria Gilberti abbatis.

Venerabilis Girbertus abbas *memoratur* in cœnobio S. Wandregisili *sive Fontanellensi apud Castellanum in Addendis et corrigendis ad hunc diem pag.* 979. *Idem tomo V Galliæ Christianæ Sammarthanorum pag.* 910 *inter abbates Fontanellenses recensetur cum titulo* Sancti, *et cum* Beati *titulo in Gallia Christiana recusa tom. XI, col.* 178, *ubi* Gilbertus *aut* Girbertus *nominatur*

A *tur, apud Sammarthanos* Gubertus. *Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinorum Sec.* 6 *part.* 1, *plures Venerabiles simul commemorat, interque eos pag.* 362 *et sequentibus* Girbertum *abbatem Fontanellensem, qui in Epitaphio ibi recitato dicitur obiisse die* 4 *Septembris. Cultu publico carere venerabilem* Girbertum, *indicat Mabillonius his verbis :* Sancti titulo donatus passim occurrit apud auctores, potissimum recentiores : nullo tamen Officio publico colitur apud nostros Fontanellenses. Memoratur in Appendice Martyrologii Benedictini ab Hugone Menardo editi, et in Bucolini Menologio die 8 Februarii. *Gesta et Epitaphium ibidem consuli poterunt.*

AUCTORE J. S.

NOT. V

AD VI SEPTEMBBIS IN PRÆTERMISSIS.

S. Bilfridi ante dati,

Sancti Bilfridi aurifabri *memoria hodie est apud Castellanum, qui eum annuntiat* Dunelmi in Anglia. *At de* S. Bilfrido *apud nos actum est ad* 6 Martii.

et Porcarii I abbatis,

Porcarii I *abbatis Lerinensis meminit Tamayus in Martyrologio Hispanico cum titulo* Sancti, *ita scribens :* In Lerinensi apud Gallos cœnobio S. Pontii Porcharii, hujus nominis primi abbatis ipsius cœnobii, et S. Cæsarii institutoris, qui postquam in religione plurimos virtutum odores spirasset, ad æternam mansionem placida dormitione cucurrit. *In Annotatis primum probare conatur, duos fuisse* Porcarios *inter abbates Le-* B *rinenses, alterum tempore S. Cæsarii Arelatensis episcopi, qui sub* Porcario I *monasterium Lerinense ingressus est, ut certum fit verbis infra recitandis ex S. Cæsarii vita; alterum cum multis monachis aliquot seculis post fuisse martyrem, de quo apud nos actum est ad* 12 *Augusti, ubi duorum* Porcariorum *distinctio latius est probata, ut de illa nullam Hispano martyrologo movere quæstionem debeamus. Nihil quoque dicemus de die, quem pro arbitrio elegit. Solum inquiremus, an constet de cultu* Porcarii I : *nam de legitimo cultu* S. Porcarii II *nulla est dubitatio. Pro sanctitate* Porcarii I *allegari potest vita S. Cæsarii, data ad* 27 *Augusti. In hac enim num.* 5 *de suscepto per abbatem Lerinensem S. Cæsario biographus ita loquitur :* Susceptus ergo a sancto Porcario abbate, vel ab omnibus senioribus, *etc. Rursum num.* 10 *dicitur petitus S. Cæsarius a S. Eonio Arelatensi episcopo, ibique de laudato abbate sic fit mentio :* Mox ergo ab abbate suo sancto Porcario cum expetit. *Utroque loco* Porcarius *vocatur* Sanctus, *eaque unica est ratio, quæ proferri posse videtur ad sanctitatem ei vindicandam. Nam de cultu illius* Porcarii *nihil uspiam invenio, nihil invenit Vincentius Barralis in Chronologia Lerinensi.*

de cujus cultu non constat, memoria.

Nomen Porcarii *illius nec in ullis Martyrologiis vetustis occurrit, nec fere in recentioribus. Saussayus, qui alias annuntiat non paucos cultu carentes, solum de* Porcario *meminit in Catalogo Sanctorum, Beatorum et piorum, quem Martyrologio subjecit, et hisce tantum verbis :* Porcharius abbas Lerinensis sanctissimus, in natali S. Cæsarii 27 Augusti. *Omittit* Sancti et Beati *titulum, notatque,* Porcarium *memoratum esse in elogio S. Cæsarii. Noverat igitur Saussayus utrumque* Porcarium, *falsoque arguitur a Tamayo, acsi* E *utrumque confudisset : sed non noverat utriusque cultum, sicut neque nos novimus aut probare possumus cultum* Porcarii I. *Neque enim ad hoc sufficit titulus* Sancti *eius nomini bis præfixus in vita S. Cæsarii, præsertim cum gesta* Porcarii *sint fere ignota, et titulus ille nomini postea præfigi potuerit ab aliquo librario, qui* Porcarium I *cum* S. Porcario II *eumdem credebat. Tamayus plura affert ad cultum probandum, si ea essent vera. At recitat carmen fictitium nomine Auli Hali de utroque* Porcario, *ex eoque multa simul figmenta asserit. Ex eo autem carmine* Porcarium *utrumque facit Hispanum, utrumque ex familia* Porcella, *utrumque Beatum aut Sanctum. His figmentis addendum nomen* Pontius, *quod Primo tribuit; dies et annus mortis, quem confidenter edicit; ac demum quod in fine Actorum, quæ concinnavit, dicit his verbis :* Cuius corpus honorifico sepulchro tumulatur, ex quo frequentia miraculorum claruit. *At hæc sufficiant de fabulis.*

C F

NOT. VI.

AD DIEM VII SEPTEMBRIS.

C. S.

In Annotatis ad Vitam S. Joannis episcopi Laudensis pag. 167, *litt.* bb *dixi, pro voce* Sindonius *legendum* Sidonius; *sed postea comperi,* Sindonium *esse Serapionem, qui a Palladio in Historia Lausiaca* Sindonites, *et in vita S. Joannis Eleemosynarii, apud nos data tom. II Januarii pag.* 507 *num.* 44, Sindonius *cognominatur.*

I. S. NOT. VII.

AD DIEM VIII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

De gemina imagine. B. Mariæ :

Beatissimæ *Virginis Mariæ* iconis inventio *gemina celebratur hodie in Martyrologio Hispanico, altera* in cœnobio Vallis-venereæ, *altera* in monasterio Guadalupæo. *Spectat utraque ad Opus particulare de beatissima Virgine Dei matre.*

NOT. VIII.

AD DIEM IX SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

de Angilramo monacho :

Angilramus *ex primicerio Metensi monachus Gorziensis in Lotharingia, ut* venerabilis, *memoratur apud Castellanum in Addendis et corrigendis. Agitur de* Angilramo *in vita S. Joannis abbatis Gorziensis, edita apud Mabillonium in Actis Sanctorum Benedictinorum sec.* 5 *part.* 1, *quæ consuli potest. Nam cultum non novimus, nec titulum* Sancti *aut* Beati *Mabillonius* Angilramo *tribuit.*

AD

AUCTORE J. S.

NOT. IX.

AD DIEM X SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

de martyribus aliquot Japoniæ

Acafoxius, Cincoga, et alii viginti octo cum *titula* Beatorum *memorantur a Castellano in Supplemento ad hunc diem pag.* 707, *qua in* Japonia *pro fide sunt passi cum* Carolo Spinola, *Societatis Jesu sacerdote, cujus martyrium decreto Sedis Apostolicæ fuit confirmatum. Nan satis capio, cur* Carolum Spinolam, *omnium antesignanum, recte vocaverit* venerabilem; *ejusdem vera Socios, ex quibus octo erant ejusdem Societatis, nimis liberaliter* Beatos.

NOT. X.

AD DIEM XI SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

de aliis minus notis:

Degana sacerdos *memoratur in Fastis Æthiopicis apud Ludolfum, et ex iis apud Castellanum. In Martyralogio Coptorum, quod habemus negligenter latine redditum, scriptum est :* Sanctus Agata, *additurque :* ob miracula illustris, qui obdormivit in Domino ætatis suæ 100, *scilicet anno. Attamen nabis ignotus est, cum nesciamus tempus, quo vixit, et an fuerit Catholicus.*

Mar Mamas martyr *hodie legitur in Fastis Æthiopicis apud Ludolfum, qui observat, eumdem jam quinta ejusdem mensis die fuisse memoratum, sive* 2 *Septembris. Si idem revera sit, quod certa scire non possumus, alii sint ejusdem aut similis nominis, de illo actum est ad* 27 Augusti.

B E

NOT. XI.

AD DIEM XII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

de S. Amato postridie dando:

Sancti Amati *abbatis Habendensis, de quo postridie agendum, hodie meminit Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico, nec sine erroribus.* Gratianopoli, *inquit,* in Gallia S. Amati presbyteri, abbatis Romarensis (*imo Habendensis aut Ramaricensis*) qui ex patre Theodoro Vallensi Hispano oriundus, *etc. Annuntiandus non erat Gratianopoli, in cujus suburbio natus est; sed in Lotharingia, ubi abbas fuit et defunctus est. Nan habuit patrem* Theodorum, *ut ex Surio credidit Tamayus; sed* Heliodorum, *ut in exemplaribus Mss. Vitæ edendæ legitur. Quod autem Hispanum facit Sancti patrem, neque ex vita habuit Tamayus, neque ex documentis bonæ notæ, sed ex fictitiis Luitprandi Adversariis, quæ non modo* Amatum *faciunt origine Hispanum, sed* Vallensem *etiam urbem, omnino ignotam et commentitiam, Hispaniæ addunt. Acta* S. Amati *dabuntur ad* 13 Septembris.

NOT. XII.

AD DIEM XIII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

mentio S. Marcellini ante dati

Marcellini comitis, *ut venerabilis, memoria ad hunc diem in Supplemento est apud Castellanum pag.* 707. *De* S. Marcellino *apud nos actum cum Martyrologio Romano ad* 6 Aprilis.

et Petri eremitæ ignoti.

Petrus eremita *memoratur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum sine aliis adjunctis, indeque apud* C *Castellanum, qui addit,* Ad confinia Ægypti et Æthiopiæ, *verisimiliter ex conjectura, cum non exprimat tempus, quo vixit, ut* Petrum *illum novisse non videatur. De pluribus hujus nominis manachis aut eremitis jam actum est. Si hodiernus, quem nec alii Fasti Orientales, nec Græci aut Latini hodie exhibent, ab omnibus sit distinctus, nobis ignotus est.* F

NOT. XIII.

EODEM DIE AD CALCEM COLLECTIONIS DE S. ANTONIO VEL ANTONINO, EPISCOPO, UT CREDITUR, CARPENTORACTENSI, pag. 82.

Acta inquisitionis de S. Antonino, scripta anno 1624.

Postquam *tomus IV Septembris, in quo pag.* 81 *brevem de* S. Antonio *vel* Antonino *dedimus syllogen, Avenionem perlatus fuit, novo rursum stimulo incitari videntur diligentissimi adjutores nostri, ut alia nannulla de* S. Antonino *e tenebris eruerent, et nabis communicarent. Etenim anno* 1750 *accepimus Acta inquisitianis judicialis de reliquiis et cultu, ima et de vita et gestis* S. Antonini, *una cum prolixa Epistala reverendi domini Durand, presbyteri Beduinensis, qui memorata inquisitionis Acta tandem deprehendit, et cum variis notitiis in Epistola relatis transmisit ad illustrissimum et amplissimum dominum de Brantes; hic vero omnia simul ad nos direxit. Non referam omnia, quæ diligentissimus Durandus præstitit ad plura indaganda, quod ea nequeant prodesse ad intelligenda* S. Antonini *gesta. Proderit tamen eius Epistola ad examinanda quædam, in Actis inquisitionis asserta. Hæc vero Acta, quæ gallice scripta sunt, latine reddam, et integra dabo, ne pereat documentum, quad diuturno labore inventum est, quodque multum proderit ad cultum* S. Antonini *elucidandum.*

et ex tabulario capituli Carpentoractensis nobis communicata.

2 *Acta illa inquisitionis, factæ anno* 1624, *exstant in tabulario capituli cathedralis Carpentoractensis in libro particulari, unde extractum est exemplar nobis transmissum, quad cum actis authenticis*

AUCTORE J. S.

A *ticis collatum fuit, ut testatur amplissimus dominus Plorans, canonicus Scholasticus* * *et administrator capituli cathedralis Carpentoractensis, qui propria manu subscripsit anno 1756, die 12 Junii, simulque testatus est, commissionem, qua illustrissimus dominus Cosmas Bardi, episcopus Carpentoractensis, inquisitionem illam anno 1624 fieri jussit, ipsis inquisitionis Actis præfixum esse. prout asserit etiam Durandus, qui Acta exscripsit. Demum illud exemplar Actorum subscriptione per vicarium suum generalem, Carolum Franciscum de Pellissier, roboravit eodem die anni 1756 ipse illustrissimus episcopus Carpentoractensis, Malachias d'Inguimbert, anno sequenti defunctus, ut fidem ubique locorum invenire debeat. Titulus Actis præfixus hic est :* Inquisitio in tempus et occasionem, qua combustæ sunt reliquiæ S. Antonini, episcopi Carpentoractensis, et patroni parœciæ Beduini, uti et in traditionem ejusdem parœciæ de vita, morte et miraculis illius Sancti. *Tribus data erat ab episcopo provincia inquirendi, sed. ita ut conjuncti agere possent, aut separati, ut affirmat Durandus. Hi tres erant D. Spiritus Magnan, sacræ theologiæ doctor et canonicus eccle-* B *siæ cathedralis, D. Paulus de Florens S. T. D. canonicus pœnitentiarius ejusdem ecclesiæ, et D. Spiritus Guyon, theologiæ professor et gaudens beneficio in eadem ecclesia. Ex his secundus omnia testimonia audivit, ut liquet ex Actis, quæ subjungo.*

* capiscol

Primum nonagenarii senis

3 Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, die trigesima mensis Aprilis, coram me, tamquam deputato, constitutus Claudius Bernard, vulgo dictus Barrilar, natus et habitans Beduini, ætate nonaginta annorum et ultra, sana admodum erat mente, ut testes subscripti videre potuerunt, et libera voluntate, rogatus tamen, prævio juramento, quod in manibus meis emisit, dixit et testatus est primo, quod viderit ossa domini S. Antonini requiescere in arca longitudinis quatuor palmorum, in qua erant omnia ejus ossa corporis et capitis, et in arca fuisse vitrum, per quod ossa memorati S. Antonini poterant cerni. Servata autem erat dicta arca in modico armario, quod est prope altare majus ad dexteram ad cornu Euangelii. Ossa ista semper fuerunt in dicto loco, donec combusta fuerunt tempore baronis Des Adrets, quando Calvinistæ intrarunt in oppidum Beduinum. Hi in oppidum ingressi, contulerunt se ad ecclesiam, eversaque omnia altaria simul tulerunt ad cœmeterium una cum arca et ossibus dicti S. Antonini, omniaque prorsus fuerunt combusta. Erat tunc ætate triginta circiter annorum.

testimonium

4 Præterea dicit, se particulariter vidisse, quod quidam, nomine Joannes De les Banes, (quem Beduinensem credit, et qui Calvinista factus erat, et pater ejus vocabatur magister Antonius Le Mercier, habebatque domum suam Beduini) jecerit pluribus vicibus caput S. Antonini in ignem, quod simulatque in igne erat, mox erat egressum, idque ait contigisse quinquies aut sexies. Memoratus testis optime noverat, quod dictum os esset caput S. Antonini, quodque in eo etiam tum essent capilli, quodque arca ibidem usque ad illud tempus fuisset. Testatur insuper, quod ab omni tempore semper E hic Beduini viderit celebrari festum dicti S. Antonini, tamquam patroni ejusdem loci, die 13 Septembris, quo agmen supplicantium procedebat per totum oppidum, quoque illicitum erat exercere opera servilia : quod sæpe viderit Missas celebrari de memorato Sancto, priusquam corpus erat combustum; quodque intellexerit, dicta ossa fuisse inventa in modico colle, qui est prope Beduinum, et passim vocatur Colliculus S. Antonii. Omnia hæc dixit et testatus est coram domino Florens Beduinensi, Joanne Favory ejusdem loci, et Joanne Blandin, qui signum suum expressit, nesciens scribere. P. de Florens deputatus. Dictus testis non subsignavit, quod scribere nesciret. L. Florens præsens. Joannes Favory præsens. J. B. Ita subscripti in authentico.

TESTIMONIUM HENRICI PONSARD.

Alterum diu in ecclesia versati,

5 Eodem die et anno coram me comparens magister Henricus Ponsard, instituto sartor, ætate C quinquaginta duorum annorum, natus Beduini, et particulariter in ecclesia versatus per annos triginta et quinque, quod sæpissime esset ecclesiæ operarius, bona voluntate dixit, præmisso in manibus meis juramento, quod semper a tempore, cujus recordari potest, sive ultra annos quadraginta, viderit celebrari festum S. Antonini, velut patroni oppidi Beduini, in oppido memorato; nec ullo modo licitum fuisse operari et labore servili se occupare; sed omnes fuisse obligatos ad audiendam illo die Missam, sicut diebus festis et Dominicis. Præterea, quod ille die semper celebratum in ecclesia Officium per presbyteros loci et cantatum in honorem memorati Sancti, Officium autem fuisse de communi confessorum pontificum, quod non haberetur Officium proprium ad honorem dicti Sancti. Insuper eodem die semper fuit processus solemnis per totum oppidum, in quo canebantur hymni de confessoribus pontificibus, eoque finito celebrabatur Missa solemnis de eodem Sancto, videlicet de confessore pontifice. Ad hæc quod semper viderit, habitum fuisse pro patrono ab oppido Beduinensi; quod- F que semper audiverit, memoratum S. Antoninum fuisse secundum episcopum Carpentoractensem. Omnia asseruit et testatus est, præsentibus domino Simone Filieul et Gaspard Beduinensi hic subscriptis. P. De Florens deputatus. Henricus Ponsard testimonium dicens. La Madellene. G. Roque testis. Ita subscripti in authentico. *Si* Roque *ut testis in authentico, sive ut deponens subscripsit, suo testimonio dicta confirmavit, sicut fecit D.* Filieul, *subscriptus* La Madellene, *fecit, ut sequitur.*

ab alio confirmatum.

6 Supra dictus dominus Simon Filieul dixit et testatus est, præsentibus iisdem personis, quod a patre suo defuncto, domino Paschale Filieul, qui obiit ætate nonaginta et trium annorum, audiverit omnia illa, quæ memoratus Henricus Ponsard testatus est. Dixit præterea, quod ex eodem intellexerit, ossa S. Antonini, memorati episcopi, requievisse ab omni tempore in ecclesia Beduinensi usque ad tempus centurionis Mouvans, qui anno 1562 intercepit Beduinum pro barone Des Adrets; quando dicta ossa una cum arca, in qua requiescebant, combusta fuerunt in

in cœmeterio. Hac die 1 Maii 1624. P. De Florens deputatus. La Madellene testimonium dicens. G. Roque præsens. Henricus Ponsard præsens. Ita subscripti in authentico. *Qui utroque loco subscripsit* G. Roque, *supra vocatur* Gaspard. D

TESTIMONIUM DOMINI FLORENS.

tertium, 7 Eodem anno, die 30 Aprilis, coram me consistens nobilis Lælius de Florens Beduinensis, natus annos sexaginta et quatuor, libera voluntate, præmisso in manibus meis juramento, dixit et testatus est, ab annis circiter quinquaginta, ad quos memoria sua se extendit, se semper perspexisse, quod oppidum Beduinum honoraverit S. Antoninum, secundum episcopum Carpentoractensem, tamquam sanctum patronum suum et protectorem : præterea, quod oppidum Beduinum ejus festivitatem semper celebraverit die 13 Septembris, quo omnis populus erat obligatus ad Missæ assistendum, sicut die Dominico; nec licuisse ullum facere opus servile : quod eodem die semper procedat ordinatum supplicantium agmen ad honorem Sancti; quodque eadem intentione B per sacerdotes dicti loci cantentur Missa solemnis et Vesperæ, quibus populus assistit, quemadmodum aliis Officiis ad honorem cujusdam Sancti solet assistere. Quod semper a defuncta matre sua, quæ obiit ætate septuaginta annorum et ultra, audiverit, dicti Sancti ossa requievisse in superiori ecclesia Beduinensi in arca, quæ modico inclusa erat armario, prope altare majus ad latus Euangelii : quæ ossa fuerunt combusta per Calvinistas, qui sequebantur baronem Des Adrets, et cineres fuerunt projecti per murum oppidi, spectantem ad colliculum, qui passim vocatur Colliculus S. Antonii. Quod intellexerit ex defuncto domino Le Baile Valentin, qui obiit ætate admodum provecta, ecclesiam sanctæ Crucis fuisse exstructam ab episcopo Carpentoractensi anno 1005. Dixit insuper, quod semper audiverit, dictum S. Antoninum fuisse secundum episcopum Carpentoractensem. Omnia dixit et testatus est, præsentibus magistro Michaele Cerveau ex loco Gigondas, et dominis Joanne Rey medicinæ doctore Beduinensi et Joanne Reinard ex loco Villes, qui omnes subscripserunt. P. De Florens deputatus. L. Florens E testimonium dicens, J. Rey præsens. Renard præsens. Cerveau præsens. Ita subscripti in authentico.

TESTIMONIUM SIFFREDI GAUTIER.

quartum, 8 Eodem anno, die 1 Maii, coram me tamquam deputato comparens Siffridus Gautier, Beduini natus abhinc annis septuaginta et sex, per me rogatus, dixit et testatus est sub jurejurando, quod ab annis sexaginta et ultra, quamdiu recordatur rerum, quas vidit, semper viderit celebrari festum S. Antonini, tamquam patroni et protectoris loci Beduini, eodem modo, imo et majori cum solemnitate, quam celebrentur dies Dominicus et alia festa : quo die semper instituta est publica ordine procedentium supplicatio, celebrata Missa solemnis ad honorem dicti Sancti, nec licitum fuisse operari : et quod ab annis circiter triginta, dum ipse oppidi erat consul, forum liberum cœperit haberi dicto die S. Antonini 13 Septembris. Dixit præterea, se semper vidisse sacellum Sanctæ Crucis, quod est in summitate montis, qui dicitur Mons-Ventour. Omnia testatus est, præsentibus Henrico Ponsard sartore Beduinensi, et domino Florens item Beduinensi. Memoratus testimonii auctor signum suum posuit, quod nesciat scribere. P. De Florens deputatus. Henricus Ponsard. L. Florens præsens. Ita subscripti in authentico.

C F

TESTIMONIUM JOANNIS TRIBOULET.

quintum, 9 Eodem anno et die 1 Maii, coram me consistens Joannes Triboulet Beduinensis, natus annos octoginta et quatuor, etiamnum vegetus et mentis admodum sanæ, prævio juramento, dixit et testatus est, quod, dum ætatis erat viginti et duorum annorum, et bella Calvinistarum inciperent insurgere adversus Catholicos, Beduinenses omnia, quæ in ecclesia erant pulchriora, incluserint in armario, quod est ad latus altaris, cum ossibus S. Antonini, et quod memoratum armarium fuerit occlusum lapidibus et gypso, ut illa eo modo possent conservare. Verum cum res esset detecta per homines perversos, qui rebelles evaserant, (horum aliqui vocabantur La Bonne Anne * et La Monine, qui erant Beduinenses) ceperunt dicta ossa S. Antonini cum aliis, quæ erant in memorato armario, et altaria : et omnia fuerunt combusta in cœmeterio ecclesiæ superioris dicti loci. Testis ipse omnia vidit, et dixit, ventum illo die fuisse vehementissimum, et aerem valde obscurum. Dixit, thecam, in qua erant prædictæ reliquiæ præter caput, fuisse in arca super altare majus inter tres Sanctos, opere anaglypho expressos, videlicet sanctissimam Virginem in medio, S. Petrum ad unum latus * : et hoc etiam tempore apparet quasi fenestra supra dictum altare majus : et quod caput memorati sancti Antonini requiesceret ad latus dexterum altaris majoris ad cornu Euangelii eleVatum eo modo, quo S. Siffridus. Nescit, an ea theca esset argentea; dixit tamen, valde reluccutem fuisse et quasi inauratam. Dicta theca die 13 Septembris, festo S. Antonini, portabatur in feretro, sustentata ab hominibus, qui dictum feretrum gerebant. Omnia dixit, quia semper ea vidit usque ad ætatem viginti et duorum annorum, ut dictum est, et quia tunc proxime habitabat apud ecclesiam, et in ea ordinarie erat.

plura 10 Præterea dixit, quod semper audiverit ab omnibus majoribus suis et aliis provectæ ætatis personis, et nominatim a matre sua, quæ mortua est abhinc quindecim fere annis ætate centum annorum,

* *forte* Armo

* *tertius hic omissus.*

AUCTORE J. S. compectens.

A annorum, dictas sacras reliquias semper ab omni tempore vetusto fuisse in memorata ecclesia Beduinensi, quamvis hodierna ecclesia olim fuerit alio loco. Dixit præterea, audivisse se a memorata matre defuncta, quod dicta ecclesia Beduinensis fuerit supra collem, ubi erat castrum; et quod illic, ubi hodierna exstructa est ecclesia eiusque altare majus, frequenter auditum fuerit melos pulcherrimum, quo permoti fuerunt ad erigendum in eo loco altare et præsentem ecclesiam, cuius in loco olim fuit stabulum. Insuper quod semper audiverit ab omnibus majoribus suis, et jam ab annis septuaginta quinque, a quo tempore aliquid intelligere cœpit, constanter audiverit, memoratum S. Antoninum fuisse episcopum Carpentoractensem, et ab oppido Beduino habitum perpetuo fuisse pro loci patrono et protectore semperque pro tali receptum; festivitatem ejus constanter peractam fuisse maxima cum solemnitate die 13 Septembris instar sancti Dominici, populo ex obligatione ad Missæ assistendum se conserente, et abstinente ab operibus eo die illicitis. Juvenes eodem die incedebant cum aliquo vestium apparatu et solemnitate; et præterea B cum catapultis aliisque armis comitabantur memoratum caput, quando circumferebatur in longo supplicantium agmine, sicut dictum est, priusquam erat combustum.

11 Recte etiam meminit, se perspexisse, quod tunc aliqui e dentibus capiti inhærerent, nonnihil tamen vacillantes: et licet memorata theca esset cooperta, sive ligno inaurato aut inargentato, sive aliquot laminis argenteis; in ea tamen erat aliqua apertura, per quam ossa cerni poterant. Dixit, quod audiverit, defunctæ matris suæ patrem tulisse lapides quadratos ad tegendum sacellum Sanctæ Crucis: quod audiverit, in festo S. Antonini prædicti peractam fuisse solemnitatem ad honorem ejusdem Sancti in ecclesia prægrandi, institutamque fuisse solemnem supplicationem, cantatam Missam, aliasque Officii divini partes: sanctumque ipsum semper magna cum devotione a populo invocatum fuisse, nominatim in necessitatibus publicis. Quod audiverit, olim Religiosos Benedictinos habitasse in cœnobio, cujus vestigia etiamnum luculenter apparent in loco prope Beduinum, locumque vulgo vocari Beatam Mariam de Monasterio, etiamsi titulus sit: Beata Maria de Consolatione. Omnia dixit et testatus est, præsentibus domino Claudio Guibert, Nicolao Danilhon Beduinensi, et Joanne Jacobo Norvene ejusdem loci, qui subscripserunt, et memoratus testis signum suum E expressit. P. De Florens deputatus. J. T.; N. Danillion. J. J. Norvene. Ita subscripti in authentico.

TESTIMONIUM DIONYSII THOMAS.

sæculum.

12 Eodem anno et die 1 Maii, coram me deputato consistens Dionysius Thomas, natalibus et habitatione Beduinensis, habens annos circiter uctoginta, præmisso juramento, quod fecit in manibus meis, dixit et testatus est, quod a tempore, cujus memoriam habet, constanter viderit, S. Antoninum ab oppido Beduinensi agnitum fuisse patronum et protectorem, cujus festivitas perpetuo celebrata est 13 Septembris cum omnibus solemnitatibus et exercitiis, quæ peraguntur diebus festis, quales sunt festivæ supplicationes, Officia divina; quodque semper audiverit a majoribus suis, eadem eodem modo semper ab omni tempore fuisse factitata. Præterea dixit, se, quando Calvinistæ ingressi sunt in oppidum Beduinum, et quando combusserunt omnia, quæ erant in dicti loci ecclesia superiori, fuisse in monte, dicto Mont-Ventour, ubi operabatur. Omnia dixit et testatus est, præsentibus domino Francisco de Florens Beduinensi, et domino Cæsare Vervin ejusdem loci incola, qui subscripserunt præter testem, qui scribere nescivit. P. De Florens deputatus. F. Florens. Vervin præsens. Ita subscripti in authentico.

F

G

TESTIMONIUM LUDOVICI BELLES.

septimum,

13 Eodem anno et die 1 Maii, comparens coram me deputato magister Ludovicus Belles, natus Beduini, agens annos quadraginta et novem, sub juramento præmisso, dixit et testatus est, quod ab annis quadraginta, quorum meminit, semper audiverit, ossa S. Antonini, quondam episcopi Carpentoractensis, requievisse olim in ecclesia parœciali Beduinensi, dicta Ecclesia Superiori, in armario, quod est prope altare majus, istasque sanctas reliquias fuisse combustas tempore baronis Des Adrets: quod omnia audiverit a magna hominum multitudine, qui obierunt ætate provecta, tam a parentibus suis, quam ab aliis ejusdem oppidi. Præterea quod semper audiverit et viderit, dictum S. Antoninum fuisse habitum loci patronum et protectorem; et festum eius celebratum fuisse die 13 Septembris solemniter admodum, sine permissione operum servilium, et cum obligatione audiendi Missam, ut fit in aliis festis: insuper, die illo semper institutam fuisse supplicationem festivam, celebratam Missam solemnem, et dictum Officium confessoris pontificis, usitatumque fuisse Officium de communi, quod non haberent proprium: hæc omnia se scire, quod constanter frequentaverit ecclesiam, et cantaverit cum dominis presbyteris ordinariis, quodque ecclesiæ frequenter fuerit operarius. Omnia dixit, præsentibus Spirito Barbani Beduinensi et Stephano Gaillard, qui omnes hic subscripserunt. P. De Florens canonicus deputatus. Belles testimonium dicens. Stephanus Gaillard præsens. S. Barbany. Ita subscripti in authentico.

AUCTORE J. S.

D

TESTIMONIUM PONTII ARLOR.

ortarum.

14 Eodem anno et die 3 Maii, coram me subscripto et deputato constitutus Pontius Arlor, natus Beduini, ubi et semper habitavit, agens plusquam septuaginta annos, habensque a tenera sua ætate optimam memoriam, sub juramento, quod in manibus meis præstitit, dixit et testatus est, quod omni tempore vitæ suæ frequentaverit ecclesiam Beduinensem, semperque fere in illa fuerit, quia proxime habitabat. Præterea quod semper viderit, in memorata ecclesia requiescere corpus S. Antonini, secundi episcopi Carpentoractensis, in arca oblonga, ad cujus duas extremitates habebatur vitrum, per quod conspici poterant dicta ossa, tam caput ipsius quam reliquum corpus præter unum os brachii, quod particulariter elevatum servabatur in brachio ligneo inaurato, uti etiam dicta arca erat inaurata; depositaque hæc erat in armario, quod est ad latus altaris majoris ad cornu Euangelii: et majus altare fuisse ornatum imaginibus trium Sanctorum, videlicet S. Petri et S. Joannis, et B beatissimæ Virginis Mariæ in medio. Dicit præterea, in ornamentis portarum majoris altaris pictos fuisse Adamum et Evam, et in turri oppidi aliqua servari fructa ornamentorum dicti altaris majoris. Verumtamen memoratæ reliquiæ fuerunt combustæ et spoliatæ tempore Calvinistarum, ut jam dictum est, per centurionem Monvaos. Ii autem, combustis in ecclesiæ cœmeterio omnibus, quæ erant in ecclesia, solum transiverunt, continuo discedentes. Hæc dixit, quia vidit et præsens fuit, sicut etiam præsens fuit Paulus Girenton.

allegans,

15 Quod dicta ossa semper requievissent in ecclesia, quia id audivit a personis provectæ admodum ætatis. Quod memoratus S. Antoninus fuerit secundus episcopus Carpentoractensis; quodque oppidum Beduinum habuerit eum semper pro patrono et protectore suo, celebrans ejus festum 13 Septembris omni cum solemnitate per supplicationes festivas, Missas, Officia, in ejus honorem peracta, quibus assistebat populus magna devotione: quæ novit, non solum quia vidit toto tempore vitæ, sed etiam quia audivit ab omnibus majoribus suis et aliis personis C provectæ ætatis, asserentibus, omnia superius dicta semper fuisse observata. Insuper, memoratam arcam, in qua erant dictæ reliquiæ S. Antonini, antequam erant combustæ, a duobus hominibus gestatam fuisse in feretro, procedente supplicantium turma in die festo S. Antonini, et in pervigilio Ascensionis Domini, ut dictum est. Ad hæc, gypso occlusam fuisse portam armarii, in quo posita erat dicta theca ossium S. Antonini; sed fuisse rem detectam, sive per aliquem sive ictibus malleorum, quibus parietem percutiebant.

etiam traditiones populares,

16 Dixit, audivisse se a majoribus suis, qui grandævi obierunt, quod communis esset traditio a patribus ad filios translata, dictum S. Antoninum Viennæ in Delphinatu fuisse natum, inde venisse Beduinum, ibique aliquo tempore habitasse in juventute et stipem petiisse, deinde discessisse ad civitatem Carpentoractensem, ibi studiis operam dedisse, tantamque acquisivisse eruditionem, ut, defuncto episcopo Carpentoractensi, in locum defuncti a populo sit electus: postquam vero id officium dignissime obiverat, sub finem vitæ se recepisse ad Sanctum Andream prope Flassan, diœcesis Carpentoractensis, ibique defunctum fuisse et sepultum: consanguineos ejus, cum sub id tempus Vienna venissent, fuisse edoctos a Beduinensibus, S. Antoninum obiisse in dicto S. Andreæ loco. Illi autem, sicut habet illa traditio, elevatis e terra ossibus, ut propter commune aliquod loci incommodum ea portarent Viennam in Delphinatu, dum erant in aliquo ponte, qui est prope Beduinum memoratum, æra campana loci sponte sonuerunt idque longo tempore continuarunt, iter tamen prosecuti sunt, donec venerunt supra collem, qui nunc dicitur Colliculus S. Antonii, ubi, cum non possent ulterius progredi, fuerunt conspecti a militibus, qui erant in turri Beduinensis castri. Ii ablata ossa, quæ prædicti portabant, deposuerunt ad fenestram stabuli ejusdem castri, ubi audiebatur vox et aliquando suavis cantus: eaque occasione castri incolæ veram de ossibus notitiam consecuti E sunt, ibique erexerunt sacellum, et labente tempore perfecta ibidem ædificata est ecclesia, qualis est hodierna. Memoratis autem consanguineis S. Antonini datum fuit unum os brachii, quod portarunt Viennam.

de vita Sancti,

17 Dicunt præterea, memoratos consanguineos ad hanc regionem venisse mandato Viennensium, qui notitiam habebant sive de sanctitate Antonini, sive de eius miraculis; dictumque os illis concessum fuisse, tam ad satisfaciendum devotioni consanguineorum et Viennensium, quam ut illi ostendere possent, se fecisse, quantum potuerunt, ad obtinendum ossa Episcopi in civitate sua nati. Dixit insuper, quod ab omni tempore, etiam antequam dicta ossa fuerunt combusta, agmen supplicantium, quod procedit singulis annis in pervigilio Ascensionis Domini, transeat per memoratum collem, qui S. Antonii vocatur et oppido vicinus est, sicut nunc perseverat: quod abhinc decem annis erecta ibidem sit crux, quod sacerdotes ibidem cum omni populo preces fundant, ibidemque cantetur Euangelium. Ea consuetudo semper observata est ab omni hominum memoria, nec solum eorum, qui modo vivunt, F sed illi semper etiam a majoribus suis audiverunt, ita factum fuisse, quia ille est locus, ubi ossa fuerunt iis, qui ea elevarant et portabant, erepta per milites castri, ut dictum est, qui ea posuerunt ad fenestram stabuli ejusdem castri, ubi nunc est ecclesia parœcialis ob vocem et cantus, qui audiebantur circa tumulum memoratum, et propter alia signa, quæ ex majoribus intellecta fuerunt.

et supplicationem pervigilii Ascensionis;

18 Quod memorata S. Antonini arca, in qua erant ejusdem ossa, in pervigilio Ascensionis cum ordinata supplicantium turba portaretur hunc in modum. Egrediebatur per portam, Furni dictam, et pergebat ad memoratum collem: in loco, ubi est crux, ubi inventæ fuerant dictæ reliquiæ, cantabatur Euangelium, ut dictum est; inde transibat ad beatissimam Mariam de Monasterio, ubi, dicta arca consistente in feretro suo et sustentata a duobus hominibus, sub ea transibat populus. Hoc dixit, cum quia audivit semper factitatum fuisse, tum quia vidit usque ad tempus, quo ossa fuerunt combusta. Addidit, quod memorata arca in die festo S. Antonini, episcopi Carpentoractensis, 13 Septembris, solum por-

AUCTORE J. S.

A portaretur per oppidum. Meminit tamen, memoratam arcam valde similem fuisse illi, quæ est S. Siffridi Carpentoractensis; et in vertice ejus fuisse aliquid, quod simile erat mitræ episcopali. k

19 In eodem loco Paulus Girenton, natalibus et habitatione Beduinensis, natus annos octoginta aut circiter, præmisso juramento, dixit et testatus est eadem, quæ prædictus Arlor, omnia illa confirmans. Præterea Moneius Giraud, similiter ortu et domicilio Beduinensis, natus annos octoginta et ultra, prævio jurejurando, quod in manibus meis fecit, sicut alii, confirmavit omnia superius dicta per Arlor. Duo posteriores testes de secundo capite testimonii dixerunt, quod memorata arca, præterquam quod inaurata esset, etiam aliquot picturis rubris esset distincta. Insuper dictus Girenton asseruit, fratrem suum defunctum Theobaldum a Calvinistis coactum fuisse juvare in portandis imaginibus aliisque rebus, quæ combustæ sunt. Præterea Joannes Augier, natus et habitans Beduini, agens annos fere octoginta, prævio juramento in manibus meis emisso, confirmavit omnia, quæ superius
B tres jam dicti testes dixerunt, tam quia ea audivit, quam quia vidit: et quidem ictibus baculi coactum se fuisse ad aliquot imagines, quæ combustæ sunt, ad cœmeterium ecclesiæ supra dictum portandas, et ibidem se mansisse usque ad finem. Ibidem Ludovicus Dauberte, ortu et habitatione Beduinensis, agens fere annos septuaginta et sex, omnia etiam confirmavit, quia semper ea audivit ab omnibus majoribus suis, quodque etiam pater ipsius, Antonius Dauberte, consul esset eo tempore, quando dicta ossa fuerunt combusta. Non vidit dicta ossa, quia semper erat in villa sua.

et a pluribus confirmatum,

20 Supra dicti testes non subscripserunt, quia nesciebant scribere. Prælecta sunt quinque prædicta testimonia, præsentibus magistro Michaele Cerveau ex loco Gigondas, Honorato Pierre * Beduinensi, et magistro Joanne Lubac ejusdem loci, hic subscriptis. P. De Florens canonicus deputatus. Honorat Peyre. Ita subscripti in authentico. Deinde dictus Joannes Augier, qui vulgo vocatur Cultrarius, dixit, quod recordatus fuerit, memoratum caput S. Antonini pluribus vicibus in ignem fuisse injectum, et exsiliisse continuo, simulatque per dictos Calvinistas fuerat injectum. Hac die 5 Maii, anno 1624, præsentibus domino Lælio Chevicel et Francisco Rey Beduinensi, hic subscriptis. P. De Florens deputatus. Franciscus Rey. Prera. Ita in authentico. Dicit præterea dictus Joannes Augier, E se frequenter in ecclesia vidisse mitram albam S. Antonini, antequam Calvinistæ ecclesiam ingressi sunt et deprædaverunt.

et modice auctum.

* *infra* Peyre.

TESTIMONIUM GERALDI PELLET.

nonum,

21 Eodem anno et die 4 Maii, coram me consistens Geraldus Pellet, natus et habitans Beduini, habens ultra octoginta annos, præmisso juramento, eadem dixit, quæ præcedentes Arlor, Girenton, Giraud et Augier jam testati erant 3 Maii. Horum testimoniorum prælectio ipsi facta est, dixitque omnia eadem, illa confirmans, et omnium supra dictorum testem se præbens. Porro adjecit, præsentem se fuisse, quando dicta ossa fuerunt combusta, quia semper habitavit in vicinia ecclesiæ, et facile ibi erat, et eo tempore erat annorum sexdecim aut septemdecim. Similiter dixit, consonans testimonio Claudii Bernard, caput memorati Antonini, dum in ignem erat injectum, non potuisse comburi, et statim fuisse egressum, quod pluribus
C vicibus accidit: in memorata autem arca S. Antonini inventam fuisse magnam multitudinem annulorum, quos obtulerant pii homines. Asserunt insuper dictus Arlor dictusque Pellet, ab altera parte altaris majoris aliam fuisse fenestram, tam magna annulorum copia repletam aliisque etiam maioribus donariis, quæ S. Antonino fuerant oblata, interque ea fuisse elegantissima. Dicunt præterea, liberos eorum, qui ecclesiam deprædarunt, in lusu pomum crucis, tamquam globulum, ad scopum jactare, ut parvos Julios sub eo abditos lucrentur: (*gallice: que les enfans... Jouent aux cortes Julles de la pomme de la croix*) altare majus, et tres Sanctos, qui opere anaglypho expressi erant, fuisse auro oblita indique, ut res esset pulcherrima; ecclesiam quoque magnifice ditatam fuisse vestimentis elegantissimis. Prælectio horum testimoniorum facta est, præsentibus domino Joanne Reinard ex loco Villes et Spirito Pellet Beduinensi, quorum unus tantum subscripsit. P. De Florens deputatus. J. Renard præsens. Ita subscripti in authentico. F *Verba gallice posita, quæ non intelligebam, exposuit humanissimus Durandus, qui omnia submisit.*

TESTIMONIUM DOMINORUM PRESBYTERORUM.

decimum, in quo plura

22 Eodem anno et die 5 Maii, coram nobis constituti vir reverendus, dominus Joannes Taissi, vicarius ecclesiæ Beduinensis a sex annis, incola Beduini postremis triginta annis, natus annis triginta quatuor; et vir reverendus, dominus Jacobus Blachiere, in eodem oppido natus et habitans, agens anoos triginta et duos, et ministrans in ecclesia a quatuor annis, et vir reverendus, dominus Spiritus Trousse, in eodem loco natus et habitans, habens annos triginta, præmisso juramento, omnes simul dixerunt et testati suot, quod semper audiverint a majoribus suis, presbyteris aliisque sæcularibus, qui ecclesiam frequentarunt, olim ossa S. Antooini, episcopi Carpentoractensis, deposita fuisse in ecclesia Beduinensi in aliquo armario prope altare majus ad latus Euangelii, ubi modo collocantur faces Confraternitatis Corporis Christi, usque ad annum 1562, quo fuerunt combusta per centurionem Mouvans ejusque milites, qui oppidum intrarunt ecclesiamquo deprædarunt, comburentes in cœmeterio, quæ secum ferro non poterant. Quod festum memorati S. Antonini constanter ab omni hominum memoria celebratum fuerit die 13 Septembris; quodque talis sit traditio totius communis, quodque perpetuo audiverint a majoribus suis, id ita factum fuisse. Hæc autem festivitas celebrata est cum omni, qua

AUCTORE J. S.

qua potest, solemnitate, per supplicationem totius oppidi ordinate procedentis, per Missam solemnem, Officia divina, nimirum de communi Confessoris Pontificis. Dicunt, eadem hodio observari, semperque se vidisse, eadem observata fuisse a presbyteris dicti loci decessoribus suis; populumque obligari ad audiendam Missam, et ad abstinendum ab opere servili.

de cantato Evangelio in Colliculo S. Antonii,

23 Addunt, quod in pervigilio Ascensionis Domini Euangelium cantetur, Cum sublevasset Jesus oculos, in loco, dicto Colliculo S. Antonii, ubi erecta est crux ab aliquot solum annis; quodque id factum fuerit ab omni tempore vetusto et hominum memoria, nescientes tamen causam certam, nisi sit illa, quam habet communis traditio a patre ad filium perlata, illic ereptas fuisse reliquias S. Antonini iis, qui illas auferebant. Quod dictum oppidum Beduinum semper S. Antoninum, secundum episcopum Carpentoractensem, patronum agnoverit et honoraverit, cujus ossa, ut dictum est, in dicto oppido fuerunt in arca lignea inaurata: quæ arca circumferebatur ad supplicationem in festo ejus die 13 Septembris et in pervigilio Ascensionis Domini in supplicatione Rogationum, ut B audiverunt ab omnibus majoribus suis. Similiter Laurentius Pellet, natus annos quinquaginta et Beduinensis, dixit et testatus est, præmisso juramentu, præsentibus testibus infra subscriptis, se servisse ecclesiæ Beduinensi annis viginti duobus, et semper vidisse observari superius dicta, eademque testatus est. Dixit ulterius, audivisse se a defuncta matre sua, quæ obiit ætate nonaginta annorum, quod, cum serviret in domo aliqua D Beduinensi, quando Calvinistæ intrarunt Beduinum et ecclesiam spoliarunt, e manibus dictorum Calvinistarum retraxerit mitram aliquam albam, quæ dicebatur esse S. Antonini, cujus reliquæ erant Beduini: qua mitra illi ludos dabant et ineptias. Illam ceperant in ecclesia, sed hæc nesciebat, quid de ista mitra postmodum sit factum.

ab aliis confirmatum et auctum:

24 Ibidem Nicolaus Rehboul, ortu et habitatione Beduinensis, natus annos quinquaginta et novem, præmisso juramento, dixit et testatus est eadem, quæ presbyteri supra dicti, quodque fere semper frequentaverit ecclesiam, adjuvans in cantando presbyteros. Similiter Marinus Trousse, natus et habitans in eodem oppido, agens annos quinquaginta novem, et semper fere in ecclesia versatus a puero, ubi simul cum aliis ordinaria cantabat Officia, præmisso in manibus meis juramento, eadem dixit et testatus est cum iis, quæ superius sunt dicta. Horum testimoniorum prælectiu facta est, præsentibus testibus hic subscriptis, nimirum domino Francisco de Florens Beduinensi, domino Vilhet ex Malavienne [*], Joanne Blandin Beduinensi, qui expressit signum suum, et Valentino Jean ejusdem oppidi. P. De E Florens canonicus deputatus. J. Taissi vicarius testimonium dicens. Trousse presbyter testimonium dicens. J. Blachiere presbyter testimonium dicens. L. Pellet testimonium dicens. Nicolaus Reboul præsens. Valentinus Jean præsens. M. Trousse testimonium dicens. F. Florens præsens. Vilhet præsens. Ita subscripti in authentico.

[*] aut Malamene

TESTIMONIUM MAGDALENÆ MARCHANDE.

undecimum, in quo de brachio seorsum servato.

25 Anno supradicto et die 4 Maii, coram me constituta Magdalena Marchande, agens ultra octoginta annos, et Beduini nata, mentis etiamnum admodum sanæ, præmisso in manibus meis juramento, dixit primo, usque ad ætatem octo (*legendum* octodecim, *opinor*) annorum, quam habebat, frequenter a se visam arcam S. Antonini, episcopi Carpentoractensis, quæ posita erat in armario in ecclesia dicti oppidi: in ea fuisse vitrea, per quæ conspici poterant reliquiæ, quæ in ea erant, caput, brachia et alia C ossa: insuper seorsum fuisse Sancti brachium, multis annulis, qui eidem fuerant oblati, in digitis repletum: hæc autem omnia a Calvinistis fuisse combusta, ut vidit sub finem: caput S. Antonini non potuisse comburi, et sæpius in ignem fuisse injectum, ut dicit se audivisse a Claudio Bernard. Dixit præterea, in die festo S. Antonini 13 Septembris memoratam arcam fuisse portatam in ordinato supplicantium agmine; uti et in pervigilio Ascensionis, et tunc transivisse per Colliculum S. Antonii, ubi cantabatur Euangelium; quod observari vidit tota vita sua, audivitque, semper observatum fuisse: cumque esset apud Beatam Mariam de Monasterio, populus transibat sub arca, quæ pulcherrima erat et inaurata, uti inauratum erat et brachium et altare majus, quod duos exhibebat Sanctos, et in medio beatissimam Virginem Mariam.

et aliqua traditio popularis:

26 Vidisse se semper festum S. Antonini 13 Septembris celebrari, ut festum præcipuum, populo se conferente ad audiendam Missam et abstinente ab opere servili. Quando arca procedebat per oppidum, milites comitabantur in circuitu: atque, audivisse se a suis majoribus, omnia illa perpetuo fuisse observata. Addit, memoratam ossa olim pluribus signis fuisse cognita: cum posita fuissent ad fenestram cujusdam stabuli, equos, qui ducebantur ad stabulum, genua coram illis flexisse; idque pluribus vicibus se F audivisse ab avu suo, qui vocabatur Sebastianus Marchant, obiitque ætate admodum provecta. Ex illo stabulo constructa deinde est ecclesia hodierna. Addit, se vidisse confraternitatem, quæ instituta fuerat in honorem S. Antonini, et quæ modo non superest: ab oppido Beduino semper cultum et habitum fuisse, tamquam patronum et protectorem, ut dictum est. Prælectio hujus testimonii facta est, præsentibus Vincentio Reboul et R. P. Spirito Trousse Beduinensibus, et Joanne Ferrier ejusdem oppidi. P. De Florens canonicus deputatus. Trousse presbyter præsens. Joannes Ferrier præsens. Ita subscripti authentico.

TESTIMONIUM CLAUDI BEYNET.

duodecimum,

27 Eodem anno et die 5 Maii, coram me constitutus Claudius Beynet, natalibus et habitatione Beduinensis, agens annos octoginta et quinque, mentis tamen et memoriæ admodum sanæ, præmisso in manibus meis juramento, dixit et testatus est, se usque ad ætatem vigini quinque annorum semper vidisse ossa S. Antonini, olim episcopi Carpentoractensis, quæ deposita erant in superiore ecclesia Beduinensi, in arca, in qua erant quatuor vitrea ad quatuor latera, per

A per quæ conspici poterant prædicta ossa, et hæc erant conservata in armario quodam prope altare majus : arca erat inaurata : insuper, vidisse se unum e brachiis elevatum, quod passim circumferebatur in supplicationibus : ejus digiti erant pleni annulis Sancto oblatis. Arca illa S. Antonini singulis annis circumferebatur in pervigilio Ascensionis et in die festo S. Antonini 13 Septembris, et in pervigilio Ascensionis transferebatur per Colliculum S. Antonii, ubi cantabatur Euangelium, et inde ferebatur ad beatam Mariam de Monasterio, ubi dicta arca erat sustentata a duobus hominibus in feretro suo ad portam memoratæ ecclesiæ, onti etiam ad portam ecclesiæ parœcialis loci, et populus sub illa transibat : quæ omnia perpetuo observata fuerunt ab omni hominum memoria, ut a majoribus suis audivit, donec per Calvinistas combusta fuit cum ossibus memorati Antonini, ut dictum fuit.

in quo de confraternitate S. Antonini :

28 Nominatim se vidisse, semel 13 Septembris festo Sancti dictam arcam fuisse portatam, comitante oppidi populo cum quatuor tubis, innumeris facibus, et immensa solemnitate : dicta ossa ab omni tempore fuisse in ecclesia, ut B sæpe audivit a senioribus : a se adhuc conspectum magnum tranetum parietis castri Beduinensis, in eoque fuisse turrim elegantem, quæ olim fuerat castri : se semper audivisse a decessoribus suis semperque vidisse tota vita sua, oppidum Beduinum habuisse et coluisse S. Antoninum pro patrono ac protectore suo, quandoquidem die 13 Septembris festum ejus celebraret maximis solemnitatibus, quibus poterat, uti alia per annum festa, et per oppidum procederet longum supplicantium agmen etc. : populum oppidi semper Sancto fuisse devotissimum, et institutam olim fuisse confraternitatem ad ejus honorem. Asseruit, audivisse se a patre suo, in loco Sanctæ Crucis olim non fuisse sacellum ; ab eoque plures fuisse conspectos, qui quadratos tulerant lapides ad illud tegendum, etiamsi tunc temporis staret erectum : patremque suum fuisse septuaginta annorum ; dum obiit. Omnia dixit et testatus est, præsentibus domino de Florens Beduinensi, Juanne Beynet ipsius testis filio, et Claudio Gerbaud ejusdem oppidi, qui omnes subscripserunt præter ipsum testimonii auctorem, qui signum suum formavit. P. De Florens canonicus deputatus. L. Florens præsens. Claudius Gerbaud præsens Joannes Beynet præsens. Ita subscripti in authentico. E

AUCTORE J. S.

TESTIMONIUM ANDREÆ BLANC.

decimum tertium, plenum traditionibus populi :

29 Eodem anno et die 5 Maii, coram me constitutus Andreas Blanc, vulgo vocatus Depeitrau, natus annos octoginta aut circiter, ortu et habitatione Beduinensis, mentis optime compos, valensque rerum præteritarum memoria, præmissio in manibus meis juramento, dixit et testatus est eadem, quæ jam asseruerunt Arlor et Augier die 3 Maii ejusdem anni, præterquam de octavo capite, quod modum exhibet, quo dicta ossa Beduinum fuerunt perlata. Asseruit, se audivisse a defuncto patre suo, Stephano Blanc, qui mortuus est ætate septuaginta annorum, quod dictus Antoninus natus esset Viennæ, quodque huc Beduinum venerit prupter irrisiones, quibus impetebatur Viennæ ab iis, qui probitatem eius et vitæ simplicitatem pro stultitia habebant, ita ut Sanctus eis minaretur, nullam fore in patria C sua pluviam, donec reverteretur. Postquam aliquo tempore habitaverat Beduini, sub finem vitæ recepit se in Flassan, ubi mortuus est. Aliqui autex ex patria eius elevata ejus ossa dum auferebant, et ad Colliculum S. Antonii pervenerant, ut progrederentur ulterius, non potuerunt ultra pergere : quod ubi didicerant Beduinenses, quns æra Campana ultro sonantia etiam monebant, dicta ossa illis abstulerunt ; unumque eisdem donarunt, ut istud portarent Viennam. Dixit, se præsentem non fuisse, quando fuerunt combusta, quod spectat ad secundum caput ; et similiter se nescire quod dicitur, armarium gypso fuisse occlusum. Omnia asseruit, et aliorum testimoniorum prælectio facta est, præsentibus domino Lælio Chevicel Beduinensi, et Francisco Rey ejusdem oppidi, mecum subscriptis. P. De Florens deputatus. Franciscus Rey præsens. Sic subscripti in authentico. F

TESTIMONIUM NICOLAI DANILLON.

decimum quartum, in quo rursum

30 Eodem anno et die 12 Maii, constitutus coram me tamquam deputato Nicolaus Danillon, natus et habitans in oppido Beduino, habens annos quinquaginta duos, (cujus pater mortuus est grandævus, quique habebat avunculum ex parte matris defunctæ, olim triginta septem annis presbyterum sive vicarium ejusdem loci, a quo multa audivit ad ecclesiam spectantia, et cujus etiam gratia ecclesiam perpetuo frequentavit, sive assistendo divinis Officiis, sivo quod sæpe ecclesiæ esset operarius et clericus) præmisso juramento, dixit et testatus est, tam ad confirmationem supradictorum, quam ad testandum alia sequentia. Primo, postquam eidem prælectum fuerat testimonium dominorum presbyterorum Beduinensium, datum die 5 Maii ejusdem anni, superius conscriptum, eadem cum ipsis asseruit et testatus est. Præterea dixit, quod audiverit ex multis grandævis, et nominatim ex defuncto R. P. domino Guillielmo Catalan, presbytero Beduinensi, qui mortuus est ætate nonaginta annorum, et in ecclesia ejusdem oppidi ministraverat annis saltem quinquaginta, et etiam ex homine octoginta annorum, cui nomen erat Franciscus Viar, S. Antoninum Viennæ natum esse, illumque, postquam aliquo tempore Beduini habitaverat, hinc discessisse ad civitatem Carpentoractensem, ubi, postquam aliquo tempore ibidem studiis vacaverat, mortuo episcopo Carpentoractensi, in locum ejus electus fuit : tamen sub finem vitæ, postquam episcopatui renuntiaverat, rediisse Beduinum, et se recepisse in solitudinem, in montem nempe Beduinensem, qui amplissimus tunc erat ; cumque obiisset, in ecclesia ejusdem loci fuisse sepultum.

31 Consanguineos autem ejus, intellecta ipsius morte,

AUCTORE J. S. *traditiones populares :*

morte, profecti sunt Beduinum, ibique cum consensu consulum et incolarum loci ossa ejus acceperunt asportaruntque, transeuntes per portam oppidi, dictam Cataron. Jumentum autem, quod memoratas portabat reliquias, pro recta via, quæ ducit Viennam, ingressum est aberrantem semitam, pervenitque ad rupem in Colliculo S. Antonii (ubi modo ab aliquo tempore stat crux erecta) cumque solum perpetuo volveretur, nec posset in viam rectam se restituere, apparuerunt etiam duo luminaria ad latera jumenti, et æra Campana ultro dederunt sonitum. Hæc ubi percepta fuerunt, tam ab incolis oppidi, quam a consanguineis Sancti, hi ad oppidum redierunt, censentes divinum esse voluntatem, ut ossa in dicto D oppido Beduino requiescerent. Illis tamen donatum est os aliquod brachii, quod portarunt Viennam : reliqua vero recepta fuerunt et conservata ; et in loco, ubi deposita sunt, frequenter audita est quasi musica. Dixit insuper, se frequenter audivisse in loco, in quo nunc est ecclesia superior, fuisse stabulum castri Beduinensis. Omnia dixit et testatus est, præsentibus domino Joanne Rey medicinæ doctore Beduinensi, et domino Bernard ex loco Villes, qui una cum illo subscripserunt. P. De Florens deputatus. Nicolaus Danillon testimonium dicens. Rey præsens. J. Renard præsens. Ita subscripti in authentico.

TESTIMONIUM DOMINI NATALIS CONSTANS.

decimum quintum.

32 Eodem anno et die 13 Maii, coram me tamquam deputato constitutus dominus Natalis Constans Beduinensis, natus annos octoginta et quinque, præmisso in manibus meis juramento, dixit et testatus est (cum etiamnum vegetus esset et valens memoria rerum præteritarum) primo, B frequenter se vidisse ossa S. Antonini, olim episcopi Carpentoractensis, deposita in arca inaurata cum quatuor vitreis, quæ servabatur in armario prope [*altare* *] ecclesiæ superioris Beduinensis : combusta illa fuit per Calvinistas, quando jam attigerat ætatem viginti quinque annorum. Arca illa portabatur in turma supplicantium, quæ procedebat in pervigilio Ascensionis Domini nostri, et in festo S. Antonini die 13 Septembris ; quando mulieres curabant, ut arca vestes ipsarum contingeret, et sub illa transibant. Illud festum vidit semper solemniter admodum celebrari a populo et incolis Beduinensibus, semperque audivit ab omnibus majoribus suis, istud festum eodem semper modo celebratum fuisse, sicut etiam, oppido Beduino S. Antoninum memoratum constanter pro Sancto protectore fuisse, idque semper vidit observatum. Dixit præterea, a memoratis Calvinistis confractam fuisse crucem, quæ erat in sacello Sanctæ Crucis, et in qua erat ex ligno sanctæ Crucis. Omnia dixit, præsentibus Spirito Rey Beduinensi et Ludovico Thomas ejusdem oppidi, qui subscripserunt præter testimonii auctorem, qui expressit signum suum. Hic etiamnum re- C cordatus est, quod, quando dicta ossa circumferebantur in festo S. Antonii *, adessent tubæ, quæ eas comitabantur. P. De Florens deputatus. Ludovicus Thomas præsens. Spiritus Rey præsens. Ita subscripti in authentico. *Huc usque Acta inquisitionis, ad quæ modo nonnulla observare oportet.*

* *Non est in apographo*

* *sic in apographo*

Nonnulla de datis Actis, et servata.

33 *Primo fideliter expressi exemplar nobis exscriptum, quod testimoniis debitis, ut ante dictum, et sigillo munitum fuit. Titulos singulis testimoniis præfixos dedi, nec omisi verba singulis subjuncta.* Ita subscripti in authentico, *etiamsi hæc videantur solum addita ab eo, qui exscripsit. Quod spectat ad ipsas subscriptiones, semel iterumque adverti, unius nomen ex iis, qui subscripsisse dicuntur, non inveniri subscriptum in apographo. Idne contigerit, quia credebantur subscripturi, et postea non subscripserunt, an vero quod inter exscribendum aliquorum nomina sint omissa, non decido ; et nihil nostra interest; cum ea, quæ in his Actis fidem merentur, abunde sint testata ; alia vero, quæ spectant ad traditiones populares, paucorum subscriptionibus magis probabilia fieri nequeant. Hinc signa eorum, qui nesciebant scribere, etiamsi in apographo habeantur, etiam prætermisi De interpretatione latina id noverat lector studiosus, in ea minime quæsitum esse sermonis nitorem, sed verbis Gallicis latina plerumque substituta ; et sensum saltem fideliter expressum, ubi perturbata nonnihil erat dictio gallica ; non tamen ubique adoptata fuisse barbara notariorum verba, quando* E *verbis latinis res poterant exprimi. Nunc videamus, quid ex allegatis Actis pro cultu aut gestis* S. Antonii *vel* Antonini *haurire valeamus.*

Ex iis certa fiunt plurima de cultu apud Beduinenses,

34 *Primo consentiunt omnes testes de celeberrimo* S. Antonini *cultu, tamquam Patroni Beduinensium, aut certe nullus dissentit, etiamsi alii de eo plura dixerint, alii pauciora. Ex eo consensu certum fit,* S. Antoninum *a sæculis Beduini fuisse patronum, festum ejus constanter ibidem* 13 *Septembris celebratum cum obligatione audiendi Missam et abstinendi ab opere servili, et cum solemni supplicantium per oppidum processu, in quo Sancti ossa circumferebantur, antequam erant combusta, sive usque ad annum* 1562. *Secundo consentiunt ita testes, ut nullus saltem contradicat, sacra* S. Antonini *ossa in ecclesia Beduinensi fuisse servata, donec comburerentur a Calvinistis. Annum, quo patratum est istud sacrilegium, in suo testimonio expressit Simon Fillieul num.* 6, *dicens id contigisse anno* 1562, *eique consentiunt tres ecclesiæ Beduinensis presbyteri num.* 22. *Alii plures dixerunt, qua ferre essent ætate, dum flagitium istud peractum est. Ex collatione autem annorum, quos habebant anno* 1624, *et quos tem-* F *pore combustionis se habuisse crediderunt, omnino colligitur, illum annum aut verum esse aut vero proximum. Nam Joannes Triboulet, qui anno* 1624 *agebat annos octoginta et quatuor, sibi num.* 9 *tribuit annos viginti duos, dum ossa fuerunt combusta, et sic assignat ipsum annum* 1562, *ut liquet ex subductione.*

ubi et combustio ossium per Calvinistas, facta anno 1562.

35 *Alii dixerunt, rem factam tempore Baronis Des Adrets, impietatibus suis notissimi ; et ducem manipuli, a quo sacrilegium patratum est, fuisse centurionem Mouvans, et de utroque sic plerique consentiunt, ut nullus contradicat. Constat autem, Franciscum de Baumont, baronem Des Adrets, anno* 1562 *bellum Catholicis et rebus sacris intulisse, partesque Galliæ Alpibus vicinas late percurrisse, ut de uno non sit dubitandum. Hinc liquet, corrigendum esse, quod in litteris, de* S. Antonino *num.* 3 *datis, dicitur :* Jactura harum reliquiarum facta certo non est ante annum 1610, quando dominus de Montbrun cum Calviniano suo manipulo in hasce partes primum excurrere cœpit. *Omnia testimonia confirmant, combustionem esse multo vetustiorem, et per aliam Calvinisticæ*

A *Calvinisticæ factionis ducem fuisse patratam. Ex iisdem rursum tollitur suspicio, quæ ibidem num.* 3 *insinuatur, sed non admittitur ut satis probabilis, nimirum caput* S. Antonini *in civitate Carpentoractensi servari. Nam testes plerique asserunt, caput fuisse Beduini, illudque se vidisse multi adjungunt; nec ullus contradicit ex testibus.*

Ex iisdem colligitur, caput Sancti in eadem arca.

36 *Verumtamen de capite, brachio, reliquisque ossibus* S. Antonini *non tam exacte testes consentiunt, ut nihil de iis supersit dubii. Nam Joannes Triboulet, testis quintus, num.* 9 *asseruit contra aliorum consensum; caput Sancti non fuisse in arca majori cum reliquis ossibus corporis, sed servatam fuisse in theca particulari juxta altare majus; et num.* 10, *ubi loquitur de reliquiis circumferri solitis in festivitate Sancti, solum nominat caput, et aliis ossibus silet. Præterea alii quidam testantur, brachium Sancti seorsum fuisse servatum, de quo silet Joannes Triboulet. Quapropter, etiamsi annos viginti duos testis ille habuerit, quando combusta sunt Sancti ossa, necessario dicendum videtur, aliquid ipsi confusionis obrepsisse in recte distinguendis duabus thecis reliquiarum* S. Antonini. *Etenim omnes alii testes,* B *qui nominatim de capite meminerunt, asseruerunt, istud in arca majore fuisse cum corpore, nimirum primus Claudius Bernard; octavus Pontius Arlor, addens brachium particulariter fuisse elevatum, cujus testimonium mox ab aliis quatuor, et deinde a pluribus fuit confirmatum; eademque iterum num.* 25 *asseruit Magdalena Marchande, et alii fere omnes testes posteriores, ut in eorum testimoniis videri potest.*

cum corpore fuisse, brachium vero in altera.

37 *Præterea Joannes Triboulet thecam capitis eo loco servatam fuisse dicit, nimirum ad latus majoris altaris, ubi alii testes majorem thecam, quæ caput simul continebat et corpus, servatam fuisse dicunt : corpus vero collocavit super altare majus, de quo nullus testis consentit. Idem rursum asserit, caput in festo* S. Antonini *circumlatum fuisse : quod alii omnes rursum asserunt de corpore simul et capite, eadem arca contentis. Quapropter errasse videtur occasione brachii seorsum servati, quod crediderit corpus fuisse, sive fallente senili memoria, sive quod in juventute maxime respexerit ad caput, illudque solum in illa theca esse tunc crediderit, aut postea in memoria retinuerit; et inde corpus tribuerit alteri thecæ, cui* C *solum os brachii, multis annulis in digitis ornatum, tribuunt alii. Quæcumque fuerit erroris causa, errasse credendus est, cum unius testimonium consensui aliorum cedere debeat. Durandus in litteris, quas his Actis adjunxit, testatur, se in tabulario Beduinensi reperisse indicem reliquiarum Beduinensium, conscriptum anno* 1521, *sed a nemine subscriptum, in quo asseritur, ossa* S. Antonini *fuisse reperta in armario prope altare majus; caput vero in sacrario. At, si revera anno* 1521 *caput erat seorsum in sacrario, potuit deinde cum corpore conjungi. Quidquid sit, omnia testimonia seniorum consentiunt, caput ibidem fuisse : multi etiam testantur, sæpius in ignem fuisse injectum, priusquam potuit comburi; nec tamen ullus clare asserit, usque ad finem mansisse incombustum.*

Ex iisdem probabilis fit Sancti episcopatus : at reliqua incerta,

38 *Quod modo spectat ad testimonia, quæ referunt seniorum traditiones de patria et vita* S. Antonini : *illud unum satis probabile in illis mihi apparet, quod plerique testantur, fuisse episcopum Carpentoractensem. Cum enim ab omni hominum memoria Beduini in diœcesi Carpentoractensi cultus fuerit ut confessor pontifex, antiquissima et verisimillima fit ista traditio, eique aliunde nihil opponi potest. Quæ vero ab aliquibus asserta sunt de Vienna ejus patria; de causa, ob quam eam reliquisset; de habitatione in oppido Beduino; de studiis Carpentoracte peractis; de relicto ante obitum episcopatu, et de vita solitaria; non habenda sunt ut satis firma aut probabilia. Etiamsi enim revera patriam habere potuerit Viennam, et nonnulla alia ex dictis vera esse possint, saltem non satis probata sunt omnia ista : et sic pro incertis populi traditionibus haberi tantum debent.*

et ex iis nonnulla ne verisimilia quidem,

39 *Minus etiam de se credibilia sunt, quæ asseruntur de consanguineis* S. Antonini, *nimirum quod venerint Beduinum, quod ossa Sancti ex terra levaverint et auferre cœperint, quod jumentum a via aberraverit et pergere non potuerit, dum erat in Colliculo* S. Antonii, *eoque tempore æra campana sponte sonuerint; et quod ob tot mirabilia aut ipsi consilium transferendi corpus ultro mutaverint, aut sive per Beduinenses, sive per castri milites, (ut illa diverso modo explicantur a testibus) ossa* S. Antonini *reddere sint coacti. Hæc omnia, inquam, parum aut nihil probabilitatis habent; prout et mirabilia, quæ ad sepulcrum Sancti a nonnullis facta asseruntur, qualia sunt* E *vox et suavis cantus ibi auditus, et equi ad sepulcrum genua flectentes : nam similia facile a populo inveniuntur, nec fidem invenire debent, nisi testimoniis satis vetustis sint probata. At talia non sunt, quæ se solum extendunt ad unum alterumve sæculum, nec talia essent, etsi ad sex aut octo sæcula extendere se possent.*

prout verisimile non sit, brachium Sancti Viennæ, aut caput fuisse Carpentoracte.

40 *Ex iisdem traditionibus similiter ortum videtur, quod asseritur de brachio Sancti consanguineis concesso, et Viennam portato. Durandus in Epistola Actis addita ait, rogasse se patrem Vanbonne, Societatis nostræ presbyterum, qui Lugdunum proficiscebatur, ut Viennæ inquireret, an aliquid aut de illo brachio aut saltem de* S. Antonino *apud Viennenses reperire posset; egisse revera Patrem cum illustrissimo archiepiscopo Viennensi, et hunc inquisitionem commisisse uni ex suis vicariis; sed responsum fuisse, de* S. Antonino *aut eius brachio Viennæ nihil innotuisse. Laudatus Durandus magis etiam in eadem Epistola destruit famam, quæ fuerat de capite* S. Antonini *Carpentoracte in arca S. Siffridi servato. Nam testatur, se vidisse Acta, quæ conscripta sunt, quando Arca S. Siffredi aperta est anno* 1605, *die* F 18 *Maii, iisque inserta fuisse Acta apertionis vetustioris anni* 1285; *neque in his aut illis ullam fieri mentionem de reliquiis* S. Antonini; *neque ullum in cathedrali Carpentoractensi inventum documentum, quod ullas* S. Antonini *reliquias eidem attribuat. Hæc igitur optime consentiunt cum testimoniis Beduinensium de capite et reliquis ossibus Beduini olim servatis.*

Corpus verisimiliter olim fuit in monasterio S. Antonii :

41 *Si modo, neglectis incertis traditionibus, conjecturam facere velimus de corpore* S. Antonini, *nihil occurret probabilius, quam ab initio ibidem sepultum fuisse, verisimiliter in Colliculo* S. Antonii, *qui procul dubio a Sancto nomen accepit. Nam primus testis nonagenarius a majoribus intellexit, Sancti ossa fuisse in illo colliculo inventa, idemque alii quoque insinuarunt, sed fabulas addiderunt. Forte in illo colliculo fuerit* monasterium S. Antonii de Beduino, *de quo meminit Alexander IV verbis num.* 2 *datis. Certe varii testes asserunt, ecclesiam Beduinensem olim alio fuisse loco, quam quo erat ecclesia parœcialis S. Petri, quando fiebat inquisitio. Itaque* monasterium S. Antonii de Beduino, *in quo verisimiliter erat*

AUCTORE J. S.

erat corpus sæculo 13, sive tempore Alexandri IV, postea destructum fuerit, illique forte substituta parœcialis S. Petri ecclesia. Potest tamen etiam suspicio oriri de loco, qui tempore inquisitionis dicebatur, Beata Maria de Monasterio, *videlicet ibidem fuisse* S. Antonii monasterium, *quia aliqui testes asseruerunt, antiqui monasterii rudera ibi superfuisse. De rebus tam obscuris nihil certi potest asseri.*

de aliquot locis memoratis.

42 *Cur toties fiat mentio de sacello Sanctæ Crucis, non satis intelligo, nisi forte aliqui crediderint, in eo olim requievisse corpus* S. Antonini. *At illa suspicio, si qua fuit, satis refutatur testimoniis eorum, qui asseruerunt, non esse admodum vetustum, et ædificatum circa annum* 1500. *Notatum est istud sacellum apud Blavium in tabula comitatus Vindascini, prope ad duo milliaria Gallica a Beduino in summitate montis, qui ibidem* Mont Ventoux, *hic* Mont Ventour *vocatur.* Flassan *vicus aut oppidum, ubi aliqui Sanctum obiisse dixerunt ex incerta traditione, notatur apud Blavium eodem fere intervallo a Beduino et a sacello Sanctæ Crucis.*

Cultus S. Antonini in vico Malemort.

43 *Quæ dicta sunt de cultu* S. Antonini *in vico Malemort, ulterius illustrat Durandus in Epistola, ubi gallicæ scribit, quæ reddo latine.* B Quandoquidem S. Antoninus ab aliquo tempore colitur in vico Malemort diœcesis Carpentoracensis, interpellavi dominum François, Priorem illius parœciæ, et unum ex vicariis generalibus diœcesis, ut instruerer de rebus ad eum spectantibus. Respondit per litteras, 18 Julii anni 1746 datas, exstare sacellum, anno 1691 ædificatum ad honorem S. Antonini in territorio Malemortensi : de miraculo hominis cæcitate percussi, quia destruxerat oratorium Sancti, et postea illuminati, quando lapides ablatos restituebat, non constare ex Actis publicis, sed solum ex traditione; nec poterat asserere, an legitima esset traditio. *Sic ille de miraculo, quod notitiæ prius nobis missæ dicebant publicis Actis confirmatum. Attamen non tantum temporis effluxit ab ædificato sacello usque ad nostra tempora, ut nullam fidem mereatur traditio rei tunc, ut dicitur, peractæ. Pergit Durandus :* Scribit porro mihi dominus François, in parœcia sua magnam esse devotionem erga S. Antoninum, effectus protectionis ipsius sæpe compertos fuisse in calamitatibus publicis, ejus patrocinio impetratam cessationem febrium tertianarum et quartanarum in tempore, quo parochiani illis affligebantur, et pluviam illis raro deesse, quando illam ipsius intercessione flagitant. *Plura lectori de* S. Antonino *communicanda non habemus.*

NOT. XIV.

AD DIEM XIV SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

De Austrulfo abbate.

Austrulfus *abbas Fontanellensis, tamquam venerabilis, memoratur apud Castellanum in Addendis pag.* 980. Sanctus *vocatur in Gallia Christiana Sammarthanorum, et* Beatus *in Gallia Christiana recusa. Vita ejus edita est apud Mabillonium in Actis Sanctorum Benedictinorum Sæc.* 3, *part.* 2, *pag.* 133, *sed solum ut Venerabilis.*

Leotherico monacho.

Leothericus *monachus Cormaricensis in Turonibus apud Castellanum sequitur, similiter ut* venerabilis, *annuntiaturque* Veduntæ, *et sepulcrum populi accursu honorari dicitur. Hujus quoque vita edita est a laudato Mabillonio sæc.* 6, *part.* 2, *pag.* 904, *sed scripta est ab auctore recentiore, Joachimo Perionio, erudito ejusdem loci monacho.* Beatum *Mabillonius vocat* Leothericum, *negat tamen cultum ejus publicum, ut nos hic utcumque hærentes efficiat, et de culta late dicto dubitantes. Ultima vitæ brevissimæ verba hæc* C *sunt :* Excessit e vita in villa Vedunta 18 Kal. Octobris, prima luce, anno post Christum natum 1099. Cujus funeri interfuerunt canonici fere omnes Turonenses, pontifex Turorum, abbatesque permulti, aliique viri et fœminæ omnium ordinum innumerabiles. Humatus est in cœnobio Cormariceno in sacello beati Nicolai. Ejus sepulcro arcus additus est, isque usque ad annum 1545 mansit. Multis autem post mortem miraculis claruit : quod etiam tumulus exesus derasusque declarat. *Ita scriptor post annum* 1545, *abstinens a titulo* Beati, *et nullum nominatim recensens miraculum. Mabillonius autem Monitum prævium his verbis concludit :* Ceterum nullo publico cultu celebratur, frequentatur tamen a populis circumstantibus vetus tumba eius lapidea, quæ in navi ecclesiæ Cormaricensis pæne exesa etiamnum visitur. *Hæc nobis cultum publicum, etiam late dictum, non faciunt certum : nam et aliorum sepulcra sic frequentari privata devotione novimus; neque tamen* Beatorum *titulum iis adscribimus.*

NOT. XV.

AD DIEM XV SEPTEMBRIS PRÆTERMISSIS.

Antonio le Quieu Dominicano.

Venerabilis Antonius le Quieu, *vir celeberrimus ex Ordine Prædicatorum, memoratur a Castellano ad hunc diem in Supplemento pag.* 708. *Vita ejus data est apud Carolum a S. Vincentio in Anno Dominicano ad hunc diem, ubi nominatur* Antonius a S. Sacramento, *diciturque obiisse anno* 1676, *ut necessarium non esset* Antonium *Prætermissis inserere, cum non memoremus omnes Venerabiles. At, postquam variis exemplis edocti sumus, a Castellano non paucos vocari* Venerabiles, *qui legitimo cultu honorantur, statuimus tandem omnes eo etiam titulo ab ipso memoratos aut in Sanctos vel Beatos, aut saltem inter Prætermissos recensere. Hæc ratio est, quod modo nonnulli producantur, quos non ignoravimus, sed cognitos prætermisimus, quod solum vocarentur* Venerabiles. *Idem tamen non faciemus de illis Fastis recentioribus, in quibus multi simul venerabiles aut pii coacervantur.*

AD

A

AUCTORE J. S.

NOT. XVI.

AD DIEM XVI IN PRÆTERMISSIS.

et Vitale abbate jam dato.

Vitalis, *abbas Saviniacensis, ut* Venerabilis *memoratur a Castellano in Addendis et corrigendis ad hunc diem pag.* 980. *De* Vitale, *tamquam Beato, actum est apud nos, ubi in Operis Supplemento cultus, utcumque ambiguus, latius examinari poterit, die* 7 Januarii.

NOT. XVII.

AD DIEM XVIII SEPTEMBRIS.

De Martyribus ignotis.

P*ag.* 759 *adde sequentia :*

Austorgii episcopi, Trophimi et Ovantii martyrum *meminit Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico, tamquam passorum in Hispania* in persecutione Domitiani imperatoris. *At nihil allegat præter monumenta supposititia, nimirum Chronicon Flavii Dexteri, et Epigramma Auli Hali. Nam quæ præmittit ex Petro de Natalibus, spectant ad solum* Trophimum, *cum duobus aliis ibi non recte conjunctum, ut infra dicetur. Itaque Hispanos illos martyres omnino ignoramus.*

Marci Maximi *memoria cum titulo* Beati, *tamquam* Maximi *episcopi Cæsaraugustani, qui idem esset cum* Marco *S. Benedicti discipulo, apud laudatum Tamayum sequitur. Fatetur tamen in Annotatis,* Marci Maximi, *aut potius* Maximi *Cæsaraugustani nomen necdum* in albo Sanctorum conscriptum, *ut neque Tamayi esset, nec nostrum sit,* Maximo *illum honorem concedere, aut* Beati *titulum dare. De* Maximo *Cæsaraugustano consuli potest Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana vetere tom. I, lib.* 5, *cap.* 5, *ubi docet, distinguendum esse a* Marco *S. Benedicti discipulo, quocum perperam confunditur.*

B

NOT. XVIII.

AD DIEM XIX SEPTEMBRIS.

Pauca corrigenda.

I*n Commentario prævio de* S. Januario *pag.* 781 *num.* 92 *pauca veniunt corrigenda, quæ ibidem festinanter dicta sunt de versiculo græco mendose apud Papebrochium nostrum impresso. Nam in Menæis, in quibus syllabarum quantitates frequenter mutantur, sic legitur versiculus :* Ἰαννυαρίοιο χάριν τάμον εἰκάδι πρώτῃ. *Itaque post verba lineæ decimæ,* Mazochius versiculum ita corrigendum dicit; *addendum,* et recte. *Deinde delenda sequentia usque ad verba :* Rectius observat Mazochius, *pro quibus substituendum :* Recte etiam observat Mazochius, *et tunc pergendum.*

NOT. XIX.

AD DIEM XX SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

De Jacobo Tarvisino,

Jacobi Tarvisini, *presbyteri Ordinis Minorum, memoria hac remissa est, sive examen de cultu ecclesiastico, in Prætermissis ad diem* 25 *Aprilis, quia tunc memoratur in Martyrologio Franciscano, tamquam translatus, et mortuus hac die scribitur. Mors* Jacobi *apud Waddingum refertur ad annum* 1225. *At nullum ibi profertur publici cultus indicium, translatio refertur, tamquam facta ab antiquo monasterio ad novum, nec* Beati *titulus* Jacobo *tribuitur. Itaque nihil de cultu* Jacobi *invenimus, et videri possunt dicta in Prætermissis ad* 25 Aprilis.

C

et quodam S. Montano.

S. Montani, *tamquam martyris culti Abbatisvillæ in ecclesia S. Vulfranni, meminit hodie solus Castellanus. Non invenimus in Historia Abbatis-Villæ, quam anno* 1646 *edidit Ignatius Josephus a Jesu Maria, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, vel minimum de sancto illo* Montano, *ideoque nescimus, an ibidem forte colatur aliquis ex pluribus* Montanis *alibi notis. Castellanus ipsum in Sanctorum indice Abbatis-villensem prætermisit, et substituit* Montanum *solitarium, de quo actum est apud nos ad* 17 Maii.

De. S. Agathino ante dato.,

S. Agathinus martyr, et alii quidam *annuntiantur a Castellano in Supplemento ad hunc diem pag.* 709, *ponunturque* Synnadis. *At hi martyres in Hieronymianis sunt, et dati apud nos tom. IV Augusti pag.* 36, *sive ad diem* 20 Augusti.

F

et B. Mauritio abbate dando.

B. Mauritius, *abbas Ordinis Cisterciensis, hodie memoratur apud Castellanum, et* 22 *Septembris apud Henriquez, ibique in Prætermissis remittitur ad diem obitus* 5 Octobris.

NOT. XX.

AD DIEM XXII SEPTEMBIRS IN PRÆTERMISSIS.

Richardus de Tilliaco,

Saliciosæ in Velio-Cassino, in prioratu Canonicorum Regularium venerabilis Richardus de Tilliaco, institutor illius monasterii; *ait Castellanus in Supplemento ad hunc diem pag.* 710.

NOT. XXI.

AD DIEM XXIII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

Obolius

Obolius filius justi *memoratur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum.*

Alfwoldus rex,

S. Alfwoldus, rex Northumbriæ et martyr, ad hunc diem inscriptus est Martyrologio Anglicano primæ editionis, et hujus exemplo, Ferrarii Catalogo generali, *ut observat Henschenius noster in Prætermissis die* 6 *Aprilis. Utroque tamen loco vocatur* Ethelwoldus *pro* Alfwoldo. Verum, *ait,* in secunda editione dicti Martyrologii (*in qua etiam* Alfwoldus *cum antiquis historicis vocatur*)

AUCTORE J. S.

catur) cum approbatione Michaelis Alfordi in Annalibus Anglicanis ad annum 789, numero secundo, transfertur ejus memoria in diem 23 Septembris. *Hæc translatio de die in diem non erat necessaria, si prior die cultus fuisset* Alfwoldus. *Quare ex hac ipsa diei mutatione vehemens mihi oritur suspicio, numquam cultum fuisse* Alfwoldum : *neque enim alia de causa ad 23 Septembris translatus videtur, quam quod historici vetusti dicant, 9 Kalendas Octobris occisum fuisse. Et sane in Martyrologio Anglicano non assignantur antiqua Martyrologia, sed historici, videlicet Guilielmus Malmesburiensis et Simon Dunelmensis, quibus addi possunt et alii. Hinc Alfordi approbatio unice spectat ad diem, quo memoratur : nam cultum ipse non magis probat, quam Wilsonus martyrologus. Audiamus historiographos citatos. Malmesburiensis lib.* 1 *de gestis Anglorum cap.* 3, *pag.* 26 Alfwoldi (*qui* Coelwoldus *in textu legitur*) *mortem narrat, ubi dicitur* sine culpa trucidatus, *et pro ratione additur :* Quod et celebris apud Haugustaldum sepultura, et divina prætenderunt miracula. *Plura offert Dunelmensis in Chronico ad annum 788 ita scribens :* B Anno 788 Elfwaldus rex, conjuratione facta ab ejus patritio Siegan nomine, miserabili occisus est morte 9 Kal. Octobris in loco, qui dicitur Scythlescester juxta murum. Corpus vero eximii regis ad Hegstealdesige cum magnis monachorum cuneis et clericorum cantilenis perlatum est, et in ecclesia sanctissimi Andreæ apostoli honorifice sepultum est.... In loco vero, quo Elfwaldus rex justus interfectus est, cœlitus lux emissa dicitur videri a plurimis. Constructa est ibidem ecclesia a fidelibus illius loci, atque in honore Dei, et sanctorum Cuthberti episcopi et D Oswaldi regis et martyris consecrata. *Ita Dunelmensis, qui verisimiliter explicat, quid Malmesburiensis intelligat per* miracula, *videlicet lucem cœlitus emissam in loco cædis visum.*

Cultu probabilius carens.

Nihil igitur ex his habemus pro cultu probando : nam quod ecclesia in loco cædis constructa est, non facit ad cultum Elfwaldi *aut* Alfwoldi, *cum illa aliis sit dicata. Eadem paulo brevius habet Westmonasteriensis ad annum* 789, *ab eoque nomen occisi regis* Alfwaldus *effertur. Quapropter in Historicis nihil invenio ad cultum* Alfwoldi *aut* Ethelwoldi *regis asserendum. Nonnullam tamen de cultu ejus suspicionem ingerere potest, quod legitur apud Sollerium nostrum ad 11 Januarii in Auctariis Usuardi ex codice Altempsiano, qui sic habet :* In Britannia, apud Leoministiam, passio Ethewoldi regis. *At hæc ipsa verba aliunde favorabilia non sunt, quod nomini regis non addatur titulus* Sancti : *nam considerando nonnihil additiones illius codicis animadverti, titulum* Sancti *aut* Sanctorum *nominibus passim esse additum, ut illius omissio hic innuere videatur, agnitam non fuisse sanctitatem* Alfwoldi. *Ferrarius quidem laudat tabulas ecclesiæ Dunelmensis,* ubi conditus E *colitur, inquit. At scriptor ille passim citat tabulas, sed ex mera sæpe conjectura, quantum videtur, nec similibus ejus dictis fidere possumus. Quapropter cultus* Alfwoldi *regis minus probabilis videtur, et saltem dubius est.*

Ut et Leofrona abbatissa.

Leofrona, *abbatissa monasterii S. Mildredæ in Anglia, ad hunc quoque diem remissa fuit. At de ejus cultu nihil haberi, jam vidimus, et latius probabimus ad diem, quo reproducitur,* 4 *Oct.*

NOT. XXII.

AD DIEM XXVII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

Cultus S. Amedæi episcopi.

De S. Amedæi, *aut Amadæi, ex Ordine Cisterciensi Lausannensis episcopi, cultu dubitanter ibi disseritur, quod ad hunc diem olim deposita fuissent documenta ad illum spectantia. Attamen de cultu nullum modo est dubium. Nam sacra Rituum Congregatio Ordini Cisterciensi* indulsit posse recitari sub ritu duplici Officia S. Amadei episcopi Lausannensis et confessoris die C 28 Januarii, *etc, atque illud decretum cum aliis multis confirmavit Clemens XI, summus Pontifex per bullam, datam 25 Septembris anni 1710, quæ videri potest in Bullarii Romani Continuatione Luxemburgensi part.* 6, *pag.* 487. *Id ipsum apud nos jam fuerat annotatum ad 28 Januarii, quo istud Officium legitur in Officiis propriis Monialium Cisterciensium Romæ approbatis, et Molinis anno 1739 impressis, imo etiam* S. Amadæus *eodem die memoratur in Martyrologio Ordinis Cisterciensis, quod post recusum Romanum dedit Benedictus XIV. At diei mutatio fecit, ut solum consideraverimus documenta, diu ante ad hunc diem deposita, et non respexerimus ad 28 Januarii,* F *quo olim non fuerat memoratus. Dabuntur itaque Acta* S. Amedæi *in Supplemento Operis ad 28* Januarii.

NOT. XXIII.

AD DIEM XXVIII SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

S. Martha ante data.

Martha soror Lazari *ad hunc diem memoratur in Fastis Æthiopum apud Ludolfum. De* S. Martha *actum est ad* 29 Julii.

APPENDIX

A

APPENDIX AD DIEM XVII AUGUSTI.

DE S. DONATO MONACHO BENED.

CONGREGATIONIS MONTIS-VIRGINIS

IN PRINCIPATU CITERIORI REGNI NEAPOLIS,

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Ratio, cur hic de S. Donato agamus : Officium et Missa de illo a sacrorum Rituum Congregatione approbata et concessa : memoria in Martyrologiis : scriptores Vitæ tantum recentiores.

B E

MCXCVIII Sanctus hic, quod de cultu non constaret, ad 17 Augusti prætermissus,

Majores mei sanctum hunc Confessorem, cujus cultum non noverant, dubiumque reddiderat Philippus Ferrarius, ad diem 17 Augusti, tomo III ejus mensis, pag. 416 in Indice Prætermissorum cum sequenti monito reposuerunt.* Donatum monachum Petinensem, Ordinis Montis Virginis refert hoc die Ferrarius in utroque Catalogo, in prior monens, a Winne quidem asseri, quod Sanctis adscriptus sit, sibi vero id « incertum esse, quod nondum illum » monachi Montis Virginis Officio ecclesiastico colant. » Si cultus subinde Romæ indultus fuerit, cupimus moneri, ut alio loco eum referamus. *Hactenus illi circa annum 1737, quo tomus iste in lucem prodiit. Legerat hæc reverendus pater dominus Matthæus Jaccutius, ejusdem Congregationis Virginianæ monachus, et in collegio S. Agathæ de Urbe institutionum divinarum professor ; isque cum humanissimis litteris, die 15 Novembris anni 1758 ad nos Roma datis, transmisit illius Officium ac*

C

Missam, decretumque, quod pro eorumdem approbatione extensioneque eodem anno 1758 a sacrorum rituum Congregatione impetratum fuerat.

Eodem die colitur in Ordine suo

2 *Adjecit et quosdam notitias de gestis illius, quas ex variis neotericis, qui Vitam ejus scripserant, aliterve de eodem meminerunt, excerpsit, simulque amice postularit, ut, quam ad diem 17 Augusti, dedimus, fidem, apto Operis nostri loco liberaremus. Nos igitur, cum ut humanissimo viro totique ejusdem sacræ Congregationi gratificemur, tum maxime ut nostram quoque operam ad* S. Donati *gloriæ incrementum conferamus, in hujus mensis Septembris jam ad finem perducti Appendice pauca, quæ de illo novimus, libenter proferemus. Ordior ab ipso Officio ecclesiastico ac Decreto sacrorum rituum Congregationis, quæ prout typis reverendæ cameræ Apostolicæ Romæ edita et ad nos transmissa sunt, pro antiquo recentiorique cultu, seu cultus augmento, probondo, simul ac pro ejusdem Vitæ certiori compendio hic subjungo.*

Missa et Officio,

3 *Sic ergo habet* : Die 17 Augustini in festo sancti Donati confessoris, Congregationis Montis-Virginis, Ordinis sancti Benedicti. Duplex 2 Classis. Pro monasterio nullius S. Honuphrii de Massa : pro reliquis vero præfatæ Congregationis monasteriis, die ac ritu, qui in subjecto Sacræ Rituum Congregationis Decreto designatur. Omnia de Communi conf. non pontif. præter Orationem, et Lectiones secundi Nocturni, quæ sequuntur. *Oratio.* Sanctorum tuorum gloria, omnipotens Deus, qui beatum Donatum confessorem tuum præclaris vitæ meritis et virtutum exemplis decorasti, concede, ut et suum in terris patrocinium et tuum in cœlis præmium consequi mereamur. Per Dominum nostrum etc. Lectiones 1 Nocturni. Justus : *nimirum ex Communi confessoris non pontificis primo loco* : Justus si *etc.*

cujus lectiones propriæ

4 *In secundo Nocturno. Lectio I.* Donatus Ripæcandidæ in Lucania ortus, quintodecimo ætatis anno Benedictinum Congregationis Montis-Virginis amplexus est institutum in Lucano cœnobio, quod S. Honuphrii de Massa usquemodo vocatur. Singulare in eo fulsit perficiendæ Regularis obedientiæ studium, eximia divinæ contemplationis assiduitas, ardorque jugis circumferendi mortificationem Jesu Christi in corpore suo. Quocirca tam is propere visus fuit de virtute in virtutem proficere, ut, vix expleto monasticæ professionis triennio, ipsius sanctitas suorumque mirabilium gestorum fama perquam longe lateque celebraretur. ℟ Honestum fecit illum etc.

recitantur, et assignatur Missa.

5 *Lectio II.* Sed postquam ita consummatus in brevi explesset tempora multa, et placita esset Deo anima ejus, undevigesimo ætatis anno, Christianæ autem æræ millesimo centesimo nonagesimo octavo, die decimaseptima Augusti ad præmia Beatorum vocatus est. Sacrum Donati corpus magno fuit finitimorum populorum concursu ac veneratione elatum ; et ad hæc usque tempora peculiari eum colunt pietate principalisque patroni titulo Auletani, qui præsentissimam

AUCTORE C. S.

sinam ipsius opem nunquam sibi apud Deum defuisse fatentur. Amavit eum Dominus *etc. Subduntur duæ aliæ Lectiones pro eodem secundo Nocturno ex Sermone* 2 *S. Bernardi abbatis de S. Victore* : Gaudete in Domino, dilectissimi *etc., quas, quia exstant in Octurario Romano, prætermitto. In Nocturno* 3 *præscribitur Homilia venerabilis Bedæ presbyteri in Evangelium Lucæ* : Nolite timere pusillus grex, *de Communi secundo loco. Deinque dicitur Missa* : Justus, ut palma florebit, *ex eodem Communi cum Oratione ut supra.*

quæ an. 1758 a Sac. rit. Congreg. etiam pro Auletanis probata fuere

6 *Sequitur Decretum his verbis conceptum.* Decretum. Compsana, sive Ordinis sancti Benedicti Congregationis Virginianæ. Suprascriptas Orationem, et Lectiones proprias in secundo Nocturno recitandas, ac Missam pariter celebrandam in memoriam beati Donati monachi Congregationis Virginianæ a Sacrorum Rituum Congregatione Eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Sacripanti Ponenti commissas, et ab eodem diligentissime examinatas, atque audito etiam R. P. D. Benedicto Veterani Fidei Promotore, ejusque sententia in scriptis accepta; Sacra eadem Congregatio ad humillimas preces P. D. Adeodati abbatis Caridei procuratoris generalis Congregationis Benedictinæ Montis-Virginis, et cleri terræ Aulettæ diœcesis Com- B psanæ ad cultum ejusdem Beati promovendum rescripsit : Pro gratia approbationis præfati Officii proprii, et Missæ, recitan., et respective celebran. die decimaseptima Augusti sub ritu duplicis secundæ Classis a clero Seculari et Regulari terræ Auletæ diœcesis Compsanæ, et in monasterio S. Honuphrii de Massa diœcesis Montis-Virginis, in quo obiit Beatus, necnon in cæteris monasteriis Congregationis Montis-Virginis, die tamen prima non impedita post diem decimamseptimam Augusti sub ritu duplicis minoris. Die 25 Februarii 1758.

Loco ✠ Sigilli.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

M. Marefuscus Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Auletæ in regno Neapolitano

7 *Ex hisce in primis duo ad propositum nostrum dicimus; vetustum scilicet* S. Donati *cultum, et recentiorem, seu cultus extensionem. Vetustum, ac insignem quidem, indicant illa Officii verba* : Sacrum Donati corpus magno fuit finiC timorum populorum concursu ac veneratione elatum; et ad hæc usque tempora peculiari eum colunt pietate, principalisque patroni titulo Auletani, qui præsentissimam ipsius opem nunquam sibi apud Deum defuisse fatentur. *Leander Albertus in Descriptione Italiæ Auletam in Mediterraneis Lucaniæ recenset ac simul situm sic indicat.* Parte hac Lucaniæ inter oram litoralem ac montes, qui Appulos spectant, Hirpinorumque partem, a Silaro ad Orientem versus incedendo, sylva perinfamis occurrit, Eboli dicta .... Dein itinere dextra ejus viæ, quæ ducit ad Calabros, in collibus Sera castellum, a Salerno milliaribus 2 et 20 distans. Inde secundum Apenninum duo millia ad Pistilionium : hinc sena Castellutium, ultraque tribus millibus Ciciniánum : ab hoc quaternis Petina abest, exinde totidem Auleta.

colitur tamquam patronus principalis.

8 *Consentiunt Tabulæ geographicæ Blaevianæ, in quibus eadem fere distantia Petina et Auleta reponuntur; sed Petina ad sinistram fluminis Nigri, Auleta vero in ripa dextera, utraque in hodierno Principatu Citeriori, qui inter mare Tyrrhenum ab Occasu et Basilicatam provinciam ab Ortu interjacet, veterisque Lucaniæ pars est. Hæc eadem etiam infra usui erunt, ubi de Petina, circa* D *quam Sanctus monachus vixit obiitque, sermo erit. Compsa, in cujus diœcesi Auleta esse dicitur, Italis Conza, urbs archiepiscopalis est principatus Ulterioris ad radices montis Apennini, nec procul ab hujus fontibus sita. Quod autem Auletani S. Donatum principalis patroni titulo coleudum sibi adsciverint, causæ esse potuerunt tum Petinæ viciuitas, tum insignes ejusdem Sancti reliquiæ, brachium videlicet, quod Auletæ saltem aliquando religiose asservatum fuisse dicemus, quamvis modum, quo ibidem acceptum fertur, commentitium censeamus.*

Cultus ejus alibi.

9 *Vix dubium est, quin in suo S. Honuphrii monasterio, Auletæ ex dictis proximo, antiquum aliquem cultum habuerit, etsi ad hunc probandum mihi non suppetant instrumenta. De ejusdem quoque cultu apud Ripam Candidam, ubi natus est, et corpus ejus quiescere dicitur, meminit Philippus Ferrarius, cujus verba mox dabo. Ceterum cultus ejus magnum incrementum cepit anno* 1758, *ut liquet ex prælaudato decreto, in quo ejusdem Officium et Missa, retento obitus ipsius die* 17 *Augusti, pro S. Honuphrii monasterio de Massa, totoque clero Seculari ac Regulari Auletæ sub ritu duplicis secundæ classis, reliquis vero omnibus Congregationis Virginianæ monasteriis sub ritu duplicis minoris, prima die non impedita post præcitatam* 17 *Augusti (quæ Octava S. Laurentii est) a sacrorum rituum Congregatione concessa* E *fuere. De sancti corporis ad Ripam Candidam translatione aptius agam infra; hic autem pro more nostro addam aliquot martyrologos, qui* S. Donati *memoriam dudum ante hanc cultus extensionem in Fastis suis consignarunt.*

Recensentur aliquot Martyrologia

10 *Arnoldus Wion in Ligno vitæ lib.* 3 *ad diem* 17 *Augusti sic habet* : Eodem die, natalis S. Donati, monachi Ordinis Montis Virginis, miraculorum gloria et sanctitate clari. *In Annotatis addit* : Res ejus gestas descripsit Thomas Costo in libro de Origine patrum Montis Virginis, et hac die migrasse refert anno ætatis suæ 19. *Priora Wionis verba descripsit Hugo Menordus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti, nec ad ea quidquam observandum habuit. Longius elogium de illo texuit Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, hic tamen non referendum, quia non alia continet gesta, quam quæ inferius discutiemus. Eadem de causa prætermitto* F *ejusdem Vitæ compendium, quod Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Paulo Regio Vici Equensis episcopo recensuit. Brevior est in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, ubi ait* : Ripæ Candidæ in Lucania, B. Donati monachi Montis Virginis.

quibus ad diem 17 Augusti inscriptus est.

11 *Ibidem in Observationibus laudat Wionem, et, quem hic secutus est, Thomam Costo, sed de cultu prætera ait* : Corpus Ripæ Candidæ quiescit, ubi venerationem habet in Lucania apud Saponariam opp. inde 4 m. p. Tricaricum versus ad 12 distantis. *De Ripa Candida, quæ in Basilicata regni Neapolitani provincia sita,* S. Donato *natalis, non emortualis, locus fuit, et ad quam sacrum ejus corpus translatum fuisse dicetur, agam postmodum; sed non ausim certa affirmare, quem locum Ferrarius per* Saponariam *hic indicare voluerit, cum* Saponara *oppidum alibi quidem in Mappis geographicis reperiam, sed non eo in loco, quem ille hic assignavit. Sed dum ipse* Donatum monachum Montis Virginis *appellat,* monachum Congregationis Montis-Virginis *intellige, non celebris illius loci incolam : non enim in Monte-Virginis, primario*

A *primario illius instituti cœnobio, sed in S. Honaphrii* S. Donatus *monasticam vitam orsus et ad mortem usque professus est; uti Ferrarius ipsemet in Catalogo Sanctorum Italiæ agnoscit.*

Nulla antiqua Acta ejus exstant:

12 *Scriptores vitæ ejus non habemus, nisi neotericos, quorum antiquiores annis circiter quadringentis post Sancti obitum floruere. Horum primus, quem viderim, Felix Renda, Congregationis Montis-Virginis monachus, et synonymi monasterii Neapoli Prior, inter alias lucubrationes suas etiam vitas SS. Guilielmi Congregationis institutoris, Amati episcopi Nuscani, et Donati nostri latino sermone a se conscriptas Neapolitanis typis anno* 1581 *vulgavit. Insigne de hoc Renda testimonium dedit Carolus Tapia, marchio Bellomontensis, in Opere nostro relatum tom. VI Augusti, pag.* 701, *occasione dictæ vitæ S. Amati ibidem recusæ. Rendæ synchronus Thomas Costo, civis Neapolitanus, Historiam de Origine Montis-Virginis, in eaque* S. Donati *vitam, a se prius editam et secundis curis recognitam italice edidit Venetiis anno* 1591. *Secundam editionem in Museo nostro tantum habemus: primam factam suspicor anno* 1585, *quo epistola dedicatoria, etiam secundæ* B *præfixa, signata est.*

quæ vero quarto sæculo post illius obitum

13 *Ille in Prologo lectorem monet, hanc Historiam opus esse Vincentii Verace, Montis-Virginis cœnobitæ, a se vero (quod ad vitam* S. Donati *attinet) tantummodo elegantiori stilo comptam, ita volente Vincentio, quod suæ in scribendo phrasi Italicæ diffideret. At sive Vincentio, sive Thomæ Costo illam debeamus, ejusdem auctor conqueritur de veterum scriptorum silentio, propter quod gesta* S. Donati *ex sola traditione sibi comperta esse, tum in capite, quam in calce vitæ profitetur. Eodem fere tempore, scilicet anno* 1595 *Paulus Regius, Vici Equensis in regno Neapolitano episcopus, italice edidit Opus suum de Vitis Sanctorum ejusdem regni, et in hujus parte* 2, *cap.* 10 *vitæ* S. Guilielmi *etiam* S. Donati *acta recitavit. Rursum anno* 1643 *Joannes Jacobus Jordanus, abbas generalis sæpe dictæ Congregationis, ejusdem Sancti vitam, a* Felice Renna *ante in lucem editam, panegyrico stilo latiue exornavit et typis excudit. Verisimiliter hic* Felix Renna *alter non est a laudato* Felice Renda; *attamen in Jordani panegyrico quædam leguntur, quæ absunt a nostro* C *Rendæ edito exemplari.*

varii ex traditione de eodem scripsere,

14 *Hi sunt, quorum lucubratiunculæ de gestis* S. Donati *ad me pervenerunt; sed qui omnes longius a* S. Donati *ætate floruere, quam ut sine antiquioribus notitiis illa certo scire potuerint. Nullus tamen eorum ullam vitam vetustam, ullum instrumentum monumentumve laudat; quin etiam Thomas Costo, diserte affirmat, acta illius a nullo veterum tradita fuisse, quæque ipse vel Vincentius Verace memorat, ex sola traditione accepta esse. Verum hæc ejusmodi sunt, ut certiori testimonio, quam sit incerti temporis auctorisque traditio, ad faciendam fidem egeant. Nec aliter censuisse videntur, qui supra datum Officium ecclesiasticum concinnarunt approbaruntque, cum nullum in hoc iisdem locum dederint.*

in hoc Commentario dissentientur.

15 *Quapropter nullam ex dictis Vitis (nam omnes de factis fere consentiunt) recudam; maxime cum e duabus latinis prima, quæ Felicem Rendam auctorem habet, tot scateat vitiis grammaticalibus, ut tædio lectori sit; altera vero, quam oratorio stilo composuit Jordanus, passim verbosior sit, quam vitæ modus requirit, minusque doceat, quam detineat legentem. Attamen ne quis hæc scire frustra desideret, illorum asserta in hoc Commentorio exponam, discutiamque, quæ ex illis pro certis admitti possint, quæ contra pro dubiis vel etiam pro fabulosis haberi. Neutiquam enim verisimile est,* S. Donati *gesta quatuor sæculorum lapsu sic excidisse, ut ne præcipuorum quidem memoria superfuerit in monasterio S. Honuphrii, in quo vixit, obiitque: sed, quod etiam in aliorum Sanctorum Vitis sæpe factum novimus, id hic quoque factum putamus, ut tanti temporis intervallo veris falsa admixta sint.*

AUCTORE C. S.

§ II. Sancti patria et tempus natale: tirocinium et professio Religiosa: gesta quædam mirabilia, alia aliis certiora: obitus et annus emortualis.

Circa annum 1179 natus Ripæ Candidæ;

Natalem S. Donati *locum omnes, quibus etiam Officium ecclesiasticum consonat, assignant* Ripam Candidam, *quam alii* oppidum, *alii* castellum, *alii terram vel vicum appellant; alii etiam* E *in Lucania, alii in provincia Basilicata, nomine non re discrepantes, constituunt. In Descriptione Basilicatæ per Henricum Baccum et Cæsarem de Engenio, tom. IX, parte* 1 *Thesauri antiquitatum et Historiarum Italiæ, cura et opera Joannis Graevii et Petri Burmanni editi,* Ripa Candida *inter ejusdem provinciæ oppida et castella pariter nominatur. In Tabulis quoque geographicis Blaevianis ponitur inter Aufidum flumen montemque Apenninum, sed ad hujus radices et parvam civitatem Rapollam, paucisque milliaribus italicis a civitate Venusia. Annum, quo* Donatus *primam lucem ibi aspexit, fuisse Christianæ æræ* 1179, *notat laudatus abbas Jordanus, verisimiliter subductis calculis ab anno Christi* 1198, *quo ipse annum ætatis suæ agens undevigesimum ad cælos evolasse, tum a reliquis vitæ scriptoribus, tum etiam in Officio dicitur; ita ut de patria supremaque ætate ipsius nequeat merito dubitari.*

in monasterio S. Honuphrii, de cujus instituto

17 *De parentum illius conditione silentibus reliquis, soli Costus et Jordanus, illos probos ac honestos fuisse, dumtaxat asserunt, quod pariter verisimile est. Gesta ejusdem in pueritia adolescen-* F *tiaque usque ad flagitatum obtentumque vitæ monasticæ tirocinium nemo tradidit. Florebat tunc temporis, floretque hodiedum in regno Neapolitano Congregatio Eremitarum, a primario ejusdem monasterio* Montis-Virginis *appellata, quam sub regula sancti patris Benedicti eodem sæculo* 12 *instituit* S. Guilielmus *Vercellensis, mortuus anno* 1142, *cujus Acta a Joanne Nusco, ipsius Sancti discipulo, conscripta Papebrochius noster ad diem* 25 *Junii illustravit. Ex hujus instituti monasteriis unum erat* S. Honuphrii *dictum, quod* Donatus *vita ac morte sua nobilitavit, in cujus situm paulisper indagandum est. In Officio ecclesiastico num.* 4 *dicitur Sanctus monachum induisse in* Lucano cœnobio, quod S. Honuphrii de Massa usquemodo vocatur. *Similiter in Decreto sacrorum rituum Congregationis num.* 6 *monasterium* S. Honuphrii de Massa *nuncupatur.*

situque ei aliis eo spectantibus

18 *Consonat Jordanus abbas in laudata vita cap.* 3 *inquiens:* Habitu tam diu suspirato in divi Honuphrii templo in agro Massæ dirutæ sito, quo nunc eadem Congregatio ob peculiarem donationem, sibi a Rogerio Saviniani comite factam, absolute potitur, nondum trilustris feliciter indutus

auctore c. s.

dutus est. Massam dirutam in Lucania frustra quæsivi; sed lucem attulit Renda in vita, ubi illud S. Honuphrii monasterium in territorio Petinæ situm esse scribit, quod etiam faciunt Costus et Regius. Porro Petinæ situm supra num. 7 et 8 ex Leandri Alberti Descriptione Lucaniæ et Tabulis geographicis Blaevianis assignavi in Principatu Citeriori, in quo Baccus quoque et Cæsar de Engenio Petinam recensent. Italis La Petina dicitur; unde illam etiam Apetinam semel Renda, et Jordanus Abetinam latine appellarunt. Prope Petinam igitur in Lucania, sive in hodierno Principatu Citeriori regni Neapolitani, aliquando fuerit Massa, quam dirutam dicunt, eoque loci situm est monasterium S. Honuphrii, quod S. Donatus incoluit.

aliqua observantur, adolescens monachus factus est.

19 De prima ejusdem monasterii fundatione, progressu ac fortuna nihil usquam legi: sed ne quid inobservatum relinquam, dum in titulo Officii dicitur monasterium nullius, in Decreto autem sacrorum rituum Congregationis diœcesis Montis-Virginis esse, hæc sic accipienda mihi videntur, ut laudatum monasterium ab omni jurisdictione episcopi, in cujus diœcesi alioquin situm est, immune esse dicatur, subjectumque soli Montis-Virginis B abbati, qui universæ Congregationi præest, quique, licet episcopus non sit, multa tamen jura episcopalia in loca sibi subdita exercet, ut videri potest apud Jordanum in ejusdem Montis-Virginis Chronico. Ad S. Donatum redeamus. Hunc quintodecimo ætatis anno in eodem monasticam vitam amplexum esse, discimus ex ejusdem Officio, consentiuntque scriptores, qui addunt, ipsum ob teneram suam ætatem, tam rigido instituto non satis maturam, abbate vel priore, primo repulsam tulisse, sed paulo post reversum, sui voti compotem factum esse.

ac mox sanctitate eluxit: hic dicitur hiberno tempore

20 Quam gnaviter sanctus Tiro mox in omnem virtutem incubuerit, conjicere licet ex ejusdem sanctitate tam exiguo tempore comparata. Tria tamen, quibus maxime eluxit, Officii auctor sic memorat. Singulare in eo fulsit perficiendæ regularis obedientiæ studium, eximia divinæ contemplationis assiduitas, ardorque jugis circumferendi mortificationem Jesu Christi in corpore suo. Quin etiam subdit, illum brevi tantum fecisse profectum, ut vix expleto monasticæ professionis triennio, ipsius sanctitas, suorumque mirabilium gestorum fama perquam longe lateque C celebraretur. Itaque nec mirabilia facta in eo desiderata fuere; sed qualia hæc fuerint, iste non explicat. Videamus ergo, quid supra dicti scriptores de hoc argumento tradiderint. Secundum hos solebat S. Donatus clam ac dormientibus omnibus, in quamdam cavernam, quam juxta monasterium torrens inter saxa molitus fuerat, nudus descendere, in eaque pectore tenus frigidissimis immersus aquis hiemali tempore partem noctis orando simul atque castigando carnem exigere, atque hinc tempestive ad cellam regredi, ut divinum Officium cum reliquis celebraret.

pectore tenus aquæ immersus noctu orare soluisse

21 De facto consentiunt omnes, sed modum, quo illud tandem innotuerit, nonnihil variant. Renda et Regius aiunt, monasterii abbatem, cum cellam Sancti noctu ingressus, vestem ejus reperisset, ex insidiis exspectasse, donec rediret; illoque nudo conspecto, rem tacitam tulisse, quo causam certius cognosceret; atque hoc indicio factum, ut abbas illum aquis, quemadmodum dictum est, immersum orantemque tandem deprehenderit. Alii volunt, vestem ejus alibi, quam in cella a superiore repertam et in cubiculum suum ablatam esse, ut reversurus se proderet; sed eadem in locum, D ubi eam Sanctus deposuerat, divinitus restituta, elusum abbatem, de Subdito suo melius sentire cœpisse, ac magis etiam magisque illius virtutem suspexisse, postquam ejusdem in gelidis aquis fervorem spiritus contemplatus est. Asserunt etiam, locum illum ab indigenis Gurgitem S. Donati, italice il Gorgo di sant Donato, appellari. Jordanus præterea cap. 11 narrat ejusdem Sancti apparitionem eodem loco factam post obitum in gratiam viri nobilis, qui in eumdem inciderat; quæ cum nullibi aptius, quam hic exponi possit, eam ipsis ejusdem verbis describo.

et post obitum suum aliquando apparens viro nobili

22 Nondum quatragesimus annus evolutus est, eum in Abetinam (id est Petinam) nobilis quidam vir, baronis munere functurus, missus fuit; ubi vix paucis immoratus diebus, sæpissime ab illius accolis portentosum Donati gurgitem, qui prope aderat, summopere celebrari percepit. Unde maxima curiositate motus, illum visere decrevit: et eum pervenisset, primum circumspexit, deinde perpendit atque loci asperitate concepta, arduum sane censuit, Donatum illis in aquis immersum integras noctes pœnitentiam agendo consumpsisse; simulque mendacem credidit famam, E quæ tanta Divi miracula per eas oras magno fastu ferebat. Et dum ita incredulus per gurgitis rivas * iret atque rediret, pes illi ex improviso defecit, et nullo reperto obice, in aquas miserrime prolapsus est. Quapropter cum se jamjam suffocari animadverteret, recordatus crimen, in quod inciderat, cœpit valde se pœnitere, nullam fidem præstitisse portentis, quæ in illis aquis demersus Donatus patravit: imo suis vocibus Divum iovocavit, ut injuriæ immemor sibi jam perituro citam opem afferret.

* i. e. ripas

in eodem gurgite periclitanti, inde eductum

23 Illico juvenis Donati habitu indutus apparuit, qui ejus dexteram apprehendens, ipsum e medio gurgite confestim exemit, atque humi eo incolumi derelicto, extemplo evanuit. Tunc ille in seipsum reversus, recte ab illis aquis, quibus minime crediderat, suæ incredulitatis duritiem emollitam esse cognovit, atque ab eodem gurgite, qui B. Donati membra suaviter lamberat, merito illum fuisse punitum, a quo supremis illius prodigiis nulla fides præstabatur; et eum a divo Donato, quem invocarat, vitam recepisse perspexisset, statim tantum explanaturus favo- F rem, ad ejus cœnobium ibi proximum se contulit, et cunctis Fratribus totum, quod evenerat, fideliter enarravit. Mitto, quæ deinde in ejusdem gurgitis laudet oratorie subjicit, præter id, quod de hausta ex illo aqua ægris salubriter dari solita in fine affirmat his verbis: Tuæ etiam aquæ, post Donati obitum ægris in potum oblatæ, a mortiferis valetudinibus eos illico vindicarunt.

in terram transtulisse.

24 Porro cum Jordanus prædictam apparitionem contigisse et a nobili viro, cui factam fuerat, monachis assertam esse, tradat, nondum quatragesimo anno, dum ista scriberet, evoluto, non est, quod de illa dubitemus, quippe a viro gravi, totius Congregationis Montis-Virginis abbate generali, et synchrono affirmata. Cur autem alii prænominati scriptores de eadem sileant, liquet ex ratione temporis; nam hi circa finem sæculi 16 scripserunt Jordanus vero circa medium sæculum 17, quo jam inchoato, illa primum contigit. Ex eodem etiam facto simul ac ex salubri aquarum illius cavernæ usu plus fidei accedit traditioni de acta in eadem a S. Donato pœnitentia. Attamen verisimile

A *verisimile est, hujus adjuncta lapsu temporum amplificata aut variata fuisse. Tale forsitan est illud, quod de Sancti veste in locum, unde ab abbate sublata fuerat, divinitus restituta, aliqui asserunt, silente Renda: sed nec huic assentiri possum dicenti, vestem in ejusdem cella repertam, ipsumque nudum ad cellam regredientem ob abbate conspectum esse. Multo credibilius est,* Donatum *restitum e monasterio egredi ac reverti solnisse, nec exuisse se, antequam ad cavernam suam pervenisset, atque adeo prope hanc, si a superiore reperta fuerit, vestem ejus inventam esse.*

Dicitur etiam ardentem furnum innoxie introisse;

25 *Alterum mirabile* S. Donati *factum, quod narrant, ad promptam obedientiam pertinet. Dicitur ille aliquando jussus panem conficere, et hujus operis rudis non meminisse herbarum fasciculum, quo furnus purgandus erat, præparare. Cumque subacto fermentataque farina jamjam, ne corrumperetur, immittenda esset, advenit abbas, isque furnum nondum purgatum comperiens, Sanctum acriter arguit, mandavitque, ut illum e vestigio tergeret; (ut alii aiunt) experiendæ obedientiæ gratia præcepit, ut in ipsam flagrantem fornacem ingressus ignitos cineres prunasque veste* B *sua everreret. Mox paruit sanctus Juvenis, seque signo Crucis muniens in furnum insiliit, et mandata executus, etiam vestibus illæsis, stupente abbate, inde egressus est. Hæc fere illi, quæ si quid veri continent, verisimillime exaggerata sunt, et propter imperii factique insolentiam, ad fidem faciendam, certius testimonium, quam ignotæ ætatis traditionem, requirunt.*

mirumque in ursum vulpesque

26 *Prorsus alterius generis est tertium, nec tam facile cuiquam, opinor, probandum. Abbas seu monasterii superior, iisdem scriptoribus testibus, alvearia apum, quæ in viridario suo habebat, dejecta conculcataque reperiens, apud monachos suos de jactura conquestus est. Quo audito,* Donatus, *vel solus, vel ipse cum aliis, excubare cœpit, ut auctorem cognosceret. Hoc dum ageret, vidit ursum damnum istud inferentem: nec mora, injecto illi, quo utebatur, cingulo, feram instar ovis mitescentem ad superiorem suum adduxit, jussamque in posterum a monasterii bonis abstinere denuo liberam dimisit. Haud dissimile est et aliud, quod Thomas Costo prœterea narrat verbis italicis, quæ latina facie.* Taceo alia mirabilia, quale est, vulpes, mandato ab eodem C accepto, ne ejusdem loci pullos gallinaceos comederent, in hodiernum usque diem inter illos sæpe versari, nec tamen eis nocere, quantumcumque repugnante ejusdem malignorum animalium indole, quam experientia ubique, præterquam hic, prodit.

imperium exercuisse.

27 *Jordanus hæc eadem amplificavit, aitque,* S. Donatum, *cum in suspicionem de subreptis pullis gallinaceis venisset, duas vulpeculas, eosdem deprædantes, Crucis signo detinuisse, vinctasque et ad superiorem adductas, cum supra dicto mandato abire permisisse.* Quod præceptum, proh stupor! (*inquit*) usque ad hunc diem ab illis observatur. Etenim sæpissime vulpes eodem in loco cum gracillis (*sic gallinas* a gracillando *appellat*) versari videntur, et tamen inter illas nulla hucusque contentio intercessit; imo finitimi populi huic tanto Donati prodigio summam fidem præstantes, ad cœnobium se conferunt, atque ab illius pomario, ubi vivente Donato gallinacei pulli manebant, magna terræ onera suscipiunt, quam ad suas reversi regiones circum domos hortusque * diffundentes, illuc non accedere vulpes, manifeste experiuntur, ubi eadem terra diffusa petitur *; aut si accedere contingat, gracillis bella non movent, sed semper fœdus observant. *Hæc illi; quæ si vera sint, miror Rendæ Regioque ignota, aut certe ab iis prætérita fuisse; si vero falsa, Jordanum de continuato sua etiam ætate prodigio ea scribere ausum fuisse, quæ vel ex sola experientia, ad quam provocavit, manifeste redargui potuissent. Fides itaque sit penes auctores.*

* hortosque

AUCTORES * reperitur

Obiit anno 1198, ætatis suæ 19.

28 *Plura de* S. Donati *gestis non legi: de pretiosa autem morte illius in conspectu Domini Renda sic scripsit:* Cum igitur Dei famulus adhuc juventutis flore polleret, divina disponente voluntate, gravi morbo corripitur. Sanctis Sacramentis sanctæ Ecclesiæ adhærens, dum Dominicum Corpus acciperet, lachrimis (indignum se reputans) Christo gloriosissimo spiritum commendavit, ac Sacramento accepto, ad cœlorum concives evolavit; et astantes abbas et monachi quasi solis splendorem, tendentem ad cœlum, ab ore ejus exire viderunt... Ab hac vita discessit anno ætatis suæ decimo nono, S. Paschasio 7 abbate Montis-Virginis monasterii vivente, anno Domini 1198. *Eumdem ætatis annum signant omnes, qui cum ipsam anno vitæ suæ quartodecimo vel decimoquinto in tirocinium professionis monasticæ admissum esse, simul asserant, quadriennio, nec forte toto quidem, inter monachos vixisse dicendus est; ut tam ratione ætatis, quam vitæ Religiosæ de illo merito usurpari possit istud Sapientiæ cap. 4:* Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. E

verisimilius sub abbate Paschasio

29 *Jordanus cetera consentiens, ait, moriente* Donato, *Gabrielem Montis-Virginis, Paschasium vero monasterii S. Honuphrii prælaturas gessisse.* Contigit, (*inquit*) ejus obitus in divi Honofrii delubro (*id est,* monasterio) decimosexto Calendas Augusti (Septembris *voluit dicere*) anno Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo... abbate in Virginei Montis Congregatione D. Gabriele, et in præfato S. Honofrii cœnobio divo Paschasio, cujus corpus in ejusdem Congregationis sacrario summa veneratione servatur. *Ad præsens argumentum parum interest, uter Monti-Virginis tunc præfuerit, nec habeo instrumenta, ex quibus alterutrum confirmem. Verumtamen Jordani suum utrique monasterio abbatem assignatis sententia verisimilior apparet; maxime quod bulla Cælestini III summi pontificis ad Gabrielem, Montis-Virginis abbatem data, quam ipsemet Renda recenset in vita S. Guilielmi, doceat, eumdem Gabrielem ea prælatura adhuc functum esse circa mensem Novembrem anni* 1197. F

qui si cultum habeat, cupimus doceri. * imo I

30 *Notatur enim bulla ista* 2 Non. Novemb. Indictione III *, Incarnationis Dominicæ anno 1157, Pontificatus Domini Cœlestini anno septimo. *Non constat quidem, quamdiu supervixerit Gabriel, sed hactenus nihil cogit nos adversus Jordanum credere, Paschasium jam inde a mense Augusto anni subsequentis eidem suffectum fuisse. Sancti titulum Paschasio etiam Renda attribuit, ac de ejusdem corpore in veneratione habito pariter ait:* Cujus sancti viri corpus inter Sanctorum corpora collocatum in Virginis Monte colitur. *In catalogo quoque sacrarum reliquiarum, quæ in ejusdem Montis-Virginis sacrario asservantur, nominat* corpus S. Paschasii, 7 abbatis Montis-Virginis; *ac denique promisit, sese de eodem abbate scripturam,* quæ in scripturis antiquis *repertus esset: quod nescimus, an fecerit. Edoceri*

Educeri etiam cupimus, si Paschasius cultum aliquem certo dici affixum habeat. Porro supra dixi, in textu Jordani pro 16 Calendas Augusti *legendum esse* 16 Calendas Septembris; *nam hoc die, quo colitur,* S. Donatus *obiisse, expresse dicitur in suo Officio Ecclesiastico, facileque potuit is error Jordano obrepere.*

§ III. Translatio corporis Ripam Candidam facta cum adjunctis non probatis : loca, in quibus ejusdem reliquiæ quiescunt.

Dein corpus in patriam vehitur.

D*efuncti corpus, mox ab obitu parentibus suis concessum, et ab his Ripam Candidam, ubi natus fuerat, relatum fuisse, narrant laudati scriptores omnes, præter auctorem Officii, qui id saltem in ambiguo reliquit his verbis :* Sacrum Donati corpus magno fuit finitimorum populorum concursu ac veneratione elatum. *Sed credamus, sane translationem illam, quam aliquando factam fuisse, negare non possumus, mox ab illius obitu ex parentum votis factam esse, non propterea tamen admittendum erit insolitum istud prodigium, quod in eadem contigisse, iidem affirmant. Unum ex illis Felicem Rendam audiamus. Sic ait :* Cujus obitum parentes ejus dum intelligerent, gravi dolore affecti, citius monasterium adeunt, et precibus multis cum abbatis licentia corpus ejus, quem singulari amore dilexerunt, ad patriam Ripam Candidam asportare decernunt. Populi Petinæ factus concursus, dum parentes Defuncti acciperent corpus, una cum abbate et monachis unica voce dixerunt : Cur nos, Donate sanctissime, derelinquis? Quid nobis in amoris signo relinquis?

fertur illud ad incolarum preces brachium suum

32 Ad quam vocem miraculo Dei elevatum e pheretro brachium, quo furnum ignitum purgavit, ejecit. Quod abbas hilariter accepit ac in ecclesia mirifice collocavit.... Corpus hujus S. Donati in Ripa Candida patria veneratur, brachium Apetinæ. *De miraculo par est omnium sententia; de loco, in quo contigerit, solus dissonat Jordanus, Auletam assignans, cujus verba, quantum opus est, propterea subjicio.* Cum post Donati obitum venerabile ejus corpus in Ripam Candidam a consanguineis asportaretur, et finitimum quoddam oppidum (Aulettam nomine) pertransiret, confestim numerosa incolarum cohors illud conspectura festinavit, lachrymasque jugiter effundens, querulis hisce verbis alloquuta est. Quo pergis, unica spes nostra, Donate?... Ergo mortuus omnino nos deseres, qui vivens nostras has regiones etiam atque etiam cohonestati, nec non egregia tuorum portentorum fama extulisti?... Satis sit Ripæ Candidæ pro summa ejus gloria tibi nascenti cunas dedisse; modo præstat, tibi extincto Aulettam tumulum parare. Quod si origini exanime corpus restituere... gestis, saltem nobis, ne te penitus orbati acriter lugeamus, aliquod amoris pignus derelinquito.

sponte avulsum illis relinquens;

33 Sed, proh stupor! flentem populum, solaturus Donatus, brachium suis e scapulis confestim avulsit, illique largitus est; quod in eadem Auletta apud Conventuales Franciscanæ familiæ Fratres integrum ad hunc diem atque prodigiis affluens asservatur. *Illustre sane, utrolibet loco contigerit, miraculum! sed tanto certiori testimonio probandum, quanto minorem verisimilitudinem ob suam insolentiam habet. Interim nullum pro re tanta producitur monumentum, nulla relatio antiqua, nullus scriptor, qui medio sæculo 16 antiquior sit, sive qui non quatuor fere sæculis post vixerit. Imo nihil ejusmodi reperiri, candide fassus est Thomas Costo tum in ipso vitæ initio, ut num. 13 dictum est; tum in ejusdem vitæ calce, quam verbis, ut cetera italicis, his clausit :* Atque hæc sunt, quæ de S. Donato, Montis-Virginis monacho, per continuam traditionem habemus. *Neque dubito, quin quo tempore illi scripserunt, sic haberet traditio : verum quisquis hujus generis historiis examinandis assuevit, novit, quam frequenter similes traditiunculæ temere nascantur, et quantum lapsu temporis primum apud vulgus ac deinde etiam apud alios auctoritatis acquirant.*

sed prodigium hoc, solo traditione nitens,

34 *Suspicionem vehementer auget summum de tam memorabili prodigio silentium in Officio proprio, etiam ubi locus ipse postulabat, ut mentio fieret. Juverit locum hic repetiisse.* Sacrum Donati corpus magno fuit finitimorum populorum concursu ac veneratione elatum; et ad hæc usque tempora peculiari eum colunt pietate, principalisque patroni titulo Auletani, qui præsentissimam ipsius opem nunquam sibi apud Deum defuisse fatentur. *Hæc ibi, nec plura; haud dubie, quod memoratam de brachio tam miro modo Auletanis concesso traditionem, si minus pro fabulosa, saltem pro suspecta haberent, qui Officium istud composuerant vel approbarunt. Ceterum etsi similes traditiunculæ variis modis nasci soleant, neque ego conjecturas pro compertis obtrudere velim; ut tamen lector intelligat, qua ratione etiam hæc inchoari atque invalescere potuerit, paucis exponam.*

nobis non satis probatur,

35 *Ponamus paulisper, dum S. Donati corpus Petina Ripam Candidam transferebatur, ejusdem brachium seu cum bona parentum venia, seu etiam iisdem invitis vel insciis, a reliquo corpore separatum et Petinensibus vel Auletanis concessum, aut ab iisdem clam retentum fuisse; deinde vero non insolito loquendi modo ab illis dici solitum, hoc pignus a Donato suo, dum venerabile ejus corpus aveheretur, sibi esse relictum. Ponamus, inquam, hæc, ut fieri potuere, ita facta esse; quam pronum fuerit horum posteris ista in favorem suum strictius interpretari, atque ita prodigium istud sensim etiam bona fide comminisci, et traditionis nomine ad posteritatem transmittere? Quo facilius ita crederent, favebat ejusdem brachii integritas, si hoc tale fuerit etiam sub finem sæculi 16, quale tunc fuisse scribit Thomas Costo, nempe sua carne instructum. Nam ex tali integritate non inepte conjicere potuerunt, brachium a Sancti corpore similiter integro acceptum fuisse; et quanto rarius contingit, ut a tam integris Sanctorum corporibus membra resecentur, tanto verisimilius videri potuit, aliquod miraculum hic intervenisse. Utut sit, nemo æquus lector mirabitur, reor, si pro tam singulari prodigio potiora testimonia, quam sæculi 16 scriptorum, solam traditionem allegantium, requiram.*

Dissentiunt aliqui, ubi reliquiæ ejus serventur;

36 *Jam ut cetera, quæ ad sacras Donati reliquias attinent, prosequamur; Renda et Regius corpus ejus Ripæ Candidæ, brachium Petinæ suo etiam tempore asservata asserunt: sed Thomas Costo, etsi eodem fere tempore scripserit, ab his variat. Postquam hic dixerat,* S. Donati *brachium mirabili*

A *bili illo, sed mihi non satis probato modo, Petinæ relictum, ibidemque* multo tempore servatum *fuisse, sic prosecutus Italice est:* Reliquum corporis Ripam Candidam translatum, ibi sepultum fuit. Prædictum brachium integrum, sua carne instructum hodieque quiescit Auletæ, loco prædictis vicino, in conventu S. Francisci, quem Fratres Conventuales incolunt; sed unguis, qui uni e digitis manus ejusdem brachii deest, servatur Sicignani, *quod velut castrum vel oppidum notatur in tabulis geographicis, pauca milliaria Italica dissitum a Petina.* Corpus vero (*ita ibidem pergit laudatus Costus*) creditur nunc quiescere Acerni in ecclesia cathedrali; alii dicunt, illud esse Ripæ Candidæ, ubi festum ejus celebratur die 17 Augusti: alii adscribunt Melphi: nonnulli etiam putant, ejusdem caput Nusci servari.

sed corpus ejus non Acerni.

37 *Tres nominatæ civitates episcopales sunt regni Neapolitani:* Acernum, *vulgo* Acerno, *in Principatu Citeriori;* Melphis. *Italis* Melfi, *in provincia Basilicata; et* Nuscum, *indigenis pariter* Nusco, *in Principatu Ulteriori. Qui possessionem corporis Acernensibus attribuunt, hos credo* B *ego in errorem inductos occasione synonymi abbatis Montis-Virginis, de quo Felix Renda in vita S. Guilielmi fol. 17 verso hæc ait:* Ipsoque (*Gabriele octavo abbate*) mortuo, sanctus Donatus, qui magno cum honore in civitate Acernii ab illius civitatis civibus veneratur et colitur, abbas eligitur nonus anno 1208. *Rursum post calcem vitæ* S. Donati *nostri pollicitus est, sese postea acturum* de sancto Donato 8 abbate, cujus corpus in civitate Acernii ab illis civibus adoratur. *Verisimilius igitur hujus Donati corpus fuerit, quod Costus Acerni honorari audierat; sed an et quo die Donatus ille abbas cultum ibidem habeat, cupimus edoceri.*

sed apud Ripam Candidam.

38 *Pro* S. Donati *monachi, de quo agimus, corpore Ripæ Candidæ asserendo stat prædictorum testimonium, omniumque, etiam Thomæ Costi, consensus de eodem e suo S. Honuphrii Petinensi monasterio ad Ripam Candidam translato, ac omnium pariter silentium de ejusdem translatione hinc alio postmodum facta. Fuisse etiam ibidem suo tempore, id est, sæculo 17 adulto, scribit Ferrarius num. 10 et sequenti relatus: sed quis hodiernus ejusdem sacri pignoris status sit, et quem* C *cultum Sanctus ibi in patria sua habeat, aliunde non comperi, neque de hisce in sæpe memorato decreto sacrorum rituum Congregationis, ulla mentio habetur. Æque inexploratum mihi est, quod de capite Nusci servato ex aliorum sententia Costus annotarit; et nomen* Donati *tam multis Sanctis commune est, ut ex hoc solo non nisi debile argumentum pro Sancto Monacho nostro haberi queat.*

brachium vero Auletæ

39 *Denique brachium ejus, si umquam Petinæ quieverit, saltem postea Auletam translatum fuisse. persuadet mihi tam accurata loci per Costum assignatio, cui Jordanus, qui post reliquos scripsit, apprime consonans, ac propterea Auletæ plurimum gratulans, hæc ait:* Quod (*brachium*) in eadem Auletta apud Conventuales Franciscanæ familiæ Fratres integrum ad hunc diem atque prodigiis affluens asservatur. O felicem Aulettam; o terque, quaterque beatam, dum tanti Herois dexteram tuo sinu fovere promerita es. Modo non amplius Auletta, sed omni regum atque imperatorum Aula longe dignior ac præstantior diceris: in te enim non terreni regis aut imperatoris, sed Donati, invicti cœlestis militiæ ducis, brachium acquiescit. Sileat nunc fama audacem Scævolæ dexteram, quæ sævas inter flammas intrepida exardescens, mortis sævitiem E contemnere videbatur; nam magnanimi tui Ducis brachium gelidas demersum in undas majora peperit prodigia. Neque Roma Cæsares jactet suos, strenuissimæ quorum manus universum fere orbem expugnarunt: ast tibi Donati dextera extollenda est, quæ etiam extincta viva patravit miracula.

servari putamus

40 Tuo equidem invideo fato; hujus enim sub dexteræ auspiciis tartareos non formidabis insultus; et sicut exterminator angelus agni sanguine signatas domos non evertebat, ita tibi Eumenides, præpotens Donati brachium inspicientes, officere minime audebunt. Quare tanto ditata thesauro lætare, et festas ducito choreas, dum ipse ad tuas glorias efferendas ignarus obmutesco. *Hæc reverendissimus Jordanus, stilo quidem oratorio, sed quæ tamen indicant, tempore, quo scripsit, id est, circa annum 1643, cultum* S. Donati *Auletæ insignem fuisse, et ejusdem brachium ibidem magno in honore habitum miraculis eluxisse. Cultum vero hunc ibi usque ad nostra tempora perseverasse, manifestum est ex Officii illius proprii verbis num. 5 allegatis. Ceterum plura de hoc* S. Donato *monacho ad nos non* F *pervenerunt*

APPENDIX

AUCTORE C. B.

APPENDIX AD DIEM XIX AUGUSTI.

DE S. BARTHOLOMÆO AB CONF.

IN CALABRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus S. Bartholomæi in Calabria et Sicilia.

Circa annum MCXX. Sanctus ad 19 Augusti in Martyrologio Siculo memoratus,

De S. Bartholomæo *abbate Octavius Caietanus in Martyrologio Siculo ad* 19 *Augusti ita habet:* Messanæ S. Bartholomæi abbatis, Ordinis S. Basilii, fundatoris magni monasterii sanctissimi Salvatoris, in isthmu portus; *nimirum prope Messanam. In margine annotavit, se illa dare* ex vita græce scripta. *Philippus Ferrarius in Catalogo generali ad eumdem diem sic habet:* Messanæ S. Bartholomæi abbatis, Ordinis S. Basilii. *In Annotatis vero nihil allegat, nisi Caietanum et vitam græce scriptam. Accedit Franciscus Carrera in Pantheo Siculo, ubi prolixius ex vita texit elogium, sed de cultu ecclesiastico* S. Bartholomæi *nihil edicit. Hinc Majores nostri in Prætermissis ad* 19 *Augusti dubitarunt de publico* S. Bartholomæi *cultu, quem nec ex recentioribus Martyrologiis, nec ex vita poterant certo colligere aut probare. Habebant quidem et vitam Græcam, olim ex Sicilia huc missam; sed nulla adjuncta erant de cultu documenta. Quapropter dubitationem suam declararunt, ut in Operis Supplemento de* S. Bartholomæo *ageretur, si idonea de cultu documenta interim fuissent subministrata. Nihil autem subministratum nobis fuit ante finem mensis Augusti, in cujus Supplemento alias de* S. Bartholomæo *actum fuisset.*

ejusque cultus in Calabria

2 *Verum documenta de cultu deinde colligere cœpit, R. P. Vespasianus Trigona, eo tempore Societatis nostræ præpositus Provincialis per Siciliam, et deinde Assistens admodum R. Patri nostro Generali pro tota Italia; eaque cum litteris humanissimis ad nos misit anno* 1754. *Vel sola Epistola illa, Messanæ data die* 8 *Septembris, sufficere potest ad omne dubium de cultu tollendum.* Et ad Calabriam quidem quod attinet, *inquit piæ memoriæ Pater,* notum est, totum monasterium Rossanense vocari Monasterium S. Bartholomæi Trigona, templum ipsum ejusdem monasterii (in quo potior ejus corporis pars exsistit) Deo dicatum esse in honorem S. Bartholomæi; ibi quotannis frequenti populi concursu et magna cum solemnitate festum ejusdem Sancti celebrari, atque ejus reliquias publico convenientium cultui exponi. Certa res est, quamvis documenta authentica nunc non mittam: brevi tamen me missurum spero. *Missa ea sunt anno* 1758, *et ad nos pervenerunt, saltem aliqua de Calabria, nihil tamen de monasterio Rossanensi.*

et Sicilia asserlus.

3 At quod attinet ad regnum Siciliæ, omnia documenta ad superabundantiam, ni fallor, mitto. Antiquissimus est cultus et immemorabilis hujus Sancti; nedum apud Basilianos, qui proprium ritu Græco Officium recitant; verum etiam in tota diœcesi Archimandritatus (est autem præsens archimandrita eminentissimus cardinalis Gonzaga) et in tota diœcesi Messanensi, Missa et Officium recitatur ex præcepto ab universo seculari et regulari clero. Hoc autem festum cum Officio et Missa pro utroque clero extensum est a feliciter regnante summo pontifice Benedicto XIV ad totam diœcesim Syracusanam et Catanensem decreto edito a sacra Rituum congregatione sub die 24 Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi primi. In his autem diœcesibus Catanensi et Syracusana erecta sunt sacella, seu cappellæ, ipsi Sancto dicata. Horum omnium, quæ ad Siciliam pertinent, documenta transmitto: atque alia etiam ad Sanctum ipsum spectantia. *Sic revera fecit pari humanitate et diligentia, quemadmodum de aliis infra videbimus, hic vero de monumentis unice ad cultum spectantibus, quæ omnia a laudato Trigona fuerunt transmissa.*

Sanctus in Ordine Basiliano colitur

4 *Officium Græcum, quod a monachis Ordinis S. Basilii in Sicilia et Calabria de S.* Bartholomæo *recitatur, curante Trigona nobis exscriptum est et transmissum, hoc titulo præfixo:* Officium S. Bartholomæi Trigonis, quod solemniter celebratur a Patribus Ordinis S. Basilii tota Sicilia et Calabria, transcriptum e codice manuscripto veteri, quo utitur in choro venerabile monasterium SS. Salvatoris supra Messanam. *Deinde ante Officium ponitur testimonium reverendissimi domini Philippi Soria, abbatis monasterii SS. Salvatoris prope Messanam, quod propria manu subscripsit, ut confirmavit suo testimonio notarius Flaminius Beneventuto, cujus subscriptio rursum confirmata est sigillo et testimonio senatus Messanensis.*

per totam Siciliam et Calabriam Officio græco:

5 *Laudatum abbatis testimonium sic habet:* Cunctis notum facimus ac testamur, S. Bartholomæum Trigona publice coli, ac præcipue a nostro Ordine S. Basilii tota Calabria ac Sicilia, ac maxime in hoc venerabili monasterio sanctissimi Salvatoris Messanæ, quod ipse creditur fundasse et sanctissime rexisse. In cujus honorem ritu nostri Ordinis canitur quotannis die 14 Kal. Septem. solemniter sequens Officium, quod e codice manuscripto, quo venerabile hoc nostrum monasterium jam dudum utitur in choro, transcripsit exacte ac Latino reddidit R. P. Thomas Stanislaus Velasti Societatis Jesu ex insula Chio, adjectis ab eodem notis, et quibusdam aliis laudibus ejusdem Sancti ex alio codice membranaceo Ms. decerptis, qui exterius inscribitur P. K. A. M. N. O. A., atque asservatur in bibliotheca hujus venerabilis monasterii. In cujus rei testimonium hoc dedimus documentum propria manu subscriptum in hoc cœnobio SS. Salvatoris Messa-

A sanæ : in ante diem Kal. Sept. anni 1754. *Sequitur reverendissimi abbatis subscriptio cum testimoniis jam dictis. Hæc de cultu Sancti in Ordine S. Basilii per Calabriam et Siciliam nullum relinquunt dubium. Ex memorato Officio inferius nonnulla dabo elogia.*

Ejus præcipuæ reliquiæ in cœnobio prope Rossanum.

6 *Quod superius dictum est de præcipua corporis parte in monasterio Rossanensi sive prope Rossanum servata, confirmatur testimonio, quod præfixum est Orationi panegyricæ, quæ in laudem Sancti Græce dicta fuit, nobisque cum reliquis missa. Nam illud his verbis expressum est :* Ego infrascriptus fidem facio, quatenus in codice signato numero Græco P K Δ, id est 124, ad calcem reperitur totum Officium de Bartholomæo Trygone, recitandum die 19 Augusti, sub hoc titulo : Μηνὶ αὐγούστῳ ιθ' τοῦ ὁσίου π(ατ)ρὸς ἡμῶν Βαρθολομαίου τρυγόνος, τοῦ κειμένου ἐν τῇ τοῦ ῥουσιάνων μονῇ, quod est : Mense Augusto 19 S. P. N. Bartholomæi Trigonis, qui jacet in Rossanensi monasterio. In quorum fidem etc. In monasterio sanctissimi Salvatoris prid. Non. Octobris 1745. Benedictus Manaldinus Hieromonachus. *Hæc interim de Officio et de reliquiis Sancti in Rossanensi* B *monasterio servatis : nam de ipso monasterio plura inquiremus inferius. Rossanum civitas est archiepiscopalis Calabriæ Citerioris, eaque passim satis nota.*

Prope oppidum S. Euphemiæ cœnobium est S. Bartholomæi.

7 *In Calabria Ulteriore prope sinum Hipponiatum, nunc* S. Euphemiæ *dictum, positum est oppidum* S. Euphemiæ, *quod Leander Albertus vocat* Santeuphemiam. *In hujus vicinia monasterium est* S. Bartholomæi de Trigona *dictum, ubi Sanctus ille multum colitur. Id liquet ex Actis pro testimonio inde ad nos missis, quibus abbas et monachi propria manu subscripserunt, ut testatur Petrus Jetto notarius publicus, cujus subscriptio testimonio et sigillo subscriptorum magistratuum S. Euphemiæ roboratur. Acta illa Italice scripta in linguam Latinam transfero, et lectori communico.* Ad postulationem reverendissimi patris abbatis magistri D. Spiridionis Lapara, consultoris generalis Ordinis nostri patris S. Basilii Magni, nos subscripti patres capituli hujus venerabilis monasterii S. Bartholomæi de Trigona, ejusdem Ordinis in Calabria Ulteriore, asserimus, memoratum sanctum Abbatem, qui sub finem seculi undecimi natus est in oppido Semeri ejusdem C Calabriæ, fundatorem fuisse hujus etiam cœnobii, quod situm est in territorio S. Euphemiæ Sinopolensis, quemadmodum novimus vetusta et immemorabili traditione, multis illius temporis codicibus per incursiones Saracenorum dispersis.

In quo magna solemnitate colitur, et ejus brachii os servatur :

8 Ex eadem traditione, cui nequit resisti, innotescit, supradictum hoc cœnobium fuisse fundatum titulo S. Bartholomæi apostoli. Verum post mortem sancti Abbatis nostri, ad ejus honorem memoratus titulus conversus est in titulum hodiernum S. Bartholomæi abbatis, cujus festum celebratur 19 Augusti, die fausto, in quem incidit mors ejus gloriosa, idque Officio duplici primæ classis cum Octava. Tamen solemnitas publica etiamnum in ecclesia celebratur secundum ecclesiæ illius primum titulum 25 ejusdem mensis, qua tamquam die festivo de præcepto magnus illuc est populi vicinarum regionum concursus. In tertia festivitate Paschali ex decreto insuper celebratur gloria dicti sancti Abbatis; quandoquidem omnis populus et clerus cum confraternitatibus memorati oppidi S. Euphemiæ, quod sesqui milliari distat, longo ordine huc procedat, ut pretiosas ipsius reliquias, nimirum os brachii, argenteo brachio honorifice reclusum, accipiant, et post circuitum per vias ejus publicas, usque ad memoratum oppidum ferant. Ibidem autem eas conservant in ecclesia S. Mariæ Gratiarum usque ad Dominicam in Albis, qua illas cum eadem solemnitate ordinati agminis procedentes ad dictum monasterium referunt, eidemque restituunt, omnia peragentes sumptibus memorati territorii.

alia loca a Sancto inhabitata.

9 In hac ecclesia in altari principe habetur magna tabula picta, eaque vetustissima et pictoris peritissimi, quæ exhibet imaginem sanctissimæ Virginis, Sancto apparentis, dum ille ob concursum populi et nimium discipulorum numerum proposuerat deserere montem, nominatum Sanctorum Patrum, octo milliaribus Rossano in Calabria Citeriori distantem, ubi postea aliud sumptuosum fundavit cœnobium in honorem ejusdem Virginis sanctissimæ, quæ ibidem a sancto Abbate istud fundari volebat. Imago Sancti in dicta tabula habitu supplicis et pœnitentis expressa est cum vestimentis quasi consumptis et jam deciduis usque ad medium corpus. In loco, qui uno fere milliari abest ab hoc monasterio, reperitur spelunca, quæ ab immemo- E rabili tempore vocatur Spelæum S. Bartholomæi, in quo memoratus Sanctus habitabat solitarius et pœnitens. Prædicta spelunca sita est in monte, dicto de Trigona, pleno saltibus densissimis, et vitæ solitariæ accommodatissimo, cum eo tempore nulla ex plagis vicinis inhabitata esset. Sic observatur in aliquo Tropario de Sancto, quod cantatur in Græco ejus Officio, memoratum Sanctum habitasse in monte De Trigona. Hæc cum sincera veritate possumus asserere, nostrisque subscriptionibus et sigillo monasterii nostri confirmare. Datum in dicto monasterio nostro S. Bartholomæi De Trigona hac die 2 Aprilis 1758. *Subscripserunt propria manu, sed italice. M. D. Michael Angelus Gioffré abbas. D. Apollinaris Agostini abbas emeritus. D. Joannes Primerani, magister sacræ theologiæ et noviliorum et prior. D. Ludovicus Vetro lector. D. Josephus Ida Proc. D. Bartholomæus Longo. D. Josephus Ma. de Majo. D. Leolucas Mazza. D. Gabriel Tauelli. Hactenus de cultu in Calabria. Transeo ad Siciliam, ubi Sanctum a toto Ordine Basiliano coli jam vidimus.* F

Colitur Sanctus in tota diœcesi Messanensi, et in tota jurisdictione archimandritæ

10 *Flaminius Benevenuto, notarius Messanensis, ad postulationem domini Jacobi Stagno, nobilis Messanensis, conscripsit Acta, notata 17 Decembris anni 1745, quibus exhibet duas Epistolas de cultu* S. Bartholomæi, *alteram illustrissimi et reverendissimi domini Thomæ Moncada, archiepiscopi Messanensis; alteram domini Prudentii De Pattis, Ordinis Casinensis, vicarii generalis curiæ archimandritalis. Primus autem in sua Epistola testatur, festivitatem* S. Bartholomæi *abbatis celebrari die* 19 *Augusti per totam diœcesim Messanensem Officio duplici, quod tamen non est proprium : alter similiter testatur, eodem plane modo Sancti festum peragi in tota diœcesi archimandritali. Ambo adjungunt, vitam Sancti fuisse conscriptam a Daniele monacho, et Rochum Pirrum aliosque nonnullos scriptores de eodem meminisse. Plura ex illo instrumento brevitatis causa non recitabo. De* S. Bartholomæo *agit Pirrus in Sicilia sacra lib. 4 in* Notitia prima ecclesiæ quasi episcopalis magni Archimandritatus S. Salvatoris lingua phari Messanæ. *Monasterium istud S. Salvatoris a* S. Bartholomæo *conditum est, aut potius*

AUCTORE J. S.

potius a rege Rogerio pro monachis S. Bartholomæi, *ejusque abbas vocatur* archimandrita, *quia jurisdictionem habet in monasteria Ordinis Basiliani per Siciliam et Calabriam, ut ibidem apud Pirrum latius videri poterit.*

Item Platiæ, ubi et sacella et reliquiæ Sancti,

11 *Platia, vulgo* Piazza, *insigne oppidum est Siciliæ in Valle Netina, et in diœcesi Catanensi, cum illustri collegio canonicorum, quorum præcipui anno 1747 de cultu* S. Bartholomæi *authenticum composuerunt instrumentum, quod totum huc transfero, quia varia complectitur. Ita habet :* Nos S. T. doctores D. Joseph Starraba præpositus prima dignitas, D. Marius Trigona cantor, D. Vincentius Comiglio thesaurarius, et D. Hyacinthus Palermo decanus, dignitates insignis collegiatæ majoris basilicæ, unicæ parochialis et parochi totius opulentissimæ urbis Platiæ, fidem certam reddimus et testamur, qualiter in tribus ecclesiis hujus prædictæ urbis trinæ videntur erectæ capellæ, in quibus veneratur effigies sancti patris Bartholomæi Trigona, abbatis Ordinis S. Basilii Magni, et regii monasterii sanctissimi Salvatoris Messanæ in lingua phari sitæ; scilicet una in ecclesia sub titulo sanctorum Angelorum custodum, ubi adest cappella propria ejusdem Sancti, erecta ante annum 1656 circiter : alia in templo sub titulo sanctæ Mariæ Liberatricis a terræ motu ab anno 1694, et tertia denique in supradicta nostra sacrata basilica majori sub titulo sanctæ Mariæ Assumptionis noviter erecta, et exornata ab excellentissimo et reverendissimo domino D. Matthæo Trigona, episcopo Syracusarum, ubi individualiter marmoreum altare, consecratum ab eodem excellentissimo domino, inspicitur. In quibus anno quolibet, die 19 Augusti, festum prædicti sancti Bartholomæi Trigona, populo devote accurrente, solemniter celebratur; et in prædicta nostra basilica sacra ex ossibus Reliquia ejusdem sancti Patris, a reverendissimo abbate venerabilis monasterii suprascriptæ urbis Massanæ vigore brevis Apostolici donata, publicæ fidelium devotioni exponitur, et reverenter colitur : nec non visitantibus eamdem basilicam prædicta die præsens SS. Dominus noster (*Benedictus XIV*) Pontifex maximus plenariam indulgentiam indulsit.

et in totis diœcesibus Catanensi et Syracusana,

12 Testamur insuper, paucis abhinc annis obtentam fuisse a prædicto Sanctissimo Domino extensionem Officii ejusdem Sancti tam per nostram Cathanensem quam Syracusanam diœcesim sub ritu duplici, sicut celebratur per totam Basilianam religionem ac diœcesim Messanæ et Archimandritæ. Unde in veri testimonium, ac ut omnibus pateat cultus et veneratio fidelium erga dictum Sanctum, præsentem fecimus manu aliena scriptam et propriis subscriptam, ac sigillo nostræ basilicæ ecclesiæ, quo utimur, in pede munitam. Dat. Platiæ die primo Januarii 1747. *Subscripserunt omnes instrumento ad nos misso, eorumque subscriptio testimonio et sigillo senatus Platiensis roborata est. Decretum S. R. Congregationis, quo cultus* S. Bartholomæi *extensus est ad diœceses Catanensem et Syracusanam, datum est 24 Martii anni 1741, et consequenter utriusque diœcesis episcopi festum istud Kalendario addi jusserunt, uti in scheda impressa exprimitur his verbis :* Do ordine illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Catanensis addatur in Kalendario præsentis anni 1741 a clero sæculari et regulari festum S. Bartholomæi Trigona abbatis, ex decreto S. R. C. sub die 24 Martii 1741 eo ritu, quo sequitur. *Omnia præscribuntur de communi Confessoris non Pontificis secundo loco cum lectionibus tertii nocturni de Abbatibus.*

ad quos Sancti cultus fuit extensus a Benedicto XIV.

13 *Subjungo instrumentum, Syracusis anno 1746 scriptum, quod sic habet :* Indubia reddi tur fides per me infrascriptum magistrum notarium ac vicecancellarium hujus M. E. C. Syracusanæ, qualiter in hac Syracusarum urbe, et in consecrato templo archiconfraternitatis S. Philippi apostoli adest propria cappella, paucis abhinc annis in cornu Epistolæ erecta, et altare lapideum ab illustrissimo et reverendissimo domino D. Matthæo Trigona Syracusarum episcopo consecratum in honorem sancti patris Bartholomæi Trigona, abbatis sancti Basilii Magni, fundatoris regii et magni monasterii sanctissimi Salvatoris Messanæ in lingua phari : in quo templo die decima nona Augusti cujuslibet anni, populo occurente, festum prædicti sancti Bartholomæi Trigona magna devotione solemniter celebratur : nec non paucis insuper abhinc annis extensionem Officii ejusdem Sancti a sanctissimo Domino nostro Papa, tam per hanc Syracusanam, quam per Catanensem diœcesim, sub ritu duplici obtentam fuisse, sicut per totam diœcesim Messanæ et Archimandritatus, ac per Basilianam religionem prædicto die celebratur. Unde, ut omnibus innotescat cultus et veneratio ejusdem Sancti, præsentem cum juramento confeci, ac mea propria manu subscripsi, ac sigillo cancellariæ hujus M. E. C. in pede munivi. Hodie Syracusis die prima Aprilis 1746. *Sequitur subscriptio et sigillum.*

Reliquiæ aliquot in monasterio SS. Salvatoris.

14 *De cultu reliquiarum* S. Bartholomæi *Messanæ in abbatia SS. Salvatoris aliud habemus testimonium, ab abbate et septem aliis anno 1745 datum et subscriptum, quod ita sonat :* Cunctis notum facimus ac testamur, in hujus venerabilis monasterii sanctissimi Salvatoris Messanæ celebri sacello Ordinis S. Basilii Magni inter cæteras insignes reliquias, ab immemorabi publicæ Christi fidelium venerationi expositas, repetitisque vicibus a visitatoribus Apostolicis ac ejusdem Ordinis authenticas recognitas declaratasque, brachium S. Bartholomæi abbatis, de Trigona vulgo nuncupati, hujusque monasterii, ut creditur, fundatoris, a scapulis ad cubitum usque, in statua ex cupro deaurato, capite argenteo, stomacho tenus asservari ; ejusdemque sancti Abbatis memoriam die 19 Augusti, qui ejus depositionis existimatur, Officio et Missa, eodem sacro pignore super altare exposito, celebrari. In cujus rei testimonium hoc dedimus documentum, sigillo monasterii munitum, ac propriis manibus subscriptum. In eodem cœnobio pridie Kal. Decembris anno a salute 1745. Dominicus Farinus abbas. Abbas D. Innocentius Pellegrini prior. Mag. D. Philippus Soria. D. Josephus Tamajelli magister novitiorum. Lector D. Demetrius Perelli Proc. Secr. D. Bartholomæus Spadaro. Diaconus D. Alexander Villare. Diaconus D. Petrus Majolino.

Sanctus aliis etiam locis cultus, et reliquiæ Romæ approbatæ.

15 *Quæ hactenus dicta sunt de vetusto cultu* S. Bartholomæi *de Trigona in Ordine Basiliano per totam Calabriam et Siciliam, qui habet Officium Græcum Sancto proprium; de cultu antiquo in tota diœcesi Messanensi, ubi recitatur Officium Latinum de communi, et de eodem extenso ad Catanensem et Syracusanam diœceses, in quibus antea coli cœperat, abunde sufficiunt ad* Bartholomæum *abbatem Operi nostro cum* Sancti *titulo inserendum. Lubet tamen observare, hisce terminis*

non

A *non omnino constrictum esse S. Bartholomæi cultum. Nam R. P. Vespasianus Trigona, a quo documenta illa omnia huc transmissa jam dixi, an. 1744 obtulit libellum supplicem Benedicto XIV, quo petiit, ut sibi liceret, quocunque esset loco, Officium de* S. Bartholomæo *Trigona die* 19 *Augusti peragere, pro rationibus allegans, tum quod vi obedientiæ non posset semper eo tempore esse in diœcesibus, ad quas cultus erat extensus, tum quod singulari ferretur devotione in Sanctum ex eodem secum genere natum. Pontifex autem* benigne annuit, attentis peculiaribus circumstantiis, *ut libello adscripsit illustrissimus dominus Ferdinandus M. De Rubeis archiepiscopus Tarsi Vicesgerens, subscripto etiam nomine et appenso sigillo suo, ut disco ex ipso libello, quem ante me habeo. Præterea Eminentissimus Cardinalis Guadagni, qui erat Benedicti XIV* vicarius generalis, *anno* 1757, *die* 9 *Novembris, per litteras patentes, quarum transcriptum exemplar habemus, approbavit particulam* ex ossibus S. Bartholomæi de Trigona,.... cum facultate... eam.. in quacumque ecclesia, oratorio aut cappella publicæ fidelium venerationi exponendi, *ut more consueto latius explica-* B *tur. Itaque Sancti reliquiæ anno* 1757 *Romam pervenerant.*

§ II. Acta Sancti græce scripta; unde ea ad nos missa, et quis auctor: Officium græcum: græca oratio panegyrica.

Vitæ græce scripta: geminum ex eodem codice apud nos apographum.

Acta S. Bartholomæi *abbatis Græce conscripta sunt, et jam præterito sæculo edita, sed latine, ab Octavio Caietano in vitis Sanctorum Siculorum tom. II cum aliquot observationibus. Ipsa Acta Græca huc missa fuerunt sub finem sæculi præcedentis aut hujus initium, ut colligo ex charactere Janningi nostri, qui apographo adscripsit, unde accepta sint, hisce verbis :* Ex bibliotheca S. Salvatoris prope Messanam cod. 41, pag. 244. *Verum istud apographum non caret mendis pluribus, ut alias quoque observavimus de apographis ejusdem characteris ex eadem bibliotheca acceptis Possemus* C *suspicari, menda illa haberi in ipso codice, et non esse solius transcribentis, nisi necessisset alterum apographum ex eodem codice exaratum, curante jam laudato Trigona, qui hoc cum reliquis huc transmisit : crebræ apographorum diversitates certum faciunt, erratum fuisse in transcribendo, cum ambo ex eodem codice sint transcripta. Licet ergo conjicere, codicem esse characteris difficilis, indeque contigisse, ut multa aliter lecta fuerint a primi apographi scriptore, aliter a scriptore secundi, quem non magis ausim ubique sequi, quam primum. Hinc multum proderit utriusque collatio, quemadmodum dicam inferius.*

Qualis sit ille codex, quando, et a quo scriptus.

17 *Scripsit secundum apographum.* D. Alexander Villare, hieromonachus monasterii SS. Salvatoris, et linguæ Græcæ professor, ac bibliothecæ hujus Magni monasterii sanctissimi Salvatoris in lingua phari custos, *ut ipse subscripsit, et declaravit in testimonio vitæ subjecto. Ex hoc testimonio ad propositum nostrum nonnulla huc transfero.* Exscripsi, *inquit,* ex codice 41 dictæ bibliothecæ superiorem Orationem de vita et conversatione sancti patris Bartholomæi, fundatoris magni monasterii in extremitate Messanæ. Est autem codex hujusmodi integer membranaceus in folio majoris, Græco numero M. A. (id est 41) obsignatus, tabulisque leucophæa pelle contectis coopertus, inscriptusque exterius Μετ. nempe Metaphrastæ. Ceterum qui illum scripsit, Daniel sceuophylax; magnæ mandræ Salvatoris promontorii Messanæ, πανηγυρικόν vocat, scilicet panegyricum. *Tum observat, integrum istud Opus, nempe quod* Metaphrastæ *inscribitur, verisimiliter quia non paucus exhibet Metaphrasta lucubrationes, duobus constare tomis.* In secundo igitur volumine, *inquit,* quod festivitates Sanctorum exhibet ab 8 Kal. Aprilis usque ad 4 Kal. Septembris, legitur dicta Oratio, triginta quatuor columnis comprehensa... Scriptus est autem codex anno 6816 circiter ab orbe condito, ut Græci calligraphi supputant, id est, 1316 ab Incarnatione Domini, ut patet ex notula apposita in priori volumine hujus Operis. *Huic testimonio laudatus Villare subscripsit eiusque subscriptio confirmata est testimonio et sigillo sanatus Messanensis.*

Auctor. 1. 8.

Edita est a Caietano, sicut erat latine reddita.

18 *Octavius Caietanus, qui hanc Orationem vitis Sanctorum Siculorum latine inseruit; aut forte Petrus Salernus, qui opus posthumum Caietani perfecit et edidit, tom. II, pag.* 136, *hanc eidem præfixit titulum :* Vita S. Bartholomæi, fundatoris magni monasterii sancti Salvatoris, a E Daniele monacho scripta, et ex Græcis codicibus translata. *Titulus brevior est in postrema apographo, et sic habet :* βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν βαρθολομαίου. Vita et conversatio sancti patris nostri Bartholomæi. *Apposuit Caietanus titulum Fundatoris S. Salvatoris, qui Sancto revera congruit, ut indicaret ipso titulo, cur Sanctum, quem in Annotatis fatetur,* ad Siciliam non pertinere,... sed ad Calabriam, *Sanctis Siculis admiscuerit, nimirum, ut ait ibidem,* quod sacram historiam Siculam contineret, ortumque celeberrimi monasterii sancti Salvatoris prope Messanam. *Unde vitam Græcum acceperit, et quis eam latino sermone expresserit, idem declarat hoc modo :* Hanc vero Orationem, Græce scriptam, habuimus ex Mss. codicibus eiusdem monasterii sanctissimi Salvatoris : in Latinum transtulit P. Augustinus Floritus e nostra Societate.

Nunc græca dabitur cum priore interpretatione in paucis correcta.

19 *Quod spectat ad interpretationem, quam diligenter cum Græcis contuli, ea verbis Græcis presse non inhæret; sed sensum verborum passim recte exprimit. Quidquid alii senserint, malim ego interpretationem verbis, quam fieri potest, proxime inhærentem, quia frequenter deprehendi,* F *ex translatione liberiore non semper eadem probari posse, quæ ex textu authentico recte sequuntur, aut contra ex sic translatis aliqua sequi, quæ ex græcis nequeunt eruit. Hinc dubitavi, an non expediret novam componere interpretationem, verbis græcis magis consonam; sed, consideratis omnibus, antiquam potius recudendam censui, ut viderer damnare laborem egregii interpretis, qui majorum virorum secutus est judicium, dum se verbis minus adstrinxit. Cum tamen etiam subinde aliqua omiserit, tanquam non necessaria, illa ubique adjungam; imo et pauca hinc inde corrigam, ubi advertero, ea sensui græco minus videri consona, et sic studiosus lector habebit textum latinum in nonnullis correctum. Græcum vero textum dabo ex duobus apographis inter se et cum textu latino interpretis collatum, secundi apographi menda corrigendo ex primo, ubi id fieri poterit. Si utrumque apographum in aliquot locis æque videbitur*

AUCTORE J. S.

videbitur mendosum, nec facilis sit correctio; lectorem monebo in Annotatis, et remittam ad textum latinum interpretis, qui codices ipsos facilius potuit consulere.

Auctor Vitæ passim dicitur Daniel qui scriptor est codicis.

20 *Nunc pauca etiam dicenda de ætate et fide auctoris Caietanus in Annotatis pag.* 50 *de hac vita ait :* Quam Daniel monachus divi Bartholomæi synchronos scripsit. *Scriptam a Daniele monacho etiam testantur alii, nimirum modo laudatus Alexander Villare et mox memorandus Benedictus Monaldinus, eiusdem monasterii monachus, qui ambo Danielem vocant* Sceuophylacem, *sive sacrorum cœmeliorum custodem. At nullus eorum addidit, Danielem illum fuisse Sancto synchronum. Imo duorum modo memoratorum testimonia, quæ iisdem fere verbis concinnata sunt, Danielem videntur facere scriptorem integri codicis, et hunc asserunt scriptum circa annum* 1316, *et sic videntur Danielem duobus fere sæculis* S. Bartholomæo *facere juniorem. De tempore codicis scripti Monaldinus plane consentit cum verbis supra datis. Illum autem scriptum a Daniele, clarius etiam loquitur. Nam. postquam dixerat, ex codice* 41, *qui exterius* MET., id est Metaphrastes, *inscribitur,*
B *exscripsisse se aliam Orationem mox memorandam, ita pergit :* Cæterum, qui illum scripsit, Daniel, sceuophylax magnæ mandræ Salvatoris extremitatis Messanæ, illum πανηγυρικόν vocat. Totum hoc Opus πανηγυρικόν duobus voluminibus ejusdem ferme molis et characteris prorsus ejusdem continetur *etc. Nequeo ego hæc aliter intelligere, quam geminum istum codicem, qui circa annum* 1316 *scriptus dicitur, exaratum esse a Daniele. Itaque si idem ille Daniel sit auctor vitæ, ab ætate* S. Bartholomæi *distabit duobus fere sæculis. Attamen vitæ scriptorem videri coævum, uti et auctorem alterius Orationis, modo memorandæ, probabo inferius.*

Oratio panegyrica, quæ dicta est

21 *Oratio altera, quam ex eodem codice* 41 *exscripsit Monaldinus, græco-latina est, et sub* die 19 Augusti, *ad quem verisimiliter legitur in codice, hunc habet titulum :* Oratio de laudibus sancti patris nostri Bartholomæi, fundatoris magni monasterii in extremitate Messanæ. Benedic, Pater. *Græce,* λόγος ἐγκωμιαστικός εἰς τὸν ὅσιον *etc., ad litteram,* Sermo encomiasticus in Sanctum *etc. Si Daniel scripsit codicem, et quia codicis scriptor est, vitæ etiam censendus est, hæc quoque Oratio*
C *eidem nihilo minus veniet adjudicanda. At ex ipsa Oratione manifestum fit, dictam non esse in Sicilia aut Messanæ, sed in Calabria, in qua* S. Bartholomæus *et natus est et defunctus; dictamque fuisse non duobus fere sæculis post obitum Sancti, sed annis verisimiliter solum paucis, quando ejusdem in vivis erant discipuli. Ex principio Orationis liquet, dictam esse in Calabria, cum orator sic ordiatur :* Paternæ festivitatis commemorationem hodie celebramus, o patres, nobis certe, si ulli umquam, maxime convenientem. Nostras enim est pater ille, qui a nobis recolitur. Spiritualibus doloribus hic nos peperit, religiosisque exercitationibus et disciplinis, ut ita dicam, obstetricatus est. Hujus itaque hinc a nobis transitum sacris hymnis veneramur. *Hæc ex græcis recte translata. Vox autem* nostra, *græce* ἡμεδαπός *omnino ostendit, oratorem hæc dixisse in Calabria, ubi natus erat Sanctus.*

ab auctore contemporaneo

22 *Sequentia ulterius manifestant, oratorem fuisse Sancti discipulum et ad ejus discipulos dixisse. Quæ deinde sequuntur, rursum insinuant, annis non multis post mortem Sancti Orationem fuisse habitam : nam orator multis ratiociniis probare nititur, mortuos non esse flendos, et nominatim lugendam non esse mortem* S. Bartholomæi, D
et ultra mediam Orationis partem ad illud propositum impendit. Talis autem oratio plane importuna fuisset, si longo post eius mortem tempore dixisset Orator ad eos. qui Sanctum numquam noverant. Clarius deinde Orator dicit, contemporaneum se fuisse, ita loquens : Vir enim ille memoria nostra unus fuit, veteres illos sanctos patres qui æmulari contenderet. *Illud* memoria nostra *græce est,* ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς γενεᾷ, *latineque alias exponi potest* ætate nostra. *Non minus manifeste inferius auctor declarat, nonnullos superfuisse, dum perorabat, qui instructiones* S. Bartholomæi *auribus suis exceperant. Sic enim loquitur :* Sciunt, quotquot eius catecheses audierunt, verissime de ipsius verbis dici posse, quod de Sirenum cantu fabulantur. *Itaque nullum debet esse dubium, quin auctor illius Orationis* S. Bartholomæo *fuerit contemporaneus aliusque sit a Daniele, si hic codicem conscripsit circa annum* 1316. *Redeamus ad vitam.*

sicut et Vitæ omnino videtur scriptor contemporanei.

23 *Quemadmodum alius est codicis circa annum* 1316 *collector et scriptor. alius auctor Orationis modo dictæ, ut probavi : sic alius quoque censendus est auctor vitæ edendæ : nam et hic contemporaneum se variis locis ostendit et luculentissime insinuat, in Calabria se scripsisse, ut lector* E
studiosus facile deprehendet. In Præfatione sic loquitur, ut insinuet, si primum de gestis Sancti scribere, idque se facere eo tempore, quo virtutes Sancti oblivione necdum erant obscuratæ. Recte nos facturos arbitrati sumus, *inquit,* si vitam proderemus Deo in primis gratam,.... neque virtutes eius obscurari oblivione sineremus. *Ex hic verbis colligitur, necdum scriptam fuisse* S. Bartholomæi *vitam, dum id noster biographus facere cœpit: nec Sanctum tunc tanto tempore fuisse defunctum, ut virtutes ejus tractu temporis essent obscuratæ. Eadem ex fine Præfationis rursum colligi possunt. Deinde num.* 3 *ait,* omnibus fere præsentibus, *(ad monachos autem loquebatur) fuisse notum, in quo oppido natus esset Sanctus, sic utcumque insinuans, plerosque id ex ipso Sancto discere potuisse. Tota quoque relatio auctorem repræsentat contemporaneam, cum præcipuæ personæ passim nominentur, et multa enucleate exponantur, maxime posteriora. De rogerio Siciliæ rege, qui non diu post medium sæculi* 12 *obiit, loquitur tamquam* F
de vivente, sicut etiam de Luca S. Bartholomæi *successore, et certe neutrius mortem ullibi indicat. De Luca num.* 39 *sic habet :* Lucas is erat (*quem. scilicet successorem designabat Sanctus*) monachorum sanctitate omnium in monasterio præstantissimus, et magni hujusce Patris expressam effigiem simulacrumque in se ipso retinens. *Vox* retinens, *cui respondet græca* ἀποσώζων, *viventem innuit. Poterat sic loqui de Luca, quia verisimiliter aberat, cum factus sit archimandrita monasterii SS. Salvatoris.*

sed neutra Danieli, qui codicem scripsit, attribuenda.

24 *Quapropter sub præfectura Lucæ, nimirum dum erat archimandrita in cœnobio SS. Salvatoris, verisimiliter scripta est hæc vita, et dubitandum non videtur, quin scripta sit ab auctore contemporaneo et Sancti discipulo. At ille non fuit Daniel sceuophylax monasterii S. Salvatoris prope Messanam. qui sæculo* 14 *codicem conscripsit, et in eam multas vitas ante scriptas, ut fieri solet, congessit. Hac de causa vitam non edam nomine* Danielis, *ut fecit Caietanus, sed Anonymi contemporanei. Nam vehementer suspicor Danieli solum attributam fuisse, quia reperitur in codice*

A *dice per Danielem exarato. Dicta illa primum fuit ad concianem, quantum videtur ex allocatione num. 3 : habet tamen magis formam vitæ quam Orationis panegyricæ. Altera Oratio, de qua jam egi, similiter auctorem habet anonymum. Hanc non censeo totam edendam, quia pars major moralis est et ad vitam Sancti minime spectans. At partem historicam, qua generatim aliqua de Sancto referuntur, dabo ut elogium una cum pluribus aliis ex Officio Græco recitandis* § 3.

Græcum Officium sub successore Sancti compositum :

25 *De Officio Græco sufficientia testimonia jam protuli num.* 4 *et* 5, *quæ videri possunt. Qui illud ex codice exscripsit, latineque redditum multis annotatibus illustravit, Thomas Stanislaus Velasti, Societatis nostræ sacerdos, existimat, compositum esse sub Luca*, S. Bartholomæi *successore, ita scribens :* Hoc Officium compositum esse statim post mortem S. Bartholomæi, datet ex στιχηρῷ secundo Odes nonæ Matutini, in quo imploratur ejus intercessio pro eius successore immediato, qui fuit Locas, primus archimandrita S. Salvatoris. *Verba loco allegato a monachis ad Sanctum diriguntur et sic habent :* ὅν λέλοιπας διάδοχον σῆς ἀρχῆς, φοιτητήν σου γενόμενον γνήσιον καὶ B μιμητὴν καὶ τῆς σῆς ἀσκήσεως ζηλωτὴν, ταῖς ἀρεταῖς ἐκλάμψοντα, ἀνώτερον τήρει παντὸς κακοῦ σὺν πάσῃ τῇ σῇ ποίμνῃ, ἣν ηὔξησας σοῖς πόνοις καὶ διδαχαῖς σου πανασοίδιμε. *Hæc ita latine reddo secundum verba ipsa.* Quem reliquisti præfecturæ succesorem, discipulum tuum genuinum, imitatoremque et æmolatorem religiosæ vitæ tuæ, virtutibus splendentem, superna ope ad omni malo conserva, cum omni grege tuo, quem laboribus doctrinisque tuis auxisti, Vir maxime venerande. *Hæc verba omnino insinuant, compositum fuisse Officium, dum Lucas Sancti successor, aut alius* Bartholomæi *discipulus, qui Lucæ ad cœnobium SS. Salvatoris translato successerat, in vivis erat, monachique complures supererant, qui Sanctum audiverant docentem. Aliis quoque locis* S. Bartholomæi *discipulos monachi se dicunt in Officio.*

ex quo varia recitabuntur elogia.

26 *Neque hic deci debet, verba allegata aliaque, quibus insinuatur, Officium tempore proximi successoris fuisse compositum, etiam recitata fuisse sequentibus sæculis, et ab iis, qui Sanctum certo non noverant, ideoque ex illis verbis non recte* C *inferri, Officium fuisse compositum eo tempore : monachos enim* S. Bartholomæi *posse vocari discipulos, modo vivant in congregatione ab eo instituta, et omnes abbates monasterii Rossanensis ejusdem esse successores. Sic, inquam, non recte ratiocinabimur : nam, licet monachi eo sensu possint pergere in recitando Officio ante composito : non fit tamen verisimile, sic compositum fuisse Officium, ut verba illa ab initio explicanda fuerint sensu minime obvio et minus proprio. Quopropter dubitare nequeo, quin sub* S. Bartholomæi *discipulo et successore compositum sit Officium, non quidem statim post Sancti mortem, eo tamen tempore, quo aliqui supererant ex eiusdem discipulis, sive annis forte viginti aut triginta post obitum* S. Bartholomæi; *et post scriptam Vitam, cui Officium omnino consentit. Itaque ex eo, tamquam ex monumento scriptoris contemporanei, præcipua discerpam elogia. Totum vero edendum non censui, ne fiam prolixior in iis, quæ ad gesta aut virtutes Sancti non pertinent. Post Officium accedunt fragmenta nonnulla alterius libri ritualis, quæ ex alio codice SS. Salvatoris decerpsit et latina fecit laudatus Velastus. Ex his dabo, quæ videbuntur ad propositum nostrum conducere.*

§ III. Elogia S. Bartholomæi, ex Oratione panegyrica, ex Officio græco, et ex alio codice selecta.

Elogium Sancti generale ex Oratione in qua etiam

A*mplum* S. Bartholomæi *elogium subministrat oratio num.* 21 *commemorata, in qua auctor, postquam multis contenderat, de morte eius non esse dolendum, virtutes Sancti ita celebrat :* Ἀνὴρ γάρ ἐκεῖνος μόνος ἐν τῇ καθ' ἡμῶν γενεᾷ τοῖς παλαιοῖς ἁγίοις πατράσιν ἁμιλληθεὶς, τοῖς ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ τῇ Σκίτῃ καὶ τῷ (*forte* τῇ *legendum*) τῆς Νιτρίας ἐκλάμψασιν, ὧν τὴν θαυμαστὴν πολιτείαν διδάσκει τὰ κατ' αὐτοὺς ὑπομνήματα. Τούτων τοὺς μὲν ἐμιμήσατο, τῶν δὲ ὑπερήρθη, τῶν δὲ κατ' ἀρετὴν οὐ γέγονε δεύτερος. Vir enim ille memoria nostra unus fuit qui veteres illos sanctos Patres æmulari contenderet; illos, inquam, qui in eremo tam in E Scite quam in Nitria eluxerunt : quorum admirabilem vivendi rationem docent relicta de ipsis scriptorum monumenta. Horum alios quidem imitabatur, alios superabat, aliis virtutibus non cedebat. *Ita generatim Orator, cujus verba ipsa latina feci, quod accepta interpretatio subinde longius recedat a Græcis. Similiter reliqua meo transferam modo, usurus tamen verbis prioris interpretis, ubi non recedunt a verbis græcis. Post dicta generalia ad facta etiam particularia procedit auctor.*

celebrandum peregrinatio Sancti, et indumenta dura.

28 Νέος μὲν κομιδῇ τὸν χρηστὸν ὑπελθὼν τοῦ Κυρίου ζυγὸν, πολιτείαις δὲ διαφόροις ἐγγυμνασθεὶς, καὶ ἐν ἑκάστῃ δόκιμος εὑρεθεὶς. Πρότερον μὲν γὰρ τὸν ἀλήτην ἠσπάσατο βίον, καὶ ξένος τῆς πατρῴας γέγονε γῆς, ταύτην εὑρὼν πρώτην βαθμίδα τῆς καλῆς ἀναβάσεως, ἣν καὶ ἡ ἀσκητικὴ κλίμαξ ἐξυπέθετο. Καὶ τόπον ἐκ τόπου ἀμείβων, τὴν οἰκουμένην διήρχετο, τοῖς ἐν ἑκάστῃ χώρᾳ φιλοσοφοῦσι τὴν κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίαν συνομιλῶν, καὶ καθάπερ μέλιττα, συλλέγων πανταχόθεν τὸ χρήσιμον. Περιενόστει δὲ φιλόσοφον καὶ ξενὴν διαγωγὴν μετερχόμενος, ἀνήλειπος μὲν πόδε, καὶ F τρίχος ἐνημμένος * τραχὺ καὶ σκληρόν, ζώνῃ δὲ σκυτίνῃ περισφίγγων τὴν ὀσφὺν, περικεκαρμένην καὶ ἀπαρακάλυπτον εἶχε τὴν κεφαλὴν, τὸν μέγαν ἀδελφόθεον ἐν τούτῳ μιμούμενος. *Periodus hæc cohæret cum priore :* Quandoquidem adolescentulus admodum suave Christi jugum subierit, variis autem vivendi rationibus se exercuerit, et in singulis se probaverit. Nam primum vitam amplexus est vagam, exsulavitque e solo patrio, hunc primum inveniens recte ascendendi gradum, quem et Scala vitæ asceticæ docuit. Hinc de loco ad locum procedens, orbem terrarum peragrabat, in unaquaque regione cum viris Christianam philosophiam professis conferens de studio sapientiæ Christianæ, et aptis instar undique utilia colligens. Peregrinabatur autem, philosophicum et novum repræsentans vitæ institutum, pedibus nudus, indotus penula attrita duraque et aspera, lumbos constringens zona coriacea : caput circumtonsum habebat et detectum, imitatus hac in re magnum Domini fratrem. *Quod auctor dicit de Jacobo fratre Domini, acsi eadem fecisset, non est accuratum : neque enim omnia illa de S. Jacobo asseruntur. At pergamus.*

* *forte* τρύχος ἐνημμένος

29

Secedit S. vita in monte solitaria,

29 Ἐπεὶ δὲ ἅλις εἶχεν τῆς καλῆς ταύτης ἄλης, τὸν ὀρειφοίτην ἀμείβει καὶ ἥσυχον βίον, καὶ εἰς ὄρος εἰσδύεται ἥσυχον πάντη καὶ ἔρημον, καὶ ἀνθρώποις μὲν ἄβατον, θηρσὶ δὲ περίπλεων. Ἐν τούτῳ γοῦν βραχεῖαν καλύβην πηξάμενος, ἄλλος ἦν Ἠλίας, οἰκῶν τὸ ὄρος ὡς ἐκεῖνος τὸν Κάρμηλον, στενῇ τε μάζῃ καὶ λαχάνοις ἀγρίοις τρεφόμενος, καὶ τοσαῦτα παρέχων τῷ σώματι, ὁπόσα εἴργει μὲν ἀποθανεῖν, ἰσχὺν δὲ τῷ σώματι οὐκ ἐντίθησιν, εὐχῇ δὲ ἀδιαλείπτῳ προσκαρτερῶν. Καὶ καθάπερ ἡνίοχον τῶν παθῶν ἐπιστήσας τὸν λογισμὸν, ὅλον ἑαυτὸν τοῦ Θεοῦ ἔδειξεν οἰκητήριον. Ἐν οἷς γὰρ ὁ λόγος τὸ κράτος ἔχει, ἐνταῦθα Θεὸς οἰκεῖ, καθαρὰν τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα θεώμενος. Μελέτη δὲ ἦν αὐτῷ τῷ μάκαρι, τῷ μὲν Θεῷ οἰκειωθῆναι, τοὺς δὲ ἀνθρώπους λαθεῖν· ᾔδει γὰρ ὡς ὁ τὴν ἀνθρωπίνην δόξαν ἐφ' οἷς πράττει ζητῶν, οὐ γνησίαν ἔχει τὴν ἀρετήν. Postquam præclaræ hujus peregrinationis satis habebat, quietam in montibus vitam amplecti statuit, et in montem subit omnino solitarium, hominibus quidem inaccessum, feris vero plenum. Fixo hic modico tugurio, alter Elias erat, montem incolem, ut ille Carmelum, modicaque polenta (*forte* modico pane, *nam vox dubiæ significationis est*) et herbis agrestibus nutritus, tantumque
B tribuens corpori, quantum sufficiebat ad mortem arcendam, et nequaquam ad augendas corporis vires. Precibus indesinenter instabat. Cum animi affectionibus rationem tamquam aurigam præposuisset, totum se Dei habitaculum fecit. Eos enim, in quibus ratio dominatur, Deus inhabitat, imaginem suam perspiciens immaculatam. Cura Beato erat, ut familiaris fieret Deo, homines vero lateret. Probe enim noverat, eum, qui humanam in factis suis captat gloriam, vera virtute destitui.

fructus et suavitas ejus hominum.

30 *Tum generatim ait orator, sanctum Solitarium paulatim innotuisse, multosque ad eum concurrisse, ita pergens de fructu :* καὶ ἀνεζωπυροῦτο εὐθὺς ἡ εὐσέβεια, καὶ ἡ μετάνοια ἐκηρύττετο, καὶ ἡ τῶν ἐπταισμένων ἐξομολόγησις, ἤδη ἀποσβεσθεῖσα ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι, καὶ ἀγνοουμένη τοῖς πλείοσι. Συνέρρεον οὖν ὅσοι τῶν καλῶν ἐρασταὶ, καθὼς πάλαι πρὸς Ἰορδάνην, τοῦ Ἰωάννου βαπτίζοντος, ἐξομολογούμενοι ἕκαστος τὰ ἴδια πταίσματα. Καὶ οἱ μὲν ὑπενόστουν θαυμάζοντες τὴν ἐν τῷ ἤθει εὐσχημοσύνην, τὴν ἐν τῇ σιωπῇ κοσμιότητα, τὴν ἐν τῷ λέγειν ἡδύτητα· οἱ δὲ, καθάπερ δεσμοῖς, τοῖς ἐκείνου λόγοις ἐδέδεντο. Καὶ ἦν ἰδεῖν τὸν μῦθον τῶν σειρήνων τρόπον ἄλλον ἐπαληθεύοντα. Χάρις γάρ τις πνευματικὴ καὶ πειθὼ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ ἐπεκάθητο, καὶ ψυχομαγνήτης ἐτύγχανεν
C ἄρρητος. Εὔπορος μὲν εὑρεῖν διὰ νοὸς καθαρότητα, εὔκολος δὲ εἰπεῖν διὰ φύσεως ἐπιτηδειότητα. Ὤδινε μὲν ῥᾷστα ὁ λογισμὸς, ἡ δὲ μνήμη ἐπέκρινε, καὶ ἡ διάνοια ἐπιβάλλουσα παρεῖχε τῇ γλώττῃ προσάγειν εἰς φῶς· ἡ δὲ δεχομένη οὐ κατὰ στράγγα ἔρρεεν, ἀλλ' ἀφθόνῳ ῥεύματι. Ἴσασιν ὅσοι τῶν ἐκείνου κατηχήσεων ἠκροάσαντο, ὅπως ὁ τῶν σειρήνων μῦθος ἀτεχνῶς ἐν τοῖς ἐκείνου λόγοις ἀληθεύων ἐδείκνυτο. Et confestim resuscitata est pietas, pœnitentia prædicata, et peccatorum confessio, quæ illis in partibus quasi exstincta erat et pluribus ignota. Concurrebant igitur, quicumque bonorum erant amatores, quemadmodum Joanne prædicante ad Jordanem, confitentes singuli delicta sua. Alii autem, dum discebant, admirabantur morum ejus honestatem, silentii modestiam, verborum suavitatem. Alii vero ejus verbis, tamquam vinculis, detinebantur, et sic alio modo sirenum fabula vera fieri cernebatur. Nam spiritualis quædam gratia et vis persuadendi erat in labiis ejus, magnesque quidam ineffabilis animos attrahens. Facilis erat inveniendum per mentis perspicaciam, abundans ad dicendum per ingenii præstan- D
tiam. Facillime intellectus ejus concipiebat, memoria discernebat, mensque in lucem proferenda linguæ suggerebat; hæc vero accepta non guttatim, sed largo fluxu effundebat. Sciunt, quotquot ejus instructiones audierunt, qua ratione sirenum fabula plane de ejus verbis vera sit demonstrata.

gratia apud principes.

31 Ἔγνωσαν αὐτὸν καὶ βασιλεῖς Αὐσόνων, καὶ ἰδόντες ἐθαύμασαν, ὁμοτράπεζον πεποιηκότες, καὶ τῶν αὐτοῦ λόγων ἐπεντρυφήσαντες, δι' αἰδοῦς τε ἦγον καὶ πάσης τιμῆς, τὸ παχὺ τρίχος *, ὃ ἐχλαινίζετο τῇ τοῦ Θεσβίτου μηλωτῇ παραβάλλοντες· καὶ ἡγεμόνες, καὶ τοπάρχαι, καὶ ἀρχιερεῖς, ἱερεῖς τε καὶ μονάζοντες, καὶ λαοὶ ἅπαντες δι' αἰδοῦς αὐτὸν εἶχον καὶ θαύματος. Noverunt ipsum etiam Ausonii reges, cognitumque admirati sunt et mensæ suæ participem fecerunt : verbis ejus delectati sunt, et cum reverentia magnoque honore eumdem tractarunt crassam tritamque tunicam, qua erat indutus, cum melote Thesbitæ comparantes. Duces, toparchæ, episcopi, sacerdotes, monachi, omnesque populi ipsum venerabantur et admirabantur. *Per reges Ausonios intelligendi sunt principes, qui in Calabria et Sicilia iis temporibus fuerant,* E
et vel maxime Rogerius Siciliæ rex.

* *forte* τρύχος

virtutum excellentia et beatus obitus

32 Τοιοῦτος γενόμενος καὶ πυρσοῦ δίκην ὑπεραστράψας, καὶ ἀρετῆς ἄγαλμα καὶ εἰκὼν τοῖς ὕστερον γεγονὼς, ἐν αὐτοῖς τοῖς ἀσκητικοῖς ἱδρῶσι πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν, ὃν ἐπόθει διαφερόντως, καὶ οὗ διὰ πράξεως καὶ θεωρίας ἐξήρτητο· καὶ νῦν τῶν πολλῶν πόνων τὰ γέρα κομίζεται. Πέπεισμαι δ' ὅτι καὶ ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἐκείνου παίδων ἐντυγχάνει Θεῷ, καὶ νοητῶς ἡμῖν σύνεστι καὶ συναγελάζεται, περισκοπῶν εἰ τὰς ἐκείνου παραδόσεις ἀκιβδήλως φυλάττωμεν *etc.* Talis cum esset factus, et veluti fax coruscaret, seque posteris virtutis simulacrum et imaginem fecisset, in ipsis religiosæ exercitationis laboribus emigravit ad Dominum, quem maxime desiderabat, cuique et actione et contemplatione adhæserat; et nunc multorum laborum habet præmia. Mihi autem persuadeo, ipsum quoque pro nobis filiis suis intercedere apud Deum, nobisque adesse et sociari intelligibili modo, ac circumspicere, an traditiones nobis impertitas sincere observemus, *etc. Concludit orator precando, ut Sanctum omnes imitentur.*

Officium celebrat fugam rerum mundanarum et patriæ,

33 *Progredior ad Officium, in quo multa reperiuntur elogia, eaque vitæ edendæ consona, sed neglecto fere temporis ordine. Cum autem nobis propositum sit historias Sanctorum maxime illustrare, conabor particularia reducere ad ordinem* F
in vita servatum. De patria et parentibus Sancti Officium non agit. In Vesperis versus primus agit de relictis bonis, quæ deseruit S. Bartholomæus, *quando clam a parentibus discessit, et sic habet :* τρυφὴν παμμάκαρ τοῦ βίου, πλοῦτον καὶ εὔκλειαν ὡς ὄναρ ἐλογίσω, καὶ Χριστὸν ἀντὶ πάντων ἐμφρόνως ἠρετίσω, οὗ τὸν σταυρὸν ἐπὶ ὤμων ἀράμενος, Βαρθολομαῖε, τοῖς ἴχνεσι τοῖς αὐτοῦ εὐπειθῶς κατηκολούθησας. Vitæ delicias, beatissime, opes ac nominis celebritatem tamquam somnia reputasti, sapienterque rebus omnibus præstolisti Christum; cujus crucem humeris tuis imponens, Bartholomæe, ejus vestigiis docilis inhæsisti. *Ad idem spectat in Matutino Troparium tertium odes primæ, quod ita sonat.* ὅλος Θεῷ ἀνατεθεὶς, μακάριε, ἀπὸ νεότητος, καθάπερ γῆ πίων, θεῖον σπόρον δέδεξαι ταῖς τῆς καρδίας αὔλαξιν, ὃν ἀδρύνας τοῖς πόνοις, τὸν στάχυν ἑκατοστεύοντα εὐαγγελικῶς, πάτερ, ἤνεγκας. Cum te totum a juventute Deo dedicasses, Beate, tamquam terra pinguis, divinum semen cordis susce-

pisti

pisti sulcis, quod laboribus excultum tuis centesimum tibi, secundum Evangelium, attulit fructum, Pater. *Accedit Troparium, quod ibi sequitur* : νεανικῶς πρὸς τοὺς ἀγῶνας ὥρμησας τοὺς τῆς ἀσκήσεως, καὶ τῆς ὁδοῦ ταύτης θεμέλιον τέθεικας τὴν πολιτείαν, ὅσιε· καὶ φυγὰς τῆς πατρίδος, Βαρθολομαῖε, γενόμενος, ἐν τούτοις ἐκτήσω ἄτυφον. Ad monasticæ vitæ certamina juvenis accurristi, et hujus viæ fundamentum, Sancte, jecisti rectam vivendi normam : exsulque e patria factus, hoc modo, Bartholomæe, humilitatem assecutus es.

peregrinationem ad viros sanctos in austero habitu.

34 *De peregrinatione ad viros sanctos Ode quarta sic canit* : ἐπιζητῶν τοὺς φιλαρέτους καὶ σώφρονας μόνοις τούτοις συνδιῆγες, ὅσιε, ἑκάστου βίον περισκοπῶν, καὶ ὡς ἐκ λειμῶνος τὸ κρεῖττον ἐρανιζόμενος, συχνάκις μεταβαίνων ἔθνη, πόλεις καὶ κώμας, ξένος, πένης, τοῖς πᾶσιν ἀγνώριστος. Investigans viros virtutis amantes et sapientes, cum his solis familiariter egisti, Sancte, uniuscujusque vitam considerans, et tamquam ex prato meliora colligens, frequenter transmigrans ad gentes, civitates, vicos, peregrinus, pauper, omnibus ignotus. *Ita Troparium secundum. Tertium hæc habet* : ῥακοφορῶν καὶ μονοχίτων διήνυες, κεκαρμένος, ἀσκεπής, ἀνήλιπος, ἐξ ἀσιτείας ἐκτετηκώς, καὶ ζηλῶν ἐν τούτοις τὸν Ἰάκωβον τὸν ἀδελφόθεον, βαστάζων ἐν χερσί σου βακτηρίαν, ὡς Ἀνδρέας ὁ μέγας πρωτόκλητος. Sacco indutus et unica tectus tunica vitam tolerabas, capite tonso et aperto, nudis pedibus, jejunio extenuatus, in his Jacobum fratrem Domini æmulatus, gerens in manu baculum cruce insignem, quemadmodum magnus Andreas, qui primus est vocatus. *Hæc de peregrinationibus Sancti. At quæ de S. Jacobo fratre Domini et de S. Andrea apostolo hic dicuntur, hic non examino.*

vitæ ejus eremiticæ excellentiam

35 *Quod ibi sequitur Troparium quartum, transit a peregrinatione ad vitam solitariam, quam in monte duxit, donec innotesceret.* Ἀναδραμὼν τὴν οἰκουμένην, ἀοίδιμε, συλλέξας ἐκ πάντων τὸ χρήσιμον, πρὸς βίον αὖθις ἐρημικὸν ἑαυτὸν μετῆξας, καὶ ὀρειφοίτης γενόμενος, θηρίοις συνδιῆγες ἀβλαβὴς διαμένων· ἀρετὴν γὰρ καὶ θῆρες σεβάζονται. Ubi orbem peragraveras, o Venerande, et ex omnium moribus, quæ erant utilia, collegeras, ad vitam solitariam iterum te transtulisti, montiumque habitator effectus, cum feris degebas illæsus : virtutem enim et feræ venerantur. *Excellentiam vitæ ejus anachoreticæ prædicat illa pars Officii, quæ Græcis* ὁ οἶκος habitaculum *dicitur, his verbis* : ἄστρων ἠμαύρησεν ἀγλαΐα καὶ σελήνης τὸ σέλας, τοῦ ἡλίου σαφῶς ἐκ τῆς ἑῴας ἀνίσχοντος· τῶν καθ᾽ ἡμᾶς δὲ θείων πατέρων ἀρεταῖς ὑπερήρθη Βαρθολομαῖος, τῶν ἀσκητῶν γεγονὼς μιμητὴς τῶν ἀνέκαθε, καὶ πρᾶξιν γνώσει κοσμήσας, ἐν ἀμφοῖν οὐδενὸς ὤφθη δεύτερος. Διὸ χοροῖς συναυλίζεται τῶν ἁγίων, ὧν γέγονε ζηλωτής, πρεσβεύων ὑπὲρ πάντων ἡμῶν. Siderum splendor et lunæ claritas obscuratur, dum ab oriente sol manifeste exurgit : sic supra divinos patres temporum nostrorum elevatus est Bartholomæus, priscorum patrum imitator factus : factaque cum exornasset intelligentia, in ambobus nulli visus est secundus. Quapropter choris interest Sanctorum, quos imitatus est, pro nobis omnibus intercedens. *Interpretatio data certa est, etiamsi lectio Græca videri possit dubia ob verbum* ἠμαύρησεν, *quod significatione passiva ab* ἀμαυρέω *derivatum credo, etiamsi id verbum in lexicis non invenerim. Si ab* ἀμαυρόω obscuro *significatione activa derivatur, legendum est* ἠμαύρωσε *et pro* σαφῶς *ponendum* τὸ φῶς *et pro* ἀγλαΐα *in accusativo casu* ἀγλαΐαν. *Sic eadem erit significatio : magis tamen credo, nihil mutandum.*

AUCTORE ... et virtutum in ea præstantiam,

36 *Quod ibi præcedit Contacion, Sanctum prædicat, ut* ἐν ἀσκήσει φαεινότατον λαμπτῆρα καὶ μονοτρόπων ἀκριβέστατον κανόνα in vita monastica lucidissimam facem, et idem institutum amplexis accuratissimam regulam *etc. Rursum odes quintæ Troparium secundum particularia quædam vitæ solitariæ celebrat, et Dei providentia Sanctum hominibus innotuisse affirmat, in hunc modum* : ῥωμαλαίως τὸ ψῦχος καὶ τὴν τοῦ χειμῶνος δριμύτητα ἤνεγκας· ἀλλ᾽ ὁ πάντα βλέπων φανεροῖ σε τοῖς πᾶσι κρυπτόμενον, μὴ ἐάσας λύχνον ὑπὸ τὸν μόδιον κεκρύφθαι, ἀλλ᾽ ἐμφαίνων τὸ φῶς καλυπτόμενον. Frigus hiemisque duritiem generose tolerasti : ille vero, qui omnia videt, te omnibus abditum fecit manifestum, non sinens lucernam sub modio delitescere, sed revelans lumen absconditum. *Ad eadem tempora pertinent, quæ ibi sequuntur in Tropario tertio* : ὡς πιδάκων λιβάδες τῶν σῶν ὀφθαλμῶν ἀπέρρει τὸ δάκρυον· αἱ δὲ παραινέσεις ὑπὲρ μέλος ὑπῆρχον σειρήνιον· τὸ σεμνὸν δὲ ἦθος καὶ ἡ τοῦ τρόπου κοσμιότης σωφροσύνης ὑπῆρχε διδάσκαλος. Ut ex fontibus latices, sic lacrymæ ex oculis tuis fluebant : adhortationes autem tuæ sirenum superabant cantum : indolis gravitas et morum honestas erat modestiæ magistra.

monachorum collectionem et constructionem ecclesiæ

37 *Ad monachorum collectionem proceditur in iis, quæ sub initium matutini Officii post aliquot Psalmos sic canuntur* : τὴν τοῦ βίου ἀπάτην ἀποφυγὼν καὶ τοῦ κόσμου τὴν τύρβην παραδραμών, ὡς κόνιν ἀπέρριψας τῆς σαρκὸς τὴν προσπάθειαν, καὶ σεαυτὸν σταυρώσας τῷ κόσμῳ, μακάριε, πρὸς Θεὸν μετῆξας τὴν ἅπασαν ἔφεσιν. Ὅθεν καὶ πληθύνας μοναστῶν τὰς ἀγέλας, Θεῷ προσενήνοχας τοὺς καρποὺς τῶν ἀγώνων σου. Postquam vitæ fallacias fugeras, et e mundi tumultu evaseras, sicut pulverem, abjecisti carnis affectiones : teque mundo crucifigens, Beate, omnia desideria ad Deum transtulisti. Quocirca, multiplicatis etiam monachorum gregibus, fructus laborum tuorum Deo obtulisti. *Sequitur constructio templi, de qua odes quintæ Troparium quartum ita meminit* : πίστει, κόρη, ζεούσῃ ναὸν θεῖον ἤγειρε Βαρθολομαῖός σοι, προκατασκευάσας ἑαυτὸν τῷ Θεῷ ναὸν ἔμψυχον, τῷ ἐκ σῶν αἱμάτων ναὸν αὐτῷ συστησαμένῳ καὶ θεώσαντι τοῦτον, πανάμωμε. Ferventi fide divinum templum tibi, Virgo, erexit Bartholomæus, ubi prius animatum se templum exhibuerat Deo, qui, o semper immaculata, ex tuo sanguine sibi templum, sua Divinitate donatum, construxerat. *De templo constructo etiam fit mentio in Vesperis, ubi monachi Sanctum invocant, ut custodiat* τοὺς πιστῶς ἠθροισμένους τῷ θείῳ νῦν τεμένει, ὅπερ αὐτὸς ἐκ κρηπίδων ἀνήγειρας τῇ θεανθρώπου κυρίου σεπτῇ μητρί· fideliter congregatos in divino hoc claustro (*aut templo*) quod ipse, *inquiunt*, a fundamentis erexisti venerandæ Matri Dei-hominis. *At hæc verba non designant monasterium sanctissimi Salvatoris, sed omnium primum, quod in Calabria condidit Sanctus in territorio Rossanensi, cum dicatum sit beatissimæ Dei Genitrici Mariæ.*

concursum monachorum ad Sanctum, panem pro Sacrificio acceptum

38 *De concursu multorum ad monasterium a Sancto constructum in Ode sexta Troparium quartum hæc affert* : τῶν μοναζόντων τὸ πλῆθος προσέτρεχε πανταχόθεν σοι, καὶ προεστῶτες πολλοί, ἀφέντες προΐστασθαι, καί σοι προσερχόμενοι, βέλτιον ἡγοῦντο ὑπὸ σοῦ πατριθύνεσθαι. Ad te monachorum multitudo confluebat undique, multique præpositi, dimissa præfectura, et ad te profecti, melius sibi credebant te patrem habere. *Verbum* πατεριθύνομαι *non est græcum, ut etiam observavit Velastus, sed habet sensum datum, aut, si quis mavult*, paterno imperio a te regi, *aut etiam simpliciter*

AUCTORE .. E.

pliciter regi. *Troparium secundum, quod ibi præcedit, de factis Sancti in Calabria reliquaque Italia et Sicilia generatim sic habet :* ἀστέρα σε φαεινὸν ἡ Καλαβρία ἐγνώρισεν, ἀκτῖσι τῶν ἀρετῶν τὰ κύκλῳ φωτίζοντα· Ἰταλία πᾶσα γὰρ καὶ γῆ σικελίας τῆς σῆς χάριτος ἀπήλαυσε. Stellam te splendidam agnovit Calabria, illuminantem virtutum radiis in circuitu posita : nam tota Italia et tellus Sicula gratiæ tuæ donis fruita est. *Quod sequitur Troparium de singulari meminit beneficio, quo Sanctus panem pro Sacrificio obtinuit :* τῷ Ἠλιοῦ μὲν ποτε ὁ κόραξ ἄρτον προσέφερε· νῦν δὲ τῇ σῇ προσευχῇ ἄρτος ἤχθη πρόσφατος. Μεθ' οὗ τὸ ἀναίμακτον τελέσαντες θῦμα ηὐχαρίστησαν τῷ κτίσαντι. Eliæ aliquando corvus panem attulit : nunc vero tuis precibus panis allatus est recens, quocum incruentum offerentes Sacrificium gratias egerunt Creatori. *In vita hoc narratur ante conditam ecclesiam.*

honorem Sancto a viris primariis et principibus exhibitum.

39 *Quanto in honore esset* S. Bartholomæus, *in Vesperis generatim declaratur, et pro ratione allegantur virtutum præstantia, morum lenitas, verborum suavitas. Ultima subdo :* σύγκλητός σε πᾶσα, καὶ βασιλεῖς, ἱεράρχαι, μονάζοντες, καὶ οἱ ἐν τέλει, καὶ πᾶς τις περιφανῶς ὑπερήγασται, πανάριστε.
B Omnis te senatus, reges, præsules, monachi, magistratus, et omnes ordines luculenter supra modum venerati sunt, Vir optime. *In Ode septima Troparium secundum de honore exhibito a Paschale papa sic canit :* Ῥώμης πάπας ἠγάσθη σου τὴν σεπτὴν πολιτείαν καὶ τῶν λόγων τὴν σύνεσιν, πάτερ βαρθολομαῖε, καὶ δόξῃ τετίμηκεν, ὡς μαθητὴν τοῦ Χριστοῦ εἰσοικησάμενος. Romanus Pontifex, præclarum institutum tuum verborumque tuorum prudentiam admiratus, honore te affecit et velut Christi discipulum domo sua recepit. *Sequitur Troparium tertium de honore, quem S. Bartholomæo exhibuit Græcorum imperator Alexius Comnenus.* Ἐπιγνοὺς ἐκ τῶν λόγων σου βασιλεὺς αὐτοκράτωρ, ὡς πατρὶ προσανεῖχέ σοι σὺν πάσῃ τῇ συγκλήτῳ, θαυμάσας τὸν ζῆλόν σου καὶ τὴν ἐν λόγοις ἰσχὺν καὶ τὸ ἀθωπεύτον. Augustus imperator, intellectis sermonibus tuis, te ut patrem cum toto senatu attendit, admiratus zelum tuum, verborumque efficaciam adulationis expertem.

ejusd. scientiam practicam et Scripturarum

40 *Laudatur etiam variis locis* S. Bartholomæi *scientia. Odes octavæ Troparium secundum de ea sic habet :* λελαμπρυσμένον χάριτι πρακτικῆς γνώσεως πανταχοῦ σε φανερὸν ἡ φήμη ἔθηκεν· ἰδοὺ ἐκ περάτων σοι πλῆθος λαοῦ συνέρρεεν ἐν ἐξαγορίᾳ καὶ
C ψυχῆς κατανύξει *etc.* Te gratia practicæ scientiæ clarum ubique fama prædicavit. Ecce a finibus ad te confluxit populi multitudo *etc. Odes tertiæ Troparium tertium hæc affert :* νοημάτων ἐπλήσθης τῶν γραφικῶν, ὅσιε, ἐκ τῆς ἐπιμόνου μελέτης, νοὸς ὀξύτητι, καὶ χάριν εἴληφας τοῦ ἐκφυῶς σαφηνίζειν τὰ πολλοῖς ἀπόρρητα βάθει τοῦ πνεύματος. Scripturarum sensibus acri ingenio repletus es ex constanti meditatione; gratiamque adeptus es sapienter declarandi, quæ aliis ineffabilia sunt, spiritus penetratione. *Utcumque ambigua videri potest interpretatio vocum* βάθει τοῦ πνεύματος. *Nam Velastus, etiamsi in vetustiore etiam codice invenerit* βάθει, *suspicatus est, legendum* βάθη, *et sic olius exsurgeret sensus, nimirum accepisse Sanctum gratiam cognoscendi arcana spiritus, sive abdita aliorum sensa. Magis tamen credo, nihil esse mutandum. Sub finem Matutini Sanctus etiam dicitur* θείων δογμάτων τῇ πέτρᾳ ψυχῆς τὰς βάσεις ἐρείσας *etc.* divinorum dogmatum petra animæ fundamenta solidasse *etc.*

41 *Nec omissa est in Officio falsa accusatio, qua mortis periculum adiit Sanctus. De ea Odes octavæ Troparium tertium hoc modo :* ἔρρει ποτὲ σοι οἴκοθεν πειρασμὸν μέγαν, ὅσιε, ἡ τοῦ ἀρχεκάκου φθονερὰ ἐπίνοια, τοὺς λίαν γνησίους σου συκοφάντας ἐκφήνασα· ὧν τὰς λοιδορίας, ὡς ἀράχνιον νῆμα διέλυσας, κραυγάζων τῷ Θεῷ εὐχαρίστως· λαὸς ὑπερυψοῦτε αὐτὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. Ingentem tibi aliquando tentationem ex domo effudit, Sancte, invida malorum auctoris versutia, genuinos admodum adversus te calomniatores proferens. Harum convitia, velut aranearum telas, dissolvisti, clamans in gratiarum actionem Deo : Benedicite eum populi in sæcula. *Sequitur Troparium quartum, quod huc spectat :* ἡ πανάμωμος δέσποινα, ἡ φρουροῦσα πάντοτε ἐκ τῆς σκευωρίας τῶν ἐχθρῶν σου, ὅσιε, τῶν μάτην φθονούντων σοι, ἀβλαβῆ σε ἐτήρησε, πρόνοιαν ποιουμένη τῶν μελλόντων σωθῆναι ταῖς σαῖς διδασκαλίαις, βαρθολομαῖε μάκαρ. Immaculata semper Domina, quæ constanter te servavit ex calumniosa actione inimicorum tuorum, incassum tibi invidentium, illæsum te custodivit, curam gerens earum, qui instructionibus tuis ad salutem erant perventuri, beate Bartholomæe. D

Sanctus per calumniam accusatus, et ope B. Mariæ servatus.

pro calumniatoribus gratiam impetravit.

42 *De gratia modo memoratis calumniatoribus obtenta verisimiliter agitur in Tropario quarto odes septimæ, etiamsi verba ipsa non minus intelligi possint de aliis ignotis;* Ὑπεστάλη ὁ τύραννος τοῖς σοῖς, πάτερ, ἐλέγχοις, καὶ χαρίζεται ἀνδράσι, οὓς εἶχεν ὑπευθύνους βροχισθῆναι, καὶ τοῖς σκολόπων δεσμοῖς ἀναρτηθήσεσθαι. Cohibuit se rex tuis, Pater, documentis, et condonavit viris, quos habebat noxios, suspendendosque et patibuli laqueis suffocandos. *De cælesti gloria Sancti plura occurrunt : unum huc transfero ex Ode nona.* Ἰδού σοι τῶν καμάτων τὰς ἀμοιβὰς καὶ γέρα Χριστὸς ἐχαρίσατο, ἐν οὐρανοῖς τάξεσιν ἀγγέλων συντεταχώς· μεθ' ὧν ἐπαγαλλόμενος πρόσωπον πρὸς πρόσωπον καθορᾷς Χριστοῦ τὸ θεῖον κάλλος καὶ τὴν ἄφραστον δόξαν, βαρθολομαῖε πανασίδημε. Ecce, laborum tuorum mercedem et præmia donavit Christus, in cælis te angelorum ordinibus adjungens : cum his exsultans facie ad faciem vides divinam Christi pulchritudinem et ineffabilem gloriam, Bartholomæe omni ex parte venerande. *Mitto crebras Sancti invocationes, elogia aliquot generalia, et plura alia ad propositum nostrum minus necessaria, et transeo ad sepulcrum.* E

Sepulcrum Sancti gloriosum.

43 *Troparium quartum odes nonæ sepulcrum* S. Bartholomæi *ita memorat; aut si quis mavult, honorem reliquiis eius haberi solitum :* ναμάτων ζωηρρύτων θεία πηγή, ἡ σορὸς τῶν λειψάνων σου πέφυκεν, ἣν εὐλαβῶς νῦν περικυκλοῦντες πόθῳ πολλῷ πιστῶς περιπτυσσόμεθα ὄμμασι καὶ χείλεσι καὶ νοΐ, διπλὴν ὠφέλειαν καρπούμενοι. Vitam afferentium undarum fons divinus arca reliquiarum tuarum effecta est. Hanc circumdantes multo cum desiderio fideliter oculis, labiis et mente amplectimur, duplicem inde haurientes utilitatem. *In Laudibus hæc leguntur :* συντρέχει χορὸς τῶν μοναζόντων ἐπὶ τῇ θείᾳ σου λάρνακι, κυκλοῦσι τὸ πανέντιμον καὶ ἱερώτατον σκῆνος δῆμος τῶν φοιτητῶν σου. Ἐν ὑμνῳδίαις σε γεραίροντες, βαρθολομαῖε πάτερ μακάριε, ἀσπαζόμεθα νυνὶ τὴν πανέορτον πανήγυριν τῆς σῆς μνήμης· ἐξ ὧν καὶ ἡμεῖς ταῖς πρεσβείαις σου τυχεῖν ἡμᾶς ἔλεος, δοξάζοντες σὺν σοὶ τὴν πανύμνητον, ἣν ἀνυμνοῦντες βοῶμεν. Ad sacrum tuum sepulcrum concurrit nunc monachorum chorus, circumstat venerabile et sacratissimum tabernaculum tuum multitudo discipulorum tuorum. Hymnorum cantibus te honorantes, beate pater Bartholomæe, amplectimur nunc festivam celebritatem commemorationis tuæ : unde et nos intercessionibus tuis misericordiam consequamur, tecum celebrantes omnibus hymnis dignissimam F

A gnissimam (*Trinitatem, ait Velastus*) quam cantibus extollentes clamamus. *Hactenus ex Officio collegi, et ad ordinem qualemcumque deduxi, quæ ad historiam spectare visa sunt. Reliqua mitto.*

Alia elogia.

44 *Addere possem nonnulla elogia ex iis, quæ ex alio codice descripsit Velastus; sed omnia fere generalia sunt, et jam datis consona, ut verear, ne justo fiam prolixior in hisce, si multa pergam accumulare, præsertim cum et vita danda similia habeat. Quapropter Latino compendio pauca solum huc contraho : Celebratur* S. Bartholomæus, *ut monachorum ductor et magister, ut Pauli primi eremitæ æmulator, ut familiaris angelis, ut dæmonum victor, ut Ascetarum decus et regula. In iisdem prædicatur* S. Bartholomæi *in Deum amor, in egentes misericordia, viduarum et pupillorum protectio ac mœrentium consolatio. Dicitur carnalia desideria subegisse, pravas animi affectiones domuisse, crebris jejuniis et aspero vestitu corpus afflixisse, aliisque cum verborum efficacia tum prudenti regimine viam ad cœlestem gloriam demonstrasse. Hæc breviter de iis dixisse sufficiat, ne eadem frequenter repetamus, sed ad vitæ chronotaxim pergamus.*

B

§ IV. Chronotaxis fere omissa in Vita Sancti : fundatio monasterii prope Rossanum, quod beatissimæ Virgini Mariæ dicatum.

Vita S. Bartholomæi paucas habet notas chronologicas :

Vita S. Bartholomæi *tales offert notas chronologicas, ut innotescat sæculum, quo floruit, nec tamen assignari possint anni, quibus natus est et defunctus, nec texi valeat chronotaxis aliqua enucleata, qua tempus rerum omnium gestarum innotesceret. Floruit* S. Bartholomæus *tempore Paschalis Papæ, Alexii Comneni imperatoris Græci, et Rogerii Siciliæ regis. Ex his novimus, floruisse Sanctum sub initium sæculi* 12 : *nam Paschalis II, qui tempore Alexii Comneni pontificatum gessit, ad eum promotus est anno* 1099 *et* 1118 *defunctus, eodemque anno obiit Alexius Comnenus. Cum utroque vixit Rogerius Siciliæ rex, sed*
C *multo junior, et regium titulum necdum assecutus, perrexitque vivere ultra medium sæculum* 12. *Hæ quidem notæ indicant fundationes monasteriorum* S. Bartholomæi *referendas esse aut ad senescens sæculum* 11 *aut ad sæculum* 12 *inchoatum, ut inferius magis ostendam, sed nullibi indicatur, quot circiter annorum esset* S. Bartholomæus, *quando condidit primum monasterium prope Rossanum in Calabria Citeriore. Hinc multum quæsivi in Historiis Calabriæ, ut Sancti natales propius assignare possem, sed scriptoribus Calabris* S. Bartholomæum *nostrum vix innotuisse video.*

Calabriæ autem scriptores Sancti vix cogniti

46 *Fortasse id contigerit, quod notior fuerit alius S. Bartholomæus, S. Nili discipulus et abbas Crypto-Ferratensis, cujus vitam græce et latine editam habemus, ac demum italice per Jacobum Sciommarii, Ordinis Basiliani Religiosum. Etenim S. Bartholomæus Nili discipulus erat non integro sæculo antiquior* S. Bartholomæo *hodierno, et patriam æque ac S. Nilus habebat Rossanum, in cujus vicinia* S. Bartholomæus *Trigona monasterium suum condidit. Hinc fieri poterat, ut scriptores, qui distinctionem utriusque S. Bartholomæi non habebant perspectam, omnia illa, quæ in ditione Rossanensi a* S. Bartholomæo *gesta legebant, referenda crediderint ad S. Bartholomæum patria Rossanensem et abbatem Crypto-Ferratensem, et in aliquibus pro hoc Bartholomæo magistrum ejus S. Nilum censuerint substituendum, quod invenirent, illa non esse congrua vitæ S. Bartholomæi Crypto-Ferratensis, qui patriam Rossanum juvenis deseruit, et in Campaniam primum ac deinde cum S. Nilo in Latium se contulit. Crediderint verisimiliter, S. Nilum, qui longo tempore in Calabria permansit, ea facere debuisse, quæ Bartholomæo, quem ejus credebant discipulum, inveniebant attributa; quod ad chronotaxim rerum gestarum minus essent attenti, quodque nullum in ditione Rossanensi aut Calabria monasterium a Bartholomæo Crypto-Ferratensi fundatum, ex Vita clare perspicerent.*

AUCTORE J. S.

gesta quædam videntur attribuisse

47 *Marafiotus in Chronica Calabriæ lib.* 4, *cap.* 28 *S. Nilum abbatem, cujus Vita apud nos data est ad* 26 *Septembris, facit fundatorem monasterii S. Mariæ de Patirio, ut modo nominatur, in agro Rossanensi. At vita S. Nili, quæ fuse ab ejus discipulo scripta est, nullum de tali fundatione facit verbum. Et ex iis documentis, quæ* E
edidit Ughellus, ut videbimus, et quæ secutus est Marafiotus, omnino liquet, annis, ut minimum, octoginta aut nonaginta, et forsan toto fere sæculo post mortem S. Nili fundationem illam figendam. Hinc mox videbimus, an non sit Bartholomæi *Trigonæ, quæ S. Nilo perperam tributa est fundatio. Rursum lib.* 1, *cap.* 33 *agit de monasterio S. Bartholomæi in territorio S. Euphemiæ sita, de quo jam mentio facta est num.* 7, *illudque tribuit* S. Bartholomæo Rossanensi *sive Crypto-Ferratensi, cum certum sit,* Bartholomæi de Trigona *monasterium dici, ut liquet ex Actis ex ipso monasterio acceptis. Laudatus Marafiotus tamen asserit, multos se vidisse hujus monasterii scripturas. Si autem post visa ipsius monasterii documenta ad alterum Bartholomæum omnia perperam detorsit, manifestum videtur,* Bartholomæum *Trigonum fuisse Marafioto incognitum, et nihil opis ab eo exspectare me posse.*

Bartholomæo Crypto-Ferratensi.

48 *Sciommarius, qui vitam S. Bartholomæi Rossanensis aut Crypto-Ferratensis Italicam dedit, in eosdem fortasse impegerit scopulos, aut alios prius lapsos fuerit secutus. Certe in vita græca S. Bartholomæi Cripto Ferratensis, quam Possinus* F
edidit, et quam manuscriptam ex bibliotheca laudati monasterii habemus, non invenio, nomen Basilii *eidem impositum fuisse in baptismo, illudque postea mutatum in* Bartholomæi, *uti in vita italica asseritur. Nolim quidem id factum reprehendere; nam laudatus auctor in Præfatione lectores monuit, se vitam græcam suppleturum ex aliis documentis; solum observo, fieri potuisse, ut, quod in vita* Bartholomæi *Trigonæ legitur, incaute ad Crypto-Ferratensem transferretur. Necesse vero credidi id observare, ne quis forte credat, ex vita S. Bartholomæi Crypto-Ferratensis ad vitam, quam damus, translatum esse; ut lectori facile incidere posset, quia in Præfationibus utriusque vitæ aliquid etiam est similitudinis, ut alteruter prioris Præfationem legisse et imitatus fuisse videatur. Hoc alteruter facere potuit, nec refert, uter fecerit, cum vitæ ipsæ nihil habeant commune, et Præfationum similitudo in eo tantum consistat, quod alteruter cogitata prioris de utilitate vitæ scribendæ mutatis plerumque verbis sit imitatus. Hinc non inquiram, an vita S. Bartholomæi Crypto-Ferratensis, quam Possinus edidit*

AUCTORE J. S.

et Sciommarius ex aliis documentis interpolavit, tam vetusta sit, quam hic voluit. Id enim fieri debet ad 11 Novembris, quo Bartholomæis iste coli scribitur.

Ex tempore fundati primi monasterii

49 *Ex mirabili illo historicorum Calabrorum silentio de* S. Bartholomæo *nostro, ejusque qualicunque confusione cum altero, coactus sum ad Siculos confugere, qui Sanctum magis cognoverunt ob fundationem monasterii SS. Salvatoris prope Messanam. At hi gesta Sancti in Calabria vix attigerunt, ipsamque fundationem SS. Salvatoris plerique non sine variis erroribus exposuerunt. Ughellus dedit memorandum inferius historiam fundationis monasterii prope Rossanum, quam videbimus attribuendam* S Bartholomæo *nostro, etiamsi ex confusione jam dicta fundator ibi vocetur* Nilus. *Præterea ex illa Historia, cum aliquot diplomatis collata, probabimus, principium fundationis istius, videri figendum sub finem sæculi* 11 *inter annos* 1090 *et* 1100.

Sanctus videtur natus inter 1050 et 1060.

50 *Ex hac igitur primæ fundationis epocha, pluribus inferius probanda, conjecturam facere verisimilem possumus de tempore, circa quod natus fuit. Si enim tempore exstructi monasterii numerabat annos fere quadraginta, natus fuerit circa* B *medium sæculi* 11 *inter* 1050 *et* 1060. *Si autem attendamus ad præcedentia Sancti gesta, et ad numerum discipulorum, qui sub ejus disciplina vivebant, omnino videbimus, minorem ætatem non facile tribui posse multorum monachorum dudum Patri. Rursum si consideremus, parentes Sancti non modo vixisse eo tempore, sed etiam ad Sanctum venisse, et vitam monasticam amplexos esse post conditum ab eo monasterium, non facile credemus, quadragenario tunc multo fuisse majorem. Itaque figimus natalem Sancti annum inter* 1050 *et* 1060. *Ex annis quadraginta constructo monasterio prævriis viginti et plures apud parentes transigere potuit, reliquos sub disciplina Cyrilli, in peregrinationibus, in monte solus, ac deinde cum pluribus monachis.*

Historia anonymi Græci,

51 *Ughellus tom. IX Italiæ sacræ in Archiepiscopis Rossanensibus col.* 382 *exponere voluit historiam fundationis monasterii* Sanctæ Mariæ de Paticio, *ut modo vocatur,* Ordinis sancti Basilii, *quod ait conditum* a quodam Nilo viro sanctissimo, longe diverso a sancto Nilo (*Crypto-Ferratensi*) supra memorato : cujus fundationis ex- C ordium, *inquit,* ex Græcis codicibus in Latinum versum, mihique a nobili viro eruditoque, Carolo Blasco, canonico Rossanensi, transmissum ita legitur. *Omnia, quæ in illa relatione dicuntur, recte congruent* S. Bartholomæo *nostro, si quis nomen* Bartholomæi *pro* Nili *ausus fuerit substituere. Accipe, lector studiose, integram relationem, quæ nulli Nilo, quem novimus, potest congruere.*

qua exponitur calamitas Calabrorum sub Saracenis.

52 Decurrebat annus circiter quinquagesimus supra millesimum, quando deficiente nuper Apulia a Græco imperatore nostro ob defectionem inclyti ducis Roberti Guiscardi ibi a multis annis, quibus ipse * contra Saracenos præcipue et Occidentales principes egregie pugnantis : ac proinde hæc Calabria regio, diu jam grassantibus et loca plurima in ea possidentibus Saracenis, toto nexu * a gravi servitutis jugo, quo a Mauris Saracenis premebatur, ac quoquo modo subtrahere satagebat. Arma, quibus servitutis vincula detruncarent penitus ab ea procul, suppetias a Græco principe a multis annis jam desperarat, quippe qui et intestinis et externis præpeditus bellorum incommodis, exhausto thesauro, D declinantibus ab eius animo provinciis subditis, vel necessitatem vel voluntatem, vel parte * etiam cadentis imperii despectu, his malis occurrere nequibat. *Hæc sane obscura sunt, quia aut corrupta aut ex Græcis scabrose facta sunt Latina. At sensus est, res Græci imperatoris labi cœpisse in Apulia circa annum* 1050, *quod paulo serius figi debet, indeque factum esse incapacem, a qua Calabri, a Saracenis oppressi, auxilium sperare possent.*

* quibus ipsa redundat.

* nexu

* partim

eorumque varium in ista calamitate consilium.

53 *In sequentibus exponuntur diversa Calabrorum in istis calamitatibus consilia hoc modo :* Suspirabat perditas antiquæ libertatis divitias, præsentis lugebat servitutis miserias, et dum jam dudum suspensis in amaræ contemplationis salicibus jubilationisque * organis, super flumina omnimodæ confusionis lugens sederet, incolæ alii fugam arripuere, et alius ditionis asylum sibi propriæque saluti decernere meditaretur, alii duræ servituti cervices scribere *, ne vel vitam periculo propinquare, vel peregrinam semper ducere, relicto natali solo, proponunt. Alii salubri altiorique adjuti auxilio, et divino freti juvamine, antra, speluncas, montana ac loca sylvestria colere, cibum ad alenda corpora brutis solitum et E aptum sibi comparare, et relicto sæculari cingulo, spiritualem aggredi militiam, solique Deo servire contendunt. *Sensus periodi corruptæ est, quod alii fugerent ad alienas ditiones, alii se servituti subderent, alii vitam solitariam in montibus et speluncis eligerent. Ex postremis fuisse dicitur* Nilus, *forsan noster* Bartholomæus, *cujus certe patria* Semeris *corrupta dictione indicatur.*

* quæ redundat

* forte subdere

Hanc Vir sanctus, Symeri natus, vitam monasticam

54 *Verba subdo.* Naturalis tunc corporis civitas erat Symeris. (*Natum fuisse Symeri, qui mox sequitur, Græca indicarunt, ut conjicio.*) Hoc oppidum perantiquum ad oras maris Orientalis in sinu Scillatico positum est. Nilus quidam, opibus quidem et progenie non mediocris in populo, sed virtute et amore erga Deum valde magnus : is cum vidisset mala gentis suæ, populatas civitates, divitias * vel incensas, vel barbarorum manubias (*id est, occupatas a barbaris,*) valedicens sæculo, et relicto natali solo, ad eam portem sylvarum civitatis Rossani, quæ ad Occidentem vertitur, quam cito contendit, ibi ascitis, F ut credibile sit, aliquibus sociis, vel casu, sed potius divino consilio congregatis in tuguriolis, in antris, in arboribus ipsis vetustate concavatis, vitam dietim belluinam, nisi eam cælestem potius et angelicam nuncupare, divina in eam eloquia perdocerent. Cibus erat ipsis glandes, castaneæ fructusque, quos vicina regio cæli benignitate ministrat, et herbarum radices : vestitus animalium pelles ad tegendos potius artus, quam ad frigorum arcendos rigores.

* dirutas

ordditur, multosque acquirit discipulos

55 Ubi Nilus antiquitate habitationis, nobilitate morum, omnigeno virtutum cumulo ditatus, divina inspirante gratia, omnium calculo superior agnoscitur. Dei servitium fiebat in speluncis : Sacrificium incruentum, quod Christus in cœna ultima instituerat, ibi deerat, quia nullum erectum erat sacellum, nullus forte inter ipsos sacerdos exstiterat. Rossanum pergebant in festis diebus ad Sacra audienda. Sacrificium, quod Deo dicarent, erant asperrimæ disciplinæ cum plurima sanguinis effusione, erant longæ vigiliæ sub dio permanentes in divinis laudibus percantandis. Erat sane statio illa virorum sanctorum, vivebant extra carnem in carne, extra seculum

AUCTORE I. S.

A seculum in seculo, mundus eos non agnoscebat, eorum conversatio in cælis erat. *Si omnia hæc attente conferamus cum Vita* S. Bartholomæi, *modus ille vivendi recte videbitur exprimere Sanctum cum primis vitæ solitariæ discipulis degentem. Certe* Bartholomæum *insinuant patria Semeris et locus vitæ solitariæ prope Rossanum. Eidem congruit, quod necdum esset sacerdos, quod ex discipulis primus eum vivendi modum cœpisset. Non tamen videtur auctor novisse principia Herois, quem celebrat, idque ipse indicat, dum ait,* ut credibile fit. *Et sane initia* Bartholomæi *vix aliis poterunt innotescere, quam eiusdem monachis.*

huic apparens B. Virgo Maria, jubet

56 *Pergo cum anonymo:* Visitur adhuc et grandi circumjacentium incolarum veneratione colitur cella sancti patris Nili in locis istis: quam monachi sequentes *Cryptam sancti Patris* vocant ex antonomasia. Agnoscebat Nilus, quantæ auctoritatis et potestatis esset apud Deum adoranda semper omnique veneratione colenda regina cælorum Maria semper Virgo, utpote Mater unigeniti Filii eius. Hinc ipsam sibi fuisse patronam, dominam, Matrem intemeratam, advocatam præstolantur *. Nec Nili postulationibus deest: nam quadam die circa nonagesimum
B undecimi seculi annum errantem Nilum vocat Domina Maria, et ipsum supra ultimum ad mari * aspectum montem ducit ad quamdam non valde duram planiciem, et sumpto de manu Nili jam senis baculo, dicit: Aspice, Nile, hoc baculo designo tibi basilicam construendam et monachis tuis: et per girum baculum ducens, signavit locum et formam ecclesiæ. Cumque pervenisset, finito circuitu, unde signare jam cœperat, inventa est Maria extra girum: unde et dixit: Nile, non casu sum extra girum: volo enim, ne unquam fœmina aliqua ecclesiam hanc ingredi audeat, sed ab atrio sacra audiat et laudes Dei. Nilus antea interpellatus prædicentis majestate Mariæ obmutuerat. At quando de ecclesia fabricanda præceptum audivit, nimis reverenter, Domina mea semper adoranda Maria, quomodo, inquit, eremita pauperculus, ignorat omnibus, a nativo solo peregrinus, rerum et consilii inops, inter mundantes jugiter ac cursitantes barbarus infideles templum erigere poterit? Cor meum, Domina, est templum erectum Filio tuo et tibi: in ipso semper immolo carnes meas, sensus meos, desideria turpia, va-
C nas cogitationes; et sacrifico utrique sacrificium laudis, et reddo Altissimo et tibi vota mea.

* vicendum

* maris

ecclesiam exstrui suo nomini dicandam;

57 Non secus ac dixi fieri, ait Maria: Servivisti Deo humiliter et in maxima paupertate; sed reddetur pax huic regioni, quia completa est malitia ejus (*id est, pœna malitiæ debita*). Populus iste diu ambulavit in tenebris, post pauca videbit lucem magnam, quia erutus de potestate Saracena, obediens principi Christiano, [*adde* qui] triremibus multis ad hoc circumveniens mare applicabit, tempestate valida circumactus: de qua ut incolumis evadat, vovebit ædificare Filio meo et mihi templum ad locum terræ, quo applicabit. Tunc occurres et dices ei, ut non ibi, sed hic, templum construendum curet. Non credet, ait Nilus, non credet mihi pauperculo misso. Ne timeas, replicat Maria: accipe hunc anulum, ostende illi: ex novitate et anuli materia fidem habebit verbis tuis. Est is anulus non ex auro, aut argento, aut ære, aut auricalco, non ex lapide quodam pretioso, sed ex quadam ignota materia, quam solus is novit, qui fecit, Deus: qui ad hæc usque tempora in reliquiario eiusdem ecclesiæ asservatur, multis medens supplicantium languoribus juxta fidem egentis. His verbis evanuit beatissima Dei mater Maria ab oculis sancti Senis: qui lætus de cælesti visione, et securus de oraculo, expectabat redemptionem, quasi alter Simeon justus, redemptionem, inquam, populi sui. *Hic sistamus paululum.*

sicut S. Bartholomæo apparuisse legitur in Vita.

58 *Apparitio beatissimæ Virginis, jubentis ecclesiam nomini suo dicatam exstrui, in Vita* S. Bartholomæi *refertur num.* 18, *ut illa quoque apparitio faveat conjecturæ meæ, qua suspicor omnia illa falso Nili nomine de* S. Bartholomæo *referri. Multo quidem brevius et simplicius visio refertur in Vita, nec de annulo, quem Sanctus accepisset a beata Virgine, Vita loquitur, nec de ingressu ecclesiæ feminis vetito, imo nec de voto Rogerii comitis, nec clare de ipso Rogerio comite. At hæc parum aut nihil obstant suspicioni nostræ: neque enim dicimus, vera esse omnia, quæ Græcus ille asseruit. Certe dialogus ille, quem inter Virginem et Sanctum composuit, modo admodum improbabili concinnatus est; nec Anonymi Græci auctoritas tanta esse potest, ut pro certis habeamus, quæ tradit de annulo, aut de tempestate et voto Rogerii comitis. Quod ingressus in illam ecclesiam* E
mulieribus fuerit prohibitus, satis est verisimile, sed æque verisimile, scriptorem Vitæ de ea re, quæ omnibus debebat esse nota, solum siluisse, ut certe poterat.

Ecclesia dicitur exstructa opibus Rogerii comitis.

59 *Pergamus iterum cum Græco.* Ad annum quasi nonagesimum, *inquit,* venit comes inclytus Rogerius in Calabriam, missus a fratre suo Roberto (*Guiscardo*) jam Apuliæ duce declaratum, magno stipatus milite, quindecim vectus triremibus, sinumque ingressus Tarentinum, magno ventorum sibi invicem pugnantium turbine perterritus, et pene quassatus, facto voto de ecclesia condenda in honorem Deiparæ ad locum terræ, quo applicuerit, Deo sic disponente, venit sanus ad litus vicinum monti, in quo ecclesia construenda a Matre Virgine designata jam erat. At quia Rogerius statim vota reddi debere optime noverat, dicto citius a descensu in terram advocatis architectis, quæ noverat *, explere satagebat. Accurrit Nilus, nimis reverenter salutat comitem, qui comiter sanctum Senem omni honore dignum amplecteus, ab eo, quid petierit, sciscitatur. Tunc Nilus, manifestato comiti Mariæ præcepto, ad divinæ voluntatis plenam executionem et efficaciam ostendit ei anulum: in cu- F
jus contemplatione mirabundus comes sic ait: Omni fide digna sunt verba, quæ tam insigni anulo roborantur. Et inde, quæ parabat ad litus pro ædificanda ecclesia, ad montem transtulit designatum. Hactenus cartula. *Quod de Rogerio comite dicitur, potest verum esse, etiamsi non credamus adjuncta omnia, quibus fundationem illam exornavit Anonymus. Potuit ille sub finem sæculi* 11 *ad constructionem ecclesiæ concurrere, aut eam etiam inchoare, licet Vita num* 20 *Rogerium regem, dicti comitis filium, præ ceteris monasterii fundationem adjuvisse dicat.*

* voverat

In diplomate anni 1104 Rossanensis monasterii abbas est Bartholomeus.

60 *Ughellus post datam illam relationem mendosam, duo dat instrumenta quæ ad idem monasterium spectare credidit. Instrumenta illa ipse vidit in monasterio, sed non omnia satis discrevit aut intellexit, quantum apparet, imo et Rogerium comitem, fratrem Roberti Guiscardi, videtur in his confudisse cum Rogerio eius filio, primum Siciliæ et Calabriæ comite, ac demum rege Siciliæ, cujus sunt instrumenta, quæ recitat.* Illud (*monasterium*) *inquit,* ingentibus privilegiis ac divitiis

AUCTORE ... S

tiis Rogerius comes Calabriæ et alii Normanni priocipes nobilitarunt. Plura et pene iouumera mooumeota in membranaceis, tum græce tum latine scripta, propriis libuit oculis usurpare, ex quibus pauca exscripsimus : quorum duo tantum hic recensebimus, quæ Rogerii comitis pietatem erga beatissimam Virginem Mariam, et B. Bartholomæum ejus loci abbatem, satis ostendunt. *Vides, lector studiose, in instrumentis, quæ dedit Ughellus,* Bartholomæum *dici abbatem, non Nilum.*

esique illud diploma Rogeris postea regis Siciliæ

61 *Primi titulus hic est :* Rogerius comes etc. Sigilllum factum est ex nostra parte Rogerio comite Calabriæ et Siciliæ, et datum est tibi patri spirituali meo domino Bartholomæo venerabili abbati abbatiæ sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Odigitriæ ursianam * in mense Septembris Indictione duodecima 1104. *Currebat Indictio* 12 *anno* 1104, *ut hæc epocha recte se habeat. At Rogerius comes, frater Roberti Guiscardi, ab anno* 1101 *erat defunctus, ut necesse sit dicere, diploma istud esse Rogerii eius filii, tunc comitis et postea regis Dubitari tamen potest, an epocha recte sit expressa, quandoquidem inferius ut testis subscripserit* D. Goffridius episcopus Messanæ,
15 *cujus decessorem Robertum usque ad annum* 1106 *viventem exhibet Pirrus in Sicilia sacra tom. I pag.* 302. *At suspicor, ab Ughello testes, qui spectant ad secundum diploma, perperam positos fuisse sub primo : nam sic omnia recte se habebunt.*

forte Rossianæ, id est, Rossanensis

unde probatur, fundatorem illius cœnobii

62 *Jam vero ex dicto diplomate, sive illud sit anni* 1104, *sive serius datum, multa habemus, quæ persuadere valeant, monasterii illius fundatorem fuisse* S. Bartholomæum. *Vocabatur, habemus ex verbis mox datis,* Abbatia sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Odigitriæ. *In ipso diplomate, quod scatet mendis grammaticalibus, variis vicibus nomen exprimitur* Nova Odigitria, *et in sequenti* Nea Odigitria, *imo etiam* Neanova Odigitria *juncto simul adjectivo græco* νεα *et latino* nova. *Vox autem* Odigitria *deducta erat a verbo græco* ὁδηγέω *duco, unde* ὁδηγός *ductor et* ὁδηγήτρια, *vox alias inusitata,* ductrix, *acsi diceretur* abbatia S. Mariæ Virginis novæ ductricis. *In laudatis diplomatis nullibi comparet nomen* Nili, *quem Græcus anonymus fecit fundatorem, sed sæpius repetitur nomen* Bartholomæi *abbatis, idque sine ullo indicio, quod alius abbas aut fundator monasterii præcessisset. Itaque, si*
C *Græcus anonymus ajat de constructione ejusdem monasterii, ut Ughellus credidit et multa innuunt,* Nilus *ille ipsissimus erit* Bartholomæus *noster, et Rogerius comes circa finem sæculi* 11 *monachis* S. Bartholomæi *ecclesiam exstruxerit ad sacra peragenda, certe si vera est Græci relatio, quæ, abscissis aliquot adjunctis, tota facile cum Vita* S. Bartholomæi *potest conciliari.*

videri S. Bartholomæum nostrum, cui et alia congruunt.

63 *Monitum fuisse* S. Bartholomæum *a Dei Genitrice ad exstruendam ecclesiam, habet Vita ; id ipsum testatur Græcus, sed in apparitione commentus est dialogum justo prolixiorem et partim improbabilem. Secundum Vitam* S. Bartholomæus *multos excitavit ad sumptus subministrandum ; si Græcum audiamus, primus ex illis fuit Rogerius comes, nec absolute contradicit biographus, sed de eo tacet, uti et de reliquis, excepto Christodulo ammirato et Rogerio rege. Nam de adjutoribus sic habet :* Quorum princeps ardensque adjutor extitit Christodulus ammiratus, vir apud terrenos reges tunc plurimum potens, ... Per hunc igitur religiosum virum pio Christianoque regi Rogerio eiusque affinibus famulum suum notum reddens, qui honorantes se gloriosos facit, Dominus, in animos illorum induxit, ut, quæ ad D monasterii fundationem necessaria essent, liberaliter præberent. *Apud laudatum Ughellum in primo Rogerii pro abbatia diplomate de Christodulo ammirato fit mentio, sed verbis adeo corruptis, ut verisimile non fiat, sic in diplomate ab initio scriptum fuisse, sed a transcribentibus, qui nesciebant legere, quæ exscribebant, tantam inductam fuisse barbariem.*

et Christodulus in diplomate memoratus.

64 *Aliqua huc transfero ;* Hæc omnia supra scripta sunt, sicut tenuit Framundus, et postea * fratrem suum Rinaldus, ideo * Guidelmus de Losdum, qui mihi omnia reliquit, offero et confirmo in sancto abbatia sanctæ Dei Genitrix * Virginis Mariæ, quæ dicitur Nova Odigitria, et in * venerabili et religiosi (*religioso*) abbati Domino Bartholomæo, et omnibus successoribus suis usque finem seculi pro redemptione animæ patris mei, et mea, et salutis animæ (*et mea salute animæ*) et redemptionem peccatorum suorum fidelem meo admiratus domino Cristodolo, qui pro sua dilectione casto bono actnum misitus fuimus *etc. Mox iterum de* domino Cristodulo *meminit diploma, corruptum procul dubio per eos, qui nec litteras noverant nec verba* E *intelligebant. Hoc solum ex allegatis observo, Christodulum, qui classis præfecturam (hoc munus significat vox* ammiratus) *apud Rogerium tunc puerum habebat, verisimiliter eamdem gessisse apud patrem eius Rogerium, et sic eidem auctorem esse potuisse, ut ecclesiam construeret, sicut postea Rogerium filium impulit, ut liberaliter præberet ad* monasterii fundationem necessaria, *præsertim cum Vita, quæ illo diplomate confirmatur, habeat, a Christodulo* S. Bartholomæum *notum esse factum* regi Rogerio (*tunc comiti*) eiusque affinibus, *qua voce consanguinei etiam hic videntur intelligi, ipseque Rogerius comes ; et hos etiam ad sumptus concurrisse.*

* post
* et
* Genitricis
* in redundat

Bartholomæo similiter favet sequens diploma.

65 *Inter affines erat Mabilia, Roberti Guiscardi filia, et Rogerii regis consobrina, cujus est alterum diploma, quod recitat. Principium huc transfero :* Qui in religiosa et honesto seu venerabili conventu perseverant, et res corruptibiles et fluxas contemnunt, Deum indesinenter et assidue orantes, justum est et satis decens eos beneficiis et honoribus et muneribus afficere. Ob quam rem ego supra scripta Mabilia et Guillel- F mus Granti Mabiliæ filius, qui supra, venerandas et vitales cruces propriis manibus subscripsimus et signavimus, videntes te spiritualem patrem, dominum Bartholomæum, sancti monasterii venerandæ Dominæ nostræ Dei Genitricis de Neanova Odigytrea abbatem, virum justum et studiosam vitam agentem, ex propria nostra voluntate et bona electione donamus Deo, et prædicto sancto monasterio, et tibi hujus monasterii abbati, et futuris post te gubernatoribus *etc. Datum est anno* 1122 *Indictione* 15. *Jam vero observo, in allegatis diplomatis, altero anni* 1104, *altero anni* 1122, *ubique* Bartholomæum *occurrere abbatem, sine ulla mentione alterius abbatis aut fundatoris.*

uti et recentiorum primorum abbatum per Ughellum.

66 *Ughellus col.* 388 *memorat aliquot illius monasterii abbates,* in monumentis ejusdem *repertos, ita de tribus loquens :* Lucas primus abbas seu archimandrita, Bartholomæus anno 1122 (*ex secundo diplomate, imo et anno* 1104 *ex primo, ut vidimus*). Cosmas deinde archiepiscopus Rossanensis ; *vergente ad finem sæcula* 12. *Quod Lucam ponit primum, ex fallaci conjectura factum*

A *factum crediderim, cum annum, quo præfuit, nullum assignet. Nam constat, Lucam fuisse successorem* S. Bartholomæi, *ac deinde primum archimandritam cœnobii SS. Salvatoris. Quod ergo Lucam inter primos illius monasterii abbates in monumentis invenerit Ughellus primumque archimandritam dicat, confirmat opinionem nostram de eo per* S. Bartholomæum*f undato. Quod vero* Nilum, *quem Græcus anonymus pro* Bartholomæo *videtur substituisse, inter abbates non invenit, rursus accedit ad confirmationem. Præcipua tamen ratio, quæ vix ullum relinquit dubium, habetur ex laudato Rogerii diplomate anni* 1104, *quod fundatio nequeat esse multis annis vetustior, quodque jam tum abbas esset* Bartholomæus, *nullaque de alio abbate aut fundatore fiat mentio. Lubinus in Abbatiis Italiæ de eodem monasterio agit pag.* 348, *vocatque abbatiam* S. Mariæ Del Hitria, *quod videtur nomen corruptum ex* Odigitria. *Non caret erroribus brevis illa relatio : vel sic tamen confirmat opinionem nostram.*

et relatio Lubini de eodem monasterio, haec vitiosa.

67 *Verba Lubini hæc sunt :* Abbatia titulo S. Mariæ del Hitria, cujus anno circiter 1060 abbas erat quidam Lucas, a Rogerio II, Calabriæ et Siciliæ rege primo, evocatus ad fundationem sive B institutionem abbatiæ S. Salvatoris in lingua phari apud Messanam. Hinc collige fuisse Ordinis S. Basilii : quam tandem perdidere Basiliani, ut asserit Sylvester Maruli in Oceano omnium religionum mundi... lib. 1, pag. 65 et 67. *Quod solum de his asserit laudatus Marulus aut Maurolycus, quodque ait legi in Privilegio Rogerii regis pro monasterio sanctissimi Salvatoris, dato anno mundi secundum Græcos* 6642 (*Christianæ æræ* 1134) *sententiam nostram facit certam, nimirum Lucam a Rogerio rege evocatum fuisse ex monasterio B. Mariæ Del Hitria ad regendum sanctissimi Salvatoris prope Messanam cœnobium. Nam Lucas ille est discipulus* S. Bartholomæi, *et ab eo, sicut Vita habet num.* 37, *petente Rogerio rege, missus est Messanam cum duodecim monachis, quibus præerat, dum exstruebatur novum sanctissimi Salvatoris monasterium. Deinde successor fuit* S. Bartholomæi *in monasterio Rossanensi, ac demum archimandrita. Itaque, quandoquidem Lucas ex monasterio per* S. Bartholomæum *fundato evocatus sit, illud ipsum monasterium prope Rossanum, quod alii recen-* C *tiores* S. Mariæ de Patirio, *alii* S. Mariæ Del Hitria *nominarunt, quodque olim* S. Mariæ Odigitriæ *aut* Novæ Odigitriæ *dictum fuit,* S. Bartholomæum *habuit fundatorum. Quod vero circa annum* 1060 *Lucam ibi abbatem fecit Lubinus, ad annos facile septuaginta a recta chronotaxi aberrat. Fuit tamen ibi abbas post mortem* S. Bartholomæi. *Nihilo accuratius est, quod asserit Lubinus, a Marulo dici istud monasterium Basilianis ablatum : nam Marulus solum asserit, subjectum modo esse abbatiæ sanctissimi Salvatoris, sive archimandritæ, cui subest totus Ordo Basilianus in Sicilia et Calabria. Nonnulla adjungam, ubi egero de fundatione sanctissimi Salvatoris.*

---

§ V. Fundatio monasterii sanctissimi Salvatoris prope Messanam, quæ certo per Rogerium regem facta est : alia monasteria per Sanctum fundata.

Monasterii SS. Salvatoris prope Messanam fundationem

Quemadmodum *probabilius saltem est, fundationem monasterii beatissimæ Virginis Mariæ a* S. Bartholomæo *inchoatam ante finem sæculi* 11, *et Rogerium I Siciliæ comitem concurrisse ad sumptus fundationis, et maxime ad constructionem ecclesiæ, quæ forsan tota ejus expensis perfecta fuit; sic aliquot scriptores neoterici, inter quos abbas Maurolycus et Thomas Fazellus memorantur ab Octavio Caietano in Annotatis, fundationem celeberrimi monasterii sanctissimi Salvatoris Rogerio comiti attribuerunt, decepti libro manuscripto incerti auctoris, in quo multa alia legi inepta testatur Caietanus. Vita* S. Bartholomæi *tali opinioni prorsus repugnat, et Caietanus in Annotatis nonnulla produxit diplomata, quæ Vitæ omnino consentiunt, et nullum debent relinquere dubium. Attamen Rochus Pirrus in Sicilia sacra tom. IV, qui agit de Abbatiis, pag.* 2 *etiam scribit, templum aliquod sanctissimo Salvatori sacrum in isthmo prope Messanam a Rogerio comite conditum fuisse, simul atque Messanam Saracenis eripuerat.* Celeberrimum, *inquit,* sancti Salvatoris cœnobium Messanense aliis omnibus Basiliani Ordinis et mole ædificii et opum magnitudine et jurisdictionis amplitudine excellit, ideoque magni monasterii nomen obtinuit : ejus vero præsul. quæsita a Græcis dignioris vocabuli dignitate (*nec mirum, quia Græci erant*) Archimandrita, latine abbatum maximus pater, et prælatus nuncupatur.

69 Templum ad portum Messanensem Jesu Christo Servatori omnium se conditurum vovit Rogerius, primus Siciliæ et Calabriæ comes, ubi primum ad ejiciendos e Messana Saracenos littus occupavit. Itaque Deo auspice, Messana anno Salutis 1059 capta (*Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 1061 *id refert*) confestim ad apicem isthmi, ubi nunc est pharus seu turris laternæ, ædem sacram extruxit, et sancto Salvatori dicavit, ut ejus diplomate, dato Messanæ anno mundi 6602, Salutis 1094, constat. *Vellem istud diploma recitasset Pirrus : nam timeo, ne forsan in errorem lapsus sit ex male intellecto diplomate Rogerii regis, in quo diploma Rogerii comitis memorati anni laudatur apud Cajetanum in Annotatis pag.* 53. *At illud non videtur datum in favorem cœnobii S. Salvatoris necdum exstantis, sed in gratiam alterius, quod illi a Rogerio rege subjectum fuit. Pirrus deinde sic pergit :* Quas subinde breves admodum humilesque ædes Rogerius rex eius funditus demolitus, munificentia rege digna, nobiliori ac ampliori structura ac forma augustiori, adjectu etiam pavimento marmoreo ac porphyretico, diversique coloris tessulis compacto reparavit, pluribusque opibus, prædiis, ac templis et abbatiis ditavit, ut non immerito huius magnifici templi primus institutor et auctor a plerisque sit habitus rex, qui in suo diplomate, dato anno mundi 6641 et altero 6642 fundatorem

aliqui tribuerunt Rogerio comiti, a quibus non omnino recessit Pirrus. F

AUCTORE J. S.

fundaturem se appellat. *Ita Pirrus præcipuas quidem partes Rogerio regi tribuit; nec tamen patrem eius comitem omnino excludere voluit, ne dissentiret a Maurolyco et Fazello.*

profert compendium Vitæ S. Bartholomæi suæ opinioni congruum

70 *Quin et compendium Vitæ, a nobis edendæ, ex ms. græco latine recitat, opinioni suæ prorsus accommadatum. Nam quæ in vita inter Rogerium regem et* S. Bartholomæum *Messanæ gesta narrantur, omnia referuntur ad Rogerium comitem, et ita quidem, acsi* S. Bartholomæus *alterius monasterii in Sicilia fuisset abbas, quando accusatus est apud Rogerium et ad ignem condemnatus. Ut verbo dicam omnia, illud vitæ compendium adeo a vera Sancti vita dissonat in plerisque factis, ut non crederem, ex ipsa vita compositum esse, nisi* Daniel *Basiliensis monachus diceretur auctor a Pirro, laudareturque pro ea Octavius Caietanus in Idea Sanctorum Siculorum pag. 95, ubi assignat ipsam vitam nostram, deinde latine editam. Hinc enim credere cogor, ex illa ipsa vita compositum esse Pirri compendium, præsertim cum documenta Messanensia diligenter nobis communicata sint, nec inter illa vel minimum compareat, ex quo illud Pirri compendium concinnari potuerit. Quapropter ne specioso titulo incautis imponat istud compendium, vitia ejus ex collatione cum vita breviter assignabo.*

at illud compendium infidele est et præconceptæ opinioni accommodatum.

71 *In oppido Semeri aut Simari natum fuisse* S. Bartholomæum *vita docet num. 4, eidemque tribuit parentes magnos et pios generatim. At in compendio vocatur* antiquæ Sybaris domini filius, *acsi Vita decideret controversiam eruditorum de situ antiquæ Sybaris et parentes Sancti faceret civitatis suæ dominos. Vita num. 9 Blasium monachum habitasse asserit in oratorio, quod* martyri Sisinnio *dicatum erat. At in compendio pro S. Sisinnio substituitur S. Martinus. Vita num. 14 et seq. docet, sanctum Solitarium per venatores primum hominibus innotuisse, et sic paulatim plures ad eum confluxisse, nullo addito verbo de fuga Sancti. Eadem vita ante num. 13 habet, a Cyrillo et Blasio, monachis senioribus, dum ad Sanctum accedere volebant, visam esse columnam igneam a loco, ubi orabat, sursum ascendentem. At compendii auctor ob discipulos Sanctum fugisse in alium locum, et per igneam columnam ab iis inventum perperam affirmat. Ita ille omnia perturbavit ac mutavit, uti mox iterum perperam ait, Sanctum a monachis abductum* in Rossanense monasterium beatissimæ Virginis Odygitriæ, *cum id monasterium* Bartholomæus *ipse erexerit ex mandato apparentis Virginis : sed hanc quoque revelationem alio ille detorsit. Mox, ut alia multa, prætermisit iter Sancti ad Paschalem Papam, quod non poterat consistere cum gestis posterioribus ad Rogerium comitem detortis ; et in gestis apud Alexium Comnenum peccat, dum Irenen ejus conjugem vocat* genitricem. *Rursum directe cum vita pugnat compendium, asserens* Bartholomæum *in Siciliam vocatum a Rogerio comite, ut præesset monachis, et omnia, quæ spectant ad accusationem Sancti, et secutam constructionem monasterii sancti Salvatoris, eidem comiti Rogerio attribuens, cum omnia ista sint facta per Rogerium regem, et annis multis post mortem comitis, ut ex vita fit manifestum, et Rogerii regis confirmatur diplomatis.*

Rogerius rex aperte declarat, se monasterium S. Salvatoris

72 *Rogerius rex in diplomate anni* 1130. *quod editum est apud Pirrum pag. 4 et Caietanum pag. 52 ita orditur :* Rogerius, in Christo Deo potens, pius, rex, et Christianorum adjutor. Quoniam præsentis vitæ res temporariæ sunt, et, ut vilissima quæque, ex aliis in alias commutantur ; viri pia religiusaque mente, inaudita rerum harum, et, ut Psalmista dicit, dexteræ Excelsi mutatione commoti, ad ea, quæ permanent æternaque sunt, animum appulere, et, cum omne studium intendissent, non invenere viam, quam divina templa erigere facultatesque suas Deo offerre. Inde enim propter eas, quæ ibi incessabiliter laudes resonant, Divinitati incessanter ministratur gloriaque redditur : et ii beatæ memoriæ assiduarumque orationum fiunt participes. Hoc exemplum, tamquam archetypum canonem, secuta serenitas nostra, erexit a fundamentis exstruxitque sacrum divinumque templum in extremo portus Messanensis insulæ Siciliæ ad gloriam et laudem magni Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, a quo et coronam accepimus, intemeratæ Matris eius, sanctæ Dei Genitricis Virginisque Mariæ. Venerandum hoc templum, in magnitudinem decentemque formam divina gratia perductum, cum interventu consensuque Hugonis venerabilis episcopi et canonicorum Messanensium Mandram nominantes et facientes, hoc est, matrem monasteriorum, quæ sub ipsa sunt, et archimandritam in ipsa constituentes, hoc est patrem præfectumque iis, qui sub ipso sunt, monasteriorum rectoribus etc. *In illo diplomate multa privilegia et bona monasterio attribuit Rogerius, ut latius ibidem apud Caietanum videri poterit.*

a fundamentis exstruxisse, consentitque episcopus Messanensis.

73 *Quod vero spectat ad fundatorem, quem quærimus, illa verba a Rogerio rege prolata,* Nostra serenitas erexit a fundamentis exstruxitque etc : *videntur sufficere, ut non quæramus fundatorem alium ante Rogerium primum Siciliæ regem, etsi fundatio sit inchoata, priusquam regium titulum esset consecutus. Si quis tamen contendere vellet, sic loqui Rogerium, quod omnia, quæ prius a patre structa ibidem erant, funditus dejecisset; conjectura illa prorsus refelleretur per verba Hugonis Messanensis episcopi, cujus Privilegium pro monasterio sancti Salvatoris dedit Caietanus pag. 50. Hoc datum est* anno ab Incarnatione Christi 1131 Indict. 10 mense Octobris, *et sic habet :* Dominus Rogerius Siciliæ atque Italiæ gloriosissimus atque invictissimus rex, quoddam monasterium Græcorum in honorem sancti Salvatoris, et B. Mariæ semper Virginis, et S. Nicolai confessoris Christi prope Messanam civitatem in prato S. Hyacinthi, in loco, qui vulgo dicitur lingua S. Nicolai, pro anima sua et liberorum suorum et patris sui et matris suæ et omnium parentum suorum, inceptum tempore prædecessoris nostri piæ recordationis Wilelmi Messanensis episcopi, volens perficere et opibus suis propriisque facultatibus ditare, et quædam monasteria nostræ diœcesis, quæ beatæ memoriæ pater suus magnus primus comes Rogerius fundavit, et per privilegia sua corroboravit, sicut sunt, cum possessionibus et privilegiis et pertinentiis suis suprascripto monasterio subjicere, rogavit me, ut et ego Hugo, Messanensis ecclesiæ humilis episcopus, concederem, et Messanenses canonicos concedere facerem etc. *Consentit episcopus in omnia privilegia, quæ rex monasterio S. Salvatoris concessit, et in subjectionem aliorum monasteriorum, sicuti rex disposuerat.*

ut initium fundationis sit figendum inter 1120 et 1129.

74 *At, quod modo facit ad propositum nostrum, allegatis verbis declarat, inchoatum fuisse monasterium tempore Willelmi aut Guilielmi Messanensis episcopi. Guilielmus autem, ut habemus ex Pirro tom. I, p. 303, ecclesiam Messanensem*

non

AUCTORE I. B.

A non administravit tempore Rogerii comitis, sed annis fere viginti post mortem eius præesse cœpit. Pirras initium episcopatus Guilielmi figit circa annum 1120, et nullum ejus instrumentum profert ante annum 1123; obiisse vero existimat anno 1126. Subscripsit certo Guilielmus cuidam diplomati Rogerii, quod datum dicitur mense Decembri, Indictione 4, quæ Indictio currere cœpit a Septembri mense anni 1125. Ex his periculum S. Bartholomæi videtur figendum circa annum 1125, certe inter 1120 et 1129, sicut et initium fundationis Sancti Salvatoris: nam Guilielmi successor sedebat anno 1129, et forsan tunc aliquot annis sederat. Itaque annis fere viginti aut etiam pluribus post mortem Rogerii comitis inchoata est fundatio ecclesiæ Sancti Salvatoris, eamque a fundamentis ædificavit Rogerius rex, ut iterum dicit in Privilegio anni 1134, quo multa monasteria eidem subjicit, et alias prærogativas concedit. Si qua vero in loco antea erat ædes sacra, fuit illa S. Nicolai, in qua miraculum istud est factum, quo Sancti innocentia fuit cognita.

Aliud monasterium, quod a Sancto exstructum creditur.

75 De aliis nominatim monasteriis per S. Bartholomæum fundatis vita non meminit. Asserit tamen num. 20 generatim ex primo monasterio multa fuisse derivata; sed de singulis, tamquam factis vulgaribus et tunc notissimis, nihil sibi B dicendum existimavit. Monachi abbatiæ S. Bartholomæi Trigona, quorum testimonium recitavi num. 7 et seqq., ex vetusta traditione asserunt, monasterium suum a S. Bartholomæo, cujus modo nomen habet, in honorem S. Bartholomæi apostoli fuisse exstructum. Neque hæc traditio, etiamsi ob vitæ silentium minus certa videri possit, neganda est, aut pro falsa et mendaci habenda. Nam multa alia a S. Bartholomæo fundata saltem insinuavit, ut jam dixi. Marafiotus fol. 72 ait, multas in isto monasterio scripturas se vidisse. In illis autem invenit, fundatum esse a S. Bartholomæo; cumque nostrum ignoraret, ad discipulum S. Nili respexit. Ait præterea, initio erectum fuisse titulo S. Barnabæ apostoli: sed magis credendum est monachis, qui S. Bartholomæum apostolum dicunt primum patronum. De his plura non dicam, pergamque ad investigandum, quo fere tempore obierit Sanctus. Ut autem hæc inquisitio fiat clarior, præcipua chronotaxeos capita repetam, et quædam hactenus prætermissa adjungam.

C

§ VI. Qualiscumque chronotaxis et examen præcipuorum Sancti gestorum.

Primordia Sancti: tempus exstructi primi monasterii:

Natus est Sanctus, ut conjicimus, inter annos 1050 et 1060. Parentes juvenis deseruit, et sub disciplina Cyrilli monachi rudimenta vitæ religiosæ didicit: deinde multo tempore peregrinatus est, ut viros sanctitate præcipuos inviseret, et eorum mores imitari disceret. Post hanc peregrinationem solus in monte deserto vivere cœpit, vitamque solitariam continuavit, donec per venatores inveniretur, et sic paulatim innotesceret pluribus, quibus pia dabat monita. Hinc et discipulos admisit, et cum ipsis perrexit eremiticam ducere vitam, donec ab apparente Virgine monitus sit, ut ecclesiam exstrueret cum cœnobia. Inchoata videtur exstructio ecclesiæ ante finem sæculi 11, figendumque initium inter 1090 et 1100, verisimiliter opem ferente Rogerio comite, et forsan sumptus totius ecclesiæ faciente. Ad secutam monasterii ædificationem concurrerunt plures, illudque multis possessionibus locupletavit Rogerius Siciliæ rex per diploma anni 1104, editum apud Ughellum, in quo Rogerius, tunc puer et comes, fundatorem minime se dicit, sed declarat, velle se partem habere in beneficiis, prædictæ ecclesiæ et monasterio collatis. Alias possessiones eidem monasterio dedit Mabilia, Roberti Guiscardi filia, cum filio suo Guilielmo. Hujus vero fundationis litteræ anno 1122 datæ sunt, et pergebat tunc monasterio præesse idem, qui anno 1104 præerat, venerabilis abbas Bartholomæus. Regrediamur tantisper ad anteriora.

Sanctus presbyter ordinatus a Polychronio.

77 Post exstructum monasterium, multi ad S. Bartholomæum confluxerunt, ut sub eius regimine vitam ducerent monasticam, et ad eumdem alia intentione accesserunt Cyrillus, sub quo vitam monasticam erat exorsus, et Polychronius episcopus, qui Sanctum consecravit presbyterum. Figenda videtur hæc S. Bartholomæi consecratio sub finem sæculi 11 aut sub initium sequentis: nam in vita accessus parentum, qui sub disciplina filii sui Bartholomæi vitam amplexi sunt monasticam, post Sancti consecrationem narratur. Certe parentes Bartholomæi ne senes quidem dicuntur, E quando ad sanctum Filium venerunt, et satis virium habebant ad suscipiendos vitæ monasticæ labores, ut Filius non posset esse ætatis admodum provectæ, uti etiam colligitur ex præsentia Cyrilli monachi, qui in vita græca jam senex vocatur, quando primum ad ipsum venit juvenis Bartholomæus. Quapropter necesse est, dicamus, brevi tempore post constructum monasterium ad presbyterorum dignitatem evectum fuisse Sanctum. Illud vero nonnullam videtur habere difficultatem, quod Polychronius, qui Sanctum ordinavit, nominatur episcopus Gynæcopolios, cujus nominis civitatem episcopalem in tota Calabria non invenimus: neque enim consecratio presbyteri licita est cuilibet episcopo peregrino sine consensu episcopi, in cujus erat diœcesi, ut nequaquam respicere debeamus ad Gynæcopolim Ægypti aut Phœniciæ civitatem.

quem credimus fuisse Geruntinensem

78 Inquiramus igitur, cujus civitatis episcopus videatur ille Polychronius. Duo hic præmitto, primum fuisse certo episcopum ritus græci, quandoquidem S. Bartholomæus fuerit ejusdem ritus F presbyter, quem eius successores deinde secuti sunt, et etiamnum sequitur Ordo Basilianus in Calabria et Sicilia: deinde non videri dubitandum, quin alicubi in Calabria fuerint episcopus: nam cum Cyrillo in illa provincia monacho venit ad Sanctum, ut procul dubio inter Cyrillum et Polychronium aliqua fuerit familiaritas. Quæramus modo, an circa finem sæculi 11 fuerit in Calabria Polychronius episcopus, isque et græcus, et eiusmodi episcopus civitatis, quam designasse biographum fiat verisimile. Unicus apud Ughellum mihi se affert Polychronius Geruntinensis, et hunc ipsum designari omnino existimo. Nam hic certo sedebat anno 1099, ut probat Ughellus tom. IX, col. 702. Fuisse episcopum ritu græci, colligitur ex diplomate anni 1099, quo ipse obtinuit a duce Rogerio in confirmationem donationis suæ: nam græce scriptum fuisse diploma, probatur ex annis mundi sic additis: In annis sex millium sexcenti septem. Latini non utebantur illa epocha, sed græci; ipsaque verba latina ostendunt, se ex græcis vitiose admodum translata.

in Calabria episcopum.

79 Præterea eo loco sita est Geruntia, vulgo Cerenza dicta, ut verisimile fiat, Cyrillum in eius diœcesi

AUCTORE A. S.

diœcesi aut ejus vicinia habitasse, et utriusque adventus ad S. Bartholomæum, *imo et consecratio Sancti per episcopum Geruntineusem, sit admodum verisimilis. Nam Rossano vix distat viginti quinque milliaribus italicis, et civitas Carinteusis, quæ eidem subest episcopo, minus etiam distat. Erat ergo Polychronius iste ex episcopis diœcesi Rossanensi maxime vicinis, et sic cum consensu episcopi Rossanensis, si quis erat, aut vicarii diœcesis, si forte sedes vacabat (ut certe illius temporis episcopus Rossanensis non innotuit)* S. Bartholomæum *consecrare poterat presbyterum. Restat ergo sola nominis* Gynæcopolis *difficultas, eaque minime insuperabilis: cum enim græcum illius civitatis, nunc fere in vicum redactæ, nomen nullibi invenire potuerim, ipsumque nomen latinum frequenter sit mutatum, fortasse id ipsum græcum nomen habuerit apud Calabros græcos: forte etiam nomen græcum modice corruptum est. Si enim* γεραιῶν πόλις, *id est,* Senum civitas *pro* γυναικῶν πόλις, mulierum civitas, *modica mutatione a græcis fuerit vocata, id nomen originem dederit latino nomini* Geruntia *aut* Gerontia *aut* Gerontum, *quæ omnia ejusdem fere sunt significationis græcæ. Quidquid sit, alium Polychronium non invenio.*

B

Iter Romanum: aliaque post istud facta:

80 *Iter Sancti ad Paschalem II, qui anno* 1099 *Ecclesiam administrare cœpit, ex conjectura verisimili figendum est circa initium sæculi* 12, *cum inter constructionem monasterii et istud iter non multa videantur intercessisse. Forte contigerit circa annum* 1104, *quo multa monasteria donavit Rogerius. Plura in vita memorantur inter iter Romanum et Constantinopolitanum, videlicet latronum quorumdam conversio ad meliorem vitam, exstructa pro hospitibus ædificia, fames Calabriæ, in qua Sanctus egentibus succurrit, impetrata etiam divinitus annona, et periculum monachorum, in navigio monasterii a Saracenis captorum, quod divinitus agnovit, et precibus discussit Sanctus. Memorata egentium subsidia et navigium monasterii insinuant, cœnobium Sancti recte constitutum et sufficienti censu instructum fuisse, dum illa sunt facta, ut saltem ad sæculum* 12 *videantur referenda. Cum autem in vita num.* 27 *navigium a Saracenis piratis captum dicatur die ultima hebdomadæ sive Sabbato,* 23 *Julii, et dies Sabbati circa id tempus non concurrerit cum* 23 *Julii, nisi annis*

C

1104 *et* 1110, *quibus littera Dominicalis erat* B, *id alterutro ex dictis annis contigerit. At magis credo, anno* 1110 *rem accidisse, quam* 1104, *quia præcipua monasterii bona a Rogerio, postea rege, data dicuntur; Rogerii vero diploma, quo multa conceduntur, notatum est* in mense Septembris, Indictione duodecima 1104; *et Rogerius non multo citius comitatum Siciliæ adeptus est, cum eius pater obierit anno* 1101, *eique successerit primum Simon, frater Rogerii natu major, et post hunc Rogerius ipse postea rex. Itaque existimo, monachos Sancti anno* 1110 *a Saracenis captos fuisse.*

Iter Constantinopolitanum, cujus forte ratio

81 *Hac de causa iter Constantinopolitanum, quod in vita sequitur, videtur figendum post annum* 1110, *aut certe non ante hujus anni partem posteriorem. Nescio, an istud iter omni caruerit mysterio. Nam mirum apparet, sanctum Abbatem, cujus monasterium principum Normannorum opibus ortum et dilatum erat, ad imperatorem Constantinopolitanum recurrisse, ut ab eo sacros codices et ornamenta ecclesiæ suæ impetraret; et magis etiam mirandum, tam benigne a principibus Constantinopolitanis exceptam fuisse Sanctum, quam vita testatur, si nulla alia Constantinopolim proficiscendi erat causa, quam quæ in vita exprimitur. Nam constat, inter principes Normannos, sub quibus vivebat* Bartholomæus, *et Alexium Comnenum multa fuisse bella, Alexiumque ab iis multum timuisse, ut minime fiat verisimile, Alexium umquam sincera amicitia junctum fuisse cum Normannis in Sicilia, Calabria et Apulia dominantibus. Præterea suspectus est Alexius de favore in schisma Græcorum, a quo certe abhorruit* S. Bartholomæus, *quem profectum vidimus ad Paschalem Papam, ut ab eo immunitates et privilegia monasterio suo obtineret, sicut revera obtinuit.*

D

major fuit, quam quæ asseritur in Vita.

82 *Petrus Diaconus in Chronico Casinensi lib.* 4, *cap.* 46 *refert, inter Alexium imperatorem et Paschalem Papam ultra citroque nuntios fuisse missos, per quos agebatur de corona imperii tradenda aut Alexio ipsi aut eius filio Joanni per Pontificem. Narrat id Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 1112, *a quo non longe abesse potest iter Constantinopolitanum* S. Bartholomæi, *figendum inter annum* 1110 *et mortem imperatoris, anno* 1118 *defuncti, et certe notabili tempore ante ejus mortem, ante quam rediit Sanctus, nec ulla fit mentio de ea brevi secuta. Hinc nonnulla mihi oritur suspicio,* S. Bartholomæum, *qui notus erat Paschali Papæ, ab eo occulte mitti potuisse, ut videret, an spes esset græcos sincere conciliandi cum Ecclesia Romana, utque in eam conciliationem incumberet apud imperatorem, qui sine ea certo non accepisset coronam a Pontifice. Hanc suspicionem, inquam, ingerunt mira illa*

E

gratia, qua apud græcos imperatores totumque senatum valuisse dicitur Sanctus, etiamsi degeret sub principe Normanno, gratia ejusdem apud Paschalem, ipsumque Constantinopolitani itineris tempus. Suspicionem augere potest secuta post aliquot annos damnatio Sancti ad ignem per judices Rogerii regis, quem exacerbare potuit eiusmodi conatus S. Bartholomæi *ad Græcos cum Romano Pontifice conciliandos. Nec multum obstare potest silentium biographi, qui aut ignorare potuit missionem* Bartholomæi, *si occulta manserat; aut de industria silere, ne scriberet factum, quod placere non poterat principibus, sub quibus scribebat. Verumtamen nihil asserere velim: nam mera est suspicio, ex congruis personarum, rerum et temporum adjunctis solum nata, omnique testimonio antiquorum destituta.*

F

Redux Sanctus monasteria condit:

83 *Postquam Constantinopoli in Calabriam ad monasterium suum rediit Sanctus, ecclesiam acceptis donis exornavit, et, ut vita habet num.* 30, *sacella quædam aut oratoria condidit. Per oratoria, ut sonat vox græca, existimo intelligenda monasteria, præsertim cum biographus num.* 20 *asserat, ex primo Rossanensi multa monachorum domicilia fuisse exorta. Eo igitur tempore, quo redux in Calabria mansit Sanctus ante calumniam, cujus causa Messanam vocatus est a Rogerio, quodque decem, ut minimum, et fortasse quindecim fere annorum fuisse videtur, Sanctus congregationem suam dilatavit in Calabria, et varia exstruxit monasteria primo procul dubio subjecta. In illud etiam tempus, quod inchoari potest ab anno* 1115, *aut anno uno alterove citius, et extendi usque annum circiter* 1125, *incidit insignis donatio Mabiliæ, Roberti Guiscardi filiæ, quæ anno* 1122 *per litteras ab Ughello editas* S. Bartholomæo *plurima lateque extensa prædia concessit, eum vocans* spiritualem patrem, dominum Bartholomæum, sancti monasterii venerandæ domi-

næ

A nostræ Dei Genitricis de Neanova Odigytria abbatem, virum justum et studiosam vitam agentem. Illo igitur tempore in territorio S. Euphemiæ verisimiliter fundata est abbatia, quæ modo S. Bartholomæi Trigona nomen habet, et primum S. Bartholomæo apostolo consecrata fuit, ut dictum est num. 7 et seqq. Possem ex Marafioto et alia quædam designare monasteria, quæ ex conjecturis verisimilibus S. Bartholomæum sibi attribuere possent fundatorem; sed ab iis abstineo, eo quod certa non habeam documenta.

gravi calumnia appetitur et damnatur.

84 *Atra calumnia, qua appetitus fuit S. Bartholomæus apud Rogerium regem, proxime præcessit constructionem abbatiæ SS. Salvatoris prope Messanam, quam circa annum 1125 inchoatam, jam probavi num. 74 Habet ea calumnia et maxime consecuta ex ea sancti damnatio, nescio quid mirabile, cujus ratio clare non intelligitur. Non loquor de nimia atrocitate illius calumniæ: nam innumera omnium sæculorum exempla, et præteritorum temporum experientia abunde docent, quam crudeliter in viros etiam sanctos et innocentes invidia et odium non raro grassentur Illud vehementer miror, damnatum tam facile a judicibus* B *Rogerii regis fuisse virum sanctum, et damnatum ad mortem tam truculentam. Veruntamen non est ulla ratio dubitandi de veritate facti, quandoquidem biographus, qui in Calabria scripsit, verisimiliter vivente etiam tum Rogerio, aut certe ejus filio vel nepote, numquam ausus fuisset ista scribere, nisi certa fuissent et passim nota. Aliunde vero liquet, quantum Rogerio regi idem parcat biographus, quamque profusus sit in eius laudes: nam cum passim, maxime in referendo hoc facto, sanctissimum aut* sanctum *vocat* regem; *etiamsi tantam Rogerii regis sanctitatem historiographi non agnoscant, eiusque vitia æque commemorent ac virtutes. Quapropter vehementer suspicor, calumniis et illis præcipue, qua de hæresi accusabatur sanctus, colorem fuisse quæsitum ex itinere Constantinopolitano; et nonnulla omissa fuisse a biographo, quæ rem totam manifestius elucidarent. Monachi calumniæ structores non fuerunt ex iis, qui vitam monasticam sub sancto erant amplexi; sed ex monasterio Melitensi ad ipsum venerant, et aliquo tempore cum sancto vixerant, forte ea ipsa intentione, ut calumniam facere possent magis verisi-* C *milem.*

sed, cognita ejus innocentia, monasterium S. Salvatoris exstruitur.

85 *Postquam, cognita sancti innocentia, amplum exstruere monasterium statuerat Rogerius eo ipso loco, quo rogus pro sancto fuerat exstructus, eum remisit in Calabriam, ut inde mitteret aliquot monachos, in monasterio exstruendo habitaturos. Misit autem* S. Bartholomæus *monachos duodecim et decimum tertium Lucam reliquorum præfectum. Pirrus inter abbates monasterii SS. Salvatoris primum ponit* Bartholomæum. *Verum sanctus non alio modo videtur præfuisse monasterio SS. Salvatoris, quam quo præerat omnibus suæ Congregationis monasteriis. Præterea, quantum existimo, monasterium exstructum numquam vidit; sed ad illud stabiliendum et instruendum rebus necessariis, non modo monachos transmisit; sed etiam libros, supellectilem, pecuniam, aliaque necessaria transmisisse dicitur. Inter fundationem hujus monasterii et mortem sancti nihil interponit biographus, ut verisimile fiat, sanctum non diu superfuisse. Si quis attenderit ad remissum continuo* Bartholomæum, *protractamque ad annos non paucos constructionem monasterii, facile suspicabitur, Rogerium non fuisse delectatum præsentia sancti, quem sine pudore forsan videre non poterat.*

AUCTORE J. S.

Sanctus obiit ante annum 1134.

86 *Ex duobus diplomatis Rogerii regis et tertio Hugonis episcopi Messanensis, quæ ante laudavi existimo*, S. Bartholomæum *defunctum esse circa annum* 1130, *aut forsan illo ipso anno. Certe* S. Bartholomæus *defunctus erat aliquo tempore ante mensem Februarium anni* 1134, *quo datum est postremum ex dictis diplomatis: nam Lucas in eo constituitur abbas SS. Salvatoris, sive archimandrita, et de eo dicitur:* Qui novo monasterio Dei Genitricis, quod in Bosano est (*lege in* Rossano, *ut recte habetur apud Pirrum*) abbas exstiterat. *Ex Vita autem num. 39 novimus, Lucam monasterii Rossanensis factum esse abbatem, quando defunctus est* S. Bartholomæus. *Itaque* S. Bartholomæus *saltem ante annum* 1134 *mortuus est, etiamsi Lucas duobus tantum mensibus præfuisset monasterio Rossanensi. Cum vero verisimile sit, illam Lucæ præfecturam in monasterio Rossanensi prolixiorem fuisse; probabilius quoque est,* Bartholomæum *diutius ante an.* 1134 *fuisse defunctum. Quando datum est prius Rogerii diploma, notatum mense Maio anni* 1130, *necdum electus erat ullus archimandrita, monasteri SS Salvatoris; et in eo solum constituitur, ut dicto monasterio præfit archimandrita, eique subsint* E *alia non pauca monasteria, partim in Sicilia, partim in Calabria; et sic in diplomate episcopi, quod est anni* 1131, *nulla fit mentio de archimandrita per monachos electo, aut per regem confirmato, sed assensus præbetur regis dispositionibus de illo monasterio, diciturque rex illud* perficere *voluisse, ut necdum omni ex parte tunc perfectum fuisse videatur.*

et probabilius etiam ante 1130.

87 *Necdum anno* 1130 *archimandritam fuisse constitutum, clare colligitur ex his Rogerii de eius electione verbis:* Eum vero, qui in dicta Servatoris mandra præpositus futurus est, electum ab iis, qui in ea erunt, monachis, hoc est, ab universo cœnobio juxta divinos sacrosque canones, oportet confirmari per potestatem nostram vel hæredum et successorum nostrorum, et mandato nostro approbari. *Hinc incertum est, an eo tempore vixerit* S. Bartholomæus. *Nam Lucas forte iam tum abbas erat Rossanensis, et forte solum præerat monachis, quibuscum a* S. Bartholomæo *Messanam erat missus. Quare mortem sancti figendam censui circa annum* 1130. *Nam certe vixit aliquo tempore post inchoatam circa* 1125 *monasterii constructionem, et aliquo etiam* F *tempore obiit ante electum anno* 1134 *archimandritam monasterii S. Salvatoris, cujus præfecturam non gessit. Hactenus certa dedimus. Si quis vero et conjecturam nostram his additam desideret; illam quoque adjungam. Vehementer suspicor,* S. Bartholomæum *fuisse defunctum ante primum diploma Rogerii, cumque obierit die* 19 *Augusti, ab anno* 1129 *mortuum fuisse: nam Rogerii diploma datum est mense Maio. Ratio prima est, quod de* S. Bartholomæo *in tribus diplomatis nulla umquam fiat mentio, ut fieri poterat, si vixisset, cum totius congregationis esset caput. Altera est, quod Rogerius monachis relinquat electionem archimandritæ. At monachi verisimiliter elegissent* S. Bartholomæum. *Quapropter, cum ex dimissione* Bartholomæi *et ex alto de ipso Rogerii silentio verisimile sit, noluisse* Rogerium, *ut ejus præsentia Messanæ memoriam injustæ condemnationis refricaret; vehementer suspicor, defunctum esse sanctum, antequam ampla illa privilegia necdum perfecto S. Salvatoris monasterio dedit Rogerius.*

Observatio de Luca Sancti successore.

88 *Lucas, primus* S. Bartholomæi *successor in monasterio Rossanensi, ac deinde archimandrita anno*

anno 1134 in cœnobio SS. Salvatoris, creditur superfuisse usque ad annum 1175. Ornatur multis laudibus in diplomate Rogerii, quo constitutus est archimandrita, multaque monasterio suo obtinuit anno 1134: sed Rogerius eo tempore contra legitimum Pontificem stabat pro antipapa Anacleto, ut laus illa non cedat in summam Lucæ commendationem. Hic tamen et in vita multum laudatus est, meritoque, ut videtur. numeratur inter viros sanctitatis fama celebres. Quin et Sanctum *vocari video ab aliquo in annotationibus mss., ad nus missis de* S. Bartholomæo. *Cajetanus Lucam archimandritam memorat in Martyrologio Siculo ad 27 Februarii, sed sine* Sancti *titulo, et his solum verbis:* Messanæ. Lucas primus archimandrita monasterii S. Salvatoris in pace quievit. *In margine laudatur,* Elogium ad sepulcrum in ecclesia S. Joannis Baptistæ. *Hinc apud nos eodem die commemoratus est in Prætermissis. Plura de Luca dat Pirrus in Sicilia sacra tom. IV a pag. 7, quæ videri poterunt. Ego vitam* S. Bartholomæi *debitis annotationibus illustratum subjungo.* D

VITA

Auctore anonymo coævo.

Ex codice Ms. SS. Salvatoris Messanensis, cum interpretatione antiqua aliquot locis correcta.

PRÆFATIO.

B E

Præfatio de utilitate scribendi.

Sanctorum Virorum facta, moresque posteris tradere, sane utilissimum est virtutis amatoribus, plurimumque ad animarum salutem conducit. Ea enim narratio incitat animos ad virtutum exercitationes, laborumque et difficultatum contemptionem suadet. Quemadmodum enim si de bello, trophæisque coram bellatoribus quispiam disserat, eorum animi statim inardescunt, instructas ferme acies quærunt, et in hostium congressum ruunt, et quo crebrius hæc audiunt, eo vehementius accenduntur, et ejusmodi opera statim desiderant *a*: ita cupidæ mentes virtutum, Apostolorum certamina cursusque, prœlia martyrum, Sanctorum vitas, et eorum *b* adversum spirituales nequitias colluctationes ex historia aliqua perdiscentes, generosa quadam alacritate statim ad eorum imitationem attolluntur, suavique aguntur impulsu ad paria facinora perpetranda, pares cum illis a Deo coronas, ac præmia adipisci peroptantes.

Vitas Sanctorum.

2 Cum igitur adeo perspicua cunctis sit utilitas, et ad virtutes incitamentum, quod in celebrium virorum gestis rebus enarrandis collocatum est; C recte nos facturos arbitrati sumus, si vitam proderemus Deo in primis gratam, mortaliumque animis utilem patris nostri ac pastoris Bartholomæi, viri tanta ornati virtute, ac solis instar recte factorum radios undequaque diffundentis: neque virtutes eius obscurari oblivione sineremus *c*. Sane olim ethnici tantum studii contulere ad fabulosa heroum suorum facinora literis mandanda, unde nihil omnino emolumenti caperetur, ad hominum vitam recte instituendam, quin potius ex scelestis turpibusque narrationibus damni plurimum exsisteret: nobis *d* vero reticenda venerabilis Viri virtus, ac sine luce historiæ relinquenda? imo commemoranda pro virili est, tantumque virtutis exemplar, cunctis mortalibus eorum bono exponendum.

Μεγίστης ὄντως ὠφελείας καὶ πολλοῦ τοῦ κατὰ ψυχὴν κέρδους ἡ τῶν ἀνδρῶν πολιτεία εἰς διήγησιν προτιθεμένη, τοῖς φιλαρέτοις γίνεται πρόξενος. Διεγείρει γὰρ τὰς ἐκείνων ψυχὰς πρὸς τὴν τῶν ἀρετῶν ἐργασίαν, καὶ παντὸς πόνου καὶ δυσχερείας πείθει καταφρονεῖν. Καὶ καθάπερ ἐπὶ τῶν ἀριστέων ὁπότε περὶ πολέμων καὶ τροπαίων τις διαλέγεται, αὐτίκα τε αὐτοῖς ἡ ψυχὴ διαθερμαίνεται, καὶ που καὶ παρατάξεις ἐπιζητεῖ, καὶ πρὸς συμπλοκὴν πολεμίων ὁρμᾷ, καὶ ὅσωπερ ἂν μᾶλλον τοὺς περὶ τούτων [1] λόγους ἀκούωσιν ἐπὶ πλεῖόν τε αὐτοῖς ἡ ὁρμὴ αὔξεται, καὶ τοιούτων ἔργων εὐθὺς ὀρέγονται· καὶ οὕτω καὶ ἀρετῆς ἐρῶσαι ψυχαί, ὅταν Ἀποστολικοὺς ἀγῶνας καὶ δρόμους, ἢ μαρτυρικοὺς ἄθλους, ἢ ὁσίων ἀνδρῶν βίους, καὶ κατὰ τῶν πνευμάτων τῆς πονηρίας ἀσκητικὰ παλαίσματα, ἔκ τινος συγγραφῆς καταμάθωσιν, ἀνδρικώτατα καὶ αὐταὶ πρὸς τὴν ἐκείνων μίμησιν εὐθὺς διανίστανται, καὶ ἀνολιγώρως τὰ ἴσα δρᾶν κατεπείγονται, τῶν ἴσων ἐκείνοις στεφάνων τε, καὶ γερῶν παρὰ τοῦ μεγαλοδώρου Θεοῦ τυχεῖν ὀρεγόμεναι.

[1] *al.* τούτοις

2 Ἐπεὶ οὖν οὕτω πρόδηλος ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀοιδίμων ἀνδρῶν διηγήμασιν ἡ ὠφέλεια καὶ πρὸς τὸ κρεῖττον ἐπίδοσις, οὐ καλῶς ἔχειν ᾠήθημεν τὸν θεάρεστον, καὶ ψυχοφελῆ βίον τοῦ ἡμετέρου πατρὸς, καὶ ποιμένος Βαρθολομαίου τοῦ [2] ἐν τοσαύτῃ ἀρετῇ διαπρέψαντος, καὶ δίκην ἡλίου τὰς τῶν αὐτοῦ κατορθωμάτων αὐγὰς πανταχοῦ τηλαυγῶς καταπυρσεύσαντος, σιωπῇ παραπέμψασθαι, καὶ λήθης βυθοῖς ἐᾶν ἀμαυροῦσθαι τὰ ἐκείνου καλά. Καὶ ταῦτα τῶν ἀνέκαθεν ἑλλήνων πολλὴν εἰσενεγκάντων σπουδὴν συγγράψαι τὰ τῶν ἡρώων μυθικὰ ἀριστεύματα, καίτοι μηδὲν ὠφέλιμον ἐκείνων τῷ τῶν ἀνθρώπων βίῳ συνεισφερόντων, βλάβην δὲ μᾶλλον ὅτι [3] πλείστην τοῖς ἀκούουσι πάντοθεν προξενούντων, ὡς ἀνοσιουργίας καὶ αἰσχρὰς πράξεις διηγουμένων. Οὐκ οὖν σιωπητέον τὰ τοῦ ἀνδρὸς, οὐδ' ἀνιστόρητα ἡμῖν τὰ οὕτω σεμνὰ ἐατέον. Διηγητέον δὲ μᾶλλον τὰ κατ' αὐτὸν, ὅση δύναμις, καὶ ἀρετῆς ὑπόδειγμα τὴν ἐκείνου πολιτείαν ἅπασι προθετέον.

[2] *al.* καὶ

[3] *forte* ἔτι

ANNOTATA.

a *Pauca verba hic omissa erant in versione latina, quæ translata addidi, prout reliqua omnia cum utroque exemplari græco conferam, et, ubi necesse videbitur, corrigam.*

b *Pro* eorum, *interpres posuit* monachorum, *quia memorantur* ἀσκητικὰ παλαίσματα, *quæ maxime*

A *xime monachorum sunt. Cum tamen et alii Sancti adversus dæmones luctentur, malui inhærere verbis Græcis, quæ ad Sanctos quoslibet pertinent.* A. Anonymo Coævo

c *Non verba, sed sensum periodi hujus dedit interpres.*

d *Græca sunt sine interrogatione, sed eamdem præferunt sententiam.* Igitur non silenda Viri gesta *etc. Hoc semel observo, quia interpres libere verba mutat, sed passim sensum recte exprimit.*

CAPUT I

S. Bartholomæi patria, parentes, pueritiæ studia: relictis parentibus, adit Cyrillum monachum, ab eoque habitu monastico induitur: deinde ad varios profectus, vitam orditur solitariam, et virtutibus splendet.

Ἤνεγκε τοιγαροῦν τὸν ἱερὸν τοῦτον ἄνδρα, ᾧ ἱερὰ καὶ θεοσύλλεκτος ἄθροισις, ὡς πάντες σχεδὸν οἱ παρόντες γινώσκετε, οὐ τῶν μεγάλων τις καὶ περιφανῶν πόλεων, πολίχνιον δέ τι εὐτελές τε καὶ ἄσημον, πρὸς τοῖς νοτίοις τῆς Καλαβρίας κείμενον μέρεσιν. Ὄνομα δὲ τῇ πατρίδι Σήμερι. Ἀλλὰ μηδεὶς πρὸς τὸ τῆς πατρίδος εὐτελὲς ἀπιδὼν, εὐτελές τι καὶ περὶ τούτου οἰέ-

B σθω, καὶ τῶν τοῦ ἀνδρὸς χαρίτων ἀνάξιον. Οὕτω γὰρ ἂν ἀτιμάζοιντο οὐ μόνον ἁπλῶς ἀπόστολοι καὶ προφῆται ἀλλὰ καὶ οἱ τούτων ἀκρέμονες, Ἠλίας δηλαδὴ ὁ Θεσβίτης, καὶ ὁ βαπτιστὴς Ἰωάννης καὶ πρόδρομος, οὗ μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν οὐκ ἐγήγερται, καὶ πέτρος ὁ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας θεμέλιος. Τί γὰρ τῆς ἑκάστου τούτων πατρίδος φαυλότερον, ὅσον πρὸς τὴν κατὰ κόσμον περιφάνειαν καὶ ἐπίδειξιν; ἀλλ' ἡ μὲν πατρὶς τοῦ μεγάλου τούτου καὶ περιβοήτου πατρὸς τοιαύτη, καὶ οὕτως εὐτελῶς ἔχουσα.

4 Πατέρες δὲ αὐτῷ γεγόνασι μεγάλοι καὶ ὑψηλοὶ, καὶ λαμπροὶ τὴν ὄντως εὐγένειαν, ἄνωθεν καὶ ἐκ προγόνων εἰς ἑαυτοὺς τὸν τῆς ἀρετῆς κλῆρον κατάγοντες, καὶ τοῦτον καθεκάστην ταῖς παρ' ἑαυτῶν προσθήκαις ἐπαύξοντες. Ἀπὸ παντὸς γὰρ πονηροῦ πράγματος καὶ αὐτοὶ κατὰ τὸν μέγαν Ἰὼβ ἀπεχόμενοι, παρέβλεπον ἀεὶ τὰ κάτω μένοντα τερπνὰ καὶ φθειρόμενα· τὰ πλείω δὲ τῶν κεκτημένων ἁρπάζοντες τῆς φθορᾶς καὶ τοῦ κοσμοκράτορος, ἀπὸ τῆς παροικίας εἰς τὴν κατοικίαν ἀπέπεμπον, ἀγαθὸν ὑπόδειγμα τῷ παιδὶ κἀντεῦθεν γενόμενοι, καὶ ἑαυτοῖς τὴν αἰωνίαν * μακαριότητα θησαυρίζοντες. Ὄνομα δὲ τῷ μὲν πατρὶ Γεώργιος, τῇ μητρὶ δὲ Ἑλένη. Οὗτοι τὸν ἀοίδιμον τοῦτον παῖδα ὥσπερ τις ἀγαθὴ ῥίζα ἀγαθὸν βλαστήσαντες βλάστημα,

* forte, αἰώνιον

C καὶ θεῷ τῷ τῶν ἀγαθῶν δωρημάτων δοτῆρι προσαγαγόντες διὰ τοῦ θείου βαπτίσματος τὸν καὶ τὴν ἀρετὴν ἐσόμενον τέλειον, Βασίλειον αὐτὸν ἐπωνόμασαν, θεόθεν πρὸς τοῦτο καθοδηγούμενοι, ὡς ἂν καὶ διὰ τῆς κλήσεως τὸ βασιλικὸν τοῦ φρονήματος τοῦ παιδὸς δηλωθείη, καὶ πρὸς τὰ τῆς σαρκὸς πάθη ἀκαμπὲς καὶ ἀδούλωτον.

5 Τοιοῦτοι γὰρ ἦσαν κατ' ἀρετὴν οἱ μακάριοι, ὡς ὁ λόγος φθάσας ἐδήλωσεν, ὡς πανταχοῦ τῷ θείῳ χειραγωγῆσθαι βουλήματι· ἐντεῦθεν σπουδὴ ἦν αὐτοῖς ἀνατρέφειν τὸν παῖδα ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου, κατὰ τὴν τοῦ θείου παύλου παραίνεσιν, ὥστε βασίλειον αὐτὸν ἀληθῶς ἀναδειχθῆναι ἀνάθημα, καὶ τοῦ ἐπουρανίου βασιλέως ἐπάξιον ἐνδιαίτημα. Ὁ δὲ οὐ πρὸς παιδιὰς ἔβλεπε, καὶ ἀθύρματα, καὶ τἆλλα, οἷς ἡ νεότης, ὡς τὰ πολλὰ, οἶδε τέρπεσθαι, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐγγύθεν ὑπόδειγμα, δηλαδὴ τοὺς οἰκείους γεννήτορας διαπαντὸς ἐνορῶν, ἐν ἀτελεῖ ἔτι καὶ κομιδῇ νέῳ τῷ σώματι τέλειον ἐπεδείκνυτο φρόνημα, καὶ ἐκ πρώτης, ὃ λέγεται, βλάστης ὁποῖον γένοιτο μετὰ ταῦτα τὸ φυτὸν παρεδήλου· ἐπεὶ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου τὴν τῶν νηπίων ἡλικίαν διήμειβεν, πρὸς μάθησιν τῶν ἱερῶν γραμμάτων παρὰ τῶν τεκόντων ἐκδίδοται· καὶ δῆτα δαψιλῆ τὰ σπέρματα τῆς παιδεύσεως ἐν τοῖς τῆς διανοίας κόλποις ὁσημέραι παραλαβὼν, πολὺν τὸν καρπὸν

Tulit hunc sanctum Virum, quod vos non latet, quotquot prope adestis, sacra et divinitus collecta congregatio *a*, haud ampla aliqua et ornata urbs, sed vile obscurumque oppidulum, in his Calabriæ partibus situm, quæ Meridiem spectat; nomen vero patriæ Semeri *b*. Nemo vero humilitatem patriæ intuitus, humile aliquid de tanto Viro, et eximiis ejus ornamentis indignum suspicetur. Sic enim aspernari liceret non Apostolos modo, ac Prophetas, sed ipsorum principes, Eliam Thesbiten, Joannem Baptistam ac præcursorem, quo inter natos mulierum non surrexit major; ipsumque Petrum Christi Ecclesiæ fundamentum. Quid horum patria, si splendorem, assentationemque quæris, abjectius? Et patria quidem magni hujus, et inclyti Patris ejusmodi atque ignobilis fuit.

Sancti patria.

a

b

4 At parentes ille magnos habuit excelsosque, ac vera nobilitate claros: quique patrimonium virtutis, quod a majoribus in se derivarunt, propriis in dies incrementis auxere: nam a pravo opere, ut magnus ille Job *c*, recedentes, infimas fluxasque voluptates despexere, rei vero familiaris partem maximam ab interitu mundique hujus principe vindicantes, e diversorio in domicilium optimum, inde exemplum Filio facti, sibique thesauros beatitudinis æternæ cumulantes, transmittebant. Pater quidem Georgius, mater vero Helena appellabatur: hi præclarum hunc Virum tamquam bona stirps bonum gignentes surculum, Deoque largitori donorum per sanctum baptisma consecrantes, virtute perfectum futurum, Basilium divinitus nuncuparunt, ut ipsa nominis appellatione regia pueri indoles ad carnis passiones inflexibilis, et ab earum servitute libera demonstraretur.

parentes nomen in baptismo Basilius.

c

5 Sed enim beati illi, quos retulimus, ejus virtutis erant, ut in omnibus veluti divino metu manu ducerentur. Itaque nulla major cura, quam Filium in disciplina, ac lege Domini, ut monet Apostolus, educare; ut eum regium revera donarium, dignumque cælesti Rege templum efficerent. Puer vero non respiciebat ad ludos jocosque et alia, quibus ætas puerilis delectari plerumque solet; sed ad domesticum exemplum, parentes suos perpetuo contemplans, in corpore imbecillo atque adhuc imperfecto prudentiam perfectam præferebat: ex primo, quod aiunt germine, indicans, qualem esset in plantam evasurus. Postquam excessit e pueris, a parentibus traditur sacris Literis perdiscendis. Sane copiosa doctrinæ semina quotidie sinu mentis excipiens, brevi edidit uberes fructus, quique ætatem superarent. Sacris item ædibus semper assistens,

pueritia, institutio.

A. ANONYMO COÆVO.

stens, divinorum hymnorum cantibus, sanctisque lectionibus simul animum sensusque permulcebat.

Relictus parentibus, ad Cyrillum eremitam, fugit.

6 Hinc Dei timorem, ut Isaias ait, utero mentis concipiens, animadvertensque, quam nihil eorum, quæ spectantur, firmum stabileque sit; parentes, mundumque et quæ in ipso sunt, propter Christum despiciens, cogitationes omnes in unum Deum transfert. Nemini vero quidquam locutus, suumve consilium detegens, parentibus, consanguineis, amicis omnibus relictis, ipsoque patrio solo, quo nihil hominibus optatius est, clam paternis ædibus egressus, Cyrillum *d* monachum

d

magni nominis petit, qui tunc temporis ad torrentem Melitenum cum paucis se exercentibus in pietate, divinum virtutis mel studiose conficiens morabatur. Ad hunc cum pervenisset, dici vix potest, quanta animi contentione sacrum sibi monachorum habitum dari postulabat. At senex juvenilem ei ætatem objiciens, Fieri, inquit, non potest, fili, ut monasticæ vitæ labores in præsentia toleres; ac futurum brevi est, ut succumbas; multi enim sunt, virisque ipsis perdifficiles, nedum

B

teneris, qualis ipse es, et adolescentulis delicatis.

et ab eo habitum monasticum impetrat.

7 Apud parentes adhuc degas, suadeo: nec tantos labores tam imbecillo corpore sustinendos suscipias. Is vero, auditis senis verbis, Ego, inquit, Pater, hanc ob caussam adii te, ut sic Christo vivam, moriar carni. Quod si labores istos aggredientem me, ut ais, mori contigerit, præclarius mihi hoc pati, quam a te inanem discedere; retroque, quod in Euangelio dicitur, respicere, cum ad aratrum manum miserim. Adeo constans animi propositum ardentemque in Deum amorem ubi Cyrillus perspexit, capillis ejus detonsis, sacro monachorum habitu induit eum, qui jam more monachorum vivebat et vivere elegerat. Ut vero eorum, quæ in sæculo degens habuerat, ne nomen quidem deinde reliquum ipsi foret, eo commutato, Bartholomæum vocavit. Hunc in modum B. Cyrillo jam subjectus, ad monasticæ vitæ exercitationes, et disciplinam informari cœpit: simul ætate subcrescente, virtutum in eo semina concrescebant, aliaque multa ab optimo præceptore, in ejus corde, tamquam in bono ac pingui solo sata, adjiciebantur.

C

Relicto Cyrillo, peregrinus ad multos circuit.

8 Quoniam vero multis ad salutem auctor, et afflictis animis solatium futurus erat, solis illum B. Cyrilli institutionibus imbui, provida Dei sapientia non sivit: sed comparandæ virtutis ac sanctitatis, quæ exsplendere in eo debebant, opportunitatem exhibens, studiosos alios Dei viros invisendi cupiditatem injecit; ut in morem sedulæ apis ex singulis, quod utile foret, decerpens, idoneus ad eos regendos redderetur, quos ad virtutem directurus erat. Igitur divino afflatus Numine, sanctum Cyrillum deserit; orbemque terrarum peragrans, spectatæ virtutis et sapientiæ viros, quotquot Christo essent amore devincti, conquirit. Cum his versatus assidue, cujusque vitam attente considerans, brevi temporis intervallo, omne virtutis genus sibi comparavit. Circumibat vero, juxta Christi Domini præceptum, nudis pedibus, sola tunica, attrita illa quidem vilique amictus, pellicea zona præcinctus, inedia macilentus ac squallens: baculum manu gestabat, in crucis formam (quod fertur Apostolorum primus vocatione *e* fecisse), eum adversus

e

spirituales hostes propugnaculum, tum ob con-

ἐν βραχεῖ καὶ ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προήνεγκεν. Καὶ τοῖς D
θείοις προσεδρεύων οἴκοις διαπαντὸς, ταῖς πρὸς Θεὸν ὑμνῳδίαις καὶ ἱεραῖς ἀναγνώσεσι ψυχὴν ἅμα καὶ αἰσθήσεις ἐθέλγετο.

6 Κἀντεῦθεν τὸν θεῖον φόβον ἐν τῇ τῆς διανοίας γαστρὶ, κατὰ τὸν μακάριον ἠσαίαν λαβὼν, καὶ κατανοήσας ὡς οὐδὲν τῶν τῇδε βέβαιον οὐδὲ μόνιμον, ὑπερφρονεῖ μὲν γεννητόρων διὰ Χριστὸν, περιορᾷ δὲ κόσμον καὶ τὰ ἐν κόσμῳ, καὶ τὴν αὐτοῦ πᾶσαν ἔφεσιν μετατίθησιν εἰς Θεὸν· ἐνθένδε, μηδενὶ μηδὲν εἰρηκὼς, μηδ᾽ ἐκκαλύψας τὸ βούλημα, καταλιπὼν πάντας, γονεῖς, φίλους, ἥλικας, συγγενεῖς, αὐτὸ τὸ πατρῷον ἔδαφος, τὸ εὐκταιότατον ἀνθρώποις καὶ ποθεινότατον, λάθρα τοῦ πατρικοῦ ἔξεισιν οἴκου, καὶ πρὸς τὸν μέγαν ἐν ἀσκηταῖς ἀφικνεῖται Κύριλλον, ὃς πρός τινι χειμάῤῥῳ τοῦ Μελιτήνου λεγομένῳ σὺν ὀλίγοις ἀσκηταῖς τοτηνικαῦτα προσδιατρίβων ἦν, τὸ θεῖον μέλι τῆς ἀρετῆς ἐπιμελῶς ἐργαζόμενος. Πρὸς τοῦτον οὖν παραγεγονὼς, ἠξίου μεθ᾽ ὅσης ἂν εἴποις τῆς προθυμίας καὶ τῆς θερμότητος τὸ τῶν μοναχῶν αὐτῷ σχῆμα περιβαλεῖν. Ὁ δὲ τὸ νέον αὐτῷ τῆς ἡλικίας προτείνων· ἀδύνατόν σοι, ἔλεγεν, ὦ τέκνον, τὰ τῶν μοναχῶν πρὸς τὸ παρὸν ὑπελθεῖν· ἐν βραχεῖ γὰρ ἔσῃ πρὸς τοὺς πόνους ἀπαγορεύων, οἳ πολλοί τε εἰσὶ καὶ ἀνδράσιν αὐτοῖς χαλεποὶ, μήτοιγε τοῖς κατὰ σὲ νέοις ἔτι καὶ ἁπαλοῖς. E

7 Καὶ διὰ τοῦτο μικρόν τι παραινῶ σοι τοῖς γονεῦσιν ἔτι προσμεῖναι καὶ μὴ τοὺς τηλικούτους ἀναδέξασθαι πόνους ἐν οὕτως ἀώρῳ καὶ ἀτελεῖ τῷ σώματι. Καὶ ὃς, ὡς ἤκουσε τῶν ῥημάτων τοῦ γέροντος, ἐγὼ μὲν, ἔφη, ὦ πάτερ, δι᾽ αὐτὸ τοῦτο παρεγενόμην πρὸς σὲ, ἵν᾽ οὕτω ζήσω μὲν τῷ Χριστῷ, ἀποθάνω δὲ τῇ σαρκί. Εἰ δὲ καὶ μετιόντι μοι τοὺς καλοὺς ἐκείνους πόνους, οὓς ἔφης, ἕψεται τὸ θανεῖν, βέλτιον ἐμοὶ τοῦτο παθεῖν, ἢ κενὸν ἀφ᾽ ὑμῖν ἀπελθεῖν, καὶ τὴν χεῖρα εὐαγγελικῶς φάναι βαλόντα ἐπ᾽ ἄροτρον στραφῆναι εἰς τὰ ὀπίσω· ὡς οὖν ἔγνω ὁ ἱερὸς Κύριλλος τὸ σταθερὸν αὐτοῦ τοῦ φρονήματος, καὶ τὸν πρὸς Χριστὸν σφοδρότατον ἔρωτα, κείρει τε αὐτῷ τὰς τρίχας, καὶ τὰ τῶν μοναχῶν ἱερὰ ἀμφιέννυσιν ἄμφια, τὸν κατὰ μοναχοὺς καὶ βιοῦντα ἤδη καὶ ζῆν ἑλόμενον. Καὶ ἵνα μηδὲν τῆς κατὰ κόσμον βιοτῆς μηδὲ μέχρις ὀνόματος αὐτῷ καταλείπηται, Βαρθολομαῖον τοῦτον μετονομάζει. Οὕτως οὖν ὑπὸ τῷ μακαρίῳ Κυρίλλῳ ὁ Βαρθολομαῖος γενόμενος, τὰ τῆς ἀσκήσεως ἆθλα καὶ σκάμματα παρ᾽ αὐτοῦ ἐπαιδεύετο, καὶ πρὸς πᾶσαν τοῦ μοναχικοῦ κανόνος ἀκρίβειαν ἐρυθμίζετο· καὶ αὐξανομένῳ αὐτῷ τά τε πρῶτα τῆς ἀρετῆς συνηυξάνετο σπέρματα, ἄλλα τε πολλὰ προσετίθετο παρὰ τοῦ ἀρίστου ἐκείνου παιδοτρίβου ἐν τῇ τούτου καρδίᾳ, ὡς ἐν ἀγαθῇ καὶ πίονι γῇ, φυτευόμενα. F

8 Ἐπεὶ δὲ πολλῶν ὁδηγὸς πρὸς σωτηρίαν ἔμελλεν ἔσεσθαι, καὶ λυπουμένων ψυχῶν ἀναψυχὴ καὶ παράκλησις, οὐκ ἐᾷ τοῦτον ἡ εὐμήχανος τοῦ Θεοῦ σοφία μόνοις ἀρκεῖσθαι τοῖς τοῦ ἱεροῦ Κυρίλλου παιδεύμασι, πόῤῥωθεν δὲ κἀνταῦθα καταβαλλομένη τὰς ἀφορμὰς τῆς μελλούσης ἀναλάμπειν αὐτῷ ἀρετῆς καὶ θειότητος, κινεῖ τοῦτον πρὸς ἔρωτα καὶ ἄλλων φιλοθέων ἀνδρῶν, ἵνα ἐκ πάντων, οἷά τις φιλεργὸς μέλιττα, συλλέξας τὸ χρήσιμον, ἱκανὸς εἴη μετὰ ταῦτα πρὸς ὁδηγίαν τῶν μελλόντων ὑπ᾽ αὐτοῦ πρὸς ἀρετὴν ἰθύνεσθαι. Ἀπολιμπάνει τοιγαροῦν τὸν ἱερὸν Κύριλλον, θείῳ κινούμενος πνεύματι, καὶ τὴν οἰκουμένην περιιὼν τοὺς φιλαρέτους ἐπεζήτει, καὶ σώφρονας, καὶ τοὺς, ὅσοι τῷ πρὸς Χριστὸν θείῳ ἔρωτι κάτοχοι. Καὶ τούτοις ἀεὶ συγγινόμενος, καὶ τὸν ἑκάστου βίον περισκοπῶν, ἐν βραχεῖ πᾶν εἶδος ἀρετῆς ἐρανίσατο. Περιενόστει δὲ κατὰ τὴν τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ πρὸς μαθητὰς ἐντολὴν, τοὺς μὲν πόδας ἀνήλιπος, ἑνὶ δὲ χιτωνίσκῳ καὶ τούτῳ ῥακώδει καὶ πιναρῷ τὸ σαρκίον περισκεπόμενος, ζώνῃ τε σκυτίνῃ περισφίγγων τὴν ὀσφῦν, καὶ ὅλος ἐξ ἀσιτίας ἐκτετηκὼς καὶ κατάστικτος· εἶχε δὲ καὶ σταυρικὴν ἐν χερσὶ βακτηρίαν, ὡς ὁ τῶν ἀποστόλων πρωτόκλητος· τοῦτο μὲν, οἷον ἄμαχον κατὰ τῶν νοητῶν ἐχθρῶν ἀμυντήριον,

τοῦτο

A τοῦτο δὲ καὶ ὡς διηνεκὲς τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν σταυρωθέντος ὑπόμνημα.

9 Πληρωθεὶς δ' ἐντεῦθεν, καθάπερ τις μυριοφόρος ὁλκὰς, θείων νοημάτων καὶ πράξεων, καταλιπεῖν ἔγνω τὴν τοιαύτην διαγωγὴν, καὶ πρὸς τὸν ἐρημικὸν μετατίθεσθαι βίον καὶ ἥσυχον. Καὶ δὴ πάσης ἑαυτὸν ἀνθρωπίνης ξυναυλίας ἀποχωρίσας, ὥσπερ τι στρουθίον τοῦ θείου φάναι Δαβὶδ, ἐπὶ τὰ καθ' ἡμᾶς ταῦτα ὄρη μεταναστεύει, ἄβατα σχεδὸν ἀνθρώποις ὄντα τότε, καὶ πρὸς ἡσυχίαν ἄγαν συντείνειν δυνάμενα. Ὧν κατὰ τὴν ὑπώρειαν εὐκτήριον ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἱερομάρτυρος Σισιννίου εὑρὼν, ἐν ᾧ γηραιός τις παρῴκει, βίον μοναδικὸν καὶ αὐτὸς μετερχόμενος, ξενίζεται παρ' αὐτῷ. Καὶ τινας ἡμέρας ἐνταῦθα προσμείνας, εἶτα, τὰ καθ' ἑαυτὸν τῷ μοναχῷ ἀναθεὶς, ἱκετεύει τοῦτον, ὁδηγὸν αὐτῷ γενέσθαι πρὸς τὰ τοῦ ἄλσους ἐνδότερα, οὗ δυνήσεται καταμόνας σχολάσαι Θεῷ, παρὰ μηδενὸς τὸ παράπαν ἐμποδιζόμενος. Ὁ γοῦν Βλάσιος, οὕτω γὰρ ὁ γηραιὸς ἐκαλεῖτο, τοῦτο μὲν ἀπὸ τῶν λόγων, τοῦτο δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἐπιφαινομένης τῷ προσώπῳ τοῦ νέου ἀσκήσεως, ἐπιγνοὺς, ὡς ἄρα θεράπων εἴη τοῦ Χριστοῦ, δέχεται τὴν ἱκεσίαν αὐτοῦ εὐμενῶς, καὶ προθύμῳ ποδὶ εἰσάγει τοῦτον πρὸς τὸ ποθούμενον. Ὡς δὲ πολλῇ πάντοθεν ἡσυχίᾳ τὸν χῶρον εὗρε γαληνιῶντα ὁ ὅσιος,
B λίαν ἐπὶ τούτῳ ἡσθεὶς, ὡς ἅτε τοῦ ποθουμένου τυχὼν, δυσωπεῖ καὶ αὖθις τὸν γηραιὸν, ὥστε δι' ἡμερῶν ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν, καὶ τι αὐτῷ ὄσπριον διακομίσαι πρὸς μικρὰν παραμυθίαν τοῦ σώματος. Ὡς οὖν εὗρε τοῦτον εὐπειθῆ καὶ πρόθυμον εἰς ἐκπλήρωσιν τῆς αἰτήσεως, ἀνταμειψάμενος αὐτὸν ῥήμασιν, ὡς εἰκὸς, εὐχαριστηρίοις, γενέσθαι δὲ καὶ ἱκέτης ὑπὲρ αὐτοῦ πρὸς τὸν Θεὸν ὑποσχνούμενος, τόν τε καιρὸν δηλώσας, καθ' ὃν αὐτὸν ἐπισκέψασθαι ἔκρινε, τοῦτον μὲν εἰς τὰς ἑαυτοῦ διατριβὰς κατιέναι προτρέπεται.

10 Αὐτὸς δὲ ὀρειφοίτης, ὡς ἐπόθει, γενόμενος, καὶ τῆς μετὰ ἀνθρώπων διαγωγῆς τὴν μετὰ θηρίων ἀνθελόμενος οἴκησιν, ὅλον ἑαυτὸν ἀνάγει πρὸς τὸν ποθούμενον. Καὶ δὴ ἐν τινὶ στενωτάτῳ σπηλαίῳ ἑαυτὸν ἐγκλεισάμενος, οὐ καλῶς οὐδὲ ἐπιτηδείως ὀρωρυγμένῳ, ἀλλὰ πολλὴν πανταχόθεν τὴν νοτίδα εἰσδεχομένῳ, καὶ τὴν τοῦ χειμῶνος δριμύτητα, προσευχῇ καὶ νηστείᾳ προσεκαρτέρει, τοῖς τοῦ θείου Δαβὶδ ἐνετρύφα ἱεροῖς μελωδήμασιν, μηδὲν τῶν, ὅσα εἰς παράκλησιν ἐπινενόηται σώματος, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ, οὐ λύχνον, οὐ τράπεζαν, οὐ στρωμνὴν ἢ μικρόν τι ψιάθιον, ὥς τισι τῶν ἀσκητῶν ἤθισται πρὸς μετρίαν κἂν γοῦν τοῦ σαρκίου ἀνάπαυλαν· ἐπὶ ψιλοῦ δὲ τοῦ ἐδάφους κλινόμενος, μετρίως πάντη καὶ οἱονεί πως διεψευσμένως τοῦ ὕπνου
C ἐγένετο. Οὕτω γὰρ ὁ ἀδάμας τῇ ἀγρυπνίᾳ πεπίωτο, ὡς ἅπαν σχεδὸν τῆς νυκτὸς τὸ διάστημα εἰς γονυκλισίας καὶ προσευχὰς αὐτῷ ἀναλίσκεσθαι. Ἔλεγε γὰρ ὁ θεσπέσιος· δεῖ τὸν μοναχὸν ἐγρηγορέναι ἀεὶ, μὴ εἰδότα, ὥς φησιν ἡ Δεσποτικὴ φωνὴ, ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται. Ἐσιτεῖτο δὲ ἐν ἀρχαῖς μὲν τῆς ἐν τῇ ἐρήμῳ διαγωγῆς τοῖς ἐπιχορηγουμένοις αὐτῷ ὀσπρίοις παρὰ τοῦ θεοφιλοῦς ἐκείνου καὶ χρηστοῦ γηραιοῦ. Ἐπὶ δὲ προιόντος τοῦ χρόνου, ἐν ἕξει τῆς ἐγκρατείας γένετο, βοτανῶν μόνον ἀγρίων καὶ ὕδατος, καὶ τούτων ἄγαν ἐγκρατῶς καὶ μετρίως, ἀπογευόμενος, καὶ τοσοῦτον, ὡς μόνον τὴν ἐκ τοῦ θανάτου ἐντεῦθεν διαφυγεῖν, τρυφὴν ἡγεῖτο παντοδαπῆ καὶ ἀδάπανον τὴν διὰ προσευχῆς πρὸς Θεὸν ὁμιλίαν, καὶ τὸ ἀέναον δάκρυον.

11 Οὐ μόνον δὲ πρὸς τὰς τῆς γαστρὸς ἡδονὰς οὕτως ἀνδρικῶς ἀπεμάχετο, ἀλλά γε καὶ κρυμοῖς ἀγρίοις καὶ ὄμβροις, ἄλλαις τε μυρίαις ἀνωμαλίαις διὰ Χριστὸν ἡδέως ἐνεκαρτέρει ταλαιπωρούμενος. Οὐδὲ γὰρ ἐχρῆτο πυρὶ, ἐν οὕτω κρυμώδεσι τόποις ἐναυλιζόμενος, ὅπερ μέγιστόν ἐστιν εἰς παραμυθίαν τοῖς τὸν ἐρημικὸν βίον ἀσπαζομένοις καὶ ὄρειον. Οὕτω δὲ αὐτοῦ σῶμα ὑποπιάζοντος, καὶ τῷ κρείττονι τὸ χεῖρον, ὡς εἰκὸς, ὑποτάττοντος, τό τε τῆς διανοίας ὀπτικὸν ἐπιμελῶς ἐκ-

tinuam Jesu Christi pro nobis crucifixi memoriam.

9 Hac ratione navis instar pretiosis onustæ unguentis, cum divinis jam meditationibus operibusque instructus esset, tale vivendi institutum deserere, seque ad solitariam et tranquillam transferre vitam decernit. Igitur ab omni sane hominum consortio subducens se, sicut passer, ut loquitur S. David, in montes hosce nostros, tunc temporis hominibus prope invios, sed ad quietem peropportunos transmigrat. In quorum latere cum oratorium magno martyri Sisinnio *f* dicatum reperisset, in quo senex quidam solitariam vitam ducebat, hospitio ab eo exceptus est. Ibi dies aliquot commoratus, cum monacho communicato consilio, rogat ad interiora nemoris sibi ducem fieri, ubi a nemine omnino impeditus, Deo vacare solus posset. Ergo Blasius *g*, (hoc erat seni nomen) ex sermone, exercitationeque pietatis, quæ in vultu Juvenis prælucebat, Christi famulum esse dignoscens, libenter annuens ad optatum locum perducit. Ut vero Vir sanctus quietum locum, omnique ex parte tranquillum comperit, magno gaudio perfusus est, ut qui votis jam potiretur suis. Hic senem E enixe precatur, veniat ad se diebus alternis, leguminis aliquid afferens, exiguum corpori fomentum. Cum facilem paratumque ad perficiendum, quod expeteret, invenisset, suas ad Deum preces pollicitus, gratias, ut par erat, rependit. Ad hoc, tempus indicans, quo vellet invisi, sua ad studia sedemque ut redeat, hortatur.

10 Bartholomæus vero montis cultor, quem optaverat, effectus, habitare cum feris præ hominum commercio eligens, totum se concupitæ diu quieti *h* tradit. Cumque in angustam, nec bene commodeve effossam, speluncam semet inclusisset, sed humiditatis multum asperique frigoris admittentem, precationibus et jejuniis semper insistens, ex sacris Davidis canticis voluptates capiebat suas. Sed eorum, quæ ad solatium corporis excogitata sunt, nihil sane habebat; non lucernam, non mensam, non lectum vel parvam aliquam stoream, ut usus se exercentibus est ad moderatum corporis levamentum; nuda ipse humo, parce omnino, et quasi furtim capiebat somnum. Vigiliis adeo in- E duruerat, ut totum fere noctis spatium flectendis genibus orandoque transigeret. Dicebat enim, Oportere monachum semper vigilare, nescientem juxta Domini vocem, qua hora fur venit. Ceterum sub eremiticæ vitæ initia leguminibus, a bono illo sene suppeditatis, sustentabatur. Ubi vero decursu temporis habitum temperantiæ comparaverat, agrestes tantummodo herbas, et aquam, idque ea cum moderatione, ut mortem arceret, gustabat, omnesque delicias suas, sumptus omnis expertes, colloquia in oratione cum Deo ac perennes lacrymas ducebat.

11 Neque adversum dumtaxat voluptates ventris bellum strenue gerebat, verum etiam maxima frigora imbresque, et innumeras prope ærumnas, propter Christum volens perpetiebatur. Nam cum loca adeo frigida incoleret, nec foco utebatur, quod unum eremiticam vitam et montanam complexis maximo solatio esse solet. Cum igitur in castigationem corporis adeo severe incumberet, et inferiorem hominem, ut æquum est,

A ANONYMO COAEVO.

perlatusque ad Blasium monachum,

f

g

solus in monte vitam orditur austeram.

h

multis clarus virtutibus

A. Anonymo Græco.

est, superiori subigeret, mentisque aciem diligenter purgans, nitidissimum Spiritus sancti speculum reddere conaretur: qui bonis nostris semper adversatur, dæmon, quiete eum agere non patiebatur, sed variis terrere spectris, obruere saxis, et in profundissimas subjectarum vallium voragines dare præcipitem pertentabat.

et victor terrentis diaboli:

12 Is vero nequaquam ignorans, cujusnam illæ artes ac præstigiæ forent, fixa in Deo mente, Davidica illa carmina contra hostem occinebat: Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo. Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Hæc recitans Vir sanctus, adversum monstra signum crucis exprimebat. Quin etiam nonnumquam sacri ejus, divinique oris, vel tenui anhelitu fugabantur confestim spectra et somnii instar terriculamenta dissolvebantur. Sed hostibus superior effectus, Deo victoriæ largitori gratias agebat: a quo uberes quotidie, ut B cantat divinus Psaltes, voluptates percipiebat. Nam secundum multitudinem, inquit, dolorum in corde meo, consolationes tuæ delectaverunt animam meam.

virtus ejus vultus splendore insinuatur

13 Illud hic lubet enarrare, quod auditu quidem jucundissimum erit, magnamque simul admirationem audientium animis afferet. Virum sanctum aliquando adiere senex Blasius, unaque B. Cyrillus, quem spiritualem ejus patrem fuisse supra commemoravimus. Jam prope locum erant, ubi Bartholomæo in more erat sæpenumero orare. O mirum, et terribile spectaculum! columna ignis conspecta ab illis est, a terra in cælum usque protensa. Rei insolentia non immerito obstupefacti, visaque ineffabilia contemplati, attonitis similes constitere. Ubi vero ingens ille immensusque splendor abscessit ex oculis, eo accedentes, ubi admirabilem illam speciem viderant, S. Bartholomæum inveniunt tamquam alterum Mosen ex consortio sermonis Domini, eximio illustratum fulgore, totaque facie mirum in modum radiante. Talis igitur cum esset Bartholomæus, tantamque a Deo gloriam consecutus, C haud consentaneum erat, solitudine, instar lucernæ sub modio, semper abscondi, propriæque saluti tantummodo vacare. Quare qui rebus nostris perpetuo prospicit Deus, eum manifestat, conspicuumque, quibus esset ignotus, hunc in modum reddit.

καθαίροντος, καὶ κάτοπτρον αὐτὸ διαφανὲς τοῦ ἁγίου D κατασκευάζοντος πνεύματος, ὁ τοῖς ἡμετέροις ἀγαθοῖς ἀεὶ ἀντικείμενος, ἠρεμεῖν οὐκ ἠνείχετο ἀμέλει, καὶ φάσμασιν αὐτὸν ποικίλοις ἐπειρᾶτο ἐκδειματοῦν, καὶ λίθοις βάλλειν ὁ δυσμενὴς, καὶ κατὰ τῶν βαθυκρήμνων φαράγγων ἐκείνων ἐπιχείρει κατακρημνίζειν.

12 Ἀλλ' αὐτὸς οὐκ ἀγνοῶν τίνος αἱ μηχαναὶ καὶ τὰ φάσματα, τὴν διάνοιαν ἐρείδων πρὸς κύριον, τὰ τοῦ Δαβὶδ κατὰ τοῦ δυσμενοῦς ᾖδεν ᾄσματα· κύριος φωτισμός μου καὶ σωτήρ μου, λέγων, τίνα φοβηθήσομαι; κύριος ὑπερασπιστὴς τῆς ζωῆς μου, ἀπὸ τίνος δειλιάσω; ἐν τῷ ἐγγίζειν ἐπ' ἐμὲ κακοῦντας τοῦ φαγεῖν τὰς σάρκας μου, οἱ θλίβοντές με, καὶ οἱ ἐχθροί μου αὐτοὶ ἠσθένησαν καὶ ἔπεσον. Ἐὰν παρατάξηται ἐπ' ἐμὲ παρεμβολὴ, οὐ φοβηθήσεται ἡ καρδία μου. Ἐὰν ἐπαναστῇ ἐπ' ἐμὲ πόλεμος, ἐν ταύτῃ ἐγὼ ἐλπίζω, καὶ τὰ ἑξῆς. Μόνον οὖν ἐφθέγγετο ταῦτα ὁ ὅσιος, καὶ τὸν τοῦ σταυροῦ τύπον κατὰ τῶν φασμάτων ἐχάραττεν. Ἔτι δὲ ὅτε καὶ μικρὸν ἆσθμα, καὶ τοῦτο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ αὐτοῦ καὶ θεοκυνήτου* στόματος ἔπνεεν, καὶ αὐτίκα τὰ μὲν φόβητρα ἐκποδὼν, καὶ τὰ μορμολύκεια, ὡς ὄνειρος, διελύετο. Αὐτὸς δὲ ἀνώτερος τῶν ἀντιπαλαιόντων γενόμενος, τῷ δοτῆρι τῆς νίκης τὴν εὐχαριστίαν ἀπένειμεν, παρ' οὗ καὶ δαψιλεῖς καθ' ἑκάστην, ὡς ὁ θεῖος ᾄδει Δαβὶδ, τὰς E παρακλήσεις ἐδέχετο· κατὰ τὸ πλῆθος γὰρ, φησι, τῶν ὀδυνῶν μου ἐν τῇ καρδίᾳ μου αἱ παρακλήσεις σου εὔφραναν τὴν ψυχήν μου.

* forte θεοκινήτου

13 Ἀλλ' ἐνταῦθα τοῦ λόγου γενόμενος, ἐκεῖνο διηγήσασθαι βούλομαι, ὅπερ ἀκοῦσαι μὲν ἐστι χαριέστατον, ψυχὴν δὲ καταπλήττειν καὶ εἰς θαῦμα ἐμβαλεῖν, ἱκανώτατον. Ὡς γὰρ ἀνῄει ποτὲ ὁ εἰρημένος γηραιὸς Βλάσιος εἰς ἐπίσκεψιν πρὸς τὸν ὅσιον, συνάμα τῷ ἱερῷ Κυρίλλῳ, ὃν καὶ πατέρα πνευματικὸν αὐτοῦ ὁ λόγος φθάσας ἐδήλωσεν, ὡς ἤδη πλησίον τοῦ τόπου γεγόνασι, καθ' ὃν ἤθιστο τῷ ὁσίῳ πολλάκις προσεύχεσθαι, ὢ τοῦ παραδόξου καὶ φρικτοῦ ἐκείνου θεάματος, στῦλος αὐτοῖς πυρὸς ἀπὸ τῆς γῆς μέχρις αὐτοῦ διήκων τοῦ οὐρανοῦ ἐπιφαίνεται. Οἱ δὲ ἐπὶ τῷ ξένῳ τῆς θέας, ὡς εἰκὸς, ἐκπλαγέντες, εἱστήκεισαν ἐνεοὶ, ἅτε μεγάλα οὕτω καὶ ἀπόρρητα ἠξιωμένοι θεάσασθαι. Ἐπεὶ δὲ διέστη τῆς αὐτῶν ὄψεως τὸ ὑπερφυὲς ἐκεῖνο καὶ ἄπλετον φῶς, ἐλθόντες, οὗ τὸ παράδοξον ἐδόκουν ὁρᾶν, εὑρίσκουσι τὸν μέγαν, οἷά τινα Μωυσῆν ἄλλον, ἐκ τῆς διὰ προσευχῆς πρὸς Θεὸν ὁμιλίας καταυγασθέντα, καὶ μεγάλως δοξασθέντα τὸ πρόσωπον. Τοιοῦτον μὲν αὐτὸν γεγονότα, καὶ τοσαύτης παρὰ Θεοῦ δόξης τετυχηκότα, οὐκ ἦν ἄρα εἰκὸς μέχρι παντὸς ταῖς ἐρήμοις, ὡς ὑπὸ μόδιον λύχνος, ἐναποκρύπτεσθαι, καὶ εἰς ἑαυτὸν μόνον περι- F στῆσαι τὴν σωτηρίαν. Καὶ διὰ τοῦτο φανεροῖ αὐτὸν ὁ ἀεὶ τοῦ ἡμετέρου γένους κηδόμενος, καὶ δῆλον τοῖς ἀγνοοῦσι τόνδε τὸν τρόπον καθίστησιν.

ANNOTATA.

a *Alloquitur auctor monachos congregatos, cumque dicit de loco natali,* ut omnes fere, qui adestis, novistis, *(num ita sonant verba græca) utcumque insinuat, se loqui ad eos, qui sanctum noverant.*

b *Ad nomen* Semeri *Caietanus observat sequentia:* Semeris oppidum in Ulteriore Calabria, aliis Simaris dictum, et Simarium: quod pervetustæ ac maxime celebris quondam urbis Sibaris reliquias esse, sunt qui existiment: quippe cum haud multum inde loci dirutæ urbis vestigia ostendantur. Joannes Jovianus Pontanus. *Leander Albertus in Descriptione Italiæ pag.* 333 *opinionem illam de Sibari improbat, et situm oppidi propius designat, ita scribens:* Vita deinde per oram Scyllacæi sinus P. M. 12 oppidum invenitur Simaris, ubi Sybaria antiquam fuisse Marturanus autumat, quod ea videatur hoc loco a Ptolemæo depicta. Mihi tamen id probari haudquaquam potest, cum eam urbem alii geographi omnes inter flumina Crathin et Sybarin ponant, uti infra dicendi locus erit. Puto igitur, oppidum hoc novum esse, aut a Sybaritis, ut inde nominis originem fluxisse dennos, ædificatum.

c *In utroque apographo nomen per contractionem videtur scriptum, ut possit æque ibidem legi* Ἰωάννην *quam* Ἰώβ. *Interpres tamen expressit* Job, *et eum secutus sum.*

d *De Cyrillo illo, qui vitam solitariam cum paucis duxit in Calabria, nihil alibi invenio.*

e *Interpres*

A e *Interpres habet* Apostolorum princeps, *acsi de S. Petro ageretur. At de Andrea, qui omnium primus a Christo vocatus est, haut dubie loquitur biographus. Nolim tamen examinare, an res sit satis certa de S. Andrea.* A ANONYMO GRÆCO

f *Multi sunt martyres hujus nominis. Qui hic* Sisinnius *ex pluribus memoretur, divinare nequeo.*

g *Recurret Blasius monachus, necdum alibi a me inventus.*

h *Suspicor, verba græca hic altum habere sensum, et ita latine reddenda,* totum se ad desideratum elevat Deum. *Nam in utroque apographo nostro legitur :* πρὸς τὸ ποθούμενον, ad desideratum, *nimirum Deum. Si tamen in codice forsan legitur* τὸ ποθούμενον, *sensum dederit interpres.*

CAPUT II

Sanctus discipulos admittit et vita monastica instituit : condit monasterium, quod accursu multorum etiam insignum virorum augetur.

Ἄνδρες τινὲς, περὶ θήραν ἀγρίων ζώων ἐπτοημένοι κατὰ τοῦτό ποτε τὸ ὄρος θηρεῦσαι γενόμενοι, οὗ ὁ πατὴρ ἐνηυλίζετο, τὴν ἀγγελικὴν ἐκείνην διαγωγὴν μετερχόμενος, ὁρῶσι τοῦτον ἐξαπίνης οὕτως συμβὰν ἐχόμενον ἀπὸ τοῦ ἄντρου ἱστάμενον, καὶ τὸν τῶν ὅλων Θεὸν ἑαυτῷ τε καὶ παντὶ τῷ κόσμῳ ἐξιλεούμενον. Οἱ μὲν
B οὖν, τῷ ἀήθει καὶ ἀσυνήθει τῆς ὄψεως διαταραχθέντες, πρὸς τὸ φυγεῖν ἦσαν ἕτοιμοι. Ἀλλ' ὁ μέγας, τεταραγμένους οὕτω τοὺς ἄνδρας ἰδὼν, μὴ φοβεῖσθε, φησιν εὐθὺς πρὸς αὐτοὺς, ἀδελφοί, ἄνθρωπος γάρ εἰμι καὶ αὐτὸς, εἶναι διὰ τὰς ἐμὰς ἁμαρτίας τὸν παρόντα τόπον εἱλόμην οἰκεῖν. Οἱ δὲ, ἅμα τῇ φωνῇ θάρσους ὑποπλησθέντες καὶ πλησιέστερον ἐκείνου γενόμενοι, ὁρῶσιν ἀγγελικὴν καὶ θείαν ὄντως ἰδέαν τε καὶ κατάστασιν. Οὐ γὰρ, ὡς ἐν ὄρεσι διαιτώμενος καταπληκτικός τις ἦν τὸ εἶδος καὶ ἄγριος, πρᾶος δὲ μᾶλλον καὶ ἤπιος, καὶ αὐτόχρημα θεῖος ἄγγελος· ἡδὺς μὲν τῇ θέᾳ, τὴν ὁμιλίαν ἡδύτερος, καὶ πολλὴν ἔκ τε τῆς θέας ἔκ τε τῶν λόγων τὴν ὠφέλειαν ἀποπέμπων τοῖς προσπελάζουσιν. Ἐμφορηθέντες οὖν οἱ ἄνδρες τῆς ἡδίστης αὐτοῦ καὶ ψυχωφελοῦς ὁμιλίας, καὶ πολλὴν ἐντεῦθεν τὴν ἡδονὴν καρπωσάμενοι, τῆς τε παρ' αὐτοῦ εὐλογίας ἀξιωθέντες, οἴκαδε ᾤχοντο, πολλὰ παρὰ τοῦ μεγάλου ἐπιτιμηθέντες, μηδενὶ τὸ παράπαν περὶ αὐτοῦ ἐξειπεῖν. Βραχὺς ὁ μεταξὺ χρόνος, καὶ πάλιν οἱ θηραταὶ παραγίνονται πρὸς τὸ μέγα τοῦτο καὶ πολυωφελέστατον θήραμα. Οὐ γὰρ εἴα τούτους ἡ τῶν ἐκείνου λόγων σειρὴν ἐπὶ πολὺ τούτου οὐδὲ στέρεσθαι ἀγαθοῦ· καὶ ὃς τοὺς ἡδυτάτους ἐκείνους καὶ ζωοποιοὺς αὖθις διὰ γλώσσης καρποὺς αὐτοῖς προτιθέμενος, φιλοτίμως τούτους εἱστία καὶ μετ' εὐλογίας
C ἐξέπεμπεν. Ἐπεὶ δὲ κρύπτειν οὗτοι παρ' ἑαυτοῖς τὸ τηλικοῦτον ἀγαθὸν οὐκ ἠνέσχον, φανεροῦσι τὸν θησαυρὸν, καὶ τοῖς ἀγνοοῦσι προσαπαγγέλλουσιν.

15 Καὶ οὕτω φανερωθεὶς ὁ μακάριος, εἵλκε διὰ τῆς φήμης πρὸς ἑαυτὸν τοὺς τῶν τοιούτων ἀγαθῶν ἐραστάς. Πανταχοῦ γὰρ αὕτη ὑπέρτερος διαθέουσα, οἷά τις λαμπρὰ καὶ πολύφθογγος σάλπιγξ, τὸν ἄνδρα ἐκήρυττε, καὶ οὓς μὲν ἐκ γειτόνων, οὓς δὲ καὶ πόῤῥωθεν συγκινήσασα, προσδραμεῖν αὐτῷ διηρέθιζεν ἀποπτάς. Ὁ δὲ τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην μιμούμενος, οὗπερ ἀτεχνῶς καὶ τὴν πολιτείαν ἐζήλωσε, προετίθει τοῖς προσφοιτῶσι τὰ περὶ μετανοίας καὶ ἐξομολογήσεως. Ἐν οὐδενὶ, λέγων, ἑτέρῳ, τέκνα καὶ ἀδελφοί, τοσοῦτον χαίρει Θεὸς, ὡς ἀνθρώπῳ μετανοοῦντι καὶ ἐξομολογοῦντι τὰ ἴδια πταίσματα· καὶ τούτου μάρτυς αὐτὸς, καὶ δι' ἡμᾶς γενόμενος ἄνθρωπος, οὐκ ἦλθον, λέγων, καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Μετανοήσωμεν οὖν ἀγαπητοί, ἐφ' οἷς ἐν τῷ προλαβόντι καιρῷ, ὡς ἄνθρωποι τῷ Θεῷ καὶ πλάστῃ ἡμῶν προσκεκρούκαμεν. Καὶ αὐτὸς, ὡς ἀγαθὸς καὶ φύσει φιλάνθρωπος, συγγνωμονήσει ἡμῖν ἐξ ὅλης καρδίας πρὸς αὐτὸν ἐπιστρέφουσι. Καὶ εἰς τὴν προτέραν αὖθις τιμὴν καὶ υἱότητα, ὡς τὸν ἄσωτον υἱὸν ἐκεῖνον, διὰ τῆς μετανοίας ἀποκαταστή-

Sanctus per venatores, quos benigne excipit,

Viri quidam agrestium ferarum venatui intenti, hunc aliquando in montem accessere, ubi Pater angelicam ducens vitam, demorabatur. Quem derepente tali forte modo habentem se conspiciunt, prope antrum stantem, Deumque sibi ac toti mundo propitiantem. Viso venatores repentino insuetoque perturbati, jam fugam capessebant. Verum Sanctus adeo turbatos E
cernens viros, Nolite, statim inquit, fratres, timere : homo siquidem et ipse sum, licet ob peccata mea hunc ad habitandum locum elegerim. Qua illi voce animum resumentes, propiusque accedentes, angelicum plane aspectum, speciemque Viri Dei et corporis habitudinem cernunt. Minime enim, ut qui in montibus degeret, terribili et agresti forma erat, sed mitis potius blandusque, ac re vera cælestis angelus : vultu suavis, suavior alloquio: multumque utilitatis, tum vultu, tum verbis ad se accedentibus afferens. Itaque viri saturati jucundissimo ejus, animis utili, consortio, multaque inde voluptate percepta, et habita ejus benedictione, discessere : severe prius a sancto Viro admoniti, ut nemini omnino de ipso quidquam loquerentur. Brevi tempore interjecto, rursum venatores ad magnam hanc utilissimamque redeunt venationem; neque enim sermonum ejus suavitas tanto privare se bono diutius sinebat. Sed Dei Famulus jucundissimos ac vivificos fructus rursum illis lingua porrigens, liberali exceptos convivio, fausta cum precatione dimittit. At hi ingens adeo apud se bonum celare neutiquam valentes, manifestant thesaurum, ipsumque nescientibus patefaciunt. F

innotescit, et discipulos admittit.

15 Hoc pacto Vir sanctus jam palam factus, cupidos bonorum hujusmodi fama sui ad se pertrahebat. Hæc enim pennata confestim circumvolitans, ut clara aliqua ac sonora tuba, Virum ubique prædicabat, ciens non proximos modo, sed longe semotos, ut omnes ad ipsum accurrerent. Bartholomæus vero, et ut Joannis Baptistæ rationem vitæ, ita spiritum æmulatus, ad se adeuntibus pœnitentiam et peccatorum confessionem pertractabat. De nulla alia re, inquiens, filii et fratres, tantopere lætatur Deus, atque de homine pœnitentiam agentes, et animi labes per confessionem eluente. Cujus rei testis ipse est pro nobis homo factus. Qui non veni, dixit, vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Illorum igitur pœniteat nos, dilecti, quibus, ut homines, temporibus anteactis Deum et conditorem nostrum offendimus. Isque ut bonus, et natura misericors, ad se toto ex corde conversis veniam redonabit; et quemadmodum prodigum

A. ANONYMO COÆVO.

prodigum illum filium, per pœnitentiam in pristinum nos honorem et filiorum adoptionem restituet. Hæc et talia docens monensque quotidie, ad salutem inducebat omnes, vitamque instituere juxta Dei præcepta persuadebat. Eum vero adeuntium alii, maximo percepto emolumento, domum revertebantur. Alii vero doctrinæ ejus dulcedine, veluti compedibus quibusdam, irretiti, vitæ comites, ejusque instituti esse percupientes, magistrum ipsum et viæ ducem ad salutem efflagitabant. Qui plane quietis amantissimus, bonique, quod in quiete est, summopere avidus, primum quidem ferebat ægre postulata, illamque ab se provinciam tamquam difficilem rejiciebat. Dein perpendens eum, qui sibi soli vivit, rebusque tantum suis sollicito prospicit, uni sibi utilem esse : alios vero instituentem, et animarum curam gerentem, plurimum facere lucri, maximamque erga Deum caritatem præferre, et quovis obsequio majorem, precibus tandem cessit.

σει. Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ὅμοια διδάσκων ὁσημέραι καὶ νουθετῶν, ἐνῆγε πάντας πρὸς σωτηρίαν, καὶ κατὰ τοὺς Θείους νόμους ἔπειθε πολιτεύεσθαι. Καὶ οἱ μὲν τῶν προσφοιτώντων τὰ μέγιστα ὠφεληθέντες ὑπέστρεφον οἴκαδε, οἱ δὲ, τῷ μελιχρῷ τῆς διδασκαλίας οἷα τισι πέδαις χειρούμενοι, κοινωνοὶ τῷ μεγάλῳ καὶ οἰκήσεως καὶ πολιτείας γενέσθαι γλιχόμενοι, γυμναστὴν αὐτὸν καὶ ὁδηγὸν πρὸς σωτηρίαν ἔχειν ἱκέτευον. Ὁ δὲ φιλήσυχος ὢν ἀτεχνῶς, καὶ τοῦ καλοῦ τῆς ἡσυχίας ἄκρως ἀντιποιούμενος, τὰ πρῶτα μὲν ἐδυσχέραινε πρὸς τὴν αἴτησιν, καὶ τὴν ἐπιχείρησιν ὡς ὀχληρὰν ἀνεβάλλετο. Εἶτ' αὖθις εἰδὼς, ὡς ὁ μὲν ἑαυτῷ μόνῳ ζῶν καὶ μόνα, καλῶς ὅπως ἔχοι, τὰ καθ' ἑαυτὸν μεριμνῶν, ἑαυτῷ μόνῳ περιποιῆται τὴν ὠφέλειαν, τὸ δὲ καὶ ἄλλους ἐπανορθοῦν, καὶ ψυχῶν ἐπιμέλειαν πεπιστεῦσθαι, πολὺ τὸ κέρδος ἔχει, καὶ μέγιστον ἀγάπης δεῖγμα τῆς πρὸς Θεὸν, καὶ πάσης μεῖζον ἐστὶ τῆς πρὸς αὐτὸν θεραπείας, πειθεται τοῖς δεομένοις. L

quos instruit vita monastica

16 Excepit igitur, qui venirent ad se, modisque omnibus eorum salutis curam gerebat, ad solitariam vitam instituens : cum iisdem in oratorio degens, quod multos ante annos a Niphone *a* quodam monacho, ut ferunt, beatæ Dei Genitricis ac B Joannis Baptistæ..... *b* nominibus ibidem exstructum erat. Tum sane Virum sanctum vidisses, secundum Psalmistam, desertum in stagna spiritualium aquarum ponentem, et collocantem illic esurientes, civitatemque constituentem habitationis; et seminantem agros doctrinæ aratro; ad hoc intelligentes vineas plantantem, quæ et fructum fecerunt nativitatis. Respexit enim de cælo Agricola animarum, Prophetæ verbis rursus utar, eisque benedixit, ac multiplicati sunt nimis : et extenderunt palmites suos usque ad mare, et usque ad flumina propagines suas; ita ut videret omnis iniquitas, qui est mendacii pater, et obstrueret os suum, ploraretque et acerbissime lamentaretur; puræ vero illæ mentes choreas circa Deum agentes, deque nostra salute voluptatem semper capientes, jure lætarentur, et majores conditori suo gratias agerent, hymnosque celebriores concinerent.

16 Καὶ τούτους ὑποδεχόμενος, ἐπὶ τὸν μοναδικὸν ἐφωδήγει βίον· καὶ τῆς ἐκείνων σωτηρίας ὁλοτρόπως ἐκήδετο, εἴς τινα προσευχῆς οἶκον, ὃς πολλοῖς πρότερον χρόνοις αὐτόθι πρός τινος ποναχοῦ Νηφῶνος, ὥς φασιν, ἐπὶ τῷ τῆς Θεοτόκου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, τουρογγον νιάτη ὀνόματι ᾠκοδόμητο, σὺν αὐτοῖς αὐλιζόμενος. Καὶ ἦν ἰδεῖν τότε τὸν ὅσιον, κατὰ τὸν ψαλμῳδὸν, εἰς λίμνας ὑδάτων πνευματικῶν τὴν ἔρημον θέμενον, καὶ πεινῶντας ἐν αὐτῇ κατοικίζοντα, πόλεις τε συνιστῶντα κατοικεσίας, καὶ σπείροντα ἀγροὺς τῷ τῆς διδασκαλίας ἀρότρῳ, καὶ νοητοὺς ἀμπελῶνας φυτεύοντα, οἳ καὶ ἐποίησαν καρπὸν γεννήματος. Ἐπέβλεψε γὰρ ἐξ οὐρανοῦ ὁ τῶν ψυχῶν γεωργὸς, ἵνα καὶ αὖθις τοῖς τοῦ Δαβὶδ χρήσωμαι, καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς [καὶ] ἐπληθύνθησαν σφόδρα. Καὶ ἐξέτειναν τὰ κλήματα αὐτῶν ἕως θαλάσσης, καὶ ἕως ποταμῶν τὰς παραφυάδας αὐτῶν, ὥστε τὴν πᾶσαν ἀνομίαν, ὅς ἐστιν ὁ τοῦ ψεύδους πατὴρ, ἰδεῖν καὶ ἐμφράξαι τὸ στόμα αὐτῆς, οἰμώζειν τε καὶ θρηνεῖν ἀπαράκλητα· τοὺς εὐθεῖς δὲ καὶ περὶ Θεὸν χορεύοντας νόας, καὶ τῇ ἡμῶν ἀεὶ σωτηρίᾳ ἐφηδομένους, ὡς εἰκὸς, εὐφρανθῆναι, καὶ πλείονα τῷ κτίστῃ τὴν εὐχαριστίαν, καὶ τὸν ὕμνον προσάγειν μεγαλοπρεπέστερον. E

Cum deficeret panis pro Sacrificio, eum adfuturum prædicit :

17 Atqui ego, quæ hoc loco Vir sanctus divina virtute mira gessit, auditoribus sane iniquus essem, si præterirem : minime quidem ea silebo, sed narrationi attentio præstanda est. Vel C hinc enim maxime Viri cum Deo familiaritatem, conjunctionemque cognoscemus. Circumsedentibus aliquando discipulis ejus, a matutinis ad Deum precibus, in æde Dei Genitricis, et a nocturnis se laboribus paulum recreantibus, sermonem inchoans Pater, Nocturna, inquit, Dei præconia, fratres, laudesque pro viribus ab ipso suppeditatis peracta jam sunt. Cæterum parata sunto, quæ ad divinum Sacrificium pertinent, ut stata hora sacrificemus. Iis vero assentientibus, panem non esse, ex quo sacra Deo hostia immoletur, rursum Pater, At vobis, ait, filii, nulla super hoc cura esto; potest enim Deus, qui quadraginta annos mirabili cibo Israeliticum populum in deserto pavit, nobis quoque in rerum necessariarum inopia, sui causa, in eremo constitutis, quæ opus sunt, suppeditare. Hæc locutus, quædam addens de divina providentia, qua cuncta gubernantur, quodque nec passerem universi Rector cura sua destituit, sermonem absolvit. Et illi quidem ibidem collem circumeuntes, Davidis verba, ut mos est monachis, meditabantur *c*. Porro nondum aderat tertia diei

17 Ἀλλ' ὥσπερ ἐνταῦθα τῷ μεγάλῳ παρὰ τῆς θείας τεθαυματούργηται χάριτος, σφόδρα ἂν τοὺς ἀκροατὰς ἀδικήσαιμι, εἰ σιωπῶν παρέλθοιμι. Οὐκοῦν οὐδὲ σιωπήσομαι τοῦτο, ἀλλὰ προσεκτέον τῷ διηγήματι. Ἐντεῦθεν γὰρ γνωσόμεθα μάλιστα τὴν τοῦ ἀνδρὸς πρὸς Θεὸν παῤῥησίαν τε, καὶ ἐγγύτητα. Καθημένων γάρ ποτε τῶν αὐτοῦ φοιτητῶν, περὶ ὃν εἰρήκαμεν ἀνωτέρω τῆς Θεοτόκου νεὼν μετὰ τὰς ἑωθινὰς πρὸς Θεὸν ὑμνῳδίας, καὶ μικρόν τι ἑαυτοὺς τῶν νυκτερινῶν κόπων ἀναπαυόντων, λόγου ἀρξάμενος ὁ πατὴρ, φησὶ πρὸς αὐτούς· ἡ ἐν τῇ νυκτὶ πρὸς Θεὸν δοξολογία καὶ αἴνεσις, ἀδελφοὶ, ὡς αὐτὸς παρέσχεν ἰσθὺν, ἤδη ἡμῖν τετελείωται. Τὸ λοιπὸν, ἔστω ἡμῖν εὐτρεπῆ τὰ πρὸς τὴν θείαν ἱερουργίαν, ὡς ἂν κατὰ τὴν νενομισμένην ὥραν ἱερουργήσαιμεν. Τῶν δὲ εἰπόντων, μὴ εἶναι ἄρτον παρ' αὐτοῖς καθόλου, ἐξ οὗ τῷ Θεῷ ἡ ἱερὰ θυσία προσκομισθήσεται, αὖθις πρὸς αὐτοὺς ὁ πατήρ· ἀλλ' ὑμῖν γε, ἔφη, τεκνία μου, μηδεμία περὶ τούτου ἔστω φροντίς. Δύναται γὰρ, ὁ ἐπὶ τεσσαράκοντα ἔτη ἐν ἐρήμῳ παραδόξῳ τροφῇ τὸν Ἰσραηλίτην λαὸν διαθρέψας Θεὸς, καὶ ἡμῖν, νῦν δι' αὐτὸν ἐν δεΐᾳ τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχουσι, κατὰ τήνδε τὴν ἔρημον, τὰ πρὸς τὴν χρείαν χαρίσασθαι. Ταῦτα εἰπὼν, καί τινα τούτοις προσθεὶς περὶ τῆς τὸ πᾶν διεξαγούσης τοῦ Θεοῦ προνοίας, καὶ ὅτι οὐδὲ στρουθίον ὁ τῶν ὅλων πρύτανις ἀφίησιν ἀπρονόητον, καταπαύει τὸν λόγον. Καὶ οἱ μὲν, αὐτοῦ που παρὰ τὸν βουνὸν περιιόντες, τὰ τοῦ Δαβὶδ κατὰ διάνοιαν, ὡς ἤθισται F

A ἤλισται μοναχοῖς, ἐμελέτων. Οὔπω δὲ ἡ τρίτη ὥρα τῆς ἡμέρας παρῆν, καθ' ἡ τὴν ἀναίμακτον ἱερουργίαν τελεῖσθαι νόμος Χριστιανοῖς, καὶ ἰδοὺ παραγίνεται πρὸς αὐτούς, ὡς ἐκ θείας ἀποστολῆς, ἀνήρ τις τῶν ἐκ γειτόνων φιλόχριστος, ἄρτους αὐτοῖς προσφάτους τε καὶ λαμπροὺς ἐπικομιζόμενος, δι' ὧν τήν τε θείαν ἱερουργίαν τελέσαντες, καὶ τὰ τῆς ἐνδείας ἱκανῶς παραμυθησάμενοι, τὰ εἰκότα τῷ Θεῷ ηὐχαρίστησαν. Ἀλλ' οὕτω μὲν πλουσίως τοῦ προορατικοῦ χαρίσματος ὁ πατὴρ κατηξίωτο, καὶ οὕτω θαυματουργεῖν τὰ μεγάλα ἠδύνατο μὲν, οὐκ ἠβούλετο δὲ δι' ὑπερβολὴν μετριοφροσύνης κα ταπεινώσεως.

18 Ἀμέλει, πλειόνων ὡς αὐτὸν προσφοιτώντων, καὶ τὴν μετ' αὐτοῦ οἴκησιν ἀσπαζομένων, ἡ περὶ αὐτὸν συνοδία ηὔξανέ τε ὁσημέραι καὶ ἐπληθύνετο. Ταύτητοι καὶ αὐτὸς τοὺς ἀσκητικοὺς κανόνας καὶ τύπους ἐκπαιδεύειν τούτους ἀκριβῶς ἐσπουδάζετο, καὶ μετὰ τῆς ἄλλης περὶ αὐτοὺς πνευματικῆς ἐπιμελείας πάντα αὐτοῖς τὰ ἀναγκαῖα καὶ ἀπαραίτητα πρὸς τὴν τοῦ σώματος διαμονήν, καὶ συντήρησιν προθυμότατα περιεποιεῖτο, καίτοιγε λίαν ἀνίσχυρον περιφέρων τὸ σαρκίον καὶ ἀδρανέστατον, ἅτε πολλαῖς πυκτεύσας ἀσκήσεσι, καὶ συχνοῖς καὶ διαφόροις τεταλαιπορημένος νοσήμασιν. Ἀλλὰ καὶ αὖθις ἐνίκα τὴν πρὸς τούτους στοργὴν
B ὁ διακαὴς ἔρως τῆς ἡσυχίας, καὶ τοῦ καταμόνας σχολάζειν, κατὰ τὸν ψαλμῳδόν, καὶ γνῶναι τὸν κύριον τελειότερον. Καὶ διὰ τοῦτο Θεῷ τοὺς περὶ αὐτὸν ἀδελφοὺς ἔγνω παρατιθέναι, καὶ πρὸς ἑτέραν ἔρημον ἀφικέσθαι, κἀκεῖσε ἡδέως, τῇ τε ποθουμένῃ ἡσυχίᾳ μᾶλλον ἐπεντρυφῆσαι, καὶ τὴν παρὰ τῶν ἀνθρώπων δόξαν ἐκκλῖναι, ὡς τῷ κατ' ἀρετὴν βίῳ τὰ μέγιστα δυναμένην λυμήνασθαι. Ταῦτα στρέφων ἐν διανοίᾳ, ὅλος ἦν τῆς ἀναχωρήσεως, τάς τε λόχμας ἀνεσκοπεῖτο, καὶ τὰ λάσια τῶν ὀρῶν ἐφαντάζετο. Ἀλλ' ἡ τοῦ κοινοῦ Σωτῆρος καὶ Δεσπότου τῶν ὅλων λοχεύτρια, τὰ πλήθη τῶν δι' αὐτοῦ μελλόντων σωθῆναι προειδυῖα, ὡς ἔοικεν, ἐν μιᾷ ἀγρυπνοῦντι τῷ μακαρίῳ, καὶ τῇ συνήθει προσευχῇ διανυκτερεύοντι, ἐπιστᾶσα αὐτῷ ὑπερφυεῖ καὶ Θείῳ φωτὶ καταυγαζομένη, καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς σαρκωθέντα Θεὸν ἀγκάλαις κατέχουσα, τοιαῦτά τινα αὐτῷ ἐπισκήπτει· Βαρθολομαῖε, παῦσαι πρὸς τὸ παρὸν τῆς πρὸς τὴν ἡσυχίαν ὁρμῆς, καὶ τοῦ ἐν ἀβάτοις ἐνφιλοχωρεῖν ἐρημίαις. Ἐνταῦθα γάρ σε δέον προσμεῖναι, καί μοι κατὰ τόνδε τὸν τόπον ἀναγεῖραι ψυχῶν φροντιστήριον, ἐν ᾧ πολλοὶ διὰ σοῦ σωτηρίας ἀξιωθήσονται.

19 Ταῦτα παρὰ τῆς θεομήτορος ὁ μακάριος οὗτος Πάτηρ προτραπεὶς, ἀνίεται τοῦ πρὸς τὴν ἡσυχίαν σκο-
C ποῦ, καὶ ὡς εὐγνώμων οἰκέτης καὶ εὐπειθὴς, ὅλος γίνεται τοῦ συνοικισμοῦ τῆς μονῆς, τῇ προστασίᾳ θαῤῥῶν προτρεψαμένης καὶ τῇ δυνάμει τοῦ ταύτης υἱοῦ καὶ Θεοῦ, ὃς ἐν βραχεῖ τὸ τοσοῦτον ἔργον εἰς πέρας ἄγει χρηστὸν, πολλοὺς κινήσας πρὸς τὸν μέγαν παραλαβεῖν, καὶ ἱκανὰ αὐτῷ πρὸς τὰς οἰκοδομὰς ἀφιεροῦν, ἀναλώματα. Ὧν πρῶτος ὁμοῦ τῶν ἄλλων καὶ θερμότατος συνεργὸς ὁ ἀμηρρᾶς ὑπῆρχε Χριστόδουλος, ἀνὴρ παρὰ μὲν τοῖς ἐπιγείοις βασιλεῦσι μεγάλα τοι τηνικαῦτα δυνάμενος, πρὸς δὲ τὸν ἡμέτερον τοῦτον πατέρα καὶ τοῦ ἐπουρανίου βασιλέος θεράποντα γνήσιον, πολλὴν τὴν τῆς ἀγάπης κεκτημένος θερμότητα, καὶ ὅλος τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ καὶ τῆς νουθεσίας ἐξηρτημένος, ὡς ἔξεστι τῷ βουλομένῳ μαθεῖν ἐκ τῶν πεμφθεισῶν παρ' αὐτοῦ τοῦ ἀοιδίμου τούτου Πατρὸς πρὸς ἐκεῖνον ἐπιστολῶν.

20 Διὰ τοῦ θεοφιλοῦς τοίνυν τούτου ἀνδρὸς τῷ εὐσεβεῖ καὶ φιλοχρίστῳ ῥηγὶ Ῥογερίῳ καὶ τοῖς ἐκείνῳ κατὰ γένος προσήκουσι τὸν ἑαυτοῦ ἀναγνωρίσας θεράποντα ὁ ἀεὶ δοξάζων τοὺς αὐτὸν δοξάζοντας κύριος, πείθει τὰς ἐκείνων ψυχὰς πλουσίως παρέχειν αὐτῷ τὰ πρὸς τὴν σύστασιν τῆς μονῆς ἐπιτήδεια, καὶ ὅλῃ χειρὶ γενέσθαι αὐτῷ πρὸς τοῦτο συνεργοὺς καὶ συλλήπτορας. Οἳ ἐπεὶ ἔγνων τὸν ἄνδρα, καὶ τὴν τούτου κατέμαθον ἀρετὴν, καὶ ὅσην πρὸς Θεὸν εἶχε τὴν παῤῥησίαν, τοσοῦ-

A. Anonymo coaevo.

hora, sub quam Christianis mos est incruentum Sacrificium offerre. Ecce tibi ad ipsos venit divinitus missus e vicinis vir quidam, religiosus Christi cultor, recentes candidosque panes afferens, quorum beneficio abunde sublevata præsenti inopia, peractoque divino Sacrificio, debitas Deo gratias egerunt. Prophetiæ sane gratia ditatus erat Vir sanctus, ac patrare mira talia valebat, sed propter excellentem animi sui modestiam et humilitatem nolebat.

cogitans abire solus, a Virgine jubetur manere.

18 Jam vero pluribus ipsum adeuntibus, convictumque ejus amplectentibus, crescebat in dies comitatus, et augebatur: quem monasticis constitutionibus, regulisque excolebat: atque ultra spirituale regimen illorum, quæ ad corporis sustentationem conservationemque necessaria essent, diligenter omnia procurabat; quamquam affecto esset corpore, multis instar boni pugilis exercitationibus probatus, crebrisque et gravibus morbis vexatus. Hic rursum quietis amore accensus, Deuque in secreto vacandi ac perfectius cognoscendi desiderio, fratres deserere cogitabat. Illos igitur Deo committere, aliamque ad solitudinem proficisci statuit; ubi hominum gloriam fugiens, quæ una plurimum ad virtutem corrumpendam valet, cupita quiete oblectaretur. Hæc animo volutans, totus in ea secessione erat, silvasque et aspera montium secum ipse meditabatur circumspectabatque. Communis vero Servatoris Dominique omnium parens, multitudini eorum prospiciens, qui salutem consecuturi per ipsum erant, nocte quadam vigilanti, et in sueta oratione pernoctanti adstitit, luce immensa et divina effulgens, carneque indutum ex se Deum ulnis gestans, cum mandatis hujusmodi: Cessa, Bartholomæe, in præsentiarum a quietis studio desiderioque abeundi in invias ad solitudines. Hic te manere oportet, mihique animarum scholam hoc ipso in loco constituere, in quo multi per te salutem adipiscentur. E

in monasterium ibi extruere, prout facere incipit.

19 His a Dei Genitrice beatus Pater admonitus, solitudinis studium dimittit, totusque, ut bonus obediensque famulus, in monasterium extruendum incumbit, præsidio hortantis Dominæ, ejusque Filii, ac Dei potentia fretus, qui brevi tantum opus ad utilem finem perduxit, multos incitans, qui Viro magno succurrerent, et sumptus ad ædificiorum constructionem suppeditarent. Quorum princeps, ardensque adjutor exstitit Christodulus *d* ammiratus, vir apud terrenos reges tunc temporis plurimum potens, beatum hunc Patrem, germanumque servum cælestis Regis flagranti prosequens amore, totusque ab ejus præceptis et monitis pendens: ut quisquis voluerit, ex literis a celeberrimo Patre ad illum missis, plane cognoscet. F *d*

Deoque juvante, feliciter perficit.

20 Per hunc igitur religiosum virum pio christianoque regi Rogerio, ejusque affinibus, famulum suum notum reddens, qui honorantes se gloriosos facit Dominus, in animos illorum inducit, ut quæ ad monasterii fundationem necessaria essent, liberaliter præberent. Qui cum Virum cognovissent, virique virtutem, quamque cum Deo familiaritatem haberet, opere maximo reveriti sunt, eique adeo adhæserunt, ejus

A. Anonymo Græco.

in dicendo vim ab omni adulatione femotam admirantes, ut non modo pecunias opesque, et quæcumque hujusmodi, sed etiam semetipsos tradentes, internuntium apud Deum, suarumque curatorem animarum constituerint; illud Davidis ferme nobis prænuntiantes : Nimis honorati sunt amici tui, Deus. Hinc Vir sanctus adeo omnibus conspicuus redditus est, adeoque exstructum ab eo monasterium impleri cœptum, ut multa ac pene innumera ex hoc uno domicilia monachorum derivarint, sanctissimis ab eo conditis legibus constituta, multi etiam ex ipsorum monachis ad episcopnrum e sedes eveherentur, curaque iis pastoralis committeretur.

multis ad eum confluentibus.

21 Quin plures aliorum monasteriorum præsules pastoresque, divinam Viri conversationem suspicientes, præfecturam renuentes, ad eum accedebant, cum mallent sub ipsius esse regimine, quam aliis præesse. Venerandum in primis, ac nobile illud par, Cosmas et Isacius, f, viri re vera optimi et sanctissimi, omnique dono ornati, præ summa, ut æquum est credere, humilitate modestiaque animi, huic se committentes Patri, ad incrementa monasterii plurimum B contulerunt, atque collaborarunt, ejus effecti manus brachiaque, et si quod aliud est membrum nobile ac necessarium. Quo tempore B. Polychronius g Gynæcopolios episcopus, de rebus ejus certior fama redditus, ipsum intueri coram, colloquiis ac precibus perfrui concupivit. Itaque nulla interposita mora, ad eum una cum S. Cyrillo venit, cujus superius oratio meminit. Quos sanctissimus Bartholomæus summa cum animi voluptate excipiens, gaudebat, spirituque super illos exsultabat : adventum eorum præstantissimo quovis lucro pretiosiorem ducens. Ii vero cum sancti Viri res fama majores esse cognoscerent, de virtute ejus ac sanctitate vehementer lætabantur.

τον ἠδέσθησαν, καὶ οὕτως αὐτῷ προσανεῖχον, θαυμάζοντες αὐτοῦ τὴν ἐν λόγοις ἰσχύν τε καὶ τὸ ἀθώπευτον, ὡς τοῦ μόνου χρήματα, καὶ ὅσα εἰς οὐσίαν καὶ ὕπαρξιν, ἀλλὰ δὴ καὶ ἑαυτοὺς ἐγχειρίσαντες τῷ μεγάλῳ, μεσίτην αὐτὸν προβάλλονται πρὸς Θεὸν, καὶ κηδεμόνα τῶν ἰδίων ψυχῶν πεποίηνται, μονονουχὶ καὶ αὐτοὶ πρὸς τὰ τοῦ Δαβὶδ προσφθεγγόμενοι· ἡμῖν δὲ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι σου ὁ Θεός. Ἐντεῦθεν οὕτως ἐμφανὴς ἐγένετο τοῖς πᾶσιν ὁ ὅσιος, καὶ τοσοῦτον ἡ παρ᾽ αὐτοῦ συσταθεῖσα ἐπληθύνθη μονὴ, ὡς πολλὰ ἐκ ταύτης καὶ σχεδὸν ἀναρίθμητα μεταφυτευθῆναι μοναστῶν καταγώγια, τοῖς παρ᾽ αὐτοῦ ἐκτεθεῖσιν ἐνθέοις τύποις τε, καὶ κανόσι ῥυθμιζόμενά τε καὶ διοικούμενα, πολλούς τε τῶν ἐν αὐτοῖς ἀσκητῶν ἀρχιερατικῆς προεδρίας ἀξιωθῆναι καὶ ποιμαντικὴν ἐγχειρισθῆναι κηδεμονίαν. D

21 Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πολλοὶ ἐπιστάται καὶ ποιμένες ἑτέρων μονῶν, τὴν ἔνθεον αὐτοῦ πολιτείαν ζηλώσαντες, τὸ ἄρχειν παραιτησάμενοι προσεφοίτων τούτῳ, καὶ τὸ ὑπ᾽ αὐτοῦ ἰθύνεσθαι τοῦ ἰθύνειν ἄλλους εἰκότως προέκρινον, ὡς ἀκίνδυνόν τε καὶ ἀσφαλέστερον· οἵα ὑπῆρχεν ἡ ὀνομαστὴ ἐκείνη καὶ σεβασμία δυὰς, Κοσμᾶς καὶ Ἰσάκιος, ἄνδρες ἀγαθοὶ τῷ ὄντι καὶ ἱερώτατοι, καὶ παντὸς ἀγαθοῦ χαρίσματος ἔμπλεως. Οἵτινες ἐξ ἄκρας, ὡς ἔοικε, ταπεινοφροσύνης καὶ μετριότητος τῷ μεγίστῳ τούτῳ πατέρι ἑαυτοὺς ἐγχειρίσαντες, τὰ μέγιστα συνείργουν αὐτῷ πρὸς αὔξησιν τῆς μονῆς, χεῖρες αὐτῷ καὶ βραχίονες, καὶ πᾶν εἴ τι ἄλλο τῶν μελῶν τίμιον καὶ ἀναγκαῖον, γενόμενοι. E Ἡνίκα καὶ ὁ μακάριος Πολυχρόνιος, ὁ τότε τῆς Γυναικοπόλεως ἐπίσκοπος, διὰ τῆς φήμης μαθὼν τὰ περὶ αὐτοῦ, ἐπόθει καὶ ὄψιν ἐκείνου ἰδεῖν, καὶ λόγων ἀπολαῦσαι τῶν αὐτοῦ καὶ εὐχῶν. Ὅθεν καὶ μηδὲν ὑπερθέμενος, ἔρχεται πρὸς αὐτὸν συνάμα τῷ ἱερῷ Κυρίλλῳ, περὶ οὗ φθάσας ὁ λόγος ἐμνήσθη. Οὓς ὁ θεῖος Βαρθολομαῖος ἀσμένως ὑποδεξάμενος, ἔχαιρεν ἐπ᾽ αὐτοῖς καὶ ἠγαλλιᾶτο τῷ πνεύματι, ἕρμαιον τὴν αὐτῶν παρουσίαν καὶ παντὸς ἄλλου πολυτίμου τιμαλφεστέραν ἡγούμενος. Ὑπὲρ τὴν φήμην δὲ καὶ αὐτοὶ τὰ κατὰ τὸν ὅσιον θεασάμενοι, ἐγάννυντο ἐπὶ τῇ τούτου ἀρετῇ καὶ θειότητι.

ANNOTATA.

2 *Niphon ille monachus aliunde nobis non innotuit.*

b *Locus hic admodum est obscurus, et fortasse in codice græco corruptus : hinc vocem saltem unam et forsan plures malui omittere, quam dare verba prorsus dubia. Satis certum est, oratorium istud dedicatum dici nomine beatissimæ Virginis Mariæ et S. Joannis Baptistæ. At incertæ lectionis est, quod addidit auctor, agens verisimiliter de loco, in quo erat conditum. Interpres post nomen* S. Joannis Baptistæ *addidit,* Nugdiniati, *quod me non intelligere, lubens fateor. In apographo Græco minus* F C *mendoso post nomen S. Joannis Baptistæ hac leguntur,* τουρογχον διάτη, *in altero,* τοῦ ρογχοννι ἀτῇ. *Utroque loco eædem habentur litteræ, sed hæ alias in duas partes sunt distractæ, alias in tres, utroque loco mendose, quantum existimo. Tam mendosis certam nequeo dare significationem.*

c *Hæc de monachis ab interprete erant omissa, prout alia subinde pauca, quæ secundum Græca suis locis addidi.*

d *De Christodulo observat Caietanus, eum legi subscriptum vetusto privilegio monasterii S. Salvatoris hoc modo :* Christodulus justitiarius et admiraldus, servus domini mei magni comitis Rogerii. *Plura de Christodulo et de tempore constructi monasterii dedimus in Commentario num* 64.

e *Interpres hic dixerat,* Archiepiscoporum, *ob voces Græcas* ἀρχιερατικῆς προεδρίας, *quantum existimo. At dictæ voces insinuant quidem summum sacerdotium, sed non sunt necessario exponendæ de archiepiscopali dignitate. Nam omnibus episcopis gradus est summus sacerdotii, et ideo tam episcopos quam archiepiscopos designant memoratæ voces. Mutavi et alia subinde in textu Latino interpretis; nec tamen lectorem ea de re semper monendum credidi.*

f *De præclaris illis* S. Bartholomæi *adjutoribus plura non invenio. At notiores fuerint, quando scribebat auctor.*

g *Cajetanus ad nomen* Gynæcopolios *annotat, in Phœnicia aut in Ægypto urbem fuisse ejus nominis. At id nequit prodesse ad propositum nostrum : neque enim ille ex regionibus tam dissitis venerit ad* S. Bartholomæum, *et minus etiam presbyterum ordinaverit in Calabria.* Polychronius *vero, qui cum Cyrillo ad Sanctum venit, episcopis fuerit Geruntinensis et Cariatensis, ut pluribus probatum est in Commentario num.* 78. *Poterat alterutra civitas* γυναικόπολις *vocari a Græcis, etsi aliud sit nomen Latinum, vel nomen civitatis in codice corruptum est.*

CAPUT

A

A. Anonymo coævo.

CAPUT III

Sanctus ordinatur presbyter : Romam profectus, privilegia pro monasterio suo a papa impetrat : virtutibus præstans, periculum monachorum suorum divinitus novit et avertit : Constantinopolim tendit, et ad suos revertitur.

Ἐν μιᾷ οὖν ἅμα τῷ ὁσίῳ οἱ τρισόλβιοι οὗτοι καθήμενοι, καὶ ἅπερ ἦν οἰκὸς τοὺς τοιούτους, πρὸς ἀλλήλους διαλεγόμενοι, ἐπεὶ οὔπω ἱερωσύνης ὁ πατὴρ κατηξίωτο, ἠξίουν αὐτὸν μάλα θερμῶς, δέξασθαι τὴν τοῦ πρεσβυτέρου χειροτονίαν. Καὶ ὃς πρὸς μόνην τὴν τῶν ἀνδρῶν δυσχεράνας ἀξίωσιν, καὶ λίαν βαρέως τοὺς τοιούτους λόγους δεξάμενος, ὡς οὐχ ἱκανὸν ἑαυτὸν τοῦ τοιοῦδε βαθμοῦ οἰόμενος, ἔφευγε τοῦτο πρᾶγμα, καὶ τὴν ἱερωσύνην πάντα τρόπον ὁ σεβάσμιος ὄντως καὶ ἱερὸς ἀνεβάλλετο· τίς εἰμι ἐγὼ, λέγων, τίμιοί μου δεσπόται καὶ B κύριοι, ὥστε τηλικοῦτον ἀξίωμα ὑπελθεῖν; οἱ δὲ τὴν αἰτίαν οὐκ ἀγνοοῦντες τῆς ἀνανεύσεως, τὸν λόγον αὖθις ἀναλαβόντες, οἴδαμεν, εἶπον, σαφῶς ποθεινότατον τέκνον, ὅτι τὸ περιὸν σοι τῆς ταπεινοφροσύνης τοιαῦτά σε περὶ σεαυτοῦ πείθει φρονεῖν. Ἀλλ᾽ ἴδε, ἡμεῖς τὸ τοῦ Θεοῦ σοι μαρτυρόμεθα βούλημα, καί σου εἰδέναι βουλόμεθα τὴν ἐπιείκειαν, ὡς οὐκ ἄνευ θείας ἐπιπνοίας πρὸς τοῦτό σε ἀναγκάζομεν. Ἀλλ᾽ ἴσθι σαφῶς, ὡς τοῦτό σοι παρὰ τοῦ παντουργοῦ καὶ θείου πνεύματος ὥρισται. Ταῖς οὖν τοιαύταις τῶν ἀνδρῶν συμβουλαῖς τε καὶ ὑποθήκαις, πρὸς δὲ καὶ τῶν οἰκείων μαθητῶν τε καὶ συνασκητῶν ταῖς πολλαῖς δυσωπήσεσιν, οἳ καὶ διηνεκῶς ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐκείνου χειρῶν εὐλογηθῆναι ἐγλίχοντο, μόλις πεισθεὶς ὁ μακάριος, δέχεται παρὰ τοῦ ἀοιδίμου πολυχρονίου τὴν χειροτονίαν εἰς τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου προφήτου καὶ προδρόμου Βαπτιστοῦ Ἰωάννου, καὶ οὕτως ἐν καθέδρᾳ πρεσβοτέρων αἰνεῖ τὸν κύριον, ὁ καὶ τοῦ πολλῷ μείζονος ἄξιος.

23 Οὐ πολὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ φθάνει ἡ περὶ αὐτοῦ φήμη καὶ πρὸς τοὺς ἐκείνου γονεῖς. Οἱ δὲ εἰς ἀναβολὰς δοῦναι τὴν ὡς αὐτὸν ἄφιξιν ἐπὶ πλεῖστον οὐ φέροντες, ἅτε τοῖς τῆς φύσεως σπλάγχνοις νυττόμενοι, ἔρχονται πρὸς αὐτόν· καὶ ἡδέως τὸν φίλτατον θεασάμενοι, τά τε παρὰ τοῦ μελιχροῦ ἐκείνου στόματος προϊέμενα ἐνωτισάμενοι, C πείθονται ταῖς ἐνθέοις αὐτοῦ νουθεσίαις, καὶ τῇ τοῦ κόσμου ματαιότητι, ὡς εἰκὸς, ἀποτάσσονται. Καὶ δὴ μεγάλην οὕτω παρὰ τοῦ παιδὸς τὴν ἀντιμισθίαν λαβόντες τῆς εἰς τὸν κόσμον ἐκείνου παραγωγῆς, προθυμότατα τὴν μοναδικὴν πολιτείαν ἀσπάζονται, καὶ καλῶς ἐν αὐτῇ ὑπὸ τῷ καλῷ τούτῳ παιδὶ καὶ κατὰ πνεῦμα πατρὶ διαπρέψαντες, ἐν γήρᾳ καλῷ πρὸς τὸν κοινὸν πατέρα καὶ Δεσπότην μεθίστανται, τῶν ἐπικήρων ἀνταλλαξάμενοι τὰ αἰώνια. Ἀλλ᾽ οὕτω μὲν τοὺς τεκόντας ὁ τρισόλβιος ἀντημείψατο, καὶ τοιαύτας αὐτοῖς τὰς ἀμοιβὰς τῆς σαρκικῆς γεννήσεως ἀνταπέδωκε, γεννήτωρ κατὰ πνεῦμα γενόμενος τοῖς αὐτὸν κατὰ σάρκα γεννήσασιν. Οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἄλλους τῶν κατὰ γένος αὐτῷ προσηκόντων πρὸς τὸ ἀγγελικὸν τοῦτο καὶ θεῖον πολίτευμα ἐπεσπάσατο. Ἡμῖν δὲ πρὸς τὰ ἑξῆς τοῦ λόγου ἰτέον καὶ διηγητέον τὰ μνήμης καὶ διηγήσεως ἄξια.

24 Ἐδέησε ποτε τῷ μακαρίῳ τούτῳ πατρὶ μετὰ τὸν τῆς μάνδρας συνοικισμὸν, πρὸς τὴν πρεσβυτέραν ῥώμην παραγενέσθαι, ὥστε σιγιλλίοις τοῖς ἐκ τοῦ πάπα, Πασχάλιος δ᾽ οὗτος ἦν, τὴν δέουσαν ἐλευθερίαν περιποιήσασθαι τῇ μονῇ. Καὶ τοσοῦντον αὐτῷ τε πάπα καὶ τοῖς λογάσι τοῦ κλήρου ὤφθη ἀσπαστὸς καὶ σεβάσμιος,

Sanctus presbyter ordinatur :

Die quodam hi beatissimi viri cum Bartholomæo considentes, deque rebus inter se disserentes, quæ tales decerent viros; quod nondum Pater esset sacerdotio initiatus, ut eum ad gradum evehi pateretur, maximopere contendebant. At is sermonem hujusmodi, ac virorum preces moleste admodum ferens, refugiebat rem : sacerdotioque minime se idoneum judicans, Vir plane sanctus ab se omnino rejiciebat. Quis,* inquiens, ego sum, reverendi admodum domini mei, ut tantum dignitatis subeam? Verum resumpto illi sermone, Optime, aiunt, novimus, dilectissime Fili, te præ nimia humilitate tua, ut talia de te ipso sentias, persuasum. Sed tibi nos Dei voluntatem contestantes, modestiæ tuæ notum esse volumus, non sine certo afflatu ad hoc cogi te a nobis, destinatumque a divino Spiritu certo scito. His virorum illorum consiliis et rationibus, monachorumque et discipulorum suorum precibus, a sanctis ejus manibus benedici assidue expetentium, ægre persuasus Bartholomæus, in templo gloriosi prophetæ et præcursoris Domini Joannis Baptistæ ab eximio Polychronio ordinationem accipit, Deumque in sede sacerdotali, dignus longe altiore gradu, laudat.

parentes ad se accedentes facit monachos,

23 Haud multo post ad parentes fama pervenit, qui longius profectionem ad eum differre nequaquam tulere, naturæ affectu vehementer stimulante. Igitur carissimum Filium magno cum gaudio conveniunt, orationemque ex mellifluo ejus ore manantem percipientes, divinis Filii monitis parentes obtemperant, mundique, ut consentaneum erat, vanitati nuntium remittunt, proque eo, quod illum edidissent terris, ingenti adeo recepta remuneratione, monasticam vitam avidissime complectuntur : in qua sub tam bono F Filio præclare agentes, in senectute bona ad Dominum migravere, caduca cum sempiternis commutantes. Et parentes quidem suos hoc pacto remuneratus est Vir beatissimus, talemque illis vicem carnalis originis rependit, genitor spiritu iis effectus, a quibus secundum carnem genitus erat. Complures item alios affinitate sibi connexos ad angelicum divinumque vitæ institutum pertraxit. Sed ad ea, quæ reliqua, progrediendum est, memoriaque ac narratione dignæ res exponendæ.

Romam profectus. privilegium monasterio suo a Papa impetrat : omnibus

24 Extructo jam monasterio, antiquam Romam proficisci Bartholomæo necesse fuit, ut Papæ diplomatibus (erat is Paschalis *a*) immunitates illi necessarias procuraret. In urbe cum Pontifici Maximo tum cleri primoribus carus, et venerandus fuit. Philosophiam ejus sermonumque

A. Anonymo Calabro.

nimque prudentiam adeo demirati omnes sunt, ut maximum Dei Viro honorem detulerint, ejusque postulata libenter concesserint. Etiam feri tyranni aspectum ejus increpationesque pertimescebant, quos in vinculis habebant, laqueo suspendive destinatos, omni cum alacritate, a sententia mortis absolutos, ei donabant. Quod ergo admirandus omnibus esset et venerabilis, lucens splendidissime tam vivendi ratione quam verbo, ex dictis manifestum omnino est. Id ipsum non minus manifestat, quod nunc dicetur. Sicarii quidam, in latrociniis intestinisque cædibus a pueris enutriti, ubi aspectum ejus dumtaxat conspexere, divino ab eo spiritus fulgore coruscante perculsi, paventes ac tremebundi, ad ejus projecti pedes, pœnitentiam tum verbis tum corporis habitu præ se ferentes, ad honestam dein vivendi rationem se recepere.

καὶ οὕτως αὐτοῦ ὑπερεθαύμασαν τὸ φιλόσοφον καὶ τὴν τῶν λόγων ἠγάσθησαν σύνεσιν, ὡς μεγίστην αὐτῷ ἀπονεῖμαι τιμὴν, καὶ πάντα αὐτοῦ τὰ αἰτήματα προθύμως ἀποπληρῶσαι. Ἠδέσθησαν τούτου τὴν θέαν καὶ τοὺς ἐλέγχους καὶ τυράννων ἀπήνειαι, καὶ οὓς εἶχον ὑπὸ δεσμοῖς ὑπευθύνους, καὶ ἑτοίμους ἤδη πρὸς βρόχον καὶ ἀνάρτησιν, μετὰ πολλῆς τῆς περιχαρείας αὐτῷ ἐδωρίσαντο, τῆς τοῦ θανάτου ψήφου τούτους ἐλευθερώσαντες. Ὅτι μὲν οὖν τοῖς πᾶσι θαυμαστὸς καὶ αἰδέσιμος ἦν ὁ ἀνήρ, λάμπων ὁμοίως διαφανέστατα ἀπό τε τῆς ἀγωγῆς καὶ τοῦ λόγου, δῆλον ἱκανῶς ἀπὸ τῶν εἰρημένων. Δηλώσει δὲ τοῦτο οὐχ' ἧττον καὶ τὸ νῦν ῥηθησόμενον. Αἱμοχαρεῖς γάρ τινες ἄνδρες καὶ ὁδοστάται, λῃστείαις τε καὶ ἐμφυλίοις φόνοις παιδιόθεν ἐντεθραμμένοι, ὡς μόνοι τὴν αὐτοῦ ἐμφάνειαν ἑωράκεισαν, καταπλαγέντες τὴν ἀπαστράπτουσαν ἐν ταύτης θείαν αἴγλην τοῦ πνεύματος, ὑπότρομοι καὶ δέους μεστοὶ τοῖς ποσὶν ἐκείνου προσέπεσαν, καὶ οἷον τὸν μετάμελον διά τε τῶν λόγων διά τε τοῦ σχήματος ἐνδεικνύμενοι, πρὸς ἔννομον πολιτείαν εἰς τὸ ἑξῆς μετετέθησαν. D

Venerabilis est: multis solatia præstat.

25 Hac ratione Bartholomæus Dei famulus accedentibus ad se omnibus caussa salutis exsistebat. Aliis quidem cum suavissimis monitis, quibus si quid spinosum et infructuosum animadvertebat, radicitus evellebat; purgansque, mores optimus Deoque gratos inserebat: quibusdam commiseratione in egentes, quos inopia, qua premebantur, summa cum caritate sublevabat. Erat enim in hujusmodi, si quis alius, animo maxime pio: iis vero, qui in calamitatem aliquam deciderant, seu quavis afflictabantur ærumna, opere ac verbo solatium præbens, idoneam unicuique curam opemque afferebat. Si quos forte corporum morbis vexatos pernosset, neutiquam erga hos negligens erat, sed pro viribus refocillabat. Ut verbo dicam, quavis ægritudine laborantes animi constantiam prudenter revocans, linguæ suæ dulcedine permulcebat. Ii sunt animi justorum, propensi semper ad miserationem, Deique bonitatem æmulantes, qui super justos et injustos pluit: nec quemquam sua destitui beneficentia patiuntur, sed omnibus omnia, secundum divinum Paulum, facti, benignitatis suæ radios in omnes extendunt.

25 Οὕτως ὁ τοῦ Χριστοῦ θεράπων Βαρθολομαῖος τοῖς προσπελάζουσι πᾶσι σωτηρίας ἐγίνετο πρόξενος, τοῖς μὲν διὰ τῆς ἡδυτάτης αὐτοῦ κατηχήσεως, δι ἧς πᾶν εἴ τι ἀκανθῶδες ἦθος καὶ ἄκαρπον κατενόει τοῖς προσεγγίζουσιν, ἀνέσπα ῥιζόθεν, καὶ ἀπεκάθαιρε, καὶ τρόπους ἀρίστους θεοτερποὺς πολιτείας αὐτοῖς ἐνεφύτευσεν· τοῖς δὲ διὰ τῆς τῶν προσόντων συμπαθοῦς μεταδόσεως, δι ἧς ἐκ τῆς πιεζούσης πενίας τοὺς ἐνδεεῖς ἀπέλυε συμπαθέστατα. Ἦν γὰρ πρὸς τοὺς τοιούτους, εἰκαί τις ἄλλος, τὴν ψυχὴν συμπαθέστατος. Τοὺς δὲ συμφοραῖς τισι καὶ βιωτικαῖς ἀνωμαλίαις ἐμπεπτωκότας ἢ περιστάσεσιν ἔργῳ καὶ λόγῳ παραμυθούμενος, τὴν ἁρμόζουσαν ἑκάστῳ παρεῖχεν θεραπείαν τε καὶ βοήθειαν. Εἰ δὲ πού τινων νόσοις ᾔσθετο κατατριχομένων σωματικαῖς, οὐδὲ περὶ τούτους εἴδετο ἀμελής, ἀλλ', ὡς ἐνὸν, ἐρᾴϊζέ τε καί, συνελόντα φάναι, πάντας τοὺς οἵᾳ δήποτε ἀθυμίᾳ συνισχυμένους πρὸς εὐθυμίαν εὐφυέστατα ἐκκαλούμενος, τῷ ἤδει τῆς γλώττης καθήδυνεν. Τοιαῦται γὰρ αἱ τῶν δικαίων ψυχαὶ, ἀεὶ πρὸς συμπάθειαν ῥέπουσαι, τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητα, ὃς βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, ἐκμιμεῖσθαι σπουδάζουσι, καὶ μηδένα τῆς παρ' αὐτῶν ἀμοιρεῖν εὐεργεσίας ἀνέχονται, τοῖς πᾶσι δὲ τὰ πάντα καὶ αὐτοί, κατὰ τὸν θεῖον παῦλον, γενόμενοι, τὰς τῆς εὐποιΐας ἀκτῖνας πρὸς πάντας ἐκτείνουσιν. E

et hospitalitatem, egentibus subsidia, miraculo adjutus.

26 Ex eo Bartholomæus, pietatis urgente affectu, idonea ad excipiendos hospites circum monasterium domicilia construxit. In quibus necessaria advenientibus abunde parans, tanta cum alacritate hospitibus ministrabat, unicuique, C quæ consentanea forent, apponens, ut nullus commorentium illic esset, qui, quæ congrueret, curam humanitatemque desideraret. Atque hæc ad magni hujus Patris cum Deo consuetudinem et caritatem demonstrandam: quibus alia quædam nulla ex parte inferiora oratio additura est. Fame aliquando per Calabriam ingravescente, egenisque omnibus ad B. Bartholomæi monasterium, tamquam ad commune refugium ac tutum portum confugientibus, certa cum spe relevandos a malo, quo premebantur; caritatis flagrans Pater, ac divinæ bonitatis imitator, pernorat laborare inopia monasterium, tantæque hominum alendæ multitudini neutiquam sufficere: sed afflictos rerum indigentia animos miserosque solatio carere, nullo modo ferebat. Quid agat? totas noctes incumbit in preces. Pro quantum apud Deum fiduciæ, gratiæque consecutus fuerat! Ecce tibi mane cellam penariam farina refertam, ipsos nonnumquam coctos panes ministris tradebat, jubebatque necessaria

26 Ταύτῃ τοι καὶ ὁ θεομίμητος οὗτος πατὴρ, συμπαθείας σπλάγχνοις νικώμενος, οἴκους ἀνὰ τὴν μονὴν ἐπιτηδείους πρὸς τὴν τῶν ξένων ὑποδοχὴν δομήσαμενος, δαψιλῶς τε ἐν τούτοις τὰ πρὸς χρείαν τῶν παραβαλλόντων προσευτρεπίσας, οὕτως εὐψύχως τοὺς F προσφοιτῶντας ἐθεράπευεν, ἑκάστῳ τά πρόσφορα προτιθέμενος, ὡς μηδένα τῶν ἐκεῖσε παραβαλλόντων διαμαρτεῖν τῆς καταλλήλους χρείας καὶ δεξιώσεως. Ἀπόχρη ταῦτα πρὸς ἐπίδειξιν τῆς τοῦ μεγάλου τούτου πατρὸς πρὸς Θεὸν ἀγάπης, καὶ οἰκειότητος. Ὁ δὲ λόγος βούλεται καὶ ἕτερα προσθῆναι τοῖς εἰρημένοις, κατ' οὐδὲν τῶν ἤδη ῥηθέντων ἀπολειπόμενα. Λιμοῦ ποτε τῇ Καλαβρίᾳ ἐπιγενομένου, καὶ τῶν ἐνδεῶς ἐχόντων ἁπάντων πρὸς τὴν τούτου μονὴν, ὡς ἐπὶ τινα κοινὸν καὶ σωτήριον λιμένα καταφευγόντων ἐλπίδι τοῦ παραμυθίαν τοῦ πιέζοντος κακοῦ ἐφευρεῖν, ὁ φιλοστοργότατος οὗτος πατὴρ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητος μιμητὴς ἀκριβέστατος, τὴν μὲν μονὴν ἀποροῦσαν εἰδὼς καὶ οὐκ ἐπαρκοῦσαν τοσοῦτον πλῆθος ἐκθρέψαι λαῶν, ψυχὰς δὲ τεθλιμμένας, καὶ τῇ ἀπορίᾳ τῶν ἀναγκαίων τεταλαιπωρημένας, ἀπαραμυθήτους αὖθις μὴ φέρων ὁρᾶν, προσευχαῖς ὁλονύκτοις ἐπιδοὺς ἑαυτὸν, ὢ τῆς τοῦ ἀνδρὸς πρὸς Θεὸν παῤῥησίας καὶ χάριτος, ἧς ἠξίωτο. Ἀλεύρου πεπληρωμένα, ἐστὶ δ' ὅτε *b* καὶ ἄρτων ἑτοίμων, εἰς τὸ πρωῒ τὰ τοῦ ἄρτου ταμεῖα παρεῖχε τοῖς διακονηταῖς, κἀντεῦθεν δαψιλῶς ἐπιχορηγῆσαι τὰ πρὸς χρείαν τοῖς δεομένοις

A μένοις τούτους ἐκέλευε, πρὸς τοὺς ἀκενώτους οἰκτιρμοὺς τοῦ Θεοῦ ἀποβλέποντας, ὅς, κατὰ τὸν θεῖον φάναι Δαβὶδ, ἀνοίγων τὴν χεῖρα, πᾶν ζῶν εὐδοκίας ἐμπίπλησιν. Ἀλλὰ τὸ μὲν δὴ τοιοῦτο.

27 Ἄξιον δὲ μηδ' ἐκεῖνο παραδραμεῖν ἀμνημόνευτον, πολλὴν δυνάμενον ἐνστάξαι τοῖς ἀκροαταῖς τὴν ἡδονὴν ἅμα καὶ τὴν ὠφέλειαν. Ἔχει δὲ οὕτως. Τὸ πλοῖόν ποτε τῆς μονῆς ὑπό τινων ἀγαρηνῶν κρατηθὲν, ἐκεῖνα προσεδόκων παθεῖν παρ' αὐτῶν, ἅπερ Χριστιανοὺς παρὰ τῶν τοιούτων εἰκός. Ἦν δ' ὅτε ταῦτα συνέβη τοῖς ἀδελφοῖς, τῆς μὲν ἑβδομάδος ἑβδόμη καὶ τελευταία ἡμέρα, τρίτη δὲ καὶ εἰκοστὴ τοῦ Ἰουλίου μηνὸς, καθ' ἣ τὴν σεβάσμιον μνήμην τοῦ ἐν ἁγίοις ἱερομάρτυρος Ἀπολιναρίου λαμπρότατα μετὰ τῶν φοιτητῶν ὁ μέγας ἑόρταζεν. Καὶ οἱ μὲν ἐν τῷ πλοίῳ μικροῦ δὴ παρὰ τὰ ἔσχατα ὑπὸ τῶν ἀθέων ἐκείνων πειρατῶν ἐκινδύνευον. Ὁ δὲ πατὴρ, οἷα πατὴρ περὶ τῶν τέκνων διηνεκῶς μεριμνῶν καὶ ἐντυγχάνων ὑπὲρ αὐτῶν τῷ Θεῷ, μυεῖται παρ' αὐτοῦ τὴν συνέχουσαν τέως τούτους περίστασιν. Καὶ δὴ τοὺς ἀδελφοὺς ἐν τῷ κυριακῷ συναθροίσας εὐθὺς, καὶ τοὺς τῆς ἐννάτης ἐκείνοις ᾄσας ψαλμοὺς τῷ Θεῷ, ἦν γὰρ ἤδη ἡμέρα πρὸς τὸ δειλινὸν ἀποκλίνασα, κοινὴν ἱκεσίαν ὑπὲρ τῶν κινδυνευόντων ἀδελφῶν τῷ φιλανθρώπῳ προσάγει Θεῷ. Καὶ ὃς ταχύτατα ἐπακού-
B σας, ὀφθαλμοὶ γὰρ κυρίου ἐπὶ δικαίους, ὡς ὁ θεῖος ᾄδει Δαβὶδ, καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν, παραδόξως αὐτοὺς ἐκ τῶν περιεχουσῶν ἐῤῥύσατο θλίψεων, καὶ σεσωσμένους ἀπέδωκε τῷ αἰτήσαντι, οὐ μόνον τῶν προσδοκηθέντων παθόντας μηδὲν, ἀλλὰ καί τινα παρὰ τῶν ἀθέων δεδεγμένους δωρήματα.

28 Ἀλλὰ τὸ πάντα λόγῳ περιλαβεῖν τὰ αὐτῷ θαυματουργηθέντα, οὐ μόνον ἡμῖν ἥκιστα δυνατὸν, ἀλλάγε καὶ τοῖς πολλοῖς ὁ λόγος εὑρεθήσεται ἂν πρὸς κορῆς εἰς μακρηγορίαν ἐπεκτεινόμενος· διὰ τοῦτο ὀλίγα τινὰ τοῖς εἰρημένοις προσθέντες, πρὸς τὴν ἐκείνου τελευτὴν βαδιούμεθα. Οὗτος, ἐπειδὴ καὶ βίβλων ἱερῶν οἱ τούτου συνασκηταὶ εἰς μελέτην τῶν θείων γραφῶν καὶ ἀνάληψιν προσεδέοντο, ἦσαν γὰρ ἤδη καὶ οὗτοι κατὰ μίμησιν τοῦ πατέρος λίαν ἐν τοῖς τοιούτοις εὐμαθεῖς καὶ φιλόπονοι, ἅπαν νόημα γραφικὸν ἐπιμελῶς ἐξερευνῶντες, καὶ ἀνιχνεύοντες· ἐχρῆν δὲ καὶ, ὃν ἐδείματο τῆς πανάγνου νεὸν, σκεύεσιν ἱεροῖς, καὶ σεπταῖς εἰκόσι κατακοσμηθῆναι, μηδὲν ἀγεννὲς μηδὲ ἄνανδρον πρὸς τὸ πολὺ καὶ δυσχερὲν παθὼν τῆς ὁδοῦ, λαβὼν μεθ' ἑαυτοῦ τινας τῶν ἀδελφῶν, οὓς ᾔδει πρὸς ἐνοδίους κόπους ἔχοντας ἱκανῶς, πρὸς τὴν βασιλίδα τῶν πόλεων καὶ νέαν Ῥώμην ἀπαίρει, καὶ Ἀλεξίῳ καὶ Εἰρήνῃ τοῖς φιλοχρίστοις ἐντυχὼν βασιλεῦσιν, οὗτοι γὰρ τῷ τότε
C τοὺς οἴακας τῆς τῶν Ῥωμαίων βασιλείας ὀρθοδοξότατα ἴθυνον, λαμπρᾶς δεξιώσεως παρ' αὐτῶν τε, καὶ τῆς συγκλήτου πάσης τυγχάνει, πολλοῖς τε παρὰ πάντων καὶ πλουσίοις τοῖς χαρίσμασι δεξιοῦται, ἔντε σεβασμίαις εἰκόσι καὶ βίβλοις καὶ σκεύεσιν ἱεροῖς, τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἔχων προοδοποιοῦσαν αὐτοῦ καὶ τὰς ἐκείνων πείθουσαν πρὸς τοῦτο ψυχάς.

29 Ὅτε καί τις τῶν ἐν ὑπεροχῇ καὶ λίαν ἀγγίζων τοῖς βασιλεῦσιν ἔν τε βουλῇ καὶ συνέσει, Βασίλειος τοὔνομα, τῇ ἐπωνυμίᾳ Καλιμερὴς, οὗτος θερμοτέραν τῶν ἄλλων τὴν ἀγάπην κεκτημένος πρὸς τὸν ὅσιον τοῦτον πατέρα, οὐκ ἀρκεσθεὶς ταῖς ἄλλαις εὐεργεσίαις, αἷς αὐτὸν φιλοτίμως ἐδεξιώσατο, ἔν τε πολυτίμοις πέπλοις καὶ λοιποῖς ἀναθήμασιν· ἀλλὰ καί τινα τούτοις προσθήκην ἐκ πολλῆς, ὡς ἔοικε, φιλοθεΐας ποιούμενος, καὶ ὅπερ εἰς τὸ ἅγιον ὄρος ἐκέκτητο μοναστήριον, ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἐν ἁγίοις πατέρος ἡμῶν καὶ οὐρανοφάντορος Βασιλείου, αὐτῷ ἐδωρήσατο, εὐεργετεῖσθαι μᾶλλον ἐκ τούτου, ἢ εὐεργεσίαν παρέχειν μάλα εἰκότως οἰόμενος. Οὗπερ τὴν προστασίαν, ταῖς πολλαῖς ἐκείνου δυσωπηθεὶς ἱκετείαις, ὁ μέγας ἀναδεξάμενος, πολλῆς ὠφελείας τοῖς ἐν αὐτῷ ἀσκηταῖς ἐγένετο πρόξενος, λόγοις ὁμοῦ καὶ ἔργοις ῥυθμίσας αὐτοὺς πρὸς τὸ μέλ-
h λον *h*.

gentibus elargiri, immensam Dei misericordiam considerantes, qui, ut inquit David, aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, et hæc quidem ita se habent. A ANONYMO COAEVO.

27 Operæ pretium vero est illud commemorare, quod auditorum animis plurimum voluptatis utilitatisque afferre potest. Capto a Sarracenis monasterii navigio, monachi ea perpeti opperiebantur, quæ Christiani ab hujusmodi solent. Dies erat, quo hæc fratribus contigerant, hebdomadæ quidem septimus ac postremus, mensis vero Julii tertius et vigesimus; quando Vir sanctus una cum discipulis suis sanctissimi martyris Apolinaris *c* memoriam celebrabat. Qui vero in navigio erant, parum aberat, quin a piratis impiis extrema periclitarentur. At Pater de filiis assidue sollicitus, Deoque pro illis supplicans, de malis, in quibus tunc versabantur, ab eo edocetur. Statim fratres in templum congregat, unaque psalmos Nonæ concinens, vergebat enim jam dies ad tempus pomeridianum *d*, preces pro fratribus, summum in discrimen adductis, clementissimo Deo offert. Qui celerrime exaudiens (oculi enim Domini super justos, ut inquit Psaltes, et aures ejus in preces eorum) E mirandum in modum de præsentibus illos calamitatibus eripuit, precantique incolumes reddidit, non modo exitio, quod timebatur, ereptos, sed muneribus etiam a sacrilegis illis affectos.

Periculum monachorum suorum divinitus cognoscens, precibus avertit :

c

d

28 Ceterum, ut mirabilia sanctissimi Viri gesta dicendo omnia complectamur, fieri non potest, sed ne in longum deducta oratio, molestiam pariat, ubi pauca jam dictis addiderimus, ad mortem ejus gradum faciamus. Sane monachi sacris codicibus ad divinarum Scripturarum commentationem meditationemque indigebant, jam enim imitati Patrem, ad hujusmodi res valde dociles studiosique evaserant, omnem Scripturæ sensum diligenter perscrutantes. Templum præterea, quod in honorem B. Virginis Bartholomæus extruxerat, sacris vasis venerandisque imaginibus ornari oportebat. Is igitur longinquitate itineris ac difficultate nequaquam exterritus, fratribus quibusdam, quos capaces noverat ad ferendos itinerum labores, comitantibus, ad novam Romam, urbium reginam, ad Alexium *e* F et Irenam, piissimos principes, contendit: qui ea tempestate clavum Romani imperii summa cum gloria moderabantur. Ab iis ac toto senatu perhonorifice excipitur. Multaque et opulenta dona, imagines, libros, et sacra vasa, liberalitate omnium comparavit; sua sibi virtute viam sternente, omniumque animos ad hoc inducente.

Constantinopolim proficiscitur, multaque dona

e

29 Præ ceteris Basilius *f* cognomento Calimera præcipuæ dignitatis, regibusque ob consilium et prudentiam valde familiaris, vehementiore in Bartholomæum caritate exarsit, ac super officia, quibus eum liberaliter prosecutus fuerat, pretiosis vestibus, aliisque muneribus, pro sua in Deum pietate donavit. Quod vero monasterium sanctissimi, et in cœlo fulgentissimi Patris nostri Basilii *g* dicatum nomini in monte Sancto possidebat, in Bartholomæum illud contulit. Inde ratus beneficium potius accipere, quam dare. Cujus administrationem multis ejus precibus exoratus Vir sanctus suscepit. Verbisque et opere ad virtutem excolens, degentibus illic monachis plurimum utilitatis attulit.

pro ecclesia sua impetrat, et novum monasterium

f

g

30 Posteaquam

A. ANONYMO COAEVO.

sibi diu subjectum: reversus ecclesiam ornat, et sacella condit.

30 Posteaquam redeundum Bartholomæo fuit, ne grex, cui præerat, cura ipsius ad longum tempus destitutus, detrimentum pateretur, fratres in unum cogit, quiquo inter eos morum sanctitate præstabat, evocans, monasterii præfectum sibi substituit. Quod sane eximio huic Patri subjectum diu mansit. Qua de caussa in hanc usque diem, ut ferunt, Calabri monasterium ab incolis dicitur. At hæc quidem ita se habent. Dum autem reditum Pater meditatur, reges multis de rebus admonuit; de justitia, clementia, liberalitate in subditos: imperii tumorem, et gloriolam nihili facerent, ea, quæ in cœlis sunt bona, concupiscerent, regnumque æternum mansuetudine ac benignitate in subjectos compararent. Ad hæc et talia hortatus, gratesque pro beneficiis agens, inde profectus, ad monasterium suum revertitur. Quod allatis signis sacrisque imaginibus magnifice exornat, ad hoc sacella quædam non longe a monasterio construit, locum expians, immundis ante spiritibus infectum, in eoque cum sociis Deo laudes persolvens.

B

30 Ἐπεὶ δὲ ἔδει αὐτὸν ἐκεῖθεν ἐπανελθεῖν, ὡς ἂν μὴ ἐπὶ πολὺ τῆς ἐκείνου κηδεμονίας τὸ ἐνταῦθα λογικὸν αὐτοῦ ποίμνιον στερηθὲν ζημιωθείη τὰ μέγιστα, συναθροίσας τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς ἐν τῇ κατὰ θεὸν πολιτείᾳ ἀπρωτεύοντα εἰσκαλεσάμενος, προστάτην τοῦτον τῶν ἐν τῇ μονῇ καθίστησιν ἀντ᾽ αὐτοῦ καὶ δὴ ἔμεινεν ἐκ τότε τὸ φροντιστήριον τοῦτο ὑποταττόμενον τῷ ἀοιδίμῳ τούτῳ πατέρι ἐπὶ χρόνον συχνόν. Διὸ καὶ μέχρι τῆς σήμερον, ὡς φασὶ, τὸ μοναστήριον τοῦ Καλαβροῦ παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις ἐπονομάζεται. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον. Ὁ πατὴρ δὲ, ἐπειδήπερ ἐπανόδου ἐμέμνητο, πρῶτον μὲν πλεῖστα τοὺς βασιλεῖς νουθετήσας, καὶ τοὺς ἐν τέλει περὶ δικαιοσύνης, καὶ τῆς πρὸς τὸ ὑπήκοον συμπαθείας, καὶ χρηστῆς μεταδόσεως, περί τε τοῦ μηδὲν ἡγεῖσθαι τὸν ὄγκον τῆς βασιλείας καὶ τὸ ἐνταῦθα δοξάριον, ἀλλ᾽ ὅλῃ δυνάμει τῶν ἐν οὐρανοῖς ἀντέχεσθαι ἀγαθῶν, καὶ τὴν ἐκεῖσε βασιλείαν ὀνήσασθαι διὰ τῆς πρὸς τὸ ὑποχείριον φιλανθρωπίας τε καὶ χρηστότητος· ἔπειτα δὲ τὰ εἰκότα τούτοις εὐχαριστήσας, ὑπὲρ ὧν παρ᾽ αὐτῶν εὐηργέτηται, καὶ συνταξάμενος αὐτοῖς, ἀπαρὰς ἐκεῖθεν, πρὸς τὴν ἰδίαν μονὴν ἐπανέρχεται. Καὶ ταύτην οἷς ἐπεκομίσατο ἱεροῖς ἀναθήμασι, καὶ θείαις εἰκόσι κατακοσμήσας, πρὸς δὲ καί τινας εὐκτηρίους οἴκους τῷ Θεῷ ἀνεγείρας οὐ πολὺ τῆς μονῆς ἀπέχοντας, καὶ οὕτω τὸν αὐτόθι χῶρον καθαγιάσας, διατριβὴν πνευμάτων ἀκαθάρτων ὑπάρχοντα πρότερον, ἀπαραλειώτως μετὰ τῶν συνασκητῶν τὴν προσήκουσαν τῷ Θεῷ δοξολογίαν ἀνέπεμπε.

D E

ANNOTATA.

a *Erat hic Paschalis II, qui ab anno* 1099 *usque ad* 1118 *pontificatum administravit.*

b *Ambigua est lectio in apographis nostris. Videtur interpres pro* ἐστὶ *legisse* ἰδοὺ *et pro* δ᾽ ὅτε *etiam in uno apographo legi potest* ποτὲ. *Quidquid sit de Græcis, sensum dedit interpres.*

c *Colitur etiamnum S. Apollinaris martyr die* 23 *Julii, ad quem Acta ejus apud nos data sunt. Ex Sabbato in illum diem incidente colligitur, istud monachorum periculum contigisse aliquo anno, quo littera dominicalis erat* n: *id autem congruit anno* 1104 *et* 1110.

d *Interpres vertit* ad meridiem. *At vox* δειλινὸν *potius significat tempus medium inter meridiem et vesperam: atque eo tempore, quo nunc a plerisque cantantur Vespertinæ preces, ab antiquis Nonæ cantari solebant, prout eidem respondent secundum divisionem Officii ecclesiastici.*

e *Alexius Comnenus imperium Græcum administravit ab anno* 1081 *usque ad* 1118, *conjugemque habuit Irenen. Multis laudibus celebrantur ab Anna Comnena, utriusque filia, cujus forte Historiam legit biographus. Nam alii Græci non tantopere laudant Alexium, Latini etiam ipsum passim accusant, ut perfidum. Irene tamen etiam a Græcis celebratur in Menæis, ut dictum est apud nos in Prætermissis ad* 13 *Augusti. Præterea dubitatur, an Alexius Ecclesiæ Romanæ fuerit subjectus. At hæc Vita eidem hac ex parte multum favere videtur, cum imperium ab eo asserat administratum* ὀρθοδοξότατα rectissima cum opinione, *acsi diceret* Catholicissime. *Verumtamen multum suspectus est Alexius de favore in schisma, nec locus hic exigit, ut dubium istud penitus examinemus. Consule Commentarium num.* 82.

C F

f *Anna Comnena lib.* 12, *pag.* 355 *memorat Basilium Alexio carum, et urbis Constantinopolitanæ præfectum, sed non addit cognomen* Calimeræ, *nec id alibi invenire potui. Dubium ergo est, an ille sit* Basilius Calimeres.

g *Monasterium aliquod S. Basilii dicatum nomini memorat Cangius in Constantinopoli Christianæ lib.* 4, § 6, *num.* 12. *Codinus lib.* 15 *de Officiis ait, imperatorem in festo S. Basilii solitum fuisse ad monasterium eidem Sancto dicatum se conferre. At ex illis edicere nequeo, an idem sit monasterium, de quo hic agitur. Interpres vocem græcam* ἐκέκτητο *transtulit* condiderat, *acsi Basilius Calimeres diceretur monasterium istud condidisse. At vox illa proprie significat,* possidebat, *et sic tantum asseritur, patronum sive possessorem fuisse monasterii, quod forte vetustius erat: nam videtur* S. Bartholomæo *datum fuisse, ut aut collapsam disciplinam in eo restitueret, aut certe istud bonis legibus communiret.*

h Μέλπιων *in secundo apographo legitur, in primo* βλέπιον, *legendum puto* βέλτιον.

A

A. ANONYMO COAEVO.

CAPUT IV

Utilia Sancti monita : per calumniam accusatur apud Rogerium regem, innocensque ad ignem damnatur, sed miraculo liberatur : fundatur monasterium SS. Salvatoris : Sanctus in supremo morbo successorem sibi substituit, et pie moritur.

Καὶ περὶ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἐκείνων ψυχῶν ἐπονεῖτο, παραινῶν πᾶσι γενναίως ἵστασθαι πρὸς τὰς τοῦ πονηροῦ μηχανὰς, καὶ μὴ ἀνάνδρως φέρειν τὰ ἐπίπονα τῆς ἀσκήσεως, μηδὲ πρὸς τοὺς ταύτης πόνους μικροψυχεῖν, ἐλπίδι δὲ μᾶλλον νευροῦσθαι τῶν ἀντιδόσεων, καὶ οὕτω καθ' ἑκάστην πρὸς τό ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι· μηδένα τε ὄκνον εἰς τὸ τῷ Θεῷ διὰ προσευχῆς ἐντυγχάνειν ἐπιδείκνυσθαι, ἀλλ' ἤ, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ἐν παντὶ καιρῷ καὶ τόπῳ τουτὶ τὸ ψυχο-
B φελὲς καὶ σωτήριον ἔργον, τὴν προσευχὴν ἀσπάζεσθαι προθυμότατα· προσευχομένους δὲ μὴ τὰ χείλη μόνον κινεῖν, τοῦτο γὰρ ἀπροσεξίας τεκμήριον, καὶ οὐ μόνον ὠφέλειαν οὐδεμίαν οὐμενοῦν προξενοῦν, ἀλλὰ καὶ κατακρίσεως πρόξενον. Δεῖ οὖν τὸν ἀληθῶς προσευχόμενον τὸν λογισμὸν πρότερον πάντοθεν συγκροτεῖν, καὶ οὕτως τὸν νῦν ἀσφαλέστατα τοῖς ἐκ τῶν χειλέων προϊεμένοις ἐρείδειν· ἄτοπον γὰρ ἔλεγε, τὸ ἀγαθὰ μὲν παρὰ Θεοῦ ἐξαιτεῖν, μὴ σπουδαίως δὲ τὰς αἰτήσεις ποιεῖν. Εἰ γὰρ βασιλεῖ θνητῷ παρεστῶτες σχήματί τε καὶ βλέμματι καὶ πᾶσι τρόποις τὸ εὐλαβὲς ἐπιδείκνυμεν, οὐ πολλῷ μᾶλλον, πρὸς τὸ ὑπερκείμενον ἐκεῖνο ἀξίωμα καὶ ἀμέτρως πᾶσαν ὑπερέχον διαλεγόμενοι παραστησόμεθα ἔντρομοι; τοιούτοις χρώμενος πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς εἰς παραίνεσιν, κοῦφον αὐτοῖς τῆς ἀρετῆς τὸ πτερὸν ἀπειργάζετο, καὶ ὕπερθεν αὐτοὺς τῶν τοῦ πονηροῦ παγίδων ἐποίει ἵπτασθαι. Ἦν γὰρ ὁ λόγος αὐτοῦ γλυκὺς ὑπὲρ μέλι, σειρήνιος, ἢ τόγε ἀληθέστερον εἰπεῖν θείῳ ἅλατι ἠρτυμένος, καὶ ἱκανὸς ψυχὰς θέλξαι, καὶ πρὸς ἀρετὴν ἐπισπάσασθαι. Ἀλλάγε καὶ τὸ ἦθος αὐτοῦ συνεσταλμένον ἀεὶ ὑπάρχον καὶ ἀδιάχυτον, σιωπῶσα παραίνεσις ἦν τοῖς προσέχειν ἐθέλουσιν, ῥᾷον, ἢ λόγος, πρὸς κατάνυξιν τοὺς ὁρῶντας ἐφέλκουσα.

32 Ἐνταῦτα ἔχει τι πρόσαντες ὁ λόγος κατὰ λή-
C θην, οὐ μικρὸν πρὸς ὠφέλειαν τοῖς ἀκούουσι, καὶ δόξαν τοῦ μάκαρος. Ἰτέον γὰρ καὶ διηγητέον τὰ μνήμης ἄξια. Εἶχεν μὲν ὁ ἅγιος, πολλάκις ἔφημεν, πλήστους μοναχοὺς, καὶ δὺο τὴν *a* ἐξ αὐτῶν τῶν μοναχῶν τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Ἀγγέλου τοῦ Μηλητήνην *c* βλέποντες τὴν ἐνάρετον πολιτείαν τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Βαρθολωμαίου, καὶ τὰς οἰκοδομὰς, ἃς ἐποίει, καὶ τὸ χρυσίον ὅπερ πανταχόθεν ἔῤῥει αὐτῷ, φθόνῳ τηκόμενοι, καθάπερ Ἑρμᾶς καὶ Ἑρμογένης ἐπὶ Παύλῳ ἀναστάντες, τὸ τάχος, ὅσον καὶ τὸ τοῦ φθόνου κύημα ἀποῤῥήξαντες, πρὸς τὸν ἁγιώτατον ῥῆγα ἐπορεύθησαν, δόλους καὶ συκοφαντίας κατὰ τοῦ ἁγίου ἔῤῥαψαν λέγοντες· ἁγιώτατε ῥὴξ εἰς τὸν αἰῶνα ζῆθι. Ὁ μοναχὸς Βαρθολωμαῖος, ὃν ὑμεῖς ἐπίστασθε, πλάνος ἐστὶν, καὶ πᾶν τὸ χρυσίον καὶ ἀργύριον, ὃ αὐτῷ δίδοται, τοῖς συγγενεῦσιν αὐτῷ παρέχει, καὶ μετὰ τῶν ὁμοφύλων αὐτοῦ δαπανᾷ ἐν ἀσωτίᾳ καὶ αἰσχραῖς πράξεσιν· οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ ἐστιν αἱρετικός.

33 Ταῦτα ἀκούσας ὁ ἁγιώτατος ῥὴξ Ῥογέριος ὁ μέγας, καὶ θαυμάσας ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, παρευθὺς γράμματα κατὰ τοῦ ἁγίου ἐχαράττοντο, ἐλθεῖν ἐνώ-

In animarum sane curam strenue incumbens, hortabatur singulos, suadebatque, ut forti animo spiritus nequam fraudibus obsisterent, monasticæ vitæ difficultates constanter perferrent, neque animum ob ejus labores abjicerent : sed spe præmiorum potius roborarentur, seque ad anteriora quotidie extenderent : haud segnes ad Deum deprecandum accederent, sed omni tempore ac loco, ut Apostolus ait, utile animæ et salutare opus orationis summa eum alacritate complecterentur; orantes non labia solum moverent, hoc enim vagæ mentis indicium est, nullumque parit fructum, imo damnationis caussa exsistit : oportere eum, qui revera orat, cogitationes undeqnaque cohibere, eaque ratione in iis, quæ proferuntur ore, mentem figere. Absurdum quippe ajebat esse, bona a Deo petere, preces vero minus recte facere. Nam si mortali adstantes regi, reverentiam habitu modisque omnibus exhibemus, nonne multo magis cum Majestate illa immensa, quæ omnem creaturam infinitis excedit partibus, agentes, contremiscemus? His ad fratres monitis leves illis virtutis præstabat alas, utque supra inimici laqueos evolarent, efficiebat. Erat enim sermo ejus melle dulcior, ipsas referens sirenes. Verius loquar, divino erat sale conditus, aptissimusque ad demulcendos animos impellendosque ad virtutem. Quin compositi semper ejus mores, neque umquam dissoluti tacita quædam erat spectantium cohortatio, illisque ad compunctionem permovendis sermone ipso efficacior.

Utilia Bartholomæi monita.

E

E

32 Habet hoc loco oratio rem, nulla umquam oblivione delendam, ad auditorum emolumentum, sanctique Viri haud exiguam gloriam. Pergendum enim porro est, memorandaque, quæ digna memoria sunt. Plurimis sanctus pater noster Bartholomæus præerat monachis : duo autem e monasterio sancti Angeli *b* Melitensium vitam ejus virtutibus claram, ædificiaque, quæ ab eo struebantur, conspicientes, et aurum, quod undeqnaque ad illum mittebatur, contabescere invidia cœpere; ac quemadmodum olim Hermas et Hermogenes in Paulum *d* insurgentes, conceptum virus quam primum evomuere. Regem adeunt dolosque et calumnias adversus Virum sanctum struunt. Piissime, inquiunt, rex, in æternum vive. Monachus Bartholomæus *e*, quem probe nosti, planus est. Aurum omne, et argentum, quod ei dono datur, in cognatos confert, et cum similibus sui per luxum turpesque res absumit : atque etiam insuper hæreticus est.

Sanctus a calumniatoribus graviter accusatur,

33 Audita piissimus rex Rogerius vehementer admiratus, statim literas scribit, quibus Bartholomæus Messanæ sisti jubebatur. Quibus is acceptis,

abstinensque a sui defensione ad ignem damnatur :

A Anonymo coævo.

ptis, sine cunctatione ad regem venit. Ubi adfuit, simul calumniatores se coram rex veniro imperat. Attentas hoc loco aures præbete : enimvero quid grati habet oratio. Ergo ubi pro tribunali in totius conspectu senatus adstitere, veteratores illi sanctissimum Virum calumniantur, falsoque accusant. At is ne quidem contra verbum dicebat. Sed omnia habere se, ut asserebant illi, fa-

f tebatur *f*. Quod summæ erat virtutis. Quemadmodum Christus meus, instar agni mitissimi Pilato coram adstitit; ita Vir sanctus curam rege ac senatu; nec mirum, quippe germanus ejus discipulus erat. Postquam rex Bartholomæum audi-

g vit calumnias adversum se confitentem *g*, iracundia exarsit, conscripsitque in eum sententiam, ut igni traderetur.

at insigni miraculo innotescens

34 Continuo sarmenta ac ligna comportantur; parati adstabant ministri ad exsequenda jussa. Cum rex hoc loco esset; Vir sanctus, Piissime, inquit, rex, unum abs te peto. Quod sacerdos sum, quamquam peccator et indignus; liceat

B mihi prius divinam rem facere : dein mandatum tuum exsecutioni detur. Quod ut permissum a rege est, illico vestes ad Sacrificium illi præbentur in æde quadam S. Nicolai, in extremo isthmo portus Messanæ. Illuc rex senatusque omnis pervenerat, custoditusque Vir sanctus adducebatur. Jam vero is sacris indutus vestibus, inchoat divinam rem. Hic Deus, qui sperantes in se numquam deserit, verosque famulos suos honorat, sane maximum hoc loco miraculum edit, par illis, quæ pro Israelitis olim patraverat.

at Sanctus, periculo liberatur.

35 Cœptum, ut diximus, Sacrificium, offerebatur jam, corpusque mysticum in altum sustollebatur, cum rex virique optimates permulti, ad hoc spectandum ingressi, ecce pone Bartholomæum igneam columnam vident, quæ a pedibus ejus erecta in cœlum protendebatur, angelosque ei ministrantes, o rem miram! Quis Dei magnalia enarret, qui gloriosos adeo eos reddit, a quibus honoratur? Stupor omnes horrorque repente incessit. Urbs Messana, re audita, tota ferme permota est : cunctique viri feminæque, adolescentes ac senes, servi liberique, atque omnis ætas ad Viri sanctissimi pedes, gratiam ab

C eo postulantes, procidebant. Ipse in primis rex, primoresque omnes, conjunctis manibus, ac nixi genibus, ad pedes Bartholomæi provolvebantur, veniamque orantes, Ignosce, dicebant, Pater sanctissime. Rerum enim ignoratione, cuncta adversum te diximus egimusque. Is vero sublevabat omnes, et fausta precatus, dimittebat.

Rex exstruit monasterium SS. Salvatoris,

36 Hic rex accitos calumniatores cremari igne decernit. Vetuit autem Vir sanctus, patris jam tum inde loco ab rege habitus. Ad quem rex : Honorabilis in primis Pater, age, inquit, hoc ipso in loco ignis in exitium tui accensus erat. Statue, quid hic fieri oportet? Tum is, altare, templumque Servatoris nostri nomine ædificandum censet. Continuo rex amplissimum exstruere monasterium statuit, quod et perfecit; pecuniam, possessiones, bona, sacramque supellectilem in eum finem dicans. Atque ita sancti Viri concursu magnificum eo loco monasterium ædificatum est. Atque hæc quidem sic.

37 Verum Bartholomæus in Calabriam ad monasterium suum regis mandato profectus, illic accitum ad se Lucam miræ sanctitatis mo-

πιον τοῦ ῥηγὸς ἐν τῇ πόλει Μεσήνῃ. Ὁ δὲ ἅγιος ταῦτα D
ἀκούσας, ἀσμένως πρὸς τὸν ῥῆγα ἐπορεύθη. Ὃν θεασάμενος ὁ ῥὴξ, τοὺς συκοφάντας ἐνώπιον αὐτοῦ ἐλθεῖν πεποίηκεν. Ἐνταῦτα οὖς ἡμῖν φιλήκοον δότε· ἔχει γάρ τι χαρίεν ὁ λόγος. Παραστάντες οὖν, ὡς ἔφημεν, ἐν τῷ βήματι ἐνώπιον πάσης συγκλήτου φανερῶς οἱ συκοφάντες τὸν ἅγιον ἐσυκοφάντησαν. Ὁ δὲ οὐδένα λόγον ἀντεῖπεν αὐτοῖς· ἀλλὰ πάντα οὕτως ἔφησεν εἶναι, ὡς αὐτοὶ λέγουσι. Τοῦτο γὰρ τῆς ἄκρας ἦν ἀγαθότητος, καὶ καθάπερ ὁ ἐμὸς Χριστὸς ἐνώπιον τοῦ Πιλάτου ἱστήκη πρᾶος, ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείραντος, οὕτως καὶ ὁ ἅγιος ἐνώπιον τοῦ ῥηγὸς καὶ πάσης τῆς συγκλήτου ἱστήκη. Καὶ θαυμαστὸν οὐκ ἦν, μαθητὴς γὰρ αὐτοῦ γνησιώτατος ὑπῆρχεν. Ἀκούσας δὲ ὁ ῥὴξ, ὅτι ὡμολόγησεν ὁ ἅγιος πάσας τὰς κατ' αὐτοῦ φερομένας συκοφαντίας, ἔκπληξις καὶ θυμὸς εἶχεν, καὶ ψῆφος κατὰ τοῦ ἁγίου ἐχαράχθη πυρὶ παραδοθῆναι.

34 Παρευθὺς φρυγάνων καὶ ξύλων ἐκομίσθη, καὶ ὑπηρέται ἕτοιμοι ἱστήκεισαν τὸ κελευσθὲν ἐκπληρῶσαι. Ἐν τούτοις ὄντος τοῦ ἁγίου, ἔφησεν· ἁγιώτατε ῥήξ, μίαν αἴτησιν ἡμῖν αἰτῶ, ἱερεὺς γάρ εἰμι, κἂν ἁμαρτωλὸς καὶ ἀνάξιος, ὅπως ἐάσατέ με τὴν ἱερὰν μυσταγωγίαν ἐκτελέσαι, καὶ οὕτως τὸ κελευσθὲν πληρωθήτω.
Ἤκουσεν ὁ ῥὴξ τῷ ἁγίῳ· παρευθὺς ἱερατικὴ στολὴ τῷ E
ἁγίῳ δίδοται, καὶ ἔν τινι ναῷ τοῦ ἁγίου Νικολάου τῆς
πούντης *h* πλησίον τῆς πόλεως Μεσίνης, παραγενόμε- h
νος ὁ ῥὴξ μετὰ πάσης τῆς συγκλήτου, ἀγαγόντες καὶ τὸν ἅγιον πεφυλαγμένον. Ὁ μὲν ἅγιος, ἀμφιεσάμενος, καὶ τὴν ἱερὰν τελετὴν ἀρξάμενος, ὁ Θεὸς, ὁ τοὺς οἰκείους θεράποντας δοξάζων, καὶ μὴ ἐγκαταλείπων τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν, κἀνταῦθα θαυματουργοῖ τι μέγιστον παραπλήσιον τοῖς Ἰσραηλήταις.

35 Ἀρχομένης τῆς ἱερουργίας, ὡς ἔφημεν, καὶ τελεσθείσης καὶ ὑψωμένου τοῦ μυστικοῦ σώματος, ὁ ῥὴξ, ὡς ἐπὶ θέαν τούτου τῷ ναῷ εἰσελθὼν, εὗρεν αὐτὸς καὶ πολλοὶ μεγιστάνες ὄπισθεν τοῦ ἁγίου στῦλον πυρὸς ἀνιστάμενον ἀπὸ τῶν ποδῶν τοῦ ἁγίου μέχρις οὐρανὸν ἀφικνούμενον, καὶ ἀγγέλους διακονοῦντας αὐτῷ. Βαβαὶ τοῦ θαύματος, τίς διηγήσεται τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ οὕτως δοξάζειν τοὺς δοξάζοντας αὐτόν; καὶ παρευθὺς φρικὴ καὶ ἔκπληξις εἶχε τοὺς πάντας· καὶ ἀκούσασα ἡ
πόλις τῶν Μεσσινῶν *i* πᾶσα ἐταράχθη, καὶ πάντες ἄν- i
δρες τε καὶ γυναῖκες, πρεσβῦται καὶ νέοι, δοῦλοι καὶ ἐλεύθεροι, καὶ πᾶσα ἡλικία ὁμοθυμαδὸν ἐν τοῖς ποσὶ τοῦ ἁγίου ἔπιπτον, χάριν ἐξ αὐτοῦ αἰτοῦντες. Ὁ δὲ
ἅγιος ῥὴξ καὶ πάντες οἱ μεγιστάνες δεδεμένας τὰς χεῖ- F
ρας γονυκλινοῦντες ἐπὶ τοῖς ποσὶ τοῦ ἁγίου ἐκυλινδοῦντο· συγγνώμην ᾐτοῦντο, λέγοντες· ἅγιε πάτερ συγχώρησον ἡμῖν· πάντα γὰρ ἐν ἀγνωσίᾳ ἐλέγομεν καὶ ἐπράττομεν κατὰ σοῦ. Ὁ δὲ ἅγιος πάντας διήγειρεν, καὶ προσευξάμενος ἀπέλυσεν.

36 Ὁ δὲ ῥὴξ καλέσας τοὺς κατηγόρους, ἠβουλήθη κατακαῦσαι πυρί. Ὁ δὲ ἅγιος ἐκώλυσεν αὐτὸν· καὶ ἔκτοτε εἶχε τὸν ἅγιον ὁ ῥὴξ ὡς πατέρα, λέξας πρὸς αὐτόν· τιμιώτατε πάτερ, ἐν τῷ παρόντι τόπῳ κάμινος ἀνῆπται κατὰ σοῦ, ὅρισον τί ἐνταῦθα γενήσεται. Ὁ δὲ ὥρισεν θυσιαστήριον ἀνοικοδομηθῆναι καὶ ναὸν ἀναγεῖραι ἐπ' ὀνόματι τοῦ σωτῆρος. Καὶ παρευθὺς ὁ ῥὴξ μοναστήριον μέγιστον ποιηθῆναι ὡρίσατο. Ὃ καὶ πεποίηκεν, χρήματα, κτήματα, ὑποστάσεις, ἱερὰ κειμήλια καθιερώσας ἐν αὐτῷ. Μέγιστον μοναστήριον ἀνῳκοδομήθη διὰ συνδρομῆς τοῦ ἁγίου. Οὕτω μέντοιγε.

37 Αὐτὸς γὰρ ἐλθὼν δι' ὁρισμοῦ τοῦ ἁγίου ῥηγὸς ἐν τοῖς μέρεσι Καλαβρίας, ἐν τῷ ἑτέρῳ μοναστηρίῳ αὐτοῦ, μετεκαλέσατο τὸν ἁγιώτατον ἱερομόναχον λουκᾶν, καὶ

A καὶ ἑτέρους δώδεκα μοναχοὺς, ἀξιολόγους καὶ ἱεροὺς ἄνδρας, ἐκ τῆς αὐτοῦ ποίμνης, δοὺς αὐτῶν ἥμισυ βιβλία καὶ τὰ ἥμισυ οἰκονοστάσια, καὶ ἕτερα κοιμίλια, καὶ χρήματα πολλὰ, καὶ τὸν ἱερὸν Λουκᾶν καταστήσας καὶ ἐκλέξας καθηγούμενον, τῆς προλεχθείσης νέας μονῆς τοῦ σωτῆρος, καὶ προσευξάμενος ἀπέπεμψεν. Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα τῆς οἰκοδομῆς καὶ ἀνεγέρσεως τῆς εἰρημένης μονῆς, εἰς τὴν αὐτὴν μονὴν ὁ βουλόμενος ἐρευνῆσαι, ἐρευνήτω. Ἀλλ' ἧκεν ἡμῖν κατὰ βραχὺ βαδίζων ὁ λόγος ἐπὶ τὴν τοῦ μάκαρος τελευτήν. Τρεπτέον τοιγαροῦν καὶ ἡμᾶς ἐπ' αὐτὴν, καὶ τὸ τοῦ βίου τέλος ἐκείνου, τέλος ἡμῖν γενέσθω τῆς διηγήσεως.

38 Οὕτω τοίνυν τὸν ἑαυτοῦ βίον κατακοσμήσας ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς ὁ τρισόλβιος, καὶ πολιτείας ἀγγελικῆς εἰκὼν, καὶ τύπος ἔμψυχος γεγονὼς τοῖς μετέπειτα, πολλοῖς τε προσομιλήσας πειρασμοῖς ἐν ἀρχῇ μὲν τοῦ κατὰ θεὸν βίου παρὰ τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων κατ' αὐτοῦ ἐπιφερομένοις, ἔπειτα δὲ καὶ παρ' αὐτῶν τῶν δοκούντων εἶναι αὐτοῦ φοιτητῶν καὶ οἰκιακῶν, καί, ὅ φησιν ὁ θεῖος Δαβὶδ, ἀνθρωπῶν εἰρήνης αὐτοῦ καὶ ἐσθιόντων ἄρτους αὐτοῦ. Καὶ τούτους καθάπερ τι νῆμα ἀράχνιον τῇ ἐν Κυρίῳ πεποιθήσει ὑπομονῆς διαλύσας, ὡς ἤδη τῶν τῇδε ἀποδημεῖν ἔμελλε, μᾶλλον δὲ πρὸς τὴν ἐπουράνιον πόλιν ἀπαίρειν, τὰς ἀμοιβὰς τῶν ἐν-
B ταῦθα πόνων τε καὶ ἱδρώτων ἀποληψόμενος, νόσῳ περιπίπτει μικρᾷ. Καὶ δὴ προορῶν διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτῷ θείου πνεύματος τὴν ἡμέραν τῆς τελευτῆς αὐτοῦ ἤδη ἐγγίζουσαν, εἰς εὐχαριστίαν πρὸς Θεὸν καὶ ὕμνους προπεμπτηρίους τὴν νόσον ἀνήλισκεν.

39 Φθασάσης δὲ τῆς ἡμέρας, καθ' ἣν τῆς πανάγνου μητέρος καὶ θεοτόκου τὴν ἱερὰν μετάστασιν ἑορτάζομεν, συναθροίσας τὴν ὑπ' αὐτῷ ὁσίαν πληθὺν, καὶ τούτοις τὰ περὶ τῆς ἐκδημίας εἰπὼν, δηλώσας τε τὸν τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν ἀναδέξασθαι ἄξιον· λουκᾶς δὲ οὗτος ὁ ἱερὸς ἦν, ἀνὴρ ἐν τῇ κατὰ Θεὸν πολιτείᾳ τῶν ἐν τῇ μονῇ πάντων διαφορώτατος, καὶ τοῦ μεγάλου τούτου πατρὸς διαφανεῖς τοὺς τύπους καὶ τοὺς χαρακτῆρας ἐν ἑαυτῷ ἀποσώζων. Τοῦτον τοίνυν προσκαλεσάμενος, χεῖράς τε αὐτῷ ἐπιθεὶς, τὰς ὄντως θείας καὶ ἱερὰς, καὶ δαψιλεστέραν αὐτοῦ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος ἐνέργειαν ἐπευξάμενος, καὶ χαριτώσας αὐτὸν, ὡς ὁ θεόπτης πάλαι Μωσῆς τὸν Ναυίτην, ἢ τὸν Ἐλισσαῖον ὁ διφρηλάτης ὕστερον ἡλιοῦ *, τὴν ἡγεμονίαν αὐτῷ τοῦ ὑπ' αὐτὸν νοητοῦ Ἰσραὴλ ἐγχειρίζει. Εἶτα ἑαυτὸν γηθοσύνως πρὸς τὴν μακαρίαν προρείαν προσευτρεπίσας, ἅτε τὰ δι' ἐλπίδος ἤδη φαντιζόμενος ἀγαθὰ, καὶ τὴν αἰωνίζουσαν ἐκείνην ἐν οὐρανοῖς τρυφὴν καὶ ἀπόλαυσιν, ἣν ἑτοιμᾶσθαι τὸν Θεὸν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν μεμαθή-
C καμεν, καὶ οὕτω πρὸς τοὺς περιεστῶτας ἠρέμα τείνας ὀφθαλμοὺς, καὶ φιλοστόργως αὐτοῖς ἐνιδών.

* Elias

40 Καίτοι μικρὰ πνέων ἤδη καὶ παρόντων ἀπεγνωσμένα, καὶ ὅλος ὢν τῆς ἐκδημίας, καὶ τῶν πάλαι ποθουμένων αὐτῷ καὶ ἠυτρεπισμένων, ὡς εἶδε τούτους νενικημένους τῷ πάθει, εἰς δάκρυά τε φανερὰ κατηγμένους, καὶ τὸν χωρισμὸν ἀνωδύνως οὐ στέγοντας. Τίς γὰρ οὕτω λιθοκάρδιος καὶ ἠλίθιος, ὡς πατρὸς καὶ πατρὸς τοιούτου ἀδακρυτὶ παρελθεῖν τὴν διάζευξιν; μὴ οὕτως, ἔφη, φίλτατα, θρήνοις τὸν ἡμέτερον πατέρα προπέμψητε, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαῖς, καὶ πρὸς τὸ θεῖον λιταῖς καὶ δεήσεσιν. Τοῦτο γὰρ ὑμῖν τε κἀμοὶ τῶν πάντων λυσιτελέστερον. Εἰ δὲ με καὶ νῦν πρὸς ταῖς ἐσχάταις ὄντα ἀναπνοαῖς, ὡς ὁρᾶτε, καὶ ὅσον οὔτω ἐκλείπειν μέλλοντα, ἀποθεραπεῦσαι προῄρησθε, ταύτην μοι τὴν χάριν ἐκλιπαρῷ τῷ πατρὶ τελευταίαν χαρίσασθε, μνημονεύσατέ μου διαπαντὸς τῶν πρὸς ὑμᾶς παραινέσεων, καὶ προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ τοὺς ἑαυτῶν τρόπους ῥυθμίσαντες ἕκαστος, πρὸς τὴν ἐντεῦθεν ἐκδημίαν γίνεσθε ἕτοιμοι, τοῦ ἀπαραιτήτου χρέους τοῦ θανάτου διηνεκῶς μνημονεύοντες. Μιμνήσκου γάρ, φησι, τὰ ἔσχατά σου, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα οὐχ ἁμαρτήσεις. Οὐδεὶς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, καθὰ δὴ καὶ παρὰ τοῦ θείου Δαβὶδ μεμαθή-

AB ANONYMO COÆVO

ad quod Sanctus monachos mittit cum Luca iis præfecto.

nachum, aliosque duodecim præstantes ac pios viros, ex suo selectos grege; librosque, et domus annuos proventus, ceteramque supellectilem cum illis partitus, multumque pecuniæ tribuens, ac Lucam *k* prædicti Salvatoris monasterio præficiens, faustis cum precationibus dimisit. Cetera, quæ ad ejusdem monasterii constructionem attinent, cui collibitum, ex eo perquirat. Jam tandem aliquando breviter summatimque prugressa, ad sancti Viri obitum nostra pervenit oratio. Hæc ergo eo etiam nobis vertenda, ut finis vitæ ipsius nostræ orationi finem imponat.

Sanctus, virtutibus insignis, morbo corripitur.

38 Posteaquam beatissimus Vir hunc in modum vitam suam virtutibus omnibus exornarat, seque posteris angelicæ consuetudinis formam, vivumque typum exhibuerat; ad hæc cum multis conflixerat tentationibus, jam inde ab initio conversionis suæ ab immundis spiritibus sibi ingestis, et a familiaribus suisque discipulis, et, ut Propheta ait, ab hominibus pacis suæ, comedentibus panem suum; quas omnes instar telæ aranearum, pro sua in Deum fiducia ac patientia, dissolvit: cumque jam ex vita hac discessurus esset, ac ad cælestem illam civitatem profec- E turus, ut laborum suorum præmia consequeretur, in levem recidit morbum. Quando divini spiritus in se habitantis virtute præsciens instare sibi extremum diem, in gratiis Deo agendis lætisque hymnis omne tempus insumebat.

Lucam sibi substituit monachorum præpositum.

39 Aderat jam dies, quo sanctissimæ Deiparæ beatam dormitionem celebramus, cum cœtu discipulorum ad se convocato, sermoneque ad eos habito de discessu suo, dignum virum, qui fratrum regimen susciperet, pronuntiat. Lucas is erat, morum sanctitate omnium in monasterio præstantissimus, et magni hujusce Patris expressam effigiem simulacrumque in seipso retinens. Cum accersisset hunc ad se, manusque vere sanctas imposuisset, et uberiorem ei Spiritus sancti virtutem precatus fuisset, utque olim contemplator Dei Moses filio Num, aut Eliseo postea aurigia Elias, gratiam communicasset, spiritualis sui Israel administrationem delegavit. Summa dein alacritate ad felicem se mortem præparabat; jam nunc per spem bona illa animo hauriens, æternasque delicias, et gaudia, quæ a Deo diligentibus se parata didicimus. Attamen oculos subinde ad astantes vertens, amanter eos respi- F ciebat.

monachos solatur et ad virtutem hortatur.

40 Quamquam vero desperata jam salute, exigua in spe traheret animam, totusque esset in profectionis suæ cogitatione, rerumque, quas opere maximo concupiverat, ut filios tamen suos, affectu victos, prorumpere in lacrymas vidEt, abscessumque suum acerbissime ferre; (quis enim animo tam saxeo stupidoque fuit, qui talis obitum Patris siccis oculis præteriret?) Nolite, inquit, carissimi filii, Patrem vestrum lamentis prosequi. Votis prosequamini potius, atque ad Deum precibus. Hoc enim mihi vobisque rebus omnibus longe erit utilius. Si autem me, extremum trahentem spiritum, jam jamque defecturum, colere desideratis, hanc Patri gratiam ut detis, postremum rogo: meorum ad vos monitorum memoriam retinete, ipsi vobis attendite, moresque vestros componite, inevitabilem mortis necessitatem assidue recogitantes, atque ad emigrandum ex vita hac parati estote. Memento, inquit, novissima tua, et in æternum non peccabis. Quis enim homo est, ut a Propheta

A. ANONYMO COÆVO. Ac demum pie moritur.

pheta didicimus, qui vivit, et non videbit mortem?

41 Hunc in modum cum circumstantium lacrymas fletumque sedasset, fuissetque quædam philosophatus de anima futuraque vita; opportune etiam unumquemque monuisset, qua ratione, secundum sacra eloquia, præsentem vitam traduceret; demum futura quædam monasterio divino spiritu prædicens, cunctisque salutem precatus, Deoque ac sanctissimæ ejus Matri gregem suum commendans, in manus Domini puram sanctamque omnino animam 14 Kal. Septembris emisit l. Corpus ejus monasticæ vitæ laboribus diutius exercitatum sanctissimumque, cum iis, quibus decebat, hymnis facibusque, piis fratrum manibus in ædem, quam ipse in honorem beatæ Virginis struxerat, deportatum, humatumque est; ad gloriam Patris, Filii, ac Spiritus sancti, unius supremæ Deitatis, quam decet omnis honor, gloria et adoratio in secula seculorum. Amen.

χαμεν, ὃς ζήσεται καὶ οὐκ ὄψεται θάνατον. D

41 Οὕτως οὖν τοῖς περιεστηκόσι στήσας τὸν ὀδυρμὸν καὶ τὰ δάκρυα, καί τινα τούτοις περί τε ψυχῆς καὶ τῆς μελλούσης φιλοσοφήσας καὶ διαλεξάμενος *, ἑκάστῳ τε κατὰ τὸ πρόσφορον παραινέσας, ὡς ἂν τοῖς θείοις ῥήμασιν τῆς παρούσης ζωῆς ἐπανέλθοιεν. Εἶτα καί τινα τῶν μελλόντων συμβαίνειν κατὰ τὴν μονὴν θεόθεν ἐμπνευσθεὶς προειπών, καὶ τοῖς πᾶσι κοινῶς τὰ σωτήρια ἀπευξάμενος, Θεῷ τε τὸ ποίμνιον καὶ τῇ τούτου μητέρι παραθέμενος, εἰς χεῖρας Θεοῦ τὴν καθαρὰν καὶ θείαν ὄντως ἀφῆκε ψυχὴν, ἐννέα ἤδη πρὸς ταῖς δέκα ἄγοντος τοῦ αὐγούστου μηνός. Τὸ γοῦν ἀσκητικὸν καὶ ἱερώτατον λείψανον μετὰ τῶν καθηκόντων ὕμνων καὶ λαμπάδων χερσὶν ὁσίαις τῆς περὶ αὐτὸν ἱερᾶς ἀδελφότητος συσταλὲν, ἐν αὐτῷ τῷ παρ' αὐτοῦ οἰκοδομηθέντι τῆς παναγίου ναῷ κατατίθεται. Εἰς δόξαν πατρὸς, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, τῆς μιᾶς καὶ ὑπεραρχίου θεότητος, ᾗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις, καὶ μεγαλοπρέπεια νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

* al. διαδεξάμενος.

ANNOTATA.

E

B a Τὴν legitur in utroque apographo, sed mendose, opinor. Correctio tamen mihi certa non videtur, quia forte legendum τῶν, forte τηνὶ tunc, forte etiam τινὲς quidam. Hinc malui mendum relinquere. Quocumque autem modo hæc vox legatur, ex Græcis inferre nequeo, duos illos calumniatores fuisse ex monachis ipsius S. Bartholomæi, ut credidit interpres dicendo, quorum duo, et id referendo ad monachos Sancti. Hinc istud mutari.

b De illo monasterio Caietanus in Annotatis hæc observavit: Quod monasterium a Rogerio, comite Calabriæ et Siciliæ, a fundamentis exstructum, multisque prædiis auctum est anno Christi 1081. Exstat apud me fundationis eius et donationis antiquum privilegium. Miletus autem vel Melita, aut Militum, ut alii scribunt, est parva civitas Calabriæ ulterioris, crediturque hæ a Milesiis condita. Episcopalis facta est sæculo 11, ut videri potest apud Ughellum tom. I Italiæ sacræ col. 1022, ubi recitavit ipsum Rogerii Calabriæ et Siciliæ comitis diploma Græcum, quo novo episcopo Militensi reditus donantur. At diploma istud vitiose translatum est in sermonem Latinum, ac nominatim vox πρεσβύτερος, quæ seniorem significat, aut presbyterum ordine sacerdotali, ridicule ubique exponitur presbyter, et sic multi inducuntur presbyteri maritati, imo et presbyteræ contra mentem auctoris. Ceterum fuisse Militi aliquod monasterium sancti Angeli, sive S. Michaeli archangelo sacrum, liquet ex litteris Eugenii Papæ III, ibidem col. 1032 ab Ughello recitatis: nam hæ leguntur scriptæ Roberto abbati Militensis monasterii, quod in honore sanctæ Trinitatis, et beati Michaelis archangeli ædificatum est.

c Vox græca μηλητήνην ita legitur in utroque apographo, sed mendose, ut existimo. Sensum interim dedit interpres.

d Verisimiliter auctor memoria lapsus est, quando Hermam, ut habet utrumque apographum, aut Hermem, ut latine impressum est, conjunxit cum Hermogene. Nam neque de Herma neque de Herme conquestus est Apostolus, sed utrumque salutavit Rom. 16, ℣ 14. De Hermogene Paulus conqueritur 2 Timoth. I, ℣ 15, eique adjungit Phigellum. Hos voluit verisimiliter auctor indicare. F

C e Si quis diligenter animum adverterit ad omnia, non facile credet, monachos illos calumniatores fuisse Sancti subditos. Nam invidia, qua agebantur, accessus ad regem, modus loquendi ad regem de sancto Abbate, prorsus insinuant, eius monachos non fuisse, cum hi non invidissent rebus propriis, nec regem adire potuissent sine Sancti licentia, nec Abbatem suum vocassent monachum. Erant ergo ex monasterio Militensi, et non suum, sed alienum accusabant abbatem; nisi forte monasterium Militense Sancto aut eius congregationi se subdidisset, de quo non constat. Tamen verba Officii, in Commentario data num. 40 habent, ex domo Sancti ortam hanc calumniam, ut verisimile fiat, monachos istos Militenses aliquo tempore in monasterio Sancti habitasse.

f Aliquid procul dubio exaggerationis hic est: neque enim licitum est falsa fateri crimina, eaque talia, ut mortis pœna sint expianda, neque Christus Dominus crimina sibi objecta fassus est. Itaque solum crediderim, Sanctum abstinuisse a defensione saltem operosa, indeque factum esse, ut videretur noxius, aut etiam diceretur omnia confessus; quod aliqua esset confessus, ex quibus viderentur reliqua inferri.

g Sententia verisimiliter minus cito lata est, quam hic innuitur. Judices, qui Sanctum interrogarunt, forte leviora aliqua confitentem, et ad reliqua tacentem, habuerunt pro confesso, et sententiam tulerint consequenter. Vide tamen et Commentarium num. 84.

h Locus hic in utroque apographo mendosus est. Ædem S. Nicolai in isthmo fuisse, docet interpres.

i Μεσσινῶν in uno apographo, in altero μεσσηνῶν, cum tamen ex eodem codice sint scripta. Alias urbs Messana scripta fuit μεσίνη, idque in utroque apographo.

k De Luca, ejusque monasterii fundatione actum in Commentario § 5 et 6.

l De anno mortis disputatum est sub finem Commentarii, num. 86.

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM VIII SEPTEMBRIS.

A

† Alodius

Basilius

106

Brugman

† Catellus

D

Focaldus

G

Gargalus

H

Leontius

Mareschal

N

† Olympia

P

Q

R

Rainaldus

S

Sau-

X. Y. Z.

INDEX TOPOGRAPHICUS.

A

Arnus,

B

Burgum

Lucania,

Sdringa

T

INDEX ONOMASTICUS.

A

Prosequor

INDEX MORALIS.

A

E

I

Mansuetudo

S.

S

Sup-

FINIS.

BRUXELLES. — IMPRIMERIE DE CH.-J.-A. GREUSE, 1, Rue du Boulevard.


FALVEY MEMORIAL LIBRARY
VILLANOVA UNIVERSITY
DATE DUE